The following Paragraph from the
Leinster Journal
28 Sepr. 1776

On Wednesday evening (25 Sepr. 1776) at his house i
Madlin street Kilkenny, died the Revd. Dr. Tho
Burke, titular Bp of the diocese of Ossory; whose
death is universally lamented: he was huma
haritable, affable & sincere, & a gentleman of
extensive knowledge

Sic transit Gloria mundi ~ [redacted]

~ He was made Bishop A D 1759 ~

10 C h

HIBERNIA DOMINICANA.

SIVE

HISTORIA PROVINCIÆ HIBERNIÆ ORDINIS PRÆDICATORUM,

Ex antiquis Manuſcriptis, probatis Auctoribus, Literis Originalibus nunquam antehac impreſſis, Inſtrumentis authenticis, & Archivis, alijſque invictæ Fidei Monumentis deprompta.

IN QUA

Nedum omnia, quæ ad memoratam attinent Provinciam, & Cænobia ejus, tam intra quam extra Regnum *Hiberniæ* conſtituta (interjectis ſingulorum Fundatorum Genealogjis) atque Alumnos ipſius, ſeu Dignitate Epiſcopali, ſeu Munere Provinciali, ſeu Librorum Vulgatione, ſeu Martyrio, publicave Virtutis Opinione claros, ſuccincte diſtincteque exhibentur.

SED ETIAM PLURA

Regulares generatim ſumptos, Clerumque Sæcularem, necnon & Res Civiles *Hiberniæ*, atque etiam *Magnæ Britanniæ* ſpectantia, ſparſim appoſiteque, adjectis inſuper Notis opportunis, inſeruntur, & in perſpicuo Ordine collocantur.

PER

k

P. THOMAM DE BURGO, prælibati Ordinis Alumnum, S. Theologiæ Magiſtrum, & Protonotarium Apoſtolicum, necnon *Hiberniæ Dominicanæ* Hiſtoriographum, poſtea.

E. : . . . . . O. . . . .

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex Typographia Metternichiana ſub Signo Gryphi.
Anno MDCCLXII.
Cum Permiſſu Superiorum, & Privilegio Sacræ
CÆSAREÆ *Majeſtatis.*

10

MUSEUM BRITANNICUM

EMINENTISSIMO & REVERENDISSIMO PRINCIPI,

DOMINO NERIO CARDINALI CORSINO,

Regni HIBERNIÆ, ac Ordinis PRÆDICATORUM Protectori.

F. THOMAS DE BURGO, Hib. Ord. Præd. E. O.

SOLEMNE *eſt, & inveterato pridem ſcribendi Uſu receptum,* PRINCEPS EMINENTISSIME, *ut qui aliquid evulgat, illud, niſi clariſſimi cujuſpiam Patroni Auſpicijs fretum, ac munitum, in Hominum Manus exire non patiatur, quo & Tutelæ Clypeus Operi accedat, & diù fortaſſis peroptata ſuppeditetur Auctori Occaſio Venerationem ſuam, & Obſequium publicé profitendi. Quem autem, quæſo, Patronum ambiret Opus,* Hiberniæ Dominicanæ *Hiſtoriam exhibens, quàm Vigilantiſſimum* Hiberniæ *Regni, &* Dominicani *Ordinis Protectorem (in quem perbellè quadrat) ut in ejus Sinu, ad quem ſponté convolat, foveatur, in ejuſque Humanitate Jure quodam ſuo conquieſcat? Cui, amabò, Mæcenati qualemcunque meam Lucubrationem aptiùs aut accommodatiu quàm peculiari meo Patrono (cui tantoperé addictus ſum Memoriâ profuſæ Beneficentiæ ſempiternâ) dicare & devovere poſſem? Oppertunam ſcilicet nactus Occaſionem palàm ſignificandi conceptum jamdudùm ſingularis Obſervantiæ & Gratitudinis Senſum ergâ* EMINENTIAM TUAM, *necnon ſeriò (etſi ſerò) oſtendendi publico perennique quopiam Monumento acceptorum Beneficiorum jugem Recordationem, & ad omne Obſequium promptiſſimam Voluntatem. Planè eam eſſe in Beneficiorum Largitione Legem, Sapientes Viri definiere, ut licèt qui Beneficium largitus eſt, perpetuæ mandet Oblivioni, qui nihilominùs Beneficium accepit, nunquàm è Memoria excidere ſinat. Quæ quidem Lex, non humanis ſancita Decretis, ſed à Natura ipſa profecta, uſque adeò latè mirandum in Modum patet, ut non Homines tantûm Humanitatis Legibus excultos, ſed Bruta etiam Animantia, immò & immanes Feras, Vi ſuâ devinciat.*

His permotus Rationibus, CARDINALIUM ORNATISSIME, *meum induxi in Animum iſtius, quem molitus ſum, Libri, craſſiori quamquàm Minervâ contexti, quaſi Veſtibulum, ut ità loquar, Eminentiſſimo Tuo Nomine cohoneſtare, apertumque Venerationis meæ Specimen malui impar dare quàm nullum. Sed, ut candidè atque ingenuè fatear, deterruerant me ſtatim ſumma illa Nobilitas, ſummaque Dignitas, quibus in Eccleſia Dei veluti Splendor fulges Firmamenti, ne Librum hunc cum præclariſſimi Tui Nominis Inſcriptione Juris publici facerem, quatenùs is nimirùm &* EMINENTIÆ TUÆ *Splendori, & Deſiderio meo, quod ferventiſſimum eſt, parûm oppidô reſpondere facili Negotio intelligerem. Aſt verô cùm primùm eximiam Affabilitatem Tuam, ac Fuci omnis expertem Benignitatem, tantamque perpetuæ Humanitatis Conſtantiam, quanta vel in Homine optari poſſit, paulò accuratiùs perpendere licuit, abire Metus, Hæſitationes procul aufugere, Agitationes cunctas*

17/x

cunctas penitùs evaneſcere extemplò perſenſi, exindèque miram conſecutus ſum Te per Præſentes adeundi, & interpellandi, Alacritatem ac Fiduciam. Tu enim, OMNIUM HOMINUM HUMANISSIME, OMNIQUE VIRTUTUM GENERE CUMULATISSIME, *dum in tanta, quæ premit undique, Negotiorum Molè cunctorum Ordinum ad Te accedentes Facilitate tàm amabili Comitate tàm ſuavi exeipis, ut à Te triſtis diſcedat Nemo, Viros tamen literatos (intrà quorum Numerum utinam Ego Theologorum minimus eſſem) familiariùs alloqueris Literarum Amator, ipſiſque adeſſe geſtis, & patrocinari. His proindè Conatibus meis pro Tua Authoritate, & propenſa in me Voluntate favebis, ut ſpero,* CARDINAIS INCLYTE, *nihil etenim (quod de Cæſare dicebat Oratorum Princeps) habet Fortuna Tua majus, nihil Natura melius, quàm ut velis tueri quamplurimos.*

Video, MÆCENAS EMINENTISSIME, *quàm ingens Laudum Tuarum hic ſeſe mihi aperiat Campus, ſed longé impar eſt Ingenij mei Vis tantis Rebus explicandis. Virtutes equidem Tuas, omnium Sæculorum Memoriâ dignas, omneſque in Tui Venerationem & Amorem rapientes, dicendi Facultate exequare nequeo, & ad Tua in univerſam Eccleſiam Merita, nullo unquam Tempore interitura, mea certé haud adſpirat Eloquentia, ſeù potiùs Infantia. Ultinam porro Viri eruditi, & Facundiâ clari, hanc in ſe Provinciam ſuſcipiant, omneſque Induſtriæ ſuæ Nervos in hoc explicent, ut antiquiſſima producant Monumenta Nobiliſſimæ* CORSINORUM *Proſapiæ, quæ certo certiùs, ut graviſſimi oſtendunt Scriptores* (a), *utque hoc præſens, quod labitur, Sæculum teſtatur, Heroum feraciſſima fuit, fæcundaque Parens, & Scaturigo Magnatum. Dedit enimvero Chriſtianæ Reipublicæ* CLEMENTEM XII, *immortalis Memoriæ Pontificem Maximum, omni Præconio majorem,* EMINENTIÆ TUÆ *Patruum, cujus Electionis felix fauſtuſque Dies id Mihi Adoleſcentulo Fortunæ attulit, ut* Romæ *tunc conſtitutus, hilaris eſſem Teſtis publicæ omnium in tota auguſtiſſima Urbe geſtientium Lætitiæ, vix aut ne vix quidem intrà Præcordiorum Sinus ſeſe continere valentis, feſtivarumque Acclamationum, ac fauſtarum Precationum; plaudenſque cernerem Undas Hominum, ſupinis Manibus Deo Optimo Maximo ſummas Gratias agentium, ac in Speciem Maris ad Spectaculum effundentis ſeſe Multitudinis, incredibili Gaudio correptæ, immo magis extrâ ſe raptæ, anguſtum duntaxàt Tramitem relinquentis* SANCTITATI SUÆ, *dùm Sacras* DIVI PETRI *Ædes è Conclavi deſcendens peteret: Alacrem hinc indè Populum Neo-Papa modeſtiſſimus vidit, exultantium Voces audivit.*

Eidem jam anteà dederat Chriſtianæ Reipublicæ Cardinales Ampliſſimos, Eccleſijs Damatianæ, Florentinæ, Feſulanæ, Volaterranæ, *&c, Sacros Antiſtites, Urbi quoque Præſules ſplendidiſſimos, quibus* CORSINORUM *Familiæ Dignitas ad omnem Poſteritatis Memoriam longé latéque propagatur. Dederat Summis Pontificibus Legatos, quorum Prudentia* Italiam, Germaniam, & Galliam *Admiratione replevit. Dederat Patriæ* FLORENTIÆ *infracti Animi Viros, Scientiâ Rei militaris Tempeſtate ſuâ facilè Principes, Campum Martium Victoriarum Trophæis implentes; Oratores ſunieris Conſilij, quos ad finitimas mittebat Gentes; Senatores quoque, & alios id Genus Optimates, qui* MAGNIS ETRURIÆ DUCIBUS *Ingenium, Laborem, ac Fidem ſuam promptam expoſitamque præbere haud dubitarunt. Dederat* CARMELI *Decus & Ornamentum,* ANDREAM *Epiſcopum* Feſulanum, *Sanctorum Faſtis adſcriptum,* DIVI DONATI, *Hibernigenæ, ut obitur dicam (b), Succeſſorem, cujus annua Feſtivitas Pridie Nonas Februarij per univerſam quà laté patet Eccleſiam ſub Ritu Duplici celebratur.*

Appoſité profectò alter CARMELI *Splendor hic Loci commemorandus eſt, ceù Tuus,* CARDINALIS COLENDISSIME, *Conſobrinus, utpoté Celiſſimi Tui Genitoris ex Sorore Nepos, nunquam ſine Laude nominandus, primò non quidem* Feſulanæ, *ſed propinquæ* Aretinæ *Diæceſis per plurium Annorum Seriem Antiſtes, Doctrinâ & Pietate fulgens, maximis priſci Ævi Epiſcopis Jure merito comparandus,*

(a] Morerius in *Dictionario Hiſtorico*; Scipio Amiratus de *Nobilibus Familijs Florentinis*; Ughellus in *Italia Sacra*, &c.

[b] Adeas hujus Operis Pag. 8, & 23.

comparandus, dein Luſtris ſex Cardinalis Religioſiſſimus, Eminentiſſimus nempè & Reverendiſſimus D. Fr. JOANNES-ANTONIUS GUADAGNI *(c), poſtremò Epiſcopus* Portuenſis, *necnon Sacri Purpuratorum Collegij Sub-Decanus, triumque Romanorum Pontificum in Alma Urbe Vicarius Generalis integerrimus, mihi benigniſſimâ ſuâ Audientiâ pluries favere plurimumque prodeſſe dignatus, cujus Memoria in Benedictione eſt.*

Dedit tandem aliquandò Te, PRINCEPS INCLYTISSIME, *non tàm Cardinalitiâ Dignitate, quâm omnigenæ Virtutis Supellectili conſpicuum, qui plurimis maximiſque obvolutus Occupationibus, omnes Tuas Curas, Cogitationes, & Studia ad Utilitatem Sacroſanctæ Eccleſiæ, & ad Populi Tranquillitatem ac Felicitatem confers: Palàmque omnibus facis tàm arcto Vinculo Virtutes, alioqui diſſimiles, in Te concinnâ Venuſtate blandâque Harmoniâ ſociari, ut nec de Modeſtia Nobilitas, nec de Candore Prudentia, nec de Comitate Gravitas, nec Doctrinæ Studium de Pietatis Amore quidquam decerpat. Nec mirum ſanè, nam ſicut Fructus Arborum Naturam ſequuntur, ſic fermè Liberi Parentum & Majorum Mores imitari, & quemadmodùm Vultum, ſic & Indolem quoque ſimillimam referre, ſolent. Sed cùm nihil egeris agaſve niſi in maxima ornatiſſimorum Hominum Frequentia, niſi in ampliſſimo* Romanæ *Civitatis Conſpectu, profectò non eſſe videtur, cur ipſe impræſentiarùm velim in omnes cunctis pervulgatas Tuas heroicas Actiones Studium enarrandi conferre, atque ambitioſo Præconiorum Delectu Nomen Tuam celebrare. Sat ſuperque ſufficiat ſi dixerium, Te, omnibus omnia factum, ergâ cunctos benigniſſimum prodere, Viros literatos, quos impenſe ſemper coluiſti, Tuo, ut mox ajebam, juvare Auxilio, favere Patrocinio, multiſque cumulare Beneficijs, & quidem tantâ Animi Voluptate, ut à ſola Virtute, & ab eximia præſtantique Indole Tua hæc collata Beneficia proficiſci Nemo non intelligat, & in Cœlum Laudibus non efferat. Pauperes autem, qui Rerum Penuriâ laborant, nedùm Patientiâ ſui ſemper æquali ſuſcipis, & demulces, Officio, & Benevolentiâ ſuſtentas, ſed etiam ipſâ Tuâ Re familiari ſæpenumerò illis quàm liberaliſſimè opitularis. Verbo dicam, non Encomia ſed Epiſtolam ſcribens, Te in tot conferendis promiſcuè Beneficijs non vanam Gloriam (ut fieri aſſolet) aucupari, ſed duntaxàt congenitæ Virtutis Deſiderium explere, inſitamque Pietatem effuſis Opibus alere velle. Non indulgeo Propenſioni meæ,* CARDINALIS PIISSIME, *non omnium Judicio blandior, nota namque cunctis & teſtata loquor, non quæ audivi tantum ſed quæ vidi; atque utinam propterea eſſet is Mentis meæ Captus, ea dicendi Vis, ut perfunctoriè ſaltem egregia Tua Merita delineare valerem.*

Dedit ulteriùs Tuum, MAGNE PRINCEPS, *ex Fratre Nepotem, aureis Eccleſiæ Sæculis dignum, Eminentiſſimum, inquam, Reverendiſſimumque* D. ANDREAM *Cardinalem,* CORSINORUM *omnium Epitomen, Ætate quidem Juvenem, ſed Sapientiâ Senem, ſuperque Senes intelligentem, qui in ſuo florentiſſimo Vere jam benè multa præbuit, & præbere pergit excellentis Ingenij, & decoræ Virtutis Specimina, ad præſentem planè Ævi ſui Laudem magna, & mira, ad Expectationem verò, & quaſi Prædivinationem futurorum maxima.*

Cæteros mitto (ne in immenſum diffundar) quorum Nomina, Cedro digna, quorum ſuaviſſimam Recordationem nulla unquam Veſtutas obruet, nulla obſcurabit Oblivio, ſed omnis deprædicabit Ætas, & ad ſeram uſque Poſteritatem tutò tranſmittet, ex ea quippè exortus es Progenie, EMINENTISSIME PATRONE, *in quâ verus Honor, & ſplendor Virtutis jugiter enituit. Longè inſuper plura de Rebus à Te præclare geſtis, deque Beneficijs Mihi collatis lubens hìc adderem, & quidem citrà omne Aſſentationis Periculum, vel Suſpicionem, niſi, ut ſiſtam Gradum, admoneret Animi Tui innata Modeſtia, quâ Laudes Tuas (atque hæc Laus maxima) audire non amas, ſed majores in Dies duntaxat promereri. Immò ſi ea proſequi hìc vellem, tanta Rerum exuberaret Copia, ut Dies me deficeret, Finemque dicendi nunquam reperiret Oratio.*

Annue igitur & fave, MÆCENAS TER MAGNE, TER MUNIFICE, *lætoque Animo ſuſcipe Munuſculum hocce literarium, tanquâm devotæ, fidelis, obſtrictæque Voluntatis Symbolum, Vectigal,* &

(c) Memoratus in hoc Opere Pag. 22.

& Pignus, præclariſſimi Tui Nominis geſtans Signaculum, non in Plumbi Lamina Stylo ferreo exaratum, aut Celte ſculptum in Silice, ſed Libro Typis nunquâm morituris infixum. Tenue quidem Munuſculum ſi Operis Formam tantummodò conſideres, ſi verò ex Studio & Animo dantis, Amore flagrantis incredibili Gloriæ Tuæ, æſtimes, minimè contemnendum : Id enim ex totis Præcordiorum Affectibus Tibi offero, eximiæ Felicitatis, ac ſummi Honoris Loco ducens, meam in omnibus, quas nanciſcar, Occaſionibus, Eminentiſſimæ Tuæ Perſonæ, Celſiſſimæque Genti CORSINÆ ſinceram prodere obſequendi Voluntatem. Quo circà illud pro ſummâ, quâ polles, Humanitate non repudiaturum, ſed boni æquique conſulturum ſpero, planèque confido; Tibi namque, vel ipſâ Experentiâ edocto, compertiſſimum ſcio, æquè regium, ac magnificum eſſe & præſtare magna, & parva ſerenâ Fronte ſuſcipere. Quod ſi Materiam ſpectes, PRINCEPS CLEMENTISSIME, non exiguum, ſed reipſâ magnum meherclè videbitur, utpotè Hiberniæ Regni, & Dominicani Ordinis, Tibi acceptiſſimorum, de quibus benè mereri Jure optimo cenſeris, Hiſtoriam, inclyta Monumenta è diuturnis nimiùm Tenebris in Lucem edentem. Plura etiam obiter appoſitèque tanguntur Theologica Dogmata, & ſanè juxtâ inconcuſſam tutiſſimamque Mentem Angelici & Quinti Eccleſiæ Doctoris, DIVI THOMÆ AQINATIS, divinæ Voluntatis fideliſſimi Interpretis, cujus Doctrinam probam incorruptamque ſpeciali Conſtitutione (d) declaravit laudatus, & nunquam ſatis pro Meritis laudandus Tuus Patruus, CLEMENS PAPA XII, ut nihil dicam de tot ejus Prædeceſſoribus, qui eandem ſummis Elogijs, ab ipſo inſimul recenſitis, & approbatis, celebrarunt. In quo quidem Opere ſi meum qualemcunque Laborem probari EMINENTIÆ TUÆ intellexero, mihi ex hoc Animus erigetur ad ulteriora, jam Prælo matura, propitio Numine, edenda; ſin aliter eveniſſe ſenſero, certè mihi plurimum videbor conſecutus, quod meum ergà Te, PATRONE MAXIME, Obſequium hac publicâ Teſtificatione conſignavero. Vale, SECULI DECUS, & Vive. Deum immortalem, quem ſingulari Pietate colis, ſupplex obnixè efflagito, ut Eccleſiæ, Regno, Ordini, & mihi diù perſtes in utroque Homine ſanus, pleniſſimâque omnis Generis Felicitate florentiſſimus, donec, Meritis & Annis plenus, totus refulgeas in perpetuas Æternitates.

(d) Quæ incipit : Verbo Dei Scripto. Dat. 5. Kal. Sept. 1733.

Præfatio

Præfatio.

EN Obedientiæ Fætum tibi, quiſquis ſis, Amice Lector, in Hiſtoria hac exhibitum. Hinc ceſſabit Admiratio, ſi quam forte conceperis, cur in hac Regione Umbræ Mortis, atque in Occidentalibus Europæ Finibus, eructare abſcondita Tenebrarum auſus fuerim. Enimverò Anno Æræ Chriſtianæ 1748 Comitia Generalia Bononienſia, Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Fr. *Antonini Bremond*, piæ Memoriæ, electiva, Decretum edidere in Actis ſuis, Tit. *Confirmationes*, Num. V, Pag. 59, Tenoris ſequentis : “ Cûm ad Res Ordinis Univerſi Annalibus excipiendas non ſemel per Generalia Capitula ſancitum, confirmatumque ſit, ut cujuſlibet Provinciæ, aut Congregationis Hiſtoria accuratè ſcriberetur, nec adhuc communibus Votis in Familiæ noſtræ Ornamentum, & Decus, ea in Parte factum fuerit ſatis, priora confirmantes, ac renovantes Decreta, omnibus & ſingulis Provinciarum, & Congregationum Superioribus præcipimus in Virtute Spiritûs Sancti, Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto, immò ſub Pæna Nullitatis Actorum Capituli Provincialis, ut in proximo futuro uniuſcujuſque Provinciæ Capitulo, in communi Definitorio elegi faciant Virum doctum, ſolertem, acris ſubactique Judicij, cui committatur propriæ Provinciæ, vel Congregationis Hiſtoria, ſummâ Fide ac Diligentiâ ſcribenda ; eidemque teneantur Priores ſub Pæna Abſolutionis ab Officio, infrà Trimeſtre à Celebratione Capituli, communicare quidquid in ſingulis eorum Conventibus ab eorum Fundatione ſingulare, ac Memoriâ dignum fuerit, atque ad Ordinis Ornamentum, & Gloriam pertinere videbitur, ut ab ipſo in Hiſtoricos Provinciæ Commentarios referatur, quorum tamen Exemplar non anteà Typis vulgetur, quâm ad Magiſtrum Ordinis pro Examine, & Approbatione mittatur.”

ANNO autem ſequenti 1749 celebratum quidem fuit Capitulum noſtrum Provinciale *Dublinij*, in eo tamen electus non erat Hiſtoriographus, quatenùs Decreti iſtius Notitia in hanc *Hiberniæ* Provinciam nondùm adveniſſet. Quapropter expectare oportebat Capitulum Provinciale Anni 1753, in quo unanimi Suffragio Hiſtoriographus fui electus ; quod ſanè mihi magis jucundum foret niſi eo ipſiſſimo Tempore Prælo paraſſem Opus hoc inſcriptum Titulo : *Promptuarium Dogmatico-Canonico-Morale*. Incunctanter porrò ad Conventuum tam intrà Regnum *Hiberniæ* conſtitutorum, quàm Extranationalium Superiores, alioſque pro Informationibus ſcripſi, ſed ab ijs (unum alterumve ſi excipias) quamquàm etiam atque etiam rogatis, & urgentiſſimè exoratis, nullam porſùs Operam literariam recepi, quod antiquæ jam, & heu ! nimiùm notæ *Hibernigenarum* hiſce in Rebus Ignaviæ (abſit Injuria Verbo) partim attribuendum videtur, partim verò quia Cænobia omnia, eorumque proindè Archiva, adeoque & plurima præclariſſima Monumenta, ex quibus laudabiliſſima nunc Hiſtoria conſcribi poſſet, Acatholicorum Rabie in haud interruptis Bellorum, & Perſecutionum Cladibus à Lapſu in Schiſma *Henrici* VIII deſtructa fuere. Hinc poſt perſcrutatos tàm publicos quàm privatos quoſdam Metropolis *Dublinienſis* Codices Manuſcriptos, paucoſque Libros editos ad Rem meam ſpectantes, perluſtrandum mihi erat univerſum quà latè patet Regnum, quod, benedicente Domino, feliciter præſtiti ; demùmque ut hanc, quam nactus ſum, Spartam pro virili ornarem, omnia, quæ à diverſis, & in diverſis Locis colligere poteram, in unam hanc Hiſtoriam redigere adlaboravi, Horis nempè ſucciſivis, quantùm aſſidua ſeù Confeſſiones excipiendi, ſeù Conciones habendi, ſeù Infirmos viſitandi Cura, aliæque Miſſionarij Apoſtolici Exercitationes ſinebant, ità ut intrà Quadriennium, à memorato nimirùm Capitulo Provinciali 1753 ad immediatè ſubſequens 1757, qualecunque Opus ad Umbilicum perducerem, immò & unum illius Exemplar propriâ Manu exſcriberem, ne ſcilicet in longa ad Urbem Via, Bellorum præſertim Tempore, primum deperdatur.

Cum

Cum verò poſteriora Comitia Provincialia Dublinij 1757 celebrata in Actis ſuis hanc fecerint Denunciationem Num. VI: “Denunciamus Adm. Rev. Patrem Magiſtrum Fr. Thomam de Burgo, Provinciæ hujus Hiſtoriographum, in ultimo Capitulo Provinciali electum, ſuam juſtæ Molis Hiſtoriam ad Umbilicum perduxiſſe, ad Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis pro Examine & Approbatione quantociùs mittendam.” Reverendiſſimus Magiſter Ordinis, P. *Joannes-Thomas de Boxadors*, in Literis ſuis Patentibus, prælibatorum Actorum confirmatorijs, hæc dignatus eſt aurea promere Verba: “Gratam Nobis accidiſſe ſignificamus cùm Provinciæ in deſignando jampridem Hiſtoriographo, tùm Rev. Adm. Patris Magiſtri Fr. Thomæ de Burgo Hiſtoriographi deſignati in fungendo Munere Diligentiam, quam ſextâ Denunciatione Provincia commemorat: Eamque Hiſtoriam, ubi ad Nos miſſa fuerit, ſingulari cum Voluptate accipiemus.

Sane, ut candidè fatear, plura in Hiſtoria hac invenies, benigne Lector, quæ ad *Hiberniam Dominicanam* haud pertinere primâ Facie dices, quæ tamen Silentio prætermittere nolui, tùm quia mihi prælibato in diligenti Perſcrutinio occurrerunt; tùm etiam quia Viri, Dignitate, Doctrinâ, ac Zelo Patriæ præditi, & pro Typis vulgando Opere aſſociati, mihi conſuluere, ut quæcumque ſimilia pro Re nata inſererem, ne omnio pereant, aut in Tenebris diutiùs lateant; tùm vel maximè, quia ad elucidandam illuſtrandamque *Hiberniæ Dominicanæ* Hiſtoriam, cum qua ſuam habent Connexionem, ut ſeriò perpendenti liquebit, magnoperè conducunt. Quapropter haud pauca ad aliorum Ordinum Regulares, aliaſque Res Eccleſiaſticas, immò & Civiles *Hiberniæ*, nonnullaque *Magnæ Britanniæ* ſpectantia, ſparſim obiterque referuntur. Et quidem appoſitè, non ſecùs ac qui Magni alicujus Regis, putà *Ludovici* XIV *Galliarum*, accuratè ſcribit Res geſtas, memoranda aliarum Ditionum Facinora intrà Silentij Siparium relinquere non valet. Hujus Rei nuperum habemus Exemplum in politiſſimo juxta ac ſagaciſſimo labentis Ævi Scriptore, mihi *Romæ* amiciſſimo, *Petro*, inquam, *Pollidoro*, qui *Vitam & Res Geſtas Clementis XI Pontificis Maximi* eleganti Sermone conſcribens, omnia fermè ad univerſum Terrarum Orbem attinentia, cum ijs quoquomodo connexa, ſummatìm congeſſit. Prævideo planè, ex *Hibernis* noſtris, & quidem haud perſpicacioribus, non defuturos Criticos, & Cavillatores, verùm de ſuo meliora proferant, antequàm judicent de alieno. Nonnulla quidem Alumnorum Elogia ipſis Sanctimoniæ vel Martyrij Appellationem tribuere videntur, ea nihiloſeciùs accipienda haud ſunt tanquàm a Sede Apoſtolica examinata, ac approbata, ſed tanquâm quæ à ſola ſuorum Auctorum Fide Pondus obtineant, atque adeo quàm Hiſtoriam purè Humanam, ut ſuo Loco fuſiùs declarabitur (e).

En tibi, Amice Lector, Facti Rationem, Operiſque Conſilium; Scriptionis verò Ordinem, & Methodum Index apertiùs explicabit. Supereſt, ut hos meos Labores, quamquàm exiles, æqui bonique facias. Si quid invenias tuâ Lectione dignum, eo utere: Si quid a me Peccatum eſt, humanæ Conditionis memor ignoſce. Solius quippè Dei perfecta ſunt Opera. Quæ verò ſcripſi, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Omnium Orbis Eccleſiarum Matris ac Magiſtræ, Summique Pontificis, Librorum omnium ſupremi, & infallibilis Judicis, Examini, & Correctioni, ſummâ, ut par eſt, animi Demiſſione ſubjicio. Utinam cedant in majorem Omnipotentis Dei, Deiparæque Virginis Mariæ, Sacratiſſimi Roſarij Reginæ, Sanctorumque *Patritij* Hiberniæ Apoſtoli, *Dominici* Patris noſtri, *Thomæ Aquinatis* Doctoris Eccleſiæ Angelici, omniumque Cælitum, Gloriam, & Honorem. Vale.

(e) Cap. xvi. Num cxxvi. Pag. 588.

Licentia

LICENTIA ORDINIS.

NOS FR. JOANNES THOMAS DE BOXADORS,

S. Theologiæ Profeſſor, ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

HARUM Serie, noſtrique Auctoritate Officij, quantùm in Nobis eſt, Tibi Admodùm Reverendo Patri Magiſtro Fr. Thomæ de Burgo, Provinciæ noſtræ Hiberniæ, Poteſtatem facimus Typis evulgandi Opus nuper a Te ſtudioſè elaboratum, cui Titulus: *Hibernia Dominicana*, dummodò priùs dictum Opus a duobus Ordinis noſtri Magiſtris in Theologia, ab Admodùm Reverendo Patre Magiſtro Provinciali Provinciæ noſtræ Hiberniæ ſpecialiter & nominatìm ad hoc deputandis, exactè reviſum, & tanquàm Prælo dignum, approbatum fuerit: Servatis etiam cæteris de Jure ſervandis. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. In quorum Fidem has propriâ Manu ſubſcriptas, Sigillo Officij noſtri muniri juſſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Suprà Minervam Die 14. Februarij 1759.

Fr. JOANNES THOMAS DE BOXADORS,
MAGISTER ORDINIS.

Regiſtr. Pag. 3.

Locus
✠
Sigilli.

Fr. Emericus Langenwalter, Provincialis Daciæ, Magiſter, & Socius.

APPROBATIO

Duorum Ordinis Magiſtrorum in Theologia, olim Collegij & Studij Generalis SS. Sixti & Clementis de Urbe Regentium Primariorum.

NOS infraſcripti, ex Deputatione Admodum Reverendi Patris Magiſtri Fr. Thomæ Plunkett, Provinciæ noſtræ Hiberniæ Prioris Provincialis, Opus, cui Titulus: *Hibernia Dominicana*, ab Admodum Reverendo Patre Magiſtro Fr. Thoma de Burgo diligenter elucubratum, memoratæ noſtræ Provinciæ Res geſtas, eiſque ullatenùs annexas, e Tenebris illis, in quibus hucuſque latuerunt, educens, & Luci reddens, evolvimus quàm libentiſſimè, cunctaque in eo deprehendimus planè ſibi conſtantia, ſemperque Veritati conformia. Nec mirum, Neminem quippè prælibata noſtra in Provincia novimus, qui perſpicaciori Judicio eas ex antiquis Monumentis colligere, & in integram formare Hiſtoriam, aut Stylo Materiæ aptiori eas Poſteris commendare poſſit. Opus igitur digniſſimum cenſemus quod Typis evulgetur. Datum hac Die 20 Aprilis 1759.

Fr. Dominicus Morrogh, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſter.
Fr. Joannes Franciſcus Nettirville, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſter.

INDEX CAPITUM.

CAPUT PRIMUM PRÆAMBULUM.

DE Regni *Hiberniæ* Nomenclatura varia, Qualitatibus, Dimenſione, Figura, Situ, Diviſione tàm civili quàm eccleſiaſticâ, Sanctitate, Doctrinâ, Eruditione, Fidei Conſtantiâ, ergà S. Sedem Apoſtolicam Reverentiâ, atque temporali Gubernio. Pag. 1.

CAPUT SECUNDUM.

De Inſtitutione, & Nomenclatura *Fratrum Prædicatorum*, primoque eorum Adventu in *Hiberniam*. Pag. 33.

CAPUT TERTIUM.

De duobus prioribus *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculis, ab Anno ſcilicet 1224 ad 1424, eâ in Provinciam Ordinis nondùm erectâ, ſed Provinciæ *Angliæ* Natione exiſtente. Pag. 46.

CAPUT QUARTUM.

De Tertio *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo, ab Anno 1424 ad 1524 perducto, in quo primùm conſtituta fuit peculiaris Ordinis Provincia, deindeque Congregatio Reformata evaſit. Pag. 66.

CAPUT QUINTUM.

De Quarto *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo (ab Anno nimirùm 1524 ad 1624) in quo facta fuit iterata ejus in Provinciam Ordinis Erectio. Pag. 90.

CAPUT SEXTUM.

De Quinto *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo, & ultrà, nimirùm ab Anno 1624 ad 1759. Pag. 107.

CAPUT SEPTIMUM.

Digreſſio neceſſaria, Statum exhibens *Magnæ Britanniæ* & *Hiberniæ* ſub Rege *Jacobo* Secundo, & uſque ad præſentia Tempora. Pag. 135.

CAPUT OCTAVUM.

Proſecutio Materiei Capitis penultimi, ab Anno ſcilicet 1694 ad 1759. Pag. 152.

CAPUT NONUM.

De certis Fratrum *Hiberniæ Dominicanæ* Cœnobiis, ſeu Domibus Conventualibus, intrà ipſummet Regnum ſitis, Numero Quadraginta Tribus, juxtà earum Antiquitatem; deque Vicarialibus eiſdem annexis. Pag. 184.

§. I. De *S. Salvatoris* Cœnobio in Civitate *Dublinienſi*, tàm Agri ejuſdem Nominis, quàm Nationis *Lageniæ*, quàm Univerſi *Hiberniæ* Regni Metropoli, Anno 1224. Ibidem.

§. II. De *Pontanenſi* Cœnobio *S. Mariæ Magdalenæ* in *Louthano* Agro *Ultoniæ*, Anno 1224. Pag. 198.

§. III. De *Canicopolitano*, ſeù *Kilkennienſi*, Cænobio *Sacroſanctæ Trinitatis* in ejuſdem Nominis Agro *Lageniæ*, Anno 1225. Pag. 204.
§. IV. De *Waterfordienſi* Cænobio *S. Salvatoris* in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*, Anno 1226. Pag. 207.
§. V. De *Limericenſi* Cænobio *S. Salvatoris* in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*, Anno 1227. Pag. 209.
§. VI. De *Corcagienſi* Cænobio *S. Mariæ de Inſula* in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*, Anno 1229. Pag. 214.
§. VII. De *Molingarenſi* Cænobio *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Midenſi Occidentali* Comitatu *Lageniæ*, Anno 1237. Pag. 217.
§. VIII. De *Athenrienſi* Cænobio *SS. Petri & Pauli* in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1241; atque de *Kilcorbanienſi* Vicariali Domo *SS. Roſarij*, in eodem Comitatu, Anno 1444. Pag. 220.
§. IX. De *Caſſelienſi* Cænobio *S. Dominici* in *Tipperarienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1243. Pag. 235.
§. X. De *Traleienſi* Cænobio *S. Crucis* in *Kerrienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1243. Pag. 237.
§. XI. De *Villanovano*, ſeù *Newtonenſi*, Cænobio *Sancti Columbæ* in *Dunenſi* Agro *Ultoniæ*, Anno 1244. Pag. 241.
§. XII. De *Colranenſi* Cænobio *S. Mariæ* in *Londino-Derienſi* Comitatu *Ultoniæ*, Anno 1244. Pag. 243.
§. XIII. De *Sligoenſi* Cænobio *S Crucis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Conaciæ*, A. 1252. P. 246.
§. XIV. De *Stradenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1252. Pag. 249.
§. XV. De *Athyenſi* Cænobio *S. Dominici* in *Kildarenſi* Comitatu *Lageniæ*, Anno 1253. Pag. 254.
§. XVI. De *Roſcomanienſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Conaciæ*, Anno 1253; Necnon quibuſdam ei annexis Domibus Vicarialibus. Pag. 257.
§. XVII. De *Trimmenſi* Cænobio *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Midenſi Orientali* Comitatu Lageniæ, Anno 1263. Pag. 262.
§. XVIII. De *Arcloenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Wicloenſi* Comitatu Lageniæ, Anno 1264. Pag. 265.
§. XIX. De *Roſbercanenſi* Cænobio *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Kilkennienſi* Comitatu Lageniæ, Anno 1267. Pag. 269.
§. XX. De *Youghallenſi* Cænobio *S. Mariæ Gratiarum* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1268. Pag. 271.
§. XXI. De *Lothorienſi* Cænobio *S. Petri Martyris* in *Tipperarienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1269. Pag. 274.
§. XXII. De *Rathbrannenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1274. P. 279.
§. XXIII. De *Derienſi* Cænobio *S. Dominici* in ejuſdem Nominis Comitatu *Ultoniæ*, Anno 1274. Pag. 281.
§. XXIV. De *Killocienſi* Cænobio *S. Salvatoris* in *Limericenſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1291; Atque Vicariali Domo *Burgi Anglorum* in memorato Comitatu. Pag. 283.
§. XXV. De *Cavanenſi* Cænobio *S. Mariæ Virginis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Ultoniæ*, Anno 1300. Pag. 285.
§. XXVI. De *Carlingfordienſi* Cænobio *Sancti Malachiæ* in *Louthano* Comitatu *Ultoniæ*, Anno 1305. Pag. 289.
§. XXVII. De *Caſtelionenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno 1307. Pag. 290.
§. XXVIII. De *Naſenſi* Cænobio *S. Euſtachij* in *Kildarenſi* Comitatu *Lageniæ*, Anno 1336. Pag. 293.
§. XXIX. De *Clonſhanvillenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1385. Pag. 294.
§. XXX. De *Aghavoenſi* Cænobio *S. Canici* in *Reginæ* Comitatu *Lageniæ*, antè Annum 1400. Pag. 296.

§. XXXI. De *Longoſordienſi* Cænobio *S. Brigidæ* in ejuſdem Nominis Comitatu *Lageniæ*, Anno 1400. Pag. 299.
§. XXXII. De *Portumnenſi* Cænobio *B. Mariæ*, et *SS. Petri & Pauli*, in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*, antè Annum 1426. Pag. 303.
§. XXXIII. De *Tombeolenſi* Cænobio *S. Patritij* in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*, circà Annum 1427. Pag. 307.
§. XXXIV. De *Ballindunenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*, circà Annum 1427. Pag. 309.
§. XXXV. De *Urlarienſi* Cænobio S. *Thomæ* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1434. Pag. 311.
§. XXXVI. De *Tulſkenſi* Cænobio S. *Patritij* in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*, circà Annum 1448. Pag. 314.
§. XXXVII. De *Bureſulenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1486. Pag. 317.
§. XXXVIII. De *Galvienſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in ejuſdem Nominis Agro *Conaciæ*. Anno 1488. Pag. 322.
§. XXXIX. De *Clonymichanenſi* Cænobio S. *Dominici* in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1488. Pag. 326.
§. XL. De *Clonmellenſi* Cænobio *S. Dominici* in *Tipperarienſi* Comitatu *Mömoniæ*, Anno. - - - Pag. 328.
§. XLI. De *Gaulenſi* Cænobio *Nativitatis B. Mariæ Virginis* in *Fermanacano* Comitatu *Ultoniæ*, Anno - - - - Pag. 330.
§. XLII. De *Glanorenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*, Anno - - - Pag. 333.
§. XLIII. De *Thomapolitano* Cænobio *S. Dominici* in *Kilkennienſi* Comitatu *Lageniæ*, Anno - - - Pag. 336.

CAPUT DECIMUM.

De Septem dubijs Fratrum *Hiberniæ Dominicanæ* Domibus Conventualibus juxtà Ordinem Alphabeticum. Pag. 338.
§. I. De *Armacano* Cænobio in Comitatu ejuſdem Nominis *Ultoniæ*. Ibidem.
§. II. De *Ballinegallenſi* Cænobio in *Limericenſi* Comitatu *Mömoniæ*. Pag. 340.
§. III. De *Clominenſi* Cænobio in *Wexfordienſi* Comitatu *Lageniæ*. Ibidem.
§. IV. De *Kilcorbanienſi* Cænobio *SS. Roſarij* in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*. Pag. 344.
§. V. De *Knockmorenſi* Cænobio in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*. Pag. 341.
§. VI. De *Knocvicarienſi* Cænobio in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*. Pag. 345.
§. VII. De *Tuomenſi* Cænobio in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*. Pag. 346.

CAPUT UNDECIMUM.

De Quatuor Monaſterijs Sanctimonialium in *Hibernia Dominicana* conſtitutis. Pag. 347.
§. I. De primæva Inſtitutione Sanctimonialium Ordinis Prædicatorum, earundemque Propagatione in *Hibernia*. Ibidem.
§. II. De *Galvienſi* Monaſterio *Jeſus Mariæ*. Pag. 349.
§. III. De *Dublinienſi* Monaſterio *Jeſus Mariæ & Joſephi*. Pag. 353.
§. IV. De *Pontanenſi* Monaſterio *S. Catharinæ Senenſis*. Pag. 360.
§. V. De *Waterfordienſi* Monaſterio S. *Catharinæ Senenſis*. Pag. 362.

CAPUT DUODECIMUM.

De Extranationalibus *Hiberniæ Dominicanæ* Fratrum Domibus, ac Sororum Monaſterio. P. 365.
§. I. De *Romano* geminato *SS. Sixti & Clementis* Cænobio. Pag. 366.
§. II. De *Ulyſſiponenſi* Collegio *Sanctiſſimi Roſarij*. Pag. 415.
§. III. De *Lovanienſi* Cænobio *S. Crucis*. Pag. 429.
§. IV. De Hoſpitio *Flaviobrigenſi*, ſeu *Bilbilitano*, ac obiter de Cænobio *Tingitano*, deque Tribus Domibus Conventualibus in Spe, non reapſè, habitis, nimirùm *Belvearienſi*, *Portu-Sanmarianſi*,

Marianâ, & *Matritenſi*; necnon de Eremitagio *S. Antonij* in *Galliarum* Regno. Pag. 448.
§. V. De *Bethlehemitano* Monaſterio *B. Mariæ* Virginis *Boni Succeſſûs*. Pag. 451.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Dominicani Antiſtites *Hiberniæ*, Numero Octoginta Tres, Ordine chronologico recenſiti, Archiepiſcopi nempè Octodecim, & Epiſcopi Sexaginta Quinque, ex iiſque Legati Quinque, & Conciliorum Generalium Patres Duo. Pag. 453.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Series Priorum Provincialium *Hiberniæ Dominicanæ*. Pag. 515.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Scriptores *Hiberniæ Dominicanæ*. Pag. 531.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

De alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnis, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione claris. Pag. 555.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

De præſenti lachrymabili Statu Provinciæ *Hiberniæ*, obiterque de Legibus, Edictis, & Perſecutionibus Gubernij Acatholici in Clerum Populumque Catholicum latis, promulgatis, & motis à Tempore Regis *Henrici* VIII ad præſens; ac ſparsìm de alijs *Hiberniæ* Rebus, præſertim Eccleſiaſticis, tunc occurrentibus. Pag. 589.

APPENDIX MONASTICA,

Exhibens Abbatias omnes, Conventus, aliaſque Religioſas Domos, in *Hibernia* antè *Henricum* VIII exiſtentes. Pag. 726.
§. I. Abbatiæ & Prioratus 231 Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*. Ibid.
§. II. Monaſteria 36 Canoniſſarum Ordinis *S. Auguſtini*. Pag. 735.
§. III. Abbatiæ & Prioratus 9 Canonicorum Regularium *Præmonſtratenſium* Ordinis *S. Norberti* ſub Regula *S. Auguſtini*. Pag. 737.
§. IV. Prioratus & Præceptoriæ 22 Equitum *S. Joannis Jeroſolymitani* ſub Regula *S. Auguſtini*, quarum major Pars ſpectabat olim ad Equites *Templarios*. Pag. 738.
§. V. Prioratus & Hoſpitalia 14 Cruciferorum, ſivè Trinitariorum, Ordinis Redemptionis Captivorum *S. Joannis de Matha* ſub Regula *S. Auguſtini*. Pag. 739.
§. VI. Abbatia & Prioratus 9 Ordinis *S. Benedicti*. Pag. 740.
§. VII. Monaſteria 5 Monialium *Benedictinarum*. Ibid.
§. VIII. Abbatiæ 42 *Ciſtercienſis* Ordinis *S. Bernardi* ſub Regula *S. Benedicti*. Pag. 741.
§. IX. Monaſteria Duo Monialium *Ciſtercienſium*. Pag. 743.
§. X. Cænobia 43 Ordinis Fratrum *Prædicatorum* alibi recenſita. Ibid.
§. XI. Cænobia 65 Ordinis Fratrum *Minorum*; & Quinque Extranationalia, atque Duo Extranationalia *Capucinorum*. Pag. 744.
§. XII. Cænobia 26 Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, unumque Extranationale. Pag. 749.
§. XIII. Cænobia 25 Ordinis B. Mariæ de *Monte Carmelo*. Pag. 751.

MANTISSA

Exhibens Decretum Sacræ Congregationis Particularis de *Propaganda Fide* ſuper Rebus *Hiberniæ*, habitæ Dei 31 Auguſti 1761. Pag. 753.

NOMINA

NOMINA SUBSCRIPTORUM.

A

R. D. Richardus Archdekin P. Idea.

B

J. & R. D. Jacobus Butler A. C.
H. & A. D. Joannes Butler V. G. C.
R. D. Edmundus Butler P. Urlingford, &c.
R. D. Edmundus Butler P. Motfield.
R. D. Jacobus Butler P. Callen.
R. D. Jacobus Butler, V. Gowran.
A. R. P. Petrus Butler O. S. A. S. T. M.
A. R. P. Chriſtophorus Barnewall O.M. Ex P. Hib.
A. R. P. Jacobus Barnewall O. P. S. T. P. V. G. M. & P. Mullingar.
R. P. Thomas Barrett O. P.
A. R. P. Petrus Bermingham O. C. Ex P. Hib.
R. P. Joannes Blake O. P.
A. R. P. Jacobus Bodkin O. P. S. T. M.
R. P. Joannes Bodkin O. P. P. G.
R. P. Patritius Bray O. P. P. G.
R. P. Jacobus Brenan O. M. G. Feoris.
A. R. P. Thomas Brenan O. P. S. T. M.
R. P. Vincentius Breen O. P. P. G.
R. P. Thomas Broder O. M. G. Milick.
R. D. Jacobus Brophy P. Caſtlecomber.
R. P. Joannes Browne O. P.
R. P. Dionyſius de Burgo O. M.
R. P. Dominicus de Burgo O. P. S. T. P.
R. P. Gualterus de Burgo O. P. P. G.
A. R. D. Gulielmus de Burgo U. J. D.
R. D. Joannes de Burgo P. Caſtle-Dermot.
R. P. Martinus de Burgo O. P, S. T. P.
R. P. Simon de Burgo O. C.
R. D. Stephanus de Burgo C. R. P. Shruel.
A. R. P. Thomas de Burgo O. P, S. T. M.
R. P. Ulicus de Burgo O. P.
R. P. Jacobus Byrne O. S. A.
R. P. Patritius Byrne O. M.

C

R. P. Michael Cahan O. P.
R. P. Edmundus Cahil O. S. A. P. Skrine.
R. D. Joſeph Clarke P. Galmoy.
R. P. Joannes Coleman O. M. G. Trim.
R. D. Jacobus Comerford P. Enniſteague & Rore.
R. P. Gulielmus Cruiſe O. P.
R. P. Thomas Cummins O. P. P. G. P. Athy.
R. P. Michael Cummins O. P.

D

R. P. Thomas Dakon O. P.
R. P. Thaddæus Daly O. P.
R. P. Dominicns Delamar O. P. S. T. P. R. Ulyſſip.
R. P. Petrus Delamar O. SS. T. S. T. L.
A. D. Cornelius Delany C. O. & P. Ballycallen.
A. D. Gulielmus Delany C. O. & P. Upperwoods.
R. D. Mauritius Delany P. Aghaboe.
R. D. Dionyſius Deleign P. Kilmacow.
R. P. Henricus Delphinus O. P.
R. P. Joannes Delphinus O. P.
R. P. Brianus Mac Dermott O. P. P. G. & P. Athleague.
R. P. Michael Mac-Dermott O. P. P. G.
R. D. Michael Mac-Dermottroe P. Oran.
R. P. Dominicus Dillon O. P. P. G.
R. P. Jacobus Dillon O. P. S. T. L.
R. P. Jacobus Dormer O. M.
R. D. Jacobus Dowlin P. Ballyragget.
A. R. P. Joannes Duigenan O. S. A. S. T. M.
A. R. P. Joannes Dwyer O. S. A. P. Hib.
R. D. Matthias Dwyer P. Fethard.
R. P. Philippus Dwyer O. P. P. Caſhell.

E

R. P. Dominicus Egan O. P. P. G.
R. P. Gulielmus Euſtace O. P. P. Naſe:

F

J. & R. D. Jacobus Fallon E. E.
A. D. Edmundus Fallon V. G. & D. E. ac P. Athlone.
R. P. Franciſcus Fallon O. M.
R. P. Joannes Farrell O. P.
R. P. Brianus Feely O. C.
A. D. Joannes Finan C. A. & P. Ballina.
R. P. Dominicus Fitz-Patrick O. P. P. Galway.
R. D. Gulielmus Fitz-Patrick P. Roſbercan.
A. R. P. Patritius Fitz-Simons C. P. Hib.
R. P. Thomas Fitz-Simons O. P. P. G. P. Cavan.

R. P.

R. P. Jacobus Flanegan O. M. G. Dublin.
R. P. Franciſcus Flemingus O. M.
A. D. Thomas Forſtall C. O. & P. Thomaſtown.
A. R. P. Joannes Fottrell O. P. S. T. M. Ex P. Hib.
A. R. P. Chriſtophorus French O. M. P. Hib.
A. R. P. Michael French O. S. A. Ex P. Hib.
R. P. Antonius French O. M. G. Galway.

G.

R. P. Franciſcus Garvey O. M. G. Kinalechin.
A. R. P. Robertus Geraldinus O. C. D. P. Hib.
R. P. Laurentius Geraldinus O. P. P. G.
R. P. Edmundus Geraldinus O. P.
R. P. Auguſtinus Gibbon O. S. A. P. Murriſk.
R. P. Franciſcus Grannal O. M. G. Wexford.

H.

A. R. P. Michael Hoare O. P. S. T. M. P. Hib.
R. P. Bernardus Hogan O. P. P. Roſbercan.
A. R. P. Thomas Hope O. P. S. T. M.
R. P. Philippus Houtagan O. M. G. Drogheda.
A. D. Joannes Hoyne V. O. & P. Gowran.
R. P. Petrus Hughes O. S. A. P. Tullow.
R. P. Jacobus Hynes O. P.
A. D. Timothæus Hynes P. A.

I.

R. P. Chriſtophorus Jordan O. S. A. P. Dungarvan.
R. D. Joannes Joyce V. G.

K.

J. & R. D. Petrus Killikelly O. P. E. D. & A. F.
J. & R. D. Daniel O-Kearney E. L.
A. R. P. Carolus O-Kelly S. T. M. T. Caſanaten.
R. P. Dominicus O-Kelly S. T. P. P. Glinſk.
R. P. Joannes O-Kelly O. S. A. P. Dunmore.
R. P. Petrus O-Kelly O. P. P. Athenry.
A. & R. D. Thomas O-Kelly C. R. A. Mayo &c.
R. P. Thomas O-Kelly O. P. P. Youghall.
A. D. Daniel O-Kenedy L. S. T. O. & P. Clindonough.
R. P. Patritius Kirwan O. P. S. T. P. P. ac R. S. Sixti &c.
R. P. Stephanus Kirwan O. P. P. G.

L.

A. D. Joannes de Lacy S. T. D. & P. Ballingarry.
A. D. Matthias Lanigin C. O. & P. Owning.
A. D. Alexander Lawſon S. T. D. &c.
A. R. P. Joannes Baptiſta Lynch O. P. S. T. M. P. A. S. Mariæ Majoris.
A. R. P. Matthæus Lyons O. C. Ex P. Hib.

M.

A. R. P. Petrus Mackeon O. P. S. T. M.
R. P. Petrus Mac-Mahon O. P. S. T. P.
R. P. Thomas Mac-Nicholas O. P. P. Strade.
R. P. Petrus Magenis O. P. P. G. P. Kilkenny.
A. R. P. Joannes Maguire O. P. S. T. M.
A. & R. D. Joannes O-Maly C. R. A. Enachdune.
R. P. Barnabas Mangan O. P.
A. R. P. Franciſcus Mannin O. C. P. Hib.
R. D. Joannes Mannin P. Killenhall.
A. D. Marcus Mansfield P. O. & P. Burn-Church & Danesfort.
R. P. Thomas Maſterſon O. P.
R. P. Gualterus Morelly O. P. P. G.
A. R. P. Dominicus Morrogh O. P. S. T. M. P. Corke.
A. D. Patritius Murphy V. G. & A. O. ac P. Knocktopher.
A. D. Patritius Murphy C. O. & P. S. Canici Kilken.
R. D. Dermitius Murphy P. S. patritij Kilken.
A. R. P. Jacobus Murray O. P. S. T. M.

N.

A. R. P. Joannes-Franciſcus Nettirville O. P. S. T. M.
R. P. Nicolaus Niuport O. S. A. P. Clomines.

O.

J. & R. D. Joannes O-Brien E. C.
A. R. P. Albertus O-Brien O. P. S. T. M. V. G. & P. Corke.
R. P. Dionyſius O-Connor O. P. S. T. L.
R. D. Joannes O-Connor P. Caſtlerea.
R. D. Matthias O-Connor P. Roſcommon.
R. P. Franciſcus O-Dowd C.
A. R. P. Cornelius O-Meara O. S. A. S. T. M.

P

J. & R. D. Philippus Phillips E. A.
R. P. Thomas Pea O. M. P. Clogh.
A. R. P. Thomas Plunkett O. P. S. T. M. Ex P. Hib.
R. P. Jacobus Prendergaſt O. C. P. Thurles.
R. P. Joannes Prendergaſt O. C. P. Knoctopher.
R. P. Patritius Prendergaſt O. C.
R. D. Jacobus Purcell P. Rathkiran.

Q

R. D. Thomas Quinlean V. Thomaſtown.
A. D. Thomas Quirk C. O. & P. Kells.

R

A. R. P. Terentius O-Reilly O. P. S. T. M. P. Dublin.
R. P. Joannes O-Reilly O. P.
R. P. Hugo Reynolds O. *P. P.* G.
R. P. Michael Reynolds O. P.
R. D. Thomas O-Rourk P. S. Joannis Kilken.
R. P. Joſeph Roſſeter O. S. A. P. Roſſe.
R. *P.* Auguſtinus Ryan O. S. A. *P.* Corke.
R. D. Joannes Ryan *P.* Loughmoe.
R. P. Joannes Ryan O. *P. P.* G.
R. D. Michael Ryan *P.* Mucarky.

S

R. P. Martinus à Sancto Joanne C.
J. & *R. D.* Marcus Skerrett A. T.
R. P. Jacobus Sexton O. P. S. T. P.
A. D. Richardus Shee V. G. O. & P. Acharny.
R. D. Gulielmus Shee *P.* Durrow.
R. D. Richardus Shee V. Kells.
R. P. Paulus Slatery O. P. S. T. L.
R. P. Joannes Smith O. P. P. G.
R. D. Mauritius Spencer V. S. Joan. Kilken.
R. P. Edmundus Stack O. P. P. Tralee.
R. D. Jacobus Stapleton *P.* Roſſenan.

T

A. R. P. Richardus Talbot Jun. O. S. A. S. T. M. Ex P. Hib.
R. D. Dominicus Teighe *P.* Lackin.
R. D. Thomas Teighe.
R. P. Nicolaus Travers *O. P.*
R. P. Thaddæus Tuohy *O. P.*

V

A. R. P. Georgius Vaughan O. S. A. S. T. M. Ex *P.* Hib.

W

J. & R. D. Richardus Walſh E. C.
R. P. Thomas Walſh O. S. A. *P.* Limerick.
R. P. Jacobus Williams *O. P. P.* Aghaboe.
A. D. Thomas White C. O. & P. Freſhford.

Hibernia Dominicana.

CAPUT PRIMUM PRÆAMBULUM.

De Regni *Hiberniæ* Nomenclaturâ variâ, Qualitatibus, Dimenſione, Figura, Situ, Diviſione tàm civili, quàm eccleſiaſticâ, Sanctitate, Doctrinâ, Eruditione, Fidei Conſtantiâ, ergà S. Sedem Apoſtolicam Reverentiâ, atque temporali Gubernio.

SUMMARIUM.

I. *Appellata fuit hæc Inſula à priſcis Scriptoribus* Hibernia, Ierna, Juverna, Vernia, Overnia, Bernia, Hiberion, & Hiberia.

II. Ogygia *etiam nuncupata fuit ab ejus antiquitate, quæ in Concilio* Conſtantienſi *poſtmodùm ſtabilita eſt.*

III. *Dicta etiam fuit* Scotia *à Colonis ex* Scythia *deductis. Expenditur obitèr in Nota* Purgatorium S. Patritij, *de quo Fr.* Vincentius Maria *Cardinalis* Urſinus, *poſteà* Benedictus *Papa* XIII, *Concionem habuit.*

IV. *Ab* Hibernia, *dudùm vocata* Scotia, *Septentrionalis* Britannia, *anteà* Albania, & Caledonia *nuncupta*, Scotiæ *Nomen accepit, Indè orta Differentia Scotiæ* Majoris, & Minoris.

V. *Hibernia Jure merito* Inſula Sanctorum *dicta ob innumeros in ea Sanctos, atque* Inſula Sacra *ob nullum ibi animal venenoſum.*

VI. *Ab Anglis vocatur* Ireland, *ab Italis & Hiſpanis* Irlanda, *à Gallis* Irlande, *à Germanis* Yrland, *ab ipſiſmet Incolis* Eire *vernaculè,* Hibernia *verò Latinè. Neque mirum, eandem Regionem tàm varijs ſignificari Nominibus.* Hibernicæ *Gentis Origo.*

VII. *Hiberniæ Clima temperatiſſimum, Terra fertiliſſima, Maria, Lacus, & Flumina feraciſſima, aliaque ſingulorum Elogia.*

VIII. *Auctores de* Hibernia *ſiniſtrè loquentes, aut Angli fuere, aut tranſcripſere ex* Anglis, *ergà* Hibernos, *utpotè propinquos, & adverſus ſe ſæpiùs militantes, malè affectis, quos inter* Cambrenſis, & Camdenus. *Pulchrum* Boſij *Elogium de* Hibernia. *Nota de SS.* Palladio, & Patritio *in* Hiberniam *miſſis.*

IX. Hiberniæ *Dimenſio, Figura, Situs, atque ab alijs Regionibus Diſtantia. Nota obiter de celebri, & incomparabili Via lapidea in Mari, quam Vulgus vocat Anglicè* Giant's Cauſway, *Latinè* Tramitem Gigantum.

X. Hibernia *olim in quinque, nunc in quatuor diviſa Provincias, varijs dein Temporibus in varios ſubdiviſa Comitatus.*

XI. *Syllabus diſtincti exhibens* Hiberniæ *Provincias, earumque Comitatus, cum Numero ſpecifico Jugerum, ſeù* Acrearum, *Milliarium tàm quoad Longitudinem quàm quoad Latitudinem, Baroniarum, Parochiarum, Domorum, & Animarum.*

XII. *Diviſio* Hiberniæ *in Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus. Catalogus ſingulos diſtinctè exhibens. Nota de antiqua, & nondùm terminatâ, Archipræſules* Armachanum *inter &* Dublinienſem, *Diſceptatione circà Dignitatem Primatialem.*

XIII. *Obitèr de Tractatu circà Reſervationes Beneficiorum inter* Gregorium *Papam* IX, & Angliæ *Regem* ~~Eduardum~~ III, *Anno* 1374 *habito. Obitèrque in medium adducitur Diploma Regium* Jacobi II, *nominans & præſentans Sacerdotes ad Eccleſias quaſdam Parochiales Diœceſis* Midenſis *Anno* 1690.

XIV. *Eximia fuit Hibernorum priſcorum Sanctitas, de qua extant locupletiſſima* S. Bernardi, & Benedicti *Papæ* XIV, *Teſtimonia: Ex quibus etiam patet, Catholicam Fidem ab* Hibernis *in alias Nationes invectam.*

XV. *Duo exſcribuntur S. Rituum Congregationis Decreta, in quorum Vim de viginti quatuor Sanctis Nationalibus Feſta celebrant* Hiberni. *Exſcribitur etiam obitèr Diploma Pontificium de diminutis aliquatenùs in* Hibernia *Diebus Feſtivis.*

XVI. *Per quatuor integra Sæcula florebant* Hibernorum *Doctrina, & Eruditio, quæ tamen ob diuturna, & haud interrupta contrà* Danos, *ſeù* Oſtmanos, *Bella, paulatim defloruere.*

XVII. *Semper nihilominùs fulgebant apud* Hibernos *Catholicæ Fidei Conſtantia, & ergà S. Sedem Apoſtolicam Reverentia, ut probatiſſimæ Fidei Scriptores tradunt.*

XVIII. *Id etiam opportunis comprobatur Teſtimonijs ipſorum Heterodoxorum.*

XIX. *Tandem ob non minùs aſtutas, quàm ſeveras Leges, gradatìm adinventas, & latas, Catholicorum Copia grandis ſensim decrevit, neque decreſcere deſinit.*

XX. Hibernia *ſuos dudùm habebat* Monarchas, *tàm Ethnicos, quàm Chriſtianos, quibus ſuberant Provinciarum* Reges. *Iſtis quarundam Ditionum* Reguli, *iſtiſque Tricenariarum* Dynaſtæ *parebant.*

XXI. *Tandem* Hiberni *in* Anglorum *devenere Poteſtatem* A. D. 1172, Henrico II *Rege, qui* Hiberniæ *duntaxàt* Dominus *appellabatur. Titulus manſit iſte in Regibus* Angliæ *uſque ad* Henricum VIII, *qui* Hiberniæ Rex *declaratus fuit ab ipſis* Hibernis, A. D. 1541. *Nonnihil obitèr de* Henrico *hoc, quà Catholico, & quà Heterodoxo.*

XXII. *Plura de* Parlamento, *ut vocant*, Hiberniæ, *ſicut &* Magnæ Britanniæ, *deque legiſlativâ, & judiciariâ Poteſtate.*

I. *HIBERNIÆ DOMINICANÆ* Hiſtoriolam elucubraturus, non abs Re, ſed planè opportunum eſſe duxi, & quidem ut cuivis Lectori faciam ſatis, ipſiuſmet Inſulæ Nomenclaturam variam, Qualitates, Dimenſionem, Figuram, Situm, Diviſionem, tàm civilem in Provincias, & Comitatus, quàm eccleſiaſticam in Archiepiſcopatus, & Diœceſes, necnon ejuſdem Sanctitatem, Doctrinam, Eruditionem, Fidei Conſtantiam, ergà S. Sedem Apoſtolicam Reverentiam, atque temporale Gubernium, in præliminari Capite paucis indigitare.

IMPRIMIS igitur, ut à Nomenclatura ipſius, ut par eſt, exordiar, varijs Nominibus variarum Nationum, & Sæculorum Veteres eam appellant. Cœſar, Plinius, Solinus, Tacitus, Oriſſus, & alij, Inſulam noſtram vocant *Hiberniam*; Orpheus, Ariſtoteles, Claudianus, *Iernam*; Euſtathius, *Verniam, Overniam,* & *Berniam*; S. Antoninus in Itinerario, & S. Patritius in Epiſtola ad Croticum, *Hiberionem* & *Hiberiam*. Quæ quidem Diverſitas indè oritur, ut plures volunt, quia cùm Inſula hæc, vernaculè dicta *Eire*, & *Eri*, prælibatis occurrerit Scriptoribus, unuſquiſque pro Beneplacito ſuo variam iſti Voci Inflexionem dedit. Quippè à Vocula *Eri* Hibernus *Erigena* nuncupatur, quâ Ratione inſignis quidam Scriptor Noni Sæculi, *Hibernus* Natione, *Joannes Erigena* paſsìm appellatur, ut ſcitè advertit *Jacobus Waræus*, Eques Auratus (*a*). Derivatur porrò ly *Eri* vel ab *Iberis* (hodiè *Hiſpanis*) juxtà *Dionyſium Alexandrinum*, à quibus profecti ſunt Coloni in noſtram Inſulam, ut vetera *Hiberniæ* Monumenta produnt (*b*); vel, ut conjicit *Camdenus*, à Voce *Hiar*, quæ apud *Hibernos* Occaſum, ſivè occidentalem Plagam ſignificat. Ab occiduo etiam hoc ſitu Hiſpania dicta eſt *Heſperia*, & occidentale quoddam Africæ Promontorium *Heſperium Cornu*; & in Germania *Weſtrich, Weſtphalen*, aliæque Regiones ab Occidente denominatæ ſunt. *Weſt* enim Germanicè, ſicut & Anglicè, ſignificat Occidentem, quod eo duntaxàt Conſilio obitèr animadverto, ut non mirum videatur, ab occiduo ſitu nomen factum fuiſſe, ſicut & a ſeptentrionali, vulgò *North*, indeque *Nortmannia* ſeù *Normannia*, Galliarnm Provincia, Denominationem ſuam ſortita eſt.

NEQUE

(*a*) *De Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. v.

(*b*) Adeas Capitis hujuſce Num. VI.

Neque prætermittenda eſt *Samuelis Bocharti* (*c*) Conjectura, qui *Hiberniam* derivat á Voce Phænicia *Ibernae*, quæ *ultimam Habitationem* ſignificat, quia, inquit, *ultrà Hiberniam verſùs Occaſum Veteres nihil noverant præter vaſtum Mare.* Ex quo infert, Hiberniam *Phænicibus*, Navigatione in remotiſſimas Oras olim clariſſimis, ignotam haud fuiſſe. Simile Etymon à Græco Idiomate deducit *S. Cormacus Mac Cuillinan*, ſeù Culinani Filius, Epiſcopus *Caſſelienſis*, & Rex *Momonienſium* (*d*), ut Hibernia ſit *Heberoe*, id eſt, Occaſus, & *Nyon*, id eſt, Inſula, quaſi *Inſula Occidentalis.*

Cæterum improbabilis omninò eſt nonnullorum Opinio, qui rati ſunt, *Hiberniæ* Nomen indè deductum fuiſſe, quod Aquæ ibi hyberno Tempore vehementi Frigorum Rigore ità congelentur, ut diutiùs, quàm par eſt, condenſatæ perdurent. Enimverò habet hæc Inſula, ut inferiùs (*e*) videbimus, Aerem uſque adeò temperatum, ut liceat multos Annos in *Hibernia* hybernare abſque tanto auræ rigidioris Incommodo. Quippé, *Giraldo Cambrenſi* (*f*) Teſte, " eſt Terra Terrarum " omnium temperatiſſima. Non Cancri Calor æſtuans compellit ad Umbras; non ad Focos " Capricorni Rigor urgentèr invitat. Aeris quoque Clementia tanta eſt, ut nec Nebula inficiens, " nec Spiritus hìc peſtilens, nec Aura corrumpens. Medicorum Operâ parùm indiget Inſula." Succinit *Bartholomæus Anglicus* (*g*), dicens: " Quantum ad ſalubritatem Cœli eſt *Hibernia* Regio " valdé temperata, módicus eſt ibi Exceſſus, vel nullus in Frigore vel Calore." Prœiverat Venerabilis *Beda* (*h*): " *Hibernia* (inquit) & Latitudine ſui Statûs, & Salubritate ac Serenitate Aerûm " multùm *Britanniæ* præſtat, ità ut raró ibi Nix pluſquàm triduana remaneat; Nemo propter " Hyemem, aut Fœna ſecet Œſtate, aut Stabula fabricet Jumentis." Et ſanè, ut paucis concludam, multo Plus Frigoris in *Italia*, & *Gallia*, quàm in *Hibernia*, ipſe expertus ſum.

II. Ogygiam Inſulam noſtram nominat *Plutarchus* (*i*), cujus appellationis Rationem *Camdenus* (*k*) in hunc modum expendit: " Non immeritò hæc Inſula *Ogygia*, id eſt perantiqua, *Plutarcho* dicta " fuit. A profundiſſima enim Antiquitatis Memoria Hiſtorias ſuas auſpicantur, adeò ut præ illis " omnium Gentium antiquitas ſit Novitas, & quodammodò Infantia." Porrò *Ogygiam* appellant Poetæ Rem veterem, & quidem ab *Ogyge*, Rege *Thebarum* vetuſtiſſimo (*l*). Atque ea de Cauſa Ægyptus etiam *Ogygia* appellatur. *Ægyptij* etenim Populorum omnium vetuſtiſſimi efferuntur, Diſplinarumque complurium Inventores, a quibus *Græci* eas mutuati ſunt. Hinc Terrarum Parens, necnon Artium Mater dicta eſt *Ægyptus*, ut accuratiſſimus Ævi ſuperioris Scriptor, *Rodericus O-Flaberty*, Armiger, rectè advertit (*m*).

Haud me latet, nonnullos opinari, *Hiberniam* non eſſe Plutarchi OGYGIAM, quia, inquiunt, tanta non eſt *Hiberniæ* quanta iſtius *Ogygiæ* à *Britannia* Diſtantia. Verùm *Plutarchus* in Diſtantia potiùs errare cenſendus eſt, quàm in ipſa Inſula, cujus Situs ad *Britanniæ* Occaſum ſatis clarè ſuadet, *Hiberniam* eam eſſe *Ogygiam*, de qua *Plutarchus*, loquitur, ut acutè obſervat *O-Flahertius* mox laudatus (*n*), qui propterea ſuam Rerum Hibernicarum Chronologiam inſcripſit *Ogygiam.*

Profectò Antiquitas *Hiberniæ* liquidò patet ex Lite, in Concilio *Conſtantienſi* Anno 1416 ortâ intêr Anglorum *Henrici* V, & Francorum *Caroli* VI. Regum Oratores, de Præcedentia contendentes. Vicerunt quippè Oratores *Henrici* propter Antiquitatem Regni, non *Angliæ*, ſed *Hiberniæ*, Auctoritate freti *B. Alberti Magni*, & *Bartholomæi Anglici*, ut *Soldenus* (*o*), & *Uſſerius*, Acatholicus Archipræſul *Armachanus* (*p*), diſertè referunt. Verba Actorum, non ut impreſſa leguntur, ſed ut conſpiciuntur in Bibliotheca *Cottoniana* Londini, & apud *Seldenum*, mox recenſitum.

(*c*) *Geographiæ Sacræ*, Lib. i. Cap. xxxix.

(*d*) Obdormivit in Domino Anno Chriſti 908. Vir fuit eruditus, & Antiquitatum noſtrarum ſcientiſſimus, ſcripſitque Hiſtoriam, *Pſalterium Caſſelienſe* paſſim appellatam, qnæ etiamnùm extat, & magno habetur Pretio, inquit *Waræus* de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. vi.

(*e*) Num. vii. hujus Capitis.

(*f*) Diſt. i. Cap, xxv. Teſtimonium porrò ipſius debet eſſe magni Ponderis, quia *Hibernigenis* benè affectus non erat, ut Num. VIII. oſtendetur.

(*g*) Lib. xv. Cap. lxxx.

(*h*) *Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Gentis Anglorum*, Lib. i. Cap. i.

(*i*) Lib. de *Facie in Orbe Lunæ.*

(*k*) In *Deſcriptione Hiberniæ.*

(*l* Floruit Anno Mundi, 2125.

(*m*) In ſua *Ogygia*, ſeù Rerum Hibernicarum Chronologia, Pag. 22.

(*n*) Ibidem.

(*o*) *Tit. Hon.* Par. 1. Cap. viii. Num. xi.

(*p*) Tract *de Religione, Veterum Hibernorum*, Cap. ult.

recenſitum, ſunt Tenoris ſequentis (*q*): “ Satis conſtat ſecundùm *Albertum Magnum*, & *Bartholomæum* de Proprietatibus Rerum, quod toto Mundo in tres Partes diviſo, ſcilicet in *Europam*, “ *Aſiam*, & *Africam* (*r*), *Europa* in quatuor dividitur Regna, Primum *Romanum*, Secundum “ *Conſtantinopolitanum*, Tertium Regnum HIBERNIÆ, quod jam tranſlatum eſt ad Anglicos, “ & Quartum Regnum *Hiſpaniæ*. Ex quo patet, quod Rex *Angliæ*, & Regnum ſuum ſunt de “ eminentioribus, & antiquioribus Regibus, & Regnis totius *Europæ*, quam Prærogativam “ Regnum *Franciæ* non fertur obtinere.” Sicque Oratores *Angliæ* Præcedentiam ex *Hiberniæ* jure vindicarunt, inquiunt prælibati Scriptores, quos laudat & ſequitur ſæpè memoratus *Rodericus O-Flaherty* (*s*).

III. Ab alijs hæc *Hiberniæ* Inſula antiquitùs appellabatur *Scotia*, quam Nomenclaturam derivaſſe videtur à Colonijs quibuſdam e *Scythia* (*t*) deductis, ut aſſerit *Radulphus de Dieto* (*u*): “ E Regione (inquit) quadam, quæ dicitur *Scythia*, dicitur *Scita*, *Sciticus*, *Scoticus*, *Scotus*, *Scotia*.” Sed ipſum *Hiberniæ* Inſulam *Scotiam* dictam affirmat *S. Iſidorus Hiſpalenſis* (*w*), qui floruit Anno “ Chriſti 630, ajens: “ *Scotia* eadem & *Hibernia*, proxima *Britanniæ* Inſula, Spatio Terrarum “ anguſtior, ſed Situ fæcundior. Hæc ab Africo in Boream porrigitur, cujus Partes priores “ *Iberiam*, & *Cantabricum* Oceanum intendunt, undé & *Ibernia* dicta. *Scotia* autem quod à Scotorum “ Gentibus colitur appellata.” Et Venerabilis *Beda* (*x*), Nationê *Anglus*, qui Anno 700 floruit: “ *Hibernia* (inquit) propriè *Scotorum* Patria eſt.” Succinit Auctor *Vitæ S. Kiliani* apud *Nicolaum Serrarium* dicens: “ *Scotia*, que & *Hibernia* dicitur, Inſula eſt Maris Oceani, fæcunda quidem “ Glebis, ſed Viris ſanctiſſimis clarior, è quibus *Columbano* gaudet *Italia*, *Gallo* ditatur *Allemannia*, “ Kiliano *Francia Teutonica* nobilitatur.” Et *Philippus Villanus* in *Vita S. Andreæ Scoti* (*y*) hæc habet: “ *Andreas* Vir Dei ex Inſula fuit *Hiberniæ*, quæ alio Nomine vulgatiori *Scotia* appellatur, “ in occiduis ſita Regionibus juxtà Littus Oceani.” Et *Petrus Caniſius* in *Vita S. Fridolini* (*z*) ait: “ Quæ ad Solem occidentem eſt *Scotia*, vocatur *Hibernia*.” Demùm *Cæſarius* (*a*) inquit: “ *Scotiam* pergant, Purgatorium *S. Patritij* intrent.” Nominê autem *Scotiæ* proculdubiò intelligit *Hiberniam*, ubi eſt *Purgatorium S. Patritij*, in Inſula *Lacûs Rubri*, vernaculè dicta *Lough Derg* (*b*), intrà *Donegalenſem* Agrum Ultoniæ. Hujus etiam Rei celebre dat Teſtimonium Seraphi-

cus

(*q*) Seſſ. xxviii.

(*r*) *America* tunc Temporis erat Terra incognita.

(*s*) Pag. 37.

(*t*) Adeas Num. VI, & VIII. hujus Capitis.

(*u*) In *Imaginibus Hiſtoriarum*, ad Annum 1585.

(*w*) Lib. xiv. *Originum*, Cap. vi.

(*x*) *Ecclesſ. Hiſt. Gentis Anglorum*, Lib. v. Cap. xiv.

(*y*) *Andreas* iſte Archidiaconus fuit *Feſulanus* in *Etruria*, & *S. Donati* Epiſcopi *Feſulani* individuus Comes, ut legitur in *Officijs proprijs Sanctorum*, *Hiberniæ* ad Diem xxii. Octobris, Pag. 97. Sanctam etiam habuit Sororem Nomine *Brigidam*, ut obitèr dicam, de qua ibidem fit Mentio, & quæ alia eſt à *S. Brigida*, *Hiberniæ* Patrona. Floruit porrò laudatus *S. Andreas* A. D. 802, quo in *Etruriam* profectus eſt.

(*z*) Cap. ii.

(*a*) Lib. xii. Cap. xxxviii.

(*b*) *Lacus Ruber* dicitur, ut ferunt, quia immani Dracone, qui circumvicinam illam infeſtaverat Regionem, à *S. Patritio* occiſo, ejus Sanguine Aquæ Lacûs rubeſcebant. Eo in Lacu, cujus ambitus duodecim continet Milliaria, nonnullæ ſunt Inſulæ, ubi *S. Patritius* aliquoties in Anno ſeſe recipere ſolebat, ut Mentem ſpiritualibus Exercitijs liberiùs excoleret. Ab Obitu Sancti ad præſens uſque Tempus Chriſtifideles ex omnibus *Hiberniæ* Partibus, Menſibus *Maij*, *Junij*, & *Julij*, ſe conferunt ad quandam memorati Lacûs Inſulam uno duntaxat Milliari à Continente diſtantem, ubi pernovem Dies continuos Opera exercent pænitentialia, quibus ſimilia fieri non crediderim in quovis alio Peregrinationis Loco univerſi Orbis. Imprimis enim ſingulis Diebus jejunandum eſt in Pane, & Aqua, non quomodocunque, ſed unâ Refectione ex Pane avenaceo, aquâ verò lacuſtri, vel crudâ, vel calefactâ in Cacabo, citrà Salem, aut aliud quodcunque Condimentum. Interdiù neceſſe habet Peregrinus ter obire ſacras Stationes, ut vocant, Mane, Meridie, & Veſperi, nudis Pedibus, circumeundo aſperam, & rupicoſam Inſulam, quæ etſi vix contineat tres quartas Partes unius Jugeris, ſeu Acreæ *Hibernicæ*, in unaquaque tamen ſtatione ambulat Peregrinus duo Milliaria. Laſſus ſub Noctem recubat in Fœno, vel Stramine, ſine Stragulo, Pulvinari, aut Culcitra, niſi Chalamyde ſe involvat, vel Veſtem, aut quid ſimile, Capiti obſtipet. Nono Die nihil

prorſus

cus Doctor *S. Bonaventura* in Comitijs Generalibus, *Narbonæ* Anno 1260 celebratis, ubi enumerans Ordinis ſui Fratrum Minorum, cujus Miniſter erat Generalis, Provincias, ait *(c)* : “ Vigeſima ſexta Provincia *Hiberniæ*, SIVE SCOTIÆ, habet Cuſtodias quinque, Primam *Dublinienſem*, ſecundam *Caſſelienſem*, tertiam *Corcagienſem*, quartam *Vnotenſem*, ſeù *Enaghenſem (d)*, quintam *Pontanenſem*.”

PORRO ab hiſce *Hiberniæ* Scotis genuinos *Albaniæ (e)* Scotos Originem traxiſſe, ex Ven. *Beda*, *Giraldo Cambrenſi*, *Joanne Majore* (Scoto-Britanno), & alijs liquidò conſtat, *ipſarumque Linguarum Communitas evincit (f)*, inquit *Waræus (g)*. Prœſtat etiam audire *P. Heſnequenium*, de *Scotiæ* Nomine ſic diſcurrentem *(h)* : “ Eſt quidem (inquit) etiam Nobis indubitatum, quod jam indè à Sæculo tertio cœperint in *Britanniam (i)* tranſire Scoti. Fatendum omninò eſt, *Scotici* Nominis Dignitatem præcipuam apud *Hibernos* remanſiſſe ad undecimum uſque Sæculum Eccleſiæ, quia & *Bedæ*, & antiquis Scriptoribus omnibus, ut *Uſſerius* Pag. 374 in *Antiquitatibus Britannicarum Eccleſiarum* rectè ait, *Scotia* ſemper unica eſt, eademque quæ *Hibernia*.” Audi etiam *Joannem Capgravium*, Nationæ *Anglum*, Auguſtinianæ in *Anglia* Familiæ Provincialem Anno 1484, qui Initio *Vitæ S. Columbani (k)*, ſic loquitur : “ *B. Columbanus* in *Hiberniæ* Inſula, in Oceano ſita, quam *Scotorum* Gens inhabitat, ortus eſt. *Hibernia* enim antiquitùs *Scotia* dicta eſt, de qua Gens Scotorum *Albaniam*, *Britanniæ Majori (l)* proximam, quæ ab Eventu modò *Scotia* dicitur, inhabitans, Originem duxit, & Progreſſum habuit.” Et in *Vita Sancti Columbæ (m)* Narrationem ſuam hiſce terminat Verbis : ” Eſt autem ſciendum, quod *Hibernia* propriè *Scotorum* Patria eſt. Antiquitùs igitur pro Hibernia ſæpiùs ſcribi ſolet, ſicut hic in *Vita Sancti Columbæ* diligenter intuentibus apparet, & etiam Venerabilis *Beda* de Geſtis *Anglorum* multis in Locis *Hiberniam* exprimere volens, *Scotiam* ſcripſit.” Quid clarius ? Quid luculentius ?

IV. DURAVIT autem hoc *Scotiæ* Nomen pro *Hibernia* ad annum uſque Domini 1100, & paulatim ttibui cæpit illi *Britanniæ* Parti, quæ *Albania* dicebatur, & *Caledonia*, ut apud *Eborenſem (n)* legere eſt. Rarus igitur fuit Uſus hujus Nominis *Scotiæ* pro prælibata *Albania*, aliàs *Caledonia*, uſque ad Annum 1098, quo regnavit in illa Rex *Edgarus*, qui ſolemni Edicto Regnum ſuum *Scotiæ* Nomine,

---

prorſus Cibi ſumit, neque Somnum carpit, neque etiam Stationes facit, ſivè Circuitus, quia manere debet in Caverna, longiſſimas recitans Preces, Mentemque divinis Contemplationibus nutriens, præmiſſis Die antecedenti Confeſſione Sacramentali, & Sacrâ Communione, quibus ſe pararet armaretque contrà Principes, & Poteſtates Tenebrarum, contrà Spiritualia Nequitiæ in cœleſtibus. Non quæ audivi, ſed quæ vidi, refero, mihi enim feliciter contigit, Inſulàm ipſam, Sanctiſſimi *Patritij* Habitatione, & Miraculis conſecratam, præclarumque Auſteritatis primorum Eccleſiæ Sæculorum prœbentem Exemplar, inviſere Anno 1748. Hinc nullo negotio conjicerè poteris, benigne Lector, cur Locus iſte, luendis Peccatorum Pænis deſtinatus, *Purgatorium* dicatur, non quidem poſthumum, ſed vitale, ſeù viatorium, in præſenti Vita. Atque Purgatorij hujus *S. Patritij* inſignem Auſteritatem uſque adeò approbabat Severiſſimus ſui Corporis Caſtigator *Benedictus* noſter XIII, ut dùm eſſet Cardinalis Archiepiſcopus *Beneventanus*, de eo Sermonem habuerit ad Populum, hoc incipientem Themate : *Eructabo abſcondita à Conſtitutione Mundi*, ut memini me *Romæ* inter Sermones ſuos, Typis vulgatos, legiſſe.

(c) Ità refert *Waddingus* in *Annal. Minor.* ad Annum 1260.

(d) *Nenatenſem* eam vocat Hiſtoria Ordinis Minorem, quam tamen *Enaghenſem* autumat *Waddingus*.

(e) Quæ hiſce Temporibus *Scotia* dicitur, olim *Albania* nuncupabatur ab *albis* Rupibus. Immò *Hiberni*, vernaculè loquentes, non aliter *Scotiam* vocant quàm *Albain*, vetuſto retento Vocabulo. Dudúm etiam appellabatur *Caledonia* à *Caledonijs* Incolis.

(f) In *Scotia Albanenſi*, ſeù *Britannica*, Idioma vernaculum eſt *Hibernicum*.

(g) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. i.

(h) *In Commentario prævio ad Vitam S. Patritij.*

(i) Nomine *Britanniæ* intelligitur integra Inſula modernam *Scotiam* (ſeù *Albaniam*) *Angliamque* complectens.

(k) De eo Feſtum celebrant *Hiberni* Die 24. Novembris, ut videre erit hoc Cap. Num. xv.

(l) *Anglia* dicta eſt *Britannia Major* ad Differentiam *Britanniæ Minoris*, Galliarum Provinciæ.

(m) De eo Feſtum celebrant *Hiberni* Die 9. Junij, ut videre erit hoc Cap. Num. xv.

(n) Tom. ii. Tit. *de Intemperantia*.

mine, deinceps appellari juſſit, Teſte *Genebrardo*, *(o)*, ità tamen ut *Hibernia* idem retineret commune Nomen cum *Albania*, ſeù *Caledonia*, ut *Serrarius*, *Gretzenus*, & *Raderus in Bavaria Sacra* referunt. Neque id inficiari valent ipſi *Scoto-Britanni*; quippè *Georgius Buchananus*, inquirendæ Vetuſtatis Gentis ſuæ *Scoto-Britannicæ*, ſi quis alius, haud incurioſus, hoc ipſum non diſſimulantèr admittit *(p)*: "*Scoti* (inquit) omnes *Hiberniæ* Habitatores Initio vocabantur, ut indicat *Oroſius (q)*. Nec ſemel *Scotorum* ex *Hibernia* Tranſitum in *Albium (r)* factum, noſtri Annales referunt." Et paulò poſt: "Principio cum utrique (id eſt, *Hiberniæ* Incolœ, & Coloni eorum in *Albium* miſſi) Scoti Appellarentur, ut Diſcrimine aliquo alteri ab alteris diſtinguerentur, Initio cœpere altêri *Scoti-Ierni*, alteri *Scoti-Albini* vocari."

Cæterum tametſi communis Appellationis Diſcrimen iſtud, à *Buchanano* allatum, ſufficienter utramque Nationem ſecernere poſſit, nihilominùs haud frequens ejus Uſus apud exteros reperitur Scriptores, quidquid ſit de domeſticis, apud quos notior, & uſitatior eſſe poterat. Extêrni ſiquidem Scriptores quoties communi *Scotiæ* Appellationi ullum Additamentum, Signumve diſtinctivum apponunt, *Hiberniam* nuncupare ſolent *Scotiam Veterem*, aut *Majorem*; *Scotiam* verò *Britannicam* Nominibus oppoſitis. Hinc *Gretzerus (s)* ait: "VETUS SCOTIA *Hibernia* appellatur." Hinc etiam *Conradus à Monte Puellarum (t)*, qui floruit Anno 1340, in *Vita S. Erhardi*, Die 8. Januarij, hæc habet: "Floruerunt in Arca Tempeſtatis fluida Viri Sancti in *Hibernia*, quæ SCOTIA MAJOR dicebatur, & ſe diſperſerant in Numero multo per omnia *Franciæ*, & *Galliæ* Loca, &c." Hinc demùm *Nicolaus Serrarius* in Notationibus ſuis Hiſtoricis ad Geſta *S. Kiliani*, Epiſcopi *Herbipolenſis*, ſeù *Wurtziburgenſis*, in *Franconia*, Natione *Hiberni (u)*, à ſe edita, ponderans Verba vetuſti ſui Textûs, in quo refertur: *Scotia quæ & Hibernia dicitur*, *Inſula eſt Maris Oceani* &c.; expendenſque Locum *Mariani Scoti*, aſſerentis, *S. Kilianum* de *Hibernia* Inſula natum, poſt duas integras Paginas, Scriptorum Auctoritatibus refertas, in hunc Modum concludit:" *Hibernia Scotiæ* ſibi nomen vindicabat. "Quia tamen ex *Hibernia* iſta *Scotorum* Pars quædam egreſſa eſt, in eaque *Britanniæ* Ora, quam *Picti (w)*, jam habebant, conſederunt, ij quidem Principio à Duce ſuo *Rheuda*, *Dalrheudini* dicti fuerunt, ut ait Ven. *Beda*. Poſteà tamen *Pictos* inde ipſos exegerunt, & Boreale totum illud Latus obtinuerunt, eique vetus Gentis ſuæ Nomen indiderunt, ità ut *Scotorum* Gens una fuerit, ſed *Scotia* duplex facta ſit, una VETUS. & Propria in *Hibernia*, RECENTIOR altera in Septentionali *Britannia*. Undè factum, ſivè ex *Hibernia*, ſivè ex Aquilonari *Britannia*, divini Verbi Prœcones venirent, ij *Scoti* omnes appellarentur." Atque ut innumera propemodùm alia, quæ ſi ſingula percenſere vellem, Dies, Calamus, Vireſque me omninò deficerent, miſſa faciam, ſequens adeſt Teſtimonium ex Breviario *Aberdonenſi (x)* in Officio *S. Winniani*, quod *Scotiæ Minoris* Appellatione his utitur Verbis: "Winnianus ex Scotica Provincia ortus . . . proſpero Vento & felici in SCOTIAM MINOREM delatus eſt." Quæ omnia dicta volo ſine ulla celebris Nationis *Scotiæ Britannicæ* Injuria, & eo duntaxàt Conſilio, ut quoties Lectores vel in Martyrologijs, vel in Annalibus Eccleſiaſticis, vel in ſacris Monumentis incident in Vitam, aut Nomen alicujus ſancti, vel præclari Viri, velut *in Scotia* nati, vel *è Scotia* egreſſi, vel ibidem educati, faciliùs intelligant, cui Nationi Gentive ea Laus attribuenda ſit.

V. Ulterius *Hibernia* olim ſpeciali Nomine *Inſula Sanctorum* ubique Terrarum nominabatur, & meritò quidem ob innumera Domi Alvearia, & in Mundum foràs emiſſa Sanctorum Examina. Ut enim

---

(o) Ad Annum 1150.

(p) Lib. ii. *Hiſtoriæ Scotorum.*

(q) Scilicet *Paulus Oroſius*, *S. Auguſtini* Diſcipulus, qui floruit Anno Chriſti 425.

(r) Id eſt, *Albaniam*, ſeù *Scotiam Britannicam.*

(s) *De Benedictionibus*, Lib. i. Cap. ii, & xi.

(t) Id eſt, *à Monte Peſſulano*, ut nunc appellatur à Voce Gallica *Pucelle*, quæ *Puellam* ſignificat. Celebris et ſalubris eſt *Occitaniæ* Civitas, quam Vulgus vocat *Montpellier*. Latinè à pluribus dicitur *Monſpelium.*

(u) De eo Feſtum celebrant *Hiberni* Die 8 Julij, ut poſthàc, Num. nempè xv. hujus Capitis, videre erit.

(w) Sic dicta quia ſua *pingebant* Corpora. Inde ea *Britanniæ* Septentrionalis Pars nuncupabatur tunc *Pictinia.*

(x) *Aberdona* celebris eſt *Scotiæ Britannicæ* Civitas, ubi adeſt Univerſitas, olimque fuit Epiſcopatus.

enim *Gulimanus (y)* ait: " *Hibernia* Sanctiſſimorum Doctiſſimorumque eſt Officina." Et *Marianus (z)*: " Plurimis Sanctis, & innumerabilibus Viris *Hibernia* plena habetur." Item *Surius*, & *Molanus (a)*: " Stellarum propè Numerum Sanctorum Patrocinijs *Hibernia* æquat." Denique *S. Bernardus (b)* mellifluè dicit: " Locus verè Sanctus fæcunduſque Sanctorum, copioſiſſimè fructificans Deo . . . . nec in præfatas, ſed in exteras etiam Nationes, quaſi Inundatione factâ, illa ſe SANCTORUM EXAMINA effuderunt *(c)*." Atque ob beatum Soli Ingenium, ut *O-Flabertius (d)* loquitur, in quo nullum vitale eſt venenoſum Animal, meruit, ut multis antè Chriſtum natum Sæculis *Sacra Inſula* à Græcis nominaretur, ſignantèr ab *Orpheo Crotaniano (e)*, qui floruit Anno Mundi 3390; *Ariſtotele (f)*, Anno Mundi 3620; & *Ruſo Feſto Avieno (g)*, Anno Chriſti 285, vêl, ut alij volunt, 482, qui Librum ſuum ex vetuſtiſſimis Geographis, *Hecatio Mileſio*, *Hellanico Leſbio*, *Philæâ Athenienſi*, *Caryandæo*, *Pauſimacho*, *Samio*, *Damaſto*, *Euctemone*, & alijs conſarcinavit. Undè venerabilis *Beda* de *Hibernia* ait *(h)*: " Nullum ibi Reptile videri ſolet, nullus vivere Serpens valet. Nam ſæpè illò de *Britannia* allati Serpentes, mox ut, proximante Terris Navigio, Odore Aeris illius attracti fuerint, intereant. Quin potiùs omnia penè, quæ de eadem Inſula ſunt, contrà Venenum valent. Denique vidimus, quibuſdam à Serpentibus percuſſis, raſa Folia Codicum, qui de *Hibernia* fuerunt, & ipſam Raſuram Aquæ immiſſam, ac Potui datam, talibus protinùs totam Vim Veneni graſſantis, totum inflati Corporis abſumpſiſſe, ac ſedaſſe Tumorem." Succinit egregiè *Bartholomæus Anglicus (i)*: " In *Hibernia* (inquit) nullus eſt Serpens, nulla Rana, nulla Aranea venenoſa. Ideò tota Terra adeò contraria eſt venenoſis, ut Terra indè delata, & ſparſa, Serpentes perimit, & Bufones." Et alius *Angligena*, nempè *Gulielmus Neubricenſis*, ità de *Hibernia* teſtatur:" Hanc autem ſingularem præ cunctis Regionibus habet à Natura Prærogativam, & Dotem, ut nullum gignet venenatum Animal, nullum Reptile noxium. Quinimmò certa citaque Mors eorum eſt." Demùm *Petrus Apianus*, Mathematicus, in ſua *Coſmographia (k)* ait: " *Irlandia* eſt Inſula fœcunda, & ſalubris, Serpentibus, & venenonis Reptilibus carens. Equos mittit, ferendis oneribus aptiſſimos."

Huc faciunt literatiſſimi *Hadriani Junij* Verſus, quibus *Hibernia*, de ſe loquens, communem cum *Creta* (*l*), Græcorum Inſulâ, in ejiciendis venenoſis Sympathiam vendicat.

Illa Ego ſum *Graijs* Glacialis (*m*) *Hibernia* dicta,
Cui Deus, & melior Rerum naſcentium Origo,
Jus commune dedit cum *Creta* Altrice Tonantis (*n*),
Angues ne noſtris diffundant Sibila in Oris.

Quos Verſus, *Anglicano* Idiomatè donatos, exhibere placet in Rem Lectoris, Anglicè periti.

I am

(y) In Vita *S. Florentij*.

(z) Lib. ii. Pag. 375.

(a) Ad Diem 8. Maij.

(b) Tract. *de Vita & Rebus geſtis S. Malachiæ*, Archiepiſcopi *Armachani*, de quo Officium celebrant *Hiberni* Die 3. Novembris juxtà dicenda Num. xv. hujus Capitis.

(c) Reliqua Mellifluí Doctoris Verba commodiùs exſcribentur Num. xiv. hujuſce Capitis cum Teſtimonio eadem de Re *Benedicti* Papæ XIV.

(d) Pag. 22. *Ogygiæ*.

(e) Lib. *de Argonautis*.

(f) Lib. *de Mundo* ad *Alexandrum*.

(g) In *Oris maritimis*.

(h) Lib. i. *Hiſtoriæ Anglorum*, Cap. i.

(i) Lib. xv. Cap. lxxx.

(k) Part. ii. in Exarratione *Inſularum Europæ*, Pag. 145.

(*l*) Eſt Inſula Maris *Mediterranei* propè *Archipelagum*, quæ à Capitali Civitate paſſim nuncupatur *Candia*.

(*m*) Nonnullorum erat Opinio, Inſulam hanc *Hiberniam* propterea appellari, quod *Hyberno* Tempore Aquæ congelatæ diutius condenſatæ perdurent, ſed malè fundata, ut Num. i. oſtenſum eſt.

(*n*) Scilicet *Jovis*, cujus Natale Solum juxtà Poetas erat *Creta*.

I am that Iſland, which in Times of old
The *Greeks* did call *Hibernia* Icy-cold:
Secur'd by God and Nature from this Fear,
Which Gift was given to *Crete*, Joves Mother dear,
That poiſonous Snake ſhould never here be bred,
Nor dare to hiſs, or hurtful Venom ſpread.

Hanc aliaſque *Hiberniæ*, natalis Regionis ſuæ, Dotes, brevi (o) datâ Operâ recenſendas, ſequentibus Auro melioribus Dyſtichis (p) *S. Donatus*, Epiſcopus *Feſulanus* in *Etruria*, cujus Feſtivitas Die 22 Octobris ab *Hibernis*, ut ex infrà dicendis clarebit (q), celebratur.

Finibus occiduis deſcribitur optima Tellus,
  Nomine, & Antiquis *Scotia* (r) ſcripta Libris.
Inſula dives Opum, Gemmarum, Veſtis, & Auri:
  Commoda Corporibus Aere, Sole, Solo.
Melle fluit, pulchris, & lacteis Scotia Campis,
  Veſtibus, atque Armis, Frugibus, Arte, Viris.
Urſorum Rabies nulla eſt ibi; ſæva Leonum
  Semina, nec unquam *Scotica* Terra tulit.
Nulla Venena nocent, nec Serpens ſerpit in Herba,
  Nec conqueſta canit garrula Rana Lacu,
In qua *Scotorum* Gentes habitare merentur:
  Inclyta Gens Hominum Milite, Pace, Fide.

ANGLICE:

Far Weſtward lies an Iſle of antient Fame,
By Nature bleſs'd, and *Scotia* is her Name,
Enroll'd in Books; exhauſtleſs is her Store
Of veiny Silver, and of Golden Ore.
Her fruitful Soil for ever teems with Wealth,
With Gems her Waters, and her Air with Health.
Her verdant Fields with Milk and Honey flow,
Her woolly Fleeces vie with virgin Snow:
Her waving Furrows float with bearded Corn,
And Arms and Arts her envy'd Sons adorn.
No Savage Bear with lawleſs Fury roves,
No rav'nous Lyon, thro' her peaceful Groves.
No Poiſon there infects, no ſcaly Snake.
Creeps thro' the Graſs; nor Frog annoys the Lake:
An Iſland worthy of its pious Race,
In war triumphant, and unmatch'd in Peace.

VI. Demum

(o) Num. vii. hujus Capitis.

(p) Videndis apud *Colganum* in V. Appendice ad *Vitam S. Patritij*, Pag. 255; & apud *Harriſium*, Vol. I. Pag. 15.

(q) Num. xv. hujus Capitis.

(r) Quo Tempore florebat *S. Donatus*, horumce Verſuum Auctor, qui Anno Incarnationis Dominicæ 840 ad ſuperos evolavit, *Hibernia* vocabatur *Scotia*, ut ex Ven. *Beda*, alijſque Scriptoribus, tàm *Anglis*, quàm *Scoto-Britannis*, jam oſtendi Num. iii. & iv. Quod porrò Nomine *Scotiæ* nullatenùs intelligere potuit *Scotiam* modernam, Luce meridianâ clarius patet ex eo, quod iſta *Finibus occiduis non deſcribitur*.

VI. **Demum** Recentiores, non ſecus ac Veteres, varijs Nominibus Inſulam noſtram appellant. Angli, *Ireland*, à Vocula *Ire*, ſeù verius *Eire*, quæ Occidentem, & *Land*, quæ Terram ſignificat, nuncupant; *Itali*, & Hiſpani, *Irlanda*; Galli, *Irlande*; Germani, *Yrland*; ipſimet autem Incolæ communiter *Eire*, cum vernaculè loquuntur, cum vero latinè, *Hiberniam*. Neque mirari ſubit eandem Regionem varijs adeò Nominibus deſignari, nam ſi recentia percurrere Tempora velimus, & antiqua, obſervare poterimus, multas Gentes diverſis, ac ipſæ uſæ ſunt, Nominibus ab alijs denominari. Sic, qui patriâ Linguâ *Iſraelitæ* vocabantur, Græcis, *Hebræi*, & *Judæi*; atque Ægyptijs, *Hueſi*, nominabantur. Sic, qui ſeipſos Linguâ ſuâ *Teutſch*, *Numidas*, & *Hellenas* nuncuparant, â Romanis *Germani*, *Mauri*, & *Græci* appellantur. Sic hodiè, qui ſuo ipſorum Idiomate *Muſelmanni*, *Mègari*, *Czechi*, *Beſermanni*, ab Europeis omnibus *Turcæ*, *Hungari*, *Bohemi*, & *Tartari* nuncupantur. Sic, eadem Terra, quæ Romanis eſt *Hiſpania*, Græcis *Iberia*, Poetis *Heſperia*, ab alijs *Spania* vocatur. Sic, Angli, qui ſuâ Linguâ ſeipſos dicunt *Engliſhmen*, ab Hibernis, & Scoto-Britannis, *Saſſonagh* appellantur, velut à *Saxonibus* (*s*) oriundos. Denique, ne plura perſequar, *Americæ Septentrionalis* Peninſula, quæ à Gallis *Accadie*, ab Anglis eam poſtmodùm occupantibus, ſub Initium Sæculi Superioris, *Nova Scotia* appellata eſt, quòd *Jacobus* Rex hujus Nominis Primus eâ Equitem *Gulielmum Alexandrum* Anno 1621, tunc Secretarium Statûs pro *Scotia*, poſteà *Sterlingæ* Comitem, donaverit (*t*). Sed de *Hiberniæ* Etymo pluſquam ſatis, jàm Tempus eſt, ut de *Hibernicæ* Gentis Origine pauliſper diſſeram.

Nostri ferunt Antiquarij, primam poſt Diluvium Immigrationem in *Hiberniam* fuiſſe *Partholani*, *Seræ* Filij, ex *Japheti* Stirpe, cum Filijs ſuis, *Languino*, *Sabano*, & *Ruturugo*, atque Exercitibus, & Colonijs eorum, & quidem è *Scythia*, vel, ut alij malunt, è *Græco-Scythia*, Anno Mundi 1978. Homines ibi ante ſe inveniſſe alij tradunt, nullam aliam Sedem, nec Originem, eis aſſignantes. Eapropter tales à *Latinis* nuncupantur *Aborigines*, id eſt, ſine Origine, à Græcis vero *Gigantes*, quæ Appellatio, ut obiter dicam, nullam indicat Corporis Magnitudinem (nunquàm quippè proditum eſt, Homines, etiam antè Diluvium, majori fuiſſe Staturâ, quam nunc ſunt, licèt omni Œvo aliquot fuerint monſtruoſâ Proceritate, ſed pauci), ſed ſignificat duntaxàt, eos è Terra genitos, nempè non aliundè advectos prout primævos Homines, Arborum, & Herbarum inſtar, è Terra germinaſſe, ſicut *Latini* & *Græci* illi autumarunt, de quibus *Virgilius* (*u*).

Hæc Nemora Indigenæ Fauni, Nymphæque tenebant,
Genſque Virûm Truncis, & duro Robore nata.

Et *Juvenalis* (*w*):

——————Qui rupto Robore nati,
Compoſitoque Luto nullos habuere Parentes.

Permultis autem, tàm *Giganteorum Aboriginum*, quàm, *Partholanorum*, in varijs inter ſe Prælijs per trecentorum ferè Annorum Seriem occiſis, *Nemethus* Scythicus, *Agnominij* Filius, atque *Partholani* è *Tatio* Fratre Abnepos, cum virili ſua Sobole *Statio*, *Gerbuele*, *Amimo*, *Ferguſio*, memorati *Partholani* Veſtigia ſecutus, *Hiberniam* denuò incoluit Anno Mundi 2308. Sed & hi atrocia, & ſanguinolenta Bella foriter geſſerunt; primùm contra Piratas, Inſulam hanc graviter depopulantes; deindè contrà *Giganteos-Aborigines*, per ducentos & amplius annos, uſque ad Inter-

---

(*s*) Anno Chriſti 454 *Saxones* invaſerunt *Angliam*, indeque Incolæ paſſim apud Hiſtoricos dicti ſunt *Anglo-Saxones*. Et quia poſt Lapſum *Henrici* VIII. *Angli* Acatholiciſmum invexerunt in *Hiberniam*, idcircò Vox *Saſſonagh*, quæ primitus *Anglum* duntaxat ſignificabat, nunc apud *Hibernos* aut *Anglum*, aut *Acatholicum* indifferenter exprimit.

(*t*) *Carolus Rex Angliæ* I. Ordinem inſtituit Equitum, quos *Baronettos Novæ-Scotiæ* appellari voluit, hac in Parte Veſtigia premens Genitoris ſui, *Jacobi* I. qui Anno 1611 Ordinem *Baronettorum Ultoniæ* inſtituerat. Uterque porrò Equeſtris Ordo eſt hæreditarius.

(*u*) *Æneidos* Lib. viii.

(*w*) *Satyr.* vi.

necionem fermè utriuſque Partis, niſi quod pauci quidam reſidui, & quaſi Gentis Reliquiæ, tot Malorum Incommoda Fugæ Præſidio declinantes, partìm in *Scythiam*, partim in *Græciam* Navigio perveniſſent, ità ut ducentis poſtmodùm Annis Cultore vacaverit *Hibernia*, donec tandem de eadem *Nemethi* Stirpe, quæ in *Græciam* ſeceſſerat, quinque Duces, Germani Fratres, *Delæ* Principis Filij, dicti ab *Hibernis* Hiſtoricis *Firbolai*, vacuam Inſulam invenientes, in quinque æquales Portiones totam diviſiſſent, *Gandius* nempè, *Genantius*, *Sagundius*, *Rutheragus*, & *Slanius*, Anno Mundi 2503.

Ast deletâ iterùm magna ex Parte, & plurimùm debilitatâ Natione, tùm varijs inter hos, eorumque Poſteros, Conflictibus, tùm eo potiſſimùm Bello, quod cum alia quadam *Nemethi* Poſteritate, quæ è *Scythia* ſupervenerat, gravi geſſerunt cum Diſpendio: Adveniunt demùm, Anno Mundi 2737, antè Chriſtum natum 1263, de *Iberiæ* (nunc *Hiſpaniæ*) Partibus in Sexaginta Navium Claſſe, *Ithus*, *Mileſij* Regis *Iberiæ* Patruus, treſque ejuſdem Regis Filij, *Heber*, *Irus*, & *Heremon*, quos à *Gadela*, antiquo eorum Progenitore, *Gadelianos* Hiſtoriæ noſtræ paſſim appellant. Hos inter *Heremon* poſt varios Conflictus, & ambiguos ſemper Bellorum Eventus, atque interfectum in Prælio Fratrem ſuum *Heberum*, ſolus obtinuit, primuſque extitit Monarcha *Hibernenſis* Populi, qui uſque in hodiernum Diem Inſulam inhabitant. De iſta porrò Stirpè uſque ad S. *Patritij* Hibernorum Apoſtoli Adventum, Anno Chriſti 433, regnante *Leogerio*, *Neilli* Magni Filio, Centum Triginta Sex Reges; & indè ad *Rodericum O-Connor* (quo regnante intravit *Henricus* Secundus, Anglorum Rex, Anno 1172) Quinquaginta Tres Reges ſibi invicem ſucceſſerant.

Hæc porrò dicta ſint juxta vulgatam Noſtratûm Hiſtoriam. Crediderim tamen, primos *Hiberniæ* Incolas, ne dicam omnes, antè *Gadelianorum*, ſeù *Mileſianorum* Adventum, ex *Anglia*, aut *Scotia* commigraſſe. Undè *O-Flahertius* Antiquitatum noſtrarum Indagator accuratiſſimus, præmiſſis, quæ ipſe jam præmiſi, ſubjungit (*x*): Sed ſi fas eſt heic à communi Opinione aliquatenùs recedere, multa me non invitum trahunt, ut cum *Camdeno* ſentiam, primos *Hiberniæ* Incolas è vi“ cinioribus commigraſſe. Non enim, ut ait ille, ſimul & ſemel Orbis cultus: Par eſt, ut creda“ mus, Regiones Orienti propriores priùs habitatas; & ſic in *Europa*, *Græciam* antè *Italiam*, *Ita*“ *liam* antè *Galliam*, *Galliam* antè *Britaniam*. Inſulas etiam divinâ Providentiâ ita ſparſas “ in Æquore diſpoſuit, ut una ex alterius aliquâ Parte Oculis ſignetur. Quare ipſa Ratio “ dictitat, è proximis potiùs, quâm diſjunctiſſimis Locis, eas ab Initio pedetentim inhabi“ tatas.

VII. His ità præmiſſis, Operæ Pretium erit, nonnulla de *Hiberniæ* Salubritate, Fertilitate, & Amænitate in medium afferre ultrà ea, quæ mox (*y*) ex Venerabili *Beda* obiter ajebam. Audiamus deſuper alium Angligenam, *Joannem* nempè *Daviſium*, Equitem Auratum, Regis *Jacobi* I. Procuratorem Generalem (*z*), qui in *Relationibus Hiſtoricis*, ad laudatum Regem datis, hæc habet: “ Luſtravi omnes illius Regni (*Hiberniæ*) Provincias (*a*), & obſervavi bonam Temperiem “ Aeris, Fertilitatem Soli, amænas, & commodas ad habitandum Sedes, amplos ſecuroſque Por“ tus, Commercio ad omnes occidui Orbis Partes apertos, navigabiles Fluvios, piſcoſos Lacus, “ patentes Navibus Sinus intrà prædictum Regnum, qualia nullibi in Europa videre licet. Ibi “ ingens Volucrum Piſciumque (*b*) Copia. Ibi tanta Apum Multitudo, ut non ſolùm in Alvea“ rijs, ſed in Arborum Truncis, & Terræ Cavernis reperiantur (*c*). Nullus hic Anguis, nec ve“ nenatum quidquam. Ut uno Verbo dicam, ſivè Terræ Fæcunditatem, ſivè Maris & Por“ tuum Opportunitatem, ſivè Incolas reſpicias, qui bellicoſi ſunt, ingenioſi, Corporum Line“ amentis conſpicui, mirificâ Carnis Mollitie, & propter Muſculorum Teneritudinem Agi“ litate incredibili, à multis Dotibus ità felix eſt Inſula, ut non malè dixerit *Giraldus* (*d*),”

Naturam

(*x*) Pag. 7. *Ogygiæ*.

(*y*) Num. v. hujus Capitis.

(*z*) Confer Cap. xvii. Num. xvii.

(*a*) Plus ipſe dicere valeo, qui nedum omnes *Hiberniæ* Provincias, ſed & omnes omnium Provinciarum Comitatus, Numero Triginta duos, luſtravi.

(*b*) Flumina modò per Planities, modò intra Nemora, tranquillo Curſu delata, ad capiendum Salmones, Troctas, Anguillas, & id Genus Piſces, Accolas invitant. Adeas Cap. xvii. Num. xlii.

(*c*) Conſule inferiùs dicenda Cap. ii. Num. ix.

(*d*) Scilicet *Giraldus Barrius*, Patria *Cambrenſis*, vulgò *Wallenſis*.

Naturam hoc Zephiri Regnum benigniore Oculo reſpexiſſe “ . . . . Ità ut Deſcriptio Terræ Sanctæ, “ *Deuteronomij* 8, applicari poſſit *Hiberniæ*, nempè quod ſit, *Terra bona, Terra Rivorum, Aqua*-“ *rumque, & Fontium, in cujus Campis, & Montibus erumpunt Fluviorum Abyſſi; Terra Frumenti,* “ *& Hordei, Terra Lactis, & Mellis, ubi abſque ulla Penuria comedes Panem tuum, & Rerum* “ *abundantiâ perfrueris.*”

Succinit Scriptor *Gallus* ſub his Literis D. T. U. Y. *Genevæ* editus Anno 1668: *Hibernia* “ (inquit) fruitur ſuavi temperatoque Aere, ad Humiditatem (*e*) tamen protendente. Terra ibidem “ eſt adeò fertilis, ut nonnullis Annis ad exteras Terras Frumenta tranſmittat. Habet amœnas vi-“ rideſque Planities, Montes Pecoribus, & Armentis, Viridaria, Arboreta, Leporaria . . . . . . Cer-“ vis alijſque Feris referta. Habet etiam Herinaces, Falcones, Accipitres, Aquilas, Grues, Olores, “ Perdices, Feſanos, Apes. Hiberni ſunt robuſti, agiles, magnanimi, animoſi, Algoris, Famis, & “ Anguſtiarum patientiſſimi, ad Amorem propenſi, in exteros humani, liberales, Gloriæ cupidi, In-“ juriarum impatientes.”

Subjungo quæ habet *Richardus Staniburſtus* in Præfatione ad ſuos *de Rebus Hibernicis* Libros, ubi præmittens, tam paucos, & illos ipſos tàm ſiniſtrè, de *Hibernia* ſcripſiſſe, ait: “ Neque hujus “ Rei Culpa in florentiſſimam Inſulam eſt conferenda, cum qua quidem, Cæli Salubritate, Agrorum “ Fertilitate, Ubertate Frugum, Amænitate Fontium, Opportunitate Fluminum, portuoſis Stationi-“ bus, Sylvarum Proceritate, ditiſſimis Metallorum (*f*) Venis, Paſtionis Magnitudine, Armento-“ rum Gregibus, conferre paucas, anteferre nullas Regiones valeas. Quod ſi in hujus Inſulæ “ Incolas Oculos inferre velis, illi quidem Corporis Commoditate, Ingenij Acumine, cæteriſque A-“ nimi Ornamentis uſquè eò præſtant, ut nihil eis aut à Natura non oblatum, aut ab Induſtria “ recuſatum, videatur.” Hæc *Staniburſtus*, oculatus *Hiberniæ*, harumque Qualitatum, Teſtis.

Huc etiam faciunt præclara *S. Donati*, Epiſcopi *Feſulani*, Dyſticha, quæ ſuperiùs exſcripta habes (*g*).

VIII. Quod verò in Præfatione ſua ait *Staniburſtus*, Auctores nunnullos *ſiniſtré* de *Hibernia* ſcripſiſſe, id potiſſimùm de *Anglis* intelligitur, aut de Exteris, qui de *Hibernia* differentes, non alios quàm *Anglicos* Hiſtoricos, eoſve, qui ex ipſis compilaverant, præ Manibus tenent. *Angli* autem Partium Studio (quod Nationibus ſibi propinquis, præſertim inter ſe plerumque militantibus, commune eſt) adversùs *Hibernos* abrepti, plura indecora Figmenta de *Hibernia* Incoliſque ejus effutiere, quos inter *Giraldus Cambrenſis* cenſendus eſt, tametſi vera aliquot Elogia, quæ ſuperius exſcripta habes, (*h*) non diſſimulaverit. Eum porrò ſic improbat Eques *Waræus* (*i*): “ Non “ poſſum non mirari, Viros aliquos hujus Sæculi, alioqui graves, & doctos, Figmenta Giraldi “ Mundo iterùm pro veris obſtruſiſſe.” Præmiſerat autem (*k*): Multa hic obſervari poſſent fabu-“ loſa, quæ de *Hibernia* cumulavit *Giraldus Cambrenſis* in *Typographia Hiberniæ*, ſed alijs ea “ diſcutienda relinquimus; ſiquidem exacta eorum Diſcuſſio juſtum requirit Tractatum.” Id Muneris feliciter præſtitit ſub adſcititio *Gratiani Lucij* Nomine *Joannes Lyncæus*, Archidiaconus *Tuamenſis*, poſteà Vicarius Apoſtolicus *Alladenſis*, de Patria ſua optimè meritus, in Libro, Anno 1662 impreſſo, cui Titulum indidit: *Cambrenſis everſus, ſeû potius Hiſtorica Fides in Rebus Hibernicis Giraldo Cambrenſi abrogata.* Eo juſto in Volumine Convitiorum Maculas eluens *Lyncæus*, omnem Hiſtoricam Fidem *Giraldo* derogavit. Quæ etiam Partium Studio deditus *Gulielmus Camdenus*, Londinenſis, in ſua *Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ* Chorographica Deſcriptione malè conſarcinavit, Locum dederunt ſequenti Epigrammati, non minùs vero, quàm trito:

(*e*) Nuperis hiſce Annis exſiccantur mirâ Induſtriâ Paludes, indeque ſenſim tollitur Aeris Humiditas.

(*f*) Sanè in pluribus *Hiberniæ* Locis, Argenti, Ferri, Plumbi, Æris, Stanni, Argenti Vivi mètalla effodiuntur: Aurique Venas latere, & Gemmas inveniri, multi ſuſpicantur. In iſtius porrò Generis Raritatibus *Kerrienſis* Ager quibuſcunque alijs in *Hibernia* longè antecellit. Sèd Agrorum, ſivè Comitatuum *Hiberniæ* brevis Indiculus texetur Num. xi. hujus Capitis.

(*g*) Sub Finem Num. v. Pag. 8.

(*h*) Num. antecedenti, & Num. i.

(*i*) *De Hibernia, & Antiquitatibus ejus*, Cap. xxiii.

(*k*) Ibidem.

Anglìgenas Oculis luſtras, *Camdene*, duobus ;
Uno Oculo *Scotos* ; Cæcus, *Hibernigenas*.

SED audiamus pauliſper egregium Scriptorem, à Partium Studio alienum, *Thomam*, inquam, *Boſium*, Congregationis Oratorij Decus, de *Hibernia* ſub Nomine *Stotiæ* (*l*) in hunc Modum loquentem (*m*) : “ Nulla Gens è Borealibus tamdiû manſit in unanimi Religionis unius Conſenſu, ut *Scotica*. Conſtat ex Annalibus *Proſperi* Anno 431, miſſum à *Cæleſtino* Pontifice *Palladium* Epiſcopum (*n*) ad *Scotos*, ſed adijcit *Proſper*, *jam credentes in Chriſtum*. Quo circà tradunt in *Scotia*, quæ tunc erat *Hibernia*, Chriſti Cultum diſſeminatum eodem Tempore, quo in *Britannia*, ſub Annum ſcilicet 203, *Victore* ſedente. Agitur itaque Annus 1350, ex quo *Scoti* Chriſti Cultum ſunt amplexati, & in eo conſtantes fuere, at hoc nulli alij Genti è Borealibus evenit.” “ Et paulò poſt : *Britannia* (inquit) *Pelagij* Opinionem, & alias Hæreſes adeò eſt ſecuta, ut quo Tempore *Auguſtinus* miſſus eſt à *Gregorio Magno*, nullus in ea Catholicus eſſet, ut ex ejus Vita apud *Bedam* liquet, miſſus eſt autem *Auguſtinus* Anno 596. Non ità in *Hibernia* (*o*) in qua tùm Scoti degebant. In ea non modò ſemper Catholica Religio perſtitit, ſed & indè Viri Sanctitatis illuſtriſſimæ prodierunt. In his *Columbanus*, *Galluſque Columbani* Diſcipulus, à quibus in Gallia *Luxovienſe* Monaſterium, in Allemannia *S. Galli*, in Italia *Bobienſe*, extructa fuerunt antè acceſſum *Auguſtini* in Britanniam.” (*p*).

IX. QUOD ad *Hiberniæ* Dimenſionem, Figuram, & Situm attinet ; inter omnes *Europæ* Inſulas maxima eſt poſt *Magnam Britanniam*, bina *Angliæ Scotiæque* Regna complectentem, ipſaque *Hibernia* altera eſt veluti *Britannorum* Inſula, *Britannia Parva* à *Ptolomeo* olim dicta, atque ſub *Inſularum Britannicarum* Nomine hodiedùm comprehenſa. Obſervat autem accuratiſſimus Ævi Superioris Scriptor, *Rodericus O-Flaherty* (*q*), *Hiberniam* non eſſe *Britannia* ex Semiſſe minorem, utpotè Quadrante duntaxàt minorem *Anglià*, atque *Scotià* ex Triente majorem, utraque verò Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Numero ſuperiorem.

FIGURÆ eſt ovalis, ſeù potiùs lenticularis, continens in Longitudine ab Auſtro ad Aquilonem 230 Milliaria *Hibernica* (*r*), & in Latiudine, ab Oriente ad Occidentem, 140. Cùm autem duo Milliaria *Hibernica* tria faciant *Italica* (*s*) hinc ſequitur, Longitudinem *Hiberniæ* ad 345, Latitudinem verò ad 187 Milliaria Italica protendi.

HIBERNIA ab Ortu, *Angliam* versùs, Mari aluitur, quod propriè vocatur *Hibernicum*, Nautis autem vulgò *Canalis S. Georgij* (*t*) ; ab Occaſu, immenſo Oceano *Atlantico*, ad Septentrionales *Americæ* Oras excurrente ; à Septentrione, *Deucalidonio* Mari, inter *Hiberniam Scotiamque* interjecto ; & ab Auſtro, *Virgivio* Mari, priſcis Britannis *Morweridth* dicto (*u*).

EXIGUA eſt Diſtantia *Britanniæ Auſtralis*, ſeù *Angliæ*, ab *Hibernia*. Enimverò ab ipſa Metropoli *Dublinienſi* ad Promontorium Sacrum, vulgò *Holy-Head*, in *Cambria*, ſeù *Wallia*, vix eſt Trajectus 60 Milliarium, brevior verò ab Oris Agri *Wexfordienſis* in *Lagenia* ad Oppidum *S. Davidis* in prælibata *Cambria*, 45 ſcilicet Milliarium ; & adhuc brevior ab *Antrimenſi* Agro *Ultoniæ* ad *Britanniam Septentrionalem*, ſeù *Scotiam*, Milliarium nempè 15, ut refert vulgatus *Londini* Liber, cui Titulus Latinus ex Anglico : *Præſens Status Magnæ Britanniæ*, & *Hiber-*

niæ

(*l*) Recolendus Num. iv.

(*m*) Lib. viii *de Signis Eccleſiæ*, Cap. i.

(*n*) Hic S. R. E. erat Diaconus Cardinalis, & poſt breve Tempus ex *Hibernia* diſceſſit, pauloque poſt Vita deceſſit, & quidem Die 15. Menſis Decembris ejuſdem Anni 431. Anno autem ſequenti, â laudato Summo Pontifice eò miſſus fuit *S. Patritius*, ordinatus *Hibernorum* Epiſcopus. Confer Cap. vi. Num. xiv. Sect. i.

(*o*) Conſulendus Num. xvi hujus Capitis.

(*p*) Confer Num. xiv Capitis præſentis.

(*q*) Cap. 17. *Ogygiæ*.

(*r*) Hic Loci Sermo non eſt de Milliaribus Hibernicis antiquis, ſeù *computatis*, ut vocant, quæ longiora erant, ſed de noviter *menſuratis*. Noſtris ſiquidem Diebus in regijs *Hiberniæ* Vijs erecti ſunt Lapides, Milliaria à *Dublinenſi* Metropoli indicantes.

(*s*) Nomine *Milliaris Italici* intelligas velim Diſtantiam inter notos ab urbe *Roma* Lapides.

(*t*) Sic dictus poſtquàm *Eduardus* III, Anno 1356, *S. Georgium*, Cappodocem, Martyrem, in *Angliæ* Regni Protectorem aſcivit.

(*u*) Conſulendus *Harriſius*, Vol. II. Pag. 322.

niæ (w). Immo plerique aſſerunt, vix quidem 12 eſſe Milliaria (*x*), quibus ipſe facilè aſſentior, in illis ſiquidem *Ultoniæ* Partibus conſtitutus tàm clare vidi *Scotiam* (*y*) quàm deſiderare potui in memorata Diſtantia.

A *Gallia* autem 220, ab *Hiſpania* 440, à proximiori *Americæ* Parte, nimirùm *Nova Francia*, 1440 Milliaribus diſtat.

X. HIBERNIA olim *Pentarchia* erat, ſeù in quinque diviſa Partes, vulgò dictas *Provincias*, nempè *Lageniam*, *Momoniam*, *Conaciam*, *Ultoniam*, & *Mediam*, paſsìm dictam *Midiam*. Ortum reſpicit *Lagenia*, Occaſum *Conacia*, Meridiem *Momonia*, Septentrionem *Ultonia*, quas inter *Midia* in Medio quaſi omnium ſita, nobiliſſimum, inquit *Porterus* (z), ſoritur Locum. Nunc autem *Lageniæ* in civilibus adjecta eſt, in eccleſiaſticis verò *Ultoniæ*, ut uberiùs infrà explicabitur (*a*). Hinc *Hibernia* impræſentiarum ex quatuor conflatur Provincijs, ſeù Nationibus, *Lagenia* ſcilicet, *Momonia*, *Conacia*, & *Ultonia*. Atque unaquæque ex hiſce Provincijs in ſuos ſubdividitur Agros, quos *Comitatus* vocant.

PRIMUS vero omnium, qui Comitatus diſtinxit, erat *Joannes* Rex, qui Anno reparatæ Salutis 1210 ſuæ in *Hibernia* Ditionis (*b*) Agros in duodecim digeſſit Comitatus, videlicet *Dublinienſem*, *Midenſem*, *Kildarenſem*, *Louthanum* (qui nunc ad Ultoniæ Provinciam ſpectare dicitur) *Catherlaghenſem*, ſeù *Carlowenſem*, *Kilkennienſem*, & *Wexfordienſem*, in *Lagenia*; atque *Waterfordienſem*, *Corcagienſem*, *Kerrienſem*, *Tipperarienſem*, & *Limericenſem*, in *Momonia* (*c*). Dein *Midenſis* Comitatus cum nimius (*d*) eſſet pro uno Vicecomite, Anglicè *Sheriff* (*e*), bipartitus fuit A. D. 1541, per Statutum Parlamentarium, *Henrico* VIII Rege, in *Midenſem Orientalem* (*Midenſem* ſimpliciter paſsìm nunc appellatum) & *Midenſem Occidentalem*. Poſtmodùm, regnantibus *Philippo*, & *Mariâ*, *Thomas Ratcliffe*, *Suſſexiæ* Comes, *Hiberniæ* Prorex, *Regis*, & *Reginæ* Comitatus in *Lagenia* ſtatuit A. D. 1556; indèque Capitale *Regis* Comitatûs Oppidum, *Philippi Burgus*, *Reginæ*

(w) Part. iii. Cap. i.

(*x*) Scilicet â Promontorio *Pulchri Capitis*, Anglicè *Fair-Head*, propè *Bally-Caſtellum* in Agro *Antrimenſi* ad Regionem, cui Nomen *Cantire*, in *Scotia-Auſtrali*; neque magis meherclè (ſi non minus) diſtat Agri *Dunenſis* Vicus maritimus, vernaculè dictus *Donaghadee*, à *Portu S. Patritij*, anglicè *Port Patrick* in *Gallovidia*, vulgò *Galloway*, Regione *Scotiæ* item *Auſtralis*.

(*y*) Scotiam clariſſime intuitus ſum, nedùm in Agro *Dunenſi*, ſed & in *Antrimenſi* Agro *Ultoniæ*, exiſtens, à quo, ut nuper cum Stupore vidi, celebris, & incomparabilis eſt Via conſtrata in Mari, anglicè dicta *Giant's-Cauſway*, id eſt, *Via Strata Gigantum*, Latitudinis 240 Pedum; & ad 600 viſibiles Pedes *Scotiam* verſus protracta. Dixi *viſibiles*, quia eam ſub Aquis eſſe ad nonnulla Milliaria, Bolidè exploratum eſt; indeque volunt plures, eam ad *Scotiam* uſque protendi, eo vel maximè, quia ut ijdem ferunt, in adverſo *Scotiæ* Littore aliam videre eſt Viam conſtratam, licèt magis imperfectam. Porrò noſtra *Hibernica* ex multis componitur Millibus parvarum Columnarum, varias habentium Figuras, atque tàm miro Artificio abſque Cæmênto quovis conjunctarum, ac ſi peritiſſimi Fabri Lapidarij Opus eſſet. An autem à Natura, an verò ab Arte factum ſit, Quæſtio eſt inter Antiquarios, nedum *Hiberniæ*, ſed & *Magnæ Britanniæ*; ex qua ad ipſam mirandam ſæpenumerò adveniunt. Mihi ſat certum videtur, eam in præſenti ſuo Statu, utpote majori ex Parte ſub Undis Maris conſtitutam, ab Arte humanâ fieri nullatenùs potuiſſe. Non deſunt autumantês ex Conjecturis, *Hiberniam* ante Diluvium extitiſſe *Scotiæ* contiguam, non ſecus ac *Angliam Galliæ*, magis nunc diſtanti; dictamque Viam Lapideam, aut ab Authore Naturæ in ipſamet Creatione Mundi, aut ab humano Artifice ſuo Tempore factam, Aquis, poſt Diluvium manentibus, fermè coopertam.

(*z*) In *Compend. Annal. Eccleſ. Hiberniæ*, Pag. 24.

(*a*) Cap. iv. Num. xviii. ad Lit. a.

(*b*) Non integra *Hibernia*, neque vix tertia ejus Pars ſubdebatur tunc *Anglorum* Imperio. Quam ob Rem Rex *Joannes* Terminum denunciavit ſuæ Ditionis, *Anglicanum* Palum vulgò nuncupatum, ut commodiùs explicabitur Cap. iv. Num. viii.

(*c*) Videſis *O-Flabertium*, Pag. 26.

(*d*) Ita *Waræus in Hibernicarum Rerum Annalibus*, ad Annum 1541.

(*e*) Qui olim Juſſa Comitis, ſeù Dynaſtæ *Palatini* (confer Cap. ix. §. xvii. Num. iii. Lit. x.) in Territorio ſuo exequebatur, vocabatur indè *Vicecomes*, atque ſic etiam Latinè vocatur Officialis civilis, anglice *Sheriff*, qui Juſſa Gubernij in Comitatu exequitur. Sed præterea in *Magna Britannia*, & *Hibernia* ſunt *Vicecomites* altoris Ordinis, illi ſcilicet qui Pares ſunt, & Proceres Regni, de quibus infrâ dicetur in hoc Cap. Num. xxi.

Reginæ verò Comitatus, *Mariæ Burgus*, vocantur. Deindè, Anno 1565, *Henricus Sidney*, Eques Auratus, *Hiberniæ* Prorex, ex Territorio de *Analy* Comitatum *Longofordiæ*, *Elizabethâ* Reginâ, inſtituit. A *Joanne Perroto*, Equite Aurato, *Hiberniæ* Prorege, Anno 1585, ſex in Conacia erecti ſunt Comitatus ſcilicet *Clarenſis* (qui Anno 1602, ad *Donati O-Brien* Comitis *Thomondiæ* Inſtantiam, Provinciæ, ſeù Nationi, *Momoniæ* adjunctus eſt) *Galvienſis*, *Sligoenſis*, *Mayonenſis*, *Roſcomanienſis*, & *Leitrimenſis*. Idem *Perrotus* in *Ultonia* erexit Comitatus *Armacanum*, *Cavanenſem*, *Fermanacanum*, *Donegalenſem*, *Tironenſem*, *Monaghanum*, *Dunenſem*, *Antrimenſem*, & *Colranenſem*, qui *Londino Derienſis* poſteà Comitatus dictus fuit, cum nempè Colonia *Anglica* ab Urbe *Londinenſi* ad *Derienſem*, regnante *Jacobo Primo*, transfretaſſet, Anno 1612 (*f*). *Wicloa* in *Lagenia* Patrum Memoriâ, inquit *O-Flahertius* (*g*), Sæculi ſuperioris Scriptor, Comitatùs Jus induit. In *Momonia* ultrà mox recènſitos Comitatus erat inſuper Comitatus *Deſmondanus*, qui ab *Elizabetha* Regina extinctus fuit, atque partím *Corcagienſi*, partìm *Kerrienſi* adjectus (*h*), idque, ut obitèr dicam, in Odium *Geraldi Geraldini*, XVI Comitis *Deſmondiæ*, qui dictæ *Elizabethæ* Imperio ſubeſsè renuens, poſt varia Prælia occiſus fuit Anno 1583. *Conaciæ* Comitatus, quia Quinque duntaxàt, ſunt valdè extenſi, minùs verò extenſi Comitatus *Lageniæ* propter oppoſitam Rationem, ſunt quippé Undecim. In univerſo autem Regno ſunt Comitatus Triginta Duo. Sunt prætereà Urbes, quæ Comitatuum Privilegijs gaudent, ſuoſque habent Vicecomites, vulgò *Sherriffos*, & Diſtrictus omninò diſtinctos â Comitatibus, quibus Denominationem tribuunt, nempè *Dublinium*, & *Kilkennia* in *Lagenia* ; *Corcagia*, *Limericum*, & *Waterfordia*, in *Momonia* ; atque *Londino-Deria*, in *Ultonia* : Item & tria Oppida, nimirum *Galvia*, in *Conacia* ; *Pontana*, & *Rupes-Ferguſia*, vulgò *Carrick-Fergus*, in *Ultonia*.

XI. Libet porrò in Rem tuam, benigne Lector, hìc Loci Syllabum texere exhibentem ſingulas Provincias, ſinguloſque ſingularum Provincarum Comitatus, cum diſtincto Numero Jugerorum (*i*), Milliarium (*k*) tam quoad Longitudinem, quam quoad Latitudinem, Baroniarum, Parochiarum, Domorum, & Animarum, juxtà accuratos *Almanachos*, ut vocant, alioſque probatæ Fidei Libros. Cum hac ſolummodò Differentia, quod iſti *Louthanum* collocant Comitatum in *Lagenia*, ipſe verò in *Ultonia*, ut par eſt, Saltem quoad *Hiberniam Dominicanam*. Ordinem autem, quo Sol in ſuo Curſu *Hiberniam* luſtrat, obſervabo cum *Portero* (*l*), â *Lagenia* proptereà in Oriente incepturus, indè ad *Momoniam* in Meridie, *Conaciam* in Occaſu, & *Ultoniam* in Septentrione Gradum faciam. Quod verò ad Catholicorum, ac Proteſtantium Numerum attinet, êum alibi opportunius exhibebo (*m*).

(*f*) Adeas Cap. ix. §. xxiii. Num. i.

(*g*) Pag. 27. Id autem factum eſt Anno 1605, Equite *Arthuro Chicheſter* Prorege.

(*h*) Legeſis *Porterum* nuper laudatum, Pag. 37, & ſeq.

(*i*) Jugerum, quod Anglicè *Acre*, ſeù etiam Latinè *Acrea*, dicitur, eſt tantum terræ Spatium quantum duo Boves uno Die arare poſſent, quæ proindè Quantitas major aut minor eſt, pro varia Soli Natura, & Qualitate, & pro varia Regionum Conſuetudine. Hìc autem Loci numerantur Jugera *Hibernica*, inter quæ & *Anglicana* talis eſt Proportio, ut quinque *Hibernica* octo faciant *Anglicana*.

(*k*) Hic etiam Loci numerantur Milliaria *Hibernica* : Inter quæ & *Anglicana* talis eſt Proportio, ut quatuor *Hibernica* quinque faciant *Anglicana*. At quatuor *Hibernica* ſex faciunt *Italica*, ut liquet ex nuper dictis Num. ix.

(*l*) Pag. 24.

(*m*) Num. xix hujus Capitis.

DIVISIO

DIVISIO CIVILIS HIBERNIÆ.

		Jugera.	Milliaria Longitudinis.	Milliaria Latitudinis.	Baroniæ.	Parochiæ.	Domus.	Animæ.
	LAGENIA.	2531778	124	70	94	808	115179	721074
Comitatus	Carloenſis,	116900	28	18	5	42	5052	27936
	Dublinienſis,	123784	27	17	7	87	30279	211674
	Kildarenſis,	228590	37	24	10	100	9359	51726
	Kilkennienſis,	287650	40	20	9	96	11365	62832
	Longofordienſis,	134700	25	16	6	24	4953	25152
	Midenſis Orientalis,	326480	36	35	12	139	14084	81516
	Midenſis Occidentalis,	249943	38	27	12	62	8999	50340
	Regis,	257510	38	36	11	56	8353	45618
	Reginæ,	238415	30	29	8	39	9775	53604
	Wexfordienſis,	315396	38	24	8	109	11060	66804
	Wicloenſis.	252410	33	26	6	54	7498	43872
	MOMONIA.	3289932	132	108	63	740	109045	659224
Comitatus	Clarenſis,	428187	55	38	9	76	9800	51876
	Corcagienſis,	991010	86	52	19	232	43481	266878
	Kerrienſis,	636905	58	48	8	84	10965	56628
	Limericenſis,	375320	43	28	10	130	16624	92376
	Tipperarienſis,	599500	60	40	10	147	18687	101370
	Waterfordienſis.	259010	46	25	7	71	10016	60096
	CONACIA.	2272915	96	93	43	330	44291	265746
Comitatus	Galvienſis,	775525	82	48	17	136	13698	82188
	Leitrimenſis,	206830	44	17	5	21	4357	26142
	Mayonenſis,	724640	62	52	9	73	12918	77508
	Roſcomanienſis,	324370	50	28	6	59	6862	41172
	Sligoenſis.	241550	35	35	6	41	6456	38736
	ULTONIA.	2948017	120	90	60	415	117950	671340
Comitatus	Antrimenſis,	383020	46	28	8	56	18590	108264
	Armacanus,	170620	30	17	5	49	10540	63240
	Cavanenſis,	274800	47	23	7	37	7710	43176
	Dunenſis,	344658	42	34	9	72	22251	123066
	Donegalenſis,	630157	68	44	5	40	11376	64914
	Fermanacanus,	224807	38	23	8	19	5369	28860
	Londino-Derienſis,	251510	32	30	4	38	11235	67512
	Louthanus,	111180	25	13	5	50	7991	46182
	Monaghanus,	170090	32	23	5	24	9347	49848
	Tyronenſis.	387175	46	37	4	30	12935	76278
	Numerus totalis,	11042632	(*n*)		260	2293	386465	2317384

(*n*) Supervacaneum omninò foret, Numerum Milliarium Longitudinis, aut Latitudinis omnium ſimul ſumptarum Nationum, aut Comitatuum ſupputare, ut conſideranti patebit. Cæterùm utramque Regni, ut jacet, Dimenſionem ſupèrius indigitatam habes Num. ix. Pag. 12.

XII.

XII. Nonnihil inſuper de Eccleſiaſticâ *Hiberniæ* Diviſione libare Locus invitat, atque etiam expedit, plurimam quippè afferet Lucem infrà dicendis de Regni hujus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ex Ordine Prædicatorum aſſumptis. Porrò *Jocelinus* in *Vita S. Patritij* refert, ipſum trecentos quinquaginta in Hibernia Epiſcopos Manu ſuâ conſecraſſe. Temporis autem Progreſſu Diæceſum Numerus ad quinquagenarium decrevit, quas Alphabetico Ordine digeſtas apud *Porterum* (*o*) videre poteris.

Demum A. D. 1152 *Joannes Paparo*, Preſbyter Cardinalis Tituli *S. Laurentij* in *Damaſo*, ab *Eugenio* Papa III Legatus à Latere miſſus, *Kennanuſiæ*, alijs *Kenliciæ* (quam anglicè *Kells* dicimus) in Agro *Midenſi*, Synodum convocavit Nationalem, cui Viginti Tres interfuere Antiſtites *Hibernigenæ*, Præſidente item quà Legato Apoſtolico *Chriſtiano O-Conarchy*, Epiſcopo *Liſmorenſi* (*p*). Eâ autem in Synodo Cardinalis Legatus à Latere memoratus Quatuor inſtituit Archiepiſcopatus in Quatuor *Hiberniæ* Provincijs, ſinguliſque Archiepiſcopis certum Suffraganeorum Numerum aſſignavit, juxtà Diſpoſitionem, quam in *Codice Cenſuum Cameralium* exhibuit *Honorius* III Pontifex Maximus. Cæterùm etſi tunc Temporis fuerint Triginta Novem Epiſcopatus Suffraganei, modò tamen Triginta Duo duntaxât numerantur (*q*), idque propter nonnullas Diæceſium Uniones, ſeù, ut veriùs dicam, Coalitiones (*r*). Modernam igitur Diæceſum Diſtributionem ſequens monſtrabit Catalogus, in quo à Provincia *Armacana* incipiam, *Armacana* ſiquidem Eccleſia Cathedralis omnium in *Hibernia* eſt prima, ut pote in qua *S. Patritius*, Hibernorum Apoſtolus, primò ſedebat, etſi ſuum antè Obitum ad *Dunenſem* tranſierit

An autem, ut obiter advertam, Archiepiſcopus *Armacanus* ſit *Hiberniæ* Primas, nedùm Antiquitate, ſed & Juriſdictione! Quæſtio eſt à Sæculis agitata ipſum inter, & Archiepiſcopum *Dublinienſem*, qui ſe etiam *Hiberniæ Primatem* ſcribit. Enimverò, inquit *Petrus Dublinienſis* (*s*), etſi antiquior ſit *Armacana* Diæceſis, non tamen antiquior eſt *Armacanus* Archiepiſcopatus propriè ſumptus cum Uſu Pallij, eodem ſiquidem Tempore, ut mox dictum eſt, quatuor *Hiberniæ* Archiepiſcopatus conſtituti ſunt à *Joanne* Cardinali *Paparone*, Quatuor Pallia, quæ ſecum *Româ* tulerat, Quatuor Neo-Archiepiſcopis ſimul & ſemel tradente. Neque enim ipſemet *S. Malachias* Pallium pro Sede ſua *Armacana* impetrare potuerat, ut in ipſius legimus *Vita*, a Mellifluo Doctore *S. Bernardo* conſcriptâ. Et quandoquidem (proſequitur *Petrus Dublinienſis*) tunc Temporis, & longè anteà, *Dublinium* Metropolis (*t*) fuerit Regni (& adhuc eſt, atque inter ampliſſimas Chriſtiani Orbis Civitates tertia, ſolis *Pariſienſi*, & *Londinenſi* cedens) indè ſequitur, Sedem *Dublinienſem* evaſiſſe tunc Primatialem. Quippè, juxtà antiquam Eccleſiæ Diſciplinam, Primatialis Juriſdictio, Archiepiſcopali major, concedebatur à Summo Pontifice Præſuli alicujus Civitatis, eò præſertim Nomine, quod Tempore illius Conceſſionis ea Civitas Caput fuerit, ac præcipua Regni Sedes,

---

(*o*) In *Compend Annal. Hib.* Pag. 160.

(*p*) De Præſule iſto, *Ciſtercienſis* Ordinis Alumno, qui *S. Bernardi* Diſcipulus fuerat, & *Eugenij* Papæ III in Monaſtico Inſtituto Condiſcipulus, Sermo redibit Cap. ix. §. ii. Num. iii. Lit. a.

(*q*) Adeas, ſi libet, *Aubertum Miræum*, in *Notitia Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani*, Lib. v. Verbo *Hibernia*. Pag. 341.

(*r*) Tres Agri *Midenſis* Diæceſes, nempè de *Clonard*, de *Duleek*, & de *Kells*, in unam ſub Nomine *Midenſis* Diæceſis coaluere. Ex *Dublinienſi* etiam, & *Glandalacenſi* (Adeas Cap. iii Num. ix Lit. h. & Cap. ix. Num. i. Lit. c.) in Agro *Wiclovenſi*, coaluit moderna Archidiæceſis *Dublinienſis* (videſis Cap. xiii. Num. li) ; ſicut ex *Laonenſi*, & *Roſcreenſi*, in Agro *Tipperarienſi*, moderna Diæceſis *Laonenſis* ; atque ex *Armacana*, & *Dondalkenſi*, in Agro *Louthano* (Legeſis Cap. xiii Num. v.) moderna Archidiæceſis *Armacana* ; demumque ex *Derienſi*, & *Rathlurienſi* in Agro *Tyronenſi*, moderna Diæceſis *Derienſis*. Hinc Triginta Duo manent in *Hibernia* Epiſcopatus Suffraganei, tametſi quanquoque nunnulli ſint invicem uniti. Hinc etiam in ſingulis Provincijs ſunt Sedes Metropoliticæ, & in ſingulis fermè Comitatibus Sedes Epiſcopales. Confer Cap. ix. §. ii. Num. iv.

(*s*) Scilicet *Petrus Talbotus*, Archiepiſcopus *Dublinienſis* (de quo Cap. iv. Num. xiii.) in Libro cui Titulus: *Primatus Dublinienſis*, Typis vulgato *Inſulis* 1672.

(*t*) Adeas Cap. ix. §. i. Num. i. & Cap. xiii. Num. vii. Lit. w.

Sedes, vel Præfectura (*u*), qualis nunquàm erat *Armaca*, quæ nec modò Civitas ullatenùs eſt, immò nec Oppidum (*w*), Sed Burgus duntaxàt, & Pagus, ne dicam, ut ipſe nuper vidi, Pagi Cadaver, ad Differentiam *Dublinij*, Civitatis nobiliſſimæ, atque Antiquitate priſcâ conſpicuæ, ut alibi fuſiùs dicetur (*x*).

PENDENTE autem hac Lite (nondùm adhuc deciſâ, etſi recens ſuſcitatâ (Anno ſcilicet 1719, ut mox dicetur) Archipræſul *Dublinienſis* ſe ſcribit *Hiberniæ Primatem*, *Armacanus* verò *Totius Hiberniæ Primatem.* Nihilominùs qui eſt *Hiberniæ Primas* eſt etiàm *Totius Hiberniæ Primas*, non ſecùs ac *Rex Hiberniæ* eſt *Rex Totius Hiberniæ.* Hinc in Hiſtorijs, & Regijs Diplomatibus, Titulus *Primatis Hiberniæ* modò uni, modò alteri, ſed vix utrique ſimul attribuitur. Sanè Rex *Eduardus* IV. (*y*) Anno 1477, Literus dans Commiſſoriales ad Archipræſules *Dublinienſem*, & *Armacanum*, illum, non verò iſtum *Primatem Hiberniæ* vocat, ut in una eademque Pagina apud *Wilkins* (z) legere eſt. Ipſe verò ad omnem declinandam Invidiam à *Primatis* Titulo in Hiſtoriolæ hujus Decurſu abſtinebo, niſi in Literis Apoſtolicis, aut Auctorum Textibus, â me tranſcribendis, fuerit expreſſus (*a*).

DIVISIO

(*u*) Obſervatu dignum eſt, *Conſtantinopolim* (olim *Byzantium*, & Epiſcopalem duntaxàt Sedem) factam primariam Imperij Orientalis Civitatem, evaſiſſe ſtatim Sedem Patriarchalem, immò & Locum obtinuiſſe ante Patriarchales Sedes eâ antiquiorês, *Alexandrinam* nempè, *Antiochenam*, & *Hieroſolymitanam*, & quidem Secundœ Synodi Generalis Canone, his concepto Verbis: *Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopum habere oportet Primatûs Honorem poſt Romanum Pontificem, proptereà quod Urbs ipſa ſit nova Roma.*

(*w*) Confer Cap. x. §. i. Num. i.

(*x*) Cap. ix. §. i. Num. i.

(*y*) Adeas Cap. ii. Num. xvi. Lit. i.

(*z*) *Conciliorum Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ*, Vol. III. Pag. 611.

(*a*) Tametſi mei non ſit Inſtituti ea de Re diſſerere, nihilominùs diſſimulare non poſſum quæ in Urbe à Viro verè docto, atque hiſce in Rebus egregiè verſato, audivi, ſcilicet neutrum Archipræſulem videri *Hiberniæ Primatem* quoad Juriſdictionem. Cùm enim, ajebat, Sedes Apoſtolica nunquam diremerit Litem illam, Signum evidens eſt, eam, à qua omnis dimanat Juriſdictio Eccleſiaſtica, neutrum agnoſcere ut *Primatem* reapsè talem, tametſi quandoque uni, quandoque alteri *Titulum* det *Primatis* in Apoſtolicis Litêris, juxtà nempè Tenorem Libelli Supplicis, Literas iſtas impetrantis. Aliquoties neutri dat Primatis *Titulum*, ſed, Executores nominans in Bullis, *Armacanum* Archipræſulêm *Dublinienſi*, & *Dublinienſem Armacano* indiſcriminatim præmittit, ut in Hiſtoriolæ hujus Decurſu videre erit, nominatim Cap. iv. Num. iii.

Memoratu profectò digniſſimum eſt, feliciter regnantem Summum Pontificem, *Benedictum* xiv. hiſce in Rebus maximoperè, ſi quis alius, verſatum (quem diù ſoſpitem Deus Optimus Maximus ſervet ad Eccleſiæ ſuæ Sanctæ Decus) Epiſtolam Paſtoralem de Antiſtitum Reſidentiâ, iterùm (Num. xiv.) laudandam, Die 15, Auguſti 1741, dediſſe ad *Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Hiberniæ:* atque Apoſtolicas Literas *Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* impreſſas, de Confraternitate Sanctiſſimi Nominis Jeſu, infrà (Cap. viii. Num. xxv.) de Verbo ad Verbum exſcribendas, Die 30. Septembris 1748, inſcripſiſſe *Archiepiſcopis, Epiſcopiſque Regni Hiberniæ.* Nuperimèque alias Literas Apoſtolicas, de Feſtorum Diminutione, protinùs (Num. xv.) in Medium adducendas, direxiſſe ad *Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Hiberniæ*, nullâ factâ Mentione Primatis: Et tamen Anno 1754, Die 29 Junij, Epiſtolam Encyclicam, *Typis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide* impreſſam, de Conceſſione, & Exequutione Diſpenſationum Apoſtolicarum ſuper Impedimentis Matrimonij, dediſſe ad *Primatem, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Regni Poloniæ.* Ex quibus Luce mêridianâ clarius patet, cautum æquè ac circumſpectum Pontificem recognoſcêre quidem in Regno *Poloniæ* Antiſtitem Juriſdictione *Primatiali* fulgentem, ſecùs autem in Regno *Hiberniæ*, proindèque *Primatem* nullum reapſè talem hic exiſtere, Papa ſiquidem Juriſdictionis omnis Eccleſiaſticæ Fons eſt & Origo.

Adde, nec addidiſſe pigebit, ipſoſmat *Hibernigenas* variarum Provinciarum Antiſtites apud ſe non agnoſcere Primatem, niſi puro putoque *Titulo* talem (haud ſecùs ac Rex *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* ſe ſcribit etiam *Regem Franciæ*) ut perſpicuè apparet ex Inſtrumento Commiſſionis, *Nicolao French*, Epiſcopo *Fernenſi*, & *Hugoni de Rupe Forti*, vernaculè *Rochfort*, Armigero, datæ à Sex Antiſtitibus, ab Univerſo *Hiberniæ* Clero Deputatis *Galviæ* Anno 1650 convocatis. Primo quippè Loco ſubſcripſit Epiſcopus *Alladenſis*, qua Procurator Archipræſulis *Tuamenſis.* Secundo Loco Archiepiſcopus *Dublinienſis, Hiberniæ Primas.* Tertio Loco Epiſcopus *Rapotenſis*, quà Procurator *Primatis Ardmachani.* Poſtmodùm tres alij Epiſcopi. Si autem quiſpiam inter eos Primas Juriſdictione *verè* Primatiali agnitus fuiſſet, is meherclè primo

ſubſcripſiſſet

DIVISIO ECCLESIASTICA HIBERNIÆ.

Armacani Archiepiſcopatûs in *Ultonia* Epiſcopatus Suffraganei.

1. *Midenſis (b)*, vulgò *Meath*, in Agro *Midenſi Orientali.*
2. *Ardachadenſis*, vulgò *Ardagh*, in Agro *Longofordienſi.*
3. *Clocherenſis*, vulgò *Clogher*, in Agro *Tyronenſi.*
4. *Clonmacnoiſenſis*, alias *Septem Eccleſiarum (c)*, vulgò *Clonmacnois*, Anglicè *Seven Churches*, in Agro *Regis*, etſi potior Diæcêſis Pars ſit in Agro *Midenſi Occidentali.*
5. *Connorenſis (d)*, vulgò *Connor*, in Agro *Antrimenſi.*
6. *Derienſis (e)*, vulgò *Derry*, nunc *London-Derry (f)*, in Agro ejuſdem Nominis.
7. *Dromorenſis*, vulgò *Dromore*, in Agro *Dunenſi.*
8. *Dunenſis*, vulgo *Down*, in Agro ejuſdem nominis.
9. *Kilmorenſis*, vulgò *Kilmore*, in Agro *Cavanenſi (g).*
10. *Rapotenſis*, vulgò *Raphoe*, in Agro *Donegalenſi.*

Dublinienſis Archiepiſcopatûs in *Lagenia* Epiſcopatus Suffraganei.

1. *Darenſis (h)*, vulgò *Kildare*, in Agro ejuſdem Nominis.
2. *Fernenſis*, vulgò *Ferns*, in Agro *Wexfordienſi.*
3. *Leghlinenſis (i)*, vulgò *Leighlin*, in Agro *Carloenſi.*
4. *Oſſorienſis*, vulgò *Oſſery*, in Agro *Kilkennienſi*, qui olim dicebatur *Oſſoria.* Adeſt quoque *Oſſoria Superior* in Agro *Reginæ*, ejuſdem Diæceſis Pars *(k).*

Caſſelienſis Archiepiſcopatûs in *Momonia* Epiſcopatus Suffraganei.

1. *Aghadoenſis*, vulgò *Aghodoe*, in Agro *Kerrienſi (l).*
2. *Ardfertenſis*, vulgò *Ardfert*, in Agro *Kerrienſi.*
3. *Clonenſis*, vulgò *Cloyn*, in Agro *Corcagienſi (m).*
4. *Corcagienſis*, vulgò *Corke*, in Agro ejuſdem Nominis.

5. *Fenaborenſis*,

ſubſcripſiſſet Loco. Sed quia talis inter eos non erat, idcircò Archiepiſcopus *Tuamenſis* per Procuratorem ſuum primum obtinuit Locum, quatenùs *Galvia* in Provincia eſt *Tuamenſi.* Secundum habuit Archiepiſcopus *Dublinienſis*, quia *Armacano* fortaſſis Conſecratione ſenior. Integrum porrò Inſtrumentum pro Oculis habebis Cap. xvii. Num. lxxxiii. Adeas Pag. 549.

(b) Epiſcopus *Midenſis*, etſi fortaſſis Conſecratione junior, reliquos præcedit Provinciæ *Armacanæ* Præſules, ut iterùm dicetur Cap. iv. Num. xviii. ad Lit. a. Idem eſto Judicium de Epiſcopo *Darenſi* in Provincia *Dublinienſi.*

(c) Hæc Sedes olim erat in Provincia *Tuamenſi*, ſed poſt longam Contentionem *Romæ* agitatam, Provinciæ *Armacanæ* adjecta fuit, Teſte poſt *Warræum Harriſio*, Vol. I. Pag. 166. Nunc porrò unitur Diæceſi *Ardachadenſi*, nuper vero *Midenſi*, Cæterùm in Agro *Wickloenſi*, Diæceſi vero *Glandalacenſi* (nunc archidiæceſis *Dublinienſis* Parte) videre eſt Locum, *B. Coemgeni* (vulgò dicti *Kevani*) Monaſterij *Glandelacenſis* Fundatoris, primique Abbatis, Habitatione, & Miraculis conſecratum, nuncupatum quoque *Septem Eccleſias.* Adeas Cap. iv. Num. xviii. Lit. a.

(d) Connora, & *Connereta* dicta fuit hæc Sedes Epiſcopalis, & quandoque *Dalaradia*, quod Nomen eſt Territorij, ut legere eſt apud *Harriſium*, Vol. I. Pag. 219. Adeas Cap. ix. §. xi. Num. v.

(e) Confer Cap. ix. §. xxiii. Lit. a.

(f) Legeſis Cap. ix. §. xxiii. Num. i.

(g) Conſulendum Cap. xiii. Num. xxiii. Lit. m.

(h) Recolantur mox dicta ad Lit. b.

(i) Nunc unitur Diæceſi *Darenſi* apud Catholicos, apud *Proteſtantes* verò *Fernênſi.*

(k) Diæceſis hæc olim vocabatur *Saigerenſis.*

(l) Nunc unitur Diæceſi mox nominandæ *Ardfertenſi*, quarum Eccleſiarum Epiſcopus dici ſolet, & ſæpiùs ſubſcribitur *Kerrienſis*, quia ambœ ſunt in iſtius Nominis Agro, etſi *Aghadoenſis* in eo ſit Territorio, quod olim Pars erat Comitatûs *Deſmondani*, dudùm extincti, ut nuper narrabam Num. x.

(m) Conſulendum Cap. ix. §. vi. Num. vi.

5. *Fenaborenſis (n)*, vulgò *Kilfenora*, in Agrò *Clarenſi.*
6. *Imelacenſis* (*o*), vulgò *Emly*, in Agro *Tippérarienſi.*
7. *Laonenſis*, vulgò *Killaloe*, in Agro *Clarenſi.*
8. *Limericenſis*, vulgò *Limerick*, in Agro ejuſdem Nominis.
9. *Liſmorenſis (p)* vulgò *Liſmore*, in Agro *Waterfordienſi.*
10. *Roſſenſis (q)* vulgò *Roſſe*, in Agro *Corcagienſi.*
11. *Waterfordienſis*, vulgò *Waterford*, in Agro ejuſdem Nominis.

Tuamenſis Archiepiſcopatûs in *Conacia* Epiſcopatus Suffraganei.

1. *Acadenſis*, vulgò *Achonry*, in Agro *Sligoenſi.*
2. *Alladenſis*, vulgò *Killalla*, in Agro *Mayonenſi.*
3. *Clonfertenſis*, vulgò *Clonfert*, in Agro *Galvienſi.*
4. *Duacenſis*, vulgò *Kilmac-Duagh*, in Agro *Galvienſi.*
5. *Elphinenſis*, vulgò *Elfin*, in Agro *Roſcomanienſi.*
6. *Enacbdunenſis*, vulgò *Enagbdown* in Agro *Galvienſi.* }
7. *Mayonenſis*, vulgò *Mayo*, in Agro ejuſdem Nominis. } (*r*) —— —— —32—

XIII. Quia huc flectit Oratio, non abs Re erit in Medium affêrre Tractatum, quem de Reſervationibus Beneficiorum habuere *Gregorius* XI. Pontifex Maximus, & *Eduardus* III. *Anglorum* Rex, *Hibernorumque* Dominus, apud *Bituricas (s)* A. D. 1374, quêmque *Thomas Walſingamus (t)* & *David Wilkins (u)* memorant his Verbis: “ Circâ Principium Menſis Auguſti (1374) “ fuit Tractatus apud *Bourges* ſuper diverſis Articulis inter Papam (*Gregorium* XI.) & Regem “ Anglorum (*Eduardum* III) pendentibus, qui videlicèt Tractatus duravit fêrè duobus Annis. “ Tandem concordatum eſt inter eos, quod Papa de cætero Reſervationibus Beneficiorum minimè uteretur, & quod Rex Beneficia per Literas: *Quare impedit*, non conferret.” Adeas infrâ dicenda Cap. xvii. Num. lxxv. Sect. 5.

Huc porrò facere videtur ſequens Regis *Jacobi* II. in *Hibernia* exiſtentis Anno 1690 *(w)* Diploma ad D. *Patritium Cuſack*, Epiſcopum *Midenſem*, cujus Autographum vidi penes noſtrum D. Fr. *Stephanum Mac Egan*, Epiſcopum *Midenſem (x)*, ejuſque Exemplar extat in Rotulis Curiæ Cancellariæ apud *Dublinium*, hujus Tenoris:

Locus
✠ “ JACOBUS R. *(y)*
Sigilli.

“ JACOBUS SECUNDUS, Dei Gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ *(y)* & Hiberniæ Rex, “ Fidei Defenſor, &c. Dilecto, & fideli Noſtro Patritio Epiſcopo Midenſi, Magno “ Noſtro Eleemoſynario Salutem.

(n) Vocabatur olim Epiſcopatus *Corcumrothenſis*, quia in Baronia eſt de *Corcumroe* hodierni Agri *Clarenſis*, ut poſt *Joannem Clynn* advertit *Harriſius* Vol. I. Pag. 622, qui etiam Pag. 626 teſtatur, apud *Proteſtantes* Sedem hanc ſpectare ad Provinciam *Tuamenſem* ab Anno 1660. Apud Catholicos autem Juris eſt Provinciæ *Caſſelienſis* licet, impræſentiarum unitâ ſit Diæceſi *Duacenſi* in Provincia *Tuamenſi.*

(o) Nunc unitur Archidiæceſi *Caſſelienſi.*

(p) Nunc unitur Diæceſi *Waterfordienſi.*

(q) Nunc unitur Diæceſi *Clonenſi.*

(r) Nunc uniuntur Archidiæceſi *Tuamenſi.*

(s) Vulgò *Bourges in Galliarum* Regno. Adeas Cap. ii. Num. xvi. Lit. i.

(t) In *Hiſtoria Angliæ*, ab Eduardo I. ad *Henricum* V. perductâ, Pag. 184.

(u) *Concilia Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ*, Vol. III. Pag. 97. ubi Laudat nedum *Thomam Walſinghamum*, ſed & *W. Thorn. in Chron. C.* 2187.

(w) Adeas Cap. vii. Num. xi. & ſeqq.

(x) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxv.

(y) Id eſt, *Rex*. Sic porrò ſubſcribere ſolent Reges *Angliæ* in Summitate Diplomatis, vel Edicti. Adeas Cap. vii. Num. xvii. Lit. b; & Cap. xvii. Num. xi. Lit. a.

“ Cùm infrà nominatæ Rectoriæ, & Vicariatus in veſtra Diæceſi ad præſens vacent, & Nominatio,
“ & Præſentatio, ſeù Jus nominandi, & præſentandi ad Nos ſpectare dignoſcatur, hinc
“ eſt, quod Nos Conſcientiam noſtram eâ ſuper Re exonerare cupientes, de Gratia noſtra ſpeciali,
“ & ex certa Scientia, & mero Motu noſtro, ad dictas Rectorias, & Vicariatus reſpectivè regendas,
“ habendas, tenendas, gaudendas, & poſſidendas cum omnibus Terris, Tenementis, Decimis,
“ Proficuis, Fructibus, Oblationibus, Juribus, & Pertinentijs quibuſcunque, ad dictas
“ Rectorias, & Vicariatus ſpectantibus, vel aliquo Modo pertinentibus, vel quæ de Jure ad illas,
“ vel illos, ſpectare, vel pertinere deberent, in tàm amplis, & Beneficialibus Modo & Formâ ad
“ omnes Intentiones & Propoſita, prout ultimi illarum, ſeù illorum Rectores, & Vicarij, aut
“ alij ulli Rectores & Vicarij earundem Eccleſiarum, Rêctoriarum, & Vicariatuum, antehàc
“ rexerunt, habuerunt, tenuerunt, gaviſi ſunt, ſeù poſſederunt, vel de Jure præmiſſa regere, habere,
“ tenere, gaudere, & poſſidere debuerunt, infrà nominatos dilectos noſtros Preſbyteros
“ Diæceſis Veſtræ Midenſis, tanquàm ſufficientes, capaces, & idoneos, Vobis nominavimus,
“ & præſentavimus, ac per Preſentes nominamus, & præſentamus, videlicet, Magiſtrum Lucam
“ Plunkett ad Archidiaconatum Midenſem, Doctorem Michaelem Plunkett, unum ex Magiſtris
“ Cancellariæ Noſtræ Hiberniæ, ad Rectoriam de Dunboyne, Doctorem Philippum Tyrell ad
“ Rectoriam de Lyn, & Mogliſker, Doctorem Gulielmum Plunkett ad Rectoriam de Killeen, &
“ Trevet, Doctorem Patritium Cuſack ad Rectoriam Sancti Kennitij (z) de Duleek, & Vicariatum
“ S. Mariæ de Drogheda, Doctorem Gulielmum Nugent ad Rectoriam de Caſtle-town-Delvin,
“ Doctorem Nicolaum Fitzſimons ad Rectorias de Rathmore, & Kilſkeer,
“ Doctorem Georgium Plunkett ad Rectorias de Navan, & Ardſallagh, Doctorem Milachiam
“ Lynch ad Rectoriam de Killallen, Doctorem Joannem Tyrell ad Rectorias de Kilmetſen, &
“ Galtrim, Doctorem Patritium Curtiz ad Rectorias de Clonalny, Ardeath, & Pierſtown Landy,
“ Doctorem Gulielmum Deſe ad Rectorias de Kilcooly, Clunmaduff, & Ratain, Doctorem
“ Petrum Dillon ad Rectorias de Julianſtown, & Moore Church, Doctorem Michaelem Whyte
“ ad Rectories de Dunſaghlin, & Culmullin, & Vicariatum ibidem, Doctorem Joannem Daly
“ ad Rectoriam de Kilbeggan, Doctorem Chriſtophorum Dillon ad Rectoriam de Hamullin,
“ Doctorem Oliverium Nugent ad Rectorias de Ardmulchan, Ballymagarvy, & Tymoole, Doctorum
“ Jacobum Plunkett ad Rectorias de Rathbeggan, & Rathregan, Doctorem Thomam
“ Fleming ad Rectoriam de Dromcunragh, Doctorem Thomam Deſe ad Rectoriam de Killurlagh,
“ Franciſcum Flemming ad Rectoriam de Faragh, & Vicariatum de Skryne, Thomam
“ Newman ad Rectorias de Kilbrew, & Kilmore, Matthæum Dillon ad Rectorias de Scurlockſtown,
“ & Newtown, Joannem Drake ad Rectorias de Stahalmock, & Drakeſtown, Doctorem
“ Thomam Fyling ad Rectorias de Caſtletown, Kilpatrick, & Knock, Hugonem
“ Smyth ad Rectoriam de Cruiſetown, Nicolaum Plunkett ad Rectoriam de Kilbery, Robertum
“ Plunkett ad Rectoriam de Agherpallis, Doctorem Robertum Cuſack ad Rectorias & Vicariam
“ de Robertſtown, & Kilmainum-Wood, Jacobum Fagan ad Vicariam de Douſtown,
“ & Caſtlecor, Franciſcum Luttrel ad Rectorias de Old-Caſtle, & Logherew, Jacobum Reily
“ ad Rectorias de Moylagh, & Clunebrane, Edmundum Lynch ad Rectoriam de Killua, Jacobum
“ Cormuck ad Rectoriam de Reynagh, Joannem Tyrrel ad Rectoriam de Rothconnell,
“ Richardum Nugent ad Rectoriam de Carrick, Eduardum Molloy ad Vicariatum de Farkall,
“ Joannem Hoey ad Vicariam de Clonard, Georgium Everard ad Rectoriam de Emlaghcor,
“ Matthiam Geoghegan ad Rectoriam de Laracor, Doctorem Joannem Reily ad Vicariatum de
“ Rathmollian, Jacobum Reily ad Rectoriam de Garlanſtown, & Vicariatum ibidem, Patritium
“ Dard ad Vicariatum de Athboy, Jacobum Dillon ad Vicariam de Dromrany, Carolum Reily
“ ad Vicariatum de Crueſtown, Philippum Reily ad Rectoriam de Grangeeth, & Mountnewtown,
“ Thomam Reily ad Rectoriam de Kilcarnan, Patritium Slannane ad Rectoriam
“ de Donomore, & Knockaman, Petrum Fahy ad Rectoriam de Kilmoore, Gerardum Deſe

“ ad

(z) Alias *Canici*, de quo Feſtum celebrant *Hiberni* Die 11. Octobris, ut ex Capitis hujus Num. xv. clarebit.

“ ad Rectoriam de Moyglare, Thomam Coleman ad Rectorias de Dunamore, & Douth, Georgium Fleming ad Rectoriam de Siddan, Philippum Caralan ad Vicariam de Rathkenny, Carolum Molloy ad Rectoriam de Reynagh, & Vicariatum ibidem, rogantes, & nihilominus præcipientes, & firmiter injungendo mandantes, quatenùs dictas Rectorias, & Vicariatus, ut ſuprà diſtributas, præfatis Preſbyteris, ſingulas ſingulis, ut præmittitur, conferre, ſeù de illis, ſuiſque Juribus,& Pertinentijs univerſis reſpectivè providere, Literaſque Collationis, & Proviſionis abſque Mora facere, & expedire, ſeù fieri, & expediri mandare, cæteraque deſuper neceſſaria præſtare velitis, quoniam ſic fieri volumus. Datum in Caſtello Noſtro Dublinij Die 4 Menſis Junij 1690, Anno verò Regni noſtri Sexto.

“ De Mandato Regis.
“ MARQUIS d'ABBYVILLE.

XIV. De primæva noſtræ *Inſulæ Sanctorum*, Jure merito ſic nuncupatæ, Sanctitate nonnulla nuper (*a*) obiterque dicta ſunt, quibus non pigebit addidiſſe per extenſum quæ mellifluis expreſſit Verbis *S. Bernardus* in Tractatu *de Vita & Rebus geſtis S. Malachiæ*, ubi de *Hibernia*, Natali ipſius Solo, atque inſigni ejus Monaſterio *Banchorenſi* (*b*) loquens, ait: “ Nempè nobiliſſimum extiterat antè ſub primo Patre *Congallo* (*c*), multa Millia Monachorum generans, multorum Monaſteriorum Caput. Locus verè ſanctus fœcunduſque Sanctorum, copioſiſſimè fructificans Deo, ità ut unus ex Filijs ſanctæ illius Congregationis, Nomine *Luanus*, Centum ſolus Monaſteriorum Fundator extitiſſe feratur. Quod idcircò dixerim, ut ex hoc uno conjiciat Lector, quàm ingens fuerit reliqua Multitudo. Denique ità *Hiberniam Scotiamque* repleverunt Genimina ejus, ut ea potiſſimùm Tempora Davidici illi Verſiculi præcinuiſſe videantur: *Viſitaſti Terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt Aquis, paraſti Cibum illorum, quoniam ità eſt Præparatio ejus. Rivos ejus inebrians, multiplica Genimina ejus, in Stillicidijs ejus lætabitur germinans.* Et in hunc Modum cæteri, qui ſequuntur (*d*). Nec modò in præfatas, ſed in exteras etiam Regiones, quaſi Inundatione factâ, illa ſe SANCTORUM EXAMINA effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas Partes Sanctus *Columbanus* (*e*) aſcendens, *Luxovienſe* conſtruxit Monaſterium, factus ibi in Gentem magnam. Ajunt tàm magnum fuiſſe, ut, ſuccedentibus ſibi viciſſim Choris, continuarentur Solemnia Divinorum, ità ut ne Momentum quidem Diei, aut Noctis, vacaret à Laudibus.”

Mellifluo Doctori ſuccinit egregiè feliciter regnans Summus Pontifex *Benedictus*, inquam, XIV, in Epiſtola Paſtorali verè aureâ, Cedroque dignâ, ad *Archiepiſcopos, & Epiſcopos Regni Hiberniæ*, Die 15 Auguſti 1741 datâ, ubi eoſdem alloquens, præclare ait: “ Memoriâ recolite *S. Patritium*, Hiberniæ Apoſtolum nuncupatum, quem *S. Cæleſtinus* Prædeceſſor noſter ad Vos miſit, cujus Apoſtolicæ Legationis, & Prædicationis uberrimus Fructus is extitit, ut *Hibernia*, anteà Idolorum Cultrix, mox *Sanctorum Inſula* diceretur, & eſſet. Recolite *S. Malachiam* (*f*) Archiepiſcopum *Armacanum*, & Legatum Apoſtolicum per Univerſam *Hiberniam*, ab *Innocentio* II, Prædeceſſore noſtro conſtitutum, cujus ingens Animarum Studium à *S. Bernardo* quaſi Coloribus expreſſum legimus. *Stetit Paſtor intrepidus omnimodis argumentoſus, quomodò faceret Oves de Lupis. Monere communiter, ſecretò arguere, flere per ſingulos, nunc aſperè, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat. Circumiens Civitatem, perquirebat anhelus, quem Chriſto acquireret. Sed & foris Rura, & Oppida nihilominùs ſæpius percurrebat, ibat, & erogabat, vel ingratis cæleſtis Tritici Menſuram. Nec vehebatur Equo, ſed Pedes ibat, & in hoc ſe Virum Apoſtolicum probans.* Hæc *S. Bernardus*. Sèd & ſinceriora percurrite *S. Laurentij*, Archiepiſcopi *Dublinienſis* (*f*), quem, Regio Sanguine ortum, Legatum Apoſtolicum in

“ *Hiber-*

(*a*) Num. v. hujus Capitis.

(*b*) Vernaculè dicitur *Benchor*, ſeù *Banchor*, à pulchro Monachorum Choro. *Bane* ſiquidem Hibernicè ſignificat *Album*, *Choraidh* verò *Chorum*. Nunc autem paſſim nuncupatur *Bangor*, eſtque Burgus, ut vocant, Parlamentarius in *Dunenſi* Agro *Ultoniæ*. Ibi porrò Rudera nonnulla antiqui Monaſterij nuperrimè vidi. Quatuor duntaxàt Milliaribus diſtat *Villâ Novâ*, ubi olim erat Fratrum Prædicatorum Cænobium, ut dicetur Cap. ix. §. xi.

(*c*) De hoc Sancto Feſtum celebrant *Hiberni* Die 10. Maij, ut Num. ſeq. videre erit.

(*d*) *Pſalmo* ſcilicet lxiv.

(*e*) De hoc etiam Sancto feſtivant *Hiberni* Die 24. Novembris, ut Loco mox citato videre erit.

(*f*) Item de hoc Sancto ut in Decreto jam jam exſcribendo legere erit.

“ *Hiberniam Alexander* III, Prædeceſſor noſter, in Concilio *Lateranenſi* III ſelegit, eique “ poſteà *Honorius* III, pariter Prædeceſſor noſter, ſolemni Ritu Sanctorum Honores decrevit, “ atque indè facilè intelligatis, quæ quantaque pro Grege ſuo Vir Apoſtolicus fecerit, atque per“tulerit. Quod ſi recenſere voluerimus Sanctiſſimos Viros *Columbanum*, *Kilianum*, *Virgilium*, “ *Rumoldum*, *Gallum* (*g*), alioſque plures, qui ex Hibernia in alias Provincias Catholicam Fidem “ invexerunt, aut illam per Martyrium, effuſo Sanguine, colluſtrarunt (*h*), plus nimis Epiſtolæ “ Modum excederemus: Satis ſit, eos breviter indicaſſe, quo facilius in Memoriam revocetis, “ quæ fuerit MAJORUM VESTRORUM RELIGIO AC PIETAS, quæ quantaque Epiſ“copalis Dignitatis Solicitudo, quæ quidem illos glorioſos ac beatos effecit.” Hæc *Benedictus* Papa XIV, quem Deus Eccleſiæ ſuæ diù ſoſpitem ſervet.

XV. Quæ cum ità ſint, mirari haud ſubit, cur, Sapientiſſimo hoc regnante Pontifice, in Eccleſiaſticâ *Hibernorum* Hiſtoriâ ſummoperè verſato, à Sacra Rituum Congregatione duo ſequentia emanaverint Decreta, quorum primum ipſe procuravi, Regens tunc Primarius Collegij Extranationalis *SS. Sixti & Clementis* de Urbe; alterum verò, me inſtigante, ſolicitavit meus eo in Munere Succeſſor, P. Magiſter *Joannes Baptiſta Lynceus*, Galvienſis, nunc in Baſilica Liberiana *S. Mariæ Majoris* de Urbe Pænitentiarius Apoſtolicus. Eorum porrò Originalia extant in Archivo Cœnobij *S. Sixti* Urbis (*i*).

“ DECRETUM.

“ Ad humillimas Preces Sanctiſſimo Domino noſtro porrectus, & a Sanctitate Sua ad Sa“cram Rituum Congregationem remiſſas, pro Extenſione ad univerſum Clerum Sæcularem, & “ Regularem utriuſque Sexûs, tàm in Regno Hiberniæ, quàm in Conventſbus, & Collegijs Na“tionalibus Ultramarinis, Miſſarum, & Officiorum, ſub Ritu Duplici Majori, infraſcriptorum “ Sanctorum, nempè S. Rumoldi, Epiſcopi Dublinienſis, & Martyris, primâ Julij=S. Malachiæ, “ Archiepiſcopi Armacani, & Confeſſoris, 3. Novembris=S. Laurentij, Archiepiſcopi Dublini“enſis, & Confeſſoris, 14. Novembris=S. Frigidiani, Epiſcopi Lucenſis, & Confeſſoris, 18 “ Martij=S. Brigidæ, Abbatiſſe Kildarienſis, & Virginis, primâ Februarij, prout reperiuntur “ in Miſſali, & Breviario Canonicorum Regularium Lateranenſium. Item S. Cæleſtini Primi, “ Papæ, & Confeſſoris, 6. Aprilis=S. Columbi Abbatis, 9. Junij=S. Galli Abbatis, 16. “ Octobris=S. Columbani Abbatis, 24. Novembris=S. Dympuæ Virginis, & Martyris, 15. “ Maij, ſi, & prout reperiuntur in alijs Miſſalibus, & Breviarijs approbatis, ſin minùs eorum “ Miſſæ & Officia deſumantur de Communi; Sacra eadem Congregatio ad Relationem Eminen“tiſſimi & Rêverendiſſimi Domini Cardinalis Gotti (*k*), Oratoribus Gratiam juxtà Petita conce“dendam eſſe cênſuit. Die 8. Julij 1741.

Locus “ Fr. Joannes Antonius Cardinalis Guadagni (*l*) Pro-Præfectus.
✠
Sigilli. “ *Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius*,

“ DECRETUM.

(*g*) Horum quoque omnium Sanctorum Feſta colunt *Hiberni* juxta mox afferenda, ſolo excepto *S. Virgilio* Epiſcopo *Salisburgenſi*, atque *Carinthiæ* Apoſtoli, qui in utroque Libello Supplici prætermiſſus fuit, ne ſcilicet nimius videretur Sanctorum inibi nominatorum Numerus. Floruit autem circà Annum 664, ejuſque Feſtum celebratur *Saliſburgi* Die 1. Decembris.

(*h*) *Nicolaus Vernulæus*, Belga, in Libro *de Propagatione Fidei Chriſtianæ in Belgio per Sanctos in Hibernia Viros*, commemorat quadraginta ſex, quos cum pulchro gratoque ſuo de *Hibernis* Elogio opportunius exſcribam Cap. xii. §. iii. Num. iii. Lit. p.

(*i*) Confer Cap. xv. Num. xxxiv.

(*k*) Doctiſſimus iſte Cardinalis, ſingularis meus Patronus(quem ad Preces meas Sanctiſſimus Dominus Ponentem, ut vocant, hac in Re nominavit) fuit Ordinis Prædicatorum Alumnus, de quo nonnihil Cap. xii. §. i. Num. xxii.

(*l*) Etiamnum floret, Ordinis Carmelitarum Excelceatorum Alumnus *Clementis* Papæ XII ex Sorore Nepos, Eminentiſſimus Urbis Vicarius.

“ DECRETUM.

“ Ad humilimas Preces nomine Cleri Regni Hiberniæ per ſuam in Romana Curia Agentem
“ SS. Domino noſtro Benedicto Papæ XIV porrectas, & à Sanctitate Sua ad Sacram Rituum
“ Congregationem remiſſas, pro Conceſſione, & Extenſione Officiorum Propriorum, & Miſſarum
“ infraſcriptorum Sanctorum Nationalium, ſub Ritu Duplici Majori, ad Univerſum illius Regnum,
“ nempè ;

“ Die 16 Januarij, S. Furſæi, Abbatis Latiniacenſis=17. Februarij, S. Fintani Preſbyteri,
“ & Confeſſoris=8. Martij, S. Cataldi, Epiſcopi Tarentini, & Confeſſoris=20. Martij, S.
“ Cuthberti, Epiſcopi Laudisfarnenſis, & Confeſſoris=27. Martij, S. Ruperti, Epiſcopi Saliſburgenſis,
“ & Confeſſoris=7. Aprilis, S. Celſi, Epiſcopi Armacani, & Confeſſoris=10.
“ Maij, S. Congalli, Abbatis Benchorenſis=8. Julij, S, Killiani, Epiſcopi Herbipolenſis, &
“ Martyris=30. Auguſti, S. Fiacrij Confeſſoris=25. Septembris, S. Firmini, Epiſcopi Ambianenſis,
“ & Martyris=11. Octobris, S. Canici, Abbatis Aghavoenſis=22. Octobris, S. Donati,
“ Epiſcopi Feſulani, & Confeſſoris=29. Octobris, S. Colmani Duaci, Epiſcopi Duacenſis in
“ Hibernia, & Confeſſoris=12. Novembris, S. Livini, Epiſcopi Dublimenſis, & Martyris.

“ Sacra eadem Congregatio, audito priùs in Voce Reverendiſſimo Patre Domino Fidei Promotore,
“ & ad Relationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Porto-Carrero
“ (*m*), Conceſſionem, & reſpectivè Extenſionem Officiorum Propriorum, & Miſſarum Supradictorum
“ Sanctorum ad totum præfatum Regnum, ſi fuerint à Sancta Sede approbata, ſin aliter
“ de Communi, recitandorum ſub Ritu, quem obtinent, aliâs ſub Ritu Semiduplici (*n*), Diebus
“ non impeditis, ab omnibus Chriſtifidelibus utriuſque Sexûs, qui ad Horas Canonicas tenentur,
“ necnon ab omnibus Hibernenſibus, in tranſmarinis Partibus collegialiter degentibus, benignè
“ indulſit, atque conceſſit. Hoc Die 1. Julij 1747.

“ D. FORTUNATUS CARDINALIS TAMBURINUS (*o*) PRŒFECTUS.

Locus
✠
Sigilli.

“ *Thomas Patriarcha Hieroſolymitanus Secretarius.*

Huc etiam ſpectare poterit ſequens ejuſdem Pontificis Diploma, in Sacellis omnibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, hujuſce Metropolis *Dublinienſis* promulgatnm Dominicâ Palmârum, 11. Aprilis 1756.

“ Venera-

(*m*) Scilicet *Joachimi Ferdinandi Portocarrero*, Natione *Hiſpani*, Regis Catholici apud S. Sêdem Oratoris Plenipotentiarij, adhuc florentis, quem Proregem *Siciliæ*, ac poſteà Patriarcham *Anthiochenum* novi, quemque Honoris, & Gratitudinis Gratiâ nomino.

(*n*) Notandum, omnia memorata Feſta ſub Ritu Duplici Majori (ſeù Toto Duplici, ut loquuntur Dominicani) celebranda eſſe, cùm certò conſtet, eorum ſingula in Diæceſi aliqua, aut Religioſo Ordine, ſub eo Ritu celebrari. Ità diſertis Verbis advertitur ad Calcem Exemplariorum duplicis iſtius Decreti in noviter *Dublinij* impreſſo Supplemento Breviarij, exhibente Officia Propria de ſingulis laudatis Sanctis, prout in Breviarijs, aut Supplementis approbatis reperta ſunt, demptis duntaxàt *SS. Celſo*, & *Colmano Duaco*, quorum Officia Propria nullibi inveniri poterant. Quæ porrò in dicto Supplemento leguntur ipſe poſt diligentem Quatuor Annorum Inquiſitionem Epiſtolarem in varijs diſtitiſque Europæ Diæceſibus aſſecutus ſum, ſummamque adhibui Curam, ut à Typògrapho, etſi Latini Idiomatis prorsùs ignaro, accuratè ederentur, utque Dòminicano Modo orandi Horas, quantùm fieri poterat, accommodarentur.

(*o*) Floret hodiedùm Eruditiſſimus iſte Cardinalis, Ordinis *S. Benedicti*, Congregationis *Caſſienenſis*, quem novi Abbatem *S. Pauli* extra Muros Urbis.

“ Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Hiberniæ.

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cum ſicut quædam ſunt, ut inquit S. Leo Magnus, Prædeceſſor noſter, quæ nullâ poſſunt Ratione convelli, ità multa ſunt, quæ, aut pro Conſideratione Ætatum, aut pro neceſſitate Rerum oporteat temperari, illâ ſemper Conditione ſervatâ, ut in his, quæ vel dubia fuerint, aut obſcura, id noverimus ſequendum, quod nec Præceptis Evangelicis contrarium, nec Decretis Sanctorum Patrum inveniatur adverſum. Eapropter Apoſtolica hæc S. Sedes pro paterna ergà Univerſos Chriſtifideles Benignitate, quoad integrum ſibi fuit, conſuevit ſupremam ſuam in ijs Auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majus divini Cultûs Incrementum præſcripta, aut per frigeſcentem in nonnullis Cordibus Charitatem ad otium Luxuriamque convertuntur, aut ob Rerum ad Vitam traducendam neceſſariarum Inopiam, non ſine Conſcientiæ angore, contemnuntur. Quoniam autem pro Parte veſtra nobis expoſitum fuit, & Fraternitatibus Veſtris innotuit, quod in veſtris Civitatibus, & reſpectivè Diæceſibus, Curæ reſpectivé Veſtrûm commiſſis, adeò excreverunt Calamitates, & Auguſtiæ propter præſentium Temporum Infortunia, ut miſeri illius Habitatores Incolæque, & proſertim ij, qui in ſudore Vultûs ſui Panem comedunt, perſæpiſſimé coguntur, quamvis animo invito, Dies Feſtos negligere, operibuſque mecanicis ſeſe addicere pro Pane lucrando, & id eo facilius contigit ob excretum Dierum Feſtorum numerum, ac propterea nobis humiliter ſupplicatum fuit, ut in præmiſſis opportuné providere, & ut infrá, indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui Chriſtifidelibus, quantùm cum Domino poſſumus, ſalutare Remedium potiùs ad æternam ſalutem comparandam, & humanam vitam honeſtè ſuſtentandam, adhibere, quàm per ſeveriorem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Rigorem inopes adducere cupimus, dictos Incolas ſpecialibus Favoribus, & Gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pœnis, à Jure, vel ab Homine, quâvis occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad Effectum præſentium tantùm conſequendum, Harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Supplicationibus, Veſtro nomine nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Fraternitatibus veſtris per Præſentes committimus, & mandamus, ut, veris exiſtentibus narratis, omnibus utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus earundem Civitatum, & Diæceſum reſpectivè veſtrarum, ut deinceps, exceptis omnibus Diebus Dominicis, necnon Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſequenti S. Stephani, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis Reſurrectionis, & ſequenti, Pentecoſtes, & ſequenti, ac Corporis Chriſti, & Aſcenſionis, S. Joannis Baptiſtæ, ac SS. Petri & Pauli apoſtolorum, & Commemorationis Omnium Sanctorum, præterea quinque dicatis B. Mariæ Virgini Immaculatæ, ſcilicet Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon S. Patritij Epiſcopi duntaxât, Diebus Feſtivis, in quibus integra maneat Præcepti Obligatio, in reliquis verò Feſtis, ſivè per hanc S. Sedem præceptis, ſivé per Synodales earundem Diœceſum Conſtitutiones, ſivé quamque aliâ de Cauſâ, etiam ex Cauſa Voti per majores ſuos facti, quod quoad hanc Partem etiam Auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ per vos commutari volumus, præceptis præſcriptiſque, auditâ tamen Miſsâ, laborioſis ſuarum Artium Exercitationibus, ſervilibuſque operibus, ſine ullo prorſus Conſcientæ Scrupulo vacare poſſint, Auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ concedatis, & indulgeatis, permittatis ac ſtatuatis, præcipiatis, ac mandetis. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon Civitatum & Diæceſûm prædictarum, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis illorum Tenores Præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliâs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum hac vice duntaxât ſpecialiter, & expreſſè de-

“ rogamus

“ rogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, ut præſentium Literarum
“ Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarij Publici ſubſcriptis, & Sigillo
“ Perſonæ, in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ, munitis, eadem prorſús Fides adhibeatur, quœ
“ adhiberetur ipſis Præſentibus, ſi forent exhibitœ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Ma-
“ riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XV. Decembris MDCCLV. Pontificatûs noſtri
“ Anno Decimoſexto.

“ Pro Domino Cardinali Paſſionæo
“ JOANNES FLORUS SUBSTITUTUS.

XVI. Ne præclaram priſcorum *Hibernigenarum* Doctrinam, ac Eruditionem miſſas omninò faciam, expedit eas levi ſaltem Pede percurrere. Imprimis igitur, ab ijs *Anglos* Rationem formandi Literas accepiſſe, vel ipſemet *Hibernicarum* Literarum Character Teſtimonium exhibet, quaſi Syngrapho, ut perbellè loquitur *O-Flabértius* (*p*), obteſtatum. Undè *Gulielmus Camdenus*, etſi Natione *Anglus*, atque, ut nuper (*q*) vidimus, Partium Studio addictus, ab ipſamet tamen Veritate veluti coactus, dicit (*r*) : “ *Angloſaxones* in *Hiberniam* tanquàm ad bonarum Literarum
“ Mercaturam undique confluxerunt, undè de Viris ſanctiſſimis ſæpiſſimè in noſtris Scriptoribus
“ legitur : AMANDATUS eſt ad DISCIPLINAM in HIBERNIAM. Et in *S. Sulgeni* Vita,
“ qui antè ſexcentos Annos floruit, dicitur :

“ *Exemplo Patrum, commotus Amore legendi,*
“ *Ivit ad Hibernos, Sophiâ mirabile claros.*

“ Indeque priſci *Angli*, Majores noſtri, Rationem formandi Literas accepiſſe videntur, quòd
“ eodem planè Charactere uſi fuerint, qui hodie Hibernicis eſt in Uſu.” Hæc ille.

NEDUM verò *Angliæ*, ſeù *Britanniæ*, ſed aliarum quoque Nationum olim erat in *Hiberniam* Confluxus. Plurimas ſiquidem in ea Scholas fuiſſe, ſivè, ut nunc appellamus, Academias, in quas tàm *Hiberni*, & *Britanni*, quàm *Galli*, & *Germani*, tanquàm ad bonarum Literarum Emporia, turmatim properarunt, ex probatiſſimæ Fidei Scriptoribus, præſertim Venerabili *Beda* (*s*), & *Alcuino* (*t*) liquidò conſtat.

PORRO *Hiberniæ* (ubi *S. Patritius*, â *S. Cæleſtino* Papa I miſſus (*u*), Evangelium prædicaverat) memoratus iſte floridus Status incepit Anno circiter 440, duravitque ad quatuor integra Sæcula, quouſque ſcilicet Varietate Temporum, Fortunæque Viciſſitudine, peſſimi exterarum Gentium Invaſores, *Dani* nimirùm, ſeù *Oſtmanni* (*w*), Inſulam hanc infeſtarent. Indè ſecutum eſt haud interruptum per binas Annorum Centurias Bellum *Hibernos* inter, & Infideles iſtos, non minùs eo

---

(*p*) Pag. 230.

(*q*) Num. viii. hujus Capitis.

(*r*) In ſua *Britannia*, Tit. *Deſcriptio Hiberniæ*. Adeas Cap. vvii. Num. xlii.

(*s*) Lib. iii. Hiſt. Eccleſ. *Gentis Anglorum* Cap. vii, & xxvii ; & Lib. iv. Cap. xxvi.

(*t*) In Proſaica *S. Willibrordi* Vita, Cap. iv. & Lib. ii. de Vita ejus, Carmine, Cap. i, & xxxiii.

(*u*) Confer ſuperiùs dicta Num. viii. Lit. n.

(*w*) *Oſtmanni* venerunt ex *Eſtonia*, quæ Septentrionalis eſt Provincia *Livoniæ*, olim ſub *Polonis*, dein ſub *Suevis*, nunc demùm ſub *Muſcovitis*. A veteribus *Græcis* dicti ſunt *Oſtiæi*, & *Oſtiones*, indeque â noſtris *Oſtmanni* appellabantur. Cæterùm *Oſtmanni Hiberniæ* alijs Nominibus vocabantur etiam *Dani*, *Norwegi*, & *Normanni*, *quod & medijs Temporibus omnibus Daniæ*, *Norwegiæ*, *Livoniæ*, *& reliquarum Borealium Gentium commune Nomen fuiſſe docti norunt*, inquit *Jacobus Uſſerius*, Archiepiſcopus *Armacanus* Acatholicus, in ſua *Veterum Epiſtolarum Hibernicarum Recenſione*, ubi addit, *unum è tribus illis Fratribus, qui in Hiberniam vénerunt cum Norwegienſibus ſuis in Galliam conceſſiſſe, & Francis deviatis, Sedes in Normannia fixiſſe. Hunc nonnulli* Rodulphum, *alij* Rollonem *vocant, à quo Gulielmus, & alij Normanni qui in Anglia regnaverunt, Genus deducunt.* Porrò *Dani*, ſeù *Oſtmanni*, Hibernici ad Religionem Chriſtianam converſi fuerant circà Annum 948, ut rectè advertit *Porterus* Pag. 103. Videſis Cap. ix. §. i. Num. i.

Ævo potentes, quàm feroces, qui *Angliâ*, *Scotiâ*, alijſque adjacentibus Regionibus ſubactis, *Hiberniam* continuò oppugnabant, in eaque poſt pleraſque Populi, & Cleri Sedes, ac Ædes Sacras, Paganico Furore dirutas, Portus aliquot, maritimaſque Civitates occuparunt. Aſt tandem aliquandò, Cæli Munere, iſta adeò diuturna Tempeſtas ceſſare incepit ſub Initium Sæculi Eccleſiæ Undecimi, Anno ſcilicet 1014, quando *Hiberni* ſub inviĉtiſſimo juxtà ac pijſſimo ſuo Monarcha, *Briano Boroveo*, vel *Boario*, ſeù, ut *O-Flahertius* loquitur, *Boromæo* (*x*), in celebri, & nunquam delendæ Memoriæ Prælio *Clontarfenſi*, ad Littus Maris propè *Dublinienſem* Metropolim, de cæſis debellatiſque *Danis* glorioſum reportarunt Triumphum (*y*). Intereà autem, deſtructis Gymnaſijs, Doctrinam, & Eruditionem deſloreſcere, immò & penitûs evaneſcere, neceſſe erat.

Si igitur dubitaverit aliquis, quomodò tanta Literarum Ornamenta evanuerint, ut eorum Veſtigium vix ullum extet præter diruta, vel profanata Templa, atque Cænobia? Dubitare deſinat. Enimverò Res humanæ minimè ſolent ſtabili conſiſtere Gradu. Nihil prorſùs eſt quod non abſumat Vetuſtas, atque Temporum Mutatio, ſed maximè Bellum. Sic *Trojæ* nec Veſtigium eſt relictum. Bellicoſiſſima *Carthago* corruit. *Thebarum* vix extat Memoria. *Athenarum* Sapientia abolita eſt. Porrò *Hibernia* maximis duarum Gentium Bellis exarſit; primùm *Danorum* per quadringentos, ut præfertur, Annos; deindè *Anglorum* per Annos quingen~~tos, &~~ amplius, qui (*Angli*) non modò Sacram Inſulam incultam reddiderunt, ſed ima & ſumma miſcuerunt, in Deum etiam, & Cælites, impias Manus inferentes. Illa itaque Hibernicæ Sanctitatis, & Eruditionis Facies pulcherrima Ferro, Flammâ, ipſorum Nationalium Excidio, univerſæ Inſulæ Devaſtatione, deleta interivit.

XVII. Semper nihilominùs Catholicæ Fidei Conſtantia in *Hibernorum* Animis Pectoribuſque enituit, nedùm ſæviente memoratâ tot Sæculorum Tempeſtate, verùm ab Anno 1532, quando *Henricus* VIII, *Angliæ Hiberniæque* Rex, infelici Ruinâ in Schiſma lapſus eſt (*z*). A quo Tempore ad præſens uſque (ſi modica excipias Spatia, quibus Regina *Maria*, & Rex *Jacobus* II, Orthodoxi, ſeorſim regnarunt) vix ulla Natio in Fidei Cauſa vehementiùs fuit tentata, acerbiùs vexata, acriùs afflicta, & impetita, quàm *Hibernica*. Quid, amabò, non tentavit Hæreſis ſub dicto *Henrico*, atque ſub *Eduardo* VI, longèque nimiùm Quadraginta Quinque Annorum *Elizabêthæ* Gubernio, immò & ſub *Jacobo* I, &c? Quos non movit Lapides, qua Stratagemmata, quæ Sævitiæ Genera non excogitavit, ut Catholicos *Hiberniæ* à vera Fide abduceret, Catholicamque Religionem extirparet? Et quid effecit? Planè nihil. Non valuere enim Hæretici *Angli* Catholicorum *Hibernorum* vel expugnare Pectora, vel Conſtantiam, aut Vires frangere, uti nec olim potuere *Oſtmanni*, & *Dani* Idolatræ per plures Annorum Centurias (*a*) *Hiberniam* ſuperare. Atque ne veluti Parvuli fluctuantes circumferrentur omni Vento Doctrinæ, ſoliciti fuerunt ſemper Orthodoxi *Hiberni* ad Petram aſpicere, ex qua exciſi erant, frequenſque propterea fuit illorum ad Apoſtolicam Sedem Recurſus. Hinc Eminentiſſimus Annalium Parens, Baronius ait, (*b*): *Hibernia eſt Chriſtianæ Fidei tenaciſſima.* Et Surius (*c*): *Omnium Vicinarum Gentium Fidem excellit.* Et Flodoardus (*d*): *Omnibus vicinis Gentibus Fide præpollet.* Succinit Boſius (*e*): *In Hibernia*, inquit, *non modò ſemper Catholica Religio perſtitit, ſed & indè Viri Sanctitatis Illuſtriſſimæ prodierunt* (*f*): Atque Hiſtoria Societatis Jeſu (*g*): *Intactam Catholicam Fidem, & ſinceriſſimam ergà Romanum Pontificem Obedientiam Animo ac Voluntate Hiberni ſervant.*

SED

(*x*) *Brianus*, Rex *Momoniæ*, & totius *Hiberniæ* Monarcha, paſsim appellatus eſt hibernicè *Boruma*, à *Boaria Mulcta*, ſeù ab Annuo Tributo *Boûm*, quod à *Lagenienſibus* recuperavit, ut refert *Waræus* in *Antiquitatibus Hibernicis* Cap. ix, & *Hariſius* ibidem, Cap. viii. Eum porrò *Joannes Wilſonus in ſuum Martyrologium, & Pater Fitz Simons in Catalogum Sanctorum Hiberniæ retulerunt, utroque Marianum Scotum imitato*, inquit *Gratianus Lucius*, ſeù veriùs *Joannes Lyncæus*, in *Cambrenſi everſa* Pag. 305. Ab eodem nobiliſſima deſcendit *O-Brienorum* Proſapia, de qua plura opportunè dicentur Cap. ix. §. v. Adeas Cap. xvi. Num xxix. Lit. c.

(*y*) Confer Cap. ix. §. v. Num. ii. Lit. n. & i.

(*z*) Confer Cap. xvii. Num. i.

(*a*) Videſis *Porterum*, Pag. 119.

(*b*) Ad Annum 1053.

(*c*) Ad Diem 21. Novembris.

(*d*) In *Vita S. Helani*.

(*e*) *De ſignis Eccleſiæ*, Lib. viii. Cap. i.

(*f*) Integrum Scriptoris hujus Elogium habe Num. viii. Capitis præſentis.

(*g*) Lib. iii. Num. xlv.

Sed præ omnibus audiendus Romanus Pontifex *Paulus* V in Diplomate alibi *(b)* exſcribendo, ubi *Hibernorum*, Perſecutionem mox referendam ſub *Jacobo* Primo Rege patientium, laudat *admirabilem Conſtantiam, quæ cum ſumma* (inquit ad eos) *veſtri Nominis Laude celebratur ab omnibus in Eccleſia.* Et eoſdem poſtmodùm alloquens, ait: *Vos elegit Dominus, ut noviſſimis atque calamitoſis hiſce Temporibus Exemplum orientis jam ab Initio Eccleſiæ ſuæ renovaretis.* Quid celebrius? Quid inſignius? Audiendus quoque feliciter regnans Summus Pontifex *Benedictus* XIV in Literis Apoſtolicis ſuo Loco *(i)* videndis, ubi memorat *noſtræ Catholicæ Nationis inter Hæreticorum Vexationes Conſtantiam.* Legendum inſuper alibi *(k)* Teſtimonium Nuntij Apoſtolici *Bruxellenſis*, poſtmodùm S. R. E. Cardinalis Camerarij, Eminentiſſimi, inquam, *Silvij Valenti-Gonzaga*, S. Congregationis *de Propaganda Fide* Præfecti, Anno 1756 defuncti.

XVIII. **In** Veritatis hujus Confirmationem libet in Medium afferre Teſtimonium Adverſariorum, quod apud æquos Rerum Æſtimatores maximi Ponderis cenſetur Argumentum. Ut autem id perſpectum habeat qualiſcunque Lector, moneatur oportet, defunctâ *Elizabethâ* Anno 1603, *Jacobum*, hujus Nominis *Primum*, eidem in *Angliæ Hibernæque* Throno ſucceſſiſſe. Is Principibus omnibus Catholicis Catholicus eſſe & fore videbatur, utpotè præclariſſimæ *Mariæ Stuartæ*, Scotorum Reginæ, nunquàm ſine Laude nominandæ, Filius, indèque *Hibernigenæ* magnam in ſpem erecti, Sacras Eccleſias concinnare, Religioſorum Cænobia reædificare, Cultum divinum Statui priſtino reſtituere cæperunt, Exuleſque turmatìm redibant, quandò ecce, novo Principe ad Regni Gubernacula accito, hæretica Pertinacia omnem adhibuit Conatum ad conterendam *Hiberniæ* Fidem, & Catholicos planè extirpandos. Prodit igitur Die 4. Julij 1605 novum Edictum, quo Miniſtri Eccleſiaſtici, & Religioſi cujuſvis Ordinis, è Regno diſcedere jubentur. Exindè detonuit Perſecutio, furavitque nedûm in Sacerdotes, ſed & in præcipuos quoſdam Regni Proceres, omneſque alios, qui Sacerdotibus Victum ſuppeditabant. Longè tamen horribilior, & immanior Tyrannus fuit *Scotus* quidam Nomine *Andreas Knox*, Acatholicus Epiſcopus *Rapotenſis* inauſpicatô inauguratus, nactuſque à Rege Poteſtatem extinguendi in *Hibernia* orthodoxam Fidem, in ejuſque Locum hæretica Dogmata inducendi, nullum non movit Lapidem, ut omnia Sacroſanctæ Religionis Catholicæ deleret Veſtigia, omnemque Memoriam funditùs everteret. Tanti Sceleris Molitor ex *Anglia* in *Hiberniam* profectus Anno 1611, *Dublinij* Conſilij ſui, Legationiſque Rationem Proregi (qui tunc erat *Arthurus Chicheſter*, Eques Auratus, poſtmodùm Baro *Belfaſtæ*, & Comitum *Donegalæ*, in *Hibernia*, Progenitor) de More exponit. Cui Prorex actutùm ait: “ Rem arduam, atque difficilem, “ *Knoxe* Reverendiſſime, ſuſcepiſti. Noli exiſtimare *Hibernos* in ſua *Papiſtica* Lege pares eſſe “ cum *Scotis* tuis, aut cum *Anglis* meis,, Animi Mobilitate, & Inconſtantiâ. Mihi quidem mini- “ mè videris eos à Papæ Partibus, Amicitiâ, Veneratione, & Legibus ſubducturus, quos *Angli* “ Septuaginta & ampliùs Annos ab hac Opinione fruſtrà avertere conati ſunt. Quò magis urge- “ mus, eò tenaciores, atque firmiores illi ſe gerunt. Verùm quia Juriſdictio tibi Auctoritate “ Regiâ delegata eſt, feliciter Officio fungere. Quid valeas experiamur. Ego tibi non deero “ *(l).*” Hæc Prorex, quibus non minùs verum quàm egregium de Conſtantia *Hibernorum* nolens volens ferebat Teſtimonium.

Neque abs Re erit, perfidum ipſiuſmet *Knoxi* Reſponſum iſtis ſubnectere: “ Finem, Excel- “ lentiſſimè Prorex, forſan laudabis. Ego ſciam Obſtinationem eorum egregiè excipere, & afficere. “ Dignis Pænis efficiam, ut nequiſſimi Papiſtæ mei ſemper meminerint, unoque Ore Papam, “ ejuſque Superſtitiones diris Imprecationibus proſequantur. Mediciniam abhibebo longè acer- “ biorem quàm hactenùs experti ſunt, quam cum videris, cæteras fuiſsè blandiſſimas, atque ſua- “ viſſimas non inficiaberis.” Mox Truculentiâ, quam Animo machinabatur, fretus, Edicta promulgari fecit crudelia, quæ per extenſum alibi exhibebo *(m)*; atque Acatholicis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quod in Regia Secta, ſuiſque Dogmatibus propagandis adhuc ſegnes fuerint, gra-

---

(b) Cap. xvii. Num. xxv.

(i) Cap. xii. §. ii. Num. xiii.

(k) Cap. viii. Num. xvii.

(l) Aliud ejuſdem Proregis, & aliorum Heterodoxorum Teſtimonium de invicta *Hibernorum* Conſtantia, videbis Cap. XVII. Num. xxiii. & ſeq.

(m) Cap. xvii. Num. xv.

viter reprehendit, & quo in poſterum vigilantiores ſint, eis Pænas irrogavit Pecuniarias. Quatuor Acatholici Archiepiſcopi, Convitijs correpti, Damniſque coerciti, *Dublinium* convenere, ibique rigoroſiſſima quædam Decreta (*n*) Epiſcopis Suffraganeis injungenda, & ab omnibus ſervanda faciunt, ad eaque exequenda Jurejurando ſe adſtringunt. *Exindè currebant*, inquit Scriptor Anonymus (*o*), *per Oppida, Vicos, Campos Commiſſarij Delegati inquirentes Hibernos in Cauſa Religionis, Minas, & Terrores circumferebant, Orthodoxorum tamen Numerus ſub omni Grandine crevit.*

XIX. Tandem autem, advenientibus *Cromuellianæ* Uſurpationis (*p*) Tempore ex *Anglia* novis Heterodoxorum Colonis, ac poſtmodùm eodem Pretio venditis Lupi, & Religioſi Capitibus (*q*), eâdem Mercede utriuſque Interfectori publicis Magiſtratum Edictis promiſsâ, ijſdem etiam Armis, ijſdemque Venatoribus utroque conquiſito; Epiſcopis, Vicarijs Generalibus, Decanis, aliſque Dignitarijs, ac Regularibus omnibus univerſali Exilio e Regno ejectis Anno 1698, Pœnâ Mortis, ſi unquàm redirent, plectendis (*r*); excuſis Anno 1703 per Generalia Regni Comitia *Dublinienſia* Actis, ut vocant, *Parlamentarijs*, ſeù Legibus, quibus ſancitum eſt, quod Catholicorum Nemo capax eſſet Officij cujuſvis civilis, legalis, aut militaris, ità quod nequeat Militem Gregarium, immó nec Satellitem agere; quod Nemo eorum Terrarum, aut quarumcunque Rerum immobilium, ſeù ſtabilium, adiret Hæreditatem, quoties ejuſdem Domus poſſit haberi *Proteſtans*; quod Filius Fidem Catholicam abjurans ſtatìm adiret Hæreditatem, & Patrem Catholicum conſtitueret merum Penſionarium; quod, defuncto Patre Acatholico, Filius Catholicus ſuccedere non poſſet, ſivè in Titulo honoratio, ſivè in Re familari; quod, defuncto Patre Catholico, ſi Filiorum nullus *Proteſtanticam* Sectam ſolemniter amplectatur, quæcunque Bona poſt eum relicta inter eos æqualiter dividerentur; quod nullus Catholicus capax eſſet Emptionis Terrarum, aut quarumcunque Rerum ſtabilium, vel Emphyteuſis, vel ſimilium Oppignorationis; quod neque poſſet Agros, Domoſve conducere ultrâ Annos Triginta Unum; quodque ſi Catholici hiſce Legibus contravenerint, Res empta, vel conducta, quoad Utilitatem Conductori provenientem, cederet Delatori (*s*). Tandem, inquam, hiſce de Cauſis Catholicorum Copia grandis ſenſim in *Hibernia* decrevit, itâ ut Anno 1731 factâ Animarum Computatione in ſingulis Quatuor Regni Provincis, Alphabetico Ordine notatis, ſequens editus fuerit Catalogus, qui nedûm in Temporis illius *Almanachis*, ut vocant, ſed in quibuſdam etiam tritis Libris, nominatim in eo (*t*), cui ex Anglico Latinus Titulus, *Gentil-Hominis Horologium*, legitur in hunc Modum:

Nomina Provinciarum.	Numerus Proteſtantium.	Numerus Papiſtarum.	Numerus Utrorumque.
CONACIA	21604	221780	243384
LAGENIA	203087	447916	651003
MOMONIA	115130	482044	597174
ULTONIA	360632	158028	518660
Numerus totalis.	700453	1,309768	2,010221

Paptiſtæ excedunt *Proteſtantes* Numero - - - - - - - - - - - - - 609315
Numerus ſuperiùs recenſitus (*u*) Animarum Anno 1752 juxta Almanachum - 2317584
Numerus totalis Papiſtarum & Proteſtantium Anno 1731 - - - - - - - 2010221
Supereſt Numerus 0307163

Ex

(*n*) Cap. xvii. Num. xv.
(*o*) *Coloniæ* impreſſus 1617, §. iv.
(*p*) Confer Cap. xvii. Num. xxxviii.
(*q*) Adeas Cap. xvii. Num. ci.
(*r*) Adeas Cap. viii. Num. ii, & Cap. xvii. Num. cxii.
(*s*) De Legibus iſtis datâ Operâ dicetur Cap. xvii. Num. cxiii.
(*t*) Pag. 59.
(*u*) Num. xi. hujus Capitis.

Ex quibus omnibus liquet, vel hoc Numero (307163) creviſſe Numerum Animarum ab Anno 1731 ad 1752, vel ſi idem fuerit utroque Anno Numerus dicendum eſt, iſtum (307163) eſſe aliorum Sectariorum, atque Infidelium, ſeù Acatholicorum Numerum, putá Arianorum, Anti-Trinitariorum, Præadamitarum Independentium, Bradlianorum, Hugottorum Tremulantium, ſeù *Quakerorum*, Judæorum, &c, non autem Preſbyterianorum, ſeù rigidorum Calviniſtarum, qui in *Ultonia* maximo Numero alios quoſcunque excedunt: Quippè certò certius eſt, eos ſub *Proteſtantium* Nomine comprehendi; enimverò *Proteſtantes Diſſentientes* ſe vocari geſtiunt, ſicque in quibuſque legalibus Scriptis exprimuntur.

CÆTERUM ab Anno 1731 Catholicorum Numerum decreſcere Opus eſt, non ſolùm ob mox recenſitas Leges, quæ fragiles Homines, fodere non valentes, mendicare erubeſcentes, à vera Fide abire quodammodò cogunt, ſed etiam proper recentiorem, Anno 1735 in Comitijs Generalibus Regni, ſeù *Parlamento*, conditam (*w*), quâ cautum eſt, ut nedùm Judices, Advocati, & Procuratores, ut priùs ſancitum fuerat, verùm & Agentes Cauſidici, immò & puri putique Amanuenſes, ſeù Copiſtæ, ſint *Proteſtantes*, ſeù, ut meliùs dicam, Acatholici, ſatis enim eſt, ipſos non eſſe *Papiſtas*, ut loquuntur, tametſi Deiſtæ ſint, aut Athei. Inſuper noviſſimè ex *Parlamento* prodijt Lex Scholas ſtatuens *Diplomaticas*, ut vocant (*x*), id eſt Regijs Patentibus fundatas, apud quas Filij omnes Catholicorum (nullatenùs verò Acatholicorum) qui præ Paupertate alere eos, & erudire nequeunt, conſcribi compelluntur, ubi Proteſtantica Dogmata uſque adeò ſugunt, ut, Experientiâ jam Teſte, Catholici Nomen Odio pluſquàm Vatiniano execrentur. Quo factum eſt, ut cum priores Leges corruperint ſingulatìm Divites, iſta vel ipſos Pauperes turmatìm illaqueet.

XX. SUPEREST tandem, ut, pro Complemento Prælminaris hujus Capitis, nonnihil de temporali *Hiberniæ* Gubernio dicam. Hæc igitur Inſula, ampliſſimum quondam Regum Theatrum, Monarchas, ſeù Reges abſolutos, Centum Octoginta Novem, ab Anno nempè antè Chriſtum natum 1569, ante Urbem conditam 700 circiter, ad Annum à Virginis Partu 1172 ſupremo Sceptro inſignivit, quorum quidem Regum Centum Triginta Quinque Ethnici erant, & Quinquaginta Quatuor Chriſtiani (*y*). His ſuberant Reges, qui Provincijs Quinque partitis (*z*) præſidebant; & ſub iſtis variarum Ditionum in ſuis reſpectivè Provincijs Reguli, quibus parebant Tricenariarum Dynaſtæ, quos *Taiſios* appellabant. Non abſimili Formâ, ut obſervat *O-Flahertius* (*a*), in Hierarchia Eccleſiaſtica, Primas Archiepiſcopis, iſti Epiſcopis, hi Preſbyteris præſunt. Hinc *Regis* Denominationem Noſtri, duplici acceptantes Senſu, Monarcham eâ Natione ſtrictè deſignabant, quem *Regem Hiberniæ*, aut *Supremum Regem*, ſeù *Regem Regum*, dicebant. Proceres verò, ſeù Præſides Provinciarum, earundèm *Reges* appellabant, latè ſumptâ ſcilicet Derivatione *Regis* à *regendo*. Eodemque Senſu, in S. Pagina paſſim accepto, qui unius Provinciæ Ditionibus præerant, *Reguli* vocabantur. Apud nos porrò *Taiſius*, ſeù *Dynaſta*, idem eſt in Senſu literali ac *Capitaneus*, Officio & Honore conveniens cum priſco *Thano* Angloſaxonico, cujus Senſus literalis idem eſt ac Miniſter, qui poſteà exotico Nomine *Baro* dictus eſt à *Normannis*, ut & *Centuria*, aut *Cantreda*, noſtram Tricenariam valens, nuncupata eſt *Baronia*. Cæterùm etſi apud Veteres *Hibernos* Ducum, Comitum, & Baronum Tituli non fuerint, ſi tamen Rem ipſam hiſce Titulorum Vocibus deſignatam perpendas, nullum prorsùs invenies Diſcrimen inter has, & memoratas Dignitates, á prima inter Nos Regum Inſtitutione traductas. Quid enim aliud referunt Provinciarum *Reges* ſub Monarcha, quàm *Duces?* Quid Ditionum *Reguli*, quàm *Comites?* Aut quid Tricenariarum *Dynaſtæ*, quàm *Barones?* Olim ſiquidem in Imperio Romano, & alibi, Comites Ducibus quibuſdam, & Comitibus Barones ſubditos fuiſſe cuipiam accuratas verſanti Hiſtorias notiſſimum eſt.

XXI. ANNO

---

[w] Adeas Caput xvii. Num. cxvi.
[x] Anglicè *Charter-Schools.*
[y] Videſis *O-Flahertium*, Pag. 27.
[z] Recole ſuperiùs dicta Num. x. Pag. 13.
[a] Pag. 27.

XXI. Anno autem Chriſti 1172 Regnum *Hiberniæ* in ſe diviſum (*b*) Juris *Anglorum* factum eſt, *Henrico* II illud perſonaliter invadente, atque Palatium Regium *Dublinij* (*c*) conſtitutente, cui plures in eo Reges Fidelitatem jurarunt, ipſeque *Rodericus O-Connor*, Rex *Conaciæ*, & totius *Hiberniæ* tunc Monarcha (*d*), ad *Shananum* uſque pervenit Flumen, ubi *Hugo de Lacy*, & *Gulielmus de Burgo*, Filius *Adelmi*, indèque vernaculè dictus *Fitz Adelm*, (*e*), Vice prælibati *Henrici*, tanquàm Legati Homagium, atque Tributi annui Stipulationem ab eo recepere. Plerique etiam alij, partìm ſubacti Vi, partìm coacti Metu, *Henricum* in Dominum ſuſceperunt; ſicque Regibus *Angliæ* acceſſit ille Titulus, quo *Domini Hiberniæ* impoſterum appellati ſunt (*f*), in ſuis etiam Diplomatibus. Aliqui tamen apertè reſtiterunt, & quidem ex præcipuis Inſulæ Magnatibus, qui *Henrici* Imperio nec Sponte ſuâ voluerunt ſe ſubmittere, nec ab eo, tametſi Armis impetiti, ſubjugari poterant (*g*). In perplexo hoc Statu manſit *Hibernia* uſque ad Tempora *Henrici* VIII, qui ob Titulum *Defenſoris Fidei*, ab Apoſtolicâ Sede impetretatum, *Hibernorum* Animos ità captivavit, ut pleniori Jure, quàm Anteceſſores ſui, in ea dominabatur. Hinc, adhuc etiam poſt ipſius Schiſma, denunciatus fuit *Hiberniæ Rex* in Generalibus Regni Comitijs *Dublinienſibus* Anno 1541, ubi inſuper declaratum erat, ipſum *Henricum*, & Prædeceſſores ejus, etſi Titulo tenùs *Dominos* duntaxàt Hiberniæ, *regalem* tamen & Præeminentiam, & Auctoritatem habuiſſe.

Memoratus porrò Rex *Henricus* VIII, ut obiter dicam, primò magnanimus, atque literatus, novum Rerum civilum, & bellicarum Gloriæ addidit Decus, cùm adversùs *Lutherum*, poſt Hominum Memoriam Hæreſiarcham petulantiſſimum, pro Summa Religionis Catholicæ Opuſculum edidit, Pietatis & Eruditionis plenum, propter quod mox recenſitum *Defenſoris Fidei* Titulum Anno 1521 Pontificio *Leonis* X Diplomate promeritus eſt. Sed poſteà, proh Pudor! Rex iſte infelix, effrenatiſſimæ Libidinis, atque nefariæ Cupiditatis Æſtu abreptus, eâdem Manu Librum ſcripſit peſſimè conſarcinatum, in quo Sacroſanctam Chriſti Eccleſiam Probris omnibus, ac Ludibrijs affecit, & in Romanum Pontificem, cui vehementer iratus erat, quemque Cane pejus & Angue odiebat, utpotè reprobantem Divortium ejus à legitima Uxore *Catharina*, ſecundaſque cum *Anna Bolena* Nuptias, Vim omnem inauditæ Acerbitatis effudit. Deinceps in Catholicos omnes, qui eum tanquàm Supremum Statûs Eccleſiaſtici in *Anglia* & *Hibernia* Caput agnoſcere detrectabant, crudeliter ſævijt, eorumque plures Morte affecit. Cùmque Sacra omnia ſuſque deque miſceret,

Divis

(*b*) Legeſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c.

(*c*) *Waræus* in Annalibus *Henrici* II. ad A. 1172.

(*d*) Videſis Cap. ix. §. xvi Num. ii. Lit. i.

[*e*] Legeſis Cap. ix. §. viii. Num. iv. Lit. x.

(*f*) Nonniſi *Domini Hiberniæ*, ipſis etiam in Diplomatibus Regijs, & Edictis, nuncupati ſunt *Angliæ* Reges ab *Henrico* hoc II uſque ad *Henricum* VIII, cui Comitia Regni Dublinij habita Die 13. Junij 1541 Titulum dedere *Regis Hiberniæ*, huncque Titulum confirmavit *Paulus* IV. Pontifex Maximus, ſpeciali Diplomate, ad *Mariam* Reginam *Angliæ* dato VII. Idus Junij 1555. Cæterùm Hiſtoricis notum eſt, in qua Veneratione Titulum *Domini*, ſoli Deo verè proprium, habuerunt Veteres *Romani*. Id teſtatur Nummus aureus *Conſtantini* Magni Imperators, in hunc Modum inſcripttus: *Felicitas perpetua auget Rem Domini Noſtri*. Iuſuper Nummus æreus *Magnentij*, item Imperatoris, ſic inſcriptus: *D. N. Magnentius P. F. Aug.* atque hoc confirmat illud *Luciani Cordubenſis*, Lib. v.

Numque omnes Voces, per quas jam Tempore tanto
Mentimur DOMINIS, hæc prima reperit Ætas.

(*g*) Tametſi Reges *Angliæ*, quotquot fuerunt uſque ad *Henricum* VIII, ipſeque *Henricus* VIII, nullum Sanguinis Jus habuerint ad Coronam *Hiberniæ*, ſecùs tamen *Anglorum* Reges à *Jacobo* I incluſivè, quem *Gratianus Lucius*, ſeù veriùs *Joannes Lincæus*, Archidiaconus *Tuamenſis*, ac Vicarius Apoſtolicus *Alladenſis*, accuratiſſimus Ævi Superioris Scriptor (in *Cambrienſi Everſo*, Cap. xxvii) per triplicem Lineam, & aſcendentes Gradus ad *Herimonem* deducit, *Mileſij*, Regis *Hiſpaniæ* [confer. Num. vi. hujus Capitis] Filium, incipiens ſcilicet à *Maria Stuarta*, æternæ Memoriæ Reginà, prælibati *Jacobi* Matre, ſursùm ad *Ferguſium*, ac deinceps ad Regium *Hiberniæ* Satum; ſecundò à laudata *Maria* ad *Lageniæ* Reges per *Evam O-Cavanagh* ultimi Regis unicam Filiam, Comiti *Pembrochiæ* Matrimonio junctam; tertia ad Reges *Momoniæ*. Hinc trium Regnorum *Angliæ*, *Scotiæ* & *Hiberniæ*, Regius Sanguis in unum *Jacobum Primum* coibat. Et Nota obiter, Francorum Legem *Saliquam* [à Particulis *ſi*, & *aliqua* ſic dictam, id eſt, iſtis incipientem Verbis: *ſi aliqua Fæmina* &c,] Fæminas à Corona excludentem, in *Britannicis* hiſce Regnis haud vigere.

Divis Cælo receptis Bellum indixit, dùm *S. Thomam*, olim *Cantuarienſem* Archiepiſcopum, à tot jam centenis Annis denatum, tanquàm læſæ Majeſtatis reum ad ſuum Tribunal citare, appenſis Citationis Literis ad Sepulchrum ejus, in ipſumque, in Judicio non comparentem, tanquàm in contumacem, & perduellem, ſententiam dicere (*h*), Nomen è Kalendario expungere, Memoriamque penitùs damnare, Oſſa Igni, Cineres Fluvio, Templi Ornamenta Fiſco Regio addicere auſus eſt. Ab iſto igitur *Henrico* VIII, in Sceleribus, Eccleſiæ Romanæ Contemptu, & in Catholicorum ſæviſſima Perſecutione obdurato, omnes omnium Hæreſum Errores, *Magnam Britanniam*, & *Hiberniam* uſque in hodiernum Diem infeſtantes, Originem trahunt.

XXII. Ut autem eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio, utque præliminari huic Capiti, quod ſenſim ſine ſenſu excreviſſe jam video, Finis incunctanter imponatur; quandoquidem Gubernium *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* non ſit purè monarchicum, idcircò Poteſtas legiſlativa non eſt in ſolo Rege, ſed eam cum Rege diviſam habent Generalia Regni Comitia, quod *Parlamentum* vocant. Parlamentum porrò in duas dividitur Aulas, ſeù (ut *Anglis* loqui placet) *Domos*, ſuperiorem nempè & inferiorem. In ſuperiori Aula, quam *Domum Dominorum* appellant, Suffragium habent Archiepiſcopi, Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Epiſcopi (*i*), & Barones, qui omnes Jure Suffragij cum reſpectivis ſuis Dignitatibus, à Rege primitùs collatis, hæreditario Modo potiuntur, Archiepiſcopis, & Epiſcopis duntaxât exceptis. Olim autem, antè prætenſam ſcilicet Eccleſiæ Reformationem, Abbates Inſulati Loca in hac *Domo Dominorum* habebant. In Inferiori verò Aula, quæ vulgò *Domus Communium* nuncupatur, nulli ſedent niſi qui à ſuis reſpectivè Comitatibus, Civitatibus, aut Oppidis, ſeù potiùs Municipijs, ſivè *Burgis Corporatis* (*k*), ut vocant, eliguntur. Enimverò quilibet Comitatus mittit ad Parlamentum duos Repræſentativos, ſeù *Membra*, ut loquuntur *Angli*, idemque præſtat quælibet Civitas, quilibetque Burgus, necnon & Academiæ *Oxonienſis*, & *Cantabrigenſis* in *Anglia*, ac *Dublinienſis* (*l*) in *Hibernia*.

Siquidem nedùm *Londini* ſedet *Parlamentum* pro Regno *Magnæ Britaniæ*, id eſt, *Angliæ*, & *Scotiæ* (*m*), ſed etiam *Dublinij* pro Regno *Hiberniæ*. In *Hibernia* autem non ſunt impræſentiarùm Duces, aut Marchiones, ſubindèque in *Domo Dominorum* præter Archiepiſcopos Quatuor, & Epiſcopos Octodecem, non ſedent niſi Comites, Vicecomites, & Barones. Elabènti Anno 1756 adſunt Comites Quadraginta Duo, Vicecomites Quadraginta Quinque, & Baronès Triginta Octo. Hinc Proceres omnes tâm Spirituales quàm Temporales, Suffragij Jure (niſi Catholica obſtet Religio), in *Domo Dominorum* potientes, ſunt Numero Centum Quadraginta Septem. Dixi tamen, *niſi Catholica obſtet Religio*, Septem namque ſunt Proceres Temporales, qui ob Orthodoxam, quam palàm profitentur, Fidem, à Jure Suffragij in *Parlamento* ferendi ſuſpenduntur, Duo ſcilicet Comites, Quatuor Vicecomites, unuſque Baro, nimirùm; Dillon, Comes de *Roſcommon*; *Talbot* Comes de *Waterford*, & *Wexford* (in *Anglia* Comes *Salopiæ*, vulgò *Shrewſbury*, & quidem Comes ibi Primoris), *Taaffe*, Vicecomes *Taaffe* de *Corran*; *Mollyneux*, Vicecomes de *Maryborough*; *Fairfax*, Vicecomes de *Emely*; *Barnewall*, Vicecomes de *Kingſland*; & *Butler*, Baro de *Cahir* (*n*). Cæterùm in *Domo Communium* ſunt Ter Centum Membra, *Dublinij* ſcilicet,

Londini

(*h*) Ità conſtat ex Monumentis Authenticis, atque ex *Pauli* III Diplomate = *Redemptor Noſter* = dato VI. Kal. Januarij 1538, quod legere eſt in *Bullario Romano*, Tom, i. Pag. 708.

(*i*) Juxtà *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* Leges Epiſcopi in Parlamento ſedent veluti Barones, adeoque ſolos Barones præcedunt. Archiepiſcopi verò ſedent ibi veluti Duces, adeoque & Duces præcedunt. Proceres quippè Temporales Proceribus Spiritualibus ejuſdem Gradûs Loca cedunt.

(*k*) Non omnè Oppidum eſt *Burgus Parlamentarius*, ut vocant, ſed Municipia duntaxât, id eſt, Oppida quædam ſelecta per Regia Diplomata, quæ *Burgi Corporati*, (hoc eſt, ſociat) nuncupantur.

(*l*) De Academia *Dublinienſi* Sermo erit Cap. ix. §. i. Num. x.

(*m*) Olim *Edinburgi* aderat Parlamentum pro *Scotia*, ſed ab Anno 1706, quo ex *Anglia* & *Scotia* unum coaluit *Magnæ Britanniæ* Regnum, non eſt niſi unum Parlamentum, quod *Londini* ſedet pro utroque ſic geminato Regno. *Hibernia* verò adhuc manet Regnum diſtinctum, adeoque & diſtinctum habet Parlamentum.

(*n*) Animadvertas velim, hìc Loci Sermonem eſſe duntaxàt de Proceribus illis, qui in Regeſto Feciali *Regis Armorum*, atque *Almanachis*, ut vocant, Privilegiatis, conſcripti etiamnùm manent. Cæterùm alij ſunt, qui paſsim vocari ſolent Proce-

res

Londini vero Quingenta Quinquaginta Octo, è quibus Quadraginta quinque ſunt pro *Scotia*, reliqua verò pro *Anglia*. Prorex *Hiberniæ* Regem, ut par eſt, in *Parlamento* repræſentat, atque, non ſecùs ac Rex, ſanctiora, ſeù ſecreta habet Conſilia Statûs pro arduis gravioribuſque Regni Negotijs expediendis. Neque ullus planè in *Europa* Prorex proximiùs accedit ad Dignitatem Regis quoad Juriſdictionem, Auctoritatem, Præeminentiam, & numeroſum Comitatum, ac Apparatum, ut Advenæ, atque Scriptores, nominatìm *Camdenus*, *Gordanus*, & *Salmon*, Natione *Angli*, paſsìm referunt (*o*).

DUBLINIJ, Regni *Hiberniæ* Civitatis Metropoliticæ, quatuor ſunt Fora Judiciaria, ſeù Tribunalia, nempè *Cancellaria*, *Bancus Regis*, *Bancus Communium Placitorum*, & *Scaccarium*, ſivè *Fiſcus Regius*. Inſuper bis quotannis habentur in Univerſo Regno Comitia Provincialia Juridica, ſui Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ*. Quadrageſimali ſiquidem & æſtivo Temporibus Judices per ſingulas circuiunt Provincias, Forumque agunt in Civitatibus, ſeù Oppidis Capitalibus, ſingulorum Comitatuum. Adſunt ulteriùs in ſingulis Comitatibus *Irenarchæ* (vulgò nuncupati *Juſtitiarij Pacis*, quia ad fovendam Pacem conſtituuntur), qui quater in Anno pro Tribunali ſedent, indeque Conſeſſus eorum *Quaternæ Seſſiones* paſsìm appellantur. Sed in Rebus Hibernicis jam ſatis expatiatus ſum, plura alibi datâ Operâ dicturus tàm de Regni hujus Statu à Tempore *Jacobi* II, Regis Catholici, ad præſens (*p*), quàm de Legibus, Edictis, & Perſecutionibus Gubernij Acatholici in Clerum Populumque Catholicum latis, promulgatis, & motis à Tempore Regis *Henrici* VIII (*q*).

---

res Temporales, etſi à Gubernio Acatholico omnibus Juribus, Privilegijs, ipſiſque Procerum Titulis ſpoliati ſint. Eorum porrò Anteceſſores ſub Rege *Jacobo* II, aut proximè antecedentibus Monarchis, omnibus Procerum Prærogativis potiti ſunt, eoſque in Libris iſtorum Temporum, qui paſsìm circumferuntur, legere eſt. Tales ſunt: *Talbot*, Dux de *Tyrconnell*; *O-Brien*, Comes de *Thomond*; *O-Neil*, Comes de *Tyrone*; *O-Donnel*, Comes de *Tyrconnell*; *Plunkett*, Comes de *Fingall*; *Mac-Carty*, Comes de *Clancarty*; *Sarsfield*, Comes de *Lucan*; *Preſton*, Vicecomes de *Gormanſton*; *de Rupe*, ſeù *Roche*, Vicecomes de *Fermoy*; *Dillon*, Vicecomes *Dillon* de *Coſtello-Gallen*; *Magenis*, Vicecomes de *Iveagh*; *Sarsfield*, Vicecomes de *Kilmallock*; *O-Dempſey*, Vicecomes de *Clanmalier*; *Butler*, Vicecomes de *Galmoy*; *O-Brien*, Vicecomes de *Clare* (qui nunc in *Galliarum* Copijs florens, Comes inſimul eſt de *Thomond*); *de Burgo*, ſeù *Burke*, Vicecomes de *Galway*, qui in Prælio de *Aghrim* occiſus fuit, nullam poſt ſe relinquens Prolem maſculinam; *Brunus*, ſeù *Browne*, Vicecomes de *Kenmare*; *Mac-Carty*, Vicecomes de *Mount-Caſhel*; *Cheevers*, Vicecomes de *Mount-Leinſter*; *Fleming*, Baro de *Slane*; *Plunkett*, Baro de *Dunſany*; *Plunkett*, Baro de *Louth*; *Butler*, Baro de *Dunboyne*; *Barnewall*, Baro de *Trimelſton*; *de Burgo*, Baro de *Caſtleconnell*; de *Burgo*, Baro de *Brittas*; *Maguire*, Baro de *Inniſkillen*; *de Burgo*, Baro de *Bophin*, qui poſt modùm Comes evaſit de *Clanrickard*; *Nugent*, Baro de *Riverſton*.

(*o*) *Camdenus* in *Deſcriptione Hiberniæ*; *Gordanus* in Grammatica Geographica, Pag. 221; & *Salmon* in *nova Grammatica Geographica, & Hiſtorica*, P. 333.

(*p*) Cap. vii, per totum.

(*q*) Cap. xvii. à Num. i.

CAPUT SECUNDUM.

De Inſtitutione, & Nomenclatura *Fratrum Prædicatorum*, primoque eorum Adventu in *Hiberniam*.

SUMMARIUM.

I. *Prætermittuntur Elogia Ordinis Prædicatorum, à* S. Dominico *ad debellandam* Albigenſium *Hæreſim, & adverſùs omnes Fidei Hoſtes inſtituti; & ab* Innocentio III *Anno* 1215 *approbati; atque ab* Honorio III *Anno* 1216 *confirmati. Analogia* Hiberniam *inter, & Ordinem Prædicatorum.*

II. *Nonnihil de* Tertio Ordine S. Dominici, *deque Sacræ Inquiſitionis Officio, necnon de Sacroſancto Beatiſſimæ Deiparæ Roſario, deque etiam Magiſterio Sacri Palatij Apoſtolici, & Secretariatu Sacræ Congregationis* Indicis.

III. *Fratres Prædicatores poſſunt habere Eccleſias Parochiales. Cur Prædicatores dicti?*

IV. *Sunt veri Canonici Regulares. Aliqua obiter de* Theatinis, *&* Jeſuitis.

V. *Fratres Prædicatores ab Incunabulis Ordinis in* Hiberniam *properarunt. Quo autem Tempore, una non eſt Scriptorum Sententia.*

VI. O-Heynus, *græcâ Fide aſſerens, Ordinem Fratrum Prædicatorum in* Hibernia *antè Dormitionem* S. Dominici, *per* Derienſis *Cœnobij Fundationem plantatum, refellitur ex Veteri M. S. apud* Waræum, *&* Echardum, *ubi ſigillatim indigitantur Viginti Duo Cœnobia antè* Derienſe *extructa in* Hibernia.

VII. *Quoad Antiquitatem Conventuum* Hiberniæ Dominicanæ, *alijs Momentis præferendum Vetus iſtud M. S. apud* Waræum *ex Præſcripto Capituli Generaliſſimi* Romæ 1644.

VIII. Fontanam, Malvendam, *alioſque probabiliter, aut ſubdubitanter autumantes, ipſummet* S. Dominicum *in* Hiberniam *adveniſſe, vel per Fr.* Reginaldum *dediſſe Literas ad Principem* O-Donnellum, *perſtringit* Alemandus.

IX. *Alter in* Hibernia *Sanctus, Nomine* Dominicus, *aliàs* Modomnocus, *à quo* Domus Domini, *ſeù* Domus Dominici, *fundata. Nota de Apibus, mox laudatum* S. Dominicum *ex* Cambria *in* Hiberniam *comitantibus.*

X. *Neque Literas Autographas memoratas, neque earum Exemplar, quantumvis informe, aut imperfectum, reperire eſt. Aliæ circumferuntur Literæ* S. Dominici Guſmani *ad* Milonem de Bermingham, *Cœnobij* Athenrienſis *Fundatorem. Nonnihil obiter in Nota de Familia* Brunorum *de* Neal.

XI. *Rectiùs quadrare videtur Tradito* Berminghama *quàm* O-Donnella.

XII. *Neutra Traditio, aut circà Literas S. Patriarchæ* Dominici, *aut circà perſonalem ipſius in* Hibernia *Præſentiam, certo aliquo, ne dicam probabili, Fundamento innititur. Apologia texi poteſt ex* Waddingo. Hibernia Dominicana *ſenior eſt* Franciſcanâ.

XIII. *Liquet ex* Lodgæo, *inſigni hujus Ævi Scriptore, Fratres Prædicatores in* Hiberniam *adductos fuiſſe à* Mauritio Geraldino, *Barone* Ophaliæ, *ac Prorege* Hiberniæ.

XIV. *Qui etiam veriſmiliter Auctor fuit Ciſtercienſibus Monachis, ut* Dublinienſe *Cœnobium Ordini Prædicatorum donarent.*

XV. *Concluditur, certo certius conſtare, Ordinem Prædicatorum in* Hibernia *Anno* 1224 *plantatum. Quo autem Anno advenerint in* Hiberniam *Fratres Prædicatores, incertum, probabiliter tamen circà Annum* 1221, *atque vero verius ex* Anglia, *ex qua trajecit Fr.* Reginaldus, *poſtmodùm Archiepiſcopus* Armacanus.

XVI. *De* Anglia, *ceù ſpeciali Ordinis Provincia (cujus Pars erat* Hibernia Dominicana *uſque ad Annum* 1484) *haud pauca, Elogio digna, obiter breviterque memorantur.*

I. QUEMADMODUM *Hiberniæ Dominicanæ* Hiſtoriunculam elucubraturus, quædam Capite Superiori de ipſomet *Hiberniæ* Regno præfabar, ità æquum conſentaneumque planè foret nonnihil Capite præſenti recenſere de ipſomet *Dominicano* Ordine, quem tamen, ne quis exiſtimet, me nimis aſſentandi palpandique Studio, à quo ſemper magnoperè abhorrui, hìc Loci laudandum ſuſcepiſſe, benè multa conſultò reticebo, quæ eundem præclarum Ordinem, de Eccleſia Dei optimè meritum, commendare poſſent. Miſſos propterea faciam Quatuor Sanctiſſimos Pontifices, quorum Duo Cælitûm Albo adſcripti ſunt, Quinquaginta tres doctiſſimos Cardinales (è quibus ipſe vidi Septem, quorum primus evaſit *Benedictus* Papa XIII), innumeros Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Doctrinâ, & Pietate claros, quos celeberrimus hic Ordo dedit Eccleſiæ. Prætermitto Elogia, quibus Romani Pontifices hunc Ordinem, ac plures ex Alumnis ejus, Sanctorum, & Beatorum Faſtis adſcriptos, laudarunt ſæpiùs, ac prædicarunt. Nihil dicam de Peritia Scriptorum ejuſdem Ordinis, de tot Libris, quos de omnium Diſciplinarum Rebus ediderunt, & de illorum in iſtis tractandis Eloquentia, ſolidâ Eruditione, atque Linguarum, maximè *Græcæ* & *Hæbraicæ*, Notitia. Nihil de illorum Coryphæo, *S. Thomâ Aquinate*, Doctore Eccleſiæ Angelico.

SUFFICIAT igitur paucis referre, *S. Dominicum*, ex nobiliſſima juxtá & ſplendidiſſima *Guſmanorum* Stirpe (a) *Calarogæ* in *Hiſpania* Anno 1170 natum, dùm, *Oxomenſis* Eccleſiæ Canonicus Regularis, in debellanda *Albigenſium* Hæreſi apud *Toloſates* Regni *Galliarum* plurimùm laboraret, voluiſſe firmiſſimam adverſùs Hæreſes erigere Arcem, & Sacroſanctam Eccleſiam contrà omnes Fidei Hoſtes perpetuo munire Præſidio. Eapropter Fundamenta jecit Ordinis Prædicatorum, quem *Baronius* appellat *illuſtre Sanctorum Seminarium*, quemque propterea *Hiberniæ*, nuncupatæ dudùm, ut ex ſuperiùs dictis (b) liquet, *Inſulæ Sanctorum*, haud incongruenter aſſimilare poſſumus.

II. PRÆTER Sacræ *Inquiſitionis* Munus, ut obiter dicam, quod cum Ordine Prædicatorum cæptum, *S. Dominicus* invictâ Conſtantiâ, atque infatigabili Zelo in Hæreticos *Albigenſes* exercuit, (quo Munere etiamnùm varijs in Locis funguntur Fratres Prædicatores, ipſeque Commiſſarius Generalis *S. Officij* in Urbe ſemper eſt Dominicanus) Ordinem inſtituit *Militiæ Jeſu Chriſti*, eo potiſſimùm Fine, ut illi, qui huic Ordini erant adſcripti, Hæreticos coercerent, Eccleſiæ Jura, Libertatem, Immunitates, & Bona ab Hæreticorum Furore, & Invaſione vindicarent, ac ſtrenuè tuerentur. Verùm mortuo *S. Dominico* Anno 1221, & exterminatis penitùs Hæreticis *Albigenſibus*, cùm Ordo iſte haud ampliùs neceſſarius videretur, mutato Nomine, & Inſtituto, dictus eſt *Ordo Fratrum & Sororum de Pænitentia S. Dominici*, paſsìmque nuncupari ſolet *Tertius Ordo S. Dominici*, comparativè ſcilicet ad Ordinem Fratrum Prædicatorum, qui *primus*, & Ordinem Sanctimonialium, qui *ſecundus*, aptiſſimè appellari poſſunt (c), haud paucis Privilegijs à S. Sede Apoſtolica exornatus.

OPPOSUIT inſuper *S. Dominicus* Impietati Hæreticorum *Albigenſium* novam à ſe inſtitutam Devotionem recitandi *Roſarium* B. Virginis Deiparæ, quam ſuis Alumnis ità propriam eſſe voluit, ut Sapientiſſimus Doctor *Martinus Navarrus* non dubitet aſſerere, Roſarium *Patrimonium eſſe Ordinis Dominicani.*

CÆPIT item cum Ordine Fratrum Prædicatorum Magiſterium Sacri Palatij Apoſtolici, quod primus exercuit *S. Dominicus*, qui *Romæ* exiſtens, cùm animadverteret, quotidiè occupatis cum Summo Pontifice Cardinalibus, eorum Familiares in Aula Nugis Tempus terere, vehementer indoluit, monuitque *Honorium* Papam III, turpe, & damnoſum eſſe, Tempus à tanta Multitudine in Ludos, ac Res vaniſſimas abſumi, ſibique utile futurum videri, ſi, dùm Cardinales cum eo Eccleſiæ Negotia tractarent, quiſpiam doctus Fidei, ac Pietatis Rudimentis illos imbueret. Annuit lubentiſſimè Romanus Pontifex, illudque demandavit Munus ipſimet *S. Dominico*, quod alacriter agreſſus, Epiſtolas *Paulinas* publicè in Palatio interpretatus eſt. Indè porrò perhonorificum hoc Officium alicui Religioſo Ordinis Fratrum Prædicatorum ad noſtra uſque

Tempora

(a) Conſulenda Hiſtorica Demonſtratio *de Guzmana Stirpe S. Dominici* à Magiſtro noſtro Generali Rmo *Antonino Bremond* Anno 1740 edita.

(b) Cap. præced. Num. v. Pag. 6.

(c) Adeas *Chronicon Magiſtrorum Generalium* Cap. i, & ii; & infrà dicenda Cap. x. §. iv. Num. iii.

Tempora ſemper collatum eſt; & quotquot hoc Loco & Nomine donantur, Magiſterio immoriuntur, niſi indè Gradum ad Purpuram *(d)*, aliave altiora faciant.

Idem dic de perhonorifico quoque Munere Secretarij Congregationis *Indicis* Librorum prohibitorum (ſic appellatæ quia corrigendis, vel Cenſurâ notandis Libris occupatur) quod Ordinis noſtri Viris datum eſt, in ipſiſque continuatur uſque in hodiernum Diem, & quidem ob celeberrimam Memoriam Fr. *Franciſci Forrerij*, ejuſdem Ordinis Doctoris *Conimbricenſis*, Pietate, & Eruditione præſtantiſſimi, qui maximam Laudem in Concilio *Tridentino* promeritus eſt, Patrumque Juſſu Librorum prohibitorum Indicem concinnavit, & *Catechiſmum Concilij Tridentini*, vulgò dictum *Romanum*, compoſuit cum *Leonardo Marino*, Archipræſule *Lancianenſi*, & *Ægidio Fuſcario*, Epiſcopo *Mutinenſi*, ex eodem Ordine aſſumptis *(e)*, primuſque fuit prælibatæ Congregationis Actuarius, ſeù Secretarius.

III. Ut autem eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio; Ordinem Fratrum Prædicatorum à *S. Dominico*, ut præfertur, inſtitutum, & ab *Innocentio* III, Pontifice Maximo, Anno 1215 approbatum, ejuſdem Succeſſor *Honorius* III Anno 1216 confirmavit cum Poſſeſſionibus, Parochialibus Eccleſijs, & Decimis, expreſsè declarans in Bulla Confirmationis, Fratres noſtros habere poſſe Parochias, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt *(f)*. Eamque Praxim vigere tres Parochiales Eccleſiæ, quas in ipſa habent Urbe, ad Evidentiam demonſtrant. Fuit autem *Ordinis Fratrum Prædicatorum* Titulo à laudato *Innocentio* III decoratus; idque Honoris Dominicanis tribuunt multi Scriptores, ut rectè pro More obſervat Clariſſimus noſter Magiſter *Graveſon (g)*, quod primi fuerint, qui, Auctore ſuo Patriarchâ *S. Dominico*, Religioſos, ac Cænobitas, è Clauſtris & Solitudinibus evocarunt ad Celebritatem Urbium, ut Proximorum Saluti vacarent, & Contemplationi Actionem adjungerent, undè meritò illis *Prædicatorum* Nomen adhæſit.

Cœterum in Gratiam Lectoris non Dominicani non abs Re, ſed planè opportunum erit in Medium adducere quæ de hoc *Prædicatorum* Nomine Conſtitutiones noſtræ *(h)* habent: " Declaramus (inquiunt) quod hoc Nomen PRÆDICATORUM fuit impoſitum Ordini noſtro ab " *Innocentio* III, qui dum ſcriberet *B. Dominico*, & Fratribus ſuis, impoſuiſſetque Scriptori, ut " ſcriberet hoc Modo: *Fratri Dominico, & Socijs*; ſtatìm revocavit & dixit: Scribe hoc Modo: " *Fratri Dominico, & cum eo prædicantibus*. Statìmque aliquantùm plus conſiderans: Noli, inquit, ſic dicere, ſed ſcribe hoc Modo: *Magiſtro Dominico, & Fratribus Prædicatoribus*: Et ex " tunc ipſe B. Dominicus, Pater Noſter, & Filij ejus cæperunt ſe *Fratres Prædicatores* vo" care, cæperuntque in Curia, & ubique ab omnibus ſic vocari, juxta illud Iſaiæ: *Vocabitur* " *tibi Nomen novum, quod Os Domini nominavit*. Fuit etiam hoc Nomen ab *Honorio* III ap" probatum, & poſteà à *Gregorio* IX in Bulla Canonizationis Beati *Dominici* confirmatum, & " ab eodem S. Patre *Dominico* longè antè ardentiſſimis Deſiderijs, Orationibus, Lachrymis, & " multiplicibus Meritis feliciter obtentum. Et verè hic Ordo Re, & Nomine dicitur PRÆDI" CATORUM, quia principaliter ad Prædicationem, & Salutem Animarum eſt inſtitutus."

IV. In Bulla Confirmationis Ordinem Fratrum Prædicatorum appellat *Honorius* Pontifex *Ordinem Canonicum*, ſeù Canonicorum Regularium. Et rectiſſimè quidem, nullam quippe aliam Regulam ſuis præſcripſit *B. Dominicus* præter Regulam *S. Auguſtini*, quam ipſe, quâ Canonicus Regularis, profitebatur, cuique Conſtitutiones, ad quarum Normam Vitam exigerent, tradidit, quarumque præcipua Capita ab Ordine *Præmonſtratenſium (i)*, qui veri ſunt Canonici Regulares, à *S. Norberto* ſub Regula *B. Auguſtini* inſtituti, accepit, ut oſtendit *Graveſon* mox laudatus *(k)*. Hinc in Officio *S. Dominici*, quod recitant Fratres Prædicatores, de Sancto illo Patriarcha dicitur:

(d) Vidi ipſe Fr. *Gregorium Selleri* ex Magiſtro Sacri Palatij creatum Cardinalem, atque Fr. *Joſephum - Auguſtinum Orſi*, adhuc florentem, Scriptorem profectò celeberrimum. Vidi inſuper ex Commiſſario S. Officij Cardinalem creatum Fr. *Aloyſium Mariam Lucini*, de quo iterùm redibit Sermo Cap. xii. §. i. Num. xxii.

(e) Videſis *Natalem Alexandrum* in Hiſt. Eccleſ. Sæc. xv. & xvi. Part. i. Cap. v. Art. ii; & *Graveſonum* in Hiſt. Eccleſ. Tom. vii. Colloq. v.

(f) Tom. i. Pag. 2.

(g) Tom. vi. Pag. mihi 163.

(h) Diſt. i. Cap. xv. Tex. i. Lit. i.

(i) Conſulendus *Natalis Alexander* in Hiſt. Eccl. Sæc. xiii, & xiv. Cap. vii. Art. v.

(k) Hiſt. Eccl. Tom. v. Pag. mihi 208, & 209.

Sub Auguſtini Regula Mente profecit ſedulâ, tandem Virum CANONICUM auget in Apoſtolicum. Hinc etiam prima Prologi Conſtitutionum noſtrarum, (quibus *Regula B. Auguſtini* præfigitur) Verba hæc ſunt : *Quoniam ex Præcepto Regulæ* (B. Auguſtini) *jubemur habere Cor unum, & Animam unam in Domino, juſtum eſt, ut qui ſub una Regula & unius Profeſſionis Voto vivimus, uniformes in Obſervantijs CANONICÆ RELIGIONIS inveniamur.* Jure merito igitur doctiſſimus *P. Joannes Mabillonius*, in ſuo ſecundo Scripto, quod Galli *Factum* vocant, & *Graveſon*, ſemel iterùmque laudatus, probant Dominicanos eſſe verè Canonicos Regulares.

NEC obſtat, inquiunt, quod Veſtem Lineam, vulgò *Rochetum*, ſivè *Superpelliceum*, ampliùs non geſtent, prout aliquamdiù geſtarunt, quia Religioſi *Præmonſtratenſes* ſunt veri Canonici Regulares, etſi non deferant Veſtem Lineam, ſed ſolùm Cappam, quam itidem geſtant Fratres Prædicatores, cum hoc ſolo Diſcrimine, quod Cappa *Præmonſtratenſium* alba ſit, *Prædicatorum* verò nigra *(l)*, quam ob Rem in *Anglia*, ut obiter advertam, paſsìm vocantur *Nigri Fratres*, vernaculè *Black-Friers (m)*. Neque obſtat etiam, quod *S. Dominicus* in Comitijs Ordinis Generalibus *Bononiæ* Anno 1220 celebratis, ſe ſuoſque Fratres ad arctiorem *Mendicantium* Paupertatem adſtrinxit, tantùm enim abeſt, quod indè Canonicorum Regularium Inſtitutum demiſiſſe cenſendus ſit, quin potiùs Inſtitutum illud ad majorem Perfectionem provexit. Cùm namque Canonici Regulares ex ſuo Inſtituto ſolemni Paupertatis Voto obſtricti ſint, & eo perfectius ſit Votum Paupertatis, quo arctior eſt Paupertas, non eſt Dubium, quin *S. Dominicus* Ordini Canonicorum Regularium, quem profitebatur, majorem Perfectionem conciliarit, dùm ſe Fratreſque ſuos arctiori *Mendicantium* Paupertati addixit. Undè in Officio prælibato diſertè dicitur: *Tandem Virum Canonicum AUGET in Apoſtolicum.* Sanè Nemo negare poteſt, *S. Cajetanum* inſtituiſſe Ordinem Clericorum Regularium, quos *Theatinos* vocant, & tamen conſtat, illum Religioſis ſuis injunxiſſe, ut abdicatâ Rerum omnium Sollicitudine, nec Redditus poſſiderent, nec ipſamet Vitæ Subſidia à Fidelibus peterent, ſed ſolis viverent Eleemoſynis ſpontè oblatis. Quæ Paupertas, ut fatentur omnes, arctior eſt Paupertate, quam profitentur Religioſi Ordinum *Mendicantium*, & tamen non derogat Statui *Clericorum* Regularium, ſed potiùs illum perficit. Similiter Patres Societatis *Jeſu* ſunt veri *Clerici* Regulares, quamvis omnibus Juribus, & Privilegijs, à Sancta Sede Apoſtolica Ordinibus *Mendicantium* conceſſis fruantur, ipſique Officia Religioſorum *Mendicantium*, Eleemoſynas videlicèt à Fidelibus petendo, palàm exercere non dedignantur. Quidni igitur ipſe dicere poſſim cum doctiſſimis *Mabillonio*, & *Graveſono*, Fratres Prædicatores verè eſſe *Canonicos* Regulares, etiamſi *S. Dominicus* eorum Inſtitutor, ac *Canonicus* Regularis, eos ad arctiorem Religioſorum *Mendicantium* Paupertatem adſtrictos eſſe voluerit *(n)*. His itâ præmiſſis

V. MEMORATUM Prædicatorum Ordinem brevi Tempore ubique Terrarum mirificè propagatum fuiſſe, Nemo in Hiſtoria Eccleſiaſtica utcunque verſatus non novit. Signanter in *Hiberniæ* Inſulam properaſſe Fratres vel ab ipſiuſmet Ordinis Incunabulis, refert in Libro *de Vitis Fratrum*, ſivè *de Origine ac Viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum*, celeberrimus Scriptor *B. Humbertus de Romanis (o)*, Sancto Patriarchæ *Dominico* coævus, vel ſuppar, utpotè qui Anno 1254 *Budæ* in *Hungaria* quintus renunciatus eſt Ordinis Prædicatorum Magiſter Generalis, quique, ut obiter dicam, cùm Annos Novem Ordinem ſanctiſſimè rexiſſet, in Comitijs Generalibus *Londonenſibus*, ſeù, *Londinen-*

(l) Joannes Le Paige in *Bibliotheca Præmonſtratenſis Ordinis*, editâ Pariſijs 1633, Pag. 23. Col. i. ait : “ *S. Dominicus* relicto Rocheto, ſeù Tunicâ Lineâ Regularis Canonici Ordinis *S. Auguſtini*, cujus erat Canonicus, Habitum laneum, & candidum cum Scapulari, juxtà Formam Habitûs Præmonſtratenſium Canonicorum confectum induit, & Fratres ſui Prædicatorij Ordinis eo veſtiri voluit, Præmonſtratenſibus tantùm ex Colore Birri, ſeù Cappæ, diſſimiles, quod illorum nigrum, noſtrum verò album & candidum.” Hæc ille, quibus non abs Re erit addidiſſe, alios Canonicos Regulares, uti Congregationis *Lateranenſis*, ſicut & Congregationis *S. Salvatoris*, non albam, & candidam, ſed nigram omninò Cappam deferre.

(m) Adeas Cap. ix. §. iv. Num. iii. Lit. p.

(n) Legeſis *Graveſonum* Loco nuperrimè laudato.

(o) Sic dictus ab Oppido *Romans* in *Viennenſi* apud *Gallos* Diæceſi, quod *Humberti* Natale Solum fuit.

Londinenſibus (p) Anni 1263, in quibus *S. Thomas Aquinas*, Doctor Angelicus, Jure Suffragij pro *Romana Provincia* (*q*) potitus eſt, Præfecturam abdicavit. Laudatum porrò Librum *B. Humberto* adjudicant *Theodoricus de Appoldia*, in *Præfatione Vitæ S. Dominici*; *Jacobus Philippus Bergomas*, in *Supplemento Chronicorum*; *S. Antoninus*, III. Parte *Chronic.* Tit. XXIII. C. II. §. II. & *Antonius Senenſis*, in *Bibliotheca Scriptorum Ordinis:* Etſi alij cenſeant, quibus ſuffragantur *Natalis Alexander*, & *Graveſon (r)*, Doctores equidem perſpicaces, *Gerardum de Fracheto*, Natione *Gallum*, Patriâ *Lemovicenſem*, Provincialem Ordinis Prædicatorum *Toloſanum*, Virum Religioſiſſimum, & egregium Concionatorem, Librum iſtum Juſſu *B. Humberti de Romanis*, Magiſtri Ordinis, Scripſiſſe, quem propterea ipſi *B. Humberto* prælibati Hiſtorici tribuunt. *Bollandiſtæ* autem *(s)* de *B. Jordano*, Secundo Ordinis Magiſtro, differentes, ajunt, *Vitas Fratrum Ordinis Prædicatorum M. SS. & Duaci editas, fuiſſe Auctoritate Humberti Quinti Generalis collectas, & à Gerardo Fracheto conſcriptas.* Sed quidquid ſit de hoc, quod præſentis non eſt Inſtituti diſcutere, mihi hìc Loci perindè eſt, uter ſit recenſiti Libri Auctor, an *B. Humbertus*, an verò *Gerardus*, uterque ſiquidem celebris, uterque S. Patriarchæ coævus, aut certè ſuppar, ut ajebam, fuit; ipſeque Liber adhuc M. S. extat in Monaſterio *Rubræ Vallis* apud *Bruxellas*, ac *Duaci*, in *Belgio*, & alibi, ut teſtatur *Gerardus Joannes Voſſius*, Lib. XI. de *Hiſtoricis Latinis*, Cap. LIX.

VERUM quandoquidem famigeratus ille Liber Tempus non determinet quando in *Hiberniæ* Regnum profecti ſunt Fratres Prædicatores, multo minus quando plantatus fuit inibi Ordo per Conventuum Fundationem, & cùm aliundè ſingula ſingulorum Cænobiorum Archiva in heu! nimiùm afflicta *Hibernia Dominicana* per diuturnas, & haud interruptas Bellorum, & Perſecutionum Clades à Lapſu in Schiſma *Henrici* VIII, perque Cænobiorum ipſorum Devaſtationem (*t*), perdita ſint, hinc factum eſt, ut in varios dicendi Modos Scriptores, tàm domeſtici, quàm extranei, abierint. Ipſe quidem utroque Pollice ſubſcriberem noſtro *Joanni O-Heyno* in *Epylogo Chronologico* (*u*), quem Anno 1706 *Lovanij* vulgavit, innuenti Conventum *Derienſem* (*w*) in Boreali *Hibernia*, vivente adhuc *S. Dominico*, fundatum fuiſſe per Excellentiſſimum Principem *O-Donnell*, Regio Sanguine clarum, Rem ſolicitante *Fratre Reginaldo* (*x*), ad eundem Principem Literis S. Patris expreſsè miſſo. Subſcriberem, inquam, niſi fundatè vererer, me, ceù anilium Fabularum (abſit Invidia Verbo) Propagatorem, ab omni emunctæ Naris Lectore irridendum. Enimverò græcâ Fide id narrans prælibatus Auctor, nullum pro ſe affert Scriptorem, nullumve Teſtimonium, aut Monumentum, præter *vulgarem Traditionem*, quæ adſtruit *Fundationem iſtam* (Cænobij Derienſis) *non-eſſe tam ſeram, ut aliqui* (Waræus ſcilicet, Alemandus, Echardus, & alij) *aſſerunt*, nempè Anno 1274, quod *nugatorium omninò eſt. Undè concludendum eſt, hanc Domum inceptam fuiſſe inter Confirmationis* (Ordinis) *Tempus, & Mortem S. Patris, aut citò poſteà, ità ut hæc Fundatio cenſenda ſit facta antè, vel INTRA DECENNIUM poſt Mortem S. Dominici.* Hæc ille.

VI. AST advertere debuit (Pace ipſius dixerim) quod ſi Res ità ſe habuerit, nempè *Derienſem* Conventum primum fuiſſe in *Hibernia Dominicana*, illiuſque Fundationem nonniſi *intrà Decennium* ab obitu S. Patriarchæ factum, nimis *ſeram* planè facit Propagationem Ordinis in hac Inſula. Cùm enim *S. Dominicus*, qui Anno 1170 Lucis Uſuram acceperat, ad Superos evolaverit Anno 1221,

---

(*p*) Civitas *Angliæ* primaria, quæ vernaculè *London*, latinè olim *Londonæ Londonarum*, nunc verò *Londinum Londini*, nuncupatur. Videſis Cap. ix. §. i. Num. i. Lit. c.

(*q*) Ità *Natalis Alexander* in Hiſt. Eccleſ. Sæc. xiii. & xiv. Part. i. Cap. iv. Art. iii; & *Graveſon* in Hiſt. Eccleſ. Tom. v. Colloq. v. *Romana* porrò *Provincia* tunc Temporis *Romam*, *Tuſciam*, *Campaniam*, *Maritimam*, atque *Regum Siciliæ* comprehendebat, ut liquet *ex Bullario Ordinis* Tom. vii. Pag. 50, primitùſque vocabatur *Provincia Tuſciæ*, ut clarebit ex infrà dicendis Cap. v. Num. v. Lit. p.; proindèque in ea exiſtebat Conventus Neapolitanus *S. Dominici*, nunc dicti *Majoris*.

(*r*) Locis mox laudatis.

(*s*) *In Actis SS.* Ad diem 13. Feb. Vol. II. Menſis Feb. Pag. 724.

(*t*) Videſis Cap. xvii. à Num. i.

(*u*) Pag. 3.

(*w*) Modò nuncupatur Civitas iſta *Londino-Deria*, ut opportunius explicabitur Cap. ix. §. xxiii. Num. i.

(*x*) Adeas Cap. xiii. Num. v.

1221, ut Lippis, & Tonſoribus notum eſt, indè ſequeretur, Ordinem in *Hibernia* plantatum fuiſſe circà Annum duntaxàt 1231, quem nimis *ſerum* eſſe Luce meridianâ clarius patet ex veteri Codice M.S. apud *Waræum* (y), quem quoad *Antiquitatem Conventuum Hiberniæ* (z) ſequi debemus, ut protinùs (a) oſtendetur. Indè ſiquidem conſtat, Sex Cænobia ante Tempus illud in *Hibernia Dominicana* fundata fuiſſe, nimirùm *Dublinienſe*, Anno 1224; *Pontanenſe*, eodem Anno; *Kilkennienſe*, 1225; *Waterfordienſe*, 1226; *Limericenſe*, 1227; & *Corcagienſe*, 1229. Immò Codicem illum M. S. apud *Waræum* Loco mox citato legenti ad Oculum unico Intuitu patebit, Viginti duo Cænobia in Quatuor *Hiberniæ* Nationibus ſtabilita fuiſſe ante realem *Derienſis* Fundationem, Anno 1274 factam, quinimmò & tria in ſua *Ultoniæ* Natione, *Pontanenſe* ſcilicet, *Villanovanum*, & *Colranenſe*. En porrò Verba Codicis M. S. apud *Waræum*, Scriptores Sæculi Eccleſiæ XIII recenſentem (*b*), itemque apud *Jacobum* noſtrum *Echardum* (*c*):

“ ANNALES Ordinis Prædicatorum ab Anonymo (*d*) Dominicano perducti ad Annum Chriſti “ 1274, quo floruit. Annalibus adjicitur Catalogus Subſequens omnium illius Ordinis Conventuum, “ qui in Hibernia fuerunt antè Annum 1300 ſecundùm Tempus, quo quiſque Conventus cæpit, diſ-“ poſitus.

“ Dublinij, Anno Domini,	1224.	“ Athlethanæ (aliàs Stradæ juxtà “ Athlethan),	1252.
“ Pontanæ,	1224.	“ Athyæ,	1253.
“ Kilkenniæ,	1225.	“ Roſcomaniæ,	1253.
“ Waterfordiæ,	1226.	“ Trimmæ,	1263.
“ Limerici,	1227.	“ Arcloæ,	1264.
“ Corcagiæ,	1229.	“ Roſſæ (aliàs Roſſæ Pontis) (*f*)	1267.
“ Molingaræ,	1237.	“ Youghallæ,	1268.
“ Athenriæ,	1241.	“ Lothoriæ (alias Lurchoæ), (*g*)	1269.
“ Caſſeliæ,	1243.	“ Rathbrannæ, (*h*)	1274.
“ Traleiæ,	1243.	“ Deriæ (*i*),	1274.
“ Newtonæ (*e*) in Agro Dunenſi,	1244.	“ Killociæ (aliàs Kilmalociæ),	1291.”
“ Bannimæ (aliàs Colranæ),	1244.		
“ Sligoæ,	1252.		

ANONYMO huic Dominicano ſuccinit alter Dominicanus ſuppar, & quidem magni Nominis, celebris nempè *Bernardus Guidonis*, Epiſcopus Lutevenſis (*k*), exhibens Statum Ordinis qualis erat ſub Exitum Sæculi Eccleſiæ XIII, in Codice MS. (*l*) ubi agens de Provincia *Angliæ*, ait, eam quatuor complecti Nationes, ſcilicet *Angliam* ipſam, *Walliam*, *Hiberniam*, & *Scotiam*. Porrò Triginta Octo exhibet Conventus in Natione *Angliæ*, Sex in *Wallia*, Viginti Qnatuor in *Hibernia*, & Tredecim in *Scotia*. Inter *Hiberniæ* autem Cænobia *Dublinienſe* ponit primum, *Derienſe* verò vigeſimum primum.

VII. CÆTERUM Vetus illud Manuſcriptum apud *Waræum* (& nunc quoque, ut præfertur, apud *Echardum* noſtrum) præ alijs Momentis, de Victoria Securus, appello, atque in Opellæ hujus

Decurſu,

(*y*) *De Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. ix.

(*z*) Sunt ipſiſſima Capituli Generaliſſimi mox laudandi Verba.

(*a*) Num. ſequenti.

(*b*) Loco mox allato.

(*c*) Tom. i. *Scriptorum Ordinis*, Pag. 348.

(*d*) Confer infrà dienda Cap. xv. Num. v. & ſeq.

(*e*) Vocatur Anglicè *Newtown*, Latinè autem *Villa Nova*, idemque eſt utriuſque, ſicut & Nominis Hibernici *Baillenu*, Senſus literalis, ut dicetur Cap. ix. §. x. Num. i.

(*f*) Nunc appellatur *Roſſe-Ibercan*, & per Sycopen *Roſbercan*, ut Cap. ix. §. xix. Num. i. explicabitur.

(*g*) Vernaculè *Lorragh*, ex Inflexione autem Idiomatum apud *Hibernos*, & *Anglos*, pronunciatur *Lorhoe*, & *Lorha*.

(*h*) Vernaculè pronunciatur *Rafran*.

[*i*] Adeas Cap. IX. §. xxiii. Num. i. Lit. a.

(*k*) Vulgò *Lodeves* in *Gallia Narbonenſi*.

(*l*) Apud noſtrum *Jacobum Echardum* in *Notitia Ordinis*, quam ſuo de *Scriptoribus Ordinis* præfixit Operi, Tom. I. Pag. vi.

Decurſu, Occaſionem nactus, indeſinenter appellabo, & quidem ut Morem geram, ut par eſt, Univerſo Ordini in Comitijs Generalibus, immò veriùs Generaliſſimis (*m*) Anni 1644, ſub Reverendiſſimo Sapientiſſimoque P. *Thoma Turco*, Cremonenſi, LVI Magiſtro Ordinis, in ijſdem electo, celebratis. Quippè Præclariſſimi Patres Tit. *Conceſſiones*, § *Pro Provincia Hiberniæ*, in hunc Modum ſanxerunt : “ Cum nihil authenticè innoteſcat de Conventuum hujus Provinciæ An-
“ tiquitate, ac Limitibus, ſeù Diſtrictibus eorundem, volumus, & decernimus, ut in poſterum
“ Priores inter ſe Locum habeant juxtà Antiquitatem ſuorum Conventuum, ex Veteri quodam
“ Manuſcripto Operâ D. Jacobi Waræi, Equitis Aurati, collecta (*n*), prout in Congregatione In-
“ termediâ Correnſi (*o*) ordinatum fuit Anno 1640. Ordinationem in hac Parte confirmamus, &
“ innovamus.” Subſequentia Decreti hujus Verba, cùm ad Rem præſentem haud ſpectent, alibi opportuniùs exſcribam (p).

VIII. Ut autem iterûm eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio; non me latet, *Fontanam*, *Malvendam*, alioſque Ordinis Noſtri Scriptores, autumare S. Patriarcham *Dominicum* perſonali ſuâ Præſentiâ hancce *Sanctorum Inſulam* (*q*) cohoneſtaſſe, in eaque excitaſſe Cænobium, quod *Domus Domini*, ſivè *Domus Dominici*, poſteà nuncupatum fuit. Verùm quandoquidem, ut ſcitè advertit *Alemandus*, qui *Monaſticon Hibernicum* Gallico Idiomate vulgavit, Auctores iſti Locum non aſſignent hujus Cænobij, neque id inter *Hiberniæ* Cænobia annumerent, hinc palàm colligitur, eſſe Rem valdé incertam, de qua ipſemet etiam *Fontana* dubitare videtur.

Adde, quod ſi *S. Dominicus* Domum iſtam, ſeù Cænobium, fundaſſet in *Hibernia*, aut inibi unquám extitiſſet, proculdubiò celebris fieret utriuſque Mentio in prælibatis Annalibus. Cùm namque eorum Auctor Anno 1274 floruerit, haud difficulter videre poterat *S. Dominicum*, aut Religioſos ſaltem S. Patriarchæ coævos; ſubindèque tantùm abeſt, quod in mox exſcripto Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo prætermitteretur, quin potiùs principem inter eos Locum occuparet. Et ſané quod intelligi nequeat de Cænobio *Derienſi*, ut vult *O-Heynus*, Sole Meridiano clarius patet, tùm ex eodem Conventuum Catalogo, ubi Cænobium *Derienſe* Loco vigeſimo tertio ponitur, utpotè Anno 1274 fundatum ; tùm ex alijs Scriptoribus, ſuo Loco (*r*) referendis, præſertim *Waræo* ſæpiùs laudato, qui nedùm *de Scriptoribus Hiberniæ*, atque *de Antiquitatibus Hiberniæ*, ſed etiam *de Præſulibus Hiberniæ* diſſerens, conſtanter affirmat, memoratum Cænobium præfato Anno 1274 excitatum. Sermonem quippè faciens (*s*) de *Gervaſio O-Cherballen*, Epiſcopo *Derienſi*, quem obijſſe narrat Anno 1279, hæc habet : *Eo Sedente, Anno nempè 1274, Cænobium Dominicanorum Deriæ exſtructum eſt.* Succinit *Harriſius* etiamnùm vivens, Loco mox citato laudandus.

En autem prælibati *Alemandi* Verba é *Gallico* Idiomate in *Latinum* à me verſa, quæ non abs Re, ſed plané opportunum erit in Medium afferre : “ Hic Ordo *(Prædicatorum)*, qui inter Quatuor
“ Ordines Mendicantium primus cenſetur, quatenùs Pontificium Diploma de Confirmatione illius
“ reliqua cæterorum Ordinum confirmativa Diplomata Tempore antecedit, tám citò fermé appa-
“ ruit in *Hibernia*, ac ei in alijs Europæ Partibus Cænobia excitarentur. *Fontana*, *Malvenda*,
“ nonnullique alij Dominicani volunt, ipſummet *S. Dominicum* in *Hiberniam* profectum fuiſſe, ibi-
“ que Ordinis ſui fundaſſe Domum, quæ *Domus Domini*, ſeù *Domus Dominici*, appellata eſt. Ve-
“ rùm quandoquidem non dicant, in qua Parte *Hiberniæ* ſita fuit Domus illa, neque eam inter a-
“ lias Ordinis annumerent, vehementer dubito, an unquàm in *Hibernia* fuerit *S. Dominicus*, &
“ pluſquàm dubius ſum, an talem adificaverit Domum. Neque ſolus Ego, ſed & ipſe *Fontana* me-
“ moratus ea de Re dubitare videtur. Autumat potiùs Auctor iſte, *Reginaldum*, qui unus fuerat
“ Sociorum

(*m*) Adeas Cap. vi. Num x.

(*n*) Legerem *collectam*, id eſt, Antiquitatem Conventuum collectam fuiſſe à *Waræo* ex veteri illo Manuſcripto.

(*o*) Corrupta Vox. Legendum : *Corkenſi*, aut ectiùs latinè *Corcagienſi*, vulgò *Cork*, in Momonia.

(*p*) Cap. vi. Num. x. Sect. 6.

(*q*) Hunc meruit, et aſſecuta eſt *Hibernia* Titulum, ut liquet ex Cap. præced. Num. v. Pag. 6.

(*r*) Cap. ix. §. xxiii. Num. ii.

(*s*) *De Præſulibus Hiberniæ*, Pag. mihi 68.

“ Sociorum *S. Dominici*, ad famigeratos *O-Donnellos* in Provincia (*t*) *Ultoniæ* ſe contuliſſe, com-
“ mendatitijs *S. Dominici* Favore ſui Ordinis Literis aſſociatum, dictoſque Nobiles *Hibernos* in-
“ cunctanter fieri feciſſe Cænobium in Oppido de *Londonderry* (*u*) magnificè constructum. Att
“ cùm Scriptores iſtius Ordinis Tempus Fundationîs Domûs hujuſmodi ante Annum 1274 non
“ ſtatuant, tantùm abeſt ut *primum* fuerit iſtius Ordinis Cænobium, quin potiùs *plurima* antè ipſum
“ extiterint. Invenio quippè Decem, Duodecimve ſub Initium Sæculi Eccleſiæ Decimi-tertij
“ extructa. Exempli Gratiâ, antiquius eſt Cænobium *Dublinienſe*, Anno 1224, ineunte ſcilicet
“ prælibato Sæculo, fundatum. Idem dic de *Pontanenſi*, quod eodem Anno conditum eſt. Iſta
“ ſequuntur *Kilkennienſe*, *Waterfordienſe*, *Limericenſe*, *Corcagienſe*, & quædam alia Cænobia, intrà
“ paucos abindè Annos extructa, ut ex infrâ dicendis patebit.”

IX. Subinde diſſerens laudatus *Alemandus* de recenſita *Domo Domini*, ſivè *Domo Dominici*, Rem illam, primâ Facie perdifficilem, enucleat hiſce, quæ ſubjungit, Verbis: “ Oſtendamus igitur
“ (inquit) cur Dominicani Scriptores aſſeruere, *S. Dominicum* in *Hiberniam* ſe contuliſſe, ibique
“ excitaſſe Cænobium, *Domum Domini*, ſivè *Domum Dominici*, nuncupatum. Pro hujus porrò Rei
“ Intelligentia animadvertas oportet, juxtâ concordem Scriptorum omnium *Hibernorum* Sententi-
“ am, *S. Modomnocum*, aliàs *Dominicum* (*w*), ex *Anglia* tranfretaſſe in *Hiberniam* quinto, vel, ut
“ nonnulli volunt, ſexto labente Sæculo, ibique Eccleſiam conſtruxiſſe in Regione *Oſſoriæ* (*x*),
“ quæ *Domus Domini* Nomen adepta eſt; huncque *S. Dominicum de Oſſoria* eum eſſe, qui Apes in
“ Hiberniam primus tulit. Hinc liquet iſtam *S. Dominici de Oſſoria* Eccleſiam ædificatam fuiſſe
“ ultra Sex Sæcula priuſquâm alter *S. Dominicus*, de quo impræſentiarùm eſt Sermo, naſcere-
“ tur (*y*).

X. Quod ad Literas attinet, à *S. Dominico* per Fratrem *Reginaldum* ad Principem *O-Donnellum* miſſas, benè memini *Romæ* exiſtens, P. Magiſtrum *Edmundum de Burgo*, Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologum, Virum percelebrem, atque indefeſſum Antiquitatum *Hiberno-Dominicanarum*

Perſcrutatorem

(*t*) Quatuor *Hiberniæ* Nationes paſsìm in Mappis, ut vocant , & Libris Geographicis, atque Hiſtoricis, *Provinciæ* appellari ſolent, ut etiam in alijs videre eſt *Europæ* Ditionibus, puta in *Gallia*, *Belgio*, & *Regno Neapolitano*.

(*u*) Adeas Notam ad Lit. w. Num v. hujus Capitis, Pag. 37.

(*w*) Sanctus ille *Hibernis* Scriptoribus nunc *Domnoc* eſt, nunc *Modomnoc*, adjectâ Initio Syllabæ *Mo*, quæ Pronomini *Meus* æquivalet. Latinis aliquandò *Modomnocus*, nonnunquàm *Dominicus*, qualiter nominatur à *Giraldo Cambrenſi*, in *Typographia Hiberniæ*, Diſt, I. Cap. V; *Petro Lombardo* (Natione *Hiberno*, qui obijt *Romæ* Anno 1625) Archiepiſcopo *Armacano*, in ſuis *De Sanctorum Inſula Commentarijs*, Cap. IV; *Jacobo Uſſerio*, Archiepiſcopo, item *Armacano*, (ſed Acatholico) de *Primordijs Britanicarum Eccleſiarum*, Pag. 954. Et rectè quidem, nàm hibernica Vox illa *Domnoc* eſt Originis latinæ derivata à *Dominicus*, ut & alia ei cognata Vox hibernica *Domnach* à *Dominica*. Hinc Vitam ipſius conſcribentes *Bollandus*, & *Colganus* ad Diem 13. Februarij, *S. Dominicum*, ſeù *Modomnocum*, *Oſſorienſem* eum nuncupant. Fuit porrò, ut obiter dicam, Epiſcopus Diœceſis *Oſſorienſis* in *Lagenia* Auſtrali, Patremque habuit Virum Principem ex Regia *O-Neillorum* Stirpe exortum. Fuitque Natione *Hibernus*, ut in confeſſo eſt apud omnes, inquiunt Scriptores mox laudati, Diſcipulus tamen *S. Davidis*, Epiſcopi *Menevenſis*, in Occidentali *Anglia*, ſeù *Cambriâ* (quam nunc *Walliam* vocamus), ex qua in Hiberniam ſexto Eccleſiæ Sæculo redijt.

(*x*) Conſulendum Cap. ix. §. xxx. Num i. ad Lit. f.

(*y*) Poſt hæc multus eſt *Alemandus* in diſſerendo obiter de Apibus, quæ *S. Dominicum Oſſorienſem* ex *Cambria* in *Hiberniam* comitatæ fuerant. Oſtendit autem (quod in Gratiam curioſi Lectoris hìc Loci ſubjungo) probabilius eſſe id intelligi de certo duntaxàt Genere Apum. Sunt quippè in *Hibernia* & domeſticæ, & Sylveſtres Apes, diverſi quoque Coloris, & Generis. Enimverò Apes, & Mella antè natum hunc *S. Dominicum* in *Hibernia* fuiſſe, evincit *Alemandus* ex irrefragabili Teſtimonio Regulæ *S. Ailbei*, in qua Num. xxxvii ſic legitur: *Cùm ſedent ad Menſam adferantur Herbæ, ſivè Radices, Aquâ lotæ, in mundis ſcutellis; item Poma, Cerviſia, & ex Alveario MELLIS ad Latitudinem Pollicis, id eſt, aliquot FAVI.* At *S. Ailbeus* Sæculo Eccleſiæ quarto cum *S. Patritio* in *Hibernia* floruit. Hinc ſequitur, *Hiberniam* Melle (proindèque & Apibus) tunc Temporis abundaſſe, quandoquidem Monachi, pauperem degentes Vitam, eo quotidiè veſcerentur. Undè Venerabilis *Beda* Cap. i. *Hiſtoriæ Gentis Anglorum*, de *Hibernia* loquens, ait: *Eſt dives Lactis, & MELLIS Inſula.* Recole quæ ex laudato Venerabili *Beda* exſcripta habes Cap. i. Num. vii. Pag. 10.

Perſcrutatorem (z), nullum non moviſſe Lapidem, ut per Amicos ſuos in Univerſa *Hibernia*, aut Originales Literas, aut earum Exemplar aſſequeretur, eo Conſilio, ut Reverendiſſimus noſter *Antoninus Bremond*, qui tunc Temporis *Bullarium Ordinis Prædicatorum* Prælo parabat, Rem adeò præclaram pro *Hiberniæ Dominicanæ* Gloria, & Honore, alicubi in Notis ſuis, aut Diſſertationibus, memoraret. Sed fruſtrà, nihil quippè, ſeù authographarum Literarum, ſeù cujuſcumque earundem Exemplaris, quantumcunque informis, & imperfecti, reperire erat, ut omnes illius Correſponſales uno Ore affirmabant, concludentes indè, ut ingenuè fatebantur, aliud ipſis non videri quàm purum putumque Commentum. Ipſe etiam, qui nuperis hiſce Annis, poſt meum ab Urbe Reditum in ſingulis ſingularum Quatuor *Hiberniæ* Nationum Comitatibus (*a*) fui, nullum prorsùs Literarum iſtarum, à *S. Dominico* ad Principem *O-Donnellum* datarum, Veſtigium invenire potui. Quinimmò haud ſemel audivi à Nobiliſſimo nuperrimè defuncto *Athenriæ* Barone, *D. Franciſco de Bermingham*, omnium hujus Regni Baronum Primore, ejuſque prænobili Sorore *Brigida*, D. *Georgij Browne* de *Neal* (*b*), Equitis Baronetti Viduâ, Traditionem Familiæ *Berminghamæ* ferre, præclariſſimum ipſorum Progenitorem, *Pierium de Bermingham*, primum Baronem *Athenrienſem*, Literas recepiſſe à Sanctiſſimo Patriarcha *Dominico*, quarum Intuitu ipſius Filius, & Hæres, *Milo de Bermingham*, ſecundus *Athenriæ* Baro, Opportunitatem inter Bellorum Calamitates nactus, Cænobium *Athenrienſe* Anno 1241, (Triginta Tribus proindè Annis *Derienſi* antiquius) extruxit, Sepulchrumque ſibi ſuiſque elegit Poſteris, quorum Exuviæ uſque ad Præſens in noſtra tumulantur *Athenrienſi* Eccleſia, ut ſuo Loco narrabitur (*c*). Quod igitur *O-Donnelli* ajunt, & *Berminghami*, idem fortaſſis, me inſcio, ajunt & aliæ per Univerſam *Hiberniam* ſpectabiles Familiæ; enimverò de Traditione *Berminghama* nunquàm, opinor, quidquam audirem, niſi cum nobiliſſima iſta Proſapia ingentem habuiſſem Neceſſitudinem, ut Conſanguinitatem taceam.

XI. SANE ſi Conjecturis adſit Locus, omniaque, ut par eſt, ſemoveantur Partium Studia, rectiùs quadrare videtur *Berminghama* Traditio quàm *O-Donnella*. Quippè nedúm *Waræus* refert, ſed & in confeſſo eſt apud omnes, *Athenrienſe* Cænobium à *Milone de Bermingham* fundatum fuiſſe, ipſumque *Milonem* ibidem ſepultum, ut uberiùs ſuo declarabitur Loco (*d*), ubi *Waræi* Verba opportuniùs exſcribentur. Neutrum tamen de Principe *O-Donnello* verificatur Reſpectu Cænobij *Derienſis*. Nemo ſiquidem adhuc dixit, eum, aut quemcunque ex ejus Poſteris, in *Derienſi* Cænobio, vel Eccleſia, tumulatum fuiſſe. Et quamquàm *Alemandus*, & quidem ipſe ſolus e Scriptoribus extraneis, ex Conjecturis dicere videatur, ab eo conſtructum fuiſſe Cænobium illud, hoc nihiloſeciùs Factum unicè fundat ſuper prætenſas *S. P. Dominici* ad laudatum Principem Literas, quas tamen nunquàm miſſas fuiſſe ipſemet opinatur *Alemandus*, ut ex ejus ſuperiùs (*e*) allatis Verbis Luce Meridianâ clarius patet.

CÆTERUM nollem indê ullatenùs minui Laudem & Gloriam præclariſſimæ, olimque regiæ *O-Donnellorum* Familiæ, quam ſummâ, ut par eſt, Veneratione, atque intimo Præcordiorum Affectu, proſequor, utpotè quæ ab Initio ſuperioris Sæculi haud exiguam Nationis *Ultoniæ* Portionem pro Fide, Rege, & Patria deperdidit.

XII. Ex his omnibus perſpicuè apparet, nullum adeſſe legitimum Fundamentum aſſerendi cum Certitudine aliqua, ne dicam Probabilitate, Divum Patriarcham *Dominicum* noſtram *Sanctorum Inſulam* ſeù perſonali Præſentiâ, ſeù etiam datis Literis cohoneſtaſſe. Prævideo planè haud deſuturos è noſtris *Hibernis*, minùs fortaſſe (abſit Injuria Verbo) ſenſatos, minùſve à Partium Studio

---

(*z*) De eo uberior redibit Sermo Cap. xv. Num. xxx.

(*a*) Conſulendum Cap. præced. Num. xi. Pag. 14.

(*b*) *Neal* eſt Caſtrum Allodiale *Brunorum* (Anglice *Browne*) in *Mayonenſi* Agro *Conaciæ*, è *Brunis*, Vicecomitibus de *Monte Acuto*, vulgò *Mountacute*, in *Angliâ*, adhuc Catholicis, oriundorum. Porrò prælibati *Georgij* Proavus, *Joannes*, inquam, *Browne* de *Neal*, creatus fuit Baronettus *Novæ Scotiæ* à *Carolo* Rege, hujus Nominis *Primo*, Literis Patentibus, Anno 1635 datis, in quas hiſce Diebus fortuitò incidi. Ipſius Pronepos, *Joannes Browne*, de *Weſtport*, creatus fuit *Baro* de *Mount-Eagle*. i. e. de Monte Aquilino, Anno 1760.

(*c*) Cap. ix. §. viii. Num. ii. ubi nonnihil de *Berminghama* Proſapia.

(*d*) Ibidem.

(*e*) Num. viii. hujus Capitis, Pag. 39.

alienos, qui mihi, ceù iſtam arripienti Gloriam *Hiberniæ Dominicanæ*, ſuccenſere non dubitabunt, idemque denuò præſtituros, cum alibi *(f)* tardiorem *Provinciæ Hiberniæ* in Ordine Prædicatorum Erectionem adſtuero. Aſt id, atque multo majora pati oportet pro Veritate, cui tam indivulsè in hujus qualiſcunque Opellæ Decurſu adhærebo, aut certè pro virili adhærere conabor, ut ab ea ne latum quidem Unguem deſciſcam. Palàmque ex intimo Corde profiteor, me uſque adeò velle, certam fuiſſe ſingularem illam *Hiberniæ Dominicanæ* Gloriam, ut per Univerſam, quà latè patet, *Europam* peragrarem, atque ad remotiſſimas navigarem *Americæ* Oras, ſi Spes firma affulgeret authenticum de ea Monumentum inveniendi. Idque profectò, Cedro utique dignum, principem in Hiſtoriola hac Locum Jure merito occuparet.

Sane ſi Apologiam texere mibi Opus foret, haud parùm juvarent quæ doctiſſimus *Waddingus*, Annalium Ordinis Minorum Parens accuratiſſimus, de ſuo habet *Hibernia Franciſcana*. Is enim Veritati, ut par eſt, conſulens, ait (*g*): *Communis Fratrum Traditio (ſi hoc Nomen meretur) vult à S. Franciſco circà Annum* 1214 *deſtinatos in Hiberniam Minores.* Et alibi (*h*) dixerat: *Tradunt Noſtrates, etiam tunc* (Anno 1214) *ad ſe miſſum in Hiberniam unum ex S. Franciſci Socijs ex Civitate Compoſtellana, idque eo Tempore, quo ejuſdem Civitatis extruebatur Conventus.* Dein, paucis interjectis, ingenuè ſuffragatur quibuſdam Hiſtoricis aſſerentibus, Fratres Minores Anno duntaxàt 1230 in *Hiberniam* adveniſſe, *utpotè VETUSTIS, & CANDIDIS Rerum Hibernicarum Obſervatoribus, SINCERAQUE & CONSTANTI aſſertione CONCORDIBUS, præſertim cum oppoſitam Traditionem nullius ex ſuperioribus Sæculis Teſtimonio Nobis conſtet ab antiquis ad recentiores deſcendiſſe.* Poſtmodùm eodem Candore ſubjungit: *Accedit, quod communiter feratur, Dominicanos in Hiberniam, & in Angliam, priores veniſſe, quorum Adventûs Annum ſtatuunt duo Codices antiqui Hibernici Manuſcripti Milleſimum ducenteſimum vigeſimum ſextum (i).* Tandem Vir eruditiſſimus poſt relatas alibi (*k*) varias variorum Scriptorum eâ de Re Opiniones, ſuum modeſtè interponens Judicium, concludit: *Judicaverim itaque conciliandas facilè diſcrepantes illas Sententias; nam verè probabile videtur, ut vult communis Fratrum Conſpiratio, penetraſſe in illud Regnum Minorem aliquem, ut habet Gonzaga (l), S. Franciſci Socium, ipſo adhuc vivente, ibique aliquamdiù laboraſſe, ſed poſt aliquot Annos, non obtentâ ſibi ſuiſque Sede vel rediiſſe, aut aliò tranſiiſſe, vel extremum Diem clauſiſſe. Deindè iterùm ſubmiſſos alios plures circa hoc Tempus* (A. 1230), *qui varijs in Urbibus prædicantes, tandem Habitacula acquiſierunt, atque de hac ſecunda Miſſione magis notâ, obtentis Domicilijs ſtabilitâ, intelligendos poſteriores Auctores.* Nonnè idem & Ego dicere potero, ſi *Fr. Reginaldum* à *S. P. Dominico* in *Hiberniam* miſſum fuiſſe, gratis concedam?

Obiter demùm advertas velim, laudatum *Waddingum*, poſt ultimò recenſita Verba aſſerere, *Conventum Youghallenſem eſſe omnium primum* (in Hibernia Franciſcana) *à Mauritio Geraldino extructum* eodem Anno, ſcilicet 1230. Ex quo, & ex ſuperiùs dictis (*m*) liquet, Hiberniam *Dominicanam* eſſe *Franciſcanâ* Sexennio ſeniorem, eamque antè Annum illum 1230 ſex habuiſſe Cænobia, *Dublinienſe* nimirùm, *Pontanenſe*, *Kilkennienſe*, *Waterfordienſe*, *Limericenſe*, & *Corcagienſe*.

XIII. Si autem quæras, benigne Lector, quem Ego, Scriptorum minimus, ſentiam, primum fuiſſe Fratrum Prædicatorum in *Hiberniam* Introductorem? Ingenuè dicam, eundem fuiſſe Nobiliſſimum *Mauritium Geraldinum* (Anglicè *Fitz-Gerald*) Baronem *Ophaliæ* (*n*), Comitis *Kildarenſis* Proge-

---

(*f*) Cap. iv. Num. v.

(*g*) In *Annalibus Minorum* ad Annum 1230, Num. xix.

(*h*) Ad Annum 1214. Num. xi.

(*i*) Codices iſti parùm aberrant, proindèque & nihil moraliter loquendo, juxtà tritum illud Proloquium: *Parum pro nihilo reputatur.* Atque illud: *Quod parum diſtat nihil diſtare videtur.* Enimverò nonniſi Anno 1224 fundati fuere duo antiquiores *Hiberniæ Dominicanæ* Conventus, *Dublinienſis* nempè, & *Pontanenſis*, ut conſtat ex ſuperiùs (Cap. præſ. Num. vi.) recenſito M. S. Codice, ab ipſiuſmet Ordinis Prædicatorum Alumno, (qui primos *Hiberniæ* Dominicanos videre poterat) exarato, cui proindè major eſt adhibenda Fides.

(*k*) Ad Annum 1230, Num. xx.

(*l*) In *Provincia Hiberniæ* parùm poſt Initium, ut *Waddingus* ipſe citat ad Annum 1214, Num. xi.

(*m*) Cap. Præſ. Num. vi. Pag. 38.

(*n*) Anglicè *Offaley*, Hibernicè *Hy-Falgia*. Antiquum olim erat Territorium partìm in Comitatu *Kildaræ*, partìm in Comitatu *Regis*, partìmque in Comitatu

Progenitorem, atque Regni *Hiberniæ* Proregem *(o)*. Id quippè deſertis Verbis politiſſimus hujus Ævi Scriptor, *Dublinij* etiamnùm vivens, Natione Anglus, *Joannes*, inquam, *Lodge*, Pro-Magiſter *Rotulorum* (*p*) Cancellariæ hujus Regni, atque Pro-Cuſtos Archivi Regij in Arce *Dublinienſi*, qui ex Locis iſtis verè authenticis, alijſque invictæ Fidei Monumentis, *Relationem Genealogico-Hiſtoricam ſingulorum Regni Hiberniæ Parium*, ſeû Procerum, in Quatuor Volumina juſtæ Molis digeſtam, eruditè juxtà & accuratè lucubravit; quique in Præliminari Comitis *Kildaræ* Genealogia, *Dublinij* Anno 1745 editâ, Pag. 10, hæc habet Anglicana Verba, de laudato *Mauritio Geraldino* loquens: *In an ancient Manuſcript I find him ſaid to be the Perſon, that firſt brought the Orders of Friers, Minors, and Preachers, into Ireland.* Quæ Verba ſic latinè reddo: *In antiquo Manuſcripto narratum invenio, eum eſſe, qui primus accivit Ordines Fratrum Minorum, & Prædicatorum in Hiberniam.* Id porrò Manuſcriptum Folio Membraneo aſſervatur in Scrinijs permagnæ celebriſque Bibliothecæ Academiæ *Dublinienſis*. Quod tamen meherclè haud viderat *Waræus*, aliàs quippè idem de Fratribus Prædicatoribus aſſeruiſſet, quod de Minoribus, de quibus loquens in *Yougballenſis* eorum Conventûs Fundatione (*q*), ait: *Mauritius Filius Geraldi* (*r*) *Minoritis Cænobium ad Auſtrum Oppidi extruxit circâ Annum Domini* 1231. *Obijt is* 8 *Maij* 1257, *Habitu Fratris Minoris ſuſceptô, & in Eccleſia ejuſdem Cænobij tumulatus eſt.* IS PRIMUS DICITUR, QUI HUNC ORDINEM IN HIBERNIAM DUXIT.

CÆTERUM Vero ſimillimum eſt, rectèque quadrare videtur, quod ex veteri illo M. S. refert *Lodgæus*, nempè *Mauritium*, ſæpiùs laudatum, non tantùm Fratres Minores, ſed & Prædicatores in *Hiberniam* acciviſſe, ut vel ex eo conſtat, quod nedùm Dominicano Ordini *Sligoæ*, in Agro ejuſdem Nominis *Conaciæ*, Cænobium extruxerit, ut ex ipſomet *Waræo* alibi dicetur (*s*), verùm etiam in uno *Yougballæ* Oppido, in *Corcagienſi* Agro *Momoniæ*, utrique Ordini ædificaverit Domum, etſi Dominicanam haud perfecerit Morte præventus, ſed perficiendam reliquerit Filio ſuo *Thomæ*, qui ſuis utique Sumptibus eam compleri curavit, Diemqne claudens extremum Anno 1260, ibidem humatus fuit, ut ſuo Loco datâ Operâ enarrabitur (*t*). *Joannes* inſuper *Geraldinus*, iſtius *Thomæ* Filius, Fratribus Prædicatoribus Cænobium excitavit *Traleienſe*, in *Kerrienſi* Agro *Momoniæ*, ut ſuo item Loco declarabitur (*u*), idque, ut obiter dicam, teſtatur *Waræus* (*q*) his Verbis: *Joannes Filius Thomæ* (*Geraldinus*) *fundavit ibi* (Traleiæ) *Conventum Ordinis Prædicatorum Anno* 1243. *In Eccleſia hujus Conventûs ipſe, & Mauritius Filius, â Mac-Cartæo occiſi, ſepulti ſunt Anno* 1261.

XIV. Hæc cùm itâ ſint, & cum aliàs *Dublinienſe* Cænobium, omnium ad Fratres Prædicatores in *Hibernia* ſpectantium, Teſtibus prælibato veteri M. S, *Waræo*, *Echardo*, *Alemando*, & *Harriſio*, primum, Anno 1224 fuerit fundatum, & quidem ex gratioſa Monachorum *Dublinienſis* Abbatiæ *B. Mariæ*, Ordinis Ciſtercienſis *S. Bernardi*, Donatione (*w*), facilè adducor ut credam, ſæpè laudatum *Mauritium Geraldinum*, ab Hiſtoricis, ceù Virum Opere potentem & Sermone, ſummis Encomijs celebratum, *Dublinij*, primariæ Regni Civitatis, ex Officio Proregis reſidentem, Auctorem fuiſſe, ſivè Operam, bonave adhibuiſſe Officia, ut Fratribus Prædicatoribus, à ſe in *Hiberniam* accitis, *Ciſtercienſis S. Mariæ* Abbatia filiale ſuum *S. Salvatoris* Cænobium liberaliter donaret, dùm intereà *Mauritius* ipſe, ejuſque Filius *Thomas*, atque ex Filio hoc Nepos *Joannes*, ejuſdem Prædicatorum Ordinis Fratribus, ergà quos pecularem gerebant Amorem, *Traleienſem*, *Sligoenſem*, & *Yougballenſem* Domos ædificandas, & Proventibus dotandas, excogitarent.

Comitatu *Reginæ* ſitum. Nunc verò, juxta recentiorem Regni in Comitatus Diviſionem, integrè continetur intrà Limites Agri *Kildarenſis*, eſtque Baroniarum illius una. Nonnihil porrò de præclariſſima *Geraldinorum* Progenie commodiùs dicetur Cap. ix. §. x. Num. 2. Lit. c.

(*o*) *Waræus* in *Annal. Hiber.* ab A. 1219. ad 1229, & alij paſsìm.

(*p*) Adeas Cap. xiii. Num. xlvii. Lit. x.

(*q*) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi.

(*r*) *Mauritius* iſte Filius erat *Geraldi Geraldini*, primi *Ophaliæ* Baronis, ut fuſiùs opportuniùſque declarabitur Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c.

(*s*) Cap. ix. §. xiii. Num. ii, & ſeq.

(*t*) Cap. ix. §. xx. Num. ii

(*u*) Cap. ix. §. x. Num. ii.

(*w*) Adeas Cap. ix. §. i. Num. ii.

XV. Ex his perſpicuè apparet, certo certius conſtare, Ordinem Prædicatorum in *Hibernia* plantatum fuiſſe Anno 1224 per *Dublinenſis*, & *Pontanenſis* Cænobiorum Fundationem; adhuc autem incertum eſſe, quo præcisè Anno Fratres iſtius Ordinis in prælibatum *Hiberniæ* Regnum primò advenerint. Crediderim tamen id eveniſſe vel paulò poſt Annum 1221, vel ipſo Anno 1221, quo à Comitijs Generalibus, ſub ipſo *S. Dominico* celebratis *Bononiæ*, tredecim in *Angliam* miſſi fuere Fratres (x), quorum unus, *Reinerius* Nomine, alijs *Reginaldus*, aut *Raynoldus*, Natione *Hibernus*, poſtmodùm Archiepiſcopus *Armacanus* (y), in *Hiberniam* trajecit, ut *Echardus* noſter rectè opinatur (z), aliquot quippè Annis in *Hiberniæ* Partibus Fratres noſtros extitiſſe neceſſe eſt, priuſquàm memorata Cænobia aſſequerentur.

Quod ſi autumare quiſpiam vellet, Fratres noſtros in *Hiberniam* primò adveniſſe ex *Scotia*, utpote magis propinquâ (*a*), reſponderem id infundatè dici, tùm quia etſi *Hiberniæ* propinquior ſit *Scotia*, quàm *Anglia*, *Hibernia* tamen, & *Anglia* eidem erant ſubditæ Regi, adeòque ex *Anglia* potiùs venire debebant Fratres noſtri, ut de Minoritis ſuis exiſtimat *Waddingus* (*b*), quia, ut ſcitè advertit, *ſub illis Annis quotidié in Hiberniam transfretabant Angli pro eadem ſubjugandâ Henrico Regi* (Secundo), *vel pacificandâ*. Tùm vel maximè quia Fratres Prædicatores *Scotiam* ipſam ingreſſi non ſunt uſque ad Annum 1230, ut ad Evidentiam oſtendit laudatus *Echardus*, qui poſtquâm ſuam prodit Sententiam de Adventu Fratrum Prædicatorum in *Hiberniam* circà Annum 1221, ſubdit: “Scotiam, etſi Angliæ finitimam, non tam citò noſtros intraſſe conſtat ex Chronico Maylroſſenſi Pag. 200, ubi ſic legitur: *Anno Domini* MCCXXX *primò ingrediuntur Scotiam Fratres Jacobini, quos allexit Alexander* II *Rex, & in magna Teneritudine tanquâm Patronus, & Procurator ſingularis eis aſtitit, aſſignavit Loca, ornavit, ac fundavit.* Chronicon illud M. S. membraneum, Sæculo XIII ſcriptum, ſervatur etiamnùm in Angla in celebri Bibliotheca Cottoniana, viditque D. Ines Scotus, Vir eruditus, Pariſijs hoc Anno 1717 agens, ac illuſtrandæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scotiæ incumbens, à quo & Notitiam iſtam accepi, qui & conjicit, è Domo *San-Jacobea* Pariſienſi primos noſtros Sodales à Rege Alexandro laudato accitos, quia in ipſo in Scotiam Ingreſſu dicti ſunt *Jacobini* (*c*), non verò ex Anglia, in qua hoc Nomine noſtros audijſſe nuſpiam legitur.” Hæc *Echardus*.

XVI. Quia

(x) Audiamus pauliſper hac de Re celebrem Sæculi XIV Scriptorem, *Nicolaum Trivetum*, Anglo-Dominicanum, Cænobij noſtri *Londinenſis* Alumnum, in *Chronico* ad Annum 1221 ajentem: “De ſecundo Capitulo Generali Fratrum Prædicatorum, quod ſub B. Dominico celebratum eſt *Bononiæ*, hoc Anno miſſi ſunt Fratres Prædicatores in *Angliam*, qui Numero Tredecim, habentes Priorem Fratrem Gilbertum de Fraxineto (*du Freſnoy*), in Comitiva Venerabilis Patris D. Petri de Rupibus (*de la Roche*) Wintonienſis (*Wincheſter in Anglia*) Epiſcopi, Cantuariam pervenerunt, ubi cum ſe D. Stephano (*Cardinali Langton*) Cantuarienſi Archipræſuli præſentaſſent, audito quod Prædicatores eſſent, ſtatim F. Gilberto impoſuit ut coram ſe Sermonem faceret in Eccleſia quadam, in qua ipſemet propoſuerat eodem Die prædicare. Cujus Verbis admodûm ædificatus Pontifex, toto ſuo Tempore Religionem Fratrum Prædicatorum, & Officium proſecutus eſt Gratiâ & Favore. Progredientes autem Fratres de Cantuaria, venerùnt Londonias in Feſto S. Laurentij, & ulteriùs Oxoniam in Feſto Aſſumptionis Glorioſæ Virginis, in cujus Honore Oratorium conſtruxerunt, & habebant Scholas illas, quæ nunc *S. Eduardi* dicuntur, in cujus Parochia Locum acceperant, in quo Tempore aliquo morabantur. Sed cùm non eſſet Opportunitas locum ſufficienter dilatandi, tranſtulerunt ſe ad Locum, à Rege (*Henrico* III) eis conceſſum, ubi nunc habitant extrà Muros.” Ex quibus Verbis has tres Domos, *Cantuarienſem*, *Londonienſem*, ſeù *Londinenſem*, & *Oxonienſem*, primas *Provinciæ Angliæ* fuiſſe, colligas cum *Echardo* noſtro Tom. i. *Scriptorum Ordinis*, Pag. 21. Col. ii.

(y) Conſulendum Cap. xiii. Num. v.

(z) Tom. i. Pag. 41. Col. ii, & Pag. 105. Col. ii.

(a) Adeas Cap. i. Num. ix. Pag. 12.

(b) *Annal. Minor.* ad Annum 1230.

(c) Per univerſum quà latè patet *Galliarum* Regnum Fratres Prædicatores nuncupantur vulgò *Jacobini* à *Pariſienſi* Cænobio *S. Jacobi*, utpotè in primaria *Galliarum* Urbe. In *Anglia* autem *Nigri Fratres*, vernaculè *Black-Friers*, paſsìm appellantur, ut jam vidimus Num. iv hujus Capitis, Pag. 26.

XVI. QUIA huc flectit Oratio, placet pro Coronide hujus Capitis nonnihil libare de *Anglia Dominicana*, cujus Provinciæ in Ordine Fratrum Prædicatorum *Hibernia* erat Pars uſque ad Annum 1484, ut ex infrà dicendis (*d*) clarebit. Memoratum porrò Ordinem noſtrum ab ipſiſmet Incunabulis in *Anglia* magnoperè floruiſſe Luce meridianâ clarius patet. Imprimis quippè erecta fuit in Provinciam Ordinis, vivo adhuc S. P. *Dominico*, ut vel ex *Chronico* liquet *Magiſtrorum Generalium* protinùs (*e*) laudando, ubi numeratur *Anglia* inter Octo Ordinis Provincias, ab ipſomet S. Patriarcha inſtitutas.

INSUPER primus ex Ordine Prædicatorum aſſumptus ad Inſulas fuit Natione *Anglus*, nempè *Gualterus Malus-Clericus*, vulgò *Mauclerk*, Epiſcopus *Carleonenſis*, vulgò *Carliſle*, ſeù, ut *Angli* pronunciant, *Carlile*, in Boreali *Anglia*, ſub Archiepiſcopo *Eboracenſi*, vulgò *York*, Anno 1223. *Honorio* III Summo Pontifice, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*f*) legere eſt.

ULTERIUS *Anglia* in primo Dominicani Ordinis Sæculo Quatuor habuit S. R. E. Cardinales, *Robertum* ſcilicet *Kilwarbium*, Archiepiſcopum *Cantuarienſem*, à *Nicolao* III, Anno 1278 (g) ; *Gulielmum Mackelsfeldium*, à *B. Benedicto* XI, Anno 1303, ſed antequàm Purpurâ reapſè ornaretur, mortuum, dùm à Comitijs Generalibus *Biſuntinis* (*b*), ubi Definitor *Angliæ* extiterat, in Patriam regrederetur ; *Gualterum de Winterburn*, Regis Anglorum *Eduardi*, hujus Nominis *Primi* (*i*), Confeſſarium, à laudato *B. Benedicto* XI, Anno 1304 ; *Thomam Joiſium*, vulgò *Joyce* (*k*), Provincialem *Angliæ*, atque eidem *Eduardo* Regi à Confeſſionibus, olim *B. Alberti Magni* cum Angelico Doctore Diſcipulum, à *Clemente* V, Anno 1305, creatos (*l*).

DEMUM antè medium Sæculum *Dominicanum*, Duo Comitia Generalia Ordinis *Londini*, ſeù *Londonis*, aut apud *Londonias*, ut eâ Tempeſtate loquebantur, habita fuere, Anno nimirùm 1250 (*m*) ſub

---

(*d*) Cap. iv. Num. vi ; & Cap. xiv. Num. i.

(*e*) Cap. ſeq. Num. i. Pag. 47.

(*f*) Tom. i. Pag. 17.

(*g*) Hic Legatus à Latere à *B. Gregorio* X. conſtitutus *Eduardum* inunxit in *Angliæ* Regem Anno 1274, ut refert *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. i. Pag. 540.

(*b*) Vulgò *Bezanzon*, in *Burgundiæ* Comitatu, vulgò *Franche Compte*, qui in Ditionibus eſt Regis Chriſtianiſſimi.

(*i*) Scriptores *Itali*, *Galli*, alijque paſsìm Extrates, *Eduardum* iſtum Regem dicunt hujus Nominis *Quartum*, eò quia tres fuerunt antè ipſum *Anglorum* Reges Nomine *Eduardi*, quorum *Secundus* erat *S. Eduardus* Martyr. *Tertius* verò erat hujus ex *Ethelredo* Fratre Nepos, *S. Eduardus*, Cognomento *Confeſſor*, de quo Feſtum celebrat Univerſa Eccleſia ſub Ritu Duplici Die 13. Octobris. Iſque, ut obiter dicam, primus fuit qui Gratiam habuit Curationum Chæradis, aliàs Scrophulæ, ſeù Strumæ, vulgò *Morbi Regij*, quæ Gratia in reliquos deſcendit *Angliæ* Reges. Nihilominùs quia *Angli* moderni Epocham ſuorum Regum incipiunt à *Conquæſtu*, ut vocant, *Normannico*, hoc eſt ab Anno 1066, quo *Gulielmus* Dux *Normanniæ*, Victor *Angliæ* evaſit, ſicut & ejuſdem Rex ; hinc *Eduardum*, qui computari deberet Quartus, dicunt *Primum* ; qui Quintus, *Secundum* & ſic de reliquis.

(*k*) Adeas Cap. ſeq. Num. ix. Lit. i.

(*l*) Hæc omnia legere eſt in *Chronico Magiſtrorum Generalium*, Cap. viii, ix, & x: in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 37 ; Tom. ii. Pag. 102, 102, & 124.

(*m*) Non abs Re erit hìc Loci in Latinum vertere quæ de Provincia noſtra Matrice habet hujus Ævi Scriptor, *Joannes Stephens*, in *Monaſtico Anglicano*, impreſſo *Londini* 1722, Vol. II. Pag. 191, nempè : " Anno 1221 *Dominicani*, paſsìm dicti " *Nigri Fratres* ab exterioris Veſtis Colore, in " *Angliam* advenerunt, primumque ſuum Cænobium fundarunt *Oxoniæ* eodem Anno. Paulo " poſt ipſis excitata fuere Cænobium & Templum " *Londini* in Suburbio de *Holbourne*, huic Rei primam adhibente Operam *Huberto de Burgo*, " Comite *Cantij*, vulgò *Kent*, qui, inter alia etiam " Beneficia, propriam illis donavit Domum, quam " poſteà Archiepiſcopo *Eboracenſi* divendidere. " Sed *Henricus* Rex viii eandem, à Cardinali " *Woolſeo* (*Eboracenſi* Archipræſule) ablatam, " Palatium fecit Regium, idque *Albam Aulam* " (Anglicè *White-Hall*) vocari juſſit. Circà Annum Domini 1250 habitum fuit eo in Cænobio " Capitulum Generale Quadringentorum Patrum, " quos omnes benignè excepit Rex *Henricus* III, " atque primæ Diei Expenſas exolvit, & cum præſens eſſet in Capitulo cum ipſis quoque pranſus eſt. Sequentis Diei Expenſas exolvit Regina Nomine *Eleonora*, Filia *Raymundi*, Comitis " *Provinciæ* ; tertiæ Diei Epiſcopus *Londinenſis* ; " quartæ Diei Abbas *Weſt-Monaſterij* ; quinta Diei ſub Quarto Magiſtro Ordinis, *B. Joanne Teutonico* (*n*); & Anno 1263 ſub Quinto Magiſtro Ordinis, *B. Humberto de Romanis*, Gallo, Generalatui tunc cedente, in quibus Angelicus Doctor Jure Suffragij, ut anteà dicebam (*o*), pro Provincia *Romana* potitus eſt. Duo etiam alia Temporis Progreſſu ibidem celebrata fuere Generalia Comitia ſcilicet Anno 1314 ſub *P. Berengario de Landorra*, Gallo, XIII Magiſtro Ordinis, poſtmodùm Archiepiſcopo *Compoſtellano*; & Anno 1335 ſub *P. Hugone de Vancemain Campano*, item Gallo, XVI Magiſtro Ordinis. Inſuper *Oxoniæ* in *Anglia* habita fuere Comitia Generalia Anno 1280 ſub *P. Joanne de Vercellis*, Pedemontano, VI Magiſtro Ordinis. Hæc obiter de Provincia noſtra Matrice.

CAPUT TERTIUM.

De duobus prioribus *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculis, ab Anno ſcilicet 1224 ad 1424, eâ in Provinciam Ordinis nondùm erectâ, ſed Provinciæ *Angliæ* Natione exiſtente.

SUMMARIUM.

I. Hibernia Dominicana *intrà medium Sæculum Viginti Tria poſſedit Cænobia, quæ utique pro Provinciæ novæ Erectione ſufficiebant, ut ex primæva Ordinis Diſciplina, quæ obiter expenditur, liquet.*

II. *Etſi plura in* Hibernia Dominicana *celebrata fuerint Capitula, Provinciæ tamen Titulo donata non fuit nèque de Anno* 1300, *ſed ſuberat Provinciali* Angliæ, *qui Vicarium* Hibernigenam, *quamquàm ab ipſiſmet* Hibernigenis *electum, conſtituebat.*

III. *Id luculenter conſtat vel ex* Alexandri IV *Conſtitutione, quæ verbatim exſcribitur.*

IV. *Id etiam, haud obſtante tot Capitulorum Celebratione, liquet ex Ordinationibus Rmi* P. Berengarij de Landorra, XIII *Magiſtri Ordinis, in Comitijs Generalibus* Londinenſibus *Anno* 1314 *pro* Hibernia *factis, quæ in integrum traduntur.*

V. *Objicitur*

“ Abbas *S. Albani*; ſextæ Diei Abbas *Walthami*, & ſic ſucceſſivè alij Prælati, & Proceres. “ Anno 1276 Prætor, & Senatores Urbis *Londinenſis* duos ipſis conceſſerunt Vocos propè *Thameſim* Flumen, ubi *Robertus Kilwarby*, ejuſdem “ Ordinis Alumnus, ad Archiepiſcopatum *Cantuarienſem* jàm anteà evectus, novam conſtruxit “ illis Domum Conventualem, quæ tametſi Solo “ æquata ſit, Locus tamen *Black Friers* (i. e. *Nigri Fratres*) uſque in hodiernum Diem nuncupatur. “ In Cænobio hoc Comitia Regni (vulgò *Parlamentum*) habita fuere Anno 1490 ſub *Henrico* Rege “ VII. Iterùm Anno 1524, Rex *Henricus* VIII “ eadem hic aperuit . . . . . . in quibus cùm “ immenſa Pecuniæ Summa à Populo extorta fuiſſet, “ ideò *Parlamentum Nigrum* dicebatur.” Idemque Scriptor Vol. II Pag. 202, de Cænobio iſto *Londinenſi* diſſerens, ait: “ Ibidem habitabat *Carolus* V Imperator Anno 1522.” Confer Cap. iv. Num. xvi. Lit. m.

(*n*) Præclarus hic Vir, *Teutonicus* à Patria cognominatus (quem *S. Antoninus*, III. Part. Chron. Tit. xxiii. Cap. xi. *Bonitate conſpicuum, Aſpectu, & Affatu gratioſum, multiplici Idiomate eruditum*, prædicat, ac *viventem defunctumque Miraculis claruiſſe*) fuit *Boſonenſis* id *Hungaria* Epiſcopus, ſed Ceſſione factâ de Licentia Summi Pontificis, ad Ordinem reverſus eſt, ac deindè Generalis totius Ordinis Magiſter in Comitijs *Pariſienſibus* Anno 1241 electus. Quod Onus cùm renueret, Exemptionem ob Characterem Epiſcopalem prætendens, ſubire ex Obedientia compulſus eſt Pontificio *Gregorij* IX. Diplomate. Hinc *Nicolaus Trivetus*, Natione *Anglus*, quem præ Manibus teneo, hæc habet in *Chronico* ad Annum 1241, de *Joanne Teutonico*: “ Hic Magiſter cùm eſſet in quadruplici “ Lingua, videlicèt Teutonica, Gallica, Italica, & “ Latina, Prædicator egregius, de Priore Provinciali “ Hungariæ, factus eſt Epiſcopus Boſonenſis: ſed a “ Papa Gregorio, cùm in Deſiderio haberet Secretum Contemplationis, per magnam Inſtantiam “ Ceſſionem obtinuit, nullâ ſibi Proviſione retentâ. “ Cùm autem in Magiſtrum Ordinis electus eſſet, “ & ut Prælationem talem refugeret, Pontificalem “ vellet Ordinem allegare, porrecta eſt in contrarium Litera Papalis decernens, quod cùm abſolutus eſſet à Cura Paſtoralis Regiminis, & per “ conſequens ſub Obedientia Ordinis conſtitutus, “ debuit in recipiendo Officium Ordini obedire: “ Sed tamen cùm in multis Privilegijs procurat “ per eum Dominus Papa ſcribat ei, non tant “ *Flium*, ut alios Magiſtros, ſed, ut cæteros Epiſcopos, *Venerabilem Fratrem* appellat.” Videſis *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 70, & 130.

(*o*) Num. v. hujus Capitis, Pag. 37.

V. *Objicitur*, Hiberniam *in* Chronico *ſeorſim ab* Anglia *recenſeri inter Ordinis Provincias, quæ, Eceleſiâ diro Schiſmate laborante, adhæſerant vero Pontifici* Urbano VI, *novumque elegerunt Generalem Anno* 1380.

VI. *Indè tamen non ſequitur* Hiberniam *fuiſſe tunc Provinciam in Ordine ab* Anglia *ſegregatam, ut multis Momentis ex ipſomet* Chronico *evincitur.*

VII. *Omne ea de Re eximit Dubium Conſtitutio* Bonifacij IX *circà Cauſam juridicæ Appellationis* Provinciæ Angliæ, & Nationis Hiberniæ *à Magiſtro Ordinis* Elia Raymundi *ad Sedem Apoſtolicam. Exſcribuntur Literæ tam judicatoriæ, quàm confirmatoriæ, A.* 1370.

VIII, *Rem adhuc luculentiùs exprimit alia* Bonifacij IX *Conſtitutio prælibatas Magiſtri Generalis* Berengarij de Landorra *Ordinationes inſerens, & confirmans, quæ propterea de Verbo ad Verbum tranſcribitur, A.* 1397.

IX. *Nihilominùs* Hibernia Dominicana *duobus prioribus hiſce Sæculis Triginta unum acquiſivit Cœnobia, pluresque habuit Viros, Doctrinâ, & Pietate claros, quorum haud pauci ad Infulas promoti fuere, & nonnulli Lucubrationibus ſuis Eccleſiam illuſtrarunt. Spectabiles item evaſere Conventuum Superiores.*

X. *Lites quædam Clerum Sæcularem inter, & Regularem in* Hibernia *exortæ Originem duxerunt à* Gulielmo de S. Amore, *cujus iniquæ Propoſitiones in Medium afferuntur.*

XI. *Atque Sectatore ipſius* Joanne de Poliaco, *cujus etiam Errores referuntur.*

XII. *Contentiones iſtæ ab Initio in* Anglia *fervebant, ignotæ tamen in* Hibernia *uſque ad Tempus* Richardi Fitz-Ralph, *Archiepræſulis* Armacani, *qui Repulſâ quâdam irritatus,* Anglicanas *Diſceptationes expanſo ſuſcepit Sinu, ſed ad Apoſtolicam Sedem, inſtantibus Regularibus, citatus, Lite cecidit.*

XIII. *De veris Altercationum iſtarum Cauſis audiendi Reverendiſſimus* Bremond, & *Clariſſimus* Waddingus.

XIV. *Tempeſtas iſta non ſtatim ceſſavit in* Hibernia, *ſed perduravit ad inchoatum uſque Sæculum Eccleſiæ* XV, *quo eidem* Bonifacius IX *ſpeciali occurrit Conſtitutione, tribus* Hiberniæ *Antiſtitibus inſcriptâ, quæ verbatim adducitur.*

XV. *Nonnihil de Academia* Dublinienſi, *de qua plura alibi.*

I. VIDIMUS ſuperiùs (*a*), adeò feſtinanter extructa fuiſſe Ordini Prædicatorum per univerſum *Hiberniæ* Regnum Cœnobia, ut intrà medium Sæculum, ab Anno nimirùm 1224 ad 1274, prælibatus Ordo Viginti Tria in eodem Regno poſſederit. Sanè Numerus iſte Conventuum ſat ſupêrque ſufficiebat pro ſpeciali erigenda Provincia in Ordine, præſertìm adhuc, ut ità dicam, adoleſcente. Refert quippè *Chronicon Magiſtrorum Generalium* (*b*), ex Sexaginta duntaxàt Conventibus Octo efformatas fuiſſe inchoantis Ordinis Provincias. En porrò *Chronici* Verba: “ Anno “ Domini 1220 fuit celebratum *Bononiæ* primum Capitulum Generale à *B. Dominico*; & Anno ſe- “ quenti, ſcilicet 1221, *B. Dominicus* ſecundùm Capitulum Generale celebravit *Bononiæ* . . . in “ quo Capitulo Frater *Jordanus Teutonicus*, qui nondùm in Ordine Annum compleverat, factus “ eſt Provincialis *Lombardiæ*, fundatis jàm per Ordinem circiter SEXAGINTA CONVENTI- “ BUS, qui in OCTO PROVINCIAS erat diſtincti, ſcilicet Hiſpaniam, Provinciam Provinciæ “ (*c*), Franciam, Lombardiam, Romanam, Teutoniam, Hungariam, & Angliam.”

AD iſtas autem Octo Provincias, à S *Dominico* conſtitutas, Quatuor, ut obiter dicam, *Polonia* videlicèt, *Dacia*, *Græcia*, & *Terræ Sancta*, adjectæ fuere in Capitulo Generaliſſimo (*d*), *Pariſijs* Anno 1228 celebrato, ut tàm in memorato *Chronico* (*e*), quàm in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*f*), videre eſt. “ Et ſic Ordo (inquit *Chronicon*) à ſua Confirmatione Anno undecimo erat diviſa

“ in

(*a*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*b*) Cap. iii.

(*c*) Provincia *Provinciæ* diù ſecunda erat in Ordine, tuncque ex omnibus coaleſcebat Cænobijs à *Gallo Provincia* incluſivê ad *Lemovicum* uſque, *Bajonam*, & *Perpinianum*, ut advertit Rmus noſter *Bremond* in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. i. Pag. 121. Sed poſtmodùm, Anno ſcilicet 1303, ab ea ſegregata eſt Provincia *Toloſana*, quæ ſecundum in Ordine obtinuit Locum, quia in Partibus *Toloſæ* Ordinem inſtituit *S. P. Dominicus*, primum verò Locum *Hiſpania*, utpotè ipſius Natale Solum, retinuit. Provincia verò *Provinciæ* ex tunc habuit *Locum* decimum-ſextum, habitâ nempè Ratione ad Tempus illud, ut magis infrà explicabitur, Cap. v. Num. v. Lit. n.

(*d*) Adeas Cap. vi. Num. x.

(*e*) Cap. iv.

(*f*) Tom. i. Pag. 147. Not. 2.

“ in Duodecim Provincias, ſcilicet Hiſpaniam, Provinciam Provinciæ, Franciam, Lombardiam,
“ Romanam, Teutoniam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Græciam, & Terram Sanc-
“ tam.”

II. OB recenſitum igitur haud exiguum Cænobiorum noſtrorum in *Hibernia* Numerum, diù, ut candidè fatear, in Sententia fui, quæ apud Noſtrates communior erat, atque è Diametro oppoſita Exiſtimationi *Fontanæ* (*g*), autumantis, *Hiberniam* nunquàm fuiſſe in Ordine noſtro ut Provinciam *Acceptatam* uſque ad Annum 1622. Opinabar ſcilicêt, *Hiberniam* in ipſomet veluti Initio Ordinis, aut certè antè medium Sæculum *Hiberno*-*Dominicanum*, in Provinciam fuiſſe erectam, præſertim dùm apud Equitem *Jacobum Waræum* (*h*), legerem, celebrata olim Capitula *Molingaræ* Anno 1278, Athyæ 1288, iterùm *Molingaræ* 1292, iterúmque *Athyæ* 1295, apud *Villam Novam* 1298, iterúm *Athyæ* 1305, iterúmque *Molingaræ* 1308, & 1310, iterùmque etiam apud *Villam Novam* 1312 (*i*). Verùm dúm haud perfunctoriè, ſed ſedulo, ac datâ Operâ, ſæpè laudatum *Chronicon* perlegens, hæc de Fratre *Nicolao Boccaſino*, Nono Ordinis Generali Magiſtro, *Argentinæ* 1296 electo (poſtmodúm Beato *Benedicto* XI, Pontifice Maximo), annotarem Verba *(k)*: *Celebravit Duo Generalia Capitula, crevitque ſub illo Provinciarum Numerus, ità ut cùm priùs nonniſi Duodecim fuiſſent* (mox recenſitæ), *multiplicatæ tunc fuerunt ad Octodecim.* Dumque eadem conferrem Verba cum Regeſto Magiſtri Generalis *Joachimi Turriani*, & Catalogo Provinciarum Ordinis, infrà exſcribendis *(l)*, extemplò deprehendi, *Hiberniam* inter eas Provincias numerari non poſſe; vidique planè ipſam haud fuiſſe neque Anno 1300 erectam in Provinciam. Quinimmò perlegens inſupèr toties laudatum & nunquàm ſatis laudandum *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, atque noviſſimè edita illius *Supplementa*, Tomo Septimo comprehenſa, compertum exploratumque habui, eam toto iſto Tempore ſubfuiſſe Regimini Provincialis *Angliæ*, qui Vicarium *Hibernigenam* inibi conſtituebat, ab ipſiſmet tamen *Hibernigenis* Modo protinùs recenſendo (*m*), electum, ſicque continuò manſiſſe ultrà duo Sæcula, ad Annum nempè 1484, quo à Priore Provinciali proprio gubernari cæpit, ut poſthàc declarabitur *(n)*.

III. PRIMUM porrò *Vicariæ* duntaxât Juriſdictionis hujus in *Hiberniæ Dominicanæ* Præſide Veſtigium videre eſt in *Bullario* noſtro *(o)*, ubi adſunt *Alexandri* IV, Pontificis Maximi, Apoſtolicæ Literæ, Die 3. Februarij 1256 *VICARIO Prioris Provincialis Fratrum Prædicatorum Ordinis in HIBERNIA* inſcriptæ, mandantes ei, ut duo ex Fratribus, ipſius Curæ commiſſis, concedat in Socios Fratri *Patritio O-Scanlan*, ejuſdem Ordinis, tunc Epiſcopo *Rapotenſi*, poſtmodùm Archipræſuli *Armacano* (*p*). Si autem *Hibernia Dominicana* ſuum habuiſſet tunc Temporis proprium *Priorem* Provincialem, ad ipſum, non verò ad *Vicarium* ejus Pontifex Literas ſuas dediſſet, ut quibuſcunque in Curia Romana, aut Re Diplomatica verſatis, Luce meridianâ clarius patebit. Breviuſculas autem ipſaſmet Literas Apoſtolicas Operæ Pretium erit in Medium afferre.. En igitur eas:

“ Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Vicario Prioris Provincialis Fratrum
“ Prædicatorum Ordinis in Hibernia, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

“ CONSTITUTUS in Præſentia noſtra Venerabilis Frater noſter P - - - *(q)*, Rapoten. Epiſcopus, Nobis
“ expoſuit, quod nonnulli Laici &c *(r)*. Quia verò idem Epiſcopus, Profeſſor Ordinis ſui ferventer, prout
“ aſſerit, in ſuo gerit Affectu, quod pro Solicitudine hujuſmodi ſibi commiſſâ faciliùs exequendâ, duos pro-
“ vidos, & diſcretos ex Fratribus tuæ Curæ commiſſis habeat in Socios, per quos, cùm neceſſe fuerit, Ver-
“ bum Dei proponi faciat, & ſecundùm illorum ſalubria Conſilia dirigatur; Diſcretionem tuam attentè
rogandam

(g) Parte II *Capitulorum Generalium*, Pag. 220.

(*h*) In Libro cui Titulus: *Diſquiſitiones de Hibernia, & Antiquitatibus ejus*, Cap. xxvi.

(i) De Cænobijs iſtis, alijsque *Hiberniæ Dominicanæ*, ſigillatim dicetur Cap. ix.

(*k*) Cap. x.

(*l*) Cap. iv. Num. vi, & Cap. v. Num. v.

(m) Num. iv. hujus Capitis.

(n) Cap. ſeq. Num. vi.

(o) Tom. I. Pag. 295, ex *Archivo* Apoſtolico Lib. A. Fol. 850.

(p) De quo ſpecialis redibit Sermo Cap. xiii. Num. viii.

(q) *Patritius*.

(r) Reverendiſſimus *Bremond* Loco citato *Bullarij*, hanc ſubjicit Notam: “ *Laici* &c.) ſic in Libro A, ubi hæc addit Amanuenſis: *Ut in alia, uſque* opportunum, *Verbis competenter mutatis.*

“ rogandam duximus, & monendam, per Apoſtolica tibi Scripta mandantes, quatenùs eidem Epiſcopo, cùm ſuper hoc ab ipſo requiſitus extiteris, duos tales Fratres concedas Affectu benevolo, & Promptitudine liberali ; non obſtante aliquâ Indulgentiâ Ordini tuo ab Apoſtolicâ Sede conceſſâ, per quam Effectus Mandati noſtri in hac Parte valeat impediri. Datum Laterani III Nonas Februarij, Pontificatûs noſtri Anno Secundo.”

IV. Nullus dubito quin Lectori (non ſecùs ac mihi olim) aliquid faceſſant Negotij tot Capitula, in varijs, ut præfertur (*s*), celebrata Cænobijs *Hiberniæ Dominicanæ* antequàm ipſa fuerit Ordinis Provincia. Sed huic Rei omnem afferunt Lucem Ordinationes, ſeù Statuta, Reverendiſſimi Patris *Berengarij de Landorra*, Galli, XIII Magiſtri Ordinis, *Carcaſſonæ* Anno 1312 renunciati (poſtea, ut obiter dicam, Archiepiſcopi *Compoſtellani*, & Legati Apoſtolici ad *Alphonſum* VI, *Hiſpaniæ* Regem), qui in Comitijs Generalibus, *Londini* Anno 1314 habitis, ſanxit (quod & anteà obſervatum fuiſſe aſſerit) ut Priores Conventuales *Hiberniæ*, & Prædicatores Generales, necnon Socij dictorum Priorum, à ſingulis Conventibus electi, nominent tres Fratres *Hibernos*, ad regendum idoneos, è quibus teneatur Provincialis *Angliæ* unum in Vicarium præficere. Placet autem laudati *Berengarij* Literas Patentes integrè de Verbo ad Verbum ex *Supplementis Bullarij Ordinis Prædicatorum* (*t*) exſcribere, tùm quia Hiſtoriolam noſtram magnoperè illuſtrabant, tùm vel maximè quia ex ijs Sole meridiano clariùs patebit, *Hiberniam Dominicanam*, etſi nondùm Provinciam, tàm amplis extitiſſe dotatam Privilegijs, ut Solo *Provinciæ* Titulo, aut Nomine deſtituta fuerit. En eas, longiuuſculas quidem, ſed planè aureas, & opportunas :

“ In Chriſto Jeſu ſibi Chariſſimis Prioribus, Superioribus, cæteriſque Fratribus Ordinis Prædicatorum in Hibernia conſtitutis,

“ Frater Berengarius Fratrum ejuſdem Ordinis Servus inutilis, Augmentum continuum Gratiæ Salutaris.

“ Novit veſtræ Dilectionis Affectus, quod ad inſtar Prædeceſſorum noſtrorum Gratiam intendens facere ſpecialem, de Voluntate, & Ordinatione Diffinitorum Generalis Capituli Londini celebrati Anno Domini milleſimo trecenteſſimo decimo quarto Vobis duxi concedendum, quod Priores Conventuales Hiberniæ, & Prædicatores Generales, & Socij Priorum à Singulis Conventibus ad hoc ipſum electi, nominent tres Fratres de veſtra Natione ad regendum idoneos, & Provincialis Angliæ teneatur unum præficere ex eiſdem in Vicarium Hiberniæ, qui Prioris Provincialis in omnibus, niſi quando idem Provincialis in Hibernia perſonaliter præſens fuerit, plenam ſuper Vos habeat Poteſtatem, & ubicunque inter Vos in Hibernia teneat primum Locum, cujus Poteſtas non expirat Priore Provinciali mortuo, vel amoto : Ipſe quoque Vicarius ſingulis Annis in uno Conventu dictæ Terræ Capitulum valeat convocare tenendum cum Quatuor Fratribus ad hoc ſecundùm Formam Capituli aſſignatis (*u*) qui plenam habeant Poteſtatem ipſius Exceſſûs audiendi, & corrigendi, & ipſum, ſi neceſſe fuerit, uſque ad Provinciale Capitulum ſuſpendendi : Idem inſuper cum præfatis Quatuor Fratribus Exceſſus Priorum, & aliorum Fratrum ad ſuum Capitulum convenientium, & alibi in Terris Hiberniæ exiſtentium audiat, corrigat, & emendet, nec alicui liceat facere Proteſtationes, aut Culparum Reſervationes ab eo contrà ſuas Ordinationes. Ipſe inſuper cum Quatuor Fratribus memoratis in Capitulo habeat Poteſtatem Lectores creandi, & ipſos ad diſputandum licentiandi, & in illo Capitulo duo de Prioribus, vel Prædicatoribus Generalibus eligi debent, qui ad Capitulum Provinciale vadant pro omnibus, & ad idem Provinciale Capitulum Acta deferant Capituli ſupradicti. Ipſe tamen, qui Vobis præeſt, veniat ad Provinciale Capitulum cum Socio electo in illo Capitulo de quarto Anno in quartum. Declaramus autem, quod Fratres Hiberniæ poſſint interdùm cedere Juri ſuo, quod habent in Capitulo Provinciali Angliæ, & in Electione Provincialis ejuſdem Provinciæ, & remanere propter Peri-

---

(*s*) Num. ii. hujus Capitis.

(*t*) Tom. vii. Pag. 74, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cx. Fol. 78. Inſeruntur quidem Conſtitutioni *Bonifacij* IX, poſt Octoginta Sex Annos, nimirùm Anno 1400 datæ, eas nihilominùs ſeorſim hìc Loci affero, ut Chronologiæ conſulam, ipſammet poſtmodùm *Bonifacianam* Conſtitutionem ſuo Tempore, continenti Ordine, Num. viii hujus Capitis exſcripturus.

(*u*) Iſti ſe habebant veluti Quatuor Deſinitores Capituli Provincialis.

“ cula Maris, & alijs de Cauſis juſtis, exceptis illis duobus Fratribus, qui ad memoratum Provinciale Capitulum ſunt mittendi, ut ſuperiùs eſt expreſſum. Volumus autem ut ſupradictus Prior Provincialis abſolvendi eum, qui Vobis præeſt, ut Utilitas, & Neceſſitas requiſierit, habeat Poteſtatem, & quod in Capitulo Provinciali Angliæ Viſitatores Vobis annuatim mittat, ſicut fuit hactenùs conſuetum. Cæterùm cupiens Diſpendijs occurrere, & Periculis obviare, de memoratorum Diffinitorum Capituli Generalis Conſilio, Beneplacito, & Aſſenſu, volo, & ordino, quod ſi veſter Vicarius aliquo Caſu exierit Hiberniam, de Conſilio Diſcretorum unum de veſtra Natione nominare, ac ſumere valeat, qui uſque ad ſuum Regreſſum Vices gerat Provincialis, quas ipſe geſſerat, dùm in Hibernia remanebat; & ſi in Hibernia præſens eſſet, & in Infirmitate, vel alio juſto Impedimento, & legitimo detineretur, ut non poſſet ad ſecundum Provinciale Capitulum in Hibernia tenendum perſonaliter ſe conferre, de Conſilio Diſcretorum unum nominare, ac ſumere poſſit, qui Auctoritate Provincialis in Capitulo Vices gerat, quas Vices, ſi præſens fuiſset, geſſiſset. Quod ſi memoratum Vicarium mori, vel amoveri contigerit, ſervetur Forma in Conſtitutionibus tradita de Vicario Provinciali mortuo, vel amoto, quouſque Vobis proviſum fuerit de Vicario ſecundùm Formam Vobis ſuperiùs traditam. Ad hæc concedo de memoratorum Conſilio Diffinitorum & Aſſenſu, quod duos Studentes liberè habeatis in Conventu Monaſterij Oxen (*w*), & duos æquè liberè in Conventu Cantabrigiæ (*x*), & tertium Studentem Pariſijs pro Rata Terræ veſtræ, ac duos Studentes Londen (*y*), alios verò Studentes habeatis in alijs Studijs Generalibus ſecundùm Ratam Terræ veſtræ ſupradictæ. In Studijs verò particularibus Philoſophiæ Angliæ aliqui veſtrûm apti de Hibernia aſſignentur. Quod ſi Fratres Angliæ pro ſuis Studentibus in hujuſmodi Studijs contribuant pro Cauſa debita, & urgente, Vicarius Hiberniæ pro Fratribus Terræ ſuæ contribuat inibi collocatis. Si verò Fratres Angliæ non contribuant in Studijs Philoſophiæ ſupradictis, Vos ab hujuſmodi Contributione penitùs deſiſtatis. Poteſtatem autem mittendi hos Studentes ad Studia Generalia, & eos revocandi pro prædictæ Terræ Rata, Vicario Hiberniæ cum ſuis Diffinitoribus conjuncto de Prædictorum Diffinitorum Conſilio, & Aſſenſu, Vobis concedo. Item de prædictorum Diffinitorum Conſilio, & Aſſenſu Vobis concedo, quod ad Contributionem pro Diffinitore Capituli Generalis, vel Socio, aut Provinciali, & Socio in Anno Provincialium (*z*), aut pro Cõnfirmatione Prioris Provincialis nullo Modo teneamini, ſed ſolùm pro Electoribus Magiſtri, & vocatis ad Conſilium, aut pro Cauſa Monaſterij in Terra Roman. (*a*) motâ, ſeù impoſterùm movendâ, ſi contingat, & etiam Cantabrigiæ, ſi Cauſa conſimilis oriatur, ad quas Contributiones unà cum Contributionibus, ſi quæ per Magiſtrum imponi contingat Ordini in communi, teneamini juxtâ Ratam, Terræ veſtræ contingentem. Item concedo, quod Studentes in Anglia poſſint Alienigenarum gaudere Privilegijs, & quod poſſint Capitulis Provincialibus intereſſe, & quod quilibet Conventus Angliæ, & Walliæ, Fratres veſtros, expectantes Paſſaggium ſuper Mare, ſicut ſuos, teneantur recipere. Item cum Legata communia Angliæ in nullo teneant Fratres Hiberniæ, concedo Vobis, quod ad Suffragia Angliæ non teneamini, præter ea, quæ pro Rege, & Regina, & Liberis eorundem fuerint gratioſè. Item concedo de memoratorum Diffinitorum Conſilio, & Aſſenſu, quod Vicarius, & Diffinitores ſui Capituli in Hibernia poſſint reſtituere ſuos Pænitentes (*b*) ſecundùm Formam Reſtitutionis de reſtituendis Pænitentibus juxtá Morem conſuetum. Item volo de prædictorum Diffinitorum Conſilio, & Aſſenſu, quod aliqui Fratres Terræ veſtræ apti, Judicio Diſcretorum, promoveantur ad Gradus Baccalauriæ, & Magiſtratûs, penſatis Sufficientiâ & Meritis Perſonarum. Porrò cum in Actis Capituli Generalis Pariſijs celebrati Anno Domini Milleſimo Trecenteſſimo Sexto fuerit ordinatum, quod ad Provincialem Librorum Volumina Fratris decedentis pertineant, volo, & ordino, quod Libri hujuſmodi non ad Provincialem Angliæ, ſed ad Vicarium Terræ veſtræ pertineant. Item concedo Vobis de prædictorum Diffinitorum Conſilio, & Aſſenſu, quod duos Fratres Terræ veſtræ mittere poſſitis ad Capitulum Generale, cum Vobis videbitur expedire, pro veſtræ Terræ Tuitione, & alijs veſtris Libertatibus conſervandis. In quorum omnium Teſtimonium, Sigillum noſtrum, unà cum Sigillis Diffinitorum, qui affuerunt, duxi præſentibus apponendum. Datum Londini Anno, quo ſupra, in noſtro, ut dictum eſt, Capitulo Generali.”

(*w*) Legerem *Oxonien*, vulgò *Oxford*, in Agro ejuſdem Nominis *Angliæ*, ubi celebris Univerſitas.

(*x*) Vulgò *Cambridge*, in Agro ejuſdem Nominis *Angliæ*, ubi celebris etiam Univerſitas.

(*y*) Rectiùs *London*, ſeu *Londini*. Civitas eſt primaria *Angliæ*, de qua recolantur ſuperiùs dicta Cap. præced. Num. v. Lit. p. Pag. 37.

(*z*) Ab Initio Ordinis uſque ad Annum 1370 celebrabantur ſingulis Annis Capitula Generalia, alia Definitorum, alia verò Provincialium, ut fuſiùs legere poteris apud noſtrum *Bullarium*, Tom. iv. Pag. 67, noſtraſque *Conſtitutiones*, Diſt. ii. Cap. viii. Text. i. Lit. a.

(*a*) Anglicè *Rumney*, in Agro *Cantij*, vulgò *Kent*.

(*b*) Id eſt, *Pœnas* ipſis dimittere, ipſoſque priſtino Gradu donare.

V. Sed dicet fortaſſis quiſpiam, *Hiberniam Dominicanam* fuiſſe quidem tunc Temporis, Anno ſcilicet 1314, Nationem Provinciæ *Angliæ*, ab ea nihilominùs poſtmodùm ſegregatam, atque in ſpecialem Provinciam erectam, ſaltem ante Annum 1378, quo Mater Eccleſia diro Schiſmate laborare cæpit. Cùm enim eâ Tempeſtate Frater *Elias Raymundi*, à Patria nuncupatus paſſim *Toloſanus*, Anno 1367 *Avenione* XXII Generalis Magiſter renunciatus, id haberet Infelicitatis, quod *Clementem* VII, Pſeudopontificem *Avenionenſem*, ſectatus ſit, Patres illarum Provinciarum, quæ vero legitimoque Summo Pontifici *Urbano* VI adhærebant, quæque propterea ab Obedientia deficiebant Magiſtri Generalis *Eliæ*, elegerunt *Bononiæ* Anno 1380 in Magiſtrum Ordinis XXIII *B. Raymundum de Vineis*, Capuanum. Iſtæ autem *Urbano* Pontifici adhærentes Provinciæ recenſentur in *Chronico Magiſtrorum Generalium* (c), quas inter numeratur *Hibernia* tanquàm Provincia ab *Anglia* prorsùs diſtincta. Verba *Chronici* ſunt : " Huic pientiſſimo Pontifici (*Gregorio* XI) e vivis ſublato Anno 1378, eodem Anno ſucceſſit in Pontificatum *Urbanus* VI, ſeditque Annis Duobus, Menſibus Sex, Diebus Septem. Hic Pontifex cùm Cardinales Gallos, & Ultramontanos, malis Moribus aſſuetos, corriperet, ab eis derelictus eſt ; unde elegerunt alium Antipapam, quem *Clementem* VII appellaverunt. Et ſic factum fuit Schiſma in Eccleſia Dei omnium peſſimum, quod duravit Annis Quinquaginta Duobus, ſub Quatuor Summis Pontificibus. Hoc Schiſma tunc deſæviens, ſciſsâ Eccleſiæ pulchrâ Unitate, fuit Occaſio, ut & Ordo Prædicatorum, aliorum Ordinum Exemplo, bifariàm divideretur, cujus una Pars Fratrem *Raymundum Capuanum* Magiſtrum Generalem ſibi delegerat, cum eoque *Urbano* pontifice adhærebat, utpotè Italia, Germania, ANGLIA, Portugallia, HIBERNIA, Dacia, Polonia, Bohemia, & Hungaria : Sola Hiſpania, & Gallia cum Magiſtro *Elia Toloſano*, *Clementis* VII Partium erat." Et paucis interjectis, ſubjungit *Chronicon* (d): Cùm defeciſſet Magiſter *Elias Toloſanus*, ut dictum eſt, ab Obedientia *Urbani* Pontificis, convenientibus ad Capitulum *Bononienſe* Patribus illarum Provinciarum, quæ à Generali *Elia* defecerant, electus fuit in Magiſtrum Ordinis XXIII, Anno 1380, Frater *Raymundus de Vineis*, Capuanus, Magiſter in Theologia, Vir Sanctus, & Eruditus, qui fuit *S. Catharinæ Senenſis* Confeſſarius, cælitùs deſignatus." Hæc *Chronicon*, quæ in extenſum referre non abs Re viſum fuit, ut ſcilicet Lector in Eccleſiaſticâ iſtius Ævi Hiſtoriâ fortaſſe Peregrinus, ſufficientem illius pro Re noſtra Notitiam aſſequatur.

VI. Aſt ex iſtis *Chronici* Verbis nequaquàm evincitur, *Hiberniam* fuiſſe tunc Provinciam ab *Anglia* diſtinctam, eò quippè Loci *Chronicon* non loquitur de Provincijs Ordinis, ſed de Ditionibus *Europæ* (e). Tùm quia *Italia* Provincia Ordinis non fuit, ſed Quatuor complectabatur Provincias, nimirùm *Lombardiæ*, *Romanam*, *Regni*, & *Trinacriæ*, & ſic diſcurrendo de *Hiſpania*, & *Gallia*, quæ plures item complectabantur Provincias (*f*). Tùm vel maximè quia *Portugallia* etiam recenſetur ac ſi alia eſſet Provincia Ordinis ab *Hiſpania*, et tamen ex eodem liquet *Chronico*, *Portugalliam* haud fuiſſe ab *Hiſpania* ſegregatam, ceù Provinciam Ordinis diſtinctam, antè Annum 1414. Sic namque ait *Chronicon* (g) " Electus fuit in Magiſtrum Ordinis XXV in Capitulo Generali *Florentino* celebrato Anno 1414 Fr. *Leonardus de Datis*, Florentinus, primò *Bononiæ* Inquiſitor, dein Provincialis *Romanus*, Procurator Generalis, S. Palatij Apoſtolici Magiſter, inſuper Ordinis Vicarius. Hic adfuit Concilio *Conſtantienſi*, fuitque unus ex Electoribus conſtitutus, & Suffragium tulit pro *Martino* III Pontifice, de quo mox dicetur, ab eoque incomparabilia pro Ordine Privilegia ſuſcepit. Præfuit Ordini Annis Decem, & ultrà, celebratiſque ſui Regiminis Tempore Quatuor Generalibus Capitulis, obijt *Florentiæ* Anno 1426 . . . . . Hoc eodem Tempore facta eſt Diviſio Provinciarum aliquarum Ordinis, ſcilicèt ampla Provincia *Hiſpaniæ* diviſa fuit in Provinciam Hiſpaniæ, & *S. Jacobi Portugalliæ*, aſſignatis cuilibet illarum proprijs Conventibus contentis in Bulla Diviſionis Provinciæ *Hiſpaniæ*, datâ in Concilio Conſtantienſi, Anno Primo Pontificatûs Martini III " (*h*).

(c) Cap. xii.
(*d*) Cap. xiii.
(e) Confer Cap. præced. Num. viii. Lit. t. Pag. 40.
(*f*) Adeas Cap. v. Num. v.
(*g*) Cap. xiii.
(*h*) *Martinus* ille *Tertius* paſsim dicitur *Quintus*.

ALIUD etiam hujus Rei Exemplum extat in *Chronico* (*i*) ſæpiùs laudato, quod Sermonem faciens de Fr. *Vincentio Bandello*, Lombardo (qui XXXVI Magiſter Ordinis Anno 1501 renunciatus, Fatis ceſſit Anno 1506), ait, ipſum peregiſſe “ Viſitationem Provinciarum Romanæ, “ Lombardiæ, Subaudiæ, Franciæ, Hollandiæ, Flandriæ, Hiſpaniæ, Provinciæ Provinciæ, & no- “ viſſimè RegniSiciliæ.” Et tamen infrà (*k*) apponendum Provinciarum Ordinis Catalogum legenti patebit *Subaudiam*, *Hollandiam*, & *Flandriam* neque adhuc eſſe ſpeciales Ordinis Provincias.

VII. CÆTERUM omnem ea de Re radicitùs evellunt Dubitationem Duo in Medium mox afferenda *Bonifacij* Papæ IX Diplomata. Eorum prius, Die 20 Februarij 1397, ad *Ricardi* II, Regis *Angliæ*, Supplicem Inſtantiam, emanatum, de Verbo ad Verbum inſerit, atque confirmat Definitivam Sententiam Fr. *Nicolai* Cardinalis *Caraccioli*, Ordinis Prædicatorum Alumni, Judicis, & Commiſſarij â S. Sede Apoſtolica ſpecialiter Deputati, in Cauſa vertente inter prælibatum Fr. *Eliam Raymundi*, Toloſanum, olim Magiſtrum Generalem, & Generale Capitulum, *Carcaſſonæ* Anno 1378 celebratum, ex Parte una, & Fr. *Thomam Ruſbock*, Priorem Provincialem *Angliæ*, & Fr. *Joannem de Leyceſtria* (*l*), vernaculè *Lyſter*, ſeù *Leſter*, per Syncopen, Vicarium Generalem Partium *Hiberniæ*, atque nonnullos alios Magiſtros in Theologia, ac Fratres ipſius Ordinis, eiſdem Priori Provinciali, & Vicario Generali adhærentes, ex alterâ; de, & ſuper Abſolutionibus, Amotionibus, & Perturbationibus dictorum reſpectivè *Thomæ Ruſbock*, & *Joannis de Leyceſtria*, atque aliorum Magiſtrorum, ac Fratrum, ipſis adhærentium, â Provincilatûs, & Vicariatûs Officijs, atque Locis, Conventibus, Lectorijs, Studentijs, Cellis, & Rebus alijs, quibus ſpoliati fuerant. Per eam porrò definitivam Sententiam pronunciavit, adjudicavit, & declaravit laudatus Cardinalis Judex, & Commiſſarius, dictas Abſolutiones, Amotiones, & Perturbationes fuiſſe nullas, & injuſtas, ac temerè, & defectuoſè præſumptas, ac attentatas, poſt, & contrâ legitimam Appellationem; reſtituens propterea, & reintegrans prædictos Fratres ad ſua reſpectivè Officia, Loca, Conventus, Lectorias, Studentias, Libros, Cellas, & alias Res, quibus fuerant ſpoliati; removenſque Fratres *Willelmum Sywat*, *Joannem Empſay*, & *Joannem Pariſk*, Vicarios in Provincia *Angliæ*, atque Fratrem *Robertum Cuſack*, Vicarium in Natione *Hiberniæ*, per prædictum *Eliam*, tunc Magiſtrum Ordinis, poſitos, & intruſos. Quam Sententiam, ut obiter dicam, laudatus *Nicolaus* Cardinalis *Carracciolus* tulit *Romæ* Die 25. Auguſti 1370, præſente, inter alios, Fr. *Gulielmo Andreâ*, vulgò *Andrews*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo tunc *Academſi*, poſtmodùm *Midenſi*, in *Hibernia*, de quo alibi (*m*). En verò imprimis ipſaſmet Cardinalis Judicis Literas etſi ſatis prolixas (nihil quippè ad *Hiberniam Dominicanam* attinens, quantumvis prolixum, maximè ex Locis authenticis depromptum, prætermittere poſſum) & quidem ex *Bullario* noſtro (*n*) cum Emendationibus in eo factis.

“ RR. IN Chriſto Patribus, & DD. Dei Gratiâ Cantuarien., Eboracen., Armachan., Dublinen., & Caſ-
“ ſellen. Archiepiſcopis, necnon Londinen., Wintonien., Norvicen., Hereforden., Roffen., Dunkelden.,
“ & Carleolen (*o*). Epiſcopis, ac Venerabilibus Religioſis Viris Magiſtro Generali, & Fratri Thomæ de
“ Bozzo-

---

tus. Eam autem Bullam legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag. 533, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. xvi. Fol. 182 ubi videbis, ſi libet, non duas tantùm, ut innuere videtur *Chronicon* ex Typographi Incuria, ſed tres Provincias, *Hiſpaniam* ſcilicet, *S. Jacobi*, & *Portugalliam*, ex *Hiſpaniarum* Provincia tripartita conſtitutas fuiſſe. Confer tamen Cap. v. Num. v. Lit. m.

(*i*) Cap. xv.

(*k*) Cap. v. Num. v.

(*l*) Familia eſt *Anglo-Hibernica* ſic appellata à Nomine Comitatûs, & Oppidi in *Anglia*, vernaculè *Leiceſter*, etſi pronuncietur *Leſter*, ut magis infrà declarabitur Cap. ix. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Porrò Provincialis iſte *Ruſhock* fuit poſtmodùm variarum Diæceſûm Epiſcopus, ut ex Cap. xiii. Num. xxiii. conſtabit.

(*m*) Cap. xiii. Num. xxii.

(*n*) Tom. vii. Pag. 70.

(*o*) *Cantuaria*, *Eboracum* (vulgò *York*), *Londinum*, *Wintonia*, *Norvica*. *Herefordia*, *Roffa*, (vulgò *Rocheſter*) & *Carleolum* ſunt in *Anglia*; *Armaca* verò, *Dublinium*, & *Caſſelia* ſunt in *Hibernia*, *Dunkelda* autem in *Scotia*.

“ Bozzolaſco *(p)*, Priori Provinciali Provinciæ Lombardiæ Superioris *(q)*, ac Vicario Generali, necnon
“ Capitulo Generali, & Diffinitoribus ejuſdem Capituli, omnibus alijs Prioribus, Lectoribus, & Fratribus
“ Ordinis Prædicatorum ubilibet conſtitutis, cæteriſque omnibus alijs, & ſingulis, quorum intereſt, ſeù
“ intererit, aut quos præſens tangit Negotium, ſeù tangere poterit quomodolibet in futurum, communiter,
“ vel diviſim, quocunque Nomine, ſeù Titulo annotentur.

“ Frater Nicolaus, Miſeratione divina, S. Cyriaci Sacroſanctæ R. E. Preſbyter Cardinalis, Executor unicus
“ ad infraſcripta à Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatus, Salutem in Domino, & Mandatis noſtris,
“ immò veriùs Apoſtolicis, firmiter obedire. Noveritis, quod pridem Sanctiſſimus in Chriſto Pater, &
“ D. N. D. Urbanus divinâ Providentiâ Papa VI, omnes, & ſingulas, Cauſam, & Cauſas, quæ vertebantur,
“ ſeù verti ſupponebantur inter Religioſos Viros Eliam Raymundi, olim Magiſtrum Generalem Ordinis
“ antedicti, & Capitulum Generale, dudùm ultimò Carcaſſonæ *(r)* celebratum, ex una Parte, &
“ Thomam Ruſhock, Priorem Provincialem Provinciæ Angliæ, & Johannem de Leyceſtria, Vicarium
“ Generalem in Terra Hiberniæ, necnon quorundam Fratrum ab ipſorum Officijs, Locis, Conventibus,
“ Studentijs, Lectorijs prædictæ Provinciæ, ac Cellis, Libris, & Rebus alijs, & eorum Occaſione, ex altera
“ Parte, Nobis Fratri Nicolao prælibato commiſit Oraculo vivæ Vocis, audiendis, & decidendis, &
“ Fine debito terminandis, cum omnibus emergentibus, incidentibus, dependentibus, & connexis, & cum
“ Poteſtate procedendi ſummariè, ſimpliciter, & de Plano, ſine Strepitu, & Figura Judicij, Terminis etiam
“ ſervari conſuetis non ſervatis, & aliàs, prout Nobis melius pro Commodo, & Utilitate Ordinis prædicti
“ videretur expedire, cujus quidem Commiſſionis Vigore, Nos Fr. Nicolaus, Executor prælibatus, in
“ Cauſa hujuſmodi ritè, & legitimè procedentes, ad Inſtantiam Religioſi Viri Fratris Roberti Ruſhock,
“ Fratris Ordinis antedicti, Procuratoris ſubſtituti ad Cauſam præſentem per diſcretum Virum Ricardum de
“ Sneburg, Procuratorem præfati Fratris Thomæ, Provincialis Angliæ, ad Cauſam hujuſmodi per eundem
“ Fratrem Thomam Provincialem, tam pro ſe, quàm etiam Nomine ſui Officij Provincialatûs, Provinciæque
“ Angliæ ſupradictæ, ac omnium, & ſingulorum Conventuum, Locorum, Monaſteriorum, Fratrum,
“ & Perſonarum Ordinis antedicti eidem adhærentium, prout Nobis de ipſorum Pertinentijs, & ſubſtituti
“ Procuratoris Mandatis legitimè extiterat facta Fides, coràm Nobis conſtituti. Nos præfatum Thomam
“ de Bozzalaſco, Vicarium Generalem Ordinis antedicti, ad dicendum, & proponendum quæcunque dicere,
“ aut proponere volebant, Verbo, vel in Scriptis, contrà Commiſſionem prædictam, Nobis, ſicut
“ præmittitur, factam in hac Cauſa, per Porterum, ſeù Nuncium noſtrum juratum, ad hoc ſpecialiter deputatum,
“ citari mandavimus peremptoriè, & fecimus ad certum peremptorium Terminum competentem,
“ in quo comparentibus in Judicio coram Nobis præfatis Fratribus, ſcilicet Vobis Magiſtro Thoma de
“ Bozzolaſco, Vicario Generali, qui contrà Commiſſionem præfatam nihil dicere voluiſtis, ſed in Nos, &
“ noſtram Juriſdictionem expreſsè conſenſiſtis ex una Parte, & Roberto Ruſhock, Subſtituto, Nomine,
“ quo ſuprà, ex altera Parte, Nos ſubſequenter ad præfati Fratris Roberti Procuratoris Subſtituti Inſtantiam,
“ ipſi Fratri Roberto ex una Parte, necnon Religioſo Viro Fratri Johanni de Eſmay,
“ Fratris Ordinis prædicti, pro eodem Ordine, per Vos Fr. Thomam Vicarium Generalem prædictum,
“ ad Cauſam hujuſmodi Procuratori Generali legitimè conſtituto, prout Nobis ſimiliter de ejuſdem
“ Procurationis Mandato, in Actis Cauſæ hujuſmodi legitimè conſtabat, ex altera Parte, coràm Nobis
“ in Judicio comparentibus, conſentientibus expreſsè, & volentibus ad ponendum, & articulandum,
“ ponique, & articulari videndum, & dandum, ac producendum omnia, & ſingula Jura, Literas,
“ Inſtrumenta, Scripturas, & Juramenta, quibus Partes ipſæ in Cauſa hujuſmodi uti volebant,
“ hinc indè Terminum peremptorium decrevimus aſſignandum, in quo idem Pertinentes coram Nobis in
“ Judicio ſucceſſivè comparuerunt, & nonnullis Poſitionibus, & Articulis, ac Jura, Literas, & Inſtrumenta
“ hinc indè exhibuerunt, & dederunt in hac Cauſa, & ſubſequenter per eundem Fratrem Robertum, Procuratorem
“ Subſtitutum, quadam Concluſione ſuarum Poſitionum, & Articulorum præfatorum, ſivè Petitione
“ ſummariâ ſubſequutâ, & oblatâ, in hac Cauſa, Nos deindè, eodem Fratre Roberto Procuratore

“ Subſtitut[illegible]

(p) In *Serie Chronologica Provincialium, & Vicariorum Generalium Provinciæ Utriuſquæ Lombardiæ* &c, quæ prodijt *Bononiæ* Anno 1732, Auctore Reverendiſſimo *Thoma-Auguſtino Ricchini*, nunc Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro ſcribitur *Bozzolaſco* (non autem *Bozelaſco*, ut in Exemplaribus) quod propterea in Literarum harum Decurſu ſic exſcribam.

(q) Videſis Cap. v. Num. vi.

(r) In *Gallia Narbonenſi*. Celebratum porrò fuit Capitulum iſtud Anno 1378, quo Mater Eccleſia diro Schiſmate laborare cæpit. Idque habuit Infelicitatis *Elias Raymundi*, quod Pſeudopontifices *Avenionenſes* ſectatus fuerit, ut nuper ajebam, atque advertit *Bullarium* noſtrum, Tom. vii. Pag. 74. Not. 7.

“ Subſtituto inſtante, prælibatum Fratrem Joannem, ex adverſo Procuratorem, ad dicendum, & proponendum
“ quæcunque dicere, ſeù proponere volebat, Verbo, vel in Scriptis contrà præfatos Articulos, &
“ prædicta ipſius Fratris Roberti Procuratoris Subſtituti Jura, necnon Poſitiones eorundem videndum, in
“ quantum prodeſſe dicebantur, & exiſtebant, per Porterium, ſeù Nuncium noſtrum juratum prædictum
“ peremptoriè citari mandavimus, & fecimus, ad certum peremptorium Terminum competentem, in quo
“ quilibet Procuratorum prædictorum coram Nobis in Judicio comparens, Termino hujuſmodi pro ſe, &
“ Parte ſua ſatisfaciendo, quaſdam in Scriptis Reſponſiones ad Poſitiones, & Articulos Partis ſibi adverſæ
“ in præſenti Cauſa exhibuit, & produxit ; & deindè aliquali ulteriori continuato Proceſſu, Nos ad prædicti
“ Fratris Roberti, Procuratoris Subſtituti, coràm Nobis in Judicio comparentis Inſtantiam, præfatum
“ Fratrem Johannem, Procuratorem ex adverſo, ad concludendum, & concludi videndum in hujuſmodi
“ Cauſa, vel dicendum, & Cauſam, ſi quam habeat, allegandam, quarè concludi non debebat, per Porterium,
“ ſeù Nuncium noſtrum juratum prædictum peremptoriè citari mandavimus, & fecimus, ad
“ certum peremptorium Terminum competentem, in quo Nos Frater Nicolaus Executor præfatus, Partibus
“ prædictis præſentibus, & audientibus, juſtis tamen præmiſſis, & diligenter inſpectis omnibus & ſingulis
“ Actis, Juribus, Literis, & Inſtrumentis, in præſenti Cauſa agitatis, coràm Nobis habitis, & productis,
“ eiſque cum Diligentia recenſitis, de Venerabilium Virorum Dominorum Cauſarum Sacri Palatij
“ Apoſtolici Auditorum, & nonnullorum aliorum Juriſperitorum, pro tunc in Romana Curia degentium,
“ Conſilio, & Aſſenſu, quibus de præſentis Cauſæ Meritis Relationem plenariam fecimus, & fidelem, ac
“ unà cum eis Deliberatione præhabitâ diligenti, noſtram diffinitivam juxtà Formam, & Tenorem Concluſionis
“ Articulorum prædictorum Fratrum Thomæ Provincialis Angliæ, & Johannis Vicarij Hiberniæ, &
“ aliorum Fratrum eiſdem adhærentium, ut præmittitur, oblatæ, in præſenti Cauſa in Scriptis tulimus Sententiam
“ in hunc Modum : Chriſti Nominæ invocato, pro Tribunali ſedentes, & habentes præ Oculis
“ ſolum Deum, Nos Nicolaus Cardinalis, Judex, & Commiſſarius præfatus, viſis, & diligenter inſpectis,
“ & examinatis Juribus, Actis, & Meritis præſentis Cauſæ, de Venerabilium Virorum Dominorum Cauſarum
“ Sacri Palatij Apoſtolici Auditorum, & nonnullorum aliorum Juriſperitorum Conſilio, & Aſſenſu,
“ per hanc Noſtram diffinitivam Sententiam, quam ferimus in his Scriptis, pronunciamus, decernimus, &
“ declaramus, Fr. Thomam Ruſhock fuiſſe, & eſſe Provincialem dictæ Provinciæ Anglicanæ, ac prædicta
“ omnia, & ſingula per eum facta, tanquàm per Provincialem, à Tempore ſui Provincialatûs citrà, fuiſſe,
“ & eſſe Canonica, ac ſuum debuiſſe, & debere ſortiri Effectum : Denique Officium Prioratûs Provincialis,
“ ſivè Officium dictæ Provinciæ Anglicanæ, cum omnibus, & ſingulis Juribus, & Pertinentijs, Honoribus,
“ & Oneribus, atque Emolumentis, ad ipſum Fratrem Thomam pertinuiſſe, & pertinere de Jure, & ſibi
“ fore adjudicandum, & adjudicamus, dictaſque Spoliationes, Amotiones, Privationes, & Abſolutiones,
“ per prædictum Fratrem Eliam, olim Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, vel alium ejus Nomine factas,
“ de dicto F. Thoma a prædicto officio, F. Johanne Leyceſtræ, Vicario in Provincia, ſeù Natione Hiberniæ,
“ ab Officio Vicariatûs Hiberniæ, & dictis Fratribus, & alijs Magiſtris in Theologia, ac Fratribus alijs
“ prædictæ Provinciæ Anglicanæ, ab Officijs, Conventibus, Locis, Lectorijs, Studentijs, Cellis, Libris, &
“ Rebus alijs, fuiſſe, & eſſe nullas, temerarias, illicitas, iniquas, & injuſtas, ac temerè, & defectuosè
“ præſumptas, ac attentatas, poſt, & contrà dictam Appellationem, prædictoque Fratri Eliæ, ſeù alij ejus
“ Nomine, prædicta facere non licuiſſe, nec licere, prædictumque Fratrem Thomam ad dictam ſuam Dignitatem,
“ ſeû Officium dicti ſui Prioratûs Provincialis dictæ ſuæ Provinciæ Anglicanæ reſtituendum, &
“ reintegrandum fore, ac eundum reſtituimus, & reintegramus, & præfatum Fratrem Joannem Leyceſtriæ
“ ad dictam Vicariam Provinciæ, ſeù Nationis Hiberniæ, ac dictos Fratres Magiſtros in Theologia, &
“ alios Fratres dictæ Provinciæ privatos, abſolutos, amotos ab Officijs, Locis, Conventibus, Studentijs, &
“ Lectorijs dictæ Provinciæ, Cellis, Libris, ſeù Rebus alijs ſpoliatos per eundem Fratrem Eliam, ſeù alium
“ ejus Nomine, poſt, & contrà Appellationem prædictam, & aliàs minùs debitè, & injuſtê, fore, & eſſe
“ reſtituendos ad Officia, Loca, Conventus, Studentias, Lectorias, Libros, Cellas, & Res alias, de quibus
“ fuerant amoti, abſoluti, ſeù etiam, ſpoliati, & eoſdem reſtituimus, & reintegramus ad prædicta, &
“ præfatos Fratres Wilhelmum Sywart, Johannem Empſay, & Joannem Pariſk, Vicarios per prædictum F.
“ Eliam, tunc Magiſtrum Ordinis, in dicta Provincia poſitos, & intruſos, & Fr. Robertum Cuſack, vel
“ alium quemcunque Vicarium Loco dicti Fratris Joannis Leyceſtriæ per Fratrem Eliam prædictum, ſeù
“ alium ejus Nomine, in dicta Natione Hiberniæ, ſeù Provinciæ poſitum, & omnia alia Facta, & Attentata
“ in dicta Provincia Angliæ, poſt & contrà dictam appellationem, per dictum Fratrem Eliam, revocandos,
“ & caſſandos, revocanda,, & caſſanda fore, eoſque, & ea caſſamus, & revocamus, ac etiam nulla declaramus,
“ proptereaque Nomine dicti F. Thomæ, & omnium aliorum Subditorum ſuorum dictæ Provinciæ
“ benè fuiſſe, & eſſe legitimè appellatum, & prædictum Fratrem Eliam, tunc Magiſtrum dicti
“ Ordinis, malè propterea, nulliter, & defectuosè, poſt & contra dictam Appellationem fuiſſe, &
“ eſſe proceſſum, ſententiatum, inquiſitum, & diffinitum, prætenſas Sententiam, & Sententias Amotionis,
“ ſeù Abſolutionis prædicti Fratris Eliæ, tunc Magiſtri, ſeù Capituli Generalis præfati Ordinis, ultimò

“ Carcaſſonæ celebrati, cum Conſtitutione, & Ordinatione Vicariorum Generalium ſucceſſivè in dicta Provincia Angliæ, videlicet Fratris Johannes Pariſk, Magiſtri in Theologia, primo Loco, Fratris Johannis Empſay, ſimiliter Magiſtri, ſecundo, & Fratris Thomæ Nortebe, tertio, Fratrum, ordinatorum, & conſtitutorum per Capitulum, Generale prædictum, & Abſolutionis Fratris Johannis Leyceſtriæ à Vicaria Nationis, ſeù Provinciæ Hiberniæ, Pænarum Adjectione, & Approbatione geſtorum per dictum Fratrem Eliam, tunc Magiſtrum Generalem Ordinis antedicti, in Provincia Anglicana contra Fratres prænominatos Provinciæ, & Ordinis prædictorum, abſolutorum Vicariorum, factorum in dicta Provincia Angliæ per Priorem Provincialem prædictum & cum Factis, & Geſtis per dictum Capitulum Generale, ſeù Diffinitores ejuſdem, contrà, & adverſus Venerabilem, & Religioſum Virum Fr. Willelmum Bodechiſin (*s*), Sacræ Theologiæ Magiſtrum, Ordinis & Provinciæ Prædictorum, & præmiſſa, & alia, contrà dictam Appellationem attentata in dicta Provincia contrà dictum Provincialem, Fratreſque dictæProvinciæ, Ordinis jam dicti, per præfatum Capitulum Generale, ſeù Diffinitores ejuſdem Capituli, cum dicto Fr. Elia tunc Magiſtro Ordinis, conjunctim, vel diviſim, caſſamus & annullamus, &, etiam revocamus, dictamque Conſtitutionem olim factam in Capitulo Generali Londinenſi, celebrato Anno Domini Milleſimo Trecenteſimo Quartodecimo (*t*), quæ incipit: Ad futuram Rei Memoriam, juxtá ſuam Formam, approbandam, & confirmandum fore, ipſamque approbamus, & confirmamus, præfatum Fr. Eliam tunc Magiſtrum & Capitulum Generale, ac Fr. Johannem Empſay, Procuratorem eorum, ſeù Ordinis prædicti, ipſorum Nomine, in Expenſis, in præſenti Cauſa legitime factis, nihilominùs condemnantes, quarum Expenſarum Taxationem Nobis impoſterùm reſervamus, conſequenter verò memoratus Dominus Noſter Papa Nobis Fratri Nicolao Judici, & Executori, Oraculo vivæ Vocis commiſit, quatenùs prædictam Sententiam per Nos ritè, & legitimè, ſicut præmittitur, latam, per Nos, vel alium, ſeù alios, debitæ Executioni demandaremus, cum Cenſuris, & Pœnis debitis, & conſuetis, & aliàs, prout Nobis pro Utilitate, & Commodo Ordinis prædicti meliús videretur expedire, cujus quidem Commiſſionis Vigore, Nos Frater Nicolaus Judex, & Executor præfatus in Negotio Executionis hujuſmodi ulteriùs procedentes, ac attendentes, quod inutile eſſet Sententiam ferri niſi debitae Executioni mandaretur, volenteſque ſuper hoc per Venerabilem, & Religioſum Virum Fratrem Willelmum de Bodechyſkyn, Magiſtrum in Sacra Pagina, Procuratorem prædictorum Fratrum, Thomæ Ruſhock, Provincialis, & Johannis de Leyceſtria, Vicarij Hiberniæ pro eiſdem, & alijs, Magiſtris, & Fratribus, ipſis adherentibus, ſpecialiter conſtitutum, prout Nobis de ipſius Procurationis Mandato licitè conſtabat, & conſtat, coràm Nobis perſonaliter conſtitutum, cum Inſtantia debita requiſita, prædictam noſtram Sententiam debitè exequi, ut tenentur, Vos omnes, & ſingulos ſupradictos, quibus præſentes noſtræ Literæ diriguntur, Auctoritate Apoſtolicâ Nobis in hac Parte commiſsâ, requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & peremptoriè, conjunctim, vel diviſim, Vobiſque nihilominùs, & cuilibet veſtrum in Virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub Pænis infraſcriptis diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenús infrà Sex Dierum Spatium poſt Præſentationem, ſeù Notificationem Præſentium, Vobis ſeù alteri veſtrorum Fratrum, immediatè ſequentium, quorum Dierum, duos pro primo, & duos pro ſecundo, & reliquos duos Dies pro tertio, & peremptorio Termino, ac Monitione remotâ, Vobis aſſignamus, praefatos Fratres, ſcilicet, Thomam Ruſhock Provincialem, ad ſuam dictam Dignitatem, ſeù Officium dicti ſui Prioratûs Provincialis dictae Provinciae Anglicanae, ac Johannem de Leyceſtria Vicarium ad dictam ſuam Vicariam Provinciæ, ſeù Nationis Hiberniae, ac dictos Fratres Magiſtros in Theologia, & alios Fratres praedictae Provinciae, privatos, abſolutos, & amotos ab eorum Officijs, Locis, Conventibus, Studentijs, & Lectorijs dictae Provinciae, ac Cellis, Libris, ſeù Rebus alijs, per praefatum Eliam, olim Magiſtrum Generalem, ſeù alium, aut Capitulum Generale, dudùm Carcaſſonæ celebratum, aut alium, ſeù alios ipſorum Nomine, poſt, & contra Appellationem praedictam, & aliàs tanquàm minùs debitè, & injuſtè ſpoliatos, ad ipſorum Officia & alia praenominata reſtituatis, & reintegretis, ac etiam recipiatis abſque Difficultate aliqua, & admittatis ad eadem, ipſiſque & eorum cuilibet de ſolitis, & conſuetis Pictantijs, juxtà, & ſecundum Statuta, & Conſuetudines dicti Ordinis, ac Cellis, Libris, & Rebus alijs, quibus ſpoliati exiſtunt, quantùm in Vobis, & quolibet Veſtrum eſt, ſeù fuerit, integraliter reſpondeatis, & faciatis ab alijs reſponderi, amoventes ab eiſdem Provincia, & Vicaria, & alijs Officijs, & Locis praedictis, quoſcunque intruſos, & illicitos Detentores, quos Nos etiam, Tenore præſentium, denunciamus amotos. Quod ſi fortè praemiſſa omnia non adimpleveritis, & Mandatis noſtris, immó veriús Apoſtolicis, non parueritis cum Effectu, aut aliquid contra praedictos Fratres Thomam Ruſhock Provincialem, Johannem Vicarium, & alios Fratres praedictos feceritis; Vos omnes, & ſingulos ſupradictos, ac quoſcunque alios Contradictores, & rebelles, aut impedientes ipſos ſuper praemiſſis in

“ aliquo,

---

s) Qui poſtea dicitur *de Bodechyſkin*, fortaſſis em *Bodeebin*, Vernaculè *Bodkin*, quod Nomen eſt Familiæ *Anglo-Hibernicæ*.

(*t*) Confer Num. iv. hujus Capitis, Pag. 49.

“ aliquo, ſeù impedientes eoſdem, dantes Conſilium, Auxilium, vel Favorem, publicè, vel occultè, directè
“ vel indirectè, quominùs ipſi ad eorum Officia, Loca, Conventus, Studentias, Lectorias, Libros, Cellas,
“ & Res alias, de quibus fuerint, & ſunt ſpoliati, reſtituantur, & reintegrentur, ſeù etiam recipiantur, &
“ admittantur, ac ad Statum priſtinam reducantur, & ipſorum Officiorum, Locorum, Conventuum, Stu-
“ dentiarum, Lectoriarum, Cellarum, & Rerum aliarum pacificâ valeant poſſeſſione gaudere, aut deinceps
“ in Præjudicium ipſorum aliqua facientes, cujuſcunque Dignitatis, Gradùs, Ordinis, Præeminentiæ, aut
“ Statûs eccleſiaſtici, vel mundani, exiſtant, niſi infrà prædictum Terminum, à Die Sententiæ computan-
“ dum, à Contradictione, Rebellione, Impedimento, Turbatione, Auxilio, Conſilio, & Favore hujuſmodi
“ omnino deſtiteritis, & deſtiterint, & ſi Mandatis noſtris hujuſmodi, immò veriùs Apoſtolicis, non patue-
“ ritis, ſeù non paruerint cum Effectu, ex nunc, pro ex tunc, omnes, & ſingulos, Canonicâ Monitione
“ præmiſsâ, Excommunicationis, in Conventus verò, & Capitula, quæ in præmiſſis deliquerint, Suſpenſi-
“ onis, & in ipſorum Monaſteriorum Eccleſias, ac Oratoria, Interdicti Sententias, in his Scriptis ferimus,
“ & etiam promulgamus: Vobis verò Reverendis Patribus Dominis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſupradictis,
“ quos, ob Reverentiam veſtrarum Pontificalium Dignitatum, nolumus præfatis noſtris Sententijs ſic ligari,
“ ſi contrà præmiſſas, vel quodlibet præmiſſorum, feceritis per Vos, vel ſubmiſſam Perſonam, publicè, vel
“ occultè, prædictâ Sex Dierum canonicâ Monitione præmiſsâ, Vobis, & cuilibet Veſtrûm, Ingreſſum Ec-
“ cleſiæ interdicimus in his Scriptis. Si verò Interdictum hujuſmodi per alios Sex Dies, præfatos Sex im-
“ mediatè ſequentes, ſuſtinueritis, quod abſit, Animo indurato, Vos, & quemlibet Veſtrûm, ſimili ca-
“ nonicâ Monitione præmiſsâ, ex tunc, propter Contemptum hujuſmodi, Excommunicationis Sententiâ
“ innodamùs. Cæterum, cùm ad Executionem hujuſmodi ulteriùs faciendam non poſſimus quoad præſens,
“ alijs præpediti Negotijs, perſonaliter attendere, Venerabilibus, & diſcretis Viris univerſis, & ſingulis
“ Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Theſaurarijs, Cancellarijs, & Prioribus Univerſitatum
“ Oxoniæ, & Cantabrigiæ, Eccleſiaſticis Cantoribus, Sacriſtis, Archipreſbyteris, Eccleſiarum, tàm Cathe-
“ dralium, quàm Collegiatarum, Canonicis, Parochialium Eccleſiarum Rectoribus, ſeù Locum tenenti-
“ bus eorundem, Preſbyteriſque, Curatis, & non Curatis, Notarijs, & Tabellionibus publicis quibuſcun-
“ que per Provincias Cantuarien., Eboracen., Armachan., Dublin., etiam, & Caſſalen., ac earum Civi-
“ tates, & Diæceſes, & alias ubilibet conſtitutis, eorumque cuilibet in Solidum ſuper ulteriori Executione
“ prædictâ, Mandati Apoſtolici, atque noſtri, atque ſuper omnibus, & ſingulis Nobis in hac Parte com-
“ miſſis, Tenore præſentium committimus, & mandamus per noſtras Literas, donec eas ad Nos plenariè
“ duxerimus revocandas, omnibus, & eorum cuilibet in Solidum, in Virtute ſanctæ Obedientiæ, & ſub
“ Excommunicationis Pœna, quam in ipſos, & eorum quemlibet, infrà Sex Dierum ſuprâ diſtinctorum Spatium
“ poſt Præſentationem, ſeù Notificationem præſentium, ſeù poſtquàm per prædictos Fratres Thomam de
“ Ruſhock Provincialem, & Johannem de Leyceſtria Vicarium, & alios Magiſtros, & Fratres ſupradictos,
“ ſeù alterum eorum, fuerint requiſiti, canonicâ Monitione præmiſsâ, ſi ea, quæ eis in hac Parte com-
“ mittimus, & mandamus, neglexerint, & recuſaverint, ſeù contempſerint contumaciter adimplere, &
“ Mandatis noſtris hujuſmodi, immò veriùs Apoſtolicis, non paruerint cum Effectu, diſtrictè præcipiend
“ committimus, & mandamus, quatenùs ipſi, & eorum quilibet, qui à prædictis Fratribus Thomâ de
“ Ruſhock Provinciali, Johanne de Leyceſtria Vicario, & alijs Magiſtris, & Fratribus, ſeù eorum alterius
“ aut ipſorum, ſeù alterius eorum Præcuratores, fuerint requiſiti, ſeù fuerit requiſitus, ità tamen quo
“ in his exequêndis alter veſtrûm alterum non expectet nec unus pro alio ſe excuſet, ad Vos prædictos Domi
“ nos Archiepiſcopos, & Epiſcopos, omneſque alios, & ſingulos ſupradictos, ad Loca, Conventus, Monaſteria
“ & Eccleſias, ac Oratoria, ubi propterea fuerit accedendum, perſonaliter accedentes, prædictas Literas
“ noſtras, & omnia, & ſingula in eis contenta, Vobis omnibus, & ſingulis ſupradictis præſentent, denuncient
“ intiment, legant, & fideliter ſtudeant publicare, præfatoſque Fratres Thomam Ruſhock Provincialem a
“ prædictam ſuam Dignitatem, ſeù Officium dicti Prioratûs Provincialis prædictæ Provinciæ Anglicanæ, &
“ Johannem de Leyceſtria ad Vicariam ſuam prædictam, ac alios Magiſtros, & Fratres ſupradictos ad eo
“ rum Officia, Loca, Conventus, Studentias, Lectorias, Cellas, Libros, ac Res alias, de quibus, ut pr
“ mittitur, fuerunt, ſeù ſunt ſpoliati, reſtitui, & reintegrari, ac etiam admitti, & recipi abſque Difficulta
“ aliqua faciatis, ipſiſque, & eorum cuilibet juxtà, & ſecundum Statuta Ordiniis prædicti, debitam Rev
“ rentiam, & Honorem exhiberi, ac de ſolitis, & conſuetis Pictantijs reſponderi, ac eos & eorum queml
“ libet fraternali Charitate per alios eorum Confratres tractare, faciatis, amotis ab eiſdem Officijs, ſcilic
“ Provinciæ Anglicanæ, Vicariæ Hiberniæ, & aliijs Officijs, & Locis prædictis, Detentoribus illicitis quibu
“ cunque, & nihilominùs omnia, & ſingula Vobis in hac Parte commiſſa, plenariè exequantur juxtà trad
“ tam, ſeu datam à Sede Apoſtolica Nobis Formam, ità tamên quod ijdem ſubdelegati noſtri nihil in Pr
“ judicium prædictorum valeant attentare, nec ſupradictas Sententias, per Nos latas, abſolvendo vel ſu
“ pendendo, aliquid immutare. Volumus autem quod id, quod per unum ipſorum inceptum fuerit, p
“ alium, ſeu alios proſequi, mediari valeant, & finiri; in cæteris autem quæ prædictis Fratribus Thom

“ Ruſho

“ Ruſhock Provinciali, & Johanni de Leyceſtria Vicario, ac alijs Magiſtris, & Fratribus ſupradictis nocere poſſent, ſuper prædictis, eiſdem Subdelegatis noſtris, & eorum cuilibet, & eorum alteri, ac cuicumque alteri, Poteſtatem omnimodam ordinamus, &, ſi contingat Vos ſuper præmiſſis in aliquo procedere, de quo Poteſtatem omnimodam reſervamus, non intendimus tamen propter hoc Commiſſionem noſtram hujuſmodi in aliquo revocare, niſi de Revocatione hujuſmodi in noſtris Literis, ſivè Proceſſibus, plenam, & expreſſam faceremus Mentionem; hujuſmodi autem noſtras Literas, ſeù publicum præſens Inſtrumentum, volumus penés prædictos Fratres Thomam Ruſhock Provincialem, & Johannem de Leyceſtria Vicarium, & alios Magiſtros, & Fratres prænominatos, vel eorum Procuratorem remanere, & non per Vos, vel aliquem Veſtrûm, ſeù quemvis alium, contrà eorum Voluntatem quomodolibet detineri, contrarium verò facientes, prædictis noſtris Sententijs, prout in Scriptis latæ ſunt, ſubjacere volumus ipſo Facto. Mandantes tamen prædictis Fratribus Thomæ, & Johanni, & alijs ſupradictis, ut Vobis Copiam faciant, ſeù fieri faciant de præmiſſis, ſi eam petieritis, tamen Sumptibus veſtris, & Expenſis, Abſolutionem verò omnium, & ſingulorum, qui præfatas noſtras Sententias, vel earum aliquam incurrerint quoquomodo, Nobis, vel Superiori noſtro, tantummodò reſervamus. In quorum omnium & Singulorum Teſtimonium præſentes noſtras Sententias, ſeù præſens publicum Inſtrumentum exindè per Petrum Boſchuſen, Notarium Publicum, Scribanumque noſtrum infraſcriptum, fieri, ſubſcribi, publicari mandavimus, ac noſtri Sigilli fecimus Appenſione muniri. Datum, & actum Romæ apud S. Mariam de Armenis propè S. Petrum in Hoſpitio Habitationis noſtræ, ſub Anno à Nativitate Domini Milleſimo Trecenteſimo Septuageſimo, Indictione Secunda, Die Vigeſimaquinta Menſis Auguſti, Pontificatûs prædicti Domini Noſtri PP. Anno Secundo, præſentibus Reverendo Patre Domino Fratre Guillelmo (*u*) Epiſcopo Achaden., ac Venerabilibus, & diſcretis Viris Domino Antonio de Sulmon Auditore, Andreâ de Racanito Secretario, & Johanne Rupin. de Eylptim, Eyſteten. Diæceſis, Scutifero noſtris, Teſtibus ad præmiſſa ſpecialiter vocatis, & rogatis. Et Ego Petrus de Boſcuſen, Clericus Leodien. Diæceſis, Publicus Apoſtolicâ, & Imperiali Auctoritate Notarius, ac Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Nicolai Cardinalis Judicis, & Executoris prædicti Scriba, præmiſſis omnibus, & ſingulis dum ſic, ut præmittitur, fierent, & exigeretur Juramentum à prædictis Teſtibus, interfui; eaque omnia, & ſingula ſic fieri vidi, & audivi; ideòque hoc præſens publicum Inſtrumentum, per alium fideliter ſtipulatum, ac meis Signo, & Nomine conſuetis, unà cum Appenſione Sigilli prædicti Domini Cardinalis roboratum, de Mandato ejuſdem Domini Cardinalis exindè confeci, & publicavi, rogatus, & requiſitus. In Fidem, & Teſtimonium omnium, & ſingulorum præmiſſorum conſtat mihi jam dicto Notario, & Scribæ, de Raſuris factis ſuperiùs in Denominationibus videlicet dictarum Appellationum, quas non Vitio, ſed Errore fortè factas, hìc approbo. Datum, ut ſuprà &c.

SUPEREST nunc ut ipſummet Diploma *Bonifacianum*, poſt Viginti Septem Annorum Seriem, Die ſcilicet 20. Februarij 1397, & quidem, ut mox ajebam, ad ſupplicem *Richardi* II Regis Inſtantiam, emanatum, præinſertis Cardinalis Judicis Literis, atque Sententiæ definitivæ Apoſtolici Roboris Firmitatem adjiciens, in Medium adducatur. En porrò illius Tenorem (*w*):

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Ex injuncto Nobis deſuper, licèt immeritis, Officio Paſtorali, noſtris incumbit Humeris, Perſonas Eccleſiaſticas, præſertìm ſub Religionis Obſervantiâ divinis Obſequijs mancipatas, Favoribus proſequi opportunis, ut ea, quæ pro Statu pacifico, & tranquillo ipſarum perindè facta, & ex Commiſſione Apoſtolica Judicio terminata ſunt, ut illibata exiſtant, libenter adjicimus Apoſtolici Roboris Firmitatem. Dudùm ſiquidem orta inter quondàm Eliam Raymundi (*x*) olim Magiſtrum Generalem, & Capitulum Generale Ordinis Fratrum Prædicatorum tunc ultimò Carcaſſonæ celebratum, ex Parte una, & quondàm Thomam Ruſhock, tunc Priorem Provincialem Fratrum Provinciæ Anglicanæ juxtà Morem ejuſdem Ordinis, & Johannem de Leyceſtria, tunc Vicarium Generalem Partium Hiberniæ, & nonnullos alios Fratres ipſius Ordinis, eiſdem Priori, & Vicario adhærentes, de, & ſuper quibuſdam Abſolutionibus, & Amotionibus, & Perturbationibus ab ipſorum Prioris, & Vicarij, & Fratrum, Provincialatûs, & Vicariatûs, Officijs, Locis, Conventibus, Studentijs, Lectorijs, Cellis, & Rebus alijs, & eorum Occaſione exortâ Materiâ Quæſtionis, & Causâ hujuſmodi coram bonæ Memoriæ Nicolao (*y*) Tit. S. Cyriaci Preſbytero Cardinali ex Commiſſione Apoſtolica diutiùs ventilatâ, tandem dictus Nicolaus Cardinalis, ſer-

---

(*u*) Cognomine *Andreâ*, Anglicè *Andrews*, Epiſ- po *Achadenſi* in *Hibernia*, Ordinis Prædicatorum umno, de quo Sermo erit Cap. xiii. Num. xxii.

(*w*) Ut jacet in laudato *Bullario Ordinis Prædica-* um, Tom. vii. Pag. 69. ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxxi. Fol. 97.

(*x*) Generalis Magiſter electus fuerat *Avenione* Die 6. Junij 1367, de quo nuper ad Lit. r. Pag. 53.

(*y*) Cognomine *Carracciolo*, Ordinis Prædicatorum Alumno, ut mox dictum eſt.

“ vatis ſervandis, ſuper Cauſa ipſa definitivam protulit Sententiam, quæ, nullâ Provocatione ſuſpenſâ, in
“ Rem tranſivit judicatam, & nonnulla alia ſuper præmiſſis, & ipſius Sententiâ executivè fecit, ſtatuit, &
“ ordinavit, prout in Actis authenticis indè confectis, Sigillo ipſius Cardinalis munitis, quorum Tenorem de
“ Verbo ad Verbum Præſentibus inſeri fecimus, pleniùs continetur. Nos igitur attendentes, quod ea, quæ
“ Judicio, præſertim ex Commiſſione Apoſtolica, ritè terminata ſunt, inviolabiliter obſervari debent, ac
“ volentes Sententiam ipſam, & omnia alia in dictis Literis contenta, perpetuis futuris Temporibus obſer-
“ vari, Sententiam ipſam, & omnia alia indè ſecuta, & in dictis Literis contenta, rata habentes, & grata,
“ ex Conſideratione etiam chariſſimi in Chriſti Filij noſtri Richardi Regis Angliæ Illuſtris, Nobis ſuper hoc
“ Supplicantis, Auctoritate Apoſtolicâ, ex certa Scientia confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio com-
“ munimus, eaque omnia, & ſingula, in his, & ſimilibus inter Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, & Ca-
“ pitulum Generale, ac Provincialem, Vicarium, & Fratres Provinciæ, Partium, ac Ordinis prædictorum
“ pro Tempore exiſtentes, perpetuis futuris Temporibus inviolabiliter obſervari volumus, & mandamus,
“ decernentes ex nunc irritum, & inane quicquid contigerit contrà hæc attentari. Tenor verò dictarum
“ Literarum talis eſt: RR. In Chriſto Patribus” &c. Et ſic de Verbo ad Verbum uſque ad Finem, ut mox
exſcriptæ ſunt. Dein ſubjungit Pontifex: “ Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtrarum
“ Confirmationis, Communitionis, Voluntatis, Mandati, & Conſtitutionis infringere, vel ei Auſu teme-
“ rario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beato-
“ rum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum X. Kal.
“ Martij, Pontificatus noſtri Anno Octavo.”

Ex his, inquam, perſpicuè apparet, *Hiberniam* ſaltem uſque ad Annum 1397, fuiſſe *Provinciæ Anglicanæ* incorporatam, una ſiquidem erat utriuſque Cauſa, una utriuſque Appellatio, unus ſuper utraque Proceſſus, unaque demùm pro utraque definitiva Sententia. Hìnc præinſertis in Literis *Anglia* ſcitè dicitur *Provincia*, *Hibernia* verò *Vicaria*, & aliquoties *Natio*, ceù nimirùm Pars *Anglicanæ Provinciæ*, non ſecùs ac Scotia, etſi hæc, ad Differentiam Hiberniæ, ſuum tunc habuerit Regem proprium, ut alibi uberiùs declarabitur (z).

VIII. Sed Rem adhuc luculentiùs exprimit alterum Diploma *Bonifacianum* Die 21. Februarij 1400 emanatum, quo laudatus Pontifex *Bonifacius* IX ſuperiùs (a) exſcriptas P. *Berengarij de Landorra*, Magiſtri Generalis, Literas, in eodem verbatim inſertas, plenè confirmat, & quidem ad Petitionem Priorum, & Conventuum, atque univerſorum Fratrum *Hiberniæ*. En ipſummet earum Tenorem prout in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. VII. Pag. 74, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. CX. Fol. 78.

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

“ SACRÆ Religionis, ſub qua dilecti Filij Priores, & Conventus, & univerſi Fratres Ordinis Prædica-
“ torum Terræ Hiberniæ ſecundùm Morem dicti Ordinis mundanis abjectis Illecebris, cum Adjectione vo-
“ luntariæ Paupertatis, Virtutum Domino in Humilitatis Spiritu devotum, & ſedulum exhibent Famulatum,
“ Merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes ipſos, eorumque Ordinem, Favoribus benignis confoveat,
“ & ſpiritualibus Gratijs proſequatur, ac illis, quæ pro Commodo, & Utilitate eorum ſtatuta, & ordinata
“ ſunt, Apoſtolici Muniminis adjiciat Firmitatem. Sanè Petitio pro Parte dictorum Priorum, & Fratrum
“ Nobis nuper exhibita continebat, quod quondam Berengarius, Magiſter Generalis dicti Ordinis, olim in
“ Generali Capitulo Ordinis præfati, in Civitate Londonien. celebrato, de unanimi Conſilio, & Volun-
“ tate Diffinitorum dicti Capituli ſtatuit, & conceſſit, quod ipſi Priores Conventuales, & Prædicatores Ge-
“ nerales dictorum Terræ, & Ordinis, necnon Socij dictorum Priorum, & a ſingulis Conventibus electi,
“ nominent tres Fratres dicti Ordinis de Natione Hiberniæ, ad regendum idoneos, & Prior Provincialis Pro-
“ vinciæ Angliæ ſecundùm Morem prædictum teneatur unum præficere ex eiſdem in Vicarium dicti Ordinis
“ in Hibernia, qui dicti Prioris Provincialis in omnibus, niſi quando idem Prior Provincialis in Hibernia per-
“ ſonaliter præſens foret, plenam ſuper ipſos Fratres haberet Poteſtatem, & ubique inter ipſos Fratres in
“ Hibernia teneret primum Locum; cujus Poteſtas non expiraret, etiam Priore Provinciali mortuo, vel
“ amoto. Ipſe quoque Vicarius ſingulis Annis in uno ex Conventibus Ordinis, & Terræ Hiberniæ prædic-
“ torum Capitulum valeret convocare, tenendum cum Quatuor Fratribus, ad hoc ſecundùm Formam dicti
“ Capituli aſſignatis, qui quidem Fratres plenam haberent Poteſtatem ipſius Vicarij Exceſſus audiendi, &
“ corrigendi, & ipſum, ſi neceſſe foret, uſque ad Provinciale Capitulum ſuſpendendi. Idem etiam Vica-
“ rius cum ſupradictis Quatuor Fratribus Exceſſus dictorum Priorum Conventualium, & aliorum Fratrum,
“ ad

(z) Cap. ſeq. Num. v.

(a) Num. iv. hujus Capitis, Pag. 49.

“ ad ſuum Capitulum convenientium, & alibi in eadem Terra Hiberniæ exiſtentium, audiret, corrigeret, & emendaret, nec alicui liceret facere Proteſtationes, aut Culparum Reſervationes, ab eodem Vicario contrà ſuas Ordinationes. Et nihilominùs præfatus Berengarius in eodem Generali Capitulo quamplura alia Fratrum, & Ordinis prædictorum in Hibernia Statum, & bonum Regimen concernentia, ſtatuit, conceſſit, & etiam ordinavit, prout hæc omnia in authenticis Literis Berengarij, & Diffinitorum prædictorum Sigillis munitis, quarum Tenorem de Verbo ad Verbum Præſentibus inſeri fecimus, pleniùs continetur. Quare pro Parte dictorum Priorum Conventualium, & Fratrum Terræ Hiberniæ Nobis humiliter fuit ſupplicatum, ut Statuta, Conceſſiones, & Ordinationes, ac alia omnia, & ſingula, in eiſdem Literis contenta confirmare de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad præfatum Ordinem gerimus ſingularem Devotionis Affectum, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Ordinationes, Conceſſiones, ac Statuta prædicta, necnon alia, & ſingula, in eiſdem Literis contenta, rata habentes, & grata, ea omnia Auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus, ſupplentes omnes Defectus, ſi qui forſan intervenerint in præmiſſis. Tenor autem dictarum Literarum talis eſt.” Hìc verbatim inſerit Pontifex Literas Fratris *Berengarij de Landorra*, Magiſtri Generalis, quas ſuperiùs (*b*) legere eſt. Deindè concludit: “ Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis, & Supplementi infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Nono Kalendas Martij Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.

IX. Sic autem diù permanſit *Hibernia* ſub Vicarij Regimine, per Provincialem *Angliæ* conſtituti, uſque ad Annum ſcilicet 1484, quo ab *Anglia* ſegretata fuit, in ſpecialem Ordinis Provinciam erecta, ut brevi, poſt alia mox dicenda, commodiùs oſtendetur (*c*). Quippè hic Loci prætermittendum non eſt, in duobus primis *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculis, de quibus impræſentiarùm Sermo eſt, ultra Viginti Quatuor Cænobia, jam antè memorata (*d*), Septem inſuper extructa fuiſſe, *Cavanenſe* nimirùm, 1300; *Carlingfordienſe*, 1305; *Caſtlelionenſe*, vulgò *Caſtle-Lyons*, 1307; *Naſenſe*, 1356; *Clonſhanvillenſe*, 1385; *Aghavoenſe*, 1400; & *Longofordienſe*, eodem Anno; ſicque ad Triginta Unius Cænobiorum Numerum creviſſe, de quibus, ac de alijs, Temporis Progreſſu extructis, ſigillatìm per diſtinctos Paragraphos Cap. IX. diſſeretur.

Neque etiam prætermittendum eſt, *Hiberniam Dominicanam* intrà duplicis iſtius Sæculi Seriem plures habuiſſe Viros, Doctrinâ, & Pietate celebres, quorum haud pauci ad Infulas aſſumpti fuere, putà *David Mac-Kellius*, Cænobij *Corcagienſis* Alumnus, *Clonenſis* Epiſcopus primùm Anno, 1237, dein Archipræſul *Caſſelienſis* 1238, atque *Caſſelienſis* Cænobij Fundator (*e*), 1243; *Robertus Archerus*, Archiepiſcopus *Armacanus*, 1237; *Alanus O-Sullivan*, Epiſcopus *Clonenſis* primùm 1240, dein *Liſmorenſis*, 1248; *Henricus*, Archiepiſcopus *Armacanus*, circà Annum 1245, poſteà ad Archipræſulatum *Pruſſiæ*, *Livoniæ*, & *Eſtoniæ* tranſlatus, 1246 (*f*), & Sedis Apoſtolicæ Legatus ab *Innocentio* Papa IV ad *Danielem*, Regem *Ruſſiæ*, eodem Anno miſſus (*g*); *Reinerius*, alijs *Reginaldus*, alijs verò *Raynaldus*, Archiepiſcopus item *Armacanus*, 1247; *Chriſtianus*, Epiſcopus *Ardfertenſis*, 1252; *Hugo*, alteri *Hugoni de Mapilton*, à nonnullis *de Glandelach* (*h*), è Patria dicto, ſucceſſit Epiſcopus *Oſſorienſis*, 1256; *Patritius O-Scanlan*, primùm Epiſcopus *Rapotenſis*, 1256, poſtmodùm Archipræſul *Armacanus*, 1261; *Mauritius O-Connor*, Epiſcopus *Elphineuſis*, 1266; *Carbraeus O-Scoba*, Epiſcopus *Rapotenſis*, 1267, unus è Patribus Concilij Generalis *Lugdunenſis Secundi*, 1274; *Joannes de Derlington*, Anglorum Regis *Eduardi* I ad *Nicolaum* III, Summum Pontificem, Legatus (*i*), 1278, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, 1279; *Raymundus*, Archiepiſcopus *Armacanus*, 1286; *Gulielmus de Hothum*, prælibati *Eduardi* I ad *Bonifacium* VIII Legatus (*k*), & Archiepiſcopus *Dublinienſis*,

---

(*b*) Num. iv. hujus Capitis, Pag. 49.

(*c*) Cap. iv. Num. vi.

(*d*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*e*) Conſulendum Cap. ix. §. ix. Num. ii.

(*f*) Confer Cap. ix. §. ii. Num. iv.

(*g*) *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. i. Pag. 163.

(*h*) *Glandelach* Pagus eſt *Wickloenſis* Agri *Lageniæ*, per ſexcentum Annos, ut obiter dicam, Sedes Epiſcopalis (cui primò præfuit *S. Kevanus*, aliàs *Coemgenus*) ſed ab *Honorio* III Archidiæceſi *Dublinienſi* incorporata, A. 1216, ut dicetur Cap. ix. §. i. Num. i. Lit. b. Porrò vox Hibernica *Glandelach* ſignificat Vallem duorum Stagnorum, indeque Diœceſis iſtius Antiſtes quandoque ſcribebatur *Epiſcopus Biſtagnenſis*, ut legere eſt apud *Wilkins*, in *Collectione Conciliorum Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ*, Vol. I. Pag. 472.

(*i*) *Bullarium Ord. Prædic.* Tom. i. Pag. 557.

(*k*) *Waræus*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. ii. Cap. ii.

ſis, 1297; *Gualterus Joiſius*, alijs *Jorz* (vernaculè *Joice*, & *Joyce*) Archipræſul *Armacanus*, 1306; *Martinus Bononienſis*, Archiepiſcopus item *Armacanus*, 1307; *Rolandus Joiſius*, Archiepiſcopus item *Armacanus*, 1313, Germanus Frater *(l) Gualteri Joiſij*, mox laudati, atque *Thomæ Joiſij (m)*, Ordinis etiam Prædicatorum, S. R. E. Cardinalis, olim *B. Alberti Magni* unà cum *S. Thoma Aquinate* Diſcipuli, Provincialis *Angliæ*, atque eidem *Eduardo* I, Regi Anglorum, à Confeſſionibus; *Philippus de Slane*, Regis *Eduardi* II ad *Joannem* Papam XXII. Legatus (*n*), Epiſcopus *Corcagienſis*, 1321; *Joannes de Egleſcliff*, Epiſcopus *Connòrenſis*, 1322; *Henricus*, Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*, 1337; *Edmundus de Caermarthen*, Epiſcopus *Ardfertenſis*, 1341; *Joannes Aubry*, electus Epiſcopus *Ardachadenſis*, 1373; *Gulielmus Andreas*, vulgò *Andrews*, Epiſcopus primò *Achadenſi*, 1374, poſteà *Midenſis*, 1380; *Thomas Ruſhock (o)*, Regis *Richardi* II Confeſſarius, Epiſopus *Triburienſis* (nunc *Kilmorenſis*) 1389; *Henricus Nony*, Capellanus Pontificius, Epiſcopus *Ardachadenſis*, 1392; *Robertus Read*, Epiſcopus *Liſmorenſis*, & *Waterfordienſis*, 1394; *Joannes Depingus*, ſivè *de Ping*, Epiſcopus *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis*, 1397; *Nicolaus Ileyan*, Epiſcopus *Duacenſis*, 1395; *Adam Lyons*, Epiſcopus *Ardachadenſis*, 1400; *Richardus Rocomb*, Epiſcopus *Leighlinenſis*, 1400, cui Fccleſiæ Nuncium remiſit, 1420. Ut nihil impræſentiarùm dicam de Scriptioribus, qui Lucubrationibus ſuis Eccleſiam in ipſamet Ordinis Infantia illuſtrarunt, ut (præter nonnullos e Præſulibus mox recenſitis) *Petrus Hibernicus*, *Philoſophus*, & *Theologus inſignis*, qui *vixit Neopoli in Italia Anno* 1240, *ubi in Studijs Philoſophicis Præceptor fuit* (Sancti) *Thomæ Aquinatis*. *Scripſit Qnodlibeta Theologica (p)*; *Thomas Palmeranus*, ſivè *Palmerſtonenſis*, paſsim dictus *Thomas Hibernicus*, in agro *Kildarenſi* natus, qui præter Librum: *Flores Doctorum*, inſcriptum, quem præ Manibus teneo, alia edidit Opuſcula egregia, floruitque circà Annum 1269; & *Gotofridus de Waterfordia*, qui, Teſte *Jacobo* noſtro *Echardo*, Latinè, Græcè, Arabicè, & Gallicè peritus, plura reliquit Ingenij ſui Monumenta, Sæculo Eccleſiæ XIII. Porrò de ſingulis eorum, tàm Antiſtitibus, quàm Scriptoribus, uberior opportuniorque Sermo alibi redibit *(q)*. Sufficiat pro præſenti illos duntaxàt nominaſſe, ut Lector actutùm perſentiat, *Dominicanam* Familiam tempeſtivè in *Hibernia* floruiſſe.

SPECTABILLES inſuper evaſere tunc Temporis Cænobiorum in *Hibernia* Superiores, Priori quippê *Pontanenſi*, Ordinis Predicatorum, & Guardiano *Dundalkenſi*, Ordinis Minorum, *Innocentius* IV, Anno 1246, commiſit, ut Electores *Armacanæ* Archidiæceſis, & Electum peremptoriè citarent, & ad Sedem Apoſtolicam mitterent. *Dublinienſi* item Priori, Ordinis Prædicatorum, & alijs commiſit *Joannes* XX, dictus XXI, Anno 1276, ut Epiſcopi *Leghlinenſis* Electionem confirmarent. Harum porrò Rerum Diplomata commodiùs exſcribentur inter diſſerendum de memoratis Duobus *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs *(r)*.

X. NEQUE denique, niſi Hiſtoricum exuam, miſſas facere poſſum Lites, invidioſas etſi, ac funeſtas, Clerum Sæcularem inter, & Fratrum Prædicatorum ac Minorum Ordines in *Hibernia*, Sæculo Eccleſiæ Decimo-quarto exortas, & ad Initium uſque ſubſequentis Sæculi perductas. Ut autem Contentionum iſtarum Originem, atque Progreſſum quiſpiam, in Hiſtoria Eccleſiaſtica iſtius Ævi haud multùm verſatus, rectè intelligat, eum præmonitum velim, Virum quendam jurgioſum, *Gulielmum* Nomine, *de Sancto Amore* à Natalis Soli Oppido apud *Sequanos*, in *Gallia*, nuncupatum, Doctorem *Pariſienſem*, circà Annum 1254, contrà recentes Fratrum Prædicatorum, & Minorum Ordines graviſſimas in Eccleſia Turbas excitaſſe, & adverſùs eos ſcripſiſſe Libellum malè conſarcinatum, cui Titulum=*De Periculis noviſſimorum Temporum*=indidit, in eo totum ſuum Virus in ipſos effundens, contendens

---

(*l*) *Gualterum*, *Rolandum*, & *Thomam*, *Joiſios* fuiſſe Germanos Fratres, refert *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. mihi 13, & de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. ii, Cap. iii.

(*m*) *Joiſium* eum appellat *Waddingus* in *Annalibus Minorum*, Tom. ii, ad Annum 1330. Alij *Joſſium*, alij *Jorſeum*, alij *de Jorz*, anglicè autem dicitur *Joyce*. Floret hiſce etiam Temporibus antiqua Gens iſta in *Magna Britannia*, & *Hibernia*. Confer Cap. xii. §. iii, Num. xiv. & Cap. xiii, Num. xiv, & xvi.

(*n*) *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 209; *Reymer*, *Fædera*, *Conventiones*, &c. Tom. iv, Pag. 53; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 559.

(*o*) Plura de eo, ceù Provinciali *Angliæ*, Num. vii. hujus Capitis, à Pag. 52.

(*p*) Verba ſunt *Waræi*, de *Scriptor. Hib.* Lib. i. Cap. ix.

(*q*) Cap. xiii, & xv.

(*r*) Cap. ix. §. i, Num. iii; & §. ii, Num. iv.

contendens nimirùm, Fratres non poſſe de Evangelio, nec de Eleemoſynis vivere, neque mendicare, niſi cum Damnatione Animarum ſuarum, pluresque alias erroneas, temerarias, & ſcandaloſas contrà Religioſos Mendicantes (quos veluti Pſeudo-Prædicatores, Hypocritas, & Gyrovagos ſugillabat) propugnare nitens Propoſitiones, quas legere eſt apud *Natalem Alexandrum* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* Sæculi XIII, & XIV *(s)*. Præcipuæ autem ſunt.

“ 1. Religioſi Mendicantes, etſi à Summo Pontifice, & ab Epiſcopis miſſi ſint, prædicare non poſſunt, niſi à Plebanis fuerint invitati.

“ 2. Videtur quod, ſalvâ Eccleſiaſticâ Hierarchiâ, Regularibus Viris Prædicationis Officium committi non poſſit. Igitur ſi Viri Regulares Prædicationi ſe immiſceant, videtur, quod non ſint à Deo miſſi, & ideo Pſeudo ſint reputandi . . . . Per tales inſtabunt, vel inſtant Pericula Noviſſimorum Temporum Univerſæ Eccleſiæ.

“ 3. De Evangelio non poſſunt vivere.

“ 4. Vivere debent de Labore Corporis.

“ 5. Periculum eſt in mendicando, quoniam qui de Mendicitate vivere volunt, fiunt Adulatores, Detractores, Mendaces & Fures, & à Juſtitia declinantes.

“ 6. Regularibus, quos Eccleſia mendicare permittit, mendicare non licet, cùm faciant contrà Apoſtolum, & alias Scripturas; & Diuturnitas Temporis non diminuat Peccata, ſed augeat. Quapropter, ſi etiam confirmatum eſſet ab Eccleſia per Errorem, nihilominùs compertâ Veritate revocari deberet.

“ 7. Invenientur Seductores iſti inter Chriſtianos apparentes pios, Studio Literarum ſemper deditos, aſtutos, & Sciolos, in Conſilijs dandis famoſos, non tantùm ad Præcepta Domini, ſed etiám ad Conſilia obligatos, & tales, qui ſapientiores, & ſanctiores in Eccleſia apparebunt, propter quod electa Membra Redemptoris eſſe credentur, & ideò vehementer & ſubitò nocebunt Eecleſiæ.

“ 8. Valido Mendicanti facienda non eſt Eleemoſyna.

“ 9. Mendicus validus graviter delinquit. Ergò qui ſcienter ſe ponit in tali Statu, videtur quod non ſit in Statu ſalvandorum.

“ 10. Si Frater illius, qui prædicavit, etiam poſt Prædicationem petit ab illis, quibus prædicavit, Simoniam committit: Ergò non eſt ei dandum.

“ 11. Religioſis non licet procurare ut ſint Magiſtri, quia Magiſterium Honor eſt.

“ 12. Fratres non ſunt admittendi in Societatem Scholaſticam Sæcularium Magiſtrorum niſi de ipſorum Voluntate. Nàm, cùm ſint in Statu Perfectionis, tenentur ad Conſilia. Conſilium autem Domini eſt Matth. 23. *Nolite vocari Rabbi.* Cùm ergò velint docere ſolemniter, faciunt ut vocentur Magiſtri, & ſic vivunt contrà Domini Conſilium; & ità publicè peccant, & ſcandalizant; & ſic ſunt evitandi.

“ 13. Fratribus ab Epiſcopo vel Papa canonicè deſtinatis confeſſus, non ſatisfacit Statuto, *Omnis utriuſque Sexûs.* Nam præceptum eſt Prælatis, Curam Animarùm habentibus, quod ipſi cognoſcant Vultus Pecorum ſuorum. Conſtat autem quod Animos & Actus ſingulorum non poteſt Prælatus conſiderare, nec plenè cognoſcere, niſi audiendo Confeſſiones illorum.”

VERUM ad Inſtantiam *B. Humberti de Romanis* (t), tunc Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, in Urbem citatus *Gulielmus de Sancto Amore*, poſt Diſputationem cum *B. Alberto Magno* coràm *Alexandro* IV, Summo Pontifice, in publico Conſiſtorio habitam, in ſua Procacie obſtinatus, Beneficijs, quæ poſſidebat, privatus fuit, & à Clero expulſus; prælibatumque ipſius Libellum, à Capite ad Calcem Erroribus ſcatentem, laudatus Pontifex *Alexander*, habitâ priùs Relatione Quatuor doctiſſimorum Cardinalium, quibus illum examinandum commiſerat, tanquàm *pernicioſum*, & *deteſtabilem* damnavit, atque comburi juſſit. Et contrà eundem iniquum, & execrabilem Libellum Angelicus Doctor Juſſu Fr. Johannis de Vercellis, Sexti Magiſtri Ordinis, Opuſculum edidit XIX=*Contrà impugnantes Religionem*=inſcriptum, quod hiſce incipit Pſalmiſtæ Verbis (*u*) [illegible]e *Inimici tui ſonuerunt ; & qui oderunt te extulerunt Caput. Super Populum tuum malignaverunt Conſilium: Cogitaverunt adversùs Sanctos tuos. Dixerunt : Venite, & diſperdamus eos de Gente ; & non memoretur Nomen Iſrael ultrà.* In eoque nedùm omnia *Gulielmi de Sancto Amore* diluit Argumenta, verùm & Argutias ſingulas reliquorum Religioſi Nominis Hoſtium, qui *Gulielmum* ſectati ſunt, lato Calamo præfocavit (*w*).

XI. PACATIS jam Sæculo iſto Tertio-decimo Rebus per ſceleſti Libelli Proſcriptionem, ac Refutationem, atque per plura Diplomata, tàm *Alexandri* IV, mox laudati, quàm *Urbani* IV, qui ipſi proximè ſucceſſit; ſub Initium Sæculi ſequentis, ſeù antè Annum 1321, alius Doctor *Pariſienſis*,

---

(s) Cap. iii, Art. vii.

(t) Recolendum Cap. præced. Num. v. Lit. o. Pag. 36.

(u) *Pſal.* lxxxii, Verſ. 2, 3, & 4.

(w) Confer Cap. viii. Num. xix.

ſienſis, *Joannes* nempè *de Poliaco*, *Gulielmum de Sancto Amore* in pluribus ſectatus, nonnullos circà Sacramentum Pænitentiæ Errores, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſanciendæ Specie, Re autem verâ Religioſorum Ordinum, ac Pietatis Odio, ut *Odorici Raynaldi* (*x*) Verbis utar, in Scholis, & Prædicationibus vulgavit, adſtruens ſcilicêt:

“ 1. Quod confeſſi Fratribus (ſeù Viris Religioſis) habentibus Licentiam generalem audiendi Confeſſiones, teneantur eadem Peccata, quæ confeſſi fuerant, iterùm confiteri proprio Sacerdoti.

“ 2. Quod Stante=*omnis utriuſque Sexûs*=Edicto in Conſilio Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur omnia Peccata ſua ſemel in Anno proprio Sacerdoti (quem dicebat eſſe Parochialem Curatum) confitêri; immò nec Deus ipſe poſſet hoc facere, quia (ut dicebat) implicat Contradictionem.

“ 3, Quod Papa non poteſt dare generalem Poteſtatem audiendi Confeſſiones, immò nec Deus, quin confeſſus habenti generalem Licentiam teneatur eadem iterùm confiteri proprio Sacerdoti.” (id eſt Curato).

Istos verò Articulos Summus Pontifex *Johannes* XXI, dictus XXII, diligenti diſcuſſos Examine, & habitâ ſolerti cum S. R. E. Cardinalibus Collatione, *tanquàm falſos, & erroneos, & à Doctrina ſacra devios*, Auctoritate Apoſtolicâ reprobavit; inhibens, ne quis ipſos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum, *utpotè à Catholicis Mentibus reſpuenda*, tenere, defendere, vel docere auderet. Juſſit etiam prælibato *Joanni de Poliaco*, ut *Pariſijs* ~~in~~ Scholis, & Sermone prædictos Articulos, & contenta in eis, *tanquàm Veritati contraria*, propriæ Vocis Oraculo, Aſſeveratione conſtanti publicè revocaret, quod ſe facturum pollicitus eſt. Hæc conſtant ex Conſtitutione=*Vas Electionis*=VIII Kalendas Auguſti, Anno 1321, editâ, quam idem Pontifex ab omnibus Epiſcopis in Civitatibus, & Diæceſibus ſuis, convocato Clero, & Populo, promulgari juſſit. Iſta porrò Conſtitutio legitur inter *Extravagantes Communes*, Lib. V. Tit. III, Cap. II, eamque opportuniùs exſcribam non longè abhinc (*y*), cùm ſcilicèt *Bonifacij* IX Conſtitutionem=*Super Egenum*=Anno 1401 emanatam, quâ recenſitam Extravagantem=*Vas Electionis*=verbatìm refert, & in *Hibernia* ſervari mandat, in Medium produxero. Cæterùm *adverſùs temerarium Novatorem, & ejus ſequaces* (inquit *Odoricus Raynaldus* mox laudatus) *non tàm Religioſorum, quam Eccleſiæ Univerſalis Cauſam egerunt*, atque Calamum ſtrinxerunt, inter alios Doctores, Scientiarùm Laude florentiſſimos, Fr. *Herveus Natalis*, Armoricus Britannus, XIV Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, in Comitijs *Lugdunenſibus* Anno 1318 renunciatus; & Fr. *Petrus Palludanus*, ejuſdem Ordinis Alumnus, poſtmodùm Patriarcha *Hieroſolymitanus*. Ipſeque *Joannes de Poliaco* Palinodiam cecinit, ut Loco mox citato declarabitur.

XII. Hisce non minùs opportunè, quàm breviter prælibatis, ut ad Rem noſtram *Hibernicam* propriùs accedamus; infauſti Tumultus, à *Gulielmo de S. Amore* Sæculo ſuperiori contrà Fratres Ordinum Mendicantium excitati, actutùm flagarunt in *Anglia*, Teſtibus *Foxio*, & *Harriſio* (z), inibique ſæviebant, etiam poſt profligatum *Gulielmum*, ejuſque Sectatorem *Joannem de Poliaco*. In *Hiberniam* tamen, quod ſciam, non irrepſerunt uſque ad Tempus *Richardi Fitz Ralph* (*a*), alijs *Ralphſon*, Patriâ *Dundalkenſis*, in *Louthano* Agro *Ultoniæ*, de Anno 1347 Archiepiſcopi *Armacani*, qui cum Preſbyteris *Anglis*, Religioſorum Adverſarijs, Fædus pepigit. “ Hic, inquit Waddingus (*a*), aliquot intulit Injurias Fratribus Armacani, & Pontanenſis Conventuum, tentavitque quidem poſterioris Ædis Ornamenta in ſuum Palatium transferre. Verùm Urbis (*Pontanenſis*) Prætor ex Familia Batheorum (vernaculè *Bath*) à Vi inferenda prohibuit, & Fratribus Jus ſuum voluit illæſum. Hâc irritatus Repulſâ, Anglicanas Diſceptationes expanſo ſuſcepit Sinu, Mendicantium obſiſtere Exemptionibus, & Privilegijs primò cæpit, mox præcedente Altercatione, & Fervore Contentionis, Statum ipſum impugnare, Parochorum ex adverſo Jura fulcire.” Diſplicet ſanè invidioſæ hujus Litis refricare Memoriam, ſed ad id Hiſtoriæ Leges me cogunt, alioquin eam appoſito Silentij Sipario utique obtegerem.

Irritatus igitur, atque exacerbatus *Armacanus*, facundus ceteroquìn Prædicator, plures habuit Conciones ad Populum *Pontanæ*, *Dundalkæ*, *Trimmæ*, *& in alijs ſuæ Provinciæ Locis in Hibernia*,

---

(*x*) In *Annal. Eccleſ.* ad Annum 1321, Num. xx.

(*y*) Num. xiv. hujus Capitis. Pag. 64.

(*z*) *Foxio*, Vol. I. *Actor. & Monumentor.* Pag. 461; & *Harriſio*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 82.

(*a*) Vocula Cambrica, ſeù Wallica *Fitz*, corrupta ex Gallica *Fils*, æquivalens Hibernicæ *Mac*, vel *O*, atque Latinæ *de*, ſignificat Filium, undè *Fitz Ralph*, vel *Ralphſon*, idem eſt ac *Filius Raphaelis*, ſeù *de Raphaele*. *Waddingus* porrò (Tom. 4. *Annal. Minor* ad Annum 1347) *Richardum Radulphum* eum appellat.

bernia, inquit Waræus (*b*), *& in Angliam trajiciens Anno* 1356 *Conciones etiam ad Populum habuit Lichfeldiæ*, *Londini*, *& alibi*, in quibus Novem aſſeruit Propoſitiones, quas Religioſi, tùm *Angli*, tùm *Hiberni*, ad Summi Pontificis Tribunal detulere, veluti ſuo Statui, atque Privilegijs, ab Apoſtolica Sede conceſſis, derogantes. Eas autem Propoſitiones, ijſdem omninò conceptas Verbis, legere eſt apud *Waræum*, & *Natalem Alexandrum* (*c*), Tenoris ſequentis, videlicet.

“ 1. Dominus noſter Jeſus Chriſtus in ſua Converſatione humana ſemper pauper erat, non quia propter ſe Paupertatem dilexit, aut voluit.

“ 2. Dominus noſter Jeſus Chriſtus nunquàm ſpontaneè mendicavit.

“ 3. Chriſtus nunquàm debuit ſpontaneè mendicare.

“ 4. Dominus noſter Jeſus Chriſtus docuit, non debere Homines ſpontaneè mendicare.

“ 5. Nullus poteſt prudenter, & ſanctè ſpontaneam Mendicitatem ſuper ſe aſſumere perpetuò obſervandam.

“ 6. Non eſt de Regula Fratrum Minorum Mendicitatem ſpontaneam obſervare.

“ 7. Bulla Domini Alexandri Papæ IV, quæ Magiſtrorum Libellum condemnat, nullam præmiſſarum Concluſionum impugnat.

“ 8. Pro Confeſſione Parochianorum alicujus Eccleſiæ facienda, cum Excluſione Loci alterius, eligibilior eſt Parochialis Eccleſia, quàm Fratrum Oratorium, ſivè ipſorum Eccleſia.

“ 9. Ad Confeſſionem Parochianorum cujuſvis Eccleſiæ uni Perſonæ ſingulariter faciendam, eligibilior eſt Perſona Ordinarij, quàm Fratris Perſona.

Ne verò, ut advertit *Natalis Alexander*, in damnatos *Joannis de Poliaco* in Extravaganti=*Vas Electionis*= Errores impingere videretur, dicebat, Fideles confeſſos Religioſis Viris teneri nihilominùs confiteri proprio Sacerdoti, non propter Defectum Poteſtatis ad excipiendas Confeſſiones, & Abſolutionem impertiendam, qui in illis ſit; ſed propter Eccleſiæ Præceptum, Canone=*Omnis utriuſque Sexûs*=expreſſum: Sicut Eccleſia præcipit, ut Oblationes Parochis fiant, quamvis licitum ſit, ac pium & Monaſterijs facere: Et ut in Eccleſijs Parochialibus Dominicis Diebus Miſſæ adſint, quamvis poſſint & in Cænobijs Sacro intereſſe.

“ Ob has Concluſiones (Verba ſunt *Waræi*, Loco mox laudato) Guardianus Minoritarum Armachæ, & alij, tàm ejuſdem Ordinis, quàm Ordinis Prædicatorum, tàm Angli, quàm Hiberni, Avenionem citari eum curarunt. Illic igitur profectus, per Triennium hæſit, ibidemque obijt Anno 1360.” In Judicium porrò vocatus *Armacanus* Archipræſul, *Innocentio* VI, & Cardinalibus in Conſiſtorio Libellum obtulit Die 8. Novembris 1357, qui his incipit Verbis: *Noliter judicare ſecundùm Faciem, ſed juſtum Judicium judicate.* Atque ipſo in Exordio proteſtatur: “ Quod non intendit aliquid aſſerere, aut temerè affirmare, quod Fidei obviet Chriſtianæ, aut Doctrinæ Catholicæ; quod etiam non eſt Intentionis ſuæ Deſtructionem, ſeù Caſſationem Ordinum Mendicantium, approbatorum ab Eccleſia, aut à Summis Pontificibus confirmatorum, expetere, aut etiam ſuadere; ſed potiùs ſuaſurum ipſos Ordines debere reduci ad Puritatem ſuæ Inſtitutionis primariæ; ſemper Sanctitatis Suæ Correctioni obedire paratum.” Nihilominùs hoc in Libello plura ſcribit in Privilegiatos duriora, quem egregie confutavit *Rogerius Chonoe* de *Cambria*, ſeù *Wallia*, Ordinis Minorum Profeſſor, & *Angliæ* Provincialis, ejuſque Opus=*Defenſio Religionis Mendicantium*=inſcriptum, cum *Richardi* Archiepiſcopi Libello, ſeù Tractatu, edidit *Golſtadius* (*d*).

Tandem, fervente magis magiſque Contentione, prohibuit *Innocentius* VI Archiepiſcopis, & Epiſcopis *Angliæ*, ne Fratres Mendicantes in Confeſſionibus excipiendis, Prædicationibus, Sepulturis, ac Eleemoſynis impedirent, aut per ſuos Subditos impediri permitterent, datis eâ de Re duabus Conſtitutionibus *Avenione* Die 25 Auguſti 1357, & Die 1 Octobris 1358, in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*e*) legendis, in quarum prima Fratrum Mendicantium Privilegiorum Conſervatores inſtituit Abbatem *Weſtmonaſterij* (*f*), & Priorem *S. Bartholomæi* de *Smithfield* (*f*), *Londonenſis* Diæceſis,

---

(*b*) *De Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. x.

(*c*) *Waræum*, ibidem; *Natalem Alexandrum*, in Hiſt. Eccleſ. Sæc. xiii. & xiv, Cap. ii, Art. v.

(*d*) Tom. II. *Monarchiæ Romani Imperij*.

(*e*) Tom. ii. Pag. 249, & ſeq.

(*f*) *Weſtmonaſterium*, Anglicè *Weſtminſter*, perantiqua eſt Civitas, mediâ Leucâ priſco *Londino* diſtans, impræſentiarùm autem ei verè contigua, ſic dicta à celebri Monaſterio ad Occidentem *Londini* ſito, Vocula quippè Anglicana *Weſt* Occidentem ſignificat. *Smithfield* verò, Latinè *Fabrorum Ferrariorum Campus*, ingens eſt Platea Civitatis *Londinenſis*, ubi etiamnùm viſitur *S. Bartholomæi* Templum, Hæredicorum Præda.

Diæceſis, atque *Londinenſem* Archidiaconum ; in ſecundo verò de *Richardo* noſtro *Armacano*, tanquàm Regularium Oppugnatore, ſpecialem facit Mentionem.

XIII. Audiendus autem eadem de Re Rmus noſter *Antoninus Bremond* in Nota 1, ad poſteriorem ex memoratis Conſtitutionibus (*g*), Clariſſimum *Waddingum* laudans: “ Magna excitata eſt ſub hoc Tempus Tempeſtas in Anglia contrà Quatuor Ordines Mendicantes, prædicantibus quibuſdam adversùs hoc Vitæ Genus, & aſſerentibus, non eſſe in Statu Salutis illius Profeſſores. Plurimis Eccleſiarum Prælatis, & Parochis non diſplicuit improbum hoc adverſantium Studium, qui nimis ægrè ferebant, Privilegijs multis Regulares à ſuo divelli Imperio, apud Principes ſummo Honore coli, Populorum Beneficentiâ abundè ali, commodis Ædificijs multiplicari, Doctrinâ, & Virtutis Nomine paſſim communi Clero præferri. Aliud magis pungebat, Cenſûs Detrimentum; miniſtrantibus enim liberè Religioſis Sacramenta, præſertìm Pænitentiæ, quotidianum Lucrum, & Populi ergà ſe Studium ſentiebant imminui. Obloquentes proindè non corripuerunt, nec Regulares protexerunt, donec palàm occurrendum fuit publicis Religioſorum Querelis. Hinc præſens Conſtitutio. Ex *Waddingo*, Annal. Minor. Tom. iv, ad Annum 1357, Num. III, Pag. 62. Conſulendus idem *Waddingus*, Num. IV, V, & VI. Adeas etiam *Odoricum Raynaldum*, Annal. Eccleſiaſtic. ad Annum 1358, Num. V, & VI, ubi varios Auctores hac de Re laudat.” Hæc Rmus *Bremond*.

XIV. Istis fortaſſe de Cauſis non ſtatim ceſſavit Tempeſtas in *Hibernia*, ſed ad Exitum uſque ejuſdem Sæculi Eccleſiæ Decimi-quarti perduravit, ità ut ad eam ſedandam Opus fuerit ſpeciali *Bonifacij* IX Diplomate, tribus *Hiberniæ* Antiſtitibus, *Thomæ* nimirùm *Cranley*, Archiepiſcopo *Dublinienſi*, *Petro Hacket*, Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, & Fr. *Henrico de Weſſenberch*, Minoritæ, Epiſcopo *Darenſi* inſcripto, quo Pontifex, inchoante Sæculo Decimo-quinto, ſeù Anno 1401, ſuperiùs laudatam (*h*) *Joannis* XXII Conſtitutionem: *Vas Electionis*, contrà *Joannis de Poliaco* Errores vibratam, verbatìm recenſet, atque in *Hibernia* ſervari jubet. Hoc porrò Diploma legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*i*) ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. CX, Fol. 54. Tenoris ſequentis videlicet:

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinen. & Caſſalen., Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Darnen. (*k*), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Super egenum intendentes, & pauperem, & dantes Operam Saluti Animarum, quandam inter Prælatos, & Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Clerum Sæcularem, ex una Parte, & Fratres Prædicatorum, & Minorum Ordinum, ex altera Parte, Terræ Hiberniæ, Contentionem exortam audivimus ſuper Confeſſionibus audiendis, & Abſolutionibus Peccatorum eis volentium confiteri, ſuper qua ſpecialem Conſtitutionem, & Litis Deciſionem in perpetuum valituram fel. Rec. Johannes PP. XXII. Prædeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum Conſilio, & Aſſenſu, ſpecialiter edidit, quæ eſt talis. —— Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis Filijs Electis, ad quos præſentes pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Vas Electionis, Doctor eximius, & egregius Prædicator, cujus Prædicatio Mundum docuit univerſum, præſumptuoſam illorum Audaciam refrænat ſolicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in Errores varios prolabuntur, non plus ſapere, quàm oportet, ſed ad Sobrietatem ſapere ſalubri Doctrinâ ſuggeſſit; ut, juxta Sapientis Eloquium, quiſque ſuæ Prudentiæ Modum ponat. Sanè dudùm, cùm dilectum Filium, Magiſtrum Johannem de Poliaco, Sacræ Theologiæ Doctorem, certis ex Cauſis, de Fratrum noſtrorum Conſilio, ad noſtram Præſentiam vocaſſemus, Fide digna Relatio ad noſtrum perduxit Auditum, quod ipſe in quibuſdam Articulis, tangentibus Prænitentiæ Sacramentum, non ſobriè, ſed pêrperàm ſapiebat; infraſcriptos Articulos, periculoſos continentes Errores, docens publicè in ſuis Prædicationibus, & in Scholis. Primò ſiquidem aſtruens, quod confeſſi Fratribus, habentibus Licentiam Generalem audiendi Confeſſiones, teneantur eadem Peccata, quæ confeſſi fuerant, iterûm confiteri proprio Sacerdoti. Secundò, quod ſtante Statuto: Omnis utriuſque Sexûs; edito in Concilio Generali (*l*), Romanus Pontifex non poteſt facere, quod Parochiani non teneantur confiteri omnia ſua Peccata ſemel in Anno proprio

---

(*g*) Tom. ii. *Bullar. Ord. Prædic.* Pag. 251.

(*h*) Num. xi. hujus Capitis, Pag. 62.

(*i*) Tom. ii. Pag. 414.

(*k*) Lege *Darenſi*. Sedes eſt Epiſcopalis *Lageniæ*, vulgò *Kildare*. Porrò Vox Hibernica *Kil* Cellam ſignificat, *Dare* verò Quercum. Undè *Kildara* Cellam Quercûs ſonat. Sic autem nuncupatur Oppidum, quia *S. Brigida*, Anno 457 nata, ibi Cellam ſibi fecit ſub Quercu, indèque extructum fuit Monaſterium dictum *Kildara*. Videſis *Officia Propria Sanctorum Hiberniæ*, quæ ipſe Juris publici feci Anno 1751, ad Diem 1. Februarij.

(*l*) *Lateranenſi* iv, Cap. xxi.

“ prio Sacerdoti, quem dicit eſſe Parochialem Curatum ; immò nec Deus poſſet hoc facere, quia, ut dicebat, implicat Contradictionem. Tertiò, quod Papa non poteſt dare generalem Poteſtatem audiendi Confeſſiones, immò nec Deus, quin confeſſus habenti generalem Licentiam teneatur eadem iterùm confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut præmittitur, Parochialem Curatum. Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta Nobis Veritatem haberent, Articulorum præmiſſorum Copiam eidem Magiſtro Johanni fecimus aſſignari, & ad Defenſionem ſui Audientiam plenam ſibi præbuimus, tàm in noſtra, & dictorum Fratrum noſtrorum Præſentia in Conſiſtorio, quam aliàs coram aliquibus ex ipſis Fratribus, per Nos ad hujuſmodi Officium deputatis. Verùm licèt præfatus Magiſter dictos Articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen, ſe paratum credere, & tenere in præmiſſis, & alijs, ea quæ credenda, & tenenda eſſe, Sedes Apoſtolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum Articulorum Aſſertio, Prædicatio, & Doctrina, redundare poterant in multarum Perniciem Animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologia examinari fecimus diligenter. Nos ipſi etiam cum dictis Fratribus noſtris Collationem ſolertem habuimus ſuper ipſis, per quas quidem Collationem & Examinationem, ſuper hoc præhabitas, comperimus præmiſſos Articulos Doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multùm, ac Veritati contrariam, continere ; quos etiam Articulos omnes, & ſingulos idem Magiſter Johannes veris ſibi Rationibus Opinioni ſuæ dudùm habitæ contrarijs demonſtratis in Conſiſtorio revocavit (*m*), aſſerens, ſe credere, eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe, cùm diceret, ſe neſcire Rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere, ideòque ne per Aſſertionem, Prædicationem, & Doctrinam hujuſmodi in Errorem, quod abſit, Animæ ſimplicium prolabantur, omnes praedictos Articulos, & quemlibet eorundem, tanquàm falſos, & erroneos, & à Doctrina ſana devios, Auctoritate Apoſtolica damnamus, & reprobamus de Fratrum Conſilio prædictorum, Doctrinam ipſis contrariam veram eſſe, & catholicam aſſerentes ; cùm ille, qui prædictis Fratribus confitetur, non magis teneatur eadem Peccata iterùm confiteri, quàm ſi aliàs confeſſus fuiſſet ſuo proprio Sacerdoti juxtà Concilium Generale. Optantes autem Veritatis Vias notas eſſe Fidelibus, & cunctis Erroribus præcludere Aditum, ne ſubintrent, felicis Recordationis Alexandri IV, & Clementis IV, Prædeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, Veſtigia imitando, univerſis, & ſingulis diſtrictiùs inhibemus, ne quiſquam dictos Articulos, per Nos, ut præmittitur, damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis, vel in aliquo ipſorum, utpotè catholicis Mentibus reſpuenda, tenere audeat ſeù defenſare quomodolibet, vel docere. Quocircà Univerſitati veſtræ per Apoſtolica Scripta, diſtrictè præcipiendo, mandamus, quatenùs univerſi, & ſinguli veſtrûm, in Civitatibus, & Diæceſibus veſtris, convocato Clero, præmiſſa omnia, & ſingula per Vos, ſeù alios, ſolemniter publicetis. Nos etiam eidem Magiſtro Johanni mandavimus, quod ipſe in Scholis, & in Sermone Pariſijs prædictos Articulos. & contenta in eis, tanquàm Veritati contraria, propriæ Vocis Oraculo, & Aſſeveratione conſtanti, debeat publicè revocare ; quod ſe facturum dictus Johannes efficaciter repromiſit (*m*). Datum Avenione IX Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Quinto *(i. e. Die 24. Julij, 1321).* Sed quia parum eſſet Jura condere, niſi qui ea tueatur exiſteret ; Nos, volentes Conſtitutionem, & Litis Deciſionem prædictas ſemper irrefragabiliter de cætero obſervari, Fraternitati veſtræ per Apoſtolica Scripta diſtrictè mandamus, quatenùs Vos, vel Duo, aut Unus veſtrûm per Vos, alium ſeù alios, Fratribus dictorum Ordinum Terræ Hiberniæ prædictæ confeſſis, ut præmittitur, eiſdem efficaciter Defenſionis Præſidio aſſiſtentes, ac facientes Conſtitutionem eandem quoad omnia ejus Capitula plenariè, prout jacet, firmiter & inviolabiliter obſervari, non permittatis contrà Tenorem ipſius memoratos Fratres, & confeſſos eiſdem, à prædictis Prælatis, Rectoribus, & Clero, ſivè alijs, moleſtari, & Sacramenta eiſdem confeſſis, tàm in Vita, quàm in extremis, ſeú Mortis Articulo, aut quoties aliàs opportunum fuerit, à quoquam denegari, vel eis Gravamina, aut Injurias à quolibet irrogari, facturi prædictis, & cuilibet prædictorum, de illatis Vexationibus, Moleſtationibus, Injurijs, & Gravaminibus contrà Tenorem eorundem, in illis videlicèt, quæ judicialem requirunt Indaginem, per Viam Judicij, in alijs verò, prout Qualitas ipſorum exegerit Juſtitiæ Complementum ; ità quod Officium præfatum, & Juriſdictio veſtra ex nunc perpetua cenſeatur. Moleſtatores, Injuriatores hujuſmodi, necnon Contradictores, & Rebelles, quandocunque & quotieſcunque expedierit, per Cenſuram Eccleſiaſticam, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Non obſtantibus tam de duabus Dietis in Concilio Generali, quàm fel. Rec. Bonifacij PP. VIII, Prædeceſſoris noſtri, quarum primâ cavetur, ne quis, niſi in certis expreſſis Caſibus, extrà ſuam Civitatem & Diæceſim ; ſecundâ verò, ne Reus alterius Diæceſis ultrà unam Dietam à Finibus ejuſdem Diæceſis ad Judicium revocetur ; & alijs quibuſcunque Conſtitutionibus, à Prædeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, tàm de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quàm alijs editis, quæ veſtræ poſſent in hac Parte Juriſdictioni, ac Poteſtati,

---

(*m*) Obſecutus Pontifici *Johannes de Poliaco*, tùm in Scholis, tùm in Sacris Concionibus, publicè Errorem ejuravit, ut ex *Helcotio* refert *Odoricus Raynaldus*, ad Annum MCCCXXI. Num. XXXVIII. & Rmus noſter *Bremond* in *Bullar. Ord.* Tom. ii. Pag. 153.

" ejuſdemque libero Exercitio quomodolibet obviare, ſeù ſi aliquibus communiter, vel diviſim à Sede " Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint, niſi de Verbo ad Verbum oporteat in noſtris Literis fieri Mentionem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IX. Kal. Martij, " Pontificatæs noſtri Anno Duodecimo" *(i. e. Die* 21. *Februarij*, 1401.)

XV. Ordo Chronologicus hìc Loci me invitat ad nonnihil dicendum de *Academia Dublinienſi*, ad quam erigendam reſtaurandamque Fratres Prædicatores, alijque Ordinum Mendicantium Operam adhibuere, ut ex jam jam, & alibi (*n*) dicendis clarebit. " Porrò Joannem Lechum. inquit *Waræus* (*o*), " Archiepiſcopum *Dublinienſem* à *Clemente* V Bullam procuraſſe Fundationis *Univerſitatis Scholarium* " Dublinij, datam 3 Idús Julij, Pontificatûs Anno VII (A. D. 1312) certò conſtat. Sed per " Archiepiſcopi Mortem, quæ ſecuta eſt 10 Auguſti Anno Domini 1313, irritô Succeſſu. Anno " verò 1320, *Alexander de Bicknor*, Succeſſor ejus in Archiepiſcopatu, Academiam de novo fundavit, & Joannis XXII Authoritate confirmari curavit." De Regulis in ea obſervandis Inſtrumentum ejuſdem *Alexandri* Archiepiſcopi exhibet laudatus *Waræus*, quod tamen ipſe commodiús exhibebo, de *Dublinenſi* noſtro Cænobio diſſerturus *(p)*. Interim ſat erit obſervaſſe, eo in Inſtrumento memoratum Archipræſulem hæc habere Verba: *Scholas Fratrum Prædicatorum, & Minorum duximus canonizandas*; atque primos ea in Academia S. Theologiæ Doctores creatos fuiſſe *Gulielmum de Hardite* (*q*), & *Edmundum de Kamardin*, Ordinis Prædicatorum, ac *Henricum Cogry*, Ordinis Minorum. De ejuſdem autem Academiæ Reſtauratione ad ſupplicem Fratrum Mendicantium Inſtantiam, alibi opportunis dicetur (*r*).

CAPUT QUARTUM.

De Tertio *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo, ab Anno 1424 ad 1524 perducto, in quo primùm conſtituta fuit peculiaris Ordinis Provincia, deindèque Congregatio Reformata evaſit.

SUMMARIUM.

I. Philippus Norriſius, *Decanus* Dublinienſis, *Veſtigia ſecutus* Richardi *Archipræſulis* Armacani, *acerrimus fuit Ordinum Mendicantium Hoſtis. Ipſius referuntur Errores. Nota de Gente* Norris, *deque inſigni Cardinali* Norriſio.

II. *Sententiam in eum tulit* Dominicus *Cardinalis* Capranica, *Judex Commiſſarius, quam* Eugenius IV *ſpeciali confirmavit Diplomate, Anno* 1440, *in Medium adducto.*

III. *Eodem Anno prælibatus Pontifex aliud expediri fecit Diploma, ipſoſmet* Philippi Norriſij *malitioſos Articulos ſigillatìm recenſens, ac proſcribens, quod etiam adducitur in Medium.*

IV. *Denique floccipendentem iſta omnia* Phillippum Norriſium, *anathematizandum, & Carceri mancipandum decrevit* Nicolaus *V, Anno* 1448, *cujus Literæ Apoſtolicæ exſcribuntur.*

V. *Etſi Anno* 1476 Hibernia Dominicana *Triginta Sex habuerit Cænobia, necdùm tamen ſegregata erat à Provincia* Anglicana, *ſed inter illius computabatur Nationes, ſicut etiam &* Scotia.

VI. *Tandem Anno* 1481, & 1484 *ambæ reſpectivè Nationes*, Scotia *nimirùm, &* Hibernia, *conſtitutæ fuerunt peculiares Ordinis Provinciæ, ut ex Regeſto liquet* Joachimi Turriani, XXXV *Magiſtri Generalis, Ordinem, & Numerum Provinciarum declarante, quod adamuſſim tranſcribitur.*

VII. *Id ulteriùs comprobant Duo Pontificia Diplomata, Anno* 1488 *emanata, quorum unum diſertis Verbis meminit* Prioris Provincialis Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum; *alterum verò* Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prædicarorum Provinciæ Hiberniæ *inſcribitur. Primum alibi, ſecundum verò hìc exſcribitur.*

VIII. *Quamquàm* Hiberniæ *Inſula Triginta Sex tunc Temporis habuerit Conventus* Dominicanos, *qui tamen intrà* Palum Anglicanum *ſiti erant, non Neo-Provinciali* Hiberniae, *ſed Provinciali* Angliæ *ſubdebantur. Explicatur* Palus Anglicanus, *& indigitantur Conventus intrà eum conſtituti.*

IX. *Sub idem Tempus Refermatio cæpit in Neo-Provincia* Hiberniæ *à primo ejus Provinciali, Auctoritate*

(*n*) Cap. Seq. Num. xvii.

(*o*) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xv.

(*p*) Cap. ix. §. i. Num. viii.

(*q*) Confer Cap. ix. §. i. Num. viii. Lit. o,

(*r*) Cap. ſeq. Num. xvii.

tate Comitiorum Generalium Mediolanenſium *Anno* 1484 *facta, atque à laudato* Joachimo Turriano *Anno* 1493 *approbata.*

X. Vincentius Bandellus, XXXVI *Magiſter Ordinis*, Joannem de Baffremez, *Hollandum, Vicarium ſuum ſuper Conventibus reformatis, & reformandis* Hiberniæ Dominicanæ *inſtituit, inſtitutumque* Julius II *Anno* 1504 *confirmavit ſpeciali Conſtitutione, quæ in integrum exſcribitur.*

XI. *Idem Magiſter Generalis Reformationem intendebat nedùm* Provinciæ Hiberniæ, *ſed & Univerſi Ordinis, eamque reapsè in pluribus præſtitit Provincijs, nominatìm in* Romana, & Portugalliæ *Provincia.*

XII. *Genuinus, & primarius expenditur Senſus Vocabuli* Reformationis *in Ordine Prædicatorum.*

XIII. *Conventus reformati in* Hibernia Dominicana *non ſubdebantur Juriſdictioni Prioris Provincialis, aut Vicarij Generalis ejuſdem Provinciæ, ut à* Julio II *cautum eſt. Simul & ſemel Tres erant Vicarij in* Hibernia Dominicana, *ut conſtat ex Regeſto* Thomæ de Vio, *Cajetani, XXXVIII Magiſtri Ordinis, poſteà S. R. E. Cardinalis.*

XIV. *Tandem Vitæ Regularis Congregatio coaluit ex Conventibus reformatis, tàm intra quàm extrà* Palum Anglicanum *conſtitutis. Nonnulla de* Henrico *VIII, necon de* Angliæ, & Scotiæ *Regnis, atque* Provincijs Dominicanis.

XV. Sixtus *Papa IV, Ordinis Minorum,* Theobaldum de Burgo, *Hibernum, Ordinis Prædicatorum, Beneficio Eccleſiaſtico donavit Anno* 1472, *ſpeciali Diplomate, quod in Medium affertur.*

XVI. *Cur in Diplomate eum dixit Pontifex* de Regum Genere ex utroque Parente procreatum? *Nonnulla obiter de* Burgorum *Proſapia, atque Rebus* Angliæ, & Hiberniæ.

XVII. *Rogatu Supplici Fratrum Prædicatorum, aliorumque Mendicantium in Hibernia, Facultatem erigendi Univerſitatem in Metropoli* Dublinenſi *conceſſit* Sixtus *IV prælaudatus, Anno* 1475, *ſpeciali Conſtitutione, quæ de Verbo ad Verbum alibi exſcribetur, ubi plura hac de Re.*

XVIII. *Anno* 1495 *in nonnullos de Clero Sæculari, qui Fratrum Mendicantium in* Hibernia *infringere nitebantur Privilegia, ſignanter circà* Quartam Funeralem, *animadvertit Synodus Provincialis* Armacana. *Id liquet ex Edicto Epiſcopi* Midenſis.

XIX. *Eadem de Re Litem, ſub Initium Sæculi Eccleſiæ XVI ſuſcitatam, dirimit* Corcagenſis & Clonenſis *Epiſcopus, Sententiâ ab eo latâ Anno* 1514, *quam Archiepiſcopus* Caſſelienſis *confirmat, atque Comes* Deſmondanus *Executioni demandat.*

XX. *Tametſi ſepeliri deceat in Sepulchro* Majorum, *cuicunque tamen Sepulchro præfertur id, quod à Defuncto electum eſt. Apud Religioſos ſepeliri prodeſt, ſepultiſque conceditur Indulgentia.*

XXI. *Explicatur* Quarta Funeralis, *ſeù* Portio Canonica.

XXII. *Expenditur* Tridentini *Decretum ea de Re editum.*

XXIII. *Ex præmiſſis liquet, Regulares in* Hibernia *à Solutione* Quartae Funeralis *immunes eſſe, idque ampliùs clarebit ex poſtmodùm dicendis.*

I. QUIS amabò non exiſtimaſſet, poſt tàm inſignem de *Richardo* Archipræſule *Armacano*, & Sequacibus ejus, relatum Triumphum, potuiſſe profligatam inſtaurari Aciem, novaſque prodire inſulſas, atque inſanas contra Clerum Regularem Propoſitiones? Nihiloſeciùs haud paucas excudit. “ Philippus Norriſius, Natione Hibernus, S. Theologiæ Doctor, qui ex Academia
“ Oxonienſi in Patriam reverſus, factus eſt Eccleſiæ S. Patritij Dublinienſis Decanus. Is Richardi
“ Armacani Veſtigia ſecutus, ſcripſit adverſùs Fratres Mendicantes. In quos etiam ſæpè
“ in Concionibus ſuis invectus eſt. Undè multa paſſum ferunt.” Hæc *Waræus* (*a*), cui appoſitè nec minùs accuratè ſuccinit *Waddingus* (*b*) ajens: “ Philippus Norreys (*c*), in S. Theologia Magiſter,
“ Dublinienſis Diæceſis in Hibernia, Ordinum Mendicantium Hoſtis acerrimus, aſſumptis
“ *Armacani* Armis, & multis contrà eos excogitatis inſulſiſſimis, & inſanis Propoſitionibus, ſcriptiſque
“ Libellis, in eos abijt Errores, ut commiſſâ Cauſâ Dominico S. Mariæ in Via Lata Diacono
“ Cardinali, in Secreto Conſiſtorio, & ex Judicio Virorum doctorum, primò à Cardinali,
“ mox à Pontifice fuerit ipſe, & Sequaces tanquàm Hæretici, & Erronei condemnati.”

(*a*) De *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i, Cap. xi.

(*b*) *Annal. Minor.* ad Annum 1440. Num. xvi.

(*c*) In Pontificijs Diplomatibus vocatur *Norreys*, iſce verò Temporibus Gens iſta, quæ in *Anglia*, & *ibernia* viget, vernaculè paſsìm ſcribitur *Norris*, atinè autem *Norriſius*. Hujus Cognominis erat Eminentiſſimus D. Fr. *Henricus Norris*, latinè *Norriſius*, Natione *Italus*, præclarum Familiæ & Scholæ *Auguſtinianæ* Decus, atque Ornamentum, S. R. E. Cardinalis ab *Innocentio* Papa XII, exeunte Seculo Superiori, creatus, omni Diſciplinarum Genere cumulatiſſimè inſtructus, quem Honoris Gratiâ nomino.

Principales porrò Propoſitiones, quas iſte *Iniquitatis Filius*, ut eum appellat *Eugenius* IV. Pontifex Maximus (*d*), cuſit propugnavitque, ſunt Numero Septemdecim, eaſque quidem (iterùm dicam) recenſere pudet, præſertim de Concive meo, verùm Hiſtoriæ Leges ad id me planè cogunt.

“ 1. Sicut Muri Jeruſalem erant deſtructi per Quatuor diverſos Principes, ſic Eccleſia Dei erit deſtructa per Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium.

“ 2. Sicut Princeps Tributorum, miſſus ab Antiocho in Civitatem Jeruſalem, locutus eſt ei Verba pacifica in Dolo, ſic Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Eccleſiam cum Dolo, ut deſtruerent eam pro eorum Conatu, & Poſſe.

“ 3. Sicut Princeps Tributorum venit in Civitatem Jeruſalem cum Turba multa, & Turba dicitur a *turbo*, *turbas*; ſic Fratres intraverunt Eccleſiam, & ſunt in ea quaſi Turba, quia perturbant Eccleſiam.

“ 4. Sicut Gabaonitæ venerunt ad Ducem Joſue cum Mendacijs, ſic Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium intraverunt Eccleſiam cum Mendacijs.

“ 5. Fuerunt Quatuor Concilia celebrata, in quibus diverſi Hæretici fuerunt condemnati, & tamen Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores quàm ipſi Hæretici fuerunt.

“ 6. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Fures, & Latrones, & ſpoliant Sanctam Eccleſiam.

“ 7. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Ribaldi (*e*) peſſimi.

“ 8. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Lupi Rapaces.

“ 9. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores Judâ Traditore.

“ 10. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Antichriſti, & directè contrà Chriſtum.

“ 11. Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Diſcipuli Mahometi

“ 12. Nullus Parochianorum cujuſcumqne Parochiæ poteſt accedere ad aliquem Fratrem admiſſum in Forma Juris ſecundùm Capitulnm: *Dudum* (*f*), Gratiâ Confeſſionis faciendæ, ſine Licentia proprij Sacerdotis, ſivè Curati Parochialis.

“ 13. Confeſſi Fratribus admiſſis ſecundùm Formam Capituli: *Dudum*, tenentur iteratò qnolibet Anno omnia Peccata ſua, ac eadem Peccata in Numero confiteri ſuo proprio Sacerdoti, ſcilicèt Parochiali Curato.

“ 14. Firmiter credo, nullum bonum Hominem eſſe inter Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium.

“ 15. Dubito, aliquos Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium eſſe Sacerdotes, aut habere Sacrum Ordinem Preſbyteratûs.

“ 16. Ipſemet nolo ſtare Judicio Domini Papæ, ſed Judicio Concilij Generalis.

“ 17. Nullus Sacerdos, ſivè Religioſus, ſivè non, debet quovis Modo mendicare.

II. **Contra** *Philippum* igitur *Norriſium*, qui in Fidei Catholicæ Diminutionem, ac Animarum Periculum, pravas iſtas Propoſitiones prædicare, & adſtruere, tàm in *Anglia*, quàm in *Hibernia*, auſus eſt, Querelam detulerunt ſingulorum Quatuor Ordinum Mendicantium Fratres (*g*) ad Summum Pontificem *Eugenium* IV, qui Cauſam commiſit laudato Cardinali Dominico, cui Cognomen *Capranica*, atque latæ ab eodem Sententiæ Confirmationis Apoſtolicæ Robur adjecit ſequenti Diplomate, quod Rem integram enarrat. Id porrò legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. III Pag. 127, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. CXXVIII, Fol. 144. Legitur etiam apud *Waddingum*, Annal Minor. ad An 1440, Num. XVI. En illius Tenorem:

“ Eugenius Epiſcopus, Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Regnans in Excelſis triumphans Eccleſia, cui Paſtor eſt Pater Æternus, cuique Sanctorum miniſtrant Agmina, & Laudis Gloriam Angelorum Chori decantant, in Terris ſibi Vicariam conſtituit Eccleſiam militantem, unigenito Filio Dei vivi Domini noſtro Jeſu Chriſto ineffabili Commercio copulatam. In hac quidem ipſe Chriſtus, à Patre progrediens, per Illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit Fidei Firmamentum, ut ab eo velut à primitivo Fonte ad ſingulas orthodoxas Nationes ejuſdem Fidei

“ Rivuli

(*d*) In Conſtitutione: *Exbibita*, Num. iii. exſcribendâ.

(*e*) Italica Vox, Gallis olim familiaris, ſic enim vocabantur Homines viliſſimi, *Fures*, *exules*, *fugitivi*, *excommunicati*, *quos omnes Ribaldos Francia vulgariter conſuevit appellare*, ut legitur apud *Pariſium* in *Hiſtor. Angliæ* ad An. MCCLI, & apud Rmum *Bremondum* in *Bull. Ord. Præd.* Tom. iii. Pag. 129, Not. 6.

(*f*) Capitulum, *Dudum*, eſt Cap. ii. Tit. *de Sepulturis*, Lib. iii. *Clementinarum* Conſtitutionum.

(*g*) Eorum Procurator in hac Cauſa erat Fr. *Thomas Hore*, Ordinis Prædicatorum, ut ex *Balæ* refert *Hariſius*, de *Scriptor. Hiber.* Pag. 89.

“ Rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſiæ Regimen voluit Chriſti Clementia Romanum Pontificem deputare Miniſtrum, cujus Inſtitutionem, Doctrinam, Elogio Veritatis Evangelicæ traditam, cuncti renati Fonte Baptiſmatis teneant, & obſervent, qui enim ſub hac Doctrina Curſum Vitæ peregerint, Salvationis Gratiam merebuntur; qui verò ab ea deviaverint, aut Errores contrà illum tenuerint, non correcti, ferientur Damnationis Sententiâ, quam nonnunquàm convenit Apoſtolico Munimine roborari. Sanè Petitio pro Parte dilectorum Filiorum Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, ac de Monte Carmelo Ordinum Nobis nuper exhibita continebat, quod quidam Philippus Norreys, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia, Dublinen. Diæceſis, nonnullos Articulos prorsùs erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, etiam publicè prædicare, & adſtruere non expavit, ac multorum ſimplicium Animas inficere, illas à Devotione Fratrum hujuſmodi retrahendo. Nos verò, attendentes, quod nimis pernicioſum eſſet Articulos hujuſmodi veluti erroneos, & eiſdem Canonibus contrarios tenere, adſtruere, vel docere, Cauſæ hujuſmodi Examinationem dilecto Filio noſtro Dominico Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali vivæ Vocis Oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quicquid in Re hac Informationis reciperet, Nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, commiſimus, ipſeque Cardinalis ſufficienti per eum Informatione præhabitâ, & factâ Nobis in Conſiſtorio præfato Relatione fideli, de Mandato noſtro, Juriſque peritorum, necnon plurimorum in Sacra Theologia Magiſtrorum Conſilio, & Aſſenſu, per ſuam Definitivam Sententiam pronunciavit, & declaravit, prout in Inſtrumento dictæ Sententiæ deſuper confecto, ejuſdem Cardinalis Sigillo munito, pleniùs continetur. Quare pro Parte Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Pronunciationi, Decreto, Sententiæ, & Declarationi prædictis, & omnibus alijs in dicto Inſtrumento contentis, & indè ſecutis, Robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, omnium, & ſingulorum præmiſſorum Statum habentes pro ſufficienter expreſſo hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Pronunciationem, Decretum, Sententiam, & Declarationem prædicta, & omnia alia in præfato Inſtrumento contenta, & indè ſecuta, rata habentes, & grata, illa Auctoritate Apoſtolica, ex certa Scientia Tenore Præſentium confirmamus, & præſentis Scripti Patrocinio communimus, ſupplentes omnes Defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis, Communitionis, & Suppletionis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Tertio Nonas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Decimo.”

III. SED cùm Quatuor Ordinum Mendicantium Fratres fundatè dubitarent, ne *Philippus* iſte *Norriſius*, & Sequaces, aut Fautores ejus, ſuprà recenſitos malitioſos Articulos, in mox allato Diplomate Pontificio haud expreſſos, revocare velint, aut Palinodiam ullatenùs canere, eapropter iteratò, & quidem inceſſanter, pro opportuno Remedio eidem ſupplicarunt Pontifici, qui ſubindè novum edidit Diploma, damnatos recenſens Articulos, atque præcedentium Literarum Apoſtolicarum Executionem committens Archiepiſcopis *Dublinienſi (b)*, & *Armacano* in *Hibernia*, ac Epiſcopo *Bajocenſi*, gallicè *Bayeux*, in *Normannia*, eâ ſiquidem Tempeſtate *Anglia*, *Hiberniâ*, & *Normannia* (nunc *Galliarum* Provincia) uni Regi *Henrico* VI parebant. Iſtud autem Diploma legitur in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. III. Pag. 128, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. CXXVIII, Fol. 141. Legitur item apud *Waddingum*, Annal. Minor. ad Annum 1440, Num. XIX; & in *Bullario Carmelitano*, in *Eugenij* IV Conſtitutione XVII. Hujus eſt Tenoris.

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinen., & Armachan. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Exhibita Nobis nuper pro Parte dilectorum Filiorum univerſorum Magiſtrorum, & Miniſtrorum, aliorumque Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Ordinum, Petitio continebat, quod licèt olim ipſi Ordines, ſanctè, & juſtè viventes, & in Dei Eccleſia inſtituti, ac à Sede Apoſtolica extiterint approbati, necnon ex eis Fides Catholica non modicum ſuſceperit Incrementum, tamen Iniquitatis Filius Philippus Norreys de Hibernia, qui ſe gerit pro Magiſtro in Theologia,

“ Dublinen.

(*b*) Archiepiſcopus *Dublinienſis* tunc Temporis erat *Richardus Talbotus*, Frater Germanus Equitis *Joannis Talboti*, Primi Comitis *Salopiæ*, vulgò *Shrewſbury*, in *Anglia*, & *Waterfordiæ* in *Hibernia*; qui *Richardus* prælibatæ Eccleſiæ *Dublinienſi* ultrà Triginta Annorum Seriem præfuit, fuitque *Hiberniæ* Prorex, ac Magnus Regni Cancellarius. Videſis *Lodgæum*, Vol. I, Pag. 337.

“ Dublinen. Diæceſis, ſuæ Salutis immemor, non verens Linguam ſuam in Perverſionem Statûs, & religioſorum Ordinum eorundem, ad iniqua, reprobataque Verba protendere, nuper malitioſè, perverſè, damnate, & erroneè in Regno Angliæ, & Terra Hiberniæ, in Fidei Catholicæ Diminutionem, ſanctæque univerſalis Eccleſiæ, Dei, ac Sanctorom Ignominiam, & Dedecus, necnon Chriſti Fidelium Animarum Periculum dixerit, & docuerit, quod ſicut Muri Jeruſalem erant deſtructi per Quatuor diverſos Principes, ſic Eccleſia Chriſti erit deſtructa per Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium. Item, ſicut Princeps Tributorum miſſus ab Antiocho in Civitatem Jeruſalem, locutus eſt ei Verba pacifica in Dolo, ſic Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium venerunt in Eccleſiam cum Dolo, ut deſtruerent eam pro eorum Conatu, & Poſſe. Item, ſicut Princeps Tributorum venit in Civitatem Jeruſalem cum Turba multa, & Turba dicitur a turbo, turbas, ſic Fratres intraverunt Eccleſiam, & ſunt in ea quaſi Turba, quia perturbant Eccleſiam. Item, ſicut Gabaonitæ venerunt ad Ducem Joſue cum Mendacijs, ſic Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium intraverunt Eccleſiam cum Mendacijs. Item aſſerit, quod fuerunt Quatuor Concilia Generalia celebrata, in quibus diverſi Hæretici fuerunt condemnati, & tamen Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores quàm ipſi Hæretici fuerunt. Item, quod Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Fures, & Latrones, & ſpoliant Sanctam Eccleſiam. Item, quod Fratres Quatuor Ordinum ſunt Ribaldi (*i*) peſſimi. Item, quod Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt pejores Juda Traditore. Item, quod Fratres Quatuor Ordinum ſunt Antichriſti, & directè contrà Chriſtum. Item, quod Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium ſunt Diſcipuli Mahometi. Item, quod nullus Parochianorum cujuſcumque Parochiæ poteſt accedere ad aliquem Fratrem admiſſum in Forma Juris ſecundùm Capitulum: Dudum, Gratiâ Confeſſionis faciendæ ſine Licentia proprij Sacerdotis, ſivè Curati Parochialis. Item, quod confeſſi Fratribus admiſſis ſecundùm Formam Capitulis Dudum, tenentur iteratò quolibet Anno omnia Peccata ſua, ac eadem Peccata in Numero confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dixit eſſe Parochialem Curatum. Item dixit, firmiter ſe credere, nullum bonum Hominem eſſe inter Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium, Item, quod dubitavit, aliquos Fratres Quatuor Ordinum Mendicantium eſſe Sacerdotes, aut habere Sacrum Ordinem Preſbyteratûs. Item dixit apertè, quod ipſemet noluit ſtare Judicio Domini Papæ, ſed Judicio Concilij Generalis. Item dixit indifferenter, quod nullus Sacerdos, ſivè Religioſus, ſive non, deberet quovis Modo mendicare, necnon plura alia ſeditioſa, & perverſa, ab eademque Fide penitùs aliena, coràm omni Populo palàm prædicare non expavit in Fratrum, & Ordinum prædictorum Detrimentum, Vilipendium, & Contemptum. Noſque hujuſmodi Cauſæ Examinationem dilecto Filio noſtro Dominico Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali vivæ Vocis Oraculo, ut de præmiſſis ſe diligenter informaret, & quicquid in Re hac Informationis reciperet Nobis in Conſiſtorio ſecreto referret, ad dilecti Filij Magiſtri Venturæ de Caſtello, noſtri, & Romanæ Curiæ Procuratoris Fiſcalis (*k*), Cauſæque hujuſmodi Procuratoris Inſtantiam commiſimus; ipſeque Cardinalis, ſufficienter per eum Informatione præhabitâ, & factâ Nobis deſuper in Conſiſtorio præfato Relatione fideli, de Mandato noſtro, Juriſque peritorum, necnon plurimorum in Sacra Theologio Magiſtrorum Conſilo, & Aſſenſu, per ſuam definitivam Sententiam pronunciavit, decrevit, & declaravit, prout hæc omnia in Libello per dictum Venturam Procuratorem, in hujuſmodi Cauſa exhibito, petita fuerant, nonnullos dictorum Articulorum, quos dictus Philippus protulit, & prædicavit, fuiſſe, & eſſe falſos, ſcandaloſos, injurioſos, blaſphemos, ſeditioſos, quoſdam erroneos, quoſdam verò aliàs damnatos, & reprobatos, illoſque Dei, & Eccleſiæ Sanctæ, ac Sanctorum Ignominiam. ac Dedecus, & manifeſtam Hæreſim ſapere, & multarum Animarum Periculum generare (*l*), dictumque Philippum, & ejus Sequaces, errantes, mendaces, & in prædictis ſcandaloſos, & a Decretis ordinatis per Romanam Eccleſiam, & Apoſtolicam Sedem, ac expreſſa, & evidenti Viritate devios, alienos, & aliàs Aſſertores & Prædicatores nonnullorum ex dictis Articulis juxtà Decreta quorundam Prædeceſſorum noſtrorum, tanquàm Hæreticos eſſe cenſendos, & ut tales reprobandos, & damnandos, & ab omnibus Chriſti Fidelibus evitandos fore, ac reprobari, damnari, & evitari debere. Ipſos igitur Philippum, & Sequaces, ſi de cætero contrà hujuſmodi Sententiam, & Declarationem directè, vel indirectè, publicè, vel occultè, quovis quæſito Colore venire præſumpſerit, vel præſumpſerint, ac niſi dictus Philippus præfatos Articulos ubicunque illos legiſſe, dogmatizaſſe, & prædicaſſe reperiri contigerit, quoties Opus fuerit, ad Requiſitionem Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum hujuſmodi revocaverit, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, ipſo Facto Excommunicationis Sententiam, à quâ nonniſi per Romanos Pontifices, vel alios à Nobis Poteſtatem habentes, præterquàm in Mortis Articulo, non poſſint abſolvi, ac Privationis omnium Beneficiorum, & Officiorum ſuorum Eccleſiaſticorum, quæ obtinent, necnon Honorum, & Dignitatum, ac Inhabilitationis,

---

(*i*) Recolenda nuper dicta ad Lit. e. Pag. 68.

(*k*) *Wuddingus* ſcribit: *Fidei.*

(*l*) Nota Propoſitiones, de quibus hîc agitur, acervatìm damnari. Non igitur *S. Pius* V, ut vulgò docent Recentiores, Auctor eſt hujuſce Formulæ, quâ juſtis de Cauſis, & ſapienti Conſilio paſsìm nunc utitur Mater Eccleſia, ut advertit *Bullarium* noſtrum, Tom. iii. Pag. 129.

tionis etiam ad futura, & alias Pænas, à dictis Prædeceſſoribus noſtris, aut aliàs à Jure circà prædicta contrà tales generaliter, vel ſpecialiter promulgatas, incurriſſe, declarandos fore, & declaravit, ad qnæ quidem Beneficia, Officia, Honores, & Dignitates reſtitui, vel habilitari non poſſint, niſi, ut præfertur, per Nos, vel alium ſuper hoc à Nobis Poteſtatem habentem, præfatum Philippum in Expenſis in hujuſmodi Cauſa legitimè factis condemnandum fore, & condemnavit, illarum Taxatione ſibi in poſterum reſervatâ. Et ſubſequenter Cardinalis præfatus Expenſas ipſas in Ducentis, & Quinquaginta Florenis Auri de Camera boni, & juſti Ponderis, providâ Moderatione taxavit, dilecti Filij Edmundi Hunt (*m*) Ordinum prædictorum (*n*) quoad præmiſſa Procuratoris ſuper Expenſis eiſdem Juramento ſecuto, prout in Inſtrumento publico, indè confecto, ipſius Cardinalis Sigillo munito, pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, ſicut eadem Petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres hujuſmodi dubitant, ne Philippus, & Sequaces prædicti præfatos Articulos, quoties Opus fuerit, revocare, & aliàs Cardinalis Sententiæ hujuſmodi reverenter parere non velint, pro Parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum eorundem Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de opportuno Remedio dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs Vos, vel Duo, aut Unus Veſtrûm, per Vos, vel alium, ſeù alios, præmiſſa Executioni debitæ demandantes, dictamque Sententiam, ubi, & quando expedire videritis, Auctoritate noſtrâ ſolemniter publicantes, faciatis eiſdem Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus, vel dicto eorum Procuratori, de Florenorum Summa hujuſmodi pro Expenſis, juxtà præfati InInſtrumenti earundem Condemnationis, & Taxationis Tenorem, plenam, & debitam Satisfactionem impendi. Et nihilominùs, legitimis ſuper his per Vos habendis ſervatis Proceſſibus, eas, quoties expedierit, aggravare curetis. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, invocato ad hoc, ſi Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Non obſtante ſi Philippo præſato, vel quibuſvis alijs communiter, vel diviſim â dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum, de Indulto hujuſmodi Mentionem. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo, Nono Kalendas Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Decimo.”

IV. VERUM omnia iſta floccipendens *Philippus Norriſius*, neque Injurias revocavit, neque Expenſas ſoivit, neque Judicibus Commiſſarijs volujt parere, ſed per duos Annos in Cenſuris, & Sententijs prælibatis inſorduit, adhæſitque Epiſcopis in *Baſileenſi* Conciliabulo (poſt Tranſlationem nempè Concilij de *Baſilea* ad *Ferrarienſem* Civitatem à laudato *Eugenio* IV factam) congregatis, qui Spiritu Schiſmatico acti, primò *Eugenium* Papam ab omni Adminiſtratione Pontificatûs ſuſpendere, dein Exauctorationis Sententiam in ipſum ferre, atque *Amedeum* Subaudiæ Ducem, ſub *Felicis* V Nomine, Papam ſalutare auſi ſunt. Ac tandem *Philippus* à Summi Pontificis Sententia ad Sedem Apoſtolicam inſulſiſſimè appellavit. His irritatus *Nicolaus* V, immediatus *Eugenij* IV Succeſſor, ad Inſtantiam Procuratoris Fiſcalis Cameræ Apoſtolicæ, tertium edidit Diploma, cui ſecundas mox exſcriptas inſeruit *Eugenij* Literas, inſuperque aggravavit Pænas, conſtitutis Apoſtolicis Executoribus, Archipræſulibus nempè *Cantuarienſi*, & *Dublinienſi* (*o*), ac *Londinenſi* Epiſcopo, qui à Fratribus Ordinum Mendicantium requiſiti, *Philippum* ſolemni Anathematis Ritu, & Cæremonijs, Hæreticum, & Excommunicatum denunciari fecerunt, atque Carceribus mancipari, donec Fratribus prædictis ab eodem fieret ſatis. Diploma videre eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. III, Pag. 257, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apcſtolico*, Lib. XIV, Fol. 36. Legitur etiam apud *Waddingum*, *Annal. Minor.* ad Annum 1458. Num. XIX. Tenoris ſequentis:

“ Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Cantuarien., & Dublinen., Archiepiſcopis, ac Londonienſi Epiſcopo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Dudùm felicis Recordationis Eugenij Papæ Quarti Prædeceſſoris Noſtri emanarunt Literæ Tenoris ſubſequentis. Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinen., & Armachan. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Bajocen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Exhibita Nobis.” &c. *ut in Conſtitutione laudatâ, jamjam exſcriptâ, ad Finem uſque, poſtmodùm autem ſubdit Nicolaus:*

“ Et

(*m*) Ex Waddingo, *Suine*. In Bullario *Carmelitano* legitur *Hunte*. Porrò tàm *Hunte*, quàm *Suine*, ſeu ut nunc ſcribitur *Swiny*, ſunt Cognomina *Hibernis* familiaria.

(*n*) Ex Waddingo: *Ordinis Prædicatorum.*

(*o*) *Dublinienſis* Archipræſul eâ Tempeſtate erat *Richardus Talbotus*, nuperrimè laudatus ad Lit. h. Alij autem Duo Antiſtites erant ex *Anglia*, ut Nemini non notum eſt.

“Et deindè, Nobis, qui dicto Prædeceſſori, ſicut Dominò placuit, ab hac Luce erepto, fuimus, divinâ favente Clementiâ, ad Apicem Summi Apoſtolatûs aſſumpti, pro Parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prædictorum expoſito, quod dictus Philpipus ſententiæ hujuſmodi, & habitis ſuper ea Proceſſibus contumaciter parere non curaret, Loco, & Tempore congruis deſuper requiſitus, ſed congregatis in Baſilea, etiam poſt Tranſlationem olim Concilij Baſileen. de Baſilea ad Civitatem noſtram Ferrarien. per eundem Prædeceſſorem factam, adhæſerat, & in ſententijs, Cenſuris, & Pænis, in Proceſſibus prædictis, contentis, quas Occaſione non Paritionis hujuſmodi incurrerat, per Duos Annos inſorduerat, & à Literis, Proceſſibus, ac Requiſitione prædictis ad Sedem Apoſtolicam, ut decebat, appellarat, Nos dicto Dominico Tituli Sancte Crucis in Jeruſalem Preſbytero, tunc, ut præfertur, Sanctæ Mariæ in Via lata Diacono Cardinali commiſimus, ut ad dilecti Filij Procuratoris Fiſcalis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ Inſtantiam, conſtrà præfatum Philippum, eo per Literarum contradictarum Auditorem citato, aggravatorias, Brachium Sæculare implorando, Literas daret, ac prout ſibi videretur, omnibus, & ſingulis Prælatis, ac Principibus Sæcularibus, Communitatibus, & alijs Officialibus Locorum, ad quæ dictus Philippus declinaret, ſub Pænis, & Cenſuris mandavit, ut ipſum Philippum caperent, & ſub firma Cuſtodia detinerent, quouſque dictas damnatas Concluſiones revocaret, ac dictis Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus de Expenſis hujuſmodi, in quibus condemnatus erat, ſatisfaceret, & quid de ipſo agi deberet, exiſteret ordinatum, ipſeque Cardinalis dictum Philippum tanquàm rebellem, & inobedientem Mandatis Sedis Apoſtolicæ, & propter præmiſſa Hereticum in Sententijs, Cenſuris, & Pænis prædictis per ſuas Literas aggravavit, cum Auxilij Brachij Sæcularis Invocatione hujuſmodi extrà Romanam Curiam decrevit, & conceſſit, prout in Inſtrumento publico deſuper confecto, ipſius Cardinalis Sigillo munito, dicitur plenius contineri. Cùm autem, ſicut eadem Petitio ſubjungebat, Magiſtri, Miniſtri, & Fratres prædicti dubitent, quod dictus Philippus Literis Cardinalis hujuſmodi, & pertinentium Vigore habendis Proceſſibus, reverenter parere non velit, pro Parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratrum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper his de opportuno Remedio providere dignaremur. Nos itaque hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Fraternitati Veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs Vos, vel Duo, aut Unus Veſtrûm, per Vos, vel alium, ſeù alios, Literas Cardinalis, ubi, & quando expedire videritis, Auctoritate noſtrâ ſolemniter publicantes, necnon Sententias, Cenſuras, & Pœnas hujuſmodi aggravatas fore nunciantes, dictum Philippum, quoties ſuper hoc pro Parte Magiſtrorum, Miniſtrorum, & Fratram prædictorum fueritis requiſiti, in Eccleſijs, alijſque Locis infrà Miſſarum Solemnia, dum major inibi Populus ad divina convenerit, Dominicis, feſtiviſque Diebus, Hæreticum, & Excommunicatum, Campanis pulſatis, Candelis accenſis pariter, & extinctis, ac in Terram projectis, publicè nuncietis, & ab alijs nunciari, & ab omnibus arctiùs evitari, necnon capi, & ſub dicta Cuſtodia detineri faciatis, donec, & quouſque præfatas Concluſiones revocaverit, & de Expenſis ipſis Magiſtris, Miniſtris, & Fratribus prædictis ſatisfecerit, & inſuper legitimis ſuper his per Vos habendis ſervatis Proceſſibus, eas quoties expedierit, aggravare curetis, Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis. Non obſtante ſi dicto Philippo, vel quibuſvis alijs communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum, de Indulto hujuſmodi Mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Octavo, Quintodecimo Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.”

SED de his invidioſis pluſquam ſatis. Jam Tempus eſt ut Promiſſis ſtem in differendo de Erectione *Hiberniæ Dominicanæ* in peculiarem Ordinis Provinciam.

V. Liquet porrò ex ſuperius dictis (*p*), *Hiberniam Dominicanam* intrà Sinum ſuum, Anno 1400, Triginta Unum complexam fuiſſe Cænobia, quibus Tractu Temporis Octo alia aggregata fuere, nimirùm *Portumnenſe*, 1426; *Tombeolenſe*, 1427; *Ballindunenſe*, eodem Anno; *Urlarienſe*, 1434; *Tulſkenſe*, 1448; *Bureſulenſe*, 1486; *Galvienſe*, 1488; *Clonymihanenſe*, eodem Anno. Ut nihil dicam de Cænobijs *Clonmellenſi*, *Gaulenſi*, *Glanorenſi*, & *Thomapolitano*, vulgò *Thomaſtown*, quæ incertis mibi Annis fundata fuere. ut ex infrà dicendis magis patebit (*q*).

ANNO igitur 1476 Triginta Sex habuit Cænobia, at nondùm ſub Regimine proprij Provincialis, ſed Vicarij duntaxàt Nationalis, ab ipſiſmet *Hibernigenis* electi, & à Provinciali *Angliæ* inſtituti, ut anteà explicatum eſt (*r*). Neque id mirari ſubit, quandoquidem Provinciali *Angliæ* ſubdita eſſet & *Scotia*, etſi tunc Temporis (& ab Initio, ſaltem ab Anno Æræ Chriſtianæ 424 ad 1602, quo *Jacobus*

(*p*) Cap. præced. Num. ix. Pag. 59.
(*q*) Cap. ix. §. xl, & ſeq.

(*r*) Cap. præced. Num. iv. Pag. 49.

obus Rex *Scotiæ*, hujus Nominis Sextus, *Angliæ* Thronum conſcendit, vocatus ibi *Jacobus* Primus), d Differentiam *Hiberniæ*, ab *Anglis* gubernatæ (*s*), ſuum proprium haberet Regem, *Jacobum*, nempè hujus Nominis Tertium. Neutram autem *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Nationem fuiſſe eâ Tempeſtate peculiarem Ordinis Provinciam ſat clarè colligitur ex Reverendiſſimi P. *Leonardi de Manſue- is*, Peruſini, XXXI Magiſtri Ordinis, in Comitijs Generalibus *Romæ* 1474 ex Magiſtro Sacri Palatij electi Regeſtis, quorum Fragmenta huc ſpectantia legere eſt apud *Vincentium Fontanam* (*t*), ſcilicet : *Fr. Jacobus Gibſon Confeſſor Reginæ Scotiæ, & nunc Superior Conventûs Edinburgi* (*u*), *ATIONIS Scotiæ, habuit Licentiam diſpenſandi Bona ſua, ſibi ab Ordine collata, prout voluerit um vixerit ; & poteſt confiteri cuicumque Fratri Ordinis de omnibus Conventibus, quoties*, &c. *Et er in Anno plenariè : Et poteſt audire Confeſſiones omnium, & recipere Eleemoſynas, prout plenè habetur in Copia ſignata R. Datum Romæ* 3. *Aprilis* 1477. Et alibi : *Fr. Johannes Murre* (*w*), *Baccalaureus, Vicarius Generalis Conventuum NATIONIS Scotiæ, ſi fortè propter Mortem Ma- iſtri Martialis* (*x*), *qui eum inſtituerat, dicetur abſolutus, fuit inſtitutus Vicarius Generalis dictæ ATIONIS cum Poteſtate abſolvendi Priores, & confirmandi, puniendi, exequendi ultimas Voluntates, exponendi, & privandi, Fratres* ad *Audientiam Confeſſionum, necnon abſolvendi quater in n Anno Fratres, & diſpenſandi cum eis in omnibus Caſibus, ſicut poteſt Reverendiſſimus Magiſter Ordinis. Nullus inferior*, &c. *Nullis obſtantibus, &c. Datum* 17. *Junij Romæ* 1474. Et alibi de Natione *Hiberniæ* hæc habet : *Fr. Dionyſius Uvoite* (*y*) *fuit factus Vicarius ſuper ſuo Conventu in rchlo* (z) *cum Plenitudine Poteſtatis in Capite, & in Membris ; ità tamen quod ſit ſub Provinciali* (Angliæ) *& Vicario NATIONIS Hiberniæ, ut ſi quandò illi irent ad Conventum, poſſint viſitare Conventum ; ſed nullus inferior poteſt eum abſolvere à Vicariatu ſub Pænâ, Tranſgreſſoribus Præ- epti debitâ ; nullis Literis, vel Statutis obſtantibus. Datum Romæ*, 3. *Januarij hæc Copia ſig- ata* ✠ 1476. Provinciæ igitur Ordinis non erant tunc Temporis *Scotiâ*, & *Hiberniâ*, ſed Pro- inciæ *Anglicanæ* puræ putæque Nationes.

VI, Verum tandem aliquandò avulſæ fuere ambæ Nationes à Provincia *Anglicana*, & in ſpeciales Ordinis Provincias erectæ, *Scotia* quidem Anno 1481 in Capitulo Generali *Romano*, Reverendiſſimi P. *Salvi Caſſettæ*, Panormitani, XXXII Magiſtri Ordinis electivo, ut *Echardus* noſter refert (*a*) ; *Hibernia* verò Anno 1484 in Capitulo Generali item *Romano*, Reverendiſſimi P. *Bartholomæi Comatij*, Bononienſis, XXXIII Magiſtri Ordinis electivo, ut Luce meridianâ clarius patet ex prælibati Capituli Generalis Actis, ubi pro *Hibernia* ſequentia ſancita fuere : *Fr. Mauritius* (Moral) PRIOR PROVINCIALIS, *obtinuit Licentiam reformandi Conventus B. Mariæ de onte* (*b*), *Banniæ* (*c*), *Corcagiæ, & quoſcunque duxerit reformandos in præfata* PROVINCIA. *Medio- ni Die* 10. *Novembris* 1484. Et ibidem ſubditur : *Conceditur Magiſtro Mauritio* PROVINCIALI *uod poſſit diſpenſare omnia Bona ſua in Ordine, & quod poſſit equitare* (*d*) *cum Socio, vel ſine Socio*

Die

(*s*) Recolendum Cap. i. Num. xxi. Pag. 30.

(*t*) Part. ii. *Capitul. General.* Pag. 171 pro *Sco- ia*, & Pag. 202 pro *Hibernia*.

(*u*) *Edinburgus* primaria eſt *Scotiæ* Civitas.

(*w*) Eſt nobiliſſima *Scotiæ* Familia, quæ nunc ribitur *Murray*, vel *Murry*.

(*x*) *Martialis Auribelli*, Avenionenſis, xxxix Ma- ſtri Ordinis, denati Anno 1473.

(*y*) Legerem *White*, gallicè *le Blanc*, italicè *Bi- nchi*.

(*z*) Rectiùs *Arcklo*, vel *Arclo*, vel *Arclovio*, de quo Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. Sermo fuit, ube- rque redibit Cap. ix. §. xviii.

(*a*) Tom. ii, Pag. ix, ubi hæc habet : *In Comitijs neralibus Romæ* 1481 *ſeparata fuit Scotia à Pro- ncia Angliæ ad Inſtantiam Regis Scoti Alexandri , qui, ex Viginti Quatuor Conventibus, qui in otia olim extabant hujus Ordinis, Octo fundavit, ut patet ex M. S. Chronico Bibliothecæ Collegij Edinburgenſis.*

(*b*) Id eſt, *de Pontana*, ſic dicta à Ponte ſuper *Boinum* Fluvium constructo. Conſulendum Cap. ix. §. ii. Num. i.

(*c*) Id eſt, *Colranæ*, quæ priſcis Temporibus *Bannia* etiam vocabatur, & *Bannina*, à *Bannio*, qui per Medium ejus in Mare influit. Conſulendum Cap. ix. §. xii, Num. i. Adeas etiam Cap. xiv. Num. i.

(*d*) Equitandi Facultatem Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus *Anglis* (proindequæ & *Hibernis*, quandò *Angliæ* Provincia ad *Hiberniam* Extenſionis ſuæ Fines protraxit) dudùm concefferat *Innocentius* Papæ IV ad ſupplicem Regis *Henrici* III Inſtantiam, ſpeciali Conſtitutione incipiente : *Celſitudinis tuæ*, quam legere eſt in *Bullar. Ordin. Prædicat.* Tom. vii, Pag. 24.

Die ut ſuprà. Quæ omnia, & ſingula Verba legere eſt in primo Regeſto Reverendiſſimi *F. Joachimi Turriani*, Veneti, XXXV Magiſtri Ordinis, *Lit. Z. Hibernia*, juxtà Exemplar illius, quod refert laudatus *Fontana* (*e*). Præſtat autem, pro uberiori hujus Rei, tàm quoad *Hiberniam* quàm etiam obiter quoad *Scotiam*, Notitiâ, in Medium afferre integrum memoratum Regeſtum, quod in hunc Modum exorditur.

Regeſtum Literarum Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis Prædicatorum, videlicèt Magiſtri Joakini Turriani, Veneti, Theologi Sapientiſſimi, qui Venetijs in Conventu SS. Joannis, & Pauli unanimiter ab omnibus Electoribus per Viam Scrutini electus fuit in Vigilia Pentecoſtes, Die ſcilicet 2. *Menſis Junij* MCCCCLXXXVII.

Ordo, & Numerus Provinciarum ſecundùm Curſum Regiſtri, & Literas Alphabeti, ſub quibus Literæ in Regiſtro ſignantur, & quoto quæque Provincia ſignatur Folio, videlicet.

1	A	*Hiſpania, Fol.* 2.
2	B	*Tholoſa. Fol.* 10.
3	C	*Francia. Fol.* 22.
4	D	*S. Dominici. Fol.* 46.
5	E	*Romana. Fol.* 72.
6	F	*Regnum. Siciliæ. Fol.* 94.
7	G	*Teutonica. Pol.* 114.
8	H	*Trinacria. Fol.* 135.
9	I	*Ungaria. Fol.* 155.
10	K	*Polonia. Fol.* 167.
11	L	*Anglia. Fol.* 177.
12	M	*Græcia. Fol.* 189.
13	N	*Aragonia. Fol.* 194.
14	O	*Datia. Fol.* 210.
15	P	*Provincia. Fol.* 220.
16	Q	*Terra Sancta. Fol.* 230.
17	R	*Lombardia Superior. Fol.* 233.
18	S	*Bohemia. Fol.* 268.
19	T	*Dalmatia. Fol.* 276.
20	V	*Saxonia. Fol.* 286.
21	X	*Portugallia. Fol.* 300.
22	Y	*Scotia. Fol,* 302.
23	Z	*Hibernia. Fol.* 303.

In præſcripti autem Folij 303 Initio ità habetur :-

Z *HIBBRNIA.*

IBIQUE inter multa alia. inquit *Fontana* mox laudatus, ad Provinciam hanc ſpectantia (quæ utinam mihi, in Occidentalibus *Europæ* Finibus conſtituto, videre liceret) ſequentia refert : *Fr. Mauritius Prior Provincialis*, & reliqua Verba, quæ nuperrimè jam exſcripſi. Adeas Pag. 517.

VII. HANC porrò Erectionem *Hiberniæ Dominicanæ* in Provinciam probè novit S. Sedes Apoſtolica. Anno ſiquidem 1488 *Innocentius* VIII, Cænobij *Galvienſis* fundandi Facultatem tribuere volens, eam *Ordini Fratrum Prædicatorum, & pro illo Priori Provinciali, & Fratribus* PROVINCIÆ *Hiberniæ* diſertis Verbis impertitur, ut videre eſt in ipſiuſmet Fundationis Literis, quas ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* alibi commodiùs exſcribam (*f*). Idem etiam Pontifex *Innocentius*, eodem labente Anno 1488, Facultatem tribuens tria alia fundandi Cœnobia in *Hibernia*, ſuam inſcribit Conſtitutionem PRIORI PROVINCIALI, *& Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum* PROVINCIÆ *Hiberniæ*. Quid formalius, quid luculentius deſiderare potes ? Non egent Ponderatione, vel Commentario ſplendidiora Sole meridiano Verba. Hìnc ex per omnia ſimili Momento, nimirùm ex quadam *Alexandri* VI Conſtitutione, *Matthæo, & Bartholomæo Domini Alleluia, Ordinis Fratrum Prædicatorum* PROVINCIÆ *Indiæ Profeſſoribus* inſcriptâ, Anno 1503 datâ, acutè pro More, & Jure optimo infert Reverendiſſimus noſter Magiſter Generalis *Bremond* (*g*), fuiſſe tunc *Indiam* Ordinis Provinciam. *Ergò*, inquit, *Provincia Indiæ tunc conſtituta*.

INNOCENTIANA quidem Diplomata iſta non vidit meherclè *Fontana*, vidit tamen, atque exſcripſit mox recenſitum Magiſtri *Turriani* Regeſtum, nihilominuùs (mirabile dictu) ex eo infert (*h*) *Scotiam* ſanè fuiſſe tunc Temporis peculiarem Ordinis Provinciam, quod tamen poſtea (*i*) ſibi inconſtans, aut certè ſui immemor (abſit Injuria Verbo) de *Hibernia* pernegat. Profectò non legit Acta Capituli Generalis *Cenomanenſis* (*k*) Anno 1491, quod erat Capitulum non Provincialium, ſed Definitorum (*l*) ſub ſæpè laudato *Joachimo Turriano*; alioquin enim inter Subſcriptiones Patrum hanc vidiſſet:

Fr.

(*e*) Part. ii. *Capitul. General.* Pag. 208, & 209.

(*f*) Cap. ix. §. xxxviii. Num. ii.

(*g*) Tom. iv. *Bullarij*, Pag. 190. Not. 3.

(*h*) Pag. 171.

(*i*) Pag. 209.

(*k*) Vulgò *Mans.* Eſt Civitas Epiſcopalis *Galliæ Aurelianenſis.*

(*l*) Adeas Cap. iii. Num. iv. Lit. z. Pag. 59.

Fr. Richardus Herre, Magiſter, Definitor Hiberniæ, ut exhibent memorati Capituli Acta M. S. in Conventu noſtro *Inſulenſi* (*m*) ſervata, Teſte noſtro *Jacobo Echardo* in *Notitia Ordinis*, quam accurato ſuo *de Scriptoribus Ordinis Prædicatorum* Operi præmiſit (*n*). Sed de *Fontana* diſcurrendi Modo circà erectam *Hiberniæ* Provinciam opportunior poſthàc Sermo fiet (*o*). En intereà Tenorem ſecundæ Conſtitutionis *Innocentianæ* mox recenſitæ, prout legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. IV. Pag. 42, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. LXVII. Fol. 273.

“ Innocentius Epiſcopus, Servus Servorem Dei, dilectis Filijs Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciæ Hiberniæ ſecundùm Morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Sacræ Religionis, in qua ſub Jugo voluntariæ Paupertatis, devotum, & ſedulum Deo exhibetis Obſequium, promeretur Honeſtas (*p*) ut Petitionibus veſtris, illis, præſertìm quæ divini Cultûs Augmentum, & ejuſdem Religionis Propagationem reſpicere dignoſcuntur, quantùm cum Domino poſſumus, annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper, pro parte veſtra, Petitio continebat, quod Nobilis Vir Baro de Norach (*q*), & Eugenius Macdonchard (*r*), ac Edmundus de Lantu Laici Kaldaren (*s*), Akaden (*t*), ac Miden. Diæceſum, dilecti Filij, piâ Devotione, quam ad Ordinem Veſtrum, illiuſque Perſonas, ob earum bonos, & exemplares Mores, ac Vitæ Sanctimoniam, uberesque Fructus, quos continuis Prædicationibus Verbi Dei, & alijs bonis Operibus in Populo Miden. Diæceſis afferunt, ducti, certa Loca, ſivè Terras, Intyma Kudir, & Colynymihan (*u*), ac Fonſchormaci (*w*) nuncupata, ad eoſdem Baronem, Eugenium, & Edmundum legitimè pertinentia, in eiſdem Diæceſibus conſiſtentia, Vobis ad Effectum, ut ibidem Domus pro Habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis conſtruantur, & ædificentur, ſalvo Sedis Apoſtolicæ Beneplacito, dederunt, & conceſſerunt. Quare pro Parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Vobis Terras, & Loca prædicta recipiendi, & in illis tres Domos præfati Ordinis, cum Eccleſijs, Campanilibus humilibus, Campanis, Dormitorijs, Clauſtris, Refectorijs, & alijs Officinis neceſſarijs pro Uſu, & Habitatione Fratrum dicti Ordinis conſtruendi, & ædificandi Licentiam concedere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & Cultum hujuſmodi noſtris potiſſimè Temporibus vigere, & augeri intenſis deſideramus Affectibus, Veſtrûm quemlibet a quibuſcunque Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad Effectum præſentium tantùm conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, veſtris in hac Parte Supplicationibus inclinati, Vobis Terras, & Loca prædicta recipiendi, & in illis tres Domos cum Eccleſijs, Campanilibus humilibus, Campanis, Clauſtris, Refectorijs, Dormitorijs, Hortis, Hortalitijs, alijſque Officinis neceſſarijs pro Uſu, & Habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis, ſine alicujus Præjudicio, conſtruendi, & ædificandi, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium, Licentiam concedimus, ac Domibus prædictis, &, qui illas inhabitabunt pro Tempore, Fratribus, quod omnibus, & ſingulis Gratijs, Privilegijs, & Indulgentijs, Libertatibus, Immunitatibus, & Indultis, alijs Domibus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem prædictam in Genere conceſſis, & concedendis, uti, & gaudere liberè, & licitè poſſint, eâdem Auctoritate indulgemus, Jure tamen Parochialium Eccleſiarum, in quibus Domus ipſæ ædificatæ conſiſtunt, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus felicis Recordationis Bonifacij PP. VIII Prædeceſſoris noſtri, prohibente, ne cujuſvis Ordinis Mendicantium Fratres, in aliqua Civitate, vel Villa, ſeù Caſtro, vel alio Loco ad habitandum Domos, ſeù Loca quæcunque, de Novo recipere præſumant, ſine Sedis prædictæ Licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de Prohibitione hujuſmodi Mentionem, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergò omninò Hominum liceat

“ hanc.

(*m*) Vulgò *Lille*, rectiùs *L'Iſle*, in *Gallia Belgica.*

(*n*) Tom. ii, Pag. 14. Confer Cap. xiv. Num. i.

(*o*) Cap. ſeq. à Num. vii.

(*p*) Hic *Bullarium* remittit ad ejuſdem Tenoris Exordia pro reſiduis hujus Verbis, quæ in Gratiam Lectoris tranſcribo ex Tom. iii. Pag. 43.

(*q*) *Norach*, ſeù *Noragh*, Baronia eſt Agri *Kildarenſis*, in qua eſt Oppidum *Athyæ*, ubi Conventus Ordinis, ut Cap. ix. §. xv. videre erit.

(*r*) Legerem *Mac Donagh*, quæ Spectabilis eſt Gens, ut Cap. ix. §. xxxiv. Num. ii. Lit. e. dicetur Cognomen autem *Macdonchard* nunquàm audivi.

(*s*) Lege *Kildarenſis.*

(*t*) *Achadenſis.* Adeas Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*u*) Lege *Clonymihan*, ubi reapsè conſtructum fuiſſe Cænobium Ordinis, oſtendetur Cap. ix. §. xxxix. ubi de eadem datâ Operâ diſſeretur.

(*w*) Lege ſeorsìm *Fons Chormaci*, rectiùs *Cormaci.* Conſulendum Cap. ix. §. xxxxix. Num. ii. Lit. c.

“ hanc Paginam noſtræ Abſolutionis, Conceſſionis, & Indulti infringere, vel ei Auſu temerario contraire.
“ Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotenſis Dei, & Beatorum Petri & Pauli
“ Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Domi-
“ nicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Decimo Septimo Kalendas Januarij, Pontifica-
“ tûs noſtri Anno Quinto.

VIII. Quamquam autem Anno 1484, quo *Hibernia Dominicana*, ut mox vidimus, peculiaris conſtituta fuit Provincia, Triginta Sex Ordinis Cænobia intrà *Hiberniæ* Inſulam extiterint, attamen non omnia ſuberant Neo-Provincialis Regimini, illa ſcilicet, quæ ſita erant intrà *Palum Anglicanum*, ut vocabant, ductâ Metaphorâ à Palo, qui Locum aliquem obſepit (*x*). Pro cujus Rei clariori Notitia, Lectorem Extratem monitum, ſeù potius memorem (*y*) velim, *Joannem* Regem, *Henrici* II (quì primus *Anglorum* Regum in *Hiberniam* venerat) Filium, dùm in *Hibernia* exiſtens, Anno 1210, videret, vix aut ne vix quidem tertiam Inſulæ Partem, inter coarctatos *Lageniæ*, & *Momoniæ* Fines conſiſtentem, atque ab Anglicanis Colonijs habitatam, ipſius obtemperaſſe Imperio, eam proindè diviſiſſe in Duodecim Comitatus, dictos prophereà *Anglicanos*, nempè *Dublinienſem*, *Kildarenſem*, *Midenſem*. *Louthanum*, (qui tunc Temporis ad *Lageniam* ſpectabat, nunc uerò ad *Ultoniam*), *Carloenſem*, *Kilkennienſem*, *Wexfordienſem*, *Waterfordienſem*, *Corcagienſem*, *Limericenſem*, *Kerrienſem*, & *Tipperarienſem*, quos proindê *Palus Anglicanus* à reſidua *Hibernia* dividebat, ut Eques *Jacobus Waræus*, & alter Eques, nec minùs accuratus Scriptor, *Joannes Daviſius*, Regis *Jacobi* I Procurator Generalis, referunt (z). Immò neque per integros Comitatus illos *Anglicanæ* Leges prævalebant, ut laudatus *Daviſius* luculenter oſtendit. Quoad univerſam verò quà latè patet *Ultoniam*, & *Conaciam*, ac reliquos, qui nunc ſunt, *Lageniæ*, & *Momoniæ* Comitatus (*a*), etſi Arma *Anglicana* de Anno fermè in Annum eò pervenerint, nunquàm tamen Anglicanæ Leges ad Tempora uſque *Henrici* VIII, qui in *Anglia* regnare cæpit Anno 1509, quique primus Titulum *Regis* Hiberniæ adeptus eſt (*b*). Hinc factum eſt, ut Conventus intrà *Palum Anglicannm* ſic definitum conſtituti, putà *Dublinienſis*, *Arcloenſis (c)*, *Athyenſis*, *Naſenſis*, *Trimmenſis*, *Molingarenſis (d)*, *Pontanenſis*, *Carlingfordienſis*, *Kilkennienſis*, *Roſbercanenſis*, *Waterfordienſis*, *Corcagienſis*, *Youghallenſis*, *Limericenſis*, *Killocienſis*, *Traleienſis*, *Caſſelienſis* & *Lothorienſis*, non Neo-Provinciali *Hiberniæ*, ſed Vicario Provinciali ab *Anglicano* Provinciali, conſtituto, ſubditi eſſent.

IX. Ulterius ſub idem Tempus incepit Reformatio in Provincia *Hiberniæ*, ſtatimque hujuſmodi Regulari Obſervantiæ ſeſè promiſcuè ſubjecere Conventus intrà & extrà *Palum Anglicanum*, atque imprimis *Pontanenſis*, *Corcagienſis*, & *Colranenſis*, ut ex nuper (*e*) allatis Capituli Generalis *Mediolanenſis*, ſub eodem ſcilicèt Magiſtro Ordinis *Bartholomæo de Comatijs*, in memoratis *Mediolanenſibus* Comitijs electo, ac paulò poſt, decimo ſcilicet Generalatûs ſui Menſe, *Peruſij* Peſte ſublato. Id quippè teſtatur ſæpê laudatus Magiſter Ordinis, *Joachimus Turrianus*, qui & Facultatem demandavit Magiſtro *Mauritio Moral* olim, ut præfertur, *Hiberniæ* Provinciali, tunc autem Vicario Generali, ut quoſcunque alios Conventus reformare poſſit. En *Joachimi Turriani* Verba: *Approbatur Reformatio Conventus Joachiæ (f) per Magiſtrum Bartholomæum facta. Et Vicarius Generalis* PROVINCIÆ, *Magiſter Mauritius, poteſt reformare quoſcunque alios Conventus, quos cognoverit eſſe reformandos, eo quod fertur, quod omnes Conventus ſint Fratribus nativis, & alijs expoliati, & corrupti malis Moribus; ità tamen quod illi Fratres illorum Conventuum, quos volueritis reformare, ſi voluerint in Reformatione perſeverare, debeant illos retinere, &c Dat. Romæ* 7. *Auguſti* 1493. In quibus etiam Verbis obiter nota *Hiberniam* non vocari à Magiſtro Ordinis *Nationem*

(*x*) Videſis Cap. ix. §. i. Num. ii.

(*y*) Recolendum Cap. i. Num. x. Pag. 13.

(*z*) *Waræus* in *Annalibus Joannis Regis*, ad Annum 1212. *Daviſius* in *Relationibus Hiſtoricis*, Pag. mihi 50.

(*a*) Adeas Cap. i. Num. xi. Pag. 14.

(*b*) Videſis Cap i. Num. xxi. Pag. 30.

(*c*) *Arclovium*, ſeù *Arcloenſe* Oppidum maritimum nunç eſt in *Wickloenſi* Comitatu, qui olim intrà *Dublinenſis* Fines complectebatur.

(*d*) Olim *Midenſis* Comitatus comprehendebat quem nunc dicimus Midenſem *Oricntalem*, & Midenſem *Occidentalem*, proindèque & Oppidum de *Molingar* in *Occidentali* ſitum.

(*e*) Num. vi. hujus Capitis. Pag. 73.

(*f*) Corrupta Vox. Legendum *Youghallæ*, de quo Cænobio jam dictum eſt Cap. ii, Num. vi, Pag. 38. iterùmque datâ Operâ fuſiùs dicetur Cap. ix. §. xx.

tionem ut olim, ſed *Provinciam,* quamvis tunc non habuerit Provincialem, ſed Vicarium Generalem, eundem ſcilicet Magiſtrum *Mauritium Moral,* qui primus fuerat *Hiberniæ* Provincialis, quique, Munere illo expleto, inſtitutus fortaſsè fuit à Magiſtro Ordinis Vicarius Generalis, quia ad Provincialem eligendum convenire non poterant Patres Capitulares ob ſæva, & haud interrupta *Anglos,* inter & *Hibernos* Bella, quæ integram *Hiberniam* vaſtabant, ut vel *Waræum* in *Annalibus Henrici* VII, Angliæ Regis, legenti ſat ſuperque conſtabit; utque haud obſcurè indicant ipſamet Magiſtri Ordinis *Turriani* Verba mox recenſita: *Fertur,* inquit, *quod omnes Conventus ſint Fratribus nativis, & alijs expoliati, & corrupti malis Maribus.* En deplorabiles Bellorum Sequelas.

X. QUINIMMO proximè ſuccedens Magiſter Ordinis, Reverendiſſimus *P. Vincentius Bandellus,* de *Caſtro Novo,* Lombardus, electns *Romæ* 1501, cùm tâm Auctoritate Apoſtolicâ, quàm ex Officio ſui Generalatûs, ad Reformationem Ordinis magnoperè intentus extiterit, & propterea ad plures Provincias perrexiſſet, non valens perſonaliter ad *Hiberniam* ſe conferre, *P. Joannem de Bauffremez,* Congregationis *Hollandiæ (g)* Alumnum, inſtituit Vicarium ſuum ſuper Conventibus reformatis, & reformandis, quæ Inſtitutio Apoſtolicæ Confirmationis Robur accepit à *Julio* II, Pontifice Maximo, Anno 1504, qui ſua in Conſtitutione ſpecialiter meminit Conventuum *Corcagienſis, Limericenſis,* & *Youghallenſis,* ceù cupientium Regulari Obſervantiæ ſe ſubjicere. Hujuſmodi porrò Conſtitutionem *Julianam* reperire eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum,* Tom. IV. Pag. 217 ex *Archivo Ordinis,* in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. L. Fol. 201. Tenoris ſequentis videlicet.

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Paſtoralis Officij Cura, quam diſponente Domino, Meritis licet inſufficientibus gerimus, Nos admonet (*b*), ut circà ea, quæ pro Statu proſpero Eccleſiarum, & piorum Locorum ac Perſonarum piæ Studio Vitæ Domino famulantium profutura conſpicimus, & per quæ earum Opportunitatibus conſulitur, Opem, & Operam, quantùm poſſumus, efficaciter impendamus. Sanè pro Parte dilecti Filij Joannis Baufrentes (*i*), Ordinis Fratrum Prædicatotum, ac Theologiæ Profeſſoris, & Vicarij (*k*), Generalis Congregationis Hollandiæ dicti Ordinis Nobis nuper exhibita Petitio continebat, quod nonnulli Fratres certarum Domorum dicti Ordinis, Conventualium nuncupatarum, præſertim Corcagen., & Liniciorum (*l*) Civitatum, & Villæ, ſeù Oppidi Jochaliæ Clonen (*m*) Diæceſis, ut Animarum ſuarum Salutem magis proſequi poſſint. & Regularis Obſervantia dicti Ordinis Propagationem ſuſcipiat, cupiunt hujuſmodi Regulari Obſervantiæ ſe ſubjicere, & hoc etiam ſummè deſiderant, chariſſimus in Chriſto Filius noſter Henricus (*n*), Rex Angliæ, & Hiberniæ Dux *(o)*, & nunc Archiepiſcopus Caſſelen *(p)*, in dicta Inſula Hiber-

“ niæ

(*g*) Celebris erat iſta *Hollandiæ* Congregatio, ad quam plures *Galliæ*, & nonnulli *Saxoniæ* Conventus tranſlati ſunt, ut legere eſt in *Bullario* noſtro Tom. iv. Pag. 17, & 36. Ex varijs poſtmodùm ejus Cænobijs Provincia *Germaniæ Inferioris* potiſſimùm conſtituta fuit à *Leone* X, Anno 1515, atque demùm ipſamet Congregatio penitús extincta Anno 1518, ut ex eodem patet *Bullario,* Tom. iv. Pag. 343, & 374. Confer Cap. ſeq. Num. v. Lit. q.

(*b*) Quandoquidem plurima ſint ejuſdem Tenoris Exordia, ad ea *Bullarium* hìc Loci Brevitatis Causâ revocat. In præſenti autem Conſtitutione adducitur ejuſdem Tenoris Exordium, quod habetur Tom. iii. *Bullarij*, Pag. 256, ne Lector, *Bullarium* non habens ad Manum, eo indigeat.

(*i*) *De Bauffremez* eum vocat *Echardus* noſter Tom. ii. *Scriptorum Ordinis*, ad Annum MDV. Pag. 10.

(*k*) *Metis* in *Lotharingia* electus erat Anno 1502, ut advertit Rmus *Bremond* in *Bullar.* Tom. iv. Pag. 418. Not. 5.

(l) Corrupta Vox. Scribendum *Limericen* vulgo *Limerick* in *Momonia*, de cujus Cænobio haud ſemel dictum, iterumque datâ Operâ Sermo erit Cap. ix. §. v.

(*m*) Oppidum *Jochaliæ*, ſeù rectiús *Youghallæ*, eſt in Diæceſi *Clonenſi*, vulgò *Cloyne*; *Corcagia* autem, & *Limericum* ſunt Civitates Epiſcopales *Momoniæ*, in qua etiam eſt *Clona.* De *Youghallenſi* Cænobio Sermo erat Cap. ix. §. xx.

(*n*) *Henricus* hujvs Nominis VII, cni ſucceſſit Filins ipſius *Henricus* VIII.

(*o*) Legerem *Dominus*, nunquam enim *Ducem*, ſed *Dominum* Hiberniæ ſe nuncupavit *Rex Angliæ* uſque ad *Henricum* VIII, qui Titulum *Regis Hiberniæ* de Parlamenti, ut vocant, Conſenſu ſibi aſſumpſit, ut multoties (Cap. i. Num. xxi, & Cap. præf. Num. viii.) dictum eſt. Crediderim porrò Mendum irrepſiſſe ex Incuria Amanuenſis, qui in Autographo videns Vocem *Dominus* in hunc Modum abbreviatam, *Dns*, exſcripſit Voculam *Dux*, ceù ſignificantem Titulum Rege inferiorem.

(*p*) Qui tunc Temporis erat *Mauritius Geraldinus.*

“ niæ præfati Ordinis Conſervator Generalis, ac etiam dilecti Filij Communitates Civitatum, & Univerſitates Villæ, ſeû Oppidi prædictorum, dilectus Filius Vincentius Bandellus de Caſtronovo, præfati Ordinis Magiſter Generalis, qui tam Auctoritate Apoſtolica ſibi deſuper conceſſâ, quam ex Officio ſui Generalatûs, ad Reformationem dicti Ordinis, quantùm poteſt, intentus exiſtit, & propterea ad plures, & diverſas Provincias ſe perſonaliter contulit, non valens perſonaliter ad dictam Inſulam ſe transferre, & cupiens, quantùm poteſt, Salutem Animarum Fratrum dictæ Inſulæ, ac Religionis, & Obſervantiæ hujuſmodi Augmenro providere, præfatum Johannem, ejuſdem Vincentij Generalis in præfata Inſula Vicarium inſtituit, ſeù deputavit, ſuper Fratribus, & Domibus, ſeù Conventibus dicti Otdinis reformatis, & reformandis in dicta Inſula, cum Auctoritate viſitandi Domos, & illarum Fratres dicti Ordinis præfatæ Inſulæ, ac eos, per ſe, vel alios, corrigendi, puniendi, eos ligandi, & ſolvendi, incarcerandi, Pænitentias eis injungendi, omnes Fratres ad dictam Inſulam mittendi, & revocandi, quoties Opus fuerit, in ſuis Domibus, vel dictæ Congregationis aſſignandi, Priores, & alios Officiales inſtituendi, & deſtituendi, ac omnia alia faciendi ergà Domos, & illarum Fratres præfatos, quæ ipſe Johannes in ſuis Conventibus, ſeù ſua Congregatione facere poterat, præſertim mittendi unum Vicarium ex Fratribus ſuis, & quem tunc ſibi videbitur nominandi, dictaſque Domos, & illarum Fratres prædictos, per ſe, vel alium, ſeú alios, reformandi, quando Fratres ipſarum Domorum, ſeù Communitates petierint, præſertim Corkagen, & Lunirìcen *(q)*, Civitatum, ac Oppidi, ſeù Villæ Jochaliæ prædictorum, & alias ſub certo Numero, & Forma, prout in Literis dicti Magiſtri Generalis, deſuper confectis, exprimitur, & continetur, ipſoſque Ftatres dictarum Domorum reformatos, & reformandos in præfata Inſula, exemit à Juriſdictione cujuſcunque alterius Provincialis, Vicarij, aut cujuſcunque alterius Prælati, prout in dictis Literis ipſius Magiſtri Sigillo munitis, dicitur pleniùs contineri. Quarè pro Parte dicti Johannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Inſtitutioni, & Deputationi prædictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, Robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionis Propagationem ſinceris deſideramus Affectibus, præfatum Johannem à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine quavis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad Effectum præſentium tantùm conſeqnendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus iuclinati, Conſtitutionem, & Deputationem præfatas, per præfatum Vincentuim Magiſtrum Generalem, ut præfertur, factas, cum omnibus, & ſingulis præmiſſis, & alijs Facultatibus, & Auctoritatibus circà præmiſſa ſibi datis, & conceſſis, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ſupplentes omnes & ſingulos Defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Non obſtantibus Conſtitutionibns, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contrarium quibuſcunque. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginan noſtræ Abſolutionis, Approbationis, & Confirmationis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, fe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Tertio *(r)*, Decimo Kalendas Februarij, Pontificatus noſtri Anno Primo.

XI. Ex Conſtitutionis iſtius Tenore liquet, non in *Hibernia* duntaxàt, ſed & in univerſo Ordine intentam fuiſſe Reformationem à tunc exiſtente Magiſtro Ordinis, *Vincentio Bandello*, atque reipsà antè & poſteà factam in pluribus Provincijs, quas percurrere longum foret, ac extrà præſens meum Inſtitutum. Hinc ſufficiat paucis dicere, Reformationem fuiſſe quidem intentam in Provincia *Romana* ut videre eſt in Regeſtis (*s*) ſuperiús laudati *Leonardi de Manſuetis*, XXXI Magiſtri Ordinis, ubi hæc leguntur: *Magiſter Matthias de Viterbio fuit confirmatus in Vicarium Generalem Conventuum reformatorum, & reformandorum in Provincia Romana, cum Poteſtate plenaria in Capite, & in Membris, & ſuper Monaſteria cum Cura in ſpiritualibus, & temporalibus, & cum Auctoritate exequendi ultimas Voluntates &c. Dat. Peruſij Die* 3. *Auguſti* 1474. Poſtmodùm autem, Anno ſcilicet 1496, *Alexander* VI, Pontifex Maximus, Reformationi Ordinis attendens, in eadem Provincia *Romana* Congregationem conſtituit ex Sexdecim coaleſcentem Conventibus, nempè S. Mariæ Super *Minervam* de Urbe, S. Mariæ ad *Gradus* de Viterbio, S. Mariæ ad *Quercum* extra Muros *Viterbij*, S. Spiritus de *Senis*, S. Catharinæ de *Piſis*, *S. Sabinæ* de Urbe (*t*), S. Dominici de *S. Geminiano*, S. Marci de *Florentiâ*, S. Dominici de *Feſulis*, S. Dominici

---

(*q*) Id eſt *Limericenſis*, ut mox dictum eſt.

(*r*) Stylo Bullarum ſed Æræ communis 1504, ut rectè pro More advertit Rmus *Bremond* Not. 14.

(*s*) Apud *Fontanam*, *Capitul. Gener.* Part. ii. P. 67.

(*t*) Nunc primarius eſt Conventus Congregationis *Lombardæ*, dictæ *S. Sabinæ*, ab *Innocentio* XII, A. 1695 conſtitutæ, ut patet ex *Bullario* noſtro Tom vi. Pag. 412.

minici de *Piſtorio*, S. Dominici de *Prato*, S. Romani de *Luca*, S. Agnetis de *Monte Politiano*, S. Dominici de *Peruſio*, S. Dominici de *Cortona*, & S. Mariæ de *Saxo*, idque ſpeciali Conſtitutione, in *Bullario* noſtro (*u*) videndâ. Et ſic permanſit hujuſmodi Congregatio uſque ad Tempora *Clementis* Papæ VII, qui Anno 1531 eam erexit in Provinciam, de qua Capitulum *Romanum* Anno 1532, Reverendiſſimi P. *Joannis de Fenario*, Galli, XLII Magiſtri Ordinis electivum, hæc habet Denunciatione III. *Item* (ſubintelligitur *denunciamus) Congregationem olim S. Marci (w) extinctam, & erectam eſſe in Provinciam Romanam reformatam (x).* Item in Neo-Provincia *Portugalliæ*, Anno 1417, ut obiter jam dictum eſt, erectâ, facta fuit Reformatio Anno 1464, ut in *Bullario* noſtro, & *Fontana (y)* legere eſt.

Immo paulo antè *Vincentij Bandelli* Electionem, prælibatus Papa *Alexander* ad Supplicem Protectoris, & Procuratoris Generalis Ordinis Inſtantiam, Capitulum Generaliſſimum *Romæ* Anno Jubilæi 1500 celebrandum indixit *pro Reformatione Ordinis* (z), *qui à longi Temporis Incuria in multis collapſus, Reparationem deſiderat*, ad quod tamen, ob Bellorum Tumultus in *Italia*, *Gallia*, & alibi, convenire non poterant Patres Capitulares, prout de *Hibernia* nuper (*a*) dictum eſt. Audiendus ea de Re *Fontana* apud *Bullarium Ordinis Prædicatorum (b)* in hunc Modum enarrans: *Anno* MD *celebrandum erat Generaliſſimum Ordinis Capitulum* Romæ *ex* Alexandri *Pontificis Decreto, quod in feliciora Tempora dilatum eſt, vigentibus in* Italia, Gallia, *ac alibi Bellis. Petierant illud Provinciales pro ſuarum Provinciarum Quiete, ut Conventus, in quibus ſecundum exactam Conſtitutionum Normam viverent Patres, qui dicebantur* de Vita regulari, *determinarentur, ex quibus erectæ jam fuerunt in cunctis Provincijs peculiares Congregationes, & ex eis aſſumpti fuerant Ordinis Magiſtri,* Bartholomæus de Comatijs, Barnabas Saxonus, *necnon &* Joachinus Turrianus, *idemque in ſequentibus obſervatum eſt, ut ſublata Clauſtralitate (nam* Fratres Clauſtrales *dicebantur alij) commodiùs, atque efficaciùs paulatim priſtinus Obſervantiæ Nitor, ac Decor in Provincijs, ac Conventibus cunctis reſtitueretur, prout Temporis Beneficio concluſum eſt.*

XII. Ne verò Lector *Reformationis* Nomine intelligat, aut mutatum fuiſſe Habitum Ordinis, aut diverſas Cæremonias, aliaſve Novitates, inductas, ut in aliorum Ordinum, tàm Mendicantium quàm non Mendicatium, Reformationibus contigit, non abs Re erit in Medium afferre longiuſculam quidem ſed intentiſſimam Comitiorum Generalium *Mediolanenſium*, Anno 1622, ſub Reverendiſſimo *P. Seraphino Sicco*, Papienſi, LIV Magiſtro Ordinis, Declarationem (*e*), quæ *Reformationis* Vocabulum juxtà genuinum, atque primævum univerſi Ordinis Senſum interpretatur. *Ne hoc* Reformationis *Nomen* (inquiunt Sapientiſſimi Patres), *quo ſæpiùs in his Ordinationibus Occaſione reparandæ regularis Obſervantiæ, jàm ferè Temporum Injuriâ in nonnullis Provincijs collapſæ utimur, aliquod fortè Præjudicium Ordinis noſtri Unitati (Invidiæ, & Ambitionis Igne excitante Diabolo) Progreſſu Temporis generare poſſit, animadvertant omnes Ordinis noſtri Fratres, nihil aliud per idem* Reformationis *Vocabulum intelligi debere, quàm regularis Vitæ Obſervantiam juxtà noſtras ſacras Conſtitutiones, & Acta noſtrorum Capitulorum Generalium, non mutato Habitu, nulliſque Novitatibus, aut Cæremonijs inductis, præter uſque modò communitur receptas, & approbatas, quam quidem Obſervantiam omnes Ordinis noſtri Provincias, quatenùs Opus eſt, ac prout Reverendiſſimus Magiſter Ordinis ſuâ Sollicitudine, & Zelo diſpoſuerit, amplecti cupimus. Cæterùm cautos omnes eſſe volumus, quod (ut in Declaratione Prologi noſtrarum Conſtitutione habetur) ideò ſub unius Profeſſionis Voto vivere dicimur, quia ſub unius Generalis Capituli, & ſub unius Generalis Magiſtri Obedientia regimur, & gubernamur. Sicut enim Unitas Eccleſiæ ex Unitate Capitis dependet, ità & Unitas Ordinis noſtri ex Unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magiſtri, cui ſecundùm unam Regulam, & ſecundùm eaſdem Conſtitutiones ex Voto noſtræ Profeſſionis tenemur obedire, abſque Dubio dependere* “ *dignoſcitur.*

(*u*) Tom. iv. Pag. 124. Videſis ejuſdem Tomi Pag. 495.

(*w*) Sic nuncupabatur Congregatio iſta, quia *S. Marci* Conventus *Florentinus*, quem ipſe vidi, primus extitit in Provincia *Romana*, qui regularem amplexus eſt Obſervantiam, ut obſervat *Fontana*; Part. ii. *Cap. Gen.* Pag. 67. Suppreſſit autem eam Congregationem *Clemens* vii. Anno 1530, ut liquet ex *Bullario* noſtro Tom. viii. Pag. 470. Impræſentiarùm autem floret & alia Congregatio S. *Marci*, ab *Innocentio* XII Anno 1695 conſtituta, ut ex laudato patet *Bullario* Tom. vi. Pag. 412.

(*x*) Conſulendum *Chronicon Magiſtrorum Generalium*, Cap. xvi.

(*y*) *Bullarium*, Tom. vii, Pag. 91; *Fontana*, Part. II. *Capitul. General.* Pag. 163.

(*z*) Verba ſunt Conſtitutionis *Alexandrinæ* apud *Bullarium* noſtrum Tom. iv. Pag. 147.

(*a*) Num. ix. hujus Capitis, Pag. 77.

(*b*) Tom. iv. Pag. 148. Not. i.

(*c*) Apud *Fontana*, Capitul. General. Part ii. Pag. ultimâ.

dignoſcitur. Quamobrem in Capitulis Generalibus Romæ celebratis 1589, 1601, 1608, 1612, *& Venetijs* 1592, *Pariſijs* 1611, *Ulyſſiponæ* 1618, *& in hoc Capitulo Generali probibetur ſtrictiſſimè, ne Diviſionem Ordinis quocunque Modo Fratres procurent.*

XIII. Porrò ut ad *Hiberniam*, de qua excurri, revertar, Conventus in ea extrà *Palum Anglicannm* reformati, exempti erant à Juriſdictione Provincialis *Hiberniæ*, aut Vicarij Generalis ejuſdem Provinciæ, pro Temporum Varietate, ſicut & Conventus reformati intra *Palum Anglicanum* exempti erant à Juriſdictione Provincialis *Angliæ*, ut liquet ex nuper adducto Diplomate *Julij* II. Verum quidem eſt, ut candidè fatear, eundem Summum Pontificem *Julium* II, Anno ſequenti 1505, aliâ Conſtitutione ſanxiſſe (*d*), *ne Conventus reformati, directè vel indirectè, à Regimine Priorum Provincialium diſtrahantur*, proindequè derogaſſe priori iſti Diplomati. Nihilomioùs in hac ultima Conſtitutione Pontifex diſertè excipit Diplomata illa, in quibus ſpecialis fit Mentio *de Licentia Magiſtri Ordinis.* At in priori mox recenſito, nuperque exſcripto (*e*) Diplomate ſpecialis fit Mentio de Licentia Magiſtri Ordinis. In eo ſiquidem de Magiſtro Ordinis, cujus Literas Patentes refert confirmatque, loquens, ait: " Ipſoſque Fratres dictarum Domorum reformatos, & " reformandos in præfata INSULA, exemit à Juriſdictione cujuſcunque alterius Provincialis, " Vicarij, aut cujuſcunque alterius Prælati, prout in dictis LITERIS, ipſius MAGISTRI Si" gillo muniris, dicitur pleniùs contineri." Eapropter Conventus iſti reformati, ſeù intrà, ſeù extrà *Palum Anglicanum* conſtituti, ſubditi duntaxàt erant Vicario Generali, à Magiſtro Ordinis inſtituti (non ſecùs ac Conventus reformati modernarum Congregationum, putà *S. Sabinæ* in Provincia *Utriuſque Lombardiæ*, & *S. Marci* in Provincia *Romana*) qui tamen potuit Conventibus ijſdem reformatis Vicarium alium præficere, ut ex priori illa *Juliana* Conſtitutione, nuper exſcriptâ, luculenter conſtat.

Hinc factum eſt, ut ſimul, & ſemel, tres eſſent in *Hibernia Dominicana* Vicarij, abſque ulla inter eos Subordinatione, unus nimirùm à ſæpè laudato Magiſtro Ordinis *Vincentio Bandello* conſtitutus, dum Capitularis Electio Prioris Provincialis ob Bellorum Tumultus fieri nequiverat, & iſte quidem ſuper Provinciam; alius ſuper Conventus reformatos, à Vicario Generali *Joanne de Bauffremez*, jam anteà nominato, deputatus; tertius à Provinciali *Angliæ* datus Conventibus intrà *Palum Anglicanum* conſtitutis. Id etiam perſpicuè apparet ex Regeſto primo (*f*), Reverendiſſimi *P. Thomæ de Vio*, Cajetani, in Comitijs Generalibus *Romæ* 1508, XXXVIII Magiſtti Ordinis renunciati, poſtmodùm S. R. E. Tituli *S. Sixti* Preſbyteri Cardinalis, nulli non noti, ubi hoc legere eſt : *Tribus ſe gerentibus pro Vicarijs in Hibernia , unus ſuper tres Conventus reformatos, alius ſuper totam Nationem ex Inſtitutione Magiſtri Vincentij* (Bandelli), *tertius dictus ſit Vicarius Provincialis Angliæ; mandamus, ut ſinguli ſcribant Teſtimonium, & Auctoritatem ſuam, â qno, ſuper quot Conventus, cum quibus Exemptionibus, quem Superiorem recognoſcant, cui Contributiones ſolvant; Literas ſuæ Inſtitutionis, vel earum Coprias authenticas mittant. In contrarium &c, ut poſſit provideri illi Inſulæ.* 4. *Novemb. An.* 1509. *Lucæ.* Et ibidem immediatè ſubditur : *Omnibus Præſidentibus Conventuum prædictæ Nationis, cuicunque Vicario ſubjiciuntnr, mandatur ſub Pœna Abſolntionis, ut in Manus Magiſtri Simonis Lacy, Vicarij Provincialis Angliæ ſuper Hibernia* (*g*), *ſolvant ſinguli pro Rata ſua Contributionem debitam Magiſtro Generali, ut ei quoad totum de* 114 *Ducatis ſatisfiat. In contrarium &c. Die* 14.

XIV. Multiplicatis autem Obſervantiæ Conventibus in *Hibernia*, quædam Vitæ Regularis Congregatio coaluit, quæ in Capitulo Generali *Romæ* 1518, Rmi P. *Garziæ de Loayſa* Hiſpani, XXXIX. Magiſtri Ordinis (poſteâ S. R. E. Cardinalis) electivo, in hunc Modum acceptata fuit, & approbata : *Item acceptamus, & approbamns Congregationem Vitæ Regnlaris factam in Natione Hiberniæ, cum Gratijs, & Privilegijs ei per bon. Mem. Magiſtrum Vincentium Bandellum Generalem Magiſtrum Ordinis, in Favorum Vitæ Regularis conceſſis. Hoc adjicientes, quod Priores Conventuales durent in Officijs ſuis ſecundùm Tenorem Conſtitutionum noſtrarum. Vicarius autem illius Congregationis finito Triennio ſui Officij ſit abſolutus à ſuo Officio ; poſſit tamen reeligi, & confirmari*,

---

(*d*) Apud *Bullarium* noſtrum Tom. iv. 225.

(*e*) Num. x. hujus Capitis, Pag. 77.

(*f*) Apud *Fontanam*, Cap. Gener. Part. ii. P. 209.

(*g*) Id eſt, ſuper *Hiberniæ* Conventibus, intrà *Palum Anglicanum* conſtitutis, juxtà ſuperiùs dicta Num. viii hujus Capitis, Pag. 76, *firmari.* Porrò credere par eſt, ex Conventibus, etiam intrà *Palum Anglicanum* ſitis, quàm plures (*h*) huic Congregationi aggregatos fuiſſe, ceſſante ſcilicet Bellorum Clade ſub Initium Regni *Henrici* VIII, qui *Angliæ* Thronum conſcenderat Anno 1509; quique *Hibernorum* Animos plus alijs *Anglorum* Regibus captivavit ob novum *Defenſoris Fidei* ab Apoſtolica Sede impretatum Titulum; primuſque *Anglorum*, *Rex Hiberniæ* à Comitijs *Dublinienſibus*, ſeù *Parlamento*, ut vocant, declaratus eſt; antè ſiquidem *Angliæ* Rex nonniſi *Dominus Hiberniæ* nuncupabatur, ut alibi (*i*) me obſervaſſe memini. Sed quidquid ſit de hoc, quemadmodùm Congregatio olim *Romana*, dicta *S. Marci*, extincta fuerat, & in novam Provinciam *Romanam* erecta Anno 1531, ut ex non ità pridem dictis (*k*) conſtat, ità & hæc *Hiberniæ* Congregatio poſtmodùm ſuppreſſa fuit, & in novam Provinciam à *Paulo* Papa III Anno 1536 inſtituta, ut oſtendetur Capite ſequenti (*l*), ubi de Quarto *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo diſſeretur. Et tunc ſaltem Conventus omnes intrà *Palum Anglicanum* conſtituti ad eam ſpectabant, non autem ampliùs ad Provinciam *Anglicanam*, eâ calamitosâ Tempeſtate proh Dolor! extinctam.

Enimverò peſſimus iſte ex optimo Rex, ſe *Caput Eccleſiæ Anglicanæ* declarans Anno 1534, Quatuor Ordinum Mendicantium Religioſos Viros ex ſuis Cænobijs ejecerat, ipſorumque uſurpaverat Ædes. Poſtmodùm etiam cætera utriuſque Sexûs invaſit Monaſteria, eorumque Bona in Fiſcum redegit, ità ut primô Impetu, Anno 1535 (*m*) factô, Religioſorum utriuſque Sexûs Decem ampliùs Millia ad Sæculum redierint, ut accuratiſſimi Scriptores. tam domeſtici, quàm extranei, referunt (*n*). Uno Verbo, ſub id Tempus uterque *Angliæ* Clerus, tàm Sæcularis, quàm Regularis, vel Martyrium fortitur paſſus, vel in Hæreſim turpiter lapſus eſt, qua de Cauſa prorsûs extincta fuit ibidem Hierarchia Eccleſiaſtica, ſicut & in *Scotia*, quæ ad Differentiam *Hiberniæ*, ut obiter dicam, ſuos non habent Epiſcopos, ſed Vicarios duntaxàt Apoſtolicos, qui etſi ad Effectum unicè conferendi Sacramentum Confirmationis Epiſcopi ſint, ſuos tamen Titulos non ex *Anglia*, aut *Scotia*, ſed ex *Partibus Infidelium*, putà *Bithyniâ*, *Phrygiâ*, *Numidiâ*, *Cappadociâ* &c. nanciſcuntur (*o*) Et ex tunc *Anglia* ſuum non habuit Provincialem, ſed Provincialis illius erat duntaxàt Titularis, unus nempè Sociorum Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, quemadmodùm & adhuc Titularis eſt Provincialis *Scotiæ* (*p*), ſicut & Titulares ſunt Provinciales *Daciæ*, *Græciæ*, & *Terræ Sanctæ*, quos Quatuor Provinciales Titulares *Romæ* ſimul reſidentes vidi. Modò autem *Anglia* proprium habet Provincialem, atque in Comitijs Generalibus *Bononienſibus* 1706 ſub Rmo P. *Antonino Cloche*, Gallo, LX Magiſtro Ordinis, Communicationem Privilegiorum cum Provincia *Hiberniæ*, ſuo olim Germine, obtinuit, quam & Comitia Generalia *Romæ* 1721, Rmi P. *Auguſtini Pipia*, Sardi, LXI Magiſtri Ordinis (poſteà S. R. E. Cardinalis) electiva, confirmarunt; quam demùm Comitia item Generalia, immediatè ſubſequentia, *Bononiæ* Anno Jubilæi 1725, Rmi P. *Thomæ Ripoll*, Hiſpani, LXII Magiſtri Ordinis electiva, in hunc Modum confirmarunt, Tit. Conceſſiones, §. *Pro Provinciæ Angliæ*, Num. I. “ Confirmamus, quatenùs Opus ſit, Acta omnia *Comitiorum* “ *Generalium Bononiæ*, & *Romæ* poſtremò habitorum, in Gratiam præfatæ Prouinciæ formata: “ Eidemque denuò communicata declaramus Privilegia quæcunque, Authoritate Apoſtolicâ, vel “ prædictorum Capitulorum Generalium, Provinciæ Hiberniæ conceſſa.” Unum porrò Privilegium Provinciæ *Hiberniæ* eſt, *quod nullâ Ratione extinctis Provincijs ſit connumeranda*, ut diſertis Verbis decrevit, & declaravit Rmus P. *Joannes Baptiſta de Marinis*, Januenſis, LVII Magiſter Ordinis, in Comitijs Generalibus *Romæ* 1656, cujus Decreti Verba integra alibi commodiùs exſcribam (*q*). Hinc neque Provincia *Angliæ* impoſterùm *ulla Ratione* extinctis Provincijs connumeranda erit. Sed ad Res merè *Hiberno-Dominicanas* regrediamur.

(*h*) *Corcagienſis*, *Limericenſis*, & *Youghallenſis*, Conventuum, intrà *Palum Anglicanum* utique conſtitutorum, ut ex Num. viii liquet, ſpecialiter meminit *Julius* II in Conſtitutione nuper exſcripta Num. x. Pag. 77.

(*i*) Cap. i. Num. xxi. Pag. 30. Cap. præf. Num. viii. Pag. Pag. 76. & Num. x. Lit. o. Pag. 77.

(*k*) Num. xi. hujus Capitis. Pag. 78.

(*l*) Num. i.

(*m*) In Schiſmæ prolapſus eſt *Henricus* VIII. Anno 1532.

(*n*) Adeas, ſi libet, *Natalem Alexandrum*, Sæcul. xv, & xvi. Part. ii. Cap. viii. Art. iii.

(*o*) Adeas Cap. xiii. Num. lxxxii.

(*p*) Conſulendum Cap. ſequens, Num. iii, & Cap. vi. Num. ix. Lit. o.

(*q*) Cap. vi. Num. xiii.

XV. Opus non eſt, ut hic ullatenùs recenſeam Viros tertij hujus *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculi, Dignitate Epiſcopali, Doctrinâ, aut Pietate claros, de ijs quippè ſuis reſpectivè Locis ſigillatim agetur (*r*). Cæterùm non abs Re erit obſervare, *Sixtum* Papam IV, Ordinis Minorum, nonnullos Fratres Prædicatores variarum Provinciarum Beneficijs Eccleſiaſticis donaſſe, ut liquet ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*s*), atque inter alios *Theobaldum de Burgo*, Hibernum, qui Annò 1472 ab eo factus fuit Prior Monaſterij B. Mariæ de *Roſcoman* (*t*), Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*, ſpeciali Diplomate, quod legere eſt in laudato *Bullario*, Loco citato, ex *Archivo Apoſtolico* Lib. V. Fol. 153. Tenoris ſequentis:

“ Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filijs Patritio Oſgynyn, & Sergallo Obruchayn,
“ ac Johanni Othonyr, Canonicis Eccleſiæ Elphinen., Salutem,
“ & Apoſtolicam Benedictionem

“ Religionis Zelus, Vitæ ac Morum Honeſtas, aliaque laudabilia Probitatis, & Virtutum Merita, ſuper
“ quibus apud Nos dilectus Filius Theobaldus de Burgo Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſor, &c. (*u*).
“ Nos dicto Theobaldo, qui, ut aſſerit, de Regum Genere ex utroque Parente procreatus exiſtit, &c.
“ Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſſimo Septuageſimo
“ Primo (*w*), Septimo Idûs Martij, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

XVI. Quia proculdubiò curioſus Lector ſcire geſtiet, quorsùm *Theobaldus* iſte *de Burgo* dicatur *de Regum Genere ex utroque Parente procreatus*, & quidem in Literis Apoſtolicis, ubi nihil prorsùs recenſetur abſque ſatis legitimo Fundamento, idcircò meum eſt Rem hanc dilucidare, id ſiquidem Leges Hiſtoriæ præſcribunt. Undè & Rmus *Bremond* in Indice Rerum *Bullarij* noſtri (*x*), Verbo *Burgo (Theobaldus de)* hæc apponit Verba: *De Stirpa Regia oriundus.*

Porro ex Parte Genetricis potuit eſſe ex Regio Genere Hibernico *O-Brienorum*, aut *O-Connororum*, autve *Mac-Chartæorum*, cum quibus *Burgorum* Gens frequentata habuit Connubia. Quod verò ad Genitoris Partem attinet, vereor equidem ne à multis accuſandus veniam de inani Gloria, ſi, cum ejuſdem ſim Cognominis, in regali ipſius demonſtranda Progenie Operam impendam, propterea audiant non me, aut *Burgorum* quempiam, ſed alios *Hibernos*, Patres nempè Minoritas inſignis Collegij Extranationalis *Pragenſis* in *Bohemia*, qui Tractatum Theologicum *de Tribus Naturæ Humanæ Statibus* publicæ Ventilationi exponentes Anno 1731, Defendente Fr. *Michaele Keogh*, Præſide verò P. Lectore *Jacobo Griffin*, Librum ſuum haud exiguæ Molis, quem præ Manibus teneo, “ Celſiſſimo, ac Excellentiſſimo Principi, Domino *Jacobo-Franciſco Fitz-James*, Duci de *Liria*, *&* *Xerica* (*y*), Comiti de *Tinmouth*, Baroni de *Boſworth* (z), *Hiſpaniarum* Magnati Primæ Claſſis, Nobiliſſimi Ordinis *Aurei* Velleris, & inſignis *SS. Andreæ*, *&* *Alexandri*, in *Magna Ruſſia* (*a*) Equiti, Præpoſito Caſtrorum Generali, Civitatis *S. Philippi* perpetuo Gubernatori, necnon Sereniſſimi, ac Potentiſſimi *Hiſpaniarum*, & *Indiarum* Monarchæ *Philippi* V, ad Aulam *Imperialem* Legato, ac Miniſtro Plenipotentiario,” nuncuparunt. Hujus porrò Pater erat celeberrimus *Jacobus Fitz-James*, Regis Anglorum *Jacobi* II Filius Nothus (*b*), Primus Dux *Berwici*, atque *Galliarum* Marſhallus, ut vocant; Mater verò *Honoria de Burgo*, Duciſſa *Berwica*, *Gulielmi de Burgo*, Comitis *Clanricardiæ* in *Hibernia*, & *Helenæ Mac-Carthy* è Comitibus de *Clancarthy* Filia.. Undè in Epiſtola *Dedicatoria*, præmiſſis nonnullis de Paterno Genere, Theologus nuncupans ſic eum alloquitur: “ Neque tu Paterni Generis modò, cujus vel meminiſſe

---

(*r*) Cap. xiii, xv, & xvi.

(*s*) Tom. iii. Pag. 521.

(*t*) In eodem Oppido eſt Cænobium Fratrum Prædicatorum, de quo Sermo erit Cap. ix. §. xvi.

(*u*) Brevitatis Gratiâ omittuntur in *Bullario* quæ in ejuſdem Rationis Diplomatibus Pontificljs paſſim legere eſt.

(*w*) Stylo Bullarum, Æræ verò Communis, 1472.

(*x*) Tom. viii. Pag. 584.

(*y*) *Lyria*, & *Xerica* ſunt in *Hiſpania*. Iſtis porrò Titulis eum donavit *Philippus* V, poſtquàm Pater ipſius, Dux *Berwicus*, Victoriam reportavit, Regni *Hiſpaniarum* deciſivam, in celebri Prælio de *Alamanza*, Anno 1607.

(*z*) *Tinmouth*, & *Boſworth* ſunt in *Anglia*. Iſtique Tituli Honorarij ipſi debebantur, ceù Filio Primogenito Ducis *Berwici*, quod eſt ſuper *Twedam* Fluvium in *Angliæ Scotiæque* Confinijs.

(*a*) Titulum iſtum conſecutus eſt, dum Orator exiſteret Catholici Regis apud Aulam *Muſcoviticam*.

(*b*) Confer Cap. vii. Num. vi.

“ miniſſe ſat eſt, gloriari potes Claritudine, verùm etiam *Materni*, cui Jure omni licet repetere
“ quod olim *Ulyſſem* de ſe ceciniſſe teſtatur Poeta (*c*)

> “ *Eſt quoque per Matrem* (De Burgo) *addita Nobis*
> “ *Altera Nobilitas*, *Decus eſt in utroque Parente.*

“ *Burgiadum* Familia, vel ut uſitatâ olim apud *Romanos* Phraſi utar, *Gens una majorum Gentium*
“ (*d*), non Epiſtolam, ſed Hiſtoriam exigit. Ejus ingentia Merita, præclaraque Facinora, Lau-
“ dibus qui tentat æquare, unà is eâdem Operâ, aut *Stellas numerare*, aut *Iſthmum fodere* (*e*) au-
“ deat. De ejus Origine tantorum Lapſu Sæculorum, ſummè diſceptant Eruditi, maximæ uti-
“ que Antiquitatis Symbolum ; Teſte enim *Putcanô* (*f*), Familiarum *Originem neſciri*, *aut con-*
“ *fundi*, *illuſtre Antiquitatis Signum eſt*, *nec pulchriori Monumento durat Rerum Memoria*, *quàm*
“ *cum quæri ea debent.* Stirpem iſtam nonnullorum Calculo à *Scotiæ Regibus* ortam celebris
“ refert *Imhofius* (*g*). Alij verò & veriùs à *Balduino* II, Tertio *Jeroſolymorum* Rege (*h*), & *Ca-*
“ *rolo Magno*, primùm *Francorum* Rege, tùm *Romanorum* Imperatore, per *Rolandum* ſui Tem-
“ poris *Heroem* Famoſiſſimum, Originem trahere ſentiunt (*i*), quorum Placita non leviter com-
“ probant frequentata *Burgiadum* tuorum, Dux inclyte, cum Regijs *Anglorum*, *Scotorum*, &
“ *Hibernorum* Familijs Connubia. *Gulielmum de Burgo*, *Expugnatorem* (*k*) dictum, qui Anno
“ 1172, ſub *Henrici* II Dominatu, in *Hibernia* Sedem fixerat, primam ſibi adſcijſe Uxorem *An-*
“ *glorum* Regis Filiam, alteram verò *Danielis O-Brien*, *Magni* vulgò dicti, ultimi *Caſſeliæ* Regis
“ Gnatam, Annales noſtri perhibent (*l*). *Hubertum* verò *de Burgo*, ejus ex Fratre Nepotem,
“ *Cantij*, vulgò *Kent*, in *Anglia* Comitem, *Heroum* ſui Temporis Florem (*m*), qui Prælio duplici
“ *Galliæ Delphinum* Terrâ Marique proſtravit, atque ut alter *Alexander* ab *Anglorum* celebratur

---

(*c*) *Ovidius*, Lib. 13. *Metamorph*, V. 146, & 147.

(*d*) *Tacitus*, Lib. ii. Annal. Cap. xxv. Num. ii.

(*e*) Sunt Adagia *Eraſmi.*

(*f*) Lib. i. Hiſtoriæ *Inſubriæ.*

(*g*) In Hiſtoria Genealogica *Magnæ Britanniæ*, Cap. xxi.

(*h*) *Balduinus de Burgo*, rectâ Lineâ à *Carolo Magno*, mediante *Rolando*, deſcendens, tertius fuit inter Gallos *Jeroſolymorum* Reges, regnavitque Annis Tredecim, ab Anno ſcilicet 1118 ad 1131. Videſis Dictionarium Hiſtoricum, gallicè editum à *Morrerio*, Verbo *Baudouin*, & *Thomam Carve*, in *Lyra Hibernica*, Pag. 97.

(*i*) *Antonius Bruodinus*, *Rodericus O-Flahertius*, *Thomas Carvæus*, alijque Noſtrates, & *Imhofius*, ubi ſuprà

(*k*) *Gulielmus de Burgo* in *Hiberniam* venit Anno 1172 cum *Henrico* II, à quo *Hiberniæ* Prorex conſtitutus, *Conacienſes* præcipuè debellavit, indèque *Expugnator* paſsìm nuncupatus fuit, ut & infrà dicetur Cap. ix. §. viii. Num. iv. Lit. x.

(*l*) Iidem qui ſuprà.

(*m*) *Hubertus* iſte *de Burgo* fuit Regis *Henrici* III adhuc Minorennis Guardianus, atque Regni *Angliæ* Regens à Parlamento, ut vocant, nominatus, & ab ipſo poſtmodùm Rege, ſui Juris effecto, *Hiberniæ* Prorex perpetuus conſtitutus. Munificus erat Fratrum Prædicatorum *Londinenſium* Benefactor, & apud eos ſepultus Anno 1243, dum Cænobium haberent in Vico dicto *Holburn*, Suburbio fermè Septentrionali antiquæ Civitatis *Londinenſis*, quod Cænobium, ipſomet *Huberto* promovente, aſſecuti fuerant Anno 1221, ut diſſertè affirmat *Joannes Stephens* in *Monaſtico Anglicano*, Vol. II. Pag. 191, cujus Verba ſuperiùs adduxi, Cap. ii. Num. xvi. Lit. m. Pag. 45. Sed Anno 1276 tranſlati ſunt ad Vicum intrà Civitatem ad Ripam Fluminis *Tamagæ*, qui Vicus uſque in hodiernum Diem nominatur anglicè *Black-Friers*, id eſt, *Nigri Fratres*, ſic quippè à Cappis Nigris vocabantur in *Anglia* Dominicani ad Differentiam Carmelitarum, qui *White-Friers*, id eſt, *Albi Fratres*, nuncupabantur, eſtque etiam *Londini*, ſicut & *Dublinij*, Vicus, tali Nomenclaturâ appellatus, ut Cap. ix. § iv. Num. iii. Lit. p. dicetur. Prioris Cænobij antiqua Eccleſia cum Cæmeterio in *Holburn* adhuc viſitur (reſtaurata tamen Anno 1687, regnante *Jacobo* II) Hæreticorum Præda ſub Titulo Eccleſiæ Parochialis *S. Andreæ.* Poſterioris autem Cænobij nullum manet, ut ipſe vidi, Veſtigium niſi purum putumque Nomen *Black-Friers*, licèt permagnificum olim fuerit Ædificium, in quo, ut obiter dicam, Cardinales *Wolſæus*, & *Campegius*, Cognitionem Cauſæ Matrimonialis Regem *Henricum* VIII inter, & Reginam *Catharinam* ſuſcepere, in eoque ipſemet *Wolſæus* à Parlamento damnatus fuit, Conventu Fratrum poſtmodùm ſuppreſſo, ut refert *Hiſtoria Civitatis Londinenſis*, Vol. I. Pag. 8. Eſt quidem in iſta eadem Platea Eccleſia parva Parochialis *S. Annæ*, ſed moderna, quam prælibata Hiſtoria (Vol. I. Pag. 126) innuit ædificatam fuiſſe in Situ Eccleſiæ Fratrum Predicatorum, ſeù *Nigrorum*, ut vocat, quam amplam fuiſſe, poſt *Weever*, affirmat,

“ Scriptoribus, Conjugem habuiſſe *Margaritam*, *Gulielmi Scotorum* Regis Filiam, eædem Hiſto-
“ riæ produnt. Taceo inclytæ hujus Domûs cum alijs *Angliæ* primoribus, nominatim *Gloceſtrenſi*,
“ & *Lancaſtrienſi*, Affinitates. Prætereo *Richardum Magnum* (de Burgo) *Rufum* dictum, *Ulto-*
“ *niæ Conaciæque* Comitem, Supremi Orbis *Britannici* Campi Ductorem, cujus præclara Faci-
“ nora, partæ Victoriæ, reportati Triumphi in *Anglia*, *Gallia*, *Scotia*, *Wallia*, atque *Hibernia*,
“ æternis celebrabuntur Encomijs. Grandia etiam ſilebo Merita *Gulielmi* ejus Nepotis, ex *Jo-*
“ *anne de Burgo*, & *Elizabethâ de Clare*, *Gilberti Gloceſtriæ* Comitis Gnatâ, qui (*Gulielmus de*
“ *Burgo*) ex *Mathilda*, *Henrici Lancaſtriæ* Ducis (*n*) Filiâ, Elizabetham genuit unicam, quæ in
“ *Leonellum* ejus Conjugem, *Clarentiæ* Ducem, & *Eduardi* ejus Nominis III, *Angliæ* Regis Fi-
“ lium, *Ultoniæ Comitis* Titulum tranſtulit (*o*), quæque eidem unicam genuit Filiam, dictam *Phi-*
“ *lippam*, quæ *Edmundi Mortimeri*, (*p*) Conjux facta, Mater poſthàc extitit *Rogerij* Comitis, qui
“ Parens erat *Annæ* Comitiſſæ *Cantabrigiæ*, Matris *Richardi Eboracenſium* Ducis, Sereniſſimi
“ *Eduardi* IV Genitoris (*q*). Omitto dicti jam *Richardi Magni* Filiam, *Mariam de Burgo*, *Ro-*
“ *berti Bruſſi*, *Scotorum* Regis, & Reſtauratoris, extitiſſe Reginam. Quid memorem ulteriùs
“ *Burgi-*

---

ac pretioſa Supellectili inſtructam, atque plurium Nobilium cohoneſtatam Sepulchris, quæ, poſt fabricatam novam *S. Annæ* Eccleſiam, ampliùs non apparent. Eadem etiam Hiſtoria (Vol. II. Pag. 625) refert, *Hubertum* Comitem laudatum Fratribus Prædicatoribus, in Vico *Holbùrno* tunc exiſtentibus, donaſſe (idem quoque refert *Waræus* in *Annal.* ad An. 1230) pulchras ſuas Ædes, quæ regnante *Henrico* VIII evaſere Palatium Regium, dictum *White-Hall*, id eſt *Alba Aula*, ubi continuò habitabant Reges *Angliæ* uſque ad Annum 1697, quo ingens Ædificij Pars Igne conſumpta eſt, reſidua autem etiamnùm viſitur. Confer Cap. ix. §. viii. Num. iv. Lit. x.

(*n*) Iſtius *Henrici*, Ducis *Lancaſtriæ*, Avus fuerat *Henricus* III, *Angliæ* Rex.

(*o*) Reges *Angliæ* hoc Titulo Duces *Eboracenſes* donare ſolent. Sic Sæculo ſuperiori *Curolus* II Fratrem ſuum *Jacobum*, tunc Ducem *Eboracenſem* (poſteà *Anglorum* Regem) creavit *Comitem Ultoniæ*, ut refert Eques *Gulielmus Dudgale*, Rex Armorum *Angliæ* Supremus, vulgò dictus *Garter*, in *Catalogo Nobilium Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ*, Pag. 183, Hùc faciunt quæ habet *Gulielmus Camdenus*, alter Rex Armorum in *Anglia*, dictus *Clarencieux*, in *Deſcriptione Hiberniæ*, Pag. mihi 517, ubi de *Ultonia* deſſerens, ait: “ *Joannes Curcius* primus *An-*
“ *glorum* hanc Regionem aggreſſus eſt, & *Dunô*
“ *Armachâque* expugnatis, univerſam aut Bello. aut
“ Deditione complexus eſt, primuſque *Ultoniæ*
“ Comes eſt dictus. Sed cùm illi Res proſperè geſtæ
“ ità Invidiam conflaſſent, ut ex ſuis Virtutibus, ali-
“ orumque Vitijs in Exilium ageretur, *Hugo de Lacy*,
“ qui illum Bello perſequebatur, datus erat à Rege
“ *Joanne* Succeſſor. Hujus unicam Filiam *Gualte-*
“ *rus de Burgo*, Dominus *Conaciæ*, in Uxorem
“ duxit, & Uxorio Jure creatus eſt *Ultoniæ* Comes,
“ permanſitque ille Honor in *Richardo* Filio, *Joanne*
“ Nepote, & *Gulielmo* Abnepote, qui à ſuis inter-
“ fectus, *Elizabetham* unicam Filiolam reliquit,
“ quæ *Leonello Clarentiæ* Duci enupſit. Per hujus
“ verò unicam Filiam ad *Mortuamarios*, & ab illis
“ rursùm per Filiam *(Annam)* ad *Richardum* Du-
“ cem *Eboracenſem Ultoniæ* Titulus eſt devolutus,
“ cujus Filius *Eduardus* IV, Rex *Angliæ*, ſacro Pa-
“ trimonio, ſivè Domanio, ut vocant, regio ad-
“ junxit.”

(*p*) Hic fuit Comes *Ultoniæ* &c, & Prorex *Hiberniæ*, obijtque in Cænobio Fratrum Prædicatorum *Corcagiæ* Die 26. Decembris 1381, ut ex *Lodgæo* dicetur Cap. ix. §. vi. Num. iv.

(*q*) Ità patet ex *Imhofio*, ſæpiùs laudato, & *Gratiano Lucio* (cujus Verba exſcripta habebis Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e) alijſque Hiſtoricis, & Heraldicis, qui inſuper *Eduardi* IV Progeniem ad hujus Ævi varios variarum Ditionum Reges deducunt. Filiam quippè ipſius, Nomine *Elizabetham*, ex *Eboracenſi* Familia oriundam, Conjugem ſibi adſcivit *Henricus* VII è Familia *Lancaſtria*, quo Matrimonio, ut obiter dicam, famoſa illa *Lancaſtriorum*, & *Eboracenſium* Odia extincta ſunt, eorumque toti *Angliæ* pernicioſiſſimæ Factiones, poſt Septemdecim Prælia, in quibus Reges, Regijque Principes Octo, Duces, Marchiones, & Comites Quadraginta, Barones, Virique Equeſtres quamplurimi, & ultrà bis Centum Mille Homines occubuerant (ut Scriptores referunt, nominatim *Petrus Heylyn*, Lib. i. Pag. 273) in unam tandem coierunt Societatem, ſicque *Lancaſtriorum*, & *Eboracenſium* Emblemata, *Roſa rubra* nempè, & *Roſa alba*, unitæ fuere. Cæterùm *Henrici* VII Filia *Maria* nupſit *Ludivico* XII Regi Chriſtianiſſimo, primogenita verò, Nomine *Margarita*, *Scotiæ* fuit Regina, atque Mater *Jacobi* V, *Scotorum* Regis, cujus Filia, *Maria Stuarta* Regina, nulli non nota, peperit *Jacobum* VI, qui, defunctâ *Elizabethâ*, *Angliæ*, & *Hiberniæ* Reginâ, eorundem Regnorum Thronum conſcendit ſub Nomine *Jacobi* I. Ipſius Filia *Elizabetha*, *Frederico* V, Comiti *Palatino*, & *Bohemiæ* Regi nupta, peperit *Carolum-*

Ludovicum

“ *Burgiadum* Domûs reliqua Gloriæ Ornamenta? Quid cum Regijs *Mac-Chartæorum* Sceptris, “ *O-Brienorum*, & *O-Connororum* Coronis Tædas, & Fædera? Quid quas poſſidere Fortunas, “ & Ditionum Latifundia? Quid tot celebrrimos *Heroes*, Sago, & Toga illuſtres, cùm Te ſo- “ lum admirari ſufficiat, Dux Clementiſſime, qui Majorum tuorum exprimis Epitomen (*r*).”

En, benigne Lector, quæ ex Epiſtola illa *Dedicatoria* excerpſi, quod boni, æquique conſulere debes, non autem mihi Vitio vertere, quaſi in illis exſcribendis, aut Commentario exornandis, fuerim præpoſtero adulandi Studio, aut aliquâ vanam occupandi Gloriam Libidine adductus. Enimverò Sanctis Patribus, præſertìm *Gregorio Nazianzeno*, *Ambroſio*, & *Auguſtino*, ſuos Conſanguineos publicis habitis Orationibus celebrare, eorumque Laudes pangere licuit, ut advertit politiſſimus æquè ac modeſtiſſimus, mihique probè notus hujus Ævi Scriptor, Magiſter nempè *Ignatius-Hyacinthus Amat da Graveſon*, in *Monito* ſuo *ad Lectorem*, quod præfixit Vitæ, quam concinnavit, Avunculi ſui, *Ludovici de Berton*, *Domini de Crillon*, quamque legere eſt ad Calcem Partis tertiæ *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* ab ipſo editæ. Sed de his jam ſatis.

XVII. Quandoquidem in *Hibernia* Academia, ſeù Uuiverſitas, vigeret nulla, in qua Magiſtri, & Doctores legere, & Scholares proficere poſſent, ſed eo Conſilio Opus eſſet pergere in *Angliam*, quod tamen præſtare haud valebant abſque Maris Periculo, & Expenſarum Gravamine. Eapropter Anno 1475 Fratres tàm Prædicatores, quàm reliquorum Ordinum Mendicantium, ſupplicarunt *Sixto* Papæ IV, nuper laudato, pro Facultate erigendi Univerſitatem in *Dublinienſi* Civitate, *Hiberniæ* Metropoli. Precibus annuit benignus Pontifex, dato ſpeciali Diplomate, quod alibi commodiùs exſcribam (*s*). Iam anteà quidem, Anno ſcilicet 1320, fundata erat Univerſitas, ſeù Academia *Dublinij*, ut ſuo Loco narrabam (*t*); in eaque primi Doctores S. Theologiæ creati fuere duo Fratres Prædicatores, unuſque Ordinis Minorum, Teſte *Waræo* (*u*), qui poſt exſcriptum *Alexandri de Bicknor*, Archiepiſcopi *Dublinienſis*, de Regulis in eadem Academia ſervandis Inſtrumentum (*w*), ſtatim ſubdit: “ Tùmque S. Theologiæ Doctores creati ſunt ibidem Gulielmus de “ Hardite, Ordinis Prædicatorum, Henricus Cogry, Ordinis Minorum, & Edmundus de Kar- “ mardin, Ordinis Prædicatorum. Item ad Gradum Doctoratûs in Jure Canonico promotus eſt “ Gulielmus Rodiart, Decanus Eccleſiæ S. Patritij Dublinij, qui conſtitutus eſt etiam primus “ Academiæ Cancellarius. Lecturam Theologicam ab *Eduardo* III ibi poſteà inſtitutam docet “ Regeſtum *Joannis Alani*, Archiepiſcopi *Dublinienſis*. Cæterùm deficientibus Facultatibus, qui- “ bus Alumni alerentur, Academia ipſa paulatim defecit.” Sed de ea alibi plura (*x*).

XVIII. Mense

Ludovicnm, Comitem *Palatinum*, Genitorem *Carlottæ*, quæ *Philippi Borbonij*, Ducis *Aurelianenſis*, ſecunda Conjux facta, Filiam habuit *Elizabetham-Carlottam*, Matrem *Franciſci-Stephani*, primùm Ducis *Lotharingiæ*, nunc verò Magni Ducis *Etruriæ*, & *Romanorum* Imperatoris. Peperit quoque *Sophiam*, *Erneſti Auguſti*, Ducis *Hannoverani* Conjugem. Ipſius verò Filius *Carolus* I. genuit (ultrà *Carolum* II, & *Jacobum* II) *Henriettam Mariam*, quæ *Philippi Borbonij*, mox laudati, primùm *Andegavenſis*, dein (poſt Patrui Mortem) *Aurelianenſis* Ducis (qui unicus erat Frater *Ludovici* XIV, Regis Chriſtianiſſimi) prima Conjux facta, peperit *Mariam-Aloyſiam*, *Sardiniæ* Reginam, modernorum *Galliarum* & *Hiſpaniarum* Regum Aviam. Ignoſce, benigne Lector, ſi Tædium hæc tibi afferant; Ars Genealogico-Heraldica, quam didiceram, ad ea obiter recenſenda me impulit.

(*r*) Celeberimus hic Vir evaſit etiam Dux *Berwicus* poſt Mortem Patris, qui *Philippoburgum* in *Germania* ad *Rhenum*, obſidens, quà *Galliarum* Marſhallus, ut vocant, & jamjam expugnaturus, glorioſè occubuit Anno 1734. Ipſum item Filium non tàm Regij Sanguinis Splendor, quàm invictum Animi Robur commendabant; eumque immortalis Gloriæ Heroem continuò demonſtrabant ſumma ejus in Rebus bellicis Peritia, atque præclara Facinora, eodem præſertim Anno 1734, in famigerato Prælio *Bitonti* propè *Barium*, & in Expugnatione, Quatuor Dierum Spatio, *Gaetæ*, in Regno *Neapolitano*. Eum probè novi *Romæ*, & *Neapoli*, ubi Legatus exiſtens extraordinarius, ut vocant, à *Philippo* V, Rege *Hiſpaniarum*, ad Filium ſuum *Carolum* III *Borbonium*, *Utriuſque Siciliæ* Regem, piè obijt Anno 1738, tribus poſt ſe relictis Filijs, unâque Filiâ, Duci *Mirandulano* nuptâ.

(*s*) Cap. ix. §. i. Num. xi.

(*t*) Cap. præced. Num. xv. Pag. 66.

(*u*) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xv.

(*w*) Illud exſcriptum habebis Cap. ix. §. i. Num. viii.

(*x*) Cap. ix. §. i. Num. viii, & xi.

XVIII. Menſe Julij Anno 1495, *Octavianus de Palatio*, Natione *Italus*, Patriâ *Florentinus*, Archiepiſcopus *Armacanus* (*y*), Synodum celebravit (z) Provinciæ ſuæ *Armacanæ* in Eccleſia *S. Petri* apud *Pontanum*, ad quam Synodum perexerunt ſelecti Patres Quatuor Ordinum Mendicantium, Querelam deferentes adversùs nonnullos de Clero Sæculari, qui infringere nitebantur Apoſtolica Privilegia, eis conceſſa, circà liberam Laicorum Sepulturam in ipſorum Eccleſijs, aut Cæmeterijs; atque prætendebant, Fratres Mendicantes teneri, in Caſu Sepulturæ Laicorum, ſolvere Parocho Portionem Canonicam, ſeù *Quartam Funeralem*, ut vocant, de Obventionibus, Fratribus illis à Defuncto, qui apud ipſos Sepulturam elegit, relictis. Synodus autem, Re maturè, ut par erat, diſcuſsâ, decrevit, Fratres Mendicantes cogi non poſſe, directè, vel indirectè, ad tradendam aliquam Canonicam, aut Parochialem Portionem; & Privilegia, ipſis conceſſa, eſſe per totam Provinciam *Armacanam* ſervanda. Hujus Decreti Teſtis omni Exceptione major, ſit primus (*a*) dictæ Provinciæ *Armacanæ* Epiſcopus Suffraganeus, *Midenſis* nempè, *Joannes* inquam *Payn*, Ordinis Prædicatorum Alumnus, qui, ut alibi (*b*) obiter ajebam, erat inſimul *Magiſter Rotulorum*, ſeù Vicecancellarius Regni *Hiberniæ*. Is enim ſequens promulgavit Edictum, quod fideliter tranſcribo ex *Summario* Cauſæ (*c*) inter Parochos Oppidi *Galvienſis* in *Hibernia*, & Fratres Mendicantes ejuſdem Oppidi, vertentis coràm Sacra Congregatione *de Propaganda Fide*, *Romæ* Typis *Zinghi*, & *Monaldi* 1722 impreſſo, quod pro illo, pluribuſque alijs id Genus Documentis, quæ inferiùs (*d*) exſcribam, laudat Archivum Collegij *S. Iſidori* de Urbe Fratrum Minorum *Hibernorum*, ubi Originalia ſummâ Curâ aſſervantur.

“ Omnibus Chriſti Fidelibus, præcipuè &c. Prælatis, ac Curatis Midenſis Diæceſis, &c. Fr. Joannes Ordinis Prædicatorum &c. Epiſcopus &c. ad &c. Notitiam deducimus &c, quod in Concilio Provinciali *Ardmach* celebrato apud *Drochedath* (*e*) MCCCCXCV, venerunt &c. Diſcreti Patres Quatuor Ordinum Mendicantium, gravem Querimoniam in Medium proferentes, videlicèt quod nonnulli Eccleſiarum Curati dictæ Provinciæ Ardmachanæ Privilegia eis conceſſa à Sanctiſſimis Patribus Summis Pontificibus &c. Auſu temerario &c. infringere non verentur. In primis fel. Record. Clemens Papa IV, Sixtus IV, alijque Summi Pontifices, conceſſerunt Fratribus Quatuor Ordinum Mendicantium, Sepulturam in eorum Eccleſijs fore liberam, ut Chriſti Fidelium Devotioni, & extremæ Voluntati eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, niſi Excommunicati, vel Interdicti, vel etiam publici Uſurarij fuerint, nullus obſiſtat. Salvâ tamen Juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus Mortuorum Corpora aſſumuntur &c, ut Fratres ipſi, nullius ſuper hoc petitâ Licentiâ, Parochias, in quibus Corpora prædicta forent, cum Cruce proceſſionaliter ingredi, & Corpora ipſa levare, & ad eorum Eccleſiam ſepelienda deferre poſſint, ubi hoc fieri conſuetum foret, vel Preſbyteri, de Levatione requiſiti, id facere recuſarent. Nec cogantur inviti &c, ipſi, vel defunctorum Conſanguinei, vel Hæredes, illa ad Parochiales Eccleſias, vel alia Loca deferre &c. Ex his, quæ Fratribus prædictis, apud quos tunc Corpora

---

(*y*) Hic per unum alterumve Annum Eccleſiæ *Armacanæ* præfuit quà Vicarius Apoſtolicus, dùm illius Antiſtes eſſet *Edmundus Coneſbury*, deìn per Triginta Tres Annos quà Archiepiſcopus.

(*z*) *Waræus* in *Annalibus* ad Annum 1495.

(*a*) Epiſcopus *Midenſis* primus ſemper eſt Provinciæ *Armacanæ* Suffraganeus, quamquàm enim inter cæteros *Hiberniæ* Epiſcopus eſſet Conſecratione junior, eos nihilominùs Loco præcederet. Miraberis forſan, benigne Lector, cur Diæceſis *Midenſis* in *Lagenia* integrè exiſtens, ad Provinciam ſpectat *Armacanam*, ſeù *Vltoniam*. Verùm ſcias, Tres *Lageniæ* Comitatus, *Midenſem* nempè *Orientalem*, *Midenſem Occidentalem*, & *Longofordienſem*, atque Territorium dictum *Fercalliam* (videſis *Waræum*, de *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. iii, & *Harriſium* Cap. IV) quæ nunc Pars eſt moderni Comitatûs *Regis*, juxtà Comitatum *Midenſem Occidentalem*, olim quintam conſtituiſſe Provinciam Regni (ut Cap. i. Num. x. Pag. 13. ajebam) dictam *Midiam*, ſeù *Mediam*, quia in Medio illius ſitam. Sed Anno 1152, *Joannes Paparo*, S. R. E. Preſbyter Cardinalis *S. Laurentij in Damaſo*, Summi Pontificis *Eugenij* III Legatus, in Synodo Nationali apud *Kennanuſiam*, vulgò *Kells*, (quod eſt *Midiæ Orientalis* Oppidum) celebratâ, quintam hanc Provinciam *Ultoniæ* in ſpiritualibus univit, proìndeque & *Midenſem*, *Clonmacnoiſenſem*, aliàs *Septem Eccleſiarum*, atque *Ardachadenſem* Diæceſes, in tribus recenſitis Comitatibus, & Territorio ſitas. Poſtmodùm verò Tres iſti Comitatus, atquè Territorium, per civilem *Hiberniæ* in Quatuor Provincias Diviſionem, *Lageniæ* adjuncti fuere. Confer Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(*b*) Cap. ii. Num. xiii. De illo plura inſuper dicentur Cap. xiii. Num. xlvii.

(*c*) De iſta Cauſa fuſiùs dicetur Cap. ſeq. à Num. xii.

(*d*) In hoc Cap. à Num. ſeq; Cap. ſeq. Num. xiii, & xiv; & Cap. vi. à Num. ii.

(*e*) Sic vulgò nuncupatur, Latinè autem *Pontana*, ut datâ Operâ dicetur Cap. ix. §. ii. Num. i.

“ ipſa ſepliuntur, de Bonis defunctorum quomodolibet obvenirent quovis univerſali, vel particulari Titulo
“ directè, vel indirectè nullam Canonicam Portionem, aut Parochialem dare tenentur. In reliquis verò
“ Caſibus, quàm præmiſſis, in quibus quarta ipſa ſolvenda veniret, Conventiones, ſi quæ ſint inter Fratres
“ prædictos, & Locorum Ordinarios, ac Eccleſiarum Rectores initæ, laudabiles etiam honeſtè obſerventur
“ in poſterùm &c, dicta Privilegia in omni ſua Forma per totam Provinciam eſſe obſervanda &c. Nos igitur,
“ qui dicto Concilio, dùm ſic, ut præfertur, Acta fuerunt, interfuimus, Vobis omnibus &c. firmiter injun-
“ gendo ſub Pæna Excommunicationis &c. mandamus &c.”

XIX. Deinde cùm ſub Initium Sæculi Eccleſiæ XVI, eadem Lis, jam probè ſopita, ſuſcitaretur Clerum Sæcularem inter, & Fratres Mendicantes per Univerſam fermè *Hiberniam*, illius Deciſionem reliquerunt Partes Arbitrio *Joannis Geraldini* (Anglicè *Fitz-Gerald*) ab *Edmundo* Patre dicti *Fitz-Edmund*, Epiſcopi *Corcagienſis*, & *Clonenſis*, inſimulque Apoſtolici (*f*) Subconſervatoris Privilegiorum, Quatuor Ordinibus Fratrum Mendicantium conceſſorum. Conſervator autem tunc Temporis erat *Maurus*, ſivè *Mauritius Geraldinus*, à *Joanne* Patre dictus quandoque *Fitz-John*, Archiepiſcopus *Caſſelienſis*, ut ex mox apponenda ipſius confirmativa Sententia clarebit. Laudatus porrò Epiſcopus *Joannes* Sententiam tulit Anno 1514, in qua firmatur fuiſſe doctum, & probatum, mediantibus Indultis Pontificijs, Fratres Mendicantes exemptos eſſe à Solutione *Quartæ*, & *Portionis Canonicæ*, quoties aliqui apud eos eligunt Sepulturam, nec poſſe gravari Hæredes Sepultorum, nec ab illis poſſe Parochos, aut Ordinarios petere Veſtes, Arma, aut aliquod aliud Subſidium, aut Debitum. Et ideò in eadem Sententia declaratur, eoſdem Fratres Mendicantes immunes eſſe, & exemptos, atque obſervanda, & exequenda eorum Privilegia, & imponitur Clero Sæculari Silentium ſuper prætenſa Conſecutione *Quartæ*, *Portionis Canonicæ*, aliarumque Oblationum. En ipſiſſima Sententiæ Verba prout in prælibato jacent *Summario*, Num. 8, atque ex memorato Archivo *S. Iſidori* deſumpta.

“ In Die &c. Anno & 1514, ſexto verò Die Menſis Septembris &c. Viſis &c. invenimus &c. ſufficienter
“ fore probatum, & liquidiſſimè doctum, & oſtenſum, quod Minores S. Franciſci omnes, eorumque Mo-
“ naſteria, apud quos quicunque eligunt Sepulturam, ſunt exempti à Solutione cujuſlibet Quartæ, ſeù
“ Portionis Canonicæ, & Portionis Epiſcopalis. Hæredes quoque decedentium, ſepultorum in eorum Mo-
“ naſterijs, nequaquàm poſſunt aggravari &c. Nec ab eis Veſtes, Arma, aut quidquam aliud Subſidij, aut
“ Debiti poterit exigi, aut peti à Parochialibus Eccleſijs, aut Locorum Ordinarijs &c. Idcircò Nos Joannes,
“ Dei Gratiâ Corcagienſis, & Clonenſis Epiſcopus, ac Apoſtolicus Subconſervator, Arbiter quoque ex dic-
“ tarum Partium Conſenſu, & Aſſenſu unanimi, cum Aſſiſtentia, & Conſilio Magiſtri Joannis Lynch,
“ noſtri Officialis, & Aſſeſſoris in hac Cauſa per eaſdem Partes electi, & per Nos deputati &c, per hanc
“ &c. decernimus &c. pro Exiſtentia, Veritate, Rectitudine, Validitate, & non Subreptione dictorum
“ Privilegiorum, juxtà eorum Tenorem, & ſecundùm eorum Vim, Formam, & Effectum, eiſque per
“ Nos, & noſtros Subditos, per noſtras Civitates, & Diæceſes, ubilibet &c. deinceps perpetuò, ac irrevoca-
“ biliter obediendum, & ab omni Vexatione fore ceſſandum, & ipſa Privilegia ad Literam exequimur &c.
“ quoad Quartam Partem, & Portionem Canonicam, Veſtes, & Arma, & ultimum Vale prædicta, perpe-
“ tuum Silentium imponimus &c. Anno Domini 1514, Die verò 29. Menſis Auguſti &c.”

Eodem Anno Sententia præmiſſa plenè confirmata fuit ab Archiepiſcopo *Caſſelienſi* nuper laudato, quà etiam Conſervatore Privilegiorum Quatuor Ordinum Mendicantium in Univerſa *Hibernia*, atque Executioni demandata ſequenti Edicto, eidem Sententiæ ſubnexo, hujus Tenoris:

“ Et Nos D. Maurus &c. Caſſelienſis Archiepiſcopus, & Conſervator Quatuor Ordinum Mendicantium
“ in Regno, ſeù Provincia Hiberniæ &c, omnia, & ſingula in omnibus Ordinum Mendicantium Privilegijs,
“ ac Arbitrio, Decreto, Sententia, & Executione præmiſſorum contenta &c, Executioni Tenore præſentium
“ demandamus &c, mandantes &c omnibus & ſingulis totius Provinciæ &c Ordinarijs Officialibus &c, quatenùs
“ præfatos Ordines &c. Nec Hæredes, Executores prædictos, contrà Tenorem ſuorum Privilegiorum inquietent,
“ neque moleſtent, neque perturbent &c. Prætereà requirimus, & monemus omnes Dominos Temporales,
“ ac Fundatores, & Fundatrices totius Provinciæ Hiberniæ, cum omnibus ſuis Subditis, & præſertìm Co-

“ mitem

(*f*) Quandoque Sedes Apoſtolica *Conſervatores Privilegiorum* Ordinibus Mendicantium conſtituit, quandoque ipſimet Ordines eos eligunt, ut liquet ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* Tom. viii. Pag. 617. Verbo *Conſervatores*. In ſingulis autem Comitijs Provincialibus *Hiberniæ Dominicanæ*, Quatuor *Conſervatores Privilegiorum* pro Quatuor Regni Partibus eliguntur.

(*g*) Olim in *Momonia* erat Comitatus *Deſmoniæ*, ſed extinctus fuit Anno 1583, & incorporatus partim Comitatui *Corcagienſi*, partim *Kerrienſi*, ut Cap. i. Num. x. Pag. 14. obſervabam. Adeas Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit c.

(*h*) In Agro *Waterfordienſi*.

“ mitem Deſmoniæ (*g*) Cormacum &c, quatenùs præfatos Ordines, & Conventus in pacifica Poſſeſſione Privilegiorum ſuorum defendant &c. Datum in Villa de Dungarvan (*h*) Anno Domini, ut ſuprà &c.”

Intuitu autem ejuſdem Sententiæ, atque Executorij Decreti, *Mauritus Geraldinus*, Comes *Deſmoniæ*, inibi recenſitus, inter potentiores *Hiberniæ* Proceres, & Toparchas, ſequens promulgavit Mandatum, Anno inſequenti 1515.

“ Nos Mauritius Comes Deſmoniæ, Fundator &c. Fratrum Minorum B. Franciſci &c. ac Fundator, & Patronus Eccleſiæ Parochialis de Dungarvan, Liſmorenſis Diœceſis, invocati in Auxilium &c, præcipimus, & mandamus &c, quod ijſdem Privilegijs Fratrum Minorum prædictis, in omnibus, & per omnia, ſine aliqua Recalcitratione circà Portionem Canonicam, indifferenter, & ſine Delatu obediant, ſecundùm quod &c, Epiſcopus Corcagienſis, & Clonenſis &c, circà Solutionem Canonicæ Portionis, & Quartæ Parochialis &c, definivit &c, & de Jure Sententiam in Scriptis redegit, ejus Terror eſt talis videlicet &c, Anno Domini 1515, in Feſto S. Jacobi Apoſtoli &c.”

Prælibatus autem *Mauritius* Comes, ut obiter dicam, obijt Anno 1520 apud *Traleiam* in Agro *Kerrienſi*, in Eccleſia Fratrum Prædicatorum ejuſdem Oppidi, à Progenitoribus ſuis fundatâ (*i*), tumulatus, ut refert *Lodgæus* (*k*).

XX. Porro ut quiſquis Lector Diſſidium hoc, de quo iterùm iterumque (*l*), redibit Sermo, probè intelligat, non abs Re, ſed planè opportunum erit, id ab Ovo, ut ajunt, paucis ediſſere. Præmoneatur igitur oportet imprimis, quod licèt priſcis Temporibus Eccleſia Parochialis, ejuſve Cæmeterium, uſitatus fuerit Locus Sepulturæ Laicorum, ità ut, inter Jura honorifica, Patrono competeret, in Eccleſia, etiam in Choro, ſepeliri, ut obſervat *Vaneſpen* (*m*); nihilominùs, ſi defunctus Sepulchrum haberet Majorum, in eo potiùs quàm in Parochia ſepeliendum eſſe declaravit S. Leo III (*n*), idque Exemplo petito à Patriarchis in Veteri Teſtamento, qui in Sepulchro *Majorum* ſepeliri geſtiebant. Hinc in Scriptura Sacra frequenter occurrit hæc Phraſis: *Sepultus*, ſeù *appoſitus eſt ad PATRES ſuos.*

Cæterum cuicumque Sepulchro, ſivè *Majorum*, ſivè Parochiali, de Jure, & Conſuetudine præfertur Sepulchrum à defuncto electum, ſubjungit quippè Sanctus Pontifex: “ Nulli tamen negamus propriam eligere Sepulturam, & etiam alienam. Dominus enim, & Magiſter alienam elegit ut propriam. Quia, *inquit Gloſſographus ibidem*, natus in Betheleem, nutritrus in Nazareth, Sepultus fuit in Hieruſalem in Sepulchro Joſeph. “ Succinit *Bonifacius* VIII (*o*) dicens:” Si quis, antiquâ dimiſſâ, novam in Loco minùs religioſo elegerit Sepulturam, Electionem hujuſmodi nequaquàm volumus impugnari.” Idque à fortiori ſi eligatur Eccleſia, Cæmeteriumve Religioſorum, ubi ſepeliri prodeſt; *Genuenſi* enim Archiepiſcopo deſuper interroganti, reſpondet *Innocentius* III (*p*) his Verbis: “ Fraternitatem tuam non credimus ignorare, Mortuorum Sepulchra, & Cæmeteria apud illas Eccleſias, & Monaſteria, ex antiquo eſſe diſpoſita, in quibus RELIGIOSORUM FRATRUM CONVENTUS ſunt conſtituti, & Orationes, atque Miſſarum Solemnia, tàm pro vivis, quam pro defunctis, frequentiùs celebrantur. Undè ipſorum Devotioni, & extremæ Voluntati, qui apud hujuſmodi Eccleſias ſepeliri deſiderant, minimè contradicendum eſt.”

Quinimmo adeo libera (*q*) eſt Electio Sepulturæ in quocunque Loco honeſto, Jus Sepulturæ habente, ut nec Subjectio Uxoris Reſpectu Mariti impediat, quominùs Uxor, etiam vivente Marito, ſibi poſſit eligere Sepulturam, declarante *Lucio* III (*r*), quod ſicut Vir ità & Uxor poteſt ſibi eligere Sepulturam, quia in hoc ſunt pares. Cujus præclaram aſſignat Rationem, *cùm Electio iſta* (inquit) *ad eum potiùs Statum pertineat, in quo Mulier ſolvitur à Lege Viri.* Si autem Mulier non elegerit Sepulturam, in Sepulchro Mariti ſepelienda erit, & quidem ſi plures habuerit ſucceſſivè Viros, *eſt cum Viro ultimo cujus Domicilium retinet, & Honorem, tumulanda,* ut ſanxit *Bonifacius* VIII, mox laudatus.

Et

(*i*) Conſulendum Cap. iii. Num. x. & Cap. ix. §. x.

(*k*) Tom. i. Pag. 15.

(*l*) Cap. ſeq. à Num. xii. ac Cap. vi. à Num. ii.

(*m*) Part. ii. Tit. xxv. Cap. vii. Num. xxxv; & Tit. xxxviii, Cap. ii, Num. xlvi.

(*n*) Cap. *Non inſtituta*, Tit. *De Sepulturis.*

(*o*) Cap. *Cum quis*, Tit. *De Sepulturis, in* 6.

(*p*) Cap. *Fraternitatem*, Tit. *De Sepulturis.*

(*q*) Conſulendus Num. xiii, Cap. ſequentis, ubi impedientes liberam Sepulturæ Electionem, excommunicantur.

(*r*) Cap. *De Uxore*, Tit. *De Sepulturis.*

Et adverte, quod ex *Sixti* IV Conſtitutione=*Regimini*=& Conſtitutione=*Sacri Prædicatorum*=(*s*), qui cum Habitu Ordinis Fratrum Prædicatorum ſepeliri petunt, in ejuſdem Ordinis Eccleſijs ſepeliendi ſunt, niſi alibi Sepulturam elegerint. Id cæteris etiam Ordinibus conceſſum, ut videre eſt apud *Paſſerinum* (*t*), qui docet (*u*), quod Contradictores, ne hujuſmodi ſepeliantur apud Regulares, ſunt excommunicati (*w*). Addit (x), quod his, qui ſepeliuntur in Habitu Religioſo, Indulgentiæ conceſſæ ſunt. Illis inſuper, qui apud Eccleſias Fratrum Mendicantium eligunt Sepulturam, plures eſſe conceſſas Indulgentias, oſtendit *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*y*).

XXI. Verum, ut ad Rem veniamus, tametſi deceat, in Sepulchro Majorum, atque proſit in Eccleſia, aut Cæmeterio Religioſorum ſepeliri, nihiloſeciùs nonnulli Summi Pontifices prælibati voluere, Eccleſiæ Cathedrali, aut Parochiali, ſolvendam eſſe aliquam Funeralium Portionem, quam quia variæ Decretales variam innuebant, idcircò Opus fuit interrogare *Clementem* III, quomodò, poſitâ hac Varietate, Clauſula iſta, in Privilegijs apponi ſolita=*Salvâ Juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus Mortuorum Corpora aſſumuntur*=intelligenda ſit. Cui Quæſito reſpondet Pontifex (z): *Cum ſuper hoc Articulo diverſa Anteceſſorum noſtrorum manaverint Inſtituta*; Leone *Juſtitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam*; & Urbano *quartam fore cenſentibus: Nos tale præbemus in hac Varietate Reſponſum, ut ſicut* B. Hieronymus *inquit unaquæque Provincia in ſuo Senſu abundet, ſecnndùm rationabilem Conſuetudinem Regionis, illa Juſtitia circa Medietatem, vel tertiam, aut quartam Partem pro Locorum Diverſitatibus attendatur.*

Sed licèt juxtà Regionum Conſuetudinem hac Portio poſſit eſſe major vel minor, quàm quarta, nihilominùs ſicut Portio Fructuum, quæ Eccleſiæ penditur, ſemper dicitur *decima*, tametſi non ſemper decimam Fructuum Portionem conficiat, ità quoque Portio, quæ debetur Eccleſiæ Parochiali Ratione Sepulturæ in alia Eccleſia, licèt non ſemper ſit quarta Portio Funeralium, nihilominùs retinet Nomen *Quartæ funerariæ*, ſeù *funeralis*. Paſsìm etiam in Summorum Pontificum Decretalibus vocatur *Portio canonica*, eo quod à Canonibus inducta ſit.

XXII. De *Quarta funerali* extat Decretum Concilij *Tridentini* (*a*) in hæc Verba: *Decernit Sancta Synodus, ut quibuſcunque in Locis jam antè Annos Quadraginta, Quarta, quæ Funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſteà fuerit, ex quocunque Privilegio, alijs Monaſterijs, Hoſpitalibus, aut quibuſcunque Locis pijs conceſſa, eadem poſthac integro Jure, & eâdem Portione, quæ antè ſolebat, Cathedrali, ſeù Parochiali Eccleſiæ perſolvatur: Non obſtantibus Conceſſionibus, Gratijs, Privilegijs, etiam Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuſcunque.* Quæ Concilij Verba quomodò intelligenda ſint declarat *S. Pius* V in Conſtitutionibus: *Etſi Mendicantium*; Et: *Ad hoc Nos Deus*, in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*b*) legendis. Audiendus etiam hac de Re *Paſſerinus* (*c*) oſtendens, *Tridentinum* non loqui de *Portione Epiſcopali*, cùm Regulares ab ea immunes ſint Jure communi, quo ſunt exempti à Juriſdictione Epiſcoporum. Nec etiam loqui de *Quarta Parochiali*, quæ dicitur *Legatorum*, quia, niſi legitima obſtet Conſuetudo, ab iſtâ *Quartâ Legatorum* ſolvendâ Regulares immunes ſunt Vi Privilegiorum, quæ nec abrogata, nec moderata, fuerant à Concilio. Sed loqui de *Quarta Funeralium* duntaxàt, de qua tria decernit. *Primò*, quod ad illam ſolvere teneantur Eccleſiæ, & Monaſteria, quæ Quadraginta Annos antè Concilium ſolita erant eadem ſolvere, nullo in contrarium obſtante Privilegio. *Secundò*, quod illam ſolvere non teneantur Eccleſiæ, & Monaſteria, quæ per Quadraginta Annos antè Concilium ad illam ſolvendam non tenebantur. *Tertiò*, quod Monaſteria de novo ædificata intrà Quadraginta Annos antè Concilium, & quocunque Tempore poſt Concilium, ad eam ſolvendam non teneantur. *Quæ Paſſerini Doctrina firmari poteſt Verbis Concilij, Declarationibus* S. Pij

---

(*s*) Iſtas Conſtitutiones legere eſt in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iii. Pag. 518, & 579.

(*t*) *De Statibus*, Tom. ii. Quæſt. clxxxvii. Art. iv. à Num. 198 ad 312; & apud *Bullarium Ordin. Præd.* Tom. viii. Pag. 371. Num. xxxvi.

(*u*) Num. 205.

(*w*) Adeas Num. xiii. Cap. ſeq.

(*x*) Num. 207.

(*y*) Tom. viii. Pag. 270. Num. xxxv.

(*z*) Cap. *Certificari*, Tit. *De Sepulturis*.

(*a*) Seſſ. 25. Cap. 13. *De Reformatione*.

(*b*) Tom. v. Pag. 160, & 291.

(*c*) Loco nuper laudato, à Num. 663, ad 669, & apud *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. viii. Pag. 379. Num. xii.

V, *Decretis S. Congregationis, ſuprà laudatis, alijſque, quorum ibidem meminit idem Auctor*, inquit Reverendiſſimus Noſter *Bremond* in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*d*).

NOTANDUM porrò, quod *Honorius* III in Conſtitutione: *Ex Parte*, (*e*) dudùm cavabet, ne quis morientes compellat ad relinquendam Eccleſijs Tertiam, vel Quartam Partem Bonorum. Notandum etiam, *Quartam Funeralem*, ſi ſolvenda ſit, detrahendam non eſſe de omnibus Obventionibus, Domui Regularium à defuncto, qui apud ipſos Sepulturam elegerat, relictis, ſed duntaxàt *de Ceris, & alijs, quæ deferuntur juxtà Cadaver, dum ad Sepulturam defertur, non autem de alijs quibuſvis, etiam pro Funeris, ſivè Anniverſarij, ſivè Miſſarum Celebratione, donatis, legatis, ſivè aliàs quomodolibet largitis*, ut diſertis Verbis declaravit *S. Pius* V in Conſtitutione: *Ad hoc Nos Deus*, mox laudatâ.

XXIII. Ex his breviter libatis nullo Negotio concludet candidus Lector, Regulares *Hiberniæ* à Solutione *Quartæ funeralis* omninò exemptos eſſe. Voluere ſiquidem *Tridentini* Patres, ut *Bonifacij* VIII, *Clementis* V, &c, Decretales in illis duntaxàt obligarent Locis, in quibus *Quartæ funeralis* perſolvendæ Conſuetudo viguerat *antè Annos Quadraginta*, computandos utique à Die 1, Maij 1564, quo Concilium *Tridentinum* omnes obligare incepit, ut decrevit *S. Pius* V in Conſtitutione: *Licèt ad Sacrorum*, XV. Kalendas Auguſti 1564 datâ (*f*). At quod in *Hibernia* talis non viguerit Conſuetudo antè Annum 1524 Luce meridianâ clariùs patet ex nuper (*g*) recenſita Synodo Provinciali *Armacana*, Epiſcopi *Midenſis* Edicto Anno 1494, atque Epiſcopi *Corcagienſis*, ac *Clonenſis* Sententiâ, & Archipræſulis *Caſſelienſis*, quâ Conſervatoris Quatuor Ordinum Mendicantium in Univerſa *Hibernia*, Confirmatione. Id ulteriùs conſtabit ex infrà dicendis (*h*), magiſque clarebit ex ſpeciali *S. Pij* Conſtitutione, pro Fratribus Prædicatoribus *Hibernis* emanatâ Anno 1567, non longè abhinc exſcribendâ (*i*).

CAPUT QUINTUM.

De Quarto *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo (ab Anno nimirùm 1524 ad 1624) in quo facta fuit iterata ejus in Provinciam Ordinis Erectio.

SUMMARIUM.

I. Hibernia Dominicana *ex Congregatione reformata Vitæ Regularis iteratò conſtituta fuit Provincia Ordinis à* Paulo *Papa* III, *Anno* 1536. *Neque quid novum hoc, alia quippè extant Exempla.*

II. *Acceptata fuit hæc ſecunda Provinciæ* Hiberniæ *Inſtitutio tàm à Magiſtro Ordinis, quàm à Comitijs Generalibus. Id claret vel ex ipſo Conſtitutionum Textu.*

III. *Etſi aliæ Ordinis Provinciæ, nominatìm* Anglia, & Scotia, *ob regnantem in eis* Hæreſim, *extinctæ fuerint, nunquâm tamen* Hibernia, *quæ Fidei Catholicæ, atque Vitæ Regularis tenax permanſit ſub Regibus Heterodoxis* Henrico VIII, *ejuſve Filijs* Eduardo VI, & Elizabethâ. *Id pluribus evincitur Momentis.*

IV. *Sub idem Tempus ſpecialis Dei Providentia Quinque in Novo Orbe ſuſcitavìt Ordinis Provincias, quarum prima Locum præripuit* Hiberniæ. *Hæc tamen reliquas Quatuor Antiquitatis Jure antecedit.*

V. *Creſcente ſenſim Provinciarum Numero, earum Catalogum exhibuit Liber Conſtitutionum. Catalogus iſte, ad noſtra uſque Tempora perductus, exſcribitur, Notis nonnullis, ad pleniorem illius Intelligentiam, atque Ornatum, ſparſim additis.*

VI. *Duabus ſatisfit Difficultatibus circà Provinciarum Coordinationem, in Catalogo delineatam.*

VII. *Haùd parùm hallucinatur Magiſter* Vincentius Fontana, *Vir alioquin eruditiſſimus, de Tempore Erectionis* Hiberniæ Dominicanæ *in Provinciam diſſerens.*

VIII. *Immò pugnantia ſcribit.*

IX. Hibernia Dominicana *Provinciales habuit longè antè Annum* 1622.

X. *Objectioni* Fontanæ *ſatisfit.*

XI. *Eadem de Re.*

XII. *Jan*

(*d*) Tom. viii. Pag. 379. Num. xii.

(*e*) Legendâ in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vii. P. 5.

(*f*) Conſulendus Rmus *Bremond* in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. viii. Pag. 379, & videſis inferiùs adducenda Cap. vi. Num. vii.

(*g*) A Num. xviii. hujus Capitis, Pag. 86.

(*h*) Cap. ſeq. à Num. xii; & Cap. vi. à Num. ii

(*i*) Cap. ſeq. Num. xiv.

XII. *Jam ſopitæ excitantur Contentiones, & vehementiores quidem, Clerum Sæcularem inter, & Regularem* Hiberniæ, *circà Privilegia, Religioſis à S. Sede conceſſa, ſignanter de Sepultura Laicorum.*

XIII. *Dudum contrâ Sepulturarum Invaſionem* Bonifacius VIII *rigoroſam edidit Decretalem, quam innovavit* Clemens V, *Pænaſque auxit.*

XIV. S. Pius V, *de Injurijs, quas eà in Re paſſi ſunt Fratres Prædicatores* Hiberniæ, *informatus, ſpecialem expediri curavit Conſtitutionem, opportunum adhibentem Remedium, eoſque ampliſſimis Privilegijs ornantem.*

XV. *Novem Dominicani cum Quadraginta Monachis in* Odium *Fidei Catholicæ ſubmerſi Anno* 1602.

XVI. *Refertur Initium Fundationis Collegij Extranationalis* Ulyſſiponenſis *in* Luſitania, *Anno* 1615. *Nonnihil obiter de Extranationali quoque Monaſterio Monialium in* Bethlehemitico *Suburbio juxtà* Ulyſſiponem *Anno* 1639 *fundato.*

XVII. *Nonnulla pro* Provincia Hiberniæ *in Comitijs Generalibus* Mediolanenſibus, *Anno* 1622 *celebratis, conceſſa recenſentur.*

I. LIQUET ex jam dictis (*a*), *Hiberniam Dominicanam* (tribus Annis poſt *Scociam*) erectam fuiſſe in peculiarem Ordinis Provinciam Anno 1484; tuncque extitiſſe intrà *Hiberniæ* Inſulam Triginta Sex Conventus, quibus Tres alij, *Buriſulenſis* nempè Anno 1586, & *Galvienſis*, ac *Clonymibanenſis*, Anno 1488, fundati, ſtatìm acceſſerunt. Liquet etiam ex poſtmodùm dictis (*b*), Reformationem Conventuum in eadem *Hiberniæ* Inſula talem, ac tantum ſenſim feciſſe Progreſſum, ut ex ijs Vitæ Regularis Congregatio coaluerit, à Comitijs Generalibus *Romæ* 1518 acceptata, & approbata. Neque quid novi fuit hoc in Ordine Prædicatorum, ſiquidem, ut nuper (*c*) oſtenſum eſt, idem omninò accidit in Provincia *Romana*, cujus plurimi Conventus in reformatam coaluere Congregationem. Haud diſſimile etiam videre erat hocce elebante Sæculo. Memini quippè *Romæ* exiſtens, duas Regni *Neapolitani* Congregationes, *S. Mariæ Sanitatis* nimirùm, & *S. Marci Gavotorum*, unitas fuiſſe in unam novam Provinciam, ſub Nomine *Provinciæ Sanitatis*, & tamen vidi poſteà *Neapoli* eandem Provinciam in duas Congregationes, ut priùs, diviſam, cujus utrumque Statum exhibet *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*d*). Et quis ſcire poterit, unam vel alteram ex Congregationibus iſtis, aut fortè utramque, iterùm erigendam haud fore in Provinciam?

SED quidquid ſit de hoc, reapsè Conventus Provinciæ *Romanæ*, qui in reformatam coierunt Congregationem, denuò in Provinciam *Romanam* redacti ſunt, ut non ità pridem (*e*) obſervabam. Sic pariformiter *Hibernia Dominicana*, quæ priús fuerat Provincia, dein Congregatio, iterùm in Provinciæ Statum tranſijt, & quidem Auctoritate Apoſtolicâ *Pauli* III, Anno 1536. Deſideratur ſanè, ut candidè fatear, etiam in *Bullario Ordinis*, nuperis Annis edito, Pontificium ea de Re Diploma, indè proveniens, ut reor, quia ab Heterodoxis jamdudùm deſtructa ſunt cum Cænobijs omnibus ſingula Archiva (*f*). Nihilominùs de eo locupletiſſimum habemus Teſtimonium Capituli *Romani*, Anno 1558, Rmi P. *Vincentij Juſtiniani*, Chienſis, XLVII Magiſtri Ordinis electivi, ubi Confirmatione 14 (*g*) hæc habentur: "Confirmamus Determinationem factam "circà Ordinem Provinciarum, hoc addito, quod reſtituimus Provinciæ *Dalmatiæ* Locum ſibi in "præcedenti Capitulo præreptum à Provincia *Trinacriæ*, & recenſemus Provinciam *Hiberniæ*, "Anno 1536 à *Paulo* Papa III ſeparatam, & erectam, & à Magiſtro Ordinis acceptatam, damuſ"que ei Locum inter cæteras."

II. HINC pellucidè conſtat, *Hiberniam Dominicanam* nedùm ſeparatam fuiſſe per *Paulum* III à Provincia *Anglicana*, quantùm ſcilicet ad Cænobia intrâ *Palum Anglicanum* conſtituta (ut enim ſuperiùs (*b*) ajebam, pertinere ampliùs non poterant ad Provinciam *Angliæ*, eâ Tempeſtate extinctam) ſed inſuper erectam iterùm in peculiarem Ordinis Provinciam, atque ulteriùs acceptatam fuiſſe à Magiſtro Ordinis, qui tunc (Anno 1536) erat Rmus P. *Joannes de Fenario*, Gallus, XLII Generalis, ac denuò à prælibatis Comitijs Generalibus *Romæ* 1558, laudati *Vincentij Juſtiniani*, Græci, è Regulis *Chienſibus*, XLVII Magiſtri Ordinis (poſtmodùm S. R. E. Cardinalis) electivis, dantibus ei *Locum inter cæteras Provincias.*

(*a*) Cap. ſuperiori, Nnm. vi. Pag. 73.
(*b*) Num. xiv. Pag. 80.
(*c*) Num. xi. Cap. præced. Pag. 78.
(*d*) Tom. vi. Pag. 561, & 742.
(*e*) Num. xi. & xiv. Cap. præced. Pag. 78, & 80.
(*f*) Conſulendus Nnm. xiv hnjus Capitis, ad Lit. s.
(*g*) Apud *Fontanam*, Part. ii. *Cap. Gen.* Pag. 210.
(*b*) Num. xiv. Cap. præced. Pag. 80.

Verum adhuc ſolemnior Acceptatio *Hiberniæ* in Provinciam perſpicuè apparere videtur ex *Conſtitutionum Ordinis Fratrum Prædicatorum* textuali Parte, ad quam, ſeù ad Conſtitutionem quampiam ſtabiliendam, Tria requiruntur Capitula Generalia ſibi immediatè ſuccedentia, ut in earundem Prologo, Textu VII, cautum eſt. Enimverò Diſt. II. Cap. XIV. *De Electione Magiſtri Ordinis*, Textu I, diſertè recenſetur *Hibernia* inter Provincias Ordinis, ad Electionem Magiſtri Ordinis convocandas. En ipſamet *Textûs* Verba (*i*) : “ Statuimus, ut ſi antè Feſtum S. “ Michaelis, vel in ipſo Feſto, Magiſtrum Ordinis mori, vel amoveri contigerit ; Prior Conventualis, “ vel Provincialis, qui propinquior illi Loco extiterit, ubi Magiſter deceſſerit, Pariſienſi, vel “ Bononienſi Conventui, ſibi videlicèt propinquiori, cum Feſtinatione denunciet. Alteruter autem “ iſtorum duorum Conventuum, cui primò denunciatum fuerit, teneatur ſimiliter reliquis “ nunciare. Pariſienſis Conventus, Provincialibus Hiſpaniæ, Provinciæ Toloſanæ, Angliæ, Scotiæ, “ Teutoniæ, Daciæ, Aragoniæ, Provinciæ Provinciæ, Portugalliæ, Bethicæ, & Germaniæ “ Inferioris, S. Crucis (*k*), HIBERNIÆ, S. Joannis Baptiſtæ (*l*), S. Jacobi (*m*), S. Vincentij “ (*n*), & S. Antonini (*o*) ; Bononienſis verò, Hungariæ, Romanæ Provinciæ, Regni Siciliæ, “ Poloniæ, Terræ Sanctæ, Græciæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Lombardiæ, Saxoniæ, Trinacriæ, S. “ Thomæ (*p*), & Calabriæ, teneantur quantociùs intimare. Si verò poſt dictum Feſtum “ deceſſerit, vel amotus fuerit, ipſius Obitus, vel Amotio nihilominùs nuncietur, ut ſuperſedeatur illo “ Anno à Capitulo Generali.” Deindè *Textu* III loquens item de Electione Magiſtri Ordinis faciendâ, proſequitur : “ Priores autem Provinciales Triginta Unius Prouinciarum, ſinguli cum “ Duobus Fratribus, in Capitulo Provinciali electis à pluribus Medietate omnium Eligentium, ad “ Capitulum veniant Generale.” *Hiberniam* autem unam eſſe ex Provincijs illis allatis prior *Textus* demonſtrat.

III. Porrò tametſi in poſteriori *Textu* Mentio fiat de *Triginta Una Provincijs*, quæ ſigillatìm recenſentur in priori, nihilominùs in earum nonnullis interijt paulò poſt Religio propter enatas in eìs Hæreſes, ut in *Hungaria*, *Anglia*, *Dacia*, *Græcia*, *Terra Sancta*, *Saxonia*, & *Scotia*, quæ ſubindè deſolatæ, ſeù extinctæ evaſerunt Provinciæ, & nonniſi merè Titulares, ut ſuperiùs explicatum eſt (*q*). Id ſignanter de *Anglia* patet ex *Chronico Magiſtrorum Generalium* (*r*), ubi legitur, Provincialem *Angliæ* in Comitijs Generalibus *Salmanticæ* 1551 ſub Rmo *P. Franciſco Romæo*, Reatino Caſtilionenſi (*s*), XLV Magiſtro Ordinis celebratis fuiſſe *P. Angelum Bettinum*, Florentinum, unum ex ejuſdem Magiſtri Generalis Socijs. Verba *Chronici* ſunt : “ Celebravit “ *(Franciſcus* Generalis *Romæus)* Capitulum Generale apud Salmanticam Anno 1551, ubi Auctoritate “ Summi Pontificis decreta eſt Reformatio Breviarij, in quo aliqua expuncta, addita multa, “ caſtigata ſunt omnia, præſertim in Lectionibus Sanctorum, in quibus incerta, dubia, & apocripha “ quædam dicebantur ineſſe : Hocque Onus injunctum eſt R. P. Fr. Angelo Bettino, Florentino, “ in Magiſtri Generalis Societate, PROVINCIALI ANGLIÆ, qui, ut Vir erat ingentis “ Induſtriæ, præſtitit egregiè quod ab uno Homine in hac Re poterat expectari.” Idemque *Chronicon* (*t*) refert, *Vincentium Juſtinianum*, nuper laudatum (*u*), dùm in Mrgiſtrum Ordinis eligeretur Anno 1558, fuiſſe Provincialem *Angliæ*, Titularem utique, ceù in Urbe reſidentem : “ Regebat (inquit) intereà Ordinem noſtrum, poſt Obitum Magiſtri Stephani Uſuſmaris “ *(Jannenſis,* XLVI *Generalis)* Fr. Petrus Martyr de Lugano, quem Summus Pontifex Paulus IV, ob “ eximiam de illius Prudentia, Religione, & Sanctitate Opinionem, Ordini Vicarium præfecerat, “ ſibique in Confeſſarium delegerat ; & in Palatio Apoſtolico commorantem de ſuo Penu alebat. “ Utque utrique Operi poſſet ſufficere, Fr. Vincentium Juſtinianum, PROVINCIALEM “ ANGLIÆ, Rerum, Perſonarum, & Statûs Ordinis apprimè gnarum, ei dedit Adjutorem. Sed “ hic

---

(*i*) Pag. mihi 221.

(*k*) *Indiarum.*

(*l*) *Peruanæ.*

(*m*) *Mexicanæ.*

(*n*) *Chiappenſis.*

(*o*) *Novi Regni Granatenſis.* QuasQuinque *Americæ* Provincias in Catalogo videbis citò, Num. v.

(*p*) *Apuliæ.*

(*q*) Cap. præced. Num. xiv. Pag. 80.

(*r*) Cap. xvii. Pag. 96.

(*s*) In *Etruria*, ſeù *Tuſcia.*

(*t*) Cap. xviii. Pag. 110.

(*u*) Duobus Numeris Superioribus, Pag. 91.

“ hic Vincentius in Capitulo Generali Romano, ad Feſtum Pentecoſtes Anni 1558 celebrato, om“ nium Conſenſu, primo Suffragio Magiſter Ordinis XLVII electus eſt.”

Hinc factum eſt, ut *Innocentius* Papa X Rmo *P. Thomæ Turco*, Cremonenſi, LVI Magiſtro Ordinis, Facultatem firmans, Anno 1648, inſigniendi, nullâ præcedente Electione, duos è Socijs ſuis Titulo *Provincialis*, diſertè exprimit *Angliam*, aut quamvis *alteram*, *Malitià Temporum deſolatam Provinciam ipſius Ordinis, idque juxtâ ANTIQUAM, & approbatam, ac in ipſo Ordine DIUTIUS obſervatam Conſuetudinem*, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt *(w)*. Verùm *Hibernia*, ſpeciali Dei Gratiâ, in Medio Flammarum atrocis Belli, & feralis Perſecutionis, ſub *Henrico* VIII, ipſiuſque Filijs *Eduardo* VI, & *Elizabethâ*, Apoſtolicæ Sedi indivulſè, ut par erat, atque ſuo More, adhærens, etſi multùm paſſa fuerit *(x)*, in Fide Catholica firmiter permanſit, necnon Eccleſiaſticam Diſciplinam, ac Regularem Vitam ſartam tectam ſervavit; iterùmque, ſub *Carolo* I, floruit, ut conſtabit ex alibi dicendis *(y)*, ubi Sermo erit de Statu Catholicorum *Hiberniæ* ab Anno 1642, quo Conventus eorum Generalis habitus fuit *Kilkenniæ*, ob exortam *Calviniſtarum* Rebellionem in memoratum Regem. Cujus etiam Veritatis Teſtes, omni Exceptione majores, partìm quidem coævi, partìmque ſuppares, ſunt Rmus Magiſter Ordinis LVII, *P. Joannes Baptiſta de Marinis*, Januenſis, alijque Patres Capituli Generalis *Romæ* 1656, diſertis Verbis aſſerentes (*x*), ad Annum 1646 fuiſſe *in Quadraginta Tribus Conventibus, quos in hac Inſula poſſedit Ordo, Fratres plus minus Sexcentos.* Idipſum etiam Luce meridianâ clarius patet ex Actis Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644, ubi (*a*) Quinque erigit Univerſitates, ſeù Studia Generalia, pro Quinque Regni Partibus, quod ſanè haud præſtaſſet niſi in Provincia hac Religio magnoperè floruiſſet. Quæ omnia veluti præmaturè obiterque refero, ut tibi, benigne Lector, etiam hìc Loci, innoteſcat, *Hiberniam Dominicanam* nunquàm annumeratam fuiſſe inter extinctas, ſeù *Titulares* Provincias. Quinimmò dùm circà Medium Sæculi Eccleſiæ XVII, *Cromuelliana* Tyrannide *(b)* exulare cæperit, à laudato Capitulo Generali 1656 cautum eſt *(c)*, *ut retineat Nomen, Locum, Jus, Formamque Provinciæ, ità ut NULLA RATIONE EXTINCTIS PROVINCIJS ſit connumeranda.* Quod Privilegium, tanquàm Præmium pro ſua in vera Fide Conſtantia, proculdubiò accepit. Quemadmodúm eadem de Cauſa in peculiarem Ordinis Provinciam ſecundò erecta fuit, dùm Religio in *Anglia* defloreret, ut ſuperius *(d)*, jam anteà advertebam.

IV. Impræsentiarum autem non abs Re erit ad idem regredi Tempus, atque per Tranſennam obſervare, quod dùm in recenſitis Regnis Provinciæ Ordinis extinguerentur, aliæ, Providentiâ Dei ſpeciali, in Novo Orbe, *Americâ* ſcilicet, erectæ ſunt. Rem graphicè exprimit *Chronicon Magiſtrorum Generalium (e)*, ubi, paucis de *Luthero* Hæreſiarchâ præmiſſis, hæc habentur; “ Indè “ Proceſſu Temporis, Hæreſûm, & Dogmatûm tanta Lues, Hæreticorum, & Dogmatizantium “ tanta Colluvies, & in tot ſciſſa Capita ſubſecuta eſt, ac in tot Partes unica Chriſti Tunica ſciſſa, “ & lacerata, tantùmque profecit Impietas, ut in quibuſdam Partibus eliſa, funditùſque ſit evêrſa “ Religio. Ex Ordine noſtro conjecturamur cæteros. Nam in Anglia, Dacia, Scotia, Hungaria, “ Saxonia *(f)* penitùs interijt, vix conſervatur in Bohemia, Polonia, Teutonia in Provincia, & In“ feriore Germania, laborabat in Toloſana, & Francia, interijt in Græcia, & Terra Sancta; in Pro“ vincijs Italiæ, & Hiſpaniarum necdùm plenè reſtituta ſanctioris Vitæ Diſciplina. In Tridentino “ Concilio, quod Anno 1564 clauſum fuit, Ordo noſter præ alijs pollere viſus eſt, ut ſuo Loco “ fuſiùs. Verumenimverò, qnemadmodum in naturalibus evenit, ut unius Corruptio ſit alterius “ Generatio, & juxtà Paulum, fractis per Infidelitatem Judaicis Ramis, inſertæ ſunt Gentes, Ra“ dicîſque, & Pinguedinis Olearum Sociæ factæ; ità Caſus quarundam Provinciarum, novarum

“ fuit

(w) Tom. vi. Pag. 156; & Tom. viii. Pag. 200.

(x) Videſis Cap. xvii. à Num. i.

(y) Cap. ſeq. Num. xi. & Cap. xvii. à Num. xliii.

(z) Tit. *Fratres & Sorores, qui pretioſâ in Conſpectu Domini morte obierunt*, §. *In Provincia Hiberniæ*, Pag. 148, cnjus integra verra exſcribentur Cap. ix. §. xxv. Nnm. ii.

(a) Tit. *Conceſſiones*, § *Pro Provincia Hiberniæ*, *Num*. 7. *Pag*. 68, cnjus reliquà Verta habetis Cap bi. Num. x. Sect. 7.

(*b*) Adeas Cap. xvii. à Num. xcix.

(*c*) Loco mox citato, cujus integrum Tenorem exſcribam Cap. vi. Nnm. xiv.

(d) Cap. præced. Num. xiv. Pag. 80.

(e) Cap. xv. Pag. 85.

(f) Vides haud nominari *Hiberniam*, & quidem optimo Jute, utpotè Religione florentem.

“ fuit Nativitas. Navigatio ſiquidem Hiſpanorum, Duce Chriſtophoro Columbo, Januenſi, novum “ per Oceani Vaſtitatem aperuit Orbem ad Polum Antarticum, & Antipodas, ubi tàm magnæ ad “ Meſſem repertæ ſunt Segetes, ut in Capitulo Generali Salmanticenſi 1551 in Quinque Provincias “ diſtributa ſit Amplitudo Regionis, ut ibi adnotatur.”

CÆTERUM, tametſi in Capitulo illo *Salmanticenſi* diſtributus inveniatur Novus Orbis in Quinque Provincias, non omnes tamen tunc Temporis erectæ fuere, ut ipſummet teſtatur *Chronicon (g)*, ſcilicet Provincia *S. Crucis* Indiarum, quæ in Capitulo Generali *Romæ* 1530, Rmi Patris *Pauli Butigell* , Papienſis, XLI Magiſtri Ordinis electivo, inſtituta fuerat. Et hæc eſt Ratio cur tàm in nuper allato (*b*) Conſtitutionum Textu, quàm in ſtatìm apponendo Provinciarum Ordinis Catalogo, prima *Americæ* Provincia, nimirùm *S. Crucis*, antecedat *Hiberniam*, reliquæ verò Quatuor eam ſubſequuntur. Quippè Provincia *S, Crucis* erecta fuit 1530, *Hibernia* verò (ſecuudâ Vice) 1536, & Quatuor aliæ *Indiarum* 1551, ut ex ſuperiùs memorato *Chronico*, atque ex *Bullario Ordinis*, necnon Capitulorum Generalium Actis apud *Fontanam (i)*, luculentiſſimè conſtat.

V. TEMPORIS autem Progreſſu magis magiſque, benedicente Domino, crevit Provinciarum Numerus, quo factum eſt, ut in *Conſtitutionibus* noſtris, Loco anteà (*k*) laudato, ſuper illa Verba: *Priores autem Provinciales Triginta Unius Provinciarum*, ſequens edita fuerit *Gloſſa* : “ Declara- “ mus poſt factam hanc Conſtitutionem *(l)*, auctum fuiſſe Numerum Provinciarum. Undè in Ca- “ pitulo Romæ 1553 ſic habetur: *Declaramus conformiter ad ea, quæ in Actis VETUSTISSIMORUM Capitulorum Generalium reperta ſunt, quod deinceps in Capitulis Generalibus, & ubique, Provinciæ noſtri Ordinis ſervare debeant infraſcriptum Ordinem, juxtâ quem tenebunt Loca ſua.*

EN igitur Cathalogum Provinciarum Ordinis, ad præſentia uſque Tempora perductum, prout Loca ſua in dextro ſiniſtroque Choro tenere debent, affixo etiam unicuique Provinciæ Erectionis, ſeù Inſtitutionis Anno, ſicut partìm ex ipſiſmet *Conſtitutionibus*, & *Chronico Magiſtrorum Generalium*, partìmque ex Generalium Capitulorum Actis, ac *Bullario Ordinis*, eoſdem Annos excerpſi, tùm ut tuæ, benigne Lector, Curioſitati conſulam, tùm ut unico velut Intuitu Antiquitatem *Hiberniæ Dominicanæ*, Locumque, quem inter cæteras Ordinis Provincias de Jure tenet, videas.

In CHORO DEXTRO.	In CHORO SINISTRO.
I. *Hiſpaniæ* (*m*), 1221.	II. *Toloſana* (*n*), 1221.
III. *Franciæ*, 1221.	IV, *Utriuſque Lombardiæ* (*o*), 1221.
V. *Romanæ* (*p*), 1221.	VI. *Regni* (*q*), 1294.

(*g*) Cap. xvii. Pag. 97.

(h) Num. ii. hujus Capitis, Pag. 92.

(*i*) *Capitul. General.* Part. ii. Pag. 204, 210, 217 227, 233, 239.

(*k*) Num. ii. hujus Capitis. Pag. 92. In *Conſtitutionibus* verò Diſt. ii. Cap. xiv. Text. iii. ad Lit. a.

(*l*) Adverte, ſi placet, Statutum illud in *Textu* de Triginta Una Provincijs, quas inter nominatur *Hibernia*, eſſe, & fuiſſe *Conſtitutionem*, ſubindèque Trium Capitulorum Generalium Conſenſu ſtabilitam, ut Num. ii. hujus Capitis, Pag. 92. ex *Conſtitutionum* ipſarum *Prologo* ajebam.

(*m*) Anno Domini 1301, in Actis Capituli Generalis, *Coloniæ* celebrati, fuit Conſtitutio *confirmata*, quæ in duobus præcedentibus Capitulis *incboata* fuerat, & etiam *approbata*, quod Provincia *Hiſpaniæ* divideretur in duas: Itâ quod *Caſtella*, *Legio*, *Gallicia*, & *Portugallia*, ſint una Provincia, & vocetur *Provincia Hiſpaniæ*, teneatque primum Locum in dextro Choro; *Aragonia* verò, *Catalonia*, & *Navarra* ſint altera Provincia, & vocetur *Provincia Aragoniæ*, teneatque Locum in Siniſtro Choro poſt Provinciam *Græciæ*. Et quamquàm Temporis Progreſſu ex eadem *Hiſpaniæ* Provincia duæ aliæ avulſæ fuerint, *Portugalliæ* nimirùm, & *Beticæ*, illa tamen ſemper retinuit, & etiamnùm retinet Nomen *Provinciæ Hiſpaniæ*. Idem eſto Judicium, Proportione ſervatâ, de Provincia *Franciæ*, & de Provincia *Indiarum*, ut brevi dicetur ad Lit. d.

(*n*) Recolenda ſuperiùs dicta Cap. iii. Num. i. Lit. c, Pag. 47. & legendum *Bullarium Ordinis Prædicatorum* Tom. ii. Pag. 681, Not. 4, ex quibus conſtat, Provinciam *Toloſanam* unam, & eandem fuiſſe olim cum Provincia *Provinciæ*, ſub quo Nomine erecta fuerat Anno 1221. Nomen verò *Provinciæ Toloſanæ* adepta eſt Anno duntaxàt 1303 in Capitulo Generali *Biſuntino*, ubi ea de Re fuit *confirmata* Conſtitutio, & Provincia *Provinciæ*, quæ nunc ſic appellatur, ab ea ſegregata, atque Locum juxtà Tempus illud conſecuta.

(*o*) Adeas Num. vi. hujus Capitis.

(*p*) Provincia hæc vocabatur *Tuſcia* antè Annum 1294, quo *S. Cæleſtinus* Papa V eam diviſit in duas Partes, unam vocans *Provinciam Romanam*, alteram *Provinciam Regni Siciliæ*, de qua in Nota ſequenti.

(*q*) Nomine *Regni* venit *Sicilia*, pro cujus Intelligentia

In Choro Dextro.	In Choro Siniſtro.
VII. *Hungariæ*, 1221.	VIII. *Teutoniæ*, 1221.
IX. *Angliæ*, 1221.	X. *Poloniæ*, 1228.
XI. *Daciæ* (*r*), 1228.	XII. *Græciæ* (*s*), 1228.
XIII. *Terræ Sanctæ* (*t*), 1228.	XIV. *Aragoniæ*, 1301,
XV. *Bohemiæ* (*u*), 1301.	XVI. *Provincia Provinciæ* (*w*), 1303.
XVII. *Saxoniæ* (*x*), 1303.	XVIII. *Dalmatiæ*, 1380.
XIX. *Trinacriæ* (*y*), 1395.	XX. *Portugalliæ* (*z*), 1417.

XXI. *Scotiæ*

---

ligentia monearis oportet, quod eſto *Sicilia*, quæ impræſentiarùm eſt Provincia Ordinis, nominetur *Trinacria*, ſic dicta à triangulari Inſulæ Forma, ſeù a tribus illius Promontorijs; *Sicilia* tamen quæ Anno 1294 conſtituta fuit peculiaris Ordinis Provincia, eſt *Utriuſque Siciliæ* Regnum, quod *S. Cæleſtinus* V, Pontifex Maximus, ad Supplicem *Caroli* II, prælibatæ *Utriuſque Siciliæ* Regis, Inſtantiam, ſegregavit à Provincia *Tuſciæ*, ex tunc nuncupata *Romanâ*, ut mox ajebam, ac *Provinciam Regni Siciliæ* appellavit; voluitque quod novæ hujus Provinciæ Prior Provincialis primum habeat Locum poſt Priorem Provincialem Provinciæ *Romanæ*, ut liquet ex *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vii, Pag. 49. Et hac de Cauſa *Hungaria*, quæ à Temporibus *S. Dominici* ſexta erat Ordinis Provincia, evaſit ſeptima; ſicut & *Teutonia*, octava; atque *Anglia*, nona, & ſic de reliquis. Poſtmodùm autem, creſcente ſenſim Cænobiorum Multitudine, facta fuit Separatio Anno 1395 (videſis *Fontanam*, Part. II. *Cap. Gen.* Pag. 155) inter duo *Siciliæ* Regna, ità ut *Siciliæ* Inſula peculiarem conſtitueret Provinciam, & quidem decimam nonam, & diceretur *Provincia Trinacriæ*, altera autem, ſeù principalior *Sicilia*, ſivè Regnum *Neapolitanum*, à *Neapoli*, primariâ illius Urbe (*Parthenope* antiquitùs nuncupatâ) nunc dictum, maneret Sexta Ordinis Provincia, ſub Nomine *Provinciæ Regni*, antonomaſticè ſic dicti, quia alterum *Siciliæ* Regnum Magnitudine antecellit. Demùm ex eadem Provincia *Regni* avulſæ fuere *Apulia*, *Calabria*, & *Aprutium*, atque in ſpeciales Provincias erectæ.

(*r*) Provincia hæc *Daniam*, *Sueciam*, & *Norvegiam* complectens, Quatuordecim habuit Cænobia in Regno *Daniæ*, Novem in Regno *Sueciæ*, & Tria in Regno *Norvegiæ*, Anno 1303, ut refert *Echardus* Tom. i. Pag. xii. Nunc autem ab Hæreſi *Lutherana* omninò extincta eſt, ejuſque proindè Provincialis inter Titulares numeratur. Modernus porrò Provincialis eſt A. R. P. Magiſter Fr. *Emericus Langenwalter*, Bohemus, Socius Magiſtri Ordinis pro *Hibernia*, alijſque Provincijs Borealibus, ab Anno 1732. Conſer Cap. præced. Num. xiv. Pag. 80.

(*s*) Cum *Creta* Inſulâ à *Turcis* invaſa eſt, & illa omninò perijt.

(*t*) Et hæc perijt cum *Cyprum* Inſulam invaſerant *Turcæ*, ejus tamen Titulo gaudet unus ex Socijs Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis, ut & Voce in Comitijs Generalibus, non ſecùs ac alij Provinciales Titulares.

(*u*) In Actis Capituli Generalis *Colonienſis* 1301, *confirmata* fuit Conſtitutio in duobus præcedentibus Capitulis Generalibus *inchoata*, & *approbata*, quod Provincia *Poloniæ* dividatur in duas hoc Modo, videlicet, quod *Polonia* ſit una Provincia, & vocaretur *Provincia Poloniæ*, ac teneat Locum in Siniſtro Choro poſt Provinciam *Teutoniæ*; *Bohemia* verò & *Moravia* ſint alia Provincia, & teneat Locum in dextro Choro poſt Provinciam *Terræ Sanctæ*, vocata *Provincia Bohemiæ*.

(*w*) Conſule nuper dicta ad Lit. n.

(*x*) Provincia hæc, ex Provincia *Teutoniæ* avulſa Anno 1303, nunc pro majori Parte à *Lutheranis* deſtructa eſt, utpotè *Myſiam*, *Turingiam*, *Haſſiam*, *Saxoniam*, *Sclaviam*, *Friſiam*, *Zelandiam*, & *Hollandiam* complectens.

(*y*) Liquet ex nuper dictis ad Lit. q, hujus Inſulæ Cœnobia unam eandemque olim conſtituiſſe Provinciam cum Cænobijs *Regni Neapolitani*. Verùm Schiſmate *Avenionenſi* exorto (recole Cap. iii. Num. v. Pag. 51;) Pars illa, quæ Cænobia memorati Regni complectabatur, *Clementi XII*, Papæ *Avenionenſi* adhæſit, ſaltem pro majori Numero; Pars verò, quæ Cænobia Inſulæ continebat, *Urbano VI* ſe immobiliter devovit. Hìnc utraque Pars ſpecialem ſibi Provincialem elegit, quem eodem Titulo *Provincialis Regni Siciliæ* ornabant. Sublato verò, & extincto per Concilium *Conſtantienſe* Schiſmate, nova hæc exſurrexit Provincia *Trinacriæ*, ſeù Inſulæ *Siciliæ*, ut rectè advertit *Echardus* Tom. ii. Pag. ix.

(*z*) Idem dic de hac Provincia, ac de ſuperiori. Antè Schiſma *Avenionenſe* unum Corpus componebat cum Provincia *Hiſpaniæ*, ſed orto Schiſmate, Hiſpanis *Clementem XII* ſequentibus, Luſitani *Urbano VI* adhæſerunt, & utrique ſibi ſpecialem Superiorem præfecerunt, adeò ut ambo Titulum *Prioris Provincialis Hiſpaniæ* ſibi vindicarent. Extincto verò Schiſmate, erecta eſt *Luſitania* in novam Provinciam, *Portugalliæ* dictam, ut refert *Echardus* mox laudatus.

In Choro Dextro.

XXI. *Scotiæ* (*a*), 1481.
XXIII. *Germaniæ Inferioris* (*c*), 1515.
XXV. *Calabriæ*, 1530.
XXVII. *Hiberniæ* (primò 1484, ſecundò) 1536 (*e*).
XXIX. *Peruana*, 1551.
XXXI. *Novi Regni Granatenſis*, 1551.
XXXIII. *S. Dominici Venetiarum* (*f*), 1580.
XXXV. *Quitenſis*, 1589.
XXXVII. *Philippinarum*, 1592.
XXXIX. *S. Petri Martyris* (*g*), 1601.
XLI. *Ruſſiæ* (*h*), 1612.
XLIII. Lituaniæ, 1647.
XLV. *Angelopolitana* (*i*), 1656.
XLVII. *S. Roſæ in Belgio*, 1686.
XLIX (*k*). *S. Mariæ Sanitatis*, 1725, ſed iterùm Congregatio (*l*) ab Anno 1734.

In Choro Sinistro.

XXII. *Bæticæ* (*b*), 1514.
XXIV. *Apuliæ*, 1530.
XXVI. *Indiarum* (*d*), 1530.
XXVIII. *Mexicana*, 1551.
XXX. *Chiappenſis*, 1551.
XXXII. *Occitana*, 1569.
XXXIV. *Armeniæ*, 1583.
XXXVI. *Chilenſis*, 1589.
XXXVIII. *Oaxacæ*, 1592.
XL. *Aprutina*, 1601.
XLII. *Pariſienſis*, 1647.
XLIV. *Canariarum*, 1650.
XLVI. *S. Ludovici Regis Galliarum*. 1670.
XLVIII. *Sardiniæ*, 1706.

VI. Miraberis fortaſſe, benigne Lector, cur iſto in Catalogo *Scotia* recenſeatur Provincia Ordinis XXI, cum tamen in Regeſto Generalis *Turriani* ſuperius (*m*), adducto, ſit XXII. Sed Ratio in Promptu eſt, ſiquidem *Lombardia*, quæ, ut alibi (*n*) obiter ajebam, Provincia jam erat Ordinis ipſo Tempore *S. P. Dominici*, fuit Anno 1303 in duas diviſa Provincias, ſcilicet *Lombardiam Inferiorem* (*o*), dictam Anno 1410 *Provinciam S. Dominici* (fortaſſis qnia apud Capitalem ejus Conventum *Bononienſem* aſſervatur Corpus *S. Dominici*) quæ in memorato Regeſto eſt Provincia IV, & *Lombardiam Superiorem*, quæ in eodem Regeſto eſt Provincio XVII. Cæterùm in unam poſtmodùm coaluerunt duæ iſtæ Provinciæ Auctoritate *Clementis* Papæ VII (*p*), Anno 1531, qui inſuper

---

(*a*) Adeas Num. vi, & xiv. Cap. præced. Pag. 73, & 80, & Num. ix. Cap. ſeq. Lit. y.

(*b*) *Bætica* eſt *Hiſpaniarum* Pars, ſic dicta à Fluvio *Bæte*, vulgò *Guadalaquivir*. Nuncupatur etiam Hiſpanicè *Andalazia*, Latinè *Vandalitia*, quod Nomen *Vandali* ei dederunt. Notandum tamen quod *Bætica* latiùs patet quàm *Andaluſia*, ut rectè pro More advertit Rmus noſter *Bremond*, Tom. v. *Bullarij*, Pag. 312. Not. i.

(*c*) Quæ olim dicta fuit Congregatio *Hollandiæ*, circà Annum 1465, ex Cænobijs Provinciarum vicinarum *Teutoniæ*, *Saxoniæ*, *Poloniæ*, *Franciæ*, etiam coaluerat, & in eam creverat Amplitudinem, ut illam dividi jam neceſſarium videretur. Itàque inſtante *Carolo* V Imperatore, ut ex omnibus ſuæ Ditionis Cænobijs in *Belgio* nova Provincia erigeretur, id conceſſit *Leo X.* Pontifex Maximus, Anno 1515, eaque ſub Titulo *Germaniæ Inferioris* erecta fuit. Recolendum Cap. præced. Num. *X.* Lit. g. Pag. 77.

(*d*) Etſi Provinciæ *Mexicana*, *Peruana*, *Chiappenſis*, *Novi Regni Granatenſis*, *Quitenſis*, *Chilenſis*, *Oaxacæ*, & *Angelopolitana* ſint in *Indijs*, ſeù *Americâ*, hæc tamen, quatenùs primò conſtituta, Nomen retinet *Provinciæ Indiarum*, ut de *Provincia Hiſpaniæ* nuper dictum eſt ad Lit. m.

(*e*) Confer Cap. iii. Num. v. Pag. 51; & Cap. præſ. Num. i. Pag. 91.

(*f*) Provincia hæc ex Reliquijs antiquæ Provinciæ *Lombardiæ Inferioris* coaluit, ſub novo hoc Nomine creata. Confer Num. vi. hujus Capitis.

(*g*) Hæc Provincia ex Reliquijs priſcæ *Lombardiæ Superioris* coaluit. Præcipuum ejus Cœnobium eſt *Mediolani* ſub Invocatione *S. Euſtorgij*, in cujus Eccleſia aſſervatur Corpus *S. Petri Martyris*, indèque Nomen Provinciæ.

(*h*) *Ruſſia* hæc non eſt quæ aliàs dicitur *Muſcovia*, ſed Pars eſt Regni *Poloniæ*.

(*i*) Quamquàm Provincia hæc non ſit in Catalogo, quem Conſtitutiones noſtræ exhibent, eſt tamen in *Bullario Ordinis*, Tom. vi. Pag, 183. Inſuper in Actis Capituli Generalis *Romæ* 1721, ſub. Tit. *Conceſſiones*, adeſt §. *Pro Provincia Angelopolitana*. Eſt porrò in *America*.

(*k*) *Echardus* Tom. ii. Pag. xviii, Loco xlix apponit Provinciam *Superioris Germaniæ*, quam dicit Anno 1709 à *Teutonia* avulſam, & in novam Provinciam erectam, eamque Quatuordecim complecti Domus Conventuales, & Quindecim Sororum Monaſteria. At nihil prorsùs de Provincia hac ſeù in *Bullario Ordinis*, ſeù in Capitulorum Generalium Quatuor, ab Anno 1709 celebratorum, Actis invenire poſſum.

(*l*) Recolendus Num. i. hujus Capitis, Pag. 91.

(*m*) Cap. præced. Num. iv. Pag. 71.

(*n*) Cap. iii. Num. i. Pag. 47.

(*o*) *Lombardia Inferior* ſuperiorem Locum Jure retinuit, quamvis *Inferioris* (Ratione Situs Regiorum) Vocabulum ſit ſortita, ut rectè advertit *Echardus*, Tom. i. Pag. xv.

(*p*) Apud *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 493.

inſuper eam *Utriuſque Lombardiæ Provinciam* vocari juſſit; ſicque *Scotia* evaſit Provincia XXI. Miraberis pariter cur iſto in Catalogo *Hibernia* non ſit Provincia XXII, & non immediatè ſuccedat *Scotiæ*, ſed eas inter Quinque interveniant Provinciæ, nimirùm *Bæticæ*, *Germaniæ Inferioris*, *Apuliæ*, *Calabriæ*, & *S. Crucis Indiarum*. Sed huic etiam Difficultati nullo Negotio reſpondetur dicendo, Quinque iſtas Provincias erectas fuiſſe in eo Temporis Intervallo, in quo *Hibernia*, priùs conſtituta Provincia Anno 1484, poſtmodùm in Statu erat Congregationis Reformatæ (*q*). Undè Provincia denuò inſtituta Anno 1536, Locum juxtà poſterioris Inſtitutionis Tempus obtinuit. Quemadmodùm ſi Congregatio *Sanitatis* (*r*) iterùm erigeretur in Provinciam, alias non præcederet, quæ antè ſecundam ejus Erectionem inſtitutæ eſſent, niſi tamen ſpeciali Diplomatis Pontificij Clauſulâ aliter diſponeretur, ut de Provincia *Regni* ſuperiùs dictum eſt (*s*).

VII. SED potiori Jure ipſe miror, cur Magiſter *Vincentius Fontana* in ſua Provinciarum Ordinis Serie (*t*) non apponat *Hiberniam* Provinciam XLI, (Loco ſcilicet *Ruſſiæ*) utpotè inſtitutam (ſecundùm ipſum) Anno duntaxàt 1622; nonque propterea emendet Catalogum Provinciarum, in *Conſtitutionibus* noſtris delineatum, in quo *Hibernia* XXVII Provincia cenſetur. Aſſerit namque (*u*), quod *nunquâm in Ordine noſtro fuit hæc Provincia* (Hiberniæ) *Locum*, *Vocem*, *cæteraque Provinciæ Jura conſecuta*, *prout in Comitiorum Generalium Actis apparet* , ... *neque Provinciæ Nomen ei unquàm attributum conſpicitur antè Mediolanenſe Capitulum*, *Anno* 1622 *celebratum*. Verùm quod de *Ludovico de Souſa*, Provinciæ *Trinacriæ* (*w*) Hiſtoriographo, ait memoratus *Fontana* (*x*), hoc idem de ſeipſo dicere fas ſit, nempè, quod eum, *Virum aliàs eruditiſſimum*, *in manifeſtum incidiſſe in hac Re Errorem*, *ſat ſuperque liquet*. Enimverò quî fieri poteſt, ut *Hibernia* Nomen, Titulum, & Locum *Provinciæ* habeat in ipſomet *Conſtitutionum* noſtrarum *Textu*, nuper (*y*) allato, ut nihil dicam de Pontificijs Diplomatibus (z), & tamen, *prout in Comitiorum Generalium Actis apparet*, *neque Provinciæ* NOMEN *ei unquàm attributum conſpicitur antè Capitulum Mediolanenſe*, *Anno* 1622 *celebratum?* Nonnè memoratus iſte *Textus* fuit in *Conſtitutionibus* longè antè Annum 1622? At quomodo potuit ſtatui *Textus* iſte, ſeu, ut clariùs loquar, quomodò evadere potuit *Conſtitutio* in Ordine Fratrum Prædicatorum, niſi ad eam faciendam Tria concurriſſent Capitula Generalia, & quidem continua, aut unum Generaliſſimum (*a*), quod Tribus Generalibus æquipollet, ut in *Prologo Conſtitutionum*, Textu VII, ſancitum eſt? Nonnè ſpecialiter pro Inſtitutione, ſeù Erectione Provinciæ (niſi tamen Auctoritate Apoſtolicâ fiat) Tria illa Capitula Generalia, unumve Generaliſſimum, neceſſariò requiruntur? Sanè itá liquet ex ipſo *Fontana*, qui (*b*) de Separatione Provinciæ *Provinciæ* à *Toloſana* diſſerens, Verba affert Capituli Generalis *Biſuntini* 1303, ad Calcem ſui ea de Re Decreti, nempè : *Et hoc habet Tria Capitula*. Eaque recenſet, ſcilicet *Colonienſe* 1301, *Bononienſe* 1302, & ipſummet *Biſuntinum* 1303. Idem etiam, ut alia Brevitatis ergò miſſa faciam Exempla, videre eſt in Segregatione Provinciæ *Apuliæ* à Provincia *Regni*, factâ per Capitulum Generale *Romanum* 1530 (*c*) in cujus Decreti Calce ſubjungitur : *Et hoc habet Tria Capitula*. Quæ inſuper laudat *Fontana*, nempè *Vallisoletanum* 1523, *Romanum* 1525, & aliud anteà recenſitum *Romanum* 1530.

(q) Recolendi Num. v, & xiv. Cap. præced. Pag. 72, & 80.

(*r*) Conſulendus Num. i. hujus Capitls. Pag. 91.

(*s*) Cap. præſ. Num. v. Lit. q. Pag. 94.

(*t*) In Limine Part. ii. *Capitul. General.*

(*u*) Ibidem Pag. 210.

(*w*) Non de ſola *Hibernia*, quoad Tempus Erectionis in Provinciam, anceps, & hærens fuit *Fontana*, ſed de alijs etiam Provincijs, nominatìm de *Trinacria*, atque *Portugallia*, de qua (Part. ii. Pag. 161) dicit: *In eadem eſt Cauſa cum Siciliæ* (ſeù Trinacriæ) *Provincia hæc quoad ſui Inſtitutionem*, *atque ab Hiſpaniæ Provincia Separationem*, *de ea enim nec Verbum quidem in Generalium Capitulorum Actis habetur*. Quod tamen difficile Creditu eſt, *Portugallia* namque conſtituta fuit peculiaris Provincia Ordinis à *Martino V*, Conſtitutione in Concilio *Conſtantienſi* Anno 1417 datâ, quam legere eſt in *Bullario* noſtro Tom. ii. Pag. 533, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. xvi. Fol. 182. Sanè ſi coæva, aut Suppatia Ordinis Comitia Generalia ſedulò perlegiſſet *Fontana*, Verbum quodpiam de *Luſituniæ* Neo-Provincia offendiſſet.

(*x*) Ibidem Pag. 195.

(*y*) Num. ii. hujus Capitis, Pag. 92.

(*z*) Conſule Cap. præced Num. vii. Pag. 74.

(*a*) Conſulendum Cap. ſeq. Num. x.

(*b*) Part. ii. Capitul. Gen. Pag. 25.

(*c*) Apud *Fontanam*, Part. ii. Pag. 191.

Porro, ut ad Rem noſtram regrediamur, poſt illa *Textûs* prioris Verba, nuper (*d*) allata: *Priores autem Provinciales Triginta Unius Provinciarum*, quas inter *Locum* habet *Hibernia*, addit *Gloſſa* Lit. a: *Declaramus, poſt* FACTAM HANC CONSTITUTIONEM, *auctum fuiſſe Numerum Provinciarum.* Deindè affert nuperrimè exſcriptam (*e*) Declarationem Comitiorum Generalium *Romæ* 1553, ſtatuentem Catalogum Provinciarum (in quo *Hibernia* eſt XXVII) atque Ordinem, juxtà quem Provinciæ deinceps tenebunt *Loca* ſua in *Capitulis Generalibus*, & ubique, & quidem *conformiter ad ea, quæ in Actis* VETUSTISSIMORUM CAPITULORUM GENERALIUM *reperta ſunt*, inquiunt Sapientiſſimi Comitiorum iſtorum Generalium Patres.

VIII. Ulterius, quod *Hibernia* Nomen, Titulum, & Locum *Provinciæ* dudùm habuerit, ex ipſomet liquet *Fontanâ*, qui pugnantia ſcribens, (abſit Injuria Verbo) ſibi apertiſſimè contradicit. Siquidem Part II, Pag. 208, & 209, exſcribit Regeſtum Generalis *Turriani*, ubi refertur, in *Capitulo Generali Romæ* 1484 ſequentia pro *Provincia* Hiberniæ ſancita fuiſſe: *Fr. Mauritius* PRIOR PROVINCIALIS *obtinuit Licentiam reformandi Conventus B. Mariæ de Ponte, Banniæ (f), Corkagiæ, & quoſcunque duxerit reformandos in præfata* PROVINCIA. En Nomen *Provinciæ* attributum *Hiberniæ* in *Capitulo Generali* 1484. Et in ipſomet Regeſto (*g*) eſt Ordo, & Numerus Provinciarum, à *Capitulis Generalibus* utique ſtatutus, in quo *Hibernia* eſt XXIII *Provincia*, notata per Lit. Z, & aſſignato pro ea Folio 303, ubi, inquit *Fontana* (*h*), ſunt *multa ad* PROVINCIAM *hanc ſpectantia.* Rursùs paulò poſt (*i*), ait: *Fuit verò poſteà præfata Congregatio* (Hiberniæ) *à Paulo Papa* III, *Anno* 1536, *in peculiarem PROVINCIAM inſtituta. Ità enim in* ACTIS GENERALIS CAPITULI *Romani* 1558, *in Confirmatione* 14 *habetur:* "Confirmamus Determinationem factam circà Ordinem Provinciarum, hoc addito, quod reſtituimus Provinciæ Dalmatiæ Locum ſibi in præcedenti Capitulo præreptum à Provincia Trinacriæ, & recenſemus PROVINCIAM HIBERNIÆ Anno 1536 a Paulo Papa III ſeparatam, & erectam, & à Magiſtro Ordinis acceptatam, damuſque ei LOCUM inter cæteras." Quâ igitur Ratione dicere potuit, quod, *prout in Comitiorum Generalium Actis apparet, neque Provinciæ Nomen eidem unquàm attributum conſpicitur antè Mediolanenſe Capitulum Anno* 1622 *celebratum?* Nonnè Capitula Annorum 1484, 1553, & 1558 fuerunt antè Capitulum Anni 1622?

Tandem concludit (*k*) dicendo: "In prædicto autem Mediolanenſi Capitulo Provinciæ Titulus & Jura fuere in hunc Modum reſtituta: *RESTITUIMUS noſtræ Congregationi Hiberniæ Nomen, & Titulum Provinciæ, damuſque ei in Provincialem P. Præſentatum Fr. Rochum de Cruce.*" Aſt quorsùm, amabò, potuit Capitulum *Mediolanenſe* Titulum & Jura Provinciæ reſtituere *Hiberniæ*, niſi ea priùs habuiſſet? *Reſtituere* ſiquidem, juxtà vel ipſam Verbi Etymologiam, eſt *ITERATO aliquem ſtatuere in Poſſeſſionem, vel Dominium Rei ſuæ*, ut diſertis Verbis expendit Angelicus Doctor (*l*). *Iteratò* autem ſtatuit *Mediolanenſe* Capitulum *Hiberniam* in Poſſeſſionem Tituli, & Jurium Provinciæ, quatenùs ex quo in Provinciam fuerat à *Paulo* III, Pontifice Maximo, ſecundò erecta, atque tàm a Magiſtro Ordinis *Joanne de Fenario*, quàm à Capitulo Generali *Romano* 1558 acceptata, nunquàm Patres ſuos Capitulares ad Comitia Generalia mittere potuerit ob nimis calamitoſa Heterodoxorum Regum Tempora (*m*). Qua de Cauſa aliquoties convenire non poterant Vocales in ipſomet Regno pro Electione ſui Provincialis, Carceribus fortè Hereticorum mancipati, vel ſi facta fuerit Electio, illius Scrutinium ad Magiſtrum Ordinis pro Confirmatione, vel Caſſatione mittere nequiverant (*n*). Hinc nullus dubito, quin quandoque (nominatim antè Capitulum Generale Mediolanenſe 1622) ſine alio eſſet Superiore, quàm *Priore Conventuali illius Loci, in quo Primum Capitulum Provinciale fuerit celebrandum*, ut Verbis utar *Conſtitutionum* noſtrarum (*o*), quæ ſtatuunt, ut talis Prior Conventualis *Vices Prioris Provincialis obtineat, quouſque Prior Provincialis illius Provinciæ ſit electus, & confirmatus.* Sed tandem ad Capitulum

---

(*d*) Num. ii. hujus Capitis, Pag. 92.

(*e*) Num. v. hujus Capitis Pag. 94.

(*f*) Aliàs *Colranæ*, ut ſuo Loco explicabitur, nempè Cap. ix. §. xii. Num. i.

(*g*) Illud exſcriptum habes Num. vi. Cap. præced. Pag. 74.

(*h*) Pag. 209.

(*i*) Pag. 210.

(*k*) Pag. 210.

(*l*) 2. 2. q. 62. Art. i. in Corp.

(*m*) Videſis Cap. xvii. à Num. i.

(*n*) Confer Cap. vi. Num. x. Sect. 5.

(*o*) Diſt. iii. Cap. iii. Text. i.

(*p*) Cap. xiii. Num. lxiv, & Cap. xiv. Num. ix.

Capitulum Generale *Mediolanenſe* 1622 adveniens *P. Rochus à Cruce*, Patrio Agnomine *Mac-Geogheganus* (poſtmodùm Epiſcopus *Darenſis*, de quo plura alibi (*p*) dicentur) non ex *Hibernia*, ſed ex *Hiſpania*, erat enim (*Hibernigena* licèt) *Filius Conventûs Rupis Franciæ in Hiſpania* (*q*), Patres *Mediolanenſes*, ſe veluti revocantes, ſeù retrotrahentes ad anteriora Tempora, mox recenſitum edidere Decretum, inſimulque laudatum *Rochum* Provincialem inſtituere. Confer Pag. 517.

IX. Sane quod, ultrà *Mauritium Moral*, nuper & ſæpè memoratum, Provinciales habuerit *Hibernia Dominicana* antè *Rochum* iſtum *Mac-Geogheganum*, ſeù *à Cruce*, Anno 1622 inſtitutum, apertiſſimè teſtantur Acta Capituli Generalis *Romæ* 1656 (celebrati, ut candidè fatear, poſt Typis vulgatas *Fontanæ* Lucubrationes), in quibus (*r*) *brevis* conſpicitur *Appendix aliquot præcipuorum Virorum hujus Provinciæ* (Hiberniæ) *quorum juſta Memoria in Actis ſuperiorum Capitulorum interlapſa ſubticetur.* Ibi porrò fit Mentio de *P. Thaddeo O-Duano*, qui *in Hibernia bis PROVINCIALEM egit*, quique *fractus Laboribus, & Senectute* (*s*) . . . . *dulciter in Domino abdormivit, ſepultus in Eccleſia ſui Conventus Sligoenſis, Anno* 1608. Quid clarius? Quid expreſſius?

Accedit, quod *Thaddæus* noſter non continuò, ſed interpolatè fuit *Hiberniæ* Provincialis, in Regimine ſiquidem hujus Provinciæ ſucceſſit *P. Danieli O-Creidegain* (*t*), qui Provincialis fuerat Anno 1603, ut legere eſt apud accuratiſſimum hujus Ævi Scriptorem, & Antiquitatum Indagatorem, noſtrum *Bernardum de Jonghe* in ſuo Belgio Dominicano (*u*), ubi *de Conventu Fratrum Hibernorum Lovanij* Sermonem faciens, hæc habet: *Sub Initium, Sæculi Decimi-Septimi,* Elizabethâ, *Filiâ nothâ* Henrici VIII, *Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ uſurpante, & in Templa, Monaſteria, & quæcunque Sacra ſæviente, tanta Sacrorum Locorum Strages facta eſt, ut Anno* 1603, *quo obijt, ne quidem unum Cænobium relictum fuerit in prædictis Regnis non profanatum. Religioſi omnes ex Patria abacti fuerunt, aut Morte affecti, præter perpaucos ex Mendicantibus, abdentes ſe in abditis fugitivorum Locis, ut Catholicos ſuperſtites in Fide ſolidarent. Ex his erant Ven. Pater* Daniel O-Creidegain, *TUNC Provincialis Provinciæ Hiberniæ, LONGO TEMPORE in Provincialatu continuatus, & Ven. Pater* Thaddæus O-Duain, *ex Conventu S. Crucis de Sligia. Hic poſterior ſucceſſit priori in Regimine deſolatæ Provinciæ; & cernens, Ordinem noſtrum citiſſimè extinguendum in Hibernia, niſi inveniretur Locus, educandis Juvenibus Ordinis noſtri, & nativis Hibernis aptus in Regno aliquo Catholico, omnem adhibuit Operam per ſe, & per alios, ad impetrandum Refugium aliquod in Belgio, quod & obtinuit, licèt noſtri Lovanium non intraverint durante illius Regimine, ſed ſub Ven. P.* Rocho Mac-Geoghegain, *aliàs* à S. Cruce, *qui factus fuit Provincialis Anno* 1622 *in Capitulo Generali Mediolanenſi.*"

In Actis etiam ejuſdem Capituli Generalis 1656 (*w*) fit Mentio de *P. Rolando de Burgo*, *qui Hiberniæ fuit PROVINCIALIS, obijtque Anno* 1615 (*x*). Ad iſtum porrò Annum ab Anno 1608 (quâ Vitâ functus eſt *P. Thaddæus O-Duanus*) continuatum Provincialem crediderim *P. Rolandum*, in Obitu enim Provincialem Actu fuiſſe ex Verborum iſtorum in Actis Contextu ſat clarè conſtat.

En igitur tres *Hiberniæ* Provinciales, iteratoſque uniuſcujuſque Provincialatus, antè ſæpiùs laudatum *Rochum*. Cùm igitur Anno 1603 Provincialis fuerit *P. Daniel O-Creidegain*, liquet, *P. Thaddæum O-Duanum* antè Tempus hoc Primum tenuiſſe Provincialatum, Provinciales enim ultramontani ſunt quadriennales; & cum aliundè *P. Daniel O Creidegain* fuerit *longo Tempore in Provincialatu continuatus*, inde ſequitur, quod, ſi retrogrediamur ab Anno 1615, quo diem clauſit extremum *P. Rolandus de Burgo*, permultos Provincialatuum Annos explorabimus. Profectò quod Res itâ ſe habuerit, vel ex eo planè colligi poteſt, quia cùm ab Anno 1536 ad 1622 Quatuordecim inſtitutæ fuerint Ordinis Provinciæ, ut nuper (*y*) allatum Provinciarum Catalogum intuenti compertum erit, quo, quæſo, Fundamento dici, vel excogitari poteſt, adeò obcæcatas extitiſſe Quatuordecim illas Provincias, immò & univerſum Ordinem, ut permitteretur *Hibernia*, nonniſi Anno 1622 (ut vult *Fontana*) in Provinciam erecta, eas in ſubſequentibus omnibus Comitiorum

---

(*q*)) Verba ſunt Actorum Capituli Generalis *Romæ* 1656, Pag. 157, ut Cap. xiii. Num. lxiv videre erit.

(*r*) Pag. 149.

(*s*) Integra Verba opportuniùs adducentur in Medium Cap. xiv. Num. vii.

(*t*) De eo datâ Operâ dicetur Cap. xiv. Num. iv. Intereâ autem, ad omnem evitandam Confuſionem, advertas velim, duplicem extitiſſe horum Nominis, & Agnominis Dominicanum Hibernum, quorum Senior *Pnovincialis* erat, Junior non.

(*u*) Pag. 417.

(*w*) Pag. 156.

(*x*) Reliqua Actorum iſtorum de *P. Rolando* Verba exſcribentur Cap. xiv. Num. viii.

(*y*) Num. v. hujus Capitis, Pag. 96.

Generalium Actis, non ſecùs ac in memorato Provinciarum Catalogo, *Conſtitutionibus* ipſis inſerto, præcedere?

X. At, inquit *Fontana* (z), *in Comitiorum Generalium Actis*, antè Capitulum Mediolanenſe, *neque Provinciales, neque Definitores illius nominantur.* Et hæc, ni fallor, eſt ipſamet adæquata Ratio, cur non potuit ſuum inducere in Animum, *Hiberniam* reverà fuiſſe Provinciam Ordinis ante Annum 1622. Poſteà namque ſubdit: *Tantæ Novitatis Cauſa in eorundem Capitulorum Actis non eluceſcit.*

Verum Plumâ, & araneâ Telâ (Pace tanti Viri dixerim) levius eſt Argumentum iſtud. Nàm imprimis, in Capitulo Generali *Cenomanenſi* 1491, ut alibi (*a*) me obſervaſſe memini, inter Definitores ſubſcribentes legitur: *Fr. Richardus Herre, Magiſter, Definitor Hiberniæ.* Deindè, tametſi *tantæ Novitatis Cauſa non eluceſcat in Actis Capitulorum Generalium* ab Anno 1536 ad 1622, facilè tamen eluceſcere potuit *Fontanæ* ex Actis Capitulorum ſubſequentium. Nonne ipſemet *Fontana* recenſet (*b*) Decretum Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644, quod (*c*) *ob magnam Diſtantiam* Hiberniæ *ab Urbe, & difficilem ad Magiſtrum Ordinis Acceſſum*, eidem conceſſit, *ut Provincialis noviter electus regat Provinciam, & gaudeat Titulo Provincialis*, etiam antequàm Electio ipſius à Magiſtro Ordinis confirmatur? Nonnè longè Majoris Momenti eſt, atque longè minoris Difficultatis, quod Scrutinium Electionis Provincialis ad Manus perveniat Magiſtri Ordinis, penès quem libera eſt Facultas Electionem caſſandi, vel confirmandi, prout in Domino videbitur expedire, quàm quod Tres pauperes, & timidi Religioſi ex Occidentalibus *Europæ* Finibus per Medium irruentium Hoſtium ad Capitulum Generale in *Italia Galliave* celebrandum accedant, per eaſdem, & fortè ſtrictiores poſtmodùm Anguſtias reverſuri? Nonnè ipſemet *Fontana* refert (*d*) aliornm Comitiorum Generalium Decreta, in quibus diſertè aſſeritur, Provinciam Hiberniæ *quàm maximè Bellorum Cladibus, & gravi Perſecutioni Acatholicorum miſerrimè fuiſſe implicatam?* Quod quidem omnibus, qui illorum Temporum Hiſtoriam vel primoribus Labris deguſtarunt, tàm notum eſt quàm quod maximè. Igitur *in Capitulorum Generalium Actis*, etiam apud Fontanam, *eluceſcit Cauſa* majoris *Novitatis*, atque electo *Hiberniæ* Provinciali (ni mea me fallat Opinio) peculiaris, nempè quod Provinciam regat, etiam quà Provincialis, priuſquàm Electio ejus à Magiſtro Ordinis confirmatur. Quarè igitur non eluceſcit, & quidem à fortiori, *Cauſa* minoris *Novitatis*, ſcilicet quod Provinciales, aut Definitores *Hiberniæ* in Capitulorum Generalium Actis non nominabantur, quod alijs etiam Provincijs, immò hiſcè Temporibus (*e*), etſi in illis Hæreſis non regnet, commune eſt, propter Bellum, Peſtem, aliudve, quo affliguntur, Flagellum, ut nihil dicam de Provincia *Angliæ*, ex qua Nemo duobus proximè præteritis Comitijs Generalibus 1748, & 1756 interfuit, quæ tamen Jura Provinciæ indè haud amiſit, neque amiſſura eſt. Poteſtne in quorumcunque Capitulorum Generalium Actis eluceſcere *Cauſa Novitatis*, omnium excogitabilium maximæ, nimirùm quod Provincia *Hiberniæ*, Anno duntaxàt 1622 (ut autumat *Fontana*) in Capitulo Generali *Mediolanenſi* inſtituta, Quatuordecim alias Provincias, antè Annum iſtum ſtabilitas, præcedat in Actis Capitulorum ſubſequentium uſque ad Annum 1756, immò &, quod mirabilius eſt, in vetuſto *Conſtitutionum* Textu (*f*), longè antè Annum 1622 ſancito?

XI. Cæte-

(z) Pag. 210.

(*a*) Cap. præced. Num. vii. Pag. 74. Confer Cap. xiv. Num. i.

(*b*) Pag. 212.

(*c*) Videſis integrum hoc Decretum Cap. ſeq. Num. x. Sect. 5.

(*d*) Pag. 211, &c.

(*e*) Notatu digna ſunt, quæ appoſitè ſcribit *Fontana* in Præfatione *ad Lectorem*, ſecundæ Parti præmiſsâ: *Ab Ordinis* (inquit) *Primordijs uſque ad Capitulum Romanum* 1542 *nullæ ſpeeiales pro particularibus Provincijs emanavere Leges, ſed cunctæ, quæ fiebant, pro toto Ordine mandabantur. In præfato verò Capitulo quædam pro Provincijs Hiſpaniæ, & Siciliæ tantùm ſancita fuere, ut ſuo Loco cognoſces. In ſubſequentibus autem uſque ad Valliſoletanum* 1605 *moderatiſſimæ etiam pro alijs Provincijs emanavere Ordinationes. Tandem Romæ* 1608 *omnibus Provincijs peculiaris pro ſpectantibus ad ipſas conſtitutus fuit* §, *qui Mos in ſubſequentibus poſteà Capitulis ſemper obſervatus eſt.* Cæterùm hoc intelligendum eſt de illis duntaxàt Provincijs, quarum Patres Comitijs Generalibus interſunt, de alijs quippè tacetur, non enim pro ijs ſuut §§ in Actis ſub Tit. *Conceſſiones.* Id videre eſt, ut alia miſſa faciam, in Actis Capitulorum Generalium *Romæ* 1721, ubi Tredecim; *Bononiæ* 1725, ubi aliæ Tredecim, Ordinis Provinciæ Silentio prætermittuntur.

(*f*) Conſulendus Num. ii. hujus Capitis, Pag. 91.

XI. Cæterum quod *tantæ Novitatis Cauſa* non eluceſcerit *Fontanæ*, etſi prænarrata omnia Decreta in extenſum tranſcripſerit, Cauſa genuina fuit, quia, ut ipſemet ingenuè fatetur (*g*), *Temporis Anguſtiâ preſſus*, Opus, quod improbo ſanè Labore, intrà Quatuor Annorum Spatium compilavit, *Quintum quoque Annum in ſui expectabat Complementum*. Igitur, velit nolit *Fontana*, Provincia *Hiberniæ* primùm conſtituta fuit Anno 1484, atque ex Statu Congregationis Reformatæ in Provinciam denuò erecta Anno 1536, extinctâ prorſùs Matrice ſuâ Provinciâ *Augliæ* per calamitoſa *Henrici* VIII Tempora jam cæpta. Et quamquàm hac ipſâ de Cauſâ illius Patres Capitulares pluribus abfuerint Comitijs Generalibus, non ideò tamen cenſeri debuit Provincia extincta, ſicut *Anglia*, & *Scotia*. Quippè *Hibernia* ad Differentiam illarum ſuos habebat proprios, ut mox oſtendebam, Provinciales, inſuperque Religione florebat etiam uſque ad Annum 1646, ut ex ſuperiùs (*b*) allatis, cæteriſque pleniùs exſcribendis (*i*) Comitiorum Generalium *Romæ* 1656 Verbis, ſole meridiano clarius patebit. Recole, ſi placet, quæ de *Fontanæ* Opinatione circà primam *Hiberniæ Dominicanæ* Erectionem in Provinciam jàm anteà (*k*) libavi, nunc ad alia feſtinemus.

XII. Quamquam inter alia *Privilegia, & Indulta, quibus diverſi Romani Pontifices Ordinem Prædicatorum in Regno Hiberniæ donarunt* (*l*), illud ei ſpecialiter conceſſerint, quod Domorum Ordinis in hoc Regno Fundatores, ac alij, ſuas ibi Sepulturas eligentes, à Solutione *Portionis Canonicæ* (*m*), & quorumcunque aliorum Jurium, Ratione Funeris quomodolibet debitorum, liberi, & exempti ſint; quodque Fratres Domorum hujuſmodi omnes, & ſingulas Decimas Ratione Feudorum, ipſis Domibus per eoſdem Fundatores, ac quoſumque alios Chriſtifideles relictorum, liberè exigere, & percipere poſſint: Nihilominùs, Sæculo Eccleſiæ XVI, ab eo etiam Tempore, quo Regnum hoc Hæreticorum *Anglorum* Audaciâ, & Scholis infeſtari cæptum eſt, Epiſcopi nonnulli, & Parochi, atque alij, multa in Dies Gravamina dictis Fratribus ſuper hujuſmodi inferebant Privilegijs, nominatìm circà Laicorum in Domibus ſuis Sepulturas, quas nedùm totis Viribus impedire nitebantur, ſed & Sepulchra, Lapides, aliaque defunctorum Monumenta, quæ in Fratrum Domibus, Eccleſijs, aut Cæmeterijs constructa fuerant, indè in ſuas quiſque Eccleſias violenter aſportarunt, in notabile Fratrum Vilipendium, Detrimentum, & Jacturam, non reformidantes Cenſuras à *Bonifacio* VIII, & *Clemente* V, Romanis Pontificibus, in ſimiles Tranſgreſſores dudùm fulminatas.

XIII. Enimvero cúm jàm anteà Sepulturarum Invaſio magna Scandala, & Diſſentionum Semina pareret, ipſiſque Fidelibus Libertatem adimeret in eligendis Sepulturis, *Bonifacius* VIII, Animarum Periculis, & Scandalis obviare volens, hanc edidit Decretalem (*n*): “ Univerſis Religioſis,
“ & Sæcularibus Clericis, cujuſcunque Statûs, vel Conditionis exiſtant, in Virtute Sanctæ Obe-
“ dientæ, ac ſub Interminatione Maledictionis æternæ, diſtrictiſſimé prohibemus, ne aliquos ad
“ vovendum, jurandum, vel Fide interpoſitâ, ſeù aliàs promittendum inducant, ut apud eorum
“ Eccleſias Sepulturam eligant, vel jam electam ulteriùs non immutent. Nos enim (ſi ſecús factum
“ fuerit) Electionem talem decernimus nullius penitús exiſtere Firmitatis. Statuentes, ut hi, qui
“ ſic elegerint, nec alibi (ne contrà Votum, Juramentum, aut Promiſſum hujuſmodi à ſe factum,
“ Materiam habeant veniendi) poſſint eligere Sepulturam: Sed Contradictione quâcunque ceſſante
“ ſepeliantur omninò apud illas Eccleſias, apud quas (*o*) ſepeliendi de Jure fuiſſent, ſi aliàs Se-
“ pulturâ non electâ forſitan deceſſiſſent. Si verò ijdem Religioſi, vel Clerici, prædictos in ſuis
“ Eccleſijs, vel Cæmeterijs præſumpſerint ſepelire, ad Reſtitutionem tàm ſepultorum Corporum
“ (ſi petantur) quàm etiam omnium, quæ Occaſione Sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet
“ ad eoſdem, infrà Decennium integraliter faciendam, ipſos obligatos eſſe cenſemus. Quam niſi
“ fecerint, Eccleſiæ ipſæ, apud quas ſepulti fuerint, necnon & Cæmeteria earundem, ex tunc eo
“ ipſo

(*g*) In Limine Partis i, *ad Lectorem*.

(*b*) Num. iii. hujus Capitis, Pag. 92.

(*i*) Cap. ix. §. xxv, Num. ii: & Cap. xiv. Num. xv.

(*k*) Cap. preced. Num. vii. Pag. 74.

(*l*) Talis eſt Tenor Exordij Conſtitutionis *S. Pij* V, brevi exſcribendæ.

(*m*) Confer ſuperiùs dicta Cap. præced. à Num. xxiii. Pag. 86. ubi operoſè diſſerui de hujuſmodi Portione Canonica paſſim dictâ *Quarta Funerali*, ibique oſtendi Fratres Mendicantes *Hiberniæ* ab ea perſolvenda immunes.

(*n*) Eam legere eſt Cap. *Animarum*, Tit. *de Sepulturis* in 6. Regnavit porrò *Bonifacius* viii ab Anno 1294 ad 1303.

(*o*) *Scilicet ubi ſunt Majorum ſuorum Sepulchra*, inquit *Gloſſa*. Conſulendum Cap. præcedens, Num. xx. Pag. 88.

“ ipſo ſint, & tamdiú maneant Eccleſiaſtico ſuppoſita Interdicto, donec ab eis facta fuerit Reſtitutio plenaria omnium prædictorum.”

HANC Conſtitutionem innovavit *Clemens* V *(p)*, decernens, Pænam, à *Bonifacio* comminatam, ipſo Facto incurri, eamque Summo Pontifici reſervans: Addens inſuper, Sententiam Excommunicationis item reſervatam. Hinc *Gloſſa* in prælibatam Decretalem *Bonifacianam* advertit: “ Hodiè Tranſgreſſores excommunicati ſunt ipſo Jure, nec abſolvuntur ab alio, quàm à Papa, niſi in Mortis Articulo, per Clementinam *de Pænis*, Cap. *Cupientes*, in Fin. Quæ etiam reſervat Pænas infrà *(q)* poſitas.”

XIV. PRÆNARRATIS autem de Injurijs, Fratribus in Regno *Hiberniæ* illatis, informatus *S. Pius* V, Anno 1567, à P. *Gulielmo Mac-Annechini*, Hiberno, Ordinis Prædicatorum, apud Sedem Apoſtolicam perſonaliter conſtituto, qui *Hiberniæ Dominicanæ* Nomine Sanctitati Suæ pro Remedio opportuno ſupplicabat, laudatus Pontifex omnia, & ſingula Privilegia *Hiberno-Dominicanis* per Prædeceſſores ſuos conceſſa, confirmavit, & innovavit. Singulas etiam eorum Terras, Villas, & Loca ab omni Ordinariorum Juriſdictione immunes declaravit. Inſuper omnes utriuſque Sexûs Homines in Terris, Villis, & Locis Ordinis hujuſmodi degentes, ab omnibus Decimis *(r)*, Oblationibus, & alijs quibuſcunque Oneribus, ordinarijs, & extraordinarijs, per Ordinarios Locorum, aut Parochiarum Rectores, exigi ſolitis, aut prætenſis, in perpetuum exemit, & liberavit; diſtrictè inhibens Epiſcopis, Parochis, & quibuſvis alijs, ſub graviſſimis Cenſuris, ipſo Facto incurrendis, ne prædicta Privilegia infringere, aut impugnare audeant, vel præſumant; ipſis etiam ſub eiſdem Pænis præcipiens, ut omnia, & quæcunque Monumenta, Ligna, Lapides, Res, & Bona mobilia, vel immobilia, per eos, eorumve Anteceſſores à Locis Fratrum ablata, uſurpata, & detenta, ſtatim reſtituere procurent. En ipſummet *S. Pij* V Diploma, ut extat in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. V. Pag. 149. ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar authenticum.

“ Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ PRO ſuſcepti à Nobis Regiminis Officio, ea, quæ Ordinibus, & Locis Regularibus, eorumque Perſonis, pro felici, & tranquillo ipſorum Statu, à Sede Apoſtolica providè conceſſa fuiſſe dicuntur, ut firmiùs ſubſiſtant, libenter, cùm à Nobis petitur, noſtro Præſidio communimus, & etiam, ſuadente Rerum, & Temporum Qualitate, illa eis indulgemus, quibus ſubnixi, poſſint in ſuo regulari Inſtituto, ad Dei Laudem, & Religionis Chriſtianæ Incrementum, ſtabiliùs permanere. Sanè pro Parte dilecti Filij Guilelmi Macannechini, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris, in Regno Hiberniæ oriundi, apud Sedem prædictam perſonaliter conſtituti, & dilectorum Filiorum, & Priorum, & Fratrum univerſarum Domorum dicti Ordinis, in eodem Regno conſiſtentium, Nominibus, Nobis nuper exhibita Petitio continebat, quod inter alia Privilegia, & Indulta, quibus diverſi Romanì Pontifices *(s)*, Prædeceſſores noſtri, prædictum Ordinem, necnon illius Priores, Fratres, Domos, & Loca, in dicto Regno conſiſtentia, diverſimodè ornarunt, illud quoque eis ſpecialiter conceſſerunt, quod dictarum Domorum in eodem Regno Fundatores, ac alij, ſuas ibi Sepulturas eligentes, à Solutione Tertiæ Partis Canonicæ nuncupatæ, & Adminiſtrationis Epiſcopalis Ratione Funeris Parochialium Eccleſiarum, Rectoribus illarum alias obvenientis, necnon Oblationis Candelarum, & quorumcunque aliorum Jurium, Ratione hujuſmodi Funerum quomodolibet debitorum, liberi, & exempti ſint, & eſſe cenſeantur; Quodque Fratres Domorum hujuſmodi, omnes, & ſingulas Decimas Ratione Feudorum, ipſis Domibus per eoſdem Fundatores, ac quoſcunque alios Chriſtifideles relictorum, liberè exigere, & percipere poſſint, prout in Literis Apoſtolicis deſuper confectis pleniùs continetur. Pro Parte dicti Guillelmi, etiam dictis Nominibus aſſerentis, quod

---

(p) Cap. *Cupientes*, Tit. *de Pænis*, in *Clementinis*. Regnavit autem *Clemens* v ab Auno 1305, ad 1314.

(q) Id eſt, in Decretali *Bonifaciana*, mox exſcriptâ.

(r) Conſulendus Tom. viii. *Bullarij Ordinis Prædicatorum* in Tract. *de Conſenſu Bullarum*, Tit. x. *de Decimis*, ubi evincitur, Prædicatorum Familiam, ejùſque Hortos, Virgultus, & id Genus cætera à quibùſvis Decimis ſolvendis eximi.

(s) Ex his liquet, plura, & varia Pontificia Diplomata Favore *Hiberniæ Dominicanæ* emanata fuiſſe, quæ tamen in Cænobiorum Conflagratione per Hæreticos *Anglos*, Tempore præſertim *Cromuellianæ* Uſurpationis, facta, perierunt. Atque inter alia deſideratur planè Conſtituto *Pauli* iii, quâ ſecundò erecta fuit in Provinciam Ordinis, juxtà jam dicta Num. i. hujus Capitis, haud paucis Privilegijs eâdem Operâ ipſi proculdubiò conceſſis, cui proindè ſicut & alijs alludere videtur *Pianæ* hujus Bullæ Exordium.

“ Rectores præfati, necnon Locorum Ordinarij, Cathedralium Eccleſiarum Prælati, & Superiores, ac diverſi alij, multa in Dies Gravamina Prioribus, Fratribus, Domibus, & Locis prædictis ſuper hujuſmodi Privilegijs in eorum Uſu inferunt, & Jacturas, quin etiam ab eo Tempore, quo dictum Regnum Hæreticorum Nationis Angliæ Audaciâ, & Scholis infeſtari cæptum eſt, dicti Rectores, & Superiores, nonnulla Sepulcra, Lapides, & alia Monumenta Fidelium defunctorum, quæ in dictis Domibus, Eccleſijs, & Locis conſtructa erant, indê in ſuas quiſque Eccleſias violenter aſportarunt, eademque uſurpant, & detinent, in non modicum Ordinis, Domorum, & Fratrum Prædicatorum, Vilipendium, Detrimentum, & Jacturam, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Privilegijs, & Indultis prædictis, pro eorum Subſiſtentia firmiori, etiam noſtræ Protectionis Robur adjicere, & aliàs illorum Statûs Tranquillitati, & Indemnitati in hac Parte pleniùs conſulere, de Benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur qui cunctos Ordines, & Religioſa Loca, ad Fidei Catholicæ Firmamentum in Tutelam inſtituta, in ſuis Juribus, & Privilegijs, quantùm in Nobis eſt, juvare, & confovere, eiſdemque omni, quo poſſumus, Auxilio ſubvenire tenemur, prædictum Guillelmum, alioſque Fratres, à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, necnon Privilegiorum, & Indultorum prædictorum Tenores Præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, prædicta, necnon omnia, & ſingula alia Privilegia, Gratias, Immunitates, Conceſſiones, & Indulta Ordini, & Domibus, & Fratribus prædictis per quoſcunque Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros hujuſmodi quomodolibet conceſſa, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Clauſulis, & Decretis, Auctoritate Apoſtolicâ, Tenore Præſentium, approbamus, & confirmamus, ac prout ab ipſis Prædeceſſoribus conceſſa ſunt, innovamus, & perpetuæ Firmitatis Vinculo communimus, ſupplentes omnes, & ſingulos, tàm Juris, quàm Facti, Defectus, ſi qui intervenerint in eiſdem. Inſuper Priores, Fatres, Domos, & Loca præfata, univerſumque Ordinem in Regno prædicto, ac omnia, & ſingula ipſorum Fratrum, & Ordinis, Terras, Villas, & Loca, ab omni Juriſdictione, & Superioritate quorumcuque Ordinariorum, Rectorum, & Vicariorum prædictorum, ac quorumvis aliorum, & etiam utriuſque Sexûs Homines in Terris, Villis, & Locis Ordinis hujuſmodi, & illius Fratrum, degentes ad omnibus Decimis, Oblationibus, & alijs quibuſcunque Oneribus, ordinarijs, & extraordinarijs, per Ordinarios, Rectores ac Vicarios prædictos, alioſque Clericos Sæculares, ac quorumvis Ordinum aliorum Regulares, de Facto impoſitis, & imponendis, & per eos petitis, ſeù etiam quomodolibet prætenſis, ac exigi ſolitis, & inſolitis, novis, & antiquis, penitùs, & omninò, in perpetuum eximimus, & liberamus; diſtrictiùs inhibentes prædictis omnibus, & ſingulis Rectoribus, Ordinarijs, Prælatis, Superioribus, cæteriſque tàm Sæcularibus, quàm quorumvis Ordinum Regularibus, necnon Laicis etiam Utriuſque Sexûs, in eodem Regno exiſtentibus, cujuſcunque Dignitatis, Statûs, & Conditionis fuerint, quibus præſentes Literæ, vel earum Exempla authentica præſentabuntur, ſub Excommunicationis Majoris, ac Suſpentionis, & Interdicti, alijque Sententijs & Cenſuris, Pænis Eccleſiaſticis, per quemlibet Contrafacientem eo ipſo incurrendis, ne prædicta impedire, aut Priores, & Fratres prædictos, in Perſonis, Rebus, & Bonis, publicè, vel occultè moleſtare, nec etiam Sepulturas in dictis Eccleſijs, & Locis eligentium primas Oblationes, ultimum Vale nuncupatas, in Detrimentum dicti Ordinis exigere audeant quoquomodo, vel præſumant. Quin etiam ipſis univerſis, & ſingulis ſub eiſdem Pænis præcipimus, ut omnia, & quœcunque Monumenta, Ligna, Lapides, Res, & Bona mobilia, & immobilia, per eos, ſeù eorum Anteceſſores, quibuſcunque Domibus, Eccleſiijs, Capellis, & cæteris Regularibus Locis, Ordinis, & Regni hujuſmodi à quocunque Tempore citrà abſtracta, ablata, uſurpata, & detenta, & ad Domos, Eccleſias, & Loca hujuſmodi ſpectantia, & pertinentia, Ordini, Domibus, Eccleſijs, & Fratribus prædictis ſtatìm reſtituere procurent. Decernentes præmiſſa omnia, & ſingula ſuos Effectus plenariè ſortiri, nec Priores, Fratres, Domos, aut Loca prædicta, nec Sepulturam ibi eligentes, nec eorum Perſonas deinceps ſuper eis, aut eorum aliquo per Locorum Ordinarios, Rectores, Superiores, Prælatos, & alios præfatos, vel quoſcunque alios, turbari. Quinimmò ipſos Rectores, Ordinarios, Superiores, & Prælatos, ad obſervationem inviolabilem præmiſſorum teneri, & ad id etiam Sententijs, Cenſuris, & Pænis Eccleſiaſticis, & pecuniarijs compelli, ac præſentes Literas nullo unquàm Tempore de Subreptionis, vel Obreptionis, aut Nullitatis Vitio, ſeû Intentionis noſtræ, vel alio quopiam Defectu notari, vel impugnari poſſe, nec ſub quibuſvis etiàm illarum totum Tenorem in ſe continentibus, Revocationibus, Suſpenſionibus, Limitationibus, aut Derogationibus per Nos, aut Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, vel Sedem prædictam ſub quibuſcunque Tenoribus, & Formis, ac cum quibuſvis Clauſulis, & Decretis, ac etiam Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, & alijs Conſtitutionibus editis, & edendis, comprehendi, ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum Statum reſtitutas, ac de novo conceſſas eſſe, & cenſeri. Sicque per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, in quavis Cauſa, & Inſtantia, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâlibet aliter

“ judicandi, & interpretandi Facultate, & Auctoritate, ubique judicari, & diffiniri debere, necnon irritum,
“ & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit
“ attentari. Quocircà Venerabili Fratri Noſtro Epiſcopo Roſſanen (*t*), ac dilecto Filio Mauritio Macgirum
“ Abbati Monaſterij B. Mariæ de Majo *(u)* Ciſtercien Ordinis, Limiticen *(w)*. Diæceſis, ac Theſaurario
“ Eccleſiæ Carthaginen. per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs ipſi, vel Duo, aut Unus eorum,
“ per ſe, vel alium, ſeu alios, præſentes Literas, & in eis contenta quæcunque, ubi, & quandò Opus
“ fuerit, ac quoties pro Parte Priorum, & Fratrum prædictorum, ſeù alicujus eorum, deſuper fuerint
“ requiſiti, ſolemniter publicantes, eiſque, & eorum ſingulis in præmiſſis efficacis Defenſionis Præſidio aſſiſtentes,
“ faciant Auctoritate noſtrâ præmiſſa omnia, & ſingula firmiter obſervari, ipſoſque Priores, &
“ Fratres præſentibus Literis, necnon Privilegijs, Exemptionibus, Gratijs, Immunitatibus, alijſque omnibus,
“ & ſingulis ſupradictis, perpetuò, ac pacificè frui, & gaudere: Non permittentes, eorum quempiam
“ per Rectores, ordinarios Superiores, Prælatos, & quoſcunque deſuper quomodolibet indebitè
“ moleſtari. Contradictores quoſlibet, & rebelles, per Cenſuras, & Pænas Eccleſiaſticas, ac etiam pecuniarias,
“ eorum Arbitrio moderandas, aliaque opportuna Remedia, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo,
“ legitimiſque ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, Cenſuras ipſas, & Pænas prædictas etiam
“ iteratis Vicibus aggravando. Invocato ad hoc, ſi Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis. Non obſtantibus
“ felicis Recordationis Bonifatij PP. VIII, Prædeceſſoris Noſtri, etiam illâ, quâ cavetur, ne quis
“ extrà ſuam Civitatem, vel Diæceſim, niſi in certis exceptis Caſibus, & in illis ultrà unam Dietam, à
“ Fine ſuæ Diæceſis ad Judicium evocetur, ſeù ne Judices, à Sede prædicta deputati, extrà Civitatem,
“ vel Diæceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedant, aut alij, vel alijs Vices ſuas
“ committere præſumant; & in Concilio Generali editâ de duabus Dietis, dummodò ultrà Tres Dietas,
“ aliquis Auctoritate præſentium, ad Judicium non trahatur; alijſque Apoſtolicis, necnon in Provincialibus,
“ & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon
“ Domorum, & Ordinis prædictorum Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ
“ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, illis, ac etiam
“ prædictis Rectoribus, Ordinarijs, Superioribus, Prælatis, ac quibuſvis alijs, ſub quibuſcunque Tenoribus,
“ & Formis, ac cum quibuſvis, etiam derogatoriarum derogatorijs, Clauſulis, irritantibuſque alijs
“ quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis; quibus omnibus, etiam Vim, & Effectum impedientibus,
“ etiamſi pro illorum ſufficienti Derogatione de ipſis, eorumque totis Tenoribus, ſpecialis, ſpecifica,
“ expreſſa, & individua, ac de Verbo ad Verbum, non autem per Clauſulas generales, idem importantes,
“ Mentio, ſeù quævis alia Expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita Forma ad hoc ſervanda foret, Tenores
“ hujuſmodi ac ſi de Verbo ad Verbum, inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes,
“ illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, hâc Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, contrarijs
“ quibuſcunque; aut ſi Rectoribus, Ordinarijs, Prælatis, & Superioribus prædictis, vel quibuſvis alijs,
“ communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non
“ poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum, de Indulto
“ hujuſmodi Mentionem. Nulli autem omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Abſolutionis, Approbationis,
“ Confirmationis, Innovationis, Commutationis, Suppletionis, Exemptionis, Liberationis,
“ Præcepti, Decreti, Mandati, & Inhibitionis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem
“ hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum
“ ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo
“ Quingenteſimo Sexageſimo Sexto (*x*), Quarto Decimo Kalendas Martij, Pontificatûs Noſtri
“ Anno Secundo.”

XV. TAMETSI

(*t*) Legerem *Roſſen*, vulgò *Roſs*, in *Corcagienſi* Agro *Momoniæ*, ut legere eſt Cap. i. Num ii. Pag. 18. Porro Epiſcopus *Roſſenſis* tunc Temporis erat *Thomas O-Herlily*, qui *Tridentino* interfuerat Concilio, ejuſque Subſignationem Exemplar impreſſum in hunc Modum exhibet: *Thomas Overllaith*, *Hibernus*, *Epiſcopus Roſſen*. Quem tamen *O-Harlily* cognominant *Waræus*, & *Harriſius*, de *Præſulibus Roſſenſibus* differentes.

(*u*) Rectiùs *de Magio*, ut ſic diſcernatur à Monaſterio Canonicorum Regularium de *Majo*, in Agro ejuſdem Nominis *Conaciæ*. In Diæceſi quippè, & Agro *Limericenſi* eſt Oppidum, cui Nomen *Nenay*, quod *Magius* etiam paſsim dicitur à *Magio* Flumine, ad cujus ſitum eſt Ripam, ibique inſigne fuit Ciſtercienſis Ordinis Mouaſterium ſub Invocatione *B. Mariæ*.

(*w*) Corrupta Vox. Scribendum *Limericen.* vulgò *Limerick*, in *Momonia*. Adeas Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*x*) Stylo Bullarum, Æræ verò communis 1567, ut rectè pro More advertit Rmus noſter *Bremond*, Tom. v. *Bullarij*, Pag. 151. Not. 4.

XV. Tametsi ſub Finem Hiſtoriolæ hujus datâ Operâ dicturus ſim (*y*) de *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnis, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione claris, hìc tamen Loci Silentio prætereundum non videtur quod *O-Heynus* noſter (z) refert his Verbis: *Siſte Oculos, Lector, & perſpice Caſum horrendum. Anno* 1602, *infernale Inſtrumentum* Elizabetha, *Pſeudo-Regina* Angliæ (a), *evulgavit Edictum, quo ſupprimebat omnes Monachos in* Hibernia, *eorumque Bona Fiſco adjudicavit. Expoſuerunt Monachi Benedictini, Bernardini, & reliqui, per Libellum Supplicem, dictæ* Elizabethæ, *ut digneretur illis Conductum exhibere extrà Regnum. Annuit illa libenter, mandans ipſis, ut omnes congregarentur in quadam Inſula* (Magni Fluminis Shannani) *vocatâ Hibernice* Inniſcatha, *Anglice* Scattery, *diſtante Quatuordecim Leucis* Limericô. *Convenerunt eò ex omnibus Finibus Regni Monachi Quadraginta Duo, & ſub Nomine* Bernardinorum *venerunt eò pariter Duo Patres graves ex noſtris exeuntes, velut Agentes apud Principes Catholicos pro iſta deſolata* Hibernia. *Septem etiam Clerici noſtri ex utroque Conventu* Limericenſi, *&* Killocenſi *convenerunt. Tandem miſſa eſt ad eos omnes tranſvehendos una magna Navis bellica, quam conſcendentes, ingreſſi ſunt altum Oceanum, & omnes projecti ſunt in Mare ex privato Mandato iſtius diabolicæ Fæminæ, quæ regreſſum Capitaneum, & reliquos Nautas, & Milites, ad illam Navim ſpectantes, intruſit in Carcerem, caſſans omnes Officiales, ut ſic Mundus quaſi videret Innocentiam ejus in turpi iſto Facto. At clàm monens, nè ſibi attribuiſſent aliquid in hac Re, recompenſavit hos, ſimulanter carceratos, per Partem Bonorum Abbatialium derelictorum ab iſtis ſacrilegè ſubmerſis; & aliqui de Poſteritate hac nequiſſimâ vivunt hodie in* Hibernia. *Vah Facinus multo plus quàm horrendum.*

XVI. *Hibernia Dominicana* Tria habet Collegia extranationalia, de quibus ſigillatìm datâ Operâ ſuis reſpectivè Locis (*b*) agetur. Intereà porrò, habito ad Tempus Fundationis pro *Hibernis* (*c*) Reſpectu, *Ulyſſiponenſe* in *Luſitania* primum ſibi vindicat Locum, utpotè quod fundari cæpit Anno 1615 in hunc Modum. Homo quidam Nobilis, Nomîne *Garcias Horunca*, Patriâ *Ulyſſiponenſis*, Prædium quoddam in Loco non longè ab *Ulyſſiponenſi* Metropoli, *Loures* vulgariter nuncupato, donavit *P. Joanni de Portugallo*, Priori Conventûs *S. Dominici* de *Benſiqua* (*d*), Ordinis Prædicatorum. ejuſque Germano Fratri, Comiti de *Vimiozo*, in eodem Ordine, quem profeſſus fuerat, *Dominico de Roſario* appellato, eâ Lege, ut in Prædio illo Domus Regularis ejuſdem Ordinis pro Arbitrio, & Voluntate *Joannis*, & *Dominici* prædictorum erigeretur. Hi autem illud benignè dederunt Fratribus Prædicatoribus Provinciæ *Hiberniæ*; inſimulque memoratus Prior, ejuſque Conventus, de Licentia Rmi P. *Seraphini Sicci*, Papienſis, LVI Magiſtri Ordinis, donare decreverunt aliud Prædium, Cænobio ſuo contiguum, ijſdem Fratribus *Hibernis*, pro fabricando inibi Collegio, in qua Alumni, ſeù Collegæ *Hiberni*, tâm Novitij, quàm Profeſſi, Artium Liberalium, & Theologiæ Studijs commodè vacare poſſent, ut ſpiritualiter educati in *Hiberniam* mitterentur pro Fide Catholica tuenda & confirmanda apud *ejuſdem Regni Incolas, qui in avita ſuorum Antiquorum Religione hucuſque* (Anno 1615) *perſtiterunt* (*e*).

Ea de Re ſæpè laudati *Joannes*, & *Dominicus* ſupplicarunt tunc regnanti Summo Pontifici *Paulo* V, qui deſuper expediri fecit Literas Apoſtolicas, quas infrâ (*f*) commodiùs in Medium adducam, cùm de *Ulyſſiponenſi* Collegio tractavero. In eadem inſuper Civitate, ſeù potiùs in Suburbio illius, *Bethlehem* nuncupato, viget Monaſterium Monialium *Hibernarum* noſtri Ordinis a D. *Irena de Brito*, Comitiſſa de *Athalaya*, Anno 1639 fundato, de quo etiam ſpecialem Sermonem alibi inſtituam (*g*).

XVII. Anno 1622 Rmus Magiſter Ordinis *Seraphinus Siccus*, mox laudatus, Comitia convocavit Generalia *Mediolani* apud *S. Euſtorgium* (*h*). Et quandoquidem Provincia *Hiberniæ* ob

---

(*y*) Cap. xvi. per totum.

(*z*) Pag. 18, & ſeq.

(*u*) Confer Cap. xvii. Nnm. ii.

(*b*) Cap. xii. §. i, ii, & iii.

(*c*) Conſultò dixi *pro Hibernis*, abſolutè enim loquendò Primatum tenet Cænobium *S. Sixti* de Urbe, quod S. P. *Dominicus* ſtatìm poſt confirmatum Ordinem ab *Honorio* III, ne dicam anteà ab *Innocentio* III, impetravit. Adeas Cap. xii. §. i. Num. ix.

(*d*) *Benſiqua* duabus circiter Leucis ab *Ulyſſiponenſi* Metropoli diſtat; æqualiſque eſt Diſtantia *Benſiquam* inter & *Loures*.

(*e*) Verba ſunt Conſtitutionis *Pauli* Papæ V, Cap. xii. §. ii. Num. i. exſcribendæ.

(*f*) Loco mox citato.

(*g*) Cap. xii. §. v.

(*h*) Cænobium *S. Euſtorgij* Juris eſt Provinciæ *S. Petri Martyris*, cujus Corpus ibidem aſſervatur, ut nuper ajebam Num. v. Lit. g. Pag. 96. In eadem autem *Mediolanenſi* Urbe adeſt alterum Dominicani ſæva Bella, tàm domeſtica, quàm extranea (quorum Teſtes ſunt omnes Tempeſtatis illius Hiſtorici) capitulariter convenire nequiverit pro eligendo ſuo Provinciali, idcircò Provincialem ei dederunt memorata Comitia Generalia, ut nuper narrabam *(i)*, P. Præſentatum Fr. *Rochum Mac-Geoghegan*, dictum *à Cruce*, quia enim in *Hiſpaniarum* Regno educatus, immò Conventûs *Rupis-Franciæ* in Provincia *Hiſpaniæ* Filius, hujus Generis Cognomen, Regionis More, conſecutus eſt. Fuit autem poſtmodùm Epiſcopus *Darenſis*, atque omni Elogio dignus, ut ſuo Loco dicetur (*k*).

Porro in prælibatorum Comitiorum Actis nonnulla ſancita ſunt pro *Provincia Hiberniæ*, quæ de Verbo ad Verbum Oculis tuis, candide Lector, ſubjicio, idem etiam deinceps facturus quoad ſubſequentia Comitia Generalia, utpotè ex quibus quamplurima Obſervatu digniſſima, ad *Hiberniæ Dominicanæ* Hiſtoriam ſpectantia, innoteſcent.

Pro Provincia Hiberniæ.

“ Reſtituimus noſtræ Congregationi Hiberniæ Nomen, & Titulum Provinciæ (*l*), damuſque ei in Provincialem Patrem Præſentatum Fratrem Rochum de Cruce.

“ Tradimus huic Provinciæ Conventum Belvearienſem (*m*) in Gallia, dummodò Patres Provinciæ Franciæ conſentiant.

“ Commendamus A. R. P. Provinciali Provinciæ Inferioris Germaniæ Magiſtro Fratri Joanni de Loix omnes Fratres Hibernos, ut pro eo quantùm poterit ipſis faveat apud Flandriæ Magnates (*n*).

“ Concedimus, ut in quolibet ſtudio Generali Locis vacantibus adſint Unus vel Duo Fratres hujus Provinciæ Hiberniæ.

“ Cùm in hac Provincia Fratres noſtri Prædicationi Evangelicæ potiſſimùm ad convertendos Hæreticos inſiſtere debeant, eis Facultatem concedimus petendi à Summo Pontifice, ut Gradibus Titulo Prædicationis inſigniri valeant (*o*).

“ Concedimus huic Provinciæ, ut donec in Regno Angliæ Res pacatæ non fuerint, Partem aliquam Bonorum Fratrum Defunctorum ad Conventus aliarum Provinciarum, quorum ipſi Defuncti erant Filij, mittere non teneantur (*p*).

“ Item concedimus Patri Provinciali hujus Provinciæ, ut revocare poſſit omnes Studentes Hibernos, cùm ſibi expedire videbitur ; nullum verò Fratrem Volumus ſine ejuſdem Provincialis Licencia, in Scriptis obtentâ, poſſe recedere à Provincia ſub Pæna Carceris, & alijs arbitrarijs.”

CAPUT

Ordinis Cænobium *S. Mariæ Gratiarum* nuncupatum, quod Juris eſt Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ*.

(*i*) Num. viii. Pag. 98.

(*k*) Cap. xiii. Num. lxiv.

(*l*) Confer nuper dicta Num. viii. Pag. 98.

(*m*) Gallicè *Beauvois-ſur-Mer*. Adeas Cap. xii. §. iv. Num. iv.

(*n*) Scilicet pro fundando eâ in Ditione Collegio extranationali, ut uberiûs dicetur Cap. xii. §. iii Num. i.

(*o*) Confer Cap. ſeq. Num. xiv. Sect. 8.

(*p*) Videſis Cap. ſeq. Num. ix. Sect. 2. Hùc porrò facit Ordinatio Rmi Magiſtri Ordinis Fr. *Thomæ Ripoll*, in Literis Confirmatorijs Actorum Capituli Provincialis *Dublinienſis* 1734, ſtatuens, ut Fratrum *Hibernorum* in Regionibus ultramarinis defunctorum Bona (ſeù Pars illorum) non mittantur ad Conventus ſuos Originales in *Hibernia*, ſed ad Collegia extranationalia in hunc Modum, per ſequentia Verba præſcriptum : *Cum Ordinatio quarta quoad Bona Fratrum defunctorum ſe revocet ad Ordinationem quartam Capituli Provincialis* 1726, *& hæc ſuper aliam Numero quarto Capituli Provincialis* 1721, *quæ Bona relicta poſt Mortem Fratrum defunctorum extrà Collegia Ulyſſiponenſe, Lovanienſe, & Romanum, & extrà Hiberniam, in Hiſpania, Gallia, & utraque Germania adſcribantur Collegio Lovanienſi ; defunctorum verò in Italia, Collegio Romano SS. Sixti, & Clementis, cum Præjudicio Collegij Ulyſſiponenſis, quod non modica Miſſionibus preſtat Obſequia : Qnapropter in Favorem Juſtitiæ diſtributivæ caſſamus omnino illam Ordinationem Num.* iv. *Capituli Provincialis* 1721 *quoad hoc Punctum, & Præſentibus ordinamus, & ſtatuimus, ut Bona præfata Fratrum defunctorum in Gallia, & Utraque Germania Collegio Lovanienſi ; defunctorum in Italia, & Locis vicinis, Collegio SS. Sixti & Clementis de Urbe cedant ; defunctorum vero in Hiſpania, & Luſitania, Collegio Ulyſſiponenſi Sanctiſſimi Roſarij applicentur.*”

CAPUT SEXTUM.

De Quinto *Hiberniæ Dominicanæ* Sæculo, & ultrà, nimirùm ab Anno 1624 ad 1759.

SUMMARIUM.

I. *Collegium* Lovanienſe *pro* Hiberno-Dominicanis *fundari cæptum Anno* 1624.

II. *Jam tertiò ſuſcitatâ Lite de* Quarta Funerali, *Decretum ſuum, & Judicium interpoſuit Epiſcopus* Midenſis, 17. *Aprilis* 1627.

III. *Idem præſtitit Archiepiſcopus* Dublinenſis, 22 *Aprilis* 1627.

IV. *Idem quoque Epiſcopus* Dunenſis, & Connorenſis, 16. *Maij* 1627.

V. *Necnon Epiſcopus* Kilmorenſis, (*poſtmodùm Archipræſul* Armacanus) 16. *Junij* 1627.

VI. *Atque Epiſcopus* Elphinenſis, 15. *Junij* 1627.

VII. *Demùm & Neo-Epiſcopus* Dunenſis, & Connorenſis, *cujus Declarationem confirmat Academia* Lovanienſis, 5. *Novembris* 1630.

VIII. *Hùc ſpectat aliud Academiæ* Lovanienſis *Inſtrumentum, quo oſtenditur, fas eſſe Regularibus reverti ad Loca, ubi olim habuerunt Conventus, ab Heterodoxis diſperſos, abſque novâ Ordinariorum Admiſſione. Item & uti Altari Portatili.*

IX. *In Comitijs Generalibus* Romæ 1629 *plura Provinciæ* Hiberniæ *conceſſa.*

X. *Capitulum* Generaliſſimum *Anno* 1644 Romæ *celebratum. Differentia iſtud inter, & Capitulum* Generale. *Memorantur Duo Capitula* Generaliſſima *reapsè talia, & Tria Nomine tenùs. Referuntur Sexdecim Conceſſiones,* Provinciæ Hiberniæ *in prælibato Capitulo* 1644 *factæ.*

XI. *Quinque in ea erectæ Univerſitates, ſeù Studia Generalia. Ultra Triginta Novem Cænobia, alibi recenſita, alia Quatuor excitata. Anno* 1649 *obtruncato per ſummam Perfidiam* Carolo *Primo Rege, exortæ ſunt atrociſſimæ Perſecutiones, quas ſecuta eſt acerba Catholicorum* Hiberniæ *Strages, & Cænobiorum totalis fermè Ruina.*

XII. *Nihil in Capitulo Generali* Valentino 1647 Provinciæ Hiberniæ *conceſſum, benè vero in* Romano 1650.

XIII. *Anno* 1655 *Magiſter Generalis* de Marinis *ſtatuit, ut extranationalia Collegium, & Monaſterium* Ulyſſiponenſia *pro* Hibernis *duntaxàt eſſent. Accedit Apoſtolica Confirmatio* Alexandri *VII.*

XIV. *Anno* 1656 *Comitia Generalia* Romæ *plura, eaque ſaluberrima, conceſſere Privilegia pro Inſtautatione* Hiberniæ Dominicanæ, *ob Acatholicorum Sævitiam extorris nativo Solo. Plura inſuper in Actis de Fratribus, & Sororibus* Hiberno-Dominicanis, *qui pretioſâ in Conſpectu Domini Morte obierunt.*

XV. *Anno* 1667 *à laudato Magiſtro Ordinis* de Marinis *plura pro ſublevandis* Hiberno-Dominicanis, *ſub Hæreticorum Jugo gementibus, ſancita, atque inter alia Collegium pro illis apud* Matritum *in* Hiſpania *fundandum.*

XVI. *Ea confirmat memorato Anno* Clemens *IX.*

XVII. *Eaque omnimodam aſſequi Executionem vult ſpeciali Diplomate, eodem Anno expedito, & hìc Loci exſcripto.*

XVIII. *Cænobium* Tingitanum *in* Africa *Anno* 1668 Hiberniæ Dominicanæ *ab eodem ſæpe laudato Magiſtro Ordinis* de Marinis *conceſſum.*

XIX. *Quam Conceſſionem confirmat* Clemens *X. Anno* 1672. *Illud tamen Cænobium perdunt* Hiberni, *atque Chriſtiani omnes, Anno* 1683.

XX. *In Comitijs Generalibus* Romæ 1670 *nonnulla* Provinciæ Hiberniæ *conceſſa.*

XXI. *Multiplicem* Joannis O-Connor, *quà Procuratoris, & Vicarij Generalis Fratrum Prædicatorum Hibernorum, Inſtitutionem Apoſtolicæ Confirmationis Munimine roborat* Clemens X *Anno* 1673.

XXII. *Litem Dominicanos inter, & Franciſcanos* Ultoniæ *exortam* Armacanus *Archipræſul* Oliverius Plunkettus, *quà Commiſſarius Apoſtolicus, dirimit, Anno* 1671.

XXIII. *Nonnulla obiter de Vita, & glorioſa Morte laudati* Plunketti, *ſicut &* Petri Talboti, *Archiepiſcopi* Dublinienſis, *atque Fr.* Dominici de Burgo, *Epiſcopi* Elphinenſis.

XXIV. *Anno* 1674, *ad Inſtantiam* Joannis O-Connor, *novæ Apoſtolicæ Literæ pro Cænobijs, Monaſterijſque in Catholicorum Principum Ditionibus fundandis expeditæ.*

XXV. *Anno* 1677, *gemina* SS. Sixti, & Clementis *de Urbe Cænobia* Hiberno-Dominicanis *conceſſa. Eorum accepta Poſſeſſio per* Hiberno-Dominicanos.

XXVI. *In Comitijs Generalibus* Romanis, *eodem Anno habitis, nonnihil Pro* Provincia Hiberniæ *ſancitum. Ibi* Angelica *vocatur Provincia hæc.*

XXVII. *Anno* 1686, *in Comitijs Generalibus* Romæ *quædam pro Provincia* Hiberniæ *ſtatuta. Nota de Inconvenientibus ex Alternativa Quatuor Hiberniæ Regionum oriundis.*

I. ANNO 1624 fundari cæptum eſt Collegium *Lovanienſe* pro Dominicanis *Hibernis.* Tametſi enim ex nuper (*a*) allatis *Bernardi* noſtri *de Jonghe* Verbis liqueat, *P. Thaddæum O-Duanum*, qui Anno 1608 (*b*) Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt, quique bis fuit Provincialis, omnem adhibuiſſe Operam, per ſe, & per alios, ad Refugium aliquod in *Belgio* impetrandum, *Hiberni* tamen *Lovanium* non intraverunt durante ipſius Regimine, ſed ſub P. *Rocho Mac-Geoghegano*, aliàs *à Cruce*, qui inſtitutus fuerat Prior Provincialis in Capitulo Generali *Mediolanenſi* Anno 1622.

ANNO itàque 1624 *P. Richardus à S. Dominico*, Patrio Agnomine *Berminghamus*, Conventûs *Athenrienſis* Filius, Provinciæ Hiberniæ Procurator, ſub Annuo Cenſu Eccleſiam obtinuit *Lovanij* propè *Caſtrum Cæſaris* ad Sexennium à Nobiliſſimo Domino *Jacobo de Martinet*, Equite Ordinis Militaris *S. Joannis* Jeroſolymitani. *Primuſque hujus Loci Præfectus*, inquit laudatus *de Jonghe* (*c*), *ſub Titulo Rectoris*, fuit P. *Oliverius de Burgo*, qui, ut refert noſter *Joannes O-Heyn* (*d*), erat de Conventu *Galvienſi*. Semel autem, iterùmque in eadem *Lovanienſi* Civitate Domicilium mutarunt Fratres Prædicatores *Hiberni*, ut ſuo Loco dicetur, ubi etiam quæcumque Cænobium iſtud ſpectantia opportuniùs recenſebo (*e*).

II. UT chronologico dicendarum Rerum Ordini continenti conſulam, Sermonem nunc inſtaurem neceſſe eſt de jam tertiò ſuſcitatâ Lite inter quoſdam Cleri Sæcularis *Hiberniæ*, & Fratres Mendicantes, præſertim Minores, circà *Quartam Funeralem*. In anterioribus Capitibus (*f*) multus fui in Altercationis hujus Ortu, & Progreſſu referendo, atque pro Captu cujuſvis Lectoris exponendo. Impræſentiarùm igitur ſat erit in Medium adducere varia variorum per *Hiberniam* Antiſtitum Decreta, & Mandata, Anno 1627 emanata, quibus ſuperiùs allatam (*g*) Reverendiſſimi *Joannis Geraldini*, Epiſcopi *Corcagienſis* Sententiam definitivam, Anno 1514 latam, confirmarunt, ac in ſuis reſpectivè Diæceſibus exequi juſſerunt. Ea porrò omnia reperire eſt in *Summario*, & *Archivo*, alibi (*h*) laudatis.

EN imprimis Decretum, & Judicium Rmi *Thomæ Deaſe*, Epiſcopi *Midenſis*, utpote priùs datum, Die ſcilicet 17 Aprilis 1627.

“ THOMAS &c Midenſis Epiſcopus, omnibus &c Inſtrumentum Sententiæ definitivæ Reverendiſſimi D.
“ Joannis, Corcagienſis, & Clonenſis Epiſcopi, in Cauſa Quartæ Funeralium, ſeù Portionis Canonicæ
“ Epiſcopalis, & Parochialis, pro Fratribus Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, Provinciæ Hiberniæ,
“ & contrà Ordinarios Locorum, & Parochos latæ; ac ejuſdem Sententiæ Confirmationem per &c Maurum
“ Archiepiſcopum Caſſelienſem, & Judicem Conſervatorem Apoſtolicum Quatuor Ordinum Mendicantium
“ in Hibernia, factam; necnon Literas Executoriales ejuſdem Sententiæ per Mauritium Deſmoniæ
“ Comitem editas, Nobis &c præſentatas &c, eaſque cum Numero Annorum in Sacro Concilio Tridentino
“ Seſſ. 25 de Reformat Cap. 13. &c, diligenter conferentes, reperimus, dictam Sententiam, ejuſque
“ Confirmationem, & Literas Executoriales latas fuiſſe ante illos Quadraginta Annos, quos Concilium
“ requirit; ac proindè ipſos Fratres, eorumque Conventus, ex Vi illius definitivæ Sententiæ, juxtà Sacri
“ Concilij Tridentini Determinationem, à Solutione cujuſcumque Quartæ Partis Funeralium in hoc Regno
“ Hiberniæ exemptos eſſe, & immunes, ità ut Epiſcopis, Locorum Ordinarijs, & Parochis, ejuſmodi Quartam
“ Partem, aut Portionem Canonicam, ſolvere nullatenùs teneantur; ſed juxtà præfatæ Sententiæ Tenorem,
“ tàm ipſi Fratres, quàm eorum Conventus ſint, & eſſe debent, ab ejuſmodi Portionis Canonicæ,
“ ſeù Quartæ Funeralium, Solutione liberi, & immunes, prout Nos &c decernimus, & judicamus &c.
“ Datum Dublinij Die 17. Menſis Aprilis 1627.”

III. SEQUITUR Judicium Rmi *Thomæ Fleming*, Ordinis Minorum Alumni, Archiepiſcopi *Dublinienſis*, *Hiberniæ* Primatis &c Die 22 eorundem Menſis & Anni.

“ Nos Fr. Thomas &c Archiepiſcopus Dublinienſis, Hiberniæ Primas &c, prænominatam Sententiam,
“ & Literas Nobis &c. præſentatas &c, ac diligenter diſcuſſas, invenimus latas eſſe antè illos Quadraginta
“ Annos, quos Concilium Tridentinum requirit, cum ipſa definitiva Sententia, ejuſque Confirmatio, edita

“ ſit

(*a*) Num. ix. Capitis Superioris. Pag. 99.

(*b*) Videſis Capituli Generalis 1656 Verba Loco mox citato, & pleniùs Cap. xiv. Num. vii.

(*c*) Pag, 418.

(*d*) Pag. 23.

(*e*) Cap. xii.. §. iii.

(*f*) Cap. iv. à Num. xviii. ad xxiii; & Cap. v. Num. xii, xiii, & xiv.

(*g*) Cap. iv. Num. xix. Pag. 87.

(*h*) Cap. iv. Num. xviii. Pag. 86.

“ ſit Anno 1514, Concilium autem obligare inceperit (*i*) Kalendis Maij Anni 1564. Ex quibus liquidiſſi-
“ mè conſtat, & Sententiam illam antè illos Annos Concilij latam, & Fratres Minores in hoc Hiberniæ
“ Regno diù antè illos, in Concilio requiſitos, fuiſſe in Poſſeſſione non ſolvendi Quartam Funeralium, ſeù
“ Canonicam Portionem; ac proindè prædicti Fratres, eorumque Conventus in Hibernia, juxtà prædictæ
“ Sententiæ Tenorem, & Sacri Concilij Determinationem, liberi, & exempti ſunt, & eſſe debent, à So-
“ lutione cujuſcumque Quartæ Partis Funeralium, aut Canonicæ Portionis Epiſcopalis, aut Parochialis &c.
“ Datum Dublinij hoc Die 22 Aprilis &c 1627.”

IV. SUBSEQUUNTUR Judicium, & Declaratio Rmi *Edmundi* Epiſcopi *Dunenſis*, & *Connorenſis*, Die 16. Maij ejuſdem Anni.

“ Nos Edmundus &c unitarum Diæceſum Dunenſis, & Connorenſis Epiſcopus, &c. Sententiam defini-
“ tivam &c Corcagienſis, & Clonenſis Epiſcopi &c. per &c. Archiepiſcopum Caſſelienſem &c confirmatam,
“ ac Executioni demandatam per Mauritium Deſmoniæ Comitem (*k*) &c. recepimus &c, & diligenter diſ-
“ cuſſimus, & juxtà ejuſdem Sententiæ, atque ejus Confirmationis Vim &c, invenimus, prædictos Fratres,
“ ac eorumque Conventus liberos planè eſſe, & exemptos â Solutione cujuſcunque Portionis Canonicæ,
“ ſeú Quartæ Funeralium &c cum illa Sententia, ejuſque &c Confirmatio diù antè illos Quadraginta An-
“ nos, quos Concilium Tridentinum requirit, lata fuerit, atque Executioni demandata; Fratreſque ipſi, &
“ eorum Conventus, juxtâ prædictæ Sententiæ Tenorem, & Effectum, fuerint in Poſſeſſione non ſolvendi
“ ejus Canonicam Portionem, ſeù Quartam Funeralium; prout eos deinceps à Solutione cujuſcunque
“ Cononicæ Portionis, ex vi prædictæ Sententiæ, aliarumque Literarum, liberos omninò, & immunes eſſe
“ debere, per præſentes declaramus, arbitramur, & judicamus, &c. Die 16 Maij 1627.”

“ V. Subſequntur Decretum, & Judicium Rmi *Hugonis O-Reily*, Epiſcopi *Kilmorenſis* (poſtmodùm
“ Archipræſulis *Armacani*) Die 6. Junij ejuſdem Anni.

“ Nos Hugo &c Kilmorenſis Epiſcopus &c. prænominatam Sententiam à Reverendiſſimo D. Joanne
“ *Corcagienſi*, & *Clonenſi* Epiſcopo &c confirmatam, atque Executioni mandatam &c per Nos lectam, &
“ examinatam &c talem eſſe reperimus &c, & eoſdem Fratres &c eorumque Conventus &c ab omni
“ Canonica Portione, ſeù Quarta Funeralium Epiſcopali, & Parochiali, ex vi præfatæ illius Sententiæ, &
“ Decreti Concilij Tridentini, modò liberos omninò, & immunes eſſe, & deinceps eſſe debere, per Præ-
“ ſentes decernimus, & judicamus, itâ ut prædicti Fratres, aut eorum Conventus, ullam Portionem Cano-
“ nicam ſolvere Epiſcopo, aut Parocho, nullatenùs teneantur &c Die 6 Junij 1627.

VI. SUBSEQUITUR Judicium Rmi *Boetij Mac-Egan*, Ordinis Minorum alumni, *Elphinenſis* (*l*) Epiſcopi, Die 15 eorundem Menſis, & Anni.

“ Nos Fr. Boetius &c Elphinenſis Epiſcopus, Sententiam definitivam Reverendiſſimi D. Joannis Cor-
“ cagienſis Epiſcopi &c latam &c. confirmatam &c, recepimus &c, conferentes &c, invenimus, prædictos
“ Fratres &c, eorumque Conventus, antè Annos in Concilio Tridentino requiſitos, juxtà illius Sententiæ,
“ ejuſque Confirmationis Vim, Formam, & Effectum, fuiſſe in Poſſeſſione non ſolvendi ullam Quartam Par-
“ tem Funeralium Epiſcopalem, vel Parochialem, ſeù aliam ullam Canonicam Portionem Veſtium, Armo-
“ rum, Candelarum, Oblationum, Ultimi Vale, ant aliarum quarumcunque Rerum Ratione Funeris, vel
“ Sepulturæ, eiſdem Fratribus, eorumque Conventibus obvenientium: Quapropter prædictos Fratres, eo-
“ rumque Conventus &c à Solutione cujuſcunque Quartæ Partis, aut Canonicæ Portionis, liberos eſſe,
“ & immunes, Præſentium Tenore judicamus &c. Decernentes, eos deinceps ab ejuſmodi Quartæ Fu-
“ neralium Solutione ſic in hoc Regno immunes eſſe debere, ut nec Epiſcopis, ſeù Locorum, Ordinarijs,
“ Quartam Epiſcopalem, nec Parochis ullam Quartam Parochialem, ſolvere debeant, nec ullus ab ipſis
“ Fratribus, eorumque Conventibus, hujuſmodi Quartam, ſeù aliam qnamcunque Portionem Canonicam
“ exigere poſſint &c 15. Junij 1627.”

VII. CUM autem, defuncto prælaudato *Edmundo* Epiſcopo *Dunenſi*, & *Connorenſi*, cujus Judicium, & Declarationem mox exhibui (*m*), in ejus ſuffectus eſſet Locum *P. Bonaventura* Ordinis Minorum Alumnus, qui in Belgio tunc verſabatur, is antequàm indè in *Hiberniam* diſcederet, quamplures tùm S. Theologiæ, tûm Utriuſque Juris Doctores in celeberrima *Lovanienſi* Academia (*n*), conſuluit

---

(*i*) Conſulendum Cap. iv. Num. xxiii. Pag. 90.

(*k*) Videſis Cap. iv. Num. xix. Pag. 87.

(*l*) Duplex inſimul erat Antiſtes in *Hibernia* dictus *Boetius Mac-Egan*, & quidem uterque Minorita, unus Epiſcopus *Elphinenſis*, alter Epiſcopus *Roſſenſis*, quorum poſterior Martyrium paſſus eſt. Adeas Cap. xiii. Num. lxvii.

(*m*) Num. iv. hujus Capitis, Pag. præſ.

(*n*) Perbellam Almæ hujus Academiæ Epiſtolam ad Sereniſſimam *Belgij* Gubernatricem, *Iſabellam Claram Eugeniam*, ſuper Fundatione Collegij noſtri *Lovanienſis*, opportuniùs exſcribere erit Cap. xii. §. iii. Num. iii.

conſuluit ſuper *Quarta Funerali*, Caſum illis proponens, quem, poſt ipſummet Epiſcopum, reſolverunt. Integrum porrò Inſtrumentum, ut in ſæpiùs laudato *Summario* jacet, de Verbo ad Verbum tranſcribo.

“ Attentâ præfatâ Sententiâ &c Epiſcopi Corcagienſis, & Clonenſis, ejuſque Confirmatione, & Executione, quæritur: *Utrùm Ordines Mendicantes, eorumque Monaſteria in Regno Hiberniæ, ſint exempta à Portione Canonica, ſeù Quarta Funeralium Epiſcopali, & Parochiali?* Reſpondetur affirmativè.

“ Nam licet circà Quartam Funeralium, ſeù Portionem Canonicam, ſint variæ Juris Diſpoſitiones 10. *quæſt.* I. *Cap. de his, Cap. decernimus &c.* 16. *quæſt* I *Cap. Conſtitutum, Extra. de Teſtam. Cap. Certificari, Extra. de Sepultur. per tot. & Clement. Dudum, de Sepultur.* Has tamen omnes in unum determinat Sacri Concilij Tridentini Decretum Seſſ. 25. Cap. 13. De Reformat. *Decernit Sancta Synodus, ut quibuſcunque in Locis jam anté Annos Quadraginta, Quarta, quæ Funeralium dicitur, Cathedrali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſteâ fuerit, ex quocunque Privilegio, alijs Monaſterijs, Hoſpitalibus, aut quibuſcunque Locis pijs conceſſa, eadem poſt hæc integro Jure, & eâdem Portione, quæ anté ſolebat, Cathedrali, ſeù Parochiali Eccleſiæ perſolvatur: Non obſtantibus Conceſſionibus, Gratijs, Privilegîjs, etiam Mari Magno nuncupatis, aut alijs quibuſcunque.* Hoc Decretò patet, Sacrum Concilium Tridentinum ſtatuiſſe, ea tantùm Monaſteria ad Solutionem Quartæ Funeralium teneri, quæ Quadraginta Annis antè Concili Promulgationem ædificata, Quartam Funeralium ſolvere conſueverant; alia verò Monaſteria, quæ ante illos Quadraginta Annos ædificata, hujuſmodi Quartam non ſolvebant, jam ad ejus Solutionem non obligari. Hunc eſſe verum hujus Decreti Senſum *Pius* V in Bulla: *Etſi Mendicantium Ordines*; *(o)* datâ 17. Kalendas Julij Anno Domini 1567, Pontificatùs Anno Secundo, declarat his Verbis: *Quartam autem Funeralium, de qua Seſſione XXV Cap. XIII, nequaquàm ſolvere teneantur Monaſteria, quæ à Quadraginta Annis citrà fundata exiſtunt, poſtquàm Concilium ipſum loquitur tantùm de Monaſterijs anté Annos Quadraginta fundatis, quæ ipſam Quartam ſolvere conſueverunt; & ubi ſolvi conſuevit, id tantùm Peræ, & aliorum, quæ in aliquibus Partibus deferri contigerit, Tempore, quo defunctorum Corpora ad Sepulturam deferuntur, non autem de Miſſis, ſeù Legatis, vel alijs, Fratribus ipſis, ſeù Monialibus hujuſmodi relictis, aut aliàs quomodolibet donatis, ſolvi debet, ſicque intelligi Concilij Decretum quoad Quartam hujuſmodi ſolvendam debere decernimus. Ubi verà non eſt Conſuetudo ſolvendi Quartam hujuſmodi, de nullo ſupraſcriptorum ſolvi debere declaramus.* Ubi Pontifex juxtà Mentem Concilij declarat, ea Monaſteria, quæ Quadrâginta Annis antè Concilium Funeralium Quartam ſolvere non conſueverant, jam ampliùs ad ejus Solutionem non teneri. Cùm autem Pius IV in Bulla: *Sicut ad Sacrorum Conciliorum*; 15. Kalend. Auguſti, Pontificatùs ſui Anno Quinto editâ, declaraverit, Concilij Tridentini Decreta omnia ad Reformationem, Juſque poſitivum duntaxât ſpectantia, à Kalendis Maij Anni 1564 omnes obligare cæpiſſe, manifeſtum eſt Initium iſtorum Quadraginta Annorum, quos Concilium requirit, incidere in Annum 1524; quem Annum præſcripta Sententia definitiva Joannis Corcagienſis, ejuſque Confirmatio, & Executio, per Archiepiſcopum Caſſelienſem Anno 1514 facta, Decem integris Annis præceſſit, ut patet intuenti. Atque ità manifeſtum eſt, Quatuor Ordines Mendicantes, præſertìm Fratres Ordinis Minorum, & Prædicatorum, pro quibus dictæ Sententiæ latæ fuerunt, eorumque Monaſteria in Regno Hiberniæ, ex Tenore præſcriptarum Sententiarum antè Annos illos Quadraginta Sacri Concilij Tridentini fuiſſe in Poſſeſſione non ſolvendi Quartam Funeralium Epiſcopalem, vel Parochialem; ac conſequenter juxtà Decretum Concilij *Seſſ.* 25. *Cap.* 13. *de Reformatione*, & Declarationes Pij V, eoſdem Fratres, eorumque Monaſteria, modò eſſe, & in poſterum eſſe debere liberos, & exemptos à Solutione cujuſcunque Canonicæ Portionis, aut Quartæ Epiſcopalis. Ità, ſemper ſalvo meliori Judicio, infraſcriptus ſentio Lovanij Die 5. Novembris Anno Domini 1630.

“ *Fr. Bonaventura Epiſcopus Dunenſis, & Connorenſis.*
“ Idem eſt meum Judicium.

“ *Gulielmus Mercerus Sac. Theol. D. & Profeſſor Regius, Eccleſiæ Collegiatæ S. Petri Lovanij Decanus.*

“ *Henricus Rampen Sac. Theol. D. & Profeſſor Lovanij.*

“ *Jo. Scinkelius Sac. Theolog. D., & Profeſſor Ordinarius in Academia Lovanienſi.*

“ *Gulielmus ab Angelis Sac. Theol. D., & Profeſſor Lovanij &c.*

“ *Stephanus Weymes J. U. D., & Lovanienſis Profeſſor Primarius.*

“ Eidem Judicio ſubſcribo quantùm ad Hiberniam attinet,
Andreas de Vaulx J. U. D., & Profeſſor Ordinarius.

Michae

(*o*) Eam legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. v. Pag. 161.

Michael Vander-Perre J. U. D., & Profeſſor Ordinarius.
Joannes Van-Seſtich J. U. D., & Decretorum Profeſſor.
Valerius Andreas J. U. D., & Profeſſor Ordinarius.

PORRO eâ de Re eruditum Librum juſtæ Molis in 4°, *Lovanij* edidit *P. Franciſcus Matthew*, Hiberno-Corcagienſis, Ordinis Minorum, *Lovanienſis* Collegij ad S. *Antonium* Guardianus, hunc præſeferens Titulum: *Exemptio Fratrum, & Conventuum Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ, & aliorum Ordinum Mendicantium Regni Hiberniæ, à Solutione Portionis Canonicæ, ſeù Quartæ Funeralium, juxtà Decretum S. Concilij Tridentini, aſſerta ex vetuſtis Judicijs, & Sententijs, antè Annos Concilij promulgatis, & nunc recens, Operâ Fr. F. M.* Lovanij, 1632.

VIII. HUC ſpectat aliud Academiæ *Lovanienſis* Inſtrumentum, quod in toties recenſito *Summario* præcedens mox exſcriptum immediatè ſequitur, ſine Tempore tamen Datæ. Patet nihilominùs id aliquot emanaſſe Annis antè præcedens, in ſequenti ſiquidem *Gulielmus Mercerus* quarto ſubſcripſit Loco, neque tunc fuit Eccleſiæ *Collegiatæ S. Petri Lovanij Decanus*, ſicut erat præcedenti ſubſcribens primo Loco, ut nihil dicam de *Henrico ampen, Stephano Weymes*, & alijs. Ex ipſomet porrô Caſu, & Reſolutione ejus, nullo Negotio colligitur, quandam fuiſſe tunc Temporis Diſceptationem in *Hibernia* circà Domos, quas, mitigatâ aliquatenùs Perſecutionis Tempeſtate poſt ſævum, nimiſque longum Quadraginta Quinque Annorum *Elizabethæ* Regnum, Regulares aut ædificabant, aut ædificatas conducebant ijs in Locis, ubi olìm habuerant Monaſteria, in quibus ob Hæreticorum Tyrannidem habitare non valebant. Quippè etſi mitigata quodammodò fuerit Perſecutionis Tempeſtas, minimê tamen ſedata (*p*). En integrum eâ de Re Inſtrumentum.

“CASUS.

“ UTRUM Regulares in Civitatibus, ubi olìm habuerunt Monaſteria, in quibus nunc non poſſunr habitare ob Hæreticorum Perſecutiones, poſſint licitè, & validè in eiſdem Civitatibus ſine nova Ordinariorum Admiſſione, Approbatione, aut Licentia ædificare, aut conducere Domos Sæculares, in quibus ſub Regulari Prælato tàm Sacra celebrent in Altaribus portatilibus juxtà Facultates, à S. Sede Apoſtolicâ conceſſas, quàm alias ſuarum Religionum Functiones, (quantùm Tempora periculoſa permittunt) exerceant? Et an in ijſdem Domibus gaudeant ſuis Privilegijs, & Indulgentijs, tanquàm ſi in proprijs Monaſterijs fuiſſent?

“ RESPONDETUR: Quod Hæretici per Perſecutiones ſuas Religioſos pellunt quidem Sedibus ſuis, non autem Juribus, vel Privilegijs ſuis. Itàque poſſunt ipſi in Locis, quibus expulſi per Hæreticos ſunt, vel in Diſtrictu ſuo ſolito, ſine novo Conſenſu Ordinarij, ædificare ſibi Sedes, & Oratoria, ſub antiquis, & ſolitis Privilegijs, ac Indulgentijs ſuis; & in his exercere, quæ ſuæ Religionis, ac Privilegiorum ſunt, ſine novo Conſenſu Ordinarij, ſalvo quod in Approbatione Concionatorum, & Confeſſariorum, prout ſolent, requirant Approbationem Ordinariorum. Salvo meliori Judicio.

“ *Jacobus Sanſonius Sacrarum Scripturarum Lovanij Profeſſor, Eccleſiæ Divi Petri ibidem*
“ *Decanus.*
“ *Gulielmus Fabritius Sac. Theol. Lovanij Profeſſor, & Doctor.*
“ *Joannes Paludanus S. Theol. D., & Profeſſor.*
“ *Gulielmus Mercerus Sac. Theol. Doctor, & Profeſſor Lovanij &c.*
“ *Henricus Rampen Sac. Theol. D., & Profeſſor &c.*
“ *Chriſtianus Beuſecum Sac. Theol. D., & Profeſſor.*
“ *Fr. Michael Paludanus Sac. Theol. D., & Profeſſor.*
“ *Fr. Auguſtinus Theodori Sac. Theol. D., & Profeſſor.*
“ *Fr. Franciſcus Capronius Sac. Theol. D., & Profeſſor.*
“ *Fr. Paulus Pepinus Sac. Theol. Licentiatus, de Profeſſor.*

“ Ejectos à ſuis Monaſterijs, per Hæreticorum Perſecutiones, Regulares, non modò retinere omnia, & ſingula Ordinis ſui Privilegia, & Indulgentias, ſub Prælato ſuo Regulari vivendo, ac Functiones ſuarum Regularum exercendo, ſed etiàm tutò, ac licitè poſſe Domos Sæculares vel conducere, vel novas extruere, in quibus Functiones ſuas Regulares exercere poſſint; & conſequenter poſſe eoſdem Regulares in hujuſmodi Domibus Sacra celebrare in Altaribus portatilibus abſque particulari Admiſſione, ve

“ nova

(*p*) Confer Cap. xvii, à Num. xxxiv.

“ nova Approbatione, aut Licentia Ordinariorum, maximè ſi Regulares iſti fuerint Ordinum Prædicatorum,
“ vel Minorum, quibus à Jure Communi peculiariter eſt attributum, non minùs quàm Epiſcopis, ut in
“ Locis quibuſlibet honeſtis Sacra celebrare poſſint, nullâ ab Ordinarijs poſtulatâ Veniâ. *Cap. in his, de Pri-*
“ *vileg: Cap. ult. eod. Tit. Lib.* 6. *& ibi Gloſſa. Summa Sylveſtrina, Dict. Altare, quæſ.* 6. Meliori
“ Judicio ſemper ſalvo.

“ *Stephanus Weymes U. J. D. & Profeſſor Primarius.*
“ *Andreas de Vaulx J. U. D. & Profeſſor Ordinarius.*
“ *Henricus Zoeſius U. J. D. & Profeſſor Ordinarius.*
“ *Jacobus Santvoet J. U. D., & Canonici Profeſſor Primarius.*
“ *Cornelius de Paep J. U. D. & Civilis Profeſſor Ordinarius.*
“ *Adrianus Baukz J. U. D., & quondàm Sacrorum Canorum Profeſſor.*
“ *Joannes Van-Seſtich J. U. D. SS. Canonum Regius Profeſſor.*
“ *Michael Vander-Perre J. U. D., & Profeſſor Ordinarius, &c.*

IX. Anno 1629 celebratum fuit *Romæ* Capitulum Generale, Rmi P. *Nicolai Ridulphi*, Florentini, LV Magiſtri Ordinis, electivum, cui intererat quà Provincialis *Hiberniæ* P. Magiſter Fr. *Nicolaus Lincæus* (q). In Actis porrò, ſub Titulo *Conceſſiones*, ſequentia legere eſt:

“ Pro Provincia Hiberniæ.

“ 1. Ordinamus, & omninò prohibemus omnibus Fratribus in Collegio Lovanienſi S. Joannis Baptiſtæ
“ (r) pro hac Provincia deſtinatis, ne ſe gerere audeant in Studiorum Proviſionibus, ſed Rector, ſeù Præla-
“ tus dicti Collegij, cæterique Moderatores, & Studentes ejuſdem, à P. Provinciali Hiberniæ tantùm de Conſi-
“ lio Patrum, vel Definitorum Capituli Provincialis eligantur, & inſtituantur; ipſumque Collegium dicto
“ P. Provinciali pro Tempore in omnibus omninò ſubjectum ſit.

“ 2. Ordinamus, ut ſtatim ac Frater aliquis Hibernus alterius Provinciæ Filius Hiberniam appulerit, de Con-
“ ſenſu P. Provincialis pro Tempore Conventum aliquem ſibi deligat, cujus, quantùm ad Bonorum] ſuorum
“ Succeſſionem, erit quaſi Filius: Confirmantes Diſpenſationem conceſſam Patribus hujus Provinciæ à
“ Capitulo Generali Mediolanenſi 1622 (s): Quod ſcilicet quamdiù in Regno Angliæ, ejuſque Ditioni-
“ bus, Res Catholicorum pacatæ non fuerint, nullam Bonorum Fratrum Defunctorum Partem ad Conven-
“ tus aliarum Provinciarum, quorum erant Filij, mittere teneantur. Cuilibet verò Fratri hujuſmodi mo-
“ rienti quoad Suffragia, Gratias, & Onera teneatur Conventus ab ipſo in ſuo Adventu in iſtam Provinciam
“ delectus, qui quaſi nativus ejuſdem, tàm quoad hæc, quàm quoad cætera omnia Filijs Conventuum de-
“ bita, cenſendus erit (t).

“ 3. Concedimus Fratribus Hibernis, qui Habitum in alijs Provincijs ſuſceperunt, vel ſuſcipient, & in
“ aliquo Hiberniæ Conventu aſſignati fuerint, ut cenſeantur incorporati iſti Provinciæ, & ad eam ſimpliciter
“ tranſfiliati, ità ut omnibus Gratijs, Privilegijs, Immunitatibus, Officijs, Suffragijs, & utrâque Voce gau-
“ deant, Definitores & Electores Capituli Generalis eligi valeant, æquè ac ſi in iſta Provincia Profeſſionem
“ emiſiſſent.

“ 4. Juſtis de Cauſis diſpenſamus cum hac Provincia, ut Definitores Capituli Generalis, vel Provincialis,
“ poſſint in ea reeligi, & in duobus Capitulis, Generalibus, ſivè Provincialibus, immediatis definire. Item,
“ ut

(q) Ità conſtabit ex Ordinationibus, & Conceſſionibus, mox afferendis. De eo autem Sermo erit Cap. xiv. Num. x.

(r) Nunc vocatur Collegium *S. Crucis*, de quo Cap. xii. §. iii. dicetur.

(s) Hujus Diſpenſationis Verba videre eſt Cap. præced. Num. xvii. Pag. 109.

(t) Res non ità ſe habet ab Anno 1721, quando in Comitijs Provincialibus *Dublinienſibus* edita fuit Ordinatio ſub Num. iii, à Magiſtro Ordinis *Auguſtino Pipiâ* confirmata, his concepta Verbis: *Repatriantes, ſeu à Studijs redeuntes, ipſo facto ſuis nativis Conventibus ſint aſſignati, niſi aliter Provinciali, ſeù ejus Vices gerenti, viſum fuerit, quem de ſuo Adventu quamprimùm certiorem reddant. Profeſſis verò extrà Regnum* (Hiberniæ) *reducibus in Patriam deputetur pro Conventu eorum Affiliationis Conventus vicinior Loco ſuæ, aut Parentum Nativitatis.* Hùc etiam faciunt Verba Magiſtri Generalis *Thomæ Ripoll* in Literis Confirmatorijs Actorum Capituli Provincialis *Dublinij* 1738, nempè: *In Memoriam revocamus Ordinationem, aliàs factam, & à Nobis confirmatam, quâ prohibetur ne in Conventibus SS. Sixti, & Clementis de Urbe, & Lovanienſi, aut Collegio Ulyſſiponenſi, ullus Juvenis recipiatur ad Habitum Ordinis, aut ad Profeſſionem, abſque Licentia* A. R. P. *Provincialis in Scriptis habitâ, qui talem Licentiam non concedat ſine Conſenſu Prioris, & Fratrum illius Conventûs in Hibernia, pro quo Profeſſionem eſt emiſſurus.*

“ ut Socij Definitorum Capitulorum Generalium, & Priorum Conventualium, euntium ad Capitulum Provinciale, poſſint reeligi, & in duabus Electionibus immediatis Suffragium ferre, durante Neceſſitate, & Penuriâ Fratrum provectioris Ætatis.

“ 5. Concedimus huic Provinciæ, ut Numerus Magiſtrorum in Theologia ſit Senarius, & Præſentatorum, & Baccalaureorum Octonarius (*u*), quorum Poſtulatio fiat in Capitulo Provinciali attentis Perſonarum Meritis.

“ 6. Concedimus, ut Provinciales electi, tanquàm Vicarij (*w*) Provinciæ, ſtatìm Provinciam regere incipiant, omniaque & ſingula peragere valeant, ac ſi confirmati eſſent. Porrò quamprimùm ad Magiſtrum Ordinis Scrutinium Electionis Provincialis tutò tranſmittatur, & Confirmatio impetretur. Tempus verò Quadriennij Provincialitûs ab ipſa Die Electionis ſumat Exordium.

“ 7. Concedimus Patri Provinciali, nunc, & pro Tempore exiſtenti, acceptandi quæcunque Loca, Prædia, Terras, Domos, & alia hujuſmodi Bona, quæ Religioni à quocunque oblata fuerint ad Effectum in eis Conventus erigendi, aut Reſidentiæ pro Fratribus in eis habendæ.

“ 8. Item, cùm multa in noſtris Conſtitutionibus, earumque Gloſſis, & Ordinationibus Capitulorum Generalium inveniuntur, quæ in iſta Provincia ſecundùm præſentem Rerum Statum commodè obſervari nequeant, concedimus Patri Provinciali, nunc, & pro Tempore exiſtenti, ad tollendos Scrupulos Conſcientiæ Fratrum, Facultatem ſuper hujuſmodi Legibus diſpenſandi, juxtà Temporis Neceſſitatem, bonique Regiminis Exigentiam, in omnibus, cujuſcunque Generis fuerint.

“ 9. Concedimus Patri Provinciali, pro Tempore exiſtenti, ut mittere poſſit ad Romanam Curiam Fratrem aliquem, religioſis Moribus, & Prudentiâ, ornatum, qui Procuratoris Partes in Negotijs iſtius Provinciæ tractandis, & expediendis agat, qui ità authenthicè miſſus poſſit in Urbe permanere, donec dicta Negotia expediantur, vel à Patre Provinciali revocetur.

“ 10. Confirmamus Decretum editum in Capitulo Provinciali Sligoenſi (*x*) 1627 circà Diviſionem Bonorum Fratrum Defunctorum, quo ſtatuitur, ut hujuſmodi Bona in Tres Partes dividantur, quarum una detur Conventui ſuæ Affiliationis, ſecunda Conventui ſuæ Aſſignationis, tertia detur pro Miſſis, & Suffragijs, in Subſidium Defuncti perſolvendis, Conventui Affiliationis, & Conventui Aſſignationis pro Rata, qui hujuſmodi Suffragia perſolvere teneantur, præter quæ celebrentur pro quolibet Fratre defuncto omnia, quæ à noſtris Conſtitutionibus pro Suffragijs deſcribuntur.

“ 11. Committimus Patri Provinciali pro Tempore Curam Provinciæ Scotiæ, (*y*), & Inſularnm adjacentium ; ipſique omninò injungimus, ut, quamprimùm fieri poterit, Fratres aliquos Hibernos Propagationis Fidei, noſtræque Religionis Zelo pollentes, eò tranſmittat, qui collapſam in illis Partibus Chriſtianam, noſtramque Religionem reparare, ac reſtituere, ſuis Prædicationibus, & Exemplis conentur (*z*).

“ 12. Summoperè commendamus Admodùm RR. PP. Provincialibus Ordinis omnes hujus Provinciæ Fratres, eoſque in Domino hortamur, ut in eis complectendis faciles, ac benignos ſeſe exhibeant, eoſque ad Studia promptè admittant; memores, ſe ad id ex divina Lege, noſtriſqne Conſtitutiouibus, & Profeſſione, teneri, cùm præſertìm hujus Provinciæ Fratres egregiè, & ſtrenuè uſque ad Sanguinem in Fide tenendâ, & progagandâ quotidiè inſudare non deſiſtant.

“ 13. Promovemus ad Magiſterij Gradum Admodùm R. P. Præſentatum Fr. Nicolaum Lincæum, hujus Provinciæ Provincialem, &.in præſenti Capitulo definientem, cum omnibus Gratijs, & Privilegijs;

(*u*) Modò autem Numerus tàm Magiſtrorum, quàm Præſentatorum, ſeù Baccalaureorum, eſt Vigenarius, ut conſtabit ex infrà ponendis aliorum Capitulorum Generalium Conceſſionibus, Cap. præſ. Num. xiv. Sect. 8. & Cap. viii. Num. iii. Sect. 8, & Num. xxiii. Sect. 1.

(*w*) Immò tanquàm *Priores Provinciales*, ut clarebit Num. ſeq. Sect. 5.

(*x*) De Cænobio *Sligoenſi* Sermo erit Cap. ix. §. xiii.

(*y*) Ab Anno 1725 *Scotia* ſuum habuit Provincialem per Breve *Benedicti* Papæ xiii, nempè A. R. P. Magiſtrum Fr. *Bernardinum Membrive*, Valliſoletanum, anteà Provincialem *Terræ Sanctæ*, & Rmi Magiſtri Ordinis *Auguſtini Pipia* Socium pro *Hiſpaniarum* Provincijs, poſteà Conſultorem S. Rituum Congregationis, & Sereniſſimi *Jacobi* III Theologum, *Romæ* in Cænobio noſtro S. *Clementis* commorantem, ceù egregium *Hibernorum* Amatorem, ubi piè, ut vixerat, obijt A. 1756. Huic in Munere Provincialis *Scotiæ* ſuccedit alius Vir egregius, A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas-Ignatius Maria Natta*, Caſalenſis, Rmi Magiſtri Ordinis *Joannis-Thomæ de Boxadors* Socius pro *Italia*, mihi dudùm notiſſimus, qui, ut obiter dicam, duos habet Fratres carnales, ejuſdem Ordinis noſtri Alumnos, Pontificali Dignitate ſulgentes, Fr. *Ignatium-Mariam* nempè *Natta*, Archiepiſcopum *Calaritanum* in *Sardinia* Inſula, & Fr. *Henrichettum-Virginium Natta*, Epiſcopum *Albæ Pompeiæ* in Ditione *Montis-Ferrati*. Confer Cap. iv. Num. xiv. Pag. 81.

(*z*) Confer Cap. præſ. Num. xiu. Sect. 4.

“ & R. P. Fr.Michaelem de Spiritu Sancto (*a*) Lectorem, Priorem Conventûs S. Ægidij Pragenſis, Provinciæ Bohemiæ.

“ 14. Inſtituimns Præſentatum P. Fr. Riccardum de la Penna (*b*) ad Petitionem dicti Patris Provincialis.”

X. Anno 1644 celebratum fuit *Romæ* Capitulum Nomine tenùs *Generaliſſimum*, reapsè autem duntaxàt *Generale* Diſcrimen porrò (ut obiter dicam in Gratiam Lectoris extranei) inter Capitulum *Generale*, & *Generaliſſimum* eſt, quod, prout non ità pridem (*c*) inſinuabam, Capitulum *Generaliſſimum* Tribus æquipollet Generalibus, adeòque Conſtitutiones poteſt facere perpetuò duraturas. Eâ de Causâ non unus duntaxàt Definitor, ut in Capitulo Generali, ſed duo Definitores eò mittuntur ex qualibet Ordinis Provincia, à Capitulo Provinciali electi. Iſtud autem Capitulum Romanum, de quo impræſentiarùm eſt Sermo, etſi convocatum fuerit ab *Urbano* Papa VIII (*d*) ſub Titulo *Generaliſſimi*, idem tamen Sanctiſſimus Dominus poſteà per ſpeciale Diploma, Die 14. Martij 1644 datum, inhibuit *Vocalibus, ne ſecundùm Ritum, & Facultatem Capitulorum Generaliſſimorum quidquam circà Immutationem noſtrarum Conſtitutionum attentarent*, ut diſertis Verbis habet Denunciatio Secunda in Actis ejuſdem Capituli (*e*), ubi ſubindè declaratur, *omnia, quæ in hoc Capitulo decernuntur, Vim tantùm habere, quantùm ex Capitulo purè Generali habuiſſent.*

Cæterum, ut obiter etiam dicam, nonniſi Duo Capitula reapsè *Generaliſſima* in Ordine noſtro adhuc celebrata fuere, atque utrumque *Pariſijs*, Anno 1228, & 1236, ſub *B. Jordano Saxone*, Secundo Ordinis Magiſtro. Tria quidem alia indicta fuere Capitula *Generaliſſima*, Tempore videlicet *Vincentij Bandelli*, Lombardi, XXXVI Magiſtri Ordinis, ſub Initium Sæculi Eccleſiæ XVI; Tempore etiam *Sixti Fabri*, Lucenſis, L Magiſtri Ordinis, versùs ejuſdem Sæculi Occaſum; & demùm Tempore *Nicolai Ridulphi*, Florentini, LV Magiſtri Ordinis, Anno 1644 prænotato. Nullum tamen ex ijs ceu *Generaliſſimum* celebratum fuit, ſed unumquodque *factum eſt GENERALE Capitulum, & in unoquoque, duobus electis Definitoribus pro GENERALISSIMO Capitulo, antiquior poſt longam Diſcuſſionem fuit ad definiendum admiſſus*, ut expreſſis Verbis Conſtitutiones ipſæ referunt (*f*).

Ei autem Capitulo, Rmi P. *Thomæ Turci*, Cremonenſis, LVI Magiſtri Ordinis, electivo, interfuere pro *Hibernia* P. Magiſter Fr. *Terentius-Albertus O-Brien*, Limericenſis, Prior Provincialis, poſteà *Imelacenſis* Epiſcopus, & Martyr (*g*); & P. Magiſtèr Fr. *Joannes Nolanus*, Kilkennienſis, poſtmodùm Regens *Minervitanus*, alibi laudandus (*h*). In Actis porrò ſub Tit. *Conceſſiones* (*i*) ſequentia conſpiciuntur ſancita.

“ PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Confirmamus Ordinationes, & Conceſſiones, pro hac Provincia in Capitulo Romano 1629 factas (*k*).

“ 2. Ad ſtabiliendam perpetuis futuris Temporibus eam, quâ, Dei Benignitate, in præſentiarum Provincia hæc fruitur Unitate, ac Charitate, ordinamus, quod omnes Conventus ejus ſubſint Provinciali illius pro Tempore, ac in Virtute Spiritûs Sancti, & Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto inhibemus, ne de cætero Frater aliquis, cujuſcumque Gradûs, aut Conditionis exiſtat, Diviſionem ejus, aut Exemptionem alicujus Conventûs à Regimine Provincialis, aut Erectionem Congregationis ullo Modo procurare audeat, etiam Prætextu cujuſvis Diviſionis, aut Exemptionis anteà factæ (*l*), quam, ſi quæ talis fuerit, præſenti Decreto omninò abolemus.

“ 3. Cùm,

(*a*) Crediderùm patrum ipſius Agnomen fuiſſe *O-Donnell*.

(*b*) Ità cognominabatur paſsìm à Cænobio *Pinifrancienſi* (vulgò *la Penna di Francia*) in Provincia *Hiſpaniæ*, ubi Studiorum Curriculum explevit. Vocabatur irem *Hiſpanorum* More Fr. *Richardus à S. Dominico*. Cæterùm patrium ipſius Agnomen erat *Bermingham*, de eoque, quâ Procuratore Generali *Hiberniæ Dominicanæ*, Sêrmo jam fuit Cap. præſ. Num. i, redibitque Cap. xii. §. iii. Num. ii, & v.

(*c*) Cap. præced. Num. vii. Pag. 97.

(*d*) *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 125.

(*e*) Pag. 2.

(*f*) Diſtinct ii. Cap. x. Text. ii. Lit. a.

(*g*) De quo plura Cap. xiii. Num. lxvi, & Cap. xiv. Num. xiii.

(*h*) Num. xiv. hujus Cap. & Cap. ix. §. iii. Num. vii.

(*i*) A Pag. 66.

(*k*) Eas legere eſt Num. ix. hujus Capitis.

(*l*) Recolendum Cap. iv. à Num. xi. & Pag. 78.

“ 3. Cùm, ob diuturnam uſque in hæc Tempora Hæreticorum Perſecutionem, ac Bellorum Tumultus (*m*), plures Conventus Priore, vel Fratribus à longo Tempore deſtituti fuerint, & ſubindè Prioris Inſtitutio ad Rmum Magiſtrum Ordinis ſit devoluta, concedimus Facultatem A. R. P. Provinciali, ut in quolibet tali Conventu pro prima Vice tantùm Priores inſtituere poſſit, & ab eo inſtitutos confirmamus, donec compleant Tempus ſui Triennij. Ut autem de Numero competenti ijs, ac alijs Conventibus, quantùm fieri poſſit, provideatur, concedimus, ut Provincialis pro Tempore revocare valeat omnes Fratres Hibernos ubivis exiſtentes, ac, ut in hanc Provinciam redeant, per Præcepta, & Cenſuras, ſi neceſsè fuerit, compellere (*n*).

“ 4. Ad evitandos magnos Sumptus, & ob magnam congregandi Fratres ex omnibus Regni Partibus Difficultatem, concedimus, ut poſſint in Capitulo Provinciali Electionis Provincialis providè Electionem facere tàm Definitorum, quàm Socij Provincialis pro proximè futuro Capitulo Generali, vel Generaliſſimo, ſi quod antè ſequens Capitulum Provinciale celebrandum contigerit, & alios nominare, qui Caſu Mortis ſic electorum ad definiendum, vel eligendum in prædicto Capitulo reſpectivè admittantur.

“ 5. Concedimus huic Provinciæ ob magnam Diſtantiam ejus ab Urbe, & difficilem ad Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis Acceſſum, ut Provincialis noviter electus regat Provinciam, & gaudeat Titulo Provincialis (*o*), donec Scrutinium Electionis ejus, quamprimùm fieri poſſit, mittatur ad Generalem, penès quem Electionem caſſandi, vel confirmandi, libera ſit Facultas, prout in Domino videbitur expedire.

“ 6. Cùm nihil authenticè innoteſcat de Conventuum hujus Provinciæ Antiquitate, ac Limitibus, ſeù Diſtrictibus eorundem, volumus, & decernimus, ut in poſterum Priores inrer ſe Locum habeant juxtà Antiquitatem ſuorum Conventuum, ex veteri quodam Manuſcripto Operâ D. Jacobi Waræi, Equitis Aurati, collecta (*p*), prout in Congregatione Intermedia Correnſi (*q*) Ordinatum fuit Anno 1640, quam Ordinationem in hac Parte confirmamus, & innovamus. Pro Limitibus autem Conventuum omnium reſpectivè aſſignandis deputamus Judices in Lagenia RR. PP. Fr. Dominicum Nugentium, Magiſtrum, & Fr. Thomam Brangan, Præſentatum. Pro Momonia, Fr. Albertum O-Brien, Magiſtrum, Fr. Petrum Eſtrange, Magiſtrum, & Fr. Thaddæum Moriarty. Pro Conacia Fr. Danielem de Cruce, Magiſtrum, & Fr. Humbertum Delphinum. Ac demùm pro Ultonia Fr. Joannem Genory, & Fr. Dominicum O-Connor, ità ut quidquid ipſi reſpectivè cum A. R. P. Provinciali pro Tempore ſtatuerint, firmum, ac ſtabile perpetuis futuris Temporibus maneat. Quod ſi quæ ſit Difficultas pro Limitibus Provinciarum, decidetur per eos ex prænominatis, qui ex neutra Provinciarum diſſidentium extiterint. Si quem autem ex his nominatis antè Cauſæ Terminationem mori contigerit, Provincialis de Conſenſu Fratrum à Conſilijs dictæ Provinciæ alium Loco illius valeat nominare.

“ 7. Ut huic Provinciæ de Literarum Studijs ſit proviſum, erigimus in ea Quinque Vniverſitates, ſeù Studia Generalia, qro Quinque Regni Partibus (*r*), Conventum videlicèt Dublinienſem, Limericenſem, Caſſeliæ, de Athenry, & Culrahanenſem, ità ut in ijs Actus Scholaſtici, & Exercitia fieri poſſint pro Gradu, & Forma. Si autem Temporum Injuriâ aliquandò in aliquo ex iſtis reſpectivè Studium nequeat haberi, poſſit Provincialis pro Tempore alium Conventum deputare, donec in eo commodè Exercitia fieri poſſint, cum ijſdem Privilegijs.

“ 8. Applicamus Eleemoſynas omnes, quæ fiunt ad devotiſſimam Imaginem B. Virginis Mariæ de Yoghel (*s*), in Uſum ipſius Convenrûs Yoghellenſis, nec de ijs in futurum aliter diſponere valeat Provincialis.

“ 9. Acceptamus Nomine ejus Provinciæ Collegium, ſeù Conventum Fratrum, & Monaſterium Monialium, pro Natione Hibernica Ulyſſipone fundatum, ſub Cura, & Regimine R. Adm. P. Provincialis Hiberniæ pro Tempore, & concedimus, ut in eodem Collegio ſiant Actus, & Exercitia pro Gradu, & Forma.

“ 10. Acceptamus item Conventum à Reverendiſſimo Epiſcopo Laonenſi (*t*) oblatum, ſervatis ſervandis, ac Monaſterium, ſeù Domum, vulgo Murus S. Petri, Civitatis, ac Diæceſis Limericenſis, quam concedimus, quantùm in Nobis eſt, Catharinæ Dogan, & alijs, nunc, & in futurum cum ea degentibus.

(*m*) Adeas Cap. xvii, à Num. i. ad xlii.

(*n*) Confer Cap. viii. Num. xii. Sect. 5.

(*o*) Confer Num. ix. hujus Capitis, Sect. 6. Pag. 113.

(*p*) Lege *collectam*. Confer Cap. ii. Num. vii. Lit. n. Pag. 39.

(*q*) Corrupta Vox. Legendum *Corkenſi*, ſeù magis Latinè *Corcagienſi*, de quo Cænobio Sermo erit Cap. ix. §. vi.

(*r*) Scilicet *Lagenia*, *Momonia Occidentali*, *Momonia Orientali*, *C nacia*, & *Ultonia*.

(*s*) Confer Cap. ix. §. xx. Num. iv.

(*t*) Vulgò *Killaloe* in *Momonia*. Porrò neque Conventum, neque Monaſterium in Textu nominatum, Ordo Prædicatorum aſſecutus eſt.

“ Ac demùm Licentiam damus recipiendi, ac fundandi alia Monaſteria, cum debitis Requiſitis, quando Provinciali de Conſilio Graviorum Patrum expedire videbitur.

“ 11. Concedimus huic Provinciæ, ut in ea fiat Officium de B. Brigida Virgine, ac Regni Patronâ, Diè primâ Februarij, & de Sancto Laurentio, Archiepiſcopo Dublinienſi, & Confeſſore, Die 14. Novembris, ſub Toto Duplici (*u*).

“ 12. Cùm in hac Provincia pia inoleverit Conſuetudo, ut Fideles Utriuſque Sexûs Habitum Regularem diverſorum Ordinum, pro ſua reſpectivè Devotione, ferant, & in eo mori deſiderent, concedimus ijs omnibus, qui noſtrum Habitum, ſeù Scapulare, portaverint, ut participes ſint Beneficiorum noſtri Ordinis, ac bonorum Operum, quæ per Univerſum Ordinem fiunt.

“ 13. Acceptamus Magiſteria RR. PP. FF. Petri Martini, Petri Eſtrange, Joſephi Langton, & Marci de Rupeforti; & Præſentaturas RR. PP. FF. Thomæ Lincæi, Thaddæi Callaghan, Petri de Angulo, Vincentij Wallæi, Terentij O-Brien, & Gregorij O-Ferrall (*w*), cum Loco, Voce, cæteriſque reſpectivè Privilegijs, quibus in noſtro Ordine, & in hac Provincia, conſimiles Magiſtri, & Præſentati, à Provincia poſtulati, gaudere ſolent.

“ 14. Extendimus Numerum Graduandorum in hac Provincia, ità ut Numerus Magiſtorum ſit Octonarius, & Præſentatornm Denarius, cum Gratijs, ac Privilegijs, pro quo Numero promovemus ad Gradum Magiſterij RR. PP. Fr. Albertum O-Brien, Provincialem hujus Provinciæ (*x*), & Fr. Dominicum de Roſario. Rectorem Collegij noſtri Ulyſſiponenſis dictæ Provinciæ (*y*). Ad Præſentaturam autem RR. PP. Fr. Mauritium de S. Petro Martyre (*z*), & Fr. Oliverium Darcæum (*a*); nec in poſterum promovendi ultrà hunc Numerum gaudeant Privilegijs, donec fuerint à Provinciali, & Definitoribus, ac Patribus Provinciæ, in Capitulo Provinciali poſtulati.

“ 15. Promovemus ad Gradum Magiſterij, ſalvis Juribus ſuæ Provinciæ, RR. PP. Fr. Joannem Baptiſtam Hacquetum (*b*), & Fr. Thomam de Burgo (*c*). Ad Baccalaureatum verò RR. PP. Fr. Patritium Kearny, & Fr. Richardum Wall.

“ 16. Approbamus Acta, & Ordinationes Capitulorum Provincialium Portumnenſis, & Kilkennienſis, & Inſtitntiones omnes Prædicatorum Generalium ibidem factas, exceptis Inſtitutionibus P. Fr. Jacobi Wolfæi (*d*), & Fr. Jacobi Goldæi, quas ob rationabiles Cauſas annullamus, & Loco unius inſtituimus P. Fr. Patritium Hacquetum.”

XI. Hinc vides, Quinque Univerſitates, ſeù Studia Generalia, in *Hibernia Dominicana* conſtituta fuiſſe. Nec mirum, haud obſtantibus quippè atrociſſimis Acatholicorum ſub *Henrico* VIII, *Eduardo* VI, atque *Elizabethâ* (ut nihil dicam de *Jacobo* I, & *Carolo* I,) Perſecutionibus, ea ab Anno 1642 refloreſcere incipiebat, ut alibi opportuniús narrabitur (*e*). Ad Annum quippè 1646 Quadraginta Tres erant in *Hibernia Dominicana* Conventus, & in illis Fratres plus minùs Sexcenti, ut teſtantur Comitia Generalia *Romæ* 1656, quorum Verba alibi in Medium adducam (*f*).

Ex ijs porrò Quadraginta Tribus Cænobijs, chronologico Ordine jam recenſita fuere (*g*) Triginta Novem. Reſidua autem Quatuor ſunt *Clonmellenſe*, *Gaulenſe*, *Glanorenſe*, & *Thomapolitanum*, vulgò *Thomaſtown*, non adeò certis fundata Annis. De eorum autem ſingulis ſpeciales inſtituemus Paragraphos Capite Nono.

Quandoquidem verò Die 30 Januarij 1648, Stylo Veteri, ſeù 9 Februarij 1649, Stylo Novo (*h*), *Carolo Primo* Regi, ſupremâ Regni Poteſtate Annis Viginti Quatuor jàm functo, à Parlamentarijs *Angliæ* (*i*) in publico Supplicij Loco, Orbe Terrarum obſtupeſcente, Manu Carnificis (*k*) obtrun-

---

(*u*) Iſtos duos Sanctos videre eſt in Decreto, quod pro omnibus *Hibernis*, tàm intrà, quàm extrà Regnum collegialiter degentibus, ipſe impetravi *Romæ* exiſtens Anno 1741, quodque exſcriptum habes Cap, i. Num. xv. Videſis Cap. xi. §. i. Num. iii.

(*w*) Eo ipſo poſteà Anno electus fuit Provincialis *Hiberniæ*, ut dicetur Cap. xiv. Num. xiv.

(*x*) De quo uberior redibit Sermo Cap. xiii. Num. lxvi, & Cap. xiv. Num. xiii.

(*y*) Patrio Agnomine *O-Daly*, de quo Cap. xiii. Num. lxix; & Cap. xv. Num. xxi.

(*z*) De quo Num. ſeq. Sect. 5.

(*a*) De quo Cap. xiii. Num. lxviii.

(*b*) De quo plura Cap. xv. Num. xx.

(*c*) Adeas Caput ix. §. v. Num. vi.

(*d*) Hic Martyrij Palmam promeruit, ut dicetur Cap. xvi. Num. xxx. Confer porrò Cap. præſ. Num. xii. Sect. 7.

(*e*) Cap. xvii. Num. xliii, & ſeq.

(*f*) Cap. xiv. Num. xv.

(*g*) Cap. ii, Num. iii; Cap. iii, Num. ix; & Cap. iv. Num. v.

(*h*) Conſulendum Cap. vii. Num. iii. Lit. e.

(*i*) Adeas Cap. xvii. Num. xxxviii.

(*k*) Non quidem Ordinarij Carnificis, à tanta Impietate abhorrentis, ut Hiſtoriâ *Anglicanâ* proditum eſt, ſed Carnificis ſub Larva latentis. Suſpicantur plures, ipſum fuiſſe *Cromuellum*, totius Iniquitatis obtruncatum fuerit Caput (quod horret Calamus ſcribere) atque à perduelli perfidoque *Cromuello*, poſt Hominum Memoriam iniquiſſimo Uſurpatore, & Tyranno, abruptæ fuerint Trium Regnorum *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Habenæ, indè natæ ſunt atrociſſimæ Perſecutiones, diriſſimis primorum Eccleſiæ Seculorum facilè comparandæ. Eodem tunc Pretio, ut pridem ajebam (*l*), & Luporum, & Regularium Capita venundabantur ; eandem tunc Mercedem utrorum Interfectori publica Magiſtratûs Edicta promittebant ; ijſdem tunc Armis, ijſdem Venatoribus, utrique conquirebantur. Hìnc ſecuta eſt acerba Catholicorum *Hiberniæ* Strages, atque Cænobiorum totalis Ruina, ut commiſerantes Patres Comitiorum Generalium *Romæ* 1656 Verbis verè aureis, Cedroque dignis (*m*), ſummoperè deplorare non dubitarunt.

Cæterum, ut indaganti Lectori innoteſcat, quo Pacto Ordo noſter in hac Inſula à medio Sæculo ſuperiori tàm validè oppreſſus, iterùm florere cæperit Anno 1642, & paucos poſt Annos defloruerit, Operæ Pretium erit, ipſiuſmet Regni Statum iſto in Tempore paucis enarrare, prout Deo favente in ultimo Hiſtoriolæ hujus Capite enarrabo (*n*).

XII. Ob memoratas porrò Perſecutiones nullus interfuit *Hibernus* Comitijs Generalibus *Valentinis*, Anno 1647 ſub Rmo *Turco* prælaudato celebratis (*o*), adeoque in ijs nullæ factæ ſunt *pro Provincia Hiberniæ* Conceſſiones. Poſtmodùm verò, Anno nimirùm 1650, habita fuere *Romæ* Comitia Generalia, in quibus electus erat in LVII Magiſtrum Ordinis Rmus *P. Joannes Baptiſta de Marinis*, Januenſis, de ſacroſancta Fide Orthodoxa, atque ſuſpirante *Hiberniæ Dominicanæ* Provincia, ut ex Decurſu hujus Capitis clarebit, optimè meritus. Comitijs iſtis intererat, quà Definitor *Hiberniæ*, P. Magiſter Fr. *Mauritius Tyrellus*, Molingarenſis (*p*), qui in Generali Studio *Græcenſi*, Provinciæ *Hungariæ*, Munus Regentis, omneſque Actus, pro Gradu Magiſterij requiſitos, expleverat, ut ipſorummet Comitiorum Acta, mox referenda, apertè teſtantur (*q*). Provincialis autem erat P. Magiſter Fr. *Gulielmus de Burgo*, Senior, Athenrienſis, ut ex alibi dicendis conſtabit (*r*), qui tamen ob Temporum Calamitates non interfuit. Quod ad Conceſſiones attinet, eas legere eſt in prædictorum Comitiorum Actis, ſequentem exhibentibus Paragraphum :

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Confirmamus omnes, & ſingulas Ordinationes, & Conceſſiones pro hac Provincia factas *Romæ* in Capitulo Generali 1629, & in Generaliſſimo 1644.

“ 2. Cum in iſta Provincia per has Temporum Calamitates vix ulla poſſint vigere Studia Literarum, ideò ne ex hoc paulatìm ei deficiant Miniſtri Evangelij, diſtrictè mandamus, inque Meritum S. Obedientiæ injungimus reliquarum Provinciarum RR. PP. Provincialibus, ut Fratres hujus afflictæ Provinciæ ubique peculiari Charitate, ac Promptitudine ſuſcipiant, foveant, & in ſuis Studijs Generalibus juxtà Locorum Vacationem ſaltem unum alterumve acceptent, & habeant: Inſuper quoque ubi poſſunt ſatagant adjuvare Nationem pro acquirendis, & extruendis Seminarijs, ſicubi Deus ad hoc Fundatorem, aut Benefactores excitavit.

“ 3. Declaramus, quod cùm hœc Provincia nunc quàm maximè Bellorum Cladibus, & gravi Perſecutioni Acatholicorum miſerrimè ſit implicata, non debeant eidem obeſſe Statuta poſtremi Capituli Valentini in hoc, quo minùs in illa Priores Conventuales, qui requiſitum Numerum Fratrum non alunt, equidem gaudeant Juribus, Voce, ac Privilegijs ſuis, ac ſi integrè dictum Numerum ſuſtentarent.

“ 4. Concedimus, quod in ejuſdem Provinciæ Lovanienſi Collegio fiant Actus, & Exercitia Scholaſtica pro Gradu, & Forma, prout Collegio Ulyſſiponenſi Anno 1644 conceſſit Capitulum Generaliſſimum (*s*). Porrò utrumque hoc Collegium, videlicet Ulyſſiponenſe, & Lovanienſe, unà cum Monaſterio Monialium Ulyſſipone fundato pro Natione *Hibernica*, ob Cauſas Nobis benè viſas, eximimus à Juriſdictione

---

quitatis Compendium, ut poſt *Gratianum Lucium*, id eſt, *Joannem Lincæum*, Hibernum, Archidiaconum *Tuamenſem*, ait *Vincentius Contenſonus*, Lib. vii. Diſſert. V. in append. §. x.

(*l*) Cap. i. Num. xix. Pag. 28. Adeas Cap. xvii. Num. ci.

(*m*) Ea habes exſcripta Cap. xiv. Num. xv.

(*n*) Scilicet Cap. xvii. à Num. xliii.

(*o*) Provincialis tunc Temporis erat P. Magiſter Fr. *Gregorius O-Ferrall*, Longofordienſis, ut liquebit ex Cap. xiv. Num. xiv.

(*p*) Ità refert *O-Heynus*, Pag. 9. infra laudandus Cap. ix. §. vii. Num. vi.

(*q*) Sect. 5.

(*r*) Cap. xiv. Num. xv.

(*s*) Confer Cap. præſ. Num. x. Sect. 9. Pag. 115.

“ riſdictione Patris Provincialis Hiberniæ pro Tempore, ſubjicientes ea immediatè Officio, ac Regimini Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis in ſpiritualibus, & temporalibus (*t*).

“ 5. Extendimus Numerum Graduum pro hac Provincia, ità ut in ea deinceps tàm Præſentati quàm Magiſtri cum Loco, & Voce computari poſſint uſque ad Numerum duodenarium=Sicque pro Locis ex hoc jàm actualiter vacantibus promovemus ad Gradum Magiſterij R. P. Fr. Gregorium Ferrall, Præſentatum, & hujus Provinciæ quondam Provincialem; R. P. Fr. Mauritium à S. Petro Martyre, Præſentatum, & Collegij noſtri Ulyſiponenſis Regentem Primarium; R. P. Fr. Mauritium Tirellum, Præſentatum, qui in Generali Studio Græcenſi (*u*) Munus Regentis, omneſque Actus pro hoc Gradu requiſitos explevit; R. P. Fr. Patritium Kearny, Præſentatum, ac S. Theologiæ in Collegio Lovanienſi Profeſſiorem; R. P. Fr. Fabianum Rian, Præſentatum, qui per complures Annos Philoſophiam, ac Theologiam docuit; & P. Fr. Thomam Lincæum, Præſentatum.

“ 6 Ad Gradum Præſentaturæ promovemus P. Fr. Thaddæum à S. Thoma, deputatum Regentem Collegij Ulyſſiponenſis; P. Fr. Hugonem Moriarti, aliàs Fr. Dominicum de Roſario, S. Theologiæ Profeſſorem; & P. Lectorem Fr. Henricum Burghet (*w*).

“ 7. Reſtituimus Gradum Prædicaturæ Generalis Fr. Jacabo Goldæo, Lectori, & Fr. Jacobo Wolfœo (*x*).

XIII. Anno 1655, laudatus Rmus Magiſter Ordinis *de Marinis* Literas expediri fecit Patentes, diſtrictè ordinantes, ut extranationalia Collegium, & Monaſterium *Ulyſſiponenſia* pro *Hibernis* duntaxàt Patribus, & Monialibus eſſent. Ibi porrò, ut obiter advertam, paternæ Charitatis Zelo flagrans, magnoperè deplangit, *prædictos Patres, & Sorores, his calamitoſis Temporibus, ab Hæreticis ejectos fuiſſe è toto Regno Hiberniæ.* Eas autem Literas Patentes legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum (y)*, Conſtitutioni inſertas *Alexandri* VII, Pontificis Maximi, iiſdem inviolabilis Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjicienti, quam, atque ipſaſmet Literas Patentes, ſuo Loco ſeorſim exſcribam, ſicut & ſimiles Literas pro Collegio *Lovanienſi*, Provinciæque Supplicem Inſtantiam pro omnibus (*z*).

XIV. Anno 1656, ſemel iterumque laudatus, & nunquàm ſatis pro Meritis laudandus, Rmus, inquam, *de Marinis*, Generalia convocavit *Romæ* Comitia, quibus, quà Definitor *Hiberniæ*, interfuit P. Magiſter Fr. *Joannus Nolanus*, Kilkennienſis, Regens *Minervitanus* (*a*), non ità pridem recenſitus (*b*), eique Socius aderat P. Magiſter Fr. *Richardus O-Kelly*, Rathbrannenſis, ut ex alibi dicendis conſtabit (*c*). Ibi afflictæ Provinciæ *Hiberniæ* (*d*), quæ ut eorundem Comitiorum Verbis, jamjam referendis, utar, *tota tunc exulabat, ob Acatholicorum Sævitiam, extorris nativo Solo*, plura, & quidem ſaluberrima conceſſa ſunt Privilegia pro optatiſſima ejus Inſtauratione. En integrum eorum Tenorem (*e*).

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Concedimus omnibus hujus Provinciæ Religioſis Utriuſque Sexûs, ſivè intrà ſivè extrà eam inſimul collegialiter degentibus, quod ſub Ritu Toto Duplici quotannis Die vi. Aprilis (niſi ea in Hebdomadam Sanctam, vel intrà Octavam Paſcha inciderit) celebrare poſſint Feſtum *S. Cæleſtini* Papæ, & Confeſſoris (*f*), idque in gratam Memoriam Hiberniæ, ſub illo Pontifice ad Fidem converſæ, utque eodem patrocinante Natio illa præſervetur ab omni Errore.

“ 2 Decer-

(*t*) Adeas Cap. viii. Num. ix. Sect. 2, & Num. xiii. Sect. 1.

(*u*) In Provincia *Hungariæ*. Confer Cap. præſ. Num. x. Sect. 14. Pag. 116.

(*w*) De eo fusè dicetur Cap. xvi. Num. lxxxi; de *Thaddæo* etiam *à S. Thoma*, cujus patrium Agnomen exiſtimo *Moriarty*, plura habetis eod. Cap. Num. xlvi.

(*x*) Hic Martyrio laureatus fuit Anno 1651, ut ex Cap. Gen. *Romano* 1656 declarabitur Cap. xvi. Num. xxx.

(*y*) Tom. vi. Pag. 200.

(*z*) Cap. xii. §. ii. Num. vii, & viii, ac §. iii. Num. x, & xi.

(*a*) i.e. Collegij *S. Thomæ* apud *S. Mariam Super Minervam* de Urbe.

(*b*) Num. x. hujus Capitis, Pag. 114.

(*c*) Cap. xvii. Num. lxxxi.

(*d*) Confer Cap. xvii. Num, xcix, & ſeqq.

(*e*) Ex actis Pag. 77. & ſeqq.

(*f*) In Decreto S. Congregationis Rituum pro celebrandis Feſtis ab *Hibernis* Utriuſque Cleri, atque Utriuſque Sexûs, tàm intrà, quàm extra Regnum collegialiter degentibus, Die 1. Julij 1741 emanato, meipſo Rem ſolicitante, S. *Cæleſtinus* recenſetur, ut Cap. i. Num. xv. Pag. 22, videre eſt.

“ 2. Decernimus, & declaramus, quod hæc Provincia, tametſi nunc tota exulet, ob Acatholicorum Sævitiam extorris nativo Solo, retineat tamen Nomen, Locum, Jus, Formamque Provinciæ, ità ut nulla Ratione extinctis Provincijs ſit connumeranda (*g*). Proindè cùm ipſa ob luctuoſam Filiorum ſuorum Diſperſionem in legitimum aliquod Capitulum Provinciale nullibi jam coire poſſit (*h*), ad Magiſtrum Ordinis pertinebit, durante ejus Exilio, ipſi de idoneo Provinciali, quoties Opus fuerit, canonicè providere, donec aliquandò Provincia redeat in eum Statum, quo iterùm poſſit intrà Patriam ſuam Capitulum Provinciale ex Uſu Ordinis celebrare. Porrò & tunc, & modò, in omnibus Electionibus, Functionibus, Officiorum Proviſionibus, Aſſignationibus, & cujuſcumque demùm Nominis ſeù Promotionibus, ſeù Deputationibus, nec palàm, nec privatìm, ullam Rationem, ſeù Reſpectum haberi volumus Diverſitatis Quatuor Regionum, ſeù Nationum Hiberniæ, ſed ſemper, & ubique ex toto Genere indiſcriminatìm, ac promiſcuè, admittantur, eligantur, aſſumantur &c, magis idonei, ità ut omnis Diviſio, & prona Factionum Occaſio proſcribatur. Quicunque verò ex quadrifido Regionum Hibernicarum Titulo, aut quovis alio Nomine, Jus alicujus Alternativæ, vel circularis Succeſſionis inter Nationales aut prætenderint, aut quoquomodò per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, uſpiàm invehere, procurare, admittere tentaverint, ipſo Facto in Pænam ſint, ac declarentur, perpetuò inhabiles ad quemcunque Gradum, vel Officium in Ordine tenendum, vel aſſequendum (*i*).

“ 3. Pro hujus Provinciæ Conſervatione declaramus, tam Collegium Ulyſſiponenſe, quàm Conventum Lovanienſem F F Hibernorum (*k*) cum omnibus ſuis Pertinentijs, habitis, & habendis, eſſe de Corpore dictæ Provinciæ, ità quod alij Provinciales, intrà quorum Fines hæ Domus exiſtunt, nullam in eas Juriſdictionem prætendere, aut adquirere poſſint, ſed totum earum Regimen relinquere teneantur ijs, quibus Magiſter Ordinis Directionem illarum, vel inſtituendo contulerit, vel delegando commiſerit.

“ 4. Ordinamus, ac perpetuis futuris Temporibus obſervandum decernimus, quod nullo unquàm Colore, Titulo, vel Prætextu, Provincia Hiberniæ incorporetur Provincijs Angliæ, aut Scotiæ (*l*), neque harum altera, vel utraque uniri poſſit Provinciæ Hiberniæ, etiam per Modum Commendæ, ſivè ex toto, ſivè ex Parte, ſed permaneant ſimpliciter impermixtæ; ità tamen quòd harum Nationum altera alteri non prohibeatur convivere, ſalvo Diſcrimine propriarum Provinciarum.

“ 5. Hortamur, ac per Viſcera JESU Chriſti obteſtamur omnes Provinciales, ac Priores reliquarum Provinciarum, præſertim Hiſpaniarum, ut, ſi qui fortè Juvenes Hiberni probæ Indolis, & Capacitatis ſe offerant, eos promptâ Charitate ad Habitum, Sanctamque Profeſſionem recipiant in Conventibus, ubi magis viget Obſervantia Regularis; eoſdemque jam profeſſos Literarum Studijs opportunè applicent, ipſorum Profectibus ſpecialiter intendant, Neceſſitatibus proſpiciant, Spiritum foveant, ipſoſque ad generoſa pro Fide Certamina formare conentur (*m*).

“ 6. Mandamus, & diſtrictè præcipimus Univerſis Provincialibus, Prioribus, & Locorum Præſidentibus, ad quos deinceps contigerit, aliquem, vel aliquos hujus Nationis Fatres noſtros cum legitimâ ſuorum Superiorum Licenriâ modeſtè divertere, ut eoſdem placido Vultu perbenignè ſuſcipiant, ipſorum Indigentiæ, pro Facultate Domus, munificè ſuccurrant, Negotia, pro quibus venerunt, piè promoveant, Hoſpilitatis Jura ſine Parſimoniâ, aut rigidâ Limitatione ergà iſtos conduplicent, nullumque opportunæ Humanitatis Officium prætermittant, memores, hos neque in Patria, nec ferè ullibi habere ubi Caput reclinent.

“ 7. Committimus A. R. P. Magiſtro Fr. Antonio Vaena, hujus Capituli pro Bethica Definitori, eidemque impenſè commendamus, quod Excellentiſſimum D. Ducem de Medina Cœli ex communi Nomine

---

(*g*) Et quidem ad Differentiam *Angliæ*, & *Scotiæ*, quæ Extinctæ evaſerunt Provinciæ, & nonniſi merè Titulares, ut liquet ex Cap. v. Num. iii. Pag. 92.

(*h*) Videſis Cap. xvii. Num. ciii.

(*i*) Sapienti quidem Conſilio, juſtiſqne de Cauſis id ſancitum fuit. Diverſitas quippè Quatuor *Hiberniæ* Nationum prona fuit ab antiquo, & etiamnùm eſt, Factionum Occaſio, atque unica, & peſſima Radix Diſcordiarum, Rixarum, & Contentionum quotidianarum inter *Hibernos*, tàm Sæculares, quàm Regulares, quàm etiam Lacios, & Militares, ac, uno Verbo, Malorum omnium in Rebus noſtris, tàm Eccleſiaſticis, quàm Civilibus, ut Lippis, & Tonſoribus notum eſt, utque uberiùs declarabitur Cap. præs. Num, xxvii. Lit. n.

(*k*) De Collegio, & Conventu iſtis, datâ Operâ agetur Cap. xii. §. ii. & iii.

(*l*) Provinciæ *Scotiæ* jam extinctæ Cura Patri Provinciali *Hiberniæ* pro Tempore commiſſa fuit à Comitijs Generalibus *Romæ* 1629, ut liquet ex Num. ix. hujus Capitis, Sect. ii. Pag. 113, qui ſubindè Miſſionarios in eam jugiter deſtinabat, deſtinatque. Recolenda nuper dicta Loco mox citato ad Lit. y. Pag. 113.

(*m*) Hanc eandem Adhortationem ſub iiſdem ipſiſſimis Verbis innovarunt Patres Comitiorum Generalium 1670, ut conſtabit ex Cap. præs. Num. xx. Sect. 2.

“ mine hujus Generalis Capituli, ac totius Ordinis, eò inclinare Studeat, ut pro eximio ſuo in Ordinem
“ Affectu novum illum Conventum, quem aliàs in Civitate Portûs S. Mariæ conſtruere intendit, fundare
“ dignetur in Aſylum commuue Fratrum Provinciæ noſtræ Hiberniæ, pro Catholica Fide exulantium,
“ diſponendo, ſi ità placuerit, quod ibidem ſub immediata A. R. P. Provincialis Andaluſiæ Cura pro
“ Tempore degant tùm hi, tùm alij Fratres Hiberni, qui, finitis alibi Scholarum Curſibus, idonei fuerint
“ ad ſubeundum illic exactiſſimam Regulæ, & Conſtitutionum Obſervantiam, & ad vacandum intereà
“ Studio Sacræ Scripturæ, Controverſiarum Fidei, Caſuum Conſcientiæ, &c, ut his Exercitijs conſum-
“ matè erudiantur ad Fidem in Patria propugnandam, atque propagandam (*n*).

“ 8. Stabilimus in hac afflicta Provincia duodenarium Numerum Magiſtrorum, ac totidem Præſentato-
“ rum, quem nolumus unquàm Tempore etiam pacato tranſiliri (*o*). Ex his verò tùm Magiſtris, tùm
“ Præſentatis (quandò Provincia Domi ſuæ ad aliqualem redierit Formam) una Medietas ſemper ad Ti-
“ tulum Lectionis, reliqua ad Titulum Prædicationis exponatur (*p*). Qua in Re ut ſecurior ſit Locus
“ Juſtitiæ diſtributivæ, Diffinitores, eorumve Socij (ſi quandò ad Generale Capitulum venerint) tenean-
“ tur ſecum adferre Catalogum omnium celebrium Lectorum, & Prædicatorum totius Provinciæ, qui,
“ quantùm, quamdiù, ubi, quando, quo Fructu legerint, aut prædicarint, quot Ætatis, ac Profeſſio-
“ nis habeant Annos, quàm religioſis, modeſtis, & tranquillis Moribus ubique fulſerinr, &c (*q*). Vo-
“ lumus autem, & declaramus, Neminem Titulo Prædicationis exponi poſſe pro Magiſterio, niſi reverà
“ intrà Provinciam, & Regnum Hiberniæ, ad minus per Decennium fructuoſè prædicarit; neque Titulo
“ Lectionis, niſi poſt Philoſophiam integrè prælectam, ſaltem per ſex Annos (in quibus tamen Magiſterium
“ quoque Studentium comprehenſum eſto) Sacram Theologiam docuerit in Loco, ubi vigeant in Veri-
“ tate Exercitia Scholaſtica utriuſque prædictæ Facultatis. Denique nec ad Gradum Præſentaturæ Ti-
“ tulo Lectionis quiſquam poſſit exponi, qui priùs non legerit integrum Curſum Artium, expletoque
“ Magiſterio Studentium, ſaltem per Tres Annos docuerit Theologiam.”

In eorundem Comitiorum Generalium Actis conſpicitur Titulus ſic inſcriptus: *Fratres & Sorores, qui pretioſâ in Conſpectu Domini Morte obierunt*; ubi per Quindecim Paginarum Seriem multò plura legere eſt de *Hibernia* (abſit Invidia Verbo) quàm de alijs univerſi quà latè patet Ordinis Fratribus Prædicatoribus, quæ proindè opportuniùs exſcribam Cap. XVI, ibi de *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnis, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione claris, ſpecialem Sermonem facturus.

XV. Anno 1667, quandoquidem Provincia *Hiberniæ* tam diris tamque diuturius Perſecutionibus afflicta, nec Domi nec Foris Locum haberet, ubi tot ſui Filij Caput reclinarent, hinc ſeriâ Commiſeratione, providâque Conſideratione inductus Rmus Magiſter Ordinis *de Marinis*, toties laudatus, Literas dedit Patentes ad P. *Joannem O-Connor*, à *S. Dominico* nuncupatum (*r*), in quibus dolens ſuper *Hiberniam, Re, & Nomine, quondàm floridiſſimam Sanctorum Inſulam* (s), *ſed poſtremo hoc Sæculo avitæ Religionis triſti paſſim Excidio miſerrimè deformatam*; *& ſuper Provincialem*

(*n*) Conventum iſtum *Portu-San-Marianum* nunquàm reapſè aſſecuti ſunt Fratres *Hiberniæ Dominicanæ*, ut datâ Operâ declarabitur Cap. xii. § iv. Num. iv.

(*o*) Nunc autem ſtabilitus manet vigenarius Numerus tàm Magiſtrorum, quàm Præſentatorum, ut liquebit ex Cap. viii. Num. iii. Sect. 8, & Num. xxiii. Sect. i.

(*p*) Poſtmodùm verò duodenarius Numerus, tàm Magiſtrorum, quàm Præſentatorum, erat ad Titulum Lectionis ut perſpicuè apparet ex mox dicto Cap. viii. Num. iii. Sect. 8, ubi conceſſa videbis Anno 1706, Quatuor Magiſteria, & totidem Præſentaturas, Titulo Lectionis.

(*q*) Hùc facit Ordinatio Rmi *Ripoll* in Literis Confirmatorijs Actorum Capituli Provincialis 1726, Num. iii hujus Tenoris: *Nullus Nobis quocunque Titulo, ſivè Lectionis, ſivè Prædicationis aut Miſſionis, ad quemcunque Gradum Prædicaturæ Generalis, Præſentaturæ, aut Magiſterij, præſentetur in poſterum niſi cum expreſſâ Candidati Ætate, Profeſſione, Meritis individualiter, ubi, & quot Annis legerit, vel prædicarit, cæteriſque Requiſitis ad amuſſim ſpecificatis, addito quoque Loco Actu vacante, in quem promoveri debeat, ſemper cum Teſtimonio authentico à P. Magiſtro Provinciali, & Moderatoribus Studij, Patribuſque in Linea Scholæ Magiſtris, Dublinij exiſtentibus, ſubſcripto, vel maximè Merita Lectorum cum omni Annorum Lecturæ Diſtinctione ſpecificentur, adeò ut ſi quis eodem Tempore Magiſtrum Studentium, aut Lectorem S. Scripturæ, & ſimul Lectorem Theologiæ agat, nonniſi pro uno Anno computetur.*

(*r*) De eo plura videbis Cap. xii. §. i. Num. v.

(*s*) Recolendum Cap. i. Num. v. Pag. 6.

vincialem (t) alioſque ob Fidem in Vincula conjectos, Miſſionarios diſperſos, Communitates diſſipatas, &c. ſingularum Provinciarum noſtri Ordinis Provinciales inter alia vehementer hortatus fuit, ut ſpontè, ac liberaliter, unum, vel plures Conventus in ſuis Provincijs cederent pro tuto Refugio Fratrum *Hibernorum*, ut ſcilicet illic Vernacula Juventus dicti Regni collegialiter, & ſeorſim ſub proprijs Prælatis, & Studij Moderatoribus idoneâ Educatione formaretur, tum ad Regularem Ordinis Diſciplinam, tum ſpecialiter ad obeundas in Patria Miſſiones pro Fide Catholica tuenda, & propaganda: Taleſque Conventus, hoc Modo reſignatos, ex tunc pro ſemper Provinciæ *Hiberniæ* Ordinis Prædicatorum applicavit, & incorporavit, itâ quod nulli alteri Ordinis Superiori ſubſint, præterquàm ſuo Provinciali Hiberniæ, & Magiſtro Ordinis pro Tempore. Atque totum hoc fecit Apoſtolicâ Auctoritate ſpeciali, quâ in eo declarabat ſe fungi. En porrò integrum earum Tenorem ex *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. VI. Pag. 227.

“ Frater Johannes Baptiſta de Marinis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, in Dei Filio ſibi dilecto R. P. Fr. Johanni O-Cnojur *(u)* à S. Dominico ejuſdem Ordinis, & Provinciæ noſtræ Hiberniæ Procuratori Generali, Salutem.

“ Hibernia, Re, & Nomine quondam floridiſſima Sanctorum Inſula, ſed poſtremo hoc noſtro Sæculo avitæ Religionis triſti paſſim Excidio miſerrimè deformata, tantò ſolicitiorem meretur omnium Chriſtifidelium ubique Commiſerationem, quantò periculoſiùs hodiè ſub novo quodam Perſecutionis Genere ibidem Orthodoxa Fides laceratur, nèque hic Nobis eundùm per ſingula, dum in Paradigma ſufficiunt noſtrorum illic Fratrum, quas expoſuiſti Calamitates, & Clades, nimirùm ipſo eorum Provinciali ob Fidem retruſo in Sequeſtrum, alijſque alibi in Vincula conjectis, Miſſionarijs diſperſis, Communitatibus diſſipatis &c., quibus niſi aliundè per novorum identidem Operariorum quotidiana Supplementa providè ſuccurratur, brevi de Provincia actum erit. Porrò ut prudenter ſuggeſſiſti, ijs ſucurri non poterit, niſi extrà Inſulam in alijs Catholicorum Principum Regnis, ac Ditionibus, multiplicentur nationalia Religioſorum iſtorum Domicilia, & Literarum Collegia, in quibus tùm Exules noſtri Miſſionarij, ob Fidem proſcripti, Aſylum inveniant, tùm Vernacula Hibernorum Juventus Studijs Controverſiarum, & Sacrarum Linguarum jugiter ad Apoſtolicam Miſſionem erudiatur. Hoc igitur extremum iſtius Deſolationis Remedium, ut ſuo tandem potiatur Uſu, & Effectu, in quem unà tecum undique plurium Magnatum Vota, Inſtantiæ, Promiſſa, munificè pientiſſimèque conſpirant, ampliùſque in alijs pariter Regionibus conſpiratura putantur. Nos harum Serie, ac ſupremâ Officij noſtri Auctoritate, in primis tibi ſupranominato, tuiſque in Officio Succeſſoribus, Poteſtatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Madritum Hiſpaniæ, unicum tuæ nativæ Provinciæ Collegium, quale confidis illic ex piorum Eleemoſynis, ac liberali Fundatione te obtenturum (*w*), ad Effectum præcipuè ibidem ſub Regulari Diſciplina educandi Miſſionarios Hibernicæ Nationis indiſcriminatìm, ità tamen, ut etiam Angli, & Scoti in eodem Collegio recipiantur, ſuſtententur, & inſtruantur cum Poteſtate etiam ibidem recipiendi ad Habitum, & Profeſſionem, Juvenes ſupradictarum trium Nationum, illoſque educandi in proprio Novitiatu ſub exacta Obſervantia Regulari. Simili Ratione, Fine, ac Modo in alijs quibuſcumque Locis tùm Hiſpaniarum, tùm cæterorum per Europam Catholicorum Regnorum, Statuum, ac Ditionum ubicunque Patronos, Fautores, ac Fundatores potueris reperire, atque ad tantæ Pietatis Opus inducere, tibi, tuiſque Succeſſoribus in Officio amodò liceat hujuſcemodi Collegia procurare, ſuſcipere, eorundem Regnorum Nationalibus conſignare, ad Effectum, ut ſuprâ, & cum ijſdem Facultatibus. Volumus autem, ac declaramus, quod omnia, & ſingula ejuſmodi Collegia ubicumque, Dei Ope, Fidelium Munificentiâ, tuâque & Succeſſorum Induſtriâ excitabuntur, ipſo Facto ſint, & permaneant vera Membra ſolius noſtræ Provinciæ Hiberniæ, ità quod nulli alteri Ordinis Superiori ſubſint, præterquam ſuo Provinciali Hiberniæ, & Magiſtro Ordinis pro Tempore. Interìm donec Fratres noſtri proprias ſeorsìm Fundationes, ac Domicilia, ut ſuprâ, poſſideant, ne ſtante hac eorum notoriâ

“ Paupertate

(*t*) Provincialis tunc Temporis erat P. Magiſter Fr. *Joannes O-Hart*, Sligoenſis, qui ob Pontificiæ Auctoritatis Defentionem conjectus fuit in Carcerem *Dublinienſem*, ibique Triennio integro emancipatus, ſimul cum PP. *Chriſtophoro Ferrall*, & *Raymundo Moro*, Dublinienſibus. Illis porrò non dabatur Lectus, ſed ſuper nudam Terram cubabant, eorumque Pedes crebrò mordebant Sorices, ut ab ultimo ex ipſis accepit P. Magiſter *Joannes O-Heyn*, cujus ex Epiligo *Chronologico* Verba exſcribam Cap. xiv. Num. xvi, & Cap. xvi. Num. lvii.

(*u*) Familia Antiquiſſima, olim Regia, quæ paſſim ſcribitur *O-Connor*. Confer. Cap. xiii. Num. xliv. Lit. h.

(*w*) Collegium iſtud *Matritenſe* nunquàm reapſè obtentum fuit pro *Hibernis*, ut datâ Operâ dicetur Cap. xii. §. iv. Num. iii.

“ Paupertate adigantur ad ſolvendas in Provinciarum Conventibus, aut Hoſpitijs taxatas Contributiones, quas utique extorres, & egeni ſolvere nequeunt inſtar Cæterorum, qui pacatas Provincias habent, mandamus, quòd Præſides iſtorum Conventuum, & Hoſpitiorum in hujuſmodi alienis Provincijs nihil à Fratribus noſtris Anglis, Hibernis, Scotis apud ſe hoſpitaturis exigant, ultrà quotidianæ Miſſæ Celebrationem tautùm, ubicunque verò ijdem Fratres in Hoſpitijs, aut Conventibus ſub ea Conditione non recipiantur, licebit ipſis hoſpitari apud quoſcunque alios benevolos Receptatores Eccleſiaſticos, ſivè ij ſint Regulares, ſivè Sæculares, ne ob temporales Reſpectus ullibi ſanctum illud procurandarum Fundationum impediatur Negotium, à quo tot Animarum Salus dependet. Denique in Virtute Spiritûs Sancti, Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto, necnon ſub Pæna majoris Excommunicationis ipſo Facto incurrendâ, alijſque Pœnis Nobis arbitrarijs, ex nunc ſtrictiſſimè prohibemus univerſis, & ſingulis, noſtræ Curæ ſubjectis, quâcunque Dignitate, Gradu, Officio, aut Qualitate cenſeantur, ne ullibi ſupradictas Collegiorum Hibernicorum pro noſtris Fundationes, Acquiſitiones, Incrementa, per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, clàm, vel palàm, ſub quocunque Motivo, Colore, aut imaginabili Prætextu, impediant, retardent, aut diſturbent; quin potiùs enixè hortamur A. RR. PP. tùm Hiſpaniarum, tùm cæterarum Provinciarum Priores Provinciales, quatenùs per ſe, & ſuos ubique tàm ſanctum, & pium Opus magno Studio, & Conniſu promoveant, juvent, ac foveant, Fratres noſtros Hibernos in ſuis Provincijs, & Congregationibus libenter, paternèque complectantur, ipſorum Solatio, & Profectibus, ſincerè faveant, ipſos Benefactoribus commendent, omnique opportuno Subſidio, Conſilio, Affectu eis opitulari non dedignentur, & quia Charitati nulla præfixa eſt Menſura, aut Limes, hortamur eoſdem Priores Provinciales in Viſceribus Jeſu Chriſti, quod his Frarribus ad Miſſiones, & Martyria pro Fide auctoritatis (*x*) ſpontè, ac liberaliter ex ſuiſmet proprijs Conventibus unum, aut plures in ſuis Provincijs cedant, ac reſignent. Tales autem Conventus, hoc Modo reſignatos, ex nunc pro tunc ijſdem Fratribus, ipſorumque Provinciæ applicamus, & incorporamus, Apoſtolicâ Auctoritate ſpeciali, quâ in hoc fungimur. Item ſupradictam Facultatem procurandi, fundandi, acceptandi, & formandi hæc Nationalia Collegia, Domus, atque Conventus pariter extendimus ad acquirenda Monialium Cænobia, ſeù Monaſteria, pro Hibernis, Anglis, & Scotis, Deo ubivis Locorum conſecrandis, ſiquidem hæ in propria ſua Patria hanc relinquendi Sæculi Commoditatem ſperare nullibi poſſunt. Quod ſi etiam in aliarum Miſſionum præſertìm Orientalium Solatium tibi, vel tuis Succeſſoribus in Officio placuerit, ac ſine Incommodo propriorum Nationalium piè fieri videbitur, concedimus pariter, quod in prædictis noſtris Domibus, Collegijs, & Conventibus recipiantur etiam noſtri Fratres Armeni, ſivè ad hoſpitandum, ſivè etiam ad commorandum pro Studio, & Inſtructione, idemque conceſſum eſto quoad aiios Religioſos noſtros de Terris Infidelium adventantes. Porrò ut omnibus his, quæ ſperantur, novellis Cœnobiorum Plantationibus de optima, & Stabili Forma Regiminis proſpiciatur, ex nunc harum Serie te, tuoſque in hoc tuo Procuratoris Generalis Officio Succeſſores, omnibus hujuſmodi Cænobijs, Collegijs, ac Domibus præficimus cum Titulo Vicarij Provincialis Hiberniæ pro Tempore, cumque omni in ſpiritualibus, ac temporalibus Juriſdictione, ac Poteſtate, quam Priores Provinciales in ſuis Provincijs habere debent, ac ſolent, etiam cum Facultate ſubdelegandi, ità ut quandò contigerit te, tuoſque Succeſſores longiùs diſtare, aut alio Impedimento detineri, ab adeundo Loco, ubi Collegium, aut Cænobium, ſeù Fratrum, ſeù Monialium, plantandum, acceptandum, formandum, aut viſitandum fuerit, poſſis, ijque ſucceſſivè poſſint, eò deſtinare Commiſſarium, ac Viſitatorem, quoties, & quando Opus fuerit, cum plena, aut limitata Auctoritate, prout videbitur, talemque, ſeù Commiſſarium, ſeù Viſitatorem, à te, ſeù tuis Succeſſoribus miſſum, poſſis, illique poſſint, revocare, aliumque ſubrogare ad Effectum ea omnia, & ſingula agendi, diſponendi, atque præſtandi qnæcunque ipſemet ageres, ſi perſonaliter eò acceſſiſſes. Item quantùm in Nobis eſt, tibi, tuiſque Succeſſoribus, plenariam concedimus Facultatem deſtinandi Prædicatores, & Miſſionarios ad Terras Infidelium, & Hæreticorum pro Converſione, & Lucro Animarum, ſeù pereuntium, ſeù periclitantium. Inſuper tibi, & Succeſſoribus tuis Poteſtatem damus imponendi Præcepta formalia, fulminandi Cenſuras, condemnandi ad Pœnam Carceris, & exercendi omnes illos Actus Juriſdictionis, quos Provinciales ex ordinaria ſua Auctoritate exercere poſſunt in Perſonas ſibi ſubjectas. Præterea, ſi contingat ſupradicta Collegia, Cænobia, Monaſteria, vel aliquod eorum ab ipſo Provinciali Hiberniæ perſonaliter viſitari, ipſo præſente, quieſcit ibidem tua, tuorumque Succeſſorum Auctoritas, verum illo indè digreſſo eadem Auctoritas ipſo Facto redibit ad Uſum, ut anteà, ſic quod ea non cenſebitur expiraſſe per Adventum Provincialis, neque illam tunc, aut aliàs tibi

“ poſſit

(*x*) Vel turbatus Locus eſt (ut advertit *Bullarium* noſtrum Tom. vi. Pag. 229. Not. 2.) Amanuenſis Incuriâ, vel Nomine illo adjectivo intelligitur, Fratres Hibernos, non ſecùs ac Milites, *auctoritatos*, ſeù *auctoratos* fuiſſe.

“ poſſit auferre Provincialis Hiberniæ in toto, vel in Parte, niſi de expreſſo Conſenſu Magiſtri Ordinis, te
“ verò per Mortem ſublato ad Provincialem Hiberniæ pertineat ſubrogare alium Procuratorem Provinciæ
“ cum ijſdem Facultatibus, ut ſuprà, & cum Præfixione Termini quoad Durationem Officij, quem tamen
“ ſemel, ac pluries poterit prorogare, prout poſtularit Neceſſitas. Ulteriùs ex Apoſtolicâ Auctoritate Nobis
“ ſpecialiter indultâ concedimus tibi, & tuis Succeſſoribus plenariam Facultatem, quâ in præmemoratis
“ novis Conventibus, Collegijs, ac Monaſterijs inſtituas, & præficias Priores, Rectores, Prioriſſas, donec
“ ad eum perveniant Numerum Perſonarum, qui ad Electionem Canonicam ſufficiat, eâdem Facultate
“ poſſis Electionem approbare, & confirmare, ipſis verò inſtitutis, aut electis Terminum Officij ſui, quatenùs
“ expedire judicaveris, ſemel, & pluries prorogare, vel ut religantur habilitare. Similiter poſſis
“ ubique in Domibus tibi ſubjectis inſtituere Suppriores, Vicarios, Præſides, Magiſtros Novitiorum, Lectores,
“ Officiales, ac Studiorum Moderatores. Eadem proportionabiliter, ac reſpectivè circà Monaſteria
“ Monialium tibi conceſſa ſunto, & quicquid Facultatis, aut Juriſdictionis tibi in noſtris Literis Patentibus
“ conceditur, id totum pariter tuis in eodem Officio futuris Succeſſoribus conceſſum intelligatur. Et, ut
“ omnia Obſtacula, quantùm fieri poteſt, removeantur, denuò ſub formali Præcepto, & Anathemate, quo
“ ſuprâ, necnon ſnb Pæna Privationis utriuſque Vocis, & Graduum, perpetuaque Inhabilitate ad ea recuperanda,
“ interdicimus univerſis, & ſingulis, tàm Superioribus, quàm ſubditis, in quacunque Ordinis
“ Provincia, aut Congregatione degentibus, ne huic per Nos tibi, & Succeſſoribus tuis collatæ Juriſdictionis
“ Titulo, & Facultati, quiſquam ſeſe opponat, eamve jndicialiter, vel exrrajudicialiter impugnet, aut
“ impediat. Ipſis verò Fratribus, & Sororibus, prædicta nova Collegia, Conventus, atque Monaſteria
“ reſpectivè inhabitaturis, aut in ijs quoquomodo, vel Occaſione commoraturis, præcipimus ſub eodem
“ formali Præcepto, ijſdemque Pænis, quod tibi, & Succeſſoribus, tanquàm legitimis ſuis Prælatis, ac veris
“ Superioribus, exactam præſtent Obedientiam, Reverentiam, & Honorem. In Nomine Patris, & Filij,
“ & Spiritûs Sancti, quibuſumque in contrarium non obſtantibus. In Fidem his Officij noſtri Sigillo
“ munitis Manu propriâ ſubſcripſimus Romæ ſextâ Julij MDCLXVII.”

XVI. Quanquàm, ut jam ajebam, Rmus iſte Magiſter Ordinis expreſſè declaraverit in mox exſcriptis ſuis Literis, ſe *Apoſtolicâ Auctoritate ſpeciali* in hac Parte fungi, nihilominùs quô firmiùs ſubſiſterent Literæ ſuæ, ac ſervarentur exactiùs, eaſdem Apoſtolicæ Confirmationis Præſidio communiri fecit, impetrato deſuper à Neo-Pontifice *Clemente* IX Diplomate, quod legere eſt in *Bullario Ordlnis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 227, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplaria authentica Typis R. Cameræ Apoſtolicæ *Romæ* impreſſa anno 1667, Tenoris ſequentis:

“ CLEMENS PP. IX.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Creditæ Nobis cælitûs Diſpenſationis Ratio exigit, ut paternam Virorum Religioſorum, eorum præ-
“ ſertim, qui Evangelicæ Prædicationi addicti, Labores, & Pericula pro Fide Catholica alacriter ſubeunt,
“ Curam gerentes, illa, qua pro eis ſublevandis, pijſque, & laudabilibus eornm Stndijs fovendis, & promovendis,
“ ab eorum Superioribus Regularibus, piè prudenterque facta, & conſtituta eſſe noſcuntur, ut
“ firma, atque illibata perſiſtant, Apoſtolici Muniminis Patrocinio libenter roboremus. Exponi ſiquidem
“ Nobis nuper fecit dilectus Filius Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, qnod ipſe pro Manutentione
“ Inſtituti Evangelicæ Prædicationis, cui dictus Ordo enixè incumbit, ac pro ſublevandis Religioſis Provinciæ
“ Hiberniæ, & aliarum ejuſdem Ordinis, qui Laboribus, Carceribus, Minis, & Opprobrijs pro Catholica
“ Fide vexantur, Literas Patentes expedivit Tenoris, qui ſequitur videlicèt. Frater Johannes Baptiſta
“ de Marinis” *(Hic inſerit Pontifex de Verbo ad Verbum Literas Patentes Revercndiſſimi* de Marinis, *quas Numero Superiori exſcriptas habes, adeoque impræſentiarùm evitandæ Prolixitatis ergo prætermiſſas. Dein ſubjungit* Clemens.) “ Cum autem ſicut eadem Petitio ſubjungebat, prædictus Magiſter Generalis
“ Literas hujuſmodi, quò firmiùs ſubſiſtant, ac ſerventur exactiùs, Apoſtolicæ noſtræ Confirmationis Præſidio
“ communiri plurimùm deſideret. Nos ipſum Magiſtrum Generalem ſpecialis Favore Gratiæ proſequi
“ volentes, & à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs,
“ Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quavis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet
“ innodatus exiſtit, ad Effectum Præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes,
“ & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus ejus Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati,
“ de Venerabilium Fatrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Negotijs, & Conſultationibus Epiſcoporum,
“ & Regularium, præpoſitornm Conſilio, attentis Narratis, viſiſque, & diligenter per eoſdem Car-

dinales conſideratis Literis Patentibus præinſerti Tenoris, eaſdem Literas, Auctoritate Apoſtolicâ, Tenore Præſentium benignè confirmamus, ſuumque Effectum ſortiri mandamus, ſalvâ tamen ſemper in præmiſſis Auctoritate Congregationis prædictorum Cardinalium. Decernentes ipſas præſentes, & præinſertas Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenùs Opus ſit, dicti Ordinis, & Provinciarum, ac Conventuum, & Locorum Regularium quorumcunque, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quavis Firmitate alia roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum Tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter, expreſſis, & inſertis habentes, illis alias in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum, hac Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, Manu alicujus Notarij publici Subſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem Fides adhibeatur ubique, quæ præſentibus ipſis ad hiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xvi Septembris MDCLXVII, Pontificatûs Noſtri Anno Primo."

XVII. Eodem inſuper Anno 1667, memoratus Pontifex *Clemens* IX, ut mox allatæ ſuæ Literæ Apoſtolicæ omnimodam aſſequerentur Executionem, alias dedit Tenoris ſequentis, in eodem legendas *Bullario* noſtro, Tom. vi, Pag. 230, ex *Bullario Romano*, Conſtitutione xii, & ex *Archivo Ordinis* noſtri, in quo Exemplaria autentica, *Typis R. Cameræ Apoſtolicæ* impreſſa Anno 1667. Plura etiam utrarumque Literarum Apoſtolicarum Exemplaria autentica ijſdem Typis impreſſa, vidi ipſe in Bibliotheca Cænobij noſtri *S. Sixti* de Urbe.

"CLEMENS PP. IX.

"Ad perpetuam Rei Memoriam.

"Nuper emanarunt à Nobis ad Favorem dilectorum Filiorum Fratrum Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædictaorum Literæ in ſimili Forma Brevis Tenoris, qui ſequitur, videlicèt: Clemens PP. IX. Ad futuram Rei Memoriam. Creditæ Nobis cælitùs Diſpenſationis Ratio exigit &c *(Hic inſerit Pontifex integram ſuam primam Conſtitutionem, Num. præcedenti tranſcriptam, dein ſubjungit)* " Nunc autem eoſdem Fratres amplioris Favore Gratiæ proſequi volentes, eorumque, ac dilecti pariter Filij Johannes O-Cnojur (y) à S. Dominico, Procuratoris dictæ Provinciæ Hiberniæ, ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis. Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad Effectum Præſentium tantùm conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Supplicationibus ejuſdem Johannis Nomine Nobis ſuper hoc hnmiliter porrectis inclinati, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletan,, ac dilectis etiam Filijs Inquiſitoribus hæreticæ Pravitatis, in quacumque Provincia, ſeù Loco, Auctoritate Apoſtolicâ deputatis, per Præſentes committimus, & mandamus, quatenùs ipſi vel Duo, aut Unus eorum, per ſe, vel alium, ſeù alios, ubi, & quandò Opus fuerit, & quoties pro Parte Fratrum prædictorum, ſeù alicujus eorum, fuerint requiſiti, ſeù aliquis eorum requiſitus fuerit, ipſas præſentes, & præinſertas Literas, ac in eis contenta quæcunque ſolemniter publicantes, illiſque, in præmiſſis, efficacis Defenſionis Præſidio aſſiſtentes, faciant, Auctoritate noſtrâ, illos, & eorum quemlibet, earundem Literarum, & in eis contentorum hujuſmodi, Commodo, & Effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes eos deſuper à quoquam, quâvis Auctoritate, quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari, Contradictores quos libet, & Rebelles, per Sententias, Cenſuras, & Pænas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & Facti Remedia, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, legitimiſque, ſuper his habendis, ſervatis Proceſſibus, Cenſuras, & Pænas ipſas, etiam iteratis Vicibus, aggravando, invocato etiam ad hoc, ſi Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis. Non obſtantibus felicis Recordationis Bonifacij PP. VIII, Prædeceſſoris Noſtri, de una, & Concilij Generalis de duabus Dietis, dummodò ultrà Tres Dietas aliquis Auctoritate Præſentium in Judicium non trahatur,

" alijſque

(y) Videſis Nuperam Notam ad Lit. u.

“ alijſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in Literis
“ præinſertis conceſſimus non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Cæterùm volumus pariter, ut
“ earundem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, Manu alicujus Notarij
“ Publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Dignitate Eccleſiaſticâ conſtitutæ munitis, eadem Fides adhibe-
“ atur ubique, quæ Prœſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanc-
“ tum Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xiv (z) Octobris MDCLXVII, Pontificatûs noſtri
“ Anno Primo.

“ *J. G. SLUSIUS.*

XVIII. QUANDOQUIDEM *Carolus* Rex, hujus Nominis Secundus, qui Anno 1660 per Reſtaurationem, ut vocant, Paternum ſuum *Magnæ Britanniæ Hiberniæque* Solium conſcenderat, Conjugium iniret Anno 1661 cum *Catharina*, Regis Luſitaniæ *Joannis* IV Filiâ, in Partem Dotis ab eodem accepit *Tingitanam* Civitatem, *Tangier* vulgò dictam, *Mauritaniæ* in *Africa* primariam, dudùm à *Maurorum* Poteſtate per *Luſitanos* direptam. Cùm autem eâ in Urbe Cænobium eſſet Fratrum Prædicatorum, geſtiretque memoratus Rex *Carolus* (*a*), ut à ſuis potiùs Subditis poſſideretur, idcircò toties laudatus Magiſter Generalis *de Marinis* illud ex Provincia *Portugalliæ* ad Provinciam *Hiberniæ* tranſtulit. Hùc ſpectant Literæ Patentes ipſius Anno 1668 Hiſpanico Idiomate datæ, in Latinum ſic verſæ, prout eas legere eſt in Bullario Ordinis Prædicatorum (*b*) Tenoris ſequentis:

“ Frater Johannes Baptiſta de Marinis, Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum. Quondam aggrega-
“ gavimus noſtrum Conventum, & Eccleſiam Tingitan. ad Provinciam Hiberniæ cum Univerſis Bonis ad
“ illum pertinentibus, & quæ pertinere poſſunt, ſeparando illum à Provincia Portugalliæ, eumque ſubjeci-
“ mus ſub Juriſdictione Provincialis Provinciæ noſtræ Hiberniæ, ſuique Procuratoris Generalis, cum Auc-
“ toritate Vicarij Generalis, & Commiſſarij, qui hodiè eſt P. Fr. Johannes à S. Dominico, per quem in-
“ ſtituto in Priorum illius Conventus P. Fr. Thoma à S. Dominico prædictæ Provinciæ Hiberniæ, Teno-
“ re præſentium, noſtrique Auctoritate Officij mandamus omnibus, & quibuſcunque Religioſis noſtræ Obe-
“ dientiæ ſubjectis, exiſtentibus in Civitare Tingitana, ſuiſque Confinibus, in Virtute Spiritûs Sancti, Sanc-
“ tæ Obedientiæ, ſub formali Præcepto, Pænâ Excommunicationis Majoris latæ Sententiæ ipſo Facto in-
“ currendâ, & Gravioris Culpæ per Sexennium, in Caſu Contradictionis, quam ipſos incurriſſe declara-
“ mus ex nunc, prout ex tunc, quod habeant & obediant, tanquàm Prælato, & Priori, prædicto Fratri
“ Thomæ à S. Dominico, & ut hujuſmodi, ipſi tradant, & conſignent quæcunque Bona mobilia, aut im-
“ mobilia, pertinentia, aut quæ poſſint pertinere ad prædictum Conventum, & Eccleſiam &c. Non ob-
“ ſtantibus quâcunque Diſpoſitione, Determinatione, aut Ordine, per Nos, aut noſtros Anteceſſores, aut
“ quemcunque Prælatum noſtrum inferiorem, quoniam omnes, & quoſcunque particulariter per Præſentes
“ revocamus, & annullamus. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Datum Romæ xiv.
“ Martij. MDCLXVIII.

“ Fr. JOHANNES BAPTISTA DE MARINIS,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ *Regiſtrata Lib.* 4. *Epiſt. Fol.* 87.

“ Fr. *Antonius Gonzalez*,
“ *Magiſter*, & *Socius.*

SUBINDE Anno 1670 Neo-Magiſter Generalis Rmus P. *Joannes Thomas de Roccaberti*, Hiſpanus, eaſdem Literas Patentes innovavit, & confirmavit Decreto hujus Tenoris, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*c*).

“ Retroſcriptas Prædeceſſoris noſtri Literas Patentes ſuis cum Clauſulis, Præcepto, Cenſuris, integroque ad
“ Verbum Tenore, prout jacent, Harum Serie, noſtrique Officij Auctoritate approbamus, renovamus, &
“ confirmamus, non ſecùs, ac ſi modò recenter, ac primitùs à Nobis emanaſſent, proque validis, & irre-
“ fragabilibus

(*z*) In *Bullario Romano* legitur xix, ut advertit *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 231. Not. 3.

(*a*) *Carolus* II Rex *Angliæ* Catholicus erat occultus, Fidemque orthodoxam propedièm moriturus palam profeſſus eſt, ut fuſiùs dicetur Cap. xvii, Num. cxi.

(*b*) Tom. vi. Pag. 309.

(*c*) Tom. vi. Pag. 310.

“ fragabilibus omninò haberi volumus, & per omnia obſervandas, ijſque ad Literam parendum ſub Pænis inibi ſtatutis declaramus. In quorum Fidem &c Romæ VI Junij MDCLXX.

“ Fr. JOHANNES THOMAS DE ROCCABERTI,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ *Regiſtra Pag.* 3.

“ *Fr. Leonardus Hanſen,*
“ *Magiſter, Provincialis Angliæ* (*d*).

XIX. Tandem Anno 1672 *Clemens* Papa X utriſque Literis Patentibus Apoſtolicæ Confirmationis Robur adjecit, ad ſupplicem Inſtantiam ſæpiùs memorat *P. Joannis O Connor*, Vicarij, & Procuratoris Generalis Provinciæ *Hiberniæ*, ſequenti Diplomate, quod eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*e*), ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar.

“ CLEMENS PP. X.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Johannes à S. Dominico, Vicarius, & Procurator Generalis Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum, quod aliàs quondàm Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis dicti Ordinis, qui Conventum, & Eccleſiam Civitatis Tingitanæ ejuſdem Ordinis à Provincia Portugalliæ Ordinis hujuſmodi ſeparaverat, illoſque cum univerſis etiam Bonis, dictæ Provinciæ Hiberniæ aggregaverat, ac Juriſdictioni Superioris Provincialis ejuſdem Provinciæ Hiberniæ illiuſque Procuratoris Generalis cum Auctoritate Vicarij Generalis, & Commiſſarij, quo Munere dictus Johannes à S. Dominico tunc fungebatur, ſubjecerat, cùm idem Johannes dilectum pariter Filium Thomam à Sancto Dominico, dictæ Provinciæ Hiberniæ Profeſſorem, in Priorem Conventûs præfati inſtituiſſe reperiretur, omnibus, & quibuſcunque Fratribus dicti Ordinis in præfata Civitate Tingitana, ejuſque Diſtrictu exiſtentibus, ſub certis tunc expreſſis Pænis mandavit, ut Thomæ præfato tanquàm eorum Priori obedirent, eique uti tali traderent, & conſignarent quæcunque Bona mobilia, aut immobilia, ad Eccleſiam & Conventum prædictos pertinentia, necnon Scripturas, & Inſtrumenta, aut Notitias, tàm judiciales quàm extrajudiciales, quæ haberent circà Res quaſlibet, quæ ad Eccleſiam & Conventum hujuſmodi pertinerent, aut pertinere poſſent, & aliàs prout uberiùs continetur in ipſius Johannis Baptiſtæ Magiſtri Generalis Literis Patentibus, deſuper emanatis, & de vulgari Hiſpanico in Latinum Idioma verſis, Tenoris, qui ſequitur videlicèt. Frater Johannes Baptiſta de Marinis *(Hic inſerit Pontifex mox exſcriptas Literas Patentes Generalis de Marinis, dein addit:)* Et ſubindè dilectus etiam Filius Johannes Thomas de Roccaberti, modernus Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis, præinſertas Patentes Literas approbavit, renovavit, & confirmavit per ſuum Decretum Tenoris ſequentis videlicèt. Retroſcriptas Prædeceſſoris noſtri Literas *(& reliqua inſerit Verba Generalis de Roccaberti jàm allata, poſtea ſubjungit:)* Cùm autem ſicut eadem Petitio ſubjungebat, dictus Johannes à Sancto Dominico præmiſſa, quò firmiùs ſubſiſtant, etiàm Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ Patrocinio communiri ſummoperè deſiderat, Nos ipſum Johannem ſpecialibus Favoribus, & Gratijs proſequi volentes, & à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad Effectum Præſentium duntaxàt conſequendum, Harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus, ejus Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, præinſertas memorati Johannis Baptiſtæ, Magiſtri Generalis, Patentes Literas, à præfato Johanne Thoma, Magiſtro Generali, approbatas, renovatas, & confirmatas, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contenta, Auctoritate Apoſtolicâ, Tenore Præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti Defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros Effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro Tempore ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab eis reſpectivè inviolabiliter obſervari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiàm Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, judicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec-

---

(*d*) Erat Provincialis duntaxàt Titularis *Angliæ*, juxtà ſuperiùs dicta Cap. v. Num. iii. Pag. 92.

(*e*) Tom. vi. Pag. 309, & ſeq.

“ non Ordinis, Provinciarum, & Conventûs, ac Eccleſiæ hujuſmodi, alijſve quibuſvis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis & pluries innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis, illorum Tenores, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum hâc Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VII Decembris MDCLXXII, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.”

J. G. SLUSIUS.

Ex his liquet, P. *Joannem O-Connor*, quà Vicarium Generalem, & Commiſſarium Provinciæ *Hiberniæ*, memorato Cænobio *Tingitano* Priorem dediſſe P. *Thomam à S. Dominico* Hibernum. Sed cùm Expenſæ ingentis Præſidij contrà haud interruptos *Maurorum* Impetus Lucrum excederet ex Civitate proveniens, hinc Anno 1681 derelicta fuit à Rege *Carolo*, Munitionibus funditus dirutis, indeque *Hibernia Dominicana* Cænobium ſuum deperdidit.

XX. Anno 1670 Romæ celebrata fuere Comitia Generalia, in quibus mox laudatus Rmus P. *Joannes Thomas de Roccaberti*, Hiſpanus, electus fuit in LVIII Magiſtrum Ordinis, poſtmodùm, Anno ſcilicet 1677, ad Archiepiſcopatum *Valentinnm*, in *Hiſpania Tarraconenſi*, aſſumptus. Eiſdem Comitijs intererant, quà Provinciæ *Hiberniæ* Definitor, ſæpè recenſitus P. *Joannes O-Connor, à S. Dominico* nuncupatus, & quâ Elector, ſeù ejuſdem Socius, P. *Dominicus de Burgo*, poſteà Epiſcopus *Elphinenſis (f)*. Abfuit autem Provincialis *Hiberniæ*, P. Magiſter *Conſtantinus O-Cuiffe (g)*, utpotè qui, in *Hiberniæ* Partibus conſtitutus, ob Temporum Calamitates egredi non valebat, ad Differentiam Definitoris, & Electoris recenſitorum, hi quippè extrà *Hiberniam* extiterant, prior ſcilicet in *Hiſpania*, poſterior verò in *Italia*. In Actis porrò ſequentia leguntur Pag. 107.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Confirmamus, & ex integro renovamus omnia, & ſingula, quæ pro hac noſtra Provincia Hiberniæ ordinata, & ſancita ſunt in proximè præteritis Capitulis Generalibus Romæ celebratis Annis 1650, & 1656, ac volumus omninò obſervari (*h*).

“ 2. In Memoriam revocamus id, quod in Favorem, ac Conſervationem hujus Provinciæ in præterito Capitulo Romano efficaciter inculcatum eſt his Verbis: *(i) Hortamur, ac per Viſcera JESU Chriſti obteſtamur omnes Provinciales, ac Priores reliquarum Provinciarum, præſertim Hiſpaniarum, ut, ſi qui forte Juvenes Hiberni probæ Indolis, & Capacitatis ſe offerant, eos promptâ Charitate ad Habitum, Sanctamque Profeſſionem recipiant in Conventibus, ubi magis viget Obſervantia Regularis, eoſdemque jàm profeſſos Literarum Studijs opportunè applicent, ipſorum Profectibus ſpecialiter intendant, Neceſſitatibus proſpiciant, Spiritum foveant, ipſoſque ad generoſa pro Fide Certamina formare conentur.* Quam Adhortationem ſub eiſdem Verbis, & quidem efficaciſſimis meritò hìc repetere volumus, ut huic afflictæ Provinciæ, quantùm in Domino poſſumus, ſuccurramus.

“ 3. Mandamus & diſtrictè præcipimus Univerſis RR. Adm. PP. Provincialibus, ad quos deinceps contigerit aliquem, vel aliquos hujus Nationis Fratres noſtros, ſivè Sacerdotes, ſivè Juvenes, cum legitima ſuorum Superiorum Licentia, vel Aſſignatione, Cauſâ Studij divertere, ut eoſdem peculiari Charitate, ac Promptitudine ſuſcipiant, foveant, & in ſuis Studijs Generalibus pro Locis exterarum Provinciarum coaptare non renuant, ut ibi ſufficienter eruditi, apti reddantur ad Fidem Catholicam in Patria ſua propugnandam, atque propagandam.

“ 4. Inſuper præcipimus in Meritum Sanctæ Obedientiæ omnibus, & ſingulis Studentibus, ad hanc Provinciam ſpectantibus, qui in alienis Provincijs Ratione Studiorum impræſentiarùm commorantur, ut ſtatìm, completis Studijs, abſque aliqua Mora, ad propriam nativam Provinciam redeant, memores propriæ Vocationis, ac imminentis Neceſſitatis, quam, ut audivimus, non ſine gravi Animorum noſtrorum Mærore,

“ patitur

(*f*) De eo fuſus redibit Sermo Cap. xiii. Num. lxx.

(*g*) Plura de ipſo opportuniùs dicentur Cap. xiv. Num. xviii.

(*h*) Ea legere eſt Cap. præſ. Num. xii; & xiv. Pag. 117, & 118.

(*i*) Videſis Cap. præſ. Num. xiv. Sect. 5. Pag. Pag. 119.

“ patitur præfata Provincia ob Paucitatem Miniſtrorum Evangelij, ad quod diſſeminandum, atque propugnandum contrà Acatholicos prompti, ac parati eſſe debent *(k)*.”

XXI. Sæpe laudatus *Joannes O-Connor* inſtitutus fuit Procurator Generalis Provinciæ *Hiberniæ*, atque Vicarius Fratrum Prædicatorum, ad *Magnam Britanniam*, & *Hiberniam* Miſſionariorum, imprimis à Magiſtro Generali *de Marinis*, dein à Vicario Generali Ordinis *Petro Maria Paſſerino*, demùmque à Magiſtro Generali *de Roccaberti*. Tandem autem *Clemens* Papa X ſpecialem edidit Conſtitutionem, Literas Patentes memoratæ Inſtitutionis inſerentem, & Apoſtolicæ Confirmationis Munimine roborantem, quam legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. VI. Pag. 310, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar, *Romæ* Typis *R. Cameræ Apoſtolicæ* impreſſum Anno 1673, Tenoris ſequentis:

“ CLEMENS PP. X.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Johannes à Sancto Dominico, Vicarius, & Procurator Generalis Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum, quod aliàs quondàm Johannes Baptiſta de Marinis, dum vixit, Magiſter Generalis dicti Ordinis, ipſi Johanni Vicario, & Procuratori Generali Provinciæ hujuſmodi conceſſit Facultatem, etiam in ejus Officij Succeſſoribus duraturam, quâ poſſet ex univerſis Ordinis præfati Provincijs omnes, & ſingulos Hiberniæ Nationis Religioſos per ſuas Patentes Literas ſub Sanctæ Obedientiæ Præcepto evocare, atque eoſdem, prout ſibi expedire in Domino videretur, aſſignare, diſtribuere, colligere, & deputare Collegijs, Domibus, & Conventibus, quotquot ullibi pro dicta Natione tunc erant, vel in poſterum ſparsìm eſſent per totam Europam, ipſoſque Religioſos, ſivè in Hibernia, ſivè alibi eſſent profeſſi, quatenùs Opus fore judicaret, ad dictam Hiberniæ Provinciam undequaqne remittere, liberrimèque deſtinare, & aliàs prout uberiùs continetur in ipſius Johannis Baptiſtæ Magiſtri Generalis Literis Patentibus, deſuper emanatis, Tenoris, qui ſequitur, videlicèt: Fr. Johannes Baptiſta de Marinis, S. Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, in Dei Filio ſibi dilecto R. P. Fr. Johanni à S. Dominico, Provinciæ noſtræ Hiberniæ Procuratori Generali, & noſtrorum ad Magnam Britanniam Miſſionariorum Vicario, Salutem. Quandoquidem in tribus Coronæ Britannicæ ampliſſimis Regnis pro tuendis Catholicæ Fidei Reliquijs continua ſemper, & ingens eſt Neceſſitas idoneorum Sacerdotum, & Miſſionariorum, quorum tibi ſpecialis Cura ex Officio, tuis Humeris per Nos dudùm impoſito, jugiter incumbit, Nos ad illius efficaciorem promptioremque Executionem, & Robur, Harum Serie, noſtrique Muneris Auctoritate, peculiarem, & amplam tibi concedimus Facultatem, etiam in prædicti Officij tui Succeſſoribus duraruram, quâ poſſis ex univerſi noſtri Ordinis Provincijs omnes, & ſingulos Hiberniæ tuæ Nationis Religioſos, Nobis ſubjectos, per tuas Patentes Literas ſub Sanctæ Obedientiæ Præcepto evocare, atque eoſdem, prout tibi in Domino expedire videbitur, aſſignare, diſtribuere, colligere, ac deputare Collegijs, Domibus, & Conventibus, quotquot ullibi pro dicta Natione jam extant, vel in poſterum favente Numine ſparsìm extabunt per totam Europam, ipſoſque Religioſos, ſivè in Hibernia, ſive alibi ſint profeſſi, quoad Opus fore judicaveris, ad noſtram Hiberniæ Provinciam undequaque remittere, liberrimèque deſtinare. Qua in Re ut nullus cujuſcunque alterius, aut Provinciæ aut Congregationis Superior tibi Impedimento ſit, vel tuis in eodem Munere futuris Succeſſoribus unquàm obſtare poſſit, Tenore præſentium ijſdem Superioribus pro Tempore, tùm exiſtentibus, tùm extituris, præcipimus ex nunc in Virtute Spiritûs Sancti, Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto, quod tibi, tuiſque in dicta Generali Procuratura, & Vicariatu legitimis Succeſſoribus, omnem in præmemoratis præbeant Aſſiſtentiam, Manumque auxiliatricem ad efficacem Executionem. Denique univerſis noſtri Ordinis Religioſis Hibernis, in quacunque ſeù Congregatione, ſeù Provincia extrà Hiberniam nunc quovis Titulo morantibus, ac deinceps moraturis, ſub eodem formali Præcepto diſtrictè injungimus, quod hujuſmodi tuis, & reſpectivè tuorum pariter Succeſſorum Diſpoſitionibus exactè obtemperent, & quòcunque hâc Facultate evocati miſſi, remiſſi, aut deſtinati fuerint, Mandato pareant. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus, & in Fidem his, Sigillo noſtro munitis, propriâ Manu ſubſcripſimus. Romæ XXX Martij MDCLXIX. Fr. Johanes Baptiſta de Marinis. Loco ✠ Sigillo. Regiſtrata Pag. 215. Fr. Leonardus Hanſen, Magiſter, Provincialis Angliæ *(l)*. Cùm autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, præinſertæ Patentes Literæ ſubindè poſt Obitum præfati Johannis Baptiſtæ, Magiſtri Generalis, à dilecto Filio Petro Maria Paſſerino, tunc Temporis Vicario Generali Ordinis præfati, quatenùs Opus eſſet, probatæ, & confirmatæ fuerint, & dilectus etiam Filius

“ Johannes

(k) Confer Cap. viii. Num. xii. Sect. 5.

(l) Videſis nuperam Notam ad Lit. d.

“ Joannes Thomas de Roccaberti, modernus Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis, illàs pariter, quantùm Opus eſſet, fierique ab ipſo poſſet, integrè probaverit, ac renovaverit, & confirmaverit, quoad totum earum Tenorem, ac Vim Præcepti, & aliàs prout in illorum Decretis reſpectivè deſuper emanatis pleniùs continetur, præfatus verò Johannes á Sancto Dominico exponens, eaſdem Literas, quò firmiùs ſubſiſtant, etiam Apoſtolicæ Confirmationis noſtræ Patrocinio communiri ſummoperè deſideret. Nos ipſum Johannem ſpecialis Favore Gratiæ proſequi volentes, & à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à jure, vel ab Homine quâvis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad Effectum Præſentium duntaxat conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Supplicationibus ejus Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, præinſertas memorati Johannis Baptiſtæ Magiſtri Generalis Patentes Literas, à præfatis Petro Maria Vicario Generali, ac Johanne Thoma Magiſtro Generali reſpectivè probatas, & renovatas, & confirmatas, ut præfertur, cum omnibus, & ſingulis in eis contentis Auctoritate Apoſtolica Tenore Præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti Defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes Lireras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere & fore, ſuoſque plenarios, & integros Effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & ſpectabit, in futurum, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, & ab illis reſpectivè inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum P alatij Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quàvis Auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac, quatenùs Opus ſit, Ordinis, Provinciæ, Collegiorum, Domorum, & Conventuum præfatorum, alijſque quibuſvis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Conſuerudinibus, Privilegijs quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, illorum Tenoribus præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum hâc Vice duntaxât ſpecialiter, & expreſſè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xxiv Decembris MDCLXXII, Pontificatùs Noſtri Anno Tertio.

O. G. SLUSIUS.

XXII. SÆVISSIMO durante Bello *Crŏmuelliano* (*m*), atque atrociſſimâ Acatholicorum Perſecutione, *Dominicani* in *Ultonia* partìm pro Fide occiſi, partìm exules obierunt, ità ut Anno (1660) Reſtitutionis, ſeù *Reſtaurătionis*, ut vocant, Regis *Caroli* II, Nemo Fratrum Prædicatorum *Ultonienſium* in Univerſo *Hiberniæ* Regno ſuperſtes fuerit. Statìm autem poſt reſtauratum Regem, cùm Res aliquantenùs pacatæ eſſent, Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ* tunc Temporis, P. *Joannes O-Hart*, Sligoenſis (*n*), ne tàm inſignis Provinciæ *Hiberniæ* Portio omninò periret, eò miſit P. *Dominicum O-Connor*, Sligoenſem pariter, qui ibidem Ordinem Prædicatorum feliciter propagavit. Minoritæ, qui in *Ultoniam* anteà redierant, ſtrenuè reſtiterunt, de allatâ ſibi per Fratrum Prædicatorum Acceſſum Injuriâ altè conqueſti, quibus Laici nonnulli firmiter adhæſere. Hi Rem detulerunt ad Sedem Apoſtolicam, à qua Literæ emanarunt Commiſſoriales (*o*) ad Illuſtriſſimum *Oliverium Plunkettum*, Archipræſulem *Armacanum*, qui, Partibus auditis, ſequentem promulgavit Sententiam (*p*):

“ Nos Oliverius Dei Gratiâ Archiepiſcopus Armacanus, & Totius Hiberniæ Primas. Omnibus Prælatis, Paſtoribus, Parochis &c Diæceſis Armacanæ, Clocherenſis, &c Benedictionem, & Salutem in Domino ſempiternam.

“ Cum inter Patres Prædicatores, & Minores in Diæceſi Armacana &c circà Conventus, eorumque Limites, variæ Lites, ac Controverſiæ exortæ fuerint, ad quas decidendas Nos ultra Authoritatem noſtram Ordinariam, etiam Delegatam accepimus: Ut autem legaliter, & methodicè procederemus, ad ſingulas Diæceſes, in quibus prædictæ Controverſiæ, ac Lites agitabantur, non ſine magno Labore, ac Sumptibus,

---

(*m*) Adeas Cap. xvii Num. c. & ſeqq.

(*n*) Plura de eo, deque Re iſta commodiùs narrabuntur Cap. xiv. Num xvi.

(*o*) Originales Literæ aſſervantur in Depoſito Conventus noſtri *Lovanienſis*.

(*p*) Exemplar authènticum eſt in Archivo *S. Sixti* de Urbe.

“ acceſſimus, atque Allegationes Partium, ac Probationes audivimus. Inſuper ne Prudentiæ noſtræ inniteremur, prædictas Allegationes ac Partium Probationes, adhibitis gravibus, expertiſque Conſultoribus, videlicèt Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Patritio (*q*) Midenſi, ejuſque Vicario Generali Reverendo Admodùm Domino Oliverio Deaſe, & Reverendo Admodum Dominio Thoma Fitz-Simons, Vicario Generali Kilmorenſi, maturè ponderavimus, ac diſcuſſimus. Cùm igitur Nobis ex allegatis, & probatis conſtet, Patres Prædicatores Conventum de Gaula in Clocherenſi habuiſſe Diæceſi, Conventum de Villa Nova in Dunenſi, ac Conventum de Carlingford in Armacana (*r*), præfatorum Conſultorum Conſilio, ac Suffragis ſuffulti, per Præſentes Ordinamus, & Decernimus, ut in, & per dictas Diæceſes, aliorum More Regularum, mendicent, & Quæſtum faciant. Quoad Dromorenſem verò Diæceſim, in qua nec Prædicatores, nec Minores Conventum habent, non debent Prædicatores impediri, quominùs in ea mendicent, modò illius Diæceſis Ordinario Superiorum ſuorum Licentiam oſtendant. Vobis itaque ac ſingulis, ſub Pæna Suſpenſionis ipſo Facto incurrendæ præcipimus, & ſtrictè mandamus, ut huic noſtro Decreto, & Ordinationi, omni Excuſatione, ac Tergiverſatione ſepoſitâ, pareatis. In quorum Fidem hiſce ſubſcripſimus, & Sigillum noſtrum affigi curavimus. Dundalkæ (*s*) Die 11 Octobris 1671.

“ *OLIVERIUS ARMACHANUS.*
“ TOTIUS HIBERNIÆ PRIMAS.”

Loco ✝ Sigilli.

XXIII. Porro clariſſimi hujus Antiſtitis, licèt de *Hibernia Dominicana* atque Schola Thomiſtica optimè meriti, Vitam, & Mortem glorioſam deſcribere, præſentis quidem non eſt Inſtituti, Locus tamen invitat, ut aliqua de tàm inſigni Viro Paucis perſtringam, quod eò lubentiùs perago, ut indè Lectori innoteſcat lachrymabilis Catholicorum Hiberniæ Status; hinc eodem Conſilio de duobus alijs Antiſtitibus coævis, Catholicæ Fidei Athletis, nonnihil addam.

Oliverius itâque *Plunkettus* ex nobili (*t*) ortus Familia, dùm Adoleſcens eſſet *Romam* ſe contulit, in *Hibernorum* Collegio *Ludoviſano* receptus, ubi Studiorum Curriculum tanto perfecit Succeſſu, ut ad Theologiam in Collegio *Urbano de Propaganda Fide* publicè profitendam admotus, Munus illud per Duodecim Annorum Seriem ſummâ cum Laude exercuerit. Et cum Vir probatæ Virtutis, conſummatæ Doctrinæ, atque diuturnæ Experientiæ, in ipſa Urbis Luce omnibus Dotibus conſpicuus eſſet, ipſum *Clemens* IX, Pontifex Maximus, *Armacanæ* Sedi, per Obitum Archipræſulis *Edmundi O Reilly* (cui præiverat Archipræſul *Hugo O-Reilly*) viduatæ, dare non dubitavit. In Hiberniam ubi pervenit, ibi tandem aliquandò Campum Animo ſuo, & Apoſtolicis Laboribus parem reperit. Quis enarrare valet, quantùm illi inſudatum fuerit, ut plurima in Rebus & Moribus, iniquitate Temporum collapſa, reſtauraret? Quibus exantlandum Laboribus, ut per latiſſimas *Ultoniæ* Plagas Populum iſtum, Romanæ Fidei ſemper tenaciſſimum, opportunis ubique Documentis confirmaret? Sed cùm vigilantiſſimi, & indefeſſi Paſtoris Officium ſecurus perageret, à malevolis, & peſſimæ Famæ Hominibus de Crimine læſæ Majeſtatis accuſatur. Hinc in Vincula raptus Præſul integerrimus *Dublinium* deportatur, communique mancipatur Carceri, *Portæ Novæ* vulgò appellato, Die 6. Novembris 1679. Ibi per integrum fermè Annum detentus, tandem tranſmiſſus fuit *Londinum*, ut Civitatis illius Tribunali ſe ſiſteret, & quidem contrâ Regni utriuſque Leges, quæ diſtrictè præſcribunt, ut Cognitio Cauſæ, ſeù Proceſſus Criminalis, in eo formetur Loco, ubi Crimen aſſeritur perpetratum, quia nullibi melius perpendi queunt ſingulæ totius Rei Circumſtantiæ. *Londini* igitur non minùs arcto Carceri, *Portæ Novæ* item dicto, includitur, nec Famulo quidem proprio ad Alloquium admiſſo. Ad Tribunal ſemel iterumque adductus fuit, inermis ſcilicet cum Armatis, Advena cum Inquilinis, Præſul Catholicus coram Judicibus Hætorodoxis,

---

(*q*) Cognomento *Cuſack*, de quo Cap. i. Num xiii. Pag. 19.

(*r*) Ex his porrò non ſequitur, alia haud fuiſſe Cœnobia Fratrum Prædicatorum in *Ultonia*, nam de tribus duntaxât iſtis Diſceptatio erat, pro reliquis autem Fratres *Ultonienſes* tunc Temporis defuere, aut nullum fuerat Dubium de illis, putà *Pontanenſi*, *Colranenſi*, &c.

(*s*) *Dundalka* capitale eſt Agri *Louthani* Oppidum ut dicetur Cap. ix §. xxvi. Num. i.

(*t*) Tres fuere ſimul ſuntque Gentes *Plunkettanæ* Proceres, Comes nimirûm *Fingallus*, atque Barones *Dunſanius*, & *Louthanus*. Adeas Cap. i. Num. xxii. Lit. n. Pag. 31. Cæterùm Antiſtes *Oliverius* prodijt è Domo *Plunkettorum* de *Logherew*, in *Midenſi* Agro *Lageniæ*, Teſte *Ledgæo*, Vol. I. P. 156.

doxis, implacabilibus Catholici Nominis Oſoribus. Quodque expectandum fuit, Innocentiam Calumnia Æquitatem Perfidia vicit. Profertur igitur feralis Sententia, quâ jubetur, ut Laqueo ſuſpenſus, & in Partes diſſectus, extremo Perduellium Supplicio afficiatur. Tandem Die 1. Julij 1681 humili *Traliæ*((anglicè *Sledge)* impoſitus, concurrente Hominum Multitudine, *Tiburnum* extrà *Londinum* ad conſuetum ſupplicij Locum perducitur, Spectaculum illuſtre Deo, Angelis, & Hominibus factus. In celebri iſto tot Martyrum Theatro extremam Scenam peracturus, conceſsâ loquendi Facultate, ad Populum undique circumfuſum Orationem habuit præmeditatam, & Manu propriâ anglicè conſcriptam, quæ in nonnullis circumfertur Libris, *Londini*, & *Dublinij* impreſſis; quæque latinè legitur in *Theologia Tripartita*, Auctore *Richardo Archdekin*, Hiberno, Societatis Jeſu Alumno, *Antuerpiæ* vulgatâ Anno 1682, Tom. I. Pag. 482. Conſuetam demùm ſubijs Carnificinam, Laqueo primùm ſtrangulatus, Capite dein amputato, & Corpore Quatuor in Partes diſſecto (*u*). Venerabile ipſius Caput *Pontanam*, in *Hibernia*, exportatum fuit, ubi id vidi apud Moniales noſtras (*w*) in Theca Argentea, ex qua extrahi poteſt, etiam quoad Crines, utique canos, palbabile.

Sub idem Tempus Illuſtriſſimus *Petrus Talbotus*, Comitis, poſtmodùm (*x*) Ducis, *Tirconalliæ*, atque *Hiberniæ* Proregis, Frater, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, ſtrenuus Chriſti Athleta, ab Hæreticis ex improviſo comprehenditur, & ad publicam *Portæ Novæ* Carcerem *Dublinienſem* innocens damnatur. Et dum hæretici Tribunalis feralêm expectant Sententiam, Ærumnis, & Squalloribus tetri Carceris confectus, tandemque gravi correptus Infirmate, ac humanis Præſidijs magna ex Parte deſtitutus, per Carnificinam iſtam tàm multiplicem, tamque diuturnam, Martem glorioſam, quam Securis non attulit, in Satellitum crudeli Cuſtodia ſecurus invenit.

Sub idem etiam Tempus Illuſtriſſimus *Dominicus de Burgo*, Comitis *Clanrickardiæ* (*y*) Conſanguineus, Ordinis Prædicatorum Alumnus, Epiſcopus *Elphinenſis*, à laudato Archipræſule *Oliverio Plunketto* ex *Dublinienſi* Carcere crebrò per Literas admonitus de frequentibus Gubernij Acatholici Conſilijs ad ipſum capiendum, veluti alter *Athanaſius* ſe abſcondit (z), eòque magis cùm Edictum, ſeù *Proclamatio*, ut vocant, à Prorege, & Sanctiori Concilio emanaret de B's Centum Libris Sterlinghis *Anglicanis*, ſeù Octo Centum Scutis *Romanis*, cuicunque eum ad quemvis Regni Carcerem trahenti ſolvendis. Poſtmodùm autem Exul *Lovanij* in glorioſâ Confeſſione Curſum hujus Vitæ conſummavit, ut uberiùs ſuo Loco narrabitur (*a*).

XXIV. Tametsi toties laudatus *P. Johannes O-Connor*, paſsìm dictus à S. *Dominico*, in Vim Literarum Apoſtolicarum, quas nuper (*b*) in Medium attuli, Facultatem habuerit Conventus, & Monaſteria fundandi, ac erigendi in Catholicorum Regum Ditionibus, quandoquidem tamen qui antè alios tàm ſancto Inſtituto ſuffragari, & Manus porrigere debebant, Fratres nempè ejuſdem, &

(*u*) Huic in Metropolitica Sede *Armacana* ſucceſſit Fr. *Dominicus Maguire*, Ordinis Prædicatorum Alumnus, ut videre erit Cap. xiii. Num. lxxii.

(*w*) De Monaſterio *Pontanenſi* Sermo erit Cap. xi. §. iii.

(x) Regnante ſcilicet *Jacobo* II, Catholicæ Fidei Cultore ut Cap. ſeq. Num. ii. dicetur Videſis Cap. ix. §. iii. Num. i.

(*y*) Conſule Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82. &, Cap. xiii. Num. lxxi.

(*z*) Videſis inter *S. Athanaſij* Opera *Apologiam* pro Fuga ſua, quâ ſe purgat à confiсto Timiditatis Crimine, ſibi ab *Arianis* impoſito, eò quod cùm quæreretur ad Mortem fugerit, & ſe illis ultro in Deditionem non obtulerit. Ibi porrò oſtendit ex Scripturis, eorum, qui quæruntur ad Necem, Fugam non improbatam, ſed licitam eſſe, ut multorum Sanctorum conſtat Exemplo, potiſſimùm, *Jacob*, à Fratre ſuo *Eſau* fugientis; *Moyſis*, Metu *Pharaonis* ad *Madianitas* ſecedentis; *Davidis*, ſe in Spelunca Metu *Saulis* occultantis; *Eliæ*, ſe propter *Achab* abdentis; *Pauli*, à Gentium Præfecto quæſiti, è Mænibus Damaſci in Sporta ad Fugam dimiſſi; & Præcepto denique Chriſti dicentis (Matthæi 10. v. 23): *Cùm perſequentur Vos in Civitate iſta, fugite in aliam.* Hinc conſultò Evangelium iſtud legitur in Feſto laudati *S. Athanaſij* cum Homilia ipſiuſmet, ex prælibata *Apologia* deſumptâ, ſicut etiam apud *Hibernos* in Feſtis Sanctorum Suorum *Columbani*, & *Galli*, præclariſſimorum Abbatum, qui in *iſtis* perſecuti Civitatibus ad *alias* fugere non dubitarunt Videſis *Officia Propria Sanctorum Hiberniæ*, impreſſa *Dublinij* 1751, Pag. 93, & 127.

(*a*) Cap. xiii. Num. lxxi.

(*b*) Num. xvi. hujus Capitis, Pag. 123.

aliorum Ordinum, ſua, non ſpiritualia Exulum Catholicorum, Commoda reſpicerent; & Epiſcopi quidam, ſub Prætextu, ne nimio Religioſorum Pondere Diæceſes eorum gravarentur, difficiles ſe gererent, aut prorsùs tergiverſarentur: Idcircò *Clemens* Papa X, ut in præmiſſis opportunè provideret ulteriores expediri fecit Anno 1674 Apoſtolicas Literas, ubi inter alia narratur, Perſecutionem Hæreticorum in *Hibernia* eo Tempore ità ſævè graſſari, ut quamplurimos ejuſdem, & aliorum Ordinum in Carceres detruſerit, quoſdam etiam Neci dederit. En porrò integrum earum Tenorem, ut jacent in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. VI. Pag. 315, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplaria *Romæ* Typis *R. Cameræ Apoſtolicæ* impreſſa Anno 1674.

“ CLEMENS PP. X.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Apoſtolicæ Servitutis Munus, quo Catholicæ Eccleſiæ per Univerſum Orbem diffuſæ, Regimini divinâ Diſpoſitione præſidemus, in id præcipuè Solicitudinem noſtram intendit, ut labenti in nonnullis olim Pietatis, & orthodoxæ Fidei Laude florentiſſimis Regionibus Catholicæ Religioni, quantùm Nobis ex alto conceditur, ſubveniſe, ac Operariorum in Vinea Domini ſtrenuè laborantium Studia fovere, eiſque Supplimenta parare ſtudeamus, quo relictum illùc Semen, à Cæleſti Agricola ſatum, adſpirante ſuperni Favoris Aurâ, inter Perſecutionum Procellas, atque Calamitatum Tribulos ſuboleſcere, evulſiſque Vepribus, latiús ſpargi, ac ad perfectæ Fructum Maturitatis venire, Sanctamque Matrem Eccleſiam multiplicibus, Domino benedicente, lætificare valeat Incrementis. Cùm itàque aliàs felicis Recordationis Clemens Papa IX, Prædeceſſor noſter, quaſdam Patentes Literas, à tunc exiſtente Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum emanatas, per quas Procuratori Generali Provinciæ Hiberniæ dicti, Ordinis, ejuſque Succeſſoribus, Conventus, & Monaſteria pro Fratribus, & Monialibus, Hibernis, Anglis, & Scotis, in Oppido Madriti Toletan. Diæceſis, alijſque Mundi Partibus, fundandi, atque erigendi Licentia cum diverſis Facultatibus, Gratijs, Indultis, Declarationibus, & Decretis concedebatur per quaſdam ſuas in ſimili Forma Brevis Die XVI Septembris MDCLXVII expeditas Literas Apoſtolicâ Auctoritate confirmaverit, & approbaverit, ac Subindè earundem Literarum ſuarum Executionem tunc exiſtenti Archiepiſcopo Toletan., ac Hæreticæ Pravitatis Inquiſitoribus, ubicunque Locorum dictâ Auctoritate deputatis, per alias ſuas Literas pariter in Forma Brevis Die XIV Octobris proximè ſubſequentis demandaverit, & alijs prout in eiſdem Clementis Predæceſſoris Literis, quibus prædictæ Patentes Magiſtri Generalis Literæ inſertæ fuerunt, & quarum Tenores præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & de Verbo ad Verbum inſertis haberi volumus, uberiùs continetur. Et ſicut pro Parte dilecti Filij Joannis de Sancto Dominico, Fratris expreſsè profeſſi, & Procuratoris Generalis dictæ Provinciæ Hiberniæ, Nobis nuper expoſitum fuit, licèt Catholica Fides in eadem Provincia, maximè hodierno Tempore, quo Perſecutio Hæreticorum ità ſævè graſſatur, ut quamplures Religioſos ejuſdem, & aliorum Ordinum in Carceres detruſerit, quoſdam etiam Neci dederit, periclitetur, deficientibuſque Miſſionarijs, novâ aliorum Ope Eccleſiæ illic laboranti ſuccurri neceſſe ſit, & memoratus Clemens Prædeceſſor pro eo, quo flagrabat Pontificiæ Charitatis Zelo, Neceſſitati hujuſmodi per ſuas Literas prædictas conſulere ſtuduerit, nihilominùs Experientia hactenus docuerit, eos, qui antè alios, tàm ſancto Inſtituto ſuffragari, & Manus porrigere debuiſſent, Fratres nempè ejuſdem, & aliorum Ordinum, temporalia ſua, non ſpiritualia Exulum Catholicorum, Commoda reſpicientes, immò, & quoſdam Epiſcopos ſub Prætextu, ne nimio Religioſorum Sodalium Pondere Diæceſes eorum graventur, difficiles ſe gerere, aut prorsùs tergiverſari denegatâ fundandi Conventus hujuſmodi Licentiâ: Nobis propterea Johannes Procurator Generalis prædictus humiliter ſupplicari fecit, ut in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos igitur ipſius Johannis Procuratoris Generalis Votis hac in Re, quantùm cum Domino poſſumus, favorabiliter annuere cupientes, eumque â quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad Effectum Præſentium duntaxàt conſequendum, harum Seriæ abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Negotijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum Conſilio, Venerabiles Fratres Archiepiſcopos, Epiſcopos, cæteroſque Eccleſiarum Præſules, & Prælatos, & dilectos Filios Eccleſiaſticos Sæculares, & cujuſvis Ordinis, Congregationis, & Inſtituti Regulares, Superiores, & Subditos, ac Laicos cujuſvis Statùs, Gradûs, Præeminentiæ, & Dignitatis, harum Serie paternè hortamur, & monemus, ut pium prædictorum Fratrum Hibernorum, Anglorum, & Scotorum, Religionis Cauſâ à ſuis Regionibus exulum, Inſtitutum circà Fundationem,

“ atque Erectionem Conventuum, & Monaſteriorum hujuſmodi, cæteraque in Patentibus Magiſtri Generalis, & Apoſtolicis Clementis Prædeceſſoris Literis prædictis contenta, ità juvare atque promovere, ſeque illis benignos, atque favorabiles præbere Studeant, ut eorum Pietatem, Charitatem, & Catholicæ Religionis Zelum meritò laudare valeamus, & ipſi æternæ Retributionis Præmium ab Omnipotente Deo, cujus Cauſa hic agitur, accipere mereantur. Ac dilecto Filio noſtro Paſchali ejuſdem S. R. E. Cardinali de Aragonia nuncupato, Eccleſiæ Toletan. ex Conceſſione, & Diſpoſitione Apoſtolicâ Præſuli, & Ven. Fratribus Galeatio Archiepiſcopo Corinthi, moderno, & pro Tempore exiſtenti noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Regnis Hiſpaniarum Nuncio, necnon Archiepiſcopis, & Epiſcopis dictorum Regnorum, harum Serie committimus, & mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeù alios, ubi, & quandò Opus fuerit, & quoties pro Parte Fratrum prædictorum deſuper fuerint requiſiti, præſentes, & ſupradictas Clementis Prædeceſſoris Literas ſolemniter publicantes, illiſque efficacis Defenſionis Præſidio aſſiſtentes, faciant Auctoritate noſtrâ illos earundem Literarum, & in eis contentorum hujuſmodi Commodo, & Effectu pacificè frui, & gaudere, non permittentes illos deſuper à quoquam quâvis Anctoritate quomodolibet indebitè moleſtari, perturbari, vel inquietari; Contradictores quoſlibet, & rebelles, dictoque pro Inſtituto temerè reſiſtentes, aut quoquomodò Impedimentum opponere præſumentes, per Sententias, Cenſuras, & Pænas Eccleſiaſticas, aliaque opportuna Juris, & Facti Remedia, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo; legitimiſque ſuper his habendis ſervatis Proceſſibus, Cenſuras, & Pænas ipſas etiam, iteratis Vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, quatenùs Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon omnibus, & ſingulis illis, quæ in prædictis Clementis Prædeceſſoris Literis conceſſa ſunt non obſtare, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, Manu alicujus Notarij Publici ſubſcriptis, & Sigillo Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorsùs Fides in Judicio, & extrà habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die vi Auguſti MDCLXXIV, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

J. G. SLUSIUS.

XXV. Rmus Magiſter Ordinis P. *Joannes Thomas de Roccaberti*, jam laudatus, Intuitu Literarum Patentium (*c*) Deceſſoris ſui Rmi *Joannis Baptiſtæ de Marinis*, ſingularum Provinciarum Ordinis Provinciales enixè hortantis, ut unum, vel plures Conventus in ſuis reſpectivè Provincijs pro tuto Fratrum Hibernorum Refugio cederent, in hoc Provincialibus Univerſis ſuo præire voluit (Generalis *de Roccaberti)* Exemplo, ſtatuitque propterea Cænobium *S. Sixti* de Urbe (quod Juriſdictioni immediatæ Magiſtri Ordinis pro Tempore ſubdebatur Vigore Conſtitutionis inferiùs exſcribendæ (*d*) *Clementis* Papæ VIII) eique jam annexum Cænobium *S. Clementis* dare, & incorporare ſuſpiranti Provinciæ *Hiberniæ*, Effectu tamen non ſecuto ob varia Impedimenta ad Initium uſque Generalatûs Reverendiſſimi *Antonij de Monroy*, qui tanto promptiùs, atque libentiùs executricem Manum appoſuit, quod in Comitijs Generalibus ſui electivis Anno 1677 comperiret, idem fuiſſe unanime Votum totius Definitorij ſolemniter congregati, ut ipſemet Rmus Ordinis Magiſter diſertè aſſerit in Literis Patentibus (*e*) Donationis factæ de præfatis Cænobijs Provinciæ *Hiberniæ*, datis Die 4 Auguſti, Sancto Patriarchæ *Dominico* ſacrâ, prælibato Anno 1677.

Subindè Die 20 eorundem Menſis & Anni Rmus P. Magiſter Fr. *Thomas Maria Ruffus*, Procurator Generalis totius Ordinis Prædicatorum (poſteà Archiepiſcopus *Barenſis*, in Regno *Neapolitano)* & in hac Parte Vices gerens laudati Rmi Magiſtri Generalis *de Monroy*, Vi Mandati ſibi facti, in dictorum Cænobiorum SS. *Sixti*, & *Clementis* de Urbe, eorumque omnium, & ſingulorum Redituum, & quorumcunque Bonorum, mobilium, & immobilium, realem, corporalem, & actualem Poſſeſſionem immiſit, immiſſumque declaravit ſæpè memoratum P. *Joannem O-Connor*, Provinciæ *Hiberniæ* Procuratorem Generalem, Vigore dictarum Literarum Patentium, atque juxtà adæquatam Diſpoſitionem, Intentum, & Approbationem Duorum Superiùs allatorum (*f*) Brevium Apoſtolicorum, præſentibus pluribus Provincialibus, ac Definitoribus Capituli Generalis, eo Anno

---

(*c*) Legendæ ſunt Num. xv. hujus Capitis, Pag. 121.

(*d*) Cap. xii. §. 1. Num. viii.

(*e*) Quæ aſſervantur, ut ipſe vidi, in Archivo *S. Sixti* de Urbe. Eas porrò opportuniùs exſcribam Cap. xii. §. 1. Num. 11.

(*f*) Num, xvi. & xvii hujus Capitis. Pag.

Anno, ut mox narratum eſt, in Urbe celebrati, ſicut & ſeptem Fratribus *Hiberno-Dominicanis*, qui *Romæ* tunc verſabantur cum toties recenſito P. *Joanne O-Connor*, Galvienſi, nimirùm *Joanne Coleman*, Sligoenſi, *Felice Mac Dowell*, Tulſkenſi (*g*), *Richardo O-Heain*, aliàs *Eano*, Bureſulenſi (*h*) *Thomâ Flynn*, Roſcomanienſi, *Thoma de Burgo*, Athenrienſi (*i*), *Georgio Nangle*, Molingarenſi (*k*), & *Joanne Baptiſta Maguire*, Gaulenſi: Idque Medio Inſtrumento publico, ut operoſiùs, opportuniùſque ſuo Loco dicetur (*l*).

XXVI. Ex his liquet, Anno 1677 habita fuiſſe *Romæ* Comitia Generalia, Rmo Generali *de Roccaberti*, ad *Valentinum*, in Regno ejuſdem Nominis *Hiſpaniæ*, Archipræſulatum aſſumpto, in quibus electus erat in LIX Magiſtrum Ordinis Rmus P. *Antonius de Monroy*, Mexicanus, qui etiam Anno 1685 ad Archiepiſcopatum *Compoſtellanum*, in *Gallæcia*, evectus eſt. Ijs porrò Comitijs nullus interfuit pro *Hibernia*, Provincialis quippè P. Magiſter *Gulielmus de Burgo*, Bureſulenſis, aut quivis alius, ob Regni Calamitates in Urbem proficiſci nequivit. Acta autem ſub Tit. *Conceſſiones*, ſequentem habent Paragraphum, quem ex Archivo Ordinis depromptum exſcribo, Acta ſiquidem Typis mandata nondum fuere.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ Ut aliquatenùs Patribus, & Fratribus undequàque diſperſis hujus noſtræ Provinciæ. & à Patria extorribus ob Heterodoxorum Sævitiam, demus Refugium, ſicut etiam, ut aliquem Locum habeant, ubi Novitios in Vita Regulari educare, & Studiorum Auxilio Fidem noſtram contrà impugnantes defendere Catholicoſque in ea confirmare, & corroborare queant, cum Reverendiſſimi Generalis Conſenſu eiſdem Hiberniæ Nationis Patribus Conventus noſtros SS. Sixti, & Clementis de Urbe cum omnibus Juribus, & Redditibus, & Oneribus, quomodolibet ad dictos Conventus ſpectantibus, ad hos Fines duntaxàt determinamus. Hortantes eoſdem, ut eâ Religioſitate, & Morum Probitate. Ordinis præcipuum hoc Sanctuarium Sanctiſſimi Patris noſtri DOMINIA Veſtigijs, Perſona, Miraculis, illuſtre incolent, ſicut tanti Patriarchæ Aſſeclas decet, & noſtra de hujus ANGELICÆ Provinciæ Viris Expectatio meritò præſumit.”

XXVII. ANNO 1686, in Comitijs Generalibus, *Romæ* habitis, Rmi P. *Antonini Cloche*, Galli, nunquàm ſine Laude nominandi, electivis, ſequentia ſancita fuere, ut in Actis ſub Tit. *Conceſſiones* legere eſt.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Acceptamus Conceſſionem factam ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Compoſtellano (*m*), quâ Conventum S. Sixti cum ſibi annexo Conventu S. Clementis incorporavit Provinciæ Hiberniæ pro bona Educatione Religioſorum Juvenum Hibernorum ad Miſſionem peragendam.

“ 2. Præcipimus, & mandamus, quod deinceps in dictis Conventibus SS. Sixti & Clementis in Urbe Studentes, Lectores, & Prælati indiſcriminatim, non habito Reſpectu ad Diverſitatem Nationum, ſed ſpectatis tantùm Meritis, & Idoneitate Perſonarum, aſſumantur.

“ 3. Prohibemus, ne quis de cætero Altercationem, aut Diviſionem in dicta Provincia inducere attentet,

“ prout

(*g*) *Felix* iſte *Mac Dowell*, poſteà S. Theologiæ Præſentatus, fuit ejuſdem Conventus Prior, & redux in Patriam immiſſus eſt à furientibus Perſecutionis Rabiè Acatholicis in Carcerem *Dublinienſem*, ubi Pugil Orthodoxa Fidei obijt Anno 1607, ut dicetur Cap. xvi. Num. cxvi.

(*h*) Adeas Cap. ix, §. xxxvii. Num. v.

(*i*) Iſte etiam (Genitoris mei Avunculus) Prior fuit ejuſdem Conventûs, & poſteà Undecim Annis in *Hibernia* Miſſionarius Apoſtolicus, donec Generali Exilio Anni 1698 (videſis Cap. viii. Num. ii.) egredi coactus, in *Italiam* redijt, fuitque iteratò Prior SS. *Sixti* & *Clementis* de Urbe, laureatus poſteà S. Theologiæ Magiſter. Tandem Anno 1707 factus Pænitentiarius Apoſtolicus in Baſilica Liberiana *S. Mariæ Majoris*, piè obijt in Vicariali Domo Pænitentiariæ Anno 1724. Conſule Cap. ix. §. viii. Num. iii. Lit. p. & Cap. xvi. Num. xcix. Lit. u.

(*k*) Atque iſte Prior fuit ejuſdem Conventus, defunctus poſtmodùm *Florentiæ* Antè Annum 1706.

(*l*) Cap. xii. §. i. Num. iii.

(*m*) Scilicet *Antonio de Monroy*, anteà Magiſtro Ordinis, ut ex mox dictis liquet.

“prout hoc ipſum prohibitum eſt in Capitulo Generali Romæ ſub Reverendiſſimo Magiſtro de Marinis “celebraro.” (*n*).

CAPUT SEPTIMUM.

Digreſſio Neceſſaria (*o*) Statum exhibens *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* ſub Rege *Jacobo* Secundo, & uſque ad præſentia Tempora.

SUMMARIUM.

I. *Demortuo* Carolo *II ſucceſſit Frater ipſius* Jacobus *II*, *Rex Orthodoxus*, *ſub quo Catholica Religio reſpirare cæpit. Legatus* Romam *miſſus. Nuncius Apoſtolicus ad Regem deſtinatus*, *Anno* 1685.

II. *Dux* Tyrconnellus, *Prorex* Hiberniæ *conſtitutus*, *publicum Catholicæ Religionis Cultum exerceri ordinat in haud exiguam Orthodoxorum Conſolationem.*

III. *Ægre ferunt Heterodoxi Conſcientiæ Libertatem Catholicis á Rege conceſſam*, *ſed ægriùs Nativitatem Principis* Walliæ. *Nonnihil obiter in Notis de ubere* Jacobi *II Prole*, *deque Donario B. Virgini* Lauretanæ *oblato*; *ac de Stylo veteri*, & *novo.*

IV. Angliam *invadit Princeps* Arauſicanus. *Promulgat Declarationem apud* Clarum Fontem, *Die* 28. *Novembris* 1688. *Durè tractantur Catholici. Mala hæc avertere conatur Rex* Jacobus, *ſed fruſtrà. Nota de* Arauſione, *illiuſque Principe.*

V. Jacobus *Rex in Diſcrimine Vitæ cum Regia ſua Familiâ conſtitutus*, *in* Gallias *proficiſcitur.* Gulielmus *Princeps* Aurauſicanus, & *Conjux ejus*, *Rex*, & *Regina acclamati Die* 13. *Februarij* 1689.

VI. Ludovicus Magnus *benignum præbet Azylum Regi* Jacobo, *Regiæque ipſius Familiæ. Ejus Generoſitatem magnoperè laudat* Innocentius *Papa XI*, *datis ad illum Literis Die* 1. *Februarij* 1689.

VII. *Idem Pontifex alijs Literis*, *eodem Die emanatis*, *Regem ipſum* Jacobum *conſolatur*,

VIII. *Literis* Innocentij *Papæ appoſitè reſpondet Rex Chriſtianiſſimus*, *Die* 17. *Februarij* 1689.

IX. *Eodem Anno* 1689 *Rex* Jacobus *ex* Gallia *transfretat in* Hiberniam, *Militibus*, *Armis*, *pecuniario Subſidio*, *divite Supellectili*, *à* Ludovico Magno *ſuppeditatis*, *inſtructus.*

X. *Maximis Magnatum*, *Cleri*, *Populique Acclamationibus in* Hibernia *receptus* Jacobus *Rex. Generalia indicit Regni Comitia*, Dublinij *in Cænobio Fratrum Prædicatorum habita*, *Menſe Majo* 1689; *Ea per conſuetam inchoat Adlocutionem*, *à cunctis approbatam.*

XI. *Nonnulla recenſentur ex ſalubribus Decretis*, *eo in Parlamento editis.*

XII. *Anno* 1690. *Regem* Jacobum *in* Hiberniam *ſequitur Princeps* Aurauſicanus. *Eum vincit ad* Boinum *Fluvium.* Jacobus *Rex in* Gallias *revertitur.* Arauſicanus *plura redigit Loca munita*, *non autem* Limericum.

(*n*) Ejus Verba in Medium adducta ſunt Num. xiv. hujus Capitis, Sect. 2. Pag. 119. Utinam porrò Decretorum iſtorum Revocationem *Hiberni*, Partium Studio (abſit Injuria Verbo) dediti, non impetraſſent in Comitijs Generalibus *Romæ* 1706, & 1721, ut videre erit Cap. viii. Num. iii. Sect. 1; & Num. ix. Sect. 3. Enimverò, ſicut nuper ajebam (Num. xiv. Lit. i. Pag. 119.) Alternativa, ſivè quadrifida Regionum *Hibernicarum* Diverſitas, prona eſt Factionum Occaſio, atque unica & peſſima Radix Diſcordiarum, Rixarum, & Contentionum quotidianarum inter *Hibernos*, ut ipſemet vidi, crebròque audivi à Rmo Magiſtro Ordinis immortalis Memoriæ P. *Thomâ Ripoll*, ejuſque Socijs: Ut nihil dicam de ineptis illius Cauſâ, tam in Linea Scholæ, quàm in Lineâ Prælaturæ, promotis: Utque nihil dicam de Regni *Hiberniæ* Deſolatione per infauſtam illam Nationum, ſeù Regionum Diverſitatem factâ Sæculo Eccleſiæ Duodecimo, prout quibuſvis *Hibernicarum* Rerum gnaris Sole meridiano clarius patet. *Anglia* ſanè ſua olim habebat Regna diſtincta, & quidem Septem, quæ Septem diverſis Regibus parebant: & tamen in *Anglorum*, ſeù Sæcularium, ſeù Regularium, Collegijs, nec palàm, nec privatim, ulla habetur Ratio, ſeù Reſpectus Diverſitatis illarum Nationum, indèque fit, ut nec nominentur apud eos Diſſentiones, quæ inter *Hibernos* vigent. Appoſitè profectò huc faciunt verè aurea Capituli Generalis Romæ 1694 ſub nunquàm delendæ Memoriæ Rmo *Antonino Cloche* celebrati Verba, inferius (Cap. viii. Num. i. Sect. 4) exſcribenda: *Indecorum ſane & inhoneſtum eſt* (inquiunt Sapientiſſimi Patres), *quod dum eo in Regno* (Hiberniæ) *ab Hæreticis vehemens excitata eſt Perſecutio*, *adhuc inter Fratres vigeant hæ irreligioſæ Æmulationes*, & *Rixæ*; *eas omninò abolere volentes*, *injungimus omnibus hujuſce Provinciæ Filijs*, *ut ſe ad invicem ſuſcipiant*, & *Honore præveniant.* Confer jam dicta Cap. præſ. Num. xiv. Lit. i. Pag. 119. & poſtmodùm dicenda Cap. xvii. Num. 1.

(*o*) Interjecta, cum nonnullis ſparſim in Opere eidem affinibus, a quodam Doctore, in Catholicorum Regionibus verſante, qui Typographorum Aberrationes corrigendi Curam ſuſcepit, & quidem ex *Portero* in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, ſecundis Curis *Venetijs* edito, & aucto A. 1756.

Limericum. *Inaudita Crudelitas ibi commiſſa.* Arauſicanus *in* Angliam *regreditur.* Hiberni *in deciſivo Prælio de* Aughrim *debellantur, Anno* 1691. Limericum *tandem dedere ſe cogitur.*

XIII. *Pace Generali inter* Europæ *Principes ſancitâ Anno* 1697, *Princeps* Arauſicanus *agnoſcitur legitimus trium Regnorum Poſſeſſor, Deo juſtis arcaniſque de Cauſis id permittente. Moritur Rex* Jacobus *Die* 16. *Septembris* 1701.

XIV. Jacobus *II Filium relinquit* Walliæ *Principem, dictum* Jacobum *III. Hic Uxorem ducit Anno* 1719 Mariam-Clementiam Sobieſki, *cujus, Atque Avi ipſius paterni,* Joannis *III* Polonorum *Regis, Encomia recenſentur. Inſcriptiones ejus Sepulchrales.*

XV. *Item & Encomia Filiorum ejus, nimirùm* Caroli-Eduardi; *atque* Henrici-Benedicti, *nunc S. R. E. Cardinalis; necnon ipſiuſmet* Jacobi *III, Genitoris.*

XVI. *Mortuis* Gulielmo *III, &* Mariâ *II, ſuccedit in Throno* Magnæ Britanniæ, Hiberniæque *altera* Jacobi *II Heterodoxa Filiâ, Nomine* Anna, *Anno* 1702. *In hujus abſque vivente prole defunctæ Locum ſufficitur Heterodoxus exterus,* Georgius *nempe Dux* Hannoveranus, *Anno* 1714, *etſi Quinquaginta, & ultrà alij Principes, Catholici tamen, Sanguinis Jure ſint potiores: Illius duo alij ejuſdem Nominis Succeſſores.*

XVII. *Articuli Civiles, & Militares, in Deditione Civitatis* Limericenſis *concluſi, Die* 3 *Octobris* 1691.

I. HOC ipſo Tempore, quo ſcilicèt mox recenſitum Capitulum Generale, Magni *Antonini Cloche* electivum, *Romæ* celebratum fuit, in *Magna Britannia, Hiberniaque* regnabat *Jacobus,* hujus Nominis Secundus, “ qui (inquit *Porterus*) Fratri ſuo *Carolo* II, Die 15 Februarij
“ 1685 in Gremio Catholicæ Eccleſiæ demortuo (*a*) ſucceſſerat, eodem Die feſtivis, publiciſque
“ Solemnitatibus, & Procerum Populique Acclamationibus renunciatus, ceû verus, indubitatus,
“ legitimus, & hæreditarius trium Regnorum *Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ* Rex, & Succeſſor
“ quamvis ſe orthodoxum, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ addictum, palàm profiteretur. Statìm
“ viſa fuit, benedicente Domino, Catholica Religio reſpirare, & quaſi poſtliminiò revocata, in-
“ ſtaurari cæpit: Rex quippè Profeſſionis Catholicæ tenaciſſimus, uſurpatum à Prædeceſſoribus
“ ſuis *Defenſoris Fidei* Titulum (*b*), ſibi proprijſſimum faciens, Ditionum ſuarum Catholicis, à
“ tot Annis crudeli Jugo depreſſis, Conſcientiæ Libertatem conceſſit. Atque memor Reverentiæ,
“ quam Apoſtolicæ Sedi præſtare cupiebat, Illuſtriſſimum D. *Rogerium Palmer,* Comitem de
“ *Caſtlemain,* præcipuæ Nobilitatis, & eximiæ Prudentiæ Virum, pro Catholica Fide multa olim
“ paſſum, Legatum Extraordinarium, ut vocant, ad *Innocentium* XI, Pontificem Maximum,
“ deſtinavit, ſolemnis Obedientiæ Regio Nomine exhibendæ Gratiâ, ampliſſimis Sumptibus pro
“ eo Munere ſuppeditatis. Quam ſanè Legationem eâ perfecit Pompâ, eô Ritu, eâque Magnificentiâ,
“ quæ tanti Regis decuit Majeſtatem, ut a pluribus oculatis Teſtibus *Romæ* accepi, utque
“ conſtat ex Libro in Folio deſuper impreſſo *Romæ* 1687, Typis *Dominici Antonij Ercole,* ubi,
“ ad Pag. 89, ſequens legere eſt Epigramma:

Tempus erat, quo ROGERIJ viſuræ Triumphum
Lucebat Latia culta Feneſtra Nuru.
Tunc mirata Viri Pompam, Curruſque nitentes
Auro Flaminia Roma videnda Via,
Ecquid, ait, toto diviſos Orbe Britannos,
Viribus inſignes, dixerat eſſe Maro?
Romano ſeſe Imperio junxere Britanni,
Et Pompa hæc noſtras occupat una Domos.
Quæque olim innumeris Spectacula vidimus Annis,
Juſſu ROGERIJ præbuit una Dies.

“ Summus Pontifex viciſsim ad *Jacobum* Regem ablegavit Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum
“ D. *Ferdinandum* Comitem *de Abdua,* vulgò *d' Adda,* Mediolanenſem, Archiepiſcopum *Amaſienſem,*
Nuntij

(*a*) Confer nuper dicta Cap. præced. Num. xviii. ad Lit. a. Pag. 125.

(*b*) Recole pridem dicta Cap. i. Num. xxi. Pag. 30,

“ Nuntij Apoſtolici Dignitate prædítum, ob ſingulares Virtutes, & eximias Qualitates *Jacobo* Regi gratiſſimum, proptereàque in Diſceſſu memorati Regis infrà explicando multa Vitæ Diſcrimina paſſum, poſteà S. R. E. Cardinalem ornatiſſimum, ab *Alexandro* VIII creatum Anno 1691, denatum *Romæ* Anno 1719.

“ II. Ad Ploratus *Hiberniæ* noſtræ, ſub durâ tot Annorum Luſtris Servitute gementis, converſus Clementiſſimus *Jacobus*, & conſpicatus Orthodoxos *Hiberniæ* divini humanique Juris Beneficio privari, communibus cæterorum Vaſſalorum Privilegijs, & Prærogativis ſpoliari, pænalibus Legibus propter Catholicam Fidem mulctari, à Reipublicæ Munijs, atque Curiarum Liminibus arceri, lugentium Lachrymas ſiccare voluit, ratus ſe à divina Providentia conſtitutum, qui tantam Injuſtitiam Æquitate ſuâ corrigeret. Quarè amoto ab *Hiberniæ* Adminiſtratione *Henrico Hyde*, Proteſtante Anglo, Comite *Clarendono*, Prorege, poſteà, ut Rei probavit Eventus, Regiæ Majeſtatis Proditore, circumſpectiſſimâ Prudentiâ Regni Adminiſtrationem *Richardo Talboto*, Catholico Hiberno, Comiti tunc (poſtmodùm Duci) *Tyrconnello*, Viro inclyto, de Fide, Rege, & Patria optimè ſemper merito, in exteris Regionibus, *Gallia* præſertìm, ob egregiam Fortitudinem inſigni, cujus Frater erat *Petrus Talbotus*, Archipræſul *Dublinenſis*, ſtrenuus Fidei Pugil, qui, ut nuper (*c*) ajebam, paucis anteà Annis glorioſam Mortem obierat. *Tyrconnellus* igitur publicis jam Regni Curis admotus, *Puritanæ* Perfidiæ ſagax Explorator, ac brevi ſuſcitandæ per *Puritanos* (*d*) Rebellionis quaſi præſagus, ſolerti Dexteritate Heterodoxos exarmat, Præſidijs Catholicos Gubernatores præficit, eaque Militibus Catholicis munit, in Civitatibus, Oppidis, Municipijs, & Ruri, Catholicos Magiſtratus inſtituit, publicum Catholicæ Religionis Cultum ex Decreto Regio per totum Regnum exerceri ordinat. Indè ſummoperè gaudebant dudùm afflicti Catholici videre tandem aliquandò Sacerdotes ſuos non in Solitudinibus errantes, non in Montibus, aut Speluncis, aut Cavernis Terræ latentes, ſed palàm incedentes, atque Habitu proprio, ſeù Talari, ſeù Regulari, indutos; item & audire Miſſam non in memoratis Locis, ſed in publicis Sacellis, in Cathedrali *Dublinenſi* Baſilica, quæ Regia eſt Capella, *Eccleſia Chriſti* vulgò appellata, ut nihil dicam de alijs Eccleſiaſticis Cæremonijs, ac Ritibus, publicè peractis. Indè etiàm Ordines Religioſi pro Viribus conabantur vetera Cænobiorum Rudera inſtaurare, vel iterùm à Fundamentis extruere.

“ III. Conſcientiæ Libertatem Catholicis à *Jacobo* II conceſſam agrè admodùm tulerunt Acatholici, conceptumque in Regem Odium maximoperè auxit Ortus Principis *Walliæ*, ſeù *Cambriæ*, quam Interventu Beatæ *Mariæ* Virginis *Lauretanæ* (*e*) è lectiſſima Conjuge ſua *Maria Eleonora*

(*c*) Num. xxiii Capitis ſuperioris. Pag. 131.

(*d*) *Puritani* dicuntur in hiſce Partibus *puri*, & rigidi *Calviniſtæ*.

(*e*) Tametſi Rex *Jacobus* II, dum Dux eſſet *Eboracenſis*, & Comes *Ultonienſis* (Confer Cap. iv. Num. xvi. Lit. o. Pag. 84) ex priori Conjuge Quatuor habuerit Filios, *Carolum* nempè, *Jacobum*, alterum *Carolum*, & *Edgarum*, totidemque Filias, *Mariam* ſcilicet, *Annam*, *Henriettam*, & *Catharinam*; atque ex ſecunda Conjuge, mox laudatâ, unum Filium, Nomine *Carolum*, & Tres Filias, nimirùm *Catharinam-Lauram*, *Iſabellam*, & *Carlottam-Mariam*, omnes tamen in infantili obierunt Ætate exceptis *Mariâ* & *Anna*, Acatholicis, quarum prima nupſit *Gulielmo de Naſſau*, Principi *Arauſicano*, Anno 1677, poſterior verò nupſit *Georgio*, Filio ſecundo-genito *Danorum* Regis *Frederici* III. Maſculum igitur *Jacobo* Regi Hæredem Catholici Trium Regnorum, immò & aliarum *Europæ* Regionum, aſſiduis ad Deum Precibus poſtulabant. Quarè Juſſu Reginæ *Mariæ-Eleonoræ-Beatricis* elaborata fuit *Romæ* ex Auro puriſſimo Statua Angelica geſtans Cor item ex Auro, pretioſis Gemmis diſtinctum, cui inſidet Lucerna, Votorum ſcilicet Flammas emittens. Angelus ipſe flexis Genibus efformatus ſiſtit ſuprà Stylobatem argenteam, cui, ut aliqui ajebant (inquit *Porterus* Pag. 300) inſcribi, & paucis mutatis aptari poſſet Diſtichon illud, quod ſimili Donario, à *Galliarum* Regina olim eidem Virgini Beatæ *Lauretanæ* oblato, inciſum fuit.

Oquæ Prole tua Mundum Regina beaſti,
Reginam Anglorum Prole beare velis.

Prædicta Statua, (quam Anno 1742 in Sacrario vidi almæ Domûs *Lauretanæ*) Valoris, & Pretij, ut fertur, Septuaginta Millium Scutorum Monetæ *Romanæ*, delata fuit *Lauretum* ab Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis DD. *Jacobo Emerix*, Leodienſi, Sacræ Rotæ Romanæ Decano, & *Alexandro Caprara Bononienſi*, ejuſdem Rotæ Auditore, & ſuper Aram Virginis collocata, cantatâ poſtmodum Miſſâ Solemni de Beata Virgine per laudatum *Jacobum Emerix*, præſentibus Duobus S. R. E. Cardinalibus, fortuitò tunc tranſeuntibus, & ingenti Populi Multitudine.

“ *Beatrice de Eſte*, Sereniſſimi *Alphonſi* Ducis *Mutinæ* Filia, rariſſimis Dotibus ornatâ, Die 10 Junij, Stylo Veteri, ſeù 20 Junij Stylo novo (*f*), Anno 1688, *Londini* ſuſceperat, & Catholicæ Fidei Myſterijs initari voluit. Enimverò quemadmodùm Catholici omnes Principis hujus Nativitatem ſummâ exceperunt Gratulatione, quòd Catholicam Religionem in prælibatis *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Regnis paulatìm & permanenter reſtitutum iri ſperarent: Itá Acatholici moleſtis Animis eandem tulerunt Nativitatem, quòd ſibi fingerent futurum, ut Princeps ille Catholicâ Religione imbutus, & Regi, Patri ſuo, Sacris Romanis addicto ſuccedens, memorata Regna Fidei Romanæ, & Communioni reſtitueret.

“ IV. Acatholici *Angli*, Furore perciti, ex eo *Walliæ* Principis Ortu Occaſionem arripuere inſtigandi *Gulielmum* Principem *Arauſicanum* (*g*), Regis *Jacobi* Rex Sorore Nepotem, atque Generum

---

Multitudine. Votis tandem annuit Clementiſſima Regina Deipara, Nono enim poſt pij illius Doni Oblationem Menſe nondùm elapſo, Die Dominica, Junij Decimâ, Sanctiſſimæ Trinitati eo Anno Sacrá, è Favoris divini Theſauris Sereniſſimus *Cambriæ*, vulgò *Walliæ*, Princeps *Londini* emerſit. Ex eadem etiam Regia Conjuge ſuſcepit poſteá *Jacobus* Rex *Loviſam-Mariam-Thereſiam*, Die 18 Junij 1692 natam, denatam verò 8 Aprilis 1712, pluresque alias Proles, quæ infantili in ætate obiere.

(*f*) Si fortè Differentiam neſcias, benigne Lector, Stylum *veterem* inter & *novum*, ſeù, ut propriùs loquar, Kalendarium *Julianum* inter & *Gregorianum*, eamque ſcire aveas, monearis oporret, Annum Solarem *Aſtronomicum* ultrà 365 Dies non habere Sex Horas integras, ſed Undecim deeſſe Minuta, quibus Annus Solaris *Julianus*, id eſt à *Julio Cæſare* inſtitutus, qui minùs accuratus eſt, ſuperat Annum Solarem *Aſtronomicum*, ſic dictum, quia accuratiſſimus cenſetur, & ad certas *Aſtronomiæ* Leges exactus. Porrò Undecim illa Minuta à Tempore Concilij *Nicæni*, quod Anno 325 celebratum eſt, uſque ad Annum 1582 neglecta, ſenſìm ſine Senſu in Decem Dies integros excreverant, quatenùs ea ultrâ debitam Quantitatem ſingulis Annis tribuebantur. Quem Errorem ut caſtigaret *Gregorius* Papa XIII ſpeciali Conſtitutione ſtatuit, ut de Menſe Octobris Anni 1582 Decem Dies incluſivè eximerentur, id eſt, ut poſt Diem quartam dicti Menſis, *S. Franciſco* ſacram, Dies ſubſequens non eſſet quinta, ſed decima quinta Octobris. Et ne Temporis Progreſſu idem rediret Malum, ſapienter item ſanxit, Biſſextum quarto quoque Anno, ut Moris eſt, continuari, præterquàm in Centiſſimis Annis, qui quanquàm Biſſextiles anteà ſemper fuiſſent, qualem etiam voluit Annum 1600, qui tamen deinceps conſequerentur Centiſimi, non omnes Biſſextiles ſint, ſed in Quadringentis quibuſque Annis primi quique tres Centeſimi ſine Biſſexto tranſigantur, id eſt, ut Februarius non habeat Dies 29, quartus verò quiſque Centeſimus Biſſextilis ſit (vocatur autem vulgò *Biſſextilis* quia eo Anno *BIS SEXTO Kalendas Martias* pronunciatur, ſcilicet Die 24 & 25 Februarij). Itaque Anni 1700, 1800, 1900 debent eſſe ſine Biſſexto, quartus verò inſequens Centeſimus Annus, ſcilicet 2000, More conſueto Biſſextilis permanebit. Hinc cûm Annus 1700 Biſſextilis fuerit juxtà Kalendarium *Julianum*, ſecùs verò juxtà *Gregorianum*, idcircò antê Annum 1700 Decem, poſt verò Annum 1700 Undecim Dies erant Diſcriminis inter utrumque Kalendarium; adeòque Dies decima Junij, quâ in Lucem editus eſt Princeps *Walliæ*, erat Dies vigeſima, ſed poſt Annum 1700 vocabatur Dies vigeſima prima ejuſdem Menſis extrâ *Magnam Britanniam; & Hiberniam*. Enim verò quandoquidem, Clavum Eccleſiæ moderante *Gregorio* XIII, apud Nos regnaret *Elizabetha* Heterodoxa, idcircò receptum non fuit in hiſce Ditionibus Kalendarium *Gregorianum*, ſeù Stylus *Novus*. At tandem aliquandò, Anno nimirùm 1751, Ordines Regni *Magnæ Britaniæ*, proponente Celebri Comite de *Ceſtrio Campo*, vernaculè *Cheſterfield* (quem Proregem vidi *Hiberniæ* Anno 1746) condideruut Parlamentarium, ut vocant Actum, ſeù Legem, prælibatæ Conſtitutioni *Gregorianæ* undequaque ſimilem, quâ ſtatutum eſt inter alia, ut Annus 1752 inciperet non a 25 Die Martij, ut anteà, ſed à Die 1 Januarij; utque eodem Anno 1752 de Menſe Septembri Undecim Dies integri eximerentur, id eſt, ut poſt Diem ſecundam Menſis Septembris Dies ſubſequens non eſſet tertia, ſed decima quarta Septembris in omnibus *Anglorum* Regis per *Europam*, *Aſiam*, *Africam*, & *Americam* Ditionibus, quod ità factum eſt, & ſic Error, qui in præteritum tot Anorum Curriculis irrepſerat, in Momento Temporis emendatus fuit. Aliæ etiam, ut obiter dicam, Acatholicorum Regiones anteà, Regnum autem *Suetiæ* Anno ſequenti, nempè 1753, Kalendarium adoptarunt *Gregorianum*, quod per Univerſam quâ latè patet *Europam*, ſolâ excepta *Ruſſiâ*, ſeù *Muſcoviâ*, impræſentiarum viget.

(*g*) *Arauſio*, vulgò *Orange*, ſeù *Auranche*, Urbs eſt Epiſcopalis *Gallo-Provinciæ* ſub Archiepiſcopo *Arelatenſi*, ſex Leucis *Avenione* diſtans. Caput eſt exigui Principatûs ejuſdem Nominis, qui Principi proprio naturali ſuberat ab Anno 1470 ad 1536,

“ rum (*b*), ut abſque Mora in *Angliam* veniret, ferretque Opem adverſùs *Jacobum* Regem, a quo Religionem (*Proteſtanticam*) Legeſque Regni peſſumdari cauſabantur. Hamum devoravit ambitioſus Princeps *Arauſicanus*, & vectus *Batavorum* Claſſe, Menſe Octobri Anno 1688, Vela fecit, eoque in *Angliam* vix appellente, ſtatim Conſpiratio in Regem *Jacobum* erupit. *Arauſicanus*, ut exteros Principes ſpecioſius deciperet, componendæ in *Anglia* Pacis Studium inter Regem, & Populum præſeferebat, proteſtatus ſe nullam Regiæ Dignitati, vel Perſonæ illaturum Injuriam. Poſteà tamen Declarationem promulgat apud *Clarum Fontem*, vulgò *Sherburnium* (*i*), Die 28 Novembris 1688, quâ imprimis fatetur, ſe apertum indicere Bellum adverſùs Romano-Catholicam Fidem, quam ipſe *Papiſmum* probroſè appellat, aitque, ſe ſemper ſtetiſſe pro Religione *Proteſtantica*. Secundò dicit, ſe velle liberare *Angliam*, *Scotiam*, & *Hiberniam* à Jugo *Papiſmi*. Tertio promittit, ſe ſtabiliturum *Proteſtanticam* Religionem per libera, & legitima Regni Comitia (*k*). Quartô declarat, Milites Regni receſſiſſe à *Jacobi* illegitimo Obſequio (*l*). Quintò aſſerit, ſe nullius effuſurum Sanguinem niſi illorum execrabilium (*m*) Hominum, qui abjurarunt Religionem *Proteſtanticam*. Sextò proteſtatur, ſe velle eos ſeverè punire Magiſtratus, qui Leges pænales, contrà Catholicos latas, Executioni non mandabunt. A primo igitur ad ultimum *Angliam* invadit *Arauſicanus*, ut Catholicam peſſundet Fidem, hùc collimat, hùc tendit.

“ SANE Exitus acta probavit. Enimverò ubicunque per *Angliam* graſſabatur *Arauſicanus*, Catholicos exarmari, malè mulctari, Barbarie pluſquam Scythicâ tractari fecit. Atque Deputatis à Rege ad eum miſſis arroganter ſuo More reſpondit, ſe velle, ut Catholici omnes Armis, Dignitatibus, Munijs, Officijſque quibuſvis ſpolientur. Quantas autem Calamitates ab Uſurpatore iſto, ejuſque Emiſſarijs actutùm paſſi ſunt, vix, aut ne vix quidem, explicari valet. Eo *Londinum* ingreſſo ſtatim in Sacra omnia, in Capellas, in Aras, in Catholicorum Ædes paganico Furore ſævitum, & debacchatum, Eccleſiaſtici, alijque Catholici ubicunque obvij raptati, Fuſtibus, Pugnis, Calcibus excepti; Ergaſtulis, Carceribus mancipati; eorum Facultates, Suppellectiles, Bona direpta, &c.

“ IN tàm proceelloſo, & furibundo *Angliæ* Statu, per *Arauſicanum* cauſato, Rex nullum nòn movit Lapidem, ut Malacia, ſeù Tranquillitas rediret, omnibus ſcilicet tentatis Medijs, atque oblatâ etiam novâ *Parlamenti* Convocatione; gravi ad Subditos de Fidelitate Regi ſuo præſtitâ, & de periculoſa ex iſtis Hominibus imminenti Ruinâ, Admonitione, generali item veniâ omnibus, ſi ad officium redirent, promiſsâ, ſed fruſtrà.

“ V. HANC *Anglorum* Conjurationem, *Batavorum*, ac præſertim callidiſſimi Principis *Arauſicani*, Artibus contextam, principiò ſubodoratus fuerat *Ludovicus* XIV, Rex Chriſtianiſſimus, qui confeſtim *Jacobum* Regem inſtantis Periculi admonuit. Cujus amantiſſimis Monitis ſi credidiſſet Rex *Jacobus*, ad ipſa Conjurationis Cubilia, recentibus adhuc Veſtigijs, facile perveniſſet. Aſt, dum invictam Defenſionem ſpondentibus, ſed punicâ Fide, *Anglis* ſuis plus æquo credidit Rex *Jacobus*, primò deſtitutus eſt à Claſſe ſua, indè etiam á terreſtribus Copijs, quæ per ſummam Perfidiam ad Principem *Arauſicanum* defecerunt, & deſerto ſuo vero Rege *Davide*, novum *Abſalonem* ſecuti ſunt. Quo factum eſt, ut Rex *Jacobus*, cum Regia ſua Familia, in extremo Vitæ Diſcrimine adductus, poſtquàm Reginam, ac *Walliæ* Principem in Cunis adhuc vagientem, ex tàm infeſtis, & ſævis Fluctibus eripuiſſet, & in *Galliarum* Regnum tranſmiſſet, ipſe tandem perjuros præſtiti

---

quo *Renatus* Comes *Naſſoviæ*, vulgò *Naſſau*, in *Germania*, eundem Jure Matris ſuæ *Claudiæ*, *Philippi Cabillonij*, Principis *Arauſicani*, unicæ Prolis, adeptus eſt Nunc autem Juris eſt Regis Chriſtianiſſimi, & quidem ab Anno 1660, quo Civitas expugnata fuit. Titulum tamen Principis *Arauſicani*, prætenſumque Jus retinuit *Naſſovienſis* Domus uſque ad Annum 1713, quo Juri omni ceſſit in Conditionibus Pacis *Trajecti ad Moſam* inter *Europæ* Principes, ſeù eorum Plenipotentiaros, ut vocant, ſivè Legatos, confectæ.

(*b*) Id liquet ex mox dictis ad Lit. e.

(*i*) Eſt oppidum Arce munitum in *Angliæ* Comitatu *Dorſetano*, vulgò *Dorſetſhire*.

(*k*) Quâ ambò Ratione dici poſſunt *libera*, & *legitima Regni Comitia*, ubi legitimus abeſt Princeps, & ubi Uſurpator hæret armatus?

(*l*) *Illegitimum* vocat *Obſequium* quia Regi Catholico præſtitum.

(*m*) Eos vocat *exercrabiles Homines*, qui effrænatiſſimos *Calvini*, *Lutherique* Errores abjurarunt.

“ Fidelitatis Juramenti Violatores, perfidoſque & Regni & Regiæ Majeſtatis Proditores, ipſius Vitæ, ut olim *Caroli* Regis, Genitoris ſui (*n*), inſidiantes inhianteſque, viliſſimæ novi hujus *Cromuelli* Servituti mancipatos, ad Tempus relinquere ſtatuit. Inſpecto itàque infidæ ſuæ Gentis Animo, ex *Anglia* diſceſſit cum Duce *Berwicenſi* (*o*), Filio ſuo Notho, ac Navim conſcendens, in *Gallias* Vela fecit, ubi poſt maxima, Terra Marique, vitata Pericula, pervenit Menſe Januario Anni 1689.

“ ELAPSO, ſeù verius ejecto, Rege *Jacobo*, vel, ut *Angli* diſtortè loquntùr, poſt *Abdicationem ſuam*, Princeps *Arauſicanus* proclamatus fuit *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Rex, dictus *Gulielmus* III, inſimulque Conjux ipſius *Maria*, Regis *Jacobi* ex priori Matrimonio Filia Heterodoxa, Jure Legis Non-*Salicæ* (*p*) acclamata fuit Regina, etſi quippè plena Poteſtas regia ab *Arauſicano* prætenſa fuerit, Nomine tamen utriuſque erat exercenda ex Præſcripto Conventionis, ut vocant, *Procerum* & *Communium*, ab *Arauſicano* indictæ, Die 13 Februarij ejuſdem Anni 1689.

“ VI. EJECTUM ſic è Regno *Angliæ* Regem *Jacobum* II, & in *Gallias* cum Regia ſua Familia, ut præfertur, poſt varios Caſus, poſt tot Diſcrimina Rerum, appulſum, Rex Chriſtianiſſimus *Ludovicus* XIV omni Comitatis Officio excepit, regium *S. Germani* propè *Pariſios* Palatium, cum regio Prætorianorum, & Officialium Apparatu, habitandum dedit, illum erexit afflictum, & cum ipſo Vires, Arma, Theſauros, Claſſes perliberaliter communicavit, uno Verbo, nihil intentatum reliquit, omneſque in eo Curas fixit, ut *Jacobus* Rex Solio ſuo redderetur, quod ex mox dicendis clarebit.

“ UBI autem Summo Pontifici *Innocentio* XI nunciatum fuit, Regem *Jacobum*, Reginamque, & *Walliæ* Principem, incolumes perveniſſe *Pariſios*, atque à Rege Chriſtianiſſimo tàm magnificâ Liberalitate, tantâque amantis, & condolentis Animi Significatione fuiſſe ibidem receptos, ſequentes illicò dedit ad *Ludovicum* Regem Literas, quibus regiam ejus Generoſitatem in tàm opportuno benignoque Regi *Jacobo*, Reginæ, ac *Walliæ* Principi præbendo Azylo, ſummoperè laudat. En porrò earum Tenorem (*q*).

A Tergo,
Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro LUDOVICO Francorum
Regi Chriſtianiſſimo.
Intùs verò,
INNOCENTIUS PAPA XI.
Chariſſime in Chriſto Fili noſter, Salutem.

Cùm Nos præcipuè afficiat ſplendidum, ac ab univerſis Chriſtifidelibus majorem in Modum commendandum Confugium, quod, Magnà Britannià tumultuante, eius Regi, Reginæ, ac Infanti Principi, effuſâ, nulliſque concluſâ Finibus Munificentiâ præbuit Majeſtas Tua, Muneris eſſe Noſtri duximus has ad Te gratæ Reſponſionis Teſtes dare Literas. Etſi autem non dubitemus, quin, pro ſua Pietate, ac paratà ad magna quæcunque pro Catholica Religione aggredienda perficiendaque Amplitudine Animi Tui præſtantiſſimâ, prædicti Regis Cauſam, cum qua eadem Religio conjuncta eſt, conſtanter juvare pergas, tantoque nibilominùs Cordi eſt, & eſſe debet uiriuſque Incolumitas, ut Majeſtatem Tuam pro explorato habere cupiamus, in Partem Nos venturos inclytorum omnium Operum, quibus Regi ipſi, necnon memoratæ Religioni ſtrenuè adeſſe curaveris, nec omiſſuros aſſiduis enixiſque Votis divinam Bonitatem etiam rogare, ut meritam propoſitæ Tibi veræ Gloriæ Menſuram implendo comparaveris inexhauſtis Beneficentiæ Theſauris cumulatè retribuat. Majeſtati interim Tuæ Apoſtolicam Benedictionem amantiſſimè impertimur. Datum Romæ Die primo Februarij 1689.

“ VII. EODEM Die laudatus Pontifex Regem ipſum *Jacobum*, in turbulentis hiſce Circumſtantijs conſtitutum, ſequentibus conſolatur Literis (*r*)

A Tergo

(*n*) Recolendus Num. xi. Capitis ſuperioris, Pag. 116.

(*o*) Videſis Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82.

(*p*) Conſulendum Cap. i. Num. xxi. Lit. g. Pag. 30.

(*q*) Ex *Portero*, Pag. 311.

(*r*) Ex eodem, Pag 312.

A Tergo,
Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro JACOBO Magnæ
Britanniæ Regi Illuſtri.

Intùs vero,
INNOCENTIUS PAPA XI.
Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem.

Infauſto accepto Nuncio de Sæviſſima Procella, quam adverſùs Majeſtatem Regiamque Domum Tuam in Anglia excitaverat Poteſtas Tenebrarum, præ intimi Angoris Acerbitate pené defecimus. Diſcrimen enim, in quo cum Catholica Religione verſabaris, á Sollicitudine, quam de utriuſque Incolumitate impenſe gerebamus, prorùs id repoſcebat, & quidem Amaritudine Animæ noſtræ ob afflictum Rerum ſuarum, ipſiuſque Religionis Statum, non eſt cur pluribus explicemus, Magnitudo ſiquidem Jacturæ, de qua agebatur, quæque Nos præcipuè tangebat, illas ſatis ſuperque declarat. Lenivimus tamèn non parùm ejuſdem Amaritudinis Acerbitatem, intelligentes Majeſtatem Tuam, Regiam Conjugem, Sereniſſimamque Sobolem, incolumes in Galliam transfretaſſe, de ſuprema nimirùm illius Providentia, quæ imperat Ventìs, & Mari, planè confidimus fore ut erectam Tempeſtatem quam primùm vertat in Auram Tranquillitatis. Aſſidua Nos ferventiaque in hunc Scopum Vota nuncupare profecto non omittemus, dum heroicam in prædicta Religione ſtrenuè aſſerenda Majeſtatis Tuæ Pietatem, inclytamque in adverſis ea de Cauſa inconcuſſo Animo perferendis Conſtantiam, effuſis immortalium Laudum Titulis decorantes, Tibi, Chariſſime in Chriſto Fili, Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ Die primo Februarij 1689.

“ VIII. Ad Literas Summi Pontificis reſpondit Rex Chriſtianiſſimus Die 17 Februarij ejuſdem Anni, quibus (ſ) ſignificavit, ſummoperè ſe gaviſum fuiſſe, quod ſua Sanctitas ſuerit plenè perſuaſa, quantum Præjudicium parere poſſet Catholicæ Religionis Status ille, in quo verſabatur Rex *Magnæ Britanniæ*, & quantum elaborare deberet, ut denuò redintegraretur; quod quamvis naturalis ejus Affectus (*t*) propenderet ad ferendam Opem, ad dandam Conſolationem illi afflicto Monarchæ pro illius in eum Amore, nihilominùs ad conſervandas Fidei Catholicæ Reliquias in *Anglia*, ad reſtituendum ſuo Throno prædictum Regem, ſacrificaret omnes eas politicas Rationes, quæ fortè aliàs illum inducerent ad negandum ei neceſſarium Succurſum; quod cum Voluptate perceperit, quàm fuerint Cordi Suæ Sanctitati hæ duæ tanti Momenti, & tàm juſtæ Cauſæ; quod non ſolùm optaret ſuam Sanctitatem eſſe participem Succeſſùs tanti Operis, ſed etiam cuperet, ut totus Chriſtianus Orbis agnoſceret, ſe imprimis devinctum Paterno Sanctitatis Suæ Zelo in hac Re, utque Hoſtes Religionis Catholicæ ad eam deſtruendam conjuncti, Animum deſponderent, ne ulteriùs progrederentur; quòd deſideret ſemper concurrere cum ſua Sanctitate ad Incrementa noſtræ ſanctæ Fidei, & ad teſtandam ſuam filialem Reverentiam in omni Occaſione. Et ſubſcriptum erat.”

Devotus Veſter Filius,
Rex Franciæ, & Navarræ,
LUDOVICUS.

“ IX. Perduellibus in *Anglia*, partim apoplectico Stupore correptis, partim frenetico inſanientibus Furore, Rex *Jacobus*, poſt duos *Lutetiæ Pariſiorum* protractos Menſes, & quidem Regio Apparatu, ut mox ajebam, Regiâque Magnificentiâ à *Ludovico Magno* tractatus, de ſuá Catholicâ, & amantiſſimâ *Hiberniâ*, ſibi, ſuiſque Majoribus fideliſſimâ, atque Principis Uſurpatoris Inimicâ implacabili, viſitandâ deliberat. Regem in *Hiberniam* invitabat Magnanimus Prorex *Tyrconnellus*, ſuperiùs laudatus (*u*), & nunquam ſine Laude nominandus, qui omnem impendit Operam in conſervanda ſuo Regi *Hiberniâ*, etſi tantum Virum conatus fuerit *Arauſicanus* vel Spe allicere, vel Metu terrere, vel Aſtu ſeducere, ut ſeduxit *Anglos*, ſed fruſtrâ. Nam prædictus Prorex reſtitit in Faciem Seductoribus, atque illorum exprobravit Perfidiam, renunciari jubens Uſurpatori, ſe velle in Fidelitate ergà Regem ſuum ad ultimum uſque Halitum perſiſtere. Tandem *Arauſicanus* tentavit per Artes Domini *Temple* corrumpere Proregis Secretarium, & per Secretarium, Proregem ipſum, ſed ſurdis ſe ceiniſſe ſat ſuperque expertus eſt, & ob id in efferam Rabiem actus.

Ne

(ſ) Ex eodem, Pag. 313.

(*t*) Mater Regis *Jacobi* II erat *Henrietta-Maria*, Soror *Ludovici* XIII, hujus *Ludovici* XIV Genitoris.

(*u*) Num. ii. hujus Capitis, Pag. 137.

“ Ne tamen Regia Perſona ijſdem exponatur Periculis, ex quibus jam anteà quaſi miraculoſe evaſit, voluit Rex Chriſtianiſſimus Statum Regni *Hiberniæ* explorare, eum in Effectum ad ipſam miſſo Viro verè experto D. *de Ponti*, qui reſcripſit, póſſe Regem *Jacobum* tutò in *Hiberniam* venire; ibi Copias fuiſſe in magno Numero, Majeſtati Suæ fideliſſimas, & defuiſſe ſolummodò peritos Generales: Concluſum igitur, ut *Hibernicum* Iter arriperetur. Quarè jubet Rex Chriſtianiſſimus parari apud *Brivates*, vulgò *Breſt*, in *Britannia Minori*, Claſſem ex Undecim Majoribus Navibus, & Myoparonibus aliquot, Rerum omnium neceſſariarum Commeatu inſtructam. Ipſi etiàm Regi *Jacobo* ingentem donavit Armorum Copiam, magnificam Suppellectilem, Duodecim Equos ornatiſſimè phaleratos, & pro Stipendijs militaribus Sexcenta Scutorum Millia. Uno Verbo, ſummis Honoribus à Chriſtianiſſima Majeſtate effectus *Jacobus* Rex *Pariſijs* diſceſſit, *Brivateſque* Die 5 Martij ejuſdem Anni 1689 pervenit, Sex Strategis, ſeù Generalibus, quos inter erat D. *de Ponti*, mox laudatus, pluribuſque alijs Officialibus *Gallis* aſſociatus. Ibi, Vento perſiſtente contrario, expectatum fuit ad Diem uſque 17 ejuſdem Menſis, *S. Patritio*, *Hiberniæ* Apoſtolo, ſacram, quando Navem D. *Gabaret* conſcendit, expanſiſque Velis, fauſtis Avibus *Kinſaliam*, in Agro *Corcagienſi*, appulit Die 22 prælibati Menſis Martij.

“ X. *Kinſaliâ* ad Decem Milliaria *Corcagiam* pergens, obvium habuit cum ingenti Procerum, & Populorum Numero fideliſſimum ſuum Adminiſtrum, Comitem *de Tyrconnel*, quem illicò *Tyrconnellenſem* creavit Ducem. Indè *Kilkenniam* proficiſcitur, Epiſcopo Catholico, *Jacobo Phelan*, Clero Sæculari, & Regulari, Nobilibus & Viris Equeſtribus ſplendidè veſtitis, Civibus & ingenti Plebe illum excipientibus. In itinere *Dublinium* verſùs Viæ omnes à conferta Multidudine erant obſeptæ, totaque iſta ampliſſima Civitas, quaſi extrà Portas effuſa, ſolemni, triumphali, & feſtivâ Pompâ Regem, tamdiù deſideratum, excepit Die 24 prælibati Menſis Martij.

“ **Die 25 Martij 1689. Generalia Regni *Hiberniæ* Comita (*w*), ſeù Parlamentum, ut vocant, indixit Rex *Dublinij*, quæ Menſe Majo ejuſdem Anni in Cænobio Fratrum Prædicatorum, (*x*) habita fuere. Ea aperuit, ut loquuntur, Die 7 memorati Menſis, More conſueto, ſequenti ad Nobiles, & Communes ſimul convocatos pronunciatâ Adlocutione Anglico Idiomate (*y*), quæ hunc facit Senſum Latinum**

Domini Mei, & Gentil-Homines (*z*).

Singulare Fidelitatis Exemplum, ab hac Natione exhibitum præſtitumque eo ipſo Tempore, quo alij mei Subditi perfidè ergà me geſſerunt, vel me viliſſime prodiderunt: Atque generoſi veſtri Conatu, quibus ſecundaſtis intrepidum Animum Proregis mei in ſuſtinendis meis Juribus, in conſervando & communiendo hoc Regno, me induxerunt, ut hùc ad Vos venirem, Vitamque Vobiſcum pro veſtra Libertate, & meo Jure exponerem. Et ſane, ad ſummam meam Satisfactionem, comperi non ſolum Vos ad Obſequium meum promptos, ſed etiam Zelo veſtro parem eſſe veſtram Conſtantiam.

Semper favebam Libertati Conſcientiæ, & adverſarius eram ijs, qui aliena Bona uſurpant, Animo revolvens illud Sacræ Scripturæ Effatum, omnia, quæ vultis ut Vobis faciant Homines, & Vos facite illis *id enim præſcribunt Lex, & Prophetæ.*

Hæc Conſcientiæ Libertas á me conceſſa Hoſtes meos in meis Dominijs, & exteris Regionibus perterruit, præſertim cùm intellexerunt me illam voluiſſe Lege ſtabilire in omnibus meis Ditionibus, quæ fuit Cauſa cur in Me Arma moverint, ex diverſis tamen Motivis. Aliqui timebant ne, ſi itâ ſanciretur, Populus meus nimis felix evaderet, alij, ne nimis magnam Potentiam acquireret.

Duabus hiſce Cauſis uſi ſunt ad ſuum inducendum Populum ad Unionem ineundam cum nimiùm pluribus meorum Subditorum, illoſque pellicendos, ut eo Modo, qui Orbi Terrarum notus eſt, me tra rent. Nihil tamen me a concepto Conſilio removebit, & ubicunque Poteſtatem habuero, mihi fixum eſt,

---

(*w*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*x*) Hoc de Cænobio Sermo erit Cap. ix. §. i.

(*y*) Eam legere eſt in pluribus Libris, *Londini*, & *Dublinij* vulgatis.

(*z*) Proceres vocat *Dominos*, Anglicè *My Lords*; Communes verò nuncupat *Gentil-Homines*, Anglice *Gentlemen*.

eſt, Deo adjuvante, præfatam Libertatim Lege ſtabilire, nec Perſonas niſi ex ſola Fidelitate diſtinguere.

A Vobis expecto, ut mecum ad Chriſtianum hoc Opus concurratis, & ad eas ferendas Leges, quæ Impietates, & omnes Morum Corruptelas exſtirpent.

Libentiſſimè etiam Conſenſum præbebo, ut Leges condantur bonæ, & ſalutares, quæ conducant ad generalia Nationis Commoda, ad Augmentum Commercij, ad reparandas Injuſtitias, ijs illatas, qui ex ultimis Confiſcationis Bonorum Sanctionibus Detrimenta paſſi ſunt (a) quantùm convenire poſſunt cum recta Ratione, Æquitate, & Populi mei Bono communi.

Et quemadmodum Ego omnem meam impendam Operam, ut reddam Vos locupletes, & felices, ità nullus dubito quin mecum cooperaturi ſitis, Vires mihi ſuppeditando ad ſubvertendas iniquas Hoſtium meorum Machinationes, & ad efficiendam Nationem hanc florentem.

Ut autem majores ad Rem hanc Vobis Animi addantur, perpendite quanto Affectu, quantâ Generoſitate, quantàque Humanitate Rex Chriſtianiſſimus auxiliaria porrexerit Brachia Reginæ, Filio meo, mihi, dum ex Anglia pulſi, Præſidium, & Tutamen in Ditionibus ejus quæreremus; quam ſincerè meam Cauſam amplexus fuerit, omneque mihi Subſidij Genus ſuppeditaverit, ut ad Vos venire poſſem, ſine qua Ope id præſtare nequiviſſem. Immò totum hoc efficere non dubitavit eo ipſo Tempore, quo tot, & tam potentes habuit Adverſarios, atque id ipſum, ut videtis, efficere pergit.

Concludam prout incepi, ſincerè Vobis affirmans, quod quàm plurimi æſtimem præclariſſimæ veſtræ ergà me Fidelitatis Argumenta, quodque pro Viribus efficiam (prout ſemper conabar) ut Vos, omneſque mei Subditi, evadatis felices.

“ ADLOCUTIO hæc tantâ afficit Proceres, atque Communes Volupate, & Lætitiâ, ut viciſsim reciprocum ergà Regiam Majeſtatem Studium, Obſequium, Affectumque ſeriò ſpoponderint, ſincerè proteſtati, ſe cum Vitæ, & Bonorum Jactura conaturos, ut Majeſtas Sua Paterno *Britannicarum* Ditionum Solio, ſuiſque Juribus reſtituatur.

“ XI. SALUBRIA eo in Parlamento facta ſunt decreta, Numero Triginta Quinque, quorum principaliora, Notatu magis digna, ſunt ſequentia:

“ 1. Regnum *Hiberniæ* declaratur independens á Regnis *Angliæ*, & *Scotiæ*.

“ 2. Leges in Parlamento *Anglicano* latæ Vim non habebunt in *Hibernia*.

“ 3. A Sententijs per Juſtitiæ Curias in *Hibernia* factis non dabitur Appellatio ad Curias *Angliæ*.

“ 4. Publica Conſcientiæ conceditur Libertas, omneſque abrogantur Leges, ac earum Clauſulæ eidem refragantes.

“ 5. Tolluntur, & abolentur omnes Inhabilitates *Hibernis* Catholicis, ne militaribus, curialibus, civilibuſve fungerentur Muneribus, inflictæ.

“ 6. Decreta in *Anglia* Tempore *Caroli* Secundi Regis facta, vulgò *Acta Stabiliminis*, anglicè *The Acts of Settlement* nuncupata, quibus iniquiſſimæ Confiſcationes, & Donationes, de *Hibernorum* Catholicorum Bonis per *Cromuellum* Uſurpatorem factæ, confirmabantur, irrita, & nulla declarata ſunt.

“ 7. Rex eas Poſſeſſiones, quas in *Hibernia*, dùm Dux eſſet *Eboracenſis* (vulgò *York*) habuit, reſtituet, & viciſsìm, in Recompenſationem, habebit in Domino ſuo ea fugitivorum Rebellium Bona, quæ Regio jam adjudicata ſunt Fiſco.

“ 8. Durante Tredecim Menſium Spatio, ſingulis Menſibus ſolventur, & numerabuntur Regi Viginti Millia Librarum Sterlingarum *(b)*.

“ 9. Factæ ſunt Sanctiones contrà eos, qui Pœnis obnoxij rebellarunt contrà Regem, & ſine debita Facultate ex *Hibernia* fugerunt.”

“ Hæc, & Viginti Sex alia, quæ perſcribere nimis longum foret, edita ſunt ijs in Comitijs Regni Decreta, de quibus, etſi æquiſſimis, dum murmurarent Acatholici, aptiſſimè potuerunt Orthodoxi deponere Verba Lib. I. *Machabæorum*, Cap. XV. Verſ. 33, & 34, nempè: *Neque alienam Terram ſumpſimus, neque aliena detinemus; ſed Hæreditatèm Patrum noſtrorum, quæ injuſte ab Inimicis noſtris aliquo Tempore poſſeſſa eſt. Nos verò Tempus habentes, vindicamus Hæreditatem Patrum noſtrorum.*

XII. POST

(a) Confer Num. ſeq. Sect. 6.

(b) Quæ Summam faciunt Octoginta Millium Scutorum Monetæ *Romanæ*.

“ XII. Post Regis *Jacobi* in *Hiberniam* Adventum Rex Chriſtianiſſimus pro ſolita ſua generoſa Liberalitate, & incomparabili ergà tàm juſtam Cauſam Zelo, ſemel iterùmque Arma, ac Pecunias, immò & Ducentos Bellicos Officiales ad ipſum, & Noſtrates miſit, Beneficium ab *Hibernis* perenni recolendum Memoriâ. Audiens autem *Arauſianus* Princeps, turbatus eſt, & omnes Acatholici *Angli* cum illo, hinc ne injuſtæ ſacrilegæque ſuæ Cauſæ perſonalis ipſius deeſſet Præſentiâ, *Londino* diſceſſit Die 4 Junij 1690, & factâ Die 11 Menſis memorati à Portu de *Highlake* propè *Ceſtriam*, in Occidentali *Anglia*, Navigatione, maritìmum Oppidum *Rupis-Ferguſiæ*, vulgó *Carrickfergus*, in *Antrimenſi* Agro *Ultoniæ*, appulit Dei 14 ejuſdem Menſis. Dein commiſsâ Die Martis 2 Julij, ad *Boinum* Fluvium, in *Midenſis* & *Louthani* Agrorum Confinijs propè *Pontanam*, inter Exercitum Catholicum *Hibernorum*, Viginti Quinque Millium Hominum, cui Genetalis *Patritius Sarsfield*, Comes de *Lucan*, præfuit, & Exercitum Acatholicum Triginta Sex Millium *Anglorum*, *Batavorum*, *Danorum* &c, cui præerat Dux de *Schomberg*, Pugnâ, cui etiam interfuit uterque contendens Princeps, Victoriâ potius eſt *Arauſicanus*, occiſo licèt in ipſo Fluvij Tranſitu Stratego ſuo Duce de *Schomberg*,, Calviniſtâ *Brandeburgio*, parùmque abfuit, quin ipſemet *Arauſicanus*, magni Tormenti bellici Exploſione eſſet peremptus.

“ Debellatus ſic *Jacobus* Rex, *Dublinium* perrexit eo ipſo Die, dein *Waterfordiam*, ubi Navim conſcendens in *Gallias* transferare adactus eſt, tranſactis in hoc Regno Sexdecim Menſibus, *Dublinij* ut plurimùm verſatus. *Arauſicanus* autem Victoriâ elatus, poſt plura capta Præſidia, putà *Dublinium*, *Kilkenniam*, *Wexfordiam*, *Clonmellam*, & *Waterfordiam*, munitiſſimam (c) perſonaliter obſedit Civitatem *Limericenſem*, ſed irrito Conatu, nam, ingenti Militum ſuorum occiſo Numero , poſt integrum fermè Menſem Urbem Obſidione ſolvere coactus eſt. Quam ob Rem uſque adeo ità excanduit faſtuoſus *Arauſicanus*, ut dum diſcedentem eum interrogarent Officiales, quid agendum foret cum vulneratis, aliaſve infirmis Militibus ? Furibundus reſpondit: *Comburite illos*. Quod quamquàm fieri minimè, ut credere par eſt, intenderit, Officiales tamen efferati Principis Indignitationem veriti, Mandatum ipſius, Scyticam omnem Crudelitatem longè ſuperans, ad Literam, & ad Amuſſim exequi curant, indeque (quod Calamus horret ſcribere) Mille ad minus Homines, etſi Judicio eorum innocentiſſimi, Vivicomburio traditi ſunt. Ipſemet verò *Arauſicanus*, Navim apud *Duncannonum Præſidium*, vulgò *Duncannon Fort* (d) in *Wexfordienſi* Agro *Lageniæ*, conſcendens in *Angliam* redijt.

“ Anno ſequenti 1691 novæ Suppetiæ à *Ludovico Magno* in *Hiberniam* tranſmiſſæ fuere ſub Stratego de *Saint Ruth*, qui poſt perditum Caſtrum de *Athlone* in *Lageniæ Conaciæque* Confinijs, in deciſivo Prælio propè *Aughrim*, Agri Galvienſis Oppidulum, Dominicâ Die 12 Julij, cum Octo Millibus Hominum in ipſamet Acie occiſus fuit. Quingentos, & ultrà è noſtris Nobilibus, Primoribuſque Viris Catholicis abduxerunt *Angli* Captivos, quos inter erat Magnanimus *Ulicus de Burgo*, Dominus Vicecomes *Galviæ*, Comitis *Clanrickardiæ*, quondam *Hiberniæ* Proregis, Filius ſecundogenitus (e), Chiliadis, ſeù Legonis Peditum Tribunus, quem Captivum jam factum, & intermem, Barbarie à Sæculis inauditâ, Sclopetâ perimerunt. Tandem poſt captam *Sligoam*, &c, ipſamet Arx *Limericenſis* ad Deditionem coacta eſt Die 3 Octobris ejuſdem Anni, quibuſdam tamen pactis Conditionibus, Catholicis *Hiberniæ* magnoperè faventibus, quæ tamen Pactiones, etſi Jurejurando firmatæ, ſummâ Perfidiâ abrogatæ ſunt, ut poſthàc clarebit (f). Eas porrò ipſiſſimas brevi opportuniùs exſcribam (g).

“ XIII. Itaque cùm adverſâ ubique Fortunâ uteretur *Jacobus* Rex, nec ulla recuperandi Regni Spes affulgeret, tandem Princeps *Arauſicanus*, conventâ Generali Pace inter Europæ Principes Anno 1697, velut legitimus trium Regnorum *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Poſſeſſor agnitus eſt. Sicque funeſtâ Rerum Converſione *Jacobus*, Rex legitimus, vidit ſe tribus hiſce Regnis exutum à Genero ſuo, inſimulque ex Sorore Nepote, qui *Anglorum* Rebellionem compeſcere, triaque hæc Regna

---

(c) Confer Cap. ix. §. v.

(d) Videſis Cap. xvii. Num. lxxv. Lit. w. & xcvi.

(e) Conſulendum Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit, e.

(f) Cap. ſeq. Num. ii. & iv.

(g) Cap. præſ. Num. xvii.

" Regna Socero ſuo, inſimulque Avunculo aſſerere ſtrictiſſimo Conſanguinitatis, Affinitatis, & Gratiarum Debito tenebatur. Sed *quid non mortalia Pectora cogit* Regni *Sacra Fames?*

" Si autem quæras, quorſùm permiſerit Deus, ut rebelles Hæretici *Angli* in tàm iniqua Cauſa vicerint, & cur Bellum, quod Rex *Jacobus* adverſùs illos geſſit, quo nullum unquàm juſtius ſanctiuſve geſtum fuit, infelicem habuerit Exitum? Breviter reſponderi poteſt cum doctiſſimo *Hyacintho Amat de Graveſon* (*b*) Dicendo, *id juſtis, & arcanis Cauſis, quas Nobis perſcrutari haud licet, permiſiſſe Deum, ſed præſertim ad puniendos* Anglos, *utpote indignos, qui poſt profligatam Catholicam Religionem, Catholicum Regem cito haberent* (*i*). Voluit etiam Deus comprobatam tot Rebus adverſis invictam Regis *Jacobi* Conſtantiam illuſtriorem reddere, eamque immortali præmiare Corona, quam religioſiſſimus ille Rex, eximiâ Pietate, & Clementiâ, heroicâ Patientiâ, cæteriſque alijs Virtutibus Chriſtianis præditus, jàm, ut ſperamus, adeptus eſt, quam Spem Nobis faciunt pia ejus in Vita Opera, ac tranquilla verèque Chriſtiana Mors, quam obijt in Regio S. *Germani* prope *Pariſios* Palatio Die 16 Septembris, Anno Domini 1701, Ætatis ſuæ 68.

" XIV. Reliquit Rex *Jacobus* Filium, *Walliæ* Principem, toties laudatum, ſed nunquâm ſatis pro Meritis laudandum, qui in Jura Patris ſui, ſummæ Spei Adoleſcentulus ſuccedens, de Mandato *Ludovici Magni* ſtatim in *Gallia* renunciatus eſt *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Rex, dictuſque *Jacobus* hujus Nominis Tertius, quique non Minùs ſapiens, & pius, quàm martius, & magnanimus, univerſas ſcilicet Majorum ſuorum Dotes cumulatiſſimè complectens, pluries in Regna iſta Ingreſſum tentavit, ſed fruſtrà.

" Anno 1717 Vi Pacificationis ab *Anglis* cum *Gallis* ſancitæ compulſus eſt à *Galliarum* Regno quàm citiſſimè excedere. *Avenione* primûm, mox in *Lotharingia* ſubſiſtens, *Philippi* Ducis *Aurelianenſis*, *Galliarum* tunc Rectoris, pertinaces Conatus expertus eſt infeſtos (*k*). *Romam* demùm migravit, ubi amplioribus Honoris, ac Benevolentiæ Argumentis à Summo Pontifice *Clemente* XI, quem in Vaticano actùtùm convenerat, tùm autem conſueto ſervato Ritu, à Cardinalibus, & univerſis Ordinibus cumulatur.

" Anno 1719 (*l*) Uxorem ſibi adſcivit *Mariam-Clementinam Sobieſki*, omni Præconio majorem, quæ pro Avo habuit paterno inſignem illum, & nunquam dignis Laudibus ſatis efferendum, *Poloniæ* Regem Sereniſſimum, *Joannem* hujus Nominis Tertium, Heroum ſui Sæculi ſine Controverſia celeberrimum, qui, ut obiter dicam, barbaras *Turcarum* Gentes, fatale *Viennæ* in *Auſtria* Excidium per Obſidionem, ad duos Menſes protractam, minitantes, non ſine evidenti totius *Germaniæ*, & univerſæ Chriſtianorum Reipublicæ Diſcrimine, rejecit, & profligavit, de illiſque maximam poſt Hominum Memoriam Victoriam reportavit, atque *Moldaviam*, & *Walachiam* ex antehàc indomiti Soldani Faucibus extorſit, liberavitque.

" Quod autem attinet ad hujus *Polonorum* Regis ex Filio Neptem, *Mariam-Clementinam*, ad quam impræſentiarùm flectit Oratio, vix immô ne vix quidem, præclaram illam Reginam, Prudentiâ ſuprà Sexum, Formâ præſtantiſſimam, præcellenti Virtutum omnium Cumulo dotatam, quiſpiam pro Meritis attollere poteſt. Quis namque Hominum dignè deprædicare valet ſeveram, ſibique conſtantem Vitæ Rationem, Matrimonio junctam, dum Carnem Orationibus, Jejunijs, Vigilijs, alijsque id Genus Afflictationibus mirificè ſubigeret, Spiritum autem jugi Euchariſticæ Communionis Uſu plenè reficiens? Quis enarrare poteſt ſecreta illa Pietatis, Charitatis, & Pænitentiæ Opera, quæ quotidiè, remotâ omnium Conſcientiâ, Cæloque duntaxât Teſte, exercebat, & de

---

(*b*) Tom. viii. Hiſt. Eccleſ. Colloq. i.

(*i*) Peſſimè profectò Heterodoxi haud pauci in ptis ſuis, atque Colloquis, inferre affectant, bo- m eſſe Religionem ſuam *Proteſtanticam*, utpotè e in Regnis adverſùs tot Catholicorum Conatus valentem. Enimverò idem de *Mahometica* ſua ietate dicere poterunt *Turcæ*, qui ipſammet *ram Sanctam*, Nativitate, Vitâ, Morte, & Miraculis Redemptoris conſecratam, haud obſtantibus tot Sæculorum Bellis, divinâ Permiſſione occupant. Ut nihil dicam de Rebellione *Cromwelliana*, in quâ legitimus Rex *Carolus* I, *Proteſtanticæ* Religionis Cultor, Carnificis Manu Capite plexus eſt.

(*k*) Verba ſunt Clariſſimi *Petri Pollidori*, de *Vita Clementis* xi, Lib. v. Num. xi. Pag. 340.

(*l*) Legeſis Cap. ix. §. xv. Num. iv.

“ & de Induſtria occultabat? Quis innumera, quæ Religioſæ Vitæ Cultoribus contulit Beneficia?
“ Quis miram ejus Humilitatem, quâ Sæculi Luxui, ac Vanitati perpetuum Bellum indicebat?
“ Quâ varijs Miſericordiæ Officijs dedita, Ægris in Noſocomijs miniſtrabat, Egenoſque omni Facultatum
“ Subſidio ſolabatur, Pauperum ſcilicèt, Pupillorum, & Viduarum Patrona munificentiſſima?
“ Quæ quidem licèt mira, & rara, vera tamen ſunt, & a me pluries viſa; atque utinam
“ propterea eſſet is Mentis meæ Captus, ea dicendi Vis, ut hanc nactus Occaſionem perfunctoriè
“ ſaltem ipſius egregia Merita delineare poſſem, ſed cùm tàm multis una Religioſiſſima Regina
“ abundaverit, ut in earum ſummis, innumeriſque Laudibus habeant eloquentiſſimi, ut liberrimè
“ poſſint veluti in patentibus Campis expatiari, ubi vel totos Facundiæ Nervos contendant, quid
“ ex omni Virtutum conſummatiſſimæ Dei Famulæ Acervo potiſſimùm deligam, non occurrit,
“ nam ſi quid ipſi ſpeciatim tribuam, videbor reliquæ Multitudinis Rationem non habuiſſe. Itàque
“ exploratâ diligenter Trutinâ, nihil magis placet, quàm felicem appellare illam, in quam
“ Natura, & Deus ſuorum Munerum Sinum effuderunt. Hoc duntaxat addidiſſe ſufficiat, nempè
“ magnam illam Reginam, Matronarum omnium, præſertim *Romæ*, ubi tot Annis degebat,
“ Exemplar, atque Virtutis Normam, ſummo in Pretio & Honore ob Sanctitatis Famam, aureis
“ Eccleſiæ Sæculis dignam, ab exteris per univerſum quà latè patet Orbem Regionibus, etiam
“ Hæterodoxis, habitam fuiſſe, ac poſt Mortem, (*m*), Urbi, & Orbi acerbam, atque Exequijs
“ poſt Hominum Memoriam ſumptuoſiſſimis parentatam, Miraculis, ut fertur, coruſcaſſe. Neque
“ prætermittere debeo, qui *Dominicanus* ſum, ipſam talem, ac tantum conſtanter retinuiſſe
“ ergà *Guſmanam* Religionem Affectum (*n*), ut, de ſpeciali ejus Juſſu, Venerabile Cadaver in Habitu
“ Ordinis, me vidente, ſepultum fuerit, magnifico poſtmodùm Mauſoleo marmoreo in Baſilica
“ Vaticana, ubi tumulatum fuit, erecto.

A Parte porrò anteriori in Baſilica ſequens eſt Inſcriptio:

MARIA CLEMENTINA,
Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ
REGINA.

A Parte verò poſteriori, è Regione Scalæ, quâ ad Summitatem aſcenditur Baſilicæ:

CORPUS MARIÆ CLEMENTINÆ,
MAGNÆ BRITANNIÆ REGINÆ,
XV. *Kal. Februarij* MDCCXXXV. *Ætatis ſuæ* XXXII, & *Menſ.* VI.
DEFUNCTÆ,
In hujus Baſilicæ Cryptis poſitum,
Hac Die XXII *Menſis Januarij* MDCCXLV
TRANSLATUM & RECONDITUM.

“ XV. Ex lectiſſima hac Conjuge ſua duos ſuſcepit *Jacobus* Filios, & imprimis Sereniſſimum *Carolum*
“ *Eduardum*, Die 31 Decembris 1720, novâ veluti Stellâ apparente, in Lucem editum, non tantùm
“ *Walliæ*, ſed & omnium Heroum, quotquot fuere ab *Alexandro Magno*, verè Principem, quem
“ Ingenij Maturitas cum abſoluta Prudentia, & acerrimo Judicio conjuncta, necnon ingens Animi
“ Fortitudo ad difficilia quæque aggredienda, ac infracti Pectoris Robur, atque ſumma in Rebus
“ bellicis Peritia, teſtantibus, & ſat ſuperque comprobantibus recentioribus, quibus perſonaliter
“ interfuit, Anno 1745, & 1746 in *Magna Britannia* Bellis, maximoperè illuſtrant. Ipſe enim cunctos
“ Majores ſuos includens, *Stuartorum* omnium, & *Sobieſkiorum* exprimit Epitomen, in quam
“ Natura Parens, Miraculi inſtar aliquid edere geſtiens, omnes omnium Gentilium ſuorum

“ congeſſit

(*m*) Pijſſimè obijt *Romæ* 18 Januarij 1735, ætatis ſuæ 33, Die verò Dominicâ 23 ejuſdem Menſis apud *S. Petrum* in *Vaticano* ſepulta, poſt numeroſiſſimam univerſi Cleri *Romani* tàm Sæcularis quàm Regularis Proceſſionem.

(*n*) Ejus etiam, ſicut & memorati *Jacobi* III Confeſſarius fuit P. Magiſter Fr. *Joannes Browne*, Glanorenſis, Ordinis Prædicatorum, qui obijt *Fani*, in Ducatu *Urbinatenſi*, Die 12 Septembris 1728. Eum probè novi *Romæ* in Edibus *Jacobi* degentem, de quo iterùm Cap. ſeq. Num. xiii, & Cap. ix. xiii, Num. v.

“ conceſſit Virtutes, ut quas in ſingulis admiramur ſingulas, in eo ſuſpiceremus, & veneraremur
“ univerſas. Ejus propterea Nomen Cedro dignum in Ore Famæ, omninmque Gentium Com-
“ mendatione verſatur, verſabiturque, nulla unquàm Vetuſtas obruet, nulla delebit Oblivio, ſed ad
“ ſeram uſque Poſteritatem tutò tranſmittetur, atque in perpetuas Æternitates manſurum immor-
“ tali Memoriæ conſecrabitur.

“ ALTER utriuſque Sereniſſimus Filius *Henricus Benedictus*. Dux *Eboracenſium*, Die 6 Martij
“ Anno Jubilæi 1725 natus, cunctis Virtutum Fulgoribus, cunctis Morum Ornamentis præclareſ-
“ cit. Innumeris ſiquidem Naturæ, quibus pollet, Dotibus, accedunt alia multò præſtantiora Dona,
“ ipſi cælitùs conceſſa, quæ omnium Amorem optimo Jure conciliant, Religionis videlicèt Catho-
“ licæ Zelus, Humilitatis Studium, Orationis Frequentia, Animus honeſtæ Laudis, ac veræ Gloriæ
“ incitatus Stimulis, Flos Integritatis nullis Vitiorum Maculis oblitus, ſapiens, ſibique ſemper con-
“ ſtans vivendi Ratio, in agendo Dexteritas, in loquendo Modeſtia, tàmque eximia Affabilitas, ut
“ totus ad benè de omnibus merendum natus eſſe videatur. Habeat igitur Sacroſancta Romana Ec-
“ cleſia immortales Gratias Sanctiſſimo Domino Noſtro *Benedicto* Papæ XIV, qui jam tunc procul-
“ dubio tàm benè ſenſit, quam qui unquàm optimè, quandò, quemadmodùm *Benedictus* XIII, Or-
“ dinis Prædicatorum luſtralibus Undis eum abluens, in Eccleſiæ Catholicæ Gremium recepit, ip-
“ ſeque ſuum *Benedicti* Nomen impertivit, ità laudatus Papa, qui eidem *Benedicto* XIII, ceù Crea-
“ tori ſuo, ut vocant, Sacram Purpuram debuerat, Die 3 Julij 1747 Sereniſſimum Ducem *Ebo-*
“ *racenſem*, Ætate quidem Juvenem, ſed Sapientiâ Senem, ſuperque Senes intelligentem, Apoſ-
“ tolico Cardinalium Collegio (non ſecùs ac *Clemens* XII, Papa proximè præteritus, Regium *Hiſ-*
“ *paniarum* Infantem *Ludovicum*) adſcripſit. Et ſanè haud facilè Dictu, an Regiæ ſuæ Celſitudini
“ ex Eminentiſſimo Senatu, anve potiùs Eminentiſſimo Senatui ex Regia Sua Celſitudine ampli-
“ us Honeſtamenti accedat, quæ etenim cæteros ornare ſolet Cardinalitia Dignitas, ipſe hanc Re-
“ gali Sanguine, & præclariſſimis Virtutibus ornat, atque in Splendoris Cumulum attollit.

“ DENIQUE utriuſque Sereniſſimæ Prolis Genitor, in Urbe ab octo jam Luſtris, & ultrà conti-
“ nuo fermè degens, ob tantum, tamque inexplicabilem in Eccleſia Dei Amorem, & Zelum, haud
“ unquam interiturum ſibi Nomem promeruit, quem ſingularis Pietas, præclara Charitatis Officia,
“ inſignis Prudentia, Fortitudo, Scientia militaris, Liberalitas, Magnificentia, inexpugnabilis To-
“ lerantia, infracta Conſtantia, æqui rectique tenax Integritas, Amor ergà Pauperes, ac reliquæ ip-
“ ſius Virtutes, cunctos in ſui Venerationem, & Obſervantiam rapientes, immortali eum Gloriâ
“ ornant decorantque; atque inter alia, ſumma Mentis Devotio ergá auguſtiſſimum Euchariſtiæ
“ Sacramentum, quo non ſolùm cebrò ſanctè reficitur, verùm, & Horis matutinis promeridianiſque,
“ bis ſcilicet in Die ad Eccleſias Urbis, pro illius Expoſitione Quadraginta Octo Horarum Spatio
“ per integrum Anni Circulum (ad inſtar Laudis divinæ, quam *perennem* vocant) ſtatutas, accedere
“ nunquàm prætermittit, ibique Sacroſanctam Hoſtiam Oratione fervidâ, ac protractâ genuflexus
“ adorat cum maximo Fidelis Populi Ædificatione, qui proindè, uno Verbo, Urbis, & Urbis Ex-
“ emplar, ac Sanctimoniæ Speculum, omnium Sæculorum Memoriâ dignum, Jure meritò dici poterit.

“ XVI. Cæterùm *Maria*, ſuperiùs recenſita (*o*), quæ cum Viro ſuo, Principe *Arauſicano*, poſt
“ *Jacobi* II Genitoris ſui Exilium acclamata fuerat *Magnæ Britaniæ*, *Hiberniæque* Regina, obijt
“ abſque Prole Die 28 Decembris Anno 1694, Ætatis ſuæ 33. Ipſe verò Princeps *Arauſicanus*,
“ dictus *Gulielmus* III, deceſſit è Vita Die 8 Martij Anno 1702, Ætatis ſuæ 52. Eo mortuo *Angli*
“ in Regio collocarunt Throno *Annam*, alteram *Jacobi* II Filiam Acatholicam, *Georgij* Principis
“ *Daniæ* Conjugem, quæ abſque Prole vivente (*p*) defuncta eſt Die 1. Auguſti 1714, Ætatis
ſuæ 50.

(o) Num. v. hujus Capitis, Pag. 139.

(p) *Anna* Filium habuerat Nomine *Gulielmum*, Ducem *Glovernenſem* (vulgò *Gloceſter*, ſeu, ut pronunciatur *Gloſter*) Die 28 Junij Anno 1700, Ætatis ſuæ xi. defunctum, qui ſi ſuæ ſupervixiſſet Genitrici, *Magnæ Britaniæ Hibernæque* Rex acclamatus eſſet, non verò Dux *Hanoveranus*, de quo protinùs erit Sermo.

“ Post Reginæ *Annæ* Obitum nova in Tribus *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Regnis facta eſt
“ Rerum Converſio. Comitia quippé Generalia ſub Principe *Arauſicano*, dicto *Gulielmo* III, Ca-
“ tholicos quoſcunque Principes à Regio Sceptro excluſos penitûs declararunt, Juſque propterea
“ regnandi contulerunt in extraneum, *Georgium* nempè Ducem *Hanoveranum (q)*, ut pote inter
“ Principes Acatholicos *Stuartis* Conſanguinitate proximorem. Avia namque ipſius, Nomine *So-*
“ *phia*, Filia erat *Frederici* V, Electoris *Palatini*, Regiſque *Bohemiæ*, ex *Elizabetha*, *Caroli* Primi
“ Regis Sorore.

“ Ast Quinquaginta, & ultrà, ſunt Principes Catholici Utriuſque Sexus (*r*) Jure proximioris
“ Sanguinis *Stuartorum* gaudentes, quos accuratiſſima, quam præ Manibus teneo, Arbor Genea-
“ logica laudatæ Proſapiæ diſtinctè exhibet. Horum Agmen ducit Sereniſſimus *Carolus-Emanuel*,
“ Rex *Sardiniæ*, Duxque *Subaudiæ*, cujus Avia erat *Henrietta-Maria*, memorati Regis *Caroli* I.
“ Filia, atque *Caroli* II, & *Jacobi* II Soror, *Philippi* primùm *Andegavenſis* tum *Aurelianenſis*
“ Ducis Uxor. Hunc, atque Sobolem ejus, ſequuntur Proximitate Sanguinis *Stuartorum* mo-
“ derni Reges *Ludovicus* XV Chriſtianiſſimus *Galliarum*, & *Ferdinandus* VI Catholicus *Hiſpani-*
“ *arum*, ut potè ejuſdem Regis *Sardiniæ* ex Sororibus *Mariâ-Adelaidâ* & *Mariâ-Louisâ* Nepotes.
“ *Hanoveranos* Principes eodem etiam Sanguinis Jure antecedit Auguſtiſſimus *Franciſcus-Stepha-*
“ *nus*, olim Dux *Lotharingiæ*, nunc *Romanorum* Imperator electus, atque Magnus Dux *Etru-*
“ *riæ*, rectâ ſiquidem Lineâ deſcendit à *Carolo-Ludovico*, Comite Palatino *Rheni*, qui prælibatæ
“ *Sophiæ* Frater erat, eique propterea Succeſſionis Jure præferendus.

Georgius itaque Dux *Hanoveranus* acclamatus fuit *Magnæ-Britaniæ*, & *Hiberniæ* Rex, Anno 1714, obijtque Die 21 Junij 1727, Ætatis ſuæ 67. Huic in Throno Filius ſucceſſit ejus *Georgius* II ad Diem uſque 25 Octobris 1760, quo ſubitaneâ Morte interijt Ætatis 77. Huic denique in Throno ſuccedit ipſius ex Filio *Frederico* Nepos, dictus *Georgius* III. (*s*)

XVII. Antequan longiuſculæ huic Digreſſioni Finem imponam, non Abs Re, ſed Operæ Pretium erit, pro ejuſdem Coronide, in Medium afferre Articulos Civiles, & Militares, in Deditione *Limericenſis* Arcis Sermone *Anglicano* concluſos, qui, etſi Jurejurando firmati, ſummâ Perfidiâ abrogati ſunt, ut nuper ajebam (*t*), utque ex poſtmodum dicendis (*u*) uberiùs conſtabit.

“ Articuli Civiles, & Militares Civitatis *Limerici (w)*, Die 3 Octobris 1691 concluſi, inter *Carolum*
“ *Porter*, Equitem Auratum, & *Thomam Coningsby*, Armigerum, Dominos Juſtitiarios *(x) Hiberniæ*, &
“ Excellentiam Suam Baronem *de Ginckle*, (*y*), Exercitûs *Anglicani* Supremum Generalem, ex una
“ Parte: Et verè Honorabiles *Patritium (z)* Comitem *de Lucan*, *Pierium* (*a*) Vicecomitem de *Galmoy*,
“ Colonellum *Nicolaum Purcell*, Colonellum *Nicolaum Cuſack*, Equitem *Tobiam Butler*, Colonellum
“ *Gerardum Dillon*, Colonellum *Joannem Brown*, & ſuas Excellentias *de Uſſoon*, & *De Teſsè*, Exercitûs
“ *Hibernici* Supremos Generales, ex altera Parte, unà cum eorundem Articulorum Ratificatione à Suis
“ Majeſtatibus *Gulielmo* Rege, & *Mariâ* Reginâ, ſub Magno *Angliæ* Sigillo.

“ GULIELMUS

(*q*) *Hanovera* Civitas eſt Ducatûs *Brunopolitani*, vulgò *Brunſwick*, in *Germania*. Etſi porrò, ut obiter dicam, neque *Brunopolitana* Urbs, neque vel una Ducatûs ejuſdem Nominis Medietas, *Hanoverano* Principi ſubſint, Titulo tamen potitur Ducis *Brunopolis*. Dux item eſt *Luneburgi*, vulgò *Luneburgh*, qui Ducatus, in eadem ſitus *Germaniæ* Parte, Anno 1705 *Hanoveranæ* Domui acceſſit Jure *Sophiæ-Dorotheæ*, memorati *Georgij* Ducis *Hanoverani* Uxoris, unicæque *Georgij Gulielmi* ultimi Ducis *Luneburgi* Prolis, atque Hæredis. Confer Cap ſeq Num. viii. ad Lit. f.

(*r*) Lex *Saliqua*, Fœminas à Corona excludens, in Regis *Britannicis* non viget, ut Cap. i. Num. xxi. Lit. g. Pag. 30 ajebam.

(*s*) Adeas *Graveſonum*, laudatum Num. xiii. hujus Capitis, Pag. 145.

(*t*) Num. xii. hujus Capitis, Pag. 144.

(*u*) Cap. ſeq. à Num. ii. & Cap. xvii. á Num. cxii.

(*w*) Videſis, Cap. ix. §. v. Num. i.

(*x*) Id eſt, Proreges.

(*y*) Hic creatus fuit Comes de *Athlone*, & Baro de *Aughrim*, Die 4 Martij 1622.

(*z*) Cognomine *Sarsfield*.

(*a*) Cognomine *Butler*.

“ GULIELMUS, & MARIA, Dei Gratiâ *Angliæ*, *Scotiæ*, *Fronciæ*, (*b*) & *Hiberniæ* Rex, & Regina, Fidei Defenſores &c. Omnibus, ad quos præſentes Literæ noſtræ pervenerint, Salutem. Inſpeximus Irrotulamentum quarundam Literarum Patentium de Confirmatione gener. Dat. apud *Weſtmonaſterium* Vicemo Quarto Die Februarij ultimi præteriti, in Cancellaria noſtra Irrotulatas, ac ibidem de Recordo remanentes, in hæc Verba:

“ GULIELMUS, & MARIA, Dei Gratia &c Omnibus, ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem. Quandoquidem quidam Articuli, dati Die Tertio Octobris ultimi præteriti, & concluſi inter noſtros Juſtitiarios Regni noſtri *Hiberniæ*, & noſtrum Generalem noſtri ibidem Exercitûs ex una Parte, & plures Officiales ibi intrà Civitatem *Limericenſem* in dicto noſtro Regno Gubernantes, ex altera Parte, quibus noſtri dicti Juſtitiarij, & Generalis ſe obligaverunt, quod Nos eoſdem Articulos infrà Spatium Octo Menſium, vel citiùs, ratificaremus, & etiam quod totis ſuis Viribus conarentur, ut ijdem Articuli in Parlamento ratificarentur, & confirmarentur. Tenor autem eorum Articulorum eſt ut ſequitur.

“ Ratione Deditionis Civitatis *Limerici*, & aliorum Pactorum inter dictum Locum-Tenentem-Generalem *Ginckle*, Civitatis *Limerici* Gubernatorem, & Exercitûs *Hibernici* Generales initorum, & datorum eodem Die quo Præſentes pro Datione dictæ Civitatis, & Submiſſione dicti Exercitus, concluditur quod,

ARTICULUS I.

“ *Romano-Catholici* hujus Regni in Exercitio ſuæ Religionis fruentur talibus Privilegijs, quæ Legibus *Hiberniæ* non repugnant, vel qualibus fruebantur Rege *Carolo* Secundo regnante: Et Suæ Majeſtates, cùm primùm ſua Negotia eis permiſerint Parlamentum convocare, dictis *Romano-Catholicis* talem ulteriorem Securitatem in eo particulari procurare conabuntur, quæ eoſdem AB ULLA MOLESTIA OB DICTAM RELIGIONEM SERVARE POTERIT.

ARTICULUS II.

“ Omnes Incolæ, vel commorantes *Limerici*, vel ullius alterius Præſidij nunc in Poſſeſſione *Hibernorum*, & omnes Officiales, & Milites nunc militantes ſub ulla Commiſſione Regis *Jacobi*, aut illorum, qui ad eam concedendam ab illo Auctoritatem habent in Comitatibus *Limericenſi*, *Clarenſi*, *Kerrienſi*, *Corcagienſi*, & *Mayonenſi*, (c) vel in ullo ex ipſis, & omnes Officiales Commiſſionem in Suarum Majeſtatum Statibus, qui pertinent ad *Hibernorum* Legiones, nunc exiſtentes, quibuſcum tractatur, & qui non ſunt Captivi bellici, vel qui Protectionem acceptaverunt, & qui redibunt, & Suarum Majeſtatum Obedientiæ ſe ſubmittent, ET OMNES, & SINGULI EORUM HÆREDES tenebunt, poſſidebunt, & potientur omnibus, & ſingulis eorum Terris, Feudis, Hæreditatibus, Juribus, Titulis, Poſſeſſionibus, Privilegijs, & Immunitatibus, quæ ipſi, & eorum omnes, vel ſinguli tenebant, & potiebantur, vel quibus juſtè, & de Jure erant intitulati, Rege *Carolo* Secundo regnante, vel ullo exinde tempore, juxtà Leges & Statuta, quæ eodem *Carolo* Secundo Regnante, fuerunt in Vigore, & de Mandato Gubernij mittentur in Poſſeſſionem eorum, quæ ſunt in Manibus Regis, vel in Manibus Feudatariorum ejus, abſque ulla Lite, aut Moleſtia: Et omnes tales Terræ erunt liberæ, & exonoratæ omni Vectigali regio, & alijs Oneribus publicis, contractis, & debitis â Feſto S. Michaëlis 1688 uſque ad Diem, quo hi dati ſunt. Et omnes Perſonæ, in hoc Articulo comprehenſæ, habebunt, tenebunt, & potientur omnibus ſuis Bonis, & Rebus, realibus, & perſonalibus, ad ipſas, vel ad ullam earum pertinentibus, vel remanentibus, vel in proprijs earum Manibus, vel in Manibus cujuſcunquè Perſonæ per Modum Fidei-commiſſi, vel pro Uſu earum, vel ullius ex ipſis: ET OMNES, & SINGULÆ PRÆDICTÆ PERSONÆ CUJUSCUMQUE PROFESSIONIS, ARTIS, AUT VOCATIONIS SINT, poterunt uti, exercere, & verſari in ſuis reſpectivè Profeſſionibus, Artibus, & Vocationibus, æquè liberè ac in ijs verſabantur, eas exercebant, & ijs fruebantur ſub Regno *Caroli* Secundi Regis. Salvo tamen, quod nihil in hoc Articulo contentum intelligatur extendi ad reſtaurandam ullam Perſonam exlegem, nunc extrà hoc Reg-

---

(*b*) Anno 1420 *Henricus* V, Anglorum Rex, Gallis *Avincurtio* Prælio ſuperatis, occupatâ *Normanniâ*, alijſque Provincijs, Regem *Carolum* VI, & Regnum *Galliæ*, in Poteſtatem accepit, Regnique Hæres, & Rector renunciatus eſt. Exindeque Reges *Angliæ* in Diplomatibus ſuis atque Nummis *Reges Franciæ* ſe inſcribunt, licèt *Carolus* VII, alterius *Caroli* Filius, *Galliarum* Regnum recuperaverit Auxilio maximè Virginis Annorum non amplius Octodecim, *Joannæ* inquam *Darciæ*, Puellæ *Aurelianenſis*, vulgò Gallicè dictæ *La Pucelle d'Orleans*, quæ, veluti altera *Debora*, *Gallorum* Animos erexit, *Anglos* profligavit, Regem Remque *Francicam* reſtituit. De ea plura videre poteris apud *Natalem Alexandrum*, in Hiſt. Eccleſ. Sæc. xv, & xvi, Part. ii. Cap. vi. Art. ii; & *Graveſonum*, Tom. vi. Hiſt. Eccleſ. Colloq. i. Confer Cap. xvii. Num. x. Lit. a.

(*c*) Legeſis Syllabum diſtinctè exhibentem *Hiberniæ* Provincias, earumque Comitatus, Cap. i. Num. xi. Pag. 15.

num conſtitutam, exceptis hiſce poſthàc comprehendendis. Salvo etiam, quod nulla Perſona quæcunque habeat, aut gaudeat hujus Articuli Beneficio, quæ negliget, aut recuſabit præſtare Juramentum *Allegianciæ* (i. e. Fidelitatis) à Parlamento in *Anglia* conditum Anno primo Regni Regis, & Reginæ, jam regnantium, cùm ab ipſis exigi contigerit.

“ Juramentum autem Fidelitatis, aut Allegianciæ, per hunc Articulum exigendum, tale eſt:

“ *Ego A. B. ſincere promitto, & juro, quòd fidelis ero, & veram Allegianciam præſtabo Regi* Gulielmo, & *Reginæ* Mariæ. (adeas Cap. xvii. Num. cxx.)

ARTICULUS III.

“ Omnes Mercatores, vel reputati Mercatores Civitatis *Limerici*, vel ullius ulterius Præſidij, nunc ab *Hibernis* poſſeſſi, vel ullius Oppidi, aut Loci in Comitatibus *Clarenſi*, vel *Kerrienſi*, qui in Partibus tranſmarinis abſunt, & non militarunt à Publicatione Declarationis Suarum Majeſtatum Menſe Februarij 1688 (*d*), hujus ſecundi Articuli Beneficio gaudebunt eodem Modo, ac ſi præſentes adfuiſſent, dummodò tamen tales Mercatores, & reputati Mercatores, intrà Spatium Octo Menſium à Die Datæ Præſentium ad hoc Regnum revertantur.

ARTICULUS IV.

“ Sequentes Officiales nempè Colonellus *Simon Lutterell*, Captianeus *Rolandus White*, *Maurtitus Euſtace* de *Yeomanſtown*, *Cheevers* de *Mayſtown*, vulgò *Mount-Leinſter* (*e*), nunc ſpectantes ad Legiones in ſupradictis Præſidijs, & Stationibus Exercitùs *Hibernici*, qui in Partibus tranſmarinis ſunt, & eò miſſi ob Negotia, ad ſuas Legiones, vel ad totum Exercitum ſpectantia, Secundi Articuli Beneficio fruentur, modò hùc intrà Spatium Novem Menſium à Die Datæ Præſentium redeant, ſeque Suarum Majeſtatum Legibus ſubjiciant, dictumque Juramentum præſtent.

“ ARTICULUS V.

“ Quod omnes, & Singulæ prædictæ Perſonæ, ſecundo, & tertio Articulis comprehenſæ, accipent Condonationem Generalem omnium Convictionum, Proſcriptionum, Proditionum, Proditionis deferendæ Neglectum, Confiſcationum, Furtorum, Tranſgreſſionum, & aliorum Criminum, & Malefactorum quorumcunque, ab illis, vel à quavis illarum ab Initio Regni Regis *Jacobi* Secundi commiſſorum, & ſi qua illarum à Parlamento ſit proſcripta, Domini Juſtitiarij, & Generalis, totis Viribus conabuntur, ut ejuſmodi Proſcriptio abrogetur, reſcindaturque a proximo Parlamento gratis, Scribarum Salario excepto.

“ ARTICULUS VI.

“ Et cùm ad præſens, Bellum magnas utrique Parti concitarit Violentias, &, ſi privatas Lites qualeſcumque intentare liceret, Invidiæ, quæ diutiùs duraverunt, continuarentur, publicæque protraherentur Diſcordiæ: Idcircò ad pacandas, componendaſque Res Regni, atque Calamitates, alioquin ſecuturas, declinandas, nulla Perſona, aut Perſonæ quæcunque, præcedentibus Articulis comprehenſæ, in Jus trahentur, moleſtabuntur, aut in Jus ullius Partis, aut Partium Poſtulatione vocabuntur, ob ullam Tranſgreſſionem, ab illis commiſſam, vel ob ulla Arma, Equos, Pecuniam, Bona, Res, Merces, aut Proviſiones quaſcunque, ab illis durante Bello capta, aut occupata: Et nulla Perſona, aut Perſonæ quæcunque, ſecundo, & tertio Articulis comprehenſæ, in Jus rapientur, aut reæ agentur, aut Rationem reddere tenebuntur ullius Reditûs, aut Proventûs cujuſvis Terræ, Fundi, aut Domorum, ab ipſa, aut ipſis receptorum, aut poſſeſſorum in hoc Regno ab Initio præſentis Belli ad Diem Datæ horum Articulorum, neque ullius Devaſtationis, aut Tranſgreſſionis, ab illa, aut illis commiſſarum: Inſuperque concluditur, quod Articulus hic utrique Parti mutuus ſit, & reciprocus.

ARTICULUS VII.

“ Omnes Nobiles, & Gentil-Homines, prædictis ſecundo, & tertio Articulis comprehenſi, habebunt Libertatem equitandi, cum Gladio, & Pari Scloppetulorum, ſi ipſis viſum fuerit, & habendi Scloppetum in Ædibus ſuis pro Defenſione earundem, vel pro Venatione.

“ ARTI

(*d*) Stylo novo, 1689, Recole nuper dicta Num. iii. hujus Capitis, ad Lit. f. Pag. 138.

(*e*) *Cheevers* iſte, Nomine *Eduardus*, creatus fuit ab eodem *Jacobo* Rege Vicecomes de *Mount-Leinſter*, Intuitu Uxoris ſuæ, *Annæ Sarsfield*, Sororis nuper laudati Comitis de *Lucan*, itâ ut eâ ſine Filio mortuâ honorarius Titulus extingueretur, prout reapſe contigit.

ARTICULUS VIII.

“ Omnibus Incolis, Commorantibuſque *Limerici*, aut in alijs Præſidijs, licebit amovere inde ſua Bona, Res, & Proviſiones ſine inſpectione, Scrutatione, aut Vectigalium Solutione: Nec ex Ædibus ſuis, aut Hoſpitijs, quæ nunc occupant, diſcedere cogentur, quoad Sex Hebdomadæ à Die Datæ Præſentium effluxerint.

“ ARTICULUS IX.

“ Juramentum, à *Romano-Catholicis*, qui ſeſe Suarum Majeſtatum Gubernio ſubjecerint, exigendum, erit Juramentum præmemoratum, ET NON ALIUD.

“ ARTICULUS X.

“ Nulla Perſona, aut Perſonæ, ullo Tempore poſtmodum hos Articulos, vel illorum quemvis violantes, Cauſa erunt, cur Ulli alteri Perſonæ, aut Perſonis, illorum Beneficium adimatur.

“ ARTICULUS XI.

“ Domini Juſtitiarij, & Generalis, pollicentur ſeſe pro virili laboraturos, ut omnes, ſupradictis Articulis comprehenſi, protegantur, tutique præſtentur ab omni Tractione in Jus, Executione pro Debitis, aut Injuriâ, per Spatium Octo Menſium à Die Datæ Præſentium.

“ ARTICULUS XII.

“ Domini Juſtitiarij, & Generalis, ſpondent, Majeſtates Suas Articulos præſentes intrà Spatium Octo abhinc Menſium, vel citùs, ratificaturos eſſe, Operamque daturas, ut ijdem à Parlamento ratificentur, & confirmentur.

“ ARTICULUS XIII.

“ Denique quandoquidem Colonellus *Joannes Browne* (*f*) fuerit in Ære multorum *Proteſtantium*; Judicijs in Tabulàs relatis, quod cùm nupero Gubernio conſtaret, Dynaſtæ *Tyrconnell*, & *Lucan* (*g*) abſtulerunt *Joanni Browne* præfato Bona, quæ ſolvendis Debitis aſſervabat, quibus ſeſe illum exoneraturos eſſe polliciti ſunt, quæ Bona ad communem Hibernorum, eorumque Exercitûs Uſum adhibita ſunt, hinc tùm ad eximendum Dynaſtam *Lucan* à dicta Fidejuſſione, illorum Cauſâ communi contractâ, tùm etiam ad ſatisfaciendum dictis Proteſtantibus, obviamque Exitio præfati *Joannis Browne* eundum, ſatiſque Creditoribus ejus ſatisfaciendum, ad prælibati Dynaſtæ *Lucan*, aliorumque ſupradictorum Inſtantiam, inter Nos convenit, ut præmemorati Domini Juſtitiarij, & Baro de *Ginckle*, ſuâ utantur apud Regem, & Parlamentum Gratiâ, ut Bona immobilia, Articulis, & Tractatu *Romano-Catholicis* conſervata, onerentur, tantùmque afficiantur dictorum Debitorum Solutione, quantùm dicta Bona, præfato *Joanni Browne* ablata, valebant, juxtà Literas Certificatorias, quas Manu ſuâ ſubſcriptas dabit idem Dynaſta *Lucan*, factâ Ratione cum dicto *Joanne Browne*; quæ Ratio componetur, cujuſque Differentiam dictus Dynaſta *Lucan*, intrà Viginti Dies & unum à Die Datæ Præſentium, teſtabitur. Ad veram horum Articulorum Peractionem proprijs Manibus ſubſcripſimus

“ *Præſentes*	“ *Car. Porter.*
“ *Scravemore.*	“ *Tho. Coningſby.*
“ *H. Maccay.*	“ *Baro De Ginckle.*
“ *T. Talmaſh.*	

“ Et cum dicta Urbs *Limericenſis* Nobis conſequenter ad præfatos Articulus dedita fuerit, *ſit Vobis notum*, Nos, perpenſis dictis Articulis, benignè his declarare, quod Nos pro NOBISMETIPSIS, HÆREDIBUS, & SUCCESSORIBUS NOSTRIS, quantùm in NOBIS EST, RATIFICAMUS, & CONFIRMAMUS EOSDEM, & illorum unamquamque Clauſulam, omniaque in illis contenta. Quod autem ad tales illorum Partes attinet, quarum Ratificatio Decretum Parlamenti exiget, earum Confir-

“ mationem

(*f*) Caput Familiæ de *Weſtport* in *Mayonenſi* Agro *Conaciæ*, Filius ſecundogenitus Equitis *Joannis Browne*, Baronetti *Novæ Scotiæ*, de quo Cap. ii Num. x. Lit. b. RecoleCap. i. Num. vi. Lit. t. Pag. 9, & Cap. ii. Num. x. Lit. b, Pag 41, ubi videbis hujus *Joannis* ex Filio *Valentino* Nepotem *Joannem*, creatum fuiſſe Baronem de *Mount-Eagle*, i. e *Montis Aquilæ*, Anno 1760.

(*g*) Nempe *Richardus Talbot*, Dux de *Tyrconnell*; & *Patritius Sarſfield*, Comes de *Lucan*.

“ mationem Peractionemque Parlamento commendabimus, Regioque noſtro Aſſenſu omne deſuper Decretum,
“ aut Decreta utriuſque Parlamentarij Conventûs comprobabimus (b). Cumque Nobis conſtet,
“ concluſum fuiſſe inter utramque dictorum Articulorum Partem, quod poſt Verba: *Limericenſi*, *Clarenſi*,
“ *Kerrienſi*. *Corcagienſi*, *Mayonenſi*, *vel in ullo ex ipſis* in ſecundo Articulo, Verba ſequentia,
“ nempe: *Omneſque illi, qui ſunt ſub illorum in dictis Comitatibus Tutela*, inſerenda eſſent, Parſque
“ dictorum Articulorum eſſe deberent, quorum Verborum, Caſu à Scriba omiſſorum, non eſt obſervata
“ Omiſſio, niſi poſt Articulorum horum Subſcriptionem, animadverſa tamen eſt antè ſecundæ Urbis (i)
“ Deditionem: Et quemadmodum dicti noſtri Juſtitiarij, Generaliſque, vel illorum alteruter, promiſerint
“ præfatam Clauſulam perfectum iri juxtà Senſum Mentemque Tractatûs, & inſerta fuit rudi ejuſdem
“ Exemplari: Ulterior noſtra Voluntas, & Beneplacitum eſt, & hiſce ratificamus, & confirmamus
“ prædicta omiſſa Verba, nempe: *Omneſque illi, qui ſub illorum in dictis Comitatibus Tutela ſunt*;
“ hiſce PRO NOBIS, NOSTRIS HÆREDIBUS, & SUCCESSORIBUS, jubentes, declaranteſque
“ unamquamque Perſonam, & Perſonas illis comprehenſas, HABITURAS ESSE. & POSSE HABERE
“ ILLORUM BENEFICIUM, EOQUE FRUI tali, & eodem Modo, ac ſi Verba recenſita proprio
“ Loco inſerta fuiſſent in ſecundo Articulo, nullâ Omiſſione, Defectu, aut Errore, in dicto ſecundo Articulo
“ obſtantibus, dummodò ſemper, prout Voluntas noſtra, & Beneplacitum eſt, ut hæ Literæ noſtræ
“ Patentes in Cancellaria noſtræ Actæ referantur in dicto noſtro *Hiberniæ* Regno intrà Spatium unius Anni
“ proximè ſequentis. In Fidem &c Teſtibus Nobiſmetipſis apud *Weſtmonaſterium*, Die Viceſimo
“ Quarto Februarij, Anno Regni Regis, & Reginæ, *Gulielmi*, & *Mariæ* Quarto, per Breve de privato
“ Sigillo.

“ Nos autem Tenorem præmiſſorum prædictorum ad Requiſitionem Attornati Generalis Domini Regis,
“ & Dominæ Reginæ, pro Regno *Hiberniæ* duximus exemplificandum per Præſentes. In cujus Regi Teſtimonium
“ has Literas noſtras fieri fecimus Patentes: Teſtibus Nobis ipſis apud *Weſtmonaſterium* Quinto
“ Die Aprilis, Anno Regni eorum Quarto (1692) “ BRIDGES.

“ Examinatum “ per Nos	*S. Keck* *Lacon Wm. Childe*	In Cancellaria Magiſtros.

CAPUT OCTAVUM.

Proſecutio Materiei Capitis penultimi, Ab Anno ſcilicet 1694 ad 1759.

SUMMARIUM.

I. *In Comitijs Generalibus* Romæ 1694 *nonnulla pro Provincia* Hiberniæ *ſancita.*

II. *Anno* 1698 *Antiſtites, Dignitarij, & Regulares omnes ex* Hibernia *pulſi fuere, ſub Pœna Mortis non reverſuri. Parochi tamen manere permittebantur tunc, ſed de Anno* 1703 *regiſtrandi erant, alioquin tanquam Regulares reputandi.*

III. *Quæ in Comitijs Generalibus* Bononienſibus *Anni* 1706 *ſancita ſunt pro Provincia* Hiberniæ, *recenſentur.*

IV. *De Anno* 1709 *à Parochis, ut ſuprà regiſtratis, exigebatur Juſjurandum iniquum, quod ex* 1080 *ſoli* 33 *jurarunt. Nullum exinde Sacerdotes Sæculares inter & Regulares adeſt Diſcrimen in Facie Gubernij Acatholici. Redeuntibus Epiſcopis, atque Miſſionarijs, Præmia pro ijs capiendis, & in Judicio convincendis ſtatuta. Plures eorum comprehenſi, in Carceres truſi, & ultrà Mare tranſmiſſi.*

V. Joannes *V,* Luſitaniæ *Rex, Catholicos* Hiberniæ *juvat. Eum propterea ſummoperè laudat* Clemens *Papa XI ſpeciali Diplomate.*

VI. Petrus Pollidorus *in* Vita Clementis *XI eleganter, nec minùs clarè, atque diſtinctè, ſingula exhibet Parlamentaria Decreta Anni* 1703, *quorum tamen nonnulla ex Reginæ* Annæ *Benignitate in Leges tunc non tranſierunt, etſi poſtea tranſiverint.*

VII. Janſenianis, *Orthodoxæ* Hiberniæ *nocere conantibus, occurrit* Clemens *XI. Aliquot ipſorum Libri, ex* ex Gallico in Anglicum *Idioma verſi, Jure merito proſcripti. Verba quædam Conſtitutionis* = Unigenitus = *appoſite in Medium adducta.*

(b) Prædicti Articuli reapsè confirmati fuere Anno 1696 per Decreta Parlamentaria, quæ legere eſt in Summario Actorum Parlamenti, Verbo *Limerick*.

(i) *Limericum* ex geminata coaleſcit Urbe, ſeu *Oppido*, ut Cap. ix. §. v. Num. i. explicabitur.

VIII. *Vehementiores, atque frequentiores eſſent Perſecutiones in Clerum niſi ob ſummam, quâ laborat* Sacerdotis Captor, *Infamiam. Etſi ſub Initium Sæculi hujus xviii Perſecutiones exarſerint, ſub* Hannoverano *tamen Principe miteſcebant. Inde* Hiberniæ Dominicanæ *permiſſum eſt Capitula celebrare Provincialia. Nota de legali Toleratione Catholicorum apud* Hannoveranos.

IX. *Quæ in Comitijs Generalibus* Romanis *Anni* 1721 *pro* Hiberniæ *Provincia ſancita ſunt, tranſcribuntur.*

X. *Anno* 1712 Hibernia Dominicana *ſuum elegit Provincialem. Exindè ad præſens uſque Provinciales eliguntur, & quidem ſemper* Dublinij *urgentiſſimis de Cauſis.*

XI. *Nonnulla obiter de* Benedicto *XIII, Ordinis Prædicatorum Alumno, munificentiſſimo* Hibernorum *Benefactore.*

XII. *Hic Magiſtrum Ordinis,* Auguſtinum *nempe* Pipia, *Pileo Cardinalitio, Tituloque* S. Sixti *donavit. Fragmenta Adlocutionis Summi Pontificis laudati in Conſiſtorio. Utriuſque obiter recenſetur Obitus.*

XIII. *Cardinalis* Pipia *Clavum Ordinis moderatur ad proximum uſque Capitulum Generale* Bononienſe 1725, *Magiſtri* Ripoll *electivum. In eo nonnulla Provinciæ* Hiberniæ *conceſſa.*

XIV. *Exſcribitur Decretum S. Congregationis* Indicis, *damnans, & prohibens Librum ſub ficto* Philalethis *Nomine, Anglice vulgatum, Infallibilitatem Romani Pontificis, pluraque Regularium Privilegia, impugnantem. Nonnihil in Nota de Officijs Secretarij laudatæ S. Congregationis, Magiſtri Sacri Palatij, & Commiſſarij Generalis Sacræ Inquiſitionis, ad* Dominicanam *Familiam ſpectantibus, alibi uberius memoratis.*

XV. *Analyſis memorati* Philalethis *Opuſculi contrà P. Magiſtri* Edmundi de Burgo, *Ordinis Prædicatorum, Apoſtolici in* Hibernia *Miſſionarij, Librum editi.*

XVI, XVII, & XVIII. *Adſtruitur Infallibilitas Romani Pontificis* ex Cathedra *loquentis.*

XIX. *Præcepto Confeſſionis* Annuæ *ſatisfit deponendo Peccata apùd Regulares.*

XX. *Eadem de Re. Oſtenditur obiter in Nota, Sacram Communionem fieri poſſe in Eccleſiis Regularium Die* Reſurrectionis Dominicæ, *non quidem* impletivam *Præcepti, ſed* ex Devotione. *Ibidem exſcribitur Diploma Pauli Papæ V, Anno* 1607, *de* Communione Paſchali *apud* Hibernos *ſumendâ à Die-Cinerum uſque ad Aſcenſionem Domini,* dummodo tamen neceſſe fiat, ut circà Paſchatis Tempus ſumi non poſſit.

XXI. *Præceptum audiendi Miſſam Diebus Dominicis, & Feſtivis, adimpleri poteſt in Eccleſijs Regularium. Nonnihil obiter de Confeſſione* annua *ex* Clemente *VIII.*

XXII. *Regulares Confeſſionibus excipiendis, & Animarum Converſionibus deſtinari oſtendit antiqua Eccleſiæ Praxis. In Regularium Hoſtes animadvertit* S. Bonifacius *IV in Concilio* Romano. *Nonnulla Regularium Elogia. Privilegijs ſuis Nuncium remittere non valent.*

XXIII. *Acerba ſæviebat in Clerum, tàm Sæcularem, quàm Regularem, Perſecutio Anno* 1744, *ſed exinde nulla ampliùs generalis fuit.*

XXIV. *Referuntur conceſſa Provinciæ* Hiberniæ *in Generalibus* Bononiæ *Comitijs, Anno* 1748.

XXV. *Facultas erigendi Confraternitatem SS. Nominis JESU Epiſcopis* Hiberniæ *à* Benedicto *XIV conceſſa Anno* 1748, *ſed ab eodem ſtatim revocata, ſeù moderata. Afferuntur poſteriores Literæ* Benedictinæ.

XXVI. *Literæ iſtæ Apoſtolicæ Decreto S. Congregationis* Tridentini *Interpretis, in conſimili Caſu emanato, conformes. Exemplar hujus Decreti.*

XXVII. *Anno* 1751, *Decreta quædam emanata a S. Congregatione* de Propaganda Fide *pro Cleri Regulari in* Hibernia.

XXIX. *Alia pro Cleri Sæculari ibidem.*

XXIX. *Libellus Supplex Prioris Provincialis* Hiberniæ Dominicanæ *pro priorum Decretorum Revocatione. Nota de hibernica* Miſſione *haud propriè tali.*

XXX. *Anno* 1756 *Libellus (vulgo* Billa) *in Superiorem* Parlamenti *Domum contrà utrumque Clerum Catholicum introductus, ſed ejectus, alibi operosè tractandus. Duo in Comitijs Generalibus* Romæ 1756 *(quæ Perſonali ſua Præſentia cohoneſtavit* Benedictus *XIV) pro Provincia* Hiberniæ *ſancita, referuntur. Novus Libellus contrà Clerum Catholicum à Superiori Domo* Parlamenti *approbatus, ſed à Sanctiori Concilio Regni rejectus,* 1757, & 1758, *alibi fuſe memorandus.*

I. ANNO 1694 in Comitijs Generalibus *Romanis* ſub Rmo Magiſtro Ordinis *Antonino Cloche* ſuperiùs laudato (*a*), ſequentia pro *Hibernia Dominicana* ſancita fuere, ut legere eſt in eorundem

---

(*a*) Cap. vi. Num. xxvii. Iſtud porrò Capitulum nullus adire potuit ex *Hibernia* ob Temporum Calamitates. Eidem tamen quà Definitor interfuit P. Magiſter *Ambroſius Mac-Dermott* (ex ſpeciali Indulto) in Urbe tunc præſens, utpotè Pænitentiarius Apoſtolicus *S. Mariæ Majoris*, poſtmodùm Epiſcopus *Elphinenſis*, ut datâ Operâ narrabitur Cap. xiii. Num. lxxiii.

rundem Comitiorum Actis (ſimul cum Actis Comitiorum Generalium *Bononienſium* Anni 1706 poſtmodùm impreſſis) ſub Tit. *Conceſſiones*, nempè :

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Denunciamus in hoc Capitulo Generali confirmata fuiſſe Confirmatione 21, quæ in Capitulo Generali, Romæ celebrato 1650, circà Juriſdictionem in & ſuper Collegia Lovanienſe, & Ulyſſiponenſe, & Monaſterium Monialium hujus Civitatis Nationis Hiberniæ ſtatuta fuere, cui Confirmationi, uti Ordinationi Capituli Generalis, & Statuto, omnes illius Provinciæ Fratres, cujuſcunque ſint Gradûs, Dignitatis, & Officij, etiam pro Tempore Priores Provinciales, ſubeſſe omninò volumus, inhibentes RR. PP. Provincialibus ſub Pæna Actorum Nullitatis, & alijs in hocce Capitulo latis, ne in Regimine horum Studiorum, aut Monaſterij, ſivè pro confirmandis Prioribus, aut Prioriſſis, aut inſtituendis, ſivè alijs Studiorum Officialibus, ſivè pro aſſignandis, vel deputandis Fratribus, ſe quocunque Prætextu ingerant, ſed hæc Collegia, & Monaſterium, Curæ, & Regimini Magiſtri Ordinis pro Tempore duntaxàt immediatè ſubſint, & quicunque huic Statuto parere recuſaverint, ipſo Facto Pænas jam latas incurrant, & eorum Acta nulla dicimus (*b*).

“ 2, Declaramus, uti aliàs pro hac Provincia declaratum fuerat in Capitulo Romæ celebrato 1650, & ut etiam pro Provincijs deſolatis in hoc Capitulo Declaratione 20 dictum eſt, quod huic Provinciæ, Bellorum Cladibus detritæ, & Acatholicorum Perſecutione implicatæ, nullo Modo poſſint Statuta circà Numerum Fratrum cujuſlibet Conventûs obeſſe quin eorum Priores Juribus, Privilegijs, & Suffragijs gaudeant, quibus alij Priores Conventuum aliarum Provinciarum potiuntur.

“ 3. Ordinamus ſtrictè, & imprætermiſsè obſervari volumus, ad perfectam, & fraternam inter hujus Provinciæ Filios, & Fratres Unionem, mutuamque Charitatem, quod quotieſcunque aliqui Fratres, ſive in Studio Generali Ulyſſiponenſi, ſivè Lovanienſi, ex eadem Provincia Hiberniæ à Magiſtro Ordinis, vel ejus Commiſſario deputati fuerint, non diſcuſſâ inter Fratres cujus Provinciæ, ſeù Partis, aut Portionis Regni Hiberniæ ſint, cum omni Charitate recipiantur, & eorum Aſſignationes, Deputationes, aut Inſtitutiones coràm toto Conventu publicè legantur, ipſiſque dentur Cellæ uti cæteris Fratribus aſſignatis, penſatis Fratrum Qualitatibus, & Officijs.

“ 4. Quod ſi contingat aliquem Priorem, aut Collegij, vel Studij Superiorem, horum Fratrum Aſſignationes, aut Inſtitutiones, vel Deputationes, ſivè Literas Magiſtri Ordinis pro Tempore, aut recuſare aut ſuſpendere, ne legantur, ipſo Facto à ſuis Officijs abſolvantur, & ad Triennium inhabiles ad ſimilia Officia declarentur, indecorum ſanè, & inhoneſtum eſt, quod dum eo in Regno ab Hæreticis vehemens excitata eſt Perſecutio, adhuc inter Fratres vigeant hæ irreligioſæ Æmulationes, & Rixæ ; eas omninò abolere volentes, injungimus omnibus hujuſce Provinciæ Filijs, ut ſe ad invicem ſuſcipiant, & Honore præveniant (*c*).

“ 5. Committimus Magiſtro Ordinis, quod pro ſua in Conventum noſtrum Sancti Syxti de Urbe providâ Inſpectione ſedulò invigilet, ut in eo Conventu, quem SS. P. N. Dominicus tot Orationibus, Pænitentijs, & Miraculis honeſtavit, exacta Obſervantia juxtà Rigorem noſtrarum Conſtitutionum inviolabiliter obſervetur, Fratreſque ab eo amoveat, qui in ea vivere recuſaverint, eademque Sollicitudine incumbat, ne Superiorum Incuriâ Bona temporalia Conventûs dilapidentur, & ne Ædificia in Diem eorum Negligentiâ omninò ruant.

“ 6. Committimus eidem Magiſtro Ordinis, cùm ipſi innotuerint Labores Fratrum túm in Studijs Generalibus peracti, tùm in Miſſionibus exantlati, Fratres ipſos ad Gradus pro More illius Provinciæ, ſivè Magiſterij, ſivè Præſentaturæ, ſivè Prædicaturæ Generalis, promoveat, quos ex nunc pro tunc approbamus.

“ 7. Committimus R. P. Provinciali hujus Provinciæ, ut inſtituat Priorem in Conventu Toſtchienſi (*d*) cum omnibus Juribus, Privilegijs, & Præemientijs, qubus Priores ea in Provincia gaudent, & potiuntur.

II. SUB Finem Anni 1697, Regni *Gulielmi* III (*e*) Anno Septimo, Vigore Statuti, vulgò *Acti Parlamentarij* (*f*), omnes *Papales* (*g*) *Archiepiſcopi*, *Epiſcopi*, *Vicarij Generales*, *Decani Jeſuitæ*,

---

(*b*) Confer Cap. præs. Num. ix. Sect. 2 ; & Num. xii. Sect. 1.

(*c*) Adeas Cap. vi. Num. xiv. Sect. 2. Pag. 119. & Num. xxvii. Sect. 2 & 3. Pag. 134.

(*d*) Lege *Tolſchienſi*, ſeù magis accuratè *Tolſkenſi*, ſivè *Tulſkenſi*, de quo Sermo erit Cap. ix. §. xxxvi.

(*e*) Confer Cap. præced. Num. iv, v, & xiii.

(*f*) Seſs. 1. Cap. xxvi. Titulus autem Statuti eſt : *Actum pro exiliandis Papiſtis omnibus Eccleſiaſticam Juriſdictionem exercentibus, & Regularibus Papiſtici Cleri ex hoc Regno.*

(*g*) *Papalium*, aut *Papiſtarum* Nomine intelligunt ſemper Catholicos, quos quandoque *Romano-Catholicos* appellant, ad Differentiam Seipſorum, quos vellent *Catholicos* dici, quia in Symbolo Apoſtolorum, ipſis communi, Mentio fit Eccleſiæ *Catholicæ*.

ſuitæ, Monachi, & quorumcunque Ordinum Regulares, & omnes Papiſtæ exercentes Eccleſiaſticam quampiam Juriſdictionem (*b*) perpetuo Exilio mulctati fuere, non reverſuri in *Hiberniam* ſub Pæna Mortis, ſeù ut ipſum loquitur *Actum Parlamentarium*, verſis Verbis de *Anglico* in *Latinum* Idioma, *diſcedere tenentur ex hoc Regno* (Hiberniæ) *ante Diem* 1 *Maij* 1698. *Et ſi aliquis Archiepiſcopus, aut Epiſcopus, aut quicunque ex prælibatis poſt dictum Diem inveniatur in hoc Regno, carcerali Cuſtodiæ mancipetur, ibique, ſeclusâ Fidejuſſione quâcunque, maneat quouſque tranſportetur ultrà Mare extrà Regis Ditiones in quemcunque Locum ipſi Regi, ejuſve Succeſſoribus, autve principalibus Regni Gubernatoribus placuerit. Quod ſi aliquis ex ſic tranſportatis in hoc revertatur Regnum, eo ipſo reus cenſebitur læſæ Majeſtatis, ut talis utique puniendus* (*i*).

Nullus (addit Actum Parlamentarium) *Papalis Archiepiſcopus, Epiſcopus, nulluſve ex prælibatis veniat in hoc Regnum poſt* 29 *Decembris* 1697 *ex tranſmarinis Partibus quibuſcunque ſub Pæna Carceris per integrum Annum, quo Tempore expleto tranſportabitur, & ſi unquàm revertatur, reus erit Læſæ Majeſtatis, atque ceù talis puniendus* (*i*).

Quicunque (ſubjungit Actum Parlamentarium) *poſt Diem* 1 *Maij* 1698 *ſcienter receperit Hoſpitio, relevaverit, celaverit, vel ſuſtentaverit quemcunque Papalem Archiepiſcopum, Epiſcopum, aut quemvis ex prælibatis, punietur Mulctâ Viginti Librarum Sterlingarum* (*k*) *pro prima Vice, Quadraginta pro ſecunda Vice, tertia verò Vice Bonis omnibus, ſeù mobilibus, ſeù immobilibus, durante Vitâ privabitur, quorum Bonorum una Medietas, non excedens tamen Valorem Centum Librarum Sterlingarum, dabitur Delatori, reſidua autem Pars Regi, ſeù Regio Fiſco, cedet.*

Omnes Juſtitiarij Pacis (*l*) *tenebuntur, quoties Opus fuerit, Auctoritatem concedere capiendi, & Carceribus mancipandi quoſcunque Papales Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliaſve Eccleſiaſticas Perſonas prælibatas, contrà hujuſce Acti Parlamentarij Tenorem manentes in hoc Regno; atque ſupprimendi quævis Monaſteria Fratrum, vel Monialium Conventus, ac quaſcunque alias Confraternitates, aut Societates Papales.*

Reddituri etiam ſunt Rationem Executionis hujus Statuti in Quaternis Seſſionibus (*l*) *ſuorum reſpectivè Comitatuum, in Archivo ibi conſcribendam,* ſeù, ut vulgò ajunt, regiſtrandam.

Quod ſi quiſpiam Juſtitiarius Pacis, Prætor, aliuſve Officialis Civilis, in hoc negligens fuerit, pro qualibet Negligentia puniendus erit Mulctâ Centum Librarum Sterlingarum, quarum una Medietas Regi, ſuiſque Hæredibus, & Succeſſoribus, altera Delatori cedet; inſuperque perpetuam Inhabilitatem ad Munus illud incurret. Hucuſque Statutum illud, ſeù Actum Parlamentarium.

Hiſce de Cauſis Fratres Prædicatores (ut nihil dicam de alijs Regularibus, vel de Antiſtitibus) aut ſpontaneo ſe dedere Exilio, aut Vi tranſmiſſi, ſeù ut vulgò loquimur, *tranſportati* fuere, pauciſſimis in Regno manentibus, qui ſcilicèt præ Senio, vel infirmâ Valetudine, diſcedere haud valuere, eligentes potius ſe abſcondere in Speluncis, aut Cavernis Terræ, aut in Ædibus fortaſsè Proteſtantium benevolorum, de quibus nequaquàm erat Suſpicio. Nulla tamen Religioſa Domus in univerſo, quà latè patet, Regno haud ſuppreſſa evaſit.

Preſbyteri autem Sæculares non-Dignitarij, etſi in *Hibernia* calamitoſis iſtis Temporibus manere permitterentur, nihilominùs quia in nimis magno, ut Gubernio Acatholico videbatur, Numero erant, idcircò Anno 1703, Regni *Annæ* (*m*) Secundo, mox relatum Statutum alio ſpeciali Statuto (*n*) innovatum fuit, additumque in ulteriori ejuſdem Seſſionis Statuto (*o*), ut *in Quaternis Seſſionibus ſingulorum Comitatuum, poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ* 1704 *habendis, quilibet Sacerdos Papalis, in hoc manens Regno, teneatur ſuum reddere Nomen, Locum Domicilij, Ætatem, & Parochiam, cujus prætendit ſe eſſe Parochum, item Locum, & Tempus ſuſcepti ab eo Preſbyteratûs, atque*

(*b*) Parochi non cenſentur, etiam apud *Proteſtantes*, exercere *Juriſdictionem Eccleſiaſticam*, id eſt, in Foro contentioſo, niſi ſint Vicarij Generales, aut ſaltem Vicarij Foranei, qui etiam, ut obiter dicam, *Decani Rurales* paſſim appellantur, quia Territorio *Decem* ut plurimum Parochiarum præſſe ſolebant.

(*i*) Id eſt, Pænâ Mortis.

(*k*) Hoc eſt, Octoginta Scutorum Monetæ Romanæ.

(*l*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*m*) Videſis Cap. præced. Num. xvi. Pag. 147.

(*n*) Seſſ. i. Cap. iii. Titulus autem Statuti eſt: *Actum pro præveniendo Acceſſu Sacerdotum Papiſticorum in hoc Regnum.*

(*o*) Seſſ. i. Cap. vii. Titulus hujus Statuti eſt: *Actum pro Regiſtrando Papiſtarum Clero.*

atque Nomen Epiſcopi Ordinatoris ; *& qui id non præſtiterit, Regularis reputandus erit, & tenebitur diſcedere ex hoc Regno antè Diem* 20 *Jnlij* 1704, *alioquin Carcerali mancipabitur Cuſtodiæ, in alias Regiones tranſpontandus* ; *quod ſi unquàm deinceps rediverit, reus erit Criminis læſæ Majeſtatis.* Hinc Anno 1704 Typis vulgatus fuit de Mandato Gubernij Liber Regiſtralis, ut vocant, ſingulos exhibens Sacerdotes Parochiales Catholicos cum omnibus Circumſtantijs in Statuto mox allato præſcriptis.

Eodem inſuper Statuto ordinatum fuit, *ut nullus Sacerdos, etiam Regiſtratus, valeat Curatum, Aſſiſtentem, aut Coadjutorem habere ſub Pæna amittendi Regiſtrationis factæ Beneficium, in omneſque incurrendi Pænas Papiſtico Regulari inflictas*, *utque nullus, tametſi Regiſtratus, Sacerdotali Munere fungi poſſit niſi in Prrochia, pro qua regiſtratus eſt, ſub ijsdem Pænis.* Item quod *mortuus, amotuſve Parochus Succeſſorum Catholicum non habeat.*

Prælibato etiam Anno 1703, Regni *Annæ* Secundo, ſic ſtatutum fuit (*p*) : *Quicunqne Sacerdotis Papiſtici Munere fungetur poſt* 24 *Junij* 1705, *niſi Sacerdos ſit Regiſtratus, ijsdem obnoxius erit Pænis ac Papalis Archiepiſcopus, Epiſcopus &c. Vigore Statuti Gulielmi III Anno Septimo* (*q*); *ſicut etiam qui eum celabit, aut Hoſpitio recipiet*; *item & Juſtitiarius Pacis, Prætor, aliuſve Officialis Civilis, qui in Statuti iſtius Executione negligens invenietur.* Hocqne Statutum factum fuit perpetuum novo ſpeciali Statuto (*r*), Anno 1709, Regni *Annæ* Octavo.

III. ANNO 1706 celebrata fuere *Bononiæ* Comitia Generalia ſub Rmo P. *Antonino Cloche*, Magiſtro Ordinis, ſemel iterumque laudato, quibus pro Provincia *Hiberniæ* quà Definitor interfuit P. Magiſter Fr. *Patritius Plunkett*, Roſcomanienſis, Theologus Collegij *Caſanatenſis*, alibi recenſendus (*s*). In eorum porrò Actis, ſub Tit. *Conceſſiones*, ſequentem legere eſt Paragraphum.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Concedimus pro Pace Electionum Provincialis, & Rectoris Collegiorum hujus Provinciæ, & ordinamus Alternativam Quatuor Provinciarum, ex quibus componitur, & ſic Provinciales, & Collegiorum Rectores in poſterum alternativè eligantut ex Quatuor Nationibus, dummodò digni, & habiles ibi reperiantur: Studentes autem promiſcuè in Studijs recipiantur citrà ullam Particularitatem Nationum, idque ſub Pæna Abſolutionis ab Officio Prælatis contrarium molientibus jubemus (*t*).

“ 2 Rogamus Reverendiſſimum Magiſtrum Ordinis, ut, ſuppoſitâ hacce Provinciarum Æqualitate, Alumni reſpectivè uniuſcujuſque dictorum Collegiorum præponantur Alumnis aliorum, tàm in Officio Lectoratûs, quàm in alijs Muneribus in reſpectivè Collegio, cujus ſunt Alumni.

“ 3. Ordinamus, Sicut fuit ordinatum à Rmo de Marinis, & confirmatum à Sanctiſſimo D. N. Alexandro Papâ VII (*u*), ut Rector Collegij Ulyſſiponenſis, & Vicarius Monaſterij Monialium Boni Succeſsûs ejuſdem Civitatis, præfatæ Provinciæ, ſint ſemper Religioſi *Hiberni* (*w*).

“ 4. Ordinamus, ut in præfato Collegio Ulyſſiponenſi inſtituatur Cathedra Scripturæ Sacræ, & Controverſiarum pro Collegialibus Miſſionarijs, cujus Moderatores ſint, qui ad minus per Tres Annos Theologiam docuerunt, cum Aſſiſtentia Patris Regentis pro Tempore, & his Moderatoribus Locum damus in Scholis poſt Baccalaureum (*x*).

“ 5 Declaramus Numerum quadragenarium pro Monialibus Boni Succeſsûs, regulatum à Rmo de Marinis, & confirmatum à Sanctiſſimo D. N. Papa Innocentio XI, debere intelligi de Nobilibus Hibernis, includendo tamen Quatuor Loca Fundatricis: Extraordinarias verò, vel extranumerias Luſitanas, quæ Titulo eximiæ Dotis, vel Eleemoſynæ in præfato Monaſterio recipiuntur, nullatenùs præjudicare dicto quadragenario Hibernarum Numero.

“ 6. Ordinamus, ſicut pro toto Ordine ſæpiùs ordinatum eſt, ut Confeſſarij dicti Monaſterij ultrà Biennium non continuentur ſine ſpeciali Licentia Magiſtri Ordinis, ſintque ſemper Religioſi Hiberni ex maturioribus, & benè verſatis in Lingua Hibernica, Anglica, & Luſitana.

“ 7. Hor-

(*p*) Seſſ. ii. Cap. ii. Titulus Statuti eſt: *Actum pro explicando, & perficiendo Acto cui Titulus*, Actum pro regiſtrando Clero Papiſtico.

(*q*) Ut mox relatum eſt.

(*r*) Cui Titulus: *Actum pro explicando, & perficiendo Acto, cui Titulus:* Actum ad præveniendum ulteriorem Papiſmi Progreſſum.

(*s*) Cap. præs. Num. viii. & xiii; & Cap. xv, Num. xxix.

(*t*) Confer Num. viii. hujus Cap. Sect. 3.

(*u*) Adeas Cap. xii. § ii. Num. vii, & viii.

(*w*) De Collegio & Monaſterio iſtis Sermo erit Cap. xii. §. ii, & v.

(*x*) Videſis Cap. xii. §. ii. Num. x.

“ 7. Hortamur in Domino Provinciales, & Priotes Locorum aliarum Provinciarum, ut benignè tractent Viros Religioſos, quos Collegium Lovanienſe (*y*) in alienas Provincias Quæſtûs Causâ mittit, neque ipſis ſint Impedimento ad Collectas peragendas.

“ 8. Ut qui totam penè Vitam in Miſſionibus Hiberniæ agunt, dignis Honoribus compenſentur, concedimus eidem Provinciæ ad ſui Petitionem Quatuor Magiſteria, & totidem Præſentaturas Titulo Prædicationis (*z*). Et ad Magiſteria promovemus PP. Fr. Antonium Mac-Guier (*a*), Fr. Dominicum Mac-Gennis, Fr. Antonium O-Connor, & Fr. Dominicum O-Carroll. Ad Præſentaturas verò PP. Fr. Hugonem Mac Donagh, Fr. Hyacinthum Grace, Fr. Dominicum Moris, & Fr. Joannem Cani.

“ 9. Promovemus ad Gradum Magiſterij Titulo Lectionis PP. Præſentatos Fr. Ludovicum O-Garvan, Fr. Joannem O-Heine (*b*), Fr. Chriſtophorum French (*c*), Fr. Edmundum Burke (*d*), & Fr. Petrum Mac-Dermott (*e*). Et Loco illorum ſubſtituimus Præſentatos PP. Fr. Joannem Roche, Fr. Chriſtophorum Connell, Fr. Thomam Kenedy, Fr. Joannem Morree, & Fr. Joannem Maghee (*f*).

IV. ANNO 1709, Regni *Annæ* Octavo, ſpeciali Statuto nuper recenſito (*g*) ſancitum fuit, *ut ſinguli Sacerdotes Regiſtrati præſtent Juramentum Abjurationis*, ut vocant, cujus Formulam alibi exhibebo (*h*), *antè Diem* 25 *Martij* 1710, *in aliquo ex quatuor Tribunalibus Dublinij* (i), *aut in Quaternis Seſſionibus illius Comitatûs, in quo regiſtrati fuere. Quod ſi eorum quiſpiam id non præſtiterit, atque poſt Diem* 25 *Martij* 1710 *Miſſam celebraverit, aliove Munere Sacerdotali functus fuerit, ijſdem obnoxius erit Pœnis ac Sacerdos Regularis convictus*, Quod ſanè Statutum directè pugnat cum *Nona* Conditione Pacis in Deditione Præſidij *Limericenſis* (*k*), quâ expreſſe ſtipulatum fuit, ut nullum exigeretur Juramentum à quocunque Romano-Catholico, qui Regnanti ſubditus eſt, præter Juramentum Fidelitatis, ſeû Allegianciæ, cujus Formulam exhibet *ſecunda* Conditio, ſeû Articulus Pacis ; enimverò Juramenta illa toto Cælo differunt, ut conferenti pellucidè conſtabit.

SED quidquit ſit de hoc exindè nullum adeſt Diſcrimen in Facie Parlamenti, aut Gubernij, inter Sacerdotes Sæculares, & Regulares uſque in hodiernum Diem, Statutum quippè iſtud nunquàm abrogatum fuit, ſed in primævo ſuo Vigore manet. Excipiendi duntaxàt ſunt Triginta Tres Preſtyteri Sæculares, qui *Abjurationis* Juramento ſe obſtrinxerunt, & quidem ſoli ex Mille & Octoginta, qui Modo narrato *regiſtrati* fuerant.

Eodem Statuto, Anno ſcilicèt 1709, Regni *Annæ* Octavo, ſancitum fuit, *ut quicunque detegerit quemvis Papalem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Vicarium Generalem, Jeſuitam, Monachum, Fratrem, aut cujuſvis Ordinis Regularem Sacerdotem Papiſticum, aut quemvis alium, Papiſtam exercentem Eccleſiaſticam Juriſdictionem, aut quemvis Sacerdotem Sæcularem legitimè non regiſtratum, ità ut talis captus fuerit, atque convictus, Delator in Præmium recipiet Quinquaginta Libras Sterlingas (l) pro quolibet Archiepiſcopo, Vicario Generali, aliove exercente Eccleſiaſticam Juriſdictionem (m), atque Viginti Libras Sterlingas pro quolibet Sacerdote Regulari, aut Sacerdote Sæeulari non regiſtrato, quæ Pecunia exigetur â Papiſtis illius Comitatûs, in quo talis deliquerit (n).*

IDCIRCO autem ſancita eſt hæc poſtrema Statuti Pars, quia quandoquidem Sacerdotes Sæculares *Regiſtrati* quidem, ſed ob recuſatum *Abjurationis* Juramentum tanquàm non *Regiſtrati* declarati, in Regno manſerint, haud obſtantibus prælibatis crudelibus Statutis, in ipſos æquè ac Regulares militantibus ; & quandoquidem etiam Regulares, generali Exilio Anno 1698 pulſi, paulatim in *Hiberniam* regrederentur pro ſpirituali Chriſtifidelium Suſtentatione, repetitis ſcilicet eorum Obſecrati-

---

(*y*) De Collegio hoc dicetur Cap. xii. §. iii.

(*z*) Confer Num. xiii. Cap. præſ. Sect. 1.

(*a*) Hic inſtitutus fuit Provincialis *Hiberniæ* Anno 1717, ut Cap. xiv. Num. xxv narrabitur.

(*b*) Videſis Cap. xv. Num. xxvii.

(*c*) Vid. Cap. xv. Num. xxvi.

(*d*) Vid. Cap. xv. Num. xxx.

(*e*) Vid. Cap. ix. §. xxix. Num. v.

(*f*) Religioſum hunc Virum, Conventûs *Limericenſis* Filium, novi *Romæ* S. Theologiæ Magiſtrum, & Priorem *SS. Sixti & Clementis* ab Anno 1732 ad 1735. Fuit etiam ſemel iterumque Prior Conventûs noſtri *Lovanienſis* ad *S. Crucem*, ubi tandem Senex obijt Anno 1738.

(*g*) Num. penultimo.

(*h*) Cap. xvii, Num. cxiii.

(*i*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*k*) Confer Cap. præced. Num. xii, & xvii.

(*l*) Id eſt, Bis Centum Scuta Monetæ Romanæ.

(*m*) Conſule nuper dicta Num. ii. ad Lit, h, Pag. 155.

(*n*) Videſis Num. xxii. hujus Capitis.

ſecrationibus flexi, majoremque præſtolantes Clementiam ſub Reginæ *Annæ* Gubernio, hinc Operariorum Evangelicorum in abundantiſſima MESSE Numerus ſenſim ſine Senſu augebatur. Indè porrò Anſam ſumentes *Parlamentarij* Acatholici iſtud præpararunt Statutum, cui *Anna*, politicis ducta Rationibus, Regium, ut vocant, Aſſenſum præbuit.

EXINDE verò, Auri Cupidine impellente, non defuere per Univerſam *Hiberniam* Viri pluſquàm infames, qui Sacerdotes, ſeù Sæculares, ſeù Regulares, indiſcriminatim capiebant, & Carceribus tradebant, atque pro ſingulis, de Sacerdotali functo Munere convictis, præſcriptum recipiebant Præmium. Plures ipſe novi ex Sacerdotibus iſtis, poſt diuturnum Carcerem tandèm *tranſportatis*, ſeù ultrà Mare tranſmiſſis, quorum nonnulli adhuc ſuperſtites ſunt.

V. PORRO cùm Rex *Portugalliæ* verè Orthodoxus, *Joannes* hujus Nominis Quintus, validâ Auctoritatis ſuæ Ope Catholicos juvaret (*o*) *Hiberniæ*, in hunc Modum dirè afflictos, eapropter laudatum Regem ſummoperè commendat *Clemens* XI, Pontifex Maximus, Patriſque Magiſtri *Antonij Carroll* (*p*), noſtri Ordinis Prædicatorum meminit, ſequentibus Literis Apoſtolicis in Forma Brevis (*q*):

“ Chariſſimo in Chriſto Filio Noſtro JOHANNI Portugalliæ,
“ & Algarbiorum Regi Illuſtri.

“ CLEMENS. PP. XI.

“ Chariſſime in Chriſto Fili Noſter, Salutem, & Apoſtolicam
“ Benedictionem.

“ Ubi Majeſtas Tua ingenitam ſuam Pietatem conſulat, ac ſecum reputet, Quantum Meriti apud Deum,
“ Quantum apud Homines Laudis, & Gloriæ aſſecuti ſint Majores tui inclyti Nominis Reges ob ſtrenuè
“ ac feliciter aſſertam, ac in univerſum propè Orbem amplificatam Chriſti Fidem, & Catholicam Verita-
“ tem, non multis apud Te Nobis agendum erit, ut Te hortemur ad magis, magiſque in Dies validâ tuæ
“ Auctoritatis Ope juvandos Catholicos Hiberniæ, qui hoc Tempore dura nimis, ac ſæva perferunt à Ma-
“ giſtratibus Hæreticis, irreconciliabili Odio in Romanam Eccleſiam ejuſque Sectatores incenſis. Nihil
“ itaque dignius Præſtantiâ, ac Magnitudine Animi tui, & eximio Zelo, quo pro divini Nominis Honore
“ ferves, facere potes, quàm tueri, ut facis, illorum Fidelium Cauſam, atque ad eam opportunè, & utili-
“ ter tuendam Media illa deligere, & adhibere, quæ præfatis Catholicis magis profutura eſſe pro ſpectata
“ tua Prudentia dijudicaveris. Quàm autem grave, ac imminens ſit eornm Periculum, tùm quidem
“ quoad temporalem, tùm verò præſertìm quoad ſpiritualem Salutem, quæ vehementiùs impetitur, pluri-
“ bus accipies à Venerabili Fratre Johanne Baptiſtâ (*r*), Epiſcopo Corcagienſi, ſivè, eo abſente, à dilecto
“ Filio Religioſo Viro Antonio Carwel (*s*), Ordinis Fratrum Prædicatorum, has Tibi noſtras reddituro.
“ Perge igitur chariſſime in Chriſto Fili Noſter, ſuſceptam jamdiu illorum Fidelium Tutelam conſtanter
“ tueri, novaque in Dies eximiæ tuæ Virtutis Specimina in Solatium noſtræ Solicitudinis alacriter dare,
“ dùm Nos interìm Apoſtolicam Benedictionem Majeſtati Tuæ, in Auſpicium optati Exitûs, amantiſſimè
“ impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XXVIII Sep-
“ tembris MDCCIX, Pontificatûs Noſtri Anno Nono.”

VI. CÆTERUM quia de Summo Pontifice *Clemente* XI, Catholicorumque *Hiberniæ* Ærumnis, impræſentiarùm flectit Oratio, placet hìc Loci exſcribere, quæ in ipſius Vita (*t*) politiſſimus hujus

Ævi

(*o*) Quando *Parlamentum* deliberat de Actis, ut vocant, contrà Catholicos cudendis, hi ſupplicem habent Recurſum ad *Europæ* Principes Orthodoxos, Pacem cum Dominantibus in *Anglia* tenentes, qui Officia ſua interponere dignari ſolent apud eoſdem in *Anglia* Dominantes, ut ſcilicèt præparatis Actis iſtis Aſſenſum Regium non præbeant, aut eorum ſaltem minuant Rigorem, & quidem felici Succeſſu, ſicque *Catholicos validâ Auctoritatis ſuæ Ope juvare* verè dicuntur.

(*p*) Hic, *Lotharienſis* Cænobij Alumnus, in Collegio noſtro *Ulyſſiponenſi* Studens fuit, & Lector tàm Philoſophiæ, quàm Theologiæ, tandemque ejuſdem Rector. Per plures Annos *Romæ* verſatus eſt, ubi laureatus fuit Magiſter. De eo plura Cap. xvi. Num. cxx.

(*q*) Eas legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* Tom. vi. Pag. 465, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar; & Tom. i. *Epiſtolarum, & Brevium Selectiorum Clementis* xi. Pag. 587.

(*r*) Cognomine *Slyne*, exule in *Luſitania*.

(*s*) Rectiùs *Carroll*, de quo Sermo erit inter *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnos, publicâ Virtutis Opinione claros, Cap. xvi. Num. cxx.

(*t*) Pag. 109. Præclari porrò Operis Titulis eſt: *De Vita, & Rebus Geſtis Clementis* xi, *Pontificis Maximi.*

Ævi Scriptor. mihique *Romæ* amiciſſimus, *Petrus Pollidorus* (*u*), Reipublicæ Literariæ Bono natus, nuper autem piè denatus, eleganti Sermone refert, Injurias Catholicis *Hiberniæ* ab Hereticis injuſte illatas, graphice ſuo More ſic deſcribens: “ Anno ineunte. (1703) Dublini in Hibernia Conventus Generalis eſt habitus, à quo publicam Fidem, Æquitatem, & Naturæ Jura indignis violata Exemplis, Romanæ Communionis Homines ſummoperè querebantur. Oppoſita quoque Limericenſium (*w*) Pactionum Capitibus primo, ſecundo, & nono decreta eſſe, queis liberam Catholicæ Religionis Profeſſionem cum ſacris Ritibus Hibernis, Vi & Armis ſe ac ſua tuentibus, perpetuò concedendam, conventum fuerat, & firmatum Sacramento. Ab innocentibus Populis nullâ læſi Injuriâ Proteſtantes ad eam Diem edita in ſacros cujuſcunque Ordinis, cæteroſque Viros Orthodoxos Decreta confirmarunt. Prætereà quaſi leviſſima hæc eſſent Detrimenta, male malis aggerantes, Patri quibuſcunque Sceleribus fædatos Filios exhæredandi Poteſtas adempta, modò ipſi, ejuratâ Religione Catholicâ, Proteſtantium Dogmata profiterentur. Aditionem Hæreditatis, quocunque Jure vel Nomine debitæ, Orthodoxis vetuere, eoſdemque gravibus vel ferendis Oneribus undique preſſos, publici Suffragij Jure privarunt, Domi, Militiæque Muneribus exuerunt. Quo dejectior eſſet inferioribus Hominibus Vitæ Conditio, liberalium Artium exercêndarum Libertas coercita. Arma conficere, ſeù vendere interdictum; in Ædibus item retinere, geſtare, ac generoſos Equos alere. Literariæ ſublatæ Scholæ, & Adoleſcentium Collegia cum Poteſtate agendi Magiſtros. Ità verò Parochi Munere Viri Catholici fungi permiſſi, ut id ipſum, inconſulto Magiſtratu hæretico, minimè obirent. Initum autem propriâ duntaxàt, non vicariâ aliorum Operâ quocunque Vitæ Tempore gererent. Mortuus, amotuſve Rector Eccleſiæ, nullum Catholicum Sacerdotem Succeſſorem haberet. Prædia, & Jura perennantia emendi; eademque locandi, & conducendi ſublata Facultas. Orthodoxam Matrem, defuncto Vitâ Conjuge, Prolis ſuæ Curam habere, atque Tutelam agere noluere, Juribus univerſis, præpoſtero etiam Rerum, ac Naturæ Ordine, tranſlatis in hæreticos Homines. Matrimonium cum Proteſtantibus non inirent Catholici; ſi qua verò in Anglia, & Scotia, ut Legem eluderent, in poſterum contraherent, nulla haberentur apud Hibernos. Præter ſervandæ Regi Fidei Sacramentum, aliud (*x*) inſuper ab Orthodoxis expoſci decreverunt, quo conceptis Verbis ſignificaretur, Jacobum Stuartum in Angliam, Scotiam, & Hiberniam Jus nullum habere; nullamque ſe illi Opem laturos aliquando. Imò pro virili Parte conaturos, ut Regia Dignitas Proteſtantibus Principibus, qui Rerum potiebantur, eorumque Stirpi, & legitimis Succeſſoribus integra ſervaretur. In eos, qui contrà agerent, non leves decretæ Pænæ, univerſæ ferè ad exeundum Fortunis ſuis Catholicos, & Romanam Religionem quàm citiſſimè extinguendam rectà tendentes. Multi contentè iniquis Legibus obluctati, publicatis Bonis, extorres acti; plures in Carceres truſi. Adhibita non una Conatûs Genere fuit Opera, ne Anna in Britannia dominans, tàm abſurda conſtituta comprobaret; quin potius adversâ Lege æquiſſimis fulta Momentis deleret. Induſtriæ nihilominùs juxtà ac Rationes quùm irritæ cederent, id demùm Clementis Niſu, & maximorum Principum Officijs impetratum, ut novarum Legum Rigor ſensìm miteſceret; contrarioque More pedetentim, velut inſciâ, & minimè curante Principe, nova Decreta negligerentur. Id verò quoniam arcanis Annæ Promiſſis indulſit, aliquando unâ tenùs Specie Orthodoxis obniti videri voluit. Re tamen, & Animo ab ijſdem vexandis prorsùs abhorrens. De ingeſta Catholicis ab Generalibus Regnorum Comitijs, & hæreticis Adminiſtris Sacramenti ſæpenumerò mutatâ Formulâ durior viguit Obluctatio. Nonnulli Mentem Rebus præſentibus callidiſſimè accommodantes, præſcriptis Verbis non inviti juraverunt. Graves ultrò citròque ſcriptæ Conſultationes, & data à Theologis in utramque Partem docta, & ingenioſa Reſponſa. Conſulta de Re ipſa & Apoſtolica Sedes eſt, quæ prudenti Judicio Quæſtione diremptâ, ut pacatiores hac etiam in Parte eſſent Orthodoxi, Leopoldo Imperatore, ac Petro Luſitanorum Rege adnitentibus, tandem obtinuit, ut conſueto Regina contenta Jurejurando, ſupervacaneis Adminiculis, quibus non æquè omnes Britanni aſſentiebantur, probrorum Hominum ſolicitandis Conſcientijs parceret.” Hæc *Petrus Polidorus*, quibus addidiſſe ſufficiat, ſingula ab eo recenſita Parlamentaria Decreta, ſeù Libellos, ſivè *Billas*, ut vulgò vocant, in Leges, non tunc quidem, ſed Temporis poſteà Progreſſu, accedente ſcilicet Regio Conſenſu, tranſijſſe, & hacce Tempeſtate vigere, ut ex alibi dicendis clarebit (*y*).

VII. INTER Mala, quæ in Catholicos *Hiberniæ* Anno 1709 irruerunt, Silentio prætereundum non eſt peſſimum, non à *Proteſtantibus*, ſed *Janſenianis* Hæreticis Attentatum, qui cùm Catholicos

---

(*u*) Patriâ *Frentanus* in *Aprutio*. Auditor Juridicus fuit Emi Cardinalis *Annibalis Albani*, de quo plura Cap. xii. §. i. à Num. xxxix.

(*w*) Recolendi Num. xii. & xvii. Cap. præced.

(*x*) Sacramentum hoc vulgò dicitur *Juramentum Abjurationis*, cujus Formulam habebis Cap. xvii. Num. cxiii.

(*y*) Cap. xvii. à Num. cxiv.

licos ſe fingant, jactentque, Orthodoxis *Hibernis* pluſquàm *Proteſtantes* nocere poſſent, dicente S. Ambroſio (z): *Multo graviores ſunt domeſtici Hoſtes, quàm extranei.* Redeat porrò laudatus *Petrus Pollidorus*, Rem eleganter nec minùs accuratè referens (*a*): “ Quâ Vigilantiâ Catholicam
“ Religionem tot Opibus, atque Subſidijs hoc Anno provexit (*Clemens* XI), cavit ne qua fallacium Doc-
“ trinarum Labes alicubi fædaret, ac pernicioſis Opinationibus inficeret. Quùm accepiſſet, multos Jan-
“ ſenianæ Hæreſeos imbutos Erroribus in Angliam, Scotiam, & Hiberniam viſendarum Regionum Cauſsâ
“ tranſmiſſe; ibique non breves ducentes Moras, dediſſe Operam, ut quà Sermonibus, quà damnatis
“ ſparſis Libellis incautos improbæ Doctrinæ Dolis irretirent: De gravi Britannorum Periculo ſolicitus, ſa-
“ pientiſſimas ad univerſos Anglos, Scotos, & Hibernos Chriſtifideles ſcripſit Literas, eoſque ad Catholicæ
“ Fidei cuſtodiendam Integritatem, & noxias repellendas Sententias, Dogmatibus orthodoxis adverſas,
“ hortatus eſt. Apoſtolicam Conſtitutionem, cujus Initium: *Vineam Domini Sabaoth*, in Janſenianæ
“ Sectatores Hæreſeos non ità pridem editam, ſervandam commendavit; vitarique ſtudioſè monuit, pra-
“ vorum Librorum Lectionem, proſcriptis ab Eccleſia Erroribus quoque Modo patrocinantium, nedùm
“ pernicioſorum Hominum, ijs mordicùs inharentium, fallax Conſortium, & Conſuetudinem.” Hæc *Pollidorus.*

Nonnulli porrò *Janſeniſtarum* Libri ex *Gallico* in *Anglicum* Idioma verſi fuere, ac Chriſtifidelium Manibus paſsìm obtruſi, *ut pernicioſæ Inſtitutionis Contagium, ſi fieri poſſet, pertranſiret de Gente in Gentem, & de Regno ad Populum alterum*, inquit *Clemens* Papa XI, Propoſitiones *Queſnellianas* configens (*b*): Sed Libri iſti poſt maturum Examen ab Apoſtolica Sede proſcripti fuere; atque de illis aptiſſimè dici poteſt quod de *Queſnelli* Libro ajebat laudatus *Clemens*, nempè: *Et quidem ad ipſam ingruentis Mali Cauſam providæ noſtræ Conſiderationis Intuitum convertentes, perſpicue novimus, ſummam hujuſmodi Libri Perniciem ideò potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intùs lateat: & velut improba Sanies, nonniſi ſecto Ulcere foràs erumpat, cùm Liber primo Aſpectu legentes Specie quâdam Pietatis illiciat. Molliti enim ſunt Sermones ejus ſuper Oleum, ſed ipſi ſunt Jacula, & quidem intento Arcu ità ad ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos Corde.*

Sanè hùc etiam faciunt exordialia ejuſdem Conſtitutionis præclara Verba, ſcilicet: *Unigenitus Dei Filius pro noſtra & totius Mundi Salute Filius Hominis factus, cùm Diſcipulos ſuos Doctrinâ Veritis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro, ac ſaluberrimo Documento Nos admonuit, ut attenderemus à falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in Veſtimentis Ovium; quorum Nomine potiſſimùn demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in Deceptione Illuſores, qui ſplendidâ Pietatis Specie prava Dogmata latenter inſinuantes, introducunt Sectas Perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam Pellam, & ſeſe divinæ Legis Sententijs, velut quibuſdam Ovium Veleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeòque etiam ipſius Novi Teſtamenti Verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque Perditionem depravant, nequiter abutuntur: Antiqui ſcilicet, à quo progeniti ſunt, Mendacij Parentis Exemplo, ac Magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem Viam, quàm ubi nefarij Erroris ſubintroducitur Fraudulentia, ibi divinorum Verborum prætendatur Authoritas.*

VIII. Sub Finem Dominationis *Annæ*, & Initium Dominationis *Georgijs* Primi (*c*), plures exarſere Perſecutiones in Catholicos, præcipuè Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares, quæ ſanè vehementiores eſſent, atque frequentiores, niſi qiua, ità diſponente Deo, quiſpiam, neque ipſe Carnifex, atriori laborat Infamiæ Notâ etiam in Heterodoxorum Oculis, quàm qui pluſquàm opprobrioſè vocatur *Sacerdotis Captor*, Anglicè *Prieſt-Catcher*. Hinc ſemel Delator exiſtens adversùs Sacerdotem, palàm apparere ampliùs non poteſt abſque ſummo Vitæ Diſcrimine, ut Puer non ſemel vidi, irruente in eum omni Populorum, tàm Catholicorum quàm Acatholicorum, Turbâ eumque Lapidibus, Fuſtibuſque excipiente. Nihilominùs haud defuere Homunciones, Auri Cupidine, ut nuper (*d*) ajebam, impulſi, Militibuſque armatis ſtipati, qui Sacerdotes, ſeù Sæculares, ſeû Regulares, non ſecus ac infenſiſſimos Viarum Graſſatores, conquirebant, capiebantque, eoſdem ſtrictis Carceribus trudentes. Nominatìm Anno 1718, ut benè memini, *Dublinij*, Septem à quodam Judæo *Luſitano*, Nomine *Garzia*, Sacerdotem ſe fingente, ut veros Sacerdotes cognoſceret,

---

(z) Lib. ix. in *Lucam*, Cap. xxi.

(*a*) Pag. 215 .ad Annum 1709.

(*b*) In celebri Conſtitutione incipiente *Unigenitus*, datâ vi Idûs Septembris, 1713.

(*c*) Recolendus Num. xvi. Cap. præced. Pag. 147.

(*d*) Confer Num. iv. Cap. præſ. Pag. 158.

ceret, ſimul capti fuere, quos inter erat P. Magiſter *Antoninus Maguire*, Provincialis *Hiberniæ*, Ordinis Prædicatorum (*e*), item duo Jeſuitæ, unus Minorita, reliqui verò Tres Preſbyteri Sæculares. Omnes porrò in Exilium abacti fuere, nunquàm ſub Pæna Mortis regreſſuri. Singuli nihilominùs regreſſi ſunt, ficta aſſumentes Cognomina, & quidem impunè.

TANDEM autem ſub *Hanoverano* Principe, ad Clementiam prono, atque Tolerationi Catholicorum (*f*) aſſueto, ſub ejus, inquam, Dominatione Magiſtratus paulatìm miteſcere videbantur, exindèque ab omni Perſecutione generali ceſſatum eſt, niſi Anno 1744. Dixi tamen *generali*, particulares quippè frequenter ſuſcitatæ ſunt, vel in ſingulares Perſonas Eccleſiaſticas, vel in particulares Domos Religioſas; excitari enim poſſunt à quovis Proteſtante, & quâvis Occaſione, ut ex nuper (*g*) allatis Statutis *Parlamentarijs* ſat ſuperque conſtat, immò & reapsè excitatæ fuere. Dixi etiam, *niſi Anno* 1744, generalis namque & quidem vehemens eo Anno ſæviebat Perſecutio, ut ex poſtmodùm (*h*) dicendis clarebit.

BLANDIORI igitur hac flante Aurâ, Rmus nunquàm delendæ Memoriæ Magiſter Ordinis P. *Antonius Cloche*, qui hucuſque ab Exilio Generali Anni 1698 (*i*) Provinciales *Hiberniæ* proprio Marte inſtituebat, notum facere dignatus eſt eidem Provinciæ noſtræ, ut Superiorem ſuum deinceps eligat, alijſque potiatur Provinciarum Ordinis Privilegijs. Eapropter defuncto poſtmodùm cum gravi Urbis, & Orbis Jactura ipſomet Rmo *Cloche*, poſt Generalatum Triginta Quatuor Annorum verè laudabiliter expletum, Provincialis *Hiberniæ* P. Magiſter *Antoninus Maguire*, nuperrimè laudatus, convocavit Patres Capitulares, qui *Dublinij* Die 17 Auguſti 1720 Comitia Provincialia celebrarunt, eo præcipuè Conſilio, ut Difinitorem, atque Socium, ut vocant, ſeù Electorem, pro proximè habendis Comitijs Generalibus eligerent. Elegerunt autem A. R. P. *Patritium Plunkett*, Roſcomanienſem, Sacræ Facultatis *Pariſienſis* Doctorem, & Collegij *Caſanatenſis* in Urbe Theologum (*k*), necnon R. P. Prædicatorem Generalem, Fr. *Dominicum Daly*, Athenrienſem, poſteà Epiſcopum *Achadenſem* (*l*).

IX. ANNO 1721, in Comitijs Generalibus *Romæ* habitis, Rmi P. *Auguſtini Pipia*, Sardi, LXI Magiſtri Ordinis (poſtmodùm S. R. E. Cardinalis) electivis, ſequentia conceſſa fuere Provinciæ *Hiberniæ*, ut in Actis legere eſt ſub Tit. *Conceſſiones*, Pag. 43, & ſeq.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Confirmamus Ordinationes omnes in præcedentibus Capitulis Generalibus factas, necnon Privilegia benignè conceſſa in Gratiam Provinciæ Hiberniæ.

“ 2. Ordinamus, ut Collegia ultramarina, Lovanienſe, Ulyſſiponenſe, & Romanum, ſub ſolius Provincialis Hiberniæ Juriſdictione (ſalvâ ſemper ſupremâ Magiſtri Ordinis Auctoritate) juxtà primævam prædictorum Collegiorum Fundationem, ſint, & permaneant.

“ 3. Uolumus, ut Ordinatio facta in Ultimo Capitulo Generali Bononiæ celebrato Anno 1706 (*m*), circà Alternationem quoad Provinciales Hiberniæ, & Superiores Conventuum, & Collegiorum noſtrorum Lovanij, Romæ, & Ulyſſipone, extendatur etiam ad Regentes, Lectores, alioſque Adminiſtros, ac Studentes in præfatis Conventibus (*n*).

(*e*) De eo datâ Operâ dicetur Cap. xiv. Num. xxvi.

(*f*) Tametſi in Germanicis *Georgij* Ditionibus Religio per Leges ſtabilita ſit *Lutherana*, principalis tamen Civitatis *Hanoveranæ* Eccleſia Cathedralis Juris eſt Catholicorum, qui in ingenti ſunt Numero. Tenetur inſuper Dux *Hanoveranus* ibidem admittere nedùm Catholicæ Religionis Exercitium, ſed & Vicarium Apoſtolicum, à ſummo Pontifice conſtitutum, *Hanoveræ* reſidentem, ut advertit *Salmon* in Dictionario ſuo Geographico, Verbo *Hanover*.

(*g*) Præſertim Num. iv. hujus Capitis, Pag. 157.

(*h*) Num. xxii. hujus Capitis.

(*i*) Conſulendus Num. i. Cap. præſ. Pag. 154.

(*k*) *Plunkettus* fuit Vir verè eruditus, & ſpectabilis, primuſque pro *Britannicis* Inſulis Theologus *Caſanatenſis*, anteà Anno 1706, & poſtmodùm Anno 1725 Definitor pro *Hibernia* De eo plura Cap. xv. Num. xxix.

(*l*) Plura de eo Cap. xiii. Num. lxxvi.

(*m*) Eam legere eſt Num. iii. Cap. præſ. Sect. i. Pag. 156.

(*n*) Videſis Cap. vi. Num. xiv. Lit. i; & Num. xxvii. Lit. n. Pag. 119, & 135.

“ 4. Concedimus, ut Conventus Monialium noſtrarum, quæ in Civitatibus Dublinienſi, & Galvienſi
“ degunt, eligere ſibi valeant Prioriſſas juxtà noſtras Sacras Conſtitutiones, ac Leges; volumuſque ut
“ prædicti Conventus ſint incorporati, & uniti Ordini noſtro, & Provinciali Hiberniæ pro Tempore ſub-
“ jecti (*o*).”

X. EODEM Anno 1721 ſub Finem menſis Julij Patres Capitulares *Dublinij* convenere pro prima Prioris Provincialis Electione poſt Exilium Generale Anni 1698 (*p*). Elegerunt autem R. P. Prædicatorem Generalem Fr. *Stephanum Mac-Egan,* Cænobij *Dublinienſis* Alumnum, poſteà Epiſcopum *Clonmacnoiſenſem,* demùmque *Midenſem,* nuper denatum, de quo Sermo alibi redibit (*q*).

EXINDE porrô ad præſentia uſque Tempora eliguntur Provinciales noſtri; quandoque etiam celebrantur Capitula Intermedia, ut vocant, ſcilicet Biennio poſt Electionem Provincialis quadriennalem; quandoque autem ſuper ijs Rmus Magiſter Ordinis ad Inſtantiam Provinciæ diſpenſat. Semper verò habentur *Dublinij* Comitia Provincialia, cùm enim ampliſſima (*r*) ſit Civitas, Regnique Metropolis, magis occultè & cautè eò convenire valent Patres Capitulares, Numero ut plurimùm circiter Quinquaginta, quàm ad exiguas Civitates, vel Oppida, in quibus nec Tres adeſſe poſſunt Advenæ abſque Magiſtratuum Notitiâ. Adde, quod cum Magiſtratus *Dublinienſes* ſub Oculis ſint Proregis, ejuſve Viceſgerentium, Clementiæ deditorum, atque de Rebus majoris Momenti curantium, Leges in Clerum latas Executioni mandari non ſatagunt. Hìnc Experientiâ Sexdecim jam Annorum video Sacella omnia, tam Sæcularia, quàm Regularia, eſſe *Dublinij* Mane Veſpereque aperta, in ijſque Miſſas celebrari, & cantari, Conciones haberi, & alia id Genus quietìm peragi, dùm *Waterfordiæ, Kilkenniæ,* & *Pontanæ* Communitates Religioſæ à Magiſtratibus diſperguntur (*s*).

XI. ANNO 1724, Adoleſcens, necdum Habitu Ordinis indutus aderam, *Romæ,* quando illuxit felix fauſtaque Dies illa, ſeù Vigeſima Nona Maij, quâ Purpurati Patres poſt Obitum *Innocentij* XIII in Conclavi Vaticano concluſi, & in varias Partes antehàc diſtracti (*t*), quaſi derepentè Spiritûs Sancti Gratiâ, quæ tarda Molimina neſcit, immutati, concordibus Suffragijs in Pontificem Maximum elegerunt Eminentiſſimum Cardinalem Fr. *Vincentium Mariam Urſinum,* Ordinis Prædicatorum, Ducis *Gravinæ* Filium Primogenitum, olim Baſilicæ *S. Sixti* (*u*) Titularem, poſteà verò Epiſcopum *Tuſculanum,* dein *Portuenſem,* atque Archiepiſcopum *Beneventanum* (*w*). Renuit quidem, & Manibus Pedibuſque detrectavit oblatum ſibi à Cardinalibus Supremum Pontificatum ſuſcipere. Doluit Vicem ſuam, in Lachrymas ſeſe effudit, &, quemadmodùm ad Sacram ſumendam Purpuram nonniſi *Clementis* X Imperio ægrè adduci potuerat (*x*), ità, ut Summum acceptaret Pontificatum, debuerunt Eminentiſſimi Collegæ ſui Precibus, & Auctoritate certare cum ipſo, omneſque adhibere Machinas, quibus victa pertinax ejus Modeſtia cederet omnium Votis. Innotuit tandem aliquandò læta illa Vox, quâ Cardinalis *Urſinus,* divinæ obtemperans Voluntati, Pontifex Maximus, aſcito ſibi *Benedicti* XIII Nomine, fuit renunciatus. Quis tunc, Deum immortalem! Urbis Plauſus? Quæ feſtivæ Acclamationes? Nam quid Ego nunc referam, omnem, ut vidi, Ætatem, Sexum, & Ordinem ad piiſſimi iſtius Pontificis ad Sacras Ædes *Divi Petri* è Conclavi deſcendentis Conſpectum effuſiſſimo Gaudio correptum, immò magis extrà ſe raptum fuiſſe?

(*o*) De *Galvienſi,* & *Dublinienſi* Monaſterijs Sermo erit Cap. xi. §. ii, & iii.

(*p*) Recolendus Num. ii. Cap. præſ. Pag. 154.

(*q*) Cap. xiii. Num. lxxv, & Cap. xiv, Num. xxvii.

(*r*) Adeas Cap. i. Num. xii. Pag. 16; & Cap. ix. §. i. Num. i; & Cap. præſ. Num. xxiii.

(*s*) Confer Num. xxii. hujus Capitis.

(*t*) Verba ſunt *Graveſoni,* (qui & in Urbe tunc aderat) Hiſt. Eccleſ. Tom. viii. Colloq. ii. Pag. mihi 82.

(*u*) Epiſcopus *Tuſculanus,* ſicut & *Portuenſis,* unus eſt ex Sex Suffraganeis Papæ, quà Metropolitæ *Romani.* Porrò quando Preſbyter Cardinalis (qualis in Initio erat *Urſinus*) ad aliquem ex Sex illis Epiſcopatibus promovetur, eo ipſo Titulum ſuum, ſeù Baſilicam Titularem, dimittit. Baſilica *S. Sixti* cum ſuo Cænobio Juris eſt *Hiberniæ Dominicanæ,* atque de ea plura dicentur Cap. xii. §. i.

(*w*) *Beneventum* eſt in *Ulteriori,* ut vocant, Regni Neapolitani *Principatu,* 34 Milliaribus *Neapoli* diſtans. Nihilominùs tam Civitas *Beneventana,* quàm Ducatus ejus ſubſunt in Temporalibus Summo Pontifici.

(*x*) Adeas Cap. xii. §. i. Num. xvi.

fuiſſe ? Quid etiam in Præſentia commemorem, incredibili Apparatu inſtauratos in Auguſtiſſima Urbe Triumphos, tot feſtivas Faces, tot Cærâ collitas Tædas, tot impoſitos Stipitibus Ignes, Milleque id Genus, quibus *Senatus Populuſque Romanus*, efferveſcenti Lætitiâ geſtiens, Electioni Sanctiſſimi iſtius Pontificis gratulatus eſt, ſupinis Manibus Deo Optimo Maximo immortales Gratias agens. Crevit poſteà omnium Lætitia, nec ampliùs intrà Præcordiorum Sinus continere ſeſe potuerunt exundantium Æſtus Gaudiorum quandò Sanctiſſimus ille Pontifex *Benedictus* XIII, ablegato omni Faſtu, Civium Oculis circumſpicientium in Vicis Plateiſque Urbis ſe præbuit. Tunc enim Neminem omninò neque Ætatis Imbecillitas, neque Cura Rei familiaris, neque Pudor, neque Valetudo potuit alligare, quominùs Oculos deſiderati Pontificis expleret Spectaculo. Procurrebant Parvuli, proſiliebant Adoleſcentes, effundebant ſeſe Juvenes, prorepebant jam Morbum obliti ægroti, plerique per Viarum Ambages, ad alia atque alia Compita tranſcurrebant, ut *Benedictum* XIII, Pontificem Sanctiſſimum, videre liceret, lætis Gratulationibus, fauſtis Precationibus, alijſque ſummæ Alacritatis Indicijs palàm ſignificantes, ſe, quò plus Vultum tàm Sancti Pontificis, veram ſpirantem Pietatem, eamque alijs inſtillantem, perſpiciebant, eò minùs expleri, ſed magis ac magis intuendo ſitire.

Nec *Romani* tantùm, ſed & totum, quà latè patet, Orbem Chriſtianum Electio *Benedicti* XIII immenſo Gaudio perfudit, omneſque ſummis Lætitijs exultabant, quòd viderent, aut ſaltem ſcirent, *Romanæ* Eccleſiæ tunc præeſſe Pontificem, ab omni Faſtu, & elato Supercilio abhorrentem, qui infirmæ Plebis Hominum, ad Sacra Religionis Monumenta adeuntium, Pedes abluebat, ſuis Manibus Alimenta præbebat, Mortem in Tugurijs & Xenodochijs obeuntibus Eccleſiæ Sacramenta adminiſtrabat. Hæc omnia pluraque alia Notatu digniſſima, quæ tamen perſcribere longum foret, ipſe vidi, eaque concinnè refert alter Teſtis Oculatus, Clariſſimus Noſter *Hyacinthus Amat de Graveſon* (y). Neque citrà ſummæ Ingratitudinis Vitium ea prætermittere potui, etſi obiter duntaxàt Sermonem faciens de Beatiſſimo iſto Pontifice, *Ordinis Prædicatorum* Alumno, atque munificentiſſimo *Hibernorum* Benefactore (z).

XII. Menſe Decembri ejuſdem Anni 1724, aliquot Diebus antè Portæ Sanctæ Apertionem (quâ in Pervigilio Natalis Domini inchoatur Annus Jubilæi) laudatus, & nunquàm pro Meritis ſatis laudandus, omni Laude major, Pontifex Re, & Nomine *Benedictus*, Preſbyterum Cardinalem creavit Rmum Magiſtrum Ordinis P. *Auguſtinum Pipia*, qui Pileo Rubro donatus eſt Die 20 ejuſdem Menſis. Die autem 5 Februarij accepit Annulum Cardinalitium, & Titulo *S. Sixti* (a) inſignitus fuit.

Audiendus hâc de Re ipſemet Summus Pontifex, Cardinales in Conſiſtorio alloquens Die 20 Decembris 1724, Feria IV Quatuor Temporum (b): *Æquum inſuper cenſemus, Venerabiles Fratres, ut Ordini Fratrum Prædicatorum, de Apoſtolica Sede, & Catholica Fide luculentiſſimè merito, quem Nos expreſsè, Domino miſerante, profeſſi ſumus, gratum etiam Animum congruo aliquo Pontificiæ Largitatis Argumento exhibeamus. Cum enim ipſi tantùm Sacræ Religioni (ut aliàs ingenuè Vobis teſtati ſumus) acceptam referamus Cardinalatûs Dignitatem, quâ nullis noſtris, ſed præ-*

(y) Loco mox laudato.

(z) Non ſolùm Ædes ſacras, Cænobiumque *S. Sixti* de Urbe, Provinciæ *Hiberniæ*, Vetuſtate labantia ſic refecit, ut non Reparatorem modò, ſed penè Fundatorem illius Domùs meritò ipſum dixeris; ſed inſuper Collegium *Ludoviſanum Hibernorum* in eadem Urbe, ſub Regimine PP. Societatis Jeſu, Ter Centum Scutis Romanis annuis perpetuò donavit. Hinc Spectabilem Patrem *Alexandrum de Rupe* (vulgò *Roche*) memorati Collegij Rectorem digniſſimum, ſæpenumerò audivi de Sanctiſſimo noſtro Pontifice, ceù Collegij ſui Benefactore munificentiſſimo, ſumma Elogia facientem. Magnam etiam gerebat Beatiſſimus Papa Devotionem ergà Gentis noſtræ Apoſtolum *S. Patritium*, ut ipſe expertus ſum, quando id habui Felicitatis, ut Sanctitati Suæ in Cænobio *S. Sixti* per Decem Dies continuos Exercitijs vacanti ſpiritualibus imprætermiſsè aſſiſterem in publicis privatiſque Precibus, prout alibi uberiùs dicetur, Cap. ſcilicet xii. §. i. Num. xxi. Ulteriùs dùm Cardinalis eſſet Archiepiſcopus *Beneventanus* Concionem habuit ad Populum de *Purgatorio S. Patritij*, ut pridem ajebam Cap. i. Num. iii. Lit. b. Pag. 5.

(a) Juris eſt *Hiberniæ Dominicanæ*, ut mox obſervatum eſt ad Lit. u.

(b) Ex *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 702.

claræ Matris ornati Meritis, & Veſtibus decorati fuimus, Reſtitutionis quodammodò Jure obſtricti, prædictæ Religionis Magiſtrum Generalem eâdem Dignitate donare cogitamus; Veſtro quoque Decori proſpicere hoc Pacto exiſtimantes, ut ſcilicet, qui præclarum hunc, ac ſublimem obtinebit Locum, eum veſtro Gradui Meritorum Splendore, Scientiarum præſertìm Theologicarum Condimento, ac Religioſarum Virtutum Odore conciliet Honorem, quem Defectuum noſtrorum Multitudine à Planta Pedis uſque ad Verticem Capitis operti tribuere non potuimus. Immò (utinam verum non loquerementur) nimiùm obſcuravimus. Ad majorem &c.

AT, ut obiter dicam, geminos iſtos præclaros Viros, Sanctiſſimum nempè Pontificem, & Eminentiſſimum Cardinalem, Pietate, Doctrinâ, & Dignitate Orbi Univerſo ſpectatiſſimos, implacabilis Mors antè Diem Cinerum, nonniſi brevi Quatuor Horarum Intercapidine, repentino ac inopinato propemodùm Ictu, Ordini Prædicatorum, ac toti Eccleſiæ Catholicæ eripuit, Die 21 Februarij Anno 1730.

XIII. CÆTERUM, ut eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio, Summus Pontifex *Benedictus* XIII Rmum *Pipia* ad Cardinalitiam promovens Dignitatem, expreſsè diſpenſavit, ut Clavum Ordinis quà Magiſter Generalis moderaretur ad proximè futura uſque Comitia Generalia, *Bononiæ* in Vigilia Pentecoſtes Anni 1725 celebranda. Ijs in Comitijs electus fuit in LXII Magiſtrum Ordinis Rmus P. *Thomas Ripoll*, Hiſpanus, illiſque quà Provincialis *Hiberniæ* intererat P. Magiſter *Stephanus Mac-Egan*, Dublinienſis, nuper laudatus (c), iterùmque plenè laudandus (*d*), quà Definitor verò P. Magiſter *Patritius Plunkettus*, Roſcomanienſis, alibi etiam laudatus (*e*), alibique laudandus (*f*), Vigore ſcilicet Brevis Apoſtolici, quandoquidem qui electus fuerat Definitor à Capitulo Provinciali antecedenti P. Magiſter *Joannes Browne*, Glanorenſis, jam anteà memoratus (*g*), iterumque memorandus (*h*), in Ædibus habitans Sereniſſimi Regis *Jacobi* III, utpotè Majeſtati ſuæ *Britanniæ*, Sereniſſimæque Reginæ à Confeſſionibus, *Bononiam* proficiſci nequivit, aut renuit. Neque eò adijt P. *Gerardus Veldonus*, vernaculè *Weldon*, Trimmenſis, Cænobij *S. Sixti* Conventualis (*i*), qui Socius Definitoris, ſeù Elector, a Capitulo Provinciali nominatus fuerat, quâ de Cauſa nullus fuit ijs in Generalibus Comitijs Socius, ſeù Elector, pro Parte Provinciæ *Hiberniæ*.

QUOD autem attinet ad Conceſſiones Ordinationeſque eidem noſtræ Provinciæ ibidem factas, eas legere eſt in Actis (*k*) Tenoris ſequentis videlicet:

“PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“1. Confirmamus quæcunque in Favorem hujus Provinciæ ordinata ſunt ab Anno 1600, & nominatìm quod in anteacto Capitulo Generali 1721 ſub Num. II ſtatutum invenitur (*l*), videlicèt, quod Conventus Extranationales, Romanus, Lovanienſis, & Ulyſſiponenſis, (qui & Collegia appellari ſolent), unà cum Monaſterio Monialium Ulyſſiponenſium, ſubſint Provinciali Hiberniæ.

“2. Impertimur Licentiam excitandi Conventum Monialium in Civitate Wafordienſi (*m*), ſub Titulo S. Catharinæ de Senis, eumque ex nunc huic Provinciæ unimus, atque eidem P. Provinciali Hiberniæ pro Tempore ſubjectum facimus, ac declaramus.

“3. Ne in incertum fluat Dies Celebrationis Capituli Provincialis Hiberniæ, illud ſemper celebretur Sabbato antè Dominicam: *Deus, qui errantibus (n)*.

“4. Confirmamus in Officio ſuo modernum P. Provincialem (*o*) uſque ad Diem deſignatum pro Capitulo

---

(*c*) Num. x, hujus Capitis, Pag. 162.

(*d*) Cap. xiii. Num. lxxv, & Cap. xiv. Num. xxvii.

(*e*) Cap. præf. Num. iii. & ix. Pag. 156, & 161.

(*f*) Cap. xv. Num. xxix.

(*g*) Cap. præced. Num. xiv. Lit. n. Pag. 146.

(*h*) Cap. ix. §. xlii. Num. v.

(*i*) Videſis Cap. xii. §. i. Num. xxxv. Lit. f.

(*k*) Sub Tit. *Conceſſiones*, Pag. 133.

(*l*) Id legere eſt Num. ix. hujus Capitis, Pag. 161.

(*m*) Lege *Waterfordienſi*, de quo Monaſterio datâ Operâ dicetur Cap. xi. §. v.

(*n*) Id eſt, Dominicâ Secundâ poſt Octavam Paſchæ, cujus Collecta illis exorditur Verbis. Adeas autem Num. xxiii. hujus Capitis, Sect. 2.

(*o*) Mox recenſitum, ſcilicet P. Magiſtrum *Stephanum Mac-Egan*, poſteà *Clonmacnoiſenſem*, deindè *Midenſem* Epiſcopum, juxtà narranda Cap. xiii. Num. lxxv, & Cap. xiv. Num. xxvii.

“ tulo electivo ſui Succeſſoris, quo commodè poſſit & Rebus ſuæ Provinciæ conſulere, & eidem Capitulo in Hibernia per ſeipſum adeſſe.

“ 5. Ne Sacroſancta Miſſio, adeò neceſſaria in Hibernia, decidat, vehementer interdicimus, ac prohibemus quàm diſtrictiſſimè, ne ullus Fratrum Hibernorum affiliari poſſit cuicumque ex Tribus ſupradictis Conventibus, aut alicui Conventui aliûs cujuſcumque Provinciæ. Et indè inſtanter committimus Rmo P. Generali demiſſam Obſecrationem apud Sanctiſſimum pro obtinendo Apoſtolico Diplomate, confirmante noſtram hanc æquiſſimam Prohibitionem, ut tandem, Domino benedicente, non minùs efficaciter, quàm fortiter ex Parte, quæ Nos contingit, tanto occurratur Malo. Mandamus inſuper, ut quiſquis affiliatus eſt illi Provinciæ, ac in alia Provincia quacunque de Cauſa commoratur, quoties primùm a P. Provinciali pro Tempore Hiberniæ in eam Regionem fuerit revocatus ad Salutem Animarum promovendam, omni Cunctatione ſepoſitâ eò ſe conferat, Profeſſionis, ac Patriæ ſuæ perindè memor: & quatenùs utriuſque minùs amans renuat, per cæteros PP. Provinciales certatim cogatur vel invitus illò concedere, ubi Apoſtolica flaveſcens Meſſis Operarios vocat (*p*).”

XIV. Anno 1730, regnante *Clemente* Papa XII, prodijt ſequens Sacræ Congregationis Decretum, Typis *Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* impreſſum, adversùs Librum quendam *Anglico* Idiomate vulgatum, ſub ficto *Philalethis* Nomine, Infallibilitatem Summi Pontificis, pluraque Regularium Privilegia pro Aris & Focis impugnantem.

“*DECRETUM*

“ *Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum. & Reverendiſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium à SS. D. N. Clemente XII, Sanctaque Sede Apoſtolica, ad Indicem Librorum, earundem Prohibitionem, Expurgationem, & Permiſſionem in Univerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter Deputatorum, ubique publicandum.*

“ Sacræ Indicis Congregationis Decreto damnatus, & prohibitus fuit infraſcriptus Liber, ubicunque, & quocunque Idiomate, & Inſcriptione quâlibet impreſſus, imprimenduſve, cui Anglicè edito eſt Titulus: *Remarks upon the Book of E. B. D. D. In which Church-Diſciplin is vindicated, and the Divine Right of Biſhops aſſerted:* In *Anſwer to a Letter of a certain Clergyman: By Philalethes. Doway*, 1728.

“ Hoc eſt: *Animadverſiones in Librum Edmundi de Burgo, Doctoris Theologiæ, in quibus Eccleſiæ Diſciplina eſt vindicata, & Divinum Jus Epiſcoporum aſſertum: In Reſponſum ad Literas cujuſdam Clerici: Per Philalethem. Duaci* 1728.

“ Nemo itaque cujuſcunque Gradûs, & Conditionis prædictum Librum in poſterum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interìm habuerit, Inquiſitoribus, ſeù Locorum Ordinarijs, à præſentis Decreti Notitia tradat, ſub Pænis in Indice Librorum prohibitorum contentis.

“ Quibus per me infraſcriptum Secretarium Sanctiſſimo D. N. Clementi Papæ XII relatis, Sanctitas Sua Decretum Sacræ Congregationis approbavit, & Executioni mandari juſſit.

“ In quorum Fidem Manu, & Sigillo Eminentiſſimi, & Rmi D. Cardinalis de Via, ſupradictæ Sacræ Congregationis Præfecti, præſens Decretum ſignatum, & munitum. Romæ in Palatio Quirinali Die 29 Auguſti 1730.

“ JOANNES ANTONIUS CARDINALIS DE VIA PRÆFECTUS.
Locus ✠ Sigilli.

“ *Fr. Aloyſius Nicolaus Ridulfi, Ordinis Prædicatorum* (*q*),
“ *Sacræ Congregationis Secretarius.*”

XV. Porro

(*p*) Confer Cap. vi. Num. x. Sect. 3. Pag. 115, & Num. xx. Sect. 4. Pag. 127.

(*q*) Primus Secretarius S. Congregationis *Indicis Librorum prohibitorum*, ſic appellatæ, quia in corrigendis, vel Cenſurâ notandis Libris occupatur, fuit *Franciſcus Forrerius*, Ordinis Prædicatorum, Natione *Luſitanus*, Doctor *Conimbricenſis*, Pietate, & Eruditione præſtantiſſimus, qui maximam Laudem in Concilio *Tridentino* promeritus eſt, unuſque ex illis fuit, quibus Patres *Catechiſmum Concilij Tridentini*, vulgò dictum *Romanum*, concinnandi Provinciam demandarunt. Quod perilluſtre Secretarij Officium, ob tanti Viri Memoriam, in *Dominicanis* continuatur uſque in hodiernum Diem, non ſecùs ac Officium Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici ob Merita Sanctiſſimi Patriarchœ *Dominici*, & aliud Generalis Commiſſarij Sanctæ in Hæreticos Inquiſitionis in Gratiam S. *Petri Martyris*, atque *S. Pij* Papæ V, qui Palatium *S. Officij* ſpatioſiſſimum *Romæ* propè *Vaticanum* extruxit, & Congregationem *S. Officij* ampliavit. Sed de his uberiùs Cap. ii. Num. ii. Pag. 34.

XV. Porro Liber iſte ſub aſcititio *Philalethis* Nomine, ut ajebam, editus fuit contrà egregium Librum P. Magiſtri *Edmundi de Burgo*, Athenrienſis, Ordinis Prædicatorum, Apoſtolici tunc Miſſionarij in *Hibernia*, poſtmodùm Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologi (*r*), in quo Infallibilitas Summi Pontificis, & Privilegia quædam Regularibus à S. Sede conceſſa, validiſſimis Rationibus propugnantur.

Quam meritò autem *prohibitus*, atque *damnatus* fuit Liberculus ille *Philalethis*, parvulus quidem Mole, ſed plurima inſulſa continens, atque de triplici tractans Materia, ex mox dicendis clarebit.

Prima Parte uſque ad Pag. 12 contrà Magiſtrum *de Burgo* diſſerit de Modo probandi Summi Pontificis Infallibilitatem, ibique infringere conatur omnes ejus Rationes, quamquàm eædem ipſiſſimæ ſint, quibus alij doctiſſimi Theologi utuntur.

Secunda Parte uſque ad Pag. 28 agit de Confeſſione annua, & de Concilij *Lateranenſis* IV Canone: *Omnis utruſque Sexûs*, ubi Doctrinam omninò novam, in *Hibernia* prorsùs inauditam (*s*), necnon Sacris Canonibus, & præcipuè memorati Concilij *Lateranenſis* IV Senſui contrariam, Magiſterialiter docet, & dogmatizat.

Tertia denique Parte uſque ad Finem tractat de Obligatione audiendi Miſſam Parochialem Diebus Dominicis, & Feſtivis, ubi Doctrinam Conſcientiarum Quieti infenſiſſimam, Patrum ſenſui penitùs repugnantem, & Praxi Univerſalis Eccleſiæ diſſonam ſtabilit.

Ne autem Lectorem benevolum, necdum fortaſſis S. Theologiæ Candidatum, & tamen Momenta aliqua, quibus recenſiti refelluntur Errores, ſcire deſiderantem, ne, inquam, eum jejunum omninò dimittam, in Partibus præſertim Acatholicorum, expedit, ut memorata Tria Puncta levi ſaltem Pede percurram.

XVI. Ut igitur à Pontificia Infallibilitate incipiam, præmonearis oportet, Summum Pontificem ſpectari poſſe ut Perſonam particularem, & ut Paſtorem Univerſalis Eccleſiæ; ſeù, in Romano Pontifice ſeparari poſſe Perſonam à Dignitate Vicarij Chriſti, & Succeſſoris Divi *Petri* in Cathedra Apoſtolica. Ut Perſona particularis, Homo eſt, ſicut alij, fallibilis. Ut verò Chriſti Vices gerens eſt, & *ex Cathedra*, ut vocant Theologi, loquens, id eſt, tanquàm Paſtor, & Doctor, toti Eccleſiæ aliquid credendum proponens, eſt infallibilis in judicando, nec aliud Judicium expectandum eſt. Uno Verbo, Romanus Pontifex, *ex Cathedra* loquens, eſt infallibilis Regula Fidei, & Judex Controverſiarum, quæ de Rebus Fidei oriri ſolent. Cenſetur autem *ex Cathedra* loqui, quoties per Bullas toti Eccleſiæ aliquid Fide divinâ credendum proponit.

Hanc porrò Aſſertionem luculentiſſimè inculcat probatque Angelicus Doctor 2. 2. q. 1. art. 10, ubi quærens: *Utrùm ad Summum Pontificem pertineat Fidei Symbolum Ordinare*; in hunc Modum præclarè reſpondet: “ Dicendum, quod nova Editio Symboli neceſſarià eſt ad vitandum inſurgentes Errores. Ad
“ illius ergò Auctoritatem pertinet Editio Symboli, ad cujus Auctoritatem pertinet finaliter determinare ea,
“ quæ ſunt Fidei, ut ab omnibus inconcuſsâ Fide teneantur. Hoc autem pertinet ad Auctoritatem Sum-
“ mi Pontificis, ad quem majores, & difficiliores Eccleſiæ Quæſtiones referuntur, ut dicitur in Decretali-
“ bus, extrà, de Baptiſmo, C. *Majores*. Undè & Dominus Lucæ 22. Petro dixit, quem Summum Pon-
“ tificem conſtituit: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus*
“ *confirma Fratres tuos*. Et hujus Ratio eſt, quia una Fides debet eſſe totius Eccleſiæ, ſecundùm illud
“ 1. Cor. 1. *Id ipſum dicatis omnes, & non ſint in Vobis Schiſmata*. Quod ſervari non poſſet, niſi
“ Quæſtio Fidei exorta determinaretur per eum, qui toti Eccleſiæ præeſt, ut ſic ejus Sententia à tota Ec-
“ cleſia firmiter teneatur. Et ideò ad ſolam Auctoritatem Summi Pontificis pertinet nova Editio Symboli,
“ ſicut & omnia alia, quæ pertinent ad totam Eccleſiam, ut congregare Synodum Generalem, & alia hu-
“ juſmodi.” Et Quæſt. 10. *de Potentia*, art. 4. ad 13. oſtendit idem S. Doctor, “ Particulam *Filio-*
“ *que* juſtè additam fuiſſe Symbolo, quia id factum Auctoritate Eccleſiæ, & maximè Romani Pontificis,
“ cujus Auctoritas ſola ſufficit, quia *(inquit)* ſicut poſterior Synodus Poteſtatem habet interpretandi Sym-
“ bolum à priore Synodo conditum, ac proindè aliqua ad ejus Explanationem; ità etiam Romanus Pon-
“ tifex hoc ſuâ Auctoritate poteſt, cujus Auctoritate ſolâ Synodus congregari poteſt, & à quo Sententia
“ Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur. Quæ omnia patent ex geſtis Chalcedonenſis Sy-

“ nodi

(*r*) Plura de eo opportuniùs dicentur Cap. ix. §. viii. Num. iii. Lit. r; & Cap. xv. Num. xxx.

(*s*) Videſis Verba Nuncij Apoſtolici *Bruxellenſis*, poſteà S. R. E. Cardinalis, in hoc Cap. Num. xviii.

nodi. Nec eſt neceſſarium quod ad ejus Expoſitionem faciendam Univerſale Concilium congregetur." Hæc *S. Thomas*.

XVII. Et ſanè ſi Romanus Pontifex, qui eſt Eccleſiæ Caput, non foret in dirimendis Fidei Quæſtionibus infallibilis, felicior fuiſſet Synagoga, quàm Eccleſia; in illa quippè unus erat Summus Pontifex, qui omnes circà Legem exortas Controverſias infallibiliter terminabat. Meliùs itàque Ancillæ Synagogæ proviſum fuiſſet, quàm Sponſæ Eccleſiæ; meliùs Umbræ, quàm Corpori; meliùs Figuræ, quàm Rei figuratæ, Figurarumque omnium Conſummatrici, quod tàm abſurdum eſt quàm quod maximè.

Pontificia etiam Infallibilitas ex antiqua Eccleſiæ Praxi Luce meridianâ clarius patet. Enimverò plures Doctrinæ ut Hæreſes damnatæ fuere, & declaratæ à ſolo Romano Pontifice, nullo convocato Generali Concilio, quæ tamen ut Hæreſes à tota Eccleſia fuerunt habitæ. Eccleſia ſiquidem Chriſti Annis 325 ſine Generalibus ſtetit inconcuſſa Concilijs. Quis, amabò, tunc enatas *Baſilidis, Saturnini, Marcionis, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Montani,* aliorumque proſcripſit Hæreſes? Nonnè exiſtens pro Tempore Romanus Pontifex? Immò & poſt Æcumenica celebrari cæpta Concilia, *Manichæi, Aerius, Jovinianus, Helvidius, Pelagius,* alijque, ſolius Sedis Apoſtolicæ Auctoritate profligati ſunt. Si igitur priorum Sæculorum Hæreſes ſolus Romanus Pontifex judicavit, ejuſque Judicio tanquàm infallibili Univerſa, quà latè patet, Eccleſia, abjectâ omni Cunctatione, parebat: Cur non modò? Nunquàm profectò oblitterabitur, ſed Pontificijs ſemper Pectoribus altè infixum manebit celeberrimum illud *S. Auguſtini* Effatum, quod Occaſione damnatorum *Pelagij* Sectatorum protulit: *Româ,* inquit, *Reſcripta venerunt, Cauſa finita eſt.* Hinc idem S. Doctor Dogmata ſua contrà *Pelagianos* Summi Pontificis *S. Bonafacij* Primi Cenſuræ ſubdebat: *Hæc* (inquit) *quæ duabus Epiſtolis Pelegianorum iſtâ Diſputatione reſpondeo, ad Tuam potiſſimùm dirigere Sanctitatem, non tàm diſcenda quàm EXAMINANDA, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, EMENDANDA conſtitui.* Hinc etiam S. *Gregorius* Magnus (*t*) ait: *Si quam Contentionem de Fidei Cauſa evenire contigerit, noſtrâ debet ſine Dubio Sententiâ terminari.* Succinit egregiè *S. Bernardus* (*u*), Summum Pontificem alloquens mellifluis hiſce Verbis: "Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum Pericula quæque, & Scandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de Fide contingunt: Dignum namque arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri Damna Fidei, ubi NON POSSIT Fides ſentire Defectum; hæc quippè hujus Prærogativa Sedis, cui enim alteri aliquandò dictum eſt: *Ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua:* Ergò quod ſequitur à Petri Succeſſore exigitur: *Et tu aliquando confirma Fratres tuos.....* In eo planè Petri impletis Vicem, cujus tenetis & Sedem, ſi veſtrâ Admonitione Corda in Fide fluctuantia confirmatis, ſi Veſtrâ Auctoritate conteritis Fidei Corruptores." Quid planius, quid luculentiùs in aſſertionis hujus Confirmationem adduci poteſt?

Ipſa etiam Concilia Generalia Romani Pontificis Infallibilitatem apertiſſimè adſtipulantur. Etenim definita ab ijs Fidei Dogmata, fuerunt à Supremis Eccleſiæ Moderatoribus prædefinita. Non alia definivit *Epheſinum* adversùs *Neſtorium*, quàm antè *S. Cæleſtinus* Primus; non alia *Calcedonenſe* adverſus *Eutychetem*, quàm anteà *S. Leo* Magnus; non alia Sexta Synodus adversùs *Monothelitas*, quàm anteà *S. Agatho*; non alia Septima contra *Iconomachos*, quàm anteà *Adrianus* Primus; non alia demùm Octava contrà *Photium*, quàm anteà *S. Nicolaus* Primus, & *Adrianus* Secundus, prædefinivere. Accedit, quod *Epheſini* Patres ſcribunt, per Literas *S. Cæleſtini* Papæ ſibi *certam Sententiam, FIDEIQUE REGULAM præſcribi, & ſe nonniſi ROMÆ DEFINITA PERFICERE.* Similiter in Synodo *Calcedonenſi*, lectâ *S. Leonis* Epiſtolâ, Epiſcopi conclamaverunt: *HÆC Apoſtolorum FIDES; Anathema, qui non ità credit. Petrus per Leonem locutus eſt. Suſpecti ſubſcribant Epiſtolæ Leonis, qui non ſubſcribit, HÆRETICUS EST.* Demùm, ut plura alia miſſa faciam Exempla, notiſſima ſunt Verba Patrum Sextæ Synodi Generalis, qui, viſis *S. Agathonis* Papæ Literis, dixerunt: *Charta & Atramentum videbatur, & per Agathonem Petrus loquebatur. Per has Literas,* ſubjungunt, *multiplicis Erroris HÆRETICAM Sententiam depulimus.* Inſuper *Adriani* Primi Epiſtola à Concilio Septimo habita eſt *veluti Divinus Orthodoxiæ Terminus.* Illâ lectâ, priuſquàm vel Traditio producta fuiſſet, vel aliud quidpiam actum eſſet pro Controverſiâ

(*t*) Lib. iv. Epiſt. 52.

(*u*) Epiſt. 190. ad *Innocentium* ii.

troverſiâ Fidei dirimendâ, Patres in has certatìm Voces prorupuerunt: *Totà ſacratiſſima Synodus ità credit* (ſacras ſcilicèt Imagines eſſe venerandas), *ità ſapit, ità dogmatizat.* Synodi tandem Octavæ Patres inquiebant: *Nos novam de illo* (Photio) *Judicij Sententiam non ferimus, ſed jam olim à Sanctiſſimo Papa Nicolao, & Succeſſore illius Adriano, pronunciatam, quam nequaquàm poſſumus immutare.* Potueruntve, quæſo, Synodus illuſtriora pro Romani Pontificis Infallibilitate profundere Teſtimonia?

XVIII. Neque contraria Opinio, aſſerens nempè Romanum Pontificem infallibilem non eſſe ſine Concilio Generali, à tota Eccleſia *Gallicana* adoptatur, ut quidam, vel decepti, vel decipere volentes, in Vulgus ſpargunt. Enimverò præter *Aquinatem* Univerſitatis *Pariſienſis* Solem, omneſque Antiquos, ſuffragatur noſtris Temporibus vicinior, Doctor percelebris *Duvallius* (w), dicens: *Promiſſiones Chriſti pro Infallibilitatis Privilegio ad Romanos Pontifices Petri Succeſſores tranſiſſe, præter paucos, docent OMNES quotquòt ſunt Catholici Doctores . . , . . undè POTEST Pontifex ABSQUE SYNODO pro ſuæ Poteſtatis Monarchicæ Plenitudine Errores IRREFRAGABILITER damnare. Atque hanc velint nolint Adverſarij, liquidò VETERES Eccleſiæ Gallicanæ Proceres in Summis Pontificibus INFALLIBILITATEM ſemper agnoviſſe.*

Huc profectò facit Fragmentum Epiſtolæ, quam Conventus *Epiſcoporum Galliæ* habitus *Pariſijs*, Die 15 Julij 1653, dedit ad *Innocentium* Papam Decimum, qui, poſtulantibus compluribus *Galliarum* Antiſtitibus, Hæreſim *Janſenianam* Auctoritate ſuâ proſcripſerat. Ibi quippè Summum Pontificem ſic affatur (x): “Hujus Doctrinæ Lucem . . . priſtino Decori reſtituit, juxtà veterem Fidei Regulam . . . prolatum à Sanctitate Veſtra, poſtulantibus quampluribus Galliarum Epiſcopis, Decretum, de quo in Negotio illud Obſervatione dignum accidit, ut quemadmodùm ad Epiſcoporum Africæ Relationem, Innocentius Primus Pelagianam Hæreſim damnavit olim, ſic ad Gallicanorum Epiſcoporum Conſultationem, Hæreſim ex adverſo Pelagianæ oppoſitam Innocentius Decimus AUCTORITATE SUA proſcripſerit. Enimverò vetuſtæ illius Ætatis Eccleſia Catholica, Cathedræ Petri Communione, & Auctoritate fulta, quæ in Decretali Epiſtola Innocentij ad Africanos data elucebat, quamque dein Zozimi altera ad Univerſos Orbis Epiſcopos ſubſecuta eſt, Pelagianæ Hæreſis Damnationi abſque Cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habebat, non ſolùm ex Chriſti Domini Pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex Actis priorum Pontificum, & ex Anathematiſmis adversùs Appollinarium, & Macedonium, NONDUM AB ULLA SYNODO ÆCUMENICA DAMNATOS, à Damaſo paulò anteà jactis, Judicia pro SANCIENDA REGULA FIDEI à Summis Pontificibus lata, ſuper Epiſcoporum Conſultatione (ſivè ſuam in Actis Relationis Sententiam ponant, ſivè omittant, prout illis collibuerit) DIVINA æquè ac SUMMA per univerſam Eccleſiam AUCTORITATE niti, cui Chriſtiani omnes ex Officio ipſius quoque Mentis Obſequia præſtare teneantur. Eâ Nos quoque Sententiâ, ac FIDE imbuti, Romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in Summo Pontifice Innocentio Decimo viget, Auctoritatem debitâ Obſervantiâ colentes, Conſtitutionem DIVINI NUMINIS INSTINCTU à Beatudine Veſtra conditam, Nobiſque traditam ab Illuſtriſſimo Athenarum Archiepiſcopo, Nuncio Apoſtolico, promulgandam curabimus in Eccleſijs, ac Diæceſibus noſtris, atque illius Executionem apud fideles Populos urgebimus.” Hæc *Gallicani Epiſcopi*, quæ ſigillatim præclareqùe expendit Eminentiſſimus Cardinalis *Gottus* (y).

Immo neque à communi hac Theologorum Sententia diſſidet famoſus *Cornelius Janſenius*, Epiſcopus *Iprenſis*, qui in illud Chriſti Domini ad *Petrum*, *Lucæ* 22: *Confirma Fratres tuos*, hæc habet: “Quia confirmare Fratres ad Officium Paſtoris pertinet, & proindè perpetuum eſſe debet, hinc Chriſtus juxtà Sententiam Antiquorum impetravit ei *(Petro)* & aliud Privilegium, ad Succeſſores propagandum, ut videlicèt tanquàm Caput Eccleſiæ, nec IPSE nec SUCCESSORES EJUS in DOCENDA VERA FIDE DEFICERENT, juxtà illud *Leonis*, Serm. 3. de Aſſumptione ſua ad Pontificatum: *In Petro omnium Fortitudo munitur.* Et illud *Bernardi* Epiſt. 190 ad Innocentium: *Dignum arbitror, ibi potiſſimum reſarciri Damnæ Fidei, ubi NON POSSIT FIDES SENTIRE DEFECTUM.*”

Etsi porrò ità ſentiat *Janſenius*, ejus tamen Diſcipuli, ſuprà Magiſtrum eſſe affectantes, *Janſeniſtæ*, inquam, contrariam mordicùs tuentur Opinionem. Sed quod magnoperè dolendum eſt,

& nun-

(w) Part. i. Quæſt. ii.

(x) Fragmentum hoc tranſcribo ex Eminentiſſimo Card. *Gotto*, Tract. *de Locis Theolog*. q. 3. Dub. vi. Num. ix.

(y) Loco mox laudato. De Cardinali autem ipſo dicetur Cap xii. §. i. Num xxii.

& nunquàm ſatis deplorandum, eorum Operâ (z) ſuſpectæ id Genus Sententiæ *uſque à non multo Tempore tranſvectæ ſunt in Hiberniam, ubi Catholica Religio, & Obſervantia ergà S. Romanam Eccleſiam* (a) *purior, & ſine macula, ac Ruga, conſervata fuit,* inquit Excellentiſſimus Nuntius Apoſtolicus *Bruxellenſis, Silvius Valenti-Gonzaga,* Archiepiſcopus *Neocæſarienſis* (poſtmodùm S. R. E. Cardinalis Camerarius, & S. Congregationis *de Propaganda Fide* Præfectus) in Epiſtola ad Quatuor *Hiberniæ* Archiepiſcopos, Die 9 Septembris 1733, in cujus Calce inter alia eos rogat, obteſtaturque, *ut nulli omninò detur Locus Catechiſmo niſi Romano* (b), *cui uſque adhuc indeſinenter Fides Hiberna ſe conformavit tàm ſtrenuè quàm glorioſè* (c).

Cæterum ijs, quæ de Summo Pontifice obiter dicta ſunt, Colophonem apponent mellíflua, Cedroque digna *S. Bernardi* Verba, *Eugenium* III ſic alloquentis (d): *Age indagemus diligentius quis ſis, & quam geras pro Tempore Perſonam in Eccleſia Dei? Qui, es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, Tu Hæres Apoſtolorum, Tu Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraham, Ordine Melchiſedech, Dignitate Aaron, Auctoritate Moyſes, Judicatu Samuel, Poteſtate Petrus, Unctione Chriſtus. Tu es, cui Claves traditæ, cui Oves concreditæ ſunt. Sunt quidem & alij Cæli Janitores, & Gregum Paſtores: Sed Tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumqne præ cæteris Nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos Greges, ſinguli ſingulos, Tibi univerſi concrediti, uni unus.* Hæc Mellifluus Doctor.

XIX. Quod autem attinet ad Præceptum Confeſſionis Annuæ, quæ communiter fit in Paſchate, & Canone: *Omnis utriuſque Sexûs,* de quibus, ut nuper ajebam (e), diſſerit *Philalethes* Parte Secundâ ſui Libelli; Tibi, benigne Lector, ſat ſuperque erit percurrere Opuſculum XIX, quod contrà *Gulielmum de S. Amore* (f) edidit Angelicus Doctor, hoc inſcriptum Titulo: *Contrà impugnantes Religionem* (g), ubi omnia *Gulielmi* Argumenta ſigillatim diluit, atque *Philalethis,* cæterorumque *Gulielmi* Diſcipulorum Argutias uberi Calamo præfocavit. Non poſſum tamen, etſi Brevitati conſulens, quin in Medium proferam Angelicam, quam tradit, Expoſitionem Vocabulorum *Proprius Sacerdos,* quibus maximè inniti videtur *Philalethes.*

Inter alia igitur *Gulielmi* Argumenta hoc ſibi objicit *S. Thomas* (h): “Prætereà, extrà, *de Pænitentijs & Remiſſionibus,* dicit Innocentius in Concilio Generali: *Omnis utriuſque Sexûs Fidelis, poſtquàm ad Annos Diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus Peccata ſaltem ſemel in Anno confiteatur proprio Sacerdoti*; Sed ille, qui abſolutus eſt à Peccatis prædictis, non tenetur ulteriùs Peccata confiteri: Ergò ſi aliquis quàm proprius Sacerdos poſſet Confeſſiones audire, & abſolvere aliquem, ille non teneretur ſemel in Anno confiteri proprio Sacerdoti, quod eſt contrà Decretalem inductam.”

En ipſiſſima *Philalethis,* aliorumque ejuſdem Furfuris Theologorum Argumentum, ad quod Angelicus Doctor breviter reſpondet: “Dicendum, quod SACERDOS PROPRIUS non ſolùm eſt Parochialis, ſed etiam Epiſcopus, vel Papa, ad quos etiam magis pertinet Cura ejus, quàm ad Sacerdotem, ut multipliciter oſtenſum eſt (i). *Proprium* enim hic non accipitur ſecundùm quod dividitur contrà *commune,* ſed ſecundùm quod dividitur contrà *alienum.* Undè qui confeſſus eſt Epiſcopo ſuo, vel alicui habenti Vicem ejus, confeſſus eſt PROPRIO SACERDOTI.” Et paucis interjectis idem S. Doctor Achillem præfocat *Philalethis* Rationem in hunc Modum: “Ad aliud, quod poſteà objicitur, quod Preſbyteri Parochiales, cùm ſint Rectores Animarum, debent diligenter agnoſcere Vultum Pecoris ſibi commiſſi, quod non poſſunt facere niſi eorum Confeſſiones audiant: Dicendum, quod de Bonitate, vel Malitia alicujus conſtare poteſt alicui, non ſolùm per propriam Confeſſionem, ſed etiam per Sententiam Superioris de eo latam. Undè ſi Epiſcopus Subditum Sacerdotis abſolvat, vel per ſe, vel

---

(z) Confer Num. vi. hujus Capitis.

(a) Adeas Cap. i. Num. xvii. Pag. 26. & Cap. xvii. Num. xxv.

(b) Recolendus Num. xiv. Cap. præs. ad Lit. q. Pag. 165.

(c) Aliud ejuſdem Epiſtolæ Fragmentum exhibetur Num. xxi. Cap. præs.

(d) Lib. ii. de *Conſideratione,* Cap. viii.

(e) Num. xv. hujus Capitis. Pag. 166.

(f) Videſis pravas ejus Aſſertiones Cap. iii. Num. x. Pag. 61.

(g) Loco mox citato legenda ſunt Pſalmiſtæ Verba quibus *S. Thomas* Opuſculum iſtud inchoatur.

(h) Cap. iv. laudati Opuſculi.

(i) Scilicet in eodem Cap. iv.

“ per alium, cui ipſe commiſit, Sacerdos Parochialis itâ debet ſe reputare cognoſcere eum, ac ſi
“ ſibi confeſſus eſſet, cùm jàm ſit per Superioris Sententiam approbatus, de qua ei judicare non
“ licet.”

Quibus Locis innuit Angelicus Doctor *Proprij Sacerdotis* Nomine in *Lateranenſi* Concilio itâ deſignari Parochum, ut tamen Summus Pontifex, Epiſcopi, eorum Pænitentiarij, & quivis alij Sacerdotes, cùm Sæculares, tùm Regulares. ad excipiendas Fidelium Confeſſiones approbati, nequaquàm excludantur. Et ſanè ab omni Veri Specie alienum eſt, *Innocentium* III, Pontificem Maximum, & Quadringentos ampliùs Epiſcopos, qui memoratum Canonem : *Omnis Utriuſque Sexûs*, in Concilio *Lateranenſi* IV condiderunt, Sacramenti Pænitentiæ Adminiſtrationem itâ Parochis addixiſſe, ut Romano Pontifici, & Epiſcopis, quibus Fideles, & ipſi Parochi ſubditi ſunt, Jus Sacramenti Pænitentiæ Fidelibus Tempore Paſchali adminiſtrandi adimere voluerint. Quod ſi ſemel fateatur *Philalethes*, ejuſve Sectatores, *Innocentium* III, & Patres *Lateranenſes*, Nomine *Proprij Sacerdotis* intellexiſſe non ſolùm Parochos, ſed etiam Summum Pontificem, & Epiſcopos, neceſſe itidem eſt, ut fateantur, Summum Pontificem, & Epiſcopos, non ſolùm per ſe Confeſſiones audire, ſed etiam adminiſtrandi quovis Anni Tempore Penitentiæ Sacramenti Provinciam ſelectis à ſe approbatis Sacerdotibus, ſivè Sæcularibus, ſivè Regularibus, committere poſſe, ac ſubindè Regulares à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopis approbatos, Facultatem habere Confeſſiones Fidelium excipiendi, etiam Tempore Paſchali, abſque Licentia Parochi.

XX. Genuinam proindè *S. Thomæ* Interpretationem circà Senſum Canonis : *Omnis utriuſque Sexûs*, approbarunt Romani Pontifices, quotquot fermè fuere à *Gregorio* IX ad noſtra uſque Tempora, ut ex eorum liquet Conſtitutionibus, in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legendis. Eos inter *Joannes* XXII in Extravaganti : *Vas Electionis (k)*, Anno 1321, damnavit *Joannem de Poliaco*, Theologum *Pariſienſem*, quod aſſereret, Confeſſiones, Sacerdotibus Regularibus factas, iterandas eſſe Parocho, neque Summum Pontificem Sacerdotibus Regularibus dare poſſe Facultatem, ut Fideles Tempore Paſchali alteri quàm Eccleſiæ ſuæ Parocho confiterentur. Ipſius porrò Propoſitiones confixas jam alibi recenſui (*l*). Eoſdem *Joannis de Poliaco* Errores, quos nonnulli Anno 1409 vindicare, ac mordicùs defendere Auſu temerario præſumebant, *Alexander* V confixit Diplomate, quod incipit : *Regnans in Excelſis*, in *Bullario* mox laudato videndum (*m*). Hùc etiam faciunt, quæ lato Calamo ſuperiùs retuli de *Richardi Fitz-Ralph*, Archiepiſcopi *Armacani*, & *Philippi Norriſij*, Decani *Dublinienſis*, Erroribus contrà Religioſos Mendicantes propalatis (*n*).

Ex duplici igitur Capite habent Regulares, à Locorum Ordinarijs approbati, quod excipere poſſint Confeſſiones in Paſchate, quandò Annuæ Confeſſionis Præcepto communiter ſatisfit, haud obſtante ſæpè laudato Canone, quia nempè & Epiſcopi, & Romani Pontificis, qui ſummus & *proprijſſimus* eſt Fidelium omnium *Sacerdos*, Facultatem habent. Hìnc ipſi etiam Epiſcopi impedire nequeunt Regulares, à Sede Apoſtolica privilegiatos, & à Locorum Ordinarijs, ut præfertur, approbatos, quin eorum Subditis Pænitentiæ Sacramentum in Paſchate adminiſtrent. Id perſpicuè apparet ex eo, ut innumera alia Brevitatis ergò miſſa faciam Momenta, quod cùm Anno 1644 eâ de Re orta eſſet *Henricum* Archiepiſcopum *Burdigalenſem* inter, & Regulares Controverſia, *Innocentius* X, poſt maturam à S. Congregatione Cardinalium, Concilij *Tridentini* Interpretum, Cauſæ Diſcuſſionem habitam, Diploma dedit hiſce conceptum Verbis (*o*):

“ Exponi Nobis nuper fecerunt delecti Filij Regulares Civitatis Burdigalenſis, quod aliàs à Venerabilibus
“ Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, Concilij Tridentini Interpretibus, emanavit Decretum Tenoris
“ ſequentis, videlicèt. Die IX Julij MDCXLIV, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilij
“ Tridentini Interpretum, poſt maturam Diſcuſſionem cenſuit, Archiepiſcopum non poſſe prohibere
“ Regularibus habentibus Privilegia Apoſtolica, ut à Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis
“ incluſivè adminiſtrare non valeant Perſonis Sæcularibus Sacramentum Confeſſionis,” Et paucis de More interjectis,

---

(*k*) Videſis iſtam Extravagantem per extenſum Cap. iii. Num. xiv. Pag 64.

(*l*) Cap. iii. Num. xi. Pag. 61.

(*m*) Tom. ii. Pag. 501.

(*n*) Cap. iii. Num. xii, xiii, & xiv ; à Pag. 62. ac Cap. iv. Num. i, ii, iii, & iv. à Pag. 67.

(*o*) Ex *Bullario Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 146.

interjectis, ſubjungit Pontifex: “ Decretum præinſertum Apoſtolicâ Auctoritate Tenore Præſentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabiliter Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos, tàm Juris, quàm Facti Defectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint, ſupplemus &c. Non obſtantibus &c.” Undè meritò *Clemens* X in Conſtitutione, quæ incipit: *Superna*, datâ XI Kal. Junij 1670, hoc idem confirmans, declarat: “ Et eos, qui dictis Religioſis, ſimpliciter approbatis, Paſchali Tempore confeſſi fuerint, Conſtitutioni, quæ incipit: *Omnis utriuſque Sexûs*, quoad Confeſſionem duntaxàt (*p*) ſatisfeciſſe cenſendos.”

(*p*) Particula reſtrictiva *duntaxàt* conſultò apponitur à *Clemente*, quia Canon iſte duo innuit Præcepta, nimirùm de Confeſſione Annua, & de Communione Paſchali. Enimverò etſi Confeſſio Annua peragi valeat apud Regulares, ſecûs tamen Communio Paſchalis, quæ in Eccleſia Parochiali omninò facienda eſt. Cæterùm, ut obiter dicam, *Paſchali etiam Tempore, immo etiam in ipſo Die Paſchatis, apud Religioſos communicare ex Devotione, moderna Praxis non improbat*, inquit Magiſter *Martinus Wigandt*, Tract. xii. Num. xlviii. Quandò igitur Regularibus prohibetur, ne Tèmpore Paſchali Sacramentum Euchariſtiæ Laicis adminiſtrent, Sermo eſt de Communione *impletiva* Præcepti Eccleſiæ, non autem de illa, quæ fit tantùm *ex Devotione*, ut acutè prudenterque diſtinguit Magiſter *Joannes De la Cruz*, Lib. ii. de *Statu Religionis, & Privilegijs*, &c. Cap. v. Dub. iv. Pag. 693, Editionis *Pariſienſis* 1673, laudans *Suarem* 3. p. Diſt. 82. Seſſ. 2.

Quo fit, ut Laicus, qui ut *Præceptum ſervaret* communicandi, ſumpſit Euchariſtiam in propria Parochia Die Palmarum, aut Cænæ Domini, vel alio Die ſumpturus ſit, poterit *ex Devotione* communicare in Eccleſijs Regularium, ipſo etiam Die Reſurrectionis Dominicæ, juxtà modernam Praxim, cui, ut video planè, ſuffragatur Ratio. Cûm namque *impletum* jam ſit, aut *implendum* Paſchalis Communionis Præceptum, adeoque Laico iſti liberum ſit ad Euchariſtiam Die Reſurrectionis accedere, vel non accedere, non eſt cur prohibeatur illam eo Die *ex Devotione* ſumere in Eccleſijs Regularium, putà quia eſt Dominica prima Menſis deſtinata pro Indulgentijs SS. Roſarij &c. Ità tenent, ultrà mox laudatos, *Felix Poteſtas*, Tom. i. Part. iii. *de* iii *Eccleſiæ Præcepto*; *Tamburinus*, Tom. ii. Pag. 430, Num. 48; & noviſſimè Magiſter *Carolus Renatus Billuart*, Provincialis *S. Roſæ* in *Belgio*, Ordinis noſtri, etiamnùm florens, Tract. *de Euchar.* Diſſert. vi. Art. i. Præſtat autem in Medium afferre quæ hac de Re habet, non Regularis, ſed Sæcularis Sacerdos, *Martinus Bonacina*, S. Theologiæ, & Juris Utriuſque Doctor, necnon Referendarius Apoſtolicus, Apoſtolicuſque Nuntius ad Aulam Imperialem *Viennenſem* deſtinatus, Tom. i. Diſp. iv, Quæſt. vii. Punct. ii, in ii Propoſ. nimirùm: *Qui Præceptum Communionis adimplevit in Hebdomada Sancta, ſi velit in Die Paſchatis Euchariſtiam ſumere, poſſit eam ſumere à quocunque Sacerdote in alia Eccleſia. Ratio eſt, quia qui Præceptum Communionis adimplevit in Hebdomada Sancta, nnllo Jure obligatur in Die Paſchatis communicare: Ergo ſi velit communicare, poteſt a quocunque eo Die Communionem ſumere. Tum quia Privilegia, quibus conceditur Facultas Euchariſtiæ adminiſtrandæ, accepto Die Paſchatis, intelliguntur FORMALITER FRO COMMUNIONE PASCHATIS, ut Ovis ſuum Paſtorem, & ſuam Eccleſiam agnoſcat.* Hæc *Bonacina*.

Quia hùc flectit Oratio, placet in Medium afferre ſequentes *Pauli* Papæ V. Literas Apoſtolicas, pro Regno *Hiberniæ* expeditas, quas ex Conſtitutionibus editis in Concilio Provinciali Provinciæ *Dublinienſis*, habito in Urbe *Kilkennienſi* Menſe Junij 1624. §. *de Miſſæ Sacrificio, & Euchariſtiæ Sacramento*, tranſcribo.

“ PAULUS PAPA V.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filij Incolæ Regni Hiberniæ, quod cùm ipſi in tanta HæreſumLue divino Beneficio Catholici fermè omnes ſint, & Imperium etiam Hæreticorum patiantur: Qui adeò acerbè Religioſos & Sacerdotes vexant, ut palàm ſe oſtendere non audeant: Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum propterea ob Paucitatem Miniſtrorum Eccleſiaſticorum omnibus Chriſtifidelibus circà Feſtum Paſchatis (ut eſt Jure ſtabilitum) nequaquàm poſſit miniſtrari. Quare eorundem Incolarum Nomine Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs eis in præmiſſis opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur juſtis & honeſtis eorum Votis annuere, quantùm in Domino poſſumus, cupientes; hujuſmodi Supplicationibus inclinati, tàm Sacerdotibus miniſtrandi, quàm omnibus alijs utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus dicti Regni Sacramentum prædictum de Feria quarta Cinerum uſque ad Feſtum Aſcenſionis Domini (dummodò tamen neceſſe fiat, ut circà dictum Paſchatis Tempus ſuſcipi non poſſit) ſuſcipiendi Licentiam concedimus, & impertimur: Ac per hujuſmodi Miniſtrationem Sacerdotes, ac per Suſceptionem alij utriuſque Sexûs Chriſtifideles, Conſtitutioni Innocentij Papæ III Prædeceſſoris noſtri (quæ incipit: *Omnis utriuſ-*

Id ulterius probat noſter *Natalis Alexander* (q) pluribus Synodis *Gallicanis*, nempè Diæceſanis *Nemauſenſi* Anno 1284, *Lingonenſi* 1452, *Sueſſionenſi* 1502, & 1515, *Truenſi* 1527, *Tholoſana* 1530, & *Succeſſionenſi* 1561; atque Provincialibus *Rotomagenſi* 1581, *Aquenſi* 1585, & *Cameracenſi* 1586. Quibus adimitur Subterfugium, quo ſe tueri conatur *Philalethes* dicens, contrarium à *Gallicana Eccleſia* ſervari. Succinit Decretum S. Congregationis Cardinalium *de Propaganda Fide* contrà *Patritium Cuſack*, Epiſcopum *Midenſem*, ejuſque Synodum Diæceſanam, Anno 1686. Quippè Verba Statuti III prælibatæ Synodi ſunt: *Statuimus, & ordinamus, ut nullus Sacerdos, ſive Sæcularis, ſive Regularis, qui Animarum Curam non habet, etiamſi in Examine repertus fuerit idoneus, ultrà Annum ad Confeſſiones Sæcularium audiendas approbetur.* Reſpondet S. Congregatio: *REFORMANDUM juxtà Conſtitutionem San. Mem. CLEMENTIS* X, *in Ordine* VIII, *quæ ſic habet: Illos autem Religioſos, qui ad Coufeſſiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab Epiſcopo quoque GENERALITER, & INDISTINCTE abſque LIMITATIONE TEMPORIS, certorumque Locorum, aut Generis Perſonarum, in Diæceſi propria admittendos.*

Sed de his jam ſatis. Conſule, ſi plura deſideres, Eminentiſſimum *Gottum* (r), Rmum *Bremond* (s), *Sylvium* (t), *Natalem Alexandrum* (u) *Hyacinthum Amat de Graveſon* (w) *Ludovicum Habertum* (x) alioſque graviſſimos Theologos omnium Nationum, tàm Sæculares, quàm Regulares, quos perſcribere longum foret. Unum addidiſſe pro noſtris *Hiberniæ* Miſſionibus non abs Re erit, nempè, ad veram Pacem in utroque Clero, tàm Sæculari, quàm Regulari, ſartam tectam perpetuò conſervandam, vehementer optandum eſſe, ut omnes, cùm Parochi, cùm Viri Regulares, ad unam Dei Gloriam, & Animarum Salutem in Sacramenti Pænitentiæ Adminiſtratione ſummâ ſemper Conſenſione collaborent, & Obſequia, quæ reddunt Eccleſiæ, exigant ad Charitatis Regulam, ſecundùm quam facilè iſta finietur Controverſia. Si enim Parochi ſolâ Charitate ducantur, Viros Religioſos ab Epiſcopis approbatos, Zelo Salutis Animarum ferventes, ſibi in Sacramenti Pænitentiæ Adminiſtratione Adjutores, & Cooperatores datos maximâ Benevolentiâ complectentur. Similiter, ſi Regulares Privilegia, ſibi à Summis Pontificibus, Concilijſque in Fidelium ſpirituale Commodum conceſſa, eorumque Uſum ad unius Charitatis Finem referant, ijs modeſtè utentur, nec ullum unquàm Negotium faceſſent Parochis, quibus ad procurandam Animarum Salutem velut Cooperatores, & Coadjutores à Summis Pontificibus, & Epiſcopis ſunt adjecti. Sicque mutuam ſibimetipſis Opem ferent juxtà prudentiſſimum *Joannis Gerſonij*, Sacræ Facultatis *Pariſienſis* Cancellarij Conſilium (y), dicentis:" Status uterque ſtudeat alter alterius Onera portare ſine Contentione, & Æmulatione
" . . . . ne, ſi invicem More Cornicum ſe mordeant, conſumantur. Ne prætereà ſurgat fæda
" Opinio Eccleſiaſticorum apud Laicos, & vituperetur Miniſterium Verbi Dei. Nonnè Deus,
" quæſo, abundè dives eſt pro omnibus? Nonnè Pacis eſt Deus, non Diviſionis? Denique quid
" prodeſt Phariſaica Contentio de Statûs Præeminentia? Quid ſanctius eſt dare Operam, ut quis
" perfectus inveniatur, quàm ſi jacens in imis, de Perfectione Statûs glorietur?"

XXI. Demum quod ad tertium attinet Punctum, de quo, ut ſuperius ajebam (z), *Philalethes* tertiâ ſui Libelli Parte ad Finem uſque diſſerit; ibi adſtruere conatur Obligationem audiendi Miſſam Parochialem Diebus Dominicis, ac Feſtivis, & quidem contrà Urbis & Orbis Praxim univerſalem. Quod ſanè *eò magis calamitoſum eſt*, ut Verbis utar Excellentiſſimi Nuntij Apoſtolici *Bruxel-*

" *que Sexûs)* ſatisfacere, & ſatisfeciſſe omninò cen-
" ſeantur. Non obſtante prædictâ, ac quibuſvis
" alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtoli-
" cis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum
" Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die
" 28 Martij 1607, Pontificatûs noſtri Anno Se-
" cundo. *Scipio Cobellutius.*

(q) In *Theologia Dogmatica*, & *Morali*, Part. II. *de Pænit.* Art. viii. Prop. v.

(r) Tract. *de Pænit.* Quæſ. vii. Dub. ii. §. iv.

(s) In *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. viii. Tit. vii. Quæſt. viii. præſertìm à Num. xlvi. P. 342.

(t) In Supplem. 3. p. q. 8. art. 5.

(u) In *Theol. Dogm.* & *Moral.* Part. II. de *Pænit.* Art. VIII. Prop. v. & in *Hiſtor. Eccleſ.* Sæculi XIII. & XIV. Diſſert. de Senſu Canonis, *Omnis utriuſque Sexûs.*

(w) Tom. vi. Hiſt. Eccleſ. Colloq. vi.

(x) Tom. vi. *Theologiæ Dogmaticæ*, & *Moralis*, Cap. vi.

(y) *De Statibus Eccleſiæ*, Conſideratione II.

(z) Num. xv. hujus Capitis, Pag. 166.

Bruxellenſis, Sylvij nempè *Valenti-Gonzaga*, poſtmodùm S. R. E. Cardinalis Eminentiſſimi (*a*), *quod Inimicus Homo Zizanium hoc ſuperſeminaverit in Agro*, Regno nimirùm Hiberniæ ſub Hæreticorum Imperio, *ubi difficilis datur Agricolæ Acceſſus ad illum pnrgandum, & ad debitam Frngem reddigendam.*

Porro “ non eſt Obligatio audiendi Miſſam in Parochia propria, ſatisfit enim Præcepto, quamvis Domi, & extrà Eccleſiam audiatur, aut in Eccleſia audiatur aliena, ut dicit *Sylveſter*, Verbo *Miſſa* II. §. 5. & *Tabiena* Verbo *Miſſa* V. §. 51,” inquit Cardinalis *Toletus* (*b*). Præiverat *S. Antoninus*, Archiepiſcopus *Florentinus* (*c*), cui Theologi, & Canoniſtæ, tàm antiqui, quàm moderni, communiter ſubſcribunt.

Neque obſtat palmare *Philalethis* Argumentum, nempè Concilium *Tridentinum (d)* in hunc Modum decernere : *Moneat Epiſcopus Populum diligenter, teneri unumquemqne Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.* Non obſtat, inquam, illæ ſiquidem Particulæ *moneat*, & *ubi commodè id fieri poteſt*, ſat clarè indicant, non eſſe Præceptum, ſed expedire duntaxàt, ut quandòque unuſquiſque Parochiæ ſuæ interſit, aliàs quippè Cenſuris, Mulctis, alijſque Pænis ad id cogere deberet Epiſcopus, & non tantùm *monere*. At quod id præſtare nequeat Epiſcopus Luce meridianâ clarius patet ex Cardinali *de Lugo* (*e*), & *Azorio (f)*, qui ea de Re afferunt Declarationem Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, his conceptam Verbis: *Non poſſe Ordinarium Mulctis, & Pænis cogere ad audiendam Miſſam, vel Concionem in propria Parochia, etiàm in Caſu Negligentiæ.* Quod ſi duobus iſtis Auctoribus, utpotè Regularibus, minùs fidat *Philalethes*, aliuſve quiſpiam, legere poterit eandem Declarationem apud *Barboſam* (*g*), qui etiam noſtram amplectitur Sententiam, pro eaque pluſquàm Viginti Scriptores, partìm Theologos, partìm Canoniſtas, quà Sæculares, quà Regulares, laudat. Idem quoque declaravit Sacra Congregatio Cardinalium *de Propaganda Fide* Die 22 Auguſti 1686, caſſans reſpectivè & reformans Acta Synodi Diæceſanæ *Midenſis* ſub Illmo D. *Patritio Cuſack*, ejuſdem Diæceſis Epiſcopo, nuper memorato.

Audiamus inſuper ipſummet Summum Pontificem *S. Pium* V, qui Mentem Concilij *Tridentini* ſummoperè aſſecutus eſt, utpote eidem coævus quà S. R. E. Cardinalis, atque Epiſcopus *Montis Regalis (h)*. Nobis autem apertiſſimè favet in Conſtitutione : *Etſi Mendicantium (i)*, ubi ſequentia habet Verba, longiuſcula quidem, pulchriora tamen quàm ut non exſcribantur, ijs ſiquidem nonnulla alia Regularium Privilegia inculcantur: “ Et inſupei *(inquit S. Pius)* Seſſione XXII Decretum, per quod Populum ſæpè ad ſuas Eccleſias, ſaltem Dominicis, & majoribus Feſtivis Diebus, convenire debere monet, inſequendo volumus, quod Fratribus Mendicantibus hujuſmodi non ſolùm prohiberi non poſſit, ne Miſſas, & alia Divina Officia faciant in eorum Eccleſijs, verùm etiam in quibuſcunque alijs, ubi celebrari Miſſas ſolitum eſt, etiam ipſis non vocatis, ſeù ad id non requiſitis, celebrare valeant: Ac etiam quod Conciones, & Lectiones Sacræ Scripturæ, & Sermones pro mortuis, etiam in Eccleſijs facere, ac Eleemoſynas pro celebrandis hujuſmodi Miſſis, & alijs Divinis Officijs peragendis, ſi eis illas donari, ſeù relinqui contingat, recipere, necnon Miſſas, & Divina Officia hujuſmodi, etiam in Diebus Dominicis, vel Feſtivis, etiam antequàm Rector Parochialis Eccleſiæ celebraverit, celebrare, & facere, & quandò eis videtur, etiamſi tunc in Eccleſia Cathedrali prædicetur, prædicare, ac etiam quicunque utriuſque Sexûs Chriſtifideles totius Anni Tempore, illas, & illa, IN ECCLESIJS FRATRUM HUJUSMODI audire poſſint: Ipſi Chriſtifideles ullatenùs deſuper moleſtari, aut impediri, per Locorum Ordinorios, ſeù Rectores Parochialium Eccleſiarum, aut alios quoſcunque, ullo Pacto, Causâ, vel Occaſione, non valeant, ſeu debeant: Sed præfati Chriſtifideles audiendo Miſſas, & alia Divina Officia in Eccleſia Fratrum hujuſmodi DIEBUS DOMINICIS, AUT FESTIVIS, Præcepto Eccleſiæ de illis audiendis SATISFECISSE cenſeantur.”

Omnia

(*a*) In Epiſtola ad Quatuor *Hiberniæ* Archiepiſcopos, Die 9 Septembris 1733, cujus aliud Fragmentum exſcripſi Num. xviii. hujus Capitis, Pag. 169.

(*b*) Lib. vi. Cap. vii. Num. 3.

(*c*) Part. ii. Tit. ix. Cap. x. §. i. D. 4.

(*d*) Seſſ. xxiv. *de Reform.* Cap. iv.

(*e*) Diſp. xxii. Sect. i.

(*f*) Tom. i. Lib. vii. Cap. viii. Quæſt. vi.

(*g*) In *Trident.* Seſſ. xxii. Cap. viii, *de Sacrificio Miſſæ* ; & Seſſ. xxiv. *de Reform.* Cap. iv. Num. xii ; item Tractatu *de Officio & Poteſtate Parochi.*

(*h*) Vulgò *Mondovi* in *Subalpinis*, *ſeu Pedemontio.*

(*i*) Legendâ in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. v. Pag. 160, & Tom. viii. Pag. 344. Num. v.

OMNIA igitur Decreta, quæ obligare videntur Parochianos ad Miſſæ aſſiſtendum in propria Parochia, ſic intelligenda ſunt, ut ſcilicèt cum proprij Parochi Contemptu Sacrum non audiant extrà Parochiam. Undè Cap. *Ut Dominicis*, Tit. *de Parochijs & alienis Parochianis*, jubentur Preſbyteri Parochiales Dominicis Diebus, & Feſtivis, Parochianos alienos ad Miſſam non admittere, ſi ex Contemptu ad eorum Eccleſiam accedant. En ipſa Decreti Verba : *Ut Dominicis, vel Feſtivis Deibus Preſbyteri, antequam Miſſam celebrent, Plebem interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui, proprio contempto Preſbytero, ibi velit Miſſam audire, quem ſi invenerit, ſtatìm ab Eccleſia abjiciant.* Et certè id non tantùm inſinuat, ſed & manifeſtè docet Univerſalis Fidelium Conſuetudo, & ipſorum etiam Parochorum doctorum, & Confeſſariorum, qui Pænitentes hâc de Re non interrogant. Immò in ipſa Urbe, Orbis Catholici Matre, & Capite, quid, amabò, communiùs practicatur quàm Sacro in Eccleſijs Regularium, & alibi extrà propriam Parochiam, Dominicis, Feſtiviſque Diebus intereſſe, ſicut & Peccata apud eoſdem Regulares, etiam Paſchali Tempore, deponere ?

UTRUMQUE diſertis Verbis confirmat *Clemens* VIII, Pontifex Maximus, Anno 1592. Cùm enim ipſi “ ſignificatum fuiſſet (*k*), non ſine gravi Animi Moleſtia nuper in Oppido Duacenſi, Attrebatenſis (*l*) Diæceſis, nonnullos Parochos, maximo cum Fidelium Scandalo, tùm docendo, & concionando, tùm omnes Reprehenſionibus, & Cenſurarum Eccleſiaſticarum Comminationibus perterrendo, Fideles Chriſti avertere, ne Feſtivis Diebus ad Eccleſias Fratrum Ordinum Mendicantium, atque Collegij Societatis JESU, pro Miſſis audiendis accedere, & ne etiam Quadrageſimali, ac Paſchali Tempore Fratribus dictorum Ordinum, ac Preſbyteros Societatis JESU, Peccata ſua confiteri poſſent, auſos fuiſſe.” Idem Pontifex *Clemens* Controverſiam hanc *Duaci* excitatam his dirimit Verbis : “ Præſenti noſtro Decreto ſancimus, licere Secularibus, Chriſtique Fidelibus Univerſis Miſſas Diebus Dominicis & Feſtis alijs Majoribus audire in Eccleſijs tàm Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, necnon etiam Collegij Societatis JESU, juxtà eorum PRIVILEGIA, & ANTIQUAS CONSUETUDINES, dummodò id in Contemptum Parochialium Eccleſiarum non faciant : Et dictis Fratribus Prædicatoribus, & Preſbyteris dictæ Societatis, quàm alijs Privilegiatis, quibus id à Sede Apoſtolica indultum eſt, idoneis tamen, & ab Ordinario approbatis, Peccata ſua, etiam Quadrageſimali, & Paſchali, & quovis alio Tempore, confiteri licitè poſſe.” Ità habet *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. V. Pag. 160. ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar. Legitur etiam in *Bullario Carmelitarum* Part. ii. Pag. 262. Conſulendum porrò laudatum *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, *Tom.* viii. Tit. vii. Quæſt. ix. ubi Clariſſimus ejus Editor hac de Re egregiè pro More diſſerit.

XXII. AD hæc ſi attenderent *Philalethis* Sodales, atque Fautores, non effutirent paſſim, Regulares Prædicationi, & cæteris Miſſionis Apoſtolicæ Functionibus adeò non eſſe idoneos, ut longè utiliùs foret Eccleſiæ, & eorum Statui convenientiùs, ipſos intrà Monaſteriorum ſuorum Septa contineri, quàm Confeſſionibus excipiendis, & Animarum Converſionibus deſtinari, ità non reformidantes Imprudentiæ condemnare antiquam Eccleſiæ Praxim, tot Nationum Converſionibus, & Summorum Pontificum Decretis confirmatam, immemores prorsùs vel ignari ipſiuſmet Eccleſiæ Judicij in Synodo *Romana*, Anno 610, Sub S. *Bonifacio* Papa IV, ibidem coercente Monachorum Hoſtes, ut *Natalis Alexander* (*m*) loquitur, qui ipſos, etſi auctos Sacerdotio, ab Adminiſtratione Sacramentorum arceri volebant. Extat porrò ejus hac de Re Decretum in Collectionibus Conciliorum, & refertur à *Gratiano*, Can. *Sunt nonnulli*, Caus. XVI. Quæſt. 1, qui Canon ſæpenumerò memoratur ab Angelico Doctore in prælaudato Opuſculo XIX, & 2. 2. q. 187. art. 1. in Corp, his conceptus Verbis : *Sunt nonnulli, nullo Dogmate fulti, audaciſſimè quidem, Zelo magis Amaritudinis, quàm Dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, quia Mundo*

mortui

(*k*) Verba ſunt ipſiuſmet *Clementis* VIII Nuntio Apoſtolico in *Germania Inferiori* ſcribentis, ut legere eſt in memorato *Bullario*, Tom. v. Pag. 502.

(*l*) Vulgò *Arras*, in *Gallia Belgica*.

(*m*) Hiſt. Eccleſ. Sæcul. vii. Cap. i. Art. i. Num. iii.

mortui ſunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis Officij Potentiâ indignos, neque Pœnitentiam, neque Chriſtianitatem largiri, neque abſolvere poſſe per Sacerdotalis Officij divinitùs ſibi injunctam Poteſtatem; *ſed omninò labuntur.*

Porrò ne miretur quiſpiam, Privilegia tàm ampla Regularibus conceſſa fuiſſe, perlegat, ſi placet, Pontificias Bullas, & Decretales, ubi graviſſima eorum Motiva reperiet. Quod ſi perlegere non lubet, ſciat, Apoſtolicam Sedem *Mendicantes inſtituiſſe ad ſupplendum Defectum Epiſcoporum, qui jam non prædicant, nec Prædicatores ſuſtentant,* ut diſertè advertit *Sylveſter* (*n*). Undè non immeritò ab Eccleſia, Jure Canonico, & Pontificijs Diplomatibus, *Coadjutores Epiſcoporum* dicuntur, inquit *Franciſcus Vidal* (*o*). Recogitet etiam (*p*), Deum ipſum *Innocentio* III, dùm Eccleſiam vidit *Lateranenſem* jam jam ruituram, oſtendiſſe eam ſuſtentari à *S. Dominico*, & *S. Franciſco*. Conſideret inſuper, quod ſicut olìm in varias ORBIS PLAGAS, nominatìm in *Magnam Britanniam*, & *Hiberniam*, Doctrina Chriſti tranſlata eſt Operâ Regularium, ità ſine eorum Subſidio diù non fuiſſet conſervata, vel ſaltem minùs floruiſſet. Animadvertat demùm, tot Summos Pontifices, tot S. R. E. Cardinales, tot per univerſum Terrarum Orbem Antiſtites (*q*), omnes fermè Sanctos Patres, Sex principales Eccleſiæ Doctores, *Gregorium* nempè, *Ambroſium*, *Auguſtinum*, *Hieronymum*, *Thomam*, & *Bonaventuram*, immò ipſoſmet Apoſtolos, verè fuiſſe Regulares, ut diſertè aſſerit Angelicus Doctor 2. 2. q. 88. art. 4. ad 3. *Apoſtoli*, inquit, *intelliguntur voviſſe pertinentia ad Perfectionis Statum, quando Chriſtum, relictis omnibus, ſunt ſecuti.* Nomine autem *Perfectionis Statûs* venit Status Religionis, ut ex Contextu liquet. Idipſum etiam docent SS. *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Chryſoſtomus*, & *Caſſianus*, quos laudat, & ſequitur Clariſſimus Preſbyter Sæcularis *Franciſcus Sylvius*, Doctor *Duacenus*, in 2. 2. q. 186. art 1. ubi ex Sacra Scriptura, & Sanctis Patribus contrà Sectarios invictè demonſtrat, Apoſtolos Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ Vota emiſſe, ſicque veros fuiſſe Religioſos.

Ne autem Regularibus ſuccenſeat quiſquam, inquit *Buſembaum* (*r*), quod Privilegia ſua tueantur, ſciendum eſt, quod abſque Licentia Romani Pontificis ijs renunciare, aut cedere nequeunt, ut diſertis Verbis docet *Innocentius* III. Cap. *Cum Tempore*, Tit. *de Arbitris*, Abbati, & Conventui de *Pigravia* ſcribens; immò etſi faciant, irritum fore, & peccaturos, quia Ordini, & Eccleſiæ toti Injuriam inferrent. Sed de his pluſquàm ſatis.

XXIII. Quamquam, ut non ità pridem ajebam (*s*), Perſecutionis Acatholicorum in Clerum Rigor poſt Dominationem Reginæ *Annæ* miſteſceret, aliquoties nihilominùs, ſeù ex Sævitia Magiſtratuum, ſeù alijs de Cauſis, præſertìm politicis, exardeſcebat in *particulares* Perſonas Eccleſiaſticas, Domuſve Religioſas. *Generalis* tamen Perſecutionis in univerſo Regno unicum fuit Exemplum, quod paucis poſt meum in *Hiberniam* ex Urbe Regreſſum Menſibus accidit, cujus proindè Teſtis occulatus fui.

Igitur quandoquidem ab Anno 1739 Bellum fuerit *Anglos* inter & *Hiſpanos*, quibus poſtmodùm acceſſerunt *Galli*, hinc torvis ſemper Oculis Catholicos aſpiciebant Heterodoxi, donec tandem Anno 1744 Die Sabbati 17 Februarij, *Aldermanus* (*t*) quidam, *Gulielmus* inquam *Aldrich*, ſuis cum Lictoribus clàm ivit ad Sacellum Parochiale *S. Pauli*, in Septentrionali *Dublinienſis* Metropolis Parte ſitum (in quo ipſe tunc Temporis Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Beneficio inſerviebam) ibique inveniens R. D. *Nicolaum Engliſh*, Preſbyterum Sæcularem *Dublinienſem*, ad Altare, & quidem vix lectâ Præfatione, eundem deſcendere coegit, exutumque Sacris Veſtibus, ad Carcerem publica in Rheda miſit. Dein ad Monaſterium ſe contulit Sanctimonialium Ordinis Prædicatorum (*u*), in eadem exiſtens Parochia, binoſque ejuſdem Capellanos, RR. nempè PP. *Dominicum Kelly*, Roſcomanienſem, & *Thomam Nolan*, Gaulenſem, memorati Ordinis, in aliam detruſit Rhedam, ad eundem Carcerem exportandos. Parùm autem abfuit, quin ipſe Loco R. D. *Nico-*

lai

(*n*) Verbo *Miſſa* ii, Num. 5. Vid. Can. x. Conc. *Lateran.* iv.

(*o*) In Append. i. ad Tribunal *Martini Wigandt*, ſeù Tract. xvii. Exam. iv. Num. 17.

(*p*) Verba ſunt *Hermanni Buſembaum*, Lib. iii. Tract. ii. Cap. i. Dub. iv.

(*q*) Confer Cap. ii. Num. i. Pag. 34.

(*r*) Loco mox laudato.

(*s*) Num. viii. hujus Capitis, Pag. 161.

(*t*) Adeas §. i. Cap. ſeq. Num. vii. ad Lit. k.

(*u*) De eo dicetur Cap. xi. §. iii.

lai Engliſh comprehenſus eſſem, cùm enim quotidiè eo in Sacello celebrarem Horâ Nonâ (*w*), ille verò Horâ decimâ, cumque paucis anteà Diebus Miſſarum Horas ad urgentiorem ejus Inſtantiam mutaverimus, is Horâ nonâ recenſito Die celebrans, in ipſomet, ut præfertur, Altari captus fuit.

INTEREA Sacerdotes omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares, mutatis ſtatim Domicilijs, ſeſe abſconderunt, adhucque captus, & Carceribus mancipatus fuit ab eodem *Aldermanno,* ſeù Magiſtratu, Minorita quidam, Nomine *Michael Lynch,* dum de Domicilio mutando deliberaret. Porrò ex univerſo, quà latè patet, Regno Epiſcopi, atque Sacerdotes *Dublinium* turmatim tunc properare non dubitabant, & quidem ſapienti Conſilio, enimverò cum ampliſſima ſit Civitas, ubi Aula adeſt, & Curia, maximumque viget tàm maritimum, quàm terreſtre Commercium, idcircò faciliùs in ea verſari poſſunt, quàm Ruri, vel in Civitatibus parvis, ubi omnes haud noti actutùm ſuſpecti ſunt (*x*).

CÆTERUM Die 28 ejuſdem Menſis Februarij Typis impreſſum, atque in conſuetis Locis affixum, necnon in Rerum Novarum Folijs, vulgò *Gazettis,* divulgatum fuit Sanctioris Conſilij (*y*) Edictum, omnibus mandans Juſtitiarijs Pacis (*y*), ut vocant, Prætoribus, alijſque Magiſtratibus Supremis, & Miniſtris Juſtitiæ, ut Papales Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliaſque Eccleſiaſticas Perſonas, earumque Receptatores, aut Occultores diligenter perquirant; Præmiaque præſcribens Centum, & Quinquaginta Librarum Sterlingarum (*z*) pro Captione, & Proſecutione ad Convictionem uſque Archiepiſcopi, vel Epiſcopi; Quinquaginta verò pro Captione &c cujuſvis alterius Sacerdotis, ſeù Sæcularis, ſeù Regularis; Bis Centum denìque pro Convictione illius, qui Archiepiſcopum, Epiſcopumve Hoſpitio exceperit, aut juvaverit; & quidem ultrà Præmia à Statutis Parlamentarijs (*a*) aliàs ſtabilita, Edicto hoc quoad iſtam Partem duraturo uſque ad Diem primam Octobris 1745, cujus integrum Tenorem alibi commodiùs exſcribam (*b*).

HAC exardeſcente Perſecutione, Sacro privati fuere Dominicis etiam & Feſtivis Diebus Chriſtifideles, demptis paucis, qui Miſſas audiebant in Speluncis, & Cavernis Terræ, *Dublinij* autem in Equorum Stabulis, alijſve abditis Locis, donec Presbytero quodam *Midenſi,* cui Nomen *Joannes Geraldinus,* Sacrum faciente in Summitate Domûs, jam minantis Ruinam, coràm pleniori Congregatione, dùm, datâ ſub Finem Miſſæ Benedictione, ſurgeret Populus, illicò cecidit Domus, ſicque Sacerdos, Novemque Laici utriuſque Sexûs interiere, pluresque lethaliter vulnerati ſunt: Exindè ſiquidem Prorex, alijque Aulici, atque Magiſtratus Commiſeratione tacti tacitè innuerunt, ſe velle potiùs ut aperirentur Sacella, quàm ut Cives ſic inopinatè exterminarentur. Itaque Sacella omnia *Dublinienſia* aperta fuere Die 17 Martij, Sancto *Patritio* ſacrâ, atque ex eo Tempore aperta manent uſque iu hodiernum Diem, ſæviente etſi domeſtico Bello in *Magna Britannia* ſub Exitum Anni 1745, & Ingreſſum Anni 1746, idque tunc maturiori Prudentiâ Excellentiſſimi tunc Proregis, Celebris ſcilicèt Comitis de *Ceſtrio-Campo,* vernaculè *Cheſterfield,* eâ Tempeſtate Dublinij reſidentis.

XXIV. DEFUNCTO Rmo Magiſtrò Ordinis P. *Thomâ Ripoll* (*c*) Die 22 Septembris 1747, celebratum fuit Capitulum Generale *Bononiæ* Die 1 Junij 1748, in quo electus erat LXIII Generalis Ordinis Rmus P. Magiſter Provincialis *Daciæ* Fr. *Antoninus Bremond,* Gallus, Theologus *Caſanatenſis.* Eidem Capitulo interfuere quà Provincialis *Hiberniæ,* P. Prædicator Generalis Fr. *Michael Hoare,* Limericenſis (*d*); quà Definitor, P. Magiſter Fr. *Dominicus Kennedy,* Dublinienſis; quà Socius, ſeù Elector, P. Præſentatus Fr. *Patritius Brullaughan,* Colranenſis, Theologus item *Caſanatenſis* (*e*). In Actis autem ſub Tit. *Conceſſiones,* ſequentem legere eſt Paragraphum.

PRO

(*w*) Juxtà Horologij Ultramontani Calculos, ſciicet Tribus Horis antè Meridiem.

(*x*) Confer Num. x. hujus Capitis, Pag. 162.

(*y*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*z*) Id eſt, Sexcentum Scutorum Monetæ *Romanæ.*

(*a*) Conſulendus Num. iv. hujus Capitis, Pag. 157.

(*b*) Cap. xvii. Num. cxvii.

(*c*) Recolendus Num. xiii. Capitis præſentis, Pag. 164.

(*d*) De eo plura Cap. xiv. Num. xxxii.

(*e*) Adeas Cap. xv. Num. xxix.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

“ 1. Ut Fratres in Miſſionibus Hiberniæ alacriùs, ac ferventiùs proſequantur Apoſtolicos Labores, alijque ad hoc excitentur, ſuperaddimus cuilibet Nationi unum Magiſterium, unamque Præſentaturam, Titulo Miſſionis (*f*).

“ 2. Ut majori Patrum Capitularium Commodo conſulatur, concedimus, ut impoſterûm Capitulum Provinciale celebretur Sabbato antè Dominicam Tertiam poſt Octavam Trinitatis: *Deus, qui diligentibus* (*g*).

“ 3. Declaramus, quod Fratres Curam Animarum habentes, & intrà Dietam Conventuum, quibus aſſignati exiſtunt, habitantes, gaudeant Voce electivâ in Electione Prioris illius Conventûs, ſalvis cæteris Requiſitis.

“ 4. Quando in aliquo Conventu, non ex Negligentia Priorum, ſed ob Temporum Calamitates, pauciores quàm Tres ſunt Vocales ad eligendum Priorem, Provincialis de Conſilio Magiſtrorum, & Exprovincialium illius Nationis, in qua Conventus exiſtit, poſſit inſtituere Priorem in illo (*h*).

“ 5. Concedimus, ut impoſterùm Definitor Capituli Generalis eligatur ſecundùm Alternativam Nationum (*i*).”

XXV. DIE 30 Auguſti ejuſdem Anni 1748, Sanctiſſimus Dominus Noſter *Benedictus* XIV, feliciter regnans, ad Supplicem quorundam *Hiberniæ* Antiſtitum Inſtantiam conceſſit ipſis per Literas Apoſtolicas in Forma Brevis Facultatem erigendi in ſuis reſpectivè Diæceſibus Confraternitatem SS. Nominis JESU contrà Blaſphemias, Perjuria, & illicita Juramenta, cum Indulgentijs omnibus laudatæ Confraternitati in Ordine Prædicatorum conceſſis. Sed cùm ea de Re certior factus Rmus æquè ac Vigilantiſſimus Magiſter laudati noſtri Ordinis P. *Antoninus Bremond*, Summo Pontifici exponeret, antiquam iſtam, & ſaluberrimam Confraternitatem à prælibato ſuo Prædicatorum Ordine inſtitutam fuiſſe, & ab eo ſemper excultam, atque per Univerſum Terrarum Orbem propagatam, recenſitaſque ſubindè Literas Apoſtolicas derogare Privilegijs eidem ſuo Prædicatorum Ordini à S. Sede Apoſtolica largitis, Sanctitas Sua Die 30 Menſis proximè ſequentis Literas ſuas revocavit, ſivè ad Terminos dictorum Privilegiorum redegit, ſeù temperavit, per alias Tenoris ſequentis ex Exemplari authentico *Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* impreſſo, quod penès me habeo, videlicèt:

“ Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopiſque Regni *Hiberniæ*, nunc, & pro Tempore exiſtentibus.

“ BENEDICTUS PAPA XIV.

“ Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ ALIAS Nos ad Supplicationem Fraternitatum Veſtrarum, quò deteſtabile Vitium jurandi, & maledicendi è Cordibus Chriſtifidelium Regni *Hiberniæ*, quod pluribus abhìnc Annis invaluerat, penitùs eradicetur, per quaſdam noſtras in ſimili Forma Brevis Die XXX Auguſti proximè præteriti expeditas Literas Vobis, ac cuilibet Veſtrûm Facultatem impertiti fuimus, ut Vos in proprijs Civitatibus, & Locis reſpectivè veſtrarum Diæceſûm, unam, ſeu plures Confraternitates, vel Sodalitates utriuſque Sexûs Chriſtifidelium ſub Invocatione Sanctiſſimi Nominis JESU contrâ deteſtabilem jurandi, & maledicendi Conſuetudinem nuncupandas, Diſpoſitione Conſtitutionis felic. Record. Clementis Papa VIII, Prædeceſſoris Noſtri Die 7 Decembris MDCIII, ſuper Diſtantia ab una ad aliam Confraternitatem ejuſdem Inſtituti requiſitâ editæ minimè ſervatâ, Auctoritat enoſtrâ Apoſtolicâ erigere, & conſtituere valeretis, ac Veſtrûm quilibet valeret; & Confratribus Confraternitatum ſic erigendarum quaſdam peculiares Indul-

---

(*f*) Adeas Num. iii. hujus Capitis Sect. 8. Pag. 157.

(*g*) Anteà celebrabatur Sabbato antè Dominicam Secundam poſt Octavam Paſchatis: *Deus, qui errantibus* (ſic dictam, quià Collecta iſtis incipit Verbis) ut videre eſt Num. xiii hujus Capitis, Sect. 3. Pag. 164.

(*h*) Hùc facit Ordinatio Rmi *Ripoll* in Literis Confirmatorijs Actorum Capituli Provincialis 1726, nempè: *Si ob Negligentiam Superiorum non ſint in Conventibus Tres Patres Vocales, qui Priorem ſuum canonicè eligere valeant, auferimus in tali Caſu à Superioribus Facultatem in talibus Conventibus inſtituendi Priores, in quibus ſolùm Vicarios in Capite inſtituere poſſint, uſque dum ibidem Tres legitimi Electores Prioris aſſignati fuerint.*

(*i*) Videſis Cap. vi. Num. xiv. ad Lit. i. Pag. 119; & Num. xxvii. Lit. n. Pag. 135.

“ gentias conceſſimus; & aliàs prout in dictis noſtris Literis, quarum Tenorem præſentibus pro expreſſis
“ haberè volumus, uberiùs continetur. Nuper verò dilectus Filius Antoninus Bremond, Magiſter Generalis
“ Ordinis Fratrum Prædicatorum, Nobis, exponi fecit, quod antiqua, & ſaluberrima Confraternitas
“ ſub Invocatione Sanctiſſimi Nominis JESU, ſeù Nominis DEI, contrà Blaſphemias, Perjuria, & illicita
“ Juramenta, à Fratribus dicti Ordinis inſtituta, & ab eis ſemper exculta, & per Univerſum Terrarum
“ Orbem propagata fuit; quapropter Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Confraternitatem præfatam
“ varijs Gratijs, Privilegijs, & Indulgentijs ditarunt, ac enixè hortati fuerunt Patriarchas, Archiepiſcopos,
“ Epiſcopos, & Locorum Ordinarios, ut ubi, & quandò Opus fuiſſet, & quoties pro Confratrum
“ dictæ Societatis Parte requiſiti fuiſſent, eidem Confraternitati faverent, & aſſiſterent, eamque promovere
“ curarent. Inter cætera ejuſmodi Confraternitatis Privilegia illud reperitur, quo San. Mem. Pius
“ Papa V, Prædeceſſor itidem noſter, per ſuas in pari Forma Brevis Die XXI Junij MDLXXI Literas expeditas,
“ quarum Initium eſt: *Decet* &c, Motu proprio, & ex certa Scientia decrevit, ac ſtatuit, ne
“ deinceps nova Societas, ſeù Confraternitas hujuſmodi inſtitueretur in Civitatibus, Oppidis, & Locis, in
“ quibus non eſſet dicti Ordinis Domus, aut in finitimis Eccleſijs, abſque Licentia Prioris Provincialis,
“ ſeù Conventualis dicti Ordinis, in cujus Diſtrictu ſita eſſet Eccleſia, in qua dicta Confraternitas, ſeù Societas
“ eſſet, vel foret erigenda, quod ſi ſecùs factum fuiſſet, Confratres taliter admiſſi, dictæ Confraternitatis,
“ ſeù Societatis Indulgentias non conſequerentur, nec Favoribus, & Gratijs, ac Privilegijs gauderent,
“ quæ Confratribus legitimè adſcriptis per Sedem Apoſtolicam conceſſa forent, perpetuò etiam
“ ſtatuit, ordinavit, ac etiam diſtrictiùs inhibuit, ſicque voluit, & præcepit, quas quidem Literas ſubindè
“ confirmavit Rec. Mem. Gregorius Papa XIII per alias ſuas ſimiles Literas, incipientes: *Aliàs*, Die
“ XI Junij MDLXXX expeditas, & ſubindè Fel. Record. Paulus Papa V, Prædeceſſor quoque noſter, per
“ alias ſuas Die XXXI Octobris MDCVI expeditas Literas incipientes: *Cum certas*, Magiſtro Generali
“ dicti Ordinis, eoque abſente, illius Vicario in Alma Urbe noſtra commoranti conceſſit, ut Confraternitates
“ prædictas extrà prædictam Urbem ubique Locorum erigere, & inſtituere valeret, ijſque omnes ſupradictas
“ Indulgentias, & Gratias ſpirituales, ſervatâ Formâ traditâ in ſupradictâ Clementis Prædeceſſoris
“ Conſtitutione ſuper dictarum Confraternitatum Aggregationibus, & Inſtitutionibus editâ communicare
“ ſimiliter liberè, & licitè poſſet, quam quidem Facultatem Rec. Mem. Innocentius Papa XI, Prædeceſſor
“ pariter noſter, per ſuas itidem Literas, incipientes: *Cum dudùm*, Die XVIII Aprilis MDCLXXVIII
“ editas, confirmavit, & aliàs, prout in dictorum Prædeceſſorum Literis, quarum Tenores præſentibus
“ pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Hinc eſt, quod Nos, qui per memoratas noſtras
“ Literas nullum Præjudicium Privilegijs dicto Ordini, illiuſque Magiſtro Generali, quos Paternis complectimur
“ Affectibus, conceſſis afferre, aut irrogari intendimus, Exempla Prædeceſſorum noſtrorum
“ præfatorum ſectantes, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore Præſentium Vobis præcipimus, & mandamus, ut
“ Vos in Erectionibus, & Inſtitutionibus Confraternitatum ſub Invocatione Sanctiſſimi Nominis JESU contrà
“ deteſtabilem jurandi, & maledicendi Conſuetudinem, Vigore dictarum noſtrarum Literarum faciendis,
“ Operam Prioris Provincialis, ſeù Priorum Domorum Regularium dicti Ordinis, in Regno prædicto
“ exiſtentium, omninò adhibeatis, & ſi ſecùs fieri contingat, Confratres Confraternitatum ſic erigendarum
“ Indulgentias, in eiſdem noſtris Literis pro Confratribus conceſſas, minimè lucrari poſſe decernimus,
“ & declaramus, perindè ac ſi dictæ noſtræ Literæ minimè emanaſſent; quibuſcunque in contrarium non
“ obſtantibus. Volumus autem, quod præſentium Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis,
“ Manu Magiſtri Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, illiuſque Sigillo munitis, eadem prorsùs Fides,
“ tàm in Judicio, quàm extrà illud, ubique Locorum adhibeatur, quæ Præſentibus ipſis adhiberetur, ſi
“ forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris, Die 30
“ Septembris MDCCXLVIII, Pontificatûs Noſtri Anno Nono.

“ DOMINICUS CARDINALIS PASSIONÆUS.

“ Locus ✠ Sigilli

“ *Fr. Antoninus Bremond, Magiſter Generalis*
“ *Ordinis Fratrum Prædicatorum.*”

XXVI. PORRO, quod Confraternitas Sanctiſſimi Nominis JESU erigi nequeat in Civitate, Oppido, Locove, ubi Conventus Ordinis Prædicatorum exiſtit, deciſum fuit in Lite conſimili à Sacra Congregatione Cardinalium Concilij *Tridentini* Interpretum, Die 14 Junij 1681, regnante *Innocentio* XI, Pontifice Maximo, ut videre eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. vii. Pag. 345, ubi ipſiſſimum extat Decretum ex Exemplari *Romæ Typis Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* impreſſo MDCLXXXI, Tenoris ſequentis.

“ TAU.

TAURINEN. CONFRATERNITAS.

“ Ex Diplomatibus Pontificijs Confraternitates Nominis Dei erigi nequeunt, niſi in Eccleſijs Fratrum Ordinis Prædicatorum, ſi ipſorum Conventus in dictis Locis exiſtant. Et nuperrimè Sanctiſſimus Dominus Noſter (*Innocentius* XI) per Breve declaravit, Confraternitates aliter erectas, quamvis cum Licentia P. Generalis, non gaudere Indulgentijs.

“ Breve hoc P. Procurator Generalis inſinuavit inter cætera Confraternitati, quæ reperiebatur erecta in Eccleſia Sæculari Oppidi Abraidis (*k*), in quo Patres habent Conventum, ſed negligentibus Confratribus Notificationem, A. C. per Sententiam pronunciavit, Literas Apoſtolicas Effectum habere debere, dictamque Confraternitatem non gaudere Indulgentijs, & ab Eccleſia Sæculari amovendam.

“ Appellarunt Confratres, & Cauſa commiſſa fuit in Rota. At cùm agatur de Gratijs Spiritualibus, Sanctiſſimus, præviâ Avocatione, remiſit ad hanc Sacram Congregationem, in qua, inſtantibus Regularibus, & citato Procuratore Confraternitatis, quæritur.

“ Primò. An dicta Confraternitas ab Eccleſia Sæculari amovenda, & reducenda ad Eccleſiam Regularem, & quatenùs recuſent.

“ Secundò. An decernendum, Confratres Indulgentijs conceſſis Confraternitatibus legitimè erectis non gaudere.

“ Die 14 Junij MDCLXXXI, Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum. Ad primum Dubium reſpondit affirmativè. Ad ſecundum pariter affirmativè, ſcilicet decernendum, prout decrevit, non gaudere.

“ F. CARDINALIS COLUMNA PRÆFECTUS.

“ Loco ✠ Sigilli.

“ *S. Archiepiſcopus Brancaccius, Epiſcopus Viterbienſis, Secretarius.*

XXVII. INEUNTE Anno 1751, Rmis Patribus Generalibus Ordinum Regularium in Urbe indicata fuere, & poſtmodùm per eoſdem ad Patres ſuos reſpectivè Provinciales, atque per Excellentiſſimum Nuntium Apoſtolicum *Bruxellenſem*, D. *Joſephum Crivelli*, Archiepiſcopum *Cæſarienſem* (*l*), ad *Hiberniæ* Antiſtites tranſmiſſa

“ DECRETA CONGREGATIONUM PARTICULARUM DE PROPAGANDA FIDE “ SUPER REBUS MISSIONUM HIBERNIÆ.

“ Habeantur tanquàm Conventus formales illæ tantùm Domus, in quibus communem Vitam ducunt Regulares cujuſcunque Ordinis, Congregationis, aut Inſtituti, etiam Societatis JESU. Cæteri verò qui extra prædictas Domos, vel Conventus, qualibet ex Cauſa, ſeù ſub quovis Titulo degunt, Epiſcopis, tanquàm Sedis Apoſtolicæ Delegatis, in omnibus, & per omnia ſubjaceant.

“ Illi autem Regulares cujuſlibet Ordinis, ut ſuprà, qui abſque Literis Obedentialibus ſuorum reſpectivè Superiorum Generalium, vel Provincialium, in Hiberniam ſe contulerint, habeantur tanquàm Apoſtatæ, ideoque Epiſcopi contrà eos Pænis canonicis procedant, eoſdemque ex Hibernia omninò exire compellant.

“ Qui verò legitimis Obedentialibus muniti erunt, eas Epiſcopis, ad quorum Diæceſes acceſſerint, exhibere debeant unà cum Literis Teſtimonialibus Nuntij Apoſtolici Bruxellenſis, qui Miſſionibus Hiberniæ præeſt, eique pariter patefacere teneantur Locum, ſeù Diſtrictum, ad quem à ſuo reſpective Regulari Superiore deſignati fuerint. Liberum autem ſit unicuique Ordinario in propria Diæceſi, ſi juſta Cauſa ei ſubeat, vel Mali cavendi, vel conſulendi majorum Animarum Bono, ijs alia Loca conſtituere, in quibus Miſſionis Munia utiliter exercere valeant.

“ Hujuſmodi itidem teſtimoniales Literæ Nuntij Apoſtolici exhibendæ erunt etiam à quolibet Preſbytero Sæculari, & ſine ijs Nemo ad Miſſionem accedere audeat,

“ Quotieſcunque autem ob rationabilem Cauſam transferendus ſit aliquis Religioſus Miſſionarius ab uno ad alium Locum, id à Superiori Regulari minimè fiat, niſi requiſito & obtento Conſenſu Ordinarij.

“ Cæterùm Superiores, ad quos pertinet, in id enixè incumbant, ut Religioſi, ad Hibernicam Miſſionem mittendi, optimis Moribus ſint præditi, & in Studijs benè verſati, nec adeò juvenilis Ætatis, ut debitam ſibi, ſuoque Muneri apud Sæculares Venerationem conciliare nequeant.

A a 2 “ Porrò

(*k*) In *Subalpinis*, ſeù *Pedemontio*.

(*l*) Nunc S. R. E. Cardinalem, Die 24 Septembris 1759 ex Nuntio *Viennenſi* creatum.

“ Porrò Viſitatores, ſeù Delegati à Superioribus Generalibus, vel Provincialibus prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatum, etiam Jeſu, teneantur de commiſſo ſibi Munere, Obſequij Gratiâ, certiorem facere Nuntium Apoſtolicum Bruxellenſem, ab eoque petere Literas commendatitias ad Epiſcopos, necnon peculiarem Inſtructionem de Rebus, quæ ad Animarum Profectum, & Catholicæ Religionis Incrementum feliciùs promovendum conducere poſſint.

“ Superiores Regulares Neminem impoſterùm ad Habitum Religioſum admittant in Hiberniæ Regno; ſed qui expetunt alicui Religioſorum Ordini Nomen dare, Habitum induant in illis ſolùm Cænobijs, quæ in Regionibus Catholicis exiſtunt, ubi Novitiatus ejuſdem Ordinis juxtà Conſtitutiones Pontificum Romanorum erecti ſunt, neque in Hiberniam reverti poſſint, niſi priùs Studiorum Curſum abſolverint, ac præſertìm Theologiam Dogmaticam, & Moralem plane didicerint.

“ *Supradicta Decreta S. Congregationis de Propaganda tranſmittuntur ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Dublinienſem, ab eodem communicanda etiam Illuſtriſſimis Archiepiſcopis Armacano, Caſſelienſi, ac Tuamenſi, ut ſinguli poſſint eadem notificare proprijs Epiſcopis Suffraganeis pro eorum Cognitione tantùm, nam pro eorum Executione fuerunt jam indicta Superioribus Ordinum Religioſorum.*”

(Bruxellis, 9. Feb. 1751.)

“ JOSEPH ARCHIEPISCOPUS CÆSAREÆ, NUNTIUS APOSTOLICUS.

XXVIII. Eodem Tempore alia emanarunt ab eadem S. Congregatione Decreta pro Clero Sæculari, ad Epiſcopos *Hiberniæ* pro Executione illarum tranſmiſſa, quæ tametſi ad *Hiberniam Dominicanam* directè non pertineant, benè tamen indirectè ut conſideranti patebit. En igitur ea.

“ DECRETA CONGREGATIONUM PARTICULARIUM DE PROPAGANDA “ FIDE SUPER REBUS MISSIONUM HIBERNIÆ.

“ Cùm plures Parochiæ reperiantur, quarum Diſtrictus ad plura Milliaria extenduntur, adeò ut unus duntaxàt Parochus ſpiritualibus Ovium ſuarum Neceſſitatibus pro Opportunitate ſubveniendis proſpicere nequeat, ſeriò propterea moneantur Epiſcopi, eorumque excitetur Zelus, ut, nullis prætermiſſis poſſibilibus Medijs, novas in amplis hujuſmodi Territorijs curent erigi Parochias. Secùs autem præfatis Paſtoribus Coadjutores idoneos è Clero Sæculari conſtituant, quorum deindè, quatenùs laudabile Opus præſtiterint, Rationem habeant, cùm eædem, vel aliæ Parochiæ vacaverint, & quotieſcunque deſint Preſbyteri Sæculares, ad ejuſmodi Munus ſatis idonei, ſubſtituant ipſorum Loco ad interim, & per Modum Proviſionis, Regulares, qui tamen Argumenta probatæ Pietatis, & Zeli, in Animarum Salute curanda præbuerint.

“ Archiepiſcopi vehementer hortentur Epiſcopos Suffraganeos ſuos, ut reſideant in ſuis Diæceſibus, quemadmodùm indicitur à Sacris Canonibus, & in Literis Apoſtolicis Smi Dni Nri Benedicti Papæ XIV, quæ Die 15 Auguſti 1741 ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos Hiberniæ datæ fuerunt(*m*). Porrò ipſi Metropolitæ hanc Sacram Congregationem certiorem faciant, ſi aliquis Epiſcopus præſcripto reſidendi Muneri minimè ſatisfecerint, ut ea Remedia adhibeantur, quæ à Sacris Concilijs decernuntur.

“ Archiepiſcopi & Epiſcopi ſingulis Biennijs Scriptò referant Nuntio Bruxellenſi Statum Religionis Catholicæ, necnon Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſuarum Diæceſum, quæ deindè omnia per eundem Nuntium Sacræ Congregationi ſignificentur.

“ Non liceat Epiſcopis à Parochis, quos ipſi inſtituant, Fructus, aut Proventus primi Anni, qui ab eadem Parochia colliguntur, exigere.

“ Quotieſcunque in Matrimonijs celebrandis Epiſcopi expedire judicaverint, ut Denunciationes remittantur, nihil quacunque de Cauſa accipient.

“ Epiſcopi deputent Examinatores ad illos probandos, qui Fidelium Confeſſiones excipere petunt. Liceat tamen Epiſcopis abſque Examine illos approbare, quos maximè idoneos ipſi judicaverint.

“ Graviter moneantur Sacerdotes, ne Facultate celebrandi bis in Die abutantur, ut Stipendium largius, & pinguius habeant. Quamobrem Epiſcopi, qui Poteſtatem communicandi hanc Facultatem, ſeù Diſpenſationem, à Sede Apoſtolica obtinuerunt, meminerint ipſorum Conſcientiæ injunctum eſſe, ut paucis duntaxàt Sacerdotibus, ijſque maturioris Prudentiæ, ac Zeli, & qui abſolutè neceſſarij ſunt, nec pro quolibet Loco, ſed ubi gravis Neceſſitas tulerit, & ad breve Tempus communicent.

“ Caveant impoſterùm Confeſſarij, pro ſalutari Pænitentia Fidelibus ſua Peccata confitentibus indicere, ut certam Pecuniam depromant ad Miſſas celebrandas, quibus deindè ipſimet ſatisfaciant.

“ Ijdem

(*m*) Fragmentum illius habes Cap. i. Num. xiv. Pag. 21.

“ Ijdem Confeſſarij, dum ſedent in Tribunali Pænitentiæ, nullas Eleemoſynas à Pænitentibus accipiant, cùm enim ſint Debitores ſapientibus, & inſipientibus, omnem Scandali Occaſionem, omnemque Suſpicionem præſcindere debent.

“ In Librorum, aliarumque Scripturarum Impreſſione ſervetur Regula Decima *Indicis*, necnon Inſtructio Clementis Papæ VIII Auctoritate edita.

“ Sedulam Curam impendant Epiſcopi, ne ab ullo contemnantur, vel improbentur Libri, ad Pietatem promovendam compoſiti, quos legitima Epiſcoporum, vel Inquiſitorum, Auctoritas in Lucem edendas permiſit, nec à Sede Apoſtolica proſcripti fuerunt.

“ Inſuper curent omni Studio Epiſcopi, ut Parochi diligenter, accurateque Catechiſmum Pueros edoceant, quos autem deſides in hoc præcipuo Munere deprehenderint, canonicis Pænis proſequantur. Epiſcopi hortentur, ac moneant Regulares, ut eodem Charitatis Officio ſedulò fungantur, præſertim in Pagis, aliiſque campeſtribus Locis, quos percurrunt, & in quibus Eleemoſynas colligunt. Prætereà id etiam præcipitur Sanctimonialibus ergà Puellas ad eas confluentes, quas honeſtis Moribus, & Chriſtianâ Doctrinâ probè inſtituere ſatagant, illiſque Artibus imbuere, quæ ad illam Ætatem, & Conditionem muliebrem pertinent.

“ *Supradicta Decreta S. Congregationis de Propaganda tranſmittuntur ad Illuſtriſſimum Archiepiſcopum Dublinienſem, ab eodem communicanda etiam Illuſtriſſimis Archiepiſcopis Armacano, Caſſelienſi, ac Tuamenſi, ut ſinguli poſſint eadem proprijs Epiſcopis Suffraganeis notificare, & ità zelosè operari, ut omnimodæ Executioni illico mandentur.*

(Bruxellis, 9. Feb, 1751.)
JOSEPH ARCHIEPISCOPUS CÆSARÆ, NUNTIUS APOSTOLICUS.

XXIX. Tametsi is non Ego ſim, qui in S. Congregationis Decreta ullatenùs animadvertere audeam, Locus nihilominùs magnoperè invitat, ut reverenti Animo in Medium adducam ſaltem Libellum Supplicem A. R. P. Magiſtri Fr. *Bernardi Mac-Henry*, Prioris Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ*, quem ad Rmum Magiſtrum Ordinis *Antoninum Bremond* miſit *Dubliniô* Die 21 Februarij 1751.

“ Provincialis Hiberniæ, Ordinis Prædicatorum, Rmo ſuo Magiſtro Generali, omnibusque & ſingulis alijs, quorum intereſt, aut intereſſe poterit, ſummo licèt cum Obſequio, in Amaritudine tamen Animæ ſuæ, mærens, & lugens exponit, nedum Provinciam ſuam, univerſumque hujus Regni Clerum Regularem, ſed & [quod Summa Malorum eſt) Sacroſanctam Religionem Catholicam per nuperum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Decretum (*n*) gravari, quod tamen ullatenùs Intentum fuiſſe Eminentiſſimorum Patrum vel imaginari Piaculum foret.

“ Enimverò ut Ordine retrogrado incipiatur, poſtrema laudati Decreti Pars, Receptionem Novitiorum ad Habitum in hoc Regno prohibens, ſuaptè Naturâ vergit in Religioſi Nominis totale Exterminium, ſubindeque & in Diſpendium Religionis Catholicæ, quæ ſicut in Hiberniam tranſlata fuit Operâ Regularium (*o*), & hucuſque, non obſtantibus ſævijs Hæreticorum Perſecutionibus, Bellorumque Calamitatibus, præſervata, ità abſque ipſorum Subſidio diù non ſubſiſteret, neque ſubſiſtet, ut quibuſcunque hibernicarum Rerum verè peritis, à Partiumque Studio prorsùs alienis, Luce meridianâ clarius patet.

“ Porrò quod poſtremus ille Decreti Articulus in Exterminium vergat Religioſi Nominis, facili Negotio evinci poterit, idque potiſſimum ex Impoſſibilitate morali, ne dicam phyſicâ, Novitiatum in ultramarinis Regionibus peragendi. Siquidem Acatholicarum Legum Rigor & Aſtutia uſque adeò Cauſa fuerunt minuendi Catholicorum Numerum, ut etſi plures ſint adhuc, benedicente Domino, antiquioris melioriſque Notæ Familiæ in vera Fide firmiter permanentes, è quibus ſunt permulti Regulares, nihilominus quandoquidem pinguioris Fortunæ Viri in Hæreſim lapſi ſint, hinc eſt, quod alij non habeant undè Juvenes ſuos, quamquàm optimæ Spei, in Regionibus exteris Probationis Tempore alant.

(*n*) Non viderat tunc Pater Provincialis Decreta in extenſum, ut ſuprà habes Num. xxvii, ſed ea ſummariè duntaxàt congeſta. De ipſo autem datâ Operâ dicetur Cap. xiv. Num. xxx, & xxxiv.

(*o*) *S. Patritius* Epiſcopus, *Hibernorum* Apoſtolus, fuit Canonicus Regularis, adeoque & inter Sanctos annumeratus, de quibus Canonici Regulares *Lateranenſes* Officia propria recitant. Utque plantatam ab eo in *Hibernia* Religionem Catholicam propagaret, & propagatam confirmaret, innumera propemodùm ſui Ordinis Monaſteria in univerſo Regno fundari curavit, per ſexaginta Annos Eccleſiam Hibernicam ſapienter regens. Videſis Cap. i. Num. viii. Lit. n. Pag. 12; & Num. xiv. Pag. 21; & nuper dicta Cap. præs. Num. xxii. Pag. 174; ac poſtmodum dicenda Cap. ſeq. §. xi. Num. i. Lit. i.

“ Accedit, quod tametſi primâ Facie magis decorum videatur, Probationes religioſas in illis fieri Partibus, ubi Orthodoxa floret Religio, Rem nihiloſeciùs maturè perpendenti liquidò conſtabit, non minùs religiosè, magiſque congruenter Novitatum hìc peragi quàm extrà. Tùm quia in regularibus Obſervantijs, ac Auſteritatibus, æquè hìc & extrà inſtruuntur Tyrones, immò ob Victûs, Domicilij, aliarumque Rerum Pauperiem, Mortificationibus plus hìc exercentur. Tùm, vel maximè, quia cum eorum ſinguli ad obeundas in hoc Regno ſacras Miſſiones deſtinentur, nonnè conſultius foret, eos hìc probari quoad noſtrum vivendi Modum, quàm in Catholicorum Principum Ditionibus, ubi diverſam ſanè, non magis tamen religioſam, & certè minus auſteram Vitam ducunt. Et hæc fortè eſt Cauſa, cur ex omnibus Regularibus Hibernis, qui intrà Quinquennium â Sacra Tridentina Synodo præſcriptum, ſuper prætensâ Profeſſionis Nullitate reclamarunt (p), nullus unquàm inventus eſt eorum, qui in Hibernia, ſed qui in Cænobijs extranationalibus, Tyrocinium, ſeu Novitiatum peregerant.

“ Huc facit etiam quod Experientiâ ſat ſuperque compertum eſt, nempè haud paucos eſſe Hibernos in Partibus ultramarinis religiosè quidem viventes, qui tamen Miſſionibus obeundis impares ſint, utpotè noſtro minus delicato vivendi Modo haud aſſueti, quâ duntaxàt de Causâ aut in Hiberniam nequaquàm revertuntur, aut reverſi, in Catholicas Regiones citò regrediuntur.

“ Quod ad Vitam attinet communem, quam Eminentiſſimi Patres in Conventibus formalibus requirunt, Provincialis exponens in Viſitationis ſuæ per univerſum quà latè patet Regnum Decurſu invenit, Regulares pro Poſſe Vitam degere communem, ubi autem irritaretur Gubernium per ſimilem Conventum Fratrum, ijs in Locis, etſi omnia ſint ipſis communia, ad præcavendum tamen magis Malum, quoad Menſam, vel Habitationem hinc indè diſperguntur. Quippè multoties contingit, quod etſi Magiſtratus permittat Capellam ſtatutis Horis diſcretè apertam, ut fidelis Populus Sacro, vel Concioni interſit, non tamen ut Regulares habitent ſimul. Teſtis ſit Civitas Kilkennienſis, ubi Domus erat Fratrum Prædicatorum, Vitam communem degentium, aſt Sex abhinc Annis à Magiſtratu diſperſi ſunt Fratres, ità ut quamquàm eadem in Civitate manere permittantur, non tamen commenſales, aut contubernales. Teſtis ſit etiam Civitas Waterfordienſis, ubi idem omnino accidit. Teſtis ſit demum, Brevitatis ergò, Civitas Dublinienſis, Regni Metropolis, ubi ſingulis Biennijs per integrum Semeſtre, & ultrà, propter Seſſiones Parlamantarias (q), Capellæ omnes ex Præſcripto Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Catholici Horis promeridianis clauduntur, veſpertinæque prohibentur Conciones, & quidem prudentiſſimè, ne ſcilicet Senatores Regni, indiſcreto Cleri Populive Zelo irretiti, ſeveriſſimas in eoſdem latas Leges Executioni mandari faciant, aut novas excudant. Non ità pridem enim Preſbyter quidam Sæcularis ab ipſomet Altari poſt inceptum Canonem divulſus, cum duobus Dominicanis, unoque Franciſcano, poſt ſttictam Inquiſitionem captis, Carceribus mancipatus fuit. Poſt quod Factum Capellæ omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares, diu clauſæ manſerunt, taliter ut in tota memorata ampliſſima Urbe Chriſtifideles Sacro privati fuerint, Dominicis etiam & Feſtivis Diebus (r). Potueruntve tunc Temporis Regulares Vitam degere communem? Nonnè potiús cautè & circumſpectè ſe gerere debent, ne ipſi, cæterique Catholici in ſimilia, vel majora Inconvenientia prolabantur?

“ Deindè quamquàm habitent ſimul, communi Menſâ utentes, haud rarò contingit, ut ſimul non comedant, utpotè Refectionis Horâ ad decumbentes, & in Mortis Articulo conſtitutos accerſiti, ut ſpirituale Solatium, ac Sacramentalis Abſolutionis Beneficium impendant. Non enim in *Hibernia* verſantur, ut *Mundo mortui, & Deo viventes, tanquàm Sacerdotalis Officij Potentiâ indigni, neque Pænitentiam, neque Chriſtianitatem largiantur, ut* (de antiquis Monachis Sæculo Eccleſiæ Septimo) *aſſerebant nonnulli, nullo Dogmate fulti, audaciſſimè quidem, Zelo magis Amaritudinis, quàm Dilectionis inflammati*, Teſte S. *Bonifacio* Papa IV, in Synodo *Romanâ* Anno 610, eoſdem ſeverè conceptis Verbis redarguente, apud *Gratianum* Can. *Sunt nonnulli*, Cauſ. 16. Quæſt. 1. (s).

“ Quantùm autem ad reliqua per prælibatum Sacræ Congregationis Decretum ſancita, nullus in Rebus noſtris benè verſatus non videt aut eorum Impoſibilitatem, aut ſumma Incommoda indè indubitanter ſecutura. Nam imprimis, cùm potior Regularium Pars in Hiſpaniarum Regnis, alijſve Locis, à Bra-

“ bantia

(p) En Verba *Tridentini* Seſſ. xxv. *De Regular. & Monial.* Cap. xix. *Quicunque Regularis prætendat, ſe per Vim & Metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat, antè Ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque Habitum demittere quacunque de Cauſa, aut etiam cum Habitu diſcedere ſine Licentia Superiorum, non audiatur niſi intrà Quinquennium tantùm à Die Profeſſionis, & tunc non aliter niſi Cauſas, quas prætenderit, deduxerit coràm Superiore ſuo, & Ordinario.*

(q) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(r) Confer Cap. præſ. xxiii. Pag. 175,

(s) Redeas ad nuper dicta Cap. præſ. Num. xxii. Pag. 174.

“ bantia multum diſtantibus, Studiorum Curriculum abſolvat; quî fieri poteſt, ut illi, ad Differentiam Anglorum, & Scotornm, nihil prorsùs Viatici ex Ærario S. Congregationis de Propaganda Fide recipientes (*t*), adeoque vix aut ne vix quidem ſufficientem habentes Pecuniam pro emendis Veſtibus Sæcularibus, atque Itinere conficiendo à Portu aliquo maritimo Galliæ, Luſitaniæ, vel Italiæ, priùs Bruxellas ad Excellentiſſimum Nuntium Apoſtolicum proficiſcantur? Quaſi verò Provinciales ſcire non debeant an, & qua in Parte Regni, eorum Opera ad Vineam Domini excolendam deſideretur? Et hac etiam Ratione, cùm Regulares quantùm poſſunt vivant ſimul, & quidem intrà Limites ſuorum reſpectivè antiquorum Conventuum, Provincialibus potiùs quàm Epiſcopis incumbere debet, eos de uno in alium Locum tranferre, eò vel maximè quia Provinciales ex Viſitatione ſua ſciunt ubi fortè plures ſuut Regulares, & ubi pauciores. Præterea, ſi in hoc Reſpectu Epiſcopis ſubſint Regulares, paulatim ſublata erit omninò religioſa Subordinatio ipſos inter, & ſuos Superiores, indeque innumeræ, & interminabiles inter Epiſcopos, & Superiores Regulares Diſcordiæ Liteſque orientur.

“ Demùm, Opus non eſt contrà illum objicere Decreti Articulum, quo cautum eſt, ne Regulares abſque Superiorum Suorum Licentia in Hiberniam revertantur, aliàs cenſebuntur Apoſtatæ. Enimverò falſis Informationibus (abſit Injuria Verbo) innititur, ſiquidem Provincialis Exponens, qui per Triginta Trium Annorum Seriem Miſſionarius exiſtit, neque vidit, neque audivit, Regulares abſque debita Licentia ad Hiberniam acceſſiſſe.

“ Quæ cùm ità ſint, devotè enixèque ſupplicat Provincialis Exponens, ut Decretum iſtud quoad omnes ſuas Partes revocetur, utque eidem Provinciali liberum ſit paucos probæ Indolis & Capacitatis Juvenes ad Habitum ſanctamque Profeſſionem recipere in uno Conventu ſingularum Quatuor Hiberniæ Nationum, nempè in Dublinienſi pro Lagenia, Pontanenſi pro Ultonia, Athenrienſi pro Conacia, & Corcagienſi pro Momonia.”

XXX. Sub Initium Anni 1756 in Superiorem *Parlamenti Hiberniæ* Domum (*u*) introductus fuit Libellus (vulgò *Billa*) & quidem impreſſus, pro nova ſancienda Lege contrà utrumque hujus Regni Clerum Catholicum, poſt longum tamen Diſceptationem ejectus, de quo uberem Sermonem alibi habebimus (*w*).

Viam Univerſæ Carnis ingreſſo Rmo P. Magiſtro Generali Fr. *Antonino Bremond* (*x*) in Seceſſu Suburbano *S. Paſtoris* Die 11 Junij 1755, celebrata fuere *Romæ* Comitia Generalia Anno ſequenti 1756, non quidem Die 5 Junij in Servigilio ſcilicèt Pentecoſtes, ut pro More indictum, ſed Die 3 Julij, ut nimirùm iiſdem præſideret Sanctiſſimus Dominus Noſter *Benedictus* Papa XIV, qui iiſdem reapſè præſidere dignatus eſt, tribus aſſociatus Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus, elegantiſſimamque ac longiuſculam habuit proprio Ore Orationem in Laudem Ordinis, & Doctrinæ Angelici Doctoris. Dein unanimi omnium Suffragio electus eſt in LXIV Generalem Ordinis Rmus P. Magiſter Fr. *Joannes Thomas de Boxadors*, Nobilis *Hiſpanus*, è Comitibus de *Prælado*, Exprovincialis *Aragoniæ*, & actualis Provincialis *Terræ Sanctæ*, atque Socius pro Provincijs *Hiſpaniarum*. Hiſce Comitijs pro *Hibernia* interfuit ſolus P. Magiſter Fr. *Carolus O-Kelly*, Roſcomanienſis, paulò anteà inter Collegij *Caſanatenſis* Theologos cooptatus, alibi memorandus (*y*). Abfuere enim P. Præſentatus Fr. *Michael Shanly*, Provincialis, & P. Magiſter Fr. *Michael Hoare*, Socius, ſeù Elector, alibi quoque memorandi (*z*). In Actis porrò ſub Tit. *Conceſſiones*, ſequentem reperire eſt Paragraphum, duabus Sectionibus comprehenſum.

PRO PROVINCIA HIBERNIÆ.

1. “ Non ſolùm commendamus, ſed etiam præcipimus omnibus, & ſingulis hujus Provinciæ Alumnis, ut memores Inſtituti, quod amplexi ſunt, æternamque Salutem Popularium ſuorum præ Oculis habentes, diligentem dent Miſſionibus Operam, nec terrenarum Rerum Specie allecti, præcipuum Muneris ſui Officium obire recuſent (a).

“ 2. Con-

(*t*) S. Congregatio de *Progaganda Fide* occupatur potiſſimùm in regendis & ſublevandis Miſſionibus, quales ſunt in *Anglia*, & *Scotia*, non autem in *Hibernia* ſtrictè & propriè loquendo. Enimverò in *Hibernia* diſtinctæ ſunt Archidiæceſes, & Diæceſes, diſtinctæque Parochiæ, non verò in *Anglia*, & *Scotia*, quibus in Regnis dudum extincta fuit Eccleſiaſtica Hierarchia, ut jam anteà explibabam Cap. iv. Num xiv. Pag. 81.

(*u*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*w*) Cap. xvii. Num. cxviii, & ſeqq.

(*x*) Recolendus Num. xxiv hujus Capitis. P. 176.

(*y*) Cap. xii. §. ii. Num. xii.

(*z*) Cap. xiv. Num. xxxii, & xxxiv.

(*a*) Confer. Num. xiii. Cap. præſ. Sect. 5. P. 165.

" 2. Concedimus Provinciæ petenti, ut Procuratorem, Provinciæ Filium, qui in Curia Matritenſi degat, " inſtituere poſſit (*b*); eâ tamen Conditione, ut priùs certi ei Redditus conſtituantur, qui pro convenienti " Victu, & Veſtitu ipſi ſufficiant."

Mense Octobris Anno 1757 novus introductus fuit in Superiorem *Parlamenti Hiberniæ* Domum Libellus (vulgò *Billa*), Typis mandatus, ibidemque approbatus, pro ſanciendis Legibus contrà Clerum Catholicum, ſed à Sanctiori Concilio Regni rejectus, ut lato Calamo ſuo Loco dicetur (*c*). Nihil porrò in ſequenti Comitiorum Seſſione molitum Anno 1759, & 1760.

CAPUT NONUM.

De certis Fratrum *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs, ſeù Domibus Conventualibus, intrà ipſummet Regnum ſitis, Numero Quadraginta Tribus (*a*), juxtà earum Antiquitatem (*b*); deque Vicarialibus eiſdem annexis.

Expeditis jam omnibus, quæ ad Hiſtoriam *Hiberniæ Dominicanæ*, tàm antè, quàm poſt Erectionem ipſius in Peculiarem Ordinis Provinciam, ſpectare dignoſcebantur, nunc de ſingulis ejus Cænobijs dicere oportet. Et quandoquidem inter ea quædam omninò certa ſint, quædam verò dubia, deſtructis ſcilicèt ſæpenumerò repetitâ Heterodoxorum Rabie Cænobijs omnibus, eorumque proindè Archivis, idcircò, ut methodicè procedam, de prioribus agendum ſuſcipio in præſenti Capite, de poſterioribus autem in ſequenti, Sermonem poſteà in ſelectis Capitibus facturus de Sororum, ſeù Sanctimonialium Monaſterijs, intrà *Hiberniæ* Sinum comprehenſis, deque Cænobijs, & Monaſterio Ultramarinis. Porrò, ut ſemotâ omni Confuſione clariùs procedam, de ſingulis Cænobijs Monaſterijſque in ſpecialibus Paragraphis ſub ſuis reſpectivè Capitibus diſſeretur, & quidem Ordine chronologico, juxtà eorum nempè Antiquitatem. Sit igitur

§. I.

De *S. Salvatoris* Cænobio in Civitate *Dublinienſi*, tàm Agri ejuſdem Nominis, quàm Nationis *Lageniæ*, quàm Univerſi *Hiberniæ* Regni Metropoli.

Annò 1224.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, Deſcriptio, Elogia, & Privilegia Metropolis* Dublinienſis. *Nonnihil in Notis de Diæceſi, duabuſque ejus Eccleſijs Cathedralibus.*

II. *Situs Cænobij* S. Salvatoris, *Fratribus Prædicatoribus à Ciſtercienſibus Monachis* S. Mariæ *Donodati, Anno* 1224, *ſub quadam Conditione. Ipſius delineantur Limites.*

III. *Anno* 1276 *Priori committitur hujus Cænobij, & alijs, ut* Leighlinenſis *Epiſcopi Electionem confirment.*

IV. *Anno* 1304 *Templum, & Cænobium Igne conſumpta. Reſtaurari incepta paulo poſt, quo Die Comitiſſa* Ultoniæ *defuncta eſt. Nota de Equite* Euſtachio Le Poer *Reſtauratore.*

(*b*) Idipſum quoque conceſſum fuit à Reverendiſſimo *de Marinis* per Literas ſuas Patentes, Auctoritate Apoſtolicâ confirmatas, quas legere eſt Cap. vi. Num. xv. P. 120. Duos ipſe novi, qui per longam Annorum Seriem iſto Procuratoris in Curia *Matritenſi* Officio ſucceſſivè functi ſunt, nempè P. Magiſtrum Fr. *Eduardum Geraldinum*, Longofordienſem, & P. Magiſtrum Fr. *Dionyſium O-Daly*, Athenrienſem. Videſis Cap. xiii. Num. lxxiv.

(*c*) Cap. xvii. Num. cxxii, & ſeqq.

(*a*) Acta Comitiorum Generalium Anni 1656, Pag. 143, §. *In Provincia Hiberniæ*, diſertè aſſerunt, quod *ad Annum* 1646 *numerabantur Fratres plus minus Sexcenti in QUADRAGINTA TRIBUS CONVENTIBUS, quos in hac Inſula poſſedit Ordo.* In ea igitur Quadraginta Tres Domus *Conventuales* fuere ultrà *Vicariales*, de quibus datâ Opportunitate Sermo erit. Videſis integrum Verborum Tenorem Cap. præſ. §. xxv. Num. ii.

(*b*) Hoc eſt uſque ad quadrageſimum Cænobium excluſivè, iſtud quippè, atque Tria ſequentia juxtà Ordiuem Alphabeticum recenſebuntur, ob Rationem, §. xl. antè Num. i. ad Lit. a. tradendam.

V. *Anno* 1308, *Primus Dublinij Prætor,* Joannes de Decer, *inſignis hujus Cænobij Benefactor. Tres Equites Aurati ibidem humati.*

VI. *Anno* 1315 *Templum, & Cænobium, Solo æquata propter* Scoticam *Regni Invaſionem. Denuò reſtaurata Juſſu Regis* Eduardi II. *Nota de Parochiali Eccleſia* S. Audoeni, *atque* Audoeni *Nomine, deque Parochiali Eccleſia* S. Werburgæ.

VII. *Olim Neo-Prætor cum Prætore deſcendente, & Senatoribus, intererat Miſſæ & Concioni in Eccleſia* S. Salvatoris, *recurrente ſingulis Annis Feſto* S. Michaelis Archangeli. *Cæremoniæ hujus quoddam adhuc videre eſt Veſtigium.*

VIII. *Anno* 1320 *Academia* Dublinienſis *à* Joanne *Papa XXII fundata. Anteà quidem inſtituta à* Clemente *U, ſed irrito Succeſu. Inſtrumentum Alexandri de* Bicknor, *Archiepiſcopi* Dublinienſis, *de ejuſdem Regulis. Duo ſtatim è Prædicatorum Familia creati Doctores. Plura ex* Waræo *de eadem Academia. Nota de* Gulielmo Handito *alijs* de Handite, *Ordinis Prædicatorum, primo Univerſitatis hujus Magiſtro, primoque Doctore. Alia Nota obiter de Antiquiſſima Gente* O-Cavanagh, *à Regibus* Lageniæ *oriundâ.*

IX. *Anno* 1309 Thomas de Butler, *Baronum de* Dunboyne *Progenitor, in hac tumulatus Eccleſia. Anno* 1351 Kenwrick *(alijs* Kenelbreck*)* Sherman, *olim Prætor* Dublinienſis, *ſub Turri Campanaria à ſe facta humatus. Ejus recenſentur Beneficia. Anno* 1355 Mauritius Geraldinus, *primus* Deſmondiæ *Comes, Hiberniæ Prorex, in Choro primùm humatus per Modum Depoſiti, dein ad* Traleienſem *noſtram Eccleſiam tranſlatus. Anno* 1361 Mauritius Doncref, *Civis* Dublinienſis, *in Cæmeterio ſepultus. Illius recenſetur Beneficium. Anuo* 1402 *Eccleſia hujus Cænobij conſecrata à* Thomâ Cranely, *Archiepiſcopo* Dublinienſi. *Anno* 1416, 19, & 21, Thomas Talbotus, *Filius Baronis de* Furnival, *atque* Edmundus Berle, & Galfridus Gallan, *quondam Prætores* Dublinienſes, *ibidem tumulati.*

X. *Anno* 1428 *propter Gymnaſium* S. Thomæ Aquinatis, *quod habebant Fratres hujus Conventûs ex adverſa Parte Fluminis, extrui fecerunt primum* Dublinij *Pontem. Quâ Ratione refundebantur Expenſæ.*

XI. *Anno* 1475 *ad Fratrum Mendicantium Preces* Sixtus *Papa* IV *Academiam* Dublinienſem *inſtituit. Literæ Apoſtolicæ ea de Re. Ædes nihilominùs pro Academia conſtructæ non fuere, neque fundati Proventus uſque ad Annum* 1591, *quando Hæreſis regnabat in* Hibernia. *Recenſentur Beneficia eidem præſtita ab* Anna, & Georgio II.

XII. *Anno* 1576 *in hoc Cænobio initum fuit Concordatum Archiepiſcopum* Dublinienſem *inter, & Abbatem Monaſterij* S. Thomæ Martyris. *Nota de Monaſterio hoc, ejuſque primævo Diſtrictu temporali.*

XIII. *Recenſentur antiqui Benefactores hujus Cænobij, atque in eo tumulati.*

XIV. *Diſſolutis ab Anno* 1539 *Regularium Domibus ſub* Henrico VIII, *Cænobium hoc in profanos Uſus converſum fuit. Ibi Regium Juriſconſultorum Hoſpitium, & Quatuor Juridica Regni Fora.*

XV. *Circà Annum* 1625 *Regulares conſtruxerunt ſibi* Dublinij *Sacella, & Domos. Eo Tempore* Capucini, & Thereſiani *in* Hiberniam *primò advenerunt. Anno* 1644 *Cænobium noſtrum* Dublinienſe *in Univerſitatem erectum.*

XVI. *Anno* 1662 Curia Vendicationum *in Cænobio hoc habita ; & Anno* 1683 Curia Gratiæ.

XVII. *Anno* 1685 *ſub Rege* Jacobo II *Fratres Prædicatores Cænobium hoc recuperarunt, qui tamen ob Comitia Generalia Regni, in eo habita, ad alteram Fluminis Partem tranſlati ſunt.*

XVIII. *Fora Judiciaria ab hoc Cænobio aliò tranſlata* 1696. *Ibi* Officium, *ut vocant,* Rotulorum. *Statutum Parlamentarium Anni* 1751 *ut venundetur.*

XIX. *Circà Annum* 1708 *reverſis Regularibus pluribus ab Exilio, Fratres Prædicatores Sacellum* Dublinij *erexerunt, quod ad hæc uſque Tempora tenent in Obſequium Miſſionis Apoſtolicæ. Eorum breviter recenſentur Munia.*

XX. *Duo Dominicani, Septemque aliorum Ordinum Regularium Antiſtites* Dublinienſes. *Plures è Cænobio hoc ad Infulas aſſumpti, ut nuperrimè Tres. Tres inſuper Provinciales, Duo Scriptores, Octoque vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione clari, Conventûs hujus Alumni.*

XXI. *Alumni hujus Conventûs in eo verſantes Anno* 1756.

I. DUBLINIUM (c) non *Lageniæ* ſolùm, ſed & totius *Hiberniæ* Princeps Civitas, hibernicè *Baille-Atha- Cliath* (d), anglicè verò *Dublin*, olìm *Divelin*, nuncupata, à *Ptolomeo* appellabatur

---

(c) Olim Latino Sermone dicebatur *Dublinia*, & aliquandò *Divelina*, mutato ſcilicet Nomine, prout contigit etiam *Londino*, quod priſcis Temporibus *Londinæ* vocabatur, atque *Londonæ*, ut anteà advertebam, Cap. ii. Num. v. Lit. p. Pag. 37. Porrò *Dubhlion* hibernicè idem eſt ac *Aqua Nigra* latinè.

(d) “ Id eſt Oppidum Super Crates, ſubjectis enim in paluſtri Loco Cratibus conditum affirmant, pellabatur *Eblana* Ratione Gentis *Eblanicæ*, ex quo Antiquitas (*e*) ipſius perſpicuè apparet, ſicuti etiam ex his, quæ refert *Waræus (f)*, nempè: “ In Urbe Dublinienſi (ut tantiſper expatier) “ Nummos antiquitùs fuiſſe cuſos, ex Archivis Regijs conſtat. Non negandum prætereà, ipſis “ *Oſtmannicis (g)* Temporibus, Dublinium Officinam habuiſſe Monetariam. Qua de Re fuſiùs “ alibi diximus (*h*). Urbs hæc Nobilis, Dublinium inquam, jam Antiquitate priſcâ, Proregis “ Habitatione, Sede Archiepiſcopali (*i*), Foris Regni Judiciarijs, Commercijs, Academiâ (*k*), & “ duabus Eccleſijs Cathedralibus, rarô quidem Exemplo (*l*), eſt conſpicua. Et ſi Gulielmo Neu- “ brigenſi, qui floruit ſub Joanne Rege, Fides, *Commercijs, & Commeatibus* erat olim *noſtrarum* “ *æmula Londinarum.* Item diù anteà, in Charta quadam Edgari Regis Angliæ, data Glóceſtriæ “ Anno Chriſti 964, appellatur Nobiliſſima Civitas Dublinia. Verùm hæc obiter,” inquit *Waræus*

“ mant, ut Hiſpalis Hiſpaniæ, quam ſic nominatam “ tradit Iſidorus, quod in paluſtri Loco ſuffixis Pro- “ fundo Palis locaretur.” Verba ſunt *Camdeni* in ſua *Britannia*, Pag mihi 507.

(*e*) *Tàm vetuſta eſt Civitas, ut primos ejus Fundatores minimè ſcire poſſimus*, inquit *Carvæus* in *Lyra Hibernica*, Pag. 72, qui tamen Pag. 186, ſcitè refert, eam cum Eccleſia Sanctæ Warbùrgæ magna ex Parte Flammis abſumptam fuiſſe Anno 1304. Confer Num. iv. hujus §. Pag. 188.

(*f*) In Annalibus Regis *Eduardi* VI, ad Annum 1548.

(*g*) Conſulendum Cap. i. Num. xvi. Lit. w. Pag. 25.

(*h*) Scilicet Lib. *De Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxv.

(*i*) Confer Cap. i. Num. xii. Lit. r; & Cap. iii. Num. ix. Lit. h. Pag. 16, & 59.

(*k*) Videſis Cap. iv. Num. xvii. Pag. 85, & brevi dicenda in hoc §. Num. xi. Pag. 193.

(*l*) Rarò ſanè contingit, in una Civitate duas eſſe Eccleſias Cathedrales, Res tamen ità ſe habet *Dublinij* hac de Cauſa. Vetuſta quidem *Dublinienſis* Cathedralis erat Eccleſia *SS. Trinitatis* in Meditullio antiquæ Civitatis ſita, ſed quandoquidem Anno 1152 *Joannes* Cardinalis *Paparo*, Legatus à Latere, Diæceſim *Dublinienſem* in Archiepiſcopatum erexerit, ut pridem (Cap. i. Num. xii) ajebam, videnſque eandem Diæceſim diffundi profectò ad Boream, & Africum, ſed ad Auſtrum infrâ Muros Civitatis coarctari, *Glandalacenſis* quippe Diæceſis ad Auſtralem uſque Portam, *S. Nicolai* dictam, extendebatur, idcircò potiorem *Glandalacenſis* Diæceſis Partem Neo-Archipræſuli *Gregorio* conceſſit, reſiduâ Parte *Gildæ* tunc *Glandalacenſi* Epiſcopo, dùm viveret, reſervatâ, ità ut poſt hujus Obitum univerſa *Glandalacenſis* Diæceſis (Conſule Cap. xiii. Num. li. Lit. m.) *Dublinienſi* Archiepiſcopo ſubeſſet. Reſtiterunt pro Aris & Foris *Glandalacenſes*, ſed devicti tandem acquievere, eâ tamen Lege, ut in *Glandalacenſis* Diæceſis Memoriam nova erigeretur in priſco illius Diſtrictu Eccleſia Cathedralis, utque inter hujus Dignitarios, præter Archidiaconum *Dublinienſem*, eſſet quoque Archidiaconus *Glandalacenſis.* Exindè porrò Eccleſia Cathedralis *S. Patritij* ædificari cæpit extrà Portam *S. Nicolai*, in antiquo ſcilicet *Glandalacenſi* Diſtrictu, & quidem eo in Loco, ubi olim erat Eccleſia Parochialis (quæ fertur à *S. Patritio* fundata, ut ait *Harriſius* Vol. I. Pag. 302) *S. Nicolao* ſacra, quæ nunc Solo æquata eſt, aſſignato in nova Cathedrali Sacello, ſub ejuſdem *S. Nicolai* Nomine, quo factum eſt, ut uſque in hodiernum Diem Parochia illa vocetur *S. Nicolai extrà Muros*, ad Differentiam alterius Parochiæ eidem contiguæ, ſub Invocatione etiam *S. Nicolai*, quæ eſt intrà Muros Civitatis. Cæterùm *S. Laurentius O-Tooleus*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, laudati *Gregorij* immediatus Succeſſor, donavit Anno 1163 antiquam Cathedralem *SS. Trinitatis* Canonicis Regularibus, quorum Prior ſuffragium ſemper habebat in Parlamento, ſedens inter Proceres, ſeu Pares Regni, uſque ad Tempora *Henrici* VIII, qui in Hæreſim lapſus, atque Regularium Cænobia ſupprimens “ hu- “ jus Eccleſiæ Priorem, & Conventum in Decanum, “ & Capitulum mutavit Anno 1541, & exindè hæc “ Ædes Sacra vulgò *Eccleſia Chriſti* dicitur,” inquit *Waræus*, de *Antiquitatibus Hibernicis* Cap. xxvi. Hanc porrò duarum Cathedralium *Dublinienſium* Hiſtoriolam didici partìm ex memorato *Waræo*, & *Harriſio*, partimque ex publicis Regni Commentarijs, alijſque Monumentis authenticis, quæ lecta audivi *Dublinij* in Curia *Banci Regis* Die 26. Januarij 1750, dum Regem inter, & Archiepiſcopum *Dublinienſem* Acatholicum, ſuumque *S. Patritij* Capitulum, controverteretur, an Decanus iſtius Cathedralis, vacante per Obitum, non verò per Promotionem, Dignitate, eligendus eſſet à Capitulo, per Archiepiſcopum convocato, an verò à ſolo Rege, ceù Supremo Eccleſiæ Capite, conſtituendus. Duravit, ut obiter dicam, Audientia per Septemdecim Horas continuas, tandemque Jus eligendi Decanum Capitulo, me præſente, adjudicatum eſt.

Cæterùm de *Primatu Dublinienſi* nonnihil obiter libabam Cap. i. Num. xii, iterumque libabo Cap. xiii. Num. vii.

ræus laudatus. Quibus addere placet, inſignem eſſe Urbem iſtam nedùm ob Antiquitatem ejus, Numerumque, Splendorem, & ſumptuoſam Ædificiorum Pulchritudinem, necnon Architecturæ Magnificentiam, ac Frequentiam Gentium exterarum, ſed etiam ob copioſam Civium Multitudinem, nimirùm ad Trecenta circiter Millia, ut poſt *Staniburſtum* ajebat *Porterus* (m) Sæculo Superiori, nunc autem mehercle ad multò plura, multiplicatis ſcilicèt, immò meâ in Memoriâ, Domibus quoad quartam ad minus Partem. Hinc, ut alibi (n) dicebam, nulli cedit Chriſtiani Orbis Civitati, ſi ſolas *Londinenſem*, & *Pariſienſem* excipias. *Liffeus* Amnis in Mare influit ſub Sex Pontibus per Medium auctæ Civitatis, olim namque integra Urbs in Parte erat Auſtrali memorati Fluvij, in Septentrionali verò extabat Oppidum, cui antiquum Nomen *Oxmantown*, hoc eſt, *Oſtmannorum* (o) Burgus, ſeù Oppidum, ex quo Titulum Baronis habet *Richardus Parſons*, Comes *Roſſenſis* (p), nunc autem *Dublinij* Pars cenſetur. Diſtat porrò *Dublinium* à propinquiori *Angliæ* Loco, hoc eſt, *Promontorio Sacro*, vernaculè *Holy-Head*, Sexaginta Milliaribus; *Londino*, Bis Centum, & Septuaginta; *Edinburgo*, Metropoli *Scotiæ*, Bis Centum, & Triginta; *Corcagiâ*, Capitali *Momoniæ*, Centum Viginti Sex; *Londino-Deriâ*, Capitali *Ultoniæ*, Centum & Octo; *Galviâ*, Capitali *Conaciæ*, Nonaginta Quinque (q).

II. In prælibato Oppido de *Oxmantown*, quod impræſentiarùm Septentrionalis eſt Civitatis Pars, & quidem eò pulchrior quò modernior, fuit Cænobium (cujus Muri adhuc extant) Fratrum Prædicatorum (r), ad præfati Fluminis *Liffei* Ripam, ità ut ad ipſum Naves perveniebant, hocque Cænobium omnium in *Hibernia Dominicana* antiquiſſimum eſſe, ex ſuprà (s) dictis Luce meridiana clarius patet. Dudùm Cænobium iſtud, cum ſua *S. Salvatoris* Eccleſia, tanquàm Filiale ſuberat Abbati inſignis Monaſterij *S. Mariæ* Monachorum Ciſtercienſium, in eodem Oppido, ſivè in eadem nunc Civitatis Parte, ſiti, qui Monachi Filiale ſuum hoc Cænobium Fratribus Prædicatoribus Anno 1224 (t) benignè donarunt, eâ Lege, ut in Memoriam ſingularis hujuſce Beneficij Patres Prædicatores iſtius Conventûs quotannis in Die Natalis Domini Cereum offerrent accenſum Abbati memorati *S. Mariæ* Monaſterij, quod Patres Prædicatores adamuſſim peregerant donec eorum Cænobium evaſerit Hæreticorum Præda. Inſimùlque donarunt Monachi ſpatioſiſſimum Hortum, aliudque contiguum Fundum, quod nunc viſitur extenſum à *Vico Eccleſiæ*, anglicè dicto *Church-Street*, ad Viculum uſque *Miſſæ*, vulgò nuncupatum *Maſs-Lane*, prope *Ormondium* Pontem, Flumine *Liffeo* ad auſtralem Partem præterlabente. Ad Partem verò ſeptentrionalem extat Viculus *Pali*, vernaculè dictus *Pillane*, ſed Voce corruptâ à Palo, qui Locum quempiam obſepit, ut de *Palo Anglicano* in *Hiberniæ* Regno alibi exponebam (u). Enimverò ubi Viculus eſt iſte, erat olim Palus terminalis, ſivè Colliminium, ſeù, ut clariùs loquar, erant certi Fines, quos ultrà citràque duplex conſiſtebat Territorium, Monachorum nempè Ciſtercienſium *S. Mariæ*, & Fratrum Prædicatorum *S. Salvatoris*. Atque amplificatâ dein, ut præfertur, Civitate, Viculus iſte ad ipſummet protenditur Monaſterij dudùm Solo æquati Veſtigium, hiſce etiam Diebus vulgò appellatum *S. Mariæ Abbatia*, anglicè *Saint Mary's Abbey*; Locus autem Cænobij Fratrum Prædicatorum dicitur vulgò *Clauſtrum*, ſivè in plurali *Clauſtra*, anglicè *The Cloyſters*. Quæ porrò Memoratu digna de Cænobio hoc ſequuntur, Ordine Chronologico recenſere placet.

III. Anno 1276, Die 28 Septembris, Priorem iſtiûs Conventûs inter alios nominat *Joannes* XXI, Pontifex Maximus, quibus committit, ut Epiſcopi *Lechlinenſis*, ſeù *Leghlinenſis*,

---

(m) In *Compendio Annalium Hiberniæ*, Pag. 25.

(n) Cap. i. Num. xii. Lit. a, & Cap. viii. Num. x. Pag. 17, & 162.

(o) Adeas Cap. i. Nnm. xvi. Lit. w. Pag. 25.

(p) Videſis Cap. præf. §. xix. Num. i.

(q) Nota, hìc Sermonem eſſe de Milliaribus *Hibernicis*, non quidem *computatis*, ſed *noviter menſuratis*, ut dictum eſt Cap. i. Num. ix, & Num. xi. Lit. k. Pag. 12, & 14.

(r) De Cænobio hoc legeſis antiquum Catalogum Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. adductum; *Waræum* de *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi. Pag. 143; *Harriſium* Vol. II. Pag. 276; *Alemandum*, Pag. 215; *Porterum*, Pag. 219; *O-Heynum*, Pag. 6; *Echardum*, Tom. ii. Pag. xiii.

(s) Cap. ii. Num. vi. & ſeqq. à Pag. 38.

(t) Ità conſtat ex Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(u) Cap. iv. Num. viii. Pag. 76.

ſis (*w*), Electionem confirment, ut ſuperiùs libabam (*x*). En Diplomatis Apoſtolici Tenorem *(y)*.

“ Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Clonferten., & dilectis
“ Filijs Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum, Ordinum,
“ Dublinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ex Parte dilectorum Filiorum Decani, & Capituli Eccleſiæ Lechlinen. fuit expoſitum coràm Nobis, quod eadem Eccleſia Lechlinen. olim per Mortem bonæ Mem. T . . . . Epiſcopi Lechlinen. Paſtoris Regimine deſtituta, ijdem Decanus, & Capitulum, Die ad eligendum præfixâ, prout Moris eſt, convenientes in unum, vocatis, & præſentibus omnibus, qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commodè intereſſe, Spiritûs Sancti Gratiâ invocatâ, dilectum Filium Magiſtrum N . . . . Archidiaconum Lechlinen., Virum Scientiâ præditum, Vitæ, ac Converſationis honeſtæ, in ſpiritualibus, & temporalibus circumſpectum, in ſuum, & ejuſdem Eccleſiæ Lechlinen. Epiſcopum, & Paſtorem canonicè, & concorditer elegerunt. Cùmque Dublinen. Eccleſia, cui præfata Eccleſia Lechlinen. Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur, Paſtore, ſicut dicitur, vacet ad præſens, & Sanctæ Trinitatis, & Sancti Patritij Eccleſiarum de Dublinen. Capitula, ſivè Canonici, inter ſe invicem ſuper Jure Electionis Metropolitico ipſius Dublinen. Eccleſiæ non modicùm diſſentiant, & diſcordent, dicti Decanus, & Capitulum Lechlinen., ſuper Electione ſua, de dicto Archidiacono in eorum Eccleſiâ celebrata, Recurſum ad Sedem Apoſtolicam habuerunt, Electionem eandem confirmari per Sedem Apoſtolicam inſtanter, & ſuppliciter poſtulantes; præſertìm cum, ſicut aſſeruit electus ipſe, propter Viarum timenda Diſcrimina, Sedem eandem perſonaliter adire nequiverit, Confirmationis ſuæ Benificium petiturus. Cùm autem Nobis apud Sedem prædictam de Meritis electi, & Electionis ejuſmodi plenè liquere non potuerit, prædictorum Decani, & Capituli Supplicationibus inclinati, Diſcretioni Veſtræ, de qua plenam in Domino Fiduciam obtinemus, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs, inquiſitâ de Modo Electionis, Eligentium Studijs, & electi Meritis, diligentiùs Veritate, ſi Electionem ipſam inveneritis de Perſona idonea canonicè celebratam, eandem Auctoritate Apoſtolicâ confirmantes, ac ipſum electum in Poſſeſſionem Bonorum ipſius Epiſcopatûs inducentes, faciatis eidem Munus Conſecrationis impendi, ſibique de Perſonis, & Subditis ipſius Eccleſiæ Lechlinen. Obedientiam debitam, & Reverentiam exhiberi: Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, invocato ad hoc, ſi Opus fuerit, Auxilio Brachij Sæcularis, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Non obſtante Indulgentiâ Sedis ejuſdem, per quam Fratribus veſtrorum Ordinum, Fili, Prior, & Guardiane, dicitur eſſe conceſſum, quod de Negotijs, quæ ipſis à Sede Apoſtolicâ committuntur, ſe intromittere minimè teneantur. Alioquin eadem Electione ritè caſſatâ, faciatis ipſi Eccleſiæ Lechlinen. per Electionem, vel Poſtulationem canonicam de Paſtore idoneo provideri. Quod ſi non omnes ijs exequendis potueritis intereſſe, duo Veſtrûm eâ nihilominùs exequantur. Nolumus autem, quod per Commiſſionem hujuſmodi factam Vobis hàc Vice aliquid Eccleſiæ, vel Archiepiſcopo Dublinen., qui pro Tempore fuerit, ſivè alicui Perſonæ in poſterum Præjudicium generetur. Datum Viterbij IV Kalendas Octobris Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

IV. Ad Annum 1304, antiquus Codex M. S. in Bibliotheca *Dublinienſi* ad *S. Sepulchrum* juxtà Eccleſiam Cathedralem *S. Patritij* aſſervatus (z), cui Titulus: *Annales Hiberniæ*, hæc habet: “ Hoc Anno Abbatia S. Mariæ Dublinij, & Cænobium Fratrum Prædicatorum Igne conſumpta fuere in Feſto Sancti Columbæ Abbatis (*a*), ſicut & ingens Pars Civitatis; ſed paulò poſt Euſtachius Le Poer (*b*) in Feſto S. Agathæ Virginis (*c*) primum poſuit Lapidem Cænobij Fratrum Prædicatorum, quo etiam Die Comitiſſa Ultoniæ, Conjux nempè Richardi de Burgo (*d*), Vitam cum Morte commutavit.”

V. “ Anno

(w) Videſis Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(x) Cap. iii. Num. ix. Pag. 59.

(y) Ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* Tom. i. Pag. 547, & ex *Waddingo* Annal. Minor. Tom. ii. in *Regeſto*, Pag. 119.

(z) Claſs. H. Tab. 2. Num. 25. Anglicè porrò conſcriptus eſt.

(a) Sanctus *Columba* Abbas tertius eſt *Hibernorum* Patronus, cujus Feſtivitas Die 9. Junij celebratur, ut videre eſt Cap. i. Num. xv. Pag. 22.

(b) *Euſtachius Le Poer* (nunc paſsìm ſcribitur *Power* pronunciatur verò *Poor)* fuit Eques Auratus, de eoque honorabilis fit in Hiſtorijs Mentio. Conjugem duxit *Matildam*, Filiam primogenitam *Joannis de Bermingham*, Comitis *Louthani*, tertijque Baronis *Athenrienſis* (confer Cap. præſ. §. viii. Num. ii. Lit. g) Filij, eorumque Filia ſecundogenita, Nomine *Anna*, nupſit *Roberto Dillono*, Baroni de *Drumrany*, Comitis de *Roſcommon*, & Vicecomitis de *Coſtello-Gallen*, Progenitori. Ità *Lodgæus* Vol. i. Pag. 147, & Vol. iv. Pag. 5.

(c) Scilicet Die 5 Februarij.

(*d*) Legeſis Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82.

V. “Anno 1308 Urbs Dublinenſis Diplomate Regio Eduardi II. (*e*) Prætorem, vulgò *Majorem* (*f*), habuit, primuſque fuit Joannes Le Decer, qui inſignis erat Fratrum Prædicatorum Dublinienſium Benefactor. Plura Donaria fecit Eccleſiæ, & Sacrario, ſinguliſque Diebus Sabbati Fratres omnes in Prandio tractabat, idque ex mera Liberalitate” (*g*).

“Anno 1309 Eques Joannes Cogan, Eques Gualterus Faunt, & Eques Joannes Fitz Rery, defuncti ſunt, & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Dublinij humati” (*h*).

VI. ANNO 1315, quondoquidem *Eduardus Bruſſus*, Frater *Roberti Bruſſi*, Regis *Scotiæ*, Septentrionalem *Hiberniam*, ſeù *Ultoniam*, invaſerit, atque invitatus occupaverit, ſuumque duxerit Victorijs elatus *Scotorum* Exercitum ad *Arcem Rupenſem*, vulgò *Caſtle-Knock*, tertio duntaxàt ab Urbe *Dublinienſi* Lapide, hinc *Robertus Nottingham*, Prætor Civitatis, Communeque, ut vocant, Conſilium, præmetuentes, ne ſi dictus Invaſor Cænobium Fratrum Prædicatorum occupaſſet, in ſummum vergeret *Dublinienſis* Civitatis Diſpendium, atqne Periculum, idcircò Cænobium iſtud Solo æquarunt, illiuſque Saxis Arcum, ſeù Fornicem *S. Audoeni* (*i*), atque Portam Civitatis apud Tabernas Vinarias (id eſt in Vico, cui vulgò Nomen : *Wine-Tavern-Street*) cum Muro, de illo in iſtam perducto. Indèque factum eſt, ut Scoti inexpugnabile omninò exiſtimantes *Dublinium*, de eo obſidendo Conſilium mutarunt, in *Momoniam* per aliam *Lageniæ* Viam Curſum ſuum dirigentes. Cæterùm, eâ ceſſante Calamitate, Cives *Dublinienſes*, de expreſſo Regis *Eduardi* II Mandato, Cænobium Fratrum Prædicatorum ex integro conſtruxerunt.

VII. NEQUE hìc Loci prætereundum eſt, quod cùm ſingulis Annis, Menſe Junio, eligatur Prætor Urbis *Dublinienſis*, qui Munere ſuo fungi incipit Die 30 Septembris, Mos erat, ut Die antecedenti, *Sancto Michaeli Archangelo* ſacrâ, Neo-Prætor cum Prætore deſcendente atque Senatoribus, vulgò *Aldermannis* (*k*), ac reliquo Corpore Communi Civitatis, in Proceſſiones veniret ad Dominicanam *S. Salvatoris* Eccleſiam, ubi omnes Summo interveniebant Sacro, ac Concioni, quæ ſingula indigitabat Magiſtratuum Munia, omneſque in Re iſta Omiſſiones inter graviora computari Delicta oſtendebat. A Tempore autem Suppreſſionis hujus Conventûs, per Acatholicos factæ, Cæremoniam iſtam ſupplere videtur Perambulatio utriuſque recenſiti Prætoris, & *Aldermannorum*, ſeù Senatorum, Communiſque Corporis Civitatis, in Feſto *S. Michaelis Archangeli* à medio

---

(*e*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. P. 45.

(*f*) Anno 1665 *Carolus* II. Diplomate Regio *Dublinienſibus* conceſſit, ut eorum Prætor impoſterum ſit *Lord-Mayor*, id eſt, Titulum habeat *Domini Prætoris*, qui Domini Titulus in hiſce Regnis Prætori *Londinenſi*, & *Eboracenſi* in *Anglia*, atque Præpoſito *Edinburgenſi* in *Scotia*, duntaxàt competit.

(*g*) Itâ præfatus Codex M. S. ad Annum 1308.

(*h*) Itâ *Annales Hiberniæ* impreſſi ad Calcem *Britanniæ*, à *Camdeno* editæ *Londini* 1722, poſt Pag. 1516. Porrò anglicè item conſcripti ſunt.

(*i*) Anglicè dicitur *Saint Owen's Arch*, id eſt, *Sancti Audoeni Arcus*, quia eſt propè Parochialem *S. Audoeni* Eccleſiam, inter antiqui *Dublinij* Mænia ſitam. Ex quo liquet, ut obiter dicam, eos magnoperè falli Ludimagiſtros, & alios ab eis deceptos, qui *Owen* anglicè appellatum, latinè vocant *Eugenium* ; Siquidem *Owen* anglicè, & *Ouen* gallicè, idem eſt ac *Audoenus* latine. Fuit porrò *S. Audoenus* Archiepiſcopus *Rotomagenſis*, vulgò *Rouen* in *Normannia* ; indèque facile eſt autumari, Titulum hunc ei datum fuiſſe Eccleſiæ poſtquàm *Normanni*, qui ſub Rege *Gulielmo Conquæſtore Angliam* invaſerant Anno 1066, Regem *Henricum* II in *Hiberniam* comitati ſunt Anno 1172. Fortaſſis autem memorata Eccleſia Parochialis olim dicata fuerat *S. Martino* ; legitur quippè in Vita *S. Laurentij* Archiepiſcopi *Dublinienſis*, atque in Bulla Canonizationis ejus, ipſum Septem ſuſcitaſſe mortuos, quorum unus triduanus erat, *Galvedius* ſcilicet Preſbyter Eccleſiæ Parochialis *S. Martini Dublinij*, impræſentiarùm enim nullo eſt *Dublinij* Eccleſia Nomine *S. Martini* donata. Priſcis quidem Temporibus, elapſo tamen *S. Laurentij O-Toolei* Ævo, propè Civitatis antiquæ Meditullium aderat Capella *S. Martino* ſacra, ceù tamen Pars Templi à *Ceſtrienſibus* extructi ſub Nuncnpatione *Sanctæ Werburgæ*, Virginis *Ceſtrienſis*, *Ceſtrienſiſque* Urbis Patronæ, cui etiam memoratæ Urbis Eccleſia Cathedralis dicata eſt. Quippè depopulato plurimùm *Dublinio* ſub Finem Sæculi Eccleſiæ duodecimi ob graſſantem ibi epidemicum Morbum, eò novas Colonias *Ceſtriâ*, & *Briſtolo*, maritimis *Angliæ* Occidentalis Civitatibus, tranſmiſit *Joannes* Rex Anno 1201.

(*k*) *Aldermannus* componitur ex Particulis Anglicis *Alder*, ſeù ut moderni *Angli* ſcribunt, Older, quæ *Seniorem*, & *Man*, quæ *Hominem* latinè, ſignificat. Hinc *Aldermanni* ſunt veluti *Seniores* Civitatis, qui Numero Viginti Quatuor, eandem cum Prætore gubernant.

medio *Dublinio* ad Locum antiqui hujus Cænobij, Hortumque illius, hodiedùm exiſtentem, ubi etiam Gyrum faciunt.

VIII. Anno 1320 fundata fuit Academia *Dublinieuſis* ab *Alexandro de Bicknor*, Archiepiſcopo *Dublinienſi*, & à *Joanne* XXII, Pontifice Maximo, confirmata, ut ex *Wareo* alibi ajebam (*l*), ubi etiam ex eodem narrabam, *Joannem Lechum*, Archiepiſcopum pariter Dublinienſem, jam anteà, Anno ſcilicet 1312, Bullam Fundationis impetraſſe à *Clemente* Papa V, ſed irrito Succeſſu ob Mortem ejuſdem Archipræſulis, Anno ſequenti ſecutam. Ibidem inſuper promiſi, me hic Loci exſcripturum prælibati *Alexandri* Archiepiſcopi Inſtrumentum de Regulis in Academia obſervandis. Ad liberandam igitur, ut par eſt, Fidem en integrum illius Tenorem (*m*).

“ In Dei Nomine, Amen.

“ Nos Alexander de Bicknore, Permiſſione Divinâ Dublinienſis Archiepiſcopus, volumus, concedimus, & ordinamus, de Conſenſu, & Aſſenſu Capitulorum noſtrorum (*n*) S. Trinitatis, & S. Patritij Dublin, Magiſtris, & Scholaribus Univerſitatis noſtræ Dublin, quòd Magiſtri Actu regentes dictæ Univerſitatis poſſint eligere Cancellarium, Doctorem in Sacra Pagina, ſeù Jure Canonico. Ità quòd ſi in altera Eccleſiarum noſtrarum S. Trinitatis, vel S. Patritij ejuſdem Loci, in dictis Scientijs fuerit aliquis in ijſdem Facultatibus adeptus, in Cancellarium præ omnibus cæteris, per eoſdem eligatur. Et ſi, quod abſit, in Electione ejuſdem Cancellarij fuerit Diſcordia, quòd tunc ſtetur Electioni majoris Partis dictorum Regentium in Numero duntaxàt. Et Cancellario dictæ Civitatis cedente, vel decedente, alius infrà Quindecim Dies eligatur, & idem electus Nobis, & Succeſſoribus noſtris præſentibus, ſeù Vicarijs, Nobis, vel illis in remotis agentibus, Sede Dublinienſi plenâ, &, Sede vacante, Cuſtodi Spiritualitatis ejuſdem, pro Confirmatione obtinenda infrà Quindecim Dles à Tempore Electionis præſentetur, pro Confirmatione ſua petenda, & obtinenda. Volumus ad hæc, quòd Duo Procuratores actu regentes, cùm fuerit Copia Magiſtrorum Regentium, ſimili Modo ut priùs eligantur; & quod ijdem Procuratores, cùm Univerſitas prædicta Cancellario caruerit, Vices ſuppleant ejuſdem Cancellarij. Et ſi Electio Cancellarij infrà Quindecim Dies celebrata non fuerit, ex tunc devolvat Juriſdictio ad Officialem Curiæ Dublin, Sede plenâ, vel, Sede vacante, ad Cuſtodem Spiritualitatis, quouſque Cancellarius electus fuerit, & confirmatus, vel ſaltem aliquid non obſiſtat canonicum, quo minus debeat confirmari. Concedimus etiam, quòd Dominus Cancellarius habeat Juriſdictionem ſpiritualem in Magiſtros, & Scholares, ubi Actor & Reus ſunt de Univerſitate prædicta, & in eorum Familiares, & Approbationem, & Reprobationem Teſtamentorum eorum Magiſtrorum, Scholarium, & Familiarum, ac Diſpoſitiones Bonorum eorum, ſi inteſtati deceſſerint; ità tamen, quod Mulctæ ipſis delinquentibus indicendæ, & Emolumenta indè, & ex quacunque alia de Cauſa, de Juriſdictione prædicta provenientia, in Ciſta quadam Univerſitatis prædictæ reponantur, convertenda in Ulilitatem dictæ Univerſitatis communem, ſecundùm Diſpoſitionem Cancellarij, & Magiſtrorum; & quod duas Claves Ciſtæ habeant Procuratores, & tertiam nominatus per Cancellarium; & indè dicti Procuratores bis in Anno, coram Cancellario, & Magiſtris Regentibus, Computum reddere teneantur, vel coram Deputatis, ſeu Deputandis ab ijſdem. Juriſdictionem verò noſtram, & Decani noſtri S. Patritij prædicti, in Familiares noſtros, & Canonicos Eccleſiarum prædictarum, & ad eorum Familiares, & ſuper Gleba Præbendarum exiſtentes, nullatenùs à Nobis, ſeu ab ipſo Decano, abdicantes. Proviſo tamen, quod pro Officio Cancellarij, & ejus Oneribus ſupportandis, pro Loco, & Tempore, ſecundùm Univerſitatis Facultates, honorificè ordinetur. Si verò Cancellarius prædictus Vices ſuas aliquibus, vel alicui, committere voluerit, in Cauſis ſpecialiter, & univerſaliter cognoſcendis, Facultatem eidem concedimus per Præſentes. Et ſi ab ijſdem Commiſſarijs appelletur, primò ad eundem Cancellarium, & Regentes appelletur, qui per ſe in dicta Cauſa Appellationis cognoſcent, vel per alios illâ Vice; à quibus ſi ſecundò appelletur, ad Nos, vel Officialem Curiæ noſtræ, ſeu Cuſtodem, ut præmittitur, ipſa Appellatio interponatur. Licentiandi inſuper Baccalaurei in Facultate quacunque præſententur Cancellario prædicto, & Magiſtris Regentibus, qui ſi ſufficientem Numerum, pro Tempore ab ipſis ordinando, obtinuerint Magiſtrorum in eadem Facultate, pro Literatura, & quoad illos, & alios aliarum Facultatum, pro Moribus deponentium, quibus credi volumus, ſi jurati de Credulitate deponantur, non obſtante minoris Partis Numero Magiſtrorum Contra-

---

(*l*) Cap. iii. Num. xv. Pag. 66.

(*m*) Ex *Wuræo*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xv.

(*n*) Recolendus Num. i. præſentis §. Lit. I. Pag. 186. ex quo liquet Capitulum *S. Trinitatis* fuiſſe tunc Canonicorum *Regularium*, S. verò *Patritij* Canonicorum *Sæcularium*.

“ dictione, licentientur, alioquin per Gratiam tranſeant Univerſitatis. Et ſi quis contrà Licentiandum in in quacunque Facultate aliquid objecerit, & illud in Forma Juris non probaverit, eo ipſo habeatur pro malitiosè opponente, & præter Refuſionem Damnorum, & Expenſarum Parti faciendarum, Univerſitatis Privilegio privetur ad Tempus, vel in perpetuum, prout Cancellario, & Regentibus viſum fuerit, habitâ Conſideratione ad Qualitatem Rei objectæ, & Conditionem utriuſque Perſonæ. Concedimus etiam, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris, quòd Cancellarius, de Conſilio Magiſtrorum Regentium, & non Regentium, ſi neceſſe fuerit, Statuta condere poſſit, ad Honorem, & Pacem Univerſitatis, & ad Scandala dirimenda, quæ contingere poterint, in Eventu; & illa Statuta debent Nobis, & Succeſſoribus noſtris præſentari, & per Nos, & eoſdem Succeſſores confirmari. Ordinamus etiam, quòd Nos, & Succeſſores noſtri eligere poſſimus Sæcularem in Theologia Regentem, vel de quacunque Religione, qui in Eccleſia noſtra S. Patritij præfata actualiter legat in Sacra Pagina, ſine alicujus Contradictione, vel Calumnia, perpetuis Temporibus in Futurum. Ac Nobis, vel illis Succeſſoribus noſtris, agentibus in remotis, quòd Cancellarius hoc faciat Vice noſtrâ, & eorundem Succeſſorum: Eo non obſtante, quòd Scholas Fratrum Prædicatorum, ac Minorum duximus canonizandas. Et quòd Cancellarius electus, & à Nobis, & Succeſſoribus noſtris confirmandus, Juramentum Nobis, & Succeſſoribus noſtris præſtet Fidelitatis. In cujus Rei Teſtimonium, Sigillum noſtrum, unà cum Sigillis Capitulorum noſtrorum S. Trinitatis, & S. Patritij Dublin, prædictorum, Præſentibus eſt appenſum. Datum Dublinij, Decimo Die Februarij, Anno Domini MCCCXX, & Conſecrationis noſtræ Quarto.”

Deindè ſubdit *Waræus* prælaudatus: “Tumque S. Theologiæ Doctores creati ſunt ibidem Gulielmus de Hardite (*o*) Ordinis Prædicatorum, Henricus Cogry Ordinis Minorum, & Edmundus de Karmardin (*p*) Ordinis Prædicatorum. Item ad Gradum Doctoratûs in Jure Canonico promotus eſt Gulielmus Rodiart, Decanus Eccleſiæ S. Patritij Dublinij, qui conſtitutus eſt etiam primus Academiæ Cancellarius. Lecturam Theologicam ab Eduardo III (*q*) ibi poſteà inſtitutam, docet Regeſtum Joannis Alani, Archiepiſcopi Dublinienſis. Cæterùm deficientibus Facultatibus, quibus Alumni alerentur, Academia ipſa paulatìm defecit. Remanebant quidem Veſtigia aliqua Academiæ Tempore *Henrici* VII, nam in Concilio Provinciali, *Dublinij* habito in Eccleſia S. Trinitatis, coram *Waltero Fitz-Simons*, tunc Archiepiſcopo *Dublinienſi* (*r*), conceſſa ſunt ad Septennium *Lectoribus Univerſitatis* Stipendia quædam ab Archiepiſcopo, Suffraganeis, & Clero Provinciæ Dublinienſis, annuatìm ſolvenda. Tandem verò Elizabetha Regina Dublinio Academiæ Honorem reſtituit: Nam Collegium, SS. Trinitatis Nomini conſecratum, poſuit (in Loco, ubi olim Dermitius Filius Murchardi (*s*), Rex Lageniæ, Cænobium Omnium Sanctorum, vulgò dictum *All-Hallows*, Canonicis Ordinis S. Auguſtini conſtruxerat) Prædijs ditavit,

---

(*o*) *Handitum* eum appellat *Thomas Carve*, Tipperarienſis, Notarius Apoſtolicus, in *Annalibus Hiberniæ*, Pag. 205, ajens: “Univerſitas Dublinienſis Tempore *Joannis* XXII Papæ, necnon *Alexandri Bicknori*, ejuſdem Archiepiſcopi, Exordium ſumpſit, cujus primus Magiſter, ſeù Doctor, fuit *Gulielmus Handitus*, Ordinis Prædicatorum, qui ſub prædicto Archiepiſcopo plurimos Doctores Sacræ Theologiæ creavit.” *Annales* quoque *Hiberniæ* apud *Camdenum* poſt Pag. 1526 affirmant, eum *primum* fuiſſe *Magiſtrum* hujus Univerſitatis. Ipſum porrò *de Handite* cognominant.

(*p*) *De Kermerdyn* eum nuncupant præfati *Annales* apud *Camdenum*. Fuit poſteà Epiſcopus *Ardfertenſis*, ut videre erit Cap. xiii. Num. xx.

(*q*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. P. 45.

(*r*) *Walterus* iſte *Fitz-Simons* conſtitutus fuit Archipræſul *Dublinienſis* à *Sixto* IV, Pontifice Maximo, Anno 1484, indèque liquet, Concilium Provinciale iſta conceſſiſſe ad corroborandum, & Executioni mandandum nuperam Academiæ Fundationem, aut ſi mavis Reſtaurationem, ab eodem Pontifice factam Anno 1475, ut dictum eſt Cap. iv. Num. xvii, iterumque dicetur Num. xi. præſ. §. ubi Literas ipſas Apoſtolicas deſuper emanatas exhibebo.

(*s*) Hibernicè *Morrough*, cui Cognomen erat *O-Cavanagh*. Hùc porrò faciunt ſequentia Verba, quæ nudiuſtertiùs vidi in Regeſto Feciali Regis Armorum in hac *Dublinienſi* Civitate, nempè: “Antiquiſſima Familia de *O-Cavanagh* Originem ducit à MORROUGH Rege Lageniæ, quâ de Cauſâ ejuſdem Familiæ Hæres paſſim nuncupatus erat MAC-MORROUGH (i. e. *Filius Murchardi)* uſque ad Carolum O-Cavanagh, qui Titulum iſtum reſignavit Regi Henrico VIII, ut patet ex Tractatu Pacis, inter Leonardum Dominum Grey, Proregem Hiberniæ, pro Parte Regis, & prælibatum Carolum O-Cavanagh, inito Die 12 Maij 1537. Et poſtmodùm Die 4 Novembris 1550, Anno Regis Eduardi VI Quarto, in Magno Concilio, Dublinij coram Prorege &c habito, humiliter ſe ſubjecit, palàmque renunciavit Titulo MAC-MORROUGH, quem ipſius Progenitores ſibi aſſumpſerant. Dictus Carolus creatus fuit Baro de Ballyane, in Comitatu Carloenſi, à Regina Maria Die 8 Februarij 1553, ut conſtat ex Literis Patentibus regiſtratis in Rotulis Cancellariæ Dublinij.”

“ vit, & Academicis ornavit Privilegijs. Primum Lapidem poſuit Thomas Smithus, Prætor Dublinienſis,
“ 13 Martij Anno MDXCI, Stylo Anglicano (*t*), & 9 Januarij MDXCIII Studioſi primùm admiſſi. Eidem
“ poſteà Collegio Rex Jacobus *(Primus)* præter annuam Ter Centum Octoginta Octo Librarum, & Quin-
“ decim Solidorum Monetæ Anglicanæ (*u*) è Fiſco Penſionem, ampliſſimas in Ultonia Poſſeſſiones elargi-
“ tus eſt. Atque hæc unica nunc eſt Hiberniæ Academia, Athenæ noſtræ (*w*).”

“ IX. Anno 1329, Dominus Thomas de Butler, *Baronum de Dunboyne Progenitor* (*x*), in Prælio oc-
“ ciſus eſt in magnum Hiberniæ Damnum, & in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Dublinij honorificè tu-
“ mulatus Die Dominico poſt Feſtum S. Bartholomæi (*y*).”

“ Anno 1351, Kenwrick (*(alijs Kenelbreck)* Sherman, anteà *(Anno* 1349) Prætor Urbis Dublinienſis,
“ humatus fuit ſub Turri Campanaria Fratrum Prædicatorum ibidem, quam ipſe fieri fecerat, ſicut &
“ Magnam Feneſtram in Summitate Chori, atque Tectum Eccleſiæ, pluraque alia præſtitit Beneficia.
“ Obijt in eodem Cænobio Die 6 Martij, poſt ſe relinquens Rem familiarem ad Valorem Ter Mille Mar-
“ carum (*z*), pluraque addicens Legata Clero, tàm Sæculari, quàm Regulari, intrà Viginti ab Urbe
“ Dublinienſi Lapides (*a*).

ANNO 1355, *Mauritius Geraldinus*, primus *Deſmondiæ* Comes, de quo alibi (*b*), in Arce *Dublinienſi*, quà *Hiberniæ* Porex, defunctus Die 25 Januarij, in Choro hujus Eccleſiæ *S. Salvatoris* primùm humatus fuit per Modum Depoſiti, dein ad Eccleſiam *Traleienſem* Ordinis Prædicatorum, à Majoribus ſuis fundatam, tranſlatus (*c*).

“ Anno 1361, Die 6 Januarij, Mauritius Doncref, Civis Dublinienſis, ſepultus fuit in Cæme-
“ terio Fratrum Prædicatorum ejuſdem Civitatis, legatis Conventui Quadraginta Libris Sterlin-
“ ghis (*d*) pro Eccleſiæ Feneſtris (*e*).”

“ ANNO 1402, 5 Idús Julij, eandem S. Salvatoris Eccleſiam conſecravit Thomas Cranely,
“ Archiepiſcopus Dublinienſis *(f)*.” Cæterùm nullus dubito, quin dudùm conſecrata fuerit, iterata autem facta eſt Dedicatio poſt completam illius Reſtaurationem.

“ ANNO 1416, in Feſto S. Laurentij, obijt Thomas Talbotus, Filius Baronis de Furnival (*g*
“ ſepultuſque fuit in Choro Fratrum Prædicatorum Dublinij (*h*).”

“ ANNO 1419, Die 11 Maij, obijt Edmundus Berle, olim *(Anno* 1386) Prætor Urbis *Dubli-*
“ *nienſis*, ſepultus in Cænobio Fratrum Prædicatorum ejuſdem Urbis (*i*).”

“ ANNO 1421, Idibus Maij, Joannes Bedley, Eques Auratus, & Galfridus Gallan, olim
“ (*Anno* 1398) Prætor Urbis Dublinienſis, obiere. Eorum poſterior ſepultus fuit in Cænobio Fr
“ trum Prædicatorum ejuſdem Urbis (*k*).”

X. ANNO 1428, cùm Fratres Prædicatores hujus Conventûs *S. Saluatoris* Gymaſium habe-rent ſub Nuncupatione *S. Thomæ Aquinatis*, in antiquæ Civitatis Suburbio, quod nunc *Uſſeri* I*ſula* appellatur, quò confluebant Juvenes pro Philoſophicis, & Theologicis Diſciplinis; & cu Studiorum Regentes, alijque Lectores, & Religioſi, ſicut & Juvenes *Oſtmannorum Burgi* (*l*), no adeò commodè eò ibant, & redibant, impediente ſcilicet Flumine *Liffeo*, haud rarò etiam turge cente

---

(*t*) Conſulendum Cap. vii. Num. iii. Lit. f. P. 138.

(*u*) Hoc eſt, Mille Quingenta Septuaginta Septem Scuta Monetæ *Romanæ*.

(*w*) Nonnihil aliud de Academia hac videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*x*) Adeas Cap. præſ. §. xviii. Num. ii. Lit. k.

(*y*) *Annales Hiberniæ* apud *Camdenum* poſt Pag. 1526.

(*z*) *Marca* antiqua eſt Moneta *Anglicana*, quæ etiamnùm viget apud Curiales, valens Tredecim Solidos, & Quatuor Denarios, id eſt, Tria Scuta & Quatuor circiter Julios Monetæ *Romanæ*. Alia inſuper fuit Moneta antiqua, ut obiter dicam, nuncupata *Nobilis*, prioris Medietas, valens nimirùm Sex Solidos, & Octo Denarios. Hinc Tres *Nobiles* unam faciebant *Libram Sterlingam*.

(*a*) *Annales Hiberniæ* mox recenſiti.

(*b*) §. x. Cap. præſ. Num. ii. Lit. c.

(*c*) *Annales Hiberniæ* mox recenſiti.

(*d*) Hoc eſt, Centum & Sexaginta Scutis R *manis*.

(*e*) *Annales Hiberniæ* mox recenſiti.

(*f*) Ità prælibatus Codex MS, ad Annum 140 *Annales Hiberniæ* apud *Camdenum* ad eundem A num; & *Waræus* in *Rerum Hibernicarum* Ann *bus* ad dictum Annum.

(*g*) *Talbotus* Baro de *Furnival*, poſtmodùm c atus fuit Comes de *Shrewſbury* in *Anglia*, & C mes de *Waterford*, ac de *Wexford* in *Hibern*

(*h*) *Annales Hiberniæ* apud *Camdenum*.

(*i*) Iidem Annales.

(*k*) Iidem Annales.

(*l*) Recolendus Num. i. præſ. §. Pag. 187.

cente: Hinc Sumptibus Fratrum Prædicatorum, ſuorumque Benefactorum, extructus fuit Pons lapideus, Quatuor conſtans Arcubus, adhuc ſemper idem manens, qui inter Sex *Dublinienſes* Pontes primus eſt, adeoque *Pons Vetus*, anglicè *The Old Bridge*, paſſim appellatur uſque in hodiernum Diem. Ad reſarciendas autem Pecunias expenſas, Sodalis Laicus (*m*) Dominicanus, de Communi Civitatis Conſilio, ad Pontem recipiebat Denariolos pro ſingulis Rhedis, Curribus, aliiſque Vehiculis, necnon & Equis, aut Jumentis tranſeuntibus, Puerque vidi Vas pro Aqua luſtrali, quâ, ut fert Traditio, prætereuntes aſpergebat.

XI. ANNO 1475, ut pridem ajebam (*n*), ad Supplicem Fratrum Prædicatorum, & aliorum Mendicantium Inſtantiam, *Sixtus* Papa IV Diploma expediri fecit pro novâ (*o*) Fundatione Academiæ, ſeù Univerſitatis *Dublinienſis*, inſimulque adverti, Academicas haud conſtructas fuiſſe Ædes uſque ad Annum 1591, regnante *Elizabethâ* Heterodoxâ. Ibidem inſuper promiſi, ejuſdem Diplomatis Exemplar hìc Loci exſcribendum. En porrò illud, ut legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*p*).

“ **Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.**

“ Copioſus in Miſericordia Dominus, & cunctis ſuis glorioſus Operibus, à quo omnia defluunt; ad hæc
“ Nobis, licèt immeritis, & inſufficientibus repertis, ſuæ Sponſæ Univerſalis Eccleſiæ Regimen committere,
“ noſtræque Debilitati Jugum Apoſtolicæ Servitutis imponere voluit, ut tanquâm de ſummo Vertice Mon-
“ tis ad infima reflectentes Intuitum, quod pro hujuſmodi illuſtranda Eccleſia ad Fidei Propagationem con-
“ ferat orthodoxæ, quod Statui quorumlibet Fidelium conveniat, proſpiciamus attentiùs, & qualiter à Fi-
“ delibus ipſis profugatis Ignorantiæ Tenebris illi per Donum Sapientiæ in Via Mandatorum, ac Domo
“ Domini converſari debeant, ſolertiùs attendentes, eos ad quærendum Literarum Studia, per quæ Mili-
“ tantis Eccleſiæ Reſpublica geritur, divini Nominis, ac ejuſdem Fidei Cultus pro tenditur, omniſque
“ Proſperitatis humanæ Conditio augetur, noſtræ Solicitudinis Ope Apoſtolicâ, ejuſque Favoribus propen-
“ ſuis excitemus, Sanè pro Parte dilectorum Filiorum univerſorum Miniſtri, Prioris, & Vicariorum, ac
“ Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S, Auguſtini, ac B. Mariæ de Monte Carmelo, Ordi-
“ num, Provinciæ, ſeù Vicariæ, vel Viſitationis, Inſulæ Hiberniæ ſecundùm Morem dictorum Ordinum,
“ Nobis nuper exhibita Petitio continebat, quod in dicta Inſula, Mari Oceano circumdata, cujus Incolæ
“ Prædicatione Verbi Dei plurimùm indigere dignoſcuntur, nullum viget Studium Generale, in quo Ma-
“ giſtri, & Doctores legere, & Scholares proficiere poſſint: & licèt in Civitatibus, & Villis, Muris muni-
“ tis, in dicta Inſula conſiſtentibus, quæ Guerris perſæpè affliguntur, Multitudo præfatorum Quatuor
“ Ordinum Profeſſorum propter eorum exemplarem Vitam, & Verbi Dei Prædicationem admittantur, ta-
“ men Scholares, & ſtudere volentes, de facili in illis non recipiuntur, quodque in dicta Inſula reperiuntur
“ quamplures dictorum Ordinum Profeſſores Magiſtri, & Baccalaurei in Theologia, & Artibus ſufficienter
“ inſtructi, & quamplures Scholares ad hujuſmodi Scientias benè diſpoſiti, qui in eis proficere cupiunt, &
“ quorum Ingenia de Die in Diem decreſcere, & torpere cernuntur in maximum Republicæ Chriſtianæ,
“ & Fidei Catholicæ Detrimentum, eo quia eis tutus non patet Acceſſus ad aliquod Studium Generale,
“ niſi Mari Oceano prædicto cum gravi Periculo, & multorum ſæpiùs Submerſione tranſacto, nec in Stu-
“ dijs, ſeù Univerſitatibus alienis commodè commorari valent propter Defectum Expenſarum, frigeſcente
“ Caritate multorum, & pullulante Diſcordiâ Nationum. Quarè pro Parte Miniſtri, Prioris, Vicariorum,
“ & Fratrum prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in Civitate Dublinen. dictæ Inſulæ, quæ
“ propter ejus utiles Conditiones pro Studio Generali Theologiæ, & Artium liberalium inibi erigendo ha-
“ bilis redditur, Studium Generale Artium, & Theologiæ, in quo pro orthodoxæ Fidei Incremento The-
“ ologiæ, & pro illius Cognitione neceſſariæ Artes liberales, Fratres dictorum Ordinum, & cujuſlibet eo-
“ rum, approbati, & habilitati More Provinciæ Angliæ, poſtquàm ipſi rigoroſum Examen Magiſtrorum, &
“ Doctorum dictæ Univerſitatis, & de illius Gremio exiſtentium, ac in eo commorantium ſubierint, ad
“ Baccalaureatûs, Licentiæ, Magiſtratûs, & Doctoratûs, Gradus, per Regentem, in ipſa Univerſitate
“ pro Tempore exiſtentem, in Theologia hujuſmodi juxta Statuta, & Conſuetudines Univerſitatis Studij

---

(*m*) Apud Fratres Prædicatores, prætertim *Italiæ*, paſſim vocatur *Converſus*.

(*n*) Cap. iv. Num. xvii Pag. 85.

(*o*) Jam anteà fundata fuerat Academia *Dublinij*, ut patet ex nuper dictis Num. viii. Pag. 190.

(*p*) Tom. iii. Pag. 525, & Tom. viii. Pag. 462, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, ſeù *Tabulario Vaticano*, Lib. lxxi. Fol. 107, & alia Exemplaria Typis edita.

“ Generalis Oxonien. Lincolnen (*q*) Diæceſis promoveri poſſint, & valeant, erigere, aliaſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Chriſtianæ Fidei, & Evangelicæ Veritatis Dilatationem, Studijs quærimus indefeſſis, attendentes, quod ex hujuſmodi Theologiæ Studio Salus provenit Animarum, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, in præfata Civitate Dublinen. Inſulæ memoratæ Studium Generale Theologiæ, & pro illius Cognitione neceſſariarum Artium liberalium, & in illo Univerſitatem, Auctoritate Apoſtolocâ ad Dei Laudem, & Fidei præfatæ Exaltationem, Præſentium Tenore, perpetuò erigimus, ac Magiſtris, Doctoribus, & Scholaribus, quos inibi Occaſione hujuſmodij Studij convenire, & eidem Univerſitati incorporari contigerit, ut Rectorem primâ Vice, & quoties pro Tempore opportunum fuerit, eligere, Cathedras pro Scientia Theologiæ hujuſmodi addiſcenda neceſſarias deputare, & Conſtitutiones, ac Statuta, & cætera opportuna Officia pro hujuſmodi Studio proſpero, & felici Regimine ordinare, ac in præfata Theologia Magiſtros, & Baccalaureos, ac alios ad legendum, & diſcendum idoneos, qui in illa legere, & ſtudere volunt, ponere, & amovere, ac amotorum Loco alios ſubrogare, necnon eiſdem Rectori, & Magiſtris, & incorporatis pro Tempore dictæ Univerſitati, ut Fratres Ordinum prædictorum approbatos, & habilitatos More dictæ Prouinciæ Angliæ, prævio rigoroſo Examine, ac ſervatis alijs ſervandis, in eadem Theologia, ad Baccalaureatûs, Licentiæ, & Magiſtratûs Gradus promovere, eiſque, & Doctoribus, Scholaribus, & Perſonis, qui pro Tempore erunt, ac illos, quos ad Gradus quoſcunque inibi promoveri contigerit, ut in omnibus, & ſingulis Privilegijs, Immunitatibus, Gratijs, Favoribus, Exemptionibus, Conceſſionibus Apoſtolicis, vel alijs in Genere, vel Specie præfatæ Univerſitati Oxoniæ Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Scholaribus, & Perſonis, ac pro Tempore promotis in eadem, quomodolibet conceſſis, & concedendis, & quibus illi quomodolibet potiuntur, & gaudent, uti, potiri, & gaudere poſſint, & debeant, in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi dictæ Univerſitati Studij Dublinen. erigendi, & illius Rectori, Magiſtris, Doctoribus, Scholaribus, & Perſonis, in illa pro Tempore promotis, ſpecialiter, vel nominatim conceſſa forent, eâdem Auctoritate concedimus, & indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Ordinum, Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâcunque Firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus contrarijs quibuſcunque. Proviſo quod promovendi pro Tempore in eadem Univerſitate in Expenſis Taxam Viennen. Concilij (*r*) non excedant. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Erectionis, Conceſſionis, & Indulti infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si qui autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Septuageſimo Quinto, Quinto Kalendas Maij, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.”

QUAMQUAM porrò Literarum harum Tenore *Dublinienſes* Facultatem habuerint erigendi Academiam, ſeù Univerſitatem, nunquàm tamen, ut præfertur, pro ea conſtructæ fuere Ædes, aut fundati Proventus, uſque ad Annum 1591, quo Regina *Elizabetha* Heterodoxa ampliſſimas pulcherrimaſque extruxit Ædes, quibus amæniſſima adjacent Vireta, ubi olim Prioratus erat Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* ſub Invocatione *Omnium Sanctorum*, anglicè *All-Hallows*, quas *Sanctiſſimæ Trinitati dedicatas, Academicis ornavit Privilegijs*, inquit *Waræus* (*s*).

INSUPER Regina *Anna*, quæ ab Anno 1702 ad 1714 regnabat (*t*), fieri fecit non minùs elegantem quàm ſpatioſam Bibliothecam, Sexaginta Mille circiter Libris locupletatam, ſingulis Diebus (exceptis Dominicis, & Feſtivis) ab Hora octava matutina ad decimam, & ab Hora ſecunda promeridiana ad quartam, apertam, ac quibuſdam ſelectis Perſonis, tàm domeſticis, quàm extraneis, pro Librorum Lectione patentem.

NUPER demùm *Georgius* II, nunc regnans, ad Inſtantiam Comitiorum *Hiberniæ*, vulgò *Parlamenti*, ex publico conceſſit Ærario hujus Regni Triginta Quinque Millia Librarum *Sterlingarum*

(*u*) pro

(*q*) Ex his liquet, *Oxoniam* in *Anglia*, ubi celeberrima Univerſitas, fuiſſe olim in *Lincolnenſi* Diæceſi, nunc autem eſt Civitas Epiſcopalis erecta ab *Henrico* VIII Anno 1546, ut ex plurimis conſtat Monumentis, quæ dum *Oxoniæ* eſſem paucis abhinc Annis vidi, & ex Libro Deſcriptionis Ciuitatis, quam ibidem comparavi.

(*r*) *Viennæ* ſcilicet in *Gallia* celebrati ſub *Clemente* V, Anno 1311, cujus Decretum hac de Re legere eſt in *Clementinis*, Tit. v. Cap. ii.

(*s*) De *Antiquitalibus Hiberniæ*, Cap. xv., cujus Verba in extenſum nuper exſcripſi Num. viii. Pag. 191.

(*t*) Videſis Cap. vii. Num. xvi. Pag. 147.

(*u*) pro earundem Ædium, ac Viretorum Ampliatione, & Decoratione, quæ hoc Anno 1760 affabrè elaborantur.

XII. Anno 1476, cùm orta eſſet Controverſia *Joannem Walton*, Archiepiſcopum *Dublinienſem* inter, & *Richardum Foaſter*, Abbatem Monaſterij *S. Thomæ* Canonicorum Regularium in Occidentali Civitatis Suburbio, nunc autem auctæ Civitatis Parte, circà annuas Solutiones, anglicè *Proxies*, latinè *Procurationes*, paſſim dictas, Archiepiſcopo Ratione Viſitationis annuæ Parochiarum, memorato Monaſterio annexarum (*w*, faciendas, tunc Temporis Prorege *Georgio Plantaganet*, Duce *Clarentiæ*, Regis *Eduardi* IV (*x*) Fratre, ipſius Deputatus, ſeu Vices Gerens, *Gulielmus Shirwood*, Epiſcopus *Midenſis*, Concordatum confecit in Cænobio *S. Salvatoris* Fratrum Prædicatorum *Dublinij*, ab utroque Contendente acceptatum (*y*).

XIII. Inter inſignes, & antiquos Conventûs hujus Benefactores Jure merito numerantur, ultrà nuper laudatos (*z*), *Radulphus Le Porter* (*a*), & *Kenricus Sherman* (*b*). Inſuper, præter alios nùper item laudatos (z), in Cænobio hoc tumulatus fuit *Thomas Payn*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Midenſis* (*c*), & Magiſter Rotulorum, qui Diem clauſit extremum Anno 1506, pluresque alij melioris Notæ, quos perſcribere nimis longum foret.

XIV. Anno 1536 Rex *Henricus* VIII declaratus fuit in *Hibernia* Supremum Eccleſiæ Caput, in *Anglia* verò Anno 1534, ut pridem ajebam (*d*). Hinc Anno 1539 plures Monachi, ac Religioſi Mendicantes ſuis valedicere Cænobijs cogi cæperunt. Anno autem 1541 per Parlamenti, ut vocant, Acatholici in *Hibernia* Statutum Cænobia omnia Univerſi Regni Diſpoſitioni *Henrici* tradita ſunt, qui ſubindè Nobilibus, Auliciſque ſuis ea alienare haud dubitavit, quibuſdam Redditibus annuis Sibi, Coronæque ſuæ reſervatis (*e*). Tunc porrò Temporis noſtrum *S. Salvatoris* Cænobium in Hoſpitium pro Juriſconſultis redactum fuit, exindéque vocari cæpit anglicè *The King's-Inns*, id eſt, *Regium Juriſconſultorum Hoſpitium*. Poſtmodùm verò, Anno ſcilicet 1582, *Richardus Butler*, Comes *Arranenſis*, Prorex *Hiberniæ*, de Mandato Reginæ *Elizabethæ*, Quatuor Juridica Regni Fora, ſeù Tribunalia (*f*), quæ antehàc in Arce erant *Dublinienſi*, ad hujuſmodi Regium Juriſconſultorum Hoſpitium, ſeù Fratrum Prædicatorum Cænobium, tranſlata fuere (*g*).

XV. Circa Annum 1624, Regio Principe *Carolo* (poſtmodùm Rege, ſub Nomine *Caroli* I) exiſtente in Hiſpaniarum Regno (*h*), Regulares cujuſvis Ordinis conſtrui ſibi fecerunt *Dublinij* Sacella, & Domos, ut refert Codex MS (*i*) ſæpenumerò laudatus, qui etiam (*k*) aſſerit, ut obiter dicam, Fratres *Capucinos* primùm in *Hiberniam* adveniſſe Anno 1623, & Sedem fixiſſe *Dublinij*,

---

(*u*) Hoc eſt, Centum & Quadraginta Millia Scutorum *Romanorum*.

(*w*) Monaſterio Abbatiali *S. Thomæ Martyris* duæ Parochiales Eccleſiæ in eodem Occidentali Suburbio (nunc in amplificata Civitate) annexæ erant, una ſub Invocatione *S. Jacobi Apoſtoli*, altera *S. Catharinæ Virginis, & Martyris*. Abbas etiam memorati Monaſterij temporale, ut obiter dicam, habebat Territorium, quod nunc *Libertas* (ſeù Territorium) *Comitis Midenſis* nuncupatur, eò quia ſuppreſſis in *Hibernia* Monaſterijs, & Cænobijs Anno 1536, & 1539, ſub *Henrico* VIII, in Hæreſim lapſo, Rex iſte Die 31 Martij 1545 *Joanni Brabazon*, Comitis *Midenſis* Progenitori, conceſſit antiquum Abbatis Territorium, atque Jus Patronatûs dictarum Parochiarum. Anno 1579 contendebant Cives *Dublinienſes*, Territorium iſtud eſſe intrà Prætoris ſui Juriſdictionem, verùm *Eduardus Brabazon*, Eques Auratus, contrà Cives Decretum obtinuit in Magna *Cancellariæ* Curia Die 18 Octobris ejuſdem Anni. Videſis *Lodgæum* Vol. I. Pag. 179. Lit. d.

(*x*) Videſis Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*y*) Ità refertur in Codice MS. memorato ad Annum 1476.

(*z*) §. præſ. Num. ix. Pag. 192.

(*a*) *Radulphus* iſte Aream item Domûs contulit Cænobio Ordinis Minorum, circà Annum 1236 *Dublinij* extructo, *Henrico* III Rege Structuram promovente, inquit *Waræus* in *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi.

(*b*) Fortaſſe hic idem eſt ac *Kenwrick*, alijs *Kenelbreck Sherman*, quondam Prætor *Dublinienſis*, Num. iii. hujus §. recenſitus.

(*c*) De hoc redibit Sermo Cap. xiii. Num. xlvii.

(*d*) Cap. iv. Num. xiv. Pag. 81.

(*e*) *Waræus* ad Annum 1541.

(*f*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*g*) *Waræus* ad Annum 1582.

(*h*) Legeſis Cap. xvii. Num. xxxiv.

(*i*) Ad Annum 1625.

(*k*) Ad Annum 1623, & 1626. Idem etiam refert *Carvæus* in *Annalibus Hiberniæ*, Pag. 317, & ſeq.

eorum Præſide P. *Edmundo Ling*, Patriâ *Caſſelienſi*; atque Fratres *Carmelitas Excalceatos* Anno 1626, P. *Patritio Donovan*, Youghallenſi, Præſide.

Anno 1644 Capitulum Generaliſſimum ſub Rmo P. *Thoma Turco*, Cremonenſi, Magiſtro Ordinis tunc electo, Conventum noſtrum *S. Salvatoris* in Univerſitatem, ſeù Studium Generale, erexit, ut ex alibi dictis claret (*l*).

XVI. Anno 1662, eodem in Cænobio, Hæreticorum Prædâ, tenebatur *Curia Vendicationum*, anglicè *The Court of Claims*, ut in ea adjudicaretur de Latifundijs, alijſque Poſſeſſionibus eorum, qui nocentes fuerant, vel innocentes Rebellionis, regnante *Carolo* I exortæ, eoque obtruncato (*m*), ſub *Cromuello* Uſurpatore continuatæ uſque ad Reſtaurationem, ut vocant, *Caroli* II Anno 1660. Et Anno 1683, ibidem tenebatur *Curia Gratiæ*, anglicè *The Conrt of Grace*, ut Literæ Patentes Regiæ ijs concederentur, qui Tunc Temporis erant in Poſſeſſione.

XVII. Anno 1685, ſub Initium ſcilicet Regni *Jacobi* II, Catholicæ Fidei Cultoris (*n*), poſt longam Privationis Intercapedinem, Fratres Prædicatores ſuum *S. Salvatoris* Cænobium recuperarunt, in eoque, religioſis induti Veſtibus Ordinis, regularem Vitam duxerunt, Novitioſque recipiebant ad Habitum. Verùm diuturna haud fuere felicia iſta Tempora, ſub Exitum namque Anni 1688 laudatus Rex in *Gallias* cum Diſcrimine Vitæ profugere conatus eſt, qui Anno ſequenti in *Hiberniam* adveniens, Generalia Regni Comitia (ſeù *Parlamentum*) eodem in Cænobio celebravit, de quibus plura jampridem dicebam (*o*). Cæterùm intereà Temporis Fratres de Mandato Regis proviſionaliter tranſlati fuere ad alteram è Regione Fluminis *Liffei* Partem, in antiquæ ſcilicèt Civitatis Vico, cui vulgò Nomen *Cook-Street*, ubi Sacellum acquiſeverunt, quod poſt Annum 1698, Exulibus ſcilicet factis Epiſcopis, alijſque Dignitarijs, & Regularibus omnibus (*p*), Parochiale evaſit *S. Audoeni* (*q*), & etiamnùm eſt, licèt *antiquum Dominicanorum Sacellum*, anglicè *The Old Dominicans*, adhuc nuncupari ſoleat.

XVIII. Anno 1698, Quatuor Fora Judiciaria à vetuſto Cænobio noſtro ad Locum, ubi nunc conſpiciuntur, ad *Viculum* nempè *Eccleſiæ Chriſti*, vulgò *Chriſt-Church-Lane*, tranſlata fuere, atque in eo ſita Loco, ubi olim Domus erat Decani Cathedralis Eccleſiæ *S. Trinitatis*, nunc *Eccleſiæ Chriſti* paſſim nuncupatæ (*r*), quæ Domus, ut obiter dicam, dudùm fuerat Palatium Epiſcopale (à *Donato*, Antiſtite *Dublinienſi*, circà Annum 1038 conſtructum) antequam ſcilicèt altera Eccleſia Cathedralis, *S. Patritio* ſacra, eique propinquum Archiepiſcopium erigerentur. Ab Anno porrò 1681, Epiſcopus *Kildarenſis* Acatholicus eſt inſimul Decanus hujus *Eccleſiæ Chriſti* ob tenues Diæceſis Proventus, *Alexander* quippè *Craik*, & *Gulielmus Pilſworth*, Epiſcopi *Kildarenſes*, Acatholici etiam, plura Diæceſis iſtius Latifundia, & Prædia alienaverant (*s*). Cænobium autem Fratrum Prædicatorum ab Anno paulò antè recenſito (*t*) 1541 uſque ad nuperos Annos manſit, adhucque nominatur, *Regium Juriſconſultorum Hoſpitium*; atque à longiſſimo Tempore Rotuli (*u*), ſivè Regia Diplomata, necnon publica Regni Commentaria, omniaque ad Magnam Cancellariæ Curiam ſpectantia, ibidem aſſervantur, indeque *Rotulorum Archivum*, vulgò *Officium*, anglicè *The Rolls Office*, paſsim appellari ſolet.

Cum autem pervetuſta iſta Fabrica imminentem indiès minetur Ruinam, idcircò *Cancellarius Regni, Cancellarius Scaccarij, Capitalis Juſtitiarius Banci Regis, Magiſter Rotulorum, Capitalis Juſtitiarius Communium Placitorum, & Capitalis Baro Scaccarij, Nominibus tàm ſuis, quàm Aſſeſſorum ſuoruw, cæterorumque ad Regium Juriſconſultorum Hoſpitium ſpectantium*, Actum, ſeù Statutum impetrarunt Parlamentarium Anno 1751, ut vendere poſſint *Prioratum ſeù Domum Fratrum Prædicatorum*, anglicè *The Priory, or Houſe of the Friers Preachers* (*w*); hucuſque tamen nihil ea in Re ſtipulatum fuit.

XIX.

(*l*) Cap. vi. Num. x. Sect. 7. Pag. 115.

(*m*) Recolendum Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*n*) Legeſis Cap. vii. Num. i. Pag. 136.

(*o*) Cap. vii. Num. x, & ſeq. à Pag. 142.

(*p*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*q*) Confer Num. vi. hujus §. ad Lit. i. Pag.

(*r*) Recolendus Num. i. hujus §. ad Lit. l. Pag. 186.

(*s*) Ità poſt *Waræum* oſtendit *Harriſius*, Vol. I. Pag. 391, & ſeqq.

(*t*) Num. xiv. hujus §. Pag. 195.

(*u*) Adeas Cap. xiii. Num. xlvii. Lit. x.

(*w*) Verba ſunt ipſiuſmet Statuti, quod præ Manibus teneo, utque conſtat ex Diarijs, ſeù Journalibus *Domûs Communium*, Vol. VIII. Pag. 380.

XIX. Circa Annum 1708 remiſsâ paululùm Perſecutionis in Clerum, tàm Sæcularem, quàm Regularem, Rabie, plures Sacerdotes ab Exilio reverſi ſunt, repetitis Catholicorum Obſecrationibus devicti, ut non ità pridem ajebam (*x*). Inter Fratres autem Prædicatores, qui tunc advenerant, erat *Stephanus Mac-Egan*, etiamnùm florens (*y*), ab Anno 1725 Pontificali Dignitate clarus, qui primò per Annos aliquot Coadjutor fuit Parochi *SS. Jacobi, & Catharinæ* (*z*), dein Sacellum cooptari curavit in *Vico Pontis* anglicè dicto *Bridge-Street*, ubi uſque in hodiernum Diem Fratres noſtri manent, Sacra celebrantes, Confeſſiones Fidelium excipientes, Conciones ad Populum habentes, utrumque Roſarium, Sanctiſſimi nempè Nominis JESU, & Beatiſſimæ Deiparæ, prædicantes, & orantes, Infirmis ſpirituale Solatium impendentes, Hæreticorum, & Infidelium Converſioni incumbentes, eoſque ad Gremium S. Matris Eccleſiæ recipientes, omnique alio Modo Vineam Domini, quà Miſſionarij Apoſtolici, excolentes. Quid porrò evenit circà Confraternitatem SS. Nominis JESU in *Dublinienſi* hac Metropoli, jam anteà enarrabam (*a*).

XX. Duo fuere Archidiæceſis *Dublinienſis* Antiſtites ex Ordine Prædicatorum aſſumpti, *Joannes* nempè *de Derlington*, & *Gulielmus de Hothum*; atque Septem aliorum Ordinum, ſeù Mendicantium, ſeù non Mendicantium. Plures etiam Cænobij iſtius Alumni ad Infulas promoti fuere in alijs per *Hiberniam* Diæceſibus, ut nuperis hìſce Annis *Ssephanus Mac-Egan*, mox laudatus, *Midenſis*, *Laurentius Richardſon*, *Kilmorenſis*, & *Thomas de Burgo*, *Oſſorienſis*, Epiſcopi, de quibus, ſicut & quibuſvis alijs *Hiberniæ Dominicanis* Antiſtitibus, alibi ſigillatìm Sermo fiet (*b*).

Ex hoc item Cænobio Tres fuere *Hiberniæ* Provinciales, nempè *Stephanus Mac-Egan*, mox laudatus, *Joannes Fottrell*, & *Michael Shanly*, de quibus ſuo Loco dicetur (*c*). Duo inſuper Scriptores, *Laurentius* ſcilicet *Richardſon* & *Thomas de Burgo*, prælibati, ſuo item Loco recenſendi (*d*). Octo demùm vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione clari, nimirùm *Petrus Higgin*, *Chriſtophorus O-Ferrall*, *Arthurus Panti*, *Raymundns Morus*, *Marcus Barnewall*, *Michael O-Fælain*, *Jacobus O-Fælain*, & *Chriſtophorus Dillon*, de quibus infrà quoque Sermo erit (*e*).

XXI. Alumni hoc in Conventu verſantes Anno 1756 ſunt Novem, ſcilicet, A. R. P. Præſentatus Fr. *Michael Shanly*, Prior Provincialis, Ætatis Anno 51, Profeſſionis 35 (*f*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Joannes Ryan*, Prior Conventualis, Ætat. 52, Prof. 34; A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas de Burgo*, Ætat. 46. Prof. 30 (*g*); A. R. P. Magiſter Fr. *Terentius O-Reilly*, Ætat. 61, Prof. 41; A. R. P. Magiſter Exprovincialis Fr. *Joannes Fottrell*, Ætat. 54, Prof. 36 (*h*); A. R. P. Magiſter Fr. *Edmundus O-Reilly*, Ætat. 43, Prof. 26 (*i*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Michael Mac-Dermott*, Supprior, Ætat. 44, Prof. 26 (*k*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Jacobus Murray*, Conventûs *Derienſis* Filius, in Sacello noſtro *Dublinienſi* egregiè

(*x*) Cap. viii. Num. iv. Pag. 157.

(*y*) Obijt autem paulò poſt, Die ſcilicèt 30 Maij 1756, ut Cap. xiii. Num. lxxv. dicetur.

(*z*) Tunc Temporis unitæ erant *S. Jacobi*, & *S. Catharinæ* Parrochiæ (de quibus obiter Sermo fuit in hoc §. Num. xii. Lit. w.) unicum habentes Sacellum ſub uno Parocho; ab Anno autem 1721 diſtincta Sacella, diſtinctoſque Rectores habent.

(*a*) Cap. viii. Num. xxv. Pag. 177.

(*b*) Cap. xiii, & quidem de quinque hìc nominatis Num. xi, xiii, lxxv, lxxxi, & lxxxiii.

(*c*) Cap. xiv. Num. xxvii, xxxi, & xxxv.

(*d*) Cap. xv. Num. xxxii, & xxxiv.

(*e*) Cap. xvi. Num. x. lvii, lviii, lix, lxxiv, xciv, cxii, & cxxi.

(*f*) Denatus 23. Sept. 1759, ut dicetur Cap. xiv. Num. xxxv.

(*g*) Hujuſce Hiſtoriæ Scriptor, creatus Epiſcopus *Oſſorienſis* ineunte Anno 1759, juxtà poſtmodùm dicenda Cap. xiii. Num. lxxxiii, & Cap. xv. Num. xxxiv.

(*h*) Plura de eo Cap. xiv. Num. xxxi.

(*i*) Vir verè doctus, & eruditus, græcè, & hæbraicè peritus, Curſus omnes Scholaſticos peregit in Collegio noſtro *Lovanienſi* ad *S. Crucem*, expletis etiam ſummâ cum Laude Regentis Primarij, & Prioris Muneribus. Obijt autem 1 Junij 1756, magnum ſui Deſiderium relinquens.

(*k*) Ab Anno 1758 Prior eſt Conventûs hujus *Dublinienſis*, fervidus ſanè, & indefeſſus Concionator.

egregiè concionans Horâ ſeptimâ matutinâ ſingulis Diebus Dominicis in Lingua *Hibernica*; Ætat. 52, Prof. 26 (*l*); P. Fr. *Joannes O-Connor*, Ætat. 26, Prof. 10.

§. II.

De *Pontanenſi* Cænobio *S. Mariæ Magdalenæ* in *Louthano* (*a*) Agro *Ultoniæ*.

Anno 1224.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, Deſcriptio, & Privilegia Oppidi* Pontanæ, *ſivè* Vadipontij. *Ibi olim Academia.*

II. *Situs, Nuncupatio, Fundatio, Deſcriptio, & Antiquitas Cænobij* Pontanenſis. *Nota de Nobili Familia* Nettirvilla *Fundatrice.*

III. *Archipræſul* Lucas Nettirvill, *Fundator, non in Abbatia* Mellifontis, *ſed in Cænobio hoc tumulatus, ſicut & alter Archiepiſcopus Armacanus, Ordinis Prædicatorum Alumnus,* Patritius *nempè* O-Scanlan. *Nota de* Mellifontis *Monaſterio.*

IV. *Priori hujus Cænobij, & Guardiano* Dondalkenſi, *committittur ab* Innocentio IV, *Anno* 1246, *ut Electores Archidiæceſis* Armacanæ, *& Electum peremptoriè citent, & ad Apoſtolicam Sedem remittant: Nota de* Pontanæ *Nomenclatura.*

V. *Controverſia* Richardum Radulphum, *vernacule* Fitz-Ralph, *Archipræſulem* Armacanum *inter, & Fratres Mendicantes* Pontanæ, *ante Annum* 1356.

VI. *Anno* 1399, *Indulgenttæ de Portiuncula, ut vocant, Ædes Sacras hujus Cænobij viſitantibus conceſſæ, & quibuſdam Patribus delegata Facultas abſolvendi à quovis Peccato. Nota de Capellâ Sanctiſſimæ Deiparæ, Templo propinquâ.*

VII. *Anno* 1401, *aliæ Indulgentiæ ſtatutis quibuſdam Diebus eaſdem Ædes Sacras viſitantibus conceſſæ.*

VIII. *Anno* 1412, *Sanguinoſa apud* Pontanam *Controverſia, Prædicatione, & Suaſionibus Patris Magiſtri* Philippi Bennett, *Ordinis Prædicatorum, ſedata. Nonnibil de primo* totius *Oppidi Prætore.*

IX. *Anno* 1484, *Conventus* Pontanenſis *reformatus. Alibi explicatum* Reformationis *Vocabulum in Ordine Prædicatorum.*

X. *Nonnibil de Ruderibus hujus Cænobij, deque Fundi Tranſlatione ad alienos, necnon de Loco Refugij Fratrum.*

XI. *Archipræſules* Armacani *ex Ordine Prædicatorum aſſumpti. Non deſuere Alumni Conventûs hujus publicâ Virtutis Opinione clari. Nominatur* Hyacinthus Dowdall.

XII. *Alumni hujus Conventûs ad eum ſpectantes Anno* 1756.

I. PONTANA, hibernicè *Droighad-Atha*; id eſt, *Pons Vadi* (indèque nonnullis *Vadipontium*) anglicè *Drogheda*, Oppidum eſt maritimum à Ponte Sublicio (*b*) nuncupatum, Amne *Boino* (*c*) interfluo in Borealem, & Auſtralem Partes diviſum, elegans ſanè, ac frequens, ubi olim erat Academia, ſeu Univerſitas, Teſte *Waræo* (*d*), qui de *Dublinienſi* Academia Sermonem faciens (*e*), aſſerenſque, eam *unicam nunc eſſe Hiberniæ Academiam, Athenas noſtras*, ſubdit:

Neque

(*l*) Non eſt amplius in hoc Conventu ab Anno 1759, inter Cænobij *Derienſis* Patres annumerandus Cap. præſ. §, xxiii. Num. vi.

Hic Loci porrò verſantur Anno 1761 ejuſdem Conventûs Filij, A. R. P. Magiſter Fr. *Joannes-Franciſcus Nettirvill*, Vicarius Provincialis *Lageniæ*, & Vicarius Monialium *Dublinienſium*, inſimulque *Pontanenſium*, jam Regens Primarius, & Prior *SS. Sixti, & Clementis* de Urbe, alibi (Cap. xii. §. i. Num. xliv) propterea memorandus, Ætat. 39, Prof. 21; & P. Fr. *Thomas Fottrell*, Ætat. 26, Prof. 10.

(*a*) Conſultò dixi *Agro*, non autem *Comitatu*, quia ipſamet *Pontana* eſt Comitatus, ut in Textu mox declarabitur, etſi intrà Fines ſit Agri *Louthani*. Cæterùm ſecluſâ rigoroſâ hac Diſtinctione *Agri*, & *Comitatûs*, ea Nomina promiſcuè, & indiſcriminatìm pro eodem uſurpo.

(*b*) *Porterus*, Pag. 29.

(*c*) Videſis §. xvii. Cap. præſ. Num. i.

(*d*) De *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xv.

(*e*) Quæ de *Dublinienſi* habet Academia, §. Superiori, Num. viii. Pag. 121. exſcripta ſunt.

Neque Silentio prætermittenda eſt Academia Pontanæ erecta, Authoritate Parlamenti ibi habiti, Menſe Novembri MCCCCLXV, *coram Thoma* (Geraldino) *Comite Deſmondiæ* (Viſceſgerente, ſeù ut vocant) *Deputato Georgij* (Plantagenet) *Ducis Clarentiæ, Hiberniæque Locum Tenentis, & Academiæ Oxonienſis Privilegijs adornata. Cæterùm ea Academia, ex Defectu Proventûs, brevi evanuit.*

PONTANÆ Pars Auſtralis eſt in Natione *Lageniæ*, & in Agro, ac Diæceſi *Midenſi*; Borealis verò in Natione *Ultoniæ*, & Agro *Lovidiæ*, dicto paſſim *Louthano* (qui olim ad *Lageniam* ſpectabat *(f)*, & antiquitùs Pars erat Regionis *Urielis*, ſivè *Auriliæ)* atque in Archidiæceſi *Armacana*, olìm autem in Diæceſi *Dondalkenſi (g)*. Eſtque *Pontana* Municipium (*h*), Mænibus, & Caſtro firmatum, Prætorem habens, & Senatores, vulgò *Majorem*, & *Aldermannos* (*i*); necnon & Jura, ac Privilegia habens Comitatûs, quod ſolis Civitatibus (immò neque omnibus, ut de *Caſſelia* (*k*) conſtat), atque *Galviæ* (*l*) & *Rupiſferguſiæ* (vulgò *Carrickfergus* in Agro *Antrimenſi)* Oppidis competit. Præbet inſuper Titulum Comitis, 14 Junij 1661 creati, qui impræſentianim eſt *Eduardus Morus*, vernaculè *Moore*. Nundinæ ibi Quater in Anno habentur, nempè Diebus 12 Maij, 23 Junij, 26 Auguſti, & 29 Octobris. *Dublinio*, Regni Metropoli, Viginti Tribus; *Armacâ*, Sexaginta Tribus; *Deriâ*, nunc *Londino-Deriâ (m)*, *Ultoniæ* Capitali, Nonaginta; *Corcagiâ*, Capitali *Momoniæ*, Centum Quadraginta Novem; *Galviâ*, Capitali *Conaciæ*, Centum; *Dunkeranô*, ſivê Dundalkâ, Agrì *Louthani* Capitali, Septemdecim Milliaribus diſtat.

II. IN Boreali *Pontanæ* Parte, intrà Fines, ut mox ajebam, *Ultoniæ*, & Diæceſis *Armacanæ* ſitâ, fuit Cænobium cum Eccleſia Ordinis Prædicatorum (*n*) ſub Invocatione *S. Mariæ Magdalenæ*, Anno 1224, ut ex alibi dictis (*o*) liquet, ab Archiepiſcopo *Armacano*, cui Nomen *Lucas Nettirvill* (*p*), fundatum, ut inter Scriptores convenit. Ruinæ Templi, quas vidi nuperrimè, Operis Magnificentiam ſat clarè demonſtrant.

TAMETSI

(f) Recolendum Cap. i. Num. xi. Pag. 15.

(g) Legeſis Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(h) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*i*) Recolendus §. ſuperior, Num. vii. ad Lit. k. Pag. 189.

(*k*) Adeas Cap. præſ. §. ix. Num. i.

(*l*) Conſulendus §. xxxviii. Cap. præſ. Num. i.

(*m*) Adeas Cap. præſ. §. xxiii. Num. i.

(*n*) Anonymus Auctor pervetuſti Catalogi, Cap. ii, Num. vi. Pag. 38. adducti; *Waræus* de *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276; *Alemandus* in *Monaſtico Hibernico*, Pag. 217; *Porterus*, in *Compendio Annalium Hiberniæ*, Pag. 216; *O-Heynus*, Pag. 6; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*o*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*p*) *Lucas* iſte Filius fuit *Formalis Nettirvill*, Equitis Aurati, qui à *Carolo* Normannorum Duce Originem trahens, de *Anglia* in *Hiberniam* venit Anno 1169, *Henrico* Secundo Rege. Ibi porrò Conjugem ſibi adſcivit *Philadelphiam*, Domini *Gulielmi de Veſey* Filiam, ex qua ſuſcepit (ultrà Archipræſulem noſtrum *Lucam) Richardum Nettirvill*, qui Matrimonio ſibi copulavit *Catharinam*, Equitis *Hugonis de Lacy*, Proregis *Hiberniæ*, Natam, ex qua genuit *Henricum Nettirvill*, qui duxit *A[illegible]m, Gualteri de Burgo*, Comitis *Ultoniæ*, Sororem, quo ex Matrimonio Lineâ rectâ deſcendit *Nicolaus Nettirvill*, Primus Vicecomes *Nettirvill* de *Douth*, in Agro *Midenſi*, à *Jacobo* I. Rege, Die 3 Aprilis 1622 creatus, qui ex *Eleonora*, Equitis *Joannis Bathe* de *Dromconragh*, & *Athcarne*, in Agro *Midenſi*, Octo ſuſcepit Filios, nempè (1) Equitem *Joannem*, Succeſſorem ſuum, de quo infrà; (2) *Lucam* de *Corballies*, in Agro *Dublinienſi*, cujus Filius *Franciſcus* nullam poſt ſe reliquit Prolem; (3) *Patritium* de *Miltown*, in Agro *Tipperarienſi*, cujus Filius *Nicolaus*, tranſplantatus, ut vulgò loquimur, in Agrum *Galvienſem*, ex *Maria*, Equitis *Raymundi de Burgo*, Baronetti de *Glinſk* (confer Cap. præſ. §. xvi. Num. v) Gnatâ, genuit *Patritium* de *Longford*, in prælibato Agro *Galvienſi*; (4) *Robertum* de *Crucerath*, & *Knockcumber*, in Agro *Midenſi*; (4) *Richardum*, Centurionem Peditum Anno 1640; (6) *Chriſtoporum*, Societatis JESU Alumnum; (7) *Thomam*, Centurionem item Peditum Anno 1640; (8) *Nicolaum*, Alumnum Societatis Jeſu, Ducis *Tyrconnelliæ*, Proregis *Hiberniæ*, Capellanum: Et Quinque Filias, ſcilicet (1) *Mariam*, Equiti *Lucæ Fitz-Gerald* de *Tecroghan* nuptam; (2) *Margaritam*, *Pierij Butler*, Primogeniti *Eduardi Butler*, Primi Vicecomitis de *Galmoy*, Conjugem, (3) *Aliciam*, N. *Chevers* de *Mountown*, in Agro *Dublinenſi*, Armigeri, Uxorem; (4) *Helenam*, Matrimonio conjunctam *Thomæ Fleming* de *Cabragh*, in Agro *Cavanenſi*, Armigero; (5) *Joannam*, TAMETSI autem eodem Anno fundatum dicatur Cænobium hoc ac *Dublinienſe*, Anno nimirùm 1224, inter ea nihilominùs *Dublinienſe* Primatum tenet, ut patet tùm ex ſuperiùs expenſis (*q*), tùm ex eo, quod Cænobium *Pontanenſe* ædificari duntaxàt cæpit Anno 1224, ut ex mox dicendis liquebit. At in Cænobium *Dublinienſe*, jam omninò completum, Monachi *Ciſtercienſes* Fratres *Prædicatores* eo ipſo Anno induxerunt.

III. PORRO quamquàm laudatum *Lucam Nettirvill* ſepultum aſſerat *Waræus*, & alij poſt ipſum, in Abbatia *Mellifontis (r)* Ordinis *Ciſtercienſis*, in Agro *Louthano*, reapsè tamen tumulatus fuit in *Pontanenſi* noſtro Cænobio, à ſe fundato, juxtâ ſæpiùs recenſitum Codicem M.S. in Bibliotheca *Dublinienſi* ad *S. Sepulchrum* propè Eccleſiam Cathedralem *S. Patritij* aſſervatum (*s*) de prælibato Archipræſule *Armacano* hæc referentem (*t*)*: Anno 1224 ædificare cæpit in Pontanæ Oppido Abbatiam (u) pro Fratribus Prædicatoribus, in qua ſepultus fuit, Die 27 Aprilis Anno 1227 defunctus. In eadem etiam Abbatia humatus fuit alter Archiepiſcopus Armacanus, Nomine Patritius O-Scanlan, qui obijt Dondalkæ in Abbatia S. Leonardi* (*w*) 16 *Martij* 1271, *ſed ad memoratum Fratrum Prædicatornm Cænobium tranſlatus, cum ipſe ejuſdem eſſet Ordinis Alumnus. (x)*

IV. ANNO 1246 Die 8 Octobris, *Innocentius* IV, Pontifex Maximus, Priori *Pontanenſis* hujus Cænobij, & Guardiano Fratrum Minorum de *Dondalka*, in Mandatis dedit, ut Electores Archidiæceſis *Armacanæ*, & Electum, peremptoriè citarent, & ad Sedem Apoſtolicam remitterent. Vacante ſiquidem memoratâ Archidiæceſi per *Henrici* Ordinis Prædicatorum ab ea ad Archiepiſcopatum *Pruſſiæ*, *Livoniæ*, & *Eſtoniæ* Tranſlationem (*y*), nonnulli Canonici, alijs contemptis, ad Archipræſulis Electionem invalidè proceſſerant. Factum plenè enarrat ìpſummet Diploma Pontificium, quod legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum (z)* Tenoris ſequentis, videlicèt:

“ Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filijs Priori Fratrum Prædicatorum de
“ Ponte (*a*), & Guardiano Fratrum Minorum de Dondalo (*b*), Armachanæ
“ Diæceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad Audientiam noſtram, dilecto Filio Magiſtro Andreâ, Eccleſiæ Armachan. Archidiacono, inſinu-
“ ante, pervenit, quod cùm olim eadem Eccleſia Paſtore vacaret, Magiſter M . . . . qui pro Cancellario
“ Eccleſiæ

---

nam, *Matthiæ Barnewall*, Baroni de *Trimleſton*, Nuptijs copulatam.

Cæterùm Eques *Joannes* memoratus, Secundus Vicecomes *Nettirvill*, Conjugem ſibi adſcivit *Elizabetham Weſton*, Comitis de *Portland*, Magni *Angliæ* Theſaurarij, Regalis Ordinis Auratæ *Periſcelidis* Equitis, Filiam, quo ex Matrimonio rectâ Lineâ deſcendit *Joannes*, Sextus Vicecomes *Nettirvill*, Anno 1744 in Lucem editus. Si porrò de nobili hac Familia plus ſcire deſideres, adeas *Lodgæum* Vol. II. à Pag. 294.

(*q*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*r*) Audias, ſi placet, quæ de celebri hoc Cænobio habet *Waræus*, de *Hibernia*, & *Antiquitabus ejus*, Cap. xxvi. *Mellifons* (inquit) *inſigne olim Monaſterium Ordinis Ciſtercienſis, e quo educta ſunt plurima ejuſdem Ordinis Cænobia per Univerſam Hiberniam, fundatur à Donato O-Carroll Regulo Ergalliæ, ſive Urielis. Monachis illud implevit Divus Bernardus e Cænobio ſuo Clarævallenſi in Gallia, Abbate illius præpoſito Chriſtiano O-Conarchy, poſtea Liſmorenſi Epiſcopo* (Recole Cap. i. Num. xii.) . . . . *Situm Loci valde ſimilem ferunt Clarævallenſi.*

(*s*) Claſs. H. Tab. 2. Num. 25.

(*t*) Ad Annum 1217.

(*u*) Quæcunque Regularium Cænobia, ſivè Mendicantium, ſivè non Mendicantium, paſsìm nuncupantur *Abbeys*, ſeù *Abbies*, i. e. *Abbatiæ*. Adeas §. xi. hujus Cap. Num. iii.

(*w*) Ordinis *Cruciferorum* ſub Regula *S. Auguſtini*, inquit *Waræus*, de *Hibernia* & *Antiquitatibus ejus*, Cap. xxvi.

(*x*) Plura de *Patritio* iſto *O-Scanlan* datâ Operâ narrabuntur Cap. xiii. Num. vii.

(*y*) De Tranſlatione hac jam Sermo fuit Cap. iii. Num. ix. Pag. 59, iterùmque erit Cap. xiii. Num. iv.

(*z*) Tom. i. Pag. 168, ex *Archivo Ordinis*, Lib. A. Fol. 618.

(*a*) Oppidum iſtud Latinè paſſim appellatur *Pontana*, atque *Vadipontium*, à Ponte Sublicio ſuper *Boinum* Fluvium conſtructo, quo in duas dividitur Partes, in diſtinctis *Ultoniæ*, & *Lageniæ* Nationibus exiſtentes, ut nuper in hoc §, Num. i. ajebam. Hinc Cænobium hoc *de Ponte* nuncupatur ab *Innocentio* IV in Apoſtolicis iſtis Literis, ſicut & à *Bernardo Guidonis* in celebri ſuo Codice, Statum Ordinis, qualis erat Anno 1303, exhibente, cujus memini ſuperiùs, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38, illumque laudat pro iſto Cænobio Reverendiſſimus noſter *Bremond* in Nota 1. ad præſentem Conſtitutionem.

(*b*) De *Dundalo*, ſivè aliàs *Dunkerano*, communis

“ Eccleſiæ prædictæ ſe gerit, contemptis quibuſdam ex Concanonicis ſuis, qui commodè vocari poterant,
“ & de Jure debebant, poſt Appellationes à dicto Archidiacono, & ſibi adhærentibus, legitimè interjectas,
“ nullâ Formâ Concilij (*c*) obſervatâ, cum quibuſdam ſuis Complicibus Venerabilem Fratrem noſtrum
“ G . . . . . . Epiſcopum Rathiulen. (*d*) ad Armachan. Eccleſiam poſtulare præſumpſit, non conſiderato
“ prudenter, quantum in talibus, etiam unius Contemptus obſit, & quod Poſtulatio affici videatur, quæ
“ invenitur poſt Appellationem ad Nos emiſſam in tanta Contradictione præſumpta, maximè cum dicatur
“ de Perſona minùs idonea celebrata fuiſſe. Cùm itàque velimus ſuper Proceſſu Poſtulationis hujuſmodi,
“ & Meritis Poſtulati ſcire pleniùs Veritatem, ut quod juſtum fuerit, faciamus, mandamus, quatenùs tàm
“ Poſtulatum, quàm Poſtulantes ex Parte noſtra peremptoriè citare curetis, ut uſque ad Dominicam prox-
“ imam, qua cantatur Lætare (*e*) Jeruſalem, ad proſequendam Poſtulationem eandem perſonaliter Poſtu-
“ latus, &, per Procuratores idoneos, Poſtulantes noſtro ſe Conſpectui repræſentent, ut tàm de Votis Poſ-
“ tulantium, quàm Formâ Poſtulationis, & Meritis Poſtulati diligenter inſtructi, quod juſtum fuerit, Auc-
“ tore Domino, decernamus: Si autem Poſtulationem eandem proſequi fortè noluerint, aliquos de ſuis
“ Concanonicis ad Præſentiam noſtram mittant, quod canonicum fuerit, recepturos. Diem autem Citatio-
“ nis, & Formam, & quicquid indè feceritis, Nobis per veſtras Literas, Tenorem præſentium continentes,
“ fideliter intimetis. Quod ſi non ambo ijs exequendis potueritis intereſſe, unus Veſtrûm ea nihilominus
“ exequatur. Non obſtante Indulgentiâ Vobis, vel Ordini veſtro, ab Apoſtolica Sede conceſsâ, ut inviti
“ non teneamini Cauſas ſuſcipere, vel Sententias exequi per Literas Sedis ejuſdem, quæ de ipſa Indulgen-
“ tia non fecerint Mentionem. Datum Lugduni VIII Idûs Octobris, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.”

V. ANTE Annum 1356 *Pontanæ*, & alibi, adverſùs Fratres Mendicantes Litem ſuſcitavit *Richardus Radulphus*, vernaculè *FitzRalph*, Archiepiſcopus *Armacanus*, de qua uberi Calamo actum eſt ſuprà (*f*), & quidem opportunè, præmiſſis ſcilicet Magiſtrorum ſuorum *Gulielmi de S. Amore*, & *Joannis de Poliaco* Erroribus.

VI. ANNO 1399, Die 4 Decembris, *Bonifatius* Papa IX Ædes Sacras hujus Cænobij viſitantibus eandem conceſſit Indulgentiam, quam viſitantes Eccleſiam *B. Mariæ* de *Portiuncula*, ſeù de *Angelis*, apud *Aſſiſium* in *Umbria*, conſequuntur, eum in Effectum præficiens Priorem, & Lectorem, pro Tempore exiſtentes, alioſque Fratres ipſius Domûs, qui eos abſolvant, & quidem à quolibet Peccato, ut advertit Rmus noſter *Bremond* in Nota Marginali ad ſequentem Conſtitutionem in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*g*).

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes Literas
“ inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Licèt is, de cujus Munere venit, ut ſibi à Fidelibus ſuis dignè, ac laudabiliter ſerviatur, de Abun-
“ dantia Pietatis ſuæ, quæ Merita Supplicum excedit, & Vota, benè ſervientibus multo majora retribuat,
“ quàm valeant promereri; nihilominùs tamen deſiderantes reddere Populum Domino acceptabilem, Fi-
“ deles Chriſti ad complacendum ei, quaſi quibuſdam illectivis Præmijs, Indulgentijs ſcilicèt, & Remiſſi-
“ onibus invitamus, ut exindè reddantur divinæ Gratiæ aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domûs
“ Fratrum Prædicatorum de Drogheda (*h*), Armachan. Diæceſis, ac Capella B. Mariæ Dei Genetricis
“ eidem Eccleſiæ quaſi contigua (*i*) congruis Honoribus frequententur, & etiam conſerventur, & ut
“ Chriſti Fideles eò libentiùs Cauſâ Devotionis confluant ad eoſdem, & ad Conſervationem hujuſmodi

---

niùs autem *Dundalkâ*, ſeù *Dondalkâ*, Oppido Capitali Comitatùs *Lovidienſis*, ſeù *Louthani*, antiquæ ſcilicet Reginis *Urielis*, ſivè *Auriliæ*, alijs *Ergalliæ*, ut paulò antè in hoc §. libabam.

(*c*) *Lateranenſis* iv. Can. xxiv.

(*d*) Mutila Vox: Forſan *Raten.*, vulgò *Rathy*; vel *Bath-Wellen*, vulgò *Bath and Wells*, Epiſcopatus uniti in *Anglia*, ubi tunc ſedebat *Gulielmus Bitton*, ut rectè pro More advertit Rmus *Bremond* in Nota 6. ad hanc Conſtitutionem. Obiter porrò obſerva, frequenter olim factas fuiſſe, adhucque apud *Proteſtantes* fieri Epiſcoporum de *Anglia* in *Hiberniam* Tranſlationes, etſi quippè plures ſint in *Hibernia* Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus quàm in *Anglia*, ſunt tamen multò pinguiores.

(*e*) Seu IV Quadrageſimæ, ſic dicta etiamnùm ex Introitu Miſſæ.

(*f*) Cap. iii. Num. xii. Pag. 62.

(*g*) Tom. ii. Pag. 389, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. ci. Fol. 129.

(*h*) Seù *Drogheda*, quo Nomine Anglicè vocatur *Pontana*, ut ſub Initium hujus § advertebam.

(*i*) Ex his liquet. Fratres noſtros *Pontanenſes*, præter Eccleſiam ſuam, habuiſſe etiam Capellam eidem propinquam, Deiparæ Virgini ſacram.

Manus promptiùs porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem Dono cæleſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in Feſto Annuntiationis Beatiſſimæ Dei Genetricis Virginis Mariæ, & per Quatuor Dies Feſtum ipſum immediatè ſequentes, eaſdem Eccleſiam, & Capellam devotè viſitaverint annuatìm, & ad Conſervationem hujuſmodi Manus adjutrices porrexerint, ut præfertur, illam Indulgentiam, & Remiſſionem Peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Mariæ de Portiuncula, aliàs dictam de Angelis (*k*), extrà Muros Aſſiſien. primo, & ſecundo Diebus Menſis Auguſti, annuatim quomodolibet conſequuntur, & nihilominùs, ut Chriſti Fideles ad ipſam Eccleſiam, & Capellam hujuſmodi Tempore confluentes, Conſcientiæ Pacem, & Animarum Salutem, Deo propitio, conſequantur, & Indulgentiarum hujuſmodi meliùs participes eſſe poſſint, benigniùs agere volentes, Priori, & Lectori ipſius Domûs, pro Tempore exiſtentibus, ac Tribus, ſeù pluribus Fratribus ipſius Domûs, ad hoc idoneis, per ipſum Priorem, & Fratres dictæ Domûs, pro Tempore exiſtentes, in eiſdem Eccleſia, & Capella ſingulis Annis in Confeſſoribus deputandis, qui Confeſſiones quarumcunque Perſonarum ad ipſas Eccleſiam, & Capellam, Causâ hujuſmodi Indulgentiæ conſequendæ, accedentium audire, &, ipſis diligenter auditis, eiſdem Perſonis pro commiſſis debitam Abſolutionem impendere, & injungere Pænitentiam ſalutarem, hujuſmodi Indulgentiâ durante, valeant, niſi forſan talia fuerint, propter quæ Sedes Apoſtolica ſit meritò conſulenda, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore Præſentium indulgemus. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum II Nonas Decembris, Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.”

VII Anno 1401, Die 30 Auguſti, laudatus Pontifex *Bonifatius* IX alias conceſſit Indulgentias Cænobij hujus Ædes Sacras viſitantibus in quibuſdam Redemptoris, Deiparæ, atque Sanctorum Regni, ac Ordinis, &c. Feſtivitatibus, perque earum Octavas, ut videre eſt in ſequenti Conſtitutione, quam ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*l*) exſcribo.

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

(*m*) “ Cupientes igitur, ut Eccleſia B. Mariæ Magdalenæ Domûs Fratrum Ordinis Prædicatorum in Drogheda (*n*) Armachan. Diæceſis, à Chriſti Fidelibus congruis Honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Fideles ipſi eò libentiùs Causâ Devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad hujuſmodi Conſervationem Manus promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem Dono cæleſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli præfatorum, necnon S. Dominici, S. Thomæ de Aquino, & S. Patritij (*o*) Confeſſorum, ac S. Petri Martyris, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, S. Catharinæ (*p*), S. Brigittæ (*q*), & Sichæ (*r*) Virginum, ac Dedicationis ipſius Eccleſiæ Feſtivitatibus, & in Celebritate Omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Mariæ, necnon Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum præfatorum Feſtivitatum Octavas, & per Sex Dies dictam Feſtivitatem Pentecoſtes immediatè ſequentes, Eccleſiam præfatam viſitaverint annuatìm, & ad Conſervationem hujuſmodi Manus porrexerint adjutrices ſingulis videlicèt Feſtivitatum, & Celebritatis Septem Annos, & totidem Quadragenas, Octavarum verò,

“ & Sex,

(*k*) Juris eſt Fratrum Minorum, ibique aſſervatur Corpus S. Patriarchæ *Franciſci*.

(*l*) Tom. ii. Pag. 424. Illius porrò Exemplar eſt in *Archivo Ordinis*, deſumptum ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxxix. Fol. 173.

(*m*) Exordium non legitur in *Bullario*, crediderim tamen, illud ejuſdem eſſe Tenoris cum præcedenti, *Licet is, de cujus Munere venit* &c.

(*n*) Vide nuper dicta ad Lit. h.

(*o*) *Hibernorum* Apoſtoli, ac Patroni.

(*p*) Virginis *Alexandrinæ*, non verò *Senenſis*, utpote quæ Sanctis nondùm adſcripta fuerat, ſed Anno duntaxàt 1461, à *Pio* II, Pontifice Maximo.

(*q*) Seù *Brigidæ*, Patronæ *Hibernorum*, qui ejus colunt Feſtivitatem Die primâ Februarij, ut liquet ex Cap. i. Num xv. Pag. 22. Videſis Cap. vi. Num. x. Sect. ii. Pag. 116.

(*r*) Lege *Luciæ*, ut monet Rmus *Bremond* in 3 Nota ad hanc Conſtitutionem.

“ & Sex Dierum præfatorum Diebus, quibus dictam Eccleſiam viſitaverint, ut præfertur, & ad Conſerva-
“ tionem hujuſmodi Manus porrexerint adjutrices, Centum Dies de injunctis eis Pænitentijs miſericorditer
“ relaxamus: Præſentibus perpetuis futuris Temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum III.
“ Kal. Septemb., Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.”

VIII Anno 1412, cùm ingens exorta eſſet inter duas nuper recenſitas Oppidi *Pontanenſis* Partes Contentio, quam multiplex ſecuta eſt Pugna cum plurium Vulneratione, & Mutilatione, atque etiam Occiſione, miſſis propterea Querelis ad Regem *Henricum* IV, in *Anglia* commorantem, Pater *Philippus Bennett*, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſter, utriuſque Partis Populum ad Concionem invitavit in Eccleſia Collegiata *S. Petri*, Die Feſto Corporis Chriſti faciendam, ac poſtmodùm ad Refectionem in propinquo ſuo *S. Mariæ Magdalenæ* Cænobio. Aſſumptis itâque pro Themate Pſalmi 132 Verbis: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare Fratres in unum*, atque eo ter inter prædicandum energicè Populum interrogante, nùm Corpori Chriſti uniri vellent? *Gulielmus Symcock*, Oppidi Senator, vulgò *Aldermannus*, omnium Nomine reſpondit, ſe ità velle. Concione peractâ, omnes ad Dominicanum pervenientes Cænobium, lautiſſimè tractati ſunt; conſultoque ibidem ſuper Controverijs ſuis laudato Patre Magiſtro *Philippo Bennetto*, quendam *Robertum Ball* miſerunt ad Regem cum Supplicibus Literis, *à Nicolao Flemingo*, Archipræſule *Armacano*, ſubſcriptis. Tandem Die 15 Decembris ejuſdem Anni *Pontanam* ex *Anglia* reverſus eſt memoratus *Robertus* cum Regio Diplomate, geminas *Pontanæ* Partes, in diſtinctis etſi *Ultoniæ Lageniæque* Nationibus, in diſtinctiſque Diæceſibus exiſtentes, ſolo tamen *Boino* Amne ſeparatas, ſub uno Præfecto, ſeù Prætore uniente; Dieque ſequenti prælibatus Archiepiſcopus Populo ſic uno effecto, Benedictionem ſuam impertitus eſt. Præfatus porrò *Gulielmus Symcock* primus fuit Prætor totius *Pontanæ*, in hunc Modum unitæ. Factum hoc, verſo ex Anglico in Latinum Sermone, deſumpſi ex M. S. Codice *(s)*, nuper ſæpiùſque laudato.

IX. Anno 1484, in Capitulo Generali *Romano*, Rmi Magiſtri Ordinis P. *Bartholomæi Comatij*, Bononienſis, electivo, P. Magiſter *Mauritius Moral*, Prior Provincialis *Hiberniæ*, Licentiam obtinuit Conventum iſtum, cum nonnullis alijs ſuæ Provinciæ, reformandi, ut alibi narratum eſt *(t)*. Quo autem in Senſu Ordo Prædicatorum *Reformationis* Vocabulum intelligit, alibi etiam expendebam (*u*).

X. DUDUM ſanè dirutum fuit Cænobium hoc, manet nihilominùs Turris Campanaria, ut nuper vidi, cum Ruderibus Eccleſiæ, quæ ſimul cum adjacenti Terreno, ſeù Prædio, ſunt Acatholicorum Præda, *Waltero Dowdall*, & *Eduardo Beck* aſſignata (*w*).

CÆTERUM Fratres Prædicatores antè & poſt Exilium Generale Anni 1698 (*x*) in conducta Domo imprætermiſsè degere ſolebant, niſi ſæviente Perſecutione. Ab Anno tamen 1744, quo Generalis exardeſcebat Perſecutio in Clerum *(y)*, haud valuere adhuc ijdem gaudere Tolerationibus ac anteà (aut quales nunc viſuntur *Dublinij*) non quidem ex Rigore Gubernij, ſed ex pura putaque inferiorum Magiſtratuum Sævitiâ, ut alibi innuebam (*z*). Hìnc Sacellum ſuum Dominicis, aut Feſtivis Diebus aperire non audent.

XI. ARCHIDIÆCESIS *Armacanæ*, in qua ſitus eſt hicce Conventus, novem fuere Antiſtites Ordinis Prædicatorum Alumni, nimirùm *Henricus*, nuper laudatus; *Reginaldus*, ſeù *Reynoldus*, alijs *Reinerius*; *Patritius O-Scanlan*; *Raymundus*; *Gualterus Joiſius*, vernaculè *Joyce*; *Martinus Bononienſis*; *Rolandus Joiſius*, Germanus Frater *Gualteri* prælibati, atque *Thomæ Joiſij*, Ordinis etiam Prædicatorum, S. R. E. Cardinalis, olim *B. Alberti Magni*, unà cum *S. Thoma Aquinate*, Diſcipuli; *Humbertus de Roto*, ſeù *de Rotomago*; & recentioribus Temporibus *Dominicus Maguire*, in cujus Locum renunciatus fuit hujuſce Ævi Miſſionarius *Richardus O-Heain*,

---

(s) Ad Annum 1412.
(t) Cap. iv. Num. vi, & ix. Pap. 73, & 76.
(u) Cap. iv. Num. xii. Pag. 79.
(w) Ità *Harriſius* Vol. II. Pag. 276.
(x) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.
(y) Recolendum Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 175.
(z) Ibidem.

aliàs *Eano*, ut refert *Cavalerius* apud *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*a*). De iſtis porrò ſigillatim alibi dicetur (*b*).

Nec defuere Conventûs hujus Alumni publicâ Virtutis Opinione clari, nominatìm *Hyacinthus Dowdall*, cujus proprio Loco meminero (*c*).

XII. Alumni hujus Conventûs in Diſtrictu ejus verſantes Anno 1756 ſunt Octo, nimirùm R. P. Prædicator Generalis Fr. *Eugenius Lennon*, Prior, Ætatis Anno 62, Profeſſionis 40; R. P. Fr. *Dominicus Mac Mahon*, Supprior, Ætat. 56, Prof. 35; R. P. Præſentatus (poſtmodùm Magiſter) Fr. *Thomas Nettirvill*, Ætat. 35. Prof. 18; R. P. Fr. *Joannes Byrne*, Parochus, Ætat. 64, Prof. 38; R. P. Lector Fr. *Vincentius Meany*, Ætat. 46, Prof. 29; P. Fr. *Jacobus Hall*, Procurator, Ætat. 51, Prof. 29. (*d*); P. Fr. *Gualterus Morilly*, Conventûs *Urlarienſis* Filius, Monialium Capellanus, Ætat. 36, Prof. 14 (*e*): P. Fr. *Joannes Egan*, Ætat. 30, Prof. 6.

§. III.

De *Canicopolitano*, ſeù *Kilkennienſi* Cœnobio *Sacroſanctæ Trinitatis*, in ejuſdem Nominis Agro *Lageniæ*.

Anno 1225.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, Deſcriptio, & Privilegia Urbis* Canicopolis, *ſeù* Kilkenniæ, *atque adjacentis Burgi. Nonnihil de Diæceſi, & Eccleſia Cathedrali. In Civitate hac Conventus Generalis Catholicorum Anno 1642 habitus; in eamque ſolemnis Nuntij Apoſtolici* Rinuccini *Ingreſſus Anno* 1645.

II. *Dominicani Cœnobij Deſcriptio, & Fundatio. Nonnulla de Fundatore* Gulielmo Marſhall, *Comite* Pembrochiæ, *ejuſque Fratre* Richardo, *Comite ibidem* Pembrochiæ, *ibidem tumulatis.*

III. Hugo *Epiſcopus* Oſſorienſis, *Ordinis Prædicatorum, Conventûs hujus inſignis Benefactor. Domus Novitiorum ſuburbana ad eum ſpectans.*

IV. *Plura in eo celebràta Comitia Provincialia.*

V. *Rudera Cœnobij. Fundi Dominus modernus. Locus Refugij Fratrum.*

VI. *Diæceſis* Oſſorienſis *Epiſcopi Dominicani.*

VII. *Nonnulli Alumni celebres hujus Cœnobij.*

VIII. *Alumni Conventûs hujus ibi verſantes Anno* 1756.

I. CANICOPOLIS, vulgò *Kilkennia*, hibernicè *Cillchuinne*, anglicè *Kilkenny*, Civitas *Lageniæ* in *Momoniæ* Confinijs, à Beatiſſimo Abbate *Canico* (anglicè *Kenny*, hibernicè *Chuinadh*) qui Sexto Eccleſiæ Seculo floruit (*a*), Denominationem ſumit, *Kil* ſiquidem, ſeù *Cill*, hibernicè, idem eſt ac *Cella*, vel, ut alijs placet, *Eccleſia*, ſeù *Templum*, latinè: Hìnc à pluribus Scriptoribus latinis *Cella Canici*, atque à multis *Fanum Canici*, à pleriſque verò *Canicopolis* nuncupatur. Urbs eſt nitida, elegans, & copioſa, atque inter mediterraneas Regni facilè prima, Marmore conſtrata, Mænibus, & Caſtro firmata, à Prætore, vulgò *Majore*, cum Senatoribus, vulgò *Aldermannis* (*b*), gubernata, ad Ripam ſita præterfluentis *Eyri*, vulgò *Neori*, vernaculè *Neore*, de quo alibi Sermo redibit (*c*), in eaque Aer cenſetur totius *Hiberniæ* ſaluberrimus.

Nedum

(*a*) Tom. viii. Pag. 521.

(*b*) Cap. xiii, Num. iv, v, viii, xii, xiv, xv, xvi, xlv, & lxxii. De *Richardo* autem *O-Heain*, Cap. præſ. §. xxxvii. Num. vi.

(*c*) Cap. xvi. Num. lxxx.

(*d*) Paucos poſt Annos obijt *Pontanæ*.

(*e*) Paulò poſt ad Conventum ſuum *Urlarienſem* regreſſus eſt.

Poſt Annum verò 1756, Duo hujus Loci defuncti ſunt Priores, & Monialium Vicarij, nempè A. R. P. Magiſter Exprovincialis Fr. *Bernardus Mac-Henry*, & A. R. P. Magiſter Fr. *Patritius-Dominicus Diamond*, Miſſionarij Apoſtolici omnibus Numeris abſoluti, quos ceu *Colranenſes* iterùm videbis Cap. præſ. §. xii. Num. ix.

(*a*) De hoc Sancto Feſtum celebrant Hiberni ad Diem 11 Octobris, ut videre eſt Cap. i. Num. xv. Pag. 23.

(*b*) Recolendus Num. vii. §. i. Cap. præſ. Lit. k. Pag. 189.

(*c*) §. ſeq. Num. i.

Nedum Municipium eſt, ſeù Burgus (propriùs Civitas) Parlamentarius (*d*), ſed etiam Burgum ſibi habet fermè contiguum, ſcilicet Rivulo duntaxàt diviſum, quod inſuper Municipium eſt ab antiquo, idque in Honorem *S. Canici*, in eo quippè viſitur Eccleſia Cathedralis laudato Beatiſſimo Viro ſacra. Locus porrò iſte vulgò appellatur *Burgus S. Canici*, atque etiam paſsìm *Oppidum Hibernicum* ad Differentiam nempè adjunctæ Civitatis, quæ *Anglicana* dicitur, quia nonniſi poſt *Anglorum* in *Hiberniam* Adventum conſtructa. Muros excitavit Vir Nobilis *Richardus Talbotus* (*e*), è quâ Familia eſt Comes *Waterfordienſis*, & *Wexfordienſis*, in *Hibernia*, qui in *Anglia* Comes eſt *Salopiæ*, vernaculè *Shrewſbury*, Catholicâ Religione clarus; item & *Tyrconnalliæ* Comes, poſtmodùm Dux, ut alibi dictum eſt (*f*). Caſtrum verò ædificavit Familia *Pincernarum*, vulgò *Butlerorum* (*e*), qui primùm Comites, dein Marchiones, & Duces fuere *Ormondiæ*, nunc verò Comites de *Arran*, de *Carrick*, & de *Laneſborough*, Vicecomites de *Mountgarret*, & de *Galmoy*, ac Barones de *Cahir*, & de *Dunboyne* (*g*). Caput eſt Agri, ſeù Comitatûs, cui *Kilkennienſis* Nomen tribuit, atque in ſe Jura habet, & Privilegia Comitatûs, ut de *Pontana* nuper ajebam (*h*). Tametſi porrò alia non extet in *Oſſorienſi* Diæceſi Eccleſia Cathedralis niſi memorata ſub *S. Canici* Invocatione, ab hac tamen Epiſcopatus non denominatur, ſed ab *Oſſoria*, quâ Nomenclaturâ gaudebat olim qui nunc dicitur Comitatus *Kilkennienſis*. Adeſt quoque *Oſſoria Superior*, Comitatûs Reginæ Baronia, ejuſdemque Diæceſis Pars (*i*), in qua ſitus eſt Pagus *Aghavoæ*, ubi olim erat Diæceſis iſtius Eccleſia Cathedralis, quæ poſtmodùm Conventualis evaſit Ordinis Prædicatorum, ut ſuo Loco dicetur (*k*).

In *Kilkennienſi* hac Urbe habitus fuit Anno 1642 Conventus Generalis Catholicorum, ac denuò Catholica Comitia Regni, ſedebantque pro Negotijs Regni dirigendis Senatores à Comitijs ſelecti, quibus *Supremi Catholicorum Fæderatorum Concilij* Titulus datus eſt; atque in eandem Urbem Nuntius Apoſtolicus *Rinuccinus* ſolemni Pompâ ingreſſus eſt Anno 1645, ut alibi fuſiori Calamo narrabitur (*l*). Apud *Kilkenniam*, ſeù *Canicopolim*, Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ*, vernali & autumnali Temporibus celebrantur, biſque habentur Nundinæ ſingulis Annis, nempè Diebus 28 Martij, & in Feſto *Corporis Chriſti*; & ſemel in Burgo *S. Canici*, Die nimirùm 11 Octobris, eidem Cæliti ſacrâ, ſed nunc ob Mutationem Styli (*m*) Die 22 Octobris. *Canicopolis* porrò, ſeù *Kilkennia*, diſtat *Dublinio*, Quinquaginta Sex; *Waterfordiâ*, Viginti Quinque; *Corcagiâ*, Septuaginta Duobus; *Londino Deriâ*, Centum Quadraginta Octo; *Galviâ*, Octoginta Milliaribus.

II. In ea Civitatis Parte, quæ juxtà eſt Rivulum ſegregantem eam à Burgo *S. Canici*, ubi è Regione adeſt Platea ruſtica, cui anglicum Nomen *The Buts* (*n*), magnificum erat Cænobium Fratrum Prædicatorum (*o*), quod cum eleganti Eccleſia ſub Nuncupatione *SS. Trinitatis* excitavit, ut omnes uno Ore confirmant Scriptores, Anno 1225, *Gulielmus Marſhall*, Junior, *Pembrochiæ* in *Cambria* (ſeù *Wallia*) Comes, & *Hiberniæ* Prorex. In Hiſtorijs porrò Nomini ipſius adjicitur *Junior*,

---

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Itâ *Edmundus Bohun* in ſuo *Dictionario Graphico*, Verbo *Kilkenny*.

(*f*) Cap. i. Num. xxii. Lit. n; & Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 31, & 131.

(*g*) Nobilis hujus Familiæ Genealogia brevis opportunè exhibebitur Cap. præf. §. xviii. Num. ii. Lit. k.

(*h*) Cap. præf. §. ii. Num. i. Pag. 199.

(*i*) Videſis Cap. i. xii. Pag. 18 & Cap. præf. §. xxx. Num. i. Lit. a. & f. Ex quibus Patet Diæceſim hanc primitùs vocatam fuiſſe *Saigerenſem* à Territorio *Saiger* in moderno Agro *Regis*. Indè autem tranſlatâ Sede Cathedrali A. 1052 *Aghavoam* in Regione *Oſſoriæ* Nomen mutavit in *Oſſorienſem*. Tandem verò, circà Annum nempè 1188 tranſlatâ Sede ab Epiſcopo *Felice O-Dullany*, Monacho *Ciſtercienſis* Ordinis, *Kilkenniam*, retinuit quidem *Oſſorienſis* Nomen, quandoque tamen nuncupata erat *Eyrupolenſis* ab *Eyro* Flumine, vulgò *Neoro*, quod *Kilkenniam* alluit. Confer Cap. præf. §. xxx. Num. i.

(*k*) Cap. præf. §. xxx. Num. ii.

(*l*) Cap. xvii. Num. xlviii.

(*m*) Adeas Cap. vii. Lit. f. Pag. 138.

(*n*) *But* anglicè idem ſignificat quod *Meta* latinè: Antequàm porrò pyrius Pulvis inventus eſſet, fuerant erectæ in Loco illo Metæ quædam ex Terra factæ ad explorandam ſagittandi Peritiam, eorumque nonnullæ hodiedùm ibidem viſuntur.

(*o*) *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi; *Harriſius* Vol. II. Pag. 276; *Alemandus*, Pag. 218; *Porterus*, Pag. 219; *O-Heynus*, Pag. 7; *Echardus* Tom. ii. Pag. xvi. Conſulendum Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

Junior, quia Filius erat alterius *Gulielmi Marſhall*, Comitis item *Pembrochiæ*, hunc, ut obiter dicam, habentis Titulum ex Conjuge ſua *Iſabella*, Filia & Hærede *Richardi le Clare*, Comitis *Pembrochiæ*, vernaculè *Strongbow*, i. e. *de Arcu forti*, paſsim dicti, ob ſummam, quâ pollebat, ſagittandi Peritiam. Indeque qui cum ipſo in *Hiberniam* venerant Anno 1169, Triennio ſcilicet ante *Henrici* II Regis *Anglorum* Adventum, eorumque Deſcendentes, vocari ſolent *Strongbowniani* uſque in hodiernum Diem.

DICTUS porrò *Gulielmus Marſhall Junior obijt Anno* 1231, *ſepultuſque fuit in Choro Fratrum Prædicatorum Kilkenniæ*, ut diſertis Verbis referunt *Annales Hiberniæ*, anglicè impreſſi ad Calcem *Britanniæ*, editæ à *Gulielmo Camdeno, Clarencieux* (*p*), Rege Armorum in *Anglia* (*Londini* 1722) poſt quæ Verba immediatè ſubditur : “ Anno 1234 *Richardus Marſhall*, Comes *Pembrochiæ*, vulneratus fuit in Prælio habito in Planitie *Kildarenſi* primô Idûs Aprilis, paucoſque poſt Dies è Vita migravit, in Choro Fratrum Prædicatorum Kilkenniæ juxtà Fratrem ſuum *Gulielmum* tumulatus, de quo ſcriptum eſt :

“ *Cujus ſub Foſſa Kilkennia continet Oſſa.*”

III. EPISCOPUS *Oſſorienſis*, Nomine *Hugo*, Ordinis noſtri, atque hujus fortaſsè Cænobij Alumnus, multa eidem contulit Beneficia, & inter alia Fontem *S. Canici*, & Aquæductum, ut ex *Waræo*, & *Harriſio* alibi dicetur (*q*).

IV. IN celebri hoc Cænobio plura celebrata fuere Capitula Provincialia, ut refert *Alemandus* (*r*), ſignanter Anno 1643, eo ipſiſſimo Tempore, quo eadem in Urbe *Canicopolitana*, ſivè *Kilkennienſi*, ſedebat *Supremum Catholicorum Fœderatorum Concilium*, mox laudatum, atque eo in Capitulo electus erat in Provincialem *Terentius-Albertus O-Brien*, poſteà Epiſcopus *Imelacenſis*, & Martyr, de quo alibi Sermo erit (*s*).

NIHIL autem aliud Memoratu dignum de Conventu iſto quantumvis inſigni, ſivè ex Libris impreſſis, ſivè ex Codicibus M. S., alijſve Monumentis, ſivè demûm ex Alumnorum ejus Informatione, addiſcere potui (*t*), niſi quod olim erat Domus Novitiorum ad eum ſpectans, in Loco *Thornback* vernaculè dicto, qui ſecundo ab Urbe Lapide versùs Boreazephyrum, vulgò *North-Weſt*, diſtat.

V. CÆTERUM nedùm antiqua Campanaria Turris, ſed etiam ipſummet Templum, etſi ſine Tecto, pluraque Cænobij Mænia magnifica etiamnùm extant, dicta adhuc anglicè, *The Black Abbey*, i. e. *Abbatia nigra*, ob Fratres Prædicatores paſsim appellatos *Nigros Fratres*, ut dudùm aduertebam. Eadem etiam de Cauſa Pons, & Molendina propè Conventum vocantur *Pons niger*, & *Molendina nigra*, alius verò Pons dicitur *Pons Fratrum*. Hinc ipſum juxtà Locum per plures poſt Generale Exilium (*u*) Annos, Sodales conventualiter, ut ipſemet vidi, vivebant ad Annum uſque 1744, quo, exardeſcente Generali Perſecutione, cujus anteà memini (*w*), è Loco iſto pulſi ſunt, neque eundem adhuc recuperare valuere (alioquin in Civitate degentes, atque in Sacellis Preſbyterorum Sæcularium quà ſupernumerarij, ut vocant, inſervientes) non quidem ob Severitatem Gubernatorum Regni, ſed ob Severitatem inferiorum Magiſtratuum, ut de *Pontanenſibus* Magiſtratibus nuper ajebam (*x*). Ipſemet porrò Fundus Juris eſt Civium *Kilkennienſium* Sociatorum, ſeù, ut vulgò loquimur, *incorporatorum* (*y*).

VI. DIŒCESIS *Oſſorienſis*, in qua Situm habet Cænobium iſtud, Quinque fuere Epiſcopi Ordinis Prædicatorum Alumni, nimirùm *Hugo*, in memoratâ *SS. Trinitatis* ſui Ordinis Eccleſia, ut præfertur, tumulatus, *Richardus*, *Winchelſæus*, *Oliverius Cantwell*, ibidem etiam humatus, & nuperis hiſce Annis *Colmanus O-Shaghnuſſy*, ac *Thomas de Burgo*, de quibus opportunior Sermo alibi redibit (*z*).

VII. Ex

(*p*) Adeas Cap. præſ. §. xviii. Num. ii. Lit. i.

(*q*) Cap. xiii. Num. viii.

(*r*) Pag. mihi 218.

(*s*) Cap. xiii. Num. lxiv; Cap. xiv. Num. xiii; & Cap. xvi. Num. xxix.

(*t*) Videſis Cap. præſ. §. xii. Num. vii.

(*u*) Conſulendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*w*) Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 175.

(*x*) §. præced. Num. x. Pag. 203.

(*y*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 276.

(*z*) Cap. xiii. Num. vii, xlvi, xliv, lxxviii, & lxxxiii.

VII. Ex Conventu hoc unus fuit *Hiberniæ* Provincialis, nempè *Patritius Marſhall*, de quo infrà dicetur (*a*) ; Sexque publicâ Virtutis Opinione clari, *Joannes* nempè *Davidis*, *Joannes O-Mara*, *Dominicus O-Rageid*, *Thomas O-Branain*, *Petrus Roth*, & *Antonius Roth*, de quibus ſuo Loco narrabitur (*b*).

HUJUS item Cænobij Alumnus erat Celebris Magiſter *Joannes Nolanus*, haud ſemel alibi laudatus (*c*), iterumque laudandus (*d*), utpote Definitor pro *Hibernia* in Capitulo Generaliſſimo 1644, & in Capitulo Generali 1656. De eo autem *O-Heynus* noſter (*e*) hæc habet, “ R. A. P. Magiſter *Nolanus* indutus, ac profeſſus *Zamoræ*, ſtuduit *Pampilonæ*, ac docuit inſigniter. Inde venit *Lovanium*, ubi docuit pariter at non diù, utpotè accerſitus ad Regentiam *S. Mariæ Super Minervam*. Hinc *Romam* profectus eſt, ibique Carceris Auguſtias paſſus eſt ob Defenſionem *Divi Auguſtini*, & *Divi Thomæ* de Gratia efficaci *per ſe* & *ab intrinſeco*. Venit indè in *Galliam* ad Magnum & Religioſum Conventum *Rhedonenſem* (*f*) in *Britannia Armorica*, ubi manſit religiosè vivens uſque ad Mortem. Propagavit celſe Studium ibi, & accerimè cum Efficacia obſtitit Neotericis Impugnatoribus Sanctorum *Auguſtini*, & *Thomæ*.”

VIII. ALUMNI iſtius Conventûs hìc verſantes Anno 1756 ſunt Quatuor, nempe R. P. Fr. *Thomas Maſterſon*, Prior, Ætatis Anno 34, Profeſſionis 16; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Joannes Smith*, Conventûs *Carlingfordienſis* Filius, Ætat. 60, Prof. 35; P. Fr. *Joannes Golding* Filius Conventûs *Pontanenſis*, Ætat. 60, Prof. 35; & R. P. Prædicator Generalis Fr. *Petrus Magenis*, Ætat. 47, Prof. 21 (*g*).

§. IV.

De *Waterfordienſi* Cænobio *S. Salvatoris* in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*.

ANNO 1226.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Civitatis* Waterfordiæ. *Nonnihil obiter de Fluminibus* Suiro, Neoro & Birgo.
II. *Fundatio, & Antiquitas Cænobij Ordinis Prædicatorum.*
III. *Memorati Cænobij Rudera, modernuſque Uſus, atque Nomen. Nota de Nomenclatura* Nigrorum, & Alborum *Fratrum.*
IV. Waterfordienſis, & Liſmorenſis *Diæceſum, tàm disjunctarum, quàm unitarum, Epiſcopi Dominicani.*
V. *Aliquot Alumni inſignes hujus Cænobij.*
VI. *Fratres Conventûs iſtius Anno* 1756.

I. WATERFORDIA, dicta etiam latinè *Menapia* (licèt a nonnullis Nomen iſtud *Wexfordiæ* tribuatur) hibernicè *Port-Lairge*, id eſt *Portus Femoris* (*a*), anglicè *Waterford*, compoſito Nomine ex *Water*, quod Aquam, & *Ford*, quod Vadum ſignificat, Civitas eſt Epiſcopalis *Momoniæ* ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi* (*b*), Agri *Waterfordienſis* Capitalis, in ſe inſuper Jura habens, & Privilegia Comitatûs, inter celeberrimas totius *Hiberniæ* Urbes meritò connumeranda, ſivè Opes, & Præſtantiam ſpectemus, ſivè magnum, & ſecurum Portum, immediatè ad *Angliam*, *Galliam*, *Hiſpaniam*, & *Luſitaniam* ſitum, pulchro longoque munitum Cothone, ſeu Loco, quò Naves ad Terram uſque applicant, anglicè *Kay*, gallicè *Quai*, italicè *Chaia*. Anglorum Rex *Henricus*, hujus Nominis Secundus, in *Hiberniam* adveniens, ut Regni hujus Dominium acquireret,

---

(*a*) Cap. xiv. Num. xxiii.

(*b*) Cap. xvi. Num. xviii. lxxxviii, lxxxix, xc, xcviii, & ci.

(*c*) Cap. vi. Num. x, & xiv. Pag. 114, & 118.

(*d*) Cap. xvii. Num. lxxxi.

(*e*) Pag. 8.

(*f*) Vulgò *Rennes*. Urbs eſt Capitalis *Britanniæ Minoris*, ſeu *Armoricæ*.

(*g*) Prior eſt hujus Conventûs ab Anno 1759, fuitque anteà.

(*a*) Sic vocatur à Figura *Suiri*, mox recenſendi, in Mare fluentis.

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

ret, *Waterfordiæ* Navi deſcendit Anno 1172 (*c*). Præiverat Comes *Strongbow*, ut nuper dictum eſt (*d*), qui ibidem etiam deſcendit Navi Anno 1169. Item & Rex *Joannes*, prælibati *Henrici* Filius, Anno 1211. Ibidem quoque Navim conſcendit Rex *Jacobus* II, ex *Hibernia* diſcedens Anno 1690 (*e*).

PROPE Civitatem iſtam Tres celebres Fluvij, *Suirus*, *Neorus*, alijs *Eyrus*, & *Barous*, alijs *Birgus*, & *Berva* (*f*), dictæ antiquitùs Tres Sorores, quatenùs è *Bladinæ* Montibus (*g*) veluti maternis Viſceribus ſcaturientes, & diviſis Alveis diſcurrentes, concordibus ſe conſociant Aquis, ibique (id eſt, infrà *Waterfordiam*) ſolius *Suiri* Denominationem induentes, in Mare, poſt paucorum Milliarium Curſum, confluunt. Tam rapidus porrò eſt *Suiri* Fluxus apud *Waterfordiam*, ut nullus ſit ibi Pons, ſed per Pontonem tàm Homines, quàm Equi, Curruſque indè trajiciuntur ad Agrum *Kilkennienſem*, qui è Regione ad alteram uſque *Suiri* Ripam extenditur.

Waterfordia Municipium (*h*) eſt, à Prætore, & Senatoribus, vulgò *Majore*, & *Aldermannis* (*i*), gubernatum. Titulumque præbet Comitis Anno 1681 creati, qui impræſentiarùm eſt *Georgius Talbotus* (quem *Romæ* novi Anno 1740), in *Anglia* Comes item *Salopiæ*, vulgò *Shrewſbury*; atque Vicecomitis, Anno 1628 creati, qui nunc eſt *Richardus Lomely*, in *Anglia* Comes *Scarburgi*, vulgò *Scarborough*. Eſt inſuper Emporium nobile, ibique celebres habentur Nundinæ Bis in Anno, Diebus ſcilicet 5 Maij, & 25 Octobris, Habentur quoque ibi Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*k*), Vernali, & Autumnali Temporibus. *Dubliniô* diſtat Septuaginta Sex Milliaribus; *Caſſeliâ*, Triginta Quinque; *Corcagiâ*, Quinquaginta Quinque; *Limericô*, Septuaginta Tribus; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Viginti Quinque; *Galviâ*, Centum; *Londino-Deriâ*, Centum & Septuaginta Tribus.

II. In hanc Civitatem *Fratres Prædicatores introducti ſunt Anno* 1226, *& Novennio poſteà Cænobium ijs à Civibus fundari cæptum*, inquit *Waræus* (*l*), & quidem ſub Invocatione *S. Salvatoris*, ut referunt *Alemandus*, & *Harriſius* (*m*), quibus Traditio ſuffragatur. Nihilominùs quia Vero ſimillimum eſt, eos intereà Temporis conventualiter ibidem vixiſſe, idcircò Annus 1226 pro Conventûs hujus Fundatione præfigitur; atque etiam eo ipſiſſimo Tempore erectus dicitur in Catalogo Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ*, circà Annum 1300 exarato, quem alibi (*n*) prælibatus exhibet *Waræus*, ipſeque alibi (*o*) exhibui, quemque laudat Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644 longiuſculis eò Loci allatis Verbis, diſertè ſancientibus, *Antiquitatem noſtrorum Conventuum* ex veteri illo Manuſcripto apud *Waræum* deſumendam eſſe.

III. RUINÆ tàm Templi, quàm Cænobij cum adjacenti Cæmeterio hodiedùm viſibiles ſunt, Nomen adhuc retinentes Anglicum *Black Friers*, id eſt, *Nigri Fratres* (*p*). Cænobium tamen in profanos Uſus dudùm deſtinatum fuit, atque inibi habentur ſingulis Semeſtribus Comitia Juridica, ſeù Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ*, dequibus mox dictum eſt, pro Comitatu *Waterfordienſi* (*q*). Cæterùm Latifundia, Conventui olim annexa, conceſſa fuere per Gubernium Acatholicum *Jacobo White*,

---

(*c*) Adeas Cap. iv. Num. xvi. Lit. k. Pag. 83.

(*d*) §. ſuperiori, Num. ii. Pag. 206.

(*e*) Legeſis Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*f*) Anglicè vocantur, *Shure*, *Neore*, & *Barrow*.

(*g*) Hibernicè *Sleieu Bloemy* in Agro *Reginæ*.

(*h*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*i*) Confer Cap. præſ. §. i. Num. vii. Lit. k. Pag. 189.

(*k*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*l*) Lib. *de Hibernia*, *&* *Antiquitatibus ejus* Cap. xxvi. Pag. 194.

(*m*) *Alemandus* Pag. 228; *Harriſius* Vol. II. Pag. 277.

(*n*) Lib. i. *de Scriptoribus Hiberniæ*, Cap. ix. Pag. 61.

(*o*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. Iſtud etiam Cænobium memorant *O-Heynus*, Pag. 12, & *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*p*) Sic ab *Anglis* nuncupabantur Dominicani, ut Cap. ii. Num. iv. Pag. 36. ajebam, ob nigras, quas deferunt, Cappas ſuper Habitus albos, ad Differentiam Carmelitarum, qui *White-Friers*, id eſt, *Albi Fratres*, ob oppoſitam Rationem appellabantur. Hinc *Dublinij* Locus, ubi Cænobium erat Carmelitarum, dicitur etiamnùm anglicè *White-Friers-Street*, hoc eſt, *Alborum Fratrum Vicus*. Atque idem obſervare eſt *Londini*, ubi inſuper Situs Dominicani Cænobij, propè Fluminis *Tamagæ* Ripam, *Black-Friers*, ſeù *Nigri Fratres*, vocatur uſque in hodiernum Diem, ut Cap. iv. Num. xvi. Lit. m. Pag. 45. dictum eſt.

(*q*) Conſultò dixi *pro Comitatu Waterfordienſi*, pro Civitate enim habentur in alio ejuſdem Civitatis Loco.

White, Armigero, qui eadem aſſignavit *Antonio à S. Leodegario*, vulgò *Saint Leger*, Equiti Aurato (*r*).

IV. Ante Unionem *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis* Diæceſum contiguarum, ab *Urbano* V, Summo Pontifice, Anno 1363 (*s*) factam, Unus fuit ex Ordine noſtro *Liſmorenſis* Epiſcopus, *Alanus* nempè *O-Sullivanus*, Duo verò utriuſque Diæceſis ſic unitæ Antiſtites, *Robertus* ſcilicet *Read*, & *Joannes Depingus*, ſeù *de Ping*, alibi ſigillatìm recenſendi (*t*).

V. Inter Cænobij hujus Alumnos fuit *Gotofridus de Waterfordia*, alibi (*u*) inter Scriptores nominandus; Treſque floruere publicâ Virtutis Opinione clari, *Michael* nempè *O-Clery*, *Geraldus Bagot*, & *Antoninus Sall*, de quibus ſuo Loco dicetur (*w*).

VI. Patres hujus Conventûs Anno 1756 ſunt R. P. Præſentatus Fr. *Jacobus Sexton*, Prior, Conventûs *Dublinienſis* Filius, Ætatis Anno 48, Profeſſionis 30; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Patritius Bray*, Ætat. 45, Prof. 19; & R. P. Lector Fr. *Jacobus Sheſty*, Ætat. 33, Prof. 17. (*x*).

§. V.

De *Limericenſi* Cænobio *S. Salvatoris* in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*.

ANNO 1227.

Atque

Vicariali Domo Oppidi vulgò dicti *Six-Mile-Bridge*, in *Clarenſi* Agro prælibatæ Nationis.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio tàm Urbis quàm Arcis* Limericenſis. *Plura obiter de celeberrimo Flumine* Shanano.

II. *Situs Cænobij fundati à* Donato Carbreach O-Brien, *Rege* Thomondiæ, *de quo nonnihil. Plura in Nota de inclyta* O-Brienorum *Proſapia.*

III. *Laudatus Fundator in eo tumulatus. Pauca extant illius Rudera.*

IV. *Ibidem etiam* Hubertus de Burgo, *Epiſcopus* Limericenſis, *treſque* Laonenſes *Præſules, totidemque* Fenaborenſes, *humati; Inſcriptio Sepulchralis ea de Re tàm latinè quàm anglicè.*

V. *Anno* 1504 *reformatus iſte Conventus, & Anno* 1644 *in Univerſitatem erectus.*

VI. *Dominicani Epiſcopi ad Cænobium hoc ſpectantes.*

VII. *Inſigniores alij Cænobij hujus Alumni.*

VIII. *De Vicariali Domo prope Oppidum cui Anglicum Nomen*, Six-Mile-Bridge.

IX. *Patres* Limericenſis *hujus Conventûs Anno* 1756.

I. LIMERICUM, anglicè *Limerick*, hibernicè *Lumniach*, olimque latinè *Lumniacum* (indeque Epiſcopi vocati ſunt *Lumnicenſes* & *Lumnicani*) Comitatûs ejuſdem Nominis, ne dicam Univerſæ *Momoniæ* (*a*), Caput, in ſe tamen Juribus gaudens, & Privilegijs Comitatûs, Urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi* (*b*), quam maximus totius *Hiberniæ* (ut nihil dicam de *Magna Britannia*) Fluvius, cui Nomen *Shananus*, diviſo circumfundit Alveo, rapidiſſimo dein Curſu Sexaginta circiter Milliarium in Africum fluens uſque ad Mare.

Porro nobiliſſimum iſtud Flumen, ut obiter dicam, Ptolomeo *Senus*, Oroſio *Sena*, Giraldo Cambrenſi Flumen *Senenſe*, Accolis *Shannon*, dicitur, id eſt, ut quibuſdam placet, *Flumen antiquum*, indeque à *Waræo*, alijſque latinis Scriptoribus *Shenanus*, atque *Shananus* paſſim nuncupatur

---

(*r*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 227.

(*s*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Tit. *de Præſulibus Waterfordienſibus.*

(*t*) Cap. xiii. Num. iii, xxv, & xxvi.

(*u*) Cap. xv. Num. x.

(*w*) Cap. xvi. Num. xxxvii, & cxxiii.

(*x*) Obijt 10 Junij 1757. Loco autem hujus verſatur *Waterfordiæ* R. P. Lector Fr. *Dionyſius O-Connor*, quem iterùm videbis Cap. xii. §. iii. Num. xvii.

(*a*) Confer Cap. præs. §. vi. Num. i. Lit. b.

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

E *Thernæis* Montibus in *Leitrimenſi* Agro *Conaciæ* ortus, modò in Stagna ſe effundit, modò in Anguſtias ſe coarctat, iterùm ſe diffundens, iterùmque intrà Margines ſe colligens. *Carrickdrumruſkam* (ubi Pons eſt) ejuſdem Agri Burgum Capitalem (*c*) primò, dein *Laneſburgum* (ubi Pons quoque, cujus Pars in *Longofordienſi* Agro *Lageniæ*, Parſque in *Roſcomanienſi* Agro *Conaciæ*) interfluit, à ſpatioſo poſtmodùm Lacu *Reigho* Longitudinis Tredecim Milliarium exceptus. Ubi verò Lacum hunc prætervectus, anguſtiore Alveo intrà Ripas ſe reſorbet, *Athloniam* (ubi longus validuſque Pons, eſt, cujus Pars in *Midenſi Occidentali* Agro *Lageniæ*, & prælibato Agro *Roſcomanienſi*) interfluit; paulòque poſt memoratum Agrum *Roſcomanienſem*, dein *Galvienſem* Agrum *Conaciæ* inter, & *Regis* Agrum *Lageniæ*, Limitis Vice fungens, unito ſibi haud exiguo Amne *Sucko*, præterfluit *Bannacharam* (ubi Pons eſt) ultimò dicti Agri Burgum, & *Portumnam* (*d*), Agri *Galvienſis* Vicum, eundem à *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ* dividens; iterùmque à ſpatioſo item Lacu *Dergæo* Octodecim Milliaribus longo, in mox dicto Agro, exceptus, in Amnem iteratò coit, præterfluitque *Laonam*, vulgò *Killaloe*, Agri *Clarenſis* in *Momonia* Vicum, Sedemque Epiſcopalem, ubi ingens Pons, ingenſque Cataracta; dein deducto Alveo *Limericenſem* hanc Urbem amplectitur, hinc Sexaginta circiter, ut ajebam, Milliaria rectus, grandis, Inſulis intermixtus, in Mare properat, & ubicunque reciprocante Æſtu undoſus, præſidiaræ Turres ad cohibendos Prædonum Excurſus diſpoſitæ ſunt, demùmque in Oceanum devolvitur.

Joannes Rex, qui Anno 1199 regnare cœperat, Urbem hanc *Limericenſem* Caſtello munivit, *Anglique* ſubindè additionalem conſtruxere Civitatem, Rivulo in *Shananum* fluente ab altera disjunctam, quæ eâ de Cauſa *Anglicum Oppidum* paſsìm nuncupatur ad Differentiam præexiſtentis, quæ *Hibernici Oppidi* Nomine dignoſcitur (*e*), quamque ſolus *Shananus* à *Clarenſi* Comitatu disjungit. In geminata iſta Civitate binum eſt Caſtrum, binæque patent Portæ, quæ ſuos habent è Saxo pulchros Pontes cum Propugnaculis, Pontibuſque verſatalibus, quorum alter in Ortum, alter in Occaſum ducit. Ingentem porrò Præſidij hujus Fortudinem ex ijs, quæ de duplici ejus Obſidione ſuperiùs (*f*) expendebam, nullo Negotio conjicere poteris. Municipium (*g*) eſt, ſuum habens Prætorem, & Senatores, vulgò *Majorem*, & *Aldermannos* (*h*), Titulumque præbet Vicecomitis, Die 13 Maij 1719 creati, qui nuper fuit *Jacobus Hamilton*, Anno 1756 creatus Comes de *Clanbraſſil.* Emporium quoque eſt, ibique frequentiſſimæ habentur Nundinæ bis in Anno, Diebus nempè 4 Julij, & 4 Auguſti, habenturque Comitia Juridica, ſeù Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ* (*i*), Vernali, & Autumnali Temporibus. *Dubliniô* Nonaginta; *Caſſeliâ*, Viginti Octo; *Corcagiâ*, Quadraginta Tribus; *Galviâ*, item Quadraginta Tribus, *Londino-Deriâ*, Centum & Quadraginta Milliaribus diſtat.

II. INTRA, & juxtà *Limerici Hibernici* Muros Ordo Prædicatorum permagnificum habuit Cœnobium, Anno 1227, ut corcors fert Scriptorum (*k*) Aſſertio, cum ſua Eccleſia, *S. Salvatori* ſacrâ, fundatum, & quidem à Sereniſſimo *Donato Carbreach O-Brieno*, Rege *Thomondiæ* (*l*), cujus Pater Nomine *Daniel*, ſivè *Donaldus*, *O-Brienus*, Rex erat *Limerici* (*m*), quandò in *Hiberniam* advenit *Henricus* II, Anglorum Rex, cui obviam dans *Caſſeliæ*, ſuum *Limerici* Regnum eidem ceſſit,

---

(*c*) Nunc paſsìm dicitur *Carrick-Super-Shananum* ad Differentiam alterius in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ* Oppidi, cui Nomen *Carrick-Super-Suirum.*

(*d*) Conſulendus §. xxxiii. Cap. præs. Num. i.

(*e*) Idem videre eſt apud *Kilkennium*, ut liquet ex §. iii. Cap. præs. Num. i. Pag. 204.

(*f*) Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*g*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*h*) Videſis Cap. præs. §. i. Num. vii. ad Lit. k. Pag. 189.

(*i*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*k*) Auctoris Anonymi Catalogi pervetuſti, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. adducti; *Waræi* de *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi. Pag. 201; *Alemandi*, Pag. 228; *O-Heyni*, Pag. 17; *Harriſij*, Vol. II. Pag. 227; *Lodgæi*, Vol. I. Pag. 251. Cænobium hoc memorat etiam *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*l*) *Thomondia*, vel ut modernis placet, *Thomonia*, Tractus eſt *Momoniæ*, quem nunc Comitatum *Clarenſem* vocant, de quo conſulendum Cap. i. Num. xi. Pag. 14. *Thomond* porrò hibernicè idem eſt ac *Momonia Aquilonaris* latinè, è contrà verò *Deſmond* eſt *Momonia Auſtralis.*

(*m*) Confer Cap. i. Num. xx. Pag. 29.

ceſſit, ac Fidelitatem Jurejurando ſpopondit (*n*). Nihilominùs laudatus *Donatus* noſter, hujus *Danielis* Filius, Titulum habuit *Regis Thomondiæ*, ut Luce meridianâ clarius patet ex Regio Diplomate *Henrici* III, *Angliæ* Regis, *Hiberniæque* Domini, ad ipſum Die 18 Julij 1222 dato, quod apud *Lodgæum* (*o*) legere eſt. Eodem etiam *Thomondiæ Regis* Titulo potiti ſunt, ut obiter dicam, *Donati* Filius, Nepos, Abnepos, alijſque Deſcendentes uſque ad Annum 1543, quo *Murtertachus* (*p*) *O-Brienus*, in *Angliam* profectus, tàm *Regis* Titulum, quàm ampliſſima ſua Latifundia reſignare coactus eſt (etſi voluntariè quoad Apparentiam) in Manibus *Henrici* VIII, *Angliæ*, necnon & *Hiberniæ* Regis (*q*), qui eundem per Literas Patentes Die 1 Julij 1543 datas, Comitis *Thomondiæ* Gradu, ſuorumque Latifundiorum Jure donavit (*r*).

III. PORRO *Donatus O-Brienus*, Cænobij noſtri *Limericenſis*, ut præfertur, Fundator, *in Eccleſia ibidem Tumulo conditus eſt Anno* 1241, *cum Statua ejus ſuperimpoſita*, inquit *Waræus* (*s*). Verùm tametſi *Waræi* Tempore extiterint Eccleſia, & Statua illa, non autem poſt binam Civitatis Obſidionem, Annis 1690, & 1691 factam, quam ſuperiùs recenſebam (*t*). Nunc quippè nonniſi pauca, ut vidi, ſuperſunt ſuperbi Ædificij Veſtigia, apud quæ Milites Præſidiarij Domum habent.

Prætereundum autem non eſt, *Harriſium* (*u*) aſſerere, *Joannem* (*Fitz-John*, id eſt, Filium Joannis) *Geraldinum* (*w*), Comitem *Deſmondiæ*, Secundarium fuiſſe Cænobij hujus *Limericenſis* Fundatorem, quatenùs ſcilicèt illud, Temporum Injuriâ collapſum, ex integro reſtauraverit.

IV. IN ejuſdem Cænobij Eccleſia tumulatus item fuit (*x*) *Hubertus de Burgo*, Epiſcopus *Limericenſis*, Die 14 Septembris 1250 defunctus, jam anteà Prior Monaſterij *S. Edmundi* Regis & Mar-

---

(*n*) *Daniel* iſte Lineâ rectâ per Quinque Generationes deſcendit ab invictiſſimo juxtà ac pijſſimo *Brieno*, ſeù *Briano Boro*, ſivè *Boario*, alijs *Borovio*, *Borrumhio*, & *Boromæo*, ab Hibernica Voce *Boruma* (adeas Cap. i. Num. xvi. Lit. x. Pag. 26.) nuncupato, *Momoniæ* Rege, & Univerſæ *Hiberniæ* Monarchâ, qui in Die Paraſceves Anni 1014 (ut ibidem narrabam) glorioſum reportavit Triumphum in celebri Prœlio *Clontarfenſi* propè *Dublinium*, Regni Metropolim, de non minùs eâ Tempeſtate potentibus, quàm ferocibus *Danis*, poſtquàm *Hiberniam* per 219 Annorum Seriem infeſtaverant. Idemque *Brianus* Monarcha primus fuit, qui *Hiberniæ* Familias cognominari voluit, atque ab ipſo *O-Brienorum* Proſapia cognominatur. Cæterùm obiter animadvertere lubet, *Briani* Nomen luſtrale apud *Hibernos* perquàm uſitatum eſſe, & quidem longè ante Tempora *S. Bernardi*, & tamen plures, eo Nomine donatos, mendosè ſe ſcribere *Bernardos*. Sanè qui anglicè dicitur *Bernard*, ſcribere ſe debet latinè *Bernardum*, qui verò anglicè dicitur *Bryan*, ſeù *Brian*, ſcribere ſe debet *Brianum*.

(*o*) Vol. I. Pag. 251.

(*p*) Auctores *Hiberni*, latinè ſcribentes, eum vocant *Murtertachum*, hibernicè autem *Morrough*. In regijs verò Patentibus *Henrici* VIII, protinùs citandis, appellatur *Maurus*.

(*q*) Confer Cap. i. Num. xxi. Pag. 30.

(*r*) A *Murtertacho* iſto, ſivè *Mauro*, rectâ Lineâ per Quinque Generationes alter deſcendit *Maurus O-Brienus*, Comes de *Inchiquin*, â Carolo II Rege, Anno 1660 creatus. Atque à prioris *Mauri*, ſivè *Murtertachi*, ex Fratre Nepote (cui Nomen *Donatus*, alijs *Daniel*, cujuſque Mater erat *Margarita*, Filia *Richardi de Burgo*, Comitum de *Clanrickard* *Progenitoris*) rectâ pariter Lineâ deſcendit Eques *Daniel O-Brienus*, creatus Vicecomes de *Clare* à prælibato Rege *Carolo* II, Die 17 Julij 1662. Floret etiamnùm nobiliſſima hæc Familia, nedum in *Anglia*, & *Hibernia*, ſed & in *Gallia*, ubi Vicecomes *de Clare*, inſimulque nunc Comes *Thomondius* (confer Cap. i. Num. xxii. Lit. n. Pag. 31.) eſt *Marſhallus*, ut vocant, *Franciæ* in Exercitu Regis Chriſtianiſſimi. In eodem etiam Exercitu verſatur *Jacobus-Daniel O-Brien*, Comes de *Liſmore*, cujus Domus de *Carrigogonnel* illuſtris eſt Ramus memoratæ *O-Brienorum* ſpectabiliſſimæ Proſapiæ, ut ex invictæ Fidei Monumentis Luce meridianâ clarius patet. Enimverò Anno 1758 laudata Domus de *Carrigogonnel* reperta fuit regiſtrata in antiquis Libus Fecialibus Archivij *Regis Armorum* apud *Dublinium* quoad omnes & ſingulas ejus Generationes à *Briano Boromæo* ad Annum uſque 1613, & quoad reliquas Genealogiæ ejuſdem *Jacobi-Danielis O-Brien* Generationes, citrà omnem Dubitationem probatæ fuere eidem *Regi Armorum*, nuncupato *Ulſter*, ab Antiquarijs, & Optimatibus Comitatûs *Corcagienſis*, ubi ejuſdem *Jacobi-Danielis* Majores à dicto Anno 1613 ſtabiliti fuere.

(*s*) De *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi. Pag. 201.

(*t*) Cap. viii. Num. xii. Pag. 144.

(*u*) Vol. II. Pag. 277.

(*w*) De nobiliſſima *Geraldinorum* Progenie fuſior redibit Sermo §. x. hujus Cap. Num. ii. Lit. c.

(*x*) *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*. Tit. de *Præſul. Limericen.*

tyris de *Athaſſel*, in Agro *Tipperarienſi*, Ordinis Canonicorum Regularium, à Genitore ſuo *Gulielmo de Burgo*, cognominato *Expugnatore*, de quo alibi Sermo fuit (*y*), fundati (*z*). Ibidem etiam tres *Laonenſes* humati ſunt Antiſtites, *Donaldus* nempè *O-Kennedy*, Anno 1252; *Matthæus O-Hogain*, Menſe Auguſti 1281; & *Matthæus Mac-Crath*, Die 1 Septembris 1391, defuncti. Totidemque *Fenaborenſes*, ſcilicet *Chriſtianus*, Anno 1254; *Simon O-Currin*, Anno 1303; & *Mauritius O-Brienus*, Anno 1321 (*a*).

In hujus Rei Confirmationem, & ob venerandam Antiquitatem, Operæ Pretium eſſe duxi in Medium afferre ex *Harriſio* (*b*) Inſcriptionem Sepulchralem in Cænobij hujus Ædibus Sacris olim exiſtentem, Verſibus Rhythmicis illius Ævi conceptam.

Senos (c) Pontifices in ſe Locus claudit iſte,
Illis multiplices, Te poſco, Præmia, Chriſte.
Omnes hi fuerant Fratrum Laris hujus Amici;
Hubertus de Burgo, *Præſul quondàm* Limerici;
Donaldus, Matthæus, *Paſtores* Laonenſes;
Chriſtianus, Mauritus, Simon *quoque* Fenaborenſes.
Ergò, benignè Pater, Locus hos non comprimat ater,
Qui legis iſta, Pater *dicas, & Ave reboa ter.*
Centum namque Dies quiſquis rogitando meretur
Detur ut his Requies, ſi purâ Mente precetur.
Qui legis hos Verſus, ad Te quandoque reverſus,
Quid ſis, & quid eris, Animo vigili mediteris,
Si minor his fueris, ſeù Major, eorumve Sodalis,
Tandem Pulvis eris, non fallit Regula talis.

In Gratiam Lectoris, anglicè periti, placet iſtis ſubjicere Verſionem eorum anglicanam, quam memoratus exhibet *Harriſius*.

Six Prelates here do lie, and in their Favour
I beg your friendly Prayers to Chriſt our Saviour;
Who in their Life Time for this Houſe did work,
The firſt of whom I name was *Hubert Burke*;
Who grac'd the See of *Limerick*, and *Matthew*,
With *Donald*, Biſhops both of *Killaloe*;
Chriſtian, and *Maurice* I ſhould name before,
And *Simon*, Biſhops late of *Fenabore*.
Therefore, kind Father, let not any Soul
Of theſe good Men be lodg'd in the Black-Hole.
You, who reads this, kneel down in humble Poſture,
Bellow three *Ave's*, ſay one *Pater Noſter*.
Whoever for their Soul ſincerely prays,
Merits Indulgence for an hundred Days;
And You, who reads the Verſes on this Stone,
Bethink yourſelf, and make the Caſe your own;
Then ſeriouſly reflect on what You ſee,
And think what You are now, and what You'll be;
Whether You're greater, equal, leſs, You muſt,
As well as theſe, be crumbled into Duſt.

V. Anno

(*y*) Cap. iv. Num. xvi. Pag. 83.

(*z*) *Waræus* de *Antiquitatibus Hiberniæ*, Cap. xxvi. Pag. 205.

(*a*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, & *Harriſius* Vol. I. Pag. 591, 592, 593, 622, & 623.

(*b*) Vol. I. Pag. 623.

(*c*) Sub Tumulo iſto Septem humati fuere Epiſcopi, ut ex mox dictis poſt ipſummet *Harriſium* atque *Waræum* claret. Sed quandoquidem duplex *Laonenſis* Antiſtes erat *Matthæus* Nomine, idcircò Sex duntaxàt diſtinctis Nominibus indicantur. Vel fortaſsè Inſcriptio hæc Sepulchralis facta fuit antè Secundi *Matthæi* Epiſcopatum, qui, ut jam dictum eſt, Diem clauſit extremum Die 1 Septembris 1391.

V. ANNO 1504 Conventus iſte *Limericenſis* cum nonnullis alijs in *Hibernia* reformatus (*d*) fuit à Rmo Magiſtro Ordinis *Vicentio Bandello* de *Caſtro Novo*, Lombardo, Auctoritate tàm propriâ, quàm Apoſtolicâ *Julij* II, ut alibi narrabam (*e*). Fuitque cum Quatuor alijs erectus in Univerſitatem, ſeù Studium Generale, à Capitulo Generaliſſimo Anni 1644, cujus Verba ſuperiùs exſcripta habes (*f*).

LATIFUNDIA Cænobio huic olim annexa *Jacobo Geraldino*, Comiti *Deſmondio*, conceſſa fuere(*g*).

VI. UNICUS erat hujus Diæceſis *Limericenſis* Epiſcopus, ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, *Joannes* nempè *Quinus*, de quo alibi Sermo inſtituetur (*h*), ſicut & de *Terentio-Alberto O-Brien*, Cænobij iſtius Alumno, ad *Imelacenſem* evecto Epiſcopatum, atque Martyrij Lauream conſecuto; hujuſque in eadem Diæceſi Anteceſſore, *Jacobo O-Hurly* (*i*).

VII. ALIUS Conventûs iſtius Alumnus, P. *Jacobus Wolfæus*, Anno 1651, dùm *Limerici* ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium perageret, ab Hæreticis captus fuit, atque in Patibulo ſuſpenſus, ut ſuo Loco pleniùs opportuniùſque enarrabitur (*k*). Quibus ibidem additur P. *Jacobus Collins*.

PLURES inſuper alij fuere aut Martyrio, aut publicâ Virtutis Opinione clari, putà nonnulli Clerici poſthàc recenſendi (*l*); item *Thaddæus O-Cabaſy*, *Gulielmus Geraldinus*, & *Joannes Geraldinus*; inſuperque *Cornelius O-Heyn*, *Jacobus Arthur*, & *Nicolaus Roche*, de quibus alibi commodiùs (*m*).

HIS adde ex *Joanne O-Heyno* (*n*) *Thaddæum O-Heynum*, celebris *Cornelij O-Heyni*, mox laudati, Fratrem, “ qui ſtuduit *Romæ* in Collegio *S. Mariæ Super Minervam* docuitque longo Tempo-
“ re in noſtro Collegio *Ulyſſiponenſi*, & creatus S. Theologiæ Magiſter, fuit ibidem Rector. In
“ *Hiberniam* profectus ad quærendas Virgines induendas in Conventu noſtrarum Monialium in ea-
“ dem Urbe *Ulyſſiponenſi*, ubi mortuus eſt.” Hæc *O-Heynus* Anno 1706.

ADDE etiam, nec addiſſe pigebit, alium inſignem Virum, *Thomam* nempè *de Burgo*, S. Theologiæ Magiſtrum, in Capitulo Generaliſſimo *Romæ* 1644 renunciatum (*o*), poſtquàm per plures Annos *Lovanij* docuiſſet. “ Magni Talenti Vir fuit, ità ut *Lovanij* antonomaſticè *Thomiſta*, &
“ *Anti-Thomiſtarum Flagellum* diceretur.” (*p*). Obijt autem *Lovanij* haud longè poſt prælibatum Annum 1644.

ADDE demùm *Philippum Wolfæum*, Cænobij hujus ſæpenumerò Priorem. “ Erat enim (*q*)
“ Vir Deo, & Obſervantiæ Regularis maximè deditus. Prædicabat inceſſanter intrà & extrà Ci-
“ vitatem (*Limericenſem*) cum magno Fructu, eratque ingens Prædicator Roſarij. Studuit in
“ Belgio, & fuit inſignis Poeta.”

DENIQUE Tres fuere ex Cænobio hoc Provinciales *Hiberniæ*, ſcilicet *Jacobus O-Hurly*, *Terentius-Albertus O-Brien*, jam laudati, atque *Michael Hoare*, ut ſuo Loco dicetur (*r*).

VIII. DEMUM quod attinet ad Vicarialem quandam Domum, *Limericenſi* huic Conventui ſubditam, de ea nihil porsùs indagare potui, niſi quæ habet *O-Heynus* (*s*) noſter ajens, fuiſſe in Comitatu *Clarenſi*, Urbi *Limericenſi* contermino, Sacellum propè Oppidum, anglicè *Six-Mile-Bridge* (*t*), hibernicè *Abbuinn O-Gearna* (*u*) nuncupatum, ad *Limericenſes* ſpectans Dominicanos, ſed à Bello, circà Annum 1641 exorto, *non cultum vel habitatum*. Eram porrò iſtis in Partibus, immò memorato in Oppido, ſeù potiùs Vico, Anno 1754, ſed nullum iſtius Rei Veſtigium invenire valebam. Nundinæ autem, ut obiter dicam, ibi quotannis habentur Die 5 Maij.

IX. PATRES

(*d*) Recolendum Cap. iv. Num. xii. Pag. 79.

(*e*) Cap. iv. Num. x. Pag. 77.

(*f*) Cap. vi. Num. x. Sect. 7. Pag. 115.

(*g*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 277.

(*h*) Cap. xiii. Num. lv.

(*i*) Cap. xiii. Num. lxv, & lxvi.

(*k*) Cap. xvi. Num. xxx.

(*l*) Cap. xvi. Num. ii.

(*m*) Cap. xvi. Num. xxxvii, xxxviii, lxxxii, lxxxvii, xci.

(*n*) Pag. 16.

(*o*) Videſis Cap. vi. Num. x. Sect. 15. Pag. 116.

(*p*) Verba ſunt Magiſtri *Edmundi de Burgo* in Notis Marginalibus *O-Heyni*, Pag. 16.

(*q*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 16.

(*r*) Cap. xiv. Num. xii, xiii, & xxxiii.

(*s*) Pag. 22.

(*t*) Id eſt, *Pons* Limerico *ſexto Lapide* diſtans.

(*u*) Sic dicitur à Fluvio, cui Nomen *Gearna*, qui in *Shananum* currit. Cæterùm quamquàm ſic vocetur Occidentalis Pars Oppidi, ſeù Vici, Orientalis tamen *Evers-Town* à Domino Fundi appellatur.

IX. Patres Conventús hujus *Limericenſis* Anno 1756 ſunt, A. R. P. Magiſter Exprovincialis Fr. *Michael Hoare*, Prior, Ætatis Anno 51, Profeſſionis 33; A. R. P. Magiſter Fr. *Nicolaus Quinn*, Ætat. 41, Prof. 18 (*w*); R. P. Præſentatus Fr. *Petrus Mac-Mahon*, Ætat 45, Prof. 23; P. Fr. *Michael O-Loghlin*, Ætat. 54, Prof. 27; & P. Fr. *Dionyſius Cahil*, Ætat. 49, Prof. 23 (*x*).

§. VI.

De *Corcagienſi* Cænobio *S. Mariæ de Inſula*, in ejuſdem Nominis Agro *Momoniæ*.

Anno 1229.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Civitatis* Corcagiæ.

II. *Situs, & Fundatio Cænobij, atque totalis ipſius Vaſtatio. Veterum Latifundiorum Dominus. Nota de Nobili Fundatoris Familia* Barria.

III. *Sex in* Hibernia *fundati Conventus Ordinis Prædicatorum antè primum Ordinis Minorum.*

IV. Edmundus Mortimerus, *Comes* Merchiæ, & Ultoniæ, *Dominuſque* Conaciæ, Claræ, & Trimmæ (*à quo* Eduardus *IV*, *Rex* Angliæ, *Lineâ rectâ deſcendit*) *in Cænobio hoc defunctus, & tumulatus. Ibidem conſuetum præſtitit Juramentum* Joannes Colton, *Decanus* Dublinienſis, & *Magnus Regni Cancellarius, quà ipſius Succeſſor.*

V. *Conventus iſte* Corcagienſis *cum nonnullis alijs reformatus.*

VI. Corcagienſis, & Clonenſis *Diæceſum, quandoque unitarum, quandoque disjunctarum, Epiſcopi Dominicani Quatuor.*

VII. *Duo de Cænobio hoc* Hiberniæ *Provinciales, ac Quinque ſeù Martyriò, ſeù publicâ Virtutis Opinione clari. Quinque alij Conventùs ejuſdem Sodales eximij.*

VIII. *Sodales hujus Conventûs Anno* 1756.

I. CORCAGIA, hibernicè *Corcuigh*, anglicè *Corke*, nedùm *Corcagienſis* Agri omnium in *Hibernia* ampliſſimi (*a*), ſed & Univerſæ *Momoniæ* Caput (*b*) quibuſvis Regni Civitatibus poſt *Dublinium* Magnitudine, Commercio, Opulentiâque longè præcellens, Urbs eſt maritima, & Epiſcopalis ſub *Caſſelienſi* Metropoli (*c*), Mænium Ambitu, fermè ovali, concluſa, Flumine, cui Nomen *Lee*, circumfuſa, atque in Quinque Partes diviſa, nec proindè niſi per Pontes pervia, & una quaſi directâ Plateâ, Ponte junctâ, protenſa. Municipium (*d*) eſt, à Prætore cum Senatoribus, vulgò *Majore*, & *Aldermannis* (*e*) gubernatum: Titulumque præbet Comitis, Die 26 Octobris 1620 creati, qui nunc eſt *Richardus Boyle*, in *Anglia* Comes de *Burlington*. Nobiliſſimum quoque Emporium eſt, ibique celebres habentur Nundinæ bis in Anno, nempè Feria Secunda poſt Feſtum *SS. Trinitatis*, & Die 1 Octobris; habenturque Comitia Juridica, ſeù Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ* (*f*), vernali, & autumnali Temporibus. *Dublinio* diſtat Centum & Viginti Sex Milliariaribus; *Caſſeliâ*, Quadraginta Quatuor; *Limericô*, Quadraginta Tribus; *Galviâ*, Octoginta Sex; *Londino-Deriâ*, Centum & Nonaginta Quinque.

II. In una ex Quinque memoratis *Corcagiæ* Inſulis, juxtà Auſtralem Civitatis Partem, quam nunc Temporis *Croſs's Green* anglicè, id eſt, *Viretum* cujuſdam Cognomine *Croſs* (*g*), celebre fuit Fratrum Prædicatorum Cænobium (*h*) cum magnifica Eccleſia ſub Invocatione *S. Mariæ de Inſula*,

---

(*w*) Denatus *Corcagiæ*, Vicarius Provincialis *Momoniæ*, 13 Aprilis 1758.

(*x*) Defunctus *Limerici* Anno 1757.

(*a*) Adeas Cap. i. Num. xi. Pag. 15.

(*b*) Sic vulgò impræſentiarùm exiſtimatur ob Magnitudinem ejus, etſi antiquitùs *Limericum* Capitalis fuerit *Momoniæ* Civitas.

(*c*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 18.

(*d*) Legeſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Videſis §. i. hujus Capitis, Num. viii. Lit. k. Pag. 189.

(*f*) Legendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*g*) Ità *Smithæus* in *Deſcriptione Agri Corcagienſis*, Vol. I. Pag. 388, ubi affirmat eò Loci adfuiſſe Fratrum Prædicatorum Cænobium.

(*h*) Auctor Anonymus Catalogi pervetuſti Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. exſcripti; *Waræus*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi; *Alemandus*, Pag. 228; *O-Heynus*, Pag. 12; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 278.

Inſula, cujus Fundatorem Anno 1229 omnes, quotquot hiſce de Rebus ſcripſere, perhibent D. *Philippum Barrium*, ſeù *de Barry*, Comitum de *Barrymore* in Agro *Corcagienſi* Progenitorem (*i*), cujus Statua Equeſtris, ex Ære fabrefacta, in eadem pendebat Eccleſia, ut *Smithæus* (*k*) teſtatur. Aſt nullum hodiè, vel minimum, videre eſt ſivè Templi, ſivè Cænobij Veſtigium, ut poſt diligentem Loci Inſpectionem lugens deprehendi, ibi haud ſemel perſonaliter conſtitutus. Cæterùm Latifundia Conventui annexa *Gulielmo Boureman*, Armigero, conceſſa fuere (*l*).

III. Hic porrò non abs Re erit obiter obſervaſſe, quod & alibi (*m*) me obſervaſſe memini, Sex hucuſque tradita Cænobia Dominicana, *Dublinienſe* nimirùm, *Pontanenſe*, *Kilkennienſe*, *Waterfordienſe*, *Limericenſe*, & *Corcagienſe*, antè *Youghallenſe* Franciſcanum Cænobium, Seraphici Ordinis in *Hibernia* primum, fundata fuiſſe, ut ex non minùs docto, & accurato, quàm a Partium Studio alieno, celebri, inquàm *Waddingo* Minoritâ *Hiberno*, Annaliumque Ordinis Minorum Parente, ſuperiùs (*n*) laudato, Luce meridianâ clariùs patet.

IV. Anno 1420, Die 26 Decembris, *Edmundus Mortimerus* (alijs *Mortuamarius*) Comes *Merchiæ*, vernaculè *March*, in *Anglia* Septentrionali, Comes item *Ultoniæ*, Dominuſque *Conaciæ*, *Claræ*, & *Trimmæ*, in *Hibernia*, hujuſque Regni Prorex, Uxorem habens *Philippam*, Regis *Eduardi* III (*o*) ex Filio *Leonello* Neptem, Diem clauſit extremum in *Corcagienſi* hoc noſtro Cænobio, ut refert *Lodgæus* (*p*), qui cùm Sepulturæ Locum ſileat, & cùm aliàs laudatus *Edmundus*, Natione *Anglus*, nullum habuerit ſpecialem pro Familia ſua Tumulum, crediderim ejus Exuvias in Cænobij hujus Eccleſia humatas fuiſſe. A Nobiliſſimo Comite iſto *Eduardus* IV (*o*), Rex *Angliæ*, rectâ Lineâ deſcendit, ut ex alibi dictis claret (*q*).

Eodem Die 26 Decembris 1420 *Joannes Colton*, Decanus *Dublinienſis* Eccleſiæ *S. Patritij*, & Magnus *Hiberniæ* Cancellarius, conſuetum in hoc eodem Cænobio *Corcagienſi* præſtitit Juramentum quà Regni Juſtitiarius, ſeù Proregis Locum Tenens, ut refert *Waræus* (*r*).

V. Anno 1484 P. Magiſter *Mauritius Moral*, Provincialis *Hiberniæ*, Facultatem à Comitijs Generalibus, & Rmo P. *Bartholomæo de Comatijs*, Bononienſi, Magiſtro Ordinis in eiſdem electo,

---

(*i*) Nobiliſſima Familia hæc *de Barry* ſic cognominatur ab Inſula quadam Nomine *Barry* in *Cambria*, ſeù *Wallia*, ut ait *Camdenus* in Libro, cui Titulus *Britannia*. Alij verò apud *Lodgæum*, Vol. I. Pag. 192, ſentiunt eam ex *Normannia* Originem trahere, eo vel maximè quia ipſius Nomen legere eſt in Catalogo celebrium Virorum, qui *Normannorum* Ducem *Gulielmum*, poſteà *Anglorum* Regem, hujus Nominis Primum, *Conquæſtorem* vulgò nuncupatum, comitati ſunt Anno 1066. Sed quidquid ſit de hoc, à laudato *Philippo Barrio* rectâ Lineâ deſcendit *David Barrius*, creatus Comes de *Barrymore* à *Carolo* Primo Rege, Die 17 Julij 1627; atque ab iſto rectâ item Lineâ deſcendit *Jacobus Barrius*, quintus, & præſens Comes de *Barrymore*. Porrò *More* hibernicè ſignificat latinè *Magnum*, hinc *Barrymore* idem ſonat ac *Barrius Magnus*, Nomenclaturâ ab ampliſſimis Familiæ Latifundijs perductâ. De Nobili hac Gente, ejuſque quodam Progenitore, *Thomas Carve* in *Lyra Hibernica*, Pag. 47, hæc habet: "E Regione Freti *Kinſalienſis* (in "Agro Corcagienſi) Arx ſita eſt ſummæ Antiquitatis, quæ *Barrienſis* nuncupatur, cujus Proſapia "à *Roberto Barry*, Anglo Natione, Originem trahit, qui propter ſua præclara Merita, Celebritatem, ac Animoſitatem, electus inter primos Hiberniæ Victores, tumque ea in Occaſione gravi "Vulnere eſt ſanciatus Fuit hic primus, qui Accipitres in *Hibernia* cicuravit, atque venandi, "ſeù accipitrandi Uſui aſſuefecit, undè primordialis Accipitrarius in Hibernia extitit. Hujus Poſteritas, ob ſinceram erga Anglicam Coronam Fidelitatem, in liberos *Barrij* Barones evecta eſt, "dein Temporis Succeſſu in Vicecomites *Buttevant* elevata, tandem quoque Ratione ingentium "Divitiarum, Prædiorum, ac Poſſeſſionum, inter "Compatriotras Cognomen *Barrymore* acceperunt, "qui nunc Comites appellantur." Creatus autem fuit Baro *Barrius* de *Barry's Court* Anno 1490, Vicecomes de *Buttevant* Anno 1555, & Comes de *Barrymore* Anno, ut præfertur, 1627.

(*k*) Loco nuper, laudato.

(*l*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*m*) Cap. ii. Num. xii. Pag. 42.

(*n*) Ibidem.

(*o*) Confer Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*p*) Vol. IV. Pag. 366.

(*q*) Cap. iv. Num. xvi Pag. 84.

(*r*) De *Præſulibus Armacanis*. Iſte enim *Joannes Colton* fuit poſtmodùm Archiepiſcopus *Armacanus*.

to, impetravit, Conventum hunc cum alijs reformandi, ut ſuperiùs oſtenſum eſt (*s*). Quid autem *Reformationis* Vocabulo intelligatur in Ordine Prædicatorum, eadem Operâ explicabam.

VI. CORCAGIENSIS Diæceſis unicus erat Epiſcopus, Ordinis Prædicatorum Alumnus, *Philippus* nimirùm *de Slane* (Anno 1331), ſic dictus quia Patria *Slanenſis* in Agro *Midenſi*, Regis *Eduardi* II (*o*) ad *Joannem* Papam XXII Legatus, de quo infrà uberiùs dicetur (*t*).

PORRO *Corcagienſi* Epiſcopatui, ut obiter advertam, unitus fuit *Clonenſis* à *Martino* V, Pontifice Maximo, Anno 1430, ſicque unitæ permanſere Diæceſes uſque ad Annum 1678 apud *Proteſtantes*, apud Catholicos verò uſque ad Annum 1748, quo Summus Pontifex *Benedictus* XIV, diſtinctos in eis conſtituit Epiſcopos, etiamnùm viventes, Illuſtriſſimos nempè DD. *Richardum Walſh*, Corcagienſem, & *Joannem O-Brien*, Clonenſem Antiſtites. Cæterùm Diæceſis *Clonenſis* tres fuere Præſules Dominicani, *David* ſcilicet *Mac-Kellius*, *Alanus O-Sullivan*, & *Petrus Wall*, ut ſuis Locis narrabitur (*u*).

VII. CONVENTUS item hic duos dedit *Hiberniæ* Provinciales, *Conſtantinum* nempè *O-Cuiffe*, & *Joannem O-Brien*, de quibus alibi (*w*); necnon Quinque ſeù Martyrio, ſeù publicâ Virtutis Opinione claros, nimirùm *Richardum Barry*, *Æneam-Ambroſium O-Cahil*, *Euſtachium Maguer*, *Joannem Morrogh*, & *Jacobum Barrett*, inferiùs datâ Operâ laudandos (*x*).

Demùm *O-Heynus* noſter (*y*) alios memorat Cænobij hujus claros Alumnos in hunc Modum: “ R. P.
“ Fr. *Thomas Fitz-Gerald*, Vir ſimplex, pius, & zeloſus, ſerviebat Civibus *Corcagienſibus*, incedens
“ ſub larvato Veſtitu ruſticano, durante Dominio Uſurpatoris *Cromuelli* (*z*) piè quievit in Domino.

“ Pro eodem Conventu (*Corcagienſi*) profeſſus eſt *Lovanij* R. P. *Ludovicus O-Seannuidh*, anglicè
“ *Sinnicke*, Conſanguineus Magni Doctoris Lovanienſis *Sinnicke* (*a*), ſtuduit bene ibidem, eratque diligens
“ Quæſtor pro Conventu, & prudens Confeſſarius. Callebat optimè *Flandricam* Linguam, undè Miſſionem
“ fecit utiliter in *Hollandia* multo Tempore cum Fructu. Munitus piè Sacramentis obijt *Bredæ*
“ Anno 1700. Fuit pacificus, & maturus Prudentiâ.

“ R. P. Fr. *Joannes Regan* fuit ibidem (*Corcagiæ*) inſignis Annunciator Divini Verbi circà Annum
“ 1641, & ultrà.

“ R. A. P. Fr. *Gulielmus Barry* ſtuduit fructuosè in magno illo Conventu *Toloſano*, deindè docuit Philoſophiam
“ in Provincia *Franciæ*. Indè means in *Hiberniam*, prædicavit cum ſpeciali Applauſu hibernicè,
“ & anglicè in Patria. Fuit pluries Prior in ſua Provincia, factuſque eſt Prædicator Generalis ob gratioſam
“ concionandi Vim. Multa paſſus eſt in Perſecutionibus ſuſcitatis ab Anno 1680, & in Bello ultimo
“ ſub noſtro Magno, & Catholico Rege *Jacobo* uſque ad ejus Egreſſum ex Patria cum Catholico Exercitu
“ in Galliam (*b*). Factus *Lovanij* Prior in penurioſo Tempore, tàm providus inventus eſt Æconomus,
“ quod præterquàm aluiſſet ſatis magnam Communitatem cum quotidiè adventantibus ex *Hibernia* ob Exilium
“ Generale (*c*), reparari curavit Habitationem Fratrum minitantem tunc præ Vetuſtate proximum
“ Caſum Ædificij, & Refectorium pulchrum cum pari Culina ab imis Fundamentis erigi fecit. Prioratu
“ *Lovanienſi* finito cum Laude, factus eſt Prior in Conventu Reverendorum Patrum *Anglorum* noſtri Ordinis
“ *Bornhemiæ* (*in Belgio*), ubi pari Decore proceſſit uſque ad Finem ſui Officij. Eſt quidem placidus,
“ & bonus Religioſus, habitatque Valetudinarius in *Gallia* in Caſtro *Tyerienſi*, in Regali Xenodochio.”
“ Pie autem obijt poſt Annum 1706.

“ R. P. Fr. *Petrus O-Garavain* ſtuduit *Ulyſſipone*, ibique docuit Philoſophiam, & redux in Patriam
“ factus eſt Prior *Corcagienſis*, ſed captâ Urbe ab Hoſte (*b*), ille redivit in *Luſitaniam*, gratus equidem
“ Religioſus.” Docuit poſtmodùm Theologiam in Collegio noſtro *Ulyſſiponenſi*, ejuſdem fuit Rector, ibidem piè defunctus poſt Annum 1706.

VIII. Sodales hujus Conventûs Anno 1756 ſunt, A. R. P. Magiſter Fr. *Albertus O-Brien*, Prior, Ætatis Anno 55, Profeſſionis 32; (*d*) A. R. P. Magiſter Fr. *Dominicus Morrogh*, Ætat.

(*s*) Cap. iv. Num. vi, & ix. Pag. 73, & 76.

(*t*) Cap. xiii. Num. xvii.

(*u*) Cap. xiii. Num. i, iii, & lx.

(*w*) Cap. xiv. Num. xviii, & xxix.

(*x*) Cap. xvi. Num. xix, xxviii, lxiii, cv, & cxviii.

(*y*) Pag. 53.

(*z*) Adeas Cap. xvii. Num. lxxxii.

(*a*) Natione Hibernus fuit, Sæculo Superiori in Academia *Lovanienſi* florens.

(*b*) Videſis Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*c*) Conſulendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154

(*d*) Paſtor *Corcagiæ* Auſtralis ab Anno 1760.

Ætat. 52, Prof. 25 (*e*); R. P. Fr. *Nicolaus Walſh*, Paſtor Ætat. 50, Prof. 27 (*f*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Dominicus Mac-Craith*; Ætat. 38, Prof. 16; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Ludovicus Walſh*, Ætat. 36, Prof. 15.

§. VII.

De *Molingarenſi* Cænobio *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Midenſi Occidentali* Comitatu *Lageniæ*,

Anno 1237.

SUMMARIUM.

I. Midenſis *Comitatus in* Orientalem, & Occidentalem *bipartitus. Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi, ſeù potiùs Pagi, aut Manerij* Molingaræ.

II. *Fundatio Cænobij, & Diſſertatiuncula de Fundatore. Nonnihil in Notis de* Pettitorum, & Nugentorum *Proſapijs.*

III. *Plura in pergrandi hoc Cænobio, priſcis etiam Temporibus, habita* Hiberniæ Dominicanæ *Capitula. An verè fuerint Provincialia? Diſcutitur.*

IV. *Rudera Cænobij, & Latifundij Poſſeſſor.*

V. Clonmacnoiſenſes *Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum duo, unuſque* Kildarenſis, *Conventûs hujus Alumnus. Alij inſignes Conventûs hujus Sodales.*

VI. *Alii demùm ex* O-Heyno, *unuſque ex Memoria Auctoris, recenſentur.*

VII. *Alumni Conventûs iſtius Anno* 1756.

I. CONSTAT ex pridem dictis (*a*), *Midenſem* in *Lagenia* Comitatum (olim Regnum in ſe, & quintam *Hiberniæ* Partem) bipartitum fuiſſe, utpotè nimis extenſum, Anno 1543, in *Midenſem Orientalem* (*Midenſem* ſine Addito paſſim appellatum) & *Midenſem Occidentalem*. Prioris Caput eſt *Trimma*, de qua inferius Sermo erit (*b*). Poſterioris verò Oppidum (*c*) Capitale eſt *Molingara*, Hibernicè *Muliongear*, Anglicè *Molingare*, vel, ut modernis placet, *Mullingar*, in Diæceſi *Midenſi*, ſub Archiepiſcopo *Armacano* (*d*). Municipium (*e*) eſt, in eoque Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*e*), ſingulis Semeſtribus pro memorato Comitatu ſedent. Emporium quoque eſt, ubi Nundinæ quater in Anno habentur, Diebus ſcilicet 6 Aprilis, 5 Julij, 29 Auguſti, & 11 Novembris. Porrò diſtat *Dubliniô* Triginta Septem Milliaribus; *Trimmâ*, Octodecim; *Athloniâ*, Regni veluti *Umbilicô* in *Lageniæ Conaciæque* Confinijs, Viginti Tribus; *Ardbracanâ* (*f*), Sede Epiſcopali, Viginti Duobus; *Armacâ*, Quinquaginta Tribus; *Londino Deriâ*, Nonaginta; *Corcagiâ*, Centum & Decem; *Galwiâ* Sexaginta Quinque.

II. IN Auſtrali Occidentali hujus Oppidi Parte ſpectabilis fuit Fratrum Prædicatorum Conventus, *introductus*, ut loquitur Eques *Waræus* (*g*), *Anno* 1237. Aſt nullum iſtius nominat Fundatorem, quem tamen noſter *O-Heynus* (*h*), vulgari fretus Traditione, autumat fuiſſe aliquem ex prænobili Gente de *Pettit* (*i*), quæ poſt *Anglorum* in *Hiberniam* Adventum *Molingaræ* Feudum conſecuta eſt. Ex prælibata etiam Familia *Barones* fuere *Molingaræ*, merè tamen

---

(*e*) Vicarius Provincialis *Momoniæ* ab Anno 1757, inſimulque poſteà Prior Conventualis.

(*f*) Denatus Anno 1760.

(*a*) Cap. i. Num. x. Pag. 13. Confer etiam §. xvii. hujus Capitis, Num. i.

(*b*) Cap. præſ. §. xvii. Num. i.

(*c*) Rigoroſè loquendo, juxtà Regij Diplomatis Tenorem, *Molingara* Prædium duntaxàt eſt, ſive Pagus, in prælibato Diplomate dictum *Manerium*, Anglicè *Manor*, ſic namque conſtitutum fuit a *Carolo* Rege, hujus Nominis Secundo, Die 9 Martij 1674, Teſte *Lodgæo*, Vol. I. Pag. 380. Lit. b. Idemque vel ex ipſis liquet *Almanachis*, ut vocant, & ex Appendice ad *Waræi* Opera, Pag. mihi 164, ubi Viri Parlamentarij *Domûs Communium* à Comitatibus, Civitatibus, Oppidis, Burgis, &c, per Regia Diplomata Sociatis, ſeû incorporatis, ut loquuntur, electi Tempore Reginæ *Annæ*, recenſentur.

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 16; & Cap. iv. Num. xviii. Lit. a. Pag. 86.

(*e*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*f*) Confer Cap. præſ. §. xxx. Num. i.

(*g*) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 168.

(*h*) Pag. 9.

(*i*) Sic vulgò *Angli* ſcribunt, rectiùs autem, & originaliter *Petit*, quæ vox Gallica eſt *Parvum* ſignificata men Titulares, non autem Honoris Titulum (Anglicè *My Lord*), multò minus Gradum, Locumve habentes in Parlamento (*k*) inter Proceres, ſeû Pares Regni. Aſt vulgaris iſta Traditio confundere videtur, ut & ipſemet innuit *O-Heynus*, Conventum hunc cum Canonicorum Regularium Prioratu, quem *Molingaræ* fundavit *Radulphus Parvus*, *aliâs Petit*, *Epiſcopus Midenſis circâ Annum* 1227 (*l*). Quocircà utroque Pollice ſubſcribo Sententiæ *Alemandi* (*m*), rotundis Verbis affirmantis, Cænobium iſtud extructum fuiſſe a Clariſſima Familia de *Nugent*, (*n*), in hoc *Hiberniæ* Regno à primis *Hiberno-Anglorum* Temporibus ſtabilitâ, non minus præpotente, quàm opulentâ.

III. PERGRANDE fuiſſe Cænobium hoc vel ex eo liquet, quod priſcis etiam Temporibus celebrata fuerint in eo Capitula, Annis nempè 1278, 1292, 1308, & 1310, Teſte *Waræo*. Ex quo tamen malè infert *O Heynus* fuiſſe tunc *Hiberniam* ſpecialem Ordinis Provinciam, minimè perpendens Verba memorati *Waræi*, ajentis ſolummodò *ibi habita fuiſſe Capitula illius Ordinis.* Quippè non dicit, Capitula hæc fuiſſe *Provincialia*, neque Provincialia reapsè fuerunt, ut Luce meridianâ clarius patet ex pridem dictis (*p*), ubi oſtendebam, ijs in Capitulis, ſeù Congregationibus, Tres eligi ſolitos fuiſſe ad regendum idoneos, quorum quempiam Provincialis *Angliæ* pro Arbitrio ſuo Vicarium conſtituebat Nationis (*q*) *Hiberniæ*, quam Praxim Statuta Veneralibus Patris *Berengarij de Landorra*, Magiſtri Generalis, in Comitijs *Londinenſibus* facta, & à *Bonifacio* IX, Summo Pontifice, Apoſtolicæ Poteſtatis Munimine firmata, recenſuerunt, & comprobarunt.

IV. NIHIL Cænobij hujus, aut Templi impræſentariùm extat, ut Anno 1755 vidi, præter Turris campanariæ Partem, & nunnulla Rudera. Latifundium autem ijſdem annexum dudùm conceſſum fuit *Richardo Tuite*, Equiti Aurato (*r*), dein Die 2 Aprilis 1661 *Arthuro Forbes*, Comiti de *Granard*, (*s*), in Agro *Longofordienſi*, à *Carolo* II, paulò antè Regnis ſuis reſtituto. Ejuſdem *Arthuri* ex Filio Nepos, *Georgius Forbes*, Comes item *Granardiæ*, prælibati Latifundi actualis eſt Poſſeſſor, ut ibidem accepi (*t*).

CÆTERUM

---

ficans, ut vel ex mox dicendis in Textu clarebit. Porrò Familia hæc ex *Gallia* in *Angliam* advenit Tempore Expugnationis *Normannicæ* Anno 1066, & ex *Anglia* in *Hiberniam* ſub *Henrico* Rege, hujus Nominis Secundo, Anno 1172.

(*k*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii, & Cap. præſ. §. xvii. Num. iii. Lit. x.

(*l*) Verba ſunt *Waræi*, de *Antiquitatibus Hibernicis* Cap. xxvi. Pag. 168.

(*m*) Pag. 220.

(*n*) *Nugent*, ſeù ut Antiqui ſcribebant, *Nogent*, compoſita eſt Vox, per Syncopen abbreviata, quæ Gallice *Nouvelle Gent*, Latine *Novam Gentem* ſignificat. Præclara autem Domus iſta ex *Normannia* in *Angliam* cum *Gulielmo* Conquæſtore Anno 1066, & ex *Anglia* in *Hiberniam*, *Henrico* II Rege, ſeù potiùs *Joanne* memorati *Henrici* Filio Adoleſcentiore, Domino *Hiberniæ*, advenit circa Annum 1181 in Perſona *Giberti de Nogent*, ſeù *Nugent*, Equitis Aurati, qui confeſtìm adeptus eſt Baroniam de *Delvin* in hodierno Comitatu *Midenſi Occidentali*, ex qua Baronis Titulum honorariumque Gradum obtinuit *Jacobus Nugent* cum Jure Suffragij inter Magnates, ſeù Pares Regni, Anno 1486. A memorato *Jacobo* rectâ Lineâ deſcendens *Richardus Nugent*, Nonus Baro *Delvinæ*, creatus eſt Comes *Midiæ Occidentalis* à *Jacobo* I Rege, Die 4 Septembris 1621. Hujuſce ex Filio *Chriſtophoro* Nepos, alter nempè *Richardus Nugent*, Comes item *Midiæ Occidentalis*, Sex genuit Filios, quorum ſecundogenitus, cui Nomen *Thomas*, primùm doctiſſimus Juriſconſultus, atque Curiæ *Banci Regis* Judex Capitalis, creatus fuit Baro de *Riverſton* in eodem Comitatu, à *Jacobo* II Rege Annno 1689. Primogenitus verò, Nomine *Chriſtophorus*, tertius *Midiæ Occidentalis* Comes, ex *Maria*, Chiliarchæ *Richardi Butler* de *Kilcaſh* (qui Frater erat Primi Ducis *Ormondij*) Filia, ſuſcepit *Richardum*, qui Sæculo huic Nuncium remittens, Capucinorum Ordinem amplexus eſt, & *Thomam*, poſt hujus Obitum, & non anteà, Comitem *Midenſem Occidentalem* Quartum, quem nuperis hiſce Annis perſonaliter novi, catholicâ Religione clarum. Nobiliſſima hæc Stirps in plures alios expanſa eſt illuſtres Ramos, *Nugentos* nempè de *Drumcree*, de *Dyſert*, de *Donover*, de *Carlanſtown*, de *Coolamber*, de *Roſſe* &c, adhuc in *Hibernia* florentes.

(*o*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 168.

(*p*) Cap. iii. Num. iii, & ſeqq à Pag. 48.

(*q*) *Hibernia*, & *Scotia*, tunc Temporis, Partes erant Nationales Provinciæ *Angliæ*, ut liquet ex ſuperiùs dictis Cap. iii. Num. ii. Pag. 48.

(*r*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276.

(*s*) *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 380. Lit. b.

(*t*) *Molinganenſe* Cænobium hoc memorant Anonymus Scriptor in vetuſto Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo, quem Cap. ii. Num. vi. Pag. 38 exſcriptum habes; *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 168; *Porterus*, Pag. 215; *O-Heynus*, Pag. 9; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii; & *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276.

CÆTERUM Patres aliquot Ordinis noſtri *Molingaræ* habitant, Vineam Domini excolentes, Conventuique ſuo annexam impræſentiarùm Parochiam habentes.

V. DIÆCESIS *Midenſis*, intrá cujus Fines extat *Molingara*, Epiſcopos *Dominicanos* opportuniùs recenſebo cùm de *Trimmenſi* Cænobio in ipſomet Agro Midenſi, ſimpliciter ſic dicto, Sermonem fecero (*u*). Cæterùm conterminæ *Clomacnoiſenſis* Diæceſis, *Septem Eccleſiarum* vulgò nuncupatæ, (cujus potior Pars in Diſtrictu eſt Conventûs hujus *Molingarenſis*), duo fuere Antiſtites Ordinis Prædicatorum Alumni, quidam ſcilicet Nomine *Henricus*, Sæculo Eccleſiæ Decimoquarto, & nuperis Annìs *Stephanus Mac-Egan*, tranſlatus poſteà ad *Midenſem* Epiſcopatum cum prioris Adminiſtratione.

INSUPER ipſiuſmet *Molingarenſis* Cænobij Sodalis erat *Rochus Mac-Geoghegan*, dictus *à Cruce*, Epiſcopus *Darenſis*, vernaculè *Kildare*, anteà *Hiberniæ* Provincialis, de quibus infrà ſigillatim diſſeretur (*w*). Atque Tres alij ejuſdem hujus Conventus Sodales, aut Martyrio, aut publicâ Virtutis Opinione clari, *Arthurus* ſcilicet *Mac-Geoghegan*; *Rochus Mac-Geoghehan*, mox laudatus; ac *Geraldus Dillon*, datà Operâ ſuis reſpectivè Locis recenſebuntur (*x*). Ut nihil dicam de *Georgio Nangle*, alibi quoque memorando (*y*).

VI. ALIOS celebres Conventûs hujus Filios memorat *O-Heynus* noſter (*z*) his Verbis.

"R. A. P. Magiſter Fr. *Mauritius Tyrell* fuit Definitor in Capitulo Generali celebrato *Romæ* ſub Re-
" verendiſſimo Patre Magiſtro Generali Fr. *Joanne Baptiſta de Marinis*," Anno 1650 (*a*).

"R. P. Fr. *Dominicus Nugent* fuit Rector ad Caſtrum Cæſaris *Lovanij*, ubi tunc habitabant noſtri
" Anno 1633" (*b*).

"R. A. P. Magiſter Fr. *Joannes Dillon* ſtuduit partìm in Conventu *S. Maximini* in *Gallia*, partìm
" *Romæ* ad *S. Sixtum*, ubi docuit Philoſophiam, ac Theologiam. In Patria fuit Prior *Trimmenſis*, &
" victo Regno (*c*) transfretavit cum Exercitu, cui inſervierat Septennio ut Sacellanus diligens. Indè fac-
" tus Regens Primarius *Lovanij*, dein S. Theologiæ Magiſter, tandem Prior, eo in Munere conſumpſit
" Triennium cum Cura vigilànti, ornans Templum, & perficiens Fabricam Clauſtri &c." Fuit poſtmodúm Prior geminati Cænobij noſtri Romani *SS. Sixti & Clementis* ab Anno 1707 ad 1710. Tandem in *Hiberniam* regreſſus, piè obijt circà Annum 1716.

IPSE autem prætermittere nequeo Venerabilem Virùm, à quo Habitu Ordinis indutus ſum *Romæ* Anno 1724 (*d*), nempè A. R. P. Magiſtrum Fr. *Jacobum Geraldinum*, qui poſt exactum in Cænobio hoc *Molingarenſi* Tyrocinium, Studia peregit partìm apud *SS. Sixtum & Clementem* de Urbe, partimque in Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ*, ubi etiam in Seminario *Caglienſi* tàm Philoſophiam quàm Theologiam perlegit, prælibatæ Diæceſeos Epiſcopi Theologus, Conventûſque noſtri in eadem Ducatûs *Urbinatenſis* Ditionis Pontificiæ Civitate haud ſemel Prior. Fuit inſuper Prior Conventùs memorati *SS. Sixti & Clementis* ab Anno 1723 ad 1726, inſimulque Studiorum Regens Primarius. Reverſus *Caglium*, eò Loci moratus eſt ad Annum uſque 1740, quo denuò electus fuit Prior *SS. Sixti & Clementis*, continuatus poſtmodùm ad 1746. Tandem Senio fractus, & Cælo, ut ſperatur, maturus, Diem clauſit extremum Spectabilis Pater apud *S. Sixtum* Anno Jubilæi 1750.

VII. Alumni Conventús iſtius Anno 1756, ſunt R. P. Prædicator Generalis Fr. *Laurentius Geraldinus*, Prior, Ætatis Anno 36, Profeſſionis 16; A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas Hope*, Paſtor, Ætat. 47, Prof. 22. (*e*); R. P. *Ambroſius Higgins*, Paſtor, Ætat. 71, Prof 42: R. P. Prædicator Generalis Fr. *Jacobus Barnewall*, Paſtor, Ætat. 54, Prof. 37; P. Fr. *Thomas Dalton*, Ætat. 32, Prof. 15 (*f*); Fr. *Patritius Mac-Donagh*, Converſus, ſeù Laicus, Ætat. 40, Prof. 5.

(*u*) §. xvii. Cap. præſ. Num. v.

(*w*) Cap. xiii. Num. xiv, lxiv, & lxxv.

(*x*) Cap. xvi. Num. v, ix, & lxxxvi.

(*y*) Cap. xii. §. i. Num. iii.

(*z*) Pag. 9, & ſeq.

(*a*) Plura de eo Cap. vi. Num. xii. Pag. 117.

(*b*) Videſis Cap. xii. §. iii. Num. ii.

(*c*) Recolendum Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*d*) Confer Cap. xv. Num. xxxiv.

(*e*) Anno 1757, præviè habito Conſenſu Patrum Conventûs *Dublinienſis*, Facultatem impretavit à Rmo Magiſtro Ordinis ſe transfiliandi à Conventu *Molingarenſi* ad prælibatum *Dublinienſem*, diſpenſante in Termino *à quo*.

(*f*) Ab Anno 1758 eſt Capellanus Monialium noſtrarum *Dublinienſium*.

§. VIII.

De *Athenrienſi* Cænobio *SS. Petri & Pauli* (*a*), In *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*, Anno 1241. Atque

De *Kilcorbanienſi* Vicariali Domo *SS. Roſarij*, in eodem Comitatu, Anno 1444.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi* Athenriæ.

II. *Fundatio Cænobij, & Encomia Fundatoris, ibidem tumulati. Plurima inſuper aliorum Sepulchra, nominatim* Gulielmi Berminghami, *Archiepiſcopi* Tuamenſis. *Nota de Nobiliſſima Gente* Berminghama.

III. *Recenſentur Familiæ, quarum Exuviæ in Cænobij hujus Eccleſia jacent. Nonnulla in Notis de Familijs iſtis. Epiſcopi* Duacenſes *Quatuor, unuſque* Clonfertenſis, *ibidem humati.*

IV. *Referuntur Obitus Defunctorum Gentis* de Burgo *ex Inſtrumento quodam authentico. Plura in Notis de prælibata Gente.*

V. *Continuatio eorundem. Quamplurimæ Notæ uberes.*

VI. *Proſecutio eorundem uſque ad Finem. Nonnullæ item Notæ ſignanter de* Thoma O-Kelly, *Epiſcopo* Clonfertenſi, *hic ſepulto, deque Succeſſore ejus,* Italo *quodam, Nomine* Joanne, *hic conſecrato, poſtmodùm Archiepiſcopo* Beneventano.

VII. *Teſtimonium de veritate Copiæ, ex Monumentis Authenticis depromptæ.*

VIII. *Aliud Inſtrumentum circà antiquam quandam Inſcriptionem ſuprà Portam Refectorij. Nonnullis ſatisfit Difficultatibus in Notis, præſertim de* Carolo Manus Rubræ. *Obiter de* S. Cataldo *Epiſcopo* Tarentino, *ejuſque Prophetia, Anno* 1492, *ut fertur, apud* Tarentum *inventâ.*

IX. *Antè Annum* 1256 *Aula Scholaſtica ab Archiepiſcopo* Tuamenſi, Florentio Mac-Flin, *extructa. Anno* 1400, *Indulgentiæ à* Bonifacio IX *conceſſæ viſitantibus Ædes ſacras præſcriptis quibuſdam Diebus pro perpetuis futuris Temporibus.*

X. *Anno* 1423, *aliæ Indulgentiæ pro alijs Diebus à* Martino V *conceſſæ, ad Effectum reparandi Eccleſiam, Domumque Conventualem, caſuali Ignis Incendio combuſtas.*

XI. *Anno* 1427, *Fratribus* Athenrienſibus *Facultas à* Martino V. *conceſſa Duos fundandi Conventus in* Hibernia. *Nota de tribus Epiſcopis* Rapotenſibus, *præſertim* Bonaventura O-Gallagher, *Ordinis Minorum, nuper defuncto.*

XII. *Veriſimile eſt, duos iſtos Conventus fuiſſe* Tombeolenſem, & Ballindunenſem.

XIII. *Anno* 1445, Martiniana *Conſtitutio circà Indulgentias ab* Eugenio IV *innovata.*

XIV. *Bona immobilia ad Cænobium hoc priſcis Temporis ſpectantia.*

XV. *Anno* 1644, *Conventus iſte in Univerſitatem erectus. Plura in eo habita Comitia Provincialia.*

XVI. *Quinam Latifundiorum hujus Cænobij Poſſeſſores? Locus Refugij in quo Fratres conventualiter cum Decore Ordinis habitant. Ab Anno* 1751 *nulli Regulares Novitios recipiunt in* Hibernia.

XVII. Tuamenſes *Archipræſules Dominicani. Antiſtites Cænobij hujus Alumni.*

XVIII. *Conventus iſte* Hiberniæ *Quatuor dedit Provinciales, totidemque protulit Scriptores, ac Septemdecim aut Martyrium paſſos, aut publicà Virtutis Opinione claros.*

XIX. *De Vicariali Domo* Kilcorbanienſi.

XX. *Sodales hujus Conventûs Anno* 1756.

I. ATHENRIA, Hibernicè *Athnari*, vel *Athneree*, rectiùs *Aitanri* (id eſt, Locus Regis) Anglicè *Athenry*, vel, ut alijs pacet, *Athunry* (*b*), olim pulchra erat Civitas, Mœnijs á *Joanne*,

---

[a] Talis eſt Cænobij hujus Invocatio ut ex protinùs afferendo Diplomate *Bonifaciano* [Num. ix.] Luce meridianâ clarius patebit. Non me latet, *S. Dominici* Abbatiam [adeas Cap. præs. §. ii. Num. iii. Lit. u.] vulgò nuncupari id Cænobium, quod tamen minimè officit, ſiquidem nedùm in *Hibernia*, ſed & in alijs Regionibus, ſi unicum adſit Fratrum Prædicatorum in Civitate aliqua Cænobium, id *Conventum S. Dominici* Vulgus appellat, tametſi Eccleſia alieno Sancto ſit nuncupata.

[b] Modernus Baro ſe ſcribit *Athenry*, ipſius autem Pater, mihi probè notus, ſcribebat *Athunry*, Avus verò *Athanry*.

à *Joanne* Rege in *Hibernia* conſtituto Anno 1211 conſtructis (quorum Ambitus Viginti Unum Jugera (*e*) continet) circumducta. Nunc autem ſi Domorum, & Incolarum Numerum ſpectes, Oppidulum eſt duntaxàt, *Baroniæ* tamen ejuſdem Nominis Caput, in Agro *Galvienſi*, & Archidiæceſi *Tuamenſi*. Cæterùm Municipij (*d*) Jura, & Privilegia Sarta tecta adhuc ſervat, eſtque Oppidum Sociatum, ſeù *Corporatum*, ut vulgò loquimur, cujus Supremus Magiſtratus vocatur Anglicè *Portrive*. Mænia etiam undequaque integra cum binis Portis extant, eſtque Aura illius ſaluberrima, tabidis præſertim & phtiſicis. Titulum præbet Baronis, qui impræſentiarum eſt *Thomas Berminghamus*, inter Barones *Hiberniæ* Primarius, à Fundatore Cænobij mox memorandi deſcendens. Emporium quoque eſt ſat commodum, ibique habentur ter in Anno Nundinæ, Diebus ſcilicet 5 Maij, 4 Julij, & 28 Octobris. *Dubliniô*, Octoginta Tribus; *Galviâ*, Duodecim; *Tuamâ*, Sexdecim; *Corcagiâ*, Octoginta; *Londino-Derriâ*, Centum & Duodecim Milliaribus diſtat.

II. Intrà *Athenrienſes* Muros ſplendidum fuit Cænobium Ordinis Fratrum Prædicatorum (*e*), quod cum ſua Eccleſia, SS. Apoſtolis *Petro & Paulo*, ut præfertur, ſacrâ, munificè extruxit Anno 1241 *Milo de Bermingham*, hibernicè *Mac-Horais* (*f*), Secundus *Athenriæ Baro*, Filius utpote *Pierij de Bermingham* (*g*), iſto Honoris Titulo Graduque à prælibato Rege *Joanne* decorati, qui ut fert præclaræ hujus Familiæ Traditio, alibi memorata (*h*), Literas à Sancto Patriarcha *Dominico* receperat, quarum Intuitu laudatus ipſius Filius *Milo*, datâ poſt Bellorum Tumultus, quibus *Hibernia* eo Ævo magnoperè affligebatur, Opportunitate, Fundationem hanc immenſis Sumptibus molitus eſt. Porrò " obijt is (*Milo*) in *Momonia*, non procul à *Caſſelia*, undè Corpus *Athenriam* " depor-

---

(*c*) Recolendum Cap. i. Num. xi. Lit. i. Pag. 14.

(*d*) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Anonymus Scriptor pervetuſti Catalogi, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. allati; *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 215; *Alemandus*, Pag. 224; *O-Heynus*, Pag. 29; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 227; & *Lodgæus*, Vol. IV. Pag. 3.

(*f*) Cur Hibernicum Domûs hujus Cognomen ſit *Mac-Horais*, opportuniùs declarabitur §. xiv. hujus Capitis, Num. iii, dum Sermo erit de *Stradenſis* Cænobij Fundatore, cui primævum Cognomen *de Exonia*, hibernicum verò *Mac-Jordan*.

(*g*) Verè nobilis verèque antiqua Stirps hac, primitùs *Anglicana*, Cognomen ſumpſit ab inſigni Oppido de *Bermingham*, alijs *Birmingham*, vel, ut paſſim pronunciatur, *Brimidgham* (ubi ipſe verſabar) in *Warwicenſi* Comitatu *Angliæ*, cujus Dominium tenuit *Gulielmus de Bermingham* ſub *Henrico* Rege hujus nominis Secundo. Memorati *Gulielmi* Filius, Nomine *Pierius*, alterum genuit *Gulielmum de Bermingham*, qui *Richardum de Clare*, *Pembrochiæ*, in *Cambria*, ſeù *Wallia*, Comitem, *Strongbow* (confer §. iii. hujus Capitis, Num. ii) vulgò nuncupatum, in *Hiberniam* cum multis alijs Viris Nobilibus, & Equeſtribus, ab *Henrico* II præfato miſſis, comitatus eſt Anno 1169. Hujus *Gulielmi* ex *Roberto* Filio Nepos, cui Nomen *Pierius*, in Textu mox recenſitus, á *Joanne* Rege antè Annum 1216 accerſitus fuit ad Superiorem Parlamenti Domum (recole Cap. i. Num. xxii.) cum Jure Suffragij inter Pares Regni *Hiberniæ*, quod Jus, cum Honoris Gradu, à laudato *Pierio* deſcendentes impræternaiſsè conſervarunt uſque in hodiernum Diem, itá ut Caput nunc præclaræ iſtius Familiæ, *Thomas de Bermingham*, Vigeſimus Secundus ſit *Athenrienſis* Baro; eſtque Primoris, ſeù Primarius inter omnes *Hiberniæ* Barones, immò antiquior eſt Primore Barone *Angliæ*, nimirùm *Nevel* de *Abergavenny*, Anno duntaxàt 1295 creato. Neque prætereundum eſt, *Joannem Berminghamum*, Filium ſecundogenitum *Pierij* (Filij *Milonis* Fundatoris Cænobij *Athenrienſis*, de quo impræſentiarùm ſit Sermo) Tertij *Athenriæ* Baronis, ob præclara in Bello contrà *Eduardum Bruſſum*, Regis *Scotorum Roberti Bruſſi*, Fratrem, *Hiberniæ* Invaſorem, Facinora, præſertìm memorati *Eduardi* Occiſionem propè *Dundalkam* in Agro *Louthano*, creatum fuiſſe Comitem *Louthanum*, & Baronem de *Atrio Dei*, vernaculè *Atherdee*, & per Syncopen *Ardee*, in eodem Agro, ab *Eduardo* II, *Anglorum* Rege, *Hibernorumque* Domino, Anno 1319. Sed cùm obierit, nullam poſt ſe relinquens Prolem maſculinam, Honorarij iſti Tituli, Gradusque extincti ſunt. Primus autem eorum nuperrimè ſuſcitatus fuit in mox laudato *Thoma Berminghamo*, qui creatus fuit Comes *Louthanus* Anno 1759. Neque etiam prætereunda ſunt *Thomæ Carvei*, in *Annalibus Hiberniæ*, Pag, 223, ad Annum 1349, Verba hæc: " *Waltherus Berminghamus*, Hiber-
" niæ Prorex, qui præ omnibus alijs, ob administra-
" tam Æquitatem à Regni Subditis *Homo juſtus* vo-
" cabatur, Muneri ſuo ceſſit, reſignavitque." Plura alia de *Berminghama* Progenie legere eſt apud *Lodgæum*, Vol. IV, à Pag. 11 ad 202. Brevi item videbis [Num. ſeq.] *Gulielmum de Bermingham*, Fundatoris *Milonis* Filium, *Tuamenſem* Archiepiſcopum, in Cænobio hoc tumulatum.

(*h*) Cap. iii. Num. x. Pag. 10.

“ deportatum, ibi in Eccleſia dictorum Fratrum (*Prædicatorum*) tumulatum eſt. In eâdem Ec-
“ cleſia plura ſunt etiam Sepulchra Epiſcoporum *Duacenſium*, & aliorum. Sed memorandum im-
“ primis illud *Gulielmi Berminghami*, Archiepiſcopi *Tuamenſis*, Filij (ſecundogeniti) dicti *Milonis*,
“ Parieti inditum ab aquilonare Parte Summi Altaris.” Verba ſunt Equitis *Waræi* (*i*), ex quibus nullo Negotio intelliges, plurium fuiſſe in Templo hoc Sepulchra. Atque in ijs plurium melioris Notæ Familiarium defuncti tumulantur uſque in hodiernum Diem.

III. Quia huc flectit Oratio, opportunum erit, eas hic Loci recenſere Familias, quarum Exuviæ in *Athenrienſi* iſtâ Fratrum Prædicatorum Eccleſiâ jacent, prout accepi partìm ex Inſpectione Sepulchralium Inſcriptionum à me perſonaliter factâ, partìmque ex fida Patriæ Traditione, integrè autem ex Codice M. S, quem, ut lætabundus vidi, Patres illius Conventus, nunc in propinquo Loco Refugij religiosè reſidentes, ſedulò apud ſe, raro modernorum *Hibernorum* Exemplo (*k*), aſſervant.

Tales igitur ſunt imprimis *Burgi*, ſeù *Burgiades*, ſeù *Burkei* (*l*), Comites *Clanrickardiæ*, atque Rami ab eis deſcendentes. *Berminghami*, Barones *Athenriæ*, Cænobij, ut præfertur, Fundatores. *Burgi* de *Kilcornan* (*m*), qui jam proximiores ſunt Hæredes Tituli Gradûſque Comitis *Clanrickardiæ*, Caſu quo ſenior nunc *florens* Ramus intereat. Eques *Joannes de Burgo* de *Derrymaclaghtna* (*n*). *Burgi* de *Mac-Henry* (id eſt, deſcendentes ab *Henrico*) de *Gortnamacken*. *Burgi* de *Greg-Mulgrene*. *Burgi* de *Mac-Hubert* (id eſt, deſcendentes ab *Huberto* de *Iſerkeally*. (*o*). *Burgi* de *Clocroka* (*p*). *Burgi* de *Cahir-Cinvonvey* (*q*) *Burgi* de *Cahir-Forvas* (*r*). *Burgi* de *Iſercleran*, de *Forcebeill*, de *Maree* ſeù *Mary*, de *Oranmore*, de *Mac-Walters* (id eſt deſcendentes à *Waltero*, ſeù *Gualtero*) de *Tuath-mac-Walter* propè *Tuamam*. Familia *Mac-Davocorum* de *Derrydonnel*. Familia *O-Heynorum* (quondam Regia) de *Kiloviragh* (*s*), de qua erat quidam Epiſcopus (*t*), qui, ut ex mox recenſito Codice M. S. conſtat, *Athenriæ* tumulatus eſt in Majorum ſuorum Sepulchro, in quo Teſſeræ, ſeù Inſignia Armaria Gentis ſuæ, ſuumque Baculum Paſtoralem incidi fecerat. Demùm Familiæ *Killikelliorum* de *Cloghbally*, *Moghanorum*, *Brunorum* (vernaculè

(*i*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 215.

(*k*) Adeas Cap. præf. §. xii. Num. vii.

(*l*) Confer Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82.

(*m*) *Kilcornan*, *Derrymaclaghtna*, aliæque id Genus, quæ ſequuntur Denominationes, Caſtra deſignant, aut Latifundia, autve Prædia, ad iſtas reſpectivè Familias ſpectantia.

(*n*) Conſpicuæ hujus Domus de *Derrymaclaghtna* (qui floridus eſt Ramus *Clanrickardiæ* Stirpis, quique Conſanguinitatis Affinitatiſque Vincula cum primoribus Regni Proſapijs contraxit) Tres fuere ſucceſſivè *Joannes de Burgo* Equites Aurati, qui omnes, opinor, in *Athenrienſi* noſtra Eccleſia tumulati ſunt. Speciatìm autem Sepulchralem vidi Inſcriptionem iſtius eorum, qui Diem clauſit extremum Anno 1666.

(*o*) Conſule infrà dicenda Num. iv, Lit. n.

(*p*) De iſta *Burgorum* Familia fuit P. Magiſter *Thomas de Burgo*, ſupra recenſitus Cap. vi. Num. xxv. ad Lit. i. Pag. 134; iterumque recenſendus Cap. xvi. Num. xcix. Lit. a.

(*q*) De hiſce *Burgis* prodijt Illuſtriſſimus *Dominicus de Burgo*, Epiſcopus *Elphinenſis*, Ordinis Prædicatorum, de quo jam dictum eſt Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 131, iterumque dicetur Cap. xiii. Num. lxxi.

(*r*) De iſtis fuit P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologus, de quo Sermo erat Cap. viii. Num. xv. Pag. 166, redibitque Cap. xv, Num. xxx.

(*s*) *Kiloviragh* Territorium eſt in Baronia *Kiltartanenſi*, & Agro *Galvienſi*.

(*t*) Neque hujus *O-Heyni* Epiſcopi, neque Diæceſis ipſius Nomina in M. S. Codice indigitantur. In Catalogo autem omnium, quotquot fuere in *Hibernia*, Epiſcoporum apud *Waræum*, & *Harriſium*, unus duntaxât eſt ex Cognatione illa, *Joannes* nempè *O-Heyn*, Epiſcopus *Clonfertenſis*, Ordinis Minorum, qui Anno 1438 floruit. Huic ſucceſſit *Thomas de Burgo*, Epiſcopus ſcilicèt *Clonfertenſis*, qui ſepultus fuit in hocce Cænobio *Athenrienſi*, Teſtibus *Waræo* de *Præſulibus Clonfertenſibus* ad Annum 1446, & *Harriſio* Vol. I. Pag. 641; quique, ut obiter dicam,
“ Capituli ſui Aſſenſu conceſſit Fratribus Ter-
“ tij Ordinis *S. Dominici* Capellam *B. Mariæ* de
“ *Kilcorbain*, ad Rogatum *Joannes Fitz-Rery*, &
“ Confratrum dicti Ordinis, & *Eugenius* IV confir-
“ mavit quarto Idûs Martij 1444.” Verba ſunt *Waræi* de *Antiquit. Hibern*, Cap. xxvi. Pag. 217. De iſta porrò Conceſſione Epiſcopi, & Confirmatione Summi Pontificis fuſior redibit Sermo Num. xix. §. præſentis, & Cap. ſeq. §. iv. Num. iii.

(vernaculè *Brown* de *Athenria*, *Brunorum*, de *Cularan*, *Lynceorum* (vernaculè *Lynch*) de *Kilquain*, *Colmanorum*, *Dalæorum* (vernaculè *Daly*) de *Newcaſtle*, & *Clonbroſk*.

REFERT inſuper *Waræus* (u), *Thomam O Kely*, Epiſcopum *Clonfertenſem*, in Cænobio hoc propè Genitorem ſuum humatum fuiſſe Anno 1293: Quatuorque *Duacenſes* Præſules ibidem tumulatos, nempè *Mauritium Ileyan*, Anno 1283; *Davidem O Sedahan*, Anno 1290; *Nicolaum Ileyan*, Ordinis Prædicatorum, Anno 1399 (w); & *Johannem Icomaid*, hujus immediatum Succeſſorem, Anno 1401, defunctos.

IV. Hùc etiam ſpectant ſequentia, quæ ex Inſtrumento authentico, penès laudatos *Athenrienſes* Patres aſſervato, de Verbo ad Verbum tranſcribo.

" Obitus Willielmi de Burgo Conguſt (x) Anno Domini 1204.

Obitus

(u) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 263, & 282.

(w) De hoc dicetur Cap. xiii. Num. xxvii.

(x) *Conguſt* Vox hibernica eſt idem ſonans ac Expugnator, ſeù, ut *Anglo-Latinis* placet, *Conquæſtor*. Sic autem paſsim nuncupatur *Willielmus* iſte in Hiſtorijs, quia *Henrici* II *Anglorum* Regis Vice *Conaciam* expugnavit, ut Cap. iv. Num xvi. Lit. k. Pag 83. ajebam. Sanè huc faciunt Verba *Joannis Lyncæi*, Archidiaconi *Tuamenſis*, ſub adſcititio *Gratiani Lucii* Nomine, in ſuo *Cambrenſi everſo* Pag. 53, de hoc *Willielmo*, ſeù *Gulielmo*, dicentis: *Plurimis Fundis in Agro Limericenſi, & amplâ Poteſtate in Wexfordienſi Rex eum donavit. Ut in ejus Patrocinium non traham, quod* Gulielmi Conquæſtoris *Nomine à Scriptoribus noſtris inſigniatur, eandem Appellationem cum decantato illo* Gulielmo *Notho* (Rege ſcilicet Angliæ & Duce Normanniæ,) *ſortitus, quod ſimili prorſus Ratione hic Angliam, ille Hiberniam expugnaverit. Quod Prole fæcundus, & Nobiliſſimæ* Burgorum *Familiæ Generis Author fuerit. Cujus Propago adeò longè lateque per Hiberniam diffuſa eſt, ut in ſingulis Inſulæ Regionibus Latifundia plurima, & ſummam plerùmque Dominationem retulerit; honorarijs Titulis, & ſupremâ Rerum Adminiſtratione potita.* Confer Cap. præl. §. xvi. Num. v. Lit. t.

Cambrenſis, *Camdenus*, alijque Scriptores *Angli* eum appellant *Willielmum*, ſeù Gulielmum, *Fitz-Adelm*, quia Filius erat *Adelmi de Burgo*, & quidem; ut obiter dicam, ex *Agnete*, Regis Francorum *Ludovici* vii Filia, ut poſt accuratiſſimos Hiſtoricos, & Heraldicos habet *Lodgæus* Vol. IV. Pag. 359. Ipſeque *Burgorum* primus ex *Anglia* venit in *Hiberniam* Anno 1172 cum memorato *Henrico*, a quo fuit poſtmodum *Hiberniæ* Prorex conſtitutus. Notandum porrò neque ipſum, neque Filium ſuum *Richardum*, neque hujus Filium *Walterum*, neque *Walteri* Filium *Richardum* Comitem *Rufum*, in Textu mox memorandos, *Athenriæ* ſepultos fuiſſe, ſed (dempto *Richardo*, Patre *Walteri*, de quo poſteà) *Athaſſelæ* in hodierno *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ*, ubi *Willielmus Filius Adelmi* Monaſterium fundauerat Canonicis Regularibus, de quo hæc habet *Waræus* mox laudatus: *Athaſſelæ Prioratum* S. Edmundi *Regis, & Martyris, circà Annum* 1200, *Canonicis Auguſtinianis extruxit* Gulielmus de Burgo, *è cujus Poſteris ibi ſepulti ſunt* Walterus de Burgo, *Comes Ultoniæ, & Walteri Filius Richardus, vulgo dictus Comes Rufus. Hic Anno* 1326, *illo* 1271. *Johannes Rex confirmavit Poſſeſſiones* 20 *Aprilis* 1305. *Inter Priores clarus fuit* Hubertus de Burgo, *qui Epiſcopus evaſit* Limericenſis Anno 1223. Nihilo ſecius iſtorum Obitus commemorabantur in Conventu *Athenrienſi*, quatenus Progenitores erant *Clanrickardicæ* Stirpis, & Ramorum ejus, inſignium memorati Conventus Benefactorum, ibidemque tumulatorum. Accedit, quod & eorum nonnulli Ordinem noſtrum magnoperè dilexerunt: Sic *Hubertus de Burgo*, Antiſtes *Limericenſis*, apud *Waræum* mox laudatus, etſi *Canonicus* fuerit Regularis, atque Monaſterij *Athaſſalenſis*, à Genitore ſuo fundati, Prior, in *Limericenſi* tamen Fratrum Prædicatorum tumulari voluit Eccleſia, ut ex nuper dictis (§. v. Num. iv. Pag. 209.) liquet. Sic etiam *Walterus de Burgo*, hujus ex Fratre, & *Gulielmi Fitz-Adelmi* ex Filio, Nepos, Fratribus Prædicatoribus Cænobium *Lothoriæ*, in Agro *Tipperarienſi*, excitavit, ut ex mox dicendis in Textu, & alibi (§. xxi. hujus Capitis, Num. ii.) clarebit. Ut nihil impræſentiarùm dicam de *Villanovano*, ſeù *Newtonenſi*, & *Carlingfordienſi* noſtris Cænobijs, quorum primum à prælibato *Waltero*, ſecundum à *Richardo* ipſius Filio, *Comite Rufo* paſsim nuncupato, probabiliùs excitata fuere, ut Cap. præſ. §. xi. Num. ii. & §. xxvi. Num. ii. ſat clarè oſtendam. Sic demùm alter *Hubertus de Burgo*, prioris Compatruelis, utpotè *Gulielmi Fitz-Adelmi* ex Fratre Nepos, *Cantii*, vernaculè *Kent*, in *Anglia* Comes, Heroum ſui Ævi facilè Princeps, munificus erat Fratrum Prædicatorum *Londinenſium* Benefactor, & apud eos ſepultus Anno 1243, ut pridem dictum eſt Cap. iv. Num. xvii. Lit. m. Pag. 83. Et ſanè crediderim, aliquem ipſius Conſanguineum, ne dicam Filium Nepotemve, ipſiſſimum fuiſſe *Dominum Jacobum de Burgo*, ad

quem

“ Obitus Richardi *Magni* (*y*) de Burgo, Domini Conaciæ, Willielmi *Conguſt* Filij, Anno
“ Domini 1243 (*z*).
“ Obitus Domini Walteri de Burgo, Comitis Ultoniæ, inſignis Benefactoris Ordinis Prædi-
“ catorum (*a*), Anno Domini 1271.
“ Obitus Domini Richardi de Burgo, Comitis Ultoniæ, qui dicebatur *Comes Rufus* (*b*), Anno
“ Domini 1326.
“ Obitus Domini Willielmi de Burgo, Comitis Ultoniæ, qui nominabatur *Jarla Don* (*c*), qui
“ interfectus fuit per Dominum Richardum de Magnavilla (*d*), & Dominum Joannem de Logan,
“ Anno Domini 1333.
“ Obitus Domini Edmundi de Burgo, *Mac an Jarla* (*e*), qui in Saccum immiſſus fuit in Clauſtro
“ Fratrum de *Roba*, & ſubmerſus in Lacu *Maſk* per *Mac-Padin*, & alios de *Roba*, Anno Domini
“ 1337.
“ Obitus Domini Gulielmi *Athankip* (*f*) de Burgo, dicti *Gulielmi Magni*, Anno Domini 1270.
“ Obitus Domini Gulielmi *Cani* de Burgo, prædicti Gulielmi *Magni* Filij, Anno 1324 (*g*).

“ Obitus

---

quem Opuſculum ſuum xxv, *de Sortibus* inſcriptum, dedit *S. Thomas*, qui (ut Cap. ii. Num. v. Pag. 36. videre eſt) *Londini* jam fuerat in Comitijs Generalibus, amicabiliter tunc fortaſſe notus laudato *Domino Jacobo de Burgo*, ac poſtmodùm decorè poſtulatus, ut *quid de Sortibus ſentiendum ſit* eidem *conſcriberet*, ut ipſemet refert Angelicus Doctor in laudati Opuſculi Præludio, hæc addens venuſta concinnaque Verba: *Non eſt autem fas, ut Preces, quas fiducialiter Charitas porrigit, apud AMICUM Repulſam patiantur. Unde Petitioni veſtræ ſatisfacere cupiens, intermiſſis pauliſper Occupationum mearum Studijs, ſolemnium Vacationum Temporibus, quid mihi de Sortibus videatur, ſcribendum curavi.*

(*y*) Conſulendus §. xvi Cap. præſ. Num. v. Lit. s.

(*z*) Hic, quondam *Hiberniæ* Prorex, neque *Athenriæ*, neque *Athaſſelæ* tumulatus eſt, ſed *Burdigalæ* in *Galliarum* Regno, ubi mortalem cum immortali Vita commutavit Anno 1243. Eò porrò ſe contulerat ingenti Baronum Equitumque Numero comitatus, ad *Henricum* III, *Anglorum* Regem *Hibernorumque* Dominum, congrediendum, ut refert *Lodgæus* Vol. IV. Pag. 366.

(*a*) Fundavit Cænobia noſtra *Villanovanum*, & *Lothorienſe*, de quibus Sermo erit Cap. præſ. §. xi & xxi.

(*b*) A Colore ſcilicet Cæſariei. De ſupremo hoc Britannici Campi Ductore nonnulla obiter ſuperius dicta ſunt Cap. iv. Num. xvi. Pag. 84. Carmelitis porrò Cænobium fundavit apud *Loughream*, in Agro *Galvienſi*, circá Annum 1300, ut inter alios refert *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 218; & Dominicanis apud *Carlingfordiam*, ut Cap. præſ. §. xxvi. Num. ii. clarebit.

(*c*) Id eſt, *Comes Pilaminis Caſtanei.* Prorex fuit *Hiberniæ*, ut refert *Waræus* in *Supremorum Hiberniæ Gubernatorum Catalogo*, & dum *Rupem Ferguſiam*, vulgò *Carrickfergus*, in *Antrimenſi* Agro *Ultoniæ*, ad debellandos ea in Regione rebelles proficiſceretur, à duobus in Textu nominatis, eorumque Auxiliatoribus, perfidè occiſus fuit in Itinere propè memoratum Oppidum, Die Dominico, 6 Junij 1333. Ad immane hoc vindicandum Homicidium novus Prorex *Joannes De Arcee*, ſivè *D'Arcy*, ſeú per Syncopen *Darcy*, Eques Auratus, (*Darcirum* de *Platten*, de *Glunuane*, de *Ballibockock*, de *Gorteen*, de *Kiltolla* &c Progenitor) magno ſtipatus Exercitu *Rupem Ferguſiam* de Parlamenti Conſilio Mari ſe contulit. Verùm antè ipſius Appulſum Incolæ Regionis juſtam prævenerunt Punitionem occidendo dictos Aſſaſinos, eorumque Auxiliatores, & Fautores, ad Numerum uſque tercentenarium uno Die, ut refert *Lodgæus* nuper laudatus.

(*d*) Vernaculè dicitur *Mandeville*.

(*e*) Voces iſtæ Hibernicæ ſignificant ipſum fuiſſe *Filium Comitis*, ſcilicèt *Richardi Rufi*, ad Differentium alterius *Edmundi de Burgo*, dicti *Albanach*, de quo poſteà. Prior autem *Edmundus*, qui vocabatur etiam hibernicè *Na Fieſoga*, i. e. *Barbatus*, dum aliquando eſſet apud Fratres Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini Ballinrobæ*, Agri *Mayonenſis* Oppidi, indè violenter ereptus fuit à rugientibus Hoſtibus Tempore Belli, & in Lacu, vulgò *Loughmaſk*, ſubmerſus, ut refertur in Textu. Hic *Edmundus* ex Conjuge ſua *Slania*, *Mutertachi*, ſeù *Mauri* (vulgò *Morrough*) *O-Brieni*, Regionis *Thomondiæ* in *Momonia* Domini, Regis etiam nuncupati, Filiâ, Progenitor fuit *Gulielmi de Burgo*, creati Baronis de *Caſtleconnel*, in Agro *Limericenſi*, 16 Maij 1580, & hujus Nepotis *Theobald de Burgo*, creati Baronis de *Brittas*, in eodem Agro 17 Februarij 1617, de quibus plura apud *Lodgæum*, Vol, IV. Pag. 366. Adeas Cap. xvii. Num. xxxi.

(*f*) Sic dicti paſsìm in Hiſtorijs à Loco, ubi in Prælio occubuit. Fuit porrò Filius ſecundogenitus *Richardi* Magni, Domini *Conaciæ*, atque *Walteri* Comitis *Ultoniæ*, de quibus jam dictum eſt, Frater.

(*g*) Hic quá Prorex *Hiberniæ* Comitia, ſeù Parlamentum, habuit *Kilkenniæ* Anno 1309, multumque profuit Regno, dùm à *Roberto Bruſſo*, Regis *Scotorum* Fratre invaderetur, ut refert *Lodgæus* Vol.

“ Obitus Domini Gulielmi de Burgo, dicti *Uliog Anagbkeen* (*b*), Filij Gulielmi *Cani*, Anno
“ 1353.
“ Obitus Domini Edmundi *Albanach* (*i*) de Burgo, alterius Filij Gulielmi *Cani*, Anno 1375.
“ Obitus Rickardi *Juvenis* (*k*) de Burgo, Filij Gulielmi *Anagbkeen*, Anno 1387.
“ Obitus Ulici *Fion* (*l*) de Burgo, prædicti *Rickardi* Filij, Anno 1424.
“ Obitus Gulielmi de Burgo, prædicti Ulici Germani, Anno 1429.
“ Obitus Rickardi de Burgo, ſupradicti Rickardi *Juvenis* Filij, Anno Domini 1396.
“ Obitus Rickardi, Filij prædicti Gulielmi de Burgo, Anno Domini 1466.
“ Obitus Richardi (*m*), Filij Huberti de Burgo de Iſerkeally (*n*), Anno Domini 1406.
“ Obitus Edmundi de Burgo, Filij Redmundi (*o*) *Flavi*, qui ædificavit Caſtrum de Corifin
“ (*p*), Anno Domini 1452.

“ V. Dominus Thomas de Burgo, Filius Domini Richardi Comitis *Rufi* Ultoniæ (*q*), multùm
“ dilexit Ordinem, & Fratres, in tantum quod frequenter conſuevit rogare Deum coram Fratri-
“ bus, ut nunquàm eum eriperet ex hac Vita quouſque, Deo dante, Habitum Ordinis Fratrum
“ Prædicatorum portaret, qui Anno 1316 Morte præventus, in Domo Fratrum Villæ
“ de *Athenry* ſepultus eſt in Habitu Fratrum, ſicut ſæpiùs rogavit, in Parte boreali propè

Vol. IV. Pag. 366, de qua Invaſione nonnihil obiter dictum eſt §. i. hujus Capitis, Num. vi. Pag. 189, inter agendum de Cænobio *Dublinienſi*. Hic etiam *Gulielmus de Burgo Minoritis fundavit Cænobium juxtà Galviam Anno Domini* 1296 *in Inſula S. Stephani, extrà Muros Urbis*, inquit Waræus, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 213.

(*b*) Dicitur *Anagbkeen* quia ſic nominatur Caſtrum ab eo exrructum, quod eſt in Baronia *Clarenſi*, & Comitatu *Galvienſi*. Quod attinet autem ad *Uliog*, eſt Vox compoſita hibernica ſignificans *Gulielmum Juniorem*, ut opportuniùs explicabitur brevi, ſcilicet ad Lit. l.

(*i*) Id eſt *Scoti*. Hoc autem ſuper addito Nomine paſsìm in Hiſtorijs appellatur, quia per Viginti Duos Annos in *Scotia* quà Obſes verſatus eſt. Iſte porrò Progenitor fuit Vicecomitis *Mayonenſis*, reliquorumque *Burgorum* in *Mayonenſi* Comitatu, ſicut & in Comitatu *Tipperarienſi*, quemadmodùm ipſius Frater *Gulielmus (Anagbkeen)* Progenitor fuit Comitis *Clanrickardiæ*, aliorumque *Burgorum* in Comitatu *Galvienſi*. Ità *Lodgæus* Vol. II. à P. 313.

(*k*) Nuncupatur *Juvenis*, hibernicè *Oge*, ad Differentiam *Richardi* deſcendentis à *Waltero* Comite *Ultoniæ*. Et Nota obiter, deſcendentes à memorato *Waltero*, ſi luſtrali iſto Nomine donentur, vocari *Richardos*, alios verò ejuſdem Nominis, à *Gulielmo* præfati Comitis Fratre deſcendentes, vocari *Rickardos*, quatenùs Vox hæc ab *Hibernis*, *Angliſque* prolata, Minoritatem quandam ſignificat. Porrò à prælibato *Rickardo* Denominationem ſumpſit ampla hodierni Comitatûs *Galvienſis* Regio, cui vulgò Nomen *Clanrickardia*, quod compoſitum eſt ex Vocula *Clan* quæ Stirpem ſignificat, aut Progeniem, & *Rickardia*, tanquàm Nomine adjectivo formato ex *Rickàrdo*. Quæ *Clanrickardiæ* Regio dividitur nunc in Sex Baronias, vernaculè nuncupatas, *Loughrea*, *Dunkellin*, *Kiltartan*, *Clare*, *Athenry*, & *Leitrim*.

(*l*) Id eſt, *Pulchri*, Nomen autem *Ulici*, Lectori fortaſſis novum, & inauditum, incepit in *Burgorum* Gente. Cùm enim Gulielmus *Anagbkeen* (de quo mox dictum eſt ad Lit. h.) Patrem haberet, atque Avum *Gulielmos*, eum vocabant Hiberni *Uliog*, Nomine ſcilicet compoſito ex Voculis *Uliam*, & *Oge*, ſignificantibus *Gulielmum Juvenem*, ſeù *Juniorem*, per Syncopen autem *Will' og*, aut *Ul' og*, apud Hibernos; & *Ulick*, vel *Ulic*, apud *Anglos*, ut rectè advertit *Lodgæus*, Vol. IV, Pag. 367. Hinc latinè ſcribitur *Ulicus*, vel *Ulickus*, malè autem *Ulyſſes*, cum diſtinctum ſit omninò Nomen. Quod ſi non Uſus, ſed Minoritas præcisè ſpectetur, *Willielminus* potiùs dici debet.

(*m*) Hic rectiſſimè *Richardus*, non verò *Rickardus* nominatur. Deſcendit quippè non à *Gulielmo*, *Rickardinorum* Progenitore, ſed à *Gulielmi* Fratre, Natu Majore, *Waltero* ſcilicet Comite *Ultoniæ*, mediante hujus ex Filio Nepote, Nomine *Huberto*, de quo conſule mox dicenda ad Lit. q.; & §. xxi. Cap. præſ. Num. ii. ad Lit. e.

(*n*) Alijs *Diſercally*, in hodierno Agro *Galuienſi*. Nunc autem potior Stirpis iſtius Pars de *Tyaquin*, in prælibato Agro, nuncupatur. Familia porrò hæc à *Gualtero de Burgo*, Comite *Ultoniæ*, deſcendit, ut §. xxi. hujus Capitis, Num. ii. Lit. e. clarebit.

(*o*) Qui hiſce Diebus vulgò dicitur *Redmundus* ſe ſcribit *Remigium*.

(*p*) In Agro *Galvienſi*, ipſam *Galviam* inter & *Tuamam*.

(*q*) Cujus obitus ſuperiùs commemorabatur. Iſte porrò *Comes Rufus* quinque genuit Filios, ſexque Filias, opportuniùs recenſendos Cap. præſ. §. xxi. Num. ii. Lit. e.

“ Murum, juxtà quem jacent diverſi Nobiles (*r*); Item Gulielmus Prendergaſt, & Mauritius Prendergaſt, Capitaneus Nationis de Clanmorris (*s*).

“ Item Gulielmus *Canus* de Burgo (*t*), & Finola *Nyn J Brian rony* (*u*) ſua Uxor, fuerunt Conventûs magni Amici, & dederunt Fratribus pluſquàm Centum Marcas (*w*) ad Fabricam Frontis Eccleſiæ, & ad Vitam. Et dederunt eis Decimas omnium Grangiarum ſuarum, & Sepulturam eorum, quia ante hoc Sepultura Burgorum ſolebat fieri in Monaſterio Canonicorum de Athaſſel (*x*). Sic Dominus ampliavit Chorum noſtrum Spatio Viginti Pedum, & ſepulti ſunt in Preſbyterio in Gradu Diaconi.

“ Item inter Murum Monaſterij, & Locum Pulpiti, ubi legitur Evangelium, jacet Joannes *Mac-Seonag* (*y*), Filij Ulici *Anagbkeen*, Filij *Gulielmi Cani* de Burgo. Item in eodem Loco jacet Redmundus de Burgo, Filius Thomæ *Mac-Walter*, & Mariæ *Ny Madagain* (*z*), cum quibus jacent Tres Filij Richardi, prædicti Joannis Filij, quorum Nomina ſunt hæc, Redmundus, Thomas, & alius Thomas. Item inter quos jacent Willielmus *Mac-Ulick* (*a*), & Redmundus Filius ejus. Item in Gradu Diaconi uſque ad Preſbyterium jacent omnes illi.

“ Item in Preſbyterio jacet Gulielmus *Canus* de Burgo, & Walterus Filius ejus, & Gulielmus, & Rickardus *Juvenis* Burgus, inter quos jacet Redmundus de Burgo cum Filijs, & Filiabus ſuis, cum quibus jacet Filius Gulielmi Brondi (*b*), & ſic omnes iſti à Muro uſque ad Murum jacent, & diverſi alij, quorum Nomina ſunt in Libro Vitæ.

“ Item inter Cornu Altaris, & Piſcinam jacet *Mac-Moyler Duff* (*c*), inter Pinaculum Eccleſiæ, & Pedes Domini Gulielmi.

“ Item inter Caput Domini Gulielmi *Cani*, & Oſtium Sacriſtiæ jacet Henricus de Burgo cum ipſius Progenie, juxtà quem jacet Edmundus Filius ejus, juxta quos jacet Joannes *Ballagh* (*d*), & diverſi alij de eadem Stirpe.

“ Item inter prædictos, & Tumulum Moyleri (i. e. Milonis) *Magni* de Bermingham, (*e*) jacent Joannes de Bermingham, & Joannes ejus Filius.

“ Item ex alia Parte inter Tumbam, & Parietem jacet Dominus Thomas O-Kelly, Epiſcopus Clonfertenſis (*f*), qui fecit Arcuationem propè altare Majus in Parte boreali, & fecit portari Oſſamenta ad dictam Arcuationem, & multa contulit Fratribus.

“ Item

(*r*) *Nobiles*. Epitheton hoc apud *Anglos*, modernoſque *Hibernos*, non convenit niſi Paribus, ſeù Proceribus Regni, eorumque Prolibus.

(*s*) *Clanmorris* Baronia eſt hiſce Diebus *Mayonenſis* Agri *Conaciæ*.

(*t*) Suprà commemoratus.

(*u*) Hibernicæ ſunt Voces iſtæ, ſignificantes, *Gulielmi* Conjugem, Nomine *Finolam*, fuiſſe Filiam *Briani Rufi*, à Pilamine ſic dicti. Cæterùm hujus luſtrale Nomen erat *Brianus* (recole § V. hujus Cap. Num. ii. Lit. n. Pag. 211.); Cognomen autem erat *Mac-Jordan*, Teſte *Lodgæo* Vol. IV. Pag. 367. Porrò de *Mac-Jordanorum* Progenie nonnulla dicentur §. xiv. Cap. præſ. Num. ii. & ſeq, dum de *Stradenſi* noſtro Cænobio, ab ipſis fundato, Sermo erit.

(*w*) Adeas §. i. Cap. præſ. Num. ix. Lit. z. Pag. 192.

(*x*) De quo ſuprà ad Lit. x. Pag. 219.

(*y*) *Mac-Seonag*, id eſt, Filius *Jonaci*, anglicè *Jonack*, quod Nomen *Burgis* eſt familiare.

(*z*) Senſus eſt, quod *Thomas* fuit Filius *Walteri*, & *Mariæ*, Filiæ *Madani*, ſeù *O-Madden*, de qua Familia Sermo erit inter agendum de Cænobio noſtro *Portumnenſi*, ab ea fundato, Cap. præſ. §. xxxii. Num. iii. Lit. t. Hibernicè porrò ſcribitur *O-Madagain*, juxtà *Hiſtoriam Hiberniæ*, Anno 1742 *Dublinij* impreſſam, Pag. 307.

(a) Id eſt, Filius *Ulici*.

(b) Id eſt, Coloris ſubfuſci.

(c) Id eſt, Filius *Milonis* Pilaminis nigri.

(d) Id eſt, *lentiginoſi*, ſeù *Lentibus* maculati.

(e) Cænobij hujus *Athenrienſis* Fundatoris, de quo ſuprà in præſ. §. Num. ii. Pag. 220.

(*f*) *Clonfertenſis* Diæceſis contermina eſt *Tuamenſi*, ad quam *Athenria* ſpectat. Landatus porrò *Thomas O-Kelly* defloruit Anno 1263, ut refert *Waræus*, Lib. de *Præſulibus Hiberniæ*, Tit. de *Præſulibus Clonfertenſibus*, hæc de ipſo ajens: *Diſceſſit Die Dominico proximo poſt Epiphaniam Domini, Stylo Anglicano*, 1263, *& Athenriæ, in Eccleſia, Cænobij Dominicanorum, cui multa contulit, ſepultus.* Fuit & alius *Thomas O-Kelly*, ſed Ordinis Prædicatorum Alumnus, Epiſcopus item *Clonfertenſis*, & Anno 1441 ad Archidiæceſim *Tuamenſem* tranſlatus, de quo ſpecialis fiet Sermo Cap. xiii.

Num.

“ Item ad Capita eorum jacet *Mac-Rickard* (*g*), qui fuit ſubmerſus inter Cargin, & Acryn,
“ juxtà quem jacent diverſi de Stirpe ſua.

“ VI. Obitus Ulici *Rufi* de Burgo (*h*) Anno 1485, & Uxoris ejus Morniæ *Ny Cnoughar* (*i*)
“ Anno 1452, qui conceſſerunt Priori, & Conventui de *Athenry* Quartam, ſivè Quarteriam
“ Terræ arabilis, Nomine *Carrow-Ardahrah*, in Territorio, & Villa de *Tuolubane* à Parte boreali
“ Fluminis, in qua noſtra Capella ædificatur, Anno Regis Henrici VI 29 (*k*). Multa alia
“ Bona contulit noſtro Monaſterio Ulicus *Rufus*, cujus Animæ Deus propitietur. Amen. Anno
“ Domini 1469 Athenriæ ſepultus eſt 18 Decembris dicti Anni.

“ Obijt Dominus Ulicus *Fion de Knocto* (*l*), Filius prædicti Ulici *Rufi* de Burgo, Anno Domini
“ 1509, qui poſt Mortem Patris ſui confirmavit prædictam Quartam de *Toulubane* Conventui
“ de *Athenry*, & multa alia Bona fecit eidem Conventui.

“ Obijt Dominus Rickardus *Magnus* de Burgo de *Dunkellin* (*m*), Filius dicti Ulici, qui etiam
“ poſt Mortem prædictorum Anteceſſorum prædictam Quartam de *Toulubane* eidem Conventui

---

Num. xxxvii. Cæterùm *Waræus* mox laudatus refert, priori *Thomæ O-Kelly*, Epiſcopo *Clonfertenſi* ſucceſſiſſe poſt vocatam Trium Annorum Spatio Sedem, quendam *Italum*, Nomine *Joannem*, Summi Pontificis Nuncium, qui *Athenriæ* (ubi ſcilicet ſepultus fuerat ipſius Prædeceſſor) ſe conſecrari fecit Dominicâ antè Natalem Domini 1266, Annoque ſequenti *Romam* profectus eſt. Addit *Waræus*, prælibatum *Joannem* poſt ſuum ab Urbe Regreſſum *Clonfertæ* per longam Annorum Seriem ſediſſe, tandemque Anno 1296 ad *Beneventanum* in *Italia* Archiepiſcopatum fuiſſe tranſlatum.

(*g*) Id eſt, *Filius Rickardi.*

(*h*) Filij Ulici *Pulchri*, hibernicè *Fion*, cujus etiam Obitus ſuperiùs commemorabatur. Iſtum porrò Ulicum *Pulchrum* celebrat *Waræus* in *Rerum Hibernicarum Annalibus* ad Annum 1485, brevi hoc Elogio: *Ultimus fuit hic Annus Ulico Burke, Clan-Rickardi Dynaſtæ, nobiliſſimâ orto Familiâ de Burgo (cujus Rami in Hibernia longe diffuſi) Viro magni Nominis, & Potentiæ.*

(*i*) Senſus eſt, quod *Mornia* fuit ex Familia *O-Connorum*. Porrò *Morniæ* Nomen Fæminis apud *Hibernos* familiare eſt, nunc autem Temporis paſſim ſcribitur *Mora*.

(*k*) Seù Anno Chriſti 1451.

(*l*) Id eſt, *Pulchri*, quo Epitheto ipſius etiam gaudebat Avus, ut ex nuper dictis liquet. Ad Differentiam autem additur de *Knocto*, quia in Prælio ibi commiſſo ſuperatus fuerat. De eo Sermonem faciens *Waræus* ad Annum 1496 hæc habet: *Menſe Auguſto, Odo, ſivè Hugo Rùfus O-Donellus, tùm nuper è Scotia reverſus O-Connoros in Prælio prope Sligoam ſuperavit. Caſtrum etiam* Sligoenſe (*quod Mauritius Filius Giraldi conſtruxerat Anno* 1252) *Obſidione incinxit, ſed fruſtrâ: Nam Ulici de Burgo Clan-Rickardi Dynaſtæ Acceſſu, cum magno Exercitu, territus, in Tyrconelliam ſe ſubitò cum Copijs ſubduxit. Ulicus intereà omnium ejus Fautorum Prædia in Regione vicina diripuit, & incendit. Filius hic fuit Ulici illius, quem hujus Regis* (Henrici VII) *Anno primo* (ſcilicet Anno Chriſti 1485) *obijſſe diximus.* Et ad Annum 1504 de eodem loquens, ait: *Is Ulicus Vir fuit magni inter ſuos Nominis, Bello ſtrenuus, Conſilioque non poſtremus, licèt in Prælio (in Loco dicto Knoc-to, paucis Milliaribus à Galvia diſtante) pro Martis alia ſuperatus. Stemma duxit à Gulielmo Adelmi Filio, Henrici Secundi Regis Dapifero, & Hiberniæ ſub eo, ad Tempus, Gubernatore.* Et ad Annum 1509 de eodem dicit: *Circà Initium hujus Anni Ulicus de Burgo, dictus etiam Mac-William, Clanrickardi Dynaſta, de quo anteâ aliquam fecimus Mentionem, Mortem obijt, & ſepultus fuit Athenriæ in Cænobio Fratrum Prædicatorum.* Quarè autem dictus fuit *Mac-William* opportunius diſcutietur §. xiv. hujus Capitis, Num. iii. ad Lit. q.

(*m*) *Dunkellin* Baronia eſt Regionis *Clanrickardiæ* in hodierno Agro *Galvienſi*, ut nuper dictum eſt Num. IV. ad Lit. k. Porrò *Rickardus* iſte, ob præclaras Res geſtas *Magnus* nuncupatus, ex *Margarita*, *Pierij Butler*, Comitis *Ormondiæ* Filia, Filium genuit *Ulicum*, ab *Hibernis* cognominatum *Nigan*, hoc eſt, *à Capitibus*, quia è Capitibus in Prælio occiſorum Terrâ coopertis, Collem erexerat, ut refert *Waræus* ad Annum 1544. Qui tandem *Ulicus* ampliſſimam ſuam *Clanrickardiæ* Regionem reſignare coactus eſt perſonaliter *Grenovici* (vulgò *Greenwich*) propè *Londinum*, in Manibus *Henrici* VIII, qui eodem Die quo *Maurum O-Brienum* Comitem *Thomondiæ* (conſule §. v. Cap. præſ. Num. ii. Pag. 209.) *Ulicum* noſtrum Comitem *Clanrickardiæ*, atque Baronem *Dunkellinæ* creavit, ſcilicet 1. July 1543. *Ulico* (inquit *Waræus* ibidem) *ſucceſſit in Comitatu Rickardus Filius, Cognomento* Anglicus, *quod in Anglia diù vixerat, qui admodum Senex deceſſit ſub Elizabetha Regina* (Anno nimirùm 1582) *poſtquam varijs Moleſtijs, ob Juniorum Filiorum* (Elizabethæ nempè Uſurpatrici ſubeſſe renuentium) *Delicta, jactatus fuiſſet.*

" de *Athenry* confirmavit ; quique Mortis ſuæ Tempore dicto Conventui reliquit Armenta Vaccarum Sexaginta, pariter Armentarium, & Paſtorem Vaccarum. Item dictus Rickardus reliquit dicto Conventui Quartam Terræ arabilis in *Carnan*, cum Carruca, & cæteris Araturæ Inſtrumentis. Item reliquit Conventui Duos Pelves Æris, & Duo ænea Candelabra, & Mappam unam Tempore noſtri Capitulis Provincialis (*n*), celebrati in Conventu Athenriæ Anno 1524, & ſplendidè reficiebat omnes Fratres tunc præſentes cum omnibus ſupervenientibus Famulis, alijſque, & multa alia Bona huic contulit Conventui. Obijt Anno 1530.

" Thomas *Mac Sean Mac Rickard Burke* (*o*) conceſſit conventui de *Athenry* Semi Quartam Terræ arabilis in *Cabirnamone* Die 10 Februarij Anno 1555, prout latiùs patet ex Charta ſuper hoc per ipſum factâ, extante Athenriæ.

" Dominus Rickardus de Burgo, Filius Ulici, Filij Rickardi, conceſſit Conventui de Athenry Semi-Quartam Terræ arabilis in *Toulubane*, nuncupatam *Ballyglaſs*, Anno Regis Henrici VI 34, Chriſti 1456, ut patet ex Charta per ipſum confectâ, & ſciatis hanc Portionem eſſe juxtà Portiunculam Nobis priùs datam.

" Rickardus de Burgo, Filius *Lectoris* (*p*), Filij Davidis, conceſſit Priori, & Conventui Athenriæ aliam Quartam in *Carnan*, & ipſe noſtram intravit Religionem.

" Ulicus de Burgo conceſſit Priori, & Conventui Cartronam *an Muir & an Teampuil Tualbane*, & Cartronam de *Lisvoylalayan*, & *Gortorabiky*, & *Gorthavadog*, cum alijs Particulis his annexis.

" *Mac Redmond Burke*, (*q*) de *Cloghnanonvir* conceſſit dicto Conventui Semi-Quartam de *Tempal an Brahar*.

VII. *COPIA VERA ex antiquis Annalibus, & Chartis per Fratres Ordinis Prædicatorum de* Athenry *fideliter, & legitimè confectis, extracta, & examinata per Nos, quorum Nomina ſubſcribuntur apud Athenriam hac 23 Maij 1619.*

MATTHÆUS WARD.
MALACHIAS BREHUNY
CONSTANTINUS BREHUNY.

VIII. Sic fideliter tranſcripto Inſtrumento iſto, additiſque pro Dilucidatione ejus opportunioribus Notis, & quidem fervido ac urgenti Amicorum Rogatu, aliud ſubjungere placet Inſtrumentum, cujus Originale vidi penès eoſdem *Athenrienſes* Patres ſedulò, ut par eſt, aſſervatum. Nullum quippè hujus Generis Monumentum prætermittere vellem. Aſt maximoperè diſplicet, tàm pauca aut fermè nulla, in alijs reperiri Conventibus, partìm quidem ob Bellorum, præcipuè domeſticorum, & Perſecutionum Calamitates, partimque ob heù ! nimis notam modernorum Noſtratûm Negligentiam.

Infraſcripti

(*n*) Capitulum hoc non fuit reapſé Provinciale, ſed ad inſtar duntaxàt illius, ut de alijs id Genus Capitulis, *Molingaræ* ab Anno 1278 ad 1300 celebratis, §. ſuperiori, Num. iii. Pag. 217. advertebam. Verùm quidem eſt *Hiberniam Dominicanam* in Provinciam Ordinis erectam fuiſſe Anno 1484, ut Cap. iv. Num. ii. Pag. 73. dictum eſt. Poſtmodùm tamen Congregatio evaſit Reformata, a Comitijs Generalibus *Romæ* 1518 acceptata, & approbata, ut eodem Cap. iv. Num. xiv. Pag. 80, oſtendebam : Proindeque Capitulum *Athenriæ* 1524 habitum non elegiſſe Provincialem, ſed Tres ad regendam Congregationem idoneos, quorum quempiam Magiſter Ordinis pro Arbitio ſuo conſtituebat Congregationis illius Vicarium Generalem, non ſecùs ac hodiedùm fit in ſimilibus Congregationibus, putà *S. Sabinæ* de Urbe, & *S. Marci* de *Florentia*, idque ſat clarè conſtat ex Verbis laudatorum Comitiorum Generalium 1518, Loco mox citato allatis. Niſi tamen dicatur, reformatis quibuſdam tàm infrà quàm extrà *Palum Anglicanum* (recole Cap. iv. Num. viii. Pag. 76.) Conventibus, manſiſſe adhuc Provinciam *Hiberniæ* alijs quibuſdam Conventibus comprehenſam, ut de Provincia *Romana* dictum eſt Cap. iv. Num. xi. Pag. 78. Eâ ſiquidem in Hypotheſi recenſitum Capitulum, *Athenriæ* celebratum, potuit eſſe reverà Provinciale, ut conſideranti patebit.

(*o*) Id eſt, *Filius Joannis, Filij Rickardi de Burgo*.

(*p*) Pater iſtius *Rickardi* ſuperaddito Nomine dicebatur hibernicè *Leahore*, latinè Lector, quia Vir erat magnoperè literatus.

(*q*) Id eſt, Filius *Redmundi*, ſeù ut modernioribus placet *Remigij* de Burgo. Recolenda nuper dicta Num. iv. Lit. o. Pag. 229.

Infraſcripti Poſteris, futuriſque Sæculis notum facimus, & harum Tenore teſtamur, proprijs Nos vidiſſe, & legiſſe Oculis Inſcriptionem poſitam ſuprà Refectorij Conventûs Athenrienſis Ordinis Prædicatorum Portam, his Verbis expreſſam : Carolûs Manus rubræ me fieri fecit (r). *Cumque Temporum Injuriâ præfata perierit Inſcriptio, hoc Veritatis dedimus Teſtimonium Die vigeſimâ quartâ Octobris Anni mileſimi ſeptingenſimi vigeſimi quinti.*

Thomas Power-Daly of Carrownekelly, Eſq;
Denis Daly of Frenchbrook, in the County of Mayo, Counſellor at Law.
Peter Daly of Quanſbury, in the County of Galway, Counſellor at Law.
James Browne }
Andrew Semper } Athenry
Andrew Browne }
Michael Berny, Deputy Portrieve of Athenry.
R. P. *Fr. Raymundus de Burgo.*
R. P. *Fr. Auguſtinus de Burgo.*

PORRO cum iſtæ omnes Subſcriptiones, demptis duabus poſterioribus Alumnorum illius Conventûs, Anglico Idiomate factæ ſint, viſum eſt, eas latinè reddere, ut alterius Nationis Lectori faciam ſatis.

Thomas Power-Daly de *Carrownokelly* (s), Armiger.
Dionyſius Daly de Frenchbrook, in Comitatu Mayonenſi, Juriſconſultus.
Petrus Daly de Quanſbury, in Comitatu Galvienſi, Juriſconſultus.
Jacobus Browne }
Andreas Semper } *Athenrienſes* Incolæ
Andreas Browne }
Michael Berny, Sub-Præfectus (t) *Athenriæ*.

ALIA

(r) Nullus dubito quin Inſtrumentum iſtud ſit verè authenticum, ipſeque ſæpenumerò audivi à P. Magiſtro *Edmundo de Burgo*, Theologo *Caſanatenſi*, ſe allatam vidiſſe Inſcriptionem. Nihiloſeciùs Rem maturius perpendenti mirari ſubit, quorsùm *Carolus Manus rubræ*, ſeù *à Pugno rubro*, ut ab alijs nuncupatur, honorarius *Conaciæ* Rex, qui Diem clauſit extremum Anno 1224, ut ex Hiſtorijs illorum Temporum liquet, & ex infrà dicendis (§. xvi. hujus Cap. Num. ii.) clarebit, potuerit *fieri facere* Refectorium Cænobij, quod fundatum non fuit ad Annum uſque 1241. Hinc dicendum videtur, vel antè ſtabilitum Fratrum Prædicatorum Conventum fuiſſe eò Loci Domum aliquam Monachorum, cui majora adjunxit *Milo de Bermingham*, Cænobij noſtri Fundator, ut de Cænobio *Dublinienſi* (§. i. Cap. præs. Num. ii. Pag. 187.) dictum eſt; vel recentiori Tempore, fortaſſe poſt Cænobii *Athenrienſis* Devaſtationem caſuali Incendio, utprotinùs (Num. x) narrabitur, factum fuiſſe Refectorium illud Sumptibus alicujus à laudato *Carolo* deſcendentis, nominati quoque *Caroli* cum additamento etiam *Manûs rubræ*, ſed abſque Titulo *Regis Conaciæ*. Mos quippè vigebat, & etiamnùm viget, apud *Hibernos*, Agnomina Majorum tribuere deſcendentibus, eodem luſtrali Nomine donatis.

Cæterùm *Carolus* iſte, ut obiter dicam, à Criticis vocatur *Cathaldus*, & rectè quidem, hibernicè ſiquidem vocatur *Cathal-Crovderg*, id eſt, *Cathaldus Manus rubræ*: Obijt autem 5 *Kalendas Junij* 1224 *Habitu Ciſtercienſis Monachi priùs ſuſcepto*, inquit *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 218. Porrò clariſſimus hujus Nominis Sanctus, Patriâ *Liſmorenſis* in *Waterfordienſi* Agro *Momoniæ*, floruit Sæculo Eccleſiæ Quinto, fuitque Epiſcopus *Tarenti* in Provincia *Neapolitani* Regni *Hydruntina*, Natione olim *Magnæ Græciæ*, cujus Eccleſia, nunc Metropolitana, eidem eſt ſacra, ipſeque *Tarentinæ* Civitatis Patronus colitur. *Arimini* in *Romandiola* exiſtens Anno 1742, accepi, Eccleſiam Conventualem noſtri Ordinis Prædicatorum laudato S. *Cathaldo* dicatum eſſe, idque conſtat ex *Bullario* noſtro Tom. iii. Pag. 160. Feſtum ejus celebratur ab *Hibernis* Die 8 Martij, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 23. Fertur, inventam fuiſſe apud *Tarentum* Anno 1492. *S. Cathaldi* Prophetiam, Tabulis plumbeis inſculptam, qua de re videſis *Alexandrum ab Alexandro, Dierum Genialium* Lib. iii. Cap. xv.

(s) In Comitatu *Galvienſi*. Ne mireris porrò Virum iſtum Equeſtrem, mihi olim notum, Duo ſubſcripſiſſe Cognomina, raro ſanè *Hibernorum* Exemplo. Enimverò Materni Generis *Power* Hæreditatem ſat pinquem conſecutus eſt, ea Lege ut & Cognomen illius paterno ſuo *Daly* præmitteret.

(t) Varijs Titulis, idem tamen reapsè ſignificantibus, Alia Momenta Notatu digna invenire non eſt apud ſæpè laudatos Patres *Athenrienſes*. Ad ea igitur quæ ſunt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, in Operibus *Waræi*, in Epilogo Chronologico *O-Hegni*, Conventûs iſtius Alumni, &c, rectâ procedo.

IX. Imprimis itaque *Waræus* (*u*) loquens de *Florentio Mac-Flin*, Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1250 conſecrato, & Anno 1256 defuncto, ait: *In Cænobio Prædicatorum Athenriæ conſtruxiſſe fertur Domum Scholarium*, per quam profectò intelligitur illa Cænobij Pars, ubi Academicæ Rei Theologicæ Philoſophicæque Exercitia peragi ſolent.

Deinde Anno 1400 Summus Pontifex *Bonifatius* IX Ædes Sacras *Athenrienſis* hujus Cænobij ſtatis quibuſdam Diebus viſitantes Indulgentijs donavit ſequenti Conſtitutione, perpetuis futuris Temporibus duraturâ, quam legere eſt in laudato *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*w*).

"Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

"Cupientes igitur (*x*) ut Eccleſia Domûs Beatorum Petri & Pauli de Achueri (*y*) Ordinis Fratrum Prædicatorum, Tuanien (*z*) Diæceſis, congruis Honoribus frequentetur, & reparetur, ac conſervetur, & ut Chriſti fideles Causâ Devotionis eò libentiùs confluant ad eandem, & ad Conſervationem, vel Reparationem, aut Fabricam hujuſmodi Manus promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem Dono cæleſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, & Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis Aſſumptionis, Conceptionis, & Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis, ac Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri & Pauli prædictorum, & S. Dominici, ac Dedicationis ipſius Eccleſiæ Feſtivitatibus, & Celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Mariæ, & Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri & Pauli præfatorum Feſtivitatum Octavas, & per Sex Dies dictam Feſtivitatem Pentecoſtes immediatè ſequentes, eandem Eccleſiam devotè viſitaverint annuatim, & ad Conſervationem, vel Reparationem, aut Fabricam hujuſmodi Manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicèt Feſtivitatum, & Celebritatum, Septem Annos, & totidem Quadragenas, Octavarum vero, & Sex Dierum præfatorum Diebus, quibus Eccleſiam ipſam devotè viſitaverint, & Manus adjutrices porrexerint, ut præfertur, Centum Dies de injunctis eis Pænitentijs miſericorditer relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris Temporibus duraturis. Datum Romæ apud S. Petrum XII. Kal. Januarij, Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo."

---

tibus, nuncupantur Civitatum, Oppidorum, Burgorum &c Præfecti apud Anglos, & *Anglicano-Hibernos*, nempè *Mayor* pro Civitatibus, Oppidiſque inſignioribus, pro alijs autem *Portrieve*, *Burgomaſter*, *Sovereign*, *Provoſt* &c. juxtà Regiorum Diplomatum, quibus Corpora conſtituuntur Politica, Tenorem.

(*u*) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 205.

(*w*) Tom. ii. Pag. 406 ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. cxxxv. Fol. 49.

(*x*) Prætermittitur Exordium in *Bullario Ordinis*, quod tamen legere poteris Cap. præs. §. ii. Num. vi. Pag. 201.

(*y*) Rectè *Athneri*, ſeù *Athnery*, non verò *Achueri*, quod Mendum Scriptori *Archivi Apoſtolici*, aut *Archivi Ordinis* excidit. Exſcribens ſiquidem, Literam *t* pro *c*, & Literam *n* pro *u* confundebat, quod & cuivis tametſi cæteroquin accurato haud rarò contingere poſſet. Enimverò *Itali* Amanuenſes prælibatas duas Literas, alijs duabus reſpectivè parùm abſimilies, quandoque, hiſce etiam Diebus, efformant. Sic etiam Mendum Scriptori excidit circâ *Tuamenſem* Diæceſim, ut mox cum *Bullario* obſervabitur. Sanè exiſtimarem cum quodam per *Achueri* intelligi potiùs *Achonri*, ſeu *Achonry*, latinè *Achadam*, ſi ibi unquam fuiſſet Ordinis Prædicatorum Conventus, & niſi *Bonifatianum* hoc Diploma diſertè aſſereret, Cænobium, de quo eſt Sermo impræſentiarum, in *Tuamenſi* ſitum eſſe Diæceſi, cum tamen *Achadæ* ipſa ſit Sedes Epiſcopalis in Comitatu *Sligoenſi*, ut liquet ex ſuperius expenſis Cap. i. Num. xii. Pag. 18. Adde, in alia Conſtitutione jamjam exſcribenda (Num. xiii) pro Cænobio hoc rectius ſcribi *Athnarj*.

(*z*) Rectè *Tuamenſis* (ut exprimitur in ſequenti Conſtitutione) vulgò *Tuam*, in Galvienſi Agro *Conaciæ*. Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

X. ANNO 1423, quandoquidem tàm Eccleſia, quàm Domus Conventualis *Athenriæ* cum Ædificijs ſuis, & Officinis neceſſarijs, caſuali Ignis Incendio combuſtæ fuerint, idcircò *Martinus* Papa V pro eo, quo flagrabat Pontificiæ Charitatis Zelo, earundem Eccleſiæ, & Domûs Conventualis Reparationi intentus, ad Effectum illum Indulgentias elargitus eſt, & quidem pro Diebus *S. Patritij*, & *S. Petri ad Vincula*, in ſuperiori Conſtitutione *Bonifatiana* haud præſcriptis. En porrò ipſius Diploma, prout in *Bullario Ordinis Prædicatorum* jacet (*a*).

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, præſentes Literas
“ inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cum itaque *(b)*, ſicut acepimus Domûs Ordinis Fratrum Prædicatorum Loci de Achuerij *(c)*, Tuamenſis
“ Diæceſis, cum ſuis Ædificijs, & Officinis neceſſarijs, ac Eccleſia illi contigua, caſuali Ignis Jncendio
“ lamentabiliter combuſta fuerit, & ad Reparationem ejuſdem, cujus nullæ Facultates ſuperſunt,
“ Chriſti fidelium Suffragia ſint plurimùm opportuna, Nos, cupientes, ut Eccleſia prædicta congruis Honoribus
“ frequenterur, & tàm ipſa quàm hujuſmodi Domus, decenter reparentur, & ut Fideles ipſi eò
“ libentiùs Causâ Devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, necnon ad Reparationem hujuſmodi Manus
“ promptiùs porrigant adjutrices, quò ex hoc ibidem Dono cæleſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos,
“ de Omnipotentis Dei Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi,
“ omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in S. Patricij, & S. Petri ad Vincula *(d)* Feſtivitatibus,
“ Eccleſiam prædictam devotè viſitaverint, & ad hujuſmodi Reparationem Manus porrexerint adjutrices,
“ ut præfertur, ſingulis videlicet Feſtivitatum earundem Tres Annos, & totidem Quadragenas de injunctis
“ eis Pænitentijs miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi aliàs viſitantibus dictam Eccleſiam
“ Domûs ejuſdem, vel ad ejus Fabricam Manus porrigentibus adjutrices, ſeù aliqua alia inibi Indulgentia
“ in perpetuum, vel ad certum Tempus, nondùm elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit,
“ præſentes Literæ nullius exiſtant Roboris, vel Momenti. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem XI.
“ Kal. Octobris, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.”

XI. ANNO 1427, laudatus Summus Pontifex *Martinus* V Facultatem conceſſit Fratribus *Athenrienſibus* duos fundandi Conventus in *Hibernia*, & quidem ob Penuriam in hoc Regno Prædicatorum, & aliorum Virorum Scientiâ peritorum, à quibus Populus in Fide Catholica debitè erudiri valeret, ut ipſummet refert Diploma, in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*e*) videndum, Tenoris ſequentis:

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Rapoten *(f)*,
“ Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Sacræ Religionis, ſub qua dilecti Filij Guillelmus Ryedymer, & Ricardus Golber, ac alij Fratres Domûs,

---

(*a*) Tom. ii. Pag. 625, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxxvi. Fol. 202.

(*b*) Exordium deſideratur tàm in *Archivo Apoſtolico*, quam in *Archivo Ordinis*.

(*c*) Rectius *Athnery*, ut nuper oſtenſum eſt ad Lit. y.

(d) Veriſimile eſt, idcircò pro Feſtivitate hac conceſſam fuiſſe Indulgentiam, quia *SS. Petro & Paulo* ſacra erat Cænobij iſtius Eccleſia, ut ex Superiori Conſtitutione liquet.

(*e*) Tom. ii. Pag. 675, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxxix. Fol. 65.

(f) Vernaculè *Rapho* in *Donegalenſi* Agro *Ultoniæ* ſub Archipræſule *Armacano*. Epiſcopus porrò iſte, in Conſtitutione memoratus, erat *Laurentius O-Galohor*, (ſeu, ut paſſim nunc ſcribitur, *O-Gallagher*) ut videre eſt in *Rapotenſium* Præſulum Catalogo apud *Waræum*, ubi etiam & alius adeſt *Laurentius O-Galohor*, Anno 1477 defunctus. Fuit demum, ut obiter dicam, nuperis hiſce Annis & tertius (neutri ſanè ſecundus) ex eadem Cognatione Epiſcopus *Rapotenſis*, luſtrali Nomine *Daniel*, Religioſo autem *Bonaventura O-Gallagher*, Ordinis Minorum Alumnus, Vir verè doctus, verèque prudens, quem *Romæ* in extranationali ſuo *S. Iſidori* Collegio Lectorem, tàm Actualem, quàm Jubilatum, inſuperque Guardianum, atque in *Rapotenſi* Diæceſi Præſulem, omnibus Numeris abſolutum, probè noveram. Præſens item fui Conſecrationi ipſius ab Eminentiſſimo D. *Antonio Xaverio Gentili*, Tituli S. *Stephani in Monte Cælio* Præſbytero Cardinali, in Ædibus ſuis *Romæ* privatim peractæ Die 29 Decembris 1737. Non Senio, ſed infirmâ Valetudine fractus, piè obijt *Sligoæ* Anno 1749, in *Donegalenſi* ſuo Cænobio tumulatus.

mûs de Athnery *(g)* Ordinis Prædicatorum, Tuanen *(h)* Diæceſis, mundanis abjectis Illecebris, devotum, & ſedulum impendunt Altiſſimo Famulatum, promeretur Honeſtas, ut eorum Votis, in his potiſſimè, quæ divini Cultûs, & ejuſdem Religionis Augmentum, ac Animarum Salutem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte dictorum Fratrum Petitio continebat, quod in Inſula Hiberniæ, de qua ſunt oriundi, non eſt Copia Prædicatorum, & aliorum Virorum Scientiâ peritorum, à quibus inibi degens Populus in Fide Catholica debitè valeat erudiri. Quarè pro Parte ipſorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicta Inſula duo Loca recipiendi, & retinendi, ac in quolibet ipſorum Locorum Eccleſiam, ſivè Oratorium, cum Campanili, Campana, Cæmeterio, Domo, Clauſtro, & alijs neceſſarijs Officinijs, pro ipſorum, & aliorum Fratrum dicti Ordinis, qui erunt pro Tempore, Uſu, & Habitatione perpetuis, conſtruendi, & ædificandi, ſeù conſtrui, & ædificari faciendi, Licentiam concedere, ac aliàs in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Fraternitati Tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs, ſi eſt ità, Guillelmo, & Ricardo, ac alijs Fratribus ſupradictis in Inſula prædicta, Duo Loca ad hoc congruentia, & honeſta, ſi ſibi piâ Largitione Fidelium concedantur, aut aliàs illa juſtis Modis poterunt adipiſci, recipiendi, & retinendi, ac in quolibet eorundem Eccleſiam, ſivè Oratorium, cum Campanili, Campana, Cæmeterio, Domo, Clauſtro, & alijs neceſſarijs Officinis hujuſmodi, pro Supplicantium, & aliorum, qui erunt pro Tempore, Fratrum præfatorum Uſu, & Habitatione perpetuis, conſtruendi, & ædificandi, ſeù conſtrui, & ædificari facendi, ut præfertnr, Diæceſanorum Locorum, & aliorum quorumlibet, ſuper hoc Licentiâ minimè requiſitâ, Juribus tamen Parochialium Eccleſiarum, & quorumcunque aliorum, in omnibus ſemper ſalvis, plenam, & liberam Auctoritate noſtrâ Licentiam largiaris. Ipſis inſuper concedendo, quod Domus, & Fratres prædicti, & qui etiam in Domibus eiſdem pro Tempore reſederint, omnibus, & ſingulis Privilegijs, Indulgentijs, Libertatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, & Gratijs, quibus aliæ quæcunque Domus dicti Ordinis ubilibet conſtitutæ, & Fratres in eis degentes pro Tempore, potiuntur, & gaudent, uti perpetuò valeant pariter, & gaudere. Non obſtantibus fel. Recordationis Bonifatij PP. VIII, Prædeceſſoris noſtri, quâ prohibetur ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, vel Caſtro, vel Villâ, aut alio quocunque Loco, Domos, ſivè Loca de novo recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ Licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum de Prohibitione hujuſmodi Mentionem, ac alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon Statutis, & Conſuetudinibus Domus de Athnery, & Ordinis prædictorum, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis aliâ Firmitate vallatis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos *(i)* Idibus Januarij, Pontificatûs noſtri Anno Decimo."

XII. Porro quinam ſint Duo Conventus iſti, mihi, ut candidè fatear, nondùm perſpectum, & exploratum eſt, quos tamen crediderim *Tombeolenſem* in eodem Agro *Galvienſi*, & *Ballindunenſem* in Agro *Sligoenſi*, de quibus ſigillatìm agetur Cap. præs. §§. xxxiii, & xxxiv.

XIII. Anno 1445, Die 31 Martij, *Eugenius* IV, Summus Pontifex, Conſtitutionem Prædeceſſoris ſui *Martini* V innovavit in hunc Modum, ut videre eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*k*).

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Licèt is (*l*) de cujus Munere venit, ut ſibi à Fidelibus dignè & laudabiliter ſerviatur, de Abundantia ſuæ Pietatis, quæ Merita Supplicum excedit, & Vota, benè ſervientibus ſibi multo majora retribuat quàm valeant promoveri. Nihilominùs tamen deſiderantes Domino reddere Populum acceptabilem, & bonorum Operum Sectatorem, Fideles ipſos ad complacendum ei quaſi quibuſdam allectivis Muneribus, Indulgentijs videlicèt, & Remiſſionibus, invitamus, ut exindè reddantur divinæ Gratiæ aptiores.

Cum

(g) Hìc profectô accuratè ſcribìtur More hibernico, atque ex iſto Vocabulo facilè interpretari licet *Achueri*, & *Achuerij* in ſuperioribus Diplomatibus.

(*h*) Id eſt, *Tuamenſis*, ut nuper obſervatum eſt.

(*i*) Id eſt, Apud Eccleſiam *SS. Duodecim Apoſtolorum*, quæ nunc Juris eſt Fratrum Minorum Conventualium.

(*k*) Tom. iii. Pag. 67. ex *Archivo Apoſtolico* Lib. cxcv, Fol. 291.

(*l*) Exordium hoc Brevitatis Gratiâ haud integrum adeſt in allato *Bullarij* noſtri Loco, quia in innumeris alijs ſimilis Tenoris Diplomatibus legere eſt. Id tamen in Rem Lectoris ex Tom. ii. ejuſdem *Bullarij* Pag. 312. tranſcribo.

“ Cùm itàque, ſicut accepimus, Domus de Athuari (*m*), Ordinis Fratrum Prædicatorum, Tuamen. Di-
“ æceſis, in qua Fratres Numero Triginta, vel circà, degentes devotè Virtutum Domino famulantur,
“ caſuali Incendio in Eccleſia, & Officinis ſuis, ac eorum Structuris, & Ædificijs plurima Damna perpeſ-
“ ſa fuerit &c (*n*). Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadrin-
“ genteſimo Quadrageſimo Quinto, Pridie Kalendas Aprilis, Pontificatûs Noſtri Anno Quinto Decimo.”

XIV. ISTIS omnibus non Abs Re erit ſubnectere quæ de nativo ſuo Conventu *Athenrienſi* habet *Joannes O-Heyn* (*o*): “ Bonorum *(inquit)* immobilium ad hunc Conventum ſpectantium hæc
“ ſunt Nomina. Intrà Civitatem *(p) Athenriæ* erat Terra murata juxtà Monaſterium, Molendinum
“ magnum, & optimum ad Oſtium ferè Conventûs, & variæ Domus. Extrà Civitatem erat Pagus de
“ *Glaim hè an Bhauin*, qui ab Initio pertinuit ad Monachos Benedictinos: Erat etiam alia Terra valdè
“ commoda dicta *Foreſta Fratrum*, vulgò *na Mbhrathar*, propè Civitatem à Parte Auſtrali; à Boreali
“ Parte eſt Terra dicta *Pagus Davidis*, hibernicè *Baille Dhay*, ubi eſt Sacellum pertinens ad Conven-
“ tum; aliud Prædium, diſtans uno Milliari à Civitate ad Euroaquilonarem Partem, vocatur *Binghharra*;
“ aliud Prædium propè *Suifinn* vocatur *Killchbraovanta*, ubi etiam eſt Sacellum pro iſto Conventu. Sa-
“ cellum de *Kilcorban* cum Prædio bono pertinuit etiam ad hunc Conventum, ut dicit *Waræus (q)*.
“ In Parochia de *Grainſeagh*, inter *Binmor*, & *Rathglas*, eſt Pagus amplus, & fertilis, qui vocatur
“ *Rathchaluige, madh lubain an Tempuill* cum Sacello. Hæc ſunt, quorum Reminiſcentiam habeo, &
“ legi ſæpiùs in pervetuſta Membrana (*r*) Anno mei Novitiatûs, videlicet 1665, & ideò inculco iſta hìc,
“ ut aliqua Notitia diſtincta vigeat apud juniores Alumnos hujus Conventûs, undè facilius indagare va-
“ leant, ſi Jeſus Chriſtus fiat miſertus Patriæ aliquandò, expiatis noſtris Peccatis.” Hæc *O-Heynus*, ex quibus etiam colligere eſt, ad Conventum hunc *Athenrienſem* nonnulla pertinuiſſe Sacella, aut ſi mavis, Domos Vicariales, de quibus ſub §. præſentis Finem, & alibi (*s*) Sermo erit, cum ſcilicet de Domibus Conventualibus *dubijs* diſſeretur.

XV. CONVENTUS iſte *Athenrienſis*, cum Quatuor alijs *Hiberniæ Dominicanæ*, erectus fuit Anno 1644 in Univerſitatem, ſeù Studium Generale, ut vocant, à Capitulo Generaliſſimo, *Romæ* celebrato, cujus Verba ſuperiùs exſcripſi (*t*). In eo etiam ampliſſimo Cænobio plura habita fuiſſe Comitia Provincialia, Nemini Dubium eſſe debet; atque memorato ipſiſſimo Anno 1644 ibidem electus erat in Priorem Provincialem P. *Gregorius O-Ferrall*, Longofordienſis, aſſumpto ſcilicèt ad Epiſcopatum *Imelacenſem* Illuſtriſſimo *Terentio-Alberto O-Brien*, Limericenſi, qui antecedenti duntaxàt Anno *Kilkenniæ* electus fuerat, ut alibi dictum eſt (*u*). Ibidem inſuper electi fuere in Priores Provinciales P. Magiſter *Gulielmus de Burgo*, Senior, Athenrienſis, Anno 1648; P. Magiſter *Conſtantinus O-Cuiffe*, Corcagienſis, Anno 1670; & P. Magiſter *Gulielmus de Burgo*, Junior, Bureſulenſis, Anno 1674, denuò electus *Roſcomaniæ* 1678, ut ex poſtmodùm narrandis clarebit (*w*).

XVI. SUB Regibus Acatholicis Latifundia hujus Cænobij conceſſa fuere ad Tempus Præfecto, & Burgenſibus Oppidi *Athenrienſis*, ac poſtmodùm *Rickardo de Burgo*, Comiti *Clanrickardiæ* (*x*). Nihilominùs conventualiter ibi degebant Fratres noſtri, nedùm regnante *Jacobo* II, ſed etiam ſtatìm à tranſacta *Cromuelliana* Uſurpatione uſque ad Generale Exilium Anno 1698 (*y*), & quidem

---

(*m*) Hoc eſt, de *Athnari*.

(*n*) Ità *Bullarium*, ubi reliqua Brevitatis ergò prætermittuntur, quæ tamen facili Negotio colligi poterunt ex alijs ſimilis Tenoris Diplomatibus Cap. præſ. §. ii. Num. vi, & vii; §. xiii. Num. iv; ac §. xxxi. Num. iii, iv, & v.

(*o*) In *Epilogo Chronologico*, Pag. 29.

(*p*) Præmiſit *O-Heynus*, ſuo Tempore *Athenriam* à Curialibus vocari Civitatem, quod tamen nunc verum non eſt, ſed meri Oppidi Titulo potitur.

(*q*) Hìc *O-Heynus* affert *Waræi* Verba de Sacello *Kilcorbains*, quæ ſuperiùs exſcripta habes in hoc §. Num. iii. ad Lit. t. Pag. 222.

(*r*) Membrana iſta amplius non extat penès *Athenrienſes* Patres. Verſimile autem eſt, eam, cum innùmeris alijs Monumentis, in hoc alijſque *Hiberniæ* Cænobijs olim aſſervatis, fuiſſe deperditam in Exilio Generali Epiſcoporum, & Regularium Anno 1698, cujus anteà mimini Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*s*) Cap. ſeq. §. iv.

(*t*) Cap. vi. Num. x. Sect. 7. Pag. 115.

(*u*) Cap. præſ. §. iii. Num. iv. Pag. 206.

(*w*) Cap. xiv. Num. xiv, xv, xviii, & xix.

(*x*) Ità *Harriſius* Vol. II. Pag. 277; ubi priores vocat *Termors* anglicè, id eſt, habentes Latifundia iſta ad limitatum duntaxàt Annorum *Terminum*. Confer Cap. præſ. §. xxix, Num. iii. Lit. g; & Cap. xvii. Num. ix. Lit. 5.

(*y*) Recole Cap. vi. Num. xi; Cap. vii. Num. i; & Cap. viii. Num. ii. Pag. 116, 136 & 154.

cum magna Legum noſtrarum Obſervantia, atque cum Incremento Catholicæ Religionis, & Decore Ordinis, indeque Juvenes è melioris Notæ Familijs Religionem ibi ingrediebantur. Idemque omninò poſt memoratum Exilium, tàm ibi, quàm in alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Conventibus, practicabatur Miſſionis Apoſtolicæ Bono ad Annum uſque 1751, quo Receptio ad quemcunque Habitum Regularem in *Hibernia* fuit prohibita ab Eminentiſſimis Patribus Sacræ Congregationis de *Propaganda Fide* (z).

XVII. TUAMENSIS Archidiæceſis, in quo ſita eſt *Athenria*, Quatuor fuere Antiſtites *Dominicani*, ſcilicet *Joannes Babinghe*, *Joannes Batterley*, *Thomas O-Kelly*, & *Petrus Burgundus*. Nuper etiam obijt Illuſtriſſimus *Colemanus O-Shaghnuſſy*, Conventus hujus Alumnus, Epiſcopus *Oſſorienſis*; ſicut & paulo antè *Dominicus O-Daly*, Epiſcopus *Achadenſis*; aliuſque ipſius Alumnus ſub Initium hujuſce Sæculi, *Dominicus*, inquam *de Burgo*, Epiſcopus *Elphinenſis*, de quorum ſingulis Sermo alibi redibit (a).

XVIII. CONVENTUS iſte quatuor *Hiberniæ* dedit Provinciales, *Rolandum* nempè *de Burgo*, *Gulielmum de Burgo*, Seniorem, *Thaddæum O-Daly*, & *Colmanum O-Shaghnuſſy*, mox laudatum, ut ſuo Loco oſtendetur (b). Quatuorque protulit Scriptores, ſcilicet *Dominicum de Burgo*, jam memoratum, *Joannem O-Heynum*, *Edmundum de Burgo*, & *Thomam-Milonem de Burgo*, poſthàc uberiùs recenſendos (c). Necnon Septemdecim aut Martyrùm paſſos, aut publicâ Virtutis Opinione claros, nimirùm *Rolandum de Burgo*, jam anteà nominatum, *Vincentium-Geraldum Dillon*, *Stephanum Pettit*, *Jacobum Moran*, *Dominicum* (ſeù *Donatum*) *Nigrum*, *Richardum Hovedon*, *Joannem O-Cullin*, *Gulielmum de Burgo*, *Joannem O-Fahy*, *Edmundum de Burgo*, *Thomam Tully*, *Cornelium Mac-Mahon*, *Geraldum Davoc*, alterum *Gulielmum de Burgo*, *Joannem Davoc*, *Thomam de Burgo*, Seniorem, & *Humbertum Delphinum*, de quibus infrà ſigillatim dicetur (d).

XIX. SUPEREST nunc, ut hucuſque de *Athenrienſi* Conventu, ſeù Cænobio, dictis aliquid de *Kilcorbanienſi* Vicariali Domo ſubnectatur. Eſt autem *Kilcorbania*, id eſt, Eccleſia *Corbani* ſeù *Corbaini*, Pagus, ſeù Villa Agri *Galvienſis*, & Diæceſis *Clonfertenſis*, ubi Capella erat Beatiſſimæ Deiparæ ſacra, Parochiali Vicariæ de *Killedarmyrbolga* Auctoritate Apoſtolicâ unita, & incorporata, quam *Thomas de Burgo*, prælibatæ Diæceſeos Epiſcopus, de ejuſdem Capituli Conſenſu, Rogatu autem P. *Joannis Fitz-Rery*, Vicarij Generalis (e) *Hiberniæ Dominicanæ*, aliorumque ejus Fratrum, donavit Fratribus, & Sororibus Tertij (f) Ordinis *S. Dominici*, cum nonnullis Petijs Terrarum, ac Muris, & Poſſeſſionibus, dictæ Capellæ adjacentibus, ut refert *Eugenius* IV, Pontifex Maximus, Anno 1446, in Conſtitutione, Conceſſionem hanc confirmante, quam alibi commodiùs exſcribam (g), perſentio quippè hunc de *Athenrienſi* Cænobio Paragraphum oppidò excreviſſe.

XX. SODALES Conventûs hujus Anno 1756 ſunt Novem, nempè R. P. Prædicator Generalis Fr. *Martinus de Burgo*, Prior, Ætatis Anno 53, Profeſſionis 33; P. Fr. *Thomas O-Kelly*, Supprior, Ætat. 34, Prof. 13; R. P. Præſentatus Fr. *Dominicus de Burgo*, Ætat. 66, Prof. 40; R. P. Præſentatus Fr. *Dominicus O-Kelly*, Paſtor, Ætat. 59, Prof. 40; P. Fr. *Hyacinthus Keaghry*, Ætat. 65, Prof. 45; P. Fr. *Nicolaus Mac-Nelly*, Ætat. 67, Prof. 44; P. Fr. *Humbertus Dolphin*, Ætat. 71, Prof. 36; P. Fr. *Joannes Dolphin*, Ætat. 37, Prof. 16; Fr. *Edmundus Tiernan*, Converſus, ſeù Laicus, Ætat. 62, Prof. 38.

§. IX.

(z) Adeas Cap viii. Num. xxvii. Pag. 179.

(a) Cap. xiii. Num. xxx, xxxiv, xxxviii, xlviii, lxxi. lxxvi, & lxxviii.

(b) Cap. xiv. Num. viii, xv, xx, & xxviii.

(c) Cap. xv. Num. xxiv, xxvii, xxx, & xxxiii.

(d) Cap. xvi. Num. iv, xxxiv, xxxv, xxxvi, xli, lx, lxi, lxii, lxv, lxvi, lxx, lxxiii, lxxxv, xcix, & cii.

(e) *Harriſius*, Vol. I. Pag. 641.

(f) Adeas Cap. ſeq. §. iv. Num. iii.

(g) Cap. ſeq. §. iv. Ubi etiam Sermo erit de devota Beatiſſimæ Virginis Imagine, quæ in memorata Capella olim aſſervabatur.

§. IX.

De *Caſſelienſi* (A) Cænobio *S. Dominici* in *Tipperarienſi* Comitatu *Momoniæ*.

Anno 1243.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Civitatis* Caſſeliæ.

II. *Fundatio Cænobij. Nonnibil de Archipræſule* Caſſelienſi *Fundatore, Davide* Mac-Kellio, *Ordinis Prædicatorum. Nota de* Mac-Kelliorum, *ſeù* O-Kelliorum, *Stirpe.*

III. *Ædes Sacræ cum Cænobio Conflagratione abſumptæ, ac ab altero* Caſſelienſi *Archi Præſule,* Joanne Cantwell, *reſtauratæ. Ergà tàm munificum Benefactorem gratam ſe exhibet* Hibernia Dominicana *Anno* 1480.

IV. *Conventus hic in Univerſitatem erectus Anno* 1644.

V. *Extant adhuc Muri Ædium Sacrarum, & Cænobij. De Latifundiorum Poſſeſſore.*

VI. Caſſelienſes, & Imelacenſes *Antiſtites Dominicani. Celebres inſuper fuere Conventûs hujus Alumni.*

VII. *Iſtius Conventûs Patres Anno* 1756.

I. CASSELIA, alijs *Caſſilia,* aut *Caſſellia,* hibernicè *Caiſſiol,* anglicè *Caſhell,* parva eſt Civitas *Momoniæ,* in Agro *Tipperarienſi,* non autem illius Caput, Comitia quippè Juridica, ſeù Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ* (*a*), non ibi, ſed *Clonmellæ* (*b*) pro memorato Agro, ſeù Comitatu, ſingulis Semeſtribus habentur. Eſt nihilominus Municipium (*a*), à Prætore cum Senatoribus, vulgò *Majore,* & *Aldermannis* (*c*) gubernatum, atque Sedes Archiepiſcopalis, totius *Momoniæ* Metropolitica, Sancto *Cormaco Mac-Cuillinan,* illius Antiſtite, inſimulque *Momonienſium* Rege, alibi laudato (*d*), clara. Nundinæ ibi habentar Quater in Anno, Diebus nimirùm 26 Martij, 7 Auguſti, 9 Septembris, & 1 Novembris. Titulum præbet Vice Comitis, Die 19 Januarij 1643 creati, qui impræſentiarum eſt *Richardus Bulkeley. Dublinio* diſtat Septuaginta Quatuor Milliaribus; *Clonmellâ,* mox memoratâ, Duodecim; *Corcagiâ,* Quadraginta Quinque; *Limerico,* Viginti Octo; *Galviâ,* Sexaginta Sex; *Londino-Deriâ,* Centum Quinquaginta Quinque.

II. Intra Civitatem hanc Cænobium cum Eccleſia, S. Patriarchæ *Dominico* ſacrâ, Fratribus Prædicatoribus (*e*) fundavit Anno 1243 David *Mac-Kellius* (*f*), Conventûs *Corcagienſis,* ejuſdem Ordinis, Alumnus, Archipræſul *Caſſelienſis,* priùs autem *Clonenſis* Epiſcopus, de quo alibi opportunior Sermo redibit (*g*).

III. Post ducentos autem Annos Ædibus Sacris, ac Cænobio, Conflagratione infelici ex integro abſumptis, tunc exiſtens Archiepiſcopus *Caſſelienſis,* cui Nomen *Joannes Cantwell* (*h*), eadem

---

(*A*) Sic latinè ſcribitur in antiquo Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* (quem exſcriptum habes Cap. ii. Num. vi. Pap. 38.) & paſſim apud *Waræum*; item apud *Echardum,* Tom. ii. Pag. xiii.

(*a*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*b*) De ea Sermo erit Cap. præs. §. xl. Num. i.

(*c*) Recole Cap. præs. §. i. Num. vii. Lit. i. P. 189.

(*d*) Cap. i. Num. i. Pag. 3. Adeas Cap. xvi, Num. xix.

(*e*) Anonymus Scriptor Catalogi Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ,* Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. in Medium adducti; *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 204; *Harriſius,* Vol. II. Pag. 277; *Alemandus* Pag. 230; *O-Heynus,* Pag. 19; & *Echardus,* Tom. ii. Pag. xiii.

(*f*) *Mac-Kelly,* ſeù, ut paſſim ſcribitur, *O-Kelly,* antiquiſſima eſt, olimque Regia *Imaniæ* in hodierno Agro *Galvienſi* Familia, pluſquàm quævis alia per univerſam, quà latè patet, Hiberniam diffuſa, vix enim aut ne vix quidem Pagum, aut Villulam reperire eſt, ubi, *Kellius* aliquis non adeſt. Principaliores inclytæ hujus Stipitis Rami fuerunt de *Aghrim,* de *Gallagh,* & de *Mullagh,* in prælibato *Galvienſi* Agro, ubi, ſicut & in *Roſcomanienſi,* atque alibi in *Conacia,* haud modica Latifundia etiamnùm poſſident. Confer Cap. xiii. Num, L. Lit. i.

(*g*) Cap. xiii. Num. i.

(*h*) *Waræus,* de *Antiquitatibus Hibernicis,* Cap. xxvi. Pag. 204.

dem Sumptibus proprijs munificè reſtauravit, ut ex *Kingi Collectionibus* (*i*) refert *Harriſius* (*k*) addens, P. *Joannem Fitz-Rery*, Vicarium Generalem *Hiberniæ Dominicanæ*, cum Priore, & Fratribus memorati *Caſſelienſis* Conventûs, ea de Cauſa Illuſtriſſimum Archipræſulem laudatum declaraſſe Patronum ſuum, & Fundatorem, eumque donaſſe Participatione, atque Beneficio Miſſarum omnium, Orationum, Sermonum, Vigiliarum, aliorumque bonorum Operum Ordinis Prædicatorum per univerſam *Hiberniam*, dato deſuper Inſtrumento *Limerici* (*l*) in Vigilia *S. Auguſtini* Anno 1480, cujus Originale dicitur eſſe penès quendam de memorata *Cantwella* Familia in Agro *Tipperarienſi*.

IV. Etsi pro tribus alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Nationibus, *Lageniâ* nimirùm, *Ultoniâ*, & *Conaciâ*, Tres duntaxàt Univerſitates, *Studia Generalia* paſſim nuncupatæ, erectæ fuerint à Capitulo Generaliſſimo, *Romæ* 1644 celebrato, pro *Momonia* tamen Duæ, una ſcilicet *Limerici* (*m*), altera autem in *Caſtelienſi* hoc Cænobio, ut ex laudati Capituli Verbis, alibi allatis, (*n*) liquidò conſtat.

V. Magna Pars antiqui Cænobij hujus, Murique integri Eccleſiæ, haud obſtante Temporum Injuriâ, etiamnùm manent, ut proprijs inſpexi Oculis Anno 1754. Quâ Eccleſiâ, ut nunc jacet, ampliorem, & venuſtiorem nullam mehercle in univerſa *Hibernia Dominicana* videre eſt (*o*). Latifundia porrò *Gualtero Flemingho*, Armigero, dudùm conceſſa fuere (*p*).

VI. Nullum invenio Archidiæceſis hujus Antiſtitem ex Ordine Prædicatorum præter laudatum *Davidem Mac-Kellium*, Cænobij, ut præfertur, Fundatorem. Cæterùm conterminæ Diæceſis *Imelacenſis*, vulgò *Emly* (*q*), in Agro *Tipperarienſi*, ubi ſita eſt *Caſſelia*, ut jam dictum eſt, Duo fuere Sæculo ſuperiori Epiſcopi, ſibi immediatè ſuccedentes, *Jacobus* nempè *O-Hurly*, & *Terentius-Albertus O-Brien*, ob Catholicæ Fidei Defenſionem Laqueo ſuſpenſus, de quibus opportunior Sermo redibit (*r*).

Insuper alij celebres fuere Viri, Cænobij hujus *Caſſelienſis* Alumni, nominatim *Joannes-Baptiſta Hacquetus*, de quo infrà, inter Scriptores (*s*); atque *Gaſpar Boyton*, & *Marcus Boyton*, ſuo Loco recenſendi (*t*).

Istis hìc Loci addendum reor *Petrum O-Mulryan*, " qui (*u*) ſtuduit *Lovanij*, & in *Hiſpania*.
" Redux *Lovanium* fuit Magiſter Novitiorum, ac Supprior, & in Patriam regreſſus fuit Prior
" *Waterfordiæ*. Exul (*w*) jam reſidet *Rothomagi* (*x*) in *Gallia*. Callet ſex Linguas, ità ut ſit
" utilis ad inſerviendum Deo, & Religioni in illo famoſo Portu." Pie obijt ibidem Die 4 Novembris 1706.

VII. Patres hujus Conventûs Anno 1756 ſunt R. P. Fr. *Philippus Dwyer*, Prior, Ætatis Anno 41, Profeſſionis 18; P. Fr. *Thomas Cleary*, Ætat 58, Prof. 35; P. Fr. *Joannes Ryan*, Ætat. 54, Prof. 31; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Vicentius Breen*, Ætat. 50, Prof. 26; P. Fr. *Joannes Farrell*, Ætat. 46, Prof. 26.

§. X.

(*i*) Anglicè *King's Collections*, Pag. 89.

(*k*) *Harriſius*, Vol. I. Pag. 281.

(*l*) Ibi, opinor, celebrata fuere tunc Temporis Comitia ad inſtar Capituli Provincialis, ut ſuperius explicabam Cap. iii. Num. ii, & ſeqq. à Pag. 48.

(*m*) Recole §. v. hujus Capitis, Num. v. Pag. 213.

(*n*) Cap. vi. Num. x. Sect. 7. Pag. 115.

(*o*) Confer §. xxxiv. Cap. præſ. Num. iii.

(*p*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 277.

(*q*) *Imelaca* Duodecim Milliaribus *Caſſeliâ* diſtat.

(*r*) Cap. xiii. Num. lxv, & lxvi.

(*s*) Cap. xv. Num. xx.

(*t*) Cap. xvi. Num. xl, & cviii.

(*u*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 20.

(*w*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*x*) Gallicè *Rouen* in *Normannia*.

§. X.

De *Tralienſi* Cænobio *S. Crucis* in *Kerrienſi* Comitatu *Momoniæ*.

Anno 1243.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Traleiœ.

II. *Fundatio Cænobij. Fundator, & Filius ejus,* Geraldini, *ibidem ſepulti. Nota de Nobiliſſimo* Geraldinorum *Stemmate.*

III. *Memorabilis Eventus, ob quem* Thomas Geraldinus, Momoniæ *Princeps, &* Hiberniæ *Prorex, dictus eſt* Simiacus.

IV. *Septem* Hiberniæ Dominicanæ *Cænobia ſub Nuncupatione* S. Crucis, *de qua Commemoratio fit quotidie in Completorio.*

V. *Septem Comites* Deſmondiæ, *& Palatini* Kerriæ, *è Domo* Geraldina, *in Ædibus Sacris Cænobij hujus* Traleienſis *tumulati. Unus eorum ibidem Religioſus Laicus.* Thomas Geraldinus, *prælibatis inſignitus Titulis,* Pariſijs *defunctus, apud Fratres Prædicatores ſepultus, adſtante* Henrico *V*, Anglorum *Rege.*

VI. *Solo jam æquatis Templo, & Cænobio* Traleiæ, *plures Lapides Sepulchrales adhuc viſibiles. Actualis Latifundiorum Poſſeſſor.*

VII. Ardfertenſes, *ſeu* Kerrienſes, *Epiſcopi Dominicani, Nonnulli è celebrioribus Conventûs hujus Alumnis, nominatim* Daniel *(alias* Dominicus) O-Daly, *Epiſcopus* Conimbricenſis *electus, Collegij noſtri* Ulyſſiponenſis *Fundator.*

VIII, *Sodales iſtius Conventûs Anno* 1756.

I. TRALEIA, hibernicè *Traligh*, anglicè *Tralee*, Burgus eſt maritimus Diæceſis *Ardfertenſis* ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, atque Comitatûs *Kerrienſis* (vulgò *Kiery*, & *Kerry*) Caput, utpotè in quo Comitia Juridica (*a*) ſingulis Semeſtribus pro memorato Comitatu celebrantur. Ibi etiam bis in Anno geminæ habentur Nundinæ, Diebus ſcilicèt 9, & 10 Octobris; ac 7, & 8 Novembris. Eſt quoque Municipium, quà *Burgus Parlamentarius* (*a*), diſtans *Dubliniô* Centum Viginti Quinque Milliaribus; *Ardfertâ* memoratâ, Quatuor; *Caſſeliâ*, Sexaginta Octo; *Corcagiâ*, Quinquaginta; *Limericô*, Quadraginta Septem; *Galviâ*, Sexaginta Sex; & *Londino-Deriâ*, Centum Octoginta Sex.

II. Intra *Traleienſem* hunc Burgum fuit Cænobium Ordinis Prædicatorum (*b*), quod Anno 1243 fundavit *Joannes Geraldinus*, anglicè *Fitz-Gerald* (*c*), quartus *Ophaliæ* Baro, Comitum *Kildarenſium*,

---

(*a*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*b*) Auctor Anonymus pervetuſti Catalogi, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. in Medium adducti; *Waræus*, de *Antiquitat. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 212; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 229; *O-Heynus*, Pag. 20; *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii; *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 7.

(*c*) Antiquiſſima juxtà ac Nobiliſſima *Geraldinorum* Domus ſuam trahit Originem ab *Othone*, magnifico magnanimoque Barone *Italò*, è Ducibus *Hetruriæ*, ſeù *Tuſciæ*, qui à *Florentina* Civitate in *Normanniam*, nunc *Galliarum* Provinciam, dein in *Angliam* Sæculo Eccleſiæ undecimo profectus eſt, & à *S. Eduardo* Rege, dicto *Confeſſore*, inter *Angliæ* Barones cooptatus. Ejus Filius *Gualterus* genuit *Geraldum*, alijs *Giraldum*, & *Gerardum*, magni Nominis, magnæque Potentiæ Virum, à quo Familià hæc *Geraldina* denominatur. *Geraldus* iſte in *Cambria*, vulgò *Wallia*, nunc *Angliæ* Principatu, Domicilium fixit, ibique ex Conjuge ſua *Neſta*, Principis *Cambriæ Auſtralis* Filia, ſuſcepit *Mauritium Geraldinum* (aliumque Nomine *Gulielmum*, Comitum de *Macclesfield*, aliorumque *Gerardorum* in Anglia, atque Fitz-Mauritiorum in *Hibernia*, olim Baronum, nunc verò Comitum *Kerrienſium*, Progenitorem) qui *Richardo le Clare*, vulgò nuncupato *de Arcu forti*, vernaculè *Strongbow*, (recole §. iii. hujus Cap. Num. ii. Pag. 205.), *Pembrochiæ* in *Wallia* Comiti, Conſanguineo ſuo, in *Hiberniam* præivit Anno 1169, ut *Henrici* II, *Anglorum* Regis Vice, *Dermitio Mac-Morrough* (confer §. i. Cap. præs. n. viii. Lit. s. Pag. 191.) Regi *Lageniæ*, Suppetias ferret contrà *Tigernacum O-Rourke*, *Breſſiniæ Occidentalis*, nunc Comitatûs *Leitrimenſis*, Regulum, & Protectorem hujus *Rodericum* *darenſium*, & *Deſmondiorum* Progenitor, dictus paſſim in Hiſtorijs *Joannes de Callan* (*Deſmondiæ*, nunc Agri *Kerrienſis*, Pago) quia in Prælio ibi, contra *Mac-Chartæos* commiſſo, occubuit, ſicut & Filius ejus *Mauritius*, Anno 1261, in *Traleienſi* hoc Cænobio ſepulti *(d)*.

III. Hujus poſtremi *Mauritij Geraldini* Filius *Thomas*, *Hiberniæ* Prorex, dictuſque *Momoniæ Princeps*, apud Hiſtoricos paſſim *Simiacus*, hibernicè *Nappagh*, anglicè *the Ape*, nuncupatur, & quidem ob ſequentem Eventum, ab Hiſtoricis, & noviſſimè à *Lodgæo* (*e*) memoratum : Occiſis uno eodemque Die apud *Callanam*, ut præfertur, Patre ipſius, & Avo, Nuncioque de infauſta hac Sorte *Traleiam* perveniente, Nutrix, Famuli, atque Familiares *Thomam* tunc Novem duntaxàt Menſium Infantem prorsùs negligebant, præ Stupore, & Tremore è *Geraldinis* Ædibus (quas ipſaſmet nuper vidi) egredientes pro Rei certâ Notitia, Incolis è contrà *Traleienſibus*

eodem

---

rum O-Connor, *Conaciæ* Regem, inſimulque *Hiberniæ* Monarcham, indeque Viam *Anglis* aperuit ſubjiciendi ſibi *Hiberniæ* Inſulam.

Hujus *Mauritij* primogenitus, *Geraldus Geraldinus*, creatus fuit *Ophaliæ* (recole Cap. ii. Num. xiii. Lit. n. Pag. 42.) Baro à *Joanne* Rege Anno 1205, genuitque *Mauritium Geraldinum*, ſecundum *Ophaliæ* Baronem, qui ſuit *Hiberniæ* Prorex; quique primus Fratres *Prædicatores*, ſicut & *Minores*, in hoc *Hiberniæ* Regnum adduxit, ut Cap. ii. Num. xiii. Pag. 42. oſtenſum eſt; quique tandem Conventum noſtrum *Sligoenſem* fundavit, ut §. xiii. Cap. præſ. Num. ii dicetur, & Conventum *Youghallenſem* Ordinis Minorum, fundato anteà ab ejus (ex Filio *Thomâ*) Nepote *Joanne Geraldino*, Cænobio *Traleienſi*, de quo in præſenti §. fit Sermo.

Laudatus *Mauritius Geraldinus*, præter prælibatum *Thomam*, alium poſt ſe reliquit Filium, Nomine item *Mauritium*, Proregem (ſeù Juſtitiarium) *Hiberniæ*, cujus Filia *Emma* Anno 1276 nupſit *Thomæ* Baroni de *Clare*, Filio Comitis de *Glouceſter*, & *Hertford*, in *Anglia*, quo ex Conjugio deſcenderunt Barones de *Apulby*, & de *Southampton*; item *Humphrius* Comes de *Northampton*, qui duas procreavit Filias, quarum Senior, Nomine *Eleonora*, Matrimonium inivit cum *Thoma de Woodſtock*, Duce de *Glouceſter*, & Comite de *Buckingham*, ſexto Regis *Eduardi* III Filio; junior verò, cui Nomen *Maria*, nupſit *Henrico Plantagenet*, Duci de *Hereford* & *Lancaſter*, ac poſtmodùm *Anglorum* Regi ſub Nomine *Henrici* IV, qui ex memorata *Maria* ſuſcepit *Henricum* Regem hujus Nominis *Quintum*.

Ipſemet autem *Thomas Geraldinus*, ejuſdem *Mauritij* primogenitus, tertius *Ophaliæ* Baro, ob Res præclarè geſtas *Magnus* paſsìm nuncupatus, Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt Anno 1260, unicum poſt ſe relinquens Filium, Hæredemque ſuum, *Joannem*, dictum *de Callan*, in Textu memoratum, quartum *Ophaliæ* Baronem, Cænobij noſtri *Traleienſis* Fundatorem, qui, ultrà *Mauritium*, in Textu recenſitum, quatuor ſuſcepit Liberos ex *Honoria*, *Hugonis O-Connor*, Regis Titularis *Conaciæ* Filia, nempè *Gilbertum*, ab Hibernis dictum *Gibbon*, Progenitorem *Equitis Albi*, ut vocant, ſivè *Clan-Gibbon*, atque Cænobij noſtri *Killocienſis* (de quo §. xxiv. Cap. præs.) Fundatorem; *Joannem*, Progenitorem Equitis de *Glyn*, & *Valley*, latinè de *Clivo*, & *Valle*, proprijs ſcilicet Prædiorum Nominibus; *Mauritium*, qui primus fuit Eques *Kerrienſis*, vulgò dictus *Eques Niger* à Cæſariei Colore, ad Differentiam *Equitis Albi*, Progenitorque *Geraldinorum* de *Alloone* in *Kildarenſi*, de *Gurteens* in *Kilkennienſi*, & de *Turlough*, & *Mobiny* in *Mayonenſi* Comitatibus; & *Thomam*, plurium *Geraldinorum* in Agris *Kerrienſi*, & *Limericenſi* Anteceſſorem. Videſis §. xxiv. Cap. præſ. Num. ii. Lit. k.

Porrò *Mauritius Geraldinus*, *Joannis de Callan* primogenitus, Filium habuit *Thomam*, dictum *Simiacum* ob Rationem in Textu adductam, *Hiberniæ* Proregem, ſivè Juſtitiarium, atque *Momoniæ* Principem, qui Anno 1295 defunctus, in *Youghallenſi* noſtro Cænobio, à ſe fundato, tumulatus fuit. Duos poſt ſe reliquit Filios, *Joannem* nempè, primum Comitem *Kildarenſem*, & *Mauritium*, primum Comitem *Deſmondium*, quorum prior Die 14 Maij 1316, poſterior verò Die 27 Auguſti 1329, creatus fuit. Hic Sexdecim habuit Succeſſores, ſed Titulus tandem extinctus fuit regnante *Elizabethâ*, quod ipſius Imperio *Geraldus Geraldinus*, Comes *Deſmondiæ*, inſimulque Dynaſta Palatinus *Kerriæ*, omnibus Modis reſtiterit. Succeſſio autem *Kildarenſium* durat uſque in hodiernum Diem, quo *Jacobus Geraldinus*, Comes vigeſimus, floret, Marchio *Kildaræ*, & Comes *Ophaliæ* creatus Anno 1761. Hæc, & plura alia, de Nobiliſſima hac Progenie legere eſt apud Hiſtoricos, & Genealogico-Heraldicos, noviſſimè apud *Lodgæum* Vol. I. à Pag. 1. ad 49, qui etiam eadem de Familia Nonaginta Paginas in Folio ediderat Anno 1745. Atque eadem de Re noſter *Dominicus O-Daly*, Conventûs hujus *Traleienſis* Alumnus, Opuſculum Sæculo Superiori Juris publici fecit, ut dicetur Cap. xv Num. xxi. Adeas Cap. xvii. Num. xxvii.

(*d*) *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 212.

(*e*) Vol. I. Pag. 8.

eodem Conſilio ad memoratas Ædes turmatim confluentibus. Hinc Simia domeſtica Infantem accipiens, ad ſummitatem uſque Campanariæ Turris Fratrum Prædicatorum, ab Infantis Avo extructæ, portavit, ibique Gyrum fecit, *Thomam* Unguibus uncis geſtans, coràm ingenti Populo deorsùm obſtupeſcente, & expaveſcente, tandemque deſcendens retrò, Infantem ſanum, & incolumen in Cunis repoſuit. In cujus Rei Memoriam Comes *Kildarenſis*, à *Thoma* iſto ortus, in Teſſera Gentilitia, ſeù Inſignibus Armarijs, habet Simias pro Telamonibus, & Simiam etiam pro Apice Galeato cum hac Epigraphe: *Non immemor Beneficij.*

IV. Quandoquidem porrò ejuſdem Teſſeræ Gentilitiæ *Geraldinorum* Area, ſeù Scutum, Cruce rubra inſignitum ſit, indè fortaſſis factum eſt, ut Tria noſtra ab ipſis fundata Cænobia ſub Nuncupatione ſint *S. Crucis*, ſcilicet *Traleienſe*, & *Sligoenſe* jam recenſita, atque *Youghallenſe*, ab ipſomet *Thoma Simiaco* extructum *(f)*. Quinque etiam alij *Hiberniæ Dominicanæ* Conventus ſub eadem ſunt *S. Crucis* Nuncupatione, nempè *Arcloenſis* in *Lagenia*, *Glanorenſis* in *Momonia*, atque *Stradenſis*, *Rathbrannenſis*, & *Clonſhanvillenſis* in *Conacia*. Quâ, crediderim, de Causâ Extranationali Cænobij noſtri *Lovanienſis* Ædes Sacræ *S. Cruci* dicatæ fuere *(g)*: Moſque ab immemorabili in hac *Hiberniæ* Provincia invaluit dicendi, poſt *Salve Regina* in Completorio, Antiphonam, Verſiculum, & Collectam de *S. Cruce.*

V. Comitum *Deſmondiæ* à laudato *Thoma* (Simiaco) *Geraldino*, ut mox dictum eſt (*h*), rectâ Lineâ deſcendentium, qui inſuper, Teſte *Lodgæo* (*i*), *Kerriæ* fuere Dynaſtes Palatini (*k*), plures in *Traleienſi* noſtta Eccleſia tumulati ſunt. Et imprimis *Mauritius Geraldinus* (qui primus fuerat ab *Eduardo* III Rege Die 27 Auguſti 1329 iſtis decoratus Titulis) in Arce *Dublinienſi*, quà *Hiberniæ* Prorex, ſeù Juſtitiarius, Die 25 Januarij 1355 defunctus, ad prælibatam *Traleienſem* Eccleſiam tranſlatus fuit (*l*). Hujus etiam primogenitus, & Succeſſor, *Mauritius Junior* nuncupatus, Morte ſubitaneâ apud Caſtrum de *Caſtlemain*, in hodierno Agro *Kerrienſi*, Anno 1358 correptus, ibidem ſepultus eſt (*m*). Inſuper *Mauritius*, dictus *Bellicoſus*, Comes decimus, *Traleiæ* Anno 1520 denatus; *Jacobus*, Comes undecimus, defunctus in *Dinglienſi* Burgo *Kerriæ*, Die 18 Junij 1529; *Jacobus* item, Comes decimus tertius, in Prælio de *Athnekirkie*, in hodierno Agro *Limericenſi*, Die 31 Auguſti 1535 occiſus; hujuſque Pro-Patruus *Joannes*, decimus quartus Comes, (qui, ut refert *Lodgæus* Pag. 23 Genalogiæ *Geraldinæ* in Folio, antè Finem Vitæ Religioſus Lacius erat in Dominicano hoc *Traleienſi* Cænobio) Viam univerſæ Carnis circà Natale Domini 1536 ingreſſus, in eadem Eccleſia tumulati ſunt (*n*). Iſtius inſuper Filius *Jacobus*, decimus quintus *Deſmondiæ* Comes, ibidem ſepultus eſt Anno 1574 (*o*). Tertius autem, ſeptimus, & nonus Comites inhumati aſſeruntur *Youghallæ*, in Agro *Corcagienſi*, ſed quandoquidem eo in Oppido duplex ſit Cænobium ab ipſiſmet *Geraldinis*, ut nuper dictum eſt (*p*), fundatum, unum Ordinis Prædicatorum, alterum Ordinis Minorum, hinc mihi, ut candidè fatear, nondùm perſpectum exploratumque eſt, in cujuſnam Cænobij Ædibus Sacris eorum Exuviæ conduntur. Sextus verò *Deſmondiæ* Comes, *Thomas Geraldinus*, Die 10 Auguſti 1420 *Pariſijs* denatus, in Cænobio Fratrum Prædicatorum ibidem tumulatus fuit, *Anglorum* Rege *Henrico* V Exequijs adſtante, ut referunt *Waræus*, & poſt *Marpurgum Lodgæus* (*q*), atque *Annales Hiberniæ* ad Calcem *Britanniæ Camdeni* (*r*). Sed cum iſtorum Nemo aliquid determinet ex tribus Fratrum Prædicatorum Cænobijs *Pariſienſibus*, crediderim id eſſe principalius, nempè *San-Jacobæum.*

VI. Ut

(*f*) Conſulendus §. xx. hujus Capitis, Num. ii, ubi videbis Eccleſiam noſtram *Youghallenſem* priùs *S. Cruci* poſtmodiùm *S. Mariæ Gratiarum* dicatam, ut ex *Regiſtro Magiſtri Ordinis* liquet cujus Verba legere poteris Cap. præſ. §. xx. Num. ii.

(*g*) Hanc aliaſque fortaſſe ejuſdem Nuncupationis Cauſas videre poteris Cap. xii. §. iii. Num. xii.

(*h*) Ad Lit. c.

(*i*) Vol. I. Pag. 9.

(*k*) Palatinus Auctoritatem, & Prærogativam habet quaſi regiam, exercetque Juſtitiam Nomine proprio & per proprios Adminiſtros.

(*l*) *Lodgæus* Vol. I. Pag. 10.

(*m*) Idem ibidem.

(*n*) Idem Pag. 15 & 16.

(*o*) *Dominicus O-Daly* in *Propagatione Geraldinorum*, quam *Relationi Geraldinorum* præmittit.

(*p*) Ad Lit. c.

(*q*) *Waræus* in *Hibernicarum Rerum Annalibus* ad Annum 1420; *Lodgæus* Vol. I. Pag. 12.

(*r*) Poſt Pag. 1526 ad Annum 1420. Confer Cap. vii. Num. xvii. Lit. h. Pag. 149.

VI. Ut autem *Traleiam* regrediamur, quamquàm Solo prorsùs æquata ſint Templum, & Cænobium, *Traleienſibus* in Sitûs eorum Parte, ceù in Platea, hinc inde diſcurrentibus, plures nihilominùs etiamnùm viſuntur Lapides Sepulchrales, unus nominatìm Effigies duorum Infantium Gemellorum, quos Traditio adjudicat Domui *Geraldinæ*, clarè diſtinctèque exhibens. Etſi porrò incertum ſit, quo Tempore dirutæ fuerint Ædes-ſacræ, crediderim tamen, eas, regnante *Jacobo* II, aliquatenùs extitiſſe, eò quippè Loci vidi nuper (Anno 1754) Tumulum adhuc erectum cum ſequenti Inſcriptione, Anglicanis Verbis conceptâ :

Here lie's the Body of David Roche, Eſquire, Counſellor
at Law, who died Auguſt the 13th 1686. *His Daughter*
lies interrid near this.
Latinè
Hic jacet Corpus Davidis de Rupe (*s*), Armigeri, Juriſconſulti,
qui obijt Die 13 Auguſti 1686. Ipſius Filia huc propè
inhumata jacet.

Porro Situs Cænobij, & Latifundia eidem olim annexa, nunc poſſidentur â *Thoma Denny*, Equite Baronetto, qui in ipſiſmet habitat Ædibus *Geraldinis*, nuper recenſitis (*t*), jam renovatis, atque ut vulgò loquimur, modernizatis.

VII. *Ardfertenſis*, ſeù *Kerrienſis* (*u*) Diæceſis, intrà cujus Fines eſt *Traleia*, duo fuere Epiſcopi Dominicani, nempè *Chriſtianus* Anno 1256, & *Edmundus de Caermarthen* Anno 1341, de quibus ſuo Loco Sermo redibit (*w*).

Hujus etiam Cænobij Alumnus erat Illuſtriſſimus *Daniel* alias (*Dominicus*) *O-Daly*, Epiſcopus *Conimbricenſis* electus, Extranationalis noſtri *Ulyſſiponenſis* Collegij Fundator (*x*). Ut nihil impræſentiarùm dicam de *Thaddæo O-Moriarty*, & *Thomâ Moriarty*, Fratribus Germanis, atque *Richardo Huſſay*, & *Dominico Mac-Egan*, quorum honorabilis fiet Mentio inter *Hiberniæ Dominicanæ* Viros, publicâ Virtutis Opinione claros (*y*), necnon *Moriartum Moriarty* inter Scriptores recenſendum (*z*).

Lubet autem hìc Loci memorare P. *Thomam O-Cuirk*, de quo hæc habet *O-Heynus* : “ Erat
“ tàm doctus, & eximius Prædicator, ut Supremum Regni Concilium Catholicum (*a*) exiſtens
“ *Kilkenniæ* ab Anno 1643 ad 1650, miſerit expreſsè pro eo ad Octoginta Milliaria, ut eſſet
“ Prædicator Ordinarius Concilij, undè digniſſimus Prædicator condignum obtinuit Auditorium
“ Nobilium, & Sapientum Catholicorum, inter quos Deum glorificavit, & Ordinem ſuum
“ honorificavit.”

VIII. Sodales Conventûs hujus Anno 1756 nonniſi Duo ſunt, ſcilicet R. P. Prædicator Generalis Fr. *Edmuudus Stack*, Prior, Ætatis Anno 54, Profeſſionis 24 ; & P. Fr. *Gulielmus Conolly*, Ætat. 50, Prof. 26.

§. XI

(*s*) De Nobili hac Familia Sermo erit §. xlii hujus Capitis inter agendum de *Glanorenſi* Cænobio ab ea fundato.

(*t*) Num. iii. hujus §.

(*u*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. ad Lit. l. Pag. 18.

(*w*) Cap. xiii. Num. vi, & xx.

(*x*) Conſule Cap. xii. §. ii. Num. ii ; & Cap. xiii. Num. lxix.

(*y*) Cap. xvi. Num. xlvi, xlvii, lxiv, & cxix.

(*z*) Cap. xv. Num. xviii.

(*a*) Adeas Cap. xvii. Num. xliii.

§. XI.

De *Villanovano* (*a*), ſeù *Newtonenſi*, Cænobio *Sancti Columbæ (b)* in *Dunenſi* Agro *Ultoniæ.*

Anno 1244.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Villæ Novæ, *ſeù,* Newtonæ. *Nonnihil de* Dunenſi *Monachorum Cænobio. Notæ de Sancto* Columba; *de alijs Locis, quibus Nomen* Villa Nova; *deque Burgo* Duni, *ac Tumulo SS.* Patritij, Brigidæ, *&* Columbæ.

II. *Cænobij noſtri Fundatio. De eo Scriptores, & Decretum Commiſſarij Apoſtolici* Plunketti. *Incertum Fundatoris Nomen; veroſimilius* Gualterus de Burgo, *Comes* Ultoniæ.

III. *Cænobium hoc dictum quandoque* Abbatia. *Vox hæc ab* Alemando *malè intellecta.*

IV. *Nonnulla ibi habita Comitia, quæ tametſi haud propriè Provincialia, non minora tamen quoad Numerum Patrum. Cænobij Veſtigia, & moderni Latifundiorum Poſſeſſores.*

V. Dunenſis, *&* Connorenſis *Diæceſes ab Anno* 1442 *unitæ. Poſterioris disjunctìm, & ambarum unitèr Epiſcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumpti.*

VI. *Alumni Conventûs iſtius Anno* 1756.

I. VILLA NOVA hibernicè *Baillenudh*, anglicè *Newton* (*c*), indeque *Newtona* latinè dicta à pluribus etiam Sæculis, ut liquet ex Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, quem Anonymus Scriptor Sæculo Eccleſiæ decimo tertio texuit, quemque ipſe ſuperiùs exhibui (*d*). Municipium (*e*) eſt, ſeù Burgus Parlamentarius, Comitatûs, & Diæceſis *Dunenſis*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, haud longè à Burgo maritimo, qui *Banchorus* à pulchro Monachorum Choro, ut alibi exponebam (*f*), nuncupatur. Ibi quippè celeberrimum erat Monaſterium, de quo mellifluum *S. Bernardi* Elogium jam anteà exſcripſi (*g*). Uterque porrò Burgus eſt in moderna Baronia, ſeù antiquo Territorio, quod *Ardes* ab *Altis* Montibus vocant, quodque Peninſula eſt ad Littus Maris Orientalis, & ad dexterum Latus Æſtuarij *Rupis Ferguſiæ*, vulgò *Carrickfergus*, unde breviſſimus (*h*) Trajectus eſt ad *Gallovidiam, Scotiæ* Provinciam, ut ipſe Experientiâ didici, *Scotiam* ſiquidem, illis in Partibus *Ultoniæ* Anno 1751 exiſtens, clariſſimè vidi, ſicut & Inſulam Anglicanam, *Man* vernaculè, *Monam* autem, & *Monaviam*, latinè nuncupatam, ex quâ *Angliam, Scotiam,* & *Hiberniam* quiſquam ſimul & ſemel intueri valet. *Villa Nova*, ſeù *Newtona*, diſtat *Dubliniô* Octoginta Tribus Milliaribus; *Banchorô*, Quatuor; *Dunô* (*i*) Viginti Uno; *Ar-*

(*a*) Sic nuncupatur Cænobium hoc ab *Echardo*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*b*) Sanctus *Columba*, ſivè *Columbus*, Abbas, compoſito ex *Columba*, & *Cella* Vocabulo, *Columbcellus*, vulgò *Columbkillus*, paſſim cognominatur apud *Hibernos*, tanquàm multarum Cellarum, id eſt, Monaſteriorum, vel Eccleſiarum Fundator, & Rector. Tertius eſt *Hiberniæ* Patronus, Anno 597 ad cæleſtem Patriam tranſlatus, cujus Feſtivitatem celebrant Hiberni Die 9 Junij, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 22.

(*c*) Trium iſtorum Nominum latini, hibernici, & anglici, idem eſt omnino Senſus literalis, ut Cap. ii. Num. xi. Lit. e. Pag. 38. obſervabam.

(*d*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. Porrò ſapienti Conſilio addit Anonymus noſter, *in Agro Dunenſi*, cùm tamen taceat omninò Agros, in quibus alia Oppida, Civitateſve continentur. Enimverò anglicum Nomen *Newton*, latinumque *Villa Nova*, pluribus aliorum Agrorum, ſeù Comitatuum Oppidis, ac Civitatibus commune eſt, quod etiam reperire eſt in exteris Regionibus, ut ipſe haud rarò vidi. Fui nominatìm Anno 1743 apud *Villam Novam* in *Gallia*, quæ Civitas eſt è Regione *Avenionis* ad *Rhodanum* Flumen ſita, vulgò *Villeneuſve d'Avignon* nuncupata.

(*e*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*f*) Cap. i. Num. xiii. Lit. b. Pag. 21.

(*g*) Cap. i. Num. xiv. Pag. 21.

(*h*) Recolendum Cap. i. Num. iv. Pag. 12.

(*i*) *Dunum* Burgus eſt Capitalis Agri, ſeù Comitatûs, *Dunenſis*, non præcisè quia Denominationem *macâ*, Triginta Tribus ; *Deriâ*, nunc *Londino-Deriâ*, Sexaginta ; *Pontanâ*, item Sexaginta ; *Corcagiâ*, Centum Octoginta ; *Galviâ*, Centum Quinquaginta Sex.

II. APUD *Villam Novam*, aliàs *Newtonam*, Cænobium fuiſſe Ordinis Prædicatorum Anno 1244 fundatum, referunt Scriptores hucuſque pro Cænobiorum noſtrorum Erectionibus laudati (*k*), de illoque extat Decretum Illuſtriſſimi æquè ac Clariſſimi *Oliverij Plunkett*, Archiepiſcopi *Armacani*, & Commiſſarij Apoſtolici, cujus expreſſum Tenorem ſuperiùs exſcripſi (*l*), ubi etiam anteriorem de iſto Conventu Litem, à Fratribus Minoribus motam, recenſui. Cæterùm Fundatoris Nomen latuit prorsùs *Waræum*, tàm in *Antiquitatibus Hibernicis*, quàm in *Hibernicarum Rerum Annalibus*. Aſſerit tamen *Alemandus* (*m*), eum fuiſſe aliquem ex *Anglicana Savageorum* Familia, quæ, me Teſte, adhuc opulenta viget in Territorio de *Ardes* præſertìm circà Pagum maritimum de *Portaferri*. Nihilominùs refragatur Loci accuratior Traditio, quâ fretus P. Magiſter *Gelaſius Mac-Mahon*, ex Conventûs iſtius Priore electus *Hiberniæ* Provincialis Anno 1688 (*n*), ajebat eum fundatum fuiſſe à *Waltero*, ſeù *Gualtero de Burgo*, Comite *Ultoniæ*, Comitis *Rufi* Genitore (de quo Sermo jam fuit (*o*) iterùmque erit (*p*), cùm de *Lothorienſi* Cænobio, ab ipſo haud dubiè fundato, egero), ut à laudato *Gelaſio* audivit, atque in Notis Marginalibus manuſcriptis *Epilogi Chro-*

---

ei tribuit, plures ſiquidem Comitatus à Locis denominantur, qui nunc puri putique Pagi ſunt, ut videre eſt in *Kildarenſi*, *Mayonenſi*, *Clarenſi*, *Antrimenſi*, & *Fermanacano*, ſed quia Comitia Juridica, ſeú Conſeſſus Judicum Semeſtres, vulgò *Aſſiſæ*, in eo habentur. Neque mirari ſubit, Oppidum duntaxàt, ſeù propriè Burgum eſſe *Dunum*, non autem Civitatem, etſi Sedem Epiſcopalem; enimverò in *Anglia*, & *Hibernia*, ad Differentiam *Italiæ*, aliarumque Regionum, Civitates reapsè non ſunt Sedes omnes Epiſcopales, immò neque Archiepiſcopales, ut *Armaca*, & *Tuama*, quæ nec Oppida, ſed Burgi duntaxàt ſunt. Videſis Cap. ſeq. §. i.

Dunum porrò Habitatione, & Miraculis *S. Patritij*, *Hiberniæ* Apoſtoli, clarum eſt, ibi enim, relictâ *Armacâ*, Sedem ſuam conſtituit, ibique Vitâ feliciter functus eſt Anno 493, atque honorificè ſepultus, tranſlatis dein ad Sacrum ejus Tumulum *Sanctæ Brigidæ* Virginis Anno 523, & *Beati Columbæ* Abbatis Anno 597, Viam univerſæ Carnis ingreſſorum, Exuvijs. Undè tritiſſimum apud Noſtrates Dyſtichon :

In Burgo Duno *Tumulo tumulantur in uno*
Brigida, Patritius, *atque* Columba *pius.*
Anglicè
Brigid, *Patrick*, & *Columb* of Renown
Were all three entomb'd in the Town of *Down.*

De ſacroſancto iſto Tumulo Lectiones ii. Nocturni in Feſto *S. Brigidæ*, Die 1. Februarij, apud *Hibernos*, quibuſdam præmiſſis, hæc habent : “ Qui
“ præclarus Theſaurus, mirabili divinæ Sapientiæ
“ Diſpoſitione multo Tempore abſconditus, tandem
“ cæleſtis Radij Indicio revelatus fuit cuidam illius
“ Sedis Epiſcopo, Nomine *Malachiæ*, dùm in me-
“ morata Eccleſia de Nocte oraret. Subindè Anno
“ Milleſimo Centeſimo Octogeſimo Quinto, Die No-
“ nâ Junij, Beato Columbæ Sacrâ, *Vivianus Tho-*
“ *maſius*, Tituli S. Stephani in Monte Cælio Preſ-
“ byter Cardinalis, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus, à
“ Lucio Papa III in Hiberniam pro dictarum ſacra-
“ rum Reliquiarum Tranſlatione expreſsè miſſus,
“ eaſdem in decentiorem Locum juxtà præfatam
“ Cathedralem Eccleſiam, aſſiſtentibus quindecim
“ Epiſcopis, necnon Abbatibus, Præpoſitis, Deca-
“ nis, Archidiaconis, Prioribus, alijſque Preſbyte-
“ ris, & Clericis, quàm plurimis, atque Nobilibus
“ Utriuſque Sexûs, cum immenſo etiam Populi Con-
“ curſu, magna Solemnitate, & Devotione, plau-
“ dentibus omnibus, tranſtulit, Quod Monumen-
“ tum, in ſumma Veneratione habitum, permanſit
“ uſque ad Tempora Henrici VIII.”

Eo autem regnante, *Leonardus Grey*, Anglus, Vicecomes de *Graney*, & Prorex *Hiberniæ*, pretioſum iſtum Theſaurum comburi fecit, ſparſis Vento Cineribus, Anno 1538. Sed Ultio divina ſuper eum cecidit, propter illud quippè, aliaque Delicta, Capite plexus fuit *Londini* Anno 1541, qua de Re legeſis *Waræum* in *Hibernicarum Rerum Annalibus*, ad Annos 1538, 1540, & 1541. Cæterùm Muri tàm Cathedralis Eccleſiæ, quàm Sacelli, juxtà eam ſiti, ubi ſacroſanctæ aſſervabantur Reliquiæ, etiamnùm exiſtunt, eoſque vidi Anno 1751.

(*k*) Auctor Anonymus pervetuſti Catalogi Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38 in medium adducti ; *Waræus* de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. P. 182 ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276 ; *Alemandus*, Pag. 223 ; & *O-Heynus*, Pag. 5. Ejuſdem Cænobij meminere *Porterus* in *Compendio Annalium Hiberniæ*, Pag. 216 ; & *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*l*) Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*m*) Pag. 223.

(*n*) Videſis Cap. xiv. Num. xxii.

(*o*) §. viii. Cap. præſ. Num. iv. Pag. 224.

(*p*) §. xxi. Cap. præſ. Num. ii.

Chronologici noſtri *O-Heyni* (*q*) teſtatum reliquit P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis*. Hùc etiam facit ſingularis Affectus, quo Familia iſta *Dominicanam* proſequebatur, ut vel ex hucuſque dictis claret (*r*).

III. NODUM profectò in Scirpo, ut ajunt, quærit *Alemandus* mox memoratus, dùm advertit, *Sanſon*, Geographum *Gallum*, item *Speed*, aliquotque alios Anglicos Scriptores, malè vocare *Newtonanum* hoc Cænobium *Abbatiam*, quandoquidem, inquit, Appellatio hæc Fratrum Mendicantium Domibus non competat. Verùm advertere debuit *Alemandus* Gallus, quamcunque Domum Regularem, ſivè Monachorum, aut Canonicorum Regularium, ſivè etiam Fratrum Mendicantium, juxtà Phraſim *Anglicanam* rectiſſimè vocari *Abbatiam*, juxtà Phraſim autem *Hibernicam*, *Monaſterium*, & hac Ratione Cænobia etiam noſtra *Pontanenſe*, & *Kilkennienſe*, nuncupantur *Abbatiæ*, ut alibi obſervabam (*s*).

IV. CÆTERUM benè advertit ſæpè memoratus *Alemandus*, magnificum fuiſſe Cænobium iſtud, vel hoc ſolo Nomine, quod nimirùm nonnulla habita ſint in eo Capitula, nominatim Annis 1298, & 1312, Teſte *Waræo* nuper laudato, quæ tametſi Capitula verè Provincialia non fuerint, ut alibi oſtenſum eſt (*t*), haud minora tamen erant quoad Numerum Patrum Capitularium. Aſt nunc Temporis vix aut ne vix quidem ſeù Templi, ſeù Cænobij, videre eſt Veſtigia. Eorum autem Situs, atque Latifundia primò conceſſa fuerunt à *Jacobo* I Rege *Jacobo Hamilton*, Vice-Comiti de *Claneboy* (*u*), in Agro *Dunenſi*, ſed poſteà per Aſſignationem, ſeù Aſſignamentum, ut vocant, in Poſſeſſionem venerunt *Hugonis Montgomery*, Vice-Comitis de *Ardes* (*w*), in prælibato Agro, cujus ex Filio Nepos, *Hugo* item *Montgomery*, creatus fuit Comes *Montis Alexandri* eodem in Agro, Die 18 Julij 1661 (*x*). Hiſce quidem Temporibus haud exiſtit Titulus Vice-Comitis de *Claneboy*, è prælibata nihiloſeciùs Familia *Hamiltona* Duo ſunt in *Hibernia* Vice-Comites, ſcilicet de *Strabane*, & de *Boyne*, unuſque Comes, nempè de *Clanbraſſil*, qui inſuper eſt Vice-Comes de *Limerick*, & Baro de *Claneboy*.

V. *Dunenſis* Diæceſis, in qua ſita eſt *Villa Nova* noſtra, ab Anno 1442 *Connorenſi*, alijs *Connertenſi*, unita manet. *Connorenſis* porrò Diæceſis antè memoratam Unionem Epiſcopus erat *Joannes de Hegleſcliff*, Ordinis Prædicatorum Alumnus; utriuſque autem unitæ Diæceſis Tres fuere, nempè *Richardus Wolſi*, *Robertus de Rupe Forti*, vernaculè *Rochefort*, & *Simon*, de quibus ſigillatìm ſuis Locis dicetur (*y*).

VI. ALUMNI Conventus hujus Anno 1756 ſunt, R. P. Prædicator Generalis Fr. *Joannes Gribbin*, Prior, Ætatis Anno 54, Profeſſionis 27; P. Fr. *Hiberus Magenis*, Supprior, Ætat. 49, Prof. 24; & P. Fr. *Jacobus Hillon*, Procuraror, Ætat. 53, Prof. 20.

§. XII,

De *Colranenſi* Cænobio *S. Mariæ* in *Londino-Derienſi* Comitatu *Ultoniæ*.

Anno 1244.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura*, & *Deſcriptio Burgi* Colranæ, *aliàs* Banninæ, & *interfluentis Amnis* Bannæ. *Nonnihil obiter de pergrandi Lacu* Neagh.

(*q*) Pag. 5.

(*r*) Cap. iv. Num. xvi. Lit. m. Pag. 83; & Cap. præf. §. viii. Num. iv. Lit. x. Pag. 223. Vide Cap. præf. §. xvi. Num. v.

(*s*) In hoc Cap. §. ii. Num. iii. Lit. u, Pag. 200. & §. iii. Num. v. Pag. 206.

(*t*) Cap. iii. Num. ii. & ſeq. à Pag. 48; ac Cap. præf. §. vii. Num. iii. Pag. 218.

(*u*) *Harriſius* Vol II. Pag. 276.

(*w*) *Harriſius* ibidem, & *Lodgæus* Vol. I. Pag. 360.

(*x*) *Lodgæus* Vol. I. Pag. 353.

(*y*) Cap. xiii. Num. xviii, xl, xli, & xliii.

II. *Situs, & Fundatio Cænobij. Certum Fundationis Tempus, haud obſtante quorundam Hallucinatione.*

III. *Incerta tamen Fundatoris Familia, an* O-Cathan, *ſeù* Cahan, *anglicè* Kean ; *anve* Mac-Evelin.

IV. *Conventus iſte circà Annum* 1484 *reformatus, atque Anno* 1644 *in Univerſitatem erectus.*

V. *De Sacra quadam Beatiſſimæ Virginis Imagine, à ſceleſtiſſimis Hæreticorum Manibus præſervata.*

VI *Quædam, ſed pauca, Templi Cænobijque adhuc videre eſt Rudera. Quis Latifundiorum Dominus ?*

VII. *Apologia Auctoris pro Penuria Materiei in hac Hiſtoria.*

VIII. *Celebres aliquot Conventûs hujus Alumni, duo nimirùm Epiſcopi, unuſque Provincialis, bis Munere functus, ac Octo, ſeù Martyrio, ſeû publicâ Virtutis Opinione, clari.*

IX. *Patres in Diſtrictu Conventûs iſtius verſantes Anno* 1756.

I. COLRANA, hibernicè *Culrainne*, anglicè *Colerain*, ſplendidus eſt, etſi exiguus, *Londino-Derienſis* Agri, & Diæceſis (ſub Archiepiſcopo *Armacano)* Burgus, Mænibus cinctus, qui maritimus cenſetur, quamquàm Oceano Quatuor Milliaribus diſtet. Dudùm vocabatur etiam *Bannina* ab interfluente *Banna*, Amne eximiæ Pulchritudinis, ut Nomen (*a*) ipſum indicat, qui è Montibus de *Mourne*, in Agro *Dunenſi*, ſcaturiens, per Lacum *Neagh* Longitudinis Quindecim Milliarium tranſit ad Caſtrum *Toome*, & Sylvis coronatus ſuperbo Alveo Oceanum petit, Salmonibus longè fæcundiſſimus, inquit *Porterus* (*b*), eo quod, ut aliqui exiſtimant, ſit Fluviorum omnium limpidiſſimus, cujuſmodi Aquis Salmones unicè delectantur. Caput eſt Baroniæ ejuſdem Nominis, ab eoque Dominationem antiquitùs ſumpſit integer, in quo exiſtit, Comitatus, *Colranenſis* propterea nuncupatus, ad Annum nempe 1609, ut alibi (*c*) me obſervaſſe memini. Municipium (*d*) eſt, ſeù Burgus Parlamentarius, tribuebatque Titulum Baronis, Defectu Hæredis Maſculini nuper extinctum. Ultimus autem illius Baro erat *Henricus Haire.* Nundinæ ibi habentur bis in Anno, Diebus nimirùm 12 Maij, & 5 Julij. Diſtat *Dubliniô* Centum, & Decem; *Pontanâ*, Octoginta Septem ; *Armacâ*, Quadraginta Septem ; *Londino-Deriâ*, Viginti Septem; *Corcagiâ*, Bis Centum Quinque ; *Galviâ*, Centum Quadraginta Quinque, Milliaribus.

II. PROPE Occidentalem, tàm Burgi, quàm Fluvij, Partem fuit Cænobium Ordinis Prædicatorum, juxtà concordem Scriptorum Sententiam (*e*). *Waræo* tamen in *Antiquitatibus Hibernicis* (*f*), aut Amanuenſi ejus, aut certè Typographo, Mendum excidit quoad Fundationis Annum 1274 (quo etiam Mendo *Alemandus*, & *Harriſius* decepti ſunt) ; ex antiquo ſiquidem Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo ſuperiùs, ex ipſomet *Waræo* de *Scriptoribus Hiberniæ* (*g*), exſcripto (*h*), & à Capitulo Generaliſſimo *Romæ* 1644 probato (*i*), Luce meridianâ clarius patet, *Colranenſe* hoc, ſivè *Banninum* Cænobium Anno 1244 excitatum fuiſſe. Hinc eo in Catalogo duodecimum obtinet Locum, inter *Newtonenſe* ſcilicet Anno ipſo 1244, & *Sligoenſe* Anno 1252 fundata. Quamquàm porrò eodem Anno fundatum fuerit ac *Newtonenſe*, ſeù *Villanovanum*, iſtud tamen Loco undecimo, *Colranenſe* verò Loco duodecimo poſui, ut ejuſdem Anonymi Veſtigijs adamuſsìm, ut par eſt, inhærerem. Idemque Reſpectu *Dublinenſis*, & *Pontanenſis* Cænobiorum præſtiti (*k*) ; atque Reſpectu *Sligoenſis*, & *Stradenſis* ; *Athyenſis*, & *Roſcomanienſis* ; *Rathbrannenſis*, & *Derienſis*, præſtabo (*l*).

III. QUOD

(*a*) *Bane* hibernicè ſignificat pulchrum, ut ſuperiùs dictum eſt Cap. i. Num. xiv. Lit. b. Pag. 21.

(*b*) Pag. 47.

(*c*) Cap. i. Num. x. Pag. 14.

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*)Ità enim *Waræus*, *Harriſius*, *Alemandus*, *O-Heynus*, & Anonymus Scriptor antiqui Catalogi Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, mox laudandi ; atque *Porterus* in *Compend. Annal. Eccleſ. Hiberniæ*, Pag. 216, & *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii.

(*f*) Cap. xxvi. Pag. 185.

(*g*) Lib. i. Cap. ix. Pag. 62.

(*h*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*i*) Conſulendum Cap. vi. Num. x. Sect. 6. Pag. 115.

(*k*) Cap. præſ. §. ii. Pag. 198.

(*l*) Cap. præſ. §§. xiv, xvi, & xxiii.

III. Quod attinet autem ad Fundatorem *Colranenſis* hujus *S. Mariæ* Cænobij, eum omninò tacet *Waræus,* quem tamen *Harriſius* (*m*), laudans *Alemandum* (*n*), aſſerit, fuiſſe aliquem ex nobili *O Cathanorum,* ſeù *O-Cabanorum* (*o*), Domo, quæ, ut rectè obſervat *O-Heynus* noſter (*p*), antiqua erat, & præpotens in Territorio illo, nunc autem radicitùs fermè convulſa, non ſecùs ac quamplurimæ aliæ *Hibernorum* Familiæ. Cæterùm in Notis Marginalibus, quas apud memoratum *O-Heynum* ſcripſit P. Magiſter *Edmundus de Burgo,* Theologus *Caſanatenſis,* refertur, P. P. *Michaelem Maquilin,* & *Petrum Moylen,* Conventûs hujus Alumnos, ſat evidenter demonſtraſſe, tùm ex communiori Patriæ Traditione, tùm ex alijs Momentis, non *O-Cabanum,* ſed *Mac-Evelinum,* ad quem etiam Prædium Cænobio adjacens ſpectabat, Fundatorem fuiſſe.

IV. Circà Annum 1484 Conventus iſte *Colranenſis,* cum *Pontanenſi,* & *Corcagienſi,* reformatus fuit, cui poſtmodùm reformationi nonnulli alij Conventus, *Limericenſis* præſertìm, & *Youghallenſis* acceſſere, ut alibi narrabam (*q*), eadem Operâ oſtendens, quid *Reformationis* Nomine intelligatur in Ordine Fratrum Prædicatorum (*r*).

Anno 1644 erectus fuit cum Quatuor alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Conventibus, *Dublinienſi* nimirûm, *Limericenſi, Athenrienſi,* & *Caſſelienſi,* in Univerſitatem, ſeù Studium Generale, ut vocant, à Comitijs Generaliſſimis *Romæ* ſub Rmo *Thomâ Turco,* Cremonenſi, in ijſdem Magiſtro Ordinis electo, ut liquet ex ipſomet eorum Decreto, quod ſuprà exſcriptum habes (*s*).

V. Hic Loci erat Imago Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, quam *Brutus Babington,* Natione *Anglus,* Epiſcopus Acatholicus *Derienſis,* “ impiè cupidus comburere, duobus Satellitibus ſuis, ut eam ad Rogum portarent, imperavit. Sacrilegi Morem Hæreſiarchæ gerentes, vix in Sacram Imaginem ſceleſtiſſimas injecerunt Manus, cùm exanimes ſubitò ceciderunt. Per alios æquè temerarios in Oppidi Forum delata, ſtructoque Rogo impoſita, manſit illæſa, Igne toto conſumpto, & Pice ſuffuſa, intratoque Pulvere in Foraminibus poſito, atque in novum Ignem conjecta, nihil mali tulit. Quare Pſeudo-Epiſcopus territus, & Morbo correptus, Animam exalavit, Imagine in priſtinum Locum divinitùs reſtitutâ. Id eveniſſe Menſe Septembri Anni Redemptoris 1611 fertur, & *Conneus* etiam tradit (*t*).”

VI. *Colranæ* exiſtens Anno 1751, poſt diligentem Inquiſitionem, quædam inveni, ſed pauca, Templi Cænobijque Rudera. Solum autem eorum, atque Prædia eis adjacentia, dudùm conceſſa fuere Gubernatori, & Aſſiſtentibus *Novæ Coloniæ Londino-Derienſis* (*u*), qui etiam ſimilem obtinuerunt Conceſſionem Reſpectu ipſiuſmet Cænobij noſtri *Derienſis,* ut ſuo Loco dicetur (*w*).

VII. Si plura de *Colranenſi* iſto, alijſque Conventibus, quos levi Pede percurrere videor, indagare poſſem, nullam eum ad Effectum non adhiberem Operam. Sperabam quidem in Initio, dùm mihi hoc Onus impoſitum eſſet, aliquas à Domorum noſtrarum Superioribus, alijſve earum Alumnis, Informationes recipere, aut literariam Opem, ſed fruſtrà, quod antiquæ jam, & heu! nimiùm notæ Noſtratum hiſce in Rebus Ignaviæ (abſit Injuria Verbo) unicè attribuendum videtur.

VIII. Cæte-

(*m*) Vol. II. Pag. 276.

(*n*) *Alemandus,* quem præ Oculis teneo, neque Verbum dicit de hoc, ſed è contrà Fundatoris omninò neſcius, conjectando ait, fortaſſis eum fuiſſe eundem *O-Donnellum,* qui *Derienſe* excitaverat Cænobium, quod perperàm ſupponit eodem Anno cum *Colranenſi* fundatum, cùm tamen iſtud Triginta antè illud Annis conſtructum fuerit, ut ex mox dictis, & §. xxiii dicendis, clarebit. Hìnc crediderim, *Harriſium,* præcipiti Calamo tunc Temporis fortè ſcribentem, *Alemandum* laudaſſe Loco *O-Heyni,* de *Colranenſi* Cænobio dicentis: *Accepi à varijs in Patria, primam Fundationem hujus celebris Domûs factam fuiſſe à Domino O-Cathain, qui erat Baro antiquus, & potens illius Territorij tunc, & longo poſt Tempore; convulſus eſt autem radicitùs, ſicut & cæteræ penè Familiæ, quarum extant duntaxàt quidam Rami quaſi arefacti.*

(*o*) *O-Cathan* apud *Hibernos* pronunciatur *O-Caban,* Lit. enim t. deperdit Vim ob ſubſequentem h. Sic *Cathal,* (latinè *Cathaldus,* aut *Cataldus*) pronunciatur *Cabal.* Hiſce autem Temporibus anglicano More ſcribitur, & pronuncatur *Kean.* Confer §. xiv. Cap. præſ. Num. iv. Lit. u.

(*p*) Pag. 3.

(*q*) Cap. iv. Num. vi, & ix. Pag. 73, & 76.

(*r*) Cap. iv. Num. xii. Pag. 79.

(*s*) Cap. vi. Num. x. Sect. 7. Pag. 115.

(*t*) Verba ſunt *Franciſci Porteri* in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ,* Pag. 252.

(*u*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 277.

(*w*) Cap. præſ. §. xxiii. Num. iv.

VIII. **Cæterum** hicce Conventus duos dedit *Hiberniæ* Epiſcopos, *Michaelem* nempè *Mac-Donogh*, Kilmorenſem, & *Patritium Brullaughan*, Derienſem, alibi plenè recenſendos (*x*). Unumque Provincialem, bis Munere functum, *Bernardum* ſcilicet *Mac-Henry*, alibi etiam in Medium adducendum (*y*). Duos inſuper protulit Scriptores, *Petrum Mac-Cuillin*, & *Dominicum Brullaughan*, ſuis Locis nominandos (*z*). Atque Octo, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione claros, nimirùm *Jocobum-Johannem Flaverly*, *Jacobum O-Reilly*, *Patritium O-Dirah*, *Clementem O-Bern*, *Eugenium O-Coigly*, *Thomam Mac-Mahon*, *Jacobum O-Croly*, & *Patritium O-Hegarty*, de quibus infrà ſigillatìm dicetur (*a*).

IX. **Patres** in Diſtrictu Conventus hujus verſantes Anno 1756, ſunt A. R. P. Magiſter Exprovincialis Fr. *Bernardus Mac-Henry*, Prior, Ætatis Anno 63, Profeſſionis 39, (*b*); & A. R. P. Magiſter Fr. *Patritius-Dominicus Diamond*, Ætat. 56, Prof. 35 (*c*).

§. XIII.

De *Sligoenſi* Cænobio *S. Crucis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Conaciæ*.

Anno 1252.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi, ſeù potiùs Burgi* Sligoæ.

II. *Fundatio Templi, & Cænobij, quorum (poſt pulchram Reſtaurationem) Muri etiamnùm extant. Non* O-Connorus, *ſed* Geraldinus *Fundator verè dicendus.*

III. *Idemque omninò* Geraldinus, *Baro* Ophaliæ, *& Prorex* Hiberniæ, *quo promovente, Ordo Prædicatorum, Ordoque Minorum, in* Hiberniam *primitùs advenerant. Tria alia* Hiberniæ Dominicanæ *Cænobia*, Traleienſe *nimirùm*, Killocienſe, *&* Youghallenſe, *à* Geraldinis *extructa.*

IV. *Anno* 1415, *Die* 17 *Januarij, Indulgentiæ à* Joanne xxiii *in Concilio* Conſtantienſi *conceſſæ, ut Templum, & Cænobium Incendio vaſtata repararentur.* O-Connorus, *Dynaſta* Sligoenſis, *&* Pierius O-Timony, *præcipui Reſtauratores.*

V. *Quis nunc Latifundiorum Dominus?*

VI. *Epiſcopi* Elphinenſes *Dominicani alibi memorandi, ſicut & Alumni hujus Cænobij ad Infulas erecti.*

VII. *Alij celebres Conventûs iſtius Filij, Quinque nimirùm Provinciales, & totidem publicâ Virtutis Opinione clari.*

VIII. *His alij Quinque ſubnectuntur ex* O-Heyno.

IX. *Sodales Conventûs hujus Anno* 1757.

I. SLIGOA, alijs *Sligia*, & *Seligia*, & *Slegum*, hibernicè *Sligioch*, anglicè *Sligo*, & *Slego*, Capitale eſt Agri ejuſdem Nominis Oppidum, ſeû propriè Burgus, Diæceſis *Elphinenſis* in contermino Agro *Roſcomanienſi* (*a*), ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, hiſce Temporibus Commercio Opulentiâque plus floreſcens, ubi & Caſtrum, & portuoſa Statio Navibus opportuna. Nundinæ ibi habentur quater in Anno, Diebus nimirùm 28 Martij, 7 July, 11 Auguſti, & 9 Octobris. Haben

---

(*x*) Cap. xiii. Num. lxxvii, & lxxxii.

(*y*) Cap. xiv. Num. xxx, & xxxiv.

(*z*) Cap. xv. Num. xxviii, & xxxi.

(*a*) Cap. xvi. Num. lii, liii, lxxv, lxxvi, lxxvii, lxxviii, lxxix, & cx.

(*b*) Defunctus *Pontanæ*, Prior Fratrum, & Vicarius Monialium, 15 Auguſti 1757.

(*c*) Prior Fratrum, & Vicarius Monialium *Pontanæ*, obijt propè *Colranam* 2. Octob. 1760. Exindè porrò in *Colranenſi* iſto Diſtrictu verſantur Anno 1760 R. P. Præſentatus Fr. *Archibaldus Mac-Ambroſe*, Ætat. 44, Prof. 24; & P. Fr. *Patritius Mac-Henry*, Ætat. 46, Prof. 19, inter Alumnos Collegij *Ulyſſiponenſis* annumerandus Cap. xii. §. ii. Num. xv.

(*a*) In ipſomet *Sligoenſi* Comitatu adeſt Sedes Epiſcopalis, *Achada*, ſeù magis vernaculè *Achonria*, nuncupata, verùm *Sligoæ* Burgus intrà Fines ejus non exiſtit.

Habenturque ſingulis Semeſtribus Comitia Juridica, ſeù Conſeſſus Judicum, vulgò *Aſſiſæ* (b), pro Comitatu. Unicum eſt ejuſdem Comitatûs *Sligoenſis* Municipium (b), ſeù Burgus Parlamentarius, *Dubliniô* Nonaginta; *Elphinâ* Viginti octo; *Tuamâ*, Quinquaginta; *Galviâ*, Sexaginta Septem; *Corcagiâ*, Centum, & Quinquaginta; *Londino-Deriâ*, Quinquaginta Octo, Milliaribus diſtans.

II. In amæniſſimo *Sligoenſis* hujus Oppidi Loco ſuper Ripam Fluminis *Gitly*, & ad Oſtium Maris, extant adhuc Muri perpulchrarum Ædium Sacrarum ſub Nuncupatione *S. Crucis*, perpulchrique (c) Cænobij, cujus Clauſtrum fermè integrum vidi Anno 1748. Fundatorem fuiſſe *Dominum O-Connor, Comitatûs Sligoenſis Dynaſtam nominatiſſimum*, græcâ Fide aſſerit *Joannes O-Heyn* (d), nullum laudans Scriptorem, nullumve Monumentum, neque etiam vulgarem Traditionem, etſi expreſsè contrà *Waræum*, & *Alemandum* (e), rotundis Verbis Fundationis Beneficium adjudicantes *Mauritio Geraldino*, & quidem Anno 1252, quibus noviſſimè ſubſcribunt *Harriſius*, & *Lodgæus (f)*, quorum poſtremus, quà Pro-Magiſter Rotulorum *Cancellariæ*, & Pro-Cuſtos Rotulorum Arcis *Dubliniènſis*, omnes perluſtraverat publicos Regni Commentarios, ut in celeberrimi ſui Operis Præfatione declarat, quos tamen *O Heyno* non licuit videre, ut ipſemet inter agendum de *Sligoenſi* hoc Cænobio mærens, & lugens fatetur.

III. Is porrò *Mauritius Geraldinus*, qui certo certius dicendus videtur hujuſce Cænobij Fundator, tùm ob mox dicta, tùm ob probatiſſimam Loci Traditionem, idem ipſiſſimus eſt *Ophaliæ* Baro, atque *Hiberniæ* Prorex, qui Fratres Prædicatores, & Minores in *Hiberniam* adduxerat, ut pridem narrabam (g), cujus etiam nobiliſſimam Genealogiam plenè ſuccinctèque nuper texebam (h). Ejus inſuper ex Filio Nepos *Johannes* Ordini noſtro Cænobium excitavit *Traleienſe*, de quo ſuprà (i), cujus Filius *Gilbertus* Cænobium *Killocienſe*, & ex altero Filio Nepos *Thomas*, dictus *Simiacus* (k), Cænobium *Youghallenſe*, Ordini item noſtro conſtruxere, ut ſuis Locis declarabitur (l).

IV. Circa Annum 1414 antiquum Cænobium, in quo Viginti ad Minus degebant Religioſi, cum Ædibus Sacris infelici Conflagratione abſumptum fuit. Indeque paternâ Commiſeratione inductus *Joannes* XXIII, Summus Pontifex, in Concilio Æcumenico *Conſtantienſi* perſonaliter exiſtens, per Apoſtolicas Literas, jam jam exſcribendas, Indulgentiam conceſſit eo Conſilio, ut Fideles ad Eccleſiæ, & Cænobij Reparationem adjutrices Manus promptiùs porrigerent. Inter Benefactores porrò ea in Re principem ſibi Jure merito vindicavit Locum Dominus *O-Connorus*, Dynaſta *Sligoenſis* (m), quem non Reſtauratorem voluit *O-Heynus*, ſed Primum Fundatorem. Hunc ſequitur *Pierius O-Timony*, Vir Sanguine, Opulentiâ, & Probitate clarus, atque in Ordinem ſummoperè affectus, cujus Statuam in perenne Gratitudinis Monumentum in Clauſtro adhuc videre eſt. Tenor autem Literarum Apoſtolicarum, prout jacent in *Bullario Ordinis Prædicatorum (n)*, eſt hujuſmodi:

" Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas in-
" ſpecturis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

" Cùm itaque (o) ſicut accepimus, Eccleſia, & Domus Fratrum Ordinis Prædicatorum Seligiæ (p)
" Elphinenſis Diæceſis, in qua dudùm, ut aſſeritur, Viginti Fratres devotum impendebant Virtutum
Domino

(b) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(c) Confer §. xxxiv. Cap. præſ. Num. iii.

(d) Pag. 39.

(e) *Waræum* in *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 228; *Alemandum* Pag. 226.

(f) *Harriſius* Vol. II. Pag. 277; *Lodgæus* Vol. I. Pag. 5 Hoc etiam Cænobium memorat *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii. Confer Cap. ii. Num. xiii. P. 42.

(g) Cap. ii. Num. xiii. Pag. 42.

(h) Cap. præſ. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

(i) Cap. præſ. §. x. Pag. 237.

(k) Recole Cap. præſ. §. x. Num. iii. Pag. 238.

(l) Cap. præſ. §. xx. & xxiv.

(m) Adeas §. xvi. Cap. præſ. Num. ii. Lit. i.

(n) Tom. ii. Pag. 525, ex *Archivo* Ordinis, in quo Exemplar ex. *Archivo Apoſtolico* Lib. xlv. Fol. 173.

(o) Deeſt Exordium, quod tamen, aut quid ſimile, legere poteris §. viii. Cap. præſ. Num. xiii. Pag. 232.

(p) Variam hujus Oppidi Nomenclaturam jam expendi Num. i.

Domino Famulatum, nuper Ignis Incendio concrematæ fuerint, ac Prior, & nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis, Eccleſiam, & Domum præfatas reparare deſiderent, Opere non modicum ſumptuoſo; ſed cùm ad Reparationem hujuſmodi faciendam Domûs & Eccleſiæ prædictorum non ſuppetant Facultates: Nos, cupientes, ut ipſa Eccleſia congruis Honoribus frequentetur, & Eccleſia, & Domus hujuſmodi, ut præmittitur, reparentur, & ut Chriſti Fideles ipſi eo libentiùs Cauſâ Devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad Reparationem hujuſmodi Manus promptiùs porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem Dono cæleſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè penitentibus, & confeſſis, qui in Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti Patritij Confeſſoris, Feſtiuitatibus, præfatam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ad Reparationem eandem Manus porrexerint adjutrices, Decem Annos, & totidem Quadragenas de injunctis eis Pænitentijs miſericorditer relaxamus. Volumus autem quod ſi alias eandem Eccleſiam viſitantibus, vel ad ejus, aut dictæ Domus Reparationem, Manus porrigentibus adjutrices, ſeù aliàs inibi pias Eleemoſynas erogantibus, vel aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum Tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullius exiſtant Roboris, vel Momenti. Datum Conſtantiæ XVI Kal. Februarij, Pontificatûs noſtri Anno Quinto." (17. *Januarij* 1415.)

V. DISSOLUTIS jam Domibus Regularibus regnante *Elizabethâ*, Latifundia hujus Cænobij conceſſit Rex *Jacobus* I *Gulielmo Taaffe*, Equiti Aurato (q), *Joannis*, Primi Vice-Comitis de *Corren*, & Baronis de *Ballymote*, in Agro *Sligoenſi*, Genitori.

VI. Quoad demùm *Elphinenſis* Diæceſis (intrà cujus Fines ſitum eſt *Sligoæ* Oppidum) Epiſcopos *Dominicanos*, eos opportuniùs recenſebo, de *Roſcomanienſi* Cænobio in eodem Agro dicturus (r). Cæterùm Epiſcopalis Sedis *Achadenſis*, ſeù *Achonrienſis*, in *Sligoenſi* exiſtentis Agro, Octo fuere Præſules Ordinis noſtri, haud longè abhinc recenſendi (s).

NEQUE defuerunt variarum Eccleſiarum Pontifices, olim Conventûs hujus Alumni, ut Illuſtriſſimus *Joannes Brett*, Epiſcopus *Elphinenſis*, nuper florens, & ſub Initium labentis ſæculi *Ambroſius O-Connor*, ab Anno 1700 ad 1709 Provincialis *Hiberniæ*, deſignatus Epiſcopus *Ardachadenſis*, de quibus alibi operoſiùs dicetur (t), ut nihil dicam de *Eugenio O-Hart*, inter *Achadenſes* Octo Præſules recenſendo, qui Concilio *Tridentino* interfuit.

VII. CÆNOBIUM item hoc Quinque dedit *Hiberniæ* Provinciales, ſcilicèt *Danielem O-Creidegain*, *Thaddæum O-Duanum*, (utrumque haud ſemel Munere functum) alterum *Danielem O-Creidegain*, *Joannem O-Hart*, & *Ambroſium O-Connor* prælibatum, alibi recenſendos (u). Unum item protulit Scriptorem, mox laudatum, nempè *Ambroſium O-Connor*, ſuo Loco iterùm nominandum (w). Necnon Quinque publicâ Virtutis Opinione claros, nimirùm *Thaddæum O-Duanum*, nuperrimè memoratum, *Danielem O-Creidegain*, Juniorem, nuperrimè item memoratum, *Dominicum O-Connor*, *Felicem O-Connor*, & *Patritium Mac-Donogh*, ſuis reſpectivè Locis ſigillatìm laudandos (x).

VIII. HIS porrò addendi videntur Quinque ſequentes ex *O-Heyno* (y) nempè:

“ R. P. Fr. *Terentius O-Connell*, Vir ſimplex, rectus, ac timens Deum, ſedulò adimplevit Miſſionarij Munus fideliter, ac devotè, Londini, & alibi in *Anglia*, multo Tempore (ſtante tunc extremâ Neceſſitate Sacerdotum in illo Regno) & amatus ab omnibus ſibi cognitis Orthodoxis ob ejus manſuetum, & gratioſum converſandi Modum. Diem clauſit extremum confortatus Sacramentis Londini Anno 1668. Suo Conventui reliquit ter centum Libras Sterlingas (z), quas mox memoratus Pater Magiſter *Felix O-Connor* poſuit in *Hibernia* ad Cenſum annuum pro Conventu *Sligoæ*.

“ R. P. Fr. *Hugo Mac-Martin*, Sacerdos, & Confeſſarius, Orationi plurimùm deditus, Virque inſigni Pietatis Dono, & Simplicitatis Columbinæ, ac Prudentiæ Gratiâ imbutus, qui refertus bonis Operibus, pluſquam octogenarius obdormivit in Domino. Hic manſit in Patria jugiter, & Fructum multum fecit in ſua Simplicitate.

“ R. P. Fr.

(q) *Harriſius* Vol. II. Pag. 277; & *Lodgæus* Vol. II. Pag. 374.

(r) Cap. præf. §. xvi. Num. vi.

(s) §. ſeq. Num. v.

(t) Cap. xiii. Num. lxxiv, lxxix.

(u) Cap. xiv. Num. iv, v, xi, xvi, & xxiii.

(w) Cap. xv. Num. xxv.

(x) Cap. xvi. Num. iii, li, lxix, lxxxiii, & cxiii.

(y) Pag. 42.

(z) Id eſt, Mille & bis Centum Scuta *Romana*.

“R P. Fr. *Michael O-Hart*, Studijs egregriè peractis in Conventu præclariſſimo Religione, & Studio *S. Idefonſi* de *Toro* in *Caſtella Veteri*, ob vivacis Ingenij Præſtantiam ibidem affiliatus, & ſtatìm factus Lector, Philoſophiam cum Applauſu docuit per Triennium, quo Tempore Actum publicum Theologiæ ſuſtinuit lucidè in Capitulo Provinciali *Beneventano*. Deindè miſſus eſt *Lovanium*, Magiſter Studentium inſtitutus, indèque *Romam* vocatus eſt ad Studium *S. Sixti*, ibique Profeſſor fuit S. Theologiæ. In Patriam redux (ceſſante acerbâ Perſecutione quodammodo) Scholam magnam exercuit pluribus Annis in Philoſophia, & Theologia Morali. Tandem communitus divinis Sacramentis, placidè mortuus eſt in Conventu *Roſcomanienſi* Anno 1688.

“R. P. Fr. *Conſtantinus Mac-Donogh* inſigniter ſtuduit in Conventu S. Pauli *Palentiæ (in Hiſpania)*, eratque gratioſus Religioſus, Ingenio tàm acutus, ut Primarius Lector Theologiæ in illa Domo affirmaverit, ſe nunquàm noviſſe parem huic Fratri Amanuenſem quoad penetrantis Ingenij Vivacitatem. Reverſus in Patriam, exercuit ſe accuratè in Prædicatione Evangelij, & devenit citò tàm perfectus in hoc Miniſterio, ut ejus energica Facundia, & Facilitas in prædicando provocaverint omnes ad Admirationem, & Ædificationem, undè inſtitutus fuit Prædicator *Pontanæ*. Sed eâ Urbe deditâ Principi *Arauſicano* poſt Conflictum de *Boin* (*a*), hic Religioſus cum Facultate Provincialis factus eſt Sacellanus cujuſdam Legionis, cum qua migravit in *Galliam*, ubi piè migravit ex hac Vita,” antè Annum 1706.

“Adm. R. P. Magiſter Fr. *Carolus O-Connor*, noſter (*O-Heyni*) ad Tempus Condiſcipulus *Salmanticæ*, ubi magni habebatur ob Morum gratioſum Candorem. Multis Annis fuit ibidem Zelator, & quidem valdè vigil, in Novitiatu *Salmanticenſi*. Deindè factus Lector in Studio S. Crucis *Lovanij*, docuit Philoſophiam, fuitque ibidem Magiſter Studentium. Indè *Romam* vocatus, longo Tempore Theologiam docuit in Conventu *S. Sixti*, ubi nunc (1706) reſidet Confeſſarius Monialium Ordinis noſtri”. Ibidem autem Fatis placidè ceſſit circâ Annum 1712.

IX. SODALES Conventûs hujus Anno 1757 ſunt Quinque, nempè R. P. Fr. *Edmundus Geraldinus*, Prior, Ætatis Anno 33, Profeſſionis 17; P. Fr. *Ambroſius Gilgan*, Ætat. 64, Ptof, 43 (*b*); P. Fr. *Michael O-Hart*, Ætat. 61, Prof, 36; P. Fr. *Patritius Mac Donogh*, Ætat. 38, Prof, 20; & P. Fr. *Bartholomæus Fergus*, Ætat. 43, Prof. 19.

§. XIV.

De *Stradenſi* Cœnobio S. *Crucis* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*.

ANNO 1252.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Pagorum* Stradæ & Athlethanæ.

II. *Fundatio Cœnobij* Stradenſis. *Corrigitur Mendum* O-Heyni *ea de Re.*

III. *Expenduntur, tam in Textu, quàm in uberioribus Notis, plurima* Anglo-Hibernorum *Cognomina, ſignanter Cœnobij hujus Fundatoris, dicti* de Exonia, de Exeter, & Dexter, *ac poſtmodum* Mac-Jordan.

IV. *Anno* 1434 Eugenius *Papa IV Ædes Sacras hujus Cœnobij Indulgentijs donavit, ad Effectum fortaſſis eaſdem reſtaurandi. Reſtaurationem cum Fundatione confundere videtur* O-Heynus.

V. *Templi Cœnobijque Rudera. Modernus Latifundiorum Poſſeſſor.* Octo Achadenſes *Epiſcopi Dominicani.*

VI. Stephanus de Exonia, *Cœnobij hujus Alumnus, Auctor Annalium* Montis Fernandi.

VII. *Septem in Diſtrictu Conventûs hujus degentes Anno* 1756.

I. STRADA, hibernicè *Straid* (id eſt *Planities*), anglicè *Strade*, ſi ſpectetur prout nunc jacet, Civitas non eſt, neque Oppidum, aut Burgus, ſed Pagus duntaxât Baroniæ de *Galken*, in Agro *Mayonenſi*, Diæceſis autem *Athadenſis* in Provincia *Tuamenſi*, & quidem uno conſtans Diverſorio cum viginti circiter Domibus, & Tugurijs. Immò quod grandior non fuerit circâ Annum 1300 haud obſcurè colligitur ex Catalogo Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ*, per Scriptorem

---

(*a*) Recolendum Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*b*) Obijt ineunte Anno 1761.

Anonymum concinnato, & à me ſuperiùs exſcripto *(a)*, ubi ſic inſcribitur Cænobium hoc: *Athlethanæ, aliàs Stradæ propè Athlethan.* Ut ſcilicet *Athlethana* potiùs quàm *Strada* Denominationem tribuat Cænobio, etſi juxtà *Stradam* ſit, *Athlethana* verò duobus fermè Milliarijs anglicis diſtet. Sed & ipſa *Athlethana*, hibernicè *Ballylehan*, nonniſi Pagus eſt, adjunctum habens Caſtrum Allodiale *Mac-Jordani*, ipſiuſmet *Athlethanæ* Domini, Cænobij *Stradenſis* Fundatoris, de quo protinùs, & quidem Pagus, quatuor duntaxàt conſtans Tugurijs, ut vidi Anno 1755. *Ath* porrò hibernica Vox eſt ſignificans Vadum, *Letha* authem largum, atque *Bally* Oppidum. Adeſt quippè Vadum valdè latum Fluminis *Moy*, ſuper quod ingens eſt Pons juxtà *Athlethanam*. Et juxtà alteram Pontis Partem adeſt Caſtrum Allodiale prælibatum, circà quod quatuor Tuguri nunc videre eſt. Cæterùm *Stradæ*, nequaquàm verò *Athlethanæ*, celebres habentur Nundinæ quater in Anno, Diebus ſcilicet 31 Maij, 29 Julij, 23 Octobris, & 22 Novembris. *Dublinii* diſtat *Strada* Centum & Septemdecim Milliarijs; *Caſtelbarrâ*, Oppido Capitali Comitatûs ejuſdem *Mayonenſis*, Octo; *Ballinrobâ*, memorati Comitatûs Oppido concapitali, Septemdecim; *Achadâ*, ſeù *Achonriâ*, Sexdecim; *Tuamâ* Viginti Septem; *Galviâ*, Quadraginta; *Corcagiâ*, Centum & Viginti Septem; *Londino-Deriâ*, Nonaginta.

II. PORRO Ordinem Prædicatorum Cænobium ibi habuiſſe, & quidem Anno 1252 fundatum, tâm verum eſt quàm quod maximè, ut vel ex antiquo Catalogo mox recenſito liquet *(b)*. Quod autem ad Fundatorem attinet, non abs Re erit in Medium adducere quæ de ipſo *Waræus* (c) refert: *Jordanus de Exonia, Athlethanæ Dominus, vel, ut alij habent, Jordani Filius, ad Rogatum Baſiliæ Uxoris ſuæ, Filiæ* Domini *Milonis de Bermingham* (d), *Locum dedit Fratribus Prædicatoribus, in quo anteà habitabant Fratres Minores, ut ex Regeſto Domûs Fratrum Prædicatorum Athenriæ intelligimus. Dominicanos hìc Sedem primò fixiſſe Anno* 1252, *docet Chronicon illius Ordinis. Ex Anglica hac Familia de Exonia* (*obiter annoto*), *quæ magni olim fuit Nominis in hoc Tractu, multi nunc Hibernico More* Mac-Jordan, *id eſt, Jordani Filij, appellantur.* Hæc *Waræus*, ex quibus liquet imprimis *Joannem O Heyn* (*e*) mendosè aſſerere, *Jordanum de Exonia* Beneficium hoc Fratribus Prædicatoribus contuliſſe, & quidem Anno 1435 (*f*) *ex Inſtigatione Uxoris ſuæ Dominæ Penelopes O-Connor*, cum non hæc, ſed *Baſilia Berminghama* ipſius Conjux fuerit, ut patet etiam ex Genealogia Baronis *Athenriæ* apud accuratiſſimum *Lodgæum* (*g*). Liquet etiam iſthanc magni Nominis Familiam, *Stradenſis* Cænobij Fundatricem, ex *Anglia* in *Hiberniam* veniſſe, & quidem Anno 1169, *Henrico* II Rege *(h)*. Quibus adde *Richardum de Exonia*, Proregem fuiſſe *Hiberniæ* Anno 1269 *(i)*.

III. CÆTERUM ut poſteriorum *Waræi* Verborum genuinum Senſum aſſequi valeat Lector, etiam *Hibernigena*, in Feciali, ſeù *Heraldica*, Familiarum hujus Regni Notitia haud verſatus, præmoneatur oportet, laudatam Stirpem apud *Anglos* Domicilium fixiſſe *Exoniæ*, Agri *Devonienſis* (vulgò *Devonſhire*) Civitatis Capitalis, à qua ſuum deſumpſit Cognomen, non ſecùs ac *Berminghama* Domus ab Oppido de *Bermingham*, ut alibi expendebam (*k*). Et quondoquidem *Exonia* dicatur anglicè *Exeter*, indè laudata Familia nominabatur *De Exeter*, tandemque per Syncopen *Dexter*, ſicut Cognomina, quæ olim *De Arcie*, ſeu *Arcy*, ac *De Eureux* (*l*), poſteà *D'Arcy*, ac *D'Eureux*, tandemque *Darcy*, ac *Deureux* paſſim ſcribuntur.

Cum

(*a*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*b*) Item ex *Waræo* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 223; *Hariſio*, Vol. II. Pag. 277; *Alemando*, Pag. 226; *O-Heyno*, Pag. 22.

(*c*) Loco mox laudato.

(*d*) Fundatoris Cænobij noſtri *Athenrienſis*, de quo ſuprá, Cap. præf. §. viii. Pag. 220.

(*e*) Pag. 39.

(*f*) De Anno 1435 pluſquàm mendosè id aſſerit *O-Heynus*, ut ex mox allatis in Textu Luce meridianâ clarius patet, niſi tamen de Reſtauratione, quæ ſecunda planè Fundatio eſt, intelligatur, ut Num. iv. diſcutietur.

(*g*) Vol. IV. Pag. 3.

(*h*) Conſule Cap. i. Num. xxi; & Cap. præf. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 30, & 221.

(*i*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 103.

(*k*) Cap. præf. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 221.

(*l*) *Arcie*, & *Eureux*; Oppidum, & Urbs ſunt *Normanniæ*, è qua Familiæ iſtæ in *Angliam*, deindè in *Hiberniam*, advenerunt. Confer Cap. præf. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 276; & Cap. xiii. Num. lxviii. Pag. 491.

Cum autem Anno 1361 *Leonellus de Antuerpia* (*m*), Filius Natu tertius Regis *Eduardi* III (*n*), Comes *Ultoniæ*,, & Dominus *Conaciæ* (poſtmodùm Dux *Clarentiæ*), ac Prorex *Hiberniæ*, *u ublinij* pro Comitijs Regni exiſtens, Anglicanis Familijs, putà *de Exeter*, *de Bermingham*, *de Burgo*, *de Angulo* &c, in Conacia ducentos propè Annos habitantibus, & eouſque pro dominativa *Anglorum* Poteſtate contrà antiquos *Hibernos* militantibus, notum fecerit, ſe, quà *Conaciæ* Dominum, atque Jure Uxoris ſuæ *Elizabethæ de* Burgo, poſtremi *Ultoniæ* Comitis, *Conaciæque* Domini, unicæ Prolis, & Hæredis, eò profecturum ad ineundam Latifundiorum, indè ſibi obvenientium, Poſſeſſionem. Illicò Familiarum iſtarum A*nglicanarum* Primipili, ægrè ferentes, atque omninò renuentes Latifundijs ſuis, Prædijſque, & Caſtris Allodialibus privari, pro *Hibernis* contrà A*nglos* palàm declararunt, quod in Cauſa fuit cur Prorex mutaverit Conſilium. Ut verò Neo-*Hiberni* iſti, qui cum antiquis *Hibernorum* Domibus Sanguinem per repetita Matrimonia miſcuerant, ſe exhiberent ipſis gratiores, hibernico More vocari geſtierunt, luſtralibus ſuis Nominibus anteponendo Voculam *Mac* (*o*), quæ Filium ſignificat. Sicque Filij, alijque deſcendentes à *JORDANO de Exeter*, cognominabantur MAC-JORDAN; à GULIELMO, ſeù WILLELMO, *de Burgo*, MAC-WILLIAM; ab HORATIO (*p*) *de Bermingham*, MAC-HORACE, ſeù ut *Anglo-Hiberni* pronun-

---

(*m*) Sic dictus quia *Antuerpiæ* in *Belgio* natus; ſicut ejuſdem Regis Filius quartus vocabatur *Joannes de Gandavio* propter eandem Rationem.

(*n*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*o*) Ita refert Eques *Joannes Daviſius*, anteà (Cap. i. Num. vii. Pag. 10) laudatus; item *Waræus*, *Harriſius*, *Lodgæus*, & alij.

(*p*) Non deſunt autumantes, *Mac Horiſh* derivari à *PIERIO de Bermingham*, Cap. præſ. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 220. laudato, *Pierius* enim hibernicè dicitur *Pheoris*. Atque ità ſentit ſub adſcititio *Gratiani Lucij* Nomine *Joannes Lyncœus*, Archidiaconus *Tuamenſis*, poſteà Vicarius Apoſtolicus *Alladenſis*, in ſuo *Cambrenſi everſo* Pag. 174, & 273. En ipſius Verba, longiuſcula quidem, ſed opportuniora, quàm ut non exſcribantur, plurimam enim plurium Cognominum Origini Lucem afferunt: “ Cùm, pluribus Victorijs relatis, penès *Hibernos* major eſſet Poteſtas, tùm Originis A*nglicanæ* Viri eorum More nominari ambierunt. . . . Clariſſimi *Berminghami* à *PIERIO Moyleri* (alias *Milonis*) *Berminghanorum* in *Hibernia* Stirpis Filio, *Mac Pheorus* nuncupati; & Rami aliqui ab ijs erumpentes *Mac Robucki*, & *Albanachi* dicti ſunt; illi à *Robucko* quodam *Berminghamæ* Gentis in *Albania*, ſeù *Scotia*, profugo, ſed poſteà Nominis Claritatem, & avitos Fundos conſecuto. Baretis, *Mac-Phadin* à *Padino* quodam; & *Mac-Jordanis*, à *JORDANO de Exonia* Nomen deductum hæſit. Et in *Lagenia*, Mac-*Thomas*, à Geraldinis (videſis §. x. Cap. præſ. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.) *Kildaræ*; & alius *Mac-Thomas* in *Momonia* à *Deſmondiæ* Geraldinis. E Butleris, *Mac-Piarius*, Dunbonniæ Baro; è Poeris, ſeù *Poweris*, *Mac-Sherum*. Stapletonis, *Galduffi*; Frainis, *Mac-Rinki*; Fitz-Simonijs, *Clanrideri* Nomen affixum eſt.

Quandò autem Viciſſitudo ſic tuleret, ut in *Hibernia* Bello ſuperiores *Angli* eſſent, tùm plures *Hiberni* Cognominibus, *Anglorum* Conſuetudini magis conformibus, ſe obtexerunt. Anno poſt Chriſtum natum 1465, & poſt Regnum ab *Eduardo* Quarto initum quinto, in Comitijs, Regis illius Juſſu indictis, ſancitum eſt: *Ut omnes intrà Comitatûs Dublinij*, *Mediæ*, *Ureliæ* (adeas §. xxvi. hujus Cap. Num. i.), *& Kildaræ Fines conſtituti* (ijs nimirùm Finibus Regis Angliæ Poteſtas in Hibernia tùm coercita fuit) *anglicum ſibi Cognomen aſſumant*, *vel ab Oppido aliquo*, *Sutton*, *Cheſter*, *Trim*, *Skrine*, *Corke*, *Kinſale*; *aut ab aliquo Colore*, *ſcilicet Albo*, *Nigro*, *Fuſco*; *aut ab Arte aliqua*, *ut Fabro*, *Carpentariò*; *aut ab Officio quovis*, *ut Coquo*, *Pincerna*. *Et Cognomen illud eorum Nepotes per futurorum Temporum Seriem referant*. Sic Sinnachi ſe *Foxios*; Mac-Canghobanni, *Smitheos*; Gallohavi, *Whiteos*; & Brannachi, *Walſheos* appellabant, Vocibus diverſorum Idiomatum eandem Significationem referentibus; priore Dictione *Vulpem*, alterâ *Fabrum*; proximâ *Album*, poſteriore *Wallum*, ſeù *Britannum*, denotante.” Eadem habet anglicè *Harriſius* Vol. II. Pag. 58, & 59.

Dein, paucis interjectis, ſapienter ſuo More ſubjungit *Lyncæus*: “ Proindè è profectis olim ex *Anglia* procreatos pro Matre *Hiberniam*, pro Avia *Angliam* habere, & illam quam Patriam omnibus omnium Charitatibus, hanc omni Studio, & Veneratione amplecti par eſt. Nonnè *Hiberni* anglicam, ſivè hibernicam Originem Cognominibus redolentes (cùm utrique vel paterno, vel materno Stemmate Genus ad *Anglos* referunt) Officio ſuo ritè functi videbuntur; ſi quo Studio *Angli* ergà *Saxones*, & *Normannos*, *Franci* erpronunciant MAC-HORISH; Familia antem *de Angulo*, anglicè *Nangle*, nuncupari voluit *Mac-Coſtello* ab ampliſſimo ſuo Territorio, dicto *Coſtello*, quæ hodiè Baronia eſt Comitatûs *Mayonenſis*. Aſt ſedatâ, poſt plurium Annorum Seriem, Tempeſtate illâ, aliquot Familiarum Coryphæi ſua reſpectivè priſca Cognomina anglica, vel gallica reſpectivè reaſſumpſerunt, ut *de Bermingham*, & *de Burgo*, licèt nonnulli *Berminghamæ* Stirpis Rami adhuc appellentur *Mac-Horiſh*, & plures Rami *Burgiadum*, non quidem *Mac-William*, ſed alijs (q) hibernico More Cognominibus nuncu-

pentur

“ gà *Sicambros*, *Hiſpani* ergà *Gothos*, *Inſubres* er-
“ gà *Vandalos*, ac cæteræ quæque Nationes ergà
“ ſuæ Originis Gentes feruntur, eodem illi *Angli-*
“ *am*, undè ſui Generis Initia nacti ſunt, proſequen-
“ tur? Æquum enim eſt, ut Originis, quamvis
“ longiſſimè petitæ, Ratio habeatur, quandò è
“ *Virgilio* dicente, *Trojanus Origine Cæſar*, diſ-
“ cimus *Romanis* uſitatum fuiſſe, ad Generis Fon-
“ tes, quantumvis remotos, Digitum intendere.”

Hac Occaſione Non abs Re erit animadvertere, quod ad habendam æquam, juxtà mox dicta, Originis Rationem, plures in *Hibernia* Familiæ ijs ſecernuntur Cognominibus, quæ ipſiſſima ſunt Nomina Civitatum, Burgorum, Emporiorum, Pagorum, aut Fluviorum *Angliæ*, è quibus in *Hiberniam* tranſplantatæ ſunt, ut *Aldrich*, *Appleby*, *Appleton*, *Barkley*, *Barnard*, *Barton*, *Bath*, *Bedford*, *Benſon*, *Berford*, *Bermingham*, *Berry*, *Beverly*, *Bindon*, *Bingham*, *Blackburne*, *Bolton*, *Booth*, *Bourn* (diverſum omninò Cognomen ab hibernico *Byrne*, etſi eodem planè modo pronuncientur) *Bowe*, *Bowden*, *Bowers*, *Bowland*, *Bradley*, *Briſtol*, *Bromford*, *Bromley*, *Bruton*, *Bullinbrook*, *Burford*, *Burton*, *Buxton*, *Cardiff*, *Cavendiſh*, *Cawood*, *Cheſter*, *Chicheſter*, *Clifford*, *Conway*, *Cornwall*, *Coventry*, *Cowley*, *Crawly*, *Croſby*, *Curry*, *Dalton*, *Darby*, *Dean*, *Delamer*, *Derby*, *Derlington*, *Devonſhire*, *Dover*, *Downes*, *Dudley*, *Durham*, *Eaton*, *Edgworth*, *Farnham*, *Flint*, *Flower*, *Fulham*, *Gillingham*, *Graves*, *Gray*, *Guilford*, *Hall*, *Harrington*, Harley, *Harlow*, *Haſtings*, *Hatfield*, *Hayes*, *Heath*, *Henley*, Hertford, Heyden, Holland, Holm, Holt, Hope, *Kendal*, *Kent*, *Kingſton*, *Kirby*, *Knareſborough*, *Langley*, *Langton*, *Lenham*, *Lewis*, *Leiceſter*, *Lincoln*, *Malpas*, *Manſfield*, *Martin*, *Mayfield*, *Melton*, *Milton*, *Montgomery*, *Naſh*, *Needham*, *Newton*, *Neyland*, *Norton*, *Nottingham*, *Ogle*, *Peaton*, *Pickering*, *Preſton*, *Ramſay*, *Ratcliffe*, *Redford*, *Repton*, *Reading*, *Rivers*, *Rochford*, *Selby*, *Sheffield*, *Shenley*, *Sherborn*, *Shipton*, *Skeffington*, *Slingſby*, *Southwell*, *Stafford*, *Stanton*, *Stanhope*, *Stanley*, *Stapleton*, *Stokes*, *Stone*, *Stow*, *Stafford*, *Sutton*, *Thornbury*, *Thorpe*, *Torrington*, *Townley*, *Tyghe*, *Upton*, *Wade*, *Waldron*, *Ward*, *Ware*, *Warren*, *Weaver*, *Weldon*, *Wentworth*, *Whitby*, *Whitney*, *Wight*, *Winchelſey*, *Windſor*, *Wooler*, *Wotton*, *Wulſton*, *York*.

Haud paucæ etiam in *Hibernia* vigentes Familiæ Cognomina habent, quibuſdam Regni Locis, aut Fluminibus propria, ut *Adair*, *Allen*, *Ardagh*, *Athy*, *Banagher*, *Bray*, *Broghill*, *Burges*, *Burrus*, *Callen*, *Carbury*, *Carrick*, *Caſhell*, *Cleary*, *Clogher*, *Connor* (diverſum prorsùs Cognomen ab *O-Connor*) *Corbally*, *Coſtello*, *Croghan*, *Cullen*, *Caſhine*, *Denn*, *Donough* (diverſum prorsùs Cognomen à *Mac-Donough*) *Deveniſh*, *Downs*, *Drumgoole*, *Ennis*, *Faby*, *Finglaſs*, *Gafney*, *Galbally*, *Galway*, *Geſhill*, *Glin*, *Gorey*, *Hore*, *Inch*, *Kerry*, *Kilkelly*, *Kilkenny*, *Killin*, *Langſton*, *Lea*, *Lee*, *Limerick*, *Loyd*, *Longfield*, *Mallow*, *Middleton*, *Monaghan*, *Norris*, *Pomeroy*, *Quin*, *Roſs*, *Ruſh*, *Shannon*, *Slane*, *Swords*, *Trivet*, *Turvey*. Sed de his jam ſatis. Conferendum tamen Cap. xiii. Num. xlv.

(q) *Harriſius* mox laudatus, Pag. 59, refert, *Burgiades* in *Conacia* ſuum mutaſſe Cognomen in *Mac-William*, ſubdiviſoſque poſtmodùm fuiſſe in duos præcipuos Ramos, *Mac-William Eighter*, & *Mac-William Oughter*, id eſt, *propinquiorem*, & *remotiorem* Mac-William, dictos, quorum prior erat in Agro *Galvienſi*, poſterior in *Mayonenſi*; è quibus alij Cognominum Surculi promanarunt, ut *Mac-David*, *Mac-Walter*, *Mac-Hubert*, *Mac-Hugo*, *Mac-Redmund*, *Mac-Soinin*, (ſeu *Jonin*), *Mac-Philbin*, *Mac-Gibbon*, *Mac-Moyler*, *Mac-Tibbot*, *Mac-Davock* &c.

Huc etiam faciunt *Gratiani Lucij*, ſeù *Joannis Lyncæi*, nuper memorati, latina Verba, Pag. 274:
“ Ad nobiliſſimam Burgorum Familiam à *Gulielmo*
“ *Adelmide* (confer §. viii. Cap. præs. Num. iv.
“ Lit. x. Pag. 223.) primo in *Hibernia* Gentis Au-
“ thore, aut ſaltem ab alio *Gulielmo* ejus Nepote,
“ *Clanwillelmi* Nomen More hibernico promana-
“ vit. Plures ejuſdem Familiæ Surculi *Mac-David*,
“ *Mac-Walter*, *Mac-Hubert*, *Mac-Hugo*, *Mac-*
“ *Redmund*, *Mac-Senin*, *Mac-Philbin*, ac *Mac-*
“ *Gibbon* dicti ſunt, Cognomine ſuo præſeferentes
“ prœſtantiſſimi alicujus Viri Nomen, qui Rebus
“ præclarè geſtis inter Majores emicuit.”

Huc inſuper faciunt quæ habet *Camdenus* in *Deſcriptione Hiberniæ*, impreſsâ *Londini* 1586, Pag. 512: In Hibernicis (inquit) proditum eſt Hiſtorijs
“ *Turloghum O-Mor O-Conor* huic Regioni cum
“ Imperio olim præfuiſſe, totamque inter duos Fi-
“ lius, *Cahelum*, & *Brienum* diviſiſſe. Advenienti-
“ bus verò in *Hiberniam* Anglis *Rothericus* præfuit,

“ qui

pentur uſque in hodiernum Diem. Et ſic etiam ex eadem antiqua Domo *de Exeter*, unus Surculus *Dexter*, alter *Mac-Jordan* vocatur, atque ex eadem antiqua Domo *de Angulo*, unus *Nangle*, alter *Coſtello* dicitur (*r*).

IV. ANNO 1434, Die 18 Martij, *Eugenius* IV, Pontifex Maximus, Ædes Sacras hujus Cænobij Indulgentijs donavit, ad Effectum, ut opinor, eas, Incendio, aliove caſuali Eventu, veſtatas reſtaurandi, ut de alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs nuper relatum eſt (*s*). Et quandoquidem *OHeynus*, nuperrimè recenſitus (*t*), referat, Cænobium hoc fundatum fuiſſe Anno 1435, Anno nempè poſt iſtas conceſſas Indulgentias: Hinc crediderim, ipſum Fundationem confundere cum Reſtauratione, ſeù primam Fundationem cum ſecunda, quæ quia veriſimiliter facta fuit Beneficio potiſſimùm tunc exiſtentis *Mac-Jordani*, cujus fortaſſe Uxor erat *Penelope O-Connor*, inde ſequitur, *O-Heynanam* Relationem à Veritate adeò alenam non eſſe. En autem Pontificium Diploma, ut jacet in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*u*).

> “ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus, præſen-
> “ tes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Licet is &c (*w*) Datum Romæ apud S. Griſogonum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo
“ Quadringenteſimo Triceſimo Tertio (*Stylo Bullarum, Æræ communis* MCCCXXXIV) Quinto Decimo
“ Kalendas Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.”

V. TEMPLI perpulchri Muros integros etiamnùm videre eſt, ſed ſine Tecto; item Aram majorem, atque Lapides miro Artificio exculptos. Adeſt inſuper Locus Sepulturæ, ubi plurium Familiarum Exuviæ hiſce etiam Diebus tumulantur. Contigui autem Cænobij pauca duntaxàt Mænia extant, me ea intuente Anno 1755.

MODERNUS porrò annexorum olim huic Conventui Latifundiorum Poſſeſſor eſt *Jacobus O-Hara*, Baro de *Tirawly*, & de *Kilmaine*, in Agro *Mayonenſi*, jam anteà Legatus *Britannicus* ad Regem *Luſitaniæ*, dein ad Imperatricem *Ruſſiæ*.

ACHADENSIS.

“ qui Hiberniæ Monarcham ſe dixit, ſed ille Mole
“ Anglici Belli imminentis territus, ſe in *Henrici*
“ noſtri Secundi Fidem, non tentatâ Martis Aleâ,
“ contulit, qui cum à Fide deficeret, *Milo Coga-*
“ *nus* primus Anglorum *Connachtiam*, ſed irrito in-
“ cepto, aggreſſus eſt. Poſteà *Gulielmus* Filius
“ *Adelmi*, cujus Poſteri *de Burgo*, & *Bourki* hiber-
“ nicè vocantur, *Gilbertus* de *Clare*, Gloceſtrenſis
“ Comes, & *Gulielmus* de *Bermingham*, primi An-
“ glorum hanc Regionem perdomuerunt, & ad Hu-
“ manitatem imbuerunt. *Bourkus* verò, ſivè *de*
“ *Burgo*, & ejus Poſteri, totius *Connachtiæ* Domi-
“ ni appellati ſunt, hanc Provinciam cum *Ultonia*
“ diù ſumma Tranquillitate adminiſtrarunt, & op-
“ timos Redditus collegerunt, donec unica *Richar-*
“ *di de Burgo* Filia (Filia Richardi non erat, ſed
“ Gulielmi, qui erat Richardi ex Filio *Joanne* Ne-
“ pos, ut ex Cap. præs. §. xxi. Num. ii. Lit. e. cla-
“ rebit) *Connachtiæ*, & *Ultoniæ* ex Aſſe Hæres, elo-
“ cata fuerat *Leonello* Clarentiæ Duci, Regis *Edu-*
“ *ardi* Tertij Filio. Cùm autem ille in *Anglia* ut
“ plurimùm hæreret. & qui illi ſucceſſerunt *Mortu-*
“ *omarij* Patrimonium in *Hibernia* negligentiùs
“ haberent, *Bourki* affines, quos illi ſuis Terris præ-
“ fecerunt, Dominorum Abſentiâ, & turbulentis in
“ *Anglia* Temporibus freti, contemptâ Legum
“ Authoritate, initâ cum Hibernicis Societate, &
“ contractis Nuptijs, univerſam *Connachtiam* ſibi
“ occuparunt, & paulatim degenerantes, anglico
“ Cultu depoſito, hibernicos Mores induerunt.”

Plura etiam hac de Re habet *Lodgæus* ſub Finem Vol. IV.

(*r*) Confer §. xxxv. Cap. præs. Num. iii.

(*s*) Cap. præs. §. viii. Num. x; §. ix. Num. iii; & §. xiii. Num. iv. Pag. 231, 235, & 247.

(*t*) §. præſenti, Num. ii. Pag. 251.

(*u*) Tom. iii. Pag. 64, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. xlvii. Fol. 77. Titulus porrò hujus Diplomatis in *Bullario* laudato eſt iſte: *Pro Cænobio de Achleayn, Akaden. Diæceſis, Conſtitutio ſic incipit:* Licet is, &c. Ubi nota, Cænobium hoc denominari à famoſiori Pago, ſeù potiùs Caſtro, *Athlethanâ* ſcilicet, ſicut & in veteri Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo, ut (Num. ii. hujus §.) jam advertebam.

Notes inſuper velim, Loco t tranſcriptum fuiſſe ab Amanuenſi c, quod Mendum Reſpectu etiam *Athenrienſis* Cænobij ſuprà (Cap. præs. §. viii. Num. ix. Lit. y. Pag. 230.) obſervabam. Secundum autem t in Vocabulo *Athlethana* prorsùs omittitur, neque ulla cenſeri debet illius Neceſſitas, quia juxtà nuper dicta (Cap. præs. §. xii. Num. iii. Lit. o. Pag. 245.) nullam in Pronunciatione Vim habet.

(*w*) Reliqua hujus Exordij Verba legere poteris Cap. præs. §. ii. Num. vi. Pag. 201.

ACHADENSIS Diæceſis, intrà quam extat *Strada*, Octo fuere Epiſcopi, ex Ordine Prædicatorum aſſumpti, *Gulielmus* nempè *Andreas*, *Laurentius Petri Jacopini*, *Richardus Belmer*, *Nicolaus O-Daly*, *Jacobus Blackden*, *Eugenius O-Flanagan*, *Eugenius O-Hart*, qui unus erat è Patribus Concilij *Tridentini*, & *Dominicus O-Daly*, de quibus operoſiùs opportuniùſque dicetur (*x*).

VI. PRO Coronide hujus §. non abs Re erit exſcribere quæ de Annalibus *Montis Fernandi*, ſeù Minoritarum *Multifernani*, in Agro *Midenſi Occidentali*, habet *Bibliotheca Hiberno-Hiſtorica* (*y*), nempè Duo eorum, incipientium Anno 1245, & deſinentium Anno 1274, extare (*z*) Exemplaria, atque in uno ex iſtis hanc legi Animadverſionem: “ In ijs nulla deprehenduntur Veſtigia ſivè Auctoris, ſivè Loci, ad quem olim pertinebant. Sed quia ibi crebra fit Mentio de Rebus *Conacienſibus*, & ſpeciatim de antiqua Familia *Dexterorum*, ſivè de *Exonia*, *Athlethanæ* Dominorum, & Cœnobij *Stradenſis* Fundatorum; indè orta eſt Suſpicio, ad Cœnobium Fratrum Prædicatorum *Stradæ* propè *Athlethan*, in Comitatu *Majo*, pertinuiſſe, & ejus Loci Dominicanum aliquem horum Annalium fuiſſe Auctorem.”

SUCCINIT *Waræus*, qui de Auctore iſto loquens (*a*) ait: “ Auctor Annalium, quos vulgò Annales *Montis Fernandi*, ſivè Minoritarum *Multifernani*, vocamus, incipit ab Anno Domini 1245, & deſinit Anno 1274, quo Tempore ipſe vixit, ut ex Antiquitate Characteris liquet. Non poſſum non ſuſpicari, Auctorem fuiſſe Fratrem *Stephanum de Exonia*, quem natum perhibent Annales illi Anno 1248, & Habitu Ordinis ſui indutum in Die Annunciationis B. Mariæ 1263 (*b*).”

VII. IN Diſtrictu hujus Conventûs degunt Anno 1756 Septem, nimirùm R. P. Fr. *Thaddæus Tuohy*, Prior, Ætatis Anno Sexaginta, Profeſſionis Triginta; P. Fr. *Matthæus Higgins*, Supprior, Ætat. 55, Prof. 35; P. Fr. *Thomas Roche*, Ætat. 67, Prof. 40; P. Fr. *Jacobus Mannin*, Ætat. 66, Prof. 39; P. Fr. *Antonius de Burgo*, Ætat. 55, Prof. 24; P. Fr. *Thomas MacNicholas*, Ætat. 42, Prof. 19; & P. Fr. *Joannes Blake*, Ætat. 37 Prof. 18.

§. XV.

De *Athyenſi* Cœnobio *S. Dominici* in *Kildarenſi* Comitatu *Lageniæ*.

Anno 1253.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi, ſeù magis propriè Burgi* Athyenſis.

II. *Fundatio Cœnobij adſtruitur. Unum* Alemandi *Mendum, alterumque* Waræi, *emendantur.*

III. *Oſtenditur Fundatores fuiſſe* Boiſeles, *&* Ouganos, *contrà* O-Heynum *malè inficiantem Familias haſce in* Hibernia *verſari.*

IV. Roma *etiam novit* Ouganam *Gentem. Iſta atque* Boiſelana *ex* Anglia *in* Hiberniam *dudùm advenerunt.* Ougana *Originem duxit* Româ, *&* Florentiâ. *Plura obiter tam in Textu, quàm in alterius Loci Notis de Regalibus* Stuartorum, *&* Sobieſkiorum *Progeniebus.*

V. *Nonnulla iſthoc in Cœnobio habita Capitula quaſi Provincialia. Pauciſſima videre eſt illius Rudera. Novus Latifundiorum Poſſeſſor.*

VI. Athya *diù Fratribus Prædicatoribus deſtituta. Duo autem ibi habitare nunc permiſſi.*

VII. Dublinienſes *Archipræſules Dominicani alibi memorati.* Leighlinenſis *Epiſcopus Cœnobij hujus Alumnus. Ejuſdem Supprior Martyrium paſſus.*

VIII. *Sodales in Diſtrictu verſantes hujus Conventûs Anno* 1756.

I. ATHYA, hibernicè *Baillebigh*, anglicè *Athy*, ſatis pulchrum ſatiſque frequens eſt Oppidum, ſed propriè Burgus, & quidem concinnus, Agri *Kildarenſis*, non tamen *Kildarenſis* Diæceſis,

---

(*x*) Cap. xiii. Num. xxii, xxxi, xxxiii, xxxv, xxxviii, lii, lxii, & lxxvii.

(*y*) Anglicè impreſſa *Dublinij* Anno 1724, Pag. 37.

(*z*) In Bibliotheca Ducis de *Chandos* in *Anglia*, Fol. Hiſt. Num. 19, & ibidem Num. 42.

(*a*) De *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. ix.

(*b*) Confer Cap. xv. Num. vi.

Diæceſis, ſed Archidiæceſis *Dublinienſis*, quem interfluit *Birgus*, alijs *Birva*, vernaculè *Barow*, hincque latinè à *Waræo* nuncupatus *Barous*, de quo Amne, duabuſque ejus Sororibus, *Suiro* nimirùm, & *Neoro*, priſcis *Eyro*, nonnihil alibi dicebam (*a*). Emporium eſt, & Municipium (*b*), & quidem Con-Capitale, ut ità loquar, Comitatûs *Kildarenſis* (*c*), ibi ſiquidem Juridica habentur Comitia (*b*) vernalia, æſtiva verò, ſeù potiùs autumnalia, *Naſæ*, de qua Sermo erit ſuo Loco (*d*). Nundinæ inſuper apud *Athyam* ſunt ter in Anno, ſcilicet Diebus 9 Junij, 10 Octobris, & 11 Decembris. *Athya* porrò *Dublinio*, Triginta Uno; *Naſâ*, Sexdecim; *Darâ*, ſeù *Kildarâ*, Decem; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Viginti; *Arcloâ*, Triginta Tribus; *Corcagiâ*, Nonaginta Duobus; *Londino-Deriâ*, Centum Quinquaginta Quinque; *Galviâ*, Octoginta Quinque, Milliarijs diſtat.

II. FRATRES Prædicatores Cænobium in *Athyæ* Oppido juxtà Pontem, atque ad prælibati Fluminis Ripam, habuiſſe liquet ex Scriptoribus (*e*), qui hiſce de Rebus tractarunt, quos inter eſt *Alemandus*, qui tamen mendosè aſſerit, *neque nova, neque antiqua Regeſta Ordinis ullam hujus Cænobij facere Mentionem, tametſi* (inquit mirabundus) *aliquot in eo habita fuerint Capitula Provincialia* (*f*), *indè ſiquidem deducitur, nedùm extitiſſe eô Loci Conventum Ordinis, ſed & illum neque exiguum fuiſſe, neque egenum.* Aſt nunquàm legit antiquum, & pervulgatum Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogum, in Opella hac ſæpenumerò memoratum, atque ſuperiùs exſcriptum (*g*); neque *Notitiam Ordinis Prædicatorum* Anno 1303 à Clariſſimo *Bernardo Guidonis* delineatam, ibidem etiam recenſitam, in qua inter *Hiberniæ* Cænobia quinto (*h*) inſcribitur Loco *Athy*. Cæterùm plus mirari ſubit, ipſummet *Waræum*, cæteroquin ſatis accuratum, pro Fundationis Tempore Cænobij hujus adſtruere Annum 1257, cùm idem ipſe alibi (*i*) exhibeat de Verbo ad Verbum Catalogum prælibatum, ubi inter Cænobia *Stradenſe* Anno 1252, & *Roſcomanienſe* Anno 1253 fundata, *Athyenſe*, eodem Anno 1253 ſtabilitum, collocatur. Sed crediderim, aut merè typographicum fuiſſe iſtud *Waræi* Mendum, aut editum de *Antiquitatibus Hibernicis* Librum antè Librum de *Scriptoribus Hiberniæ* concinnatum. Nihilominùs *Alemandus*, ut de noſtro *O-Heyno* nihil dicam, pro Fundationis Anno aſſignat 1257, quia meherclè primum duntaxàt vidit Librum, de Cænobijs *Hiberniæ* datâ Operâ differentem. *Harriſius* verò, qui utrùmque legit exſcripſitque, cum cauta Disjunctiva *Annum* 1253, vel 1257, anceps apponit, Rem relinquens alijs diſcutiendam.

III. AT plus omnibus, & quidem totâ Vitâ, aberrat *O-Heynus* noſter, de Fundatore Cænobij iſtius in hunc Modum diſcurrens (*k*): "Fundantis Mentio non fit à Waræo, undè Fidem non adhibeo Anonymo Authori Gallico (*Alemando*) dicenti, Fundatores eſſe *Boiſeles*, & *Ouganos*, de his enim Familijs nunquàm audivi, aut legi eſtò plura legerim de Familijs Anglicanis, quæ claruerunt in noſtra Patria. Ulteriori igitur Inquiſitioni faciendæ, Deo propitiante, reſervanda ſunt Fundatorum hujus Conventûs Nomina." Hæc *Hibernus* noſter *O-Heyn*, Natione *Conacienſis*, quibus ſe magis peregrinum prodit in *Lagenia* quàm *Alemandus* Natione *Gallus*, cui *Lagenienſis* ſubſcribit *Harriſius*, eoſdem planè Fundatores aſſignans, in Familis tam *Hibernicis*, quàm *Anglicis*, quàm etiam *Anglo-Hibernicis*, magnoperè verſatus, utpote qui per plurium Annorum Seriem in *Dublinienſi* hac Metropoli Juriſconſultus fuit Cauſidicus, univerſaque *Waræi* Opera recognovit,

---

(*a*) Cap. præf. §. iv. Pag. 208.

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii.

(*c*) *Dara*, ſivè *Kildara*, etſi Comitatui huic Denominationem tribuat, purus tamen putuſque Pagus eſt, quoad Apparentiam, etſi reapsè *Burgus Parlamentarius*. Confer §. xi. Cap. præſ. Num. i. Lit. i. Pag. 241.

(*d*) Cap. præſ. §. xxviii. Num. i.

(*e*) Auctore Anonymo pervetuſti Catalogi, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38 exſcripti; *Waræo*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 146; *Harriſio*, Vol. ii. Pag. 276; *Alemando*, Pag. 219; *O-Heyno*, Pag. 10; *Portero*, in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, Pag. 219; *Echardo* Tom. ii. Pag. xiii.

(*f*) Confer Cap. iii. Num. ii. & ſeqq. Pag. 48.

(*g*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*h*) Quintum eſt Cænobium *Hiberniæ Dominicanæ* apud *Bernardum Guidonis*, decimum quintum verò apud *Anonymum*, quia iſte, non autem ille, Ordine Chronologico, appoſitis Fundationum Annis, Cænobia diſponit.

(*i*) De *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. ix.

(*k*) In *Epilogo Chronologico*, Pag. 10.

cognovit, ediditque denuò, etiamùm vivens, mihique probè notus. Et ſanè ex præfato Scriptore (*l*) conſtat, *Richardum Wogan*, ſeù *Ougan*, fuiſſe Magnum Regni *Hiberniæ* Cancellarium ab *Henrico* VI conſtitutum Anno 1444. Atque *Joannem Wogan*, Equitem Auratum, fuiſſe *Hiberniæ* Proregem, ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*, ab Anno 1295 ad 1308, & ab Anno 1310 ad 1312, Annales noſtri perhibent, liquetque ex eodem *Harriſio* (*m*).

CÆTERUM prælibatas Familias in *Lagenia* extare, & quidem ſpectabiles, atque opulentas, mihi tàm perſpectum exploratumque eſt quàm quod maximè. Enimverò aliquot earum Surculos perſonaliter noſco, ſignanter *Boiſele* (ſeù ut paſsìm pronunciatur *Boſwell*) de *Ballicorry*, non quidem in *Kildarenſi* Agro, ſed in contermino Agro *Wicloenſi*, cujus Domûs *Robertus Boſwell*, Armiger, Anno 1732 (*n*) Uxorem duxit *Franciſcam Allen*, Domini Vicecomitis de *Allen*, in Agro *Kildarenſi*, Filiam; item *Ougan* (ſeù ut paſsìm ſcribitur *Wogan*, & ab uno iſtius Gentis Surculo *Hugan*) de *Rathcoffey* in ipſomet Agro *Kildarenſi*, cujus Catholicæ Domûs *Nicolaus Wogan*, Armiger, adhuc (1756) florens, ex Conjuge ſua *Roſa*, Filia *Neili O-Neile*, Equitis Aurati, & Nepte *Carylli Molyneux*, Catholici, Domini Vicecomitis de *Mariæ-Burgo*, in Agro *Reginæ*, genuit *Joannem*, in *Italia*, quò Valetudinis recuperandæ Causâ profectus fuerat, defunctum Anno 1743, qui Conjugem ſibi adſciverat *Helenam*, *Valentini Browne*, Catholici, Domini Vicecomitis de *Kenmare*, in Agro *Kerrienſi*, Filiam (*o*), hodie ſuperſtitem, mihique benè notam.

IV. URBS etiam *Roma* conſpicuam novit *Ouganam*, ſeù *Woganam*, Gentem in Perſona *Caroli Wogan* ex Familia de *Rathcoffey*, Chiliarchæ, ſive Colonelli, ut vocant, in Catholici *Hiſpaniarum* Regis Exercitu, qui tribus alijs *Hibernis*, Officialibus item Militaribus, nimirùm Majore *Miſſet* (cum hujus Uxore), Majore *Guiden*, & Centurione, ſeù Capitaneo, ut ajunt, *O-Toole*, aſſociatus, *Mariam-Clementinam Sobieſki*, *Joannis* III, Regis *Poloniæ*, ex Filio Neptem (*p*), & *Jacobi* III (ut *Roma* loquitur) Sponſam, à Caſtro *Oenipontis*, vulgò *Inſpruch*, in *Tirolenſi* Comitatu *Germaniæ*, (ubi in Itinere ad memoratum ſuum Sponſum detenta erat per aliquot Menſes de Mandato *Caroli* VI, Imperatoris, ad Inſtantiam *Georgi* I Hanoverani, in *Anglia* tunc regantis) ementito Habitu etiam clàm ſubduci curavit, atque ſubductam deduxit per Vias rectas ad Ditionem Eccleſiaſticam. Eis autem obviàm factus *Jacobus* apud *Montem Flaſconis*, ſeù *Phiſconis*, ut Criticis placet, vulgò *Monte Fiaſcone*, Provinciæ *Patrimonij Divi Petri* Civitatem Epiſcopalem, quinquageſimo ab Urbe Lapide, Matrimonium ibidem cum *Maria-Clementina* contraxit, Nuptia benedicente *Sebaſtiano Pompilio Bonaventurâ*, Loci Antiſtite, Anno 1719 (*q*). Laudatos porrò Quatuor *Hibernos* Officiales (ut de perſpectis Conjugibus nihil dicam, quod pluſquam ſupervacaneum foret) *Romæ* benignè excepit *Clemens* XI, Summus Pontifex, atque Equites antiqui Ordinis *Romani* actutùm creavit.

UT autem ad *Boſwellanam* & *Ouganam* Familias revertatur Oratio, ex *Anglia* in *Hiberniam* advenerunt, *Henrico* II Rege Regnum hoc perſonaliter invadente Anno 1172, ut alibi dictum eſt (*r*). Porrò *Florentiæ* in *Etruria* exiſtens Anno 1742, quendam cognovi Virum Equeſtrem, Italicè vocatum *Cavaglier Ughi*, qui mihi dedit M. S. Hiſtorico-Genealogico-Heraldicum, quod adhuc penès me habeo, diſertè referens, tàm ex publicis Archivis, quàm ex Libris Hiſtoricis, & Claſſicis, Progeniem ſuam de *Ughi* Originem duxiſſe à quodam Patritio Romano, cui Nomen *Ugus*, huncque cum nonnullis alijs pari Nobilitate Viris ab *Octaviano Auguſto* Imperatore antè Chriſtum natum miſſum fuiſſe ad *Florentinam* Urbem ædificandam, à qua poſtmodùm aliquot Stirpis iſtius in *Saxoniam*, aliquotque deinde ex *Saxonia* in *Angliam* profecti ſunt, Anglo-Hibernicæ *Huganorum*, ſeù *Ouganorum*, ſeù *Woganorum* Familiæ Progenitores. Sed de his jam ſatis.

V. PLURA habita ſunt apud *Athyam* Capitula *Hiberniæ Dominicanæ*, nominatim Annis 1288, 1295, & 1305, ut tâm ex *Waræo* (*s*), quàm ex alibi dictis (*t*) liquet. Hinc ſatis clarè colligitur, haud

---

(*l*) Vol. II. Pag. 107.

(*m*) Vol. II. Pag. 103, & 104.

(*n*) *Lodgæus*, Vol. III. Pag. 243.

(*o*) *Lodgæus*, Vol. II. Pag. 30, & 396.

(*p*) Recolendum Cap. vii. Num. xiv. Pag. 145.

(*q*) De notis hiſce Conjugibus, duobuſque eorum Filijs nonnulla ſuperiùs expendi Cap. vii Num. xiv, & xv. à Pag. 145.

(*r*) Cap. i. Num. xxi. Pag. 30. Legeſis Cap. præf. §. viii. Num ii. Lit. g. Pag. 221.

(*s*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 146.

(*t*) Cap. iii. Num. ii. Pag. 48.

haud exiguum fuiſſe eò Loci Cænobium noſtrum, quia etſi Capitula iſta non fuerint verè Provincialia (*u*), erant tamen quaſi Provincialia, atque Capitulis verè Provincialibus quoad Patrum Vocalium Numerum haud inferiora, ut non ità pridem oſtendi (*w*). Nunc autem ſeù Ædium Sacrarum, ſeù Cænobij, Rudera vix videre eſt, ut mihi pluries, atque elabenti Anno 1756, diligenter inquirenti compertum fuit. Adeſt quidem in Situ Cænobij, juxtà prælibatum Flumen *Baroum*, Templum *Proteſtanticum*, omninò tamen modernum, ſeù novum. Cæterùm Latifundia ad Cænobium ſpectantia *Martino Pelles*, Armigero, conceſſa fuere (*x*).

VI. ETSI porrò ſemper inſtituti fuerint pro Conventu hoc *Athyenſi*, ſub Nuncpatione *S. Dominici*, Priores (quando pro alijs Conventibus inſtituti erant) aſſignatique ei Fratres, qui infrà Limites ad ipſum ſpectantes Vineam Domini excolebant, diù tamen *Athyæ* Oppidum Fratribus Ordinis noſtri deſtitutum permanſit ob perverſam in eos Acatholicorum, quibus magnoperè abundat, Voluntatem. Hiſce verò nuperis Annis *P. Dominicus Dillon*, & P. *Thomas Cummins*, eo in Territorio procreati, olimque Collegæ in Extranationali noſtro Studio Generali *SS. Sixti, & Clementis* de Urbe, religioſâ Induſtriâ Domunculam in ipſo *Athyæ* Oppido, Incolis haud renitentibus, ſibi extrui fecerunt, ibique habitare permittuntur, fidelem, heterodoxumque Populum Sermone, & Opere inſtruentes, atque ædificantes.

VII. *Dublinienſis* Archidiæceſis, intrà cujus Fines eſt *Athya*, Antiſtites Dominicanos alibi recenſebam (*y*). Cæterùm Cænobij hujus Alumnus erat *Edmundus O-Dempſey*, Epiſcopus *Leghlinenſis*, de quo ſuo Loco Sermonem inſtituam (*z*). Atque Conventûs iſtius Supprior, P. *Richardus Oveton*, Martyrium ſubijt *Pontanæ* Anno 1649, ut alibi fuſiùs referetur (*a*).

VIII. CONVENTUS hujus Tres Sodales Anno 1756 ſunt R. P. Prædicator Generalis Fr. *Dominicus Dillon*, Prior, Ætatis Anno 39, Profeſſionis 21 (*b*); P. Fr. *Thomas Hanly*, Ætat. 64, Prof. 38 (*c*); & P. Fr. *Thomas Cummins*, Ætat. 46, Prof. 20.

§. XVI.

De *Roſcomanienſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Conaciæ*. Anno 1253.

Necnon quibuſdam ei annexis Domibus Vicarialibus.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Roſcomaniæ.

II. *Cænobium ibi Ordinis Prædicatorum, non ab* Hugone O-Connor, *ut vult* O-Heynus, *ſed ab* Hugonis *Genitore*, Felimo, *ibidem ſepulto, fundatum. Nota de regali* O-Connororum *Progenie, atque expanſis ejus Ramis.*

III. *Apoſtolicæ* Eugenij IV *Literæ ad Effectum collapſa reſtaurandi Ædificia.*

IV. *Capitula Provincialia in hoc Conventu celebrata. Nonnihil obiter in Notis de Tribus Prioribus Provincialibus, alibi uberè recenſendis.*

V. *Actualis Latifundiorum Poſſeſſor, actualiſque Fratrum quoad Domum, Prædiumque contiguum, Benefactor. Nota de* Burgorum Glinſkiæ *Baronettorum Familia, deque Catholicorum ſub* Cromuello *Tyranno Ærumnis.*

(*u*) Recolendus §. vii. hujus Capitis Num. iii. Pag. 218.

(*w*) Cap. præſ. §. xi. Num. iv. Pag. 243.

(*x*) *Harriſius* Vol. II. Pag. 276.

(*y*) Cap. præſ. §. i. Num. xx. Pag. 197.

(*z*) Cap. xiii. Num. lxvii.

(*a*) Cap. xvi. Num. xxvi.

(*b*) Paſtor eſt in contermina Diæceſi *Midenſi* ab Anno 1759.

(*c*) Ibi non verſatur Anno 1761, ſed Loco illius P. Fr. *Michael Cummins*, Ætat. 29, Prof. 7, iterùm memorandus Cap. xii. §. i. Num. xliv.

VI. *Inſigniores Conventûs hujus Alumni, Septemque Epiſcopi* Elphinenſes, *Ordinis Prædicatorum* ; *atque Octo ſeu Martyrio, ſeu publicâ Virtutis Opinione, clari.*

VII. *De Vicarialibus Conventuali huic Domui annexis.*

VIII. *Patres Sexdecim Conventui huic aſſignati Anno* 1756.

I. ROSCOMANIA (*a*), hibernicè *Roſcomain* (*b*), anglicè *Roſcommon*, "Nomen & "Originem debet S. *Comano*, qui claruit Anno Chriſti 550," inquit Eques *Waræus* (*c*); Vocula quippe hibernica *Ros* (anglicè Roſs, latinizata *Roſſa*) ſignificat *Amænum Locum:* Hinc *Roſcomania* idem ſonat ac *Amænus Locus Comani*. Burgus porrò eſt Diæceſis *Elphinenſis* ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi* (*d*), Agri verò *Roſcomanienſis* Caput, in quo proptereà Conſeſſus Judicum, ſeu Comitia Provincialia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*e*), bis in Anno habentur. Municipium (*e*) eſt, quod Caſtro firmavit *Robertus de Ufford*, Prorex (ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*) *Hiberniæ*, Expenſis *Henrici* III, Anno 1268 (*f*), ejuſque Supremus Magiſtratus anglicè vocatur *Portrieve*. Emporium quoque eſt, ibique Nundinæ habentur bis in Anno, ſcilicet Feria Secunda Pentecoſtes, & Die 5 Decembris. Titulum præbet Comitis, Die 5 Auguſti 1622 creati, qui impræſentiarùm eſt *Robertus Dillon*, in *Galliarum* Regno verſans. *Roſcomania* porrò diſtat *Dubliniô* Septuaginta Milliaribus; *Elphinâ*, Quindecim ; *Tuamâ*, Viginti Quatuor ; *Galviâ*, Triginta Octo; *Sligoâ*, Quadraginta Tribus ; *Londino-Deriâ*, Nonaginta ; *Corcagiâ*, Centum & Decem.

II. NEMINI Dubium eſſe poteſt, quin *Roſcomaniæ* adfuerit priſcis Temporibus Fratrum Prædicatorum Cænobium, & quidem verè amplum, verèque magnificum, Rem hanc vel ipſiſmet Mænijs, quæ etiamnùm, ut nuper vidi, extant, ſat ſuperque comprobantibus. Neque minùs certum eſt, id excitatum fuiſſe Anno Æræ Chriſtianæ 1253 (*g*), ut antiquus Scriptor Anonymus, *Waræus*, *Alemandus*, *O-Heynus*, & *Harriſius* (*h*) uno Ore affirmant, addentibus inſuper *Waræo*, *Alemando*, & *Harriſio* memoratis, Fundatorem fuiſſe *Felimum O-Connor* (*i*).

EN porrò *Waræi* mox laudati, de *Roſcomania* loquentis, Verba: *Felimus O-Connor conſtruxit ibi Cænobium Ordini Prædicatorum Anno* 1253, *& in Eccleſia ejuſdem Conventûs ſepultus eſt* 1265. Noſter tamen *O-Heynus* contrà *Auctorem Anonymum Gallum* (ſcilicèt *Alemandum*, nullâ prorsùs factâ *Waræi* Mentione) contendit, non *Felimum* (quem *Felicem* vocat) ſed *Felimi* Filium *Hugonem* (*rectiùs Odonem*) hunc *Conventum magnificum fundaſſe*, atque *locupletaſſe Prædijs multis*, *& Ornamentis Eccleſiaſticis*, quia (inquit) *Felix O-Connor obijt multò priùs quàm hæc Fundatio inceperit*. Verùm ex recenſitis *Waræi* Verbis, quæ non legit *O-Heynus*, liquet, *Felimum O-Connor* nonniſi Anno 1265 Diem clauſiſſe extremum, proindeque Duodecim Annis poſt Cænobij hujuſce Fundationem, Anno 1253, ut ipſemet fatetur *O-Heynus*, peractam. Hìnc crediderim, *O-Heynum* loqui voluiſſe non de *Felimo*, ſed de *Felimi* Genitore, *Carolo* nempè, ſeù *Cathaldo*, vulgò dicto *Manus*,

---

(*a*) Sic latinè ſcribitur in pervetuſto Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, cujus Exemplar exhibui Cap. iii. Num. vi. Pag. 38.

(*b*) Videſis Cap. præſ. §. xix. Num. i. Pag. 270.

(*c*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 224.

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(*e*) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*f*) *Waræus* Loco mox laudato.

(*g*) Eodem Anno fundatum fuit Cænobium noſtrum *Athyenſe*. ut ex nuper dictis (§. Superiori, Num. ii) liquet, quod tamen priori Loco ponitur ob Rationem alibi aſſignatam, nempè §. xii. huj. Cap. Num. ii. Pag. 244.

(*h*) Anonymus, in Catalogo ſuperiùs exſcripto Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. *Waræus*, Loco mox laudato ; *Alemandus*, Pag. 227 ; *O-Heynus*, Pag. 43 ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277. Cænobium hoc memorat item *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*i*) Regia hæc antiquiſſimaque Domus, ab *Heremone*, inter *Mileſij* Regis *Iberiæ*, nunc *Hiſpaniæ*, Filios (qui multis Centenis antè Chriſtum natum Annis in *Hiberniam*, propagandæ Gentis Causâ, advenerant, ut Cap. i. Num. vi. Pag. 10. dictum eſt) tertio, Originem ducens, Sceptrum tenuit *Conaciæ* per longiſſimam Annorum Seriem, ultimuſque totius *Hiberniæ* Monarcha fuit *Rodericus O-Connor*, Rex *Conaciæ*, pro quo recolendum Cap. i. Num. xx, & xxi. Pag. 29, & ſeq. Etſi porrò Filios poſt ſe reliquerit, per Acclamationem tamen Populi Honorarius fuit Rex *Conaciæ* ipſius Frater, Nomine *Carolus*, *Manus Rubræ*, qui, ut *O-Heynus* ipſe alibi (*k*) rectè ajebat, *regnare cæpit Anno* 1288, *&* *obijt* 1224.

ACCEDIT, quod idem *Waræus* alibi *(l)* loquens de *Thoma O-Connor*, ad Epiſcopatum *Elpinenſem* Anno 1246 evecto, & ad Archidiæcceſim *Tuamenſem* Anno 1259 tranſlato, ait: *Dum Epiſcopus eſſet Elphinenſis Eccleſiam conſecravit, & Honori B. Mariæ Virginis dedicavit in Cænobio Prædicatorum Roſcomanienſi, quod unà cum Eccleſia tùm nuper extruxerat Felimus O-Connor.* Quid clarius? Quid expreſſius?

III. SÆCULO Eccleſiæ decimo quinto Cænobium hoc cum Ædibus ſuis Sacris plurima Damna, ex Bellorum præcipuè Calamitatibus provenientia, paſſum eſt, ità ut reparari ſummoperè indigeret. Hinc ſeriâ Commiſeratione inductus *Eugenius* Papa IV, Die 5 Maij 1445 (*m*), Conſtitutionem dedit ad Effectum collapſa Ædificia reſtaurandi, Tenoris ſequentis, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt *(n)*.

" Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas in-
" ſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Licèt is &c. (*o*) Cùm itaque, ſicut accepimus, Domus Loci de Roſchoman, Ordinis Fratrum Prædi-
" catorum, Elphinen Diæceſis, cauſantibus Guerrarum Turbinibus, & alijs ſiniſtris Eventibus, in ſuis
" Structuris, & Ædificijs, plurima Damna perpeſſa fuerit &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno In-
" carnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinto, Tertio Nonas Maij, Pontificatûs noſtri
" Anno Quinto Decimo."

IV. QUAUDOQUIDEM ſatis amplum fuerit Cænobium hoc, atque in Loco valdè commodo, inſimulque fæcundo ac amæno ſitum, hinc nullus dubito quin priſcis Temporibus plura in eo habita ſint Comitia quaſi (*p*) Provincialia, More ſcilicèt illorum Sæculorum in *Hibernia Dominicana.* Immò Sæculo ſuperiori, poſt Lapſum Gubernij in Hæreſim, indèque provenientem Cænobiorum omnis Ordinis Diſſolutionem, celebrata fuere *Roſcomaniæ* duo Capitula Priorum Provincialium electiva, Annis nempè 1678, & 1682, in quorum primo electus erat P. Magiſter *Gulielmus*

---

rolus; ſeù potiùs *Cathaldus* (confer §. viii. hujus Cap. Num. viii. Lit. r. Pag. 229; & mox dicenda Num. v. Lit. t) vulgò dictus *Manûs Rubræ*, ſeù, ut alij volunt, *à Rubro Pugno*, aut *à Carpro Rubro*, hibernicè *Crovderg*, qui " Monaſterium B. Mariæ " de *Knock-Moy*, aliàs *de Colle Victoriæ*, in Agro " *Galvienſi*, fundavit Monachis CiſtertienſibusAnno " 1189, alijs 1190, in Victoriæ Memoriam, quæ " eò Loci feliciter ei ceſſit. Obijt is 5 Kalendas " Junij 1224, in hoc Cænobio tumulatus, Habitu " Ciſtertienſis Monachi priùs ſuſcepto." Verba ſunt *Waræi* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 218. Laudatus autem *Carolus*, ſeù *Cathaldus*, Filium ſuſcepit *Felimum*, Fundatorem noſtrum, Patrem *Odonis*, ſeù (ut nonnullis placet), *Hugonis*, à quo rectâ Lineâ deſcendit hodiernus *O-Connorus*, de *Ballintobber* à Loco præcipui ſui Latifundij in Agro *Roſcomanienſi* paſsìm nuncupatus.

Cæterùm Quatuor ſunt Gentis *O-Connororum* Progenies, nempè *O-Connorus* Agri *Roſcomanienſis* prælibatus, dictus *O-Connor Donn*; *O-Connorus* Agri *Sligoenſis*; *O-Connorus* Agri *Regis*, dictus *O-Connor Phaly*, à memorati Agri Territorio *Ophaliæ*, quod nunc Titulum præbet Comitis Marchioni *Kildaræ*, ut liquet ex anteà libatis Cap. præſ. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237; & *O-Connorus Kerry*, ſeù de Agro *Kerrienſi*, qui, ad Differentiam trium præfatorum, non ab *Heremone*, ſed ab ejus Fratre *Iro*, ſecundo *Mileſij* Filio, ortus eſt. Atque ex nobiliſſimis iſtis Progeniebus, ſivè ex eorum Stipitibus, plurimi expanſi ſunt Rami, alijs Cognominibus donati, quos perſcribere nimùs longum foret, eos autem videre poteris, ſi tibi per Odium liceat, in *Hiſtoria Hiberniæ*, anglicè vulgatâ *Dublinij* 1742, Pag. 297, 298, 302, & 303.

(*k*) Pag. 37.

(l) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 256.

(*m*) Eodem Anno idem Pontifex Diploma edidit ad Effectum reſtaurandi Ædes Sacras, Domumque *Athenrienſem*, quod exſcriptum habes Cap. præt. §. viii. Num. xiii. Pag. 232.

(*n*) Tom. iii. Pag. 67, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxcvi. Fol. 306.

(*o*) Exordium prætermittitur in *Bullario* evitandæ Prolixitatis Causâ, id tamen in conſimili Diplomate legere eſt Loco mox citato.

(*p*) Confer Cap. præſ. §. vii. Num. iii; §. xi. Num. iv; & §. Superiorem, Num. v. Pag. 218, 243, & 256.

elmus de Burgo Junior (*q*), Bureſulenſis, jam anteà electus *Athenriæ* 1674; in ſecundo autem P. Prædicator Generalis *Thaddæus O Daly*, Athenrienſis (*r*), ut perſpicuè apparet ex authentico M. S. quod aſſervatur in Scrinijs ampliſſimæ Bibliothecæ apud Academiam *SS. Trinitatis* juxtà *Dublinium*, F. 4. 14.

V. CUINAM conceſſa fuerint à Gubernio Acatholico Latifundia ſat ampla ad Conventum iſtum olim ſpectantia, non invenio neque apud *Harriſium*, neque apnd *Lodgæum*, neque alibi. *Roſcomaniæ* tamen nuper verſans accepi à Fide dignis ea poſſideri ab Equite *Arthuro Cole*, Barone de *Ranelagh*, Domino item Fundi Cænobij noſtri *Trimmenſis*, de quo ſtatìm agetur.

CÆTERUM Domunculam ſat commodam cum contiguo Prædio gratis habent Patres Conventûs à D. *Ulico* (*s*) *de Burgo*, Equite Baronetto, ut vocant, de *Glinſkia* (*t*) in Agro *Galvienſi*, ubi prælibati Patres conventualiter exemplariterque, pro Rerum Conditionibus, vivunt, Chriſti Fideles Sermone, & Opere ædificantes, pluresque Juvenes è melioris Notæ Familijs ad Habitum, & Profeſſionem hucuſque recipiebant (*u*).

VI. NON defuernnt omni Ævo Conventûs hujus Alumni, Dignitate, Doctrinâ, & Pietate clari, quos inter numerari debent Illuſtriſſimus *D. Thaddæus Mac-Eogha*, Epiſcopus *Clonfertenſis*, & A. R. P. *Patritius Plunkett*, S. Facultatis *Pariſienſis* Doctor, & Collegij *Caſanatenſis* Theologus,
mihi

(*q*) Sic dictus in ipſiſmet Comitiorum Provincialium Actis ad Differentiam P. Magiſtri *Gulielmi de Burgo* Senioris, Athenrienſis, tunc viventis, qui Provincialis fuerat ab Anno 1648 ad 1659. Hujus porrò *Gulielmi de Burgo* Senioris, Origine clari, meminit *Lodgæus*, Genealogiam Vicecomitis *Mayonenſis* texens Vol. II. Pag. 315. De utroque autem ſeorſim dicetur Cap. xiv. Num. xv, & xix.

(*r*) Hic Biennio duntaxàt Provincialis obijt in Feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Deiparæ Anno 1684, *inſtante Capitulo intermedio Athenriæ celebrando*, ut refert *O-Heynus* Pag. 32. Conſulendum Cap. xiv. Num. xx.

(*s*) Recolendùs §. viii. Cap. præſ. Num. iv. Lit. l. Pag. 225.

(*t*) Gratitudo Ordinis ergà præclaram hanc Domum, Orthodoxâ Fide inſignem, ſequentia tranſcribere me impellit ex *Joanne Lincæo* (ſub ficto *Gratiani Lucij* Nomine), Archidiacono *Tuamenſi*, in *Cambrenſi Everſo*, Pag. 270. “ Ricardus de Burgo,
“ *Magnus* vulgo dictus, Filius Gulielmi Adelmiadis
“ (qui prima Burgorum Hiberniæ Stirps fuit, & a
“ Scriptoribus *Hiberniæ Conquæſtor*, ac *Regis Angliæ Gener*, appellatur), Pater Walteri Comitis
“ Ultoniæ, & Gulielmi, Burgorum Mayonenſium
“ *(item & Galvienſium Clan-Rickardi, ut oſtendetur Cap. præſ. §. xxi. Num. ii. Lit. e.)* Authoris, Filiam Cathaldi *à Rubro Pugno*, celeberrimi
“ ob Res præclarè geſtas Conaciæ Regis, Uxorem
“ habuit, Gulielmi Junioris Matrem, necnon etiam, ut exiſtimo, Walteri Comitis.” Confer ſuperiùs dicta Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. x. P. 223.

“ Accepi ego Cathaldum illum *à Carpo Rubro*
“ Adverſariorum Armis impetitum, Suppetias ab
“ ea Burgorum Familia retuliſſe, quæ *Mac-David*
“ *(confer §. xiv. hujus Cap. Num. iii. Lit. q. Pag.* 252.) modò dicitur, & eorum ſecundiore
“ Conatu ad Inimicorum Impetus reſcindendos
“ uſum, pro Opera tàm egregiè præſtita devictorum
“ Agros ipſis contuliſſe, quos adhuc inſident, & Jure optimo comparaſſe dicuntur. Illius Familiæ
“ Pilarcus modò eſt Ulicus de Burgo Baronettus,
“ Glinſkiæ (ubi amæniſſimas Ædes excitavit) Dominus, ſed nunc in communi Populorum ſuorum
“ Exilio Perfugium (ut audio) Neapoli nactus.” Adverte porrò Auctorem Opus ſuum elucubraſſe Tempore *Cromuellianæ* Tyrannidis, poſt iniquiſſimè ſcilicèt à perduellibus perfidiſque *Anglis* obtruncatum Regi ſuo *Carolo* I Caput, quando omnes vero Regi *Carolo* II adhærentes exulare cogebantur. Hinc ibidem ſubdit:

“ Quamplurimis etiam alijs Hiberniæ Satrapis per
“ omnes Europæ Regiones, & innumeris etiam
“ Clientibus per varias Indiarum Plagas Exilij Ærumnas perferentibus, ſuorum, & illorum Contubernio utrobique conjunctis, ac diverſa Exilia, &
“ diverſas quærere Terras coactis. *Salvos noc fac,*
“ *Domine Deus noſter, & congrega Nos de Nationibus, ut confiteamur Nomini Sancto tuo, & gloriemur in Laude tua.* Pſal. 105.”

Tandem concludit: “ Puto Familiam hanc à
“ Davide illo Equite Aurato Nomen mutuatum fuiſſe, qui Uxorem habuit Feifalgam, Filiam Dermitij O-Moelbrenain, cujus Sororem Sabam Matrimonio ſibi copulavit Walterus, Dominus Conaciæ, & Magnæ Partis Hiberniæ; ex ambabus
“ autem Sororibus Liberos uterque ſuſcepit. Hæc
“ narrat O-Dueganus,” Deinde plura habet de Waltero prælibato, quæ opportuniùs exſcribentur §. xxi. hujus Capitis Num. ii. Lit. e.

(*u*) Confer Cap. præſ. §. viii. Num. xvi. Pag. 233.

mihi probè notus; hujuſque Succeſſor A. R. P. Magiſter *Carolus O-Kelly*, impræſentiarùm florens (*w*).

Insuper Septem fuere Diæceſis *Elphinenſis*, in qua ſitum erat Cænobium hoc, Epiſcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumpti, nempè *Mauritius O-Connor*, *Nicolaus O-Flanegan*, *Bernardus O-Higgin*, *Andreas Xerea*, *Dominicus de Burgo*, *Ambroſius Mac-Dermot*, & *Joannes Brett*, Anno 1756 denatus, mihique ultrà Triginta Annorum Seriem tàm in Urbe, quàm in *Hibernia*, optimè notus, de quorum ſingulis uberior opportuniorque Sermo redibit (*x*): Octoque vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione, clari, *Raymundus* nimirùm *Keoghy*, *Joannes Gillaboy*, *Donaldus O-Naghten*, *Edmundus O-Bern*, alter *Raymundus Keoghy*, *Bernardus O-Kelly*, *Ambroſius Geraldinus*, & *Dominicus O-Connor*, dè quibus alibi fusè dicetur (*y*).

Iſtis porrò hìc Loci aggregandus videtur “ inſignis Vir (*z*), Rev. Adm. & Eximius P. Fr. *Joannes O-Bern*, S. Theologiæ præclarus Magiſter. Studia peregit *Salmanticæ*, & in Conventu *Matritenſi* B. Virginis de *Atocha*. Habuit Ingenium profundum, & ſubtile. Docuit Philoſophiam in Studio noſtro *Pragenſi* in *Bohemia*, ubi etiam fuit Magiſter Studentium. Deindè factus Regens in Collegio S. Crucis *Lovanij*, Theologiam multis Annis explicuit cum magno Diſcipulorum Beneficio, ac aliorum Auditorum. In Diſputationibus contrà Anti-Thomiſtas erat formidabilis illis, etenim verſatiſſimus erat in Litera Magni Patris noſtri *Auguſtini*, ac Divi *Thomæ*, imitabaturque Modum Scholaſticum noſtri Illuſtriſſimi *Godoy*, cujus fuerat Diſcipulus. Redux in Patriam operosè laboravit in veſtiendo multos egregios Juvenes. Plurima Probra inſons perpeſſus eſt, inter quæ memorabile, ipſum adductum ſuper nudo Equo ligatis Pedibus ſub ejuſdem Equi Ventre, & ſtipatum Militibus ad Tribunal hæreticum *Dublinienſe*, accuſatum nempè falsè de Crimine . . . . Sed, Deo ſic providente, gloriosè triumphanter evaſit Venerabilis, & innocens Vir cum Gaudio eximio omnium Catholicorum, & Laude ſingulari Heterodoxorum, ac Confuſione inexplicabili falsò accuſantium . . . . Iſte magnus Magiſter erat Primogenitus Prænobilis Domini O-Bern, ſed Religione multò nobilior. Fuit ſæpius Prior perdignus ſui nativi Conventûs, & ſemel Conventûs *Clonſhanvillenſis*, & Conventuum *Trimmenſis*, ac *Naſenſis*, fidelis, & prudens Diſpenſator ſuorum grandium Talentorum. Obijt munitus Sacramentis Eccleſiæ Anno 1687.”

VII. Demum quod ad Vicariales Domos attinet, Conventui huic ſubditas, quas in præſentis §. Limine tradere promiſi, nullas ſpeciatim poſt diligentem, tàm in Patria, quàm in Libris, Inquiſitionem recenſere valeo, neque enim de illis quidquam proferrem niſi propter *Waræum* diſerte ajentem (A): *Huic Cænobio* (Roſcomanienſi) *Cellulæ quædam ejuſdem Ordinis annexæ fuerunt*. Nomine autem *Cellularum* apud *Anglos Hibernoſque* Scriptores, *Monaſtica* narrantes, Domus *Vicariales* ab omnibus intelliguntur.

VIII. Patres Conventui huic aſſignati Anno 1756, quamquàm non omnes ibi verſantes, ſunt Sexdecim, nempè R. P. Prædicator Generalis Fr. *Thomas Mullady*, Prior, Ætatis Anno 62, Profeſſionis 42; A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas Brenan*, Ætat. 58, Prof 40; P. Fr. *Thomas Egan*, Supprior, Ætat. 62, Prof. 46; P. Fr. *Dominicus O-Kelly*, Ætat. 83, Prof. 60 (*a*); P. Fr. *Jacobus Brenan*. Ætat. 67, Prof. 46; P. Fr. *Patritius Mac-Dermott*, Ætat. 66, Prof. 45; R. P. Lector Fr. *Petrus Corr*, Paſtor in Diæceſi *Elphinenſi*, Ætat. 56, Prof. 40; P. Fr. *Ambroſius Mac-Dermott*, Ætat. 55, Prof. 38 (*b*); P. Fr. *Joannes Rutlidge*, Ætat. 56, Prof. 38; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Patritius Kennedy*, Paſtor in Diæceſi *Duacenſi*, Ætat. 56, Prof. 29 (*c*); P. Fr. *Joannes Keetly*, Ætat. 58, Prof. 28; P. Fr. *Joannes Smith*, Ætat. 54, Prof. 28; P. Fr. *Joannes Kearney*, Ætat. 57, Prof. 27: P. Fr. *Michael Caban*, Ætat. 43, Prof. 20; P. Fr. *Antonius O-Kelly*, Ætat. 43, Prof. 20; & P. Fr. *Dominicus Hanly*, Ætat. 28, Prof. 12 (*d*).

(*w*) De Tribus iſtis Sermo erit reſpectivè Cap. xiii. Num. lxx, Cap. xv. Num. xxix, & Cap. xii. §. ii. Num. xii.

(*x*) Cap. xiii. Num. ix, xlii, lix, lxi, lxxi, lxxiii & lxxix.

(*y*) Cap. xvi, Num. xii, xxi, xxiv, xlii, xliii, xlviii, c, & cxiv.

(*z*) Verba ſunt *O-Heyni* Pag. 44.

(A) De *Antiq. Hiber*. Cap. xxvi. Pag. 224.

(*a*) Memoratus Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 175. Fuit porrò per plures Annos Confeſſarius Monialium noſtrarum *Dublinij*, ubi Fatis ceſſit 17. Septembris 1760.

(*b*) Vivere deſijt Menſe Auguſti 1760.

(*c*) Denatus 27 Novembris 1757.

(*d*) Prior ab Anno 1759.

Ab Anno autem 1757 iſthic reſidet A. R. P. Magiſter Provincialis Fr. *Thomas Plunkett*, inter Alumnos Collegij noſtri *Lovanienſis* alibi memorandus (*e*).

§. XVII.

De *Trimmenſi* Cænobio *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Midenſi Orientali* Comitatu *Lageniæ*.

Anno 1263.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi, ſeu Burgi,* Trimmæ. *Nonnihil obiter de Flumine* Boino.

II. *Fundatum ibi Fratribus Prædicatoribus Cænobium à* Galfrido de Genevil, *Domino* Midiæ, *poſtmodùm Prorege* Hiberniæ. *Ingreſſus ejus in Ordinem. Nonnihil de* Genevelana *Familia, ex qua* Eduardus *IV, alijque poſt ipſum Reges* Angliæ *orti ſunt. Objectioni fit ſatis.*

III. *Conventus Generalis Cleri* Hibernici *in hoc Cænobio habitus Anno* 1291. Matthæus Huſſey, *Baro de* Galtrim, *ibi humatus Anno* 1418. *Nota de* Palatini Baronis *Titulo, deque* Huſſæa *Progenie.*

IV. *Rudera Cænobij, atque Poſſeſſor Soli, & Latifundiorum. Domuncula à modernis Fratribus* Trimmenſibus *habitata. Eidem annexa impræſentiarùm Parochia.*

V. *De inſignioribus bujus Cænobij Alumnis, Epiſcopiſque Dominicanis* Midenſibus.

VI. *Alumni Septem Conventûs bujus Anno* 1756.

I. MEMINI me ſemel iterumque (*a*) obſervaſſe, *Midenſem* olim Comitatum, nimis utpotè pro unius Vice-Comitis, ſeù *Sheriffi*, ut vulgò vocant, Munere extenſum, fuiſſe Anno 1548, Henrico VIII Rege, bipartitum in *Orientalem*, & *Occidentalem*. Poſterioris Caput eſt *Molingara*, de qua ſuo Loco Sermo erat (*b*). Poſterioris verò, qui *Comitatus Midenſis* ſine Addito, quaſi per Excellentiam, paſſim nuncupatur, præcipuum Oppidum, ſeù propriè loquendo, Burgus, eſt *Trimma* (prout & olim erat univerſi Comitatûs *Midenſis* antè memoratam Diviſionem) hibernicè *Baille-Atha-Trim*, anglicè *Trim*, quam interfluit *Boinus*, à Ptolomeo *Buvinda*, alijs *Boandus*, Fluvius nobiliſſimus, Salmonibus abundans, qui è ſeptentrionali Latere Agri *Regis* (*c*), Fontes aperiens, *Navanæ* (ubi *Doſſa*, alijs *Aqua Nigra*, Amnis ſe illi conjungit), & *Slaniæ* Oppida alluit, indeque *Pontanam*, ſeù *Droghedum* (*d*), Ponte Sublicio junctam pergit, & duobus Milliaribus navigabilis in Mare influit. *Camdenus* (*e*) exiſtimat Fluvium hunc Nomen ſuum à Velocitate derivare, *Boan* quippè tam hibernicè quàm britannicè velocem denotat. Hinc de eo *Nechamus* cecinit:

> *Ecce* Boand, *qui* Trim *celer influit, iſtius Undas*
> *Subdere ſe ſalvis* Drogheda *cernit Aquis.*

Trimma porrò Municipium (*f*) eſt Agri, ac Diœceſis *Midenſis* ſub Archiepiſcopo *Armacano* (*g*), ibique bis in Anno Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*f*), pro *Midenſi* Comitatu habentur. Nundinæ autem ter in Anno, Diebus ſcilicet 26 Martij, 28 Maij, & 1 Octobris. Diſtat *Dubliniô* Milliaribus Viginti Duobus; *Ardbracanâ*, Sede Epiſcopali, Septem; *Armacâ*, Quadraginta Septem; *Molingarâ*, Octodecim; *Athloniâ*, in *Lageniæ Conaciæque* Confinijs, Quadraginta; *Pontanâ*, Octodecim; *Londino-Deriâ*, Nonaginta; *Corcagiâ*, Centum Octodecim; *Galviâ*, Octoginta Septem.

(*e*) Cap. xii. §. iii. Num. xvii. Adeas Cap. xiv. Num. xxxvi.

(*a*) Cap. i. Num. x; & Cap. præs. §. vii. Num. i. Pag. 13, & 217.

(*b*) Cap. præs. §. vii. Num. i. Pag. 217.

(*c*) Recolendum Cap. i. Num. xi, Pag. 15.

(*d*) Confer §. ii. Cap. præs. Num. i. Pag. 198.

(*e*) In ſua *Britannia*, Pag. mihi 509.

(*f*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*g*) Videſis Cap. i. Num. xii; & Cap. iv. Num. xviii. Lit. a. Pag. 16, & 86.

II. Anno 1263 (*b*) intrà *Trimmæ* Burgum, juxtà Portam *Athboyenſem* (*i*), excitatum fuit Fratribus Prædicatoribus Cænobium ſub Invocatione *S. Mariæ Aſſumptæ*. *In hoc Conventu*, inquit Waræus (*k*), *Habitum Ordinis Prædicatorum ſuſcepit Anno* 1308 *Galfridus de Genevil, Midiæ Dominus*. Ipſum eundem porrò *Galfridum* (*l*) Domûs iſtius Conventualis Fundatorem fuiſſe, *Alemandus* (*m*), cui ſubſcribit H*arriſius* (*n*), affirmat. Noſter autem *O-Heynus* (*o*) refert, quod *etſi Conventus ille fundatus ſit ab illa Familia de Genevil, tamen fundatio attribuitur Illuſtriſſimo D. Baroni* (*p*) *de Galtrim, qui ex Nomine Familiæ ſuæ vocatur Huſſey*, quatenùs *aut ex Habitatione Domini* hujus eo in Territorio, *aut ex conſanguinea aliqua* H*æreditate, naſcente huic Baroni ex Familia de Genevil, hujus Conventus Patronatus illi forte acceſit, nam de Nomine Genevil Nemo cognoſcitur vivens illic*. Hæc O-Heynus.

Porro ſi à Veritate aliquatenùs alienum ſit, *Neminem de Nomine Genevil cognoſci illic viventem*, ſaltem certo certius eſt, nullam eo in Territorio, aut in univerſo, quà latè patet, *Hiberniæ* Regno hiſce Diebus repiriri ſpectabilem Domum *Genevilinæ* iſtius Familiæ. Nec mirum, *Galfridus* ſiquidem iſte ex *Anglia* in *Hiberniam*, regnante *Henrico* III, adveniens, Conjugem ſibi adſcivit *Matildam, Gualteri de Lacy*, Domini *Midiæ* (cujus Frater *Hugo Lacæus* Junior Comes erat *Ultoniæ*) Filiam & Hæredem, ejuſque Jure Dominus evaſit *Trimmæ*, fuitque Hiberniæ Prorex, ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*, Anno 1273. Ex prælibata Uxore ſuſcepit *Petrum de Genevil*, cujus unica Filia, & Hæres, Nomine *Joanna*, nupſit *Rogero de Mortimer*, Comiti *Merchiæ* in *Anglia*, qui & ipſe evaſit Dominus *Midiæ*. Ab iſtis porrò, ut obiter dicam, Reges *Angliæ*, quotquot fuere ab *Eduardo* IV (*q*), rectâ Lineâ deſcenderunt, ut ex alibi dictis (*r*) liquet. Enimverò *Rogerus*, & *Joanna* memorati genuerunt *Edmundum Mortimerum*, in Cænobio noſtro *Corcagienſi* defunctum, & tumulatum (*s*), à quo Originem duxiſſe prælibatum Regem *Eduardum* IV, ibidem oſtendebam (*r*). Qua omnia ex Regeſto *Regis Armorum*, ut vocant, *Dublinij*, alijſque Locis authenticis accepi.

Sat clarè igitur conſtat, Cænobium hoc à laudato *Galfrido de Genevil*, Domino *Midiæ*, reapsè fundatum fuiſſe. Neque Veritati huic obſtare poteſt Intercapedo Quadraginta Quinque Annorum inter Ædificationem Domûs, & Ingreſſum ipſius Fundatoris *Galfridi* in Ordinem. Quippè qui Grandævus ſuſcepit Habitum Ordinis Anno 1308, facilè poterat Juvenis, aut etiam Vir Triginta Annorum, & ultrà, Conventum fundaſſe Anno 1263. Adde, ſæpè memoratum *Galfridum de Genevil* Proregem fuiſſe *Hiberniæ* Anno 1273, ut *Waræus*, *Harriſius*, & alij paſsim Hiſtorici referunt (*t*): Eccur igitur non potuerit Cænobium excitaſſe Anno 1263? Profectò aliquale hujus Rei Exemplum ipſe vidi, & quidem eò Loci, in Perſona P. *Franciſci Leyndgh*, qui poſtquàm per longam Annorum Seriem Parochus eſſet in Diœceſi *Midenſi*, Habitum Ordinis noſtri Sexagenarius & ultrà recepit in *Trimmenſi* iſto Conventu, cui pluries poſtmodùm præfuit, defunctuſque eſt à Quinque jam Annis propè Centenarius (*u*).

III. Anno

(*b*) Ità Scriptor Anonymus pervetuſti Catalogi, Cap. ii. Num. vi. Pag. 38, in Medium adducti; *Waræus*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi, Pag. 163; *Alemandus*, Pag. 220; *O Heynus*, Pag. 9; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276. Cænobium hoc memorant item *Poterus*, in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, Pag. 215, & *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*i*) Apud *Trimmam* tres ſunt Portæ, *Dubliniensis*, *Navanenſis*, & *Athboyenſis* nuncupatæ, Nominibus ſcilicet à Locis, ad quæ ducunt Portæ, deſumptis.

(*k*) Loco mox laudato.

(*l*) *Galfridus* luſtrale eſt Nomen uſitatum apud *Anglos*, à quibus vernaculè dicitur *Geoffery*, vel *Jeffery*, quod anglicum Nomen ab *Hibernis* paſsìm latinè dicitur *Zepherinus*.

(*m*) Loco mox laudato.

(*n*) Loco mox laudato.

(*o*) Loco mox laudato.

(*p*) Legenda mox apponenda Nota ad Lit. x.

(*q*) Adeas Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*r*) Cap. præs. §. vi. Num. iv. Pag. 215.

(*s*) Ibidem.

(*t*) *Waræus* in *Rerum Hibernicarum Annalibus*, ad Annum 1273; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 103; alijque Hiſtorici, ac Scriptores, Catologum Proregum, ſeù Gubernatorum Regni *Hiberniæ* exhibentes.

(*u*) De eo uberior opportuniorque redibit Sermo Cap. xvi. Num. cxxv.

III. Anno 1291, Die Dominicâ immediatè poſt Feſtum *S. Matthæi* Apoſtoli, & Evangeliſtæ, habitus fuit in *Trimmenſi* hoc Cænobio Conventus Generalis Cleri *Hiberniæ*, ex quatuor Archiepiſcopis, univerſiſque Regni Epiſcopis, Decanis, alijſque Dignitarijs coaleſcens, ubi plura edita ſunt Conventa, Rei Eccleſiaſticæ hujus Regni proficua (*w*).

Anno 1418, D. *Matthæus Huſſey*, Baro de *Galtrim*, Die 29 Junij defunctus, hoc in Cænobio tumulatus fuit (*x*).

IV. Paucis abhinc Annis Muros videre erat, licèt haud integros, tàm Domûs, quàm Ædium Sacrarum, qui antiquæ Structuræ Magnificentiam ad Oculum demonſtrabant. Nuperrimè autem eò Loci verſans, pauciſſima duntaxàt deprehendere potui Rudera, Saxa ſiquidem indè ablata fuerunt, & pro alienis Fabricis divendita.

Modernus Fundi Dominus, ut ibidem accepi, eſt Eques *Arthurus Cole* Baronettus, à *Georgio Primo*, Die 18 Aprilis 1715, Baro de *Ranelagh*, in Agro *Wicloenſi*, creatus (*y*).

Cæterum Patres iſtius Conventus, eo in Territorio Miſſionarios nunc agentes, Domunculam inhabitant, *Trimmâ* paucis Milliaribus diſtantem, (juxtà Pagum, cui Nomen *Donore*) à *Joſepho Aſhe*, Armigero, cum Prædiolo contiguo locatam, habentque Parochiam ſuæ Communitati impræſentiarùm annexam.

Si mireris fortè, benigne Lector, cur de inſigni hoc Cænobio ulteriora non dicam, perpendas, quæſo, Apologiam meam non ità pridem traditam (*z*).

V. Plures haud dubiè fuere priſcis Temporibus celebres Conventûs hujus Alumni, atque inter alios *Joannes Aubry*, electus Epiſcopus *Ardachadenſis*, necnon Sæculo ſuperiori Illuſtriſſimus *Oliverius Darcy*, Epiſcopus item *Ardachadenſis* (*a*). Elabenti quoque Sæculo aderat P. *Franciſcus Leynagh*, nuper laudatus, Senectute bonâ clarus (*b*).

Demum Tres fuere *Midenſis*, in qua ſita eſt *Trimma*, Diæceſis Antiſtites Dominicani, *Gulielmus* nempè *Andreas*, *Joannes Payn*, Cuſtos, ſeu Magiſter, Rotulorum Curiæ Cancellariæ (*c*), & *Stephanus Mac-Egan*, hoc Anno 1756 denatus, de quorum ſingulis commodior Sermo alibi redibit (*d*).

VI. Alumni iſtius Conventûs in ejus Diſtrictu agentes Anno 1756, ſunt Septem ſequentes, R. P. Fr. *Patritius Lynham*, Domini Baronis de *Galtrim* Conſanguineus, atque ad ipſius Præſentationem

---

(*w*) *Harriſius*, Vol. I. Pag. 70.

(*x*) *Waræus* Loco mox laudato ad Annum 1418. Animadvertas autem velim, Caput iſtius Familiæ paſsìm intitulari *Baronem*, etſi à nullo Rege creatus fuerit, neque Locum habeat, unquamve habuerit, inter Pares, ſeù Proceres Regni. Priſcis quippè Temporibus Dynaſtæ Palatini ſibi viſos inſignes Viros, de Patria benè meritos, *Baronis* Honorarij Titulo donabant, ac decorabant. Quos inter erant *Huſſey*, Baro de *Galtrim*; *Pettit*, Baro de *Mullingar*; *de Angulo*, vernaculè *Nangle*, Baro de *Navan*; *Marward*, Baro de *Skrene* (videſis Lodgæum, Vol. IV. Pag. 31.) iſtis Titulis decorati ab *Edmundo Mortimero*, nuper laudato, Dynaſtâ Palatino *Trimmæ*, totiuſque Agri Midenſis, nunc in *Orientalem*, & *Occidentalem* diviſi, qui *Edmundus* Prorex erat *Hiberniæ* Anno 1379. Item *Purcellus* creatus fuit Baro de *Loughmoe* à *Butlero* Dynaſtâ Palatino *Tipperariæ*, ut liquet ex *Lodgæo* Vol. II. Pag. 27, & 258; & *Geraldinus* Baro de *Burnchurch*, in Agro *Kilkennienſi*, â Regionis iſtius Palatino, ut refert Eques *Joannes Daviſius* Pag. 65. Iſtos proptereà *Barones Palatinos* vocat idem *Lodgæus* Vol. IV. Pag. 462.

Porrò inclyta hæc Familia de *Huſſey* in varios expanſa eſt illuſtres Ramos, præſertim *Huſſæos* de *Courtown*, in Agro *Kildarenſi*; de *Weſtown*, in Agro *Dublinienſi*; de *Mull-Huſſey*, in Agro *Midenſi*, à Domiciliorum Locis ſic dictos. Plures inſuper, ex iſta *Huſſæorum* Stirpe progeniti, Conſanguinitatis, & Affinitatis Vincula cum nobiliſſimis hujus Regni Proſapijs omni Ævo contraxerunt, & noviſſimè D. *Eduardus Huſſey*, Filius D. *Jacobi Huſſey*, de *Courtown*, & D. *Catharinæ Parſons*, Comitis de *Roſſa* Filiæ, Primogenitus, Conjugem ſibi adſcivit *Iſabellam*, Ducis de *Montague*, in Anglia, Primogenitam, Duciſque de *Mancheſter*, in eodem Regno, Viduam. Adeas *Lodgæum* Vol. II. Pag. 75.

(*y*) *Lodgæus* Vol. IV. Pag. 211. Confer Num. v. ſuperioris §. Pag. 260.

(*z*) Cap. præs. §. xii. Num. vii. Pag. 245.

(*a*) De duobus iſtis Præſulibus Sermo erit Cap. xiii. Num. xxi, & lxviii.

(*b*) De eo dicetur Cap. xvi. Num. cxxv.

(*c*) Hic tumulatus fuit in Cænobio noſtro *Dublinienſi*, ut Cap. præs. §. i. Num. xiii. Pag. 195, dictum eſt.

(*d*) Cap. xiii. Num. xxii, xlvii, & lxxv.

ſentationem Paſtor de *Galtrim* in Diæceſi *Midenſi*, Prior Conventûs, Ætatis Anno 55, Profeſſionis 30 (*e*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Michael Wynne*, Ætat. 58, Prof. 37 (*f*); R. P. Prædicator Generalis Fr. *Thomas Huſſey*, Paſtor Parochiæ de *Donore*, in qua degunt Sodales, Ætat. 57, Prof. 37; R. P. Fr. *Thomas Curtis*, Paſtor in Diæceſi *Midenſi*, Ætat. 56, Prof. 34 (*g*); P. Fr. *Philippus O-Reilly*, Ætat. 48, Prof. 24; P. Fr. *Gulielmus Cruice*, Ætat. 38, Prof. 18; & R. P. Lector Fr. *Vincentius Coffy*, Ætat. 35, Prof. 15.

§. XVIII.

De *Arcloenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Wicloenſi* Comitatu *Lageniæ*.

Anno 1264.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Emporij* Arcloenſis, *ſeù* Arclovienſis.

II. *Fundatum Cænobium à* Theobaldo, *quem alius* Pincernam, *alius* Butlerum, *alius* Gualterum, *alius* de Gualterijs, *alius demùm* Walters, *eandem etſi identicam Perſonam, rectè cognominat. Nota de Regibus Armorum in* Anglia, Hibernia, *&* Scotia, *eorumque Munijs. Succincta ſed plena texitur in alia Nota* Butlerorum *Genalogia*.

III. *Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes Sacras hujus Cænobij à* Joanne *XXIII in Concilio* Conſtantienſi, *Die* 15 *Novembris* 1414.

IV. *Templi Cænobijque Mænia etiamnùm extantia. Cæmeterium Catholicis unicè deſerviens. Novi Latifundiorum Poſſeſſores.*

V. Dublinienſes *Archipræſules* Dominicani *alibi memorati. Epiſcopus unus* Glandalacenſis *ex Ordine noſtro*.

VI. *Duo duntaxàt Patres Conventui huic aſſignati Anno* 1756.

I. ARCLOA (*a*), alijs *Arclovium*, hibernicè *Jonubheur-More*, ſeù, ut pronunciatur, *Inniver-More*, (quæ interpretata dicitur *Maris Proſpectus Magnus*) anglicè *Arklow*, & *Arclo*, Municipium (*b*) quidem non eſt, adeoque nec propriè loquendo Burgus, eſt tamen Emporium maritimum ſatis pulchrum, & commodum, atque Baroniæ ejuſdem Nominis in Comitatu *Wicloenſi* Caput; tribuebatque *Baronis* Titulum nupero *Pincernæ*, vulgò *Butlero*, Duci *Ormondiæ*, nulli non noto. *Arcloa* priſcis Temporibus erat in Diæceſi *Glandalacenſi*, ſed Sæculo Eccleſiæ Duodecimo hæc ſuppreſſa fuit, & Archidiæceſi *Dublinienſi* adjecta, ut alibi narrabam (*c*). Nundinæ ibi quater in Anno habentur, nempè in duobus Feſtis Inventionis, & Exaltationis *S. Crucis* (cui mox recenſenda Fratrum Prædicatorum Eccleſia erat ſacra), 3 Maij, & 14 Septembris, ſed nunc, propter Mutationem Styli (*d*), 14 Maij, & 25 Septembris; item Diebus 9 Auguſti, & 15 Novembris. *Dubliniò*, Triginta Quinque; *Wicloâ*, Comitatûs Capitali, Duodecim; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Quadraginta Quinque; *Wexfordiâ*, Triginta Uno; *Athyâ*, Triginta Tribus; *Corcagiâ*, Centum; *Galviâ*, Centum, & Decem; *Londino-Deriâ*, Centum & Quadraginta, Milliaribus diſtat.

II. INTRA *Arcloæ* Oppidum Muri extant, ut vidi Anno 1753, pergrandis Cænobij, pergrandiſque Templi, quæ fundata fuiſſe Anno 1264, unus omnium Scriptorum (*e*) Conſenſus luculen-

---

(*e*) Denatus Anno 1759.

(*f*) Defunctus eodem Anno.

(*g*) Ex Inciſione pro Calculo obijt *Dublinij* 20 Julij 1758.

(*a*) Sic latinè ſcribitur in antiquiſſimo Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, quem Cap. ii. Num. vi. Pag. 38 exſcripſi.

(*b*) Recolendum Cap. i. Num xxii. Pag. 31.

(*c*) Cap. i. Num. xii; & Cap. præs. §. i. Num. i. Lit. l. Pag. 16, & 168.

(*d*) Videſis Cap. vii. Num iii. Lit. f. Pag. 138.

(*e*) Antiqui Anonymi, in Catalogo Cænobiorum, mox laudato; *Waræi*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 150; *Harriſij*, Vol. II. Pag. 276; *Alemandi*, Pag. 216; *O-Heyni*, Pag. 7. Iſtius etiam Cænobij meminit *Jacobus* noſter *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii.

tiſſimè oſtendit. Quod verò ad Fundatorem attinet, etſi varij variè opinari videantur, reapsè tamen eidem ab ijs attribuitur Perſonæ Fundationis Beneficium, nimirùm *Theobaldo,* quem Waræus, latinè ſcribens, *Pincernam*; Harriſius, anglicè *Butler*; Alemandus, *Walter*; O-Heynus, *Walters,* ſeù *de Gualterijs,* cognominant. Enimverò *Theobaldus*, prælibati Fundatoris *Theobaldi* Anteceſſor, qui cum *Henrico* II Rege in *Hiberniam* advenerat Anno 1172, erat de Familia in *Anglia* dicta *Walters* à quodam *Waltero*, ſeù *Gualtero*, illius Progenitore: Sed paulò poſt, Anno ſcilicet 1177, à memorato Rege donatus honorifico Titulo *Pincernæ,* cujus Munus eſt Regi in Die Coronationis ejus primum Poculum argenteum, Vino plenum, porrigere, exindè Gens ab eo deſcendens Cognomen ſibi aſſumpſit *Pincernæ*, anglicè *Butler*. Undè *Camdenus (f)* ait: “Ormondia ex clariſſima Butlerorum Familia Duodecim Comites numerat (*g*) à Jacobo Primo, quem Eduardus III eò Honoris evexit, cujus Majores etiam olim Honorarij erant Hiberniæ Pincernæ, undè illi hoc Nomen BUTLER impoſitum. Feciales noſtri hanc Familiam antiſſimâ Affinitate (*Sanctum*) Thomam Beckettum, Archiepiſcopum Cautuarienſem, attigiſſe perſuadent, & poſt ejus Cædem in Hiberniam à Rege Henrico II fuiſſe tranſlatam, qui exiſtimavit ſe Facti Invidiâ deoneraturum, ſi Becketti Affines Proventibus, & Honoribus augeret.” Apud *Carvæum* (*b*) legere eſt Literas Patentes ejuſdem *Camdeni*, quà Regis Armorum in *Anglia*, cui Nomen Officij *Clarencæux* (*i*), de Affinitate iſta Teſtimonium perhibentes (*k*).

A *Theobald,*

(*f*) In ſua *Britannia*, Pag. mihi 503.

(*g*) Id eſt, uſque ad Annum 1586, quo ſcripſit *Camdenus*.

(*b*) In *Lyra Hibernica*, Pag. 56.

(*i*) In Anglia tres ſunt Reges Armorum, unus pro Partibus Orientalibus, Occidentalibus, & Auſtralibus Regni, dictus vulgò *Surroy*, dictuſque paſſim *Clarenceux*; alius pro Partibus Septentrionalibus, dictus *Norroy* (eorum Diſtrictibus per Fluvium *Trentam* diviſis); alius verò principalis, iſtis præeminens, Cognomento *Garter*. In *Hibernia* verò, ut obiter dicam, unicus eſt Rex Armorum, nuncupatus *Ulſter*, ſicut & in *Scotia* unus duntaxàt eſt, appellatus *Lyon*. Eorum porrô Officium eſt, Cæremonias in Coronatione Regis, alijſque publicis Aulæ Functionibus dirigere, Bellum Pacemque promulgare, Genealogias Familiarum ſpectabilium, unà cum Armis, ſivè Teſſeris, aut Inſignibus Gentilitijs in Regeſto fideliter conſervare, & de ijſdem, quoties rogati fuerint, atteſtari, &c.

(*k*) Nobiliſſima juxtà & antiquiſſima hæc Proſapia Originem ducit ab inſigni *Normanno*, Nomine *Herveio*, qui *Gulielmum Conquæſtorem* in *Angliam* aſſociatus eſt Anno 1066, ab eoque in Præmium Operæ fortiter præſtitæ pluribus Latifundijs in *Norfolciæ*, *Suffolciæ*, & *Lancaſtriæ* Comitatibus donatus. Filium habuit *Herveium-Walterum*, quod *Walteri* Nomen in Cognomen tunc Temporis tranſijt maneteque in *Anglia* uſque in hodiernum Diem, plures enim ipſe novi, & quidem ſpectabiles Viros, Cognomine *Walters* præditos, quod idem ſonat ac *Gualtieri* in *Italia*, aut *Gautier* in *Gallia*.

Præfatus autem *Herveius-Walterus* Quinque genuit Filios, quorum primus (ut nihil dicam de ſecundo, Nomine *Huberto*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, Magnoque *Angliæ* Cancellario inſimul & Theſaurario) erat *Theobaldus*, in Textu memoratus, qui *Henricum* Secundum Regem in *Hiberniam* comitans, ab eoque Pincerna Regius conſtitutus Anno 1177, hujus Officij Nomen, *Pincerna* nempè, anglicè *Butler*, Familiæ ſuæ in *Hibernia* indidit. Amplas deindè aſſecutus eſt in hoc Regno Poſſeſſiones, & inter alias Caſtrum, & Oppidum *Arcloæ*, Diemque clauſit extremum Anno 1206, relinquens poſt ſe (ex *Matilda Beckett*, Sorore *S. Thomæ* Archiepiſcopi *Cantuarienſis*, & Martyris) alium *Theobaldum*, Filium duntaxàt ſexennem, qui Anno 1247 Prorex fuit (ſivè Dominus Juſtitiarius) *Hiberniæ*, & defunctus Anno 1248, ex *Joanna*, Sorore, & Cohærede *Joannis de Mariſco*, opulentiſſimi in *Hibernia* Baronis (cujus ampliſſima Latifundia in *Pincernarum*, ſeú *Butlerorum* tandem Poſſeſſionem devenere), Filium reliquit item *Theobaldum*, Cænobij noſtri *Arcloenſis* Fundatorem, *Sexto Kalendas Octobris Anno* 1285 *in Caſtro ſuo Arcloenſi denatum, atque in Cænobio Fratrum Prædicatorum ibidem humatum*, ut diſertis Verbis referunt *Annales Hiberniæ* ad Calcem *Britanniæ* à *Camdeno* editæ impreſſi *Londini* 1722, poſt Pag, 1516. Hic ex *Marcella*, *Richardi de Burgo*, Domini *Conaciæ* (confer nuper dicta Cap. præs. §. xvi. Num. v. Lit. t. P. 260.) Primogenitâ, ſuſcepit *Theobaldum*, hujus Nominis Quartum, qui ex Filia *Joannis Fitz-Geoffrey*, Domini de *Kirtling*, & Proregis (ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*) *Hiberniæ*, Octo genuit Liberos, nempè *Theobaldum* hujus Nominis Quintum, defunctum ſine Prole; *Edmundum*, creatum Comitem *de Carrick*, in Agro *Tipperarienſi*, Anno 1315; *Thomam*, Baronum de *Dunboyne*, in Agro *Midenſi*, Progenitorem, *qui in Prælio occiſus eſt in magnum Hiberniæ*

A *Theobaldo* igitur *Pincerna*, anglicè *Butler*, fundatum fuit hocce *Arcloenſe* Cænobium, undè *Waræus* mox laudatus de *Arcloa* loquens, ait: “Theobaldus Pincerna Anno Domini 1264 “Conventum ibi poſuit Ordinis Prædicatorum. In Eccleſia ibidem ipſe ſepultus eſt cum Statua “ſuperimpoſita.”

---

niæ Damnum (Verba ſunt *Annalium* mox recenſitorum) & *in Eccleſia Fratrum Prædicatorum Dublinij honorificè tumulatus Die Dominico poſt Feſtum S. Bartholomæi Anno* 1329; *Joannem*; *Richardum*; *Gilbertum*; *Nicolaum* Archiepiſcopum *Dublinienſem*, Anno 1306 electum, ſed nunquàm conſecratum; & *Jacobum*.

Laudatus *Edmundus*, Comes de *Carrick*, fuit ſemel iterumque *Hiberniæ* Prorex, ſivè Juſtitiarius, & ex *Joanna*, Primi Comitis *Kildarenſis*, nempè *Joannis Geraldini* (videſis non ità pridem dicta Cap. præs. §. x. Num. ii. Lit. c P. 237.) Filiâ, Tres ei ſunt geniti Liberi, quorum ſecundus, Nomine *Joannes*, Progenitor fuit *Butleri*, moderni Comitis de *Carrick*, hoc Titulo Anno 1748 donati, priùs enim erat Vicecomes de *Ikerrin*, in Agro *Tipperarienſi*, qui Titulus accreverat Familiæ ſuæ de Anno 1629. Primogenitus verò, Nomine *Jacobus*, creatus fuit Comes *Ormondiæ*, in eodem Agro, Anno 1328, inſimulque conſtitutus Dynaſta Palatinus (conſule Cap. præs. §. x. Num. v. Lit. k. P. 239.) totius memorati Comitatus *Tipperarienſis* cum Jure Succeſſionis ad Hæredes Maſculos deſcendente, quod in Familia haud interruptè permanſit uſque ad Annum 1716, quo *Jacobus Butlerus*, Dux *Ormondiæ*, jam olim haud ſemel Prorex *Hiberniæ*, propter Adhæſionem Regi *Jacobo* III, exutus fuit Honoribus omnibus, Gradibus, Prærogativis, & Bonis, ſtatuto inſuper Præmio decem mille Librarum Sterlingarum pro ipſius Captura.

Prælibatus *Jacobus*, primus *Ormondiæ* Comes, & *Tipperariæ* Palatinus, Anno 1327 Nuptias inivit cum *Eleonora*, Filia *Humphræi Bohun*, Comitis *Herfordiæ*, & *Eſſexiæ*, Magni Cenſoris (vulgò *Conſtable) Angliæ*, ex Conjuge ſua *Elizabetha*, ſeptimâ Regis *Eduardi* Primi Filiâ, deſcedenſque ex hac Vita Anno 1337 reliquit poſt ſe Filium *Jacobum*, Succeſſorem ſuum, Filiamque Nomine *Petronillam*, *Gilberti Talboti*, Comitis *Salopiæ*, (vulgò *Shrewſbury)* in *Anglia*, & *Waterfordiæ* in *Hiberniæ*, Progenitoris, Uxorem.

Mox dictus *Jacobus*, Secundus *Ormondiæ* Comes, atque *Hiberniæ* Prorex, *Jacobus caſtus* ob Continentiam, & Probitatem ejus, & *Nobilis Comes* ob regium Sanguinem, paſſim appellatus, ſibi Matrimonio copulavit *Elizabetham*, Filiam *Joannis Darcy*, ſeù *D'Arcie*, Equitis Aurati, *Hiberniæ* Proregis, ſivè Juſtitiarij, ex *Joanna de Burgo*, *Richardi* Comitis *Ultoniæ* Filiâ, & *Thomæ Geraldini*, Secundi *Kildaræ* Comitis, Viduâ. Ex recenſito Matrimonio ortus eſt *Jacobus*, Tertius *Ormondiæ* Comes, & *Hiberniæ* Prorex, qui *Kilkennienſem* Arcem conſtruxit (confer Cap. præs. §. iii. Num. i. P. 204). Ei ſucceſſit Filius Primogenitus item *Jacobus*, dictus paſſim *Comes Albus*, qui fuit Prorex, ſeù Juſtitiarius, *Hiberniæ*, habuitque tres Filios, *Jacobum*, *Joannem*, & *Thomam*, ſucceſſivè Comites *Ormondiæ*, ſine Prole maſculina defunctos. Hinc in eorum ſucceſſit Jura *Pierius Butlerus*, deſcendens à *Jacobo*, Tertio *Ormondiæ* Comite per Filium ejus ſecundogenitum *Richardum*, ſic nominatum à *Richardo* II Rege, qui eum è Sacro Fonte ſuſcepit, in *Hibernia* perſonaliter præſens Anno 1394.

Ab eodem etiam *Jacobo*, Tertio *Ormondiæ* Comite, rectâ Lineâ deſcendit *Thomas Butlerus*, Baro de *Cahier*, in Agro *Tipperarienſi* (Anno 1543 ab *Henrico* VIII creatus) mediante *Jacobo*, memorati Comitis Filio ex *Catharina Geraldina*, Comitis *Deſmondiæ* Filiâ, cujus mox dicti *Jacobi* Frater erat *Thomas Butlerus*, Prior Equitum *S. Mainhami* (vulgò *Kilmainham)* propè *Dublinium*, Ordinis *S. Joannis Jeroſolymitani*, pluries *Hiberniæ* Prorex Deputatus, regnantibus *Henrico* IV, & V. Porrò Dominus Baro de *Cahier* profitetur Religionem Catholicam uſque in hodiernum Diem.

Octavus igitur *Ormondiæ* Comes erat *Pierius Butlerus*, creatus inſuper Comes *Oſſoriæ* in Agro *Kilkennienſi* (confer cap. præs. §. xxx. Num. i. Lit. f.) Anno 1527. Fuit *Hiberniæ* Prorex Deputatus, atque ex Conjugio, quod Anno 1485 cum *Margarita Geraldina*, Octavi Comitis *Kildarenſis* Filiâ, contraxerat, Tres ſuſcepit Liberos, quorum ſecundo genitus creatus fuit Vicecomes de *Mountgarrett*, in Agro *Wexfordienſi*, ab *Eduardo* VI Anno 1550. Primogenitus autem, Nomine *Jacobus*, Nonus *Ormondiæ* Comes, creatus inſuper fuit Vicecomes de *Thurles*, in Agro *Tipperarienſi*, Anno 1535, Magnuſque *Hiberniæ* Theſaurarius, durante Vitâ, conſtitutus. Ex *Joanna Geraldina*, Undecimi *Deſmondiæ* Comitis Gnatâ, genuit *Thomam*, Decimum *Ormondiæ* Comitem, abſque Prole maſculina defunctum (adeas Cap: xvii. Num. xxvii); & *Joannem Butlerum* de *Kilcaſh*, in Agro Tipperarienſi, Armigerum, cujus Filius *Gualterus* evaſit Undecimus *Ormondiæ* Comes, qui ex *Helena Butlera*, Secundi Vicecomitis de *Mountgarret* Filiâ, ſuſcepit *Thomam*, qui de *Angliâ* navigans in *Hiberniam* ſubmerſus fuit, viuo Patre, 15 Decembris 1619, Tres poſt ſe relinquens Liberos, *Jacobum* nempè, Duodecimum *Ormondiæ* Comitem; *Joannem*, defunc-

III. Anno 1414 *Joannes* XXIII, Pontifex Maximus, in Concilio Æcumenico *Conſtantienſi* perſonaliter conſtitutus, Indulgentias conceſſit viſitantibus Ædes Sacras hujus Cænobij in Inventionis, & Exaltationis S. Crucis Feſtivitatibus, pluribuſque alijs, atque per nonnullarum Octavas, Apoſtolico Diplomate, quod legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*l*) Tenoris ſequentis

" Johannes

---

tum ſine Prole; & *Richardum Butlerum* de *Kilcaſh*, Armigerum, cujus Filius *Gualterus* ex Nuptijs, quas cum *Maria Plunketta*, *Chriſtophori*, Secundi Comitis *Fingalliæ*, in Agro *Dublinienſi*, unicâ Natâ, inierat, præter *Chriſtophorum Butlerum*, ultrà Quadraginta Annos Archiepiſcopum *Caſſélienſem*, omnibus Numeris abſolutiſſimum (defloruit A. 1757), genuit etiam *Thomam Butlerum*, Chiliarcham, ſeù *Colonellum*, ut vocant, Peditum ſub Rege *Jacobo* II, de Anno 1696 *Margaritæ de Burgo*, *Gulielmi*, Septimi *Clanrickardiæ* Comitis, & *Hiberniæ* Proregis, ſeù Juſtitiarij, Filiæ, & *Briani Magennis*, Domini Vicecomitis de *Iveagh*, in Agro *Dunenſi*, Viduæ, Matrimonio conjunctum, ex qua Tres ſuſcepit Liberos, quorum priores in juvenili Ætate denati ſunt abſque Prole, poſtremus verò, Nomine *Joannes*, apparens eſt Titulorum, & Latifundiorum *Ormondiæ* poſt mox recenſendi Comitis de *Arran* Deceſſum Hæres; ac Quinque Filias, ſpectabilibus Viris nuptas, quarum ſecunda, Nomine *Honoria*, *Thomam Browne*, Dominum Vicecomitem de *Kenmare*, in Agro *Kerrienſi*, peperit, jam florentem, Catholicâ Religione, & eximijs Meritis clarum.

Jacobus Butlerus, Duodecimus *Ormondiæ* Comes, creatus fuit à *Carolo* I Anno 1942, ejuſdem *Ormondiæ* Marchio, & Anno 1660, reſtaurato Rege *Carolo* II, Baro de *Lanthony*, & Comes de *Brecnock*, in *Anglia*, & Anno 1661 Die Coronationis memorati Regis, Dux *Ormondiæ*, in *Hibernia*, demùmque Anno 1682 Dux in *Anglia* cum eodem *Ormondiæ* Titulo. Haud ſemel inſuper ab utroque prælibato Rege conſtitutus fuit *Hiberniæ* Prorex, pluribuſque alijs Honoribus, tàm in Aula, quàm in Campo Martio, decoratus. Anno 1629 Uxorem duxit *Elizabetham Preſton*, Richardi Comitis *Deſmondiæ* Filiam, ex qua octo ſuſcepit Filios, duaſque Filias. Filij omnes abſque Prole defuncti ſunt præter *Thomam* Comitem *Oſſorienſem*, & *Richardum*, creatum Anno 1662 Baronem de *Cloughgregan*, in Agro *Reginæ*, Vicecomitem de *Tullogh*, in Agro *Carloenſi*, & Comitem de *Arran*, in Agro *Galvienſi*, Annoque 1682 Proregem *Hiberniæ* Deputatum Vice Genitoris conſtitutum, qui Honorum Tituli cum eo abſque Prole maſculina denato extincti ſunt; ejus autem Filia *Carlotta* Mater extitit *Caroli*, moderni Baronis de *Cornwallis* in *Anglia*. Filiarum verò mox recenſiti *Ormondiæ* Ducis una, cui Nomen *Elizabetha*, *Philippi Stanhope*, Secundi Comitis de *Cheſterfield* Secunda fuit Conjux; altera, Nomine *Maria*, *Gulielmo Cavendiſh*, Quarto Comiti de *Devonſhire*, (poſtmodùm Duci) nupta, viventis Ducis de *Devonſhire*, terque quaterque Proregis *Hiberniæ*, Avia erat.

Thomas Butlerus, Comes *Oſſorienſis*, Anno 1634 *Kilkenniæ* natus, nunquàm fuit Dux *Ormondius*, quia vivo Patre vivere deſijt. Sedebat nihilominùs in Superiori Domo *Parlamenti*, & quidem inter Comites primus; ac ſemel iterumque Genitoris Vice Proregem *Hiberniæ* Deputatum, Annis ſcilicet 1664, & 1668, agebat, pluribuſque alijs Muneribus, tàm civilibus, quàm militaribus, fungebatur. Anno 1659 Conjugem ſibi adſcivit *Ameliam Naſſau*, *Mauritij* Principis *Arauſicani* ex Filio *Ludovico* Neptem, & Viam univerſæ Carnis ingreſſus Anno 1680, ultrà Patrem, nonniſi Anno 1688 denatum, duos poſt ſe reliquit Filios, *Jacobum* nempè, Secundum *Ormondiæ* Ducem, Anno 1665 in Arce *Dublinienſi* natum, omnibus, & ſingulis Avi ſui Gradibus, Honoribus, & Muneribus recenſitis potitum, ſed ijs omnibus, atque Bonis Anno 1716, ut præfertur, exutum, quem *Avenione* verſantem novi Anno 1743, ubi Anno 1745 obijt abſque Prole maſculina; & *Carolum*, Anno 1671 in Lucem editum, nunc Comitem de *Arran*, Vicecomitem de *Tollogh*, & Baronem de *Cloughgrenan*, redivivis ſcilicèt jam recenſiti Patrui ſui *Richardi* Gradibus, & Titulis, Anno 1693 inſignitum, inſimulque Baronem de *Weſton* in *Anglia* creatum, qui Anno 1721 Vigore Statuti *Parlamentarij* omnia ſibi comparavit Latiſundia, quibus Frater ſuus *Jacobus*, Dux *Ormondius*, ſpoliatus fuerat. Jam Octogenarius eſt, & ultrà, nullam habens Prolem, in cujus proindè Jura veriſimiliter ſuccedet ſuprà memoratus *Joannes Butlerus* de *Kilcaſh*, Armiger, nondùm conjugatus. Obijt poſteà Comes *Carolus* A. 1759.

Præter Quinque recenſitos ex *Butlerorum* Gente Proceres, Comites nempè de *Arran*, & de *Carrick*, Vicecomitem de *Mountgarret*, Baronem de *Cabier*, & Baronem de *Dunboyne*, adhuc florentes, adeſt etiam Comes de *Laneſborough*, in Agro *Longofordienſi*, *Humphrius Butlerus*, ſic creatus hoc Anno 1756, creatus verò ejuſdem Loci Vicecomes 1728.

Hæc & quàm plurima alia de nobili iſta *Butlerorum* Progenie legere eſt apud *Lodgæum*, Vol. II. à Pag. 222 ad 228; & à Pag. 255 ad 268; & Vol. III. à Pag. 332 ad 342; & Vol. IV. à Pag. 64 ad 71.

(*l*) Tom. ii. Pag. 524, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. L. Fol. 172.

“ Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſtifidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cupientes igitur (*m*) ut Eccleſia Fratrum Prædicatorum de Arolo (*n*) in Honorem S. Crucis conſtructa, Dublinen Diæceſis, congruis Honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eò libentiùs Causâ Devotionis confluant ad eandem, & ad Conſervationem ipſius Manus promptiùs porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem Dono celeſtis Gratiæ uberiùs conſpexerint ſe refertos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, ac Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli prædictorum, necnon Inventionis, & Exaltationis ejuſdem Sanctæ Crucis, ac ipſius Eccleſiæ Dedicationis Feſtivitatibus, ac Celebritate omnium Sanctorum, & per ipſorum Nativitatis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri, necnon Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli prædictorum, Feſtivitatum Octavas, & per ſex Dies dictam Feſtivitatem Pentecoſtes immediatè ſequentes, prædictam Eccleſiam devotè viſitaverint, vel ad Conſervationem, & Suſtentationem hujuſmodi Manus porrexerint adjutrices, decem Annos, & totidem Quadragenas, de injunctis eis Pænitentijs miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi aliàs viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad Conſervationem, aut Suſtentationem, ſeù Reparationem, aut Fabricam Manus porrigentibus adjutrices, aut inibi pias Eleemoſynas erogantibus, ſeù aliàs aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad certum Tempus nondùm elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi præſentes Literæ nullius exiſtant Roboris, vel Momenti. Datum Conſtantiæ XVII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.”

IV. NEDUM Ædium Sacrarum, atque Cænobij, Mænia fermè integra etiamnum (Anno 1756) conſpiciuntur, ſed & amplum extat Cæmeterium, in quo *Arcloenſes* omnes Catholici humantur; Proteſtantes verò omnes in alio (ut vidi) non multùm diſtante Cæmeterio.

LATIFUNDIA ad Conventum hunc olìm ſpectantia, poſt Regularium Domorum Diſſolutionem, *Joanni Travers*, Armigero, conceſſa fuere, poſtmodùm autem *Patritio Barnewall* aſſignata (*o*).

V. ARCHIPRÆSULES *Dublinienſes* Ordinis noſtri ſuperiùs recenſebam, de *Dublinienſi* Cænobio diſſerens (*p*). Ceterùm antiquæ Diæceſis *Glandalacenſis*, nunc *Dublinienſi* adjectæ (quæ *Arcloam* intrà Fines ſuos complectebatur) unus erat Epiſcopus Dominicanus, *Franciſcus* nempè *de Corduba*, cujus datâ Operâ alibi meminero (*q*).

VI. NONNISI Duo Patres Conventui huic aſſignati exiſtunt Anno 1756, ſcilicet R. P. Prædicator Generalis Fr. *Jacobus Murray*, aliàs *Morilly*, Prior, Ætatis Anno 49, Profeſſionis 29 (*r*); & R. P. Fr. *Ambroſius-O-Connor*, Paſtor in Diæceſi *Dublinienſi*, Ætat. 55, Prof. 37 (*s*).

§. XIX.

De *Roſbercanenſi* Cænobij *S. Mariæ Aſſumptæ* in *Kilkennienſi* Comitatu *Lageniæ*,

ANNO 1267.

SUMMARIUM.

I. *Multiplicis in Hibernia* Roſſæ *Nomenclatura, atque Vici* Roſbercanæ *Deſcriptio*.

II. *Fundatio Cænobij Ordinis Prædicatorum. Nonnihil obiter de Domibus Franciſcana, & Auguſtiniana* Roſpontanis, *inſimuſque Difficultati fit ſatis. Notæ de* Gracæorum, & Walſhæorum, *Cænobij noſtri Fundatorum, Familijs*.

III. *Dominicani*

(*m*) Deeſt Exordium in laudato *Bullarij* Loco.

(*n*) Lege *Arclo*, Incuriâ quippè Ammanuenſis ſeù *Archivi Apoſtolici*, ſeù *Archivi Ordinis*, Loco ponitur o.

(*o*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276.

(*p*) Cap. præſ. §. i. Num. xx. Pag. 197.

(*q*) Cap. xiii. Num. li.

(*r*) Filius eſt Conventûs *Urlarienſis*.

(*s*) Fatis ceſſit 1 Junij 1757. Fuit porrò Conventûs *Roſcomanienſis* Filius.

III. *Dominicani Cænobij Rudera.* *Modernus Fundi* Dominus. Oſſorienſes *Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum alibi memorati.*

IV. *Patres Duo tantùm Conventui iſti aſſignati Anno* 1756.

I. ROSSA, anglicè *Roſs,* hibernicè *Ros,* quæ ut nuper ajebam (*a*), interpretata *Amænum* ſignificat *Locum,* multiplex eſt in *Hibernia.* Imprimis, quæ *Roſſa* ſine addito dicitur, Sedes eſt Epiſcopalis (*b*) in Agro *Corcagienſi.* Sequitur *Roſſa Comani*, ſivè *Roſcomania*, in Agro ejuſdem Nominis, de qua alibi Sermo erat (*a*). Dein *Roſſa Carberij* in prælibato Agro *Corcagienſi*; & *Roſcrea* in Agro *Tipperarienſi.* Duæ inſuper adſunt *Roſſæ* in Agro *Wexfordienſi*, Vetus nimirùm, & Nova, Tribus Milliaribus inter ſe diſtantes, quarum poſterior eſt Municipium, (*c*) ſivè *Burgus*, ut vocant, *Parlamentarius*, Titulumque præbet Comitis, qui impræſentiarùm eſt *Richardus Parſons.* Sita porrò eſt ad *Baroi* (*d*) Fluminis Ripam, atque priſcis Temporibus comprehendebat Vicum è Regione poſitum, vocabaturque totum Complexum *Roſſa Pontis* à Ponte, utramque *Roſſæ* hujus Partem conjungente. Et hac de Cauſa in veteri Catalogo Conventuum *Hiberniæ Dominicanæ*, quem ſuperiùs exſcriptum habes (*e*), Cænobium in memorato Vico ſitum, Nomen præſefert *Roſſæ, aliàs Roſſæ Pontis.* Sed quandoquidem Flumen iſtud nunc Limitis Vice fungatur *Wexfordienſem* Comitatum inter, & *Kilkennienſem*, hinc Vicus, qui eſt in Agro *Wexfordienſi*, diſtinguitur à Vico, qui eſt in Agro *Kilkennienſi*, & quidem nedùm in civilibus, ſed & in eccleſiaſticis, iſte enim in *Oſſorienſi*, ille verò in *Fernenſi* Diæceſi, comprehenditur, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi* (*f*). Atque ut Vocabulis diſcriminentur, ille *Roſs-Pont* paſſimque eo in Territorio *Roſs* ſine Addito (Pons quippè eò Loci ampliùs non exiſtit) vernaculè nuncupatur; iſte verò *Roſs-Ibercan,* quia in antiqua Baronia, cui Nomen *Ibercan* (etſi in duas nunc diviſa) ſitus. Ibi, ſcilicet *Rosbercanæ,* quater in Anno Nundinæ ſat frequentes habentur, Diebus nimirum 15 Aprilis, 3 Maij, 10 Auguſt, & 5 Octobris. Cæterùm *Roſſa*, ſeù *Pontana*, ſeù *Ibercana*, (quas inter ſolus mediat *Barous* Fluvius) *Dubliniô* diſtat Sexaginta Duobus Milliaribus; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, ubi Sedes Epiſcopalis *Oſſorienſis* (*g*), Viginti uno; *Corcagiâ*, Septuaginta, ; *Londino-Deriâ*, Centum Sexaginta; *Galviâ*, Centum.

II. CÆNOBIJ noſtri *Rosbercanenſis* Fundationem adſtruit *Waræus* (*h*), de Pago, cui vulgò Nomen *Roſs-Ibercan*, loquens in hunc Modum: *Conventus Fratrum Prædicatorum introductus eſt Anno* 1267. *Sedet ad Baroum Fluvium è Regione Roſs-Pontis.* Succinit *Alemandus* (*t*) addens, extructum fuiſſe Cænobium hoc ab Hibernico-Anglicanis Familijs de *Grace* (*k*), & de *Walſh* (*l*). Huicque Aſſertioni ſubſcribit *Harriſius* (*m*).

QUOD

(*a*) Cap. præſ. §. xvi. Num. i. Pag. 258.

(*b*) Adeas Cap. i. Num. xii. Pag. 16,

(*c*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*d*) Videſis Cap. præſ. §. i. Num. i; & §. xv. Num. i.

(*e*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*f*) Legeſis Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*g*) Confer Cap. præſ. §. iii. Num. i. Pag. 204.

(*h*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 158.

(*i*) Pag. 218.

(*k*) *Gracæorum* Gens ex Anglia in *Hiberniam* dudùm advenerat, pluresque in varijs hujus Inſulæ Partibus aſſecuta eſt Poſſeſſiones, nominatìm in Urbe *Kilkennienſi*, ubi adhuc videre eſt Caſtrum Allodiale iſtius Familiæ, anglicè *Grace's Caſtle* propterea dictum, in quo Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ*, pro Comitatu *Kilkennienſi* ſingulis Semeſtribus habentur. Principaliores porrò *Gracæorum* Surculi ſunt de *Bally-Lynch*, de *Carney*, & de *Leighan* in Agro *Tipperarienſi*, à ſuis reſpectivè Prædijs ſic denominati, de quibus videre poteris, ſi Tibi per Otium liceat, *Lodgæum*, Vol. II. Pag. 224, & 258.

(*l*) *Walſhei* olim vocabantur *Brannachi*, quæ Vox hibernica *Wallos* ſignificat, ſeù *Britannos*, ut §. xiv. Cap. præſ. Num. iii. Lit. p. Pag. 251, dictum eſt, ubi ubi mutati Cognominis Cauſam indigitabam. Stirpis hujus præcipui Rami ſunt de *Hunſtown*, de *Carrickmaine*, in Agro *Dublinienſi*; de *Old Connaught* (latinè *Veteri Conacia*), in Agro *Wickloenſi*; de *Ballykilcavan*, in Agro *Reginæ*; de *Caſtlehoel*, in Agro *Kilkennienſi*; de *Ballycarrickmore*, in Agro *Waterfordienſi*; de *Greaghlaghbeg*, & de *Piltown*, in Agro *Tipperarienſi*, de quibus ſigillatim *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 151, & 252; Vol. II. Pag. 21, 221, & 256; Vol. III. Pag. 4, & 98; Vol. IV. Pag. 53, & 335.

(*m*) Vol. II. Pag. 276. Hujus Cænobij meminere item *Porterus*, in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, Pag. 219; *O-Heynus*, Pag. 9; *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii.

Quod ſi dicas, *Waræum*, ejuſque memoratos Sequaces, refragari Anonymo Scriptori Sæculi decimi tertij, diſertis Verbis ajenti, Cænobium noſtrum apud ipſammet *Roſſam Pontis* ſitum, ut in Catalogo ipſius alibi à me exſcripto, & mox recenſito, legere eſt: Nullo Negotio reſpondebo, nihil inter eos verſari Contradictionis, ut ex jam dictis facillime colligi poteſt. Enimverò Tempore iſtius Anonymi *Roſbercana* intrà *Roſs-Pontis* Fines comprehendebatur, nunc autem ſeorsìm ſe habent, tàm in civilibus, quàm eccleſiaſticis. Ut igitur juxtà modernam Rerum Diſpoſitionem loqueretur *Waræus*, noſtrum ſcitè collocat Cænobium apud *Roſbercanam* in Agro *Kilkennienſi*, eoque vel maximè ne id confundere videretur cum Franciſcano, & Auguſtiniano Cænobijs, apud *Roſs-Pontem* in Agro *Wexfordienſi* ſitis, de quibus hæc habet (*n*) paulò ante Locum mox allatum: *Roſſe, aliàs Roſs-Pontis,* Joannes Devereux *Miles fundavit Conventum Ordinis Minorum in Loco, ubi aliquando Domus erat Cruciferorum, ad Baroi Fluminis Ripam, regnante Eduardo Primo* (*o*). —*Conventus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini fundatur ibidem regnante Eduardo Tertio.*

III. Rudera adhuc conſpiciuntur antiquæ haud contemnendæ Fabricæ, cujus Fundus à Gubernio Acatholico dudùm conceſſus fuit *Joanni Parker*, Armigero, ac poſteà *Joanni Blake*, pariter Armigero, aſſignatus (*p*).

Oſſorienſis Diæceſis, intrà cujus Fines exiſtit *Roſbercana*, Epiſcopos ex Ordine Prædicatorum aſſumptos, opportuniùs recenſebam, de *Kilkennienſi* Cænobio diſſerens (*q*).

IV. Duo duntaxàt Patres Conventui huic aſſignati exiſtunt Anno 1756, nimirùm R. P. Fr. *Bernardus Hogan*, Prior, Ætatis Anno 44, Profeſſionis 18; & P. Fr. *Jacobus O-Heyne*, Ætat. 44, Prof. 18.

§. XX.

De *Youghallenſi* Cænobio *St. Mariæ Gratiarum* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*.

Anno 1268.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Oppidi, ſeù Burgi* Youghallæ.

II. *Cænobij Fratrum Prædicatorum Fundatio. Aliqua de Fundatore. Ubinam tumulati* Kildarenſes, & Deſmondij *Comites. Primitùs Cænobium* S. Crucis, *dein* S. Mariæ Gratiarum, *nuncupatum. Nonnihil obiter in Notis de Minoritarum Cænobio* Youghallenſi, *ejuſque Fundatoribus.*

III. *Conventus noſter* Youghallenſis *reformatus.*

IV. *Devotiſſima Beatiſſimæ Deiparæ Imago ibidem aſſervata. Decretum de ea Capituli Generaliſſimi* Romæ 1644. *Mala, quæ Deſtructoribus hujus Domûs, & Sanctæ Crucis in ea aſſervàtæ, evenerunt. Novi Latifundiorum Poſſeſſores.*

V. Clonenſes *Epiſcopi Dominicani.*

VI. *Alumni Tres Conventûs hujus Anno* 1756.

I. YOUGHALLA (*a*), alijs *Yoghalia*, & *Yochelia*, & *Joghelia*, & *Yeoghelia*, & *Ochella*, hibernicè *Dheochail*, anglicè *Youghall*, Oppidum eſt maritimum Baroniæ ejuſdem Nominis, & Agri *Corcagienſis*, Diæceſis verò *Clonenſis* ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, ad Ripam Fluminis anglicè dicti *Broadwater*, hibernicè *Avenmore*, id eſt *Flumen magnum*, licèt à pleriſque *Blackwater* anglicè, id eſt *Flumen nigrum*, appelletur (eodem etiam Nomine anglico uni Fluvio *Lageniæ*, unique *Ultoniæ* competente) quod *Corcagienſem*, & *Waterfordienſem* Agros interfluit, ac tandem in Mare conditur, Portumque *Youghallæ* efficit. Ad illius igitur Ripam, ſeù potiùs Oram,

---

(*n*) Pag. 155.

(*o*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*p*) Harriſius, Vol. II. Pag. 276.

(*q*) Cap. præſ. §. iii. Num. vi. Pag. 206.

(*a*) Sic ſcribitur ab Anonymo Auctore Sæculi xiii, in ſuo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo, quem exſcriptum habes Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

Oram, extat *Youghallâ*, parva quidem, ſed pulchra, cincta Muris, Formâ oblonga, Portum habens ſecurum cum Cothone ſuo munito, ſivè Loco, quò Naves applicant ad Terram uſque, anglicè *Kay*, gallice *Quai*, italicè *Chaia* ; atque ſatis frequens eſt ob Regionis vicinæ Commoditatem, quæ Mercatores magnoperè invitat. Ex ea Titulum habet Baronis *Richardus Boyle*, Comes inſuper *Corcagiæ*, inſimulque Comes de *Burlington* in *Anglia* (*b*). Emporium eſt, ibique Nundinæ bis in Anno habentur, nimirùm Die Aſcenſionis Domini, & Die 18 Octobris. Municipium (*c*) quoque eſt à Prætore, & Senatoribus, vulgò *Majore*, & *Aldermannis* (*d*) gubernatum, *Dubliniô* Centum & Decem ; *Corcagiâ*, Viginti Tribus ; *Limericô*, Quinquaginta Quinque ; *Clonâ*, Novem ; *Caſſeliâ*, Triginta Novem ; *Galviâ*, Nonaginta Quinque, *Londino-Deriâ*, Centum Octaginta Quatuor, Milliaribus diſtans.

II. YOUGHALLÆ in Parte ſeptentrionali Mænia extant Cænobij Fratrum Prædicatorum, Anno 1268 (*e*) fuudati à *Thomâ Geraldino*, *Mauritij* Filio, *Hiberniæ* Prorege ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*, dicto paſsìm in Hiſtorijs *Thomâ Simiaco* ob Rationem alibi aſſignatam, ubi etiam ſuccinctam, ſed plenam ipſius Genealogiam obiter texui (*f*). Non eſt porrò confundendus cum ſuo Proavo, altero nempè *Thomâ Geraldino*, *Mauritij* item Filio, qui Magni Cognomentum ſibi promeruit, cujuſque Filius *Joannes* Cænobium noſtrum *Traleienſe* Anno 1243, ut non ità pridèm ajebam (*g*), excitavit. Uterque autem Fundator in ſuo reſpectivè Cænobio, Avus ſcilicèt *Joannes* in *Traleienſi*, Nepos verò *Thomas* in *Youghallenſi*, humatus fuit (*h*). Atque idem *Thomas* duos poſt ſe reliquit Filios, *Joannem* nempè, primum *Kildaræ* Comitem, & *Mauritium*, primum Comitem *Deſmondiæ*, inſimulque Dynaſtam Palatinum *Kerriæ*, de quibus anteà Sermo erat (*i*).

DUO priores *Kildaræ* Comites in *Kildarenſi* Ordinis Fratrum Minorum Cænobio (*k*) tumulati fuere, alij autem alijs in Locis, ut legere eſt apud *Lodgæum* (*l*). Comitum verò *Deſmondiæ* plures in *Traleienſi* noſtro Cænobio, ab ipſiſmet *Geraldinis* extructo, tumulatos fuiſſe, ex alibi dictis luculentiſſimè conſtat (*m*), Treſque ſepulti aſſeruntur *Youghallæ*. Sed quandoquidem, ut ibidem advertebam, eo in Oppido duplex ſit Cænobium, & quidem à *Geraldinis* fundatum, Dominicanum unum, Franciſcanum alterum, idcircò me latet, ut ingenuè dicam, in cujuſnam Cænobij Ædibus Sacris eorum Exuviæ conduntur.

PORRO Ædes Sacræ Cænobij Dominicani primitùs dicatæ fuerint *S. Cruci*, idque fortaſſis ob Teſſeram Gentilitiam Fundatoris, ut liquet ex alibi dictis (*n*). Poſtmodùm verò ob devotiſſimam Deiparæ Imaginem, de qua protinùs fiet Sermo (*o*), & Gratias (ne dicam Miracula) ejuſdem Sanctiſſimæ Deiparæ Interventu impetratas, Cænobium ſuh Nuncupatione fuit *S. Mariæ Gratiarum* (*p*), ut perſpicuè apparet ex *Regiſtro Ordinis*, ubi ſequentia legere eſt : *Anno* 1639 *Die* 19 *Febru-*

(*b*) Confer Cap. præſ. §. vi. Num. i. Pag. 214.

(*c*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*d*) Adeas Cap. præſ. §. i. Num. vii. Lit. k. Pag. 189.

(*e*) Ità Scriptor Anonymus Sæculi xiii, in Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, ſuperiùs exſcripto Cap. ii. Num. vi. P. 38 ; *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 201 ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277 ; *Alemandus*, Pag. 228 ; O-Heynus, Pag. 15. Hujus etiam Cænobij meminit *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*f*) Cap. præſ. §. x. præſertìm Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

(*g*) Ibidem, Num. ii. Pag. 237.

(*h*) *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 7, & 8.

(*i*) Cap. præſ. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

(*k*) De Cænobio hoc loquens *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 146. ait : " Conventum Ordinis Fratrum Minorum poſuit *Geraldus* " Filius *Mauritij* circà Annum 1260. Alij *Gulielmum de Veſey* Fundatorem aſſerunt." *Lodgæus* Vol. I. Pag. 8. mediâ Viâ incedens, dicit, Fundationem iſtius Cænobij inceptam fuiſſe à *Gulielmo de Veſey*, Prorege ſivè Juſtitiario *Hiberniæ*, completam verò a *Geraldo Geraldino*, Barone *Ophaliæ*. Porrò " dictus *Gulielmus de Veſey* Cænobium Ordinis Car- " melitarum ibidem (*Kildaræ*) extruxit," inquit *Waræus* Loco mox citato. Cæterùm *Gulielmus* iſte *de Veſcy*, ſeù (ut nunc ſcribitur) de *Veſey*, deſcendit à Familia *Burgorum*, ab eoque Originem ducit *Joannes Veſey*, Baro de *Knapton* in Comitatu *Reginæ*, ut oſtendit Lodgæus, Vol. IV. à Pag. 324 ad 329.

(*l*) Vol. i. Pag. 22, & ſeqq.

(*m*) Cap. præſ. §. x. Num. v. Pag. 239.

(*n*) Cap. præſ. §. x. Num. iv. Pag. 239.

(*o*) Num. iv.

(*p*) *Mediolani* in *Italia* adeſt Conventus noſtri Ordinis Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ* ſub eadem Nuncupatione *S. Mariæ Gratiarum*, ut videre eſt Cap. xvi. Num. cviii.

Febraârij confirmatus in Provincialem (Hiberniæ) *canonicè electus in Capitulo Provinciali congregato in Conventu DEIPARÆ GRATIARUM Yeoghelenſi* 12 *Octobris, P. Fr. Jacobus Hurleus* (*q*).

III. SENESCENTE Sæculo Eccleſiæ decimo quinto Conventus hic *Youghallenſis* reformatus fuit à xxxiii Magiſtro Ordinis, P. *Bartholomæo Comatio*, Bononienſi, ut patet ex Regiſtro *Joachimi Turriani*, xxxv Magiſtri Generalis, ubi hæc habentur Verba: *Approbatur Reformatio Conventus Joachiæ* (i. e. Jocaliæ, ſeù Youghallæ) *per Magiſtrum Bartholomæum facta: Et Vicarius Generalis Provinciæ Magiſter Mauritius* (*r*) *poteſt reformare quoſcunque alios Conventus, quos cognoverit eſſe reformandos &c* (*s*), *Datum Romæ* 7 *Auguſti* 1493.

FUERANT autem in anteceſſum reformati *Pontanenſis*, *Limericenſis*, *Corcagienſis*, & *Colranenſis* Conventus, ut alibi referebam (*t*). Quid porrò *Reformationis* Nomine intelligat Ordo Fratrum Prædicatorum paulò poſt oſtenſum eſt (*u*).

IV. IN Ædibus Sacris hujuſce Cænobij devotiſſima olìm aſſervabatur Imago Beatiſſimæ Deiparæ, ad quam ex univerſis *Hiberniæ* Partibus confluere ſolebant Chriſtifideles Religionis, & Voti Causâ. De eo extat Decretum in Capitulo Generaliſſimo Romano Anni 1644, ſub LVI Magiſtro Ordinis *Thomâ Turco*, Cremonenſi, editum, hiſce conceptum Verbis: *Applicamus Eleemoſynas omnes, quæ fiunt ad devotiſſimam Imaginem B. Virginis Mariæ de Youghel, in Uſum ipſius Conventus Youghellenſis, nec de ijs in futurum aliter diſponere valeat Provincialis* (*w*). De ea etiam hoc habet *O-Heynus* noſter (*x*): *In hac Domo* (Youghallenſi) *conſervatur miraculoſa Statua Beatiſſimæ Virginis Matris, quam audivi relictam ſub nupero Exilio* (*y*) *in Manu Domini Joannis Hore Catholici viventis in illo Territorio* (*z*). Cæterùm præſata Imago nunc (Anno 1756) eſt in Poſſeſſione *P. Thomæ O-Kelly*, Conventûs iſtius Prioris actualis, *Youghallæ* reſidentis (*a*).

HIS addidiſſe placebit quæ habet Liber anglicè impreſſus Anno 1620, cui Titulis: *Theatrum Catholicæ, & Proteſtanticæ Religionis* Pag. 435, ſubſequentia nempè Verba: "Anglus quidam "Nomine *Poet*, demoliens Cænobium *S. Dominici* in Aquilonàri *Youghallæ* Parte, à Summitate "Eccleſiæ cecidit, confractis omnibus ejus Artubus, Anno Domini 1587. Item tres Oppidi "illius Milites, qui dejecerant, Flammiſque tradiderant, Sacram Crucem iſtius Cænobij, intrà Oc-"tiduum ab eo patrato Facinore mortui ſunt, primus Amentiâ raptus, ſecundus Pediculis con-"ſumptus, tertius à Comitis *Deſmondiæ* Seneſchallo occiſus."

LATIFUNDIA Cænobij hujus à Gubernio Acatholico pluribus conceſſa fuere, primò ſcilicet *Gulielmo Walſh*, Armigero; dein *Joanni Thickpenny*, Armigero; poſteà *Gualtero Raleigh*, Equiti Aurato, qui tandem ea vendidit *Richardo Boyle*, primo Comiti *Corcagiæ*, jam anteà Baroni *Youghallæ* (*b*).

V. DIÆCESIS *Clonenſis*, intrà quam Situm habet *Youghalla*, tres fuere Epiſcopi Dominicani, *David* nempè *Mac Kellius*, poſtmodùm Archipræſul *Caſſelienſis*, *Caſſelienſiſque* noſtri Cænobij Fundator, *Alanus O-Sullivan*, & *Petrus Wall*, de quibus ſuo Loco (*c*) opportunior Sermo redibit. De Unione autem *Clonenſis* hujus Epiſcopatûs cum *Corcagienſi* jam anteà dictum eſt (*d*).

(*q*) Conſulendum de eo Cap. xiii. Num. lxv, & Cap. xiv. Num. xii.

(*r*) Cognomine *Moral*, Exprovincialis, de quo Cap. xiv. Num. i.

(*s*) Legeſis reliqua Verba Cap. iv. Num. ix. Pag. 76.

(*t*) Cap. iv. Num. vi. ix. & x; ac Cap. præſ. §. ii. v, vi, & xii. Pag. 73, 76, 77, 203, 213, & 247.

(*u*) Cap. iv. Num. xii. Pag. 79.

(*w*) Videſis hanc, reliquaſque *Hiberniæ Dominicanæ* ijs in Comitijs tactas Conceſſiones Cap. vi. Num. x. Pag. 114.

(*x*) Pag. 15.

(*y*) Scilicet Anno 1698, de quo Sermo erat Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*z*) Nempè apud Caſtrum Allodiale de *Shandon* in contermino Agro *Waterfordienſi*.

(*a*) Videſis infra dicenda de alia Beatiſſimæ Virginis Imagine devotâ, apud *Kilcorbaniam* aſſervatâ, Cap. ſeq. §. iv. Num. v.

(*b*) *Harriſius*, Vol. ii. Pag. 277; & *Smithæus*, in *Deſcriptione Comitatis Corcagienſis*, Vol. I. Pag. 117.

(*c*) Cap. xiii. Num. i. iii. & lx.

(*d*) Cap. præſ. §. vi. Num. vi. Pag. 216.

VI. ALUMNI Conventûs iſtius Anno 1756 ſunt R. P. Prædicator Generalis Fr. *Thomas O Kelly*, Prior, Ætatis Anno 47, Profeſſionis 21 ; P. Fr. *Dominicus Houlaghan*, Ætat. 42, Prof. 18 ; & P. Fr. *Jacobus Flynn*, Ætat. 34, Prof. 13 (*e*).

§. XXI.

De *Lothorienſi* Cænobio *S. Petri Martyris* in *Tipperarienſi* Comitatu *Momoniæ*.

ANNO 1269.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Pagi* Lothorienſis.

II. *Cænobium Fratrum Prædicatorium ibi extructum à* Gualtero de Burgo, *Comite* Ultoniæ, *Dominoque* Conaciæ, *qui* Villænovæum *Conventum pridem fundaverat. Cuidam ſatisfit Difficultati. Nonnihil obiter de binis Baronijs* Clan-Williamis, *deque* Limericenſi, & Tipperarienſi *Comitatibus. Nota ſuccinctam ſed uberem exhibens* Burgorum *Genealogiam.*

III. *Templi Cænobijque Mænia etiamnùm viſibilia, & quidem ſatis pulchra. Magnus ibi Fratrum Numerus Tempore Comitiorum Provincialium Anni* 1688. *Modernus Fundi Dominus.*

IV. *Inſigniores quidàm Conventûs hujuſce Filij.*

V. *Duo ejus Sodales Anno* 1756.

I. LOTHORIA, alijs *Lothra* (*a*), & *Lurchoa*, hibernicè *Lortha*, anglicè *Lorhoe*, *Lorragh*, *Lorraigh*, & *Lorha*, ex Inflexione Idiomatum apud tàm *Hibernos* quàm *Anglos* pronunciatur *Lorra*. Nonniſi Pagus eſt Baroniæ *Ormondiæ Inferioris*, & Agri *Tipperarienſis*, Diæceſis verò *Laonenſis*, vulgò *Killaloe*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, in amæniſſimo tamen Loco ſitus non longè à Magno Flumine *Shanano*, è Regione quaſi *Portumnæ* in Agro *Galvienſi*, de qua infrà Sermonem inſtituam cùm de Cænobio noſtro *Portumnenſi* egero. *Lothoria* porrò *Dubliniô* Quinquaginta Septem ; *Laonâ*, Viginti Tribus ; *Caſſeliâ*, Triginta Septem ; *Clonmellâ*, Burgo Comitatûs Capitali, Quadraginta Octo ; *Portumnâ* memoratâ, Tribus ; *Corcagiâ*, Septuaginta Quinque ; *Limericô*, Triginta ; *Galviâ*, Triginta Octo ; *Londino-Deriâ*, Centum Decem, Milliaribus diſtat.

II. JUXTA Pagum iſtum Fratribus Prædicatoribus Cænobium extruxiſſe Anno 1269 *Gualterum de Burgo*, Comitem *Ultoniæ*, Dominumque *Conaciæ*, tàm certum eſt quàm quod maximè, id vel uno Scriptorum omnium (*b*) Conſenſu ad Evidentiam comprobante. Si autem quæras, quâ potuerit Ratione induci Homo iſte Nobilis ad fundandum Locum hunc pium in *Momonia* potiùs quàm in *Ultonia*, aut *Conacia*, ubi Comes, & Dominus reſpectivè erat ? Facilè breviterque reſpondebo, quod Comes quidem fuit *Ultoniæ* Jure Uxoris, *Hugonis de Lacy* Filiæ, Dominuſque *Conaciæ* Jure Patris ; at Jure Avi ſui, *Gulielmi de Burgo*, ampliſſima habebat Latifundia in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ* (*c*), qui tunc Temporis ſub *Limericenſi* Agri Denominatione comprehendebatur. Quinimmò eo in Territorio ampliſſima erat Baronia, dicta vernaculè *Clan-William*, id eſt, *Stirpis Gulielmi*, uſque adeò extenſa, ut bipartito Agro, ſeù Comitatu iſto, in *Limericenſem*, & *Tipperarienſem*, & ipſa bipartita fuerat in *Weſt-Clan-William*, & *Eaſt-Clan-William*, hoc eſt, in Baroniam *Occidentalem Stirpis Gulielmi*, & Baroniam *Orientalem Stirpis Gulielmi*, priore ad modernum Agrum *Limericenſem*, poſteriore ad modernum Agrum *Tipperarienſem* ſpectante. Atque in utraque Baronia, & circumvicina Regione, ingens *Burgorum*, à memorato *Gulielmo* deſcendentium,

Numerus

(*e*) Anno 1757 ad hunc ſuum Conventum redijt à *Lovanienſi*, ubi fuerat Regens Secundarius, R. P. Præſentatus Fr. *Joannes Philippus-O-Mahony*, iterùm memorandus Cap. xii. §. iii. Num. xvii.

(*a*) Nuncupatur quidem à *Waræo* mox laudando *Lothra*, ab Anonymo autem Scriptore antiquo, in Catalogo Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. exſcripto, cujus Veſtigia premo, *Lothoria*, & *Lurchoa*.

(*b*) Ità enim *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 208 ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 231 ; *O-Heynus*, Pag. 21. Hujus item Cænobij meminit *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*c*) Conſulendum Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit, x. Pag. 223.

Numerus etiamnùm, me Teſte, viget. Enimverò *Gulielmus* iſte, qui *Burgorum* primus in *Hiberniam* Anno 1172 advenerat, Sedem fixit *Athaſelæ* propè *Caſſeliam* prælibato in Territorio, ubi Canonicis Regularibus *S. Auguſtini* Prioratum fundavit Anno 1200, ibique Sepulturam pro ſe ſuiſque Poſteris elegit, humatis poſtmodùm in ea ipſomet *Gulielmo* (in *Momonia* defunсto Anno 1206) ejuſque ex Filio *Richardo* Nepote *Gualtero*, & hujus Filio *Richardo*, Comitibus *Ultoniæ*, ut alibi pleniùs enarrabam (*d*).

Comes igitur *Gualterus de Burgo* pro ſingulari (*e*) Familiæ ſuæ ergà Dominicanam Affectu, extructo ab eo priùs *Villæ Novæ*, ſeù *Newtonenſi* Cænobio in *Dunenſi* Agro *Ultoniæ* Anno 1224,

---

(*d*) Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. x. Pag. 223.

(*e*) Nuper, §. ſcilicet xi hujus Capitis, Num. ii. Lit. r. Pag. 243. dùm de *Villænovæo* Cænobio per ipſum probabiliùs fundato diſſererem, Loca hujus Oppellæ memoravi, ex quibus Luce meridianâ clariùs patet, Familiam hanc Fratres Prædicatores vel ab Ordinis Incunabulis ſingulari Affectu proſecutam fuiſſe. Eapropter, atque ut præſcriptæ, & hucuſque ſervatæ Methodo inhærerem, texenda mihi foret laudati *Gualteri* Fundatoris Genealogia. Sed quandoquidem Cap. iv. Num. xvi; & Cap. præſ. §. viii. Num. iv. v. & vi; & §. xi. Num. ii; §. xiv. Num. iii; ac §. xvi. Num. v. Pag. 82, 223 ad 227, 242, 251, & 260, plura de ipſo, ejuſque Progenitoribus, necnon ab eo Deſcendentibus obiter dixerim, & quidem ex accuratiſſimis Scriptoribus, *Joanno Lincæo* Pag. 270, 274, & 275; ac *Joanne Lodgæo*, Vol. IV. à Pag. 362, idcircò quæ ſuperſunt ſolummodò hic Loci paucis referre placet.

Redeat igitur *Joannes Lincæus*, Archidiaconus *Tuamenſis*, ſub adſcititio *Gratiani Lucij* Nomine, qui poſt nonnulla (quæ exſcripta habes §. xvi. hujus Capitis, Num. v. Lit. t. Pag. 260.) de *Burgorum* Familia generatìm ſumpta, & ſpeciatim de ea, quæ *Mac-David*, & *de Glinſkia* modò dicitur, concludit Pag. 270: " Puto Familiam hanc à Davide illo " Equite Aurato Nomen mutuatum fuiſſe, qui " Uxorem habuit *Feifalgam*, Filiam Dermitij " O-Moelbrenain, cujus Sororem Sabam Matrimo- " nio ſibi copulavit WALTERUS DE BURGO, " Dominus Conaciæ, & magnæ Partis Hiberniæ; ex " ambabus autem Sororibus Liberos uterque ſuſce- " pit. Hæc narrat *O-Dueganus*. WALTERUM " puto poſteâ fuiſſe Comitem Ultoniæ, & alijs Nup- " tijs Filiæ, ac Hæredi Hugonis Lacæi junctum, ut " habet *Camdenus*. Cujus WALTERI Filia vi- " detur fuiſſe Uxor Malachiæ Kelly, Avi alterius " Malachiæ Kelly, qui Archiepiſcopatum Tuamen- " ſem ſub Annum 1400 inivit, ut ex *O-Duegani* " Verbis Conjecturam facio. Comiti huic Huber- " tum Equitem Auratum (à quo Nomen Mac-Hu- " bertorum promanavit) è Genealogia *Mac Huberti* " de Diſercally, & Walterum è Genealogia *Mac-* " *Redmundi* de Orithtremoin, Filios fuiſſe depre- " hendo. Non dubito quin alios Filios è memorata " Saba genuerit, Poſſeſſionibus ejus in *Conacia* po- " titos; Prole, quam ex Hærede Comitis Ultoniæ " ſuſtulit, Ultoniæ Comitatum Jure merito conſe- " cutâ.

" WALTERO Richardus Filius in Comitatu " ſucceſſit, huic Wilielmus è Joanne Filio Nepos; " cujus Filia Elizabetha Leonello Clarentiæ Duci, " Regis Eduardi Tertij Filio, nupſit. Filia eorum " Philippa, Uxor Edmundi Mortimeri, & Mater " Rogeri Mortimeri, Marchiæ, & Ultoniæ Comi- " tum effecta eſt. Annam Rogeri Filiam Richardus " Dux Eboracenſis, Pater Eduardi Quarti, duxit; " cujus Eduardi Filia Elizabetha Henrico Septimo " peperit Margaritam, Jacobi Quinti Scotiæ Re- " gis Matrem, qui fuit Jacobi Britanniæ Majoris, " & Hiberniæ Regis Avus," per *Mariam* ſcilicet *Stuartam*, Scotorum Reginam. Confer Cap. præſ. §. xiv. Num. iii. Lit. q; & Cap. iv. Num. xvi. Lit. q. Pag. 84, & 252.

Hæc ex *Lincæo*, quibus addere lubet ex *Lodgæo* Loco mox citato, WALTERUM DE BURGO, Comitem *Ultoniæ*, Dominumque *Conaciæ*, Cænobij *Lothorienſis*, de quo impræſentiarùm eſt Sermo, Fundatorem, Viam univerſæ Carnis ingreſſum fuiſſe in Caſtro ſuo *Galvienſi*, Die 28 Julij 1271, atque in memorata *Athaſelæ* Abbatia tumulatum; huicque ſucceſſiſſe *Richardum* Filium, à Colore Cæſarei dictum paſsìm *Comitem Rufum*, qui in Aula Anglorum Regis *Henrici* III per plures Annos educatus, tàm amplas habuit in *Hibernia* Poſſeſſiones, ut omnibus hujus Regni Nobilibus Opulentiâ Potentiâque antecelleret; utque in Comitijs Regni, *Dublinij* habitis Anno 1295, primum inter Proceres obtineret Locum. Plura ædificavit Caſtra, præſertìm de *Corran*, de *Ballymote*, & de *Sligo*, in hujus Nominis Agro; de *Caſtle-Connel*, in Agro *Limericenſi*; ac de *Green-Caſtle* (latinè *Caſtrum Viride*), in Agro *Donegalenſi*; ſicut & Cænobium noſtrum *Carlingfordienſe*, ut Cap. præſ. §. xxvi. Num. ii. dicetur; atque Cænobium Carmelitarum apud *Loughream* in Agro *Galvienſi* Anno 1300. Vivere deſijt in *Athaſelenſi* Abbatia Die 28 Junij 1326, ibidem humatus, ex *Margarita de Burgo*, *Huberti* Comitis *Cantij* tandem *Lothorienſe* hoc Anno 1269 fundare non dubitavit, & quidem in Honorem *S. Petri Martyris*, ejuſdem noſtri Ordinis, Cælitum Albo recens adſcripti, Anno ſcilicet 1253, &, ut obiter dicam, Undecim duntaxàt poſt Obitum Menſibus.

III. TEMPLI

---

alibi (Cap. iv. Num. xvi. Pag. 83.) laudati Abnepte, quinque ſuſceptis Filijs, ſexque Filiabus. Filij porrò fuere, (1) *Gualterus*, abſque Prole extinctus Anno 1304; (2) *Joannes*, Comitis *Gulielmi*, de quo mox Sermo erit, ex *Elizabetha*, Regis *Eduardi Primi* Nepte, (de qua Cap. præſ. §. xlii. Num. ii. Lit. f. dicetur) Genitor, vivô Patre defunctus Anno 1313; (3) *Thomas*, qui peculiarem in Modum Fratres Prædicatores diligebat, ut ex Cap. præſ. §. viii. Num. v. Pag. 225. claret, ſine Prole extinctus; (4) *Edmundus*, ex *Slania O-Brien* Progenitor Baronum de *Caſtro Connel*, & de *Brittas*, in Agro *Limericenſi*, ut ex Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. e. Pag. 224. dictum eſt, Anno 1337 defunctus; (5) *Gulielmus*, denatus ſine Prole poſt memoratum Annum 1337. Sex autem *Comitis Rufi* Filiæ fuerunt, (1) *Helena Roberti Bruſſæi*, *Scotorum* Regis Conjux, atque Regis *David* II Mater; (2) *Matilda*, Anno 1308 *Gilberto de Clare*, Comiti *Glouceſtriæ*, ſeù *Gloverniæ*, in *Anglia*, nupta; (3) *Joanna*, Matrimonio primùm Die 16 Auguſti 1312 copulata *Thomæ Geraldino*, Secundo *Kildaræ* Comiti; dein Die 3 Julij 1329 Equiti *Joanni de Arcy*, ſeù *Darcy* (videſis Cap. xiii. Num. lxviii. Lit. r.) Proregi (ceù *Domino Juſtitiario*) *Hiberniæ*, Progenitorique ex ea *Darcæorum* de *Platten*, de *Clunuane*, de *Ballybockagh*, de *Tuam*. de *Gorteen*, de *Kiltolla*, &c, in *Hibernia*; atque ex priori Uxore Progenitori Comitum de *Holderneſſe*, aliorumque *Darcæorum* in Anglia; *(4) Catharina*, *Joanni Berminghamo*, Comiti *Louthano*, Nuptijs conjuncta; (5)*Margarita*, Die 16 Auguſti 1312 *Mauritij Geraldini*, Primi *Deſmondiæ* Comitis, & *Kerriæ* Dynaſtæ Palatini, Uxor facta; *(6) Eleonora*, Conjux data *Joanni* Baroni *Multon* de *Egremont* in *Anglia*. Iſtas omnes Nuptias recenſet nedùm *Lodgæus*, ſed & *Waræus* in *Hibernicarum Rerum Annalibus*, ad Annum 1264.

Gulielmus de Burgo, WALTERI ex *Joanne* Filio mox recenſito Nepos, tertius ex *Burgorum* Familia *Ultoniæ* Comes, fuit *Hiberniæ* Prorex, quà *Dominus Juſtitiarius*, Anno 1331, ut refert *Waræus*, Conjugemque ſibi adſcivit *Matildam*, Filiam *Henrici Plantagenet*, Comitis *Lancaſtriæ*, *Leiceſtriæ*, & *Derbiœ*, cujus Avus erat *Henricus* III *Anglorum* Rex. Occiſus fuit laudatus *Gulielmus* Die 6 Junij 1333, ut §. viii. Cap. præſ. Num. iv. Lit. c. Pag. 224. narratum eſt, unicâ poſt ſe relictâ Prole, Nomine *Elizabethâ*, de qua, ejuſque regia Sobole, Sermonem facit *Gratianus Lucius*, cujus Verba mox exſcripſi.

Supereſt igitur ut pro Genealogiæ hujus Complemento nonnulla dicam de WALTERI noſtri Fratre *Gulielmo* ſuprà dicto, ejuſque Poſteris, quos inter hodierni Comes *Clanrickardienſis*, & Vicecomes *Mayonenſis*, annumerantur. Porrò *Gulielmus* iſte *de Burgo*, Eques Auratus, nuncupatus paſsìm *Gulielmus Athankip*, ut §. viii. præſ. Cap. Num. iv. Lit. f. Pag. 224. explicatum eſt, poſt plurima, tàm in *Gallia*, quàm in *Scotia*, & *Hibernia*, patrata Facinora, in Prælio tandem occubuit Anno 1270, Filium poſt ſe relinquens Equitem *Gulielmum* dictum *Canum* (vide Locum mox citatum ad Lit. g. Pag. 224.) *Hiberniæ* Proregem, ſub Titulo *Domini Cuſtodis*, qui Animam efflans Die 13 Februarij 1324, in Cænobio Fratrum Minorum *Galviæ*, à ſe fundato, tumulatus fuit. Ex *Finola*, Briani *Rufi* Mac Jordani (vide Cap. præſ. §. viii. Num. v; & §. xiv. Num. ii, & iii. Pag. 205, & 250.) Filiâ, ſeptem ſuſcepit Liberos, quorum primus, Nomine etiam *Gulielmus*, dictus in Hiſtorijs *Ulicus de Anaghkeen* (conſule Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. h. Pag. 225.) Comitum *Clanrickardienſium*, ſecundus verò, cui Nomen E*dmundus*, & Agnomen *Albanagh* (vide Locum citatum ad Lit. t.), Vicecomitum *Mayonenſium*, Progenitores fuere. De *Edmundi* iſtius *Albanach* Sobole opportuniùs dicetur inter agendum de Cænobio noſtro *Bureſulenſi*, ab ea fundato, nempè Cap. præſ. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k.

Ultimò autem dictus *Gulielmus de Burgo*, vocatus paſsìm *Ulicus de Anaghkeen*, primus fuit *Mac-William-Eighter*, ut Cap. præſ. §. xiv. Num. iii. enucleatè enarrabam; genuitque *Rickardum*, nuncupatum *Juvenem*, à quo *Clanrickardi*, & *Clanrickardiæ* Nomina Originem ſumpſerunt, ut Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. k. Pag. 225. relatum eſt. Hujus ex *O-Maddeni*, Dynaſtæ *Portumnenſis*, ſeù potiùs Baroniæ *Longofordienſis*, in Comitatu *Galvienſi*, Natâ, tres erant Filij, nempè *Gulielmus* pariter, ſeù *Ulicus*, *Thomas*, & *Joannes*, dictus paſsìm ab Anno 1400 *Joannes de Galvia*, vernaculè *Galway*, utpotè eo Tempore Magiſtratus *Galvienſis*, qui poſtmodùm in *Momonia* Domicilium fixit, Progenitorque evaſit inſignis Familiæ, quæ *Galwey* cognominatur uſque in hodiernum Diem, eadem ac *Burgiades* Inſignia habens Gentilitia cum ſola Stellæ (vulgò *Mullet)*, Quinque duntaxàt habentis Râdios, Differentiâ, quâ Tertius Familiæ alicujus Filius à reliquis ſecernitur; novâque Epigraphe: *Vincit Veritas*.

Enimverò propter Obſequia militaria Coronæ præſtita, conceſſit ipſi Rex *Henricus* V Caſtrum

Allodiale

III. TEMPLI, atque majoris Partis Cænobij Mænia adhuc integra manent, ut præteritis hiſce Annis ſemel iterùmque vidi, eaque ſatis pulchra, & quidem quæ potiſſimùm *Lothariæ*, ſeù *Lothræ*,

---

Allodiale de *Dondangan*, amplumque eidem annexum Latifundium, ſecundo ab Urbe *Corcagienſi* Lapide ad Fluminis *Lee* Ripam, ipſum inter & Mare, ubi ex *O-Connori* (Regis *Conaciæ* paſsim appellati) Filiâ uberém ſuſcepit Prolem, quæ Poſteros continuò habuit, primoribus *Momoniæ* Progeniebus Matrimonio conjunctos, Rebuſque præclarè geſtis inſignes, uſque ad Uſurpationem *Cromuellianam*, quandò omnia deperdidere Bona, eorumque Primipilus Vitam, *Galfridus* nimirùm *Galwey*, Eques Auratus. Familia nihilominùs etiamnùm floret, ſeniorque illius Surculùs Caſtrum de *Lota* adjunctumquePrædium in prælibato Agro *Corcagienſi*, acquiſivit; junior verò Surculus Domicilium fixit apud *Carrickam-Super-Suirum* in Agro *Tipperarienſi* juxtà tamen *Waterfordienſem*.

Memoratus autem *Gulielmus*, ſeu *Ulicus*, *de Burgo*, agnominatus *Pulcher*, ex priori Conjuge *O-Briena*, ſuſcepit *Ulicum Rufum*, cui *Mornia O-Connora* peperit *Ulicum* de *Knocto*, de quo mox dicetur, & *Rickardum Juvenem*, præclaræ *Burgorum* de *Derrymaclaghne* Familiæ, primoribus *Hiberniæ* Proſapijs Nuptijs iteratis conjunctæ, Progenitorem ; Quatuorque alios Filios, atque Filiam *Honoriam*, Conjugem *Edmundi* Barbati *de Burgo*, unius è Majoribus Vicecomitum *Mayonenſium*, ut Cap. præſ. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. clarebit .

Ulicus iſte de *Knocto* ex *Sluma Macnemara* genuit *Rickardum Magnum* de *Dunkellin*, inſignem noſtri Ordinis Benefactorem, Primi *Clanrickardiæ* Comitis, *Ulici* de *Capitibus*, Patrem ; necnon *Margaritam*, *Donati O-Brien*, Secundi *Thomondiæ* Comitis, & *Catharinam*, *Donaldi O-Kelly*, Dynaſtæ de *Aughrim*, Genitrices. Iſtorum porrò *Burgorum* Obitus commemorantur in Conventu noſtro *Athenrienſi*, ubi humati jacent, ut liquet ex ſuperiùs dictis Cap. præſ. §. viii. Num. v. & vi. Pag. 225, ubi etiam plures, hìc fortaſsè obſcura, præſertìm ſuperaddita pro More Temporum Cognomenta, enucleantur.

Ulicus à *Capitibus*, creatus *Clanrickardiæ* Comes, & *Dunkellinæ* Baro, 10 Julij 1543, denatus verò Anno ſequenti, Quinque ſucceſſivè habuit Uxores, ex quarum prima, *Grania* nimirùm, alijs *Griſella*, *O-Carroll*, ſuſcepit *Rickardum* dictum *Anglicum*, hibernicè *Saſſanagh*, quia in *Anglia* educatum, Secundum *Clanrickardiæ* Comitem, qui duas ſibi adſcivit Dxores *O-Brienas*, nempè *Margaritam*, Filiam *Murtachi*, Primi *Thomondiæ* Comitis, & *Catharinam*, Secundi *Thomondiæ* Comitis *Donati*, laudati *Mortachi* ex Fratre Nepotis, Natam, ex quarum prima ſuum genuit Succeſſorem *Ulicum*, ex ſecunda verò *Joannem*, Anno 1583 creatum Baronem de *Leitrim*, Agri *Galvienſis* Baroniâ, Anno verò 1588 apud *Ballifintan* in memorato Agro occiſum. Obijt porrò *Rickardus* Anno 1582.

Ulicus de Burgo, Tertius *Clanrickardiæ* Comes, & *Conaciæ* Gubernator, ex *Honoria de Burgo* Familiæ de *Cloghroke* Sex ſuſcepit Filios, (1) *Rickardum*, in Cunis defunctum; (2) Alterum *Rickardum*, Quartum *Clanrickardiæ* Comitem; (3) *Gulielmum*, Equitem Auratum, Sexti, & Septimi *Clanrickardiæ* Comitum Patrem, reliquorumque ſubſequentium Progenitorem ; (4) Joannem, à Latifundij Nomine dictum de *Dunſandel*, creatum Vicecomitem de *Clanmorris*, Agri *Mayonenſis* Baroniâ, Anno 1629, cui ſucceſſit Filius *Thomas* abſque Prole defunctus Anno 1642 ; (5) *Edmundum*, à Latifundio ſuo dictum de *Kilcornan*, cujus Poſteri impræſentiarùm vigent, & quidem ſoli Jus habentes ad Comitis *Clanrickardienſis* Dignitatem, ſi modernus Comes, ejuſque Patrui *Ulicus*, & *Thomas*, abſque Prole maſculina obeant ; (6) *Thomam*, Equitem Auratum, dictum à Latifundij Nomine de *Ballinaſloe*. Obijt *Ulicus* Comes Die 18 Maij 1601.

Rickardus de Burgo, Quartus *Clanrickardiæ* Comes, & *Conaciæ* Gubernator, annumeratus fuit inter Pares, ſeù Proceres *Angliæ*, creatus ſcilicet Anno 1624 Vicecomes de *Tunbridge*, & Baro de *Summerhill*, & Anno 1628 Comes *S. Albani*. Vivere deſijt Die 12 Novembris 1635, ex *Franciſca Walſinghama*, Comitis *Eſſexiæ* Viduâ, unicum poſt ſe relinquens Filium, Nomine *Ulicum*, Quintum *Clanrickardiæ*, Secundum verò *S. Albani*, Comitem, *Hiberniæ* Proregem *Deputatum*, creatum *Clanrickardiæ* Marchionem Anno 1645, qui vivo Patre creatus inſuper fuerat Anno 1628 Vicecomes *Galviæ*, & Baro *Imaniæ*, in Agro *Galvienſi*. Huic Anno 1657 ſine Prole maſculina defuncto ſucceſſit in Dignitate Comitis de *Clanrickard*, & Baronis de *Dunkellin*, Soboles Patrui ſui, *Equitis* nempè *Gulielmi de Burgo*, Tertij *Clanrickardiæ* Comitis tertij Filij, mox laudati.

Igitur *Gulielmus* iſte ex *Joanna O-Shaghnuſſy* ſuſcepit *Rickardum* (defunctum Anno 1666) & *Gulielmum*, Sextum, & Septimum *Clanrickardiæ* Comites, quorum poſterior, vulgò dictus *Comes Flavus*, ex *Lætitia Shirley*, de Familia moderni Comitis de *Ferrers* in *Anglia*, genuit *Rickardum*, & *Joannem*, ſucceſſivè Comites *Clanrickardiæ* ; atque ex ſecunda Conjuge, *Helena* nempè *Mac-Carty*, Comitis de *Clancarty* Filiâ, ſuccepit *Thomam*, occiſum in Expugnatione *Budæ* Anno 1685 ; *Ulicum* creatum Vicecomitem *Galviæ*, & Baronem *Tyaquinæ*, *ræ*, aliàs vix non deletæ, Nomen perpetuare videntur. Adhuc ſuperſunt eâ in Regione viventes, qui referunt ſe proprijs vidiſſe Oculis centum & quinquaginta circiter Religioſos in hoc Con-Conventu Veſtibus Dominicanis indutos, Sodales nempè Conventûs, & Patres Capitulares Comitiorum

---

quinæ, *Galvienſis* Agri Baroniæ, Anno 1687, occiſum verò in Prælio de *Aughrim*, memorati Agri Pago, Anno 1691 abſque Prole maſculina; & *Gulielmum*, in *Galliarum* Regno defunctum. Duaſque Filias, nempè *Margaritam*, primùm *Terentio Magenis*, Vicecomiti de *Iveagh*, dein *Thomæ Butlero* de *Kilcaſh*, ut Cap. præs. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 268. dictum eſt; & *Honoriam*, primùm *Patritio Sarsfield*, Comiti de *Lucan*, dein *Jacobo Fitz-James*, Duci de *Berwick* (recole Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82), Nuptijs copulatas.

Harum poſterior, *Honoria* nimirùm *de Burgo*, Duciſſa *Berwica*, obijt in Oppido, cui Nomen gallicè *Pezenas*, quod eſt inter *Montempeſulanum*, & *Biterras*, in *Occitania*. Ejus Corpus ſepultum fuit ibidem per Modum Depoſiti in Eccleſia Patrum *Oratorij*, poſteà tamen tranſlatum ad Eccleſiam Monialium *Anglarum* apud *Ponteſium*, vulgò *Pontoiſe*, propè *Pariſios*, ibique honorificè tumulatum Die 25 Februarij 1698, ubi ſequens Epitaphium à P. Magiſtro Fr. *Gelaſio Mac-Mahon*, quondàm *Hiberniæ Dominicanæ* Provinciali (de quo Cap. xiv. Num. xxii.) concinnatum:

Perſpice quiſquis ades, memorique ex Marmore diſce,
Gemma ſub hoc Tumulo quàm pretioſa jacet,
Inclyta Stirpe Ducum, Regalis Sanguinis Auctrix,
Lecta Ducis Conjux, Principe digna Parens.
Clanrickard *Natam*, Ormond, & Clancartiæ *Neptem*,
Berwici *Dominam*, *plorat* Jerna *Nurum*.
Integritas, Virtus, florenſque Modeſtia Morum,
Gaudia ſunt Cælo, cætera Luctus habet.
Pontis *Sacra Domus commiſſum Pignus honora,*
Mortua demeritas poſcit Honora *Vices*.

Iſtorum Pater *Gulielmus de Burgo* fuit Prorex *Hiberniæ*, quà *Dominus Juſtitiarius*, Anno 1687 ſub *Jacobo* Secundo Rege, dùm ex hac Vita diſcederet, eique (defuncto 3 Octobris ejuſdem Anni, & cum Majoribus apud *Athenriam* tumulato) ſucceſſit *Rickardus*, & huic *Joannes*, qui vivo Fratre prælibato creatus fuerat Baro B*ophiniæ*, Inſulæ propè Agrum *Galvienſem* ſitæ, à laudato *Jacobo* II Anno 1689 *Dublinij* perſonaliter exiſtente. Defuncto autem Fratre ſuo *Rickardo* abſque Prole maſculina Die 2 Februarij 1708, evaſit Nonus *Clanrickardiæ* Comes, atque ex *Maria Talbota*, Ducis *Tyrconnalliæ*, Proregis *Hiberniæ*, Conſanguineâ, novem ſuſcepit Filios, ſexque Filias, quorum undecim ex Ephebis exceſſerunt, nempè *Michael*, *Jacobus*, *Ulicus*, *Thomas*, *Eduardus*, *Joannes*, Gulielmus; *Lætitia*, B*rigida*, *Honoria*, & *Maria*. Obijt Comes *Joannes* Die 17 Octobris 1722, in Cænobio *Athenrienſi* cum Patre ſuo, Avo, Proaviſque tumulatus, eique ſucceſſit Filius promogenitus, Nomine *Michael*, Decimus *Clanrickardiæ* Comes, Die 29 Novembris 1726 denatus, Genitor (ex *Anna Smith* Angla) *Joannis* in Infantia defuncti, & moderni Comitis, cui Nomen *Smithæus de Burgo*, duarumque Filiarum ſuperſtitum, *Annæ* nimirùm, & *Mariæ*. Atque memoratus *Smithæus* ex *Heſter Vincent*, item *Anglâ*, duos impræſentiarùm habet Filios, unamque Filiam, *Henricum* nempè, *Joannem-Thomam*, & *Louiſam*.

Pro Genealogiæ hujus Coronide pulſatus Amicorum quorundam Suaſionibus, tandemque divictus, Præambulum ſubnecto Diplomatis Regij, quo *Carolus* Primus, Die 20 Aprilis 1629, Filium quartum *Ulici de Burgo*, Tertij *Clanrickardiæ* Comitis, Nomine *Joannem*, nuper laudatum, ad Vicecomitis de *Clanmorris* Dignitatem evexit, utpotè quo Progeniei hujus Encomia Modo verè authentico enarrantur. Id porrò *Dublinij* in Rotulis Magnæ Curiæ Cancellariæ aſſervatur, Tenoris ſequentis, viz;

“ Carolus Dei Gratiâ Angliæ, Scotiæ, Franciæ,
“ & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor &c, Archiepiſ-
“ copis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vice-
“ comitibus, Epiſcopis, Baronibus, Militibus, Præ-
“ poſitis, Liberis Hominibus, & omnibus Offici-
“ rijs, Miniſtris, & Subditis noſtris quibuſcunque,
“ ad quos præſentes Literæ pervenerint, Salutem.

“ Cùm illuſtris, & antiqua Familia Cognominis
“ de Burgo Nobis certò, & indubitatis Teſtimonijs
“ innotuerit, tùm ex Willielmo de Burgo, quon-
“ dam Comite Ultoniæ, à quo PARTEM GENE-
“ RIS NOSTRI DUCERE NON DEDIGNA-
“ MUR, tùm ex innumeris alijs ejuſdem Nominis
“ Heroibus, & Proceribus, modò, & ab antiquo in
“ hoc Regno noſtro florentibus, adeò ut Splendore,
“ & Claritate Generis nulli cedere videatur. Cum-
“ que dilectus, & fidelis noſter Joannes Burke de
“ Dunſandel in Comitatu Galway, Armiger, unus
“ è Filijs Natu minoribus Ulici de Burgo, alias
“ Burke, nuper Comitis Clanrickard, ex honoratiſ-
“ ſima illa Proſapia oriundus, quampluribus fideli-
“ bus, & acceptabilibus Servitijs Nobis, & Coronæ
“ noſtræ jam anteà præſtitis, ſe verè Cohæredem
“ congenitarum Virtutum dictæ nobiliſſimæ Fami-
“ liæ de Burgo approbaverit, Opulentiâque, Cenſu,
“ & Latifundijs adeò auctus exiſtat, ut quodcun-
“ que Munus ſibi concreditur, lautiùs, & hono-
“ ficentius

tiorum Provincialium Anni 1688, regnante *Jacobo* II Orthodoxo, hìc celebratis, in quibus electus erat in Provincialem P. Magiſter *Gelaſius Mac-Mahon*, de quo poſtea Sermo redibit *(f)*.

CUINAM poſt Regularium Domorum Diſſolutionem conceſſa fuerint Cænobij hujus Latifundia, *Harriſium* latet, actualis autem Dominus Fundi, ut ibidem accepi, eſt *Jacobus Ruddock*, Armiger, qui juxta Pagum habitat in propria Domo ſat magnifica.

IV. INTER alios Cænobij hujus inſigniores Alumnos unus floruit iſto etiam Sæculo, mihi probè notus, nempè P. Magiſter *Hugo O-Calanan*, Provincialis *Hiberniæ* per Octennium, de quo infrà dicetur *(g)*.

TRES item fuere publicâ Virtutis Opinione clari, *Thaddæus* nempè *Mac-Biracca*, *Ambroſius O-Kennedy*, & *Antonius O-Carroll*, de quibus ſuis reſpectivè Locis Sermo erit (*h*).

HIS adde ex *O-Heyno* (*i*) *Dominicum O-Carroll*, “ qui ſtuduit in Portugallia, & Philoſophiam “ legit illic. At Infirmitate coactus ad relinquenda Scholaſtica Exercitia, & ad redeundum in “ *Hiberniam*, plauſabiliter, & fructuosè prædicavit *Lymerici*, ubi fuit Prior. Expulſiſque alijs “ (*k*), ille manſit in Patria.”

ADDE etiam *Terentium O-Kennedy*, qui, inquit *O-Heynus* (*l*), “ vivit *Pariſijs* licentiandus in “ *Sorbona*, eſtque gratus Religioſus.” Poſtmodùm autem evaſit S. Facultatis *Pariſienſis* Doctor, obijtque in *Hibernia* circà Annum 1720.

V. DUO tantùm in Conventûs hujus Diſtrictu verſabantur Anno 1756, nempè R. P. Prædicator Generalis Fr. *Bernardus O-Loghlin*, Prior, Ætatis Annò 53, Profeſſionis 28; & P. Fr. *Hyacinthus O-Kennedy*, Ætat. 33, Prof. 13, qui ab Anno 1758, Miſſionarius eſt in Americana Inſula *S. Crucis*, Juris *Gallorum*.

§. XXII.

De *Rathbrannenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*.

ANNO 1274.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Pagi* Rathbrannæ.

II. *Cænobij Fratrum Prædicatorum Fundatio. A quo facta, an à Familia* de Exonia, *anve à Familia* de Burgo? *Dubitatur. Veroſimilius tamen ab Equite* Gulielmo *(Cano)* de Burgo, *Prorege* Hiberniæ.

III. *Cænobij, Ædiumque Sacrarum Mænia hodiedùm extant. Soli, Latifundiorumque Poſſeſſor.*

IV. Alladenſis *Diæceſis Epiſcopi Dominicani. Duorum Conventûs hujus Alumnorum unus Mortem, alter alias Ærumnas, pro Fide paſſi.*

V. *Patres Quinque Conventui huic aſſignati Anno* 1756.

I. RATHBRANNA (*a*), hibernicè, & anglicè *Rathfran*, ex Inflexione Idiomatum apud *Hibernos*, & *Anglos* pronunciatur *Rafran*. Pagus eſt maritimus Baroniæ de *Teramla*, olim dictæ hibernicè *Tiramalgaid*, anglicè nunc *Tirawly*, in Agro *Mayonenſi*, Diæceſis verò *Alladenſis*, vernaculè *Kilalla*, in Provincia *Tuamenſi*, ubi, etſi valdè exigua ſit Villa uno alterove conſtans Tugurio, permagnæ habentur Nundinæ bis in Anno, Diebus ſcilicet 25 Auguſti, & 11 Novembris.

“ ficentiùs gerere, & exequi valeat, & poſſit. Nos “ Intuitu Meritorum dicti Joannis, priſtinis Honoribus dictæ Familiæ, à Progenitoribus noſtris collatis, aliquantulum addere ſtudentes, ipſumque “ Joannem Burke pro Candore, & Munificentia “ noſtra regia, aliquâ Favoris noſtri regij Teſſerâ “ inſignire ſatagentes, ipſum Joannem in Numerum Heroum, & Parium hujus Regni promovendum ſtatuimus. Sciatis igitur &c.

(f) Cap. xiv. Num. xxii.

(g) Cap. xiv. Num. xxv.

(*h*) Cap. xvi. Num. xcvi, cxi, & cxx.

(*i*) Pag. 23.

(*k*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*l*) Pag. 22.

(*a*) Sic latinè nominatur in antiquo Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* ſuprà exſcripto Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

Novembris. *Dubliniô* diſtat Centum & Octodecim Milliaribus; *Caſtelbarrâ*, capitali memorati Comitatûs Oppido, Viginti Sex; *Ballinrobâ*, altero ejuſdem Comitatûs Oppido capitali, Quadraginta; *Alladâ*, Quinque; *Tuamâ*, Quinquaginta Duobus; *Galviâ*, Sexaginta Quinque; *Londino-Deriâ*, Octoginta; *Corcagiâ*, Centum & Quinquaginta.

II. PORRO Sedem primò hic Loci fixiſſe Fratres Prædicatores Anno 1274 diſertis Verbis refert *Waræus* (*b*), laudans *Chronicon Ordinis*, per quod mehercle intelligit *Annales Ordinis*, ab Auctore Anonymo ad Annum Chriſti 1274, quo floruit, perductos, quibus adjicitur Catalogus omnium Ordinis Conventuum, qui in *Hibernia* floruerunt antè Annum 1300, à me ſuperiùs exſcriptus (*c*). De Fundatore autem valdè anceps loquitur *Waræus*, ibidem ajens: *Sunt, qui Cænobium conditum aſſerunt à Familia de Exonia*, qui poſtmodùm *Mac-Jordanos*, ut *Hibernis* Morem gererent, ſe cognominarunt, prout haud ità pridem exponebam (*d*). Cæterùm poſt eum *Alemandus*, & *Harriſius* (*e*) rotundis Verbis aſſerunt, Fundatorem fuiſſe aliquem ex memorata Familia de *Exonia*, nullum tamen laudantes Scriptorem, nullumve Monumentum, aut Momentum. Hinc *O-Heynus* noſter (*f*) in hunc Modum diſcurrit: “ In Baronia de Teramla in Loco
“ propè Mare, qui vocatur *Rathbranna*, eſt Conventus, cujus Fundatorem, & Fundationis An-
“ num non ſcio calculare. Clarum tamen eſt, non fuiſſe fundatum à Domino *Mac-Jordan*, ut
“ dicit Anonymus Gallicus Author (*Alemandus*), præfatus enim Dominus nullam unquàm Con-
“ cernentiam Dominij habuit in Baronia illa, ſed ſolùm in Baronia de Gallen, ut ſtatìm notabi-
“ tur; undè probabilius exiſtimo, Fundationem iſtam factam eſſe ab aliquo ex Familia *de Burgo*,
“ nam iſta Baronia occupata eſt ab hac Familia circà Annum 1270, ſicut & poſteà totus ferè Co-
“ mitatus de Mayo”.

SANE non Propenſio ergà propriam Gentem, ſed ipſemet Veritatis Amor me impellit ad ſuffragandum *O-Heyno*, ac ingenuè exiſtimandum, *Rathbrannenſe* iſtud Cænobium, non à *Mac-Jordano* aliquo, ſed ab Equite *Gulielmo de Burgo*, dicto *Cano*, Prorege (quâ *Domino Cuſtode*) *Hiberniæ*, ſuperiùs laudato (*g*), & quidem ob Rationem à memorato Scriptore inſinuatam. Ipſius quippè Familia tunc Temporis prælibatam Baroniam *Teramlenſem*, poſteaque univerſum fermè *Mayonenſem* Comitatum, non ſecus ac *Galvienſem*, occupabat ad Differentiam Familiæ *Mac-Jordani*, ſeù *de Exonia*, cujus Latifundia intrà *Gallenſis* Baroniæ, ubi *Stradenſe* (*h*) noſtrum adeſt ab ea fundatum Cænobium, Limites coarctabantur. Verùm quandoquidem laudati Proregis *Gulielmi* Conjux *Finola*, de Domo fuerit *Mac-Jordani*, ut ex ibidem dictis (*g*) liquet, indè fortaſſis Originem ſumpſit levis quorundam Opinio de fundato ab ea Gente Conventu *Rathbrannenſi*, eo vel maximè quia haud improbabiliter id fieri poterat Rogatu Suaſuque præfatæ Conjugis *Finolæ*. Ipſemet verò Maritus *Gulielmus* poſtmodùm Fratribus Minoribus Cænobium extruxit *Galviæ* Anno 1296, ut ibidem ajebam. Utrum autem horum *Rathbrannenſis* noſtræ Domûs Fundatorem dixeris, aut *de Exonia*, aut *de Burgo*, ejus Genealogiam aliquatenùs delineatam habes in præmiſſis (*i*).

III. CÆNOBIJ hujus, Ædiumque Sacrarum, Mœnia hodiedùm apparent, Soli, atque Latifundiorum annexorum actuali Poſſeſſore *Joanne Knox*, Armigero.

IV. ALLADENSIS Diœceſis, intrà cujus Fines adeſt, ut præfertur, Conventus iſte, duo fuere Antiſtites Dominicani, *Donatus* nempè *O-Connor*, & *Joannes Brett*, poſtmodùm Epiſcopus *Elphinenſis*, hoc Anno 1756 denatus, de quibus datâ Operâ Sermo alibi inſtituetur (*k*).

CÆTERUM ex Domûs hujus Alumnijs *Hugo Mac-Goill* Mortem, *Gualterus* verò *Flemingus* Carcerem, aliaſque graviſſimas Ærumnas, pro ſacroſancta Fide Catholica glorioſè ſubierunt, ut opportuniùs infra narrabitur (*l*).

V. CON-

(*b*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 223.

(*c*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*d*) Cap. præs. §. xiv. Num. iii. Pag. 250.

(*e*) *Alemandus*, Pag. 225; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*f*) Pag. 39.

(*g*) §. præced. Num. ii. Lit. e. Pag. 276.

(*h*) De hoc Cænobio Sermo fuit Cap. præs. §. xiv. Pag. 249.

(*i*) Prioris Cap. præs. §. xiv. Num. ii, & iii; Pag. 250; poſterioris verò §. ſuperiori, Num. ii. Lit. e. Pag. 275.

(*k*) Cap. xiii. Num. xliv, & lxxix.

(*l*) Cap. xvi. Num. xlix, & civ.

V. CONVENTUI huic Quinque aſſignati reperiuntur Anno 1756, ſcilicet R. P. Fr. *Richardus Bellew*, Prior, Ætatis Anno 49, Profeſſionis 29; R. P. Fr. *Thomas Mac-Evily*, Supprior, Ætat. 68, Prof. 44; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Dominicus Mac-Philbin*, Ætat. 62, Prof. 42; P. Fr. *Thomas Barrett*, Ætat. 45, Prof. 23; & P. Fr. *Patritius Mac-Donnell*, Ætat. 40, Prof. 17.

§. XXIII.

De *Derienſi* Cænobio *S. Dominici* in ejuſdem Nominis Comitatu *Ultoniæ*.

ANNO 1274.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Urbis* Deriæ, *nunc* Londino-Deriæ. *Nonnihil obiter de Lacu* Foylæo.
II. *Extructum ibi Cænobium Fratribus Prædicatoribus Anno* 1274, *& non anteà.*
III. *Incertum planè quis illius Fundator, vulgò tamen exiſtimatur Nobiliſſima* O-Donnellorum *Familia, de qua nonnihil exhibet Nota.*
IV. *Nulla nunc Cænobij Rudera. Moderni Latifundiorum Poſſeſſores.*
V. *Duo* Derienſes *Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum aſſumpti. Quinque ex Conventûs hujus Alumnis Martyrium paſſi, aut publicâ Virtutis Opinione clari.*
VI. *Novem Patres huic aſſignati Conventui Anno* 1756.

I. DERIA (*a*), nonnullis *Dera*, hibernicè *Deirragh (b)*, id eſt, Arboretum, anglicè olim appellabatur *Derry* ſine Addito, nunc autem *London-Derry*, eo quia Anno Chriſti 1612 *Jacobus* Rex hujus Nominis Primus *Londinô*, primariâ *Angliæ* Civitate, Coloniam eò miſit, quæ ibi etiamnùm viget. Indè porrò *Deria*, ſeù *Londino-Deria*, Urbs evaſit Capitalis *Ultoniæ*, Denominationemque tribuit Comitatui, qui jam anteà *Colranenſis* ab Oppido *Colranæ*, de qua ſuperiùs dictum eſt (*c*), nuncupabatur. Eſt inſuper Sedes Epiſcopalis in Provincia *Armacana (d)*, eſtque Municipium (*e*), à Prætore, & Senatoribus ſeù, ut vulgò loquimur, à *Majore*, & *Aldermannis* (*f*), gubernatum, Titulumque præbet Comitis, qui nunc eſt *Ridgewaius Pitt*. Portus etiam valdè opportunus eſt, Lacus quippè, cui Nomen *Foyle*, Duodecim largus Milliaribus, latus verò Sex, in Mare ſe exonerans in anguſtum coit Fluvium. In ipſummet autem Lacum ſe recipit Flumen, dictum item *Foyle*, quod tribus à Lacu Milliaribus coarctatur in Clivo Collis, in qua eſt *Deria*, ſivè *Londino-Deria*, ad Ripam Auſtralem Fluminis, ad cujus Os, dum ſe exonerat in Lacum, Arx adeſt munitiſſima, cui Nomen *Culmor*, Flumini dominans. Ipſamet quoque Civitas Mænibus benè munita eſt. Demùm nobile eſt Emporium, ibique ter in Anno celebres habentur Nundinæ, Diebus ſcilicet 17 Junij, 4 Septembris, & 17 Octobris. *Dublinio* diſtat Centum, & Octo Milliaribus; *Armacâ*, Quadraginta Septem; *Colranâ*, Viginti Septem; *Pontanâ*, Nonaginta; *Corcagiâ*, Centum Nonaginta Quinque; *Galviâ*, Centum Viginti Quinque.

II. HAC in Urbe Fratribus Prædicatoribus extructum fuiſſe Cænobium, & quidem Anno 1274, diſertis Verbis refert *Waræus*, de *Antiquitatibus Hibernicis* diſſerens (*g*): *Sedes* (iniquit) *Fratri-*

(*a*) Sic latinè nuncupatur ab Auctore Anonymo Catalogi Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, ſuprà exſcripti Cap. ii. Num. vi. Pag. 38; & à *Waræo* paſſim, licèt in Libro de *Præſulibus Hiberniæ* eam ſcribat *Deram*.

(*b*) Ab antiquis Hibernis vocabatur *Doire Cholumcille*, id eſt, *Boſcus Sancti Columbæ*, qui Abbas præclarus Sexti Eccleſiæ Sæculi Cænobium ibi fundavit Canonicis Regularibus, ut refert *Waræus* in *Antiquitatibus Hibernicis* Cap. xxvi. Pag. 184. Feſtivitas porrò laudati Sancti celebratur apud Hibernos Die 9 Junij, ut liquet ex ſuperius dictis Cap. i. Num. xv. Pag. 22.

(*c*) Cap. præs. §. xii. Num. i. Pag. 244.

(*d*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Legeſis Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*f*) Confer Cap. præs. §. i. Num. vii. Lit. k. Pag. 189.

(*g*) Cap. xxvi. Pag. 184.

bus Prædicatoribus Deriæ aſſignata eſt Anno 1274 ex Parte aquilonari Urbis. Idem repetit inter agendum de *Præſulibus Hiberniæ*, Sermonem quippè ſaciens de *Gervaſio O-Cherballen*, Epiſcopo *Derienſi*, quem obijſſe narrat Anno 1279, hæc habet : *Eo ſedente, Anno nempè 1274, Cænobium Dominicanorum Deriæ extructum eſt.* Succinunt *Alemandus*, & *Harriſius* (*b*). Præiveratque antiquus Scriptor Sæculi Eccleſiæ decimi tertij in Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* Catalogo, quem ſuperiùs tibi exhibui (*i*) ; ibi ſiquidem duo expreſsè recenſentur Cænobia Anno 1274 fundata, unum nempè *Rathbrannæ*, alterum *Deriæ* (*k*).

NIHILOMINUS noſter *Joannes O Heyn* in ſuo *Epilogo Chronologico* (*l*) græcâ Fide ait: "In Civitate iſta (*Derienſi*) erigi fecit Excellentiſſimus Princeps Dominus *O-Donnel* ex regio Sanguine legitimè ortus, Conventum magnificè conſtructum, ac Bonis multis donatum, ſolicitante R. P. *Reginaldo* eundem Principem per Literas S. Patris Noſtri *Dominici* datas expreſsè ad illum, quæ Literæ cuſtodiebantur ſolicitè, & veneranter apud hanc Familiam uſque ad Tempus *Cromuelli* (*m*). Undè nugatorium omninò eſt, quod aliqui aſſerunt de Fundatione hujus Conventûs factâ 1274 : Notorium enim eſt, quod Ordo Prædicatorum ſtabilitus à Magno Patriarchâ *S. Dominico*, confirmatus ſit ab *Honorio* III in Vigilia S. *Thoma* Apoſtoli Anno 1216, & quod S. Pater noſter obierit 1221. Undè concludendum eſt, hanc Domum inceptam fuiſſe inter Confirmationis Tempus, & Mortem SS. Patris, aut citò poſteà ; ità ut hæc Fundatio cenſenda ſit facta antè vel intrà Decennium poſt Mortem *S. Dominici*." Hæc *O-Heynus*, cujus Relationem, anili Fabulæ (abſit Invidia Verbo) haud abſimilem, uberiori Calamo jam alibi refellebam (*n*), ad quem Locum te remitto, benigne Lector, ne eadem inutiliter repetam. Sufficiat impræſentiarùm animadvertere, Conventum *Derienſem* nonniſi vigeſimum tertium obtinere Locum in *Hibernia Dominicana*, ut videre eſt in antiquo Catologo mox memorato, juxtà quem in poſterum Priores inter ſe Locum habeant, ut expreſsè decrevit Capitulum Generaliſſimum *Romanum* Anno 1644 ſub Rmo Magiſtro Ordinis *P. Thoma Turco*, Cremonenſi, cujus longiuſcula Verba integrè jamjudùm exſcripſi (*o*).

III. QUOD ad Fundatorem attinet, nihil de eo certum exploratumque habeo, latuit quippè omninò Equitem *Waræum*, Antiquitatum noſtrarum Indagatorem accuratiſſimum, quibuſvis alijs Judicio Capituli Generaliſſimi prælibati præferendum, ut tibi ejus legenti Decretum luculentiſſimè conſtabit. Paſſim nihilominùs Fundator circumfertur aliquis ex nobiliſſima, ne dicam regia (*p*), *O-Donnellorum* Proſapia, ut per me licet, laudatam ſiquidem, ſed nunquàm ſatis pro Meritis laudandam,

---

(*b*) *Alemandus*, Pag. 222 ; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 289, & Vol. II. Pag. 277. Confer. Cap. præs. §. xii. Num. iii. Lit. n. Pag. 245.

(*i*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. Hujus item Cænobij meminere *Porterus* in *Comp. Annal. Eccleſ. Hiberniæ*, Pag. 216; & *Echardus*, Tom. ii. P. 13.

(*k*) Recolendus §. xii. Cap. præs. Num. ii. Pag. 244.

(*l*) Pag. 3.

(*m*) Adeas Cap. xvii. Num. lxxxii.

(*n*) Cap. ii. à Num. v ad xv. à Pag. 36 ad 44.

(*o*) Cap. ii. Num. vii ; & Cap. vi Num. x. Sect. 6. Pag. 39, & 115.

(*p*) Præclariſſima hæc *O-Donnellorum* Domus Originem rectâ Lineâ ducit à *Mileſio* Rege *Iberiæ*, nunc *Hiſpaniæ*, cujus tres Filij *Heberus*, *Irus*, & *Heremon*, pluribus Sæculis ante Chriſtum natum in *Hiberniam* propagandæ Gentis Causâ advenerunt ; *Heremonque* primus fuit Regni hujus ex *Mileſiano* Genere Monarcha. Regia hæc Soboles in varios per univerſam, quà latè patet, Inſulam hanc paulatìm expanſa fuit Surculos, quos inter *O-Donnellus* ab *Heremone* deſcendens nulli unquàm erat ſecundus, præcipuè in Natione *Ultoniæ*. Dominabatur ſpeciatìm ea in Regione, quæ *Tyrconallia* dicitur, cujus Rex erat, ſeu Princeps, uſque ad *Anglorum* Adventum in *Hiberniam* Anno 1172. Videſis Cap. i. Num. xx. & ſeq. à Pag. 29. Tandemque *Rodericus O-Donnel*, iſtius Familiæ Primipilus, creatus fuit à Rege *Jacobo* I ejuſdem *Tyrconalliæ* Comes Die 23. Februarij 1603, ut refert *Waræus* in *Geſtis Hibernorum*, Pag. mihi 176. Sed paulò poſt, Anno ſcilicèt 1607, ob prœtenſam Rebellionem, Causâ Catholicæ Religionis ſuſcitatam, ipſe, alijque *Ultoniæ* Magnates Orthodoxi, Latifundijs ſuis Honorarijſque Gradibus, ac Titulis, privati fuere, ſicque privati manent uſque in hodierum Diem. Porrò à prænominato *Roderico* (alijs *Rorio*) *O-Donnel* legitimè deſcendens *Hugo-ODonnel*, dictus paſſim *Comes O-Donnel*, congenitarum nobiliſſimæ iſtius Familiæ dandam, Progeniem verè inclytam, de Religione Orthodoxa optimè meritam, ſummâ, ut par eſt, Veneratione proſequor, Neceſſitudinem inſuper habens cum præcipuo ipſius Surculo, mox in Nota memorato, eidemque tàm Obligatione quàm Affectu obſtrictus.

IV. CÆNOBIJ hujus *Derienſis* nullum prorsùs videre eſt Veſtigium præcipuè poſt Civitatis Obſidionem, à Rege *Jacobo* II perſonaliter factam Menſe Julij 1689, ſed irrito Conatu.

LATIFUNDIA Conventui antiquitùs annexa dudùm conceſſa fuere Gubernatori, & Aſſiſtentibus Novæ Coloniæ *Londino-Derienſis*, qui ſimilem quoque impetrarunt Conceſſionem quoad Conventum noſtram *Colranenſem*, ut ex alibi dictis liquet (*q*).

V. DUO fuere Diæceſis iſtius *Derienſis* Epiſcopi Dominicani, *Gulielmus* nempè *Hogeſon*, & *Patritius Brullaughan*, de quibus infrà opportuniùs dicetur (*r*).

CÆTERUM ex Alumnis illius Conventûs Quinque aut Martyrio, aut publicâ Virtutis Opinione clari extitere, nimirum *Donatus Oluinus*, *Gulielmus Oluinus*, *Joannes O-Mannin*, *Joannes O-Laigbin*, & *Clemens O-Colgan*, de quibus ſuo Loco Sermonem inſtituam (*s*).

VI. NOVEM Sodales huic aſſignati exiſtunt Conventui Anno 1756, nimirùm R. P. Fr. *Vincentius O-Dogberty*, Prior, Ætatis Anno 40, Profeſſionis 18; R. P. Fr. *Joannes O-Dogberty*, Supprior, Ætat. 38, Prof. 17; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Antoninus Mac-Rory*, Ætat. 60, Prof. 38; R. P. Prædicator Generalis (poſteà Præſentatus) Fr. *Jacobus Murray* (*t*), Ætat. 52, Prof. 26; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Dominicus Mac-Egan*, Ætat. 39, Prof. 19; P. Fr. *Dominicus O-Dogberty*, Ætat. 41, Prof. 18; P. Fr. *Joannes Davit*, Ætat. 39, Prof. 17; P. Fr. *Georgius O-Dogberty*, Ætat. 35, Prof. 15; & P. Fr. *Petrus O-Dogberty*, Ætat. 35, Prof. 11.

§. XXIV.

De *Killocienſi* Cænobio *S. Salvatoris* in *Limericenſi* Comitatu *Momoniæ*.

Anno 1291.

Atque Vicariali Domo *Burgi Anglorum* in memorato Comitatu.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Killociæ, *aliàs* Kilmallociæ:

II. *Cænobium ibi erectum Fratribus Prædicatoribus, cujus Rudera etiamnùm manent, Magnificentiam Operis demonſtrantia. Fundator* Gilbertus *(hibernicè* Gibbon) Geraldinus, *à quo Familia* Fitz-Gibbon *cognominata.*

III. *Actualis Latifundiorum Poſſeſſor. Unicus* Limericenſis *Epiſcopus Dominicanus. Nonnulli Conventûs hujus inſigniores Alumni.*

IV. *De Vicariali Domo* Burgi Anglorum, *vulgò* Ballinegall, *aliàs Conventuali ſaltem dubiâ.*

V. *Tres Conventûs hujus Patres Anno* 1756.

Familiæ Virtutum Hæres, Fideque Catholicâ clarus, piè obijt in Ædibus proprijs apud *Larkfield* (latinè *Alaudarum Campum)*, in Agro *Leitrimenſi*, Die 27 Novembris 1754, tres poſt ſe relinquens Filios, *Conellum* nempè S. Romani Imperij Comitem, atque Copiarum Imperialium Generalem, ut vocant, Locum-Tenentem; *Joannem*, in *Germania* quoque Chiliarcham, ſeù Tribunum, vulgo *Colonellum*, nunc Generalem Majorem (*Annæ Corr*, Dominæ Vicecomitiſſæ de *Mountgarret* ex Sorore Nepti, Matrimonio junctum), & *Conſtantinum*; totidemque Filias, *Suſannam* nimirum, *Griſellam* *Gratiam*, & *Catharinam*, in Monaſterio noſtro *Dublinienſi* educatas. Earum primogenita Capitaneo *Joanni-Edmundo Purcell*, è Baronibus *de Loughmoe* (confer Cap. præs. §. xvii. Num. iii. Lit. x. Pag. 264.), prælibatæ *Annæ Corr* Avunculo, nupta eſt, in *Germaniæ* Partibus cum Viro ſuo in præſentiarùm conſtituta.

(*q*) Cap. præs. §. xii. Num. vi. Legeſis etiam Num. vii. Pag. 245.

(*r*) Cap. xiii. Num. liv, & lxxxii.

(*s*) Cap. xvi. Num. iii, vii, liv, & cvii.

(*t*) Jam anteà memoratus Cap. præs. §. i. Num. xxi. Pag. 197.

I. KILLOCIA, alias *Kilmallocia* (*a*), hibernicè *Cillmealoc* (id eſt, *Eccleſia Malloci)*, anglicè *Kilmalloc*, Burgus eſt Capitalis Baroniæ ejuſdem Nominis in Agro, & Diæceſi *Limericenſi*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi* (*b*), olim quidem pulcherrimus, ex Saxo vivo fabrefactus, at Bellorum Cladibus deformis effectus, fermèque obliteratus, permultis nihiloſeciùs inſignium Ædificiorum Parietibus, Mænibuſque lapideis integrè, ut ipſemet nuper vidi, manentibus. Titulum præbet Vicecomitis Familiæ de *Sarsfield*. Oppidum Sociatum eſt, cujus Supremus Magiſtratus anglicè *Sovereign* nuncupatur. Municipium (*c*) quoque eſt, *Dubliniô* Centum & Tribus diſtans Milliaribus; *Limericô*, Octodecim; *Caſſeliâ*, Viginti Sex; *Corcagiâ*, Triginta Duobus; *Galviâ*, Quinquaginta Octo; *Londino-Deriâ*, Centum Sexaginta Tribus.

II. FRATRES Prædicatores Cænobium hìc Loci habuiſſe, & quidem Anno 1291 fundatum, Nemini Dubium eſſe poteſt, vel id ad Evidentiam comprobante unanimi *(d)* Scriptorum Conſenſu. Et ſanè inſignem ipſiuſmet Ædificij Magnificentiam Rudera intrà Oppidi Muros ſat ſuperque ad Oculum demonſtrant. Quis autem Fundator cenſeri debeat, non eſt adeò certum, eum quippè *Waræus*, & poſt ipſum *Alemandus*, & *Harriſius* altè ſilent. *O-Heynus* tamen aſſerit (*e*), eum fuiſſe *Illuſtriſſimum Dominum Fitz-Gerald, Comitem Deſmondiæ*, quod ſanè verum omninò eſt quantùm ad Gentem *Geraldinam*, non autem quantum ad Comitem *Deſmondium*, ut vel ex eo luculentiſſimè conſtat, quod primus *Deſmondiæ* Comes fuit *Mauritius Geraldinus*, Filius *Thomæ Simiaci (f)*, Anno 1295 defuncti, ſic creatus à Rege *Eduardo* III (*g*) Die 27 Auguſti 1329, prout apud *Lodgæum* alibi (*h*) laudatum legere eſt. Aſt Conventus *Killocienſis* certo certiùs fuit fundatus Anno 1291, ut ex mox dictis claret. Rectiùs proindè quadrat probata Loci Traditio, quæ perhibet, Cænobium hoc extructum fuiſſe à Propatruo Comitis *Deſmondij* prænominati, nimirùm *Gilberto* (hibernicè *Gibbon) Geraldino*, inter Quatuor *Joannis de Callan*, Baronis *Ophaliæ*, *Tralcienſis* Conventûs (*i*) noſtri Fundatoris, Filio ſecundò genito, *Equitis Albi* (*k*), ut vocant, ſivè *Clan-Gibbon* (*l*), atque univerſæ Familiæ, cui Cognomen *Fitz-Gibbon* (*m*), Progenitore.

III. LATIFUNDIA, Conventui huic olim annexa, poſſidentur nunc à Supremo Magiſtratu, anglicè *Sovereign*, ut præfertur, & Sociato, ſeû, ut vulgò loquimur, *Corporato* Populo Burgi *Killocienſis*.

Limericenſis Diæceſis, in qua, ut jam ajebam, ſita eſt *Killocia*, unicum Epiſcopum Dominicanum ſuperiùs recenſebam, dùm de *Limericenſi* Conventu diſſererem (*n*). Cæterùm Cænobij hujus Alumnus, *Jacobus O-Hurly*, Provincialis *Hiberniæ*, Epiſcopus fuit *Imelacenſis*, cui immediatè ſucceſſit *Terentius-Albertus O-Brien*, noſtri etiam Ordinis, *Hiberniæ* item Provincialis, Martyrij Palmam conſecutus, de quibus ſigillatìm alibi opportuniùs agetur (*o*).

Alij

(*a*) Utroque Nomine vocatur in antiquo Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*, ut Cap. ii. Num. vi. Pag. 38, videre poteris.

(*b*) Legeſis Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*c*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*d*) Anonymus Scriptor Antiqui Catalogi mox citati; *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 203; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 230; *O-Heynus*, Pag. 17; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*e*) Pag. 17.

(f) Conſulendus §. x. huj. Cap. Num. iii. Pag. 238.

(*g*) Adeas Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*h*) Cap. præs. §. x. Num. ii. Lit c. Pag. 237.

(*i*) De eo fuit Sermo Cap. præs. §. x. Pag. 237.

(*k*) Tres ſimul erant *Geraldinæ* Gentis Equites, nempè Eques *Albus*, Eques *Niger*, à Pilaminis Colore ſic dicti, & Eques de *Glyn*, & *Valley* (latinè de *Clivo*, & *Valle)*, à proprijs ſcilicet Prædiorum Nominibus appellatus, qui Trium Familiarum Progenitores erant, ut liquet ex ſuperiùs dictis Cap. præs. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237, ubi *Geraldinorum* texitur Genealogia.

(*l*) Clan-Gibbon idem ſonat ac *Stirps Gilberti*, cujus Territorium (nunc Baronia Agri *Corcagienſis*) Longitudinis erat Viginti Quatuor Milliarium, Latitudinis vero Duodecim, ut advertit *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 7.

(*m*) Deſcendit quidem *Fitz-Gibbon* à *Geraldinis*, ſecùs verô *Mac Gibbon*, qui Surculus eſt *Burgorum* Gentis, ut liquet ex anteà dictis Cap. præs. §. xiv. Num. iii. Lit. q. Pag. 252.

(*n*) Cap. præs. §. v. Num. vi. Pag. 213.

(*o*) Cap. xiii. Num. lxiv, & ſeq; ac Cap. xiv. Num. xii. & ſeq.

Alij haud pauci fuere Sæculo ſuperiori inſignes Cænobij hujus Alumni, aut Martyrio, aut publicâ Virtutis Opinione clari (ultrà ſeptem Clericos cum duobus Sacerdotibus in Mare ab Hæreticis projectos) nimirùm *Geraldus Geraldinus*, *David Foxius*, *Gulielmus O-Germain*, *Henricus Burgatt*, & *Geraldus Fitz-Gibbon*, quorum ſuccinctam Hiſtoriolam ſuo Loco exhibiturus ſum (*p*).

IV. *O-Heynus* noſter (*q*) memorat Vicarialem Domum Conventui huic ſubditam in Loco, cui Nomen hibernicum *Ballinegall*, id eſt, *Burgus Anglorum*, in eodem Agro *Limericenſi*, hæc ſubdens Verba : *Ab Anno* 1650 *Nemo ex noſtris habitavit ibi*, *de qua Negligentia maxima Cura habenda eſt impoſterum*, *ſi Dominus faveat Nobis aliquando.* Cæterùm *Waræus*, & *Alemandus* (*r*) Domum hanc inter Conventuales recenſent, *Harriſius* autem eam alto prætermittit Silentio de Domibus *Dominicanis* agens, alibi verò oſtendens illam fuiſſe *Carmelitanam.* Hinc inter Conventuales noſtras dubias meritò annumerandam ipſe exiſtimans, de illa iterùm Sermonem inſtituam (*s*).

V. Tres ſunt in Diſtrictu Conventûs hujus agentes Anno 1756, nimirùm R. P. Præſentatus Fr. *Ambroſius Mac-Craith*, Prior, Ætatis Anno 54, Profeſſionis 29 ; P. Fr. *Joannes O-Duane*, Ætat. 57, Prof. 32; & R. P. Lector Fr. *Paulus Slattery*, Ætat. 48, Prof. 27.

§. XXV.

De *Cavanenſi* Cænobio *S. Mariæ Virginis* in ejuſdem Nominis Comitatu *Ultoniæ*.

Anno 1300.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura*, & *Deſcriptio Burgi* Cavanæ.

II. *Conventum Ordinis Prædicatorum eò Loci viguiſſe*, *multis evincitur Momentis*, *ſpeciatim ex Comitijs Generalibus* 1656, & *Provincialibus* 1720.

III. *Probata adſtruit Traditio Fundationem Cænobij iſtius à* Gelaſio *(Ruſo)* O-Reilly, *Principe* Breffiniæ, *factam pro Fratribus Prædicatoribus. Hi poſtmodum expulſi*, & *Loco eorum Minoritæ intruſi. Traditioni illi favet Diſcrepantia quædam* Waræum *inter*, & Waddingum, *ſuffragaturque Epiſcopi* Kilmorenſis *Epiſtola.*

IV. *Memoratæ Expulſionis Exemplum in Urbe* Florentina.

V. *Fratres Prædicatores Jus habent conventualiter vivendi* Cavanæ, *etiam manentibus ibidem Minoritis. Utriuſque Ordinis Conventus ſimul*, *nedùm in Civitatibus*, *ſed* & *in Oppidis*, *Burgiſque* Hiberniæ. *Tria diverſorum Ordinum Cænobia in uno* Athdaræ *Pago*. *Supplex Inſtantia Comitiorum Provincialium* 1749. *Objectioni fit ſatis.*

VI. *Latifundiorum Cænobij Poſſeſſor.* Kilmorenſes *Epiſcopi Dominicani.*

VII. *Sodales hujus Conventûs Anno* 1756.

I. CAVANA, hibernicè *Cabban* (id eſt *Arbuſtum)*, anglicè *Cavan*, in Diæceſi *Kilmorenſi* ſub Archiepiſcopo *Armacano* (*a*), Burgus eſt Capitalis nedùm Baroniæ de *Loughtee*, ſed & univerſi Comitatûs *Cavanenſis*, ubi propteréa Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*b*), ſingulis Semeſtribus habentur. Municipium (*b*) eſt, atque Emporium ſat commodum, ibique frequentiſſimæ habentur Nundinæ bis in Anno, in Feſtivitatibus ſcilicet Exaltationis S. Crucis, atque Omnium Sanctorum, ſed nunc, propter Mutationem Styli (*c*), Diebus 25 Septembris, & 12 Novembris. Juxtà Vicum hunc, ubi Præſidium adeſt ſatis forte, Tormenti bellici Ictu occiſius fuit Equus, cui incedebat Dux *Berwicus (d)*, ſub Rege *Jacobo* II militans contrà Principem *Arauſicanum*, dictum poſteà

(*p*) Cap. xvi. Num. ii, xxii, lvi, lxxxi, & xcii.

(*q*) Pag. 19.

(*r*) *Waræus*, de *Antiquitatibus Hiberuicis* Cap. xxvi. Pag. 203 ; *Alemandus*, Pag. 230.

(*s*) Cap. ſeq. §. ii.

(*a*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(*b*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*c*) Adeas Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*d*) Confer Cap. iv. Num. xvi ; & Cap. vii. Num. xii. Pag. 82, & 144.

poſteà *Gulielmum* III, Die 11 Februarij 1689, ut refert *Bobun* in *Dictionario Geographico*, Verbo *Cavan*. Porrò diſtat *Dubliniô* Quadraginta Octo Milliaribus; *Kilmorâ*, Quatuor; *Armacâ*, Triginta Duobus; *Londino-Deriâ*, Quinquaginta Octo; *Galviâ*, Octoginta; *Corcagiâ*, Centum Quadraginta Quinque.

II. Hic Loci Conventum olim habuiſſe Fratres Prædicatores, ſat ſuperque conſtat vel ex Actis Comitiorum Provincialium, *Dublinij* Anno 1720 celebratorum, ubi Patres Definitores, nempè Magiſtri *Edmundus de Burgo*, poſtmodùm Theologus *Caſanatenſis* in Urbe (*e*), *Petrus Mac-Dermot (f)*, *Patritius Diamond*, & *Stephanus Mac-Egan*, paulò poſt Provincialis, & per multos dein Annos Epiſcopus *Midenſis (g)*, Viri equidem doctiſſimi, neque minùs circumſpecti, atque in Rebus *Hiberniæ Dominicanæ* egregiè verſati, Sanctionem ſub Num. XVI hiſce concepere Verbis: *Cùm Conventus in Oppido de CAVAN in Ultonia; de Clonmell in Comitatu Tipperarienſi, de Caſtle Lyons in Comitatu Corcagienſi, in Momonia; de Thomaſtown in Comitatu Kilkennienſi, in Lagenia; de Tulſk in Comitatu Roſcomanienſi, & de Tombeola, in Occidentali Conacia, nunc Religioſi (qui ad Canonicam Electionem procedere poſſint) ſint deſtituti, rogamus Eximium Patrem Magiſtrum Provincialem* (*h*), *vt dictis Conventibus de idoneis Superioribus quamprimùm providere non gravetur.* Novi porrò laudatos Definitores *Mac Egan*, & *de Burgo*, qui mihi ſæpiſſimè narrarunt, atque etiamnùm narrat adhuc (1756) florens Epiſcopus *Mac-Egan*, ſe audiviſſe ab antiquis Provincialibus, alijſque graviſſimis Patribus, & iſtos ab alijs, ab immemorabili extitiſſe Couventûs hujus *Cavanenſis* Priores.

Adde, nec addidiſſe pigebit, quod niſi inter *Hiberniæ Dominicanæ* Conventuales Domos Locum habeat *Cavanenſis*, iſtæ non forent Numero Quadraginta Tres, de quibus tamen locupletiſſimum perhibuere Teſtimonium ſapientiſſimi Patres Comitiorum Generalium Romæ 1656 præclaris his Verbis (*i*): “ Magna hic (in *Provincia Hiberniæ)* eorum, qui pro Fide Catholica immania pertulerunt Tormenta, Seges, præſertìm noſtris Temporibus, fæcundè maturuit Cælorum Horreis illata manipulatìm, ſiquidem ex QUADRAGINTA TRIBUS CONVENTIBUS, quos in hæc Inſula poſſedit Ordo, nec unus hodiè ſupereſt, quem nòn Hæretici Perſecutoris Furor aut exuſſerit, aut Solo æquarit, aut in Uſus ſuos profanos redegerit. Ad Annum 1646 numerabantur in illis Fratres plus minùs Sexcenti, quorum nunc fortè nec quarta Pars ſuperſtes, & quidem patrio Solo extorris, cæteris aut Domi conſumptis Martyrio, aut crudeli ad Inſulas Barbadas Deportatione, longam in novo Orbe Mortem obeuntibus.”

III. Quando autem, aut à quo fundatum fuerit Cænobium hoc, non eſt Res adeò certa. Probata nihilominùs fert Traditio, id extruxiſſe Anno 1300 *Gelaſium* Rufum *O-Reilly* (*k*), Regionis iſtius *Cavanenſis* Dynaſtam, *Brefiniæ* Principem nuncupatum, pro Fratribus Prædicatoribus, ſed hos ab eadem poſtmodùm *O-Reilliana* Gente circà Annum 1393 factioſè expulſos fuiſſe, & eorum Loco Fratres Minores Conventuales intruſos: At demùm *Conventus tranſiit ad Fratres*

Minores

(*e*) De eo dicetur Cap. xv. Num. xxx.

(*f*) De hoc Cap. præs. §. xxix. Num. v.

(*g*) De iſto Cap. xiii. Num. lxxv, & Cap. xiv. Num. xxvii.

(*h*) Fr. *Antoninum Maguire*, Gaulenſem, qui poſtmodùm interfuit Comitijs Generalibus *Romæ* 1721. De eo plura Cap. xiv. Num. xxvi.

(*i*) Ex Actis Capituli Generalis *Romæ* 1656 ſub Rmo Magiſtro Ordinis P. *Joanne Baptiſta de Marinis*, Januenſi, Pag. 148. Legeſis Cap. vi. Num. xiv. Pag. 118.

(*k*) Nobiliſſima *O-Reilliorum* Domus rectâ Lineâ Originem ducit ab *Heremone*, *Mileſij* Regis *Hiſpaniæ* Filio, ut de *ODonnellis* nuper dictum eſt, §. xxiii. Num. iii. Lit. p. Pag. 282. Utrique autem, atque alij *Ultoniæ* Nobiles, Latifundijs ſuis ob prætenſam Rebellionem, Causâ Religionis Catholicæ ſuſcitatam, privati fuere Anno 1607, ut ibidem narrabam. Plures nihiloſecùs ex *O-Reilliana* Progenie exorti Surculi in *Cavanenſi*, & *Midenſi* Comitatibus, alibique, florent, Catholicâ Religione clari, quorum præcipuus *Princeps Brefiniæ* paſsìm appellabatur, *Orientalis* tamen, ad Differentiam *O-Rourki*, qui Princeps erat *Brefiniæ Occidentalis*. Porrò *Brefinia Orientalis* complectitur nunc Comitatum de *Cavan*; *Brefinia* verò *Occidentalis* Comitatum de *Leitrim*. Olimque prior vocabatur hibernice *Breifne O-Reily*; poſterior autem *Breifne O-Roirk*, Teſte *Harriſio* Vol. II. Pag. 47. Videſis Cap. xiii. Num. xxiii. Lit. m.

Minores de Obſervantia Anno 1502, inquit *Waræus*, cui ſubſcribit *Alemandus* (*l*), addens, eos haud dìu eo Loci manſiſſe, indè ſiquidem expulſi fuere ab *Henrico* VIII, denuoque (regnante *Mariâ* Catholicâ) reverſos *Elizabethâ* Regina omninò eliminavit.

Huic Traditioni favere videtur Diſcrepantia *Waræum* inter, & *Waddingum*, apud *Alemandum* mox laudatum, quia tametſi ambo Scriptores, ut candidè fatear, *Cavanenſe* Cænobium Minoritis adjudicent, atque quoad Fundatorem conveniant, differunt nihilominùs quoad Fundationis Tempus, *Waræo* determinante Annum 1300, *Waddingo* autem Annum 1393. Hinc quippè inferri poſſe videtur, *Waræum* loqui de primæva Conventûs Erectione, quando ſcilicèt juxtà memoratam Traditionem ſtabilibus fuit pro Fratribus Prædicatoribus, *Waddingum* verò de Temporæ, quo Fratres Minores Conventuales illum occupare inceperunt. Obſervatu quoque digniſſimum eſt, *Joannem Clynnum*, Minoritam *Hibernum*, Sæculi Eccleſiæ decimi quarti Scriptorem, apud *Waræum* mox laudatum, & *Waddingum* apud *Alemandum* (*m*), Cænobij hujus Locum appellare *Breſiniam*, aliud fortaſſe *Cavanenſis* Agri Oppidum, ſeù Pagum, veriſmiliter nunc dictum *Belturbet*, Cavanâ Septem Milliaribus diſtans. Porrò Epiſcopi *Kilmorenſes*, ut obſervat *Waræus* (*n*), olim appellabantur *Breſinienſes* (*o*).

Huc quoque ſpectat Fragmentum Epiſtolæ Illuſtriſſimi Epiſcopi *Kilmorenſis* Fr. *Laurentij Richardſon* (*p*), ad A. R. P. *Michaelem Shanly*, Priorem tunc *Dublinienſem*, nunc verò *Hiberniæ* Provincialem (*q*), apud *Cavanam* Die 7 Auguſti 1751 datæ, ubi inter alia ſcripſit : *Ipſomet Die S. Dominici nonnulla mihi occurrebant Teſtimonia circà Conventum Cavanenſem, & ſpero illum aptè à me ſtabiliendum.* Ægritudine tamen, & Morte præventus, nihil ampliùs ea in Re molitus eſt.

IV. Neque mirari ſubit, Religioſos *Hiberniæ* injuſtè de ſuis expelli Cænobijs, cùm & in *Italiæ* Partibus ſimilia accidiſſe liqueat ex *Chronico Magiſtrorum Generalium* Ordinis Prædicatorum (*r*), quod in Calce eſt *Regulæ B. Auguſtini*, & *Conſtitutionum* ejuſdem Ordinis, ubi refertur, poſt Obitum Generalis *Alberti Caſai*, Hiſpani, Anno 1544, vacaſſe Magiſterium Ordinis ad Annum 1546. Dein hæc legere eſt Verba : “ Hoc Interregno celeberrimus Conventus noſter S. Marci Flo-
“ rentiæ datus fuit Fratribus Congregationis Lombardiæ, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, expulſis ex
“ eo Fratribus noſtri Ordinis, abſque Beneplacito, aut Conſenſu, immò etiam ſine Scitu Sedis Apoſtolicæ.
“ Quam Rem agerrimè tulit Paulus Papa III, ſuſpicatuſque eſt (vel quod ſuſpicatus fuiſſet videri voluit)
“ Negotium illud Religionis, & Fidei Cauſa factum eſſe, quod in Oculis ejus, in Portis Urbis, Fratres
“ noſtri Ordinis, qui Fidei Propagatores, & acerrimi Sedis Apoſtolicæ Poteſtatis Aſſertores, habiti ſemper
“ fuerunt, nullâ ipſorum (quæ allegaretur) Culpâ, è Domo propriâ, & Domo tàm inſigni, pulſi eſſent, ac
“ Fratres illi alienam Domum occupaſſent. Nec diſſimulavit, quin etiam Minis, & Cenſuris Eremitanos
“ abire juſſit ; noſtris verò Domum, & Conventum ſuum reſtitui, omnibus ſcilicèt, qui indè ejecti fuerant ;
“ ut videlicèt, qui Contumeliâ, aut Ignominiâ affecti fuerant, ijdem ipſi Honore afficerentur. Quod
“ magno Dei Beneficio factum eſt ſexageſimâ quintâ Die poſtquàm indè extruſi fuerant ; expertuſque eſt
“ Ordo noſter, in quanta apud Prælatos Eccleſiæ, & Principes Sæculi eſſet Opinione, quantoque cole-
“ retur Affectu, & Reverentiâ. Favit huic Cauſæ Præſentia Fr. Bartholomæi Spina, Piſani, Religioſiſſimi
“ Viri, & Rerum Fidei ardentiſſimi Zelatoris, tunc Magiſtri S. Palatij, cujus Sinceritate, Zelo, & Erudi-
“ tione dilectus Paulus Pontifex, familiariſſimè illo utebatur, & libentiſſimè quidquid hac in Cauſa ſug-
“ geſſiſſet, audiebat.” Sanè ſi Fratres Prædicatores, qui *Fidei Prædicatores, & acerrimi Sedis Apoſtolicæ Poteſtatis Aſſertores habiti ſemper fuerunt*, *nulla ipſorum Culpâ*, *e Domo propriâ, & Domo tàm inſigni* in florentiſſima *Florentina* Cìvitate, *Romæ* tàm propinquâ, *pulſi* ſint, mirari quiſpiam non debet, idem prorsùs accidiſſe in Occidentalibus *Europæ* Finibus, à quibus propter haud interrupta Bella, quæ tunc Temporis, & quidem nunquàm magis, *Anglos* inter & *Hibernos* ſæviebant, difficilimus erat ad Sedem Apoſtolicam Recurſus, difficillimuſque ad Interceſſorem, *Bartholomæo*

(*l*) *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 163 ; *Alemandus*, Pag. 288.

(*m*) Pag. 239.

(*n*) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. mihi 58.

(*o*) Adeas Cap. xiii. Num. xxiii. Lit. m.

(*p*) De præclariſſimo hoc Præſule Sermo erit Cap. xiii. Num. lxxxi.

(*q*) De eo nonnihil Cap. xiv. Num. xxxv.

(*r*) Cap. xvi. Pag. mihi 91.

tholomæo Spina ſimilem, Acceſſus, alioquin nulli æquo Rerum Æſtimatori Dubium eſſe poteſt, quin Fratres Prædicatores *Cavanæ*, non ſecùs ac *Florentiæ*, Cænobium ſuum incunctanter recuperaſſent.

V. Ex his omnibus Luce meridianâ clariùs patet, Fratres Prædicatores Jus habere conventualiter vivendi in Oppido *Cavanæ*, etiam abſque Excluſione Fratrum Minorum, quia, præterquàm quod Cænobium, ſeù pro Fratribus Prædicatoribus, ſeù pro Minoribus fundatum, uſque adeò exuſtum, aut Solo æquatum ſit, ut nec minimum illius Veſtigium maneat, cujus Rei ipſemet Teſtis oculatus ſum, præter hoc, iuquam, nedùm in *Hiberniæ* Civitatibus, *Dublinij*, *Caſſeliæ*, *Corcagiæ*, *Kilkenniæ*, *Limerici*, & *Waterfordiæ*, ſed etiam in haud paucis Oppidis, atque Burgis, putà *Clonmellæ*, *Galviæ*, *Pontanæ*, *Trimmæ*, *Youghallæ*, &c. fuerunt (*s*), & adhuc ſunt, utriuſque Ordinis Conventus. Neque eodem Conſilio prætermittere poſſum, quod nuper vidi in uno *Athdaræ* Pago Agri *Limericenſis*, Mænia nempe ſatis integra trium haud contemnendæ Structuræ Cænobiorum, ſcilicèt Fratrum Ordinis Sanctiſſimæ Trinitatis de Redemptione Captivorum, Fratrum Minorum de Obſervantia, & Fratrum Eremitarum *S. Auguſtini* (*t*). Eapropter ab immemorabili, ut præfertur, Priores fuerunt Ordinis Prædicatorum in *Cavanenſi* Conventu, & quidem in ſingulis Comitijs Provincialibus electivis Suffragium habentes, pluresque ex Fratribus Prædicatoribus pro eodem Conventu Profeſſionem emiſerunt. Hinc tandem aliquandò Patres Comitiorum Provincialium, *Dublinij* habitorum Anno 1749, inter alias Actorum Petitiones hanc inſeruerunt Num. iii, nempè : “ *Quandoquidem ab Adverſarijs noſtri Ordinis Dubium oriatur, an verè Conventum unquàm babuerimus in Oppido de Cavan in Natione Ultoniæ, cùm tamen plures Priores ab immemorabili illi præfuerint, pluresque Religioſi nunc exiſtentes pro eo Profeſſionem emiſerint : Idcircò ſummo, quo par eſt, Obſequio Reverendiſſimo Patri Magiſtro Generali ſupplicamus, ut pro ingenita ſua Benignitate dignetur Breve impetrare Apoſtolicum, quo Sanctitas Sua declarabit, illum propriè eſſe Ordinis noſtri Conventum, cum omnibus Juribus, & Privilegijs, quibus Conventus in noſtro Ordine potiri ſolent, & debent.*

NEQUE hucuſque dictis obſtet, ſi objicias, Cænobium *Cavanenſe* non recenſeri in Decreto Illuſtriſſimi *Plunketti*, Archiepiſcopi *Armacani*, & Commiſſarij Apoſtolici, ſuperiùs adducto (*u*). Non obſtat, inquam, quia Lis à Patribus Minoritis de tribus duntaxàt movebatur Conventibus, *Villanovano* nimirùm, *Carlingfordienſi*, & *Gaulenſi*, ut liquet ex Tenore laudati Decreti, in quo illi ſolummodò nominantur. Hinc ſi Objectio valeret, ſequeretur planè nec *Colranæ*, nec *Pontanæ*, nec *Deriæ* Cænobia extitiſſe Dominicana, de quibus tamen Nemo prorsùs dubitat (*w*).

VI. CONVENTUS *Cavanenſis* Latifundia dudûm conceſſa fuerunt D. *Jacobo Dillon*, Equiti Aurato.

DIŒCESIS *Kilmorenſis*, in qua, ut præfertur, ſita eſt *Cavana*, Tres fuere Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum aſſumpti, nimirùm *Thomas Ruſhock*, *Michael Mac-Donogh*, & *Laurentius Richardſon*, quorum Duo poſteriores labenti noſtro Ævo floruerunt. De ijs porrò ſigillatim alibi opportuniùs dicetur (*x*).

VII. Quatuor adſunt Conventûs iſtius Sodales Anno 1756, nempè R. P. Prædicator Generalis Fr. *Thomas Fitz-Simons*, Prior, Ætatis Anno 42, Profeſſionis 20 ; P. Fr. *Patritius Beacon*, Ætat. 49, Prof. 18 ; P. Fr. *Dominicus Mac-Kiernan*, Ætat. 48, Prof. 18 ; & R. P. Lector (poſteà Prædicator Generalis) Fr. *Patritius Sheridan*, Ætat. 40, Prof. 18.

§. XXVI.

(*s*) Conſulendus *Waræus* de *Antiquitatibus Hibernicis* Cap. xxvi.

(*t*) Tria illa *Athdaræ* Cænobia memorat *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 202 ; & alij poſt ipſum.

(*u*) Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*w*) Confer Locum mox citatum ad Lit. r. Pag. 130.

(*x*) Cap. xiii. Num. xxiii, lxxvii, & lxxxi.

§. XXVI.

De *Carlingfordienſi* Cænobio *Sancti Malachiæ* (*a*) in *Louthano* Comitatu *Ultoniæ*.

Anno 1305.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Carlingfordiæ. *Nonnihil de Comitatu* Lovidiæ, *vulgò* Louthæ, *& de antiquo* Urielis, *ſivè* Auriliæ, *alijs* Ergalliæ, *Territorio. Nota præliminaris de* Sancto Malachia.

II. *Cænobium* Carlingfordiæ *Fratribus Prædicatoribus à* Richardo de Burgo, Ultoniæ *Comite* Rufo, *extructum. Nota de Comitibus* Ultoniæ *ex diverſis Familijs.*

III. *Cænobij Rudera. Latifundiorum Poſſeſſores.* Armacanæ *Sedis Archiepiſcopi Dominicani alibi memorati. Conventûs hujus Alumnus,* Chriſtophorus Bath, *publicâ Virtutis Opinione clarus. Item* Dominicus Magenis.

IV. *Quatuor iſtius Conventûs Patres Anno* 1756.

I. CARLINGFORDIA, hibernicè *Carlinn*, anglicè *Carlingford*, Burgus eſt haud contemnendus Archidiæceſis *Armacanæ*, & Agri *Lovidienſis*, dicti paſsìm *Louthani*, qui Pars eſt antiqui Territorij, *Urielis*, ſivè *Auriliæ*, nuncupati, ſuum olìm habentis Regem, ſeù potiùs Regulum (*h*), nunc autem in *Louthanum*, *Armacanum*, & *Monaghanum* Comitatus diviſi. *Louthanus* porrò Ager, ut obiter dicam, in prima Comitatuum Diviſione, à *Joanne* Rege Anno 1210 factâ, annumerabatur inter *Lageniæ* Comitatus, quia nullus erat tunc Temporis erectus Comitatus in *Ultonia*, utpotè Regis iſtius non ſubditâ Imperio, adeoque extrà *Pali Anglicani* Fines conſtitutâ, ut alibi explicabam (*c*). Tandem autem aliquando, Anno ſcilicèt 1585, partita eſt & *Ultonia* in Comitatus, eique adjectus *Louthanus*, utpotè ejuſdem Territorij cum *Armacano*, & *Monaghano*, ut mox dictum eſt, olim Pars. Nihilominùs in pluribus Libris Geographicis, etiam recentioribus, atque in ipſiſmet Noſtratûm *Almanachis*, ut vocant, *Louthanus* Comitatus inter *Lagenienſes* collocatur. Idemque videre eſt in Operibus *Waræi*, *Harriſij*, *Porteri*, &c. *Carlingfordia* Municipium (*d*) eſt, ac Emporium, in quo celebres habentur Nundinæ in Die *S. Michaelis Archangeli*, 29 Septembris, nunc autem, ob Mutationem Styli (*e*), Die 10. Octobris. *Dublinió*, Quadraginta Sex; *Dunkerano*, ſivè *Dunkolkâ*, Comitatûs *Louthani*, Oppido Capitali, primitùſque Sede Epiſcopali (*f*), Septem; *Armacâ*, Viginti Tribus; *Pontanâ*, item Viginti Tribus; *Londino-Deriâ*, Septuaginta; *Corcagiâ*, Centum Quadraginta Septem; *Galviâ*, Centum, & Quatuordecim, Milliaribus diſtat.

II. Cænobium Fratrum Prædicatorum eò Loci extitiſſe, nedùm concors Scriptorum (*g*) Aſſertio, ſed & Decretum Illuſtriſſimi *Oliverij Plunketti*, Archipræſulis *Armacani*, quâ Commiſſarij Apoſtolici, cujus Tenorem alibi exſcriptum habes (*h*), invictiſſimè demonſtrat. Suffragatur quoque

---

(*a*) *S. Malachias* Abbas fuit Monaſterij *Banchorenſis*, Cap. præſ. §. xi. Num. i. Pag. 241, recenſiti, & denuò Epiſcopus *Connorenſis*, tandemque Archiepiſcopus *Armacanus*, & per univerſam *Hiberniam* S. Sedis Apoſtolicæ Legatus. Feliciter obdormivit in Domino *Claræ-Vallæ* Anno 1148 inter *S. Bernardi* Manus, qui ejus Vitam diffuſè àc melliflué conſcripſit. Feſtum ipſius apud *Hibernos* colitur Die 3. Novembris, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 22.

(*h*) Conſulendum Cap. i. Num. xx. Pag. 29.

(*c*) Cap. i. Num. x, & Cap. iv. Num. viii. Pag. 13, & 76.

(*d*) Legeſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Videſis Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*f*) Recole Cap. i. Num. xii. Lit. r. Pag. 16.

(*g*) Ita enim *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 174; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276; *Alemandus*, Pag. 217; *Porterus*, in *Annal. Hib.* Pag. 216; *O-Heynus*, Pag. 5; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*h*) Cap. vi. Num. xxii, Pag. 129, ubi etiam nonnulla de tàm celebri Viro dicebam.

probata Traditio, quæ inſupèr fert, Fundatorem fuiſſe, & quidem Anno 1305, *Richardum de Burgo*, Comitem *Ultoniæ*, Dominumque *Conaciæ*, à Colore Cæſariei dictum paſsim *Comitem Rufum*, omnibus *Hiberniæ* Proceribus ſui Ævi Loco, Opulentiâ, Potentiâque præcellentem, Cænobij etiam Carmelitarum *Loughreæ* in Agro *Galvienſi* Fundatorem, atque plurium in varijs hujus Regni Partibus Arcium Conſtructorem, de quo ejuſque Stemmate haud pauca ſuperiùs referebam (*i*).

Traditioni huic ſuccinit *Waræus*, Loco mox laudato, ubi de Conventu iſto *Carlingfordienſi* diſſerens, ait : *Comites Ultoniæ Patroni fuerunt.* Illi quippè Comites *Ultoniæ* non potuerunt eſſe ex Familia de *Courcy*, ut rectè advertit *Alemandus*, jam memoratus, quia aliàs, inquit, *Carlingfordienſis* inter antiquiores foret *Hiberniæ Dominicanæ* Conventus, ſicque Locum habuiſſet in pervetuſto Cænobiorum Catalogo, ſuprà allato (*k*). Eademque de Cauſa Patroni illi dici nequeunt ex Familia de *Lacy* (l).

III. RUDERA hujus Cænobij adhuc videre eſt, cujus Latifundia dudùm conceſſa fuere *Nicolao Bagnel*, Equiti Aurato, qui eadem *Jacobo Hamilton*, Domino Vicecomiti de *Claneboy*, aſſignavit (*m*).

ARCHIDIÆCESIS *Armacanæ*, in qua, ut præfertur, ſita eſt *Carlingfordia*, Antiſtites Dominicanos recenſebam, dùm de *Pontanenſi* noſtro Cænobio Sermonem facerem (*n*).

DE Conventûs hujus Alumno, *Chriſtophoro Bath*, publicâ Virtutis Opinione claro, alibi opportuniùs dicetur (*o*).

HUIC ſubjungit *O-Heynus* noſter (*p*) *Dominicum Magenis*, qui peractis Studijs partìm Lovanij, partìmque *Pariſijs*, " in Patriam redux fuit Prior *Pontanæ*, & inſtitutus Lector Artium " pro Conventu *Dublinienſi*. Fuit Procurator Generalis *Pariſijs*, ſicut nunc (Anno 1706) eſt *Matriti*." (*q*).

IV. CONVENTUS iſtius Alumni Anno 1756 ſunt R. P. Fr. *Dominicus Thomas*, Prior, Ætatis Anno 48, Profeſſionis 26 ; P. Fr. *Stephanus O-Carney*, Ætat. 56, Prof. 34; P. Fr. *Jacobus Mac-Mahon*, Ætat. 38, Prof. 18 ; & P. Fr. *Patritius Davit*, Ætat. 30, Prof. 6.

§. XXVII.

De *Caſtlelionenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*.

ANNO 1307.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Caſtlelionis, *ſivè* Caſtri-Leonis. *Nonnihil de* O-Lehanorum, *ſeù* Leonum, *Gente*.

II. *Cænobij Fratrum Prædicatorum (non Minorum) Fundatio ex Comitijs tàm Generalibus, quàm Provincialibus, evincitur. Objectioni ſatisfit.*

III. *Idem roboratùr ex Inſtitutione Prioris factâ ad Inſtantiam Comitis de* Barrymore, *ex Fundatore orti ; ejuſque Archivis ; atque ex Reſtitutione Latifundiorum. Utriuſque fortaſsè Ordinis, & Prædicatorum, & Minorum, Conventus apud* Caſtrum Leonis, *ſivè* Caſtlelionem.

IV. *Cænobij*

(*i*) Cap. præf. § xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275. & alijs in Locis, ibidem memoratis.

(*k*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*l*) Pro clariori hujus Rei Intelligentia, animadvertas velim, duas Familias, antè *Burgiadem*, Comitatum habuiſſe *Ultoniæ*, ſivè Comitis Dignitatem. Enimverò ſub *Anglorum* in *Hiberniam* Adventum, poſt Annum ſcilicet 1172, *Courcæus* creatus fuit *Ultoniæ* Comes, cujus unica Filia, ac Hæres, cum nupta eſſet *Lacæo*, hic Jus, Gradumque Comitis *Ultoniæ* exindè obtinuit ; eâdemque prorsùs Viâ in *Gualterum de Burgo*, Cænobiorum noſtrorum, *Villænovæi*, & *Lothorienſis*, Fundatorem, necnon *Comitis Rufi* Genitorem, Dignitas iſta tranſijt, ut liquet ex ſuperiùs dictis Cap. præf. §. xxi. Num. ii. Pag. 274.

(*m*) *Harriſius*, Vol. II. Num. 276.

(*n*) Cap. præf. §. ii. Num. xi. Pag. 203.

(*o*) Cap. xvi. Num. xcvii.

(*p*) Pag. 6.

(*q*) Videſis Cap. viii. Num. xxx. Sect. 2. Pag. 184.

IV. *Cænobij Rudera. Latifundiorum Poſſeſſores.* Clonenſes *Epiſcopi Dominicani alibi memorati.*
V. *Sodales hujus* & Corcagienſis *Cænobiorum permixti.*

I. CASTELIO (*a*), ſivè *Caſtrum Leonis*, hibernicè *Caſlan-Liogban*, ſed magis propriè *Caſlan-O-Lœban*, anglicè *Caſtle-Leban*, ſed paſsìm *Caſtle-Lyon*, aut *Caſtle-Lyons*, nuncupatur, quia primitùs erat Caſtrum Allodiale antiquæ Familiæ Hibernicæ *O-Lebanorum*, anglicè *Lyons*, id eſt, Leonum, hinc paſsìm Gens hæc appellatur *de Leone*, aut *de Leonibus*, quod Cognomen in *Italia* quoque, *Scotia* (ubi Comes de *Strathmore*), alijſque *Europæ* Partibus viget. Prænominatus Locus Emporium eſt, exiguum quidem, ſed ſatis commodum, Agri *Corcagienſis*, Diæceſis verò *Clonenſis*, in Provincia *Caſſelienſi* (*b*), ubi quater in Anno celebres habentur Nundinæ, ſcilicet Feria tertia Paſchatis, Feria ſecunda Pentecoſtes, atque Diebus 28 Auguſti, & 17 Novembris. Juxtà *Caſtlelionem* videre eſt ampliſſimam pulcherrimamque Domum Comitis de *Barrymore*, conſtructam ſuper Fundamenta ſolida antiquæ Arcis *O-Lebani*,, in cujus Diruptione inventum eſt Opus Fronti Camini inſculptum cum hac Inſcriptione: *Leban O-Cullane hoc fecit* MCIIII (*c*). Porrò *Caſtrum Leonis*, ſivè *Caſtelio*, diſtat *Dublinio* Centum, & Duodecim Milliaribus; *Corcagiâ*, Quatuordecim; *Clonâ*, item, Quatuordecim; *Caſſeliâ*, Triginta; *Limericô*, Quadraginta Duobus; *Galviâ*, Septuaginta; *Londino-Deriâ*, Centum Octoginta Quinque.

II. Eò Loci Conventum olim habuiſſe Fratres Prædicatores, luculentiſſimè conſtat, tùm ex nuper (*d*) exſcriptis Actorum Capituli Provincialis *Dublinienſis* Anno 1720 Verbis; tùm ex ibidem adducto Comitiorum Generalium *Romæ* 1656 Teſtimonio, quo perſpicuè apparet, ad Annum 1646 Quadraginta Tres extitiſſe in *Hibernia Dominicana* Domos Conventuales, quod ſanè à Veritate prorsùs alienum eſſet, niſi *Caſtro-Leonina* inter eas annumeraretur. Nihilominùs deſolata omninò evaſit, ut candidè fatear, non ſecùs ac religioſa quæque per *Hiberniam* omnium Ordinum Cænobia, *Cromuellianæ* Perſecutionis Tempore (*e*), & hoc quidem intrà Decennium unicum, quod ab Anno 1646, in quo Religio in *Hibernia* reflorebat (*f*), ad Annum 1656, in quo prælibata celebrabantur Comitia Generalia, fluxit. Quæ profectò Mala graphicè deſcripſere memorata Comitia Generalia Verbis planè aureis, & opportunis, quæ alibi jam in Medium afferrebam (*g*).

EAPROPTER *Waræus*, qui Opus ſuum, *de Antiquitatibus Hibernicis* inſcriptum, Anno 1654, cum omnia ſuſdeque miſerentur (*h*), lucubrabat (*i*), autumavit Cænobium *Caſtri Leonis* Juris fuiſſe Fratrum Minorum, loquens quippè de Loco iſto, ait (*k*): *Minoritis Cænobium ibi conſtruxit Johannes Barrius Anno* 1307. Quâ in Re ipſum, Scriptorem alioquin accuratum, emendandum eſſe vel ex eo liquet, quod, ut *Alemandus* benè advertit (l), doctiſſimus æquè ac accuratiſſimus Annalium Ordinis Minorum Parens *Waddingus*, nedùm *Hibernus*, ſed & Natione *Momonienſis*, nullam prorsùs facit Mentionem de Cænobio apud *Caſtrum Leonis* Minoritis ſuis extructo. Et nonnè hoc ideo, quæſo, quia celeberrimus iſte Vir, Anno 1588 natus, denatus verò Anno 1657 (*m*), eo potiſſimùm florebat Tempore, quo Religio in *Hibernia* reflorebat (*n*), tuncque probè noverat, Cænobium illud à Fratribus Prædicatoribus poſſeſſum? Quî enim fieri potuit, ut *Wad-*

(*a*) *Caſtlelionenſis* nuncupatur Domus noſtra Conventualis ab *Echardo* Tom. ii. Pag. xiii.

(*b*) Videſis Cap. i. Num. xii. Pag. 16.

(*c*) Ità refert *Carolus Smith*, in Deſcriptione Comitatûs *Corcagienſis*, Vol. I. Pag. 164.

(*d*) Cap. præſ. §. xxv. Num. ii. Pag. 286. Hoc item Cænobium memorant *O-Heynus*, Pag. 14; & *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*e*) Adeas Cap. xvii. Num. c.

(*f*) Recolendum Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*g*) Cap. præſ. §. xxv. Num. ii. Pag. 286. Confer Cap. præſ. §. xl. Num. iv. & v.

(*h*) Adeas Cap. xvii. Num. ci.

(*i*) Iſtud *Waræi* Opus fuit primò Typis vulgatum *Londini* 1654.

(*k*) Cap. xxvi. Pag. 198.

(*l*) Pag. 270.

(*m*) Ità patet ex ejus Vita præfixa *Annalibus Minorum* ſecundò editis *Romæ* 1731; & ex *Harriſio* de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Pag. 130, & ſeqq.

(*n*) Recolendum Cap. vi. Num. xi. Pag. 116; & conſulendum Cap. xvii. Num. xliii.

dingum, in Rebus ſui Ordinis, ac Nationis verſatiſſimum, lateret Conventus quiſpiam Ftatrum Mirorum in *Momonia?*

SED dices fortaſſe, quod & *Waræus* eodem etiam florebat Tempore. At *Waræus* Laicus erat, immò & Acatholicus, proindèque ipſi faciliùs quàm *Waddingo* Mendum hac in Re excidere poſſet. Igitur Fratribus Prædicatoribus, non verò Minoribus, Cænobium apud *Caſtlelionem*, ſivè *Caſtrum Leonis* extruxerat *Joannes Barrius*, Comitis de *Barrymore* Progenitor.

III. QUOCIRCA Anno 1673, plenè ſcilicèt extinctâ *Cromuellianâ* Tyrannide (*o*), P. Magiſter *Coſtantinus O-Cuiffe*, Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ* (*p*), eò Loci Priorem inſtituit P. Prædicatorem Generalem *Gulielmum Barrium*, & quidem ad Inſtantiam Comitis de *Barrymore* (*q*), qui, etſi Acatholicus, præmominato Patri Provinciali ex Archivis ſuis pleniſſimè oſtendit, à Majoribus ſuis apud *Caſtrum Leonis* pro Fratribus Prædicatoribus fundatum fuiſſe Conventum; quique Anno 1685, *Magnæ Britanniæ Hiberniæque* Thronum conſcendente *Jacobo* II, Rege Catholico, Latifundia omnia, prælibato Conventui dudùm annexa, tradidit memorato Priori, ipſum in eorundem Poſſeſſionem pro Uſu Dominicani Ordinis immittens, ut diſertis Verbis teſtatus eſt *O-Heynus* Anno 1706 (*r*), qui cùm tunc eſſet Sexagenarius, atque à Quadraginta Annis in Ordine profeſſus, necnon Scholam Magnam de Mandato P. Magiſtri Provincialis *Gulielmi de Burgo* (*s*), laudati Magiſtri *Conſtantini O-Cuiffe* immediati Succeſſoris, in *Hibernia* exercuiſſet, ut de ſeipſo refert (*t*), haud dubiè & Provincialem, & Priorem prælibatos videre poterat atque ab ipſis, quæ retulit, addiſcere.

PRO Fratribus Prædicatoribus igitur extructum fuit Cænobium iſtud apud *Caſtlelionem*, ſeù *Caſtrum Leonis*, à *Joanne Barrio*, Comitis de *Barrymore* Progenitore, niſi tamen dicatur, duos fuiſſe eò Loci Conventus, unum Ordinis Prædicatorum, alterum Ordinis Minorum, & quidem ab eadem Gente *Barria* fundatos, haus ſecùs ac *Youghallæ*, in eodem *Corcagienſi* Agro, uterque Ordo ſuum habuit Cænobium ab una fundatum Gente *Geraldina*, juxtà nuper memorata (*u*), ut nihil dicam de pluribus nedum Civitatibus, ſed & Oppidis, Burgiſque *Hiberniæ*, à me nupperrimè recenſitis (*w*), in quibus utriuſque Ordinis Conventus floruere.

IV. ANNO 1749 vidi Cænobij *Caſtlelionenſis* Rudera, Templique adjacentis Navim, Chorum, ac Turrim Campanariam.

IN Conventûs iſtius Diſſolutione Latifundia, eidem annexa, conceſſa fuerant *Richardo Boyle*, Comiti *Corcagiæ*, qui ea aſſignavit Genero ſuo *Davidi Barrio*, Primo Comiti de *Barrymore*, (*x*). Reſtituta tamen fuere Fratribus Prædicatoribus, regnante *Jacobo* II, à tunc exiſtente Comite de *Barrymore*, ut mox dictum eſt. Aſt Regularibus, ſicut & Epiſcopis, alijſque Dignitarijs Regni, perpetuo Exilio mulctatis Anno 1698, ut pridem referebam (*y*), Latifundia iſta ad Comitem de *Barrymore* denuò tranſiere, ſicque hucuſque manent.

CLONENSIS Diæceſis, intrà cujus Fines continetur *Caſtrum Leonis*, ſeù *Caſtelio*, Antiſtites Dominicanos jam anteà recenſebam, de *Youghallenſi* Cænobio diſſerens (*z*).

V. TAMETSI, ut ex dictis patet, Cænobium iſtud diſtinctum omninò ſit à *Corcagienſi*, proindeque & Diſtrictus unius a Diſtrictu alterius, nihilominùs Defectu Fratrum permixti ſunt, adeoque hujus Sodales indiſtincti non ſunt à Sodalibus Conventûs *Corcagienſis*, de quo ſuprà (*a*). Idem videre eſt in Quatuor alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs, *Tulſkenſi* nimirùm, *Clonymicbanenſi*, *Clonmellenſi*, & *Thomapolitano*, de quibus ſuis reſpectivè Locis dicetur (*b*).

§. XXVIII.

(*o*) Videſis Cap. xvii. Num. cviii.

(*p*) De eo datâ Operâ Sermo erit Cap. xiv. Num. xviii.

(*q*) Nobiliſſimæ hujus Domûs brevem habes Genealogiam Cap. præſ. §. vi. Num. ii. Lit. i. Pag. 215.

(*r*) Pag. 14 *Epilogi Chronologici*, editi *Lovanij* Anno 1706.

(*s*) De hoc ſpecialis fiet Mentio Cap. xiv. Num.

(*t*) Pag. 34.

(*u*) Cap. præſ. §. xx. Num. ii. Pag. 272.

(*w*) Cap. præſ. §. xxv. Num. v. Pag. 288.

(*x*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276; *Smithæus*, Vol. I. Pag. 164.

(*y*) Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*z*) Cap. præſ. §. xx. Num. v, Pag. 273.

(*a*) Cap. præſ. §. vi. Pag. 214.

(*b*) Cap. præſ. §§. xxxvi, xxxix, xl, & xliii.

§. XXVIII.

De *Naſenſi* Cænobio *S. Euſtachij* in *Kildarenſi* Comitatu *Lageniæ*.

Anno 1356.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Naſæ.

II. *Cænobij Fratrum Prædicatorum Fundatio à* Fitz-Euſtachijs *facta ſub Invocatione* S. Euſtachij *Martyris, eorum Progenitoris. Nota de Progenie* Euſtachiana.

III. *Mendum* Waræi, *Cænobium hoc cum* Auguſtiniano *confundentis, emendatur.*

IV. *Novi Latifundiorum Poſſeſſores.* Darenſes *Epiſcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum.*

V. *Prior Conventus hujus*, Petrus O-Higgin, *Martyrium paſſus, de quo, alioque ejuſdem Cænobij Alumno*, Thomâ Berminghamo, *publicâ Vitutis Opinione claro, alibi dicetur.*

VI. *Quatuor Alumni Conventui huic aſſignati Anno* 1756.

I. NASA (*a*), hibernicè *Naſs* (id eſt, *Cataracta*), anglicè *Naas*, Burgus eſt Mercatorius, ut vocant, ſeù Emporium, non minùs concinnum, quàm exiguum, Baroniæ ejuſdem Nominis Caput, in Agro, & Diæceſi *Darenſi*, vulgò *Kildare*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, Titulum præbens Baronis, qui inſimul Vicecomes eſt de *Gormanſtown*, *Jenicus* nempe *de Preſton*, Catholicâ Religione clarus (*b*). Nundinæ ibi habentur bis in Anno, ſcilicet Feria Secunda Pentecoſtes, & Die 22 Novembris. Eſt Municipium (*c*), unumque ex memorati Comitatûs, ſeù Agri, Con-Capitalibus, ut ità loquar, Oppidis, ibi ſiquidem æſtivi, ut vocant, ſeù potiùs autumnales, Judicum Conſeſſus, vulgò *Aſſiſæ* (*d*), ſingulis Annis habentur, quadrageſimales verò, ſivè vernales, apud *Athyam*, de qua jam anteà Sermonem inſtitui (*e*). *Naſa* porrò *Dubliniô* diſtat Quatuordecim Milliaribus; *Athyâ*, Sexdecim; *Darâ*, ſeù *Kildarâ*, Decem; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Triginta Novem; *Arcloâ*, Triginta Quinque; *Corcagiâ*, Centum, & Duodecim; *Londino-Deriâ*, Centum, & Tribus; *Galviâ*, Nonaginta.

II. Scriptorbs, quot invenire potui, de *Hiberniæ* Domibus Regularibus utcunque agentes (*f*), uno affirmant Ore, Cænobium Fratribus Prædicatoribus *Naſæ* Anno Redemptoris 1356 fundatum fuiſſe. Idque factum ab illuſtri *Euſtachiorum* Familia, omnes quoque diſertè referunt, dempto *Waræo*, ajente duntaxàt, quod *Euſtachij illius fuerint Patroni*. Traditio inſuper Loci, ac laudatæ Gentis fert, dicatam fuiſſe ejuſdem Cænobij Eccleſiam in Honorem *S. Euſtachij Romani Martyris*, per univerſam Eccleſiam ſpeciali Feſtivitate Die 20 Septembris venerati, a quo *Euſtachij*, vernaculè *Fitz-Euſtace*, tàm *Hiberniæ*, quàm *Angliæ*, rectâ Lineâ deſcendunt, ut ex Temporum conſtat Hiſtorijs, Libriſque Genealogicis, varijſque alijs Monumentis, ſpeciatìm ex ſepulchrali Inſcriptione in Eccleſia noſtra *S. Sixti* de Vrbe, quam alibi opportuniùs exſcribam (*g*).

III. *Waræo*

(*a*) Sic appellatur latinè à *Waræo*, & *Portero*, mox laudandis, â nonnullis autem *Naza*.

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Lit. n. Pag. 31.

(*c*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*d*) Videſis ibidem.

(*e*) Cap. præf. §. xv. Num. i. Pag. 254.

(*f*) *Waræus*, de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 148; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276; *Alemandus*, Pag. 219; *Porterus*, in *Compend. Annal. Eccleſiaſt. Hiberniæ*, Pag. 219; *O-Heynus*, Pag. 10; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*g*) Scilicet Cap. xii. §. i. Num. xv. Cæterùm inclyta hæc Progenies à *S. Euſtachio*, ut in Textu memoratur, rectâ Lineâ deſcendens, in *Angliam* venit Tempore Regum *Saxonum*, in *Hiberniam* verò regnante *Henrico* II, conformiter ad pridem dicta Cap. i. Num. xxi. Pag. 30. Utrobique porrò *Fitz-Euſtachij* Cognomen adepta eſt, Voculâ *Fitz* Anglicanâ, corruptâ ex Gallica *Fils*, ſignificante Filium, non ſecùs ac *Mac*, & *O*, apud veteres *Hibernos*, & *de* apud *Latinos* (adeas Cap. iii. Num. xii. Lit. a. Pag. 62.); paſſim quoque *Euſtace* anglicè abſque Vocula præmiſſa appellatur. In plures expanſa eſt illuſtres Ramos, quorum nonnulli Loca inter Proceres Regni conſecuti ſunt, ut

Vicecomes

III. WARÆO, Scriptori alioquin accurato, Mendum excidit circâ Situm hujus Cænobij, quod extructum ait (*b*) non *Naſæ*, ſed *juxtà Naſam ad Collis rotundi Radicem*; cùm tamen non Fratrum Prædicatorum, ſed Eremitarum *S. Auguſtini* fuerit Cænobium iſtud, cujus Mænia ad memorati *Collis rotundi Radicem* etiamnùm videre eſt, vidique haud ſemel de Re hac diligenter inquirens. Immò Prædiolum, quod eò Loci moderni habent Patres Auguſtiniani, conventualiter pro Rerum Conditionibus viventes, prælibatum Collem in ſe continet. Atque Patres tàm Prædicatores, quàm Eremitæ, quàm etiam Parochus, Incolæque Loci, uno Ore affirmant, id fuiſſe Cænobium Auguſtinianum, Dominicani verò Cænobij Rudera in ipſomet eſſe Burgo *Naſa*, quod Auguſtinianis adjudicavit *Waræus*, unum cum altero confundens. Ibi porrò nunc eſt Diverſorium, ſuprà Partem Fundamenti antiquæ Domûs Dominicanæ conſtructum.

IV. IN Diſſolutione hujûs Conventûs à Gubernio Acatholico primitùs factâ, Latifundia ejus conceſſa fuere *Thomæ Lutterell*, Equiti Aurato, qui eadem *Joanni Travers*, Armigero, aſſignavit (*i*).

DARENSIS (vulgò *Kil-Dare)* Diæceſis, in qua, ut præfertur, eſt *Naſa*, duo fuere Epiſcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumpti, *Petrus* nempè *Stoll*, & *Rochus Mac-Geoghegan*, dictus *à Cruce*, de quibus alibi Sermo erit (*k*).

V. CÆNOBIJ hujus Prior, P. *Petrus O-Higgin*, pro Fide Catholica *Dublinium* adductus fuit, & Laqueo ſuſpenſus, ut nihil dicam de ejuſdem hujus Cænobij Alumno, *Thomâ Berminghamo*, publicâ Virtutis Opinione claro. De ijs porrò alibi opportuniùs (*l*).

VI. Sodales Quatuor Conventui huic aſſignati Anno 1756 ſunt R. P. Fr. *Hugo Reynolds*, Prior, Ætatis Anno 50, Profeſſionis 24; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Patritius O-Ferrall*, Conventûs *Longofordienſis* Filius, Ætat. 54, Prof. 35 (*m*); P. Fr. *Jaonnes O-Reilly*, Ætat. 32, Prof. 13; & P. Fr. *Gulielmus Euſtace*, Ætat. 30, Prof. 10 (*n*).

§. XXIX.

De *Clonſhanvillenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*.

ANNO 1385.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Pagi* Clonſhanvillæ.

II. *Fundatu*

Vicecomes de *Baltinglas*, in Agro *Wickloenſi*, & Baro de *Portleſter*, modò autem extincti. Duæ fuere in Agro *Dublinienſi* hujus Cognominis Familiæ, nimirum de *Dowdingſtown*, & de *Ballymore-Euſtace*, quæ compoſita Vox ex ipſomet Gentis Cognomine derivatur, ſignificat quippè *Oppidum Magnum Euſtachij*, eſtque in *Dublinienſis*, *Kildarenſis*, & *Wickloenſis* Agrorum Collimitio. In Agro *Kildarenſi* præcipua Familiæ hujus Domus erat de *Caſtel-Martin*, quæ tamen à multis jam Annis ob Temporum Calamitates Caſtro ſuo Allodiali, atque Latifundijs privata eſt. Sed Anno 1685, Die 23 Decembris, illius tunc exiſtens Primipilus, *Mauritius* nempè *Fitz-Euſtachius*, à *Jacobo* Secundo Rege Catholico Eques Baronettus creatus fuit. Fuerunt item in prælibato Agro *Kildarenſi* Domus de *New-land*, & de *Cradockſtown*; atque inibi etiamnùm floret Domus de *Yeomanſtown*, Catholicâ Religione, & exemplari Probitate clara. De quibus omnibus plura legere poteris apud *Lodgæum*, Vol. I. Pag. 30, & 149; Vol. II. Pag. 20, 238, & 248; Vol. III. Pag. 178, & 373; ac Vol. IV. Pag. 243, & 286.

Ulteriùs ex *Euſtachiana* hac Gente Quinque fuere Magni Cancellarij hujus Regni, nempè *Richardus Fitz-Euſtace*, Anno 1426; Eques *Eduardus Fitz-Euſtace*, Anno 1453; *Robertus Fitz-Euſtace*, Baro de *Portleſter*, Anno 1472, inſimulque Magnus Regni Theſaurarius; Eques *Rolandus Fitz-Euſtace*, Anno 1474; *Rolandus* item *Fitz-Euſtace*, Baro de *Portleſter*, Anno 1496. Quos Ordine Chronologico recenſet *Harriſius*, Vol. II. à Pag. 107.

(*b*) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 148.

(*i*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276.

(*k*) Cap. xiii. Num. lvii, & lxiv.

(*l*) Cap. xvi. Num. xi. & l.

(*m*) Defunctus ineunte Anno 1759.

(*n*) Prior eſt ab Anno 1758.

II. *Fundatum eò Loci Cænobium Fratribus Prædicatoribus à* Mac-Dermot-Roe, *ſivè* Ruſo. *Nota de antiqua, & nobili hac Familia.*
III. *Templi, Cænobijque Mænia etiamnùm extantia. Latifundiorum Poſſeſſores.*
IV. Elphinenſes *Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum priùs recenſiti.*
V. *Nonnulli inſignores Conventûs hujus Alumni.*
VI. *Quinque Alumni ejus Anno* 1756.

I. CLONSHANVILLA (a), hibernicè *Cluain-Sean-Mhil* (id eſt, *Seceſſus Leporis annoſi*), anglicè *Clonſhanvill*, exiguus eſt Baroniæ *Boylanæ* in Agro *Roſcomanienſi*, Diæceſis verò *Elphinenſis*, in Provincia *Tuamenſi* (*b*), & nullius fermè Momenti Pagus, ſolâ Abbatiâ, ut Vulgus loquitur (*c*), ſivè Cænobio, jam jam recenſendo, Nomen illius perpetuante, in amæniſſima tamen Planitie ſitus. *Dubliniô* diſtat Octoginta Milliaribus; *Boylâ*, Septem; *Roſcomaniâ*, Novemdecim; *Elphinâ*, Decem; *Tuamâ*, Viginti Octo; *Galviâ*, Quadraginta Quinque; *Corcagiâ*, Centum Triginta; *Londino-Deriâ*, Octoginta.

II. CÆNOBIUM Fratrum Prædicatorum hìc Loci fundatum fuiſſe, referunt Scriptores (*d*) hucuſque in hoc Capite paſſim laudati, quos inter *Harriſius*, & *O-Heynus* id factum aſſerunt Sæculo Eccleſiæ decimo quarto, ſivè antè Annum 1400; nonnulla autem Manuſcripta Annum 1385 determinant. Cæterùm omnes, quibus conſtans ſuffragatur Patriæ Traditio, uno Ore Fundatorem ſtatuunt Dominum *Mac-Dermot-Roe*, ſivè *Rufum*, à Colore Cæſariei ſic dictum (*e*).

III. MUROS tàm Cænobij, quam Templi, etiamnùm videre eſt, quorum Latifundia à Gubernio heterodoxo conceſſa fuere *Gulielmo Taaffe*, Armigero, qui ea Domino *Dillon*, Vicecomiti de *Coſtello-Gallen*, in Agro *Mayonenſi*, vendidit (*f*). Ab iſto autem eadem locata habet Acatholicus quidam Cognomine *Davis*, cujus Domicilium propè Cænobium noſtrum ſitum eſt. Qua de Re hæc habet *O-Heynus* noſter, mox laudatus, de Conventu iſto *Clonſhanvillenſi* loquens: "Mænia adhuc extant, habitat autem Hæreticus dans annuè quoddam quaſi Homagium Illuſtriſſimo D. Vicecomiti *Dillon*, qui obtinuit illum Locum à Regina *Elizabetha*, aut à *Jacobo* Primo (*g*). Vidi ipſe aliquorum Annorum cadentia Debita ſoluta coram me à dicto Anglo Hæretico, qui vocatur *Davis*."

IV. *Elphinenſis*

(*a*) Sic latinè nuncupatur à *Waræo* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 226, & alibi ſuorum Operum, atque ab alijs, præter *Echardum* noſtrum, qui Conventualem hanc Domum *Cluinmhicenſem* poſt *O-Heynum* appellat Tom. ii. Pag. xiii.

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*c*) Confer Cap. præs. §. xi. Num. iii. Pag. 243.

(*d*) *Waræus*, mox allatus; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 277; *O-Heynus*, Pag. 45; *Echardus*, Loco mox laudato. *Porterus* autem, pluries in hoc Capite recenſitus, memorat ſolummodò, & quidem perſtricto Calamo, Conventus in *Armacana*, & *Dublinienſi* Provincijs.

(*e*) Vocula hibernica *Roe*, latinè *Rufus*, ſubjungi ſolet dum cognominatur quiſpiam ex Surculo iſto antiquæ, & nobilis Familiæ de *Mac-Dermot*, quæ in varios expanſa fuit Ramos, Opulentiâ, Potentiâque, ac Catholicâ Religione illuſtres, quos inter, ultrà *Mac-Dermot Rufum*, pluresque alios, adeſt *Mac-Dermot*, nuncupatus paſſim hiſce Diebus Princeps de *Coolavin*, quæ *Sligoenſis* Comitatûs eſt Baronia, cujus olim Regulus extiterat, ſivè Dynaſta (videſis Cap. i. Num. xx. P. 29); adeſtque *Mac-Dermot* de *Carnig*, à Caſtro ſuo Allodiali ſic dictus, olim Baro de *Buil*, anglicè *Boyle*, in Agro *Roſcomanienſi*, ut rectè obſervat *O-Heynus*, Loco nuperrimè laudato. Cæterùm integra Progenies *Mac-Dermotorum* ab *Heremone*, tertio *Mileſij*, *Iberiæ*, nunc *Hiſpaniæ*, Regis Filio, Originem ducit, ab eaque deſcendit antiqua *Mac-Donoghorum* Soboles, ut Cap. præs. §. xxxiv. Num. ii. Lit. e. declarabitur.

Primipilus porrò Familiæ de *Mac-Dermotroe* eſt *Joannes Mac-Dermotroe*, de *Camach*, in Agro *Roſcomanienſi*, Armiger, *Caroli* Filius ex *Elizabetha Geraldina*, cujus Mater erat e *Brownis* de *Neal*, de quibus nonnihil Cap. ii. Num. x. L. b. Pag. 41. Prælibati *Joannis* Frater Nominè *Thomas*, Epiſcopus erat *Ardachadenſis*, non ità pridem defunctus.

(*f*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277. De Vicecomite iſto nonnulla dicentur Cap. præs. §. xxxv. Num. iii.

(*g*) Quidquid ſit de hoc, ſaltem primò conceſſum fuerat *Gulielmo Taaffe*, mox memorato, licèt ad certum duntaxàt Annorum Terminum, quem Senſum facit Vox anglicana *Termor*, quâ eò Loci utitur *Harriſius*. Confer §. viii. Cap. præs. Num. xvi. Lit. x. Pag. 233.

IV. *Elphinenſis* Diæceſis, in qua ſita eſt *Clonſhanvilla*, Epiſcopos ex Ordine Prædicatorum aſſumptos alibi recenſebam, de *Roſcomanienſi* Cænobio diſſerens (*b*).

V. INTER inſigniores autem Conventûs hujus Alumnos haud infimum obtinet Locum P. *Bernardus Mac-Dermot-Roe*, ejuſdem Prior, ab illius memorato Fundatore rectâ Lineâ deſcendens, qui ob Catholicam Fidem in Exilium cum innumeris ferme alijs Chriſti Commilitonibus miſſus Anno 1698 (*i*), obijt in Provincia *Occitaniæ*, noſtrorum tunc Religioſorum liberaliſſima Suſceptrice. Ut nihil dicam impræſentiarùm de Illuſtriſſimo *Ambroſio Mac-Dermot*, Epiſcopo *Elphinenſi*, quem *O-Heynus* autumat Cænobij iſtius Alumnum, qui tamen verè Alumnus erat Conventûs *Tulſkenſis* (*k*), ut in *O-Heyni* Notis Marginalibus ſcitè advertit P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis* (*l*), qui ad Differentiam *O-Heyni* laudatum probè noverat Præſulem, de quo alibi datâ Operâ dicetur (*m*).

IN eadem etiam *Occitaniæ* Provincia verſabatur, ſcribente *O-Heyno* (*n*), " P. *Carolus Mac-*
" *Dermot*, probus Cænobij hujus Alumnus, atque Filius legitimus Illuſtriſſimi Domini *Mac-*
" *Dermot* de *Carrig*, quondam Baronis de *Boyle*."

HUJUS demùm Cænobij Sodalis erat Adm. Rev. P. Magiſter Fr. *Petrus Mac-Dermot*, qui peractis *Romæ* Studijs, Philoſophiam legit *Lovanij*, Theologiam verò item *Romæ* ingenti cum Applauſu apud *SS. Sixtum*, & *Clementem*, cui Conventui laudabiliter præfuit ab Anno 1703 ad 1706. In *Hiberniam* redux Miſſionarij Apoſtolici Munere cum Animarum Fructu functus eſt ad Annum circiter 1724, quo ex hâc Vita placidè migravit.

VI. ALUMNI Quinque Conventûs hujus Anno 1756 ſunt R. P. Fr. *Hieronymus O-Duigenan*, Prior, Ætatis Anno 55, Profeſſionis 38; R. P. Fr. *Andreas Mac-Coſtello*, Supprior, Ætat. 50, Prof. 30; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Petrus Connaghten*, Ætat. 60, Prof. 40; P. Fr. *Michael Mac-Dermott*, Ætat. 60, Prof. 40; & P. Fr. *Patritius O-Berne*, Ætat. 44. Prof. 24.

§. XXX.

De *Aghavoenſi* Cænobio Sancti *Canici* (*a*), in *Reginæ* Comitatu *Lageniæ*.

Antè Annum 1400

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura*, & *Deſcriptio Pagi* Aghavoæ. *Aliquid de Diæceſi* Oſſorienſi, *atque etiam* Midenſi. *Aliquid quoque in Nota de Regione* Oſſoriæ, *ejuſque Diviſione*. *Nonnibil in præliminari Nota de* S. Canico *Abbate*, *deque* S. Kirano, *primo Diæceſis Epiſcopo*, & *Patrono principali*. *Nonnibil inſuper in alia Nota de* S. Kirano *Abbate*, *Diæceſis* Clonmacnoiſenſis *Patrono*.

II. *Cænobium* Aghavoæ *fundatum Fratribus Prædicatoribus ſub Invocatione* S. Canici *Abbatis*, *de quo nonnibil*.

III. *De Fundationis Tempore diſceptatum*. *Fundatores tamen omninò certi*, Gill, *ſeù* Fitz-Patritij *ſcilicet*. *Nota de nobiliſſima juxta* & *antiquiſſima hac Progenie*.

IV. *Mænia ſat integra Structuræ Magnificentiam demonſtrantia*. *Latifundiorum Poſſeſſor*. Oſſorienſes *Epiſcopi*, *ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumpti*, *anteà memorati*.

V. *Unus ſolommodo Conventûs hujus Alumnus Anno* 1756.

I. AGHAVOA

(*b*) Cap. præs. §. xvi. Num. vi. Pag. 260.

(*i*) Confer Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*k*) De quo Sermo erit Cap. præs. §. xxxvi.

(*l*) De eo dicetur Cap. xv. Num. xxx.

(*m*) Cap. xiii. Num. lxxiii.

(*n*) Pag. 46.

(*a*) *S. Canicus* ſexto Eccleſiæ Sæculo floruit, fuitque Fundator, ac primus Abbas Monaſterij *Aghavoenenſis*, necnon Patronus Urbis *Canicopolis*, ſivè *Kilkenniæ*, ab eo ſumentis Denominationem. Feſtum ipſius apud *Hibernos* colitur Die 11 Octobris, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 23. Eſt inſuper Patronus minùs Principalis totius Diæceſis *Oſſorienſis*, Patronus autem Principalis eſt *S. Kiranus*, primus *Oſſorienſium* Epiſcopus, primuſque Sanctorum in *Hibernia* natus, cujus Feſtum colitur 5 Martij.

I. AGHAVOA (*b*), hibernicè *Achabo* (id eſt, *Campus Bovum*), anglicè *Aghaboe*, priſcis Temporibus Sedes erat Epiſcopalis Diæceſis, olim *Saigerenſis* (*c*), poſtmodùm verò, & etiamnùm *Oſſorienſis* nuncupatæ. Sed circà Annum Redemptoris 1180 Sedes iſta tranſlata fuit *Canicopolim*, ſivè *Kilkenniam*, ibique Eccleſia Cathedralis (nulli mehercle in *Hiberniæ* Regno, quoad magnificam, & concinnam Architecturam, ſecunda) extructa ſub Invocatione *S. Canici*, à quo pulchra iſta denominatur Civitas, ut, de ea Sermonem expreſsè faciens, ſuperiùs ajebam (*d*). Id porrò, ut obiter dicam, *Oſſorienſi* huic, atque *Midenſi* Diæceſibus, peculiare eſt, ut nequaquàm à Sede, ſivè Loco Epiſcopali, ſed à Regione, ſivè Territorio, Nomina derivent (*e*). Cæterùm *Aghavoa* nunc Temporis exiguus duntaxàt eſt Pagus Baroniæ, cui Nomen *Oſſoria Superior (f)*, in Comitatu *Reginæ*, Diæceſis verò *Oſſorienſis*, ut præfertur, in Provincia *Dublinienſi (g)*, Viginti circiter Habitaculis, quà Domibus, quà Tugurijs, conſtans, in quo tamen Nundinæ haud minùs celebres bis in Anno habentur, Die ſcilicet 1 Auguſti, & Die 11 Octobris, *Sancto Canico* laudato ſacrâ, ſed propter Mutationem Styli (*h*), Die 22 ejuſdem Menſis, item Die antecedenti. *Dubliniô*, Quadraginta Septem diſtat Milliaribus; *Mariæ Burgo*, Agri *Reginæ* Capitali, Septem; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Viginti; *Corcagiâ*, Septuaginta Quinque; *Galviâ*, Sexaginta Quatuor; *Londino-Deriâ*, Centum & Viginti.

II. DE Cænobio Fratrum Prædicatorum eò Loci fundato hæc habet *Waræus*, de *Aghavoa* in *Oſſoria Superiore* loquens (*i*): *Cænobium ibi Dominicanis conſtruxerunt Majores Baronis Superioris Oſſoriæ. Atque Aghavoa (i. e. ſi interpreteris,* Campus Bovis, *ſicut Boetia Græciæ à Bobus) olim celebris imprimis erat ob S. Canicum Abbatem, qui obijt ibidem* 5 *Idûs Octobris Anno* 600. Et meritò quidem celebris olim erat *Aghavoa* ob *S. Canicum*, qui ibi Monaſterium ampliſſimum fundavit, ipſius poſteâ Habitatione, Morte, & Miraculis conſecratum. Ibi quoque Temporis Progreſſu conſtructa fuit Eccleſia ſub ipſiuſmet *S. Canici* Invocatione, quæ Cathedralis evaſit Diæceſis primò *Saigerenſis*, dein *Oſſorienſis*, ut mox ajebam. Sed tranſlatâ demùm *Kilkenniam* Epiſcopali Sede, eadem Eccleſia, poſt bis centum circiter Annorum Intervallum, Fratribus Prædicatoribus reſtaurata fuit, extructumque ipſis contiguum Cænobium, & quidem ſub laudati Sancti Abbatis Invocatione, ad hanc uſque Tempeſtatem retentâ, ut ſemel iterumque *Aghavoæ* verſans didici: Neque ullius alterius Cænobij, aut Monaſterij, cujuſvis Ordinis, aut Inſtituti, vel minimum Rudus, aut Monumentum invenire eſt *Aghavoæ*, aut in Finibus ejus.

III. INTER Scriptores de *Aghavoenſi* noſtro Cænobio agentes (*k*), *Alemandus*, quem ſequitur *Harriſius*, aſſerit, id fundatum fuiſſe Sæculo Eccleſiæ decimo tertio, quos tamen falli hac in Re neceſſe eſt. Enimverò pervetuſtus Catalogus omnium *Hiberniæ Dominicanæ* Conventuum ad An-

---

(*b*) Latinè ſic appellatur à *Waræo*, & *Portero*, mox laudandis, ac alijs paſſim.

(*c*) Videſis *Harriſium*, Vol. I. Pag. 398, & Lectiones Secundi Nocturni in Feſto *S. Canici*, ab *Hibernis*, ut præfertur, celebrato Die 11 Octobris. *Saiger* porrò Territorium eſt in Agro *Regis*, ubi S. *Kiranus* Senior, Epiſcopus, Eccleſiam Cathedralem fundavit. Dixi *Senior*, ne confundatur cum *S. Kirano* Juniore, Abbate, qui Patronus eſt Diæceſis *Clonmacnoiſenſis*, in memorato *Regis* Agro *Lageniæ*. Diæceſis *Oſſorienſis* à nonnullis Hiſtoricis antiquis nuncupata etiam fuit *Eyrupolenſis*, ut jam dictum Cap. præs. §. iii. Num. i. Lit. i. Pag. 205.

(*d*) Cap. præs. §. iii. Num. i. Pag. 204.

(*e*) Confer Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*f*) *Oſſoria*, hibernicè *Oſſraigh*, Regio erat *Lageniæ* dicta, poſt anglicanam *Hiberniæ* Diviſionem (recole Cap. i. Num x. Pag. 13.), Comitatus *Kilkennienſis*. Huic contigua *Oſſoria Superior*, à Situ ſic nuncupata, eandem etiamnùm retinens Nomen, Baronia eſt Comitatûs *Reginæ*. Utraque porrò eſt in Diœceſi *Oſſorienſi*, tribuitque Titulum Comitis. Prioris Comes eſt *Butlerus*, juxtà pridem dicta Cap. præs. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266. Poſterioris verò *Fitz-Patritius*, ut mox narrabitur. Neque quid novum eſt in *Magna Britannia*, & *Hibernia*, Titulum Comitis nedùm à Comitatu, ſed etiam à Baronia, aut Territorio, vel à Civitate, vel Pago, immò & à Flumine, mutuari, ut innumeris fermè conſtat Exemplis.

(*g*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*h*) Adeas Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*i*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 162.

(*k*) Tales ſunt, ultrà *Waræum*, mox laudatum, *Harriſius*, Vol. II. Pag. 276; *Alemandus*, Pag. 219; *O-Heynus*, Pag. 9; *Porterus*, Pag. 219; *Echardus*, Tom. ii. Pag. 13.

num uſque 1300 perductus, & Capituli Generaliſſimi Anni 1644 Calculo approbatus, quem ſuperiùs exſcriptum habes (*l*), quemque de Verbo ad Verbum exhibet *Harriſius* ipſe (*m*) poſt *Waræum* (*n*), nihil prorsùs habet de Conventu *Aghavoenſi.* Crediderim igitur vel typographicum irrepſiſſe Mendum in *Alemandi* Monaſticon, vel Auctorem (ut nihil dicam de *Amanuenſi*) ex Incuria id ſcripſiſſe, vel ſaltem exiſtimaſſe Centuriam, ut vocant, decimam tertiam Anno 1300 exordiri, prout haud paucos vidi idem autumantes; ſicque *Harriſium*, Veſtigia prementem *Alemandi*, eandem decimam tertiam Centuriam pro Fundationis Cænobij hujus Tempore aſſignaſſe.

SED quidquid ſit de hoc, omnes unanimi Suffragio quoad Fundatores conveniunt, Progenitores ſcilicet, ſeù Majores, Baronis *Oſſoriæ Superioris*, quos nedùm *Harriſius*, *Alemandus*, & O. *Heynus*, verum & *Lodgæus*, ac *Carvæus* (*o*) affirmant, nulluſque in Hiſtorijs Temporum, Rebuſque Genealogicis utcunque verſatus non novit, fuiſſe de nobiliſſima juxtà & antiquiſſima Gente *Fitz-Patritia*, vernaculè *Fitz-Patrick*, quæ Anno 1751 Comitis Dignitate, & Titulo decorata eſt (*p*).

IV. *Aghavoenſis*

(*l*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*m*) Lib. i. de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 77.

(*n*) Lib. i. de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 61.

(*o*) *Lodgæus*, Vol. II. Pag. 240; *Carvæus*, in *Lyra Hibernica*, Pag. 66.

(*p*) Præclara hæc Familia Originem ducit ab *Heremone*, Filio *Mileſij* Regis *Iberiæ*, nunc *Hiſpaniæ*, primoque *Hiberniæ* ex *Mileſiana*, ut vocant, Progenie, permultis centenis antè Chriſtum natum Annis, Monarchâ. Heraldico-Genealogico-Hiſtorici Noſtrates oſtendunt, poſt ſeptuaginta unam a prælibato *Heremone* Rege Generationem, quendam regali ex hoc Stemmate exortum floruiſſe, *Mac-Giolla-Phadruig* hibernicè appellatum, à quo Cognomen *Mac-Gill-Patrick*, nunc per *Anglo-Hibernos* in *Fitz-Patrick* mutatum, ſeù modificatum, derivatur. Porrò Vocula hibernica *Gill*, ſivè *Giolla*, & Vox Gallo-Anglica *Fitz*, (pro qua adeas Cap. præs. §. xxviii. Num. ii. Lit. g. Pag. 293.) pro eodem quoad præſens uſurpantur, etſi rigorosè loquendo *Giolla* Famulum, *Fitz* verò Filium ſignificet.

De Familia iſta Reges fuere, ſeù potiùs Reguli (confer Cap, i. Num. xx. Pag. 29.) Regionis *Oſſoriæ* per longiſſimam Annorum Seriem uſque ad *Henrici* II Adventum in *Hiberniam* Anno 1172. Immò poſteà, etſi Potentiâ, & Armis *Anglorum* ſubacti fuerint aliquoties, ſemper tamen Reguli, ſeù Dynaſtæ, Titulum, Prærogativamque ſibi vendicare pro virili conati ſunt, & reapsè vendicarunt etiam uſque ad Tempora *Henrici* VIII. Undè *Lodgæus* brevi laudandus refert, quod Anno 1522 *Brianus Gill-Patrick*, ſivè *Fitz-Patrick*, Legatum miſerit ad memoratum Regem *Henricum* cum Querela adversùs *Hiberniæ* Proregem, *Pierium*, alijs *Petrum*, *Butlerum*, agnominatum *Rufum*, Comitem *Ormondium*, qui Legatus Occaſionem de Induſtria nactus procedendi obviàm Regi, ad Capellam in Palatio Regio apud *Londinum* progredienti, Legatione ſuâ fungens Regem latinis hiſce Verbis allocutus eſt: *Sta Pedibus*, *Domine Rex*, *Dominus meus* Gillapatritius *me miſit ad te*, *& juſſit dicere*, *quod ſi non vis caſtigare* Petrum Rufum, *ipſe faciet Bellum contrà te.*

Hujus Filius, *Brianus Mac-Gill-Patritius*, Dominationi *Anglicanæ* paruit tandem, præſtito Fidelitatis Juramento Die 8 Octobris Anno 1537, exindèque creatus fuit à prælibato Rege *Henrico* VIII Baro *Oſſoriæ Superioris* Die 11 Junij 1541. Conjugio ſibi copulavit *Margaritam Butleram* mox dicti Comitis *Ormondij* Filiam Majorem, ex qua ſuſcepit Equitem *Barnabam Fitz-Patritium*, ſecundum Baronem, ſine Prole maſculina defunctum, & *Florentium*, Baronem Tertium, cui *Catharina*, *Patritij O-More*, de *Lege Dei*, vulgò *Leix*, in Agro *Reginæ*, Armigeri Nata, Quinque peperit Filios, *Thaddæum* nempè Succeſſorem ſuum; *Joannem* de *Caſtletown*, Comitis *Oſſoriæ Superioris*, ut protinùs dicetur, Progenitorem; *Galfridum* de *Ballyraghin*; *Barnabam*, alijs *Brianum*, de *Water-Caſtle*; & *Edmundum* de *Caſtle-Fleming*.

Thaddæus Fitz-Patritius, quartus *Oſſoriæ Superioris* Baro, Uxorem ſibi adſcivit *Joannam*, noni *Ormondiæ* Comitis *Jacobi Butleri* ex *Eduardo* Filio Neptem, ex qua Filios genuit Quatuor, *Brianum* imprimis Hæredem ſuum; *Dermitium*, vernaculè *Dermoid*; *Terdelacum*, vernaculè *Tirlagh*; & *Joannem*. E quibus *Briano*, quinto *Oſſoriæ Superioris* Baroni, *Margarita Butlera*, *Gualteri* undecimi Comitis *Ormondij* Filia, *Brianum*, alijs *Barnabam*, *Eduardum*, & *Dermitium* procreavit.

Brianus, alijs *Barnabas*, *Fitz-Patritius*, ſextus *Oſſoriæ Superioris* Baro, ex *Catharinâ*, Equitis *Eduardi Everard* de *Fethard*, in Agro *Tipperarienſi*, Natâ, duos habuit Filios, *Brianum* ſcilicet, Baronem ſeptimum, & *Joannem*. Qui *Brianus* proſcriptus fuit, omnibuſque Dignitatibus ſuis & Bonis ſpoliatus Die 11 Maij 1691, quia *Jacobo* II, Regi Catholico, quà Officialis Militaris indivulsè adhæſerat,

IV. AGHAVOENSIS Cænobij, Templique Mænia ſatis integra ſunt, oſtenduntque ad Evidentiam Operis Magnificentiam planè egregiam, & quidem in Loco verè amæno.

LATIFUNDIA, eiſdem olim annexa, poſt Domorum Regularium omnis Ordinis ac Inſtituti in *Hibernia* Suppreſſionem, *Elizabetha* Regina *Florentio Fitz-Patrick*, tertio *Oſſoriæ Superioris* Baroni, conceſſit Die 21 Julij 1600 (*q*).

OSSORIENSIS Diæceſis, intrà cujus Sinum eſt, ut præfertur, *Aghavoa*, Epiſcopos ex Ordine Prædicatorum aſſumptos inter diſſerendum de *Kilkennienſi* Cænobio recenſebam (*r*).

V. ANNO 1756 unus duntaxàt in Diſtrictu Conventûs iſtius Vineam Domini excolit, nempè R. P. Fr. *Jacobus Williams*, Prior, à Conventu *Bureſulenſi* ad hunc transfiliatus, Ætatis Anno 69, Profeſſionis 40, egregius profectò Miſſionarius.

§. XXXI.

De *Longofordienſi* Cænobio *S. Brigidæ* (*a*) in ejuſdem Nominis Comitatu *Lageniæ*.

ANNO 1400.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Longofordij. *Nota de ejuſdem Nominis Pago in* Anglia, *& Baronia in* Agro Galvienſi. *Alia Nota de Regione* Longofordienſi, *deque antiquo Regno* Midenſi. *Nonnihil in Nota præliminari de* S. Brigida *Virgine.*

I. *Fundatum* Longofordij *Cænobium Fratribus Prædicatoribus Anno* 1400 *à* Cornelio O-Ferrallo, *Epiſcopo* Ardachadenſi, *ejuſdem Ordinis, aut certè ab aliquo alio nobiliſſimæ Domûs* O-Ferrallæ, *de qua haud pauca exhibet Nota.*

III. *Anno* 1429 *Indulgentia à* Martino *V conceſſa, ut Ædis Sacræ Igne conſumptæ Reſtauratio, jàm incepta, promptiùs perficeretur. Pontificium exſcribitur Diploma.*

IV. *Anno* 1433 *conceſſa eundem ad Effectum Indulgentia ab* Eugenio *IV. Affertur Diploma.*

V. *Anno* 1438 *item & aliud ab eodem Summo Pontifice expeditum Diploma. In Medium adducitur.*

VI. *Templum idem, quo utuntur Acatholici. Cænobij Rudera. Novus Latifundiorum Poſſeſſor.*

VII. *Quinque* Ardachadenſes *Epiſcopi Dominicani.*

VIII. *Sex inſuper inſignes Conventûs hujus Alumni, è quibus Quinque de Gente* O-Ferralla.

IX. *Tres illius Alumni Anno* 1756.

---

rat. Eo abſque Prole maſculina è vivis Anno 1696 excedente, ipſius ex memorato Fratre *Joanne* Nepos *Barnabas* Titulum Baronis ſibi aſſumere non dubitavit, paulò tamen poſt, Anno nimirùm 1698 denatus. Anno etiam 1731 D. *Jacobus Fitz-Patritius*, Locum-Tenens, ut vocant, in Exercitu *Britanno-Hibernico*, eundem Baronis Titulum, Gradumque ſibi vendicare coràm Proceribus Regni in *Parlamenti*, ut loquimur, Superiori Curia, ſivè *Domo Dominorum* (videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.) convocatis, conatus eſt, ſed fruſtrà. Verùm D. *Joannes Fitz-Patritius*, Secundus Baro de *Gowran*, in Agro *Kilkennienſi* (Genitore ipſius *Richardo* eam ad Dignitatem 27 Aprilis 1715 per *Georgium* hujus Nominis Primum, tunc regnantem, evecto) Anno 1719 natus, ad ſuſcitandum ex *Oſſoria Superiori* honorarium Titulum ſe creari curavit ejuſdem Comitem ab adhuc regnante *Georgio* II Die 5 Octobris 1751. Idem porrò *Joannes Fitz-Patritius*, Comes *Oſſoriæ Superioris*, rectâ Lineâ deſcendit à *Florentio Fitz-Patritio*, tertio ejuſdem Barone, per ſecundo genitum ſuum Filium *Joannem de Caſtletown*, ſuperiùs recenſitum.

(*q*) Harriſius, Vol. II. Pag. 276; *Lodgæus*, Vol. II. Pag. 245, & 246.

(*r*) Cap. præſ. §. iii. Num. vi. Pag. 206.

(*a*) S. *Brigida* (diverſum à *Birgitta* Nomen) Virgo, Abbatiſſa *Kildarenſis*, *Hiberniæ* Patrona, & Thaumaturga, *S. Patritio*, ejuſdem Regni Apoſtolo, coæva fuit, cum eoque, ac *S. Columba* Abbate, *Duni* tumulata, ut Cap. præſ. §. xi. Num. i. Lit. i. Pag. 241. obiter referebam. Ejus Feſtivitas ab *Hibernis* celebratur quotannis Die 1. Februarij, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 22. Quod porrò huic Sanctæ nuncupata fuerit Ædes Sacra Conventus *Longofordienſis*, ex Num. iii, & iv. præſ. §. clarebit.

I. LONGOFORDIUM (*b*), alijs *Longofordia*, *Longfordia*, *Longforda*, *Lonforda*, *Lonfredia*, hibernicè *Athfadda*, alijs *Lungfurd*, anglicè *Longford* (*c*), id eſt, *Longum Vadum*, Burgus eſt & quidem Capitalis, Agri ejuſdem Nominis in *Lagenia*, Diæceſis verò *Ardachadenſis*, in Provincia *Armacana* (*d*), ad Septentrionalem ſitus Partem Fluvij, *Camlin* vernaculè dicti, qui Quatuor abindè Milliaribus maximo *Shanano* (*e*) Flumini, Comitatum iſtum, atque *Lageniam* à *Conacia* ſejungenti, jungitur. Olim *Longofordienſis* iſta Regio Pars erat *Midiæ*, inter *Hiberniæ* antiquæ Regna quinti, quod, ut alibi ajebam (*f*), Quatuor in *Hibernia* conſtitutis Provincijs Archiepiſcopalibus, *Armacanæ* in *Ultonia* unitum fuit, ſicque etiamnùm manet, tametſi, juxtà poſtmodùm factam *Hiberniæ* in civiles Provincias Diviſionem quadrifidam, ad *Lageniam* ſpectet. Porrò *Longofordium* nedùm Municipium eſt (*g*), ſed & Emporium ſat commodum, in eoque Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ*, ſingulis Semeſtribus habentur, ſicut & Nundinæ bis in Anno, Diebus ſcilicet 10 Junij, & 22 Octobris. Sub Finem Sæculi ſuperioris, & Initium labentis, Familiæ de *Aungier* Titulum tribuebat Comitis, poſteà extinctum; modò autem Titulum Baronis, qui eſt *Thomas Pakenham*, hoc Anno 1756 creatus. Diſtat *Dubliniô* Quinquaginta Octo Milliaribus; *Ardachâ*, Sex; *Armacâ*, Quinquaginta Quinque; *Molingarâ*, Viginti uno; *Trimmâ*, Triginta Septem; *Galviâ*, Quinquaginta Quinque; *Londino-Deriâ*, Septuaginta Quinque; *Corcagiâ*, Centum Viginti.

II. DOMINICANUM *Longofordij* Cænobium in pluribus *Bullarij Ordinis Prædicatorum*, protinùs in Medium adducendis Locis (*h*) legere eſt, ſicut & in Scriptoribus, hucuſque adduci ſolitis (*i*), quos inter *Alemandus*, quem laudat, & ſequitur *Harriſius*, id diſertè aſſerit extructum à *Cornelio O-Ferrall*, Epiſcopo *Ardachadenſi*, Anno 1400. Quâ tamen de Re hæc duntaxàt habet *Waræus*: "In hoc Cænobio Dominicanorum ſepultus eſt Anno 1424 *Cornelius O-Ferrall*, Epiſcopus *Ardachadenſis*, Vir ob Liberalitatem ergà Pauperes celebratus, neſcio an Fundator Domûs".

SANE nullus dubito quin laudatus iſte *Ardachadenſis* Præſul Cænobium, de quo Sermo eſt, fundare potuerit Anno 1400, aſt antequàm illius Loci Epiſcopus eſſet. Enimverò ex ipſomet *Harriſio* alibi (*k*) poſt *Waræum* liquet, *Cornelium OFerrall* memoratæ Eccleſiæ præfectum fuiſſe Anno 1418 (*l*), & quidem in Locum *Adami Leyns*, ſeù *Lyons*, Ordinis Prædicatorum, qui Epiſcopus *Ardachadenſis* renuntiatus fuerat ipſo Anno 1400, ut ex prælibato conſtat *Bullario* (*m*), ex quo etiam (*n*) liquet, huic præceſſiſſe *Gilbertum Mac-Brady*, alterius Epiſcopi Dominicani, *Henrici* nimirùm *Nonij*, ad ſæpè dictam Eccleſiam Anno 1392 evecti, Succeſſorem. Ex quibus omnibus Luce meridianâ clariùs patet, nullum *Cornelium O-Ferrall* Epiſcopum fuiſſe *Ardachadenſem* circà Annum 1400, ſubindeque recenſitum *Cornelium*, ſi dicendus ſit Conventûs *Longofordienſis* Fundator, extruendo iſto Cænobio Operam navaſſe antè collatam ipſi Sedem Epiſcopalem, ſaltem *Ardachadenſem*, immò & fortaſſis antè ſuſceptos ab eo Ordines Eccleſiaſticos, aut Habitum *S. Dominici*, Ordinis quippè noſtri Alumnus fuerat, ut ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*o*) liquet.

CÆTERUM

(*b*) Sic latinè nuncupatur in Dictionario Anglico Latino *Eliſhæ Cole*, quod omnium teritur Manibus in *Magna Britannia*, & *Hibernia*, & ab alijs paſſim; atque in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag. 694. Num. iv.

(*c*) In *Anglia* Pagum Nominis hujus vidi Quindecim *Londino* Milliaribus in Via trita versùs *Oxoniam*. Item in *Galvienſi* Agro *Hiberniæ* eſt Baronia ejuſdem Nominis, ut §. ſeq. Num. i. dicetur.

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*e*) Confer §. v. hujus Capitis Num. i. Pag, 209.

(*f*) Cap. iv. Num. xviii. Lit. a. Pag. 86.

(*g*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*h*) Tom. ii. Pag. 694, & Tom. iii. Pag. 64, & 66.

(*i*) *Waræo*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 170; *Harriſio*, Vol. II. Pag. 276; *Alemando*, Pag. 221; *Portero*, in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, Pag, 226; *O-Heyno*, Pag. 11; *Echardo*, ii. Pag. xiii.

(*k*) Vol. I. Pag 253.

(*l*) Videſis Cap. xiii. Num. xxxii.

(*m*) Tom. ii. Pag. 392, & 468.

(*n*) Tom. ii. Pag. 327, & 463.

(*o*) Tom. ii. Pag. 700.

CÆTERUM quod fundatus fuerit Conventus hic à non minùs nobili quàm antiqua Familia *O-Ferralla*(*p*), omnes ad unum in Regione *Longofordienſi* ex conſtanti, & haud interrupta Traditione uno Ore affirmare non dubitant. Undè *O-Heynus* noſter (*q*) Rem iſtam in hunc Modum tradit:
“ Erectus eſt Conventus pro Dominicanis Anno 1400 *Longfordiæ* ab Illuſtriſſimo, vetuſto, & potenti
“ tunc Dynaſta Agri ſivè Comitatus *Longfordienſis* Domino *O-Ferrall*. Iſte Conventus erat magnificus
“ Structurâ, ut Ruinæ adhuc monſtrant. Etiam abundavit amplâ Hæreditate ex Donatione, & Donationibus
“ hujus Illuſtris Familiæ. Ibi hæc Familia ſepelitur, & Anno 1424 ſepultus eſt ibi Illuſtriſſimus, &
“ Rmus D. *Cornelius O-Ferrall*, Epiſcopus *Ardachadenſis*, celebratiſſimus ob Liberalitatem in Pauperes,
“ ut dicit *Waræus*, & Monumenta Hibernica multo magis authentica, quæ vidi in Patria.”

III. POST haud multum Temporis Igne conſumpta fuit Ædes Sacra, atque ſtatìm incepta illius Reſtauratio, quæ ut congruè perficeretur, Indulgentiam elargitus eſt Summus Pontifex *Martinus* V, Die 15 Martij 1429, ſequenti Diplomate, quod in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt (*r*).

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes
“ Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cum itàque (*s*), ſicut accepimus, Eccleſia Domûs S. Brigidæ de Lonfordia (*t*), Ordinis Fratrum
“ Prædicatorum, Ardakaden. Diæceſis, Loco utique à Civitatibus ſegregato, Ignis Incendio conſumpta,
“ per Priorem, & Fratres dictæ Domûs, ut in ea ſub regulari Obſervantia Altiſſimo deſervire valeant
“ laudabiliter in divinis, incepta extiterit reſtaurari, ac ad ejus Perfectionem Chriſti Fidelium Suffragia
“ ſint plurimùm opportuna, Nos, cupientes, ut hujuſmodi Reſtauratio dictæ Eccleſiæ congruè perficiatur,
“ Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attentè, Vobis nihilominus in Remiſſionem Peccaminum
“ injungentes, quatenùs de Bonis Vobis à Deo collatis, ad hujuſmodi Reſtaurationem, & Perfectionem
“ dictæ Eccleſiæ pias Eleemoſynas, & grata Caritatis Subſidia erogetis, ut per Subventionem veſtram
“ hujuſmodi ipſa Eccleſia reſtaurari, & perfici, Voſque per hoc, & alia Bona, quæ, Domino inſpirante,
“ feceritis, ad æternæ Felicitatis Gaudia pervenire valeatis. Nos enim de Omnipotentis Dei
“ Miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus,
“ & confeſſis, qui ad Reſtaurationem, & Perfectionem prædictas Manus adjutrices porrexerint, tres Annos,
“ & totidem Quadragenas de injunctis, & injungendis eis Pænitentijs miſericorditer relaxamus.
“ Volumus autem, quod ſi aliàs dictam Eccleſiam viſitantibus, vel ad ejus Reſtaurationem, & Perfectionem
“ hujuſmodi, ſivè ejus Fabricam, Manus adjutrices porrigentibus, aut pias inibi Eleemoſynas erogantibus,
“ ſeù aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum Tempus nondùm elapſum duratura,
“ per Nos conceſſa fuerit, eædem præſentes Literæ nullius exiſtant Roboris, vel Momenti. Datum
“ Romæ apud Sanctos Apoſtolos Idibus Martij, Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo.”

IV. EUNDEM

(*p*) Inclyta O-*Ferralla* Domus Originem ducit ab *Iro*. Filio ſecundo genito *Mileſij*, Regis *Iberiæ*, nunc *Hiſpaniæ*, qui *Irus* ejuſque Fratres *Heber*, & *Heremon*, permultis antè Chriſtum natum centenis Annis in Inſulam hanc propagandæ Gentis ergò advenerunt, ut & alibi referebam. A memorato *Iro* deſcendens *Feargusſius* tres genuit Filios, *Ciarum*, nempè, à quo O-*Connori*, Agri *Kerrienſis* Reges (alij autem O-*Connori* ab *Heremone* progeniti ſunt ut Cap. præſ, §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258. dictum eſt); *Corcum* à quo O-*Loeghlini*, Reges de *Boirean* in hodierno Agro *Clarenſi*; & *Conmacum*, à quo O-*Ferralli*, Reges de *Conmabicne*, nunc Agro *Longofordienſi*, prognati noſcuntur. Poſt *Anglorum* in *Hiberniam* Adventum, Temporibus *Henrici* II, ſensìm declinavit O-*Ferrallorum* Potentia, non ſecùs ac reliquorum id Genus Regum, ſeù Dynaſtarum, atque etiam Regum Provincialium (recole Cap. i. Num. xx. Pag. 29). Nihilominùs Familia hæc Titulo Principis *Annalij*, id eſt, *Longofordij*, diù adhuc potita eſt. Undè *Lodgæus* Vol. I. Pag. 147. inter texendam *Dilloni*, Comitis *Roſcomaniæ*, Genealogiam refert, Equitis *Henrici Dilloni*, Baronis de *Drumrany*, Filiam, Nomine *Brigidam*, nupſiſſe O-*Ferrallo Principi de Annaly*. Nonnulla inſuper alia de nobiliſſimæ Progeniei iſtius Ramis legere eſt apud laudatum *Lodgæum* citato Vol. I. Pag. 158, & Vol. II. Pag. 123, 131, 147, & 158.

(*q*) Pag. 120.

(*r*) Tom. ii. Pag. 694, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. clviii. Fol. 276.

(*s*) Deeſt Exodium in prælibato *Bullarij* Loco.

(*t*) Rectiùs *Longofordio*, vulgò *Longford*, ut rectè pro More advertit *Bullarium* Loco citato, Num. 4.

IV. Eundem ad Effectum Diploma dedit, Die 11 Marti 1433, *Eugenius* IV, immediatus laudati *Martini* V Succeſſor, Tenoris ſequentis, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*u*).

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes
“ Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Licet is (*w*) &c. Cum itaque, ſicut accepimus, Domus S. Brigidæ Fratrum Prædicatorum, Ardakaden. Diæceſis, cauſantibus Guerris in illis Partibus, maximè à ſex Annis citrà vigentibus, tàm in ejus Eccleſia, ac alijs ſuis Structuris, & Ædificijs, Ignis Voragine conſumpta, & Ruinæ dedita, quàm omnibus in ea ad divini Cultûs Decorem neceſſarijs Ornamentis deſtituta exiſtat, adeò quod Religioſi inibi continuò divinis Officijs inſiſtentes ad aliena tranſire Loca neceſſariò ſunt coacti &c. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Secundo (*Stylo Bullarum, Æræ communis* 1433) Quinto Idûs Martij, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.”

V. Aliud inſuper Diploma expediri juſſit idem *Eugenius* Papa Die 16 Julij 1438, & quidem ad jam memoratum Effectum, ut promptiùs ſcilicèt incepta perficeretur Ædis Sacræ Reſtauratio, quod invenire eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*x*).

“ Eugenius Epiſcopus Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes
“ Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Eccleſiarum (*y*) & Monaſteriorum, & aliorum Religioſorum Locorum Fabricis, necnon Perſonarum in illis, ſub Habitu, & Obſervantia Regularibus, degentium omnium, Neceſſitatibus, Manus porrigere adjutrices pium apud Deum, & meritorium reputantes, nonnunquàm Chriſti fideles ad impendendum talibus opportuna Suffragia, Indulgentijs videlicèt, & Remiſſionibus excitamus, ut exindè reddantur dominico Gregi aptiores. Cùm itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Monaſterij, ſivè Domûs de Longfredia (*z*), Ordinis Prædicatorum, Ardakaden. Diæceſis. partìm Ignis Incendio conſumpta fuerit, ac plura ejus Structuræ, & Ædificia Ruinæ ſubjaceant &c. Datum Ferrariæ Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Triceſimo Octavo, Decimo Septimo Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Octavo.”

VI. Templum id ipſiſſimum eſt, quo utuntur *Proteſtantes*. Cænobij autem nihil prorsùs manet præter pauca Rudera, ut Anno 1755 vidi.

Latifundia, Conventui olim annexa, *Nicolao Malby*, Equiti Aurato, à Gubernio Acatholico dudùm conceſſa fuere (*a*).

VII. *Ardachadenſis* Diæceſis, cui ſubeſt *Longofordium*, Quinque fuere Epiſcopi ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumpti, nimirùm *Joannes Aubry*, *Henricus Nonius*, *Adam Lyons*, *Cornelius O-Ferrall*, Cænobij Fundator, & *Oliverius Darcy*, de quibus ſigillatim alibi dicturus ſum (*b*).

VIII. Insignes fuere Conventûs hujus Alumni, quos inter PP. *Laurentius* O-*Ferrallus*, & *Bernardus* O *Ferrallus*, Martyrium paſſi ſunt *Longofordij* Anno 1651, ut ex Capituli Generalis *Romæ* 1656 Actis, cujus Verba inferiùs (*c*) opportuniori in Loco referam, perſpicuè apparet. Atque *Antonius* O-*Molloy*, & alter *Laurentius* O-*Ferrallus*, publicâ Virtutis Opinione clari extitere (*d*). Neque prætermittere debeo, de inſignioribus Cænobij *Longofordienſis* Alumnis loquens, A. R: P. Magiſtrum *Gregorium O-Ferrallum*, Provincialem *Hiberniæ*, alibi recenſendum (*e*); neque

---

(*u*) Tom. iii. Pag. 64, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xxxv. Fol. 121.

(*w*) Integrum habes ejuſdem Tenoris Exordium Cap. præſ. §. ii. Num. vi. Pag. 201.

(*x*) Tom. iii. Pag. 66, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cii. Fol. 26.

(*y*) Brevitatis ergò nonniſi Initium Exordij affertur in memorato *Bullarij* Loco, id tamen in Rem tuam, benigne Lector, ex alio ejuſdem Pontificis Diplomatè, ut in citato Tom. iii. *Bullarij*, Pag. 125 jacet, integrè tranſcribo.

(*z*) Id eſt, *Longofordio*, ut ex jam dictis patet.

(*a*) *Harriſtus*, Vol. II. Pag. 276.

(*b*) Cap. xiii. Num. xxi, xxiv, xxviii, xxxii, & lxviii.

(*c*) Cap. xvi. Num. xxxi.

(*d*) De ijs dicetur Cap. xvi. Num. lxxi, & cxvi.

(*e*) Cap. xiv· Num. xiv.

que A. R. P. Magiſtrum *Jacobum O-Ferrallum*, Virum verè doctum, verèque prudentem, ac pium, quem ceù talem, Religioſumque omnibus Numeris abſolutum, etſi alioquin exterum, Sapientiſſimi Almæ Provinciæ *Romanæ* Patres in Superiorem ſuum unanimi Suffragio Anno 1731 eligere non dubitarunt, quemque in Urbe novi Provincialem *Romanum*. A multis autem jam Annis defloruit *Peruſij* in *Umbria*, ubi per multum Temporis Vicarium Sacræ Inquiſitionis verè laudabiliter egerat.

IX. Alumni Tres Conventûs hujus Anno 1756 ſunt R. P. Fr. *Jacobus O-Ferrall*, Prior, Ætatis Anno 42, Profeſſionis 20; P. Fr. *Nicolaus Travers*, Ætat. 52, Prof. 30; & P. Fr. *Franciſcus* O-*Ferrall*, Ætat. 43, Prof. 20.

§. XXXII.

De *Portumnenſi* Cænobio *B. Mariæ*, & *SS. Petri, & Pauli* (a), in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*.

Antè Annum 1426.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Villæ, ſeù Vici*, Portumnæ, *aliàs* Portompriæ.
II. *Fundatio Cænobij Fratrum Prædicatorum ibidem, à* Martino V *confirmata, Anno* 1426.
III. O-Heynus *circà Fundationis Annum, longè poſteriorem, emendatus. De Fundatore* O-Maddeno *Nemo dubitavit. Nota de antiquiſſima* O-Maddenorum *Progenie*.
IV, *Indulgentia à* Martino *V, eodem Anno* 1426, *elargita pro Cænobio perficiendo. Exſcribitur Diploma*,
V. *Cænobij, Ædiſque Sacræ Mænia etiamnùm viſibilia. Modernus Latifundiorum Poſſeſſor*,
VI. Clonfertenſes *Epiſcopi ex Ordine Prædicatorum aſſumpti*,
VII. *Non Nemo ex inſignioribus Cænobij hujus Alumnis*,
VIII. *Nonniſi duo in hoc Conventu Sodales Anno* 1757.

I. PORTUMNA (*b*), olìm *Portompria*, hibernicè *Portumna*, anglicè *Portumny*, Vicus eſt Baroniæ *Longofordienſis* (*c*), in Agro *Galvienſi*, Diæceſis verò *Clonfertenſis*, in Provincia *Tuamenſi* (*d*), ad Magni Fluminis *Shanani* (*e*) Ripam, è Regione Agri *Tipperarienſis* in *Momonia*, Loco peramæno ſitus, ubi ampliſſimum, vetuſtiſſimumque videre eſt Caſtrum Allodiale Comitis *Clanrickardiæ* (*f*), qui eo in Territorio, reſiduoque *Galvienſi* Agro, ſpatioſa habet Latifundia. Emporium eſt *Portumna* ſat commodum, *Dublinio*, Sexaginta Octo Milliaribus; *Clonfertâ*, Decem; *Tuamâ*, Triginta Sex: *Athenriâ*, Viginti Quinque; *Galviâ*, Triginta Quinque; *Corcagiâ*, Septuaginta Duobus; *Londino-Deriâ*, Centum & Septem; *Lothoriâ*, ubi aliud Ordinis Cænobium (*g*), Tribus, diſtans.

II. In memorato *Portumnæ*, ſeù *Portompriæ*, Vico ſeù Villâ, Capella dudùm extitit ſub Invocatione *SS. Petri, & Pauli*, Juris Monachorum Ciſtercienſium Monaſterij *Donbrodienſis* (*b*), in *Wexfordienſi* Agro *Lageniæ*, Diæceſi verò *Fernenſi* ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, quam Capellam

---

(*a*) Geminata hæc Nuncupatio ex protinùs afferendis Literis Apoſtolicis, ad Num. ii, clarebit. Indeque perſpicuè apparebit hallucinaſſe *O-Heynum* noſtrum, Pag. 25, & 36, aſſerentem, Cænobium hoc eſſe *ſub Patrocinio S. Petri Martyris*, id apertiſſimè confundens cum Cænobio *Lothorienſi*, tribus duntaxàt Milliaribus abhinc diſtante, de quo Cap. præſ. §. xxi diſſerebam.

(*b*) Sic vocatur latinè à *Waræo*, & nunc ab alijs paſſim. Antiquitùs autem appellabatur *Portonipria*, ut ex brevi adducendis Pontificijs Diplomatibus liquidò conſtabit, ſcilicet Num. ii, & iv.

(*c*) Baronia hæc Nomen duntaxàt commune habet cum *Longofordienſi* Comitatu *Lageniæ*, de quo §. ſuperiori, Num. i. dictum eſt.

(*d*) Conſulendum Cap. i Num. xii. Pag. 18.

(*e*) Adeas §. v Cap. præſ. Num. i. Pag. 209.

(*f*) Videſis §. viii. hujus Cap. Num. iv. præſertim ad Lit. x. Pag. 223.

(*g*) De quo Cap. præſ. §. xxi. Pag. 274.

(*b*) De Cænobio hoc Monachali de *Dunbrody*, aliàs de *Portu S. Mariæ*, Anno 1182 fundato, diſſerit *Waræus* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 151, & ſeq.

Capellam, veluti à laudatis Monachis planè derelictam, eique annexam Villam, ad prælibatum Monaſterium antecedenter pertinentes, Loci Dominus temporalis *O-Maddenus*, hodiernæ Baroniæ illius *Longofordienſis* nobiliſſimus Dynaſta, Ordini Prædicatorum donavit, & quidem ſcientibus, & non contradicentibus Monachis. Ibi porrò Fratres Prædicatores, Auctoritate Apoſtolicâ communiti, Domum cum Eccleſia, Campanili, Cæmeterio, alijſque neceſſarijs Officinis ſibi conſtruxerunt, hancque Eccleſiam *Beatæ Mariæ*, ac ſimul ijſdem *Sanctis* Apoſtolis *Petro*, & *Paul* voluerunt nuncupari. Nihilominùs nè in præmiſſis per prælibatos Monachos quovis Modo moleſtari poſſent, Fundationi, & Conſtructioni recenſitis Apoſtolicæ Confirmationis Robur adjici curarunt, ſequens impetrantes à tunc regnante Summo Pontifice *Martino* V Diploma, Rem integrè enarrans, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*i*) legere eſt, hujus Tenoris:

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Officiali Conflerten (*k*),
“ ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Statum Ordinis Fratrum Prædicatorum, quem ſincerâ Caritate proſequimur, felicibus proſperari
“ Succeſſibus affectantes, libenter ad ea, quæ ipſius Status Proſperitatem reſpiciunt, Apoſtolici Favoris
“ Præſidium impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte dilectorum Filiorum Prioris, & Fratrum
“ Domûs Beatæ Mariæ, ac Sanctorum Petri, & Pauli, in Villa de Portompria dicti Ordinis, Conflerten.
“ Diæceſis, Petitio continebat, quod olim ipſi, ut unam Domum cum Eccleſia, Campanili,
“ Campana, Cæmeterio, & alijs neceſſarijs Officinis, pro Uſu, & Habitatione eorum, conſtruere poſſent,
“ Auctoritate Apoſtolicâ ſufficienter communiti, Domum ipſam cum hujuſmodi Officinis, apud Capellam
“ ſine Cura eorundem Sanctorum in Villa prædicta, quæ tunc ad dilectos Filios Abbatem, & Conventum
“ Monaſterij de Dumbroch, Ciſtercien. Ordinis, Fernen. Diæceſis, in ſpiritualibus, & temporalibus, ac
“ ad ipſum Monaſterium legitimè pertinebat, quamvis aliqui Domini temporales illarum Partium, Capellam,
“ & Villam prædictas, tanquàm per ipſos Abbatem, & Conventum direlictas, in Uſus eorum deſtinarent,
“ ac eiſdem Fratribus, pro Uſu, & Habitatione hujuſmodi, liberè donaſſent, de Conſenſu etiam,
“ & Permiſſione Venerabilis Fratris noſtri Thomæ (*l*) Epiſcopi, & dilectorum Filiorum Capituli Conflerten.
“ Abbate etiam, qui tunc erat ejuſdem Monaſterij, & Conventu prædictis ſcientibus, & non contradicentibus,
“ conſtruxerunt, illamque ex tunc pro eiſdem Uſu, & Habitatione tenuerunt, prout tenent
“ ad præſens; &, ſicut eadem Petitio ſubjungebat, ijdem Prior, & Fratres timent, ſe ſuper præmiſſis
“ per Abbatem, & Conventum prædictos in poſterum, aut aliàs forſitan propterea moleſtari poſſe. Quare
“ pro Parte ipſorum Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Donationi, & Conſtructioni
“ prædictis, pro eorum Subſiſtentia firmiori Robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, necnon ipſis, ut
“ omnibus Privilegijs, Immunitatibus, Libertatibus, Exemptionibus, & Indulgentijs uti, & gaudere poſſint,
“ quibus alij Fratres dicti Ordinis, in alijs ejuſdem Ordinis Domibus pro Tempore commorantes,
“ potiuntur, concedere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis certam Notitiam
“ non habemus, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus,
“ quatenûs vocatis Abbate, & Conventu prædictis, & alijs, qui fuerint evocandi, de præmiſſis
“ omnibus, & ſingulis, Auctoritate noſtrâ, te diligenter informes, &, ſi per Informationem hujuſmodi
“ itá eſſe inveneris, ſuper quo tuam Conſcientiam oneramus, Donationem, & Constructionem prædictas
“ Auctoritate præfatâ confirmes, & nihilominùs Priori, & Fratribus dictæ Domus præſentibus, & futuris,
“ ut ipſi omnibus Privilegijs, Libertatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, & Indulgentijs, quibus alij
“ Fratres dicti Ordinis in alijs eorum Domibus gaudent, ſeù quomodolibet potiuntur, uti, & gaudere poſſint,
“ ac debeant, eâdem Auctoritate concedas. Non obſtantibus fel. Rec. Bonifacij PP. VIII, Prædeceſſoris
“ noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium Loca de novo recipere, aut recepta mutare
“ præſumant, abſque Apoſtolicæ Sedis Licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac De Verbo
“ ad Verbum de Prohibitione hujuſmodi Mentionem, & alijs Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis,
“ cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos VIII Idûs Octobris,
“ Pontificatûs noſtri Anno Nono.” (ſcilicet Die 8 Octobris 1426.)

III. E

(*i*) Tom. ii. Pag. 670, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxix, Fol. 232.

(*k*) Lege *Clonfertenſi*, ut & legitur in ejuſdem Pontificis Diplomate, Num. iv. adducendo.

(*l*) Cognomento *O-Kelly*, Anno 1438 ad Archidiæceſim *Tuamenſem* tranſlati.

III. Ex Apoſtolicis hiſce Literis Luce meridianâ clariùs patet, *Portumnenſe*, aliàs *Portomprienſe*, Cænobium fundatum fuiſſe antè Annum 1426, ſubindèque totâ Viâ aberraſſe *O-Heynum* noſtrum (*m*), græcâ Fide affirmantem, Domum iſtam *Portumnenſem circà Annum* duntaxàt 1620 *erectam fuiſſe*, & manſiſſe *Vicariatum ſub Conventu Athenrienſi uſque ad Annum* 1640, quo *in Prioratum erectus ſuum habuit primum Priorem.* Nedum porrò latebant *O-Heynum* Apoſtolicæ illæ Literæ, ſed & Comitia Provincialia in Conventu hoc *Portumnenſi* habita Anno 1631, ut alibi videre erit (*n*).

NULLUS quidem dubito, quin, ſummoperè oppreſſis Religioſis Ordinibus in *Hibernia* à medio Sæculo XVI (*o*), *Portumnenſi* Cænobio defuerint proprij Fratres, ſicque habitaverit ibi, pro ſervandis ſartis tectis Ordinis Prædicatorum Juribus, unus alterve Pater, Conventûs *Athenrienſis*, utpote in *Galvienſi* Agro proximioris, atque majoris, Alumnus, quod & *Tulſkenſi* accidit Conventui, cujus Jura *Roſcomanienſis* protegebat, ut ſuo Loco dicetur (*p*). Certo certius tamen eſt, *Portumnenſem* Domum manſiſſe tunc Temporis verè Conventualem, minimè obſtantibus Injurijs per Heterodoxos, aut Bellorum inteſtinorum Calamitates illatis, quæ Eccleſiarum Juribus nocere haud valent (*q*). Porrò quod antecedenter Conventualis fuerit Domus propriè talis, proprium ſcilicet habens Priorem, & Fratres, ex ipſomet patet mox allato Oraculo Pontificio, Verbis hiſce concepto: *Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte dilectorum Filiorum PRIORIS, & FRATRUM Domûs B. Mariæ, & SS. Petri & Pauli . . . . Petitio continebat* &c. Igitur Conventus hic ſuum non habuit *primum Priorem* Anno 1640, ut autumat, ne dicam delirat, *O-Heynus*, ſed antè Annum 1426. Eapropter *Waræus*, quem Apoſtolicum iſtud latebat Diploma, Fundationis Annum Cænobij hujus ingenuè ſiluit, ſequentia duntaxàt dicens Verba (*r*): *Cænobium Dominicanis ibi* (Portumnæ) *conſtruxit O-Maddenus ad Shananum Fluvium.* Prælibato *Waræo* ſubſcribunt *Alemandus*, & *Harriſius*, nihil prorsùs ſuperaddentes (*s*).

CÆTERUM concors eſt trium horumce Scriptorum, atque *O-Heyni*, Sententia quoad Fundatorem, Dominum nempè *O-Maddenum* (*t*), Baroniæ *Longofordienſis* Dynaſtam, quem proptereà, ſuoſque Conſanguineos crediderim ſignificare voluiſſe *Martinum* V hiſce mox allatarum Literarum

---

(*m*) Pag, 36.

(*n*) Cap. xiv. Num. xi.

(*o*) Conſulendum Cap. vi. Num. vi. Pag. 116.

(*p*) Cap. præſ. §. xxxvi. Num. iii. Adeas etiam §. xl. Num. v.

(*q*) Recolendum Cap. vi. Num. viii. Pag. 111.

(*r*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 219.

(*s*) *Alemandus*, Pag. 224; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*t*) Antiquiſſima hæc Progenies *O-Maddenorum*, hibernicè *O-Madagain* (recole §. viii. Cap. præſ. Num. v. ad Lit. z. *Pag.* 226.) rectà deſcendit ab *Heremone*, tertio Natu è *Mileſij* Regis *Iberiæ*, aliàs *Hiſpaniæ*, Filijs, qui, ut toties ajebam, permultis antè Virginis Partum centenis Annis in Inſulam hanc ad propagandum in ea Gentem advenerunt. A prælibato quippè *Heremone* Originem ducens *Conn-Ceadchathach* genuit *Jomchaidh*, cujus Fratres Progenitores fuere Illuſtriſſimarum Familiarum de *Maguire* (confer §. xl. hujus Cap. Num. iii. Lit. e.) & de *Mac-Mahon* in *Ultonia*. A memorato autem *Jomchaidh* poſt decem Generationes ortus eſt *Eogan*, à quo *O-Kelly*, & *Buadhach*, à quo *O-Madden*, prognati ſunt. *O-Kelly* Regionis *Imaniæ* in hodierno Agro *Galvienſi*, & *O-Madden* Regionis *Longofordienſis* ibidem, Reges, ſivè Reguli, aut Dynaſtæ, fuere, pro quorum Verborum Senſu adeas Cap. i. Num. xx. Pag. 29. *O-Maddeni* nedùm in Conacia vigent, ſed & in *Momonia*, atque etiam in *Lagenia*, nominatìm Domus *O-Maddenorum* de *Baggotſrath* propè *Dublinium*, de qua, alijſque Stirpis illius antiquiſſimæ Ramis obiter diſſerit *Lodgæus*, Vol. III. Pag. 334, & Vol. IV. Pag. 333. Legeſis *Hiſtoriam Hiberniæ* impreſſam *Dublinij* Anno 1742. Pag. 307.

Non abs Re erit obiter hìc Loci advertere, Baroniam *Longofordienſem*, adeoque & Comitatum *Galvienſem*, comprehendiſſe Temporibus *O-Maddenorum* Dynaſtarum Partem moderni Agri *Regis* in *Lagenia*, vernaculè dictam *Luſmagh*, haud obſtante *Shanano* interfluente, atque ſejungente *Conaciam* à *Lagenia*; integramque iſtam Baroniam in Diæceſi fuiſſe *Clonfertenſi*, & Provincia *Tuamenſi*. Poſtmodùm autem per Legem Parlamentariam, ut vocant, Territorium illud, *Luſmagh*, in Ditione olìm Dynaſtæ *Longofordienſis*, unitum fuit Comitatui Regis, adeoque & Nationi *Lageniæ*, ſalvis tamen Juribus Epiſcopi *Clonfertenſis*, & Archiepiſcopi *Tuamenſis*.

Apoſtolicarum Verbis: *Quamvis aliqui* DOMINI TEMPORALES *illarum Partium Capellam, & Villam prædictas, tanquam per ipſos Abbatem, & Conventum direlictas, in Uſus eorum deſtinarent, ac eis Fratribus pro Uſu, & Habitatione hujuſmodi, liberè donaſſent.*

IV. OBTENTA jam, ut præfertur, pontificiâ Fundationis Confirmatione, cùm necdum completa eſſet Fabrica, à Fratribus Prædicatoribus incepta, denuò ſupplices facti ſunt apud eundem Summum Pontificem *Martinum* V, qui Menſe ſequenti, Die ſcilicet 23 Novembris 1426, alias expediri fecit Apoſtolicas Literas, Indulgentiam ad Effectum memoratum perficiendi Fabricam elargientes, Tenoris ſequentis, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*u*).

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cùm itàque (*w*), ſicut accepimus, Domus de Portompria Ordinis Fratrum Prædicatorum, Clonferten. Diæceſis, in Loco utique à Civitatibus, & mundanis Converſationibus ſegregato, per nonnullos Fratres dicti Ordinis, ut ibidem Altiſſimo ſub regulari Obſervantia quietiùs diſervire valeant, decenti quidem Opere cum Eccleſia, & alijs Officinis incepta, pro ejus Perfectione Expenſâ indigeat non modicùm ſumptuoſâ, ad quam Chriſti Fidelium Suffragia fore noſcuntur plurimùm opportuna. Nos, cupientes, ut Domus cum Eccleſia, & alijs ſupradictis congruè perficiatur, Univerſitatem Veſtram monemus & hortamur attentè, Vobis in Remiſſionem Peccaminum injungentes, quatenûs de Bonis Vobis à Deo collatis ad Perfectionem dictæ Domûs pias Eleemoſynas, & gratâ Caritatis Subſidia erogetis, ut per Subventio-

“ men

Hinc Territorium illud, unicâ conſtans Parochiâ, intrà Fines eſt Diæceſis *Clonfertenſis*, & Provinciæ *Tuamenſis*.

Neque abs Re erit, obiter quoque nonnihil libare de præclariſſimo *Mac-Mahonorum* Stemmate, quod per Tranſennam, ut ajunt, in Nota hac aſpeximus. *Mac-Mahoni* porrò in *Ultonia*, rectâ deſcendentes ab *Heremone*, tertio *Mileſij* Regis *Hiſpaniæ* Filio, primoque *Hiberniæ* Monarchâ (conſule Cap. i, Num, vi. Pag. 10), Reguli fuere, ſeù Dynaſtæ (adeas Cap. i. Num, xx, Pag. 29), *Urielis* Regionis, Comitatus de *Monaghan* nunc dictæ. *Mac-Mahoni* verò in *Thomondia*, ſeù *Momonia Aquilonari* (conſule Cap. præſ. §. v. Num. ii. Lit. l, Pag. 210), nunc appellatâ *Clarenſis* Comitatus, rectà deſcendunt à *Mahono*, Filio Natu minori *Terdelachi* (vernaculè *Turlough*) *O-Brieni*, cujus Pater *Thaddæus* Filius erat celeberrimi *Brieni* (ſeù *Briani*) *Bori*, alijs *Borovij*, & *Boromæi*, nulli in Hiſtorijs non noti (ab *Hebero* Primogento *Mileſij* oriundi) de quo jam pridem dictum eſt Cap. præſ. §. v. Num. ii. Lit. n. Pag. 211. Novi in *Italia* inſignem hujus Familiæ Virum Equeſtrem, *Donatum* nempè *Mac-Mahon*, de *Clenough* à Caſtro ſuo Allodiali in Agro *Clarenſi* nuncupatum, Generalem Militarem, & Gubernatorem Urbis *Piſtoriæ* (vulgò *Piſtoja*) in *Etruria*, cujus Uxor erat *Brigida*, Filia *Henrici Barnewall*, Vicecomitis de *Kinſland*, necnon *Mariæ*, *Richardi Nugent*, Comitis de Weſtmeath, Gnatæ. Ex memorata autem *Brigida Barnewall* Tres procreavit *Donatus Mac-Mahon* Filios, (1) *Terentium*, de quo infrà; (2) *Henricum*, Nuptijs copulatum primò Filiæ Domini *O-Brieni* de de *Duharras*, ſecundò Filiæ Domini *Engliſh* de *Ennis*: Ex priori Matrimonio duos ſuſcepit Filios, totidemque Filias, ex poſteriori verò unam Filiam. (3) *Joannem*, abſque Prole in *Alemannia* denatum; Filiamque unam, Nomine *Brigidam*, Domino *O-Brien* de *Duharras*, (cujus Soror Uxor erat mox dicti Fratris ſui *Henrici*) nuptam, ſed abſque Prole extinctam. Cæterùm prælibatus *Terentius Mac-Mahon*, Conjugem Tibi adſcivit *Mariannam*, è *Mac-Mahonis* de *Ultonia*, ortam, quæ Tres ei peperit Filios, quorum primogenitus, *Staniſlaus-Maximilianus-Jacobus*, Uxorem duxit *Lucindam*, Equitis *Gualteri Eſmond*, olim de *Clonegal*, in Agro *Wexfordienſi*, nunc de *Grange*, in Agro *Tipperarienſi*, Baronetti, Filiam, ex qua, etiamnùm florente, unum poſt ſe reliquit Filium, *Donatum-Henricum-Andream*, unamque Filiam, *Mariam-Joannam*, adhuc quoque in Ætate puerili florentes.

Viget inſuper in *Momonia* Domus *Mac-Mahonorum* de *Cloindirala*, cujus modernus Primipilus, *Joannes Mac-Mahon*, Jure Uxoris Comes eſt de *Equilly*, apud *Auguſtodunum*, vulgò *Autun*, Urbem Epiſcopalem Ducatûs *Burgundiæ* in Regno *Galliarum*, impræſentiarùm verſans.

Cæterùm Familia *O-Mahony* nuncupata, in *Momonia* quoque vigens, maximè in *Corcagienſi*, & *Kerrienſi* Comitatibus, tametſi à nonnullis confundatur cum *Mac-Mahon*, nihil tamen commune habent niſi quandam Nominis Similitudinem. Progenies porrò *O-Mahony* à præfato rectâ deſcendit *Hebero* per *Nadfrochum*, Progenitorem quoque *Mac-Cartæorum*. Videſis *Hiſtoriam Hiberniæ* anglicè editam *Dublinij* 1742. Pag. 287, 292, & 307.

(*u*) Tom. ii. Pag. 672, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxxvi, Fol. 304.

(*w*) Deeſt Exordium in *Bullario*.

"nem veſtram hujuſmodi Domus ipſa congruè perfici valeat, & Vos per hæc, & alia Bona, quæ, Domino inſpirante, feceritis, poſſitis ad æterna Felicitatis Gaudia pervenire, Nos enim, de omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus verè pænitentibus, & confeſſis, qui ad Perfectionem eandem Manus porrexerint adjutrices, tres Annos, & totidem Quadragenas, de injunctis eis Pænitentijs in Domino miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi aliàs viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus, necnon dictæ Domûs Perfectionem hujuſmodi, ſeù Fabricam, Manus porrigentibus adjutrices, vel pias inibi Eleemoſynas erogantibus, aut aliàs aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum Tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullius exiſtant Roboris, vel Momenti. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos IX Kal. Decembris, Pontificatûs noſtri Anno Decimo."

V MÆNIA, tam Cænobij, quàm Ædis Sacræ, etiamnùm ſat integra extant, ut nuper vidi, & quidem haud ignobilem indicantia Structuram, abſque Tecto tamen, excepto antiquo Choro, qui pro Templo *Proteſtantium* deſervit.

MODERNUS Latifundiorum, huic olim annexorum Conventui, Poſſeſſor eſt Dominus *Smithus de Burgo*, Comes *Clanrickardiæ* (x).

VI. *Clonfertenſis* Diæceſis, intrà quam eſt *Portumna*, aliàs *Portompria*, Tres fuere Epiſcopi Dominicani, nimirùm *Dionyſius Morus*, *Thaddæus O-Ferrall*, & *Thaddæus Mac-Eoga*, alijs *Keogius*, de quibus ſigillatìm ſuis reſpectivè Locis operoſior Sermo redibit (y).

VII. INTER inſigniores Cænobij hujus Alumnos, publicâ Virtutis Opinione claros, ſecernendos cenſeo *Malachiam O-Loughlin*, *Richardum O-Madden*, & *Edmundum Mac-Egan*, alibi in Medium adducendos (z).

Hiſque aggregandum exiſtimo R. A. P. Fr. *Chriſtophorum Walſh*, "Connovitium (*a*) in iſto Conventu prælaudati *Richardi O-Madden*. Studuit in Hiſpania, redux autem multa paſſus eſt ſub *Cromuello* (*b*). Adhuc Puer ipſe (*O-Heynus*) vidi eum latentem in Tugurio, conſtructo pro eo per Sororium ſuum in Dumato obſcuro, & perdenſo. Erat Vir gratus omnibus ob Candorem, & religioſam Vitam. Fuit Commenſalis, & Confeſſarius Illuſtriſſimi Domini *Richardi de Burgo*, Comitis *Clanrickardiæ* (*c*) ab incepta Pace, ac Reſtaurato Rege (*d*) uſque ad Mortem dicti Comitis Menſe Auguſti Anno 1666. Fuit Prior benè meritus ſui Conventus, remanſitque in Patria, jàm grandævus valdè, quando omnes ejecti ſumus Anno 1698 (*e*). Et ſi vivit adhuc, Ætatem habet ampliſſimam." Pie autem obijt poſt Annum 1706.

VIII. DEFUNCTIS nuper pluribus Conventûs hujus Sodalibus, Duo duntaxàt ſuperſunt in Diſtrictu ejus agentes Anno 1757, nimirûm R. P. Lector Fr. *Thomas Deviniſh*, Prior, Ætatis Anno 31, Profeſſionis 15 (*f*); & P. Fr. *Ulicus de Burgo*, anteà, & multoties Prior, Ætat. 61, Prof. 41.

§. XXXIII.

De *Tombeolenſi* Cænobio *S. Patritij* in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*.

Circà Annum 1427.

SUMMARIUM.

I. Tombeolenſis *Villæ Nomenclatura, & Deſcriptio.*
II. *Ibi olim Cænobium* Fratrum *Prædicatorum, etſi à* Waræo, *& ſequacibus ejus prætermiſſum.*

(*x*) De hujus Familia haud pauca nuper dicta ſunt, Cap. ſcilicet præſ. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275.

(*y*) Cap. xiii. Num. liii, lxiii, & lxx.

(*z*) Cap. xvi. Num. lxxii, xciii, & cvi.

(*a*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 36.

(*b*) Adeas Cap. xvii. Num. c.

(*c*) Videſis Cap. præſ. §. xxi. Lit. e.

(*d*) Conſulendum Cap. xvii. Num. cviii.

(*e*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*f*) Lector Artium in Collegio noſtro *Ulyſſiponenſi* incolumis evaſit ex Terræmotu & Conflagratione Anno 1755, de quibus Sermo erit Cap. xii. Num. xi. Eò tamen regreſſus eſt Anno 1759, ſed Anno 1761 perrexit ad Americanam *S. Crucis* Inſulam, de qua Cap. præſ. §. xxi. Num. v. Pag. 279.

III. *Ab* O-Flahertæis *(ſicut & propinquum Carmelitarum Cænobium) fundatum, Operam adhibentibus Fratribus* Athenrienſibus, *impetrato per ipſos Diplomate à* Martino V, *Anno* 1427. *Nota de antiquiſſima* O-Flahertæorum *Gente.*
IV. *Nulla impræſentiarùm Cænobij Rudera. Actualis Latifundiorum Poſſeſſor.*
V. *Quatuor* Tuamenſes *Archipræſules Dominicani, alibi memorati.*
VI. *Conventûs iſtius Alumni Tres Anno* 1756.

I. TOMBEOLA, latinè, hibernicè, & anglicè ſic dicta, Villa eſt, ſeù potiùs Villæ Cadaver, Archidiæceſis *Tuamenſis*, in Baronia *Ballynebenſi*, & Comitatu *Galvienſi*, quæ Baronia mediat inter Baronias de *Moycullen*, & de *Roſs*, omneſque tres nuncupari ſolent *Occidentalis Conacia*, & meritò quidem, eſt enim ad inſtar Peninſulæ in Occiduo *Conaciæ*, immò totius *Hiberniæ*, Regio montoſa ſatis, & paludoſa, tàm Incolis, quàm Oppidis, Villiſve frequentior. *Tombeola* diſtat *Dubliniô* Centum & Triginta Quinque Milliaribus ; *Ballynebenâ*, memoratæ Baroniæ Capitali, Tribus ; *Galviâ*, Triginta ; *Athenriâ*, Quadraginta Duobus ; *Tuamâ*, Triginta Quinque ; *Londino-Deriâ*, Centum Viginti Septem, *Corcagiâ*, Centum & Sexdecim.

II. TAMETSI, ut candidè fatear, *Waræus*, ejuſque Sequaces *Alemandus*, & *Harriſius*, alto prætermittant Silentio *Tombeolenſe* Fratrum Prædicatorum Cænobium, juxtà commune Proloquium : *Nihil inventum, & perfectum eodem Tempore*; Nemo tamen utriuſve Cleri, ſeù Sæcularis, ſeù Regularis, hacce ſaltem Tempeſtate, de eo ullatenùs dubitat. Iſta de Baronia *Ballynebenſi*, montoſâ nimis, & paludoſâ, tam incertam habuit Notitiam prælibatus *Waræus*, ut *Ballynebenſem* Vicum memorans (*a*), dicat : *Fundatur ibi à Flahartæis Cænobium Ordinis (ni fallor) Carmelitani.* Cæterùm *O-Heynus* noſter, Agri *Galvienſis* Nativus, præmiſsâ de Conventu *Portumnenſi* in memorato Agro, ſeù Comitatu, Tractatione, hæc ſcribere non dubitavit (*b*) : “ In eodem Comitatu *Galvienſi* fuit Conventus noſter in Baronia de *Ballynebenſi* fundatus, & erectus à Domino *O-Flaherty*, Dynaſtâ antiquo iſtius Baroniæ uſque ad Uſurpatorem *Cromuellum* (*c*), per quem exutus eſt totâ Hæreditate ſua. Erant ordinariè in iſto Conventu, vocato *Tombeolomme*, Octo Religioſi, ſed ab Initio Regni *Elizâbethæ* nullus fuit Incola, & Muros omnes, & ipſam Eccleſiam abſtulerunt ad ædificandum Caſtellum in Vicinia, & ex quo Conventus Galvienſis (*d*) erectus eſt in Prioratum, neglectum eſt à Provincialibus deputare aliquos Religioſos, aut Priorem ſaltem, ad iſtum Conventum, ſed relictus eſt velut Diſtrictus pro Galvia, diſtante indè quindecim magnis Leucis (*e*). Et id certè vergit in Detrimentum Ordinis, & Populi Catholici, carentis maximè Miniſtris Evangelicis, Locus enim eſt montoſus, & paludoſus, velut quædam Inſula in extremo Fine occiduo Regni, undè non eſt eò Accurſus frequens Religioſorum, & tota illa Baronia eſt benè populoſa, & vix eſt Hæreticus unus. Et ſi Libertas ſtabilita eſſet, Conventus *Galvienſis* viveret abundanter ex Beneficentia Civium, & prætereà habet pro Diſtrictu ſuo Baroniam de *Clare*, de *Moycullen*, & *Eaghnaniver (f)*. Itàque in *Tombeolumme* poſſint eſſe tres, aut quatuor Religioſi pro Salute Populi illius, quaſi direlicti.” Hæc *O-Heynus*, cujus Animadverſio in Cauſa fortaſsè fuit cur in primo poſt ipſius vulgatum Librum Capitulo Provinciali, Anno nimirùm 1720, Patres Definitores ſanxerunt (*g*), ut *Tombeolenſis* inſtitueretur Prior, quod illicò factum eſt, & hucuſque continuatum. *Carmelitæ* etiam *Calceati* ſuum habent Priorem pro vicino Conventu *Ballynebenſi*.

III. Ex

(*a*) De Antiquit Hibern. Cap. xxvi. Pag. 216.

(*b*) Pag. 37.

(*c*) Videſis Cap. xvii. Num. c,

(*d*) Conventus *Galvieuſis* fundatus non fuit Anno duntaxàt 1612, ut autumat *O-Heynus* Pag. 22, ſed Anno 1448, ut ex Apoſtolico Diplomate, Cap. præſ, §. xxxviii. Num. ii exſcribendo, clarebit,

(*e*) Potiùs quindecim magnis Milliaribus *Conacienſibus*, quæ triginta complectuntur Milliaria *menſurata*, quibus, ut præfertur, *Tombeola* diſtat *Galviâ*.

(*f*) *Eaghnaniver* eſt Diſtrictus Oppido *Galviæ* adjacens, qui propriè Baronia non eſt, ſed Comitatus, hujus nimirùm gaudens Juribus.

(*g*) Ipſamet Definitorij Verba exſcripta habes Cap. præſ, §. xxv, Num, ii. Pag. 286.

III. Ex his omnibus liquidò patet, Cænobium olìm extitiſſe Fratrum Prædicatorum apud *Tombeolam*, & quidem, quod & probata fert Patriæ Traditio, ab eadem conſtructum nobiliſſima *O-Flabartæa* (*b*) Proſapia, quæ mox memoratum *Carmelitarum* Conventum *Ballynebenſem* fundavit. Quo autem Tempore non adeò certum eſt, crediderim nihilominùs id accidiſſe Anno 1427, quo Patres Cænobij noſtri *Athenrienſis* Facultatem impetrarunt à *Martino* V, Pontifice Maximo, duos fundandi in *Hibernia* Conventus. *Tombeolenſem* quippè unum eſſe ex duobus hiſce Conventibus vero ſimillimum eſt, & quidem vel propter ipſummet motivum in Literis Apoſtolicis expreſſum, nempè ob Penuriam Prædicatorum, & aliorum Virorum Scientiâ peritorum, à quibus Populus in Fide Catholica debitè valeret erudiri, quæ Penuria ſummoperè meherclè vigebat in montoſa illa, & paludoſa Regione, ſuperiùs deſcriptâ. Prælibatarum porrò Apoſtolicarum integrum Tenorem anteà exſcripſi inter differendum de memorato *Athenrienſi* Cænobio (*i*).

IV. NULLA Cænobij hujus extare ab *Elizabethæ* Reginæ Temporibus Rudera, ex nuperrimè adductis *O-Heyni* Verbis ſat clarè conſtat. Modernus autem Soli, & Prædij, ſeù Latifundij, Poſſeſſor eſt *Richardus Martin* de *Dangan*, propriè *Galviam*, Armiger.

V. ARCHIDIÆCESIS *Tuamenſis*, intrà cujus Fides, ut præfertur, eſt *Tombeola*, Quatuor fuere Antiſtites Ordinis Prædicatorum Alumni, quos alibi (*k*) recenſebam, iterum quoque de illis dicturus (*l*).

VI. TRES ſunt Conventûs iſtius Alumni Anno 1756, ſcilicet R. P. Fr. *Dominicus Mac-Craith*, Prior, Ætatis Anno 55, Profeſſionis 34; P. Fr. *Lucas Cone*, Ætat. 50, Prof. 29; & P. Fr. *Joannes Mac-Tully*, Ætat. 46. Prof. 20.

§. XXXIV.

De *Ballindunenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*.

Circà Annum 1427.

SUMMARIUM.

I. Ballinduni *Momenclatura*, & *Deſcriptio*.

II. *Cænobium* Ballindunenſe *Fratrum Prædicatorum* à Mac-Donogho *Dynaſtâ* Tirerrilenſi *fundatum*, *Operam adhibentibus Patribus* Athenrienſibus. *Objectioni fit ſatis.* *Nonnihil obiter de Cænobio* Tombeolenſi. *Nota de inclyto* Mac-Donoghorum *Stemmate*; *obiterque de præclaris* Taaffæis, *Vicecomitibus de* Corran, & *Baronibus de* Ballymote; *atque Comitibus de* Carlingford.

III. *Integra adhuc, & decora manent Templum, & Cænobium. Latifundiorum Poſſeſſores.*

IV. Elphinenſes *Epiſcopi Dominicani Septem, alibi memorati.*

V. De

(*b*) Antiquiſſima *O-Flahertæorum* Domus Originem ducit ab *Heremone*, tertio è *Mileſij*, Regis *Hiſpaniæ*, (olim *Iberiæ*) Filijs, qui in hance Inſulam *Hiberniæ* ultrà mille & bis centum Annos ante Virginis Partum (confer Cap. i. Num. vi. Pag. 10.) advenerant. Quippè *Feargus* à memorato *Heremone*, primo *Hiberniæ* Monarchâ, deſcendens, duos genuit Filios, *Fearguam* nempè, præclariſſimarum Familiarum de *O-Rourke*, & *O-Reilly* Progenitorem; ac *Duach-Teangambam*, Progenitorem *O-Flahertæorum*, qui per longiſſimam Annorum Seriem Reges, fuere, ſivè potiùs Reguli, ſeù Dynaſtæ (recole, Cap. i. Num. xx. Pag. 29.) illius *Galvienſis* Agri Tractus, quem ut ſuperiùs advertebam, *Occidentalem Conaciam* vocant. Inclytæ porrò iſtius Proſapiæ modernus Hæres legitimus eſt *Morganus O-Flaherty*, de *Lemmon-Field*, Armiger, Conjugem habens *Joannam*, *Theobaldi de Burgo*, Sexti Vicecomitis de *Mayo*, Filiam primogenitam, ex qua Quatuor ſuſcepit Filios, unamque Filiam, etiamnùm viventes, *Joannem* ſcilicet, *Theobaldum*, *Patritium*, *Morganum*, & *Mabellam*. Prælibati *Morgani* Avus, *Morganus* item *O-Flaherty*, de *Aghnamurra* hibernicè, anglicè *Lemmon-Field*, id eſt *Campo Limoniorum*, Armiger, Uxorem duxerat *Honoriam*, *Theobaldi de Burgo*, Primi Vicecomitis *Mayonenſis*, & Baronetti *Novæ Scotiæ*, Natam. Conſulendus *Lodgæus*, Vol. II. Pag. 330, & 338, & Videſis §. xxxvii. Cap. præſ. Num. ii. Lit. k.

(*i*) Cap. præſ. §. viii. Num. xi. Pag. 231.

(*k*) Cap. præſ. §. viii. Num. xvii. Pag. 234.

(l) Cap. xiii. Num. xxx, xxxiv, xxxvii, & xlviii.

V. *De inſigni Conventûs hujus Sodali* Jacobo MacDonogh.
VI. *Moderni ejus Sodales Tres, Anno ſcilicet* 1756.

I. BALLINDUNUM, hibernicè *Baille-an-Duin*, (id eſt, *Oppidum ad Eminentiam*) anglicè *Ballindown*, neque Oppidum eſt, neque Pagus, neque utriuſvis Cadaver, ſaltem quoad præſentem Apparentiam, nihil ſiquidem in Loco ſic dicto jam videre eſt præter *Abbatiæ* (*a*), ut Vulgus loquitur, Muros. Ex prælibati nihiloſeciùs hibernici Nominis Etymologia haud obſcurè patet, eò Loci fuiſſe priſcis Temporibus Oppidum, ſeù Vicum, juxtà Arcem quandam, quam crediderim à *Danis*, ſivè *Oſtmannis* (*b*), Inſulæ hujus Invaſoribus, factam, ut Moris erat apud ipſos. Sed quidquid ſit de hoc, memoratus Locus ſitus eſt propè Lacum, cui Nomen *Arrow*, in Baronia *Tirerrilenſi*, & *Agro Sligoenſi*, Diæceſi verò *Elphinenſi*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi* (*c*). Diſtat *Dubliniô* Nonaginta Duobus Milliaribus ; *Sligoâ*, Tredecim ; *Elphinâ*, Sexdecim ; *Tuamâ*, Quadraginta : *Athenriâ*, Quinquaginta Duobus ; *Galviâ*, Quinquaginta Septem ; *Londino Deriâ*, Quinquaginta Octo ; *Corcagiâ*, Centum, & Quadraginta Sex.

II. PORRO Cænobium *Ballindunenſe* Ordinis Prædicatorum nedùm perpetua, ſibique ſemper conſtans Patriæ Traditio, ſed & conſueti Auctores (*d*) adſtruunt, id etiam ab antiquiſſima *Mac-Donoghorum* (*e*) Familia fundatum aſſerentes, dempto *Alemando*, qui Beneficium hoc *Mac-Donaldis* adjudicat ; aſt illud nonniſi purum putumque Armanuenſis, aut Typographi, Mendum planè videtur.

SI autem de Fundationis Tempore ſciſciteris ; idem prorsûs reſpondebo, quod de *Tombeolenſi* Cænobio nuper (*f*) ajebam, nempè Rem hanc factam circà Annum 1427, quandò Patres *Athenrienſes* Diploma Pontificium ad duos in *Hibernia* fundandos Conventus obtinuerunt. Neque Opinioni huic obſtare poteſt Quinquaginta Duorum Milliarium Diſtantia *Athenriam* inter, & *Ballindunum* : Tùm quia *Tombeola* non minùs quàm Quadraginta duobus Milliaribus *Athenriâ* diſtat : Tum etiam quia *Tombeola*, & *Ballindunum* in eadem ſunt Natione *Conaciæ*, adeoque mirari non debes, Patres *Athenrienſis* Conventûs, antiquioris in *Conacia Dominicana*, ne dicam celebrioris, uſque adeò ſolicitos fuiſſe ad Ordinem ſuum pro Inſtructione Fidelis Populi propagandum, nedùm in viciniori Regione *Ballynebenſi*, ſed & in paulò remotiori *Tirerrilenſi*, ut ad hunc Effectum & à Sede Apoſtolica fundandi Facultatem, & ab utroque reſpectivè Dynaſta, *O-Flahertæo* nimirùm, & *Mac-Donogho*, Fundationum Benificia impetraverint.

III. MÆNIA

(*a*) Recolendum Cap. præſ. §. xi. Num. iii. Pag. 243.

(*b*) Confer Cap. i. Num. xvi. Lit. w. Pag. 25.

(*c*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*d*) *Waræus*, de *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxiv. Pag. 229 ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277 ; *Alemandus*, Pag. 226 ; *O-Heynus*, Pag. 43 ; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*e*) Inclyta *Mac Donoghorum* Proſapia Snrculus eſt antiquiſſimus *Mac Dermotorum* Stirpis, ut ſuperiùs, ſcilicèt Cap. præſ. §. xxix. Num. i. Lit. e. Pag. 295. libabam, utque clarè patet ex *Hiſtoria Hiberniæ* anglicè Typis editâ *Dublinij* 1742. Pag. 302. Ibi ſiquidem refertur, *Mac-Dermotum* de *Moigluirg* ab *Heremone*, tertio *Mileſij*, Regis *Hiſpaniæ*, Filio deſcendentem, Progenitorem fuiſſe *Mac-Donoghi* de *Corran*, & de *Tirirrell*. Iſtæ porrò duæ ſunt Baroniæ moderni Comitatus *Sligoenſis*, quarum Dynaſtæ olim fuere *Mac-Donoghi*, illiſque contigua eſt Baronia de *Coolavin*, cujus alius *Mac-Dermotus* fuit Dynaſta, à quo ortus *Mac-Dermotus* hiſce Diebus paſsìm nuncupatus *Princeps de Coolavin*, ut Loco mox laudato ajebam. Porrò *Iſmaia Taaffe*, Equitis *Joannis*, Primi Domini Vicecomitis *Taaffe* de *Corran*, & Baronis de *Ballymote* Filia, Comitiſque de *Carlingford* Soror, nupſit *Briano Mac Donogh*, de Agro *Sligoenſi*, Armigero, ut videre eſt apud *Lodgæum*, Vol. II. Pag. 377. Præſens autem Dominus Vicecomes, ut obiter dicam, à memorato rectâ Lineâ deſcendens, Illuſtriſſimus nempè *Nicolaus Taaffe*, inſimul S. R, J. Comes, necnon Copiarum Imperialium in *Germania* Locum Tenens Generalis, ut vocant, Catholicam profitetur Religionem, de qua, univerſaque ſua *Hibernica* Natione optimè meritus eſt. Uxorem habet æque piam, Illuſtriſſimam *Mariannam*, Comitis *Spendler* de *Lentia* (vulgò *Lintz*) in *Auſtria Superiori*, Filiam, & Hæredem, de Re Catholica, *Hiberniſque* optimê item meritam, quos præclaros Conjuges, à me probè notos, Honoris, & Gratitudinis Causâ nomino. Duos porrò habent Filios in *Germania* florentes.

(*f*) §. Superiori, Num. iii. Pag. 309.

III. Mænia tàm templi, quàm Cænobij etiamnùm integerrima extant, ut vidi Anno 1755, & quidem valdè pulchra, juxtà prælibatum Lacum *Arrow* Loco amæniſſimo ſita. Porrò quod de Ædibus Sacris *Caſſelienſibus* ſuperiùs ajebam (*g*), id ipſum dicere potero de *Ballindunenſi* hoc Cænobio, nimirùm id, mehercle, ut hodiè jacet, reliquis *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs Palmam præripere, ſi Amplitudinem cum Integritate ſpectes, non ſic autem Venuſtatem, quæ potiùs *Sligoenſi* competit (*b*).

Ceterum ea cum adjunctis annexiſque Latifundijs à Gubernio Acatholico conceſſa fuere *Franciſco Crofton*, Armigero, qui eadem *Eduardo Crofton*, Armigero, aſſignavit (*i*). Præſens autem Fundi Dominus, ut vocant, eſt Eques *Robertus King*, Dominus Baro de *Kingſborough*.

IV. Elphinensis Diæceſis, quæ *Ballindunum*, ut præfertur, complectitur, Septem Antiſtites, Ordinis Prædicatorum Alumnos, alibi, inter diſſerendum de *Roſcomanienſi* Cænobio, recenſebam (*k*).

V. Conventus hujus Sodalis erat R. P. Fr. *Jacobus Mac-Donogh*, qui, “ Studia (*l*) per-
“ fecit in Hiſpania, & redux in Patriam fuit Prior *Urlariæ*, ac poſteà in Conventu de *Arcklow*,
“ vulgò *Innever-Mor* (*m*), rexitque prudenter, & religiosè utrobique. Tandem profectus in Gal-
“ liam, expugnato Regno noſtro (*n*), in Conventu ſui Ordinis *Bovariæ ad Mare (o)*, ardenti
“ Febri conſumptus, & recreatus divinis Sacramentis, Diem clauſit extremum Anno 1692.”

VI. Moderni ejuſdem Sodales Tres, Anno ſcilicet 1756, ſunt R. P. Fr. *Michael Reynolds*, Prior, Ætatis Anno 48, Profeſſionis 28; P. Fr. *Dominicus O-Hart*, Ætat. 51, Prof. 33; P. Fr. *Andreas Dwyer*, Ætat. 58, Prof. 32; & P. Fr. *Milo Lipnan*, Ætat. 50, Prof. 21.

§. XXXV.

De *Urlarienſi* Cænobio *S. Thomæ (a)* in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*.

Anno 1434.

SUMMARIUM.

I. Urlariæ, *olim Pagi, Nomenclatura, & Deſcriptio.*

II. *Conventus* Urlarienſis *irregulari Modo fundari inceptus. Illum ritè fundandi Facultas ab* Eugenio IV *impetrata. Pontificium tranſcribitur Diploma.*

III. *Quo Anno extructum* Urlarienſe *Cænobium, & a quo? Nonnihil obiter de Cænobio* Stradenſi. *Apud* Urlariam *dudùm Novitiatus Generalis, præſertìm pro* Conacia. *Nota de Nobili Familia Fundatrice, cui primitivum Nomen* de Angulo, *aliàs* Nangle, *in* Mac-Coſtello *poſtea ex Parte mutatum.*

IV. *Templi Cænobijque Mænia. Familiæ inibi adhuc ſepultæ. Latifundiorum Poſſeſſor. Nota de Domino Vicecomite* Dillon *de* Coſtello-Gallen.

V. Achadenſes *Epiſcopi Dominicani Octo, alibi recenſiti.*

VI. *Prior hujus Conventûs,* Dominicus Dillon, *Martyrium paſſus; aliuſque ejuſdem Sodalis,* Daniel Mac-Donnell, *in Carcere* Galvienſi *defunctus, publicâ Virtutis Opinione clarus; ac tertius haud prætermittendus,* Thomas Mac-Coſtello, *ſæpenumerò Prior. Capitulum intermedium hìc habitum Anno* 1654.

VII. *Alumni illius Sex Anno* 1756.

I. URLARIA, hibernicè *Orlar* (id eſt *Area*), anglicè *Urlare*, olim erat, ut fert Traditio, Oppidum, aut Vicus, Baroniæ *Coſtellonenſis* in Agro *Mayonenſi*, Diæceſis verò *Achadenſis*,

---

(*g*) Cap. præs. §. ix. Num. v. Pag. 236.

(*b*) Confer §. xiii. Cap. præſ. Num. ii. Pag. 247.

(*i*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*k*) Cap. præſ. §. xvi. Num. vi. Pag. 261.

(*l*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 43.

(*m*) Adeas §. xviii. Cap. præſ. Num. i. Pag. 265.

(*n*) Recolendum Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*o*) Adeas Cap. xii. §. iv, in Limine, Lit. e, & Num. iv.

(*a*) Legi in antiquo quodam M. S. Cænobium hoc fuiſſe ſub Nuncupatione *S. Thomæ*, an verò *Apoſtoli*, anve *Aquinatis*, ibi haud expreſſum.

ſis, in Provincia *Tuamenſi.* Hiſce verò Diebus nullum, vel minimum illius extat Veſtigium, ſed ſolis Cænobij, ſivè *Abbatiæ* (*b*), ut Vulgus loquitur, Mænijs perpetuatur Memoria Loci, qui *Dubliniô* Centum & Tribus ; *Ballinrobâ*, Agri *Mayonenſis* Capitali, Viginti Duobus ; *Caſtelbarrâ*, altero ejuſdem Capitali, Viginti ; *Achadâ*, Tredecim ; *Tuamâ*, Viginti, Milliaribus diſtat.

II. TAMETSI *Bonafacius* VIII, Pontifex Maximus, dudùm prohibuerit, ne Fratres Ordinum Mendicantium, ſub Pæna Excommunicationis, Domum quampiam, ſivè Locum, ad habitandum de novo, abſque Sedis Apoſtolicæ Licentia Speciali, recipere præſumerent ; nihilominùs circà Annum 1430 Nonnulli Fratres Prædicatores *Hiberni*, Prohibitionis iſtius prorsùs immemores, aut fortaſsè ignari, & Simplicitate ducti, Locum quendam in Archidiæceſi *Tuamenſi*, pro Fratrum ſui Ordinis Uſu, & Habitatione, ultrà Biennium abſque laudatæ Sedis Licentia tenuerunt, iſtoque aliquibus de Cauſis dimiſſo, alium Locum apud prælibatam *Urlariam*, in Diæceſi *Achadenſi*, ipſis legitimè donatum, acceptarunt, ibique aliquandiù degerunt ſine memorata Licentia. Tandem autem, re probè diſcuſsâ, ſupplices facti ſunt pro opportuno Remedio apud tunc regnantem Pontificem *Eugenium* IV, qui Apoſtolicas deſuper expediri fecit Literas Die 18 Martij 1434, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*c*), Tenoris ſequentis :

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Akaden. (*d*),
“ Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Pijs Fidelium Votis gratum Nos decet præſtare Aſſenſum, & ut ea, quæ Religionis Propagationem divini quoque Cultûs Augmentum reſpiciunt, optatum ſortiantur Effectum : Necnon ijs, per quæ Chriſti Fidelium, ſub hujuſmodi Religionis Obſervantia Domino famulari geſtientium, Statui, Indemnitatibuſque conſulitur, libenter interponimus Solicitudinis noſtræ Partes. Cùm itàque, ſicut exhibita Nobis nuper pro Parte Willielmi de Angelo (*e*), & Thomæ Igrugan (*f*), Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorum, Petitio continebat, quod olim ipſi tunc Prohibitionis, ne Fratres Ordinum Mendicantium, ſub Pæna Excommunicationis, quam aliàs incurrant, Domos aliquas, ſivè Loca ad habitandum de novo abſque Sedis Apoſtolicæ Licentia ſpeciali recipere præſumant, per felicis Recordationis Bonifatium Papam Octavum, Prædeceſſorem Noſtrum, factæ prorsùs immemores, & Simplicitate ducti, præfatæ Sedis deſuper Licentiâ non obtentâ, pro eorum, necnon aliorum dicti Ordinis Fratrum Uſu, & Habitatione, unum in Tuamen. primò, & ſubſequenter eo, poſtquàm illum per Biennium, & ultrà tenuerant, aliquibus Cauſis ſuadentibus, diſmiſſo, alium Urlar vulgariter nuncupatum, necnon eis legitimè donatum in tua Diæceſi, Loca receperint, & etiam in dicto alio Loco aliquandiù deguerint, ſua cum quibuſdam alijs ipſius Ordinis Fratribus in ipſis Locis Vota aliàs laudabiliter Altiſſimo dirigendo, pro Parte Willielmi, & Thomæ prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſos, necnon alios ex dictis Fratribus, qui Excommunicationis hujuſmodi Sententiâ, præmiſſorum Occaſione, ligati ſunt, ab ipſa Sententia abſolvi mandare, & aliàs ſuper his opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & Cultum hujuſmodi vigere, & augere intentis Deſiderijs affectamus, prædictis Supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquàm de præmiſſis legitimè conſtiterit, ipſos ligatos, ſi hoc humiliter petierint, à dicta Sententia hoc Vice duntaxât Auctoritate noſtra abſolvas in Forma Eccleſiæ conſueta, injunctis eis indè pro Modo Culpæ Penitentiâ ſalutari, necnon alijs, quæ de Jure fuerint, injungenda, & cum eis ſuper Irregularitate, quam ſic ligati, Miſſas, & alia divina Officia celebrando, necnon illis ſe immiſcendo, contraxerunt, eâdem Auctoritate diſpenſes, aboleaſque omnem Inhabilitatis, & Infamiæ Maculam, ſivè Notam, per ipſos propterea contractam. & inſuper Willielmo, ac Thomæ, necnon alijs Fratribus prædictis, ipſum alium Locum pro Uſu, & Habitatione præfatis tenendi, ac inibi Eccleſiam, cum Campana, Campanili, necnon alijs neceſſarijs Officinis conſtruendi, & ædificandi, ſeù conſtrui, & ædificari

“ faciendi

(*b*) Videſis Cap. præf. §. xi. Num. iii. Pag. 243.

(*c*) Tom. iii. Pag. 25, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xlvii. Fol. 77.

(*d*) Sivè ut paſſim ſcribur *Achadenſis*, vernaculè *Achonry*. Epiſcopus portò tunc Temporis erat *Murchardus O-Hara*, Ordinis Ciſtercienſis Alumnus, olim Monaſterij *Boylæ* in Agro *Roſcomanienſi* Abbas, ut liquet ex *Waræo*, Lib. de *Præſulibus Hiberniæ*, Tit. de *Præſulibus Achadenſibus* ; & *Harriſio*, Vol. I. Pag. 659.

(*e*) Legerem *de Angulo*, anglicè *Nangle*, à qua Familia fuit Cænobij hujus Fundator, ut ex mox dicendis clarebit.

(*f*) Fortaſſis *O-Grogan*, cujus Cognominis plures etiamnûm vigent iſtis in Partibus, ad Differentiam Cognominis *Igrugan*, quod nullibi unquàm audivi.

" faciendi eadem Auctoritate Licentiam largiaris; Nos enim, ſi illam conceſſeris, univerſis, & ſingulis
" Fratribus, quos in dicto alio Loco pro Tempore reſidere contigerit, ut omnibus Privilegijs, Indulgentijs,
" Libertatibus, & Exemptionibus, Ordini præfato, & ipſius Domibus, ac Perſonis per Sedem prædictam,
" & aliàs quomodolibet generaliter conceſſis, uti, & gaudere valeant, Auctoritate Apoſtolicâ concedimus
" per præſentes. Non obſtantibus præmiſſis, & Apoſtolicis Conſtitutionibus, cæteriſque contrarijs quibuſ-
" cunque, Jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romæ
" apud Sanctum Griſogonum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadraginteſimo Triceſimo Tertio
" (g), Quinto Decimo Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto."

III. ANNO igitur 1434 legitimè, atque ſervatis ſervandis, fundatum fuit *Urlarienſe* noſtrum Cænobium, & quidem Beneficio *cujuſdam è Familia de Angulo, alias Nangle*, ut refert *Waræus* (h), cui *Harriſius*, & *Alemandus* (i) ſubſcribunt. Et quamquàm *O-Heynus* (k) aſſerat, Conventum hunc *à Domino Baroniæ de Coſtello in Comitatu Mayonenſi fundatum, & dotatum*, in hoc tamen prælibatis Auctoribus nullatenùs contradicit, memorato ſiquidem *Domino Baroniæ de Coſtello* Cognomen erat *de Angulo*, aliàs *Nangle*, immò Familia iſta Sæculo Eccleſiæ Decimo Quarto *Mac-Coſtello* cognominari voluit, ut uberi Calamo ſuperiùs exponebam (l). Hìnc factum eſt, ut Patriæ Traditio Fundationis Beneficium tribuat Genti *Mac-Coſtello*, ea in Baronia ſatis numeroſæ, & opulentæ.

QUOD autem ibidem dicit *O-Heynus*, nempè," Dominam *Penelopen O-Connor*, Conjugem
" Domini *Mac-Jordani*, hunc inſtigaſſe ad extruendum Cænobium *Stradenſe* Anno 1435, dein
" Conjugem Domini Baroniæ de *Coſtello*, huic etiam ſuaſiſſe Fundationem Cænobij *Urlarienſis*
" Anno 1448." Id, inquam refragatur invictæ Fidei Monumentis, ſuperiùs adductis (*m*), quibus Sole meridiano clariùs patet, *Stradenſe* Cænobium excitatum fuiſſe Anno 1252, à *Jordano* quidem *de Exonia*, ſed *Baſiliæ de Bermingham*, non verò *Penelope O-Connor*, Nuptijs copulato. Ibidem (*n*) nihiloſeciùs adverti, *O-Heyni* Aſſertum de *Stradenſi* Cænobio intelligi poſſe quoad Reſtaurationem ejus, quæ ſecundaria veluti Fundatio eſt, reapsè ſiquidem reſtauratum fuit circà Annum 1435, primitùs tamen fundato Cænobio *Urlarienſi* Anno 1434, ut mox oſtenſum eſt. Hiſce verò non obſtantibus, facilè evenire potuit, ut *Penelope O-Connor* in Cauſa fuerit, cur prior ipſius Conjux, *Joannes de Exonia*, Cænobium *Stradenſe* reſtauraverit Anno 1435; dein cur poſterior ejus Conjux, *Dominus Baro de Coſtello*, Cænobij *Urlarienſis*, jam recens fundati, Fabricam ampliaverit, perfeceritque Anno 1448.

CÆTERUM non abs Re erit in Medium afferre, quæ de *Urlarienſi* iſto Conventu ſubjungit ibidem *O-Heynus*: " Locus eſt circumcinctus Fluminibus, & conſequenter ſolitarius, indè con-
" ſtitutus eſt ibi Novitiatus Generalis pro Conacia principaliter. Illuc etiam mittebantur Novitij
" ex alijs Plagis Regni; Locus enim erat valdè aptus ob Solitudinem, & ob Lacus piſcoſos cir-
" cumvallentes Conventum. Tota Terra iſta Conventûs eſt hodie in Poſſeſſione Illuſtriſſimi Do-

---

(g) Stylo Bullarum, Æræ verò communis 1434, ut advertit *Bullarium* Loco prælibato.

(h) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxiv. Pag. 223.

(i) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 225.

(k) Pag. 39.

(l) Cap. præſ. §. xiv. Num. iii. P. 250. Nobilis porrò Familia iſta *de Angulo*, aliàs *Nangle* (in *Conacia Mac-Coſtello*) ex *Anglia* in *Hiberniam*, *Henrico* II Rege, advenit, plureſque aſſecuta eſt Poſſeſſiones tam in Agro *Midenſi*, quàm in *Mayonenſi*, atque utrobique *Baronis* Titulo decorata, Baronis ſcilicet Palatini, ut Cap. præſ. §. xvii. Num. iii. ad Lit. x. Pag. 264. explicabam. Videſis *Lodgæum*, Vol. I. Pag. 122; & Vol. III. Pag. 371. Ejuſdem Progeniei Surculus, & quidem inſignis, floret in *Momonia*, appellatus *Nagle*, ex quo ortæ ſunt illuſtres Domus de *Ballygriffin*, & de *Ballywalter*, in Agro *Corcagienſi*, mihi probè notæ, ut nihil dicam de præclariſſimo Viro, *Richardo Nagle*, Equite Aurato, Regis *Jacobi* Secundi Procuratore Generali in *Hibernia*, atque *Domûs Communium* Parlamenti, ut vocant, Prolocutore apud *Dublinium* Menſe Majo 1689 (confer Cap. vii. x. Pag. 142.) cujus meminit præfatus *Lodgæus*, Vol. II. Pag. 316, & Vol. iv. Pag. 171, & 234, iterumque ipſe meminero Cap. præſ. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 319.

(*m*) Cap. præſ. §. xiii Num. ii. Pag. 250.

(*n*) Ibidem Num. iv. Pag. 253.

“ mini *Dillon*, Vicecomitis de *Coſtello-Gallen* (*o*) ab ultimis Annis *Jacobi* Primi, *Angliæ* Regis.”

IV. TEMPLI, Cænobijque Mænia adhuc ſat integra extant, ibique Sepulchra habent, hiſce etiam Temporibus, Familiæ de *Mac-Coſtello*, *Phillips*, *Mac-Donnel* de *Slienlieu*, *Grady*, *Geraldini* de *Loughlln*, *Mac-Jordani* de *Kierieighter*, &c.

LATIFUNDIORUM Poſſeſſor eſt Illuſtriſſimus Dominus *Dillon*, Vicecomes de *Coſtello-Gallen*, ſuprà laudatus, qui etiamnùm Catholicam profitetur Religionem (*p*).

V. *Achadenſis* Diæceſis, quæ *Urlariam*, ut præfertur, intrà Limites ſuos complectitur, Octo Epiſcopos, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptos, alibi recenſebam (*q*).

VI. PRIOREM hujus Conventûs *Urlarienſis*, cui Nomen *Dominicus Dillon*, Martyrium ſubijſſe *Pontanæ* Anno 1649; & P. *Danielem Mac-Donnel*, ejuſdem hujus Cænobij Alumnum, in Carcere *Galvienſi* obijſſe circà Annum 1707, publica Virtutis Opinione clarum, alibi uberiùs, commodiùſque dicetur (*r*).

HIS addendus videtur P. *Thomas Mac-Coſtello*, “ qui indutus, & profeſſus fuit *Lovanij* (*s*),
“ ejus Patre exiſtente Tribuno Legionis Peditum in Belgio cum ſuo Rege *Carolo* Secundo, tunc
“ Exule à ſuo hæreditario Throno (*t*). Peractis Studijs reverſus eſt in Patriam, ubi ſæpiùs fuit
“ Prior *Urlariæ*, & ſemel *Ballinduni*. Exul autem factus (*u*), peregrinatus *Romam*, & indè
“ hùc regreſſus, longâ, & diuturnâ Infirmitate conſumptus, ac munitus piè Sacramentis, obijt
“ *Lovanij* 1702. Erat velox, & concinnus Scriba in Lingua Latina, & quod majus eſt, bonus
“ Religioſus erat.”

CAPITULUM intermedium, ut vocant, hoc in Cænobio habitum fuiſſe Anno 1654 alibi dicetur (*w*).

VII. ALUMNI Conventus hujus Anno 1756 ſunt Sex, nempè R. P. Fr. *Andreas Duffy*, Prior, Ætatis Anno 65, Profeſſionis 40; P. Fr. *Hugo Morilly*, Supprior, Ætat. 62, Prof. 37; P. Fr. *Thomas Phillips*, Ætat. 62, Prof. 37; P. Fr. *Joannes Mac-Donnell*, Ætat. 50, Prof. 30; P. Fr. *Jacobus Heynes*, Ætat. 46, Prof. 18; & P. Fr. *Dominicus Mac-Jordan*, Ætat. 40, Prof. 12.

§. XXXVI.

De *Tulſkenſi* Cænobio *S. Patritij* (*a*) in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*.

Circà Annum 1448.

SUMMARIUM.

I. *Pagi* Tulſkæ *Nomenclatura*, & *Deſcriptio*.

II. *Eò Loci haud dùbiè Fratrum Prædicatorum Cænobium. Ea de Re Decretum Capituli Provincialis* Dublinienſis 1720, & *Teſtimonium duplicis Patris omni Exceptione majoris. Teſtimonium item Capituli Generalis* Romani 1656.

III. *Tacitæ*

(*o*) Quandoquidem Familia iſta *Dillonorum* Latifundia, Caſtraque allodialia poſſederit in geminis Baronijs de *Coſtello*, & de *Gallen*, idcircò, illius Primipilus, Eques *Theobaldus Dillon*, tunc *Conaciæ* Præſes, creatus fuit Dominus Vicecomes *Dillon* de *Coſtello-Gallen*, à Rege *Jacobo* Primo, Die 16 Martij 1621.

Alius inſuper, ut obiter dicam. ex eodem nobiliſſima *Dillonorum* Stirpe Eques, *Jacobus* nempè *Dillon*, creatus fuerat, Die 19 Februarij 1619, ab eodem Rege *Jacobo* Comes *Roſcomaniæ* in Agro ejuſdem Nominis *Conaciæ* (recole §. xvi. Cap. præf. Num. i. Pag. 256.) & Baro *Kilkenny-Weſt*, id eſt, *Kilkenniæ Occidentalis*, in *Midenſi Occidentali* Agro *Lageniæ*. Quod ſi de inclyta *Dillonorum* Progenie plura ſcire aveas, conſule *Lodgæum*, Vol. I. à Pag. 145 ad 165.

(*p*) Confer Cap. i. Num. xxii. Lit. n. Pag. 31

(*q*) Cap. præf. §. xiv. Num. v. Pag. 254.

(*r*) Cap. xvi. Num. xxiii, & cxv.

(*s*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 39.

(*t*) Adeas Cap. xvii. Num. lxxxii.

(*u*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*w*) Cap. xii. §. iii. Num. x.

(*a*) Legi in antiquo M. S. Cænobium hoc fuiſſe ſub Invocatione *S. Patritij*, Inſulæ hujus Apoſtoli, & Patroni.

III. *Tacitæ ſatisfit Objectioni. Adducuntur Verba Capituli Generalis* Romæ 1694 *de Conventu* Tulſkenſi. *Nonnihil obiter de* Portumnenſi, & Tombeolenſi *Cænobijs.*

IV. *Quo Tempore fundatum* Tulſkenſe *Cænobium? Et à quo? Nota de inclyta* Mac-Dowellorum *Familia Fundatrice.*

V. *Templi Mænia, Cænobij Rudera. Dominus Fundi modernus.*

VI. Elphinenſes *Epiſcopi Dominicani alibi memorati. Eos inter* Ambroſius Mac-Dermot, *hujuſce Conventûs Filius. Alter ejus Filius,* Felix Mac-Dowell, *poſtmodùm recenſendus.*

VII. *Sodales hujus* & Roſcomanienſis *Conventuum impræſentiarum permixti.*

I. TULSKA, hibernicè *Tolluiſge* (id eſt, *Stagnum),* anglicè *Tuilſke,* ſivè paſsìm *Tulſk,* Pagus eſt Baroniæ *Roſcomanienſis* in ejuſdem Nominis Comitatu, Diæceſis *Elphinenſis,* in Provincia *Tuamenſi* (*b*), ſed uſque adeò exiguus, hiſce ſaltem Temporibus, ut quamquam Municipium (*c*) ſit Vigore Regij Diplomatis, item & Emporium, nullum tamen ibi videre eſt Fori, aut Mercatûs Exercitium. Cæterùm Nundinæ quater ſingulis Annis eò Loci habentur, nempè Feria Secunda Paſchatis, Feria Sexta antè Pentecoſten, atque Diebus 20 Auguſti, & 17 Novembris. *Dublinio,* Septuaginta Tribus; *Roſcomaniâ* Decem; *Elphinâ,* Sex; *Tuamâ,* Viginti Septem; *Galviâ,* Quadraginta Quatuor; *Londino-Deriâ* Octoginta; *Corcagiâ,* Centum, & Viginti, Miliaribus diſtat.

II. PORRO quod *Tulſkæ* fuerit Ordinis Prædicatorum Conventus, nedùm Scriptores in Decurſu hujus Operis laudati (*d*), id teſtantur, ſed & ipſamet Templi Mænia, Cænobijque Rudera, quæ ſemel iterumque, Annis ſcilicet 1746, & 1748, vidi. Suffragantur etiam Patres Definitores Comitiorum Provincialium *Dublinij* 1720, ex Quatuor *Hiberniæ* Nationibus ſelecti, Viri equidem Doctrinâ, ac in Rebus Ordinis Gentiſque ſuæ Peritiâ ſpectabiles, non ità pridem nominati (*e*), in ſalubri Ordinatione, cujus Verba ibidem exſcripſi. Præieverant Comitia Generalia Romæ 1694 ſub Sapientiſſimò æquè ac Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis *P. Antonino Cloche,* quorum hoc de Conventu Decretum protinùs exhibebo. Adſtipulantur item P. Magiſter *Carolus O-Kelly,* Roſcomanienſis, nunc Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologus, & P. Magiſter *Albertus O-Brien,* Corcagienſis, à quibus nuperrimè accepi, extitiſſe olìm in Bibliotheca Collegij noſtri *Lovanienſis* S. Crucis Acta Comitiorum Provincialium *Kilkenniæ* 1643 Typis vulgata, in quibus expreſſis Verbis nominatur *Prior Conventûs Tulſkenſis,* ſicuti etiam Prior Conventûs *Clonmellenſis,* ut iterùm ſuo Loco declarabitur (*f*). Et ſanè, ſi Fratres Prædicatores Cænobium non habuiſſent Tulſkæ, non extitiſſent *Ad Annum* 1646 *quadraginta tres Conventus* in *Hibernia Dominicana,* quod tamen expreſſo contradicit Teſtimonio Univerſi Ordinis in Comitijs Generalibus *Romæ* 1656 congregati, cujus Verba ibidem etiam in Medium adduxi, & alibi opportunè expendam (*g*).

III. NULLUS quidem dubito, ut candidè fatear, quin quandoque, exardeſcente nimirùm Acatholicorum Perſecutione, defuerint Domui huic proprij Sodales, ut de *Portumnenſi,* & *Tombeolenſi* Conventibus nuper ajebam (*h*), idem quoque brevi dicturus de Cænobio *Galvienſi* (*i*). Quod planè Anſam præbuit Patribus Conventûs *Roſcomanienſis,* utpotè *Tulſkæ* propinquioris, attrahendi ad ſe Diſtrictus, ut vocant, ad Cænobium hoc pertinentes, quâ de Re graviter conqueri haud dubitavit *O-Heynus* noſter, mox citatus, his Verbis: “ In eodem Comitatu (*Roſcomanienſi*) eſt Conventus de *Tulſka* fundatus a Prænobili Viro *Mac-Duil* Sæculo quinto decimo, tamen derelictus eſt ſine Religioſis ad ingens Damnum Ordinis noſtri, & Chriſtianorum, & probabiliter credo hoc natum eſſe principaliter ex Opera Conventûs *Roſcomanienſis,* qui erat potens in Filijs attrahentibus ad ſe Diſtrictus hujus Conventûs, quando Rapina violenta Anglorum eripuit penitùs magni Conventûs Roſcomanienſis hereditaria Bona. Sed mihi videtur (ſalvo me-

---

(*b*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*c*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*d*) *Waræus,* de *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 228; *Harriſius,* Vol. II. Pag. 277; *Alemandus,* Pag. 227; *O-Heynus,* Pag. 46; *Echardus,* Tom. ii. Pag. xiii.

(*e*) Cap. præf. §. xxv. Num ii. Pag. 286.

(*f*) Cap. præf. §. xl. Num. iii.

(*g*) Cap. præf. §. xl. Num. iv.

(*h*) Cap. præf. §. xxxii. Num. iii. Pag. 305.

(*i*) Cap. præf. §. xxxviii. Num. iii.

“ liori Judicio) quod in his Conventibus ſtabiliatur ſaltem Vicarius cum aliquo Religioſo maturo ad conſervum Loca juxtà Intentionem Fundantium, & ad inſtruendum Populum in Lege Dei, & Eccleſiæ Sacroſanctæ.” Hæc *O-Heynus*, cujus Votis fecerunt ſatis, & ultrà, Sapientiſſimi Patres Comitiorum Provincialium *Dublinij* 1720 nuperrimè laudatorum, providè ſancientes, non tantùm Vicarios, ſed & Priores Conventibus, iſtum in Modum deſolatis, præfici debere, ut ex eorum Decreto alibi adducto (*k*), claret. Idque juxtâ expreſſam Mentem Capituli Generalis *Romani* 1694 mox laudati, his Verbis conceptum : *Committimus R.P. Provinciali hujuſce Provinciæ, ut inſtituat Priorem in* CONVENTU TOLSCHIENSI *cum omnibus Juribus, Privilegijs, & Præeminentijs, quibus Priores in ea Provincia gaudent, & potiuntur* (*l*).

Ex Vaſtitie igitur, ſeù Depopulatione, ut ità loquar, Domûs Conventualis *Tulſkenſis* nullatenùs deduci poteſt, illius Jura ſarta tecta haud manſiſſe, non minùs ac Domorum Conventualium *Portumnenſis*, *Tombeolenſis*, & *Galvienſis* prælibatarum, maximè in Provincijs, ubi Hæreſis regnat (*m*). Immo apud æquos Rerum Æſtimatores, ac à Partium Studio alienos, major foret dubitandi Ratio de Conventûs *Tombeolenſis* quàm *Tulſkenſis* Exiſtentia. Illum quippè alto prætermittunt Silentio nedùm quæcunque Capitula Generalia, ſed & *Waræus*, *Harriſius*, ac *Alemandus*, qui tamen iſtum inter *Hiberniæ Dominicanæ* Conventus diſertè enumerant, ut ex Operibus eorum jam laudatis Luce meridianâ clariùs patet. Atque ſolius *Waræi* Teſtimonium (ut nihil dicam de Capitulo Generali 1694) magni Ponderis eſſe debet juxtà Statutum Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644, pridem adductum (*n*). Nihiloſeciùs neque *Galvienſes* Patres neque quicunque alij, hiſce ſaltem Diebus, in Dubium vertunt *Tombeolenſis* Domûs Conventualis Exiſtentiam, quinimmò illius Prior, atque pro ea inſtitutus Prædicator Generalis, pro Tempore, Suffragia in Comitijs Provincialibus ſine ulla prorsùs Conteſtatione ferunt, cujus Rei ipſemet Teſtis oculatus ſum, ijs quippè quater interfui, ſemel iterùmque Definitor.

IV. CÆTERUM, quod ad Fundationis Tempus attinet, *Alemandus*, & *O-Heynus* vagè aſſignant Sæculum Eccleſiæ decimum quintum. *Harriſius* verò, Scriptorum noviſſimus, & etiamnùm vivens, qui plurima explorabat Abſcondita Tenebrarum, diſertè aſſerit, Cænobium *Tulſkenſe* circà Annum 1448 fuiſſe conſtructum. Memorati autem Tres Auctores conveniunt in Fundatore, Domino nimirùm *Mac-Dowell* (*o*). *Waræus* autem ea de Re hunc in Modum diſſerit, Loco nuper laudato : *Hoc Cænobium* (Tulſkenſe) *Ordinis Prædicatorum à Dowellorum Familia fundatum fertur. Sunt verò qui ab O-Connoris* (*p*) *poſitum aſſerunt.* Ità refert *Waræus* duntaxàt, nunc autem omnes Fundationis Beneficium *Mac-Dowellis* certo adjudicant.

V. TEMPLI Mænia ſat integra, necnon Cænobij Rudera, adhuc videre eſt, ut ſuperiùs ajebam. Soli, Latifundiorumque Conventui huic olìm annexorum, Dominus eſt *Joannes Fox*, Armiger.

VI. *Elphinenſis* Diæceſis, intrà cujus Limites adeſt *Tulſka*, Epiſcopos Ordinis Prædicatorum Alumnos alibi nominabam (*q*). Porrò eos inter *Ambroſius Mac-Dermott* Filius erat *Tulſkenſis* hujuſcè Conventûs, ſicut & *Felix Mac-Dowell*, publicâ Virtutis Opinione clarus, ſuo Loco (*r*) recenſendus, ut teſtatus eſt, qui eos probè noverat, P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis*, in Notis Marginalibus M. S. ad Epilogum *Chronologicum O-Heynanum* (*s*).

VII. QUAN

(*k*) Cap. præſ. §. xxv. Num. ii. Pag. 286.

(*l*) Reliquas *Provinciæ Hiberniæ* eo in Capitulo factas Conceſſiones legere eſt Cap. viii. Num. i. Pag. 154.

(*m*) Confer Cap. vi. Num. viii. Pag. 111.

(*n*) Cap. ii. Num. vii. Pag. 38.

(*o*) Prænobilis hæc Familia ab *Heremone*, tertio *Mileſij* Regis *Hiſpaniæ* Filio (recole nuper dicta §. xxxi. Num. ii. Lit. p. Pag. 301.) rectâ Lineâ deſcendit, ut liquet ex præclariſſimæ Progenei de *O-Shaghnuſſy* Genealogia, quam exhibet *Hiſtoria Hiberniæ* Typis vulgata *Dublinij* 1742, Pag. 305. Laudatæ porrò Familiæ modernus Principalius eſt *Lucas Mac-Dowell*, Armiger, Vir opulentus, & Catholicâ Religione ſpectabilis.

(*p*) *O-Connororum* Synopſim Genealogicam videſis Cap. præſ. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

(*q*) Cap. præſ. §. xvi. Num. vj. Pag. 261.

(*r*) Cap. xvi. Num. cxvi.

(*s*) Pag. 45, & 46.

VII. Quamquam, ut ex hucuſque in hoc § dictis luculenter conſtat, Cænobium iſtud diſtinctum prorſùs ſit à *Roſcomanienſi*, adeoque & Diſtrictus unius à Diſtrictu alterius, Defectu tamen Fratrum permixti ſunt. Hinc iſtius Sodales indiſtincti haud ſunt à Sodalibus Conventûs *Roſcomanienſis*, quos ſuperiùs recenſui (*t*). Idem planè videre eſt in Cænobio *Caſtelionenſi*, ut ſuperiùs dictum eſt (*u*), in Tribuſque alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs, ibidem memoratis.

§. XXXVII.

De *Bureſulenſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* (*a*) in *Mayonenſi* Comitatu *Conaciæ*.

Anno 1486

SUMMARIUM.

I. *Pagi* Bureſulæ *Nomenclatura, & Deſcriptio.*

II. *Quomodo fundari cæptum* Bureſulenſe *Cænobium? Nonnihil obiter de* Gulielmo de Burgo, Juniore, Hiberniæ Dominicanæ *Provinciali.* Innocentij VIII *Diploma de Cænobij Fundatione. Nota de* Richardo de Burgo, *Fundatore, ejuſque Majoribus, & Poſteris.*

III. *Cænobium hoc ritè fundatum Anno* 1486, *neque ullatenùs fundari cæptum niſi circà Annum* 1469. *Emendandi propterea nonnulli Scriptores. Erroneæ eorum Opinionis Cauſa.*

IV. *Cænobij Mœnia, Templique Rudera. Cuinam conceſſa, & cuinam aſſignata Latifundia?*

V. Tuamenſes *Archipræſules Dominicani alibi memorati.*

VI. *Sex inſigniores Conventûs hujus Fratres, duæque juxta illum Sorores Martyrium paſſæ.*

VII. *Patres Quinque in Conventûs iſtius Diſtrictu verſantes Anno* 1755.

I. BURESULA, anglicè *Buriſhool*, hibernicè *Bureſuail*, id eſt, *Locus Territorij Pomorum*, ſic dicti quia Territorij illius Montes ſunt Figuræ Pomalis, Capitalis eſt Pagus Baroniæ ejuſdem Nominis in Agro *Mayonenſi*, Archidiæceſi verò *Tuamenſi*, ad Ripam Maris Occidentalis amænè ſitus, ubi Caſtrum erat, ut ex poſtmodùm dicendis clarebit (*b*). *Dubliniô* Centum Triginta Quinque ; *Caſtelbarrâ*, memorati Agri, ſeù Comitatûs, Capitali, Undecim ; *Ballinrobâ*, altero Vico capitali, Viginti Duobus ; *Tuamâ*, Triginta Sex ; *Galviâ*, Quinquaginta Tribus ; *Londino-Deriâ*, Centum & Quatuor ; *Corcagiâ*, Centum Triginta Sex, Milliaribus diſtat.

II. Tametsi, ut nuper ajebam (*c*), *Bonifacius* Papa VIII ſtrictè inhibuerit, & quidem ſub Pæna Excommunicationis, ne Fratres Ordinum Mendicantium Domum quampiam, ſivè Locum ad habitandum de novo, abſque ſpeciali Sedis Apoſtolicæ Licentia recipere præſumerent ; nihilominùs quidam Fratres Prædicatores *Hiberni* Prohibitionis iſtius immemores planè, ſi non omninò ignari, abſque laudatæ Sedis Apoſtolicæ Licentia, ſed ſolâ freti Approbatione Archiepiſcopi *Tuamenſis*, memoratum *Bureſulæ* Pagum pro Uſu & Habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis acceptarunt à *Rickardo de Burgo*, *Domicello*, ut loquitur *Innocentius* VIII, mox laudandus, *Tuamenſis Diæceſis*, ſed præſertìm prælibatæ Baroniæ *Bureſulenſis*, qui ob ſingularem, quam gerebat, ergà Ordinem Prædicatorum Devotionem, eidem Locum iſtum perpetuò conceſſerat, & donaverat circà Annum 1469, quo *Rickardus* ipſe *de Burgo*, Familiæ de *Turlogh* Primipilus, & Dominus *Mac-William Oughter*, Sæculo Nuncium remittens, Religioſum Statum amplexus eſt, ut refert *Lodgæus* (*d*), qui inſuper, ut obiter advertam, addit, ab eodem *Rickardo* rectâ Lineâ deſcendentem *Gulielmum de Burgo*, Ordinis Prædicatorum Alumnum (hujuſce Conventûs *Bureſulenſis* Filium), fuiſſe *Hiberniæ* Provincialem, & quiden Octennio conſequenter, ut Verbis utar *O-Heyni*, ab Anno ſcilicet 1674 ad 1682, ut ex dicendis ſuo Loco clarebit (*e*).

Porro

(*t*) Cap. præf. §. xvi. Num. viii. Pag. 261.

(*u*) Cap. præf. §. xxvii. Num. v. Pag. 292.

(*a*) Nuncupatio hæc conſtat ex Diplomate Pontificio, jam jam in Medium afferendo.

(*b*) Cap. xiv. Num. vii.

(*c*) Cap. præf. §. xxxv. Num. ii. Pag. 312.

(*d*) Vol. II. Pag. 315.

(*e*) Cap. xiv. Num. xiv. Videſis Cap. xvi. Num. vi.

PORRO, ut ad Rem noſtram redeamus, præfati *Bureſulenſes* Fratres, ſuum reſcientes Errorem, ſupplicem habuerunt Recurſum ad *Innocentium* VIII, Pontificem Maximum, à quo ea de Re Apoſtolicæ emanarunt Literæ Die 19 Februarij 1486, quas in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (f) legere eſt, Tenoris ſequentis:

“ Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo
“ Tuamenſi (*g*), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Immenſa Sedis Apoſtolicæ Benignitas (*h*) pijs Fidelium ſub Religionis Habitu Domino militantium, Votis libenter annuit, & honeſtis ſupplicum Precibus Favorem benevolum impertitur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte Donaldi Ymearan (*i*), Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſoris, Petitio continebat, quod olim quondam Richardus de Burgo, Domicellus Tuamen. Diæceſis (*k*), cupiens terrena

---

(*f*) Vol. IV: Pag. 9, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. xxiii. Fol. 37.

(*g*) Qui fuit tunc Temporis *Gulielmus Shiov*, alias *Joy*.

(*h*) Exordium deeſt in *Bullario*, & fortaſſis in *Archivo Apoſtolico*, aut *Archivo Ordinis*. Aliud tamen ejuſdem Tenoris ex prælibato Tom. IV. *Bullarij* Pag. 96. in Gratiam benigni Lectoris exſcribo.

(*i*) Forſitan *O-Moran*. Siquidem Cognomen *Ymearan* nunquàm legi, aut audivi.

(*k*) *Richardi* (ſed uſitatiùs *Rickardi*) iſtius *de Burgo* Avus erat Eques *Edmundus de Burgo*, agnominatus paſſim *Albanach* (recole Cap. præſ. §. viii. Num. iv. Lit. i. Pag. 225), primus Dominus *Mac-William Oughter*, ut Cap. præſ. §. xiv. Num. iii. Lit. q. Pag. 252, liquidò enarrabam, cujus Progenitores lato Calamo recenſiti fuere Cap. præſ. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275, alijſque in Locis ibi memoratis.

Prælibatus autem Eques *Edmundus* Conjugem ſibi adſcivit primò *Sabinam O-Maly*, ex qua nullam ſuſcepit Prolem; dein *Finuolam O-Kelly*, quæ peperit ipſi Equitem *Thomam de Burgo*, Dominum *Mac-William Oughter*, à *Richardo* Secundo Rege, Die 8. Decembris 1388, *Conaciæ* Præſidem conſtitutum, qui ex Filia *O-Connori* quinque genuit Liberos, (1) *Gualterum*, vulgò *Walterum*, à Domiciliorum Nominibus dictum de *Shruel*, & *Culeagh*, Dominum *Mac-William Oughter*, à quo deſcendunt nedùm Familiæ *Burgorum* de *Caſtlelacken*, de *Urey*, de *Monycrower*, de *Cloghans*, de *Daurus*, de *Eleſtran*, de *Ballymahena*, de *Ballinrobe* &c in Agro *Mayonenſi*, ſed etiam Familiæ *Burgorum* de *Dromkeen* in Agro *Limericenſi*, ac de *Newtown*, & *Thomaſtown* in Agro *Tipperarienſi*. *Joannes* ſiquidem de *Burgo*, memorati *Walteri* Primogenitus, Uxorem ducens *Jacobi Butleri*, Comitis *Ormondiæ*, & Proregis *Hiberniæ* Sororem, ampliſſima aſſecutus eſt Latifundia in Agro *Tipperarienſi*, quorum nonnulla poſtmodùm pro Latifundijs in Agro *Limericenſi* commutavit; (2) *Edmundum* hibernicè *Ny Feſoig*, id eſt *Barbatum*, paſsìm agnominatum, Domini Vicecomitis *Mayonenſis*, ut mox oſtendetur, Progenitorem; (3) *Thomam* (Juniorem) de *Moyne-Culeagh*, Cænobij Franciſcani *Moynenſis* in Baronia *Teramlenſi* (vulgò *Tirawly*) & Agro *Mayonenſi*, Teſte *Lodgæo*. Vol. II. Pag. 315, Fundatorem, atque Dominum *Mac-William Oughter*, Anno 1460 defunctum; (4) *Rickardum* à Caſtri ſui Allodialis Nomine *de Turlogh* appellatum, Dominum *Mac-William Oughter*, Conventûs hujus *Bureſulenſis*, ut in *Innocentiana* refertur Conſtitutione, Fundatorem, qui, ut nuper in Textu ajebam, Dominio ſuo Nuncium remittens, Statum Religioſum ingreſſus eſt Anno 1469. Hujus Filius Nomine *Ulicus*, genuit *Edmundum*, Patrem *Davidis*, cujus Filius *Theobaldus* ſuſcepit *Walterum*, qui ultrà Septem Filias, ſpectabilibus Viris nuptas, Quinque habuit Liberos, quorum quartus erat *Gulielmus de Burgo*, Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ*, ut in Textu præfertur. Primogenitus autem, Nomine *Theobaldus*, ſpacioſum ſuum Latifundium de *Turlogh* reapsè poſſidebat ad Annum uſque 1641, quo primûm in *Anglia*, dein in *Hibernia* Rebellio *Calviniſtarum* contrà *Carolum* Primum Regem exorta eſt, ut datâ Operâ narrabitur Cap. xvii. à Num. xxxvi. Uxorem duxit *Margaritam*, Equitis *Theobaldi de Burgo*, Primi Vicecomitis *Mayonenſis* Filiam tertio genitam, ex qua ſuſcepit *Rickardum*, cui *Celia*, Equitis *Dermodi O-Shaghanuſſy* de *Gort*, necnon *Matildæ O-Brien* è Comitibus *Thomondienſibus*, Nata peperit ſeptem Liberos, quorum primus, Nomine *Gualterus*, ſeù *Walterus*, famigeratus erat Chiliarcha (vulgo *Colonellus*) ille Legionis, ſeù *Regimenti*, ut vocant, Hibernici ad Regem Chriſtianiſſimum ſpectantis, qui *Cremonam* contrà Principem *Eugenium* de *Subaudia* Anno 1701 pluſquàm ſtrenuè, & magnanimiter defendit, propterea *Marſhallus Campi*, ut ajunt, illicò conſtitutus. Piè obijt *Barcinone* Anno 1715, unum poſt ſe relinquens Filium

“ rena in celeſtia, & tranſitoria in æterna, felici Commercio commutare, ac pro ſuæ, & Progenitorum
“ ſuorum Animarum Salute, ob ſingularem Devotionem, quam ad dictum Ordinem gerebat, quendam
“ Locum

lium *Rickardum*, Centurionem, vulgò Capitaneum, in *Gallia*, adhuc florentem ; unamque Filiam *Catharinam*, Equitis *Richardi Nagle*, non ità pridem Cap. præf. §. xxx Num. iii. Lit. l. Pag. 313.) laudati, Filio nuptam ; (5) *Joannem*, dictum de *Munter-Creaghan*, cujus Filius *Hugo*, Progenitor fuit Familiæ cognominatæ *Mac Hugo de Burgo*. Atque hæc ſufficerent pro Notitia Progeniei Fundatoris Cænobij hujus *Bureſulenſis*, *Rickardi* nempè *de Burgo*. Nihilominùs ut Promiſſis (Cap. præf. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275.) ſtem, Opus erit ſuprà recenſiti *Edmundi* (Albanach) *de Burgo* Poſteros uſque ad ſingulos Dominos Vicecomites *Mayonenſes* in Medium afferre, quod paucis me expediam.

Itaque *Edmundus* (Barbatus) *de Burgo* mox memoratus, alterius jam dicti *Edmundi* (Albanach) ex *Thoma* Filio Nepos, Anno 1440 Fratri ſuo *Waltero* ſucceſſit in Dignitate Domini *Mac-William Oughter*, quam ad Obitum uſque Anno 1458 incidentem tenuit, ei ſtatìm ſuccedente alio ipſius Fratre *Thomâ*, Juniore. Uxorem duxit *Edmundus Barbatus Honoriam*, *Ulici* (Rufi) *de Burgo*, Domini *Mac-William Eighter*, ſivè *Clanrickardienſis*, Filiam, ex qua Tres genuit Liberos, (1) *Rickardum*, ob ſuam in Rebus bellicis Peritiam, atque Ferociam, ab *Hibernis* paſſim appellatum *O-Courſkey*, qui ex *Mac-Jordani* Nata Quinque ſuſcepit Filios, nempè *Edmundum*, *Walterum*, *Thomam*, *Joannem* (cujus ex Filio *Oliverio* Nepos *Joannes*, agnominatus *Magnus*, Eques Auratus, ex *O-Donnelli*, Domini de *Tyrconnell*, Filia genuit *Theobaldum*, qui Anno 1596, regnante *Elizabethâ*, exulare compulſus, benignè receptus fuit à Rege *Hiſpaniarum* Catholico, *Philippo* II, atque Marchio de *Mayo* creatus, Teſte *Lodgæo* Vol. II. Pag. 322), & *Rickardum*, *Burgorum* de *Caſtlebar*, de *Tirawly*, de *Ardnaree*, de *Caſtlelacken*, de *Newtown*, de *Loughmeaſk*, de *Caſtle-Cloghans*, de *Roppagh*, de *Rathroe*, de *Inniſcoe*, de *Carukill*, de *Ballintobber*, Progenitores ; (2) *Ulicum*, Vicecomitis *Mayonenſis* Majorem ; (3) *Thomam*, dictum *Rufum*, Familiæ *Burgorum* de *Ballinghana* in *Teramla*, ſeù *Tyrawlia*, Anteceſſorem.

Ulicus, ſecundus *Edmundi Barbati* Filius, ex *Sabæ O-Kelly* de *Callow*, Armigeri, Natâ genuit *Edmundum*, cujus Filio *Davidi* prior Conjux, *Joannis* (Fitz-Oliverij) *de Burgo* Filia, peperit *Walterum (Fadda*, id eſt, *Longum)* Progenitorem *Burgorum* de *Partry*; ſecunda verò Conjux, *Finuola O-Flaherty*, peperit Equitem *Rickardum (An-Jarain*, id eſt *Ferreum)* Bellatorem ſtrenuum, & invictum, qui ex *Grania*, (alijs *Griſella) O-Maly*, Dynaſtæ *O-Flaberti* Viduâ, genuit Equitem *Theobaldum* *(Ny Lung*, id eſt, *de Navibus*, quia Mari in Navium Claſſe natum) Primum Dominum Vicecomitem *Mayonenſem*, à *Carolo* I Rege Die 21 Junij 1627 creatum, atque *Novæ Scotiæ* (conſule Cap. i. Num. vi. Pag. 9.) Baronettum, quo honorario Titulo Primogenitus pro Tempore hujus Familiæ, vivo Patre, decoratur, ut rectè advertit *Lodgæus* Vol. II. Pag. 328. Nuptijs copulatus erat *Matildæ*, *Caroli O-Connori*, Sligoenſis, Natæ, quæ ei quatuor peperit Filios, nempè (1) Equitem *Milonem*, ipſius Heredem, de quo mox dicetur ; (2) *Davidem*, ſine Prole defunctum ; (3) *Theobaldum (Riabbach*, id eſt *Fortem)*, cujus maſculina Poſteritas prorſùs extincta eſt ; (4) *Rickardum (An Jarain*, id eſt *Ferreum)* cujus ex Filio *Theobaldo* Nepos, Nomine *David*, Uxorem habuit *Mariam*, *Richardi Fitz-Maurice*, Armigeri, Filiam, ex qua ſex ſuſcepit Liberos, *Theobaldum* nempè *Patritium*, *Rickardum*, *Joannem*, *Stephanum*, & *Milonem*, adhuc viventes, præter Primogenitum *Theobaldum*, cui tamen unus Filius, unaque Filia ſuperſunt.

Eques *Milo de Burgo*, Secundus Vicecomes de *Mayo*, Uxorem duxit *Honoriam*, Equitis *Joannis de Burgo*, Familiæ de *Derrymaclagne* Primipili, & *Margaritæ* item *de Burgo* è Comitibus de *Clanrickard* Filiam, ex qua ſuſcepit Equitem *Theobaldum*, tertium Vicecomitem *Mayonenſem*, ſub *Cromuello* Tyranno injuſtè occiſum, Teſte *Antonio Bruodino*, Ordinis Minorum, Scriptore coævo, in *Deſcriptione Regni Hiberniæ*, ſecundis Curis vulgatâ *Romæ* 1721, Cap. viii, cui Titulus: *De Martyribus pro Defenſione Catholicæ Fidei à rebellibus Regicidis in Hibernia occiſis*, Pag. 99, cujus hæc ſunt Verba :

“ *Theobaldus de Burgo*, Vicecomes de *Mayo*, Vir
“ verè Illuſtriſſimus, Deoque, ac Regi ſuo fideliſ-
“ ſimus, ab Hereticis capitur, poſt Fædus jam ini-
“ tum cum toto Regno, *Galviæ* in *Conacia* Globis
“ trajicitur Anno 1651.”

Domino iſti Vicecomiti *Theobaldo* Conjux *Talbota*, Natione *Angla*, è Comitibus *Salopiæ*, peperit Equitem *Theobaldum*, quartum Vicecomitem *Mayonenſem*, abſque Prole Anno 1676 defunctum ; & *Milonem*, quintum Vicecomitem, Anno 1687 denatum, qui ex *Joannam Berminghama*, è Baronibus *Athenriæ*, unicum reliquit Filium *Theobaldum*, Anno 1681 natum, ſextum Vicecomitem *Mayonenſem*, qui Anno 1741 Diem claudens extremum, ex *Mariâ*, Chiliarchæ *Joannis Browne* de *Weſtport*, & *Matildæ de Burgo*, (cujus Pater erat *Theobaldus*, Vicecomes tertius prælibatus) Filiâ, duos poſt ſe reliquit Liberos, nempè Equitem *Theobaldum*, Vicecomitem ſeptimum, abſque Prole vivente Anno 1742 defunc-

“ Locum de Burges Vaill (*l*), Cartam gracilem nuncupatam, dictæ Diæceſis, ad ipſum Richardum tunc legitimè pertinentem, aptum, & decentem pro Ædificatione, & Conſtructione unius Domûs, pro Uſu, & Habitatione Fratrum ejuſdem Ordinis, præſertim cum nulla Domus ipſius Ordinis per duodecim Milliaria in Partibus circumvicinis reperiretur conſtructa, in puram Eleemoſynam dicto Ordini perpetuò conceſſit, & donavit, quas quidem Conceſſionem, & Donationem poſtmodùm tunc Archiepiſcopus Tuamen. laudavit, & probavit, ac Auctoritate ordinariâ confirmavit, prout in quibuſdam Literis authenticis, deſuper confectis, dicitur pleniùs contineri ; & deindè quondam Ruriacus, etiam Ymearan, dicti Ordinis Profeſſor, nullâ à Sede Apoſtolica per eum Licentiâ deſuper obtentâ, ad dictum Locum ſe tranſtulit, & inibi quandam Domum ligneam conſtrui, & ædificari cum certa Agricultura fecit, & inchoavit; & tàm ipſe Ruriacus, quàm alij Fratres dicti Ordinis poſtmodùm ipſam Domum inhabitarunt, & in ea ſub Regulari Habitu dicti Ordinis permanſerunt, latam in Ordinum Mendicantium Profeſſores nova Loca ad inhabitandum ſine Licentia Sedis prædictæ recipientes, Excommunicationis Sententiam damnabiliter incurrendo, & illâ ligati exiſtentes, Miſſas, & alia divina Officia, non tamen in Contemptum Clavium, celebrarunt, & illis ſe aliàs immiſcuerunt, Irregularitatis Maculam contrahendo. Quarè pro Parte dicti Donaldi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum Donaldum, & alios Fratres prædictos à dicta Excommunicationis Sententia abſolvere, & ſuper Irregularitate prædicta diſpenſare, necnon Conceſſioni, & Donationi prædictis, pro earum Subſiſtentia firmiori, Robur Apoſtolicæ Confirmationis adjicere, & ei, & alijs dicti Ordinis Fratribus, Domum prœdictam pro eorum Uſu, & Habitatione recipiendi, & cum Eccleſia, Campanili humili, Campana, Cæmeterio, Dormitorio, Clauſtro, & Refectorio, Hortis, Hortalitijs, & alijs neceſſarijs Officinis perficiendi, & reformandi, ac perpetuò inhabitandi, Licentiam concedere, aliaſque ſuo, & aliorum Fratrum Statui in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Salutem quærimus ſingulorum, & Religionem hujuſmodi ubilibet propagari, ac Cultum divinum vigere, & augeri, noſtris potiſſimè Temporibus, intenſis Deſiderijs affectamus, de præmiſſis certam Notitiam non habentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Fraternitati tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs Donaldum, & alios Fratres prædictos, ſi humiliter petierint, ab Exceſſu, & Excommunicationis Sententia prædictis, Auctoritate noſtrâ hac Vice duntaxàt abſolvas in Forma Eccleſiæ conſueta, injunctis eis pro Modo Culpæ Penitentiâ ſalutari, & alijs, quæ de Jure fuerint injungenda, ſecumque ſuper Irregularitate prædicta diſpenſes, aboleaſque omnem Inhabilitatis, & Infamiæ Maculam, per eos præmiſſorum Occaſione contractam, & ſi Abſolutionem, Diſpenſationem, & Abolitionem prædictas per te Vigore præſentium fieri contigerit, ut præfertur, & vocatis dicti Donatoris Hæredibus, & alijs, qui fuerint evocandi, de Conceſſione, & Donatione, ac Confirmatione prædictis tibi legitimè conſtiterit, illas, & prout eas concernunt, omnia, & ſingula, in dictis Literis contenta, & quæcunque indè ſecuta, dictâ Auctoritate approbes, & confirmes, ſuppleaſque omnes, & ſingulos Defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, ac Donaldo, & alijs Fratribus prædictis, Locum, & inceptam inibi Domum, pro Uſu, & Habitatione eorum recipiendi, & cum Eccleſia in Honorem, & ſub Invocatione B. M. Virginis, Campanili humili, Campana, Refectorio, Dormitorio, Clauſtro, Hortis, Hortalitijs, & alijs neceſſaris Officinis perficiendi, & reformandi, ac perpetuò inhabitandi, ſine cujuſcumque Præjudicio, Licentiam eadem Auctoritate concedas. Non obſtantibus præmiſſis, ac felicis Recordationis Bonifatij PP. VIII, Prædeceſſoris noſtri, prohibente, ne cuivis Ordinis Mendicantium ad inhabitandum nova Loca recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ Licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum de Prohibitione hujuſmodi Mentionem, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon dicti Ordinis, Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis alia Firmitate vallatis, cæteriſque contrarijs quibuſque. Nos enim, ſi Licentiam hujuſmodi per te Vigore præſentium concedi contigerit, eidem Domui, & Priori, ac Fratribus, qui illam pro Tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis Privilegijs, Libertatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, & Gratijs, alijs Domibus, & in illis pro Tempore degentibus, Prioribus, & Fratribus dicti Ordinis per Sedem Apoſtolicam, vel aliàs in Genere conceſſis, & quibus aliæ Domus, & illarum Priores, & Fratres

“ dicti

---

defunctum ; & *Joannem*, octavum Vicecomitem, adhuc florentem : Treſque Filias, ſcilicèt *Joannem*, *Morgano O-Flahertæo* (recole nuper dicta Cap. præc. §. xxxiii. Num. iii. Lit. h. Pag. 309.) Armigero, nuptam ; *Elizabetham*, in Monaſterio *Dublinienſi*, Ordinis Prædicatorum, Monialem, præclaris Moribus ornatam, nunc Prioriſſam vere idoneam ; & *Brigidam*, *Briani Gunning* de *Caſtle-Coot*, in Agro *Roſcomanienſi*, Armigeri, Conjugem, atque *Elizabethæ*, Duciſſæ de *Hamilton*, in *Scotia* Primariæ, ac de *Brandon* in *Angliæ*, & *Mariæ* Comitiſſæ de *Coventry* in *Anglia*, florere incipientium, Matrem adhuc florentem.

(*l*) Legitur apud Hibernos *Bures-Uaill.*

“ dicti Ordinis, in Genere utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri & gaudere liberè, & licitè valeant, Apoſtolicâ Auctoritate, præſentium “ Tenore, concedimus. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quinto (*m*), Undecimo Kalendas Martij, Pontificatûs noſtri Secundo.”

III. Ex his liquet primò, ritè fundatum non fuiſſe Cænobium noſtrum *Bureſulenſe* uſque ad Annum 1486, immò nec ullatenùs inceptam ejus Fundationem niſi circà Annum 1469. Hinc longè à Scopo aberrat *O-Heynus* (*n*), proindeque emendandus, dum ait: “ Fundatio hæc incepiſſe debet regnante Sereniſſimo Domino *Carolo O-Connor*, vulgariter *Rubræ Manûs*; iſte “ autem regnare cæpit 1188, & obijt 1224 (*o*). Determinatum verò Fundationis Annum non ſcio.” Enimverò ſi ità Res ſe haberet, Conventus iſte *Bureſulenſis* Locum obtinuiſſet in pervetuſto *Catalogo omnium Ordinis Prædicatorum Conventuum in Hibernia antè Annum* 1300, quem alibi exſcriptum habes (*p*).

LIQUET ſecundò, emendandos quoque *Waræum* (*q*), & *Alemandum* (*r*), ut nihil dicam de *Harriſio* (*s*), iterumque *O-Heynum*, quorum priores autumant, Cænobium hoc *à Pincernarum, ſivè Butlerorum*, (*t*) *Familia* conſtructum, poſterior verò *Alemandum* datâ Operâ refellens, affirmat, id fundatum “ à Domino *O-Maly*, Dynaſtâ quondam illius Territorij vocati *Ouall vi Mbaly* “ hibernicè (*u*), & eſt illud ſatis amplum.” Relatum ſiquidem Apoſtolicæ Sedis Oraculum Dubium omne ſuſtulit, Beneficium iſtud *Richardo de Burgo, Domicello Tuamenſis Diæceſis*, rotundis Verbis adjudicans. Cæterùm planè excuſandi ſunt Scriptores memorati, quandoquidem, diſperſis per Hæreticorum Rabiem *Bureſulenſibus* Fratribus, Pontificij iſtius Diplomatis Exemplaria in *Archivo Apoſtolico*, & *Archivo Ordinis* latebant uſque ad Annum 1732, quo hujuſmodi Res in quarto *Bullarij Ordinis Prædicatorum* Tomo fuit Juris publici facta.

IV. CÆNOBIJ Mænia etiamnùm videre eſt, Templi verò nonniſi Rudera, Latifundia autem conceſſa fuere *Nicolao Weſton*, Armigero, dein *Theobaldo Dillon*, Vicecomiti de *Coſtello-Gallen* (*w*), aſſignata (*x*).

V. ARCHIDIÆCESIS *Tuamenſis* Antiſtites Dominicanos alibi recenſebam, de *Athenrienſi* Cænobio Sermonem faciens (*y*).

VI. FILIUS porrò hujus Conventûs, *Richardus O-Heain*, aliàs *Eano*, renunciatus fuit Archiepiſcopus *Armacanus*, ut poſt *Cavalerium* refert *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*z*). Hic autem, inquit *O-Heynus* (*a*), “ Condiſcipulus meus *Salmanticæ* erat, & eſt vivaciſſimi Ingenij. Con“ curſu publico obtinuit Lectoratum Theologiæ in Conventu S. Mariæ Sanitatis *Neapoli*, in qua “ Civitate docuit Theologiam cum magno Profectu, & Laude viginti Annis. Affiliatus eſt ibi, “ & Magiſter dignus in illa Provincia eſt.” Hæc *O-Heynus* Anno 1706. Quibus addidiſſe ſufficiat, laudatum egregium Virum diù poſteà Miſſionarium Apoſtolicum egiſſe *Londini*, atque Sacellanum Majorem apud Oratorem Regis *Hiſpaniarum*, necnon piè ibidem obijſſe Anno 1728 (*b*).

DE alio quoque egregio Conventûs ejuſdem Filio, *Joanne O-Ruain*, ſuo Loco Sermonem inſtituam (*c*), ſicut & de nuperrimè memorato *Gulielmo de Burgo*, Juniore, *Hiberniæ* Priore Provinciali (*d*).

(*m*) Stylo Bullarum, Æræ communis 1486, ibidem advertit *Bullarium*.

(*n*) Pag. 37.

(*o*) Confer Cap. ix. §. viii. Num. viii. Lit. r. Pag. 229.

(*p*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(*q*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 222.

(*r*) Pag. 225.

(*s*) Vol. II. Pag. 277. Hujus etiam Cænobij meminit *Echardus* Tom. ii. Pag. 13.

(*t*) Confer §. xviii. hujus Cap. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

(*u*) Id eſt, *Poma O-Malyorum*.

(*w*) Conſulendus §. xxxv. Cap. præs. Num. iii, Lit. o. Pag. 314.

(*x*) *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*y*) Cap. præs. §. viii. Num. xvii. Pag. 234.

(*z*) Tom. viii. Pag. 521.

(*a*) Pag. 38.

(*b*) Adeas Cap. præs. §. ii. Num. xi. Pag. 203; Cap. xii. §. i. Num, iii; & Cap. xiii. Num. lxxii,

(*c*) Cap. xv. Num. xvii.

(*d*) Cap. xiv. Num. xix,

ALIBI quoque (*e*) meminero quatuor inſignium ejuſdem hujus Cænobij Sodalium, qui vel felici Agone poſuerunt Animas ſuas pro Amicis ſuis, vel publicâ Virtutis Opinione clari extitere, *Edmundi* nempè *de Burgo*, *Thomæ Mac-Philbini*, *Caroli Mac-Cuil*, & *Dominici Mac-Philbini*; necnon duarum Sororum, *Honoriæ* ſcilicet *de Burgo*, & *Honoriæ Magaen*, quæ Virginitatis Candori Purpuram Martyrij juxtà Conventum hunc adjungentes, ut Sponſo candido, & rubicundo ſe probarent, ad Agni Nuptias tranſierunt.

VII. PATRES in Conventûs iſtius Diſtrictu verſantes Anno 1756 ſunt Quinque, nimirùm, R. P. Prædicator Generalis Fr. *Franciſcus Mac-Donnell*, Prior, Ætatis Anno 53, Profeſſionis 34; P. Fr. *Antonius Mac-Donnell*, Supprior, Ætat. 66, Prof. 45; P. Fr. *Dominicus Barrett*, Ætat. 72, Prof. 44; P. Fr. *Dominicus Healy*, Ætat. 55, Prof. 26; & P. Fr. *Franciſcus de Burgo*, Ætat. 34, Prof. 17.

§. XXXVIII.

De *Galvienſi* Cænobio *B. Mariæ Virginis* (*a*) in ejuſdem Nominis Agro *Conaciæ*.

ANNO 1488.

SUMMARIUM.

I. Galvienſis *Oppidi Nomenclatura, & Deſcriptio. Ejus Privilegia, tàm civilia, quàm eccleſiaſtica, nominatim peculiare illud de* Wardiano, *Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habente. Lis de eo* Romæ *agitata.*

II. *Capella juxtà* Galviam, *olim Juris Canonicorum Regularium Præmonſtratenſium* Tuamæ, *ab* Innocentio *VIII Anno* 1488 *Fratribus Pcædicatoribus conceſſa, ſicque fundatus ipſis* Galvienſis Conventus. *Exſcribitur Diploma* Innocentianum.

III. *Menda* O-Heyni *iſtis de Rebus emendata.*

IV. *Extat duntaxàt Cæmeterium Cænobij, Solo æquati in* Cromuelliana *Tyrannide, neque poſtmodùm reſtaurati. Eò Loci nunc Sacellum, & Domuncula octo circiter Fratrum, Fidelem Populum aptè ædificantium. Dominus Fundi modernus.*

V. Tuamenſes *Archiepiſcopi Dominicani anteà memorati.*

VI. *Epiſcopus* Duacenſis, & Fenaborenſis, *atque Vicarius Apoſtolicus* Duacenſis, *hujus Conventûs Alumni; ſicut & Tres Provinciales, totidemque Scriptores, aliquotque alij Viri egregij, quos inter Septem publicâ Virtutis Opinione clari.*

VII. *Novem Sodales in Conventûs hujus verſantes Diſtrictu Anno* 1756.

I. GALVIA, alijs *Galliva*, anglicè *Galway* (*b*), hibernicè *Gaillibb*, id eſt, *Locus Anglorum* (appoſitè ſic dictus quia à Colonis, ex *Anglia* in *Conaciam* profectis, ædificatus circà Annum Chriſti 1300) etſi Titulum mereatur Civitatis, & quidem in *Conacia* facilè primæ, reapsè tamen Vigore Regij Diplomatis *Oppidum* duntaxàt eſt, à Prætore nihilominùs cum Senatoribus, vulgò *Majore* & *Aldermannis* (*c*) gubernatum, atque in ſe Jura habens, & Privilegia Comitatûs, quod duobus ſolummodò alijs *Hiberniæ* Oppidis, neque omnibus Civitatibus, competit, ut alibi explicabam (*d*). Municipium (*e*) eſt, Mænibus denſiſſimis, & Caſtro firmatum, elegans valdè, & ſolido Saxo Formâ propemodûm orbiculari conſtructum ſuper Crepidinem magni, & piſcoſi Fluminis, ex Lacu dicto *Corrib*, Triginta Milliaribus longo, & Septem alicubi lato, navigabili utique, & trecentis Inſulis graminoſis, & penniferis diſtincto, deſcendentis, quod in Auguſtias coarctatum, *Galviam* ſubluens, in Mare præceps cadit, ubi Cataracta eſt, ingenſque Salmonum Saltus

---

(*e*) Cap. xvi. Num. vi, xxxix, xliv, xlv, & ciii.

(*a*) Invocatio iſta ex Literis Apoſtolicis, protinùs afferendis, clarebit.

(*b*) Ab Exteris ſæpenumerò confunditur cum *Gallovidia*, *Scotiæ* Regione, anglicè dictâ *Galloway*.

(*c*) Recole Cap. præs. §. i. Num. vii. Lit. k. Pag. 189.

(*d*) Cap. præs. §. ii. Num. i. Pag. 199.

(*e*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

Saltus. Hinc Portus eſt maritimus, & quidem nulli, inquit *Porterus (f)*, in *Hibernia* ſecundus, atque Mercatoribus uſque adeò frequens, ut audiverim ibi a Fide dignis etiamnùm viventibus, ſe aliquandò vidiſſe Octoginta Naves mercatorias juſtæ Molis ad *Galviam* ſpectantes, nunc autem vix Treſve Quatuorve exiſtunt. Emporium eſt ſat commodum, ibique quater in Anno Nundinæ habentur, nimirùm Diebus 31 Maij, 4 Septembris, 21 ejuſdem, & 21 Octobris. Ibi inſuper Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ (g)*, Vernali, & Autumnali Temporibus celebrantur. Titulum præbet Domini Vicecomitis, qui, regnante *Jacobo* Secundo, erat *Ulicus de Burgo*, è Comitibus de *Clanrickard*. ut ſuperiùs oſtendebam (*b*), nunc autem eſt *Gulielmus Moncton*, Natione *Anglus*, à regnante *Georgio* Secundo Die 17 Julij 1727 creatus.

Galvia primitùs intrà *Enachdunenſis* Diæceſis, quæ à multis jam Annis (*i*) Archidiæceſi *Tuamenſi* unita eſt, Fines comprehendebatur, ut vel ex *Innocentianâ* Conſtitutione, in Medium protinùs adducendâ, conſtabit. Poſtmodùm verò per aliam ejuſdem Pontificis Conſtitutionem exempta fuit ab *Enachdunenſis* Epiſcopi Juriſdictione, & in ſpecialem Præpoſituram, ſeù Diſtrictum, quem *Wardianatum* vocant, ex *Galvienſi* Oppido, quibuſdamque ei conterminis Parochijs coaleſcentem, erecta, ità ut *Wardianus* Juriſdictionem habeat quaſi Epiſcopalem, ſolâ ei deficiente Pontificali Dignitate; neque quid ſimile reperitur in univerſa *Hibernia*. Dùm *Romæ* eſſem ingens ea de Re vertebatur Lis Archiepiſcopum *Tuamenſem* inter, & Clerum Populumque *Galvienſem*, ſed tandem ex Conventione deciſum fuit, ut, firmis manentibus *Wardiani Galvienſis*, à Clero, & Oppidanis electi, Juribus, Diſtrictus ipſius triennali ſubſit Viſitationi Archipræſulis *Tuamenſis*, ut fuſè opportuèque narrabitur Cap. xii. §. iii. Num. xiv. ad Lit. p. ubi Duo deſuper Pontificia Diplomata in Medium adducam. Porrò *Galvia* diſtat *Dubliniô* Nonaginta Quinque Milliaribus; *Enachduno* memorato, Novem; *Tuamâ*, Septemdecim; *Athloniâ*, in *Conatiæ Lageniæque* Collimitio, Quadraginta; *Corcagiâ*, Octoginta Sex; *Londino-Deriâ*, Centum Viginti Quinque.

II. Quandoquidem *Capella* dicta *B. Mariæ de Colle*, extrà, & propè Occidentalem *Galviæ* Portam, dùdum Monaſterij *S. Trinitatis* Ordinis Præmonſtratenſis apud *Tuamam* Filia, à memorati Monaſterij Canonicis Regularibus diù derelicta fuerit, diùque per Clericos Sæculares detenta, idcircò Oppidani *Galvienſes* ſupplices facti ſunt apud S. Sedem Apoſtolicam pro Conceſſione prælibatæ Capellæ Fratribus Prædicatoribus, eo Conſilio, ut nempe exemplari ipſorum Vitâ, aſſiduâ, & devotâ Divinorum Celebratione, Audientiâ Confeſſionum, & Prædicationibus Verbi Dei, ac Exhortationibus ad benè vivendum, ipſimet Oppidani Animarum ſuarum Salutem faciliùs conſequi poſſent. Precibus benignè annuit, Die 4 Decembris 1488, tunc feliciter regnans Summus Pontifex *Innocentius* VIII, Rem ab Ovo, ut ajunt, enarrans, Facultatemque concedens Conventum fundandi, ſequenti Diplomate, quod in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*k*) invenire eſt.

“ Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filijs Decano, & Willelmo
“ Omullarchlyn, & Willelmo Machay, Canonicis Eccleſiæ Enachdwen. Salu-
“ tem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cognita Devotionis Conſtantia, Fidei quoque Integritas, quas dilecti Filij Incolæ Oppidi Galwye,
“ Enachdwen. Diæceſis, ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, non indignè promerentur (*l*), ut eo-
“ rum Petitiones, illas præſertim, quæ, etiam Animarum propagatâ Salute, Sacræ Religionis Augmen-
“ tum reſpiciunt, quantùm cum Domino poſſumus, ad Exauditionis Gratiam admittamus. Cum ita-

---

(*f*) In *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, Pag. 42.

(*g*) Legeſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*b*) Cap. præs. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275.

(*i*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(*k*) Tom. iv. Pag. 41, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxvii, Fol. 19.

(*l*) Hìc *Bullarium* remittit ad ejuſdem Tenoris Exordia, ex quibus in Gratiam Lectoris, *Bullarium* non habentis ad Manum, reliqua Exordij hujus Verba exſcribo, ut ſunt in ejuſdem *Bullarij* Tom. ii. Pag. 677; & Tom. iii. Pag. 344.

“ que, ſicut accepimus, Capella B. Mariæ de Colle extrà, & propè dictum Oppidum vacet ad præſens,
“ & tanto Tempore vacaverit, quod de ejus Vacationis Modo certa Notitia non habetur, &, ut exhibita
“ Nobis nuper pro Parte Incolarum prædictorum Petitio continebat, ipſi ſperent, quod ſi Ordinis Fratrum
“ Prædicatorum Profeſſores, ad quos gerunt ſpecialem Devotionis Affectum, haberent in dicto Oppido,
“ aut extra, propè illud, aliquam Domum pro decenti Habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum
“ dicti Ordinis, ipſi Incolæ eorundem Prioris, & Fratrum pro Tempore in dicta Domo habitantium, exemplari
“ Vitâ, aſſiduâ, & devotâ Divinorum Celebratione, Audientiâ Confeſſionum, & Prædicationibus
“ Verbi Dei, ac Exhortationibus ad benè vivendum, faciliùs poſſent conſequi Animarum ſuarum Salutem,
“ fuitque propterea pro Parte eorundem Incolarum Nobis humiliter ſupplicatum, ut Capellam prædictam,
“ quæ, etſi, ut à nonnullis aſſeritur, ad Collationem, Præſentationem, ſeù aliam Diſpenſationem
“ dilectorum Filiorum Abbatis, & Conventus Monaſterij S. Trinitatis Præmonſtraten. Ordinis, Tuamen.
“ Diæceſis, ſeù aliàs pertineat, tamen à longo Tempore citrà per diverſos Clericos Sæculares de Facto
“ detenta fuit, dicto Ordini Fratrum Prædicatorum, & pro illo, Priori Provinciali, & Fratribus Provinciæ
“ Hiberniæ (*m*) dicti Ordinis ſecundùm Morem ejuſdem Ordinis applicare, & ut apud illam, unam Domum
“ cum opportunis Campanili, Campana, Cæmeterio, Dormitorio, Refectorio, Clauſtro, Hortis,
“ Hortalitijs, & alijs neceſſarijs Officinis conſtrui, & ædificari facere, ac pro eorum perpetuis Uſu, & Habitatione
“ recipere, & inhabitare valerent, Licentiam concedere, aliàſque in præmiſſis opportunè providere,
“ de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Animarum Salutem procurari, Religionis
“ Statum propagari, & divinum Cultum adaugeri, noſtris potiſſimè Temporibus, ferventibus Deſiderijs
“ affectamus, verum ultimæ Vacationis dictæ Capellæ Modum, etiamſi ex illo, vel Loco ejus, generalis
“ Reſervatio reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Diſcretioni
“ Veſtræ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs Vos, vel Duo, aut Unus Veſtrum, ſi, & poſtquam,
“ vocatis Abbate, & Conventu prædictis, & alijs, qui fuerint evocandi, ità eſſe repereritis, Capella
“ prædicta, quæ ſine Cura eſt, & cujus Fructus, Redditus, & Proventus unius Marchæ Sterlinghorum,
“ ſecundùm Exiſtimationem, Valorem annuum, ut dicti Incolæ aſſerunt, non excedunt, quovis
“ Modo, & ex cujuſcunque Perſona, etiamſi per liberam cujuſvis Reſignationem de illa extrà Romanam
“ Curiam, etiam coram Notario Publico, & Teſtibus ſpontè factam, vacet, & tanto Tempore vacaverit
“ quod ejus Collatio juxtà Lateran. Statuta Concilij ad Sedem Apoſtolicam legitimè devoluta, ipſaque
“ Capella Diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper eâ inter aliquos Lis, cujus
“ Statum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodò Tempore Datæ Præſentium
“ non ſit in ea alicui ſpecialiter Jus quæſitum cum omnibus Juribus, & Pertinentijs ſuis, Ordini, &
“ pro illo, Priori Provinciali, & Fratribus prædictis, Auctoritate noſtrâ concedatis, & ut apud illam,
“ unam Domum cum Campanili, Campana, Cæmeterio, Dormitorio, Refectorio, Clauſtro, Hortis, Hortalitijs,
“ & alijs neceſſarijs Officinis conſtrui, & ædificari facere, ac pro eorum perpetuis Uſu, & Habitatione
“ recipere, & inhabitare liberè, & licitè valeant, Jure tamen Parochialis Eccleſiæ, & dicti Monaſterij,
“ ac cujuſlibet alterius in reliquis omnibus ſemper ſalvo, & ſine Præjudicio cujuſcunque, dictâ
“ Auctoritate, Licentiam largiamini, inducentes per Vos, vel alium, ſeù alias, eoſdem Priorem, & Fratres,
“ vel eorum Procuratorem eorundem Nomine in corporalem Poſſeſſionem Capellæ, Juriumque, &
“ Pertientiarum prædictorum, & defendentes inductos, amoto exindè quolibet illicito Detentore, ac facientes
“ eis de ipſius Capellæ Fructibus, Redditibus, Proventibus, Juribus, & Obventionibus univerſis
“ integrè provideri. Contradictores Auctoritate noſtrâ per Cenſuram Eccleſiaſticam, Appellatione poſtpoſitâ,
“ compeſcendo. Non obſtantibus felicis Recordationis Bonifatij PP. VIII, Prædeceſſoris noſtri,
“ præſertim prohibente, ne prædicti, & aliorum Mendicantium Ordinum Fratres, nova Loca ad inhabitandum
“ recipere præſumant, abſque Sedis Apoſtolicæ Licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam
“ de hujuſmodi Inhibitione Mentionem; & alijs quibuſlibet Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis, &
“ Conſuetudinibus dicti Ordinis contrarijs, Juramento, Confirmatione, vel quâcunque Firmitate aliâ roboratis,
“ cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Aut ſi aliqui, ſuper Proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi,
“ vel alijs Beneficijs Eccleſiaſticis in illis Partibus, ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum
“ ejus Literas impetrarunt, etiamſi per eas ad Inhibitionem, Reſervationem, & Decretum, vel
“ aliàs quomodolibet ſit proceſſum. Quas quidem Literas, & Proceſſum per eaſdem, ad dictam Capellam
“ volumus non extendi, ſed nullum ſuper hoc eis, quoad aſſecutionem Eccleſiarum, & Beneficiorum
“ aliorum, Præjudicium generari; ſeù ſi Venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Enachdwen, ac Abbati,
“ & Conventui præfatis, vel quibuſvis alijs, communiter, vel diviſim, à dicta ſit Sede indultum, quod
“ ad Receptionem, vel Proviſionem alicujus, minimè teneantur, aut quod interdici, ſuſpendi, vel ex-

“ communicati

(*m*) Conſer Cap. iv. Num. vii. Pag. 74.

“ communicari non poſſent per Literas Apoſtolicas, niſi de Indulto hujuſmodi plenam, & expreſſam fecerint Mentionem; & quàvis aliâ dictæ Sedis Indulgentiâ, per quam Præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, Effectus eorum impediri valeant quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto Tenore habenda ſit in noſtris Literis Mentio ſpecialis; Nos enim, ſi Capellam prædictam eiſdem Ordini, Priori, & Fratribus per Vos Vigore præſentium concedi, & Licentiam hujuſmodi largiri, contingat, eidem Domui, Priori, ac Fratribus, qui illam pro Tempore inhabitabunt, ut omnibus, & ſingulis Privilegijs, Favoribus, Conceſſionibus. & Indultis, quibus aliæ Domus dicti Ordinis, & in illis pro Tempore degentes, Priores, ac Fratres in Genere potiuntur, & gaudent, ac potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Apoſtolicâ Auctoritate indulgemus; & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Octavo, Pridie Nonas Decembris, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.”

III. Hinc perſpicuè apparet, magnoperè hallucinatum *O-Heynum* (n), dum aſſerit, *Eccleſiam, & Domum totam Galvienſem* Ordinis noſtri olìm pertinuiſſe ad Monachos *Bernardinos* Monaſterij de *Buil*, ſeù *Boylâ*, in Agro *Roſcomanienſi*; item dùm aſſerit, *quod hic Conventus fuit olìm Vicariatus ſub Conventu Athenrienſi ejuſdem Ordinis, ſed aſſumptus in Prioratum, & meritò quidem, ſub Rmo Patre Magiſtro Generali Sicco Papienſi, electo in Generalem* 1612.

Haud diffitendum ſanè, quin quandoque poſt Gubernij Lapſum in Hæreſim *Galvienſe* Cænobium proprijs deſtitutum fuerit Alumnis, eòque unus alterve Pater *Athenrienſis* pro Eccleſiæ Miniſterio miſſus fuerit, donec benigniori flante Aurâ Numerus creverit Fratrum ad ſuum eligendum Priorem ſufficiens, fortaſſis univerſum Ordinem tunc regente *Seraphino Sicco* laudato; exindè tamen colligi nequit, erectum non fuiſſe Conventum hunc Anno 1488, ut Literæ teſtantur Apoſtolicæ, quas, Anno duntaxàt 1732 in quarto *Bullarij Ordinis Prædicatorum* Tomo Typis vulgatas, non viderat *O-Heynus*, ſicut nec *Alemandus*, qui tamen, Pace *O-Heyni* dixerim, meliorem facit Conjecturam autumando (o), Conventum iſtum circà decimum quartum, vel decimum quintum Eccleſiæ Sæculum fuiſſe fundatum. *Alemando* ſubſcribit *Harriſius* (p). *Waræus* verò tacet omninò Fundationis Tempus, ajens ſolummodò (q): *Locum conceſſiſſe dicuntur Canonici Ordinis Præmonſtratenſis Tuamæ.*

IV. Cænobij hujus antiquum extat Cæmeterium, ubi plurium *Galvienſium* Familiarum Exuviæ humari ſolent, pluraque ſunt Monumenta Sepulchralia, quæ ſæpenumerò vidi. Ipſum autem Cænobium cum Ædibus Sacris Solo æquatum fuit circà Annum 1652, & quidem ab ipſiſmet Catholicis, ne à perduelli perfidoque *Cromuello* (r) in Arcem transformaretur ad Oppidum expugnandum, ut rectè narrat *O-Heynus* (s) his Verbis: “ Eccleſia erat vetuſtiſſima, ſed à Fundamentis deſtructa eſt ex Conſilio Catholicorum Civium, ne Inimicus Cromuellus, obſeſſurus eundem Locum, Fortalitium ſibi faceret in illa Eccleſia. Ex communi tamen Cònſenſu totus Magiſtratus ſpopondit, quod, adventante Pace, totus Conventus reædificaretur in Forma priori Expenſis Civium, & ſi ſperata Tranquillitas affulſiſſet in Patria, id facerent proculdubiò, erant enim valdè pij, & potentiſſimi Divitijs multis accededentibus ex ingenti Commercio maritimo, quo hic Locus exuberat ſpecialiter præ reliquis Regni Partibus.” Idem fermè pluribus anteà Sæculis accidit Cænobio noſtro *Dublinienſi*, ut ſuo Loco referebam (t). Cæterùm mitioribus hiſce Temporibus eodem in ipſiſſimo Loco extrà Occidentalem Oppidi Portam Sacellum habent, & Domunculam, Octo circiter Patres, qui quotidianâ Divinorum Celebratione, Verbi Dei Prædicatione, atque exemplari Vitâ, juxtà Tenorem ſcilicèt mox allatæ Conſtitutionis *Innocentianæ*, Fidelem Populum, *Galviæ* frequentem, ædificare non deſinunt.

Cuinam porrò Locus, & Latifundia Cænobio annexa per Gubernium Acatholicum conceſſa fuerint, *Harriſium* latet. Fundi tamen Dominium, ut ibidem didici habet Domina *Veſey*.

V. Archi-

(n) Pag. 22.

(o) Pag. 224.

(p) Vol. II. Pag. 277.

(q) De *Antiquitatibus Hibernicis*, Cap. xxvi. Pag. 213.

(r) Adeas Cap. vi Num. xi. Pag. 116.

(s) Pag. 22. Cænobium hoc memorat item *Echardus* Tom. ii. Pag. 13.

(t) Cap. præs. §. i. Num. vi. Pag. 189.

V. Archidiæcesis *Tuamenſis* Antiſtites ex Ordine Fratrum Prædicatorum alibi recenſebam, de *Athenrienſi* Cænobio differens (*u*).

VI. Hujus autem *Galvienſis* Conventûs Alumnus, P. Magiſter *Petrùs Killikelly*, aliquandò *Hiberniæ* Provincialis, nunc Epiſcopus eſt *Duacenſis*, & *Fenaborenſis* (*w*). Prælibatæ etiam Diæceſis *Duacenſis* erat Vicarius Apoſtolicus P. Magiſter *Oliverius de Burgo*, iſtius item Conventûs Alumnus, primuſque Collegij noſtri *Lovanienſis* Rector, ut ſuo Loco dicetur (*x*).

Insuper Conventus iſte tres dedit *Hiberniæ* Provinciales, *Nicolaum* ſcilicèt *Lincæum*, *Joannem Brunum*, & *Petrum Killikelly*, jam laudatum, ut alibi narrabitur (*y*). Sicut egregium Virum *Joannem O-Connor*, *Hiberniæ* Vicarium, & Procuratorem Generalem, geminati noſtri Cænobij Romani *SS. Sixti*, *&* *Clementis* Fundatorem, poſthac uberius recenſendum (*z*). Treſque protulit Scriptores, nempè *Dominicum Lincæum*, *Petrum French*, & *Chriſtophorum French*, infrà memorandos (*a*). Necnon Septem publicâ Virtutis Opinione claros, *Gregorium* nimirùm *French*, *Nicolaum O-Hallurain*, alterum *Nicolaum O-Hallurain*, *Dominicum Lincæum*, *Lazarum Lincæum*, *Andream Kirwan*, alterumque nuper *Dominicum Lincæum*, ſuis reſpectivè Locis cum Laude nominandos (*b*).

His addendum reor ex *O-Heyno* (*c*) R. P. Fr. *Petrum Martin*, “qui ſtuduit in *Hiſpania* cum magno Profectu, ut poſteà clarè monſtravit in Patria, & præcipuè *Galviæ*, quæ cùm tunc Emporium eſſet Commercij maritimi, omnes Cives pendebant ex Ore hujus ſapientis Viri, reſolventis ſecurè, & ſolidè. Immo etiam Cleri, & Epiſcoporum graves Conſultationes confluebant ad illum, velut ad quoddam Oraculum Securitatis. Fuit verè pius, & in Odore bonæ Famæ apud Clerum, & Populum. Diem clauſit extremum munitus Sacramentis Anno 1645.”

VII. Sodales in Conventûs hujus Diſtrictu verſantes Anno 1756 ſunt Novem, nimirùm R. P. Fr. *Hubertus Murphy*, Prior, Ætatis Anno 43, Profeſſionis 25; A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas de Burgo*, Ætat. 62, Prof. 43; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Stephanus Kirwan*, Ætat. 53, Prof. 32; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Thomas Mac Geoghegan*, Ætat. 52, Prof. 31; R. P. Prædicator Generalis Fr. *Joannes Bodkin*, Ætat. 48, Prof. 28; R. P. Prædicator Generalis, Fr. *Gualterus de Burgo*, Ætat. 45, Prof. 27; P. Fr. *Robertus Browne*, Ætat. 44, Prof. 24; P. Fr. *Gregorius Joyce*, Ætat. 43, Prof. 24; & P. Fr. *Joannes Browne*, Ætat. 34, Prof. 18 (*d*).

§ XXXIX.

De *Clonymichanenſi* Cænobio *S. Dominici* in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*.

Anno 1488.

SUMMARIUM.

I. Clonymichanæ, *olim Pagi*, *Nomenclatura*. *&* *Deſcriptio*.

II. *Conceſſa ab* Innocentio *VIII Facultas Tria in* Hibernia Dominicana *fundandi Cænobia. Unum duntaxàt*, Clonymihanenſe *nimirùm*, *certò fundatum*. *Diploma* Innocentianum *alibi exhibitum*. *Nota incidens de Sanctorum Fontibus in* Hibernia.

III. *Objectioni ſatisfit*, *magiſque Cænobij Exiſtentia corroboratur*.

IV. *Corrolarium Hiſtoriunculæ præcedentis*.

V. *Templi* M*ænia*, *Cænobijque Rudera*. *Modernus Fundi Dominus*. *Octo* Achadenſes *Epiſcopi Dominicani anteà recenſiti*.

VI. *Sodales hujus*, *&* Sligoenſis *Cænobiorum permixti*.

I. *Clonymihana*,

(*u*) Cap. præs. §. viii. Num. xvii. Pag. 234.

(*w*) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxx.

(*x*) Cap. xii. §. iii. Num. ii.

(*y*) Cap. xiv. Num. x, xxi, & xxxii.

(*z*) Cap. xii. §. i. Num. v.

(*a*) Cap. xv. Num. xxii, xxiii, & xxvi.

(*b*) Cap. xvi. Num. lv, lxvii, lxviii, lxxxiv, cix cxxii, & cxxiv.

(*c*) Pag. 23.

(*d*) Prior ab Anno 1758 eſt R. P. Fr. *Dominicus Fitz-Patrick*.

I. CLONYMIHANA, accuratiùs *Clonymichana*, hibernicè *Cluain-Uidh-Mican*, id eſt, *Seceſſus Michani* (a), anglicè *Clonymichan*, & *Clonymeaghan*, Pagus olìm erat Baroniæ *Corranenſis* in Agro *Sligoenſi*, Diæceſis verò *Achadenſis* in Provincia *Tuamenſi* (b), ſed illius nihil jam videre eſt præter pura putaque Templi mox recenſendi Mænia. *Dubliniô*, Centum, & Duobus; *Ballymotâ*, memoratæ Baroniæ Capitali, Tribus; *Sligoâ*, Capitali totius Comitatûs, Tredecim; *Achadâ*, Duobus; *Tuamâ*, Triginta Quinque; *Galviâ*, Quinquaginta Duobus; *Londino-Deriâ*, Septuaginta Uno; *Corcagiâ*, Centum, & Quadraginta, Milliaribus diſtat.

II. NEDUM eodem Anno 1488, ſed & ipſiſſimo Menſe Decembri, quibus *Innocentius* VIII, Pontifex Maximus, Facultatem dederat fundandi Conventum noſtrum *Galvienſem*, de quo §. ſuperiori dictum eſt, conceſſit etiam (Die ſcilicèt 16 Decembris 1488) Facultatem Tria alia fundandi Cænobia in *Hibernia Dominicana*, nempè apud Locum, dictum *Intyma Kudir*, in Diæceſi *Kildarenſi*, propè *Aibyam*; apud *Clonymichanam*, in Diæceſi *Achadenſi*, propè *Sligoam*, & *Ballindunum*; & apud Locum, cui Nomen *Fons Cormaci* (c), propè *Molingaram*, in Diæceſi *Midenſi*. An autem Literæ Apoſtolicæ deſideratum habuerint Effectum quoad primum, & tertium Cænobia, me prorſùs latet, illorum quippè nulla extant Veſtigia, nullave Memoria. Quoad ſecundum verò Res non ità ſe habet, *Clonymichanæ* enim adhuc videre eſt Templi ſub Nuncupatione *S. Dominici* Mænia ſat integra, & quidem ad Orientalem Partem extremam oblongi Collis, qui ab alio Colle item oblongo per Rivulum, Clivumque diſterminatur. Tenorem porrò Conſtitutionis *Innocentianæ* alibi videre poteris (d).

III. VERUM quidem eſt, ut ingenuè fatear, neque *Waræum*, neque *Alemandum*, neque *O-Heynum*, ullam facere de Cænobio hoc *Clonymichanenſi* Mentionem, quod tamen crediderim ob triplicem eveniſſe Cauſam. Primò, quia *Bullarium* non legerunt *Ordinis Prædicatorum*, nuper duntaxàt Typis vulgatum. Hinc Locum habet tritum Proloquium: *Nihil inventum, & perfectum eodem Tempore.* Secundò, quia Occaſionem nacti non ſunt ea perſcrutandi Antiquitatis Monumenta, quæ diligenter perſcrutatus eſt *Harriſius*, etiamnùm vivens, apud quem (e) legere eſt ſpecialem, ut vocant Inquiſitionem judiciariam, Anno Vigeſimo Septimo *Elizabethæ* Reginæ, id eſt, Anno Chriſti 1584, factam, quâ compertum exploratumque fuit, *Domum Conventualem*, *ſeù Prioratum Clonymichanenſem*, *Ordinis Fratrum Prædicatorum*, ejuſque Fundum, ad regium Ærarium tunc ſpectaſſe. *Tertiò*, quia Domo iſtâ proprijs Sodalibus ob Temporum Calamitates diù deſtitutâ, eidem Vicariâ Poteſtate præfuit Pater aliquis Cænobij *Sligoenſis*, indeque Anſam ſumpſerunt *Sligoenſes* Patres exiſtimandi Domum illam veluti Vicarialem ſibi ſubditam, ejuſque proindè ad ſe attrahendi Diſtrictus, ut vocant, ſeù Limites, non ſecùs ac ſe geſſerunt Patres *Roſcomanienſes* ergà Domum *Tulſkenſem*, prout ſcitè animadvertit Illuſtriſſimus *Elphinenſis* Epiſcopus, *Joannes Brett*, in Literis hac de Re ad me nuper datis, & prout non ità pridem ipſe adverti (f). Exindè tamen nequaquàm deduci poteſt, hujus Domûs Conventualis *Clonymichanenſis* Jura ſarta tecta haud manſiſſe prorſùs illæſa, non minùs quàm memoratæ *Tulſkenſis*, atque Domorum noſtrarum *Portumnenſis*, *Tombeolenſis*, & *Galvienſis*, ut ibidem obſervabam.

IV. Ex

(a) *Dublinij* adeſt Eccleſia Parochialis ſub Nuncupatione *S. Michani*, quem Traditio fert, fuiſſe Natione *Oſtmannum*, atque Epiſcopum, & Confeſſorem, fortaſſis tamen Abbatem. Recolendum Cap. i. Num. xvi. Lit. w. Pag. 23; & Cap. præs. §. i. Num. i. Pag. 187.

(b) Videſis Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(c) Nulla eſt meherclè *Hiberniæ* Diæceſis, in qua unus aut plures non adſint Fontes ſub Sancti cujuſpiam Invocatione, putà Beatiſſimæ Deiparæ, *S. Joannis Baptiſtæ*, *S. Petri*, *S. Patritij*, *S. Brigidæ*, &c, quò Religionis, & Voti Causâ frequenter Populi confluunt, præſertìm in eorundem Sanctorum Feſtivitatibus. Eos inter eſt *Fons S. Cormaci*, *Molingarâ* Quinque Milliaribus diſtans, undè Locus denominatur. Adeſt etiam *Glanoræ* Fons ſub Nuncupatione *S. Dominici*, ut dicetur Cap. præs. §. xlii. Num. iii.

(d) Cap. iv. Num. vii. Pag. 75.

(e) Vol. II. Pag. 277.

(f) Cap. præs. §. xxxvi. Num. iii. Pag. 315.

IV. Ex dictis liquet, *Clonymichanenſem* Domum inter verè Conventuales annumerandam eſſe, atque fundatam Anno 1488, & quidem Beneficio præclaræ *Mac-Donoghorum* Gentis (*g*), quæ Cænobium item noſtrum *Ballindunenſe* extruxerat, ut nuper oſtendebam (*h*), Occaſionem indè ſumens eâ de Stirpe inclytâ parumper diſſerendi. Et ſanè, ſi Domus iſta *Clonymichanenſis* non fuiſſet verè Conventualis, verum non eſſet univerſi Ordinis in Comitijs Generalibus Romæ 1656 de *Quadraginta Tribus* in Hibernia Dominicana *Conventibus* Teſtimonium, cujus Veıba alibi in Medium adduxi (*i*), alibique opportunè expendam (*k*).

V. Mænia Templi, ut ſuperiùs ajebam, etiamnùm manent, pauca etiamnum videre eſt Rudera Cænobij.

Dominus Fundi quoad utrumque Collem memoratum, & ultra, eſt Illuſtriſſimus *Joannes Fitz-Mauritius-Petty*, Comes de *Shelburn* in Agro *Wexfordienſi*, demptis duobus Jugeribus ad Familiam de *Dodwell* pertinentibus, ubi Mænia Templi, Cænobijque Rudera exiſtunt.

Achadenſis Diæceſis, intrà quam eſt *Clonymichana*, Epiſcopos Octo, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptos alibi recenſebam, de *Stradenſi* Cænobio agens (*l*).

VI. Hujus & *Sligoenſis* Cænobiorum Fratres, & Limites, ſeù Diſtrictus, indiſtincti & permixti ſunt, ut de Quatuor alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Domibus Conventualibus jam dictum eſt (*m*).

§. XL.

De *Clonmellenſi (a)* Cænobio *S. Dominici* in *Tipperarienſi* Comitatu *Momoniæ*.

Anno : . . .

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Clonmellæ.

II. *Cænobium eò Loci Fratrum Prædicatorum. Decretum de ipſo Comitiorum Provincialium* 1720; *atque Teſtimonium Comitiorum Generalium* 1656.

III. *Teſtimonia item Epiſcopi* Elphinenſis *Dominicani, duorumque Patrum Ordinis, omni Exceptione majorum.*

IV. *Aliud eadem de Re Teſtimonium Comitiorum Generalium* 1656.

V. *Duplici ſatisfit tacitæ Objectioni.*

VI. Liſmorenſes *Epiſcopi Dominicani alibi memorati.*

VII. *Quatuor celebres Conventûs hujus Alumni, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione* clari *iterùm planè laudandi.*

VIII. *Hujus &* Caſſelienſis *Cænobiorum Sodales impræſentiarùm permixti.*

I. CLONMELLA, hibernicè *Cluain-Meala* (id eſt, *Seceſſus Mellis*), anglicè *Clonmel*, pulcher, & opulentus eſt Burgus Agri *Tipperarienſis*, & quidem Capitalis (*b*), utpote in quo Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ*, ſingulis Semeſtribus habentur; Diæceſis verò *Liſmorenſis*, in Provincia *Caſſelienſi* (*c*). Municipium eſt (*d*), Munitione cinctum, à Prætore, & Senatoribus, vulgò *Majore* & *Aldermannis* (*e*) gubernatum, quod inſignis præterlabitur Fluvius, Nomine *Suirus*,

---

(*g*) Id conſtat ex Bulla *Innocentiana* nuper laudatâ.

(*h*) Cap. præs. §. xxxiv. Num. ii. Pag. 310.

(*i*) Cap. præs. §. xxv. Num. ii. Pag. 286.

(*k*) Cap. præs. §. xl. Num. iii.

(*l*) Cap. præs. §. xiv. Num. v. Pag. 254.

(*m*) Cap. præs. §. xxvii. Num. v. Pag. 292.

(*a*) Præſens, & Tria ſequentia Cænobia juxtà Ordinem Alphabeticum recenſentur, cùm incerti ſint Fundationum Anni.

(*b*) Quamquàm *Caſſelia* Urbs ſit in Agro *Tipperarienſi*, illius tamen non videtur Caput, ut Cap. præſ. §. ix. Num. i. Pag. 235 oſtendebam

(*c*) Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*d*) Videſis Cap i. Num. xxii. Pag. 31.

(*e*) Legeſis Cap. præſ. §. i. Num. vii. Lit. k. P. 189.

rus (*f*), ibi *Tipperarienſem* inter, & *Waterfordienſem* Comitatus Limitis Vice fungens. Emporium quoque eſt Mercatu celebre, ubi Nundinæ valdè frequentes bis habenter in Anno, Diebus nempè 5 Maij, &15 Novembris. *Dubliniô* Sexaginta Sex diſtat Milliaribus ; *Waterfordiâ*, Viginti Tribus ; *Liſmorâ*, Sexdecim, *Caſſeliâ*, Duodecim ; *Corcagiâ*, Quadraginta Uno ; *Limerico*, Triginta Octo ; *Galviâ*, Septuaginta Octo ; *Londino-Deriâ*, Centum Sexaginta Duobus.

II. QUAMQUAM Eques *Waræus*, qui primus *Monaſticon*, ſeù *Monaſteriologiam*, ut vocat, *Hibernicam*, Typis vulgavit, nihil prorsùs habeat de *Clonmellenſi* Fratrum Prædicatorum Cænobio, indeque tritiſſimum verificetur Adagium : *Nihil inventum, & perfectum eodem Tempore* ; qui ipſum nihiloſeciùs ſubſecuti ſunt Scriptores (*g*), in Opella hac paſſim laudati, id inter *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobia annumerare non dubitant, atque eos inter *Alemandus* (*h*) pro Cænobio hoc *Clonmellenſi* diſertè laudat *Regeſta Ordinis*. Suffragantur planè Patres Definitores Comitiorum Provincialium *Dublinij* 1720, Viri equidem ſpectabiles, atque in Rebus Ordinis, Regnique ſui egregiè verſati, hucuſque haud ſemel recenſiti, ſaluberrimam de id Genus Conventibus edentes Ordinationem, cujus Tenorem alibi exſcriptum habes (*i*). Præiverant alij Sapientiſſimi Patres Comitiorum Generalium *Romæ* 1656, in quorum Actis (*k*) hæc legere eſt : *Anno* 1651 *P. Fr. Gulielmus O-Connor de CONVENTU CLONMELLENSI, Vir Deo, & Hominibus dilectus, capitur ab Hæreticis, poſt varia Ludibria omni Veſtitu ſpoliatus, Gladio recubuit.* Ulteriùs in ijſdem Actis (*l*) habetur : *Anno* 1649 *P. Fr. Jacobus O-Reilly, verſatus Theologus, facundus Orator, & inſignis Poeta dùm è Waterfordienſi Conventu ad CLONMELLENSEM miſſus . . . . in Turmam Cromuellianorum Equitum incidit, Manu Roſarium geſtans , . . . Denique plura jam numerans Vulnera quàm Membra, felix Victima procubuit.*

III. ADDE, laudatum P. *Gulielmum O-Connor* Priorem fuiſſe Conventûs hujus *Clonmellenſis* eum quippè ceù talem vidit in Comitijs Provincialibus *Athenriæ* 1648 celebratis Illuſtriſſimus *Dominicus de Burgo*, Epiſcopus *Elphinenſis*, Ordinis noſtri Alumnus (*m*), ut ipſemet Scriptô teſtus eſt. Enimverò ubi *O-Heynus (n)* diſſerit de Conventu *Clonmellenſi*, ibidem P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Athenrienſis, Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologus, qui laudatum Antiſtitem *Lovanij* Exulem probè noverat, & de cujus Scriptura certiſſimus ſum, hanc addidit Notam Marginalem, quam præ Manibus teneo : *P. Gulielmus O-Connor fuit Prior ibidem* (Clonmellæ), & *Definitor Capituli Provincialis, ut ſub proprio Syngrapho teſtatum reliquit Illuſtriſſimus Dominicus de Burgo, Epiſcopus Elphinenſis, Fidem faciens, ſe vidiſſe in Capitulo Provinciali Athenriæ celebrato* 1648 *eundem actu Priorem CLONMELLENSEM, & Definitorem.*

ULTERIUS P. Magiſter *Carolus O-Kelly*, Roſcomanienſis, nunc Theologus item *Caſanatenſis*, & P. Magiſter *Albertus O-Brien*, Corcagienſis, Anno 1754 mihi narrarunt, ſe olim vidiſſe in Bibliotheca Cænobij noſtri *Lovanienſis* S. Crucis Acta impreſſa Capituli Provincialis *Kilkennienſis* 1643, in ijſque diſertè exprimi Priorem *Conventûs Clonmellenſis*, ſicut & Priorem Conventûs *Tulſkenſis*, ut ſuo Loco advertebam.

IV. IDEM inſuper evincitur vel ex Limine, ſivè Præambulo, ipſiuſmet mox laudati Comitiorum Generalium Paragraphi, cui Titulus : *In Provincia Hiberniæ*, ubi Rmus Magiſter Ordinis *Joannes Baptiſta de Marinis*, alijſque Sapientiſſimi Patres ex univerſo quà latè patet Ordine in Comitijs illis Generalibus congregati, expreſſis Verbis referunt, quod *ad Annum* 1646 *numerabantur Fratres plus minùs Sexcenti in Quadraginta Tribus Conventibus, quos in hac Inſula poſſedit Ordo (o).* At niſi *Clonmellæ* fuiſſet Conventus, *Quadraginta Tres Conventus* in *Hibernia Do-*

(*f*) Confer Cap. præſ. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(*g*) *Alemandus*, Pag. 321 ; *O-Heynus*, Pag. 20 ; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii ; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277.

(*h*) Pag. 213.

(*i*) Cap. præſ. §. xxv. Num. ii. Pag. 286.

(*k*) Sub Tit. *Fratres, & Sorores, qui pretioſa in Conſpectu Domini Morte obierunt.* §. *In Provincia Hiberniæ*, Pag. 151.

(*l*) Pag. 159.

(*m*) De eo datâ Operâ Sermo erit Cap. xiii. Num. lxxi.

(*n*) Pag. 20.

(*o*) Adeas Cap. xvii. à Num. xliii.

minicana non extitiſſent. Porrò prælibatos Spectabiles Patres Capitulares fuiſſe locupletiſſimos iſtius Rei Teſtes, Nemo non videt. Comitia ſiquidem illa Generalia, quibus celebris *Hibernus*, P. Magiſter *Joannes Nolanus*, Kilkennienſis, Regens *Minervitanus* (*p*), quà Provinciæ ſuæ *Hiberniæ* Definitor interfuit, celebrata fuere Anno 1656, proindeque poſt Decennium duntaxàt à Tempore, quo Provincia hæc *Hiberniæ* in Medio Flammarum diuturni Belli, & atrocis Perſecutionis Acatholicorum, *ſexcentos Fratres in quadraginta tribus* habebat *Conventibus*, atque, ut obiter dicam, mirum in Modum uſque adeò florebat, ut Biennio anteà, Anno ſcilicèt 1644, Capitulum Generaliſſimum *Romæ* ſub Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis *Thomâ Turco* celebratum, Quinque ſimul, & ſemel in ea erexerit Univerſitates, ſeù Studia Generalia, ut ex dictis alibi liquet (*q*).

V. Facile quidem adducor ut credam, defuiſſe in calamitoſis Temporibus proprios Sodales Conventui huic *Clonmellenſi*, tuncque Patres Conventûs *Caſſelienſis*, utpotè propinquioris, atque eodem in Comitatu, attraxiſſe ad ſe Limites, ſivè Diſtrictus, ut vocant, ejuſdem hujus Conventûs, ex quo tamen minimè inferri valet Jura ipſius ſarta tecta haud manſiſſe, ut de *Portumnenſi*, *Tombeolenſi*, *Tulſkenſi*, *Galvienſi*, & *Clonymichanenſi* Conventibus jam anteà ſuis reſpectivè Locis ajebam (*r*). Eapropter ut pro *Clonmellenſi*, alijſque Conventibus Priores inſtituerentur, juſtis de Cauſis, & ſapienti Conſilio cautum eſt à Patribus Comitiorum Provincialium *Dublinij* 1720 mox memoratis (*s*).

Neque hucuſque dictis obſtare poteſt Conventus Ordinis Fratrum Minorum in eodem *Clonmellæ* Oppido, ut ſuperiùs opportunè advertebam (*t*).

VI. *Liſmorenſis* Diæceſis, intrà cujus Fines ſita eſt, ut præfertur, *Clonmella*, Epiſcopos ex Ordine Prædicatorum aſſumptos alibi recenſebam, de Cænobio *Waterfordienſi* diſſerens (*u*).

VII. Conventus iſte quatuor protulit Alumnos, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione claros, *Jacobum* nempè *O-Reilly*, *Milerum*, (ſeù *Milonem*) *Magrath*, aliàs *Michaelem à Roſario*, *Gulielmum O-Connor*, & *Thomam O-Higgin*, alibi opportuniùs laudandos (*w*).

VIII. Hujus & *Caſſelienſis* Cænobiorum Sodales, & Limites (quos Diſtrictus vocant) impræſentiarum indiſtincti, & permixti ſunt, ut de *Clonymichanenſi*, Quatuorque alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Domibus Conventualibus, mox dictum eſt (*x*).

§. XLI.

De *Gaulenſi* Cænobio *Nativitatis B. Mariæ Virginis* in *Fermanacana* Comitatu *Ultoniæ*.

Anno . . . .

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Gaulæ, *olim Pagi. Nonnihil obiter de Lacu* Earno, *& Flumine ejuſdem Nominis.*

II. *Ibi Fratum Prædicatorum Cænobium. Decretum de eo* Oliverij Plunketti, *Archipræſulis* Armacani, *quà Commiſſarij Apoſtolici. Catalogus Sodalium hujus Conventûs, Comitijs Provincialibus* Roſcomaniæ 1682 *exhibitus.*

III. *A quo fundatum iſthoc Cænobium? Notæ de inclytis* Mac-Manuſſorum, *&* Maguiræorum *Familijs, ac de* S. Magno, *primitùs* Magnoaldo.

IV. Gaulenſis Conventus *primò ſuppreſſus, dein reſtauratus magnoperè floruit. Lis Fratres Prædicatores inter, & Minores alibi recenſita.*

V. Cænobij

(*p*) De hoc jam Sermo fuit Cap. præſ. §. iii. Num. vii. Pag. 207.

(*q*) Cap. vi. Num. xi. Pag. 126.

(*r*) Cap. præſ. §. xxxi. Num. iii; §. xxxiii. Num. ii; §. xxxvi. Num. iii; §. xxxviii. Num. iii; & §. xxxix. Num. iii.

(*s*) §. præſ. Num. ii. Pag. 329.

(*t*) Cap. præſ. §. xxv. Num. v. Pag. 288.

(*u*) Cap. præſ. §. iv. Num. iv. Pag. 209.

(*w*) Cap. xvi. Num. xxv, xxvii, xxxii, & xxxiii.

(*x*) §. præced. Num. vi. Pag. 328.

V. *Cænobij antiqui Rudera. Modernus Fundi Dominus.* *Nullus* Clocherenſis *Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum.*
VI. *Nonnulli Conventûs hujus Alumni celebres.*
VII. *Sodales Tres huic aſſignati* Conventui *Anno* 1756.

I. GAULA, latinè, hibernicè, & anglicè ſic dicta, Pagus olim erat Baroniæ *Mahereſtephanæ* in Agro *Fermanacano*, Diæceſis verò *Clocherenſis* in Provincia *Armacana* (*a*), propè Orientalem ſitus Partem celeberrimi, & maximi Laci *Earni*, ad Triginta Milliaria extenſi, Sylvis opacis coronati, atque habitatis conſertiſſimis Inſulis, quarum nonnullæ Centum, Ducenta, & Trecenta Jugera continent; Lucijs, Trutis, Salmonibus, alijſque Piſcibus tàm fæcundi, ut Piſcatores nimiam frequentiùs Piſcium Copiam, Retiumque Rupturas potiùs quàm Defectum conquerantur. Lacus porrò iſte, ut obiter dicam, ab Amne ejuſdem Nominis in Agro *Cavanenſi* naſcens, diffunditur à *Belturbeto*, prælibati Agri Vico, Septentrionem versùs, Longitudine Duodecim, Latitudine Quatuor Milliarium; dein in Arctum coit inſtar juſti Fluminis per ſex Milliaria, in cujus Alveo eſt capitalis Burgus Agri *Fermanacani*, Nomine *Inſula-Killena*, vernaculè *Inniſkillen*, præcipuum in hoc Tractu Propugnaculum. Indè in Occaſum flectens, magnoperè expatiatur, longus Quindecim, latus Decem Milliaribus, ad *Belleekam* uſque, ubi Pons, & Cataracta, & Salmonum Saltus, ut vocant, nobiliſſimus. Tandem in Amnem ibi coit, fluitque per ſeptem Milliaria, *Ballyſhannonam*, Agri *Donegalenſis* Burgum ſat commodum (ubi celſus validuſque Pons eſt) abluens, ac in Mare ſe exonerans. Ut autem ad *Gaulam* revertar, purum putumque illius extat Nomen, neque hoc ipſum niſi apud ſolos peritos, ob ſoliuſque Cænobij mox recenſendi Memoriam: *Dubliniô*, Sexaginta Sex; *Inſulâ-Killenâ* memoratâ, Septem; *Clocherâ*, Quatuordecim; *Armacâ*, Triginta; *Londino-Deriâ*, Quinquaginta. *Galviâ*, Nonaginta Octo; *Corcagiâ*, Centum Quinquaginta Tribus, Milliaribus diſtat.

II. *Waræus*, ut candidè fatear, Cænobium noſtrum *Gaulenſe* alto prætermittit Silentio, immò & modernus ipſius Editor, etiamnùm vivens, *Harriſius*. De ejus tamen Exiſtentia utcunque dubitare nefas foret, Nemoque propterea Hominum dubitare valet poſt emanatum Auctoritate Apoſtolicâ ab Illuſtriſſimo *Oliverio Plunketto*, Archipræſule *Armacano*, Decretum, cujus expreſſum Tenorem alibi (*b*) exſcriptum habes, ſicut & Hiſtoriunculam ab Ovo, ut ajunt, Litis ea de Re Prædicatorum inter, & Minorum Ordines agitatæ. Iſtius verò Cænobij meminere reliqui Scriptores in hoc Capite paſsìm laudati (*c*), in ſinguliſque Comitijs Provincialibus, quorum recentior Memoria apud Nos extat, nimirùm poſt Exilium Generale Anni 1698 *(d)*, continuò interfuere Priores *Gaulenſes*, immò & antè Epocham illam. Enimverò in Scrinijs Bibliothecæ Academiæ *Dublinienſis* SS. Trinitatis adeſt Liber, ſub Signo F. 4. 14, pluribus MMS refertus, ubi legere eſt Catalogum Quindecim Sodalium Conventûs *Gaulenſis*, ab illius Priore Comitijs Provincialibus *Roſcomaniæ* 1682 exhibitum.

III. QUO Tempore fundatum fuit Cænobium hoc, me prorsùs latet; fert tamen Traditio Patriæ id factum Beneficio ſpectabilis Familiæ de *Mac-Magnus*, ſeù ut paſsìm vocatur. *Mac-Manus (e)*, Fundi tunc habentis Dominium, Rem ſolicitante, & procurante, inquit *O-Hey-*

(*a*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*b*) Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*c*) *Alemandus*, Pag. 223; *O-Heynus*, Pag. 4; *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

(*d*) Conſulendum Cap, viii. Num. ii. Pag. 154.

(*e*) Antiquiſſima hæc Gens, propriè *Mac-Magnus*, paſsìm verò *Mac-Manus*, nuncupata, Originem ducit à nobiliſſima *Maguiræorum* Progenie protinùs (ad Lit. h.) laudandâ. Cæterùm alia eodem omninò Cognomine appellata Stirps exorta dignoſcitur ab *Heremone*, Regis *Hiſpaniæ Mileſij* Filio tertio genito, & quidem (ut refert *Hiſtoria Hiberniæ*, impreſſa *Dublinij* 1742 Pag. 302) per *Magnum*, Fratrem *Cathaldi Manûs rubræ*, & *Briani Laighneachi*, à quibus deſcendunt *O-Connori* Roſcomanienſes, & Sligoenſes, de qua regia Stirpe videſis §. xvi. hujus Capitis, Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

Porrò non abs Re erit obiter animadvertere, *Magnum* Nomen eſſe luſtrale apud *Hibernos* poſt Tempora *S. Magnoaldi*, Diſcipuli, & Comitis *S. Galli* Abbatis, qui, ob Res præclarè geſtas, vocatus fuit, etiam dùm viveret, *Magnus*, & non de-

nus (f), P. *Joanne Mac Manus*, tunc exiſtentis Domini Filio, Ordinis Prædicatorum Alumno, qui in Conventu noſtro *Athenrienſi (g)* Tyrocinium peregerat. Fert inſuper eadem Patriæ Traditio, Gentem *Mac-Manuſſam* in Erectione Cænobij hujus Operam adhibuiſſe Nobiliſſimi totius Regionis illæ, quæ nunc *Fermanacanus Comitatus* nuncupatur, Dynaſtæ, ſeù Reguli, Jus proindè altum in *Gaulæ* Fundum habentis, cui Cognomen *Maguire (h)*.

IV. ANNO 1649, obtruncatô per ſummam Perfidiam Rege *Carolo* I, atrociſſimæ exortæ ſunt Perſecutiones, quas ſecuta eſt acerba Catholicorum *Hiberniæ* Strages, atque Cænobiorum totalis fermè Ruina, ut ſuo Loco ajebam (*i*). Serenitate autem quadam ſubortâ poſt Regis *Caroli*, hujus Nominis Secundi Reſtaurationem, Anno 1660 ſecutam, *P. Dominicus O-Connor*, Sligoenſis, à P. Provinciali *Joanne O-Hart* in *Ultoniam* miſſus (*k*), Ordinem, ea in Natione omninò extinctum, feliciter propagavit. Dein P. *Cathaldus Mac-Manus* ex *Italia*, ubi Studia peregerat, reverſus, & P. *Thomas Mac-Mahon*, è Conventu *Colranenſi* egreſſus, omnium Territorij illius *Mac-Manuſſorum*, atque Illuſtriſſimi Domini *Maguire*, Baronis de *Inniſkillen*, præclariſſimæque ſuæ Familiæ Patrocinio innixi, Domum Conventualem juxtà *Gaulam* fabricarunt, ubi Fratres, "brevi ità floruerunt (Deo optimo benedicente) ut plures ſuſceperint Juvenes ex melioribus Fa-"milijs Comitatûs, per quod conciliarunt Ordini Amicitiam Nobilium, & Populi; præterquam "quod

---

inceps *Magnoaldus*, ut ipſius refert Diſcipulus *Theodorus*, Monaſterij *San-Gallenſis* in *Helvetia* Monachus, primuſque *Campidonenſis* (vulgò *Kempten*) in *Suabia* Abbas, qui ejus conſcripſit Vitam, Typis vulgatam ab *Henrico Caniſio* (Societatis Jeſu, Tom. v *Antiquæ Lectionis*, ex Membranis M. S. Monaſterij *S. Magni* in *Pede Pontis Ratiſponenſis* in *Bavaria* Claruit autem *S. Magnus* Anno Chriſti 660, obijtque in Monaſterio à ſe excitato apud Locum, cui Nomen *Fauces*, Diæceſis *Auguſtanæ*, vulgò *Auſburg*, in *Suabia*, Die 6 Septembris, quo Die Feſtivitas ejus celebratur. *Londini* vidi Eccleſiam Parochialem ſub Nuncupatione *S. Magni*.

(*f*) Pag, 4.

(*g*) De iſto Cænobio fuit Sermo Cap. præſ. §. viii. Pag. 220.

(*h*) Antiquiſſima nobiliſſimaque hæc Domus, dicta *Mac-Guire*, ac per Syncopen *Maguire*, rectâ Lineâ ab *Heremone*, Regis *Hiſpaniæ* Nomine *Mileſij* Filio, mox dicto, per *Guiræum* deſcendens, in tota dominabatur Regione *Fermanacana*, nunc uno ex *Hiberniæ* Comitatibus. Tandem Primipilus Familiæ, etſi potentiſſimus Dynaſtes Nomine *Brianus Maguire*, ab *Anglorum* Poteſtate devictus fuit, indeque à *Jacobo* I inter *Hiberniæ* Proceres annumeratus, Baro de *Inniſkillen* creatus. Poſtmodum verò hujus Filius *Conconachtus*, ſive *Cobanaghtus* (latine *Quintinus*) *Maguire*, Baro utique de *Inniſkellen*, Anno 1641 à rebellibus Parlamentarijs, Rege *Carolo* I, captus, & *Londinum* miſſus, poſt duorum Annorum Captivitatem Catholicæ Fidei Causâ, præviâ Suſpenſione, in quatuor diſſectus fuit Partes. Iſtius Mater erat Generalis *Audoeni O-Neill* (videſis Cap. xvii. Num. l.) Soror, ex qua etiam *Brianus* ſuſcepit *Rogerium*, de quo mox dicetur. *Quintinus* verò reliquit poſt ſe Filium, item *Quintinum*, tertium Baronem, cujus Filius *Hugo*, quartus Baro, obijt ſine Prole. Hinc ei ſucceſſit, quà quintus Baro, *Rogerius Maguire*, Filius primò dicti *Rogerij* (in Prælio occiſi apud *Carrickam ſuper Shananum*, vulgò *Carrickdrumruſke*, circà Annum 1643) ex Uxore ſua de Familia *Haſſettorum*.

Rogerius Maguire, quintus Baro, fuit Chiliarcha, ſeù Colonellus, ut vulgò loquimur, Peditum in Exercitu Regis *Jacobi* II, ſeditque Menſe Majo 1689 in Comitijs Regni, in Cænobio noſtro *Dublinienſi* habitis, de quibus fuit Sermo Cap. vii. Num. x. Pag. 142. Eidem autem, abſque Prole denato, ſucceſſit Frater ipſius *Philippus* ſextus Baro, qui Conjugem ſibi adſcivit Filiam Equitis *Felimi O-Neil* (in quatuor diſſecti Partes *Dublinij* 1652, ut Cap. xvii. Num. c. dicetur) & Chiliarchæ *Gordoni O-Neil*, quem novi *Romæ*, Sororem, ex qua genuit *Theophilum*, ſeptimum Baronem, cujus Conjux, Chiliarchæ *Mani*, ſivè *Magni O-Donnell*, de Agro *Mayonenſi*, Nata, unicum peperit ei Filium, Nomine *Alexandrum*, nunc Octavum Baronem, atque Centurionem, ſeù Capitaneum, in Legione de *Buckly*, & Exercitu Regis Chriſtianiſſimi.

Plures adhuc ſunt in *Hibernia* ex præclariſſima hac *Maguiræorum* Progenie exorti Surculi, quos inter Opibus, & Potentiâ florent Filij quondam *Conconachti*, ſeù *Quintini* Maguire, de *Tempo* in Agro *Fermanacano* Armigeri, *Robertus* nempè, *Hugo*, & *Philippus*. Videſis *Hiſtoriam Hiberniæ* nuper memoratam, Pag. 306.

(*i*) Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*k*) Rem in hunc Modum narrat *Brevis Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600 M. S., quæ in Archivo *S. Sixti* de Urbe ſervatur.

“ quod Prædicatores, mox memorati, inflammabant Populum ignitis Eloquijs ſuis.” *(l)*. Cæterùm Minoritis Acceſſum Fratrum Prædicatorum in *Ultoniam* ægrè ferentibus, ſecuta eſt inter eos Lis, mox memorata, cujus Initium, Progreſſum, & Finem alibi paucis enarrabam (*m*).

V. *Gaulæ* adhuc videre eſt aliqua antiqui Cænobij Rudera. Modernus Fundi Dominus eſt *Jacobus King*, Armiger.

DIÆCESI *Clochorenſi*, intrâ cujus Fines comprehenditur *Gaula*, nullus unquàm præfuit Ordinis Prædicatorum Alumnus.

VI. PLURES autem claruere Cænobij hujus Sodales, quos inter *Dominicus Maguire*, Archiepiſcopus *Armacanus*, ſuo Loco recenſendus (*n*); *Gelaſius Mac-Mahon*, & *Antoninus Maguire*, Provinciales *Hiberniæ*, alibi in Medium adducendi (*o*); atque *Reginaldus Mac-Donnell*, publicâ Virtutis Opinione conſpicuus, poſthàc laudandus (*p*).

ULTERIOREM porrò Gaulenſis Cænobij Notitiam dare nequit P. *Joannes Maguire*, ejuſdem Filius, modernuſque Prior, meus olim *Romæ* Diſcipulus, nunc autem poſt completos Lecturæ Curſus S. Theologiæ Magiſter.

VII. CONVENTUI huic Tres aſſignati Sodales, Anno 1756, ſunt A. R. P. Magiſter Fr. *Joannes Maguire*, Prior, Ætatis Anno 55, Profeſſionis 26; P. Fr. *Thomas Nolan*, jam pridem memoratus (*q*), Ætat 60, Prof. 38 (*r*); & P. Fr. *Antoninus Maguire*, Ætat. 50, Prof. 27.

§. XLII.

De *Glanorenſi* Cænobio *S. Crucis* in *Corcagienſi* Comitatu *Momoniæ*.

ANNO . . . .

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura*, & *Deſcriptio* Glanoræ, *dudum Oppidi Sociati*, *nunc duntaxât Pagi.*

II. *Certa Cænobij Fundatio, incertus vero Fundationis Annus. Gens* de Rupe *Fundatrix, uno Scriptorum omnium Conſenſu, Locique Traditione comprobantibus. Nota de nobiliſſima iſta Progenie.*

III. *Propè Cænobium Fons ſub Invocatione* S. Dominici, *in cujus Feſtivitate magnus devoti Populi Confluxus.*

IV. *Templi Mœnia, Cænobijque Rudera. Modernus Fundi Dominus.*

V. Clonenſes *Epiſcopi Dominicani ſuperiùs memorati.*

VI. *Duo inſignes Conventûs hujus Alumni,* David *nempè* de Rupe, & Joannes Browne, *Confeſſarius Regius, ut vocant, alibi memoratus.*

VII. *Quatuor iſtius Patres Anno* 1756.

I. GLANORA, hibernicè paſſim *Glanore*, id eſt, *Vallis* (*a*) *Aurea*, nonnullis verò *Gleannuire*, id eſt, *Vallis Taxia*, vel, ut alij interpretantur, *Vallis Fagea*, anglicè autem *Glanworth*, olim, Teſte *Smithæo* protinùs recenſendo, erat *Corporatio*, ut vulgò loquimur, ſivè Oppidum Sociatum, impræſentiarùm verò Pagus Baroniæ de *Fermoy* in Agro *Corcagienſi*, Diæceſis verò *Clonenſis* in Provincia *Caſſelienſi*, quem ſub Ponte interfluit *Funcheon*, qui in *Amnem Magnum*, hibernicè *Avenmore*, anglicè *Broadwatter*, de quo alibi (*b*), poſt Quatuor à prælibato Pago Milliaria

---

(*l*) Verba ſunt *O-Heyni* Pag. 5.

(*m*) Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*n*) Cap. xiii. Num. lxxii.

(*o*) Cap. xiv. Num. xxii, & xxvi.

(*p*) Cap. xvi. Num. xcv.

(*q*) Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 175.

(*r*) Piè obijt *Dublinij* 13 Julij 1758, diù Sacellanus Monialium noſtrarum in eadem Urbe.

(*a*) A quibuſdam vocatur Clivus Aureus, cùm namque (inquiunt) eo Loci Mons non adſit ſed Collis, hinc Deſcenſus illius propriè loquendo *Clivus* eſt, non *Vallis*.

(*b*) Cap. præs. §. xx. Num. i. Pag. 271.

Milliaria jungitur. Emporium tamen eſt, ibique ſat frequentes habentur Nundinæ bis in Anno, Diebus ſcilicet immediatè antecedentibus duplicem Feſtivitatem S. Crucis (cui Eccleſia Cænobij mox recenſendi nuncupata eſt) nempè 2 Maij, & 13 Septembris, nunc autem ob Mutationem Styli (*c*), 13 Maij, & 24 Septembris. Diſtat *Dubliniô* Centum, & Octodecim Milliaribus; *Fermojâ*, Quatuor; *Corcagiâ*, Viginti; *Limericô*, Triginta Duobus; *Clonâ*, Viginti Tribus; *Caſſeliâ*, Viginti Sex; *Galviâ*, Septuaginta Quinque; *Londino-Deriâ*, Centum, & Octoginta.

II. Juxtà *Glanoram* ſuper Collim ad Ripam memorati Fluvij *Funcheon* adhuc videre eſt Templum, ejuſque Turrim Campanariam cum Ruderibus Cænobij Ordinis Prædicatorum, de quo expreſſam faciunt Mentionem Quinque Scriptores in hoc Capite paſſim laudati (*d*). Ex illis autem Nemo Tempus aſſignat Fundationis, præter *Carolum Smithæum*, qui Annum fuiſſe 1227 aſſerere non dubitat. Fortaſſe quidem verum Fundationis Annum ex probatæ Fidei M. S, alijſve Monumentis antiquis inveſtigavit, aſt crediderim Mendum Typographicum irrepſiſſe quoad determinatum illum Annum 1227. Enimvero ſi ab iſto Anno fuiſſet eo Loci Cænobium Ordinis Prædicatorum, id minimè fugere potuit Auctorem pervetuſti Catalogi Conventuum ejuſdem Ordinis in *Hibernia*, Anno 1300 concinnati, quem pridem exſcribebam (*e*), ſubindeque tantùm abeſt ut in eo Locum non habuiſſet, quin potiùs ſextum ſaltem, inter *Limericenſem* ſcilicèt, & *Corcagienſem*, occupaſſet, ut prælibatum Catalogum perpendenti liquebit. Cæterùm ſummus inter Scriptores, Patriæque Traditionem Conſenſus Beneficium Fundationis adjudicat præclariſſimæ Genti *de Rupe*, vernaculè *Roche*, olìm autem *de la Roche*, utpotè primitùs Gallicanæ *(f)*.

III. Ad

(*c*) Adeas Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*d*) *Waræus*, de *Antiquit*. *Hibern*, Cap. xxvi; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 277; *Alemandus*, Pag. 228; *O-Heynus*, Pag. 14; *Echardus*, Tom. ii. Pag. iii; *Smithæus*, in *Deſcriptione Agri Corcagienſis*, Anglico Idomate, impreſſâ *Dublinij* 1750, Tom. i. Pag. 351.

(*e*) Cap. ii. Num. vi. Pag. 38.

(f) Nobiliſſima hæc Gens, latinè *de Rupe*, gallicè *de la Roche*, nunc autem apud *Anglos*, & *Hiberno-Anglicanos* paſſim *Roche*, ex *Gallia* in *Angliam*, & ex *Anglia* in *Hiberniam*, dudùm advenit, orta ſcilicèt à *Carolo Magno*, alijſque *Galliæ* Regibus, à Comitibuſque *Flandriæ*, ac Regibus *Angliæ* per *Elizabetham de Clare*, *Eduardi* Primi Regis *Anglorum* ex Filia *Joanna* Neptem, quæ *Raphaeli de Rupe*, Filio *Alexandri*, nupſit, jam anteà *Joannis de Burgo*, Patris *Gulielmi de Burgo*, Comitis *Ultoniæ* (de quo §. xxi. Cap. præs. Num. ii. Lit. e. Pag. 275. dictum eſt) Vidua, prælibatique *Gulielmi* Mater, ut ad Oculum patet in Genealogia ejuſdem Familiæ, in Regeſto Heraldico *Londinenſi* aſſervata, quam Eques *Gulielmus Segar*, Principalis Armorum Rex (videſis Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. i. Pag. 266.) *Garter* vulgò nuncupatus, Anno 1615 texuit, ex qua præcedentia, & ſubſequentia ad Annum uſque iſtum exſcribo.

Præclariſſimæ hujus Familiæ Primipilus, Nomine *David*, ob Res præclarè geſtas dictus *Magnus* (Filius *Mauritij*, Filij *Joannis*, Filij alterius *Joannis*, Filij *Georgij*, Filij *Davidis*, Filij *Radulphi de Rupe*, Nuptijs copulati *Elizabethæ de Clare*, mox laudatæ, Filij *Alexandri*, Filij *Hugonis*, Filij *Geraldi*, Filij *Davidis*, Filij *Milonis*, qui, *Henrici* Filius, Diploma obtinuit a Rege *Joanne* pro Tribus Cantredis Terræ in Agro *Corcagienſi*, Anno 1200) dudùm annumeratus erat inter *Hiberniæ* Proceres, Dignitate ſcilicet Vicecomitis de *Fermoy* decoratus ab *Eduardo* Rege hujus Nominis Quarto, qui ab Anno 1460 ad 1483 in *Anglia* regnabat, in *Hiberniaque* dominabatur. Laudatus *David Magnus* Filius fuit *Mauritij de Rupe*, Domini de *Fermoy*, ex *Amia*, *Mauritij Geraldini*, Comitis *Deſmondiæ* Filiâ, hujuſque Mater pro Patre habuit *Raphaelem Stafford*, Comitem de *Stafford* in *Anglia*, qui obijt Anno 1375. Ipſiuſmet autem *Davidis Magni* Conjux erat *Joanna*, Domini *Gualteri de Burgo*, dicti *Mac-William*, Filia, ex qua Novem genuit Liberos, (1) *Mauritium*, de quo infrà (2) *Redmundum Roche* de *Ballymagby*; (3) *Ulicum Roche* de *Crogh*; (4) *Theobaldum Roche* de *Ballyhendon*, & *le Claſh*; (5) *Gulielmum Roche* de *Ballyhouly*; (6) *Philippum Roche* de *Serall*, & *Rahan* (7) *Geraldum Roche* de *Ballyhonan*, & *Crawhkerrye*; (8) *Edmundum Roche* de *Bulenme*; (9) *Jacobum Roche* de *Cloſtoe*. Et unicam Filiam, *Helenam*, *Jacobo Courcy*, decimotertio Baroni de *Kingſale*, nuptam.

Mauritius de Rupe, ſecundus Vicecomes de *Fermoy*, duas ſucceſſivè habuit Uxores, nempè *Joannam*, Filiam *Jacobi Geraldini*, Comitis *Deſmondiæ*; & *Moram*, Domini *O-Brien* Natam. Ex ſecunda ſuſcepit *Edmundum*, ex prima verò *Davidem*, ejus Succeſſorem, & *Helenam*, *Thomæ Geraldini*, Comitis *Deſmondiæ*, Conjugem.

David

III. Ad ipſammet haud ſemel memorati Fluvij *Funcheon* Ripam, & propè Cænobium noſtrum extat Fons Aquæ limpidæ ex Rupe ſcaturientis, ſub Nuncupatione *S. Dominici (g)*, in cujus Feſtivitate, Die 4 Auguſti quotannis recurrente, ingens eò Loci adeſſe ſolet devoti Populi Confluxus, ut prælibatus refert *Smithæus*, etſi Acatholicus, addens ulteriùs, ſuprà dictum Fontem vetuſtam pendere Arborem, in cujus Ramis videre eſt Signacula quædam Miraculorum, quæ ibidem patrata aſſeruntur.

IV. Muri Eccleſiæ, & Turris Campanariæ, necnon Cænobii Rudera, ut præfertur, etiamnùm extant.

Cuinam conceſſa fuerint à Gubernio Acatholico Latifundia Conventûs, *Harriſium* latet. Modernus tamen Fundi Dominus, ut eâ in Regione accepi, & haud obſcurè colligitur ex *Lodgæo* (*h*), eſt *Georgius Broderick*, Dominus Vicecomes de *Middl'ton*, in Agro *Corcagienſi*.

V. Clonensis Diæceſis, quæ intrà Sinum ſuum *Glanoram* complectitur, Epiſcopos ex Ordine noſtro aſſumptos alibi recenſebam, de *Youghalenſi* Cænobio diſſerens (*i*).

VI. Insigniorum Conventûs hujus Alumnorum Memoria ob Temporum Calamitates Injuriamque deleta eſt, præter *Davidis de Rupe*, vulgò *Roche*, ab *O-Heyno* memorati, alibi laudandi (*k*). Ipſe autem, ut anteà ſemel iterumque ajebam (*l*), in Urbe novi Virum verò ſpectabilem, Rmum, inquam, P. Magiſtrum *Joannem Browne*, in Ædibus Regis *Jacobi* III, ut vocant, commorantem, ceù ipſius, atque Reginæ, *Mariæ Clementinæ*, Confeſſarium, qui mihi ſæpenumerò narrabat,

---

David de Rupe, tertius Vicecomes de *Fermoy*, Matrimonio ſibi compulavit *Catharinam*, Filiam Domini *Thaddæi Mac-Carty More*, quæ peperit *Mauritium*, quartum Vicecomitem, Nuptijs conjunctum *Graniæ Mac-Carty*, ex Familia de *Mac-Tey*, de quibus orti ſunt tres Filij (1) *David*, de quo infrà; (2) *Gulielmus Roche* de *Carrydownan*, qui ex *Helena Tobin*, Filiâ *Thomæ*, Domini de *Comſhinock*, Tres habuit Filios, *Eduardum*, *Jacobum*, & *Joannem*; (3) *Joannes*, ſine Prole defunctus. Et totidem Filiæ, (1) *Helena*, nupta *Joanni*, Domino *de Barry*; (2) *Marcella*, nupta *Jacobo Barrett* de *Balencollege*, Armigero; (3) *Catharina*.

David de Rupe, quintus Vicecomes de *Fermoy*, Conjugem ſibi adſcivit *Helenam*, Filiam *Jacobi Butler*, Domini Baronis de *Dunboyne*, quæ ſex ei peperit Filios, (1) *Mauritium*, de quo infrà, (2) *Theobaldum*, (3) *Richardum*, (4) *Joannem*, (5) *Redmundum*, (6) *Ulicum*. Duaſque Filias, (1) *Helenam*, nuptam *Davidi*, Domino *de Barry*, (2) *Joannam*, nuptam *Patritio Fitz-Mauritio*, Baroni de *Lixnaw*, Progenitori ex ea Comitum *Kerriæ*.

Mauritius de Rupe, ſextus Vicecomes de *Fermoy*, Uxorem duxit *Helenam*, Filiam *Mauritij* (Fitz-John) *Geraldini*, Comitis *Deſmondiæ*, ex qua duos genuit Filios (1) *Davidem*, de quo infrà (2) *Theobaldum*. Duaſque Filias (1) *Helenam*, nuptam *Donato O-Brien*, quarto Comiti *Thomondiæ*; (2) *Amiam*, nuptam Domino *O-Donoghoe*, de Agro *Kerrienſi*.

David de Rupe, ſeptimus Vicecomes de *Fermoy*, ex *Joanna Barria* è Comitibus de *Barrymore*, Tres habuit Filios, & Quatuor Filias, *Mauritium*, *Joannem*, *Theobaldum*, *Helenam*, *Eleonoram*, *Joannam*, & *Catharinam*, obijtque Die 22 Martij 1635 De nobili Gente *Barria* videſis Cap. præs. §. vi. Num. ii, Pag. 215.

Mauritius de Rupe octavus Vicecomes de *Fermoy* genuit (1) *Davidem*, nonum Vicecomitem, abſque Prole extinctum, qui ſtrenuè adhæſit Partibus Regis ſui *Caroli* Primi, atque Secundi, contra iniquiſſimum *Cromuellum*; (2) *Joannem*, decimum Vicecomitem, qui ex Conjugio cum *Catharina*, *Davidis Condon*, Armigeri, Gnatâ, duos procreavit Filios, *Davidem*, & *Ulicum*, unamque Filiam, Nomine *Eleonoram*.

David de Rupe, undecimus Vicecomes de *Fermoy*, Officialis Marinus, regnante *Annâ*, in furibunda Procella Anni 1703 ſubmerſus fuit apud *Plymouth* in *Anglia*, eique innupto ſucceſſit prælibatus ipſius Frater *Ulicus*, duodecimus Vicecomes, Nuptijs copulatus *Annæ Carr* de *Northumbria*, abſque Prole denatus.

Exindè porrò Titulum Vicecomitis de *Fermoy* ſibi aſſumpſit D. *Roche* de *Ballyndangan*, in Exercitu Regis *Sardiniæ* Officialis *Major*, qui præfatis Vicecomitibus proximior eſt Conſanguineus, Teſte *Franciſco Nichols* in ſuo *Compendio Hibernico*, impreſs *Londini* 1735. Pag. 166. *Dublinij* tamen noſco D. *Thomam Roche*, ſe proximiorem eſſe Conſanguineum aſſeverantem. Confer Cap. i. Num. xxii. Lit. n. Pag. 31.

(*g*) Adeas Cap. præs. §. xxxix. Num. ii. Lit. c. Pag. 326.

(*h*) Vol. III. Pag. 228.

(*i*) Cap. præs. §. xx. Num. v. Pag. 273.

(*k*) Cap. xvi. Num. viii.

(*l*) Cap. vii. Num. xiv. Lit. n; & Cap. viii. Num. xiii. Pag. 146, & 164.

rabat, ſe in, & pro Conventu hoc *Glanorenſi* Habitu Ordinis indutum fuiſſe ab altero P. Magiſtro *Joanne Browne*, Galvienſi, *Hiberniæ* Provinciali (*m*), *Jacobo* ſecundo regnante.

VII. CONVENTUS hujus Quatuor Alumni, Anno 1756, ſunt R. P. Prædicator Generalis Fr. *Mauritius Fitz-Gibbon*, Prior, Ætatis Anno 49, Profeſſionis 28 ; P. Fr. *Patritius Hurley*, Ætat. 51, Prof. 29; P. Fr. *Georgius Barry*, Ætat. 38, Prof. 15; & P. Fr. *Joannes Walſh*, Ætat. 32, Prof. 8.

§. XLIII.

De *Thomapolitano* Cænobio *S. Dominici* in *Kilkenvienſi* Comitatu *Lageniæ*.

ANNO . . . .

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Thomapolis. *Nonnihil obiter de* Regis, & Reginæ *Agris, deque* Cormacopoli, *nunc* Francofurto.
II. Thomapolitanum *Fratrum Prædicatorum Cænobium. Decretum de eo Comitiorum Provincialium* Dublinij 1720.
III. *Ratio ſuffragatur.*
IV, *Suffragatur item Teſtimonium Comitiorum Generalium Romæ* 1656.
V. Oſſorienſes *Epiſcopi Ordinis Prædicatorum pridem recenſiti.*
VI. *Iſtius &* Kilkennienſis *Cænobiorum Sodales permixti.*

I. THOMAPOLIS, hibernicè *Baille Thomais*, anglicè *Thomas-Town* (*a*), olim, Teſte *Portero* (*b*), vocabatur hibernicè *Bailmac-Andan*, id eſt, Oppidum *Filij Antonij*. Immò & adhuc plerumque ſic vocatur, atque *Baille Candan* per Syncopen, quia, ut Vulgus exiſtimat, fabricata per *Thomam Candan*, Natione *Anglum* (*c*). Neque inauditum eſt in *Hibernia*, quod Locorum Nomina mutentur, Regiones ſiquidem in *Lagenia*, quæ *Ophalia*, & *Leaſa* antè *Philippi* ſecundi, Regis *Hiſpaniarum*, & Conjugis ejus *Mariæ* Primæ, Reginæ *Anglorum*, Tempora fuerunt nuncupatæ, poſtmodùm in utriuſque Honorem *Comitatus Regis*, & *Comitatus Reginæ* (*d*) nuncupabantur, & exindè nuncupari ſolent. Sic etiam *Cormacopolis*, vulgò *Kilcormack*, in memorato Agro *Regis*, à Domino Fundi, *Franciſco Mac-Aulay*, Armigero, adhuc florente, *Francofurtum*, vulgò *Frankford*, appellatum eſt.

PORRO *Thomapolis* Oppidum Sociatum, ſeù (ut vulgò loquimur) *corporatum* eſt Baroniæ de *Gauran* in Agro *Kilkennienſi*, Diæceſis verò *Oſſorienſis* in Provincia *Dublinienſi* (*e*), cujus ſupremus Magiſtratus anglicè vocatur *Sovereign*. Municipium (*f*) quoque eſt, & Emporium, vetuſtis, ſed validis, etiamnùm exiſtentibus Muris cinctum, quod præterlabitur Fluvius *Neorus*, priſcis *Eyrus*, vernaculè *Neore*, Agrum *Kilkennienſem* veluti medium interſecans, de quo ſemel iterumque jam dicebam (*g*). Nundinæ ſat frequentes ibi habentur ſemel quotannis, Die ſcilicet 25 Maij,

Dublinij

(*m*) Videſis Cap. xiv. Num. xxi.

(*a*) In *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ*, ipſum *Tipperariæ* Oppidum inter, & *Caſſeliæ* Urbem, magnificum vidi Caſtrum Allodiale inſignis Familiæ *Matthæorum*, italicè *Mattei*, anglicè *Matthew*, exiguumque ei adjunctum Pagum, cui Nomen *Thomas-Town*.

(*b*) In *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*. Pag. 31, & 32.

(*c*) En autem quæ hac de Re habet *Camdenus*, in ſua *Britannia*, Pag. mihi 504, ubi præmiſſo *Neori* Fluvij Curſu, ait: " Inferiùs ad eundem " *Neorum* ſedet Oppidulum munitum, anglicè " *Thomas-Town*, hibernicè *Baille-Mac-Andan*, id " eſt, Oppidulum Filij Antonij. Utrumque No" men à *Thoma Fitz-Antonio*, Anglo, inditum eſt, " cujus Hæredes etiamnùm hujus Domini agnoſ" cuntur." *Camdeno* ſuccinit *Carvæus*, in *Lyra Hibernica*, Pag. 64.

(*d*) Conſulendum Cap. i. Num. x. Pag. 13.

(*e*) Videſis Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*f*) Legeſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*g*) Cap. præs. §. iv, Num. i, & §. xv. Num. i Pag. 204, & 255.

Dublinio diſtat Sexaginta Milliaribus ; *Gaurano*, vulgò *Gowran*, Baroniæ Capitali, Septem ; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Urbe Capitali Comitatûs, Sedeque Epiſcopali, Decem ; *Corcagiâ*, Sexaginta Quinque ; *Londino-Deriâ*, Centum Quinquaginta Quinque ; *Galviâ*, Nonaginta.

II. PIACULUM omninò foret *Thomapolitanum* prætermittere Silentio *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobium, maximè poſt editam ſapienti Conſilio verè Spectabilium Patrum, quos alibi recenſebam (*b*), in Comitijs Provincialibus *Dublinij* 1720 Sanctionem, cujus Tenorem ibidem etiam exſcripſi, iterumque pro Capitis hujus Coronide exſcribam : "Cùm Conventus in Oppido de Cavan in Ultonia ; de Clonmell in Comitatu Tipperarienſi, de Caſtle-Lyons in Comitatu Corcagienſi, in Momonia ; de THOMASTOWN in Comitatu Kilkennienſi, in Lagenia ; de Tulſk in Comitatu Roſcomanienſi, & de Tombeola in Occidentali Conacia, nunc Religioſis (qui ad Canonicam Electionem procedere poſſint) ſint deſtituti, rogamus Eximium Patrem Magiſtrum Provincialem, ut dictis Conventibus de idoneis Superioribus quamprimùm providere non gravetur."

III. ADDE, nec addidiſſe pigebit, quod cùm *Thomapolis* perantiquum ſit Oppidum, perantiquis Muris cinctum, ſitque inſuper, juxtà mox dicta, Emporium, & Municipium, ſeù Burgus, ut vocant, Parlamentarius, id eſt, duos eligens, qui Loca habent in Senatu pro condendis Legibus, atque arduis Regni Negotijs pertractandis, quis, amabò, adduci poteſt, ut credat, non fuiſſe in Loco olim tam inſigni Domum ullam Regularem ? At Nemo aliorum Ordinum, ſivè Mendicantium, ſivè non Mendicantium, prætendit, ſe eò Loci habuiſſe Cænobium. Nonnè igitur pluſquam veriſimile eſt, id habuiſſe Fratres Prædicatores, Traditionem deſuper habentes ?

IV. ACCEDIT, quod ſi à Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ* Numero excludatur *Thomapolitanum*, non fuiſſet ad Annum 1646 Quadraginta Tres in ea Conventus, de quibus tamen locupletiſſimum, omni Exceptione majus, univerſus Prædicatorum Ordo in Comitijs Generalibus *Romæ*, poſt Annos ſolummodò Decem, Anno nimirùm 1656, ſub Rmo ſuo Archimandrita, P. *Joanne Baptiſta de Marinis*, congregatus, perhibuit Teſtimonium, cujus expreſſa integraque Verba ſuperiùs adduxi (*i*), denuoque, veluti Materiei hujus Colophonem, in Medium adducere lubet : "Magna hìc *(in Provincia Hiberniæ)* eorum, qui pro Fide Catholica immania pertulerunt Tormenta, Seges, præſertim noſtris Temporibus, fæcundè maturuit Cælorum Horreis illata manipulatim, ſiquidem ex QUADRAGINTA TRIBUS CONVENTIBUS, quos in hac Inſula poſſedit Ordo, nec unus hodie ſupereſt, quem non Hæretici Perſecutoris Furor non exuſſerit, aut Solo æquarit, aut in Uſus ſuos profanos redegerit. Ad Annum 1646 numerabantur in illis Fratres plus minus Sexcenti, quorum nunc fortè nec quarta Pars ſupereſt, & quidem patrio Solo extorris, cæteris aut Domi conſumptis Martyrio, aut crudeli ad Inſulas Barbadas Deportatione longam in novo Orbe Mortem obeuntibus."

V. OSSORIENSIS Diæceſis, intrà cujus Fines *Thomapolis* eſt, Epiſcopos Dominicanos, alibi recenſitos (*k*), iteratò recenſere ſupervacaneum omninò foret. Atque iſta ſufficiant de certis Fratrum Prædicatorum Cænobijs, intrà *Hiberniæ* Inſulam ſitis.

VI. *Thomapolitani* hujus Cænobij Sodales cum *Kilkennienſibus* permixti ſunt, ut de *Caſtelionenſi*, *Tulſkenſi*, *Clonymichanenſi*, & *Clonmellenſi* nuper ajebam (*l*).

(*b*) Cap. præs. §. xxv. Num. ii. Pag. 286.

(*i*) Cap. præs. §. xxv. Num. ii. Pag. 286. Ex Actis Comitiorum Generalium Pag. 148.

(*k*) Cap. præs. §. iii. Num. vi. Pag. 206.

(*l*) Cap. præs. §. xxvii, xxxvi, xxxix, & xl. Pag. 292, 317, 327, & 330.

CAPUT DECIMUM.

De Septem dubijs Fratrum *Hiberniæ Dominicanæ* Domibus Conventualibus juxtà Ordinem Alphabeticum.

SUPERIORI Capite totus multuſque fui in adſtruendis omninò certis *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobijs, ſeù Domibus Conventualibus, Numero Quadraginta Tribus, de quibus Comitia Generalia *Romæ* 1656 locupletiſſimum Nobis reliquere Teſtimonium (*a*), quo luculenter conſtat, eas omnes antè Decennium extitiſſe. Sed quia difficile Creditu eſt, Ordinem à Medio Sæculo anteriori vehementiſſimè oppreſſum (*b*) potuiſſe in brevi Temporis Intervallo, in quò refloruit, ſeù potiùs reſpiravit, ab Anno ſcilicet 1642 ad 1646, ut ſuperiùs narrabam (*c*), potuiſſe, inquam, ſingulas recuperare Domos Conventuales, quas antiquioribus Temporibus poſſederat: Idcircò verſimilè videtur, alias quoque extaſſe. Hinc quandoquidem in diligentiſſima, quam feci, Perſcrutatione, ultrà prælibatas Quadraginta Tres deprehenderim alias Septem, etſi minùs certas, eapropter & ipſas omninò recenſere meum eſſe duxi. Enimverò quemadmodùm non debeo incertas intrudere tanquàm certas, ità nec dubias alto prætermitttre Silentio tanquàm prorsùs nullas, ſed potiùs ad Poſteritatem pro ulteriori Indagine tranſmittere. Ex ijs porrò Domibus quædam ad Ordinem noſtrum indubitanter ſpectabant, ſaltem quà Vicariales, ut ex Decurſu hujus Capitis patebit. Sit igitur.

§. I.

De *Armacano* Cænobio in Comitatu ejuſdem Nominis *Ultoniæ*.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Armacæ, *non Civitatis, neque Oppidi, ſed* Burgi, *& quidem valdè exigui, & deformis. Objectioni ſatisfacit Nota, ubi triti de* Armaca *Verſus, tàm latini, quàm anglici.*

II. *Cænobium Ordinis Prædicatorum eò Loci fundatum aſſerit* Porterus. *Nonnihil obiter de Conventu* Armacano *Fratrum Minorum.*

III. *Ratio, & Exemplum ſuffragantur. Iterùm de* Armacano *Minoritarum Cænobio, deque Cænobijs Fratrum Prædicatorum & Minorum* Caſſelienſibus.

IV. *Novem* Armacani *Archipræſules ex Ordine Prædicatorum, alibi memorati.*

I. ARMACA, hibernicè *Ardmagh*, anglicè *Armagh*, tàm Baroniæ, quàm Comitatui Denominationem tribuit, utpotè utriuſque Caput, ubi propterea Comitia Juridica, vulgò *Aſſiſæ* (*d*), pro Comitatu *Armacano* ſingulis Semeſtribus habentur. Et quamquàm Sedes ſit Metropolitica *Ultoniæ*, immò & *totius Hiberniæ* Primatialis, ſi non Juriſdictione, ſaltem Antiquitate (*e*), utpote quam *S. Patritius* Gentis *hibernicæ* Apoſtolus ſibi elegerat, etſi tranſierit poſteà ad Eccleſiam *Dunenſem*: Nihilominùs neque Civitas eſt (*f*), neque Oppidum, juxtà Regij Diplomatis,

---

(*a*) Conſulendum Cap. præced. §. xxv. Num. ii; & §. xliii. Num. iv. Pag. 286, & 337.

(*b*) Adeas Cap. xvii. Num. xlii.

(*c*) Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*d*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*e*) Recolendum Cap. i. Num. xii. Lit. a. Pag. 17; & conſulendum Cap. xiii. Num. vii.

(*f*) Non me latet, à pluribus, præſertìm extraneis, qui *Armacam* nullatenùs viderant, eam exiſtimari Civitatem propriè talem, & quidem maximè ob tritos hos vulgares Rhythmos, ſeù Verſus, quos, inter alios Scriptores, refert *Harriſius* Vol. I. P. 89.

Civitas

matis, quo Municipium (*g*) conſtitutum fuit, Tenorem, ſed purus putuſque Burgus, ne dicam exiguus Pagus, nullius, ut vidi, Formæ, aut Figuræ. Ibi tamen in Summitate Collis magnificentiſſimam videre eſt Eccleſiam, laudato *S. Patritio* ſacram, nunc Acatholicorum Prædam. Emporium eſt, ibique Sex Nundinæ in Anno habentur, ſcilicèt in Feſto *S. Patritij*, Die 17 Martij, ſed nunc propter Mutationem Styli (*h*), Die 28 ejuſdem; item 20 Maij, 10 Julij, 12 Auguſti, 7 Octobris, & 20 Novembris. *Dubliniô* Sexaginta Tribus; *Londino-Deriâ*, Quadraginta Septem; *Galviâ*, Centum, & Duodecim; *Corcagiâ*, Centum Octoginta Novem, Milliaribus diſtat.

II. NULLIBI, ut candidè fatear, quidquam inveni de *Armacano* Fratrum Prædicatorum Cænobio, niſi in ſolo *Franciſco Portero*, Ordinis Minorum, *Hiberno-Midenſi*, qui in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Regni Hiberniæ* illud rotundis Verbis adſtruere non dubitat. Catalogum quippè texens *Cænobiorum Ordinis Prædicatorum, & Cruciferorum, in Ardmachana Provincia*, hæc habet Verba, Pag. 216. *In Comitatu de Ardmach. Ardmachæ Ordinis Prædicatorum.* Neque dici poteſt, ex Errore Typographi, aut aliundè confundi Cænobium Ordinis Prædicatorum cum Cænobio Ordinis Minorum, nam in eadem Pagina recenſens *Conventus Fratrum Minorum*, ait: *Ardmachæ Conventus Minorum.*

III. RATIO ſuffragatur; memoratus enim Fratrum Minorum Conventus à *Patritio O-Scanlan*, Ordinis Prædicatorum Alumno, priùs Epiſcopo *Rapotenſi*, dein ab Anno 1261 ad 1270 Archipræſule *Aamacano* (*i*), fundatus fuit, Teſte *Waræo* (*k*) ajente: *Patritius O-Scanlan ex Ordine Prædicatorum, Archiepiſcopus Armachanus, Minoritis Cænobium extruxit ibidem* (Armachæ) *Anno* 1263, *vel* 1264. Idem etiam aſſerunt *Alemandus*, & *Harriſius* (*l*). Nonnè igitur veriſimile eſt, Conventum Fratrum Prædicatorum eò Loci priùs extitiſſe? Alioquin Vir ille verè magnus, & in Hiſtorijs celebratus, non Minoritis, ſed Sodalibus ſuis, quos *Armachæ* ſecum eſſe geſtiret, tunc Temporis extruiſſet, juxtà tritiſſimam illam Regulam, ex S. Pagina depromptam: *Charitas benè ordinata incipit à ſemetipſo* (*m*). Sic in eodem Sæculo *David Mac-Kellius*, Ordinis item Prædicatorum Alumnus, Epiſcopus *Clonenſis* primò, dein Archipræſul *Caſſelienſis* ab Anno 1238 ad 1252 (*n*), Adoleſcenti ſuo Ordini *Caſſeliæ* Anno 1243 Cænobium fieri fecit (*o*), non verò Minoritis, quibus tamen non longè poſt Conventus ibidem acceſſit.

IV. NOVEM Antiſtites *Armacanos*, ex Ordine Fratrum Prædicatorum aſſumptos, jam recenſebam, de Cænobio noſtro *Pontanenſi* in eadem Diæceſi diſſerens (*p*).

Civitas Armachana,
Civitas Vana,
Abſque bonis Moribus:
Mulieres Nudæ,
Carnes Crudæ,
Paupertas in Ædibus.

ANGLICE

Armagh is notorious
For being vain-glorious,
The Men void of Manners; their Spouſes
Go naked; they eat
Raw Fleſh for their Meat,
And Poverty dwells in their Houſes.

Verùm, ut advertit prælibatus *Harriſius*, Verſus iſtos cecinebat *Octavianus de Palatio*, Patriâ *Florentinus*, ab Anno 1480 ad 1513 Archipræſul *Armacanus*, qui *Armacam* vocavit Civitatem More *Italiæ*, ubi nedùm Archiepiſcopales ſed & Epiſcopales omnes Sedes ſunt Civitates; ſecùs verò in *Hibernia*, ut etiam videre eſt *Tuamæ*, quæ Sedes eſt Metropolitica *Conaciæ*, & tamen Burgus duntaxat Agri *Galvienſis*, & in pleriſque alijs hujus Inſulæ Diæceſibus. Hæc porrò dicta ſint pro Rei Veritate, non autem ad Injuriam quamcunque *Armacæ*, Beatiſſimi *Patritij* Habitatione, & Miraculis dudùm conſecratæ, irrogandam.

(*g*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*h*) Videſis Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*i*) De eo datâ Operâ dicetur Cap. xiii. Num. vii.

(*k*) *De Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 177.

(*l*) *Alemandus*, Pag. 287; *Harriſius*, Vol. II. Pag. 278.

(*m*) Confer §. xxv. Cap. præced. Num. v. Pag. 288.

(*n*) De ipſo fiet Sermo Cap. xiii. Num. i.

(*o*) Recolendus §. ix. Cap. præced. Num. ii. Pag. 235.

(*p*) Cap. præced. §. ii. Num. xi. Pag. 203.

§. II.

De *Ballinegallenſi* Cænobio in *Limericenſi* Comitatu *Momoniæ*.

SUMMARIUM.

I. Ballinegallæ *Pagi Nomenclatura, & Deſcriptio*
II. *Ex* Waræo, & Alemando *probabilis Domûs Conventualis Dominicanæ Exiſtentia. Probabilior,* ſi *non certæ, Cænobij Carmelitani eò Loci Exiſtentia. Fortaſſe utriuſque Ordinis ibi Cænobium.*
III. *Unicus* Limericenſis *Epiſcopus ex Ordine Prædicatorum, alibi recenſitus.*

I. BALLINEGALLA, anglicè *Ballinegall*, hibernicè *Baillinegall*, id eſt, *Burgus*, ſeu *Villa Anglorum*, ob Coloniam Anglicanam eò Loci primitùs ſedentem ſic nuncupata, Pagus eſt nullius fermè Momenti in Baronia *Killocienſi*, & Agro *Limericenſi*, ſed propè *Corcagienſem*, Diæceſi verò *Limericenſi* ſub Archiepiſcopo *Caſſalienſi* ſitus; atque alius omninò à Pagò, cui Nomen Vernaculum *Gallbally*, in memoratis Baronia, & Agro ad decem Milliaria diſtante, etſi propter Inverſionem Vocabuli confundi poſſent. *Dubliniô*, Centum, & Decem; *Killociâ*, Septem; *Corcagiâ*, Viginti Septem; *Limericâ*, Viginti Quinque; *Caſſeliâ*, Viginti Quinque; *Galviâ*, Sexaginta Quinque; *Londino-Deriâ*, Centum, & Septuaginta, Milliaribus diſtat.

II. DUM de *Killocienſi* noſtro Cænobio diſſererem (*a*), referebam ex *O-Heyno*, Domum *Ballinagallenſem* nonniſi Vicarialem fuiſſe ſub memorata Conventuali *Killocienſi*, addens tamen, & ipſam *Ballinegallenſem* fuiſſe Sententiâ *Waræi*, & *Alemandi* propriè Conventualem. Id porrò affirmat *Waræus* (*b*) his Verbis: *Ballinegallæ, Conventus Ordinis Prædicatorum.* At *Alemandus* in hunc Modum diſcurrit (*c*): *Waræus refert, Conventum fuiſſe Ordinis bujus* (Prædicatorum) *apud Ballinegallam, ſed Regeſta, aut Scriptores Ordinis nec minimam de illo faciunt Mentionem. Fundatus porrò fuit ab Hibernica Familia de Clan-Gibbon* (*d*), *quarto decimo Eccleſiæ Sæculo.* Sanè Muri, tàm Eccleſiæ, quàm Domûs, qui, ut vidi, etiamnùm extant, indicare videntur Conventualem potiùs quàm Vicarialem.

CÆTERUM, ut ingenuè fatear, *Harriſius*, qui longè poſt memoratos Auctores ſcripſit, utpotè etiamnùm vivens, Cænobium *Ballinegallenſe* non annumerat inter Dominicana, ſed Carmelitana, diſertè aſſerens (*e*), Cænobium hoc expreſſe vocari *Carmelitanum* in Literis Patentibus, quibus *Elizabetha* Anno Regni ſui 29 (Chriſti 1586) Latifundia Conventui annexa conceſſit Collegio SS. Trinitatis *Dublinij*. Recole tamen alibi dicta in conſimili Caſu (*f*), nempè de utriuſque fortaſſis Ordinis Cænobio in eodem Loco.

III. LIMERICENSIS Diæceſis, intrà cujus Fines comprehenditur *Ballinegalla*, unicum Epiſcopum Dominicanum jam recenſebam inter agendum de Cænobio *Limericenſi* (*g*).

§ III.

De *Clominenſi* Cænobio in *Wexfordienſi* Comitatu *Lageniæ*.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio Burgi* Clominarum.
II. *Probabilitas Cænobij Ordinis Prædicatorum ex* Waræo, Alemando, O-Heyno, & Echardo. *Refragatur*

(*a*) Cap. præced. §. xxiv. Num. iv. Pag. 285.

(*b*) *De Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 203.

(*c*) Pag. 230.

(*d*) Recolendus §. xxiv. Cap. præced. Num. ii. Pag. 284.

(*e*) Vol. II. Pag. 284.

(*f*) Cap. præced. §. xxv. Num. v. Pag. 288.

(*g*) Cap. præced. §. v. Num. vi. Pag. 213.

fragatur Harriſius *id adjudicans Ordini Eremitarum* S. Auguſtini. *Ibi forte utriuſque Ordinis olim Conventus. Nunc ſoli adſunt Fratres* Auguſtiniani.

III. Fernenſis *Epiſcopus Ordinis Prædicatorum unus.*

I. CLOMINÆ Clominarum, hibernicè *Clochmin*, anglicè *Clomines*, nonnullis *Clamines*, Oppidum Sociatum eſt, ſeù *Corporatnm*, ut vulgò loquimur, Baroniæ de *Shelburn* in Agro *Wexfordienſi*, Diæceſis verò *Fernenſis* in Provincia *Dublinienſi*, cujus Supremus Magiſtratus anglicè vocatur *Portrive*, eſtque impræſentiarùm Illuſtriſſimus Dominus Baro *Loftus* de *Loftuſtown* in prælibato Agro *Wexfordienſi*. Municipium (*a*) quoque eſt, & Emporium haud contemnendum, quod alluit Fluvius, cui Nomen *Bannow*, in auſtralis Maris Sinum repentè ſe exonerans. *Dubliniô* diſtat Septuaginta Tribus Milliaribus ; *Wexfordiâ*, Duodecim ; *Fernâ*, Viginti Tribus ; *Canicopoli*, ſeù *Kilkenniâ*, Triginta Duobus ; *Waterfordiâ*, Tredecim ; *Corcagiâ*, Octoginta ; *Galviâ*, Centum, & Decem ; *Londino-Deriâ*, Centum, & Septuaginta Octo.

II. Hic Loci Cænobium extitiſſe Fratrum Prædicatorum, haud improbabile eſt. *Warræus* (*b*) quippè ait : *Sedes ibi* (Clominis) *fuit Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, quam Nicolaus Filius Nicolai, Clericus, auxit, & ornavit Anno* 1385. *Sunt qui aſſerunt Sedem poſteà factam Fratrum Prædicatorum. Vide Inquiſitionem Scaccarij Anno XXXI Henrici VIII.* Succinit *Alemandus* (*c*) Rem faciens aliquatenùs probabiliorem : *Apud Clominas* (inquit), *Oppidum valdè exiguum, Cænobium fuit Ordinis Prædicatorum, de quo tamen Fontana, Malvenda, alijve hujus Ordinis Scriptores nullam faciunt Mentionem, ſicut nec antiqua, modernave Ordinis Regeſta. Ratio autem eſt, quia Wâræus dum Dominicanis adjudicat Cænobium hoc, fatetur id anteà pertinuiſſe ad Auguſtinianos.* Hinc *O-Heynus* noſter (*d*) in hunc Modum diſcurrit : *In Comitatu de Wexford, hibernicè Logh-Garamadh, Conventus eſt, Teſte Waræo, vocatus Clomin, cujus Fundationis Tempus, aut Fundator non apparet. Erat fortè aliquis Vicariatus, & conſequenter derelictus ſine Habitatione, ſicut plura alia Loca noſtra in iſta Inſula venerunt in Ruinam, & Oblivionem.* Hinc etiam noſter *Echardus* (*e*) inter alia *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobia *Clominenſe* annumerare non dubitat. *Harriſius* verò in Catalogo Cænobiorum Ordinis Prædicatorum illud omninò prætermittit, recenſet verò in Catalogo Cænobiorum Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini (f)*. Sed fortaſse utriuſque Ordinis Conventus eo in Vico etſi exigno vigebant, juxtà ſuperiùs dicta *(g)*. Hiſce autem Temporibus Prior, & Fratres ex ſolo *Auguſtiniano* Ordine ibi verſantur.

III. FERNENSIS Diæceſis, intrà cujus Fines ſitæ ſunt *Clominæ*, nullus fuit Epiſcopus Ordinis noſtri, niſi unum excipias *Stephanum Màc-Egan*, nuperrimè defunctum, ad quem Anno 1729, jàm priùs Antiſtitem *Clononacnoiſenſem*, datæ ſunt Literæ Apoſtolicæ pro Diæceſi illa, ſed antè earum Executionem tranſlatus fuit ad *Midenſem*, ut ſuo Loco dicetur (*h*).

§. IV.

De *Kilcorbanienſi* Cænobio *SS. Roſarij* in *Galvienſi* Comitatu *Conaciæ*.

SUMMARIUM.

I. *Pagi* Kilcorbaniæ *Nomenclatura, & Deſcriptio.*

II. *Capellæ hujus Loci Donatio Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis* S. Dominici *ab Epiſcopo* Clonfertenſi, Thomâ de Burgo, *facta, & ab* Eugenio *Papa IV ſpeciali Diplomate confirmata.*

III. *Hac de Re* Alemandus, & Harriſius *magnopere hallucinati. Nonnihil obiter de Tertio Ordine* S. Dominici, *deque Tertio Ordine* S. Franciſci, *ac Differentia inter utrumque.*

IV. Kilcor-

(*a*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*b*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 151.

(*c*) Pag. 217.

(*d*) Pag. 7. Huic ſuccinit *Echardus* Tom. ii. Pag. 13.

(*e*) Tom. ii. Pag. xiii.

(*f*) Vol. II. Pag. 282.

(*g*) Cap. præced. §. xxv. Num. v. Pag. 288.

(*h*) Cap. xiii. Num. lxxv.

IV. Kilcorbanienſem *Domum fuiſſe* Conventualem, *& non duntaxàt* Vicarialem, *ex quibuſdam antiquis Mauuſcriptis haud obſcure colligitur.*

V. *Devotiſſima Deiparæ Imago ibidem olim aſſervata. Nota exhibens **Familiam*** Burgiadum *de* Liſinard, *atque Surculum ejus de* Pallis.

VI. Clonfertenſes *Epiſcopi* Dominicani *ſuperiùs memorati.*

I. KILCORBANIA, tàm anglicè, quàm hibernicè *Kilcorban*, priſcis *Kilcarbain*, id eſt, *Eccleſia Corbani*, ſeù *Carbaini*, Pagus eſt nullius fermè Momenti Baroniæ *Leitrimenſis* in Agro *Galvienſi*, Diæceſis verò *Clonfertenſis* in Provincia *Tuamenſi* (*a*), ubi nihil impræſentiarùm videre eſt præter unam alteramve Domum, aut Tugurium, ac Muros Sacelli protinùs memorandi. Ibi tamen Nundinæ habentur bis in Anno, Diebus nempè 13 Junij, & 18 Septembris. *Dublinio* diſtat Sexaginta Septem Milliaribus; *Galviâ*, Viginti Octo; *Athenriâ*, Octodecim; *Clonfertâ*, Duodecim; *Tuamâ*, Viginti Novem; *Corcagiâ*, Sexaginta Duobus; *Londino-Deriâ*, Centum, & Viginti Uno.

II. JAMPRIDEM (*b*) de *Athenrienſi* Cænobio diſſerens, pauca dicebam de Vicariali Domo *Kilcorbanienſi*, cujus Capellam ſub Nuncupatione Beatiſſimæ Deiparæ, Parochiali Vicariæ de *Killedarmyrbolga* Auctoritate Apoſtolicâ dudùm unitam, & incorporatam, *Thomas de Burgo*, Epiſcopus *Clonfertenſis*, de Capituli ſui Conſenſu, ad Inſtantiam P. *Joannis Fitz-Rery*, Vicarij Generalis *Hiberniæ Dominicanæ*, aliorumque ejus Fratrum, donavit Fratribus, & Sororibus Tertij Ordinis *S. Dominici*, cum nonnullis Petijs Terrarum, ac Muris, & Poſſeſſionibus dictæ Capellæ adjacentibus, ut refert *Eugenius* IV, Pontifex Maximus, in Diplomate prælibatam Donationem confirmante, Die 15 Martij 1446 expedito, quod in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*c*) legere eſt, Tenoris ſequentis.

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto Filio Abbati de Novavia (*d*),
“ Clonferten. Diæceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ea, quæ pro divini Cultûs Augmento, ac Piorum Locorum, & Perſonarum, ſub Religionis Habitu
“ Domino famulantium, proſpero Statu providè facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cùm à Nobis
“ petitur, Apoſtolico diſponimus Præſidio communiri. Sanè, ſicut pro Parte Venerabilis Fratris noſtri
“ Thomæ Epiſcopi Clonferten. Nobis nuper exhibita Petitio continebat, ipſe Pietate motus, etiam
“ de unanimi dilectorum Filiorum Decani, & Capituli Eccleſiæ Clonferten. Conſenſu, Capellam de
“ Kyllycarbayn, quæ certis tunc expreſſis de Cauſis Vicariæ de Killedarmyrbolga Clonferten. Diæceſis
“ Apoſtolicâ Auctoritate unita, & incorporata fuit, dilectis Filijs Fratribus Tertij Ordinis S. Dominici, ac
“ dilectis in Chriſto Filiabus ejuſdem Ordinis Sororibus in Villa de Killcarbayn ejuſdem Diæceſis pro
“ Tempore degentibus, cum nonnullis Petijs Terrarum, ac Muris, & Poſſeſſionibus dictæ Capellæ adjacentibus,
“ necnon quibuſcunque alijs Terrulis, piâ Fidelium Largitione ipſis donatis, pro earum Uſu,
“ & Habitatione in Eleemoſynam puram perpetuò Auctoritate ordinariâ conceſſit, donavit, & aſſignavit,
“ prout in authenticis, deſuper confectis, Literis, Epiſcopi, & Capituli prædictorum Sigillis munitis, dicitur
“ pleniùs contineri. Quare pro Parte dicti Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Conceſſioni,
“ Donationi, & Aſſignationi præfatis, pro earum Subſiſtentia firmiori, Robur Apoſtolicæ Confirmationis
“ adjicere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de præmiſſis certam Notitiam non
“ habemus, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus,
“ quatenùs ſuper præmiſſis, Auctoritate noſtrâ te diligenter informes, &, ſi per Informationem hujuſmodi
“ ità eſſe inveneris, ſuper quo tuam Conſcientiam oneramus, Conceſſionem, Donationem, & Aſſignationem
“ prædictas, & quæcunpue indè ſecuta, Auctoritate noſtrâ approbes, & confirmes, ſupplendo
“ omnes Defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno
“ Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Quinto (*e*) Idibus Martij, Pontificatûs
“ noſtri Anno Quinto decimo.”

III. Ex

(*a*) Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(*b*) Cap. præced. §. viii. Num. xix. Pag. 234.

(*c*) Tom. iii. Pag. 201, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtoloco*, Lib. cxcv, Fol. 188.

(*d*) Id eſt, de *Via Nova*. Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* in Agro *Galvienſi*. Vulgò dicitur *Monaſterium O-Gormoganum*, quia à Familia *O-Gormoganorum* fundatum.

(*e*) Stylo *Bullarum*, Æræ communis 1446.

III. Ex his liquet, graviter hallucinatum *Alemandum* (*f*), dùm de *Cænobijs Tertij Ordinis S. Franciſci* diſferens, ait : *Apud Kilcorbaniam Monaſterium erat* (hujus Ordinis) *à Thoma de Burgo, Epiſcopo Clonfertenſi, extructum, qui Fratribus hujus Loci donaverat Capellam Kilcorbanienſem, quam Donationem Eugenius* IV, *Pontifex Maximus, confirmavit.* Ex allato ſiquidem Diplomate *Eugenij* IV luculenter conſtat, *Alemandum* confundere *Tertium Ordinem S. Dominici* cum *Tertio Ordine S. Franciſci.* Cujus Hallucinationis Cauſa ex eo fortaſſis repetenda eſt, quod de *Tertio Ordine S. Franciſci* nihil prorsùs ſcivit *Alemandus*, ſicut nec ſe quidquam ſcire fatetur *Harriſius* (*g*), qui de *Epiſcopis Clonfertenſibus* agens, refert quidem, *Thomam de Burgo de Conſenſu Capituli ſui conceſſiſſe Capellam B. Virginis de Kilcorbain in Agro Galvienſi, Fratribus TERTIJ ORDINIS S. DOMINICI Rogatu Joannis Fitz Rery, & Confratrum prælibati Ordinis, eamque Donationem confirmaſſe Eugenium Papam* IV, hanc tamen ſubjungit Notam : “ Nullum prorsùs ſcio *Tertium Ordinem S. Dominici* ; hinc crediderim, id intelligi debere de *Tertio Ordine S. Franciſci.* Alemandus prorò Domum hanc annumerat inter *Franciſcanas Tertij Ordinis.* Sed quandoquidem Epiſcopus iſte ſepultus fuerit apud *Dominicanos* (*h*), & Joannes Fitz Rery, cujus Rogatu facta erat Donatio, Vicarius fuerit Generalis *Dominicanorum* ; indè quiſpiam facilè adduci poſſit, ut inter Cænobia hujus Ordinis *Kilcorbanienſe* annumeret. Fortaſſis autem Reformatio aliqua *Dominicanorum* Nomen *Tertij Ordinis S. Dominici* fortita eſt, verùm Rem hanc ulteriori Diſcuſſioni ſubjicio.”

Hinc perſpicuè apparet, memoratos Scriptores non legiſſe iſta de Re *Conſtitutiones Fratrum Prædicatorum*, aut *Chronicon Magiſtrorum Generalium*, immò nec in Bibliotheſis paſſim repertam *Natalis Alexandri Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, ubi (*i*), poſtquàm refertur, *Ordinem Fratrum*, dein *Ordinem Sanctimonialium* à *S. Dominico* inſtitutos fuiſſe, ſubjungitur : “ Inſtituit demûm TERTIUM ORDINEM Militiæ Jeſu Chriſti ad Eccleſiæ Jura, Libertatem, Immunitates, Bona, ob Hæreticorum Furore, & Inuaſione vindicanda, tuendaque. *S. Dominico* ad meliorem Vitam tranſlato, & Cælitibus adſcripto, Nomen, & Inſtitutum hujus Ordinis mutatum eſt, cùm Arma contrà Hæreticos ampliùs neceſſaria non eſſent (*k*), & cum ſolis Cupiditatibus, & Poteſtatibus Tenebrarum, Armis Pænitentiæ, & Orationis pugnandum eſſet. Quæ Militia utrique Sexui convenit. Huic itàque Tertio Ordini *de Pænitentia S. Dominici* Nomen inditum.”

Cæterum (ut obiter animadvertam) rectè ſenſerunt prælibati Scriptores non dari *Tertium Ordinem S. Dominici*, perindè ac *S. Franciſci*. *Tertius* quippè *Ordo S. Franciſci* talis dicitur comparativè ad Ordinem Fratrum Minorum *Obſervantium*, & Fratrum Minorum *Conventualium* ; iſtique tres Ordines tres habent diverſos Moderatores Generales, ut nihil dicam de diverſis Habitibus Religioſis, diverſiſque Conſtitutionibus. Quibus etiam additur Ordo Minorum *Capucinorum*, ſuum quoque habens peculiarem Patrem Generalem. *Tertius* verò *Ordo S. Dominici*, mox deſcriptus, dicitur comporativè ad Ordinem *Fratrum Prædicatorum*, & Ordinem *Sanctimonialium*, ut Loco mox citato ajebam. Neque hujus *Tertij Ordinis* Fratres & Sorores ſunt ſtrictè loquendo Religioſi (ad Differentiam *Tertij Ordinis S. Franciſci*) utpotè non emittentes tria Solemnia Vota, Statui Religioſo eſſentialia, *Caſtitatis* nempè, *Paupertatis*, & *Obedientiæ*, ſed poſſunt eſſe Viri, & Fæminæ conjugati. Porrò hi tres Ordines uni ſubſunt Magiſtro Generali, neque in Ordine Fratrum Prædicatorum ulla unquam fuit Diviſio, ſed unus ſemper permanſit. *Sicut enim unitas Eccleſiæ ex Unitate Capitis dependet, ità & Unitas Ordinis noſtri ex Unitate unius Generalis Capituli, & unius Generalis Magiſtri, cui ſecundùm unam Regulam, & ſecundùm eaſdem Conſtitutionis ex Voto noſtræ Profeſſionis tenemur obedire, abſque Dubio dependere dignoſcitur*, ut Verbis utar Comitiorum Generalium *Mediolani* 1622, quorum integram ea de Re, atque Reformationis Vocabulo, Declarationem ſuperiùs exſcriptam habes (l), nunc conſulendam.

IV. Hæc

(*f*) Pag. 304.

(*g*) Vol. I. Pag. 641.

(*h*) Conſulendum Cap. præced. §. viii. Num. iii. Lit. t. Pag. 222.

(*i*) Sæcul. xiii. & xiv. Cap. vii. Art. v.

(*k*) Confer pridem dicta Cap. ii. Num. ii. Pag. 34.

(*l*) Cap. iv. Num. xii. Pap. 79.

IV. Hæc cùm ità ſint, Patres Prædicatores oportebat *Kilcorbaniæ* adfuiſſe pro memoratæ Capellæ Miniſterio, ipſoſque proinde Domum ibidem habuiſſe. An autem Domus iſta Conventualis fuerit, anve duntaxàt Vicarialis? Quæſtio eſt. Porrò quod verè Conventualis fuerit, haud obſcurè colligi videtur ex *Catalogo Manuſcriptorum Angliæ*, edito *Oxoniæ* 1696, quam ſæpiùs vidi, & ex quo apud *Echardum* noſtrum (*m*) ſequentia legere eſt: *Hi etiam Codices Ordinem attinentes recenſentur in Catal. Angl.* Dein paucis præmiſſis de Tom. II. ſubjungitur: *Tom. II. Part* II. *n.* 15. *Collectanea ex Libro Cænobij Ord. Præd. Limerici*——*n.* 46. *Collectanea ex Libro Fratrum Prædicatorum ibidem*—— *n.* 56. *Collectanea ex Chartis* CÆNOBIJ DOMINICANORUM DE KILCORBAIN.——*n.* 58. *Collectanea ex Annalibus Fratrum Prædicatorum de Drogheda.* Ubi clarè vides Domum *Kilcorbanienſem* perindè ac *Limericenſem* vocari in antiquis iſtis Manuſcriptis *Cænobium*, quo Nomine Domus Conventualis, non autem Vicarialis, intelligi ſolet.

V. In ſæpè dicta Capellâ, Reginæ Sacratiſſimi Roſarij nuncupatâ, aſſervabatur olìm devotiſſima B. Virginis Imago, cujus obiter meminit O-*Heynus* (*n*), de *Thaddæo Mac-Eogha*, Epiſcopo *Clonfertenſi*, Ordinis noſtri (*o*), Anno 1687 defuncto, loquens in hunc Modum: "Sepultus manet "in Sacello SS. Virginis de Roſario, quod vocatur apud *Kilcorbain* . . . . Statua B. Virginis "quæ colebatur veneranter ibidèm ſervatur apud Familiam Nobilem Burgorum de Pallis (*p*). "Crebra Miracula, quæ patrat Deus per iſtam Statuam Beatiſſimæ Virginis confirmant continuò Catholicos in Fide vera, & in Cultu Reginæ Cælorum" (*q*).

VI. *Clonfertenſis* Diæceſis, intrà cujus Fines eſt *Kilcorbania*, Epiſcopos ex Ordine Prædicatorum aſſumptòs alibi recenſebam, de *Portumnenſi* Cænobio diſſerens (*r*).

§. V.

De *Knocmorenſi* Cænobio in *Sligoenſi* Comitatu *Conaciæ*.

SUMMARIUM.

I. Knockmoræ *Nomenclatura*, & *Deſcriptio*.

II. *Probabilitas Cænobij Fratrum Prædicatorum ex* Alemando, O-Heyno, Echardo, & Harriſo. *Carmelitis tamen Calceatis favent Praxis*, & *Patriæ Traditio.*

III. Elphinenſes *Epiſcopi Dominicani ſuperiùs recenſiti.*

I. KNOCMORA, anglicè *Knocmore*, hibernicè *Cnucmor*, id eſt, *Collis Magnus*, quidquid antiquitùs fuerit, hiſce ſaltem Temporibus neque Pagi Cadaver eſt, nihil ſiquidem ibi videndum præter Muros Caſtri cujuſdam Allodialis haud antiqui Nominis ad nobiliſſimam *O-Connoram* (*a*) Gentem ſpectantis, in Boronia *Tirerrilenſi*, & Agro *Sligoenſi*, ſed juxtà *Roſcomanienſis* Agri Fines, & haud procul à *Leitrimenſi*; in Diæceſi verò *Elphinenſi* ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*. Diſtat *Dublinio* Octoginta Novem Milliaribus; *Sligoâ*, Sexdecim; *Elphinâ*, Quatuordecim; *Tuamâ*, Quadraginta Duobus; *Galviâ*, Quinquaginta Novem; *Londino-Deriâ*, Quinquaginta Octo; *Corcagiâ*, Centum, & Quadraginta Quatuor.

II. Eo

(*m*) Tom. i. Pag. 734.

(*n*) Pag. 44.

(*o*) De eo redibit Sermo Cap. xiii. Num. lxx.

(*p*) Propè Capellam hanc duplex adhuc videre eſt (vidique ipſe hoc Anno 1756) Caſtrum Gentis *Burgorum*, unum magis amplum, magiſque antiquum, Capellæque magis propinquum, dictum de *Liſinard*; alterum de *Pallis* nuncupatum. Utraque porrò Familia iſta, de *Liſinard* nempè, & de *Pallis* (quarum poſterior Surculus eſt prioris) Locum habet Sepulturæ in memorata Capella. Auctor eſt nunc prioris Familiæ Primipilus.

(*q*) Legeſis ſuperius dicta de alia Beatiſſimæ Virginis Imagine devotâ, *Youghallæ* olìm aſſervatâ, Cap. præced. §. xx. Num. iv. Pag. 273.

(*r*) Cap. præced. §. xxxii. Num. vi. Pag. 307.

(*a*) Adeas Cap. præced. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

II. Eo Loci Conventum habuiſſe Fratres Prædicatores, rotundis Verbis aſſerit *Alemandus* (*b*): « Apud *Knocmoram* (inquit) fuit Cænobium (Ordinis Prædicatorum) decimo quarto Eccleſiæ Sæculo fundatum à ſpectabili apud Hibernos Familia, cui Cognomen O-*Garâ*." Hinc O-*Heynus* noſter (*c*) hæc habet: " Legi fuiſſe erectum Conventum pro noſtro Ordine ab Illuſtriſſimo Domino O-*Gara*, quondam Barone prænobili, & antiquo, in quodam Loco, cui Nomen hibernicè *Knocmore*, at non audivi meis Temporibus habitatum fuiſſe ab aliquo, & conſequenter Filiorum ejus, ſi qui fuerint, non eſt Memoria apud me ſaltem. Latinè dicitur *Collis Magnus*."

Waræus autem tametſi dicat (*d*), apud *Knocmoram* fuiſſe Cænobium, Ordinem tamen Regularem, ad quem ſpectabat, non exprimit, quia, ut præſumi poteſt, neſciebat. Noviſſimus nihilominùs ipſius Editor *Harriſius* (*e*), id ponere non dubitat in Catalogo Cænobiorum *Hiberniæ Dominicanæ*. Sed quidquid ſit de hoc, Fratres Prædicatores hiſce Temporibus Priorem non habent *Knocmorenſem*, benè tamen Fratres Carmelitæ Calceati, quibus, ut candidè fatear, moderna Patriæ Traditio ſuffragatur.

III. *Elphinenſis* Diæceſis, intrà quam eſt *Knocmora*, Septem Epiſcopos Dominicanos alibi recenſebam, de *Roſcomanienſi* Cænobio diſſerens (*f*).

§. VI.

De *Knocvicarienſi* Cænobio in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ*.

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Knocvicariæ.

II. *Probabilitas Cænobij Fratrum Prædicatorum ex* Alemando, *&* O-Heyno. *Illud tamen Fratribus Tertij Ordinis* S. Franciſci *ab* Harriſio *adjudicatum. Vi Nominis Domus iſta Vicarialis potiùs quàm Conventualis.* Clonſhanvillenſi *Cænobio fortaſsè ſubdita. Loci Traditio Fratribus Prædicatoribus favet.*

III. Elphinenſes *Epiſcopi Dominicani ſuperiùs memorati.*

I. KNOCVICARIA, anglicè *Knocvicar*, hibernicè *Cnoc-a-bhicarre*, id eſt, *Collis Vicarij*, Pagus eſt valdè exiguus Baroniæ *Boylanæ* in Comitatu *Roſcomanienſi*, ſed propè *Sligoenſis* & *Leitrimenſis* Agrorum Fines, Diæceſis verò *Elphinenſis* in Provincia *Tuamenſi* (*a*), quem inſignis *Buellius*, non longè abhinc *Shanano* junctus, interfluit, ſuumque hic habet Pontem. *Dublinio* diſtat Octoginta Milliaribus; *Boylâ*, Quatuor; *Roſcomaniâ*, Viginti Quatuor; *Elphinâ*, Novem; *Tuamâ*, Triginta Novem; *Galviâ*, Quinquaginta Sex; *Londino-Deriâ*, Sexaginta Sex; *Corcagiâ*, Centum, & Triginta Quatuor.

II. APUD *Knocvicariam* Cænobium fuiſſe Regularium aſſerit Eques *Waræus* (*b*), cujus tamen Ordinis non exprimit, quia fortaſsè neſciebat, ut de *Knocmorenſi* Cænobio nuper ajebam (*c*). Noviſſimus tamen ipſius Editor, Advocatus *Harriſius* (*d*), Fratribus Tertij Ordinis *S. Franciſci* id adſcribit. *Alemandus* (*e*) autem illud adjudicat Fratribus Prædicatoribus. Item & O-*Heynus* noſter (*f*) dicens: " In eodem Comitatu (Roſcomanienſi) eſt alius Conventus noſter, qui vocatur *Knocvicaire*, id eſt, *Collis Vicarij*, ſuper Ripam Magni Fluminis de *Buil*, diſtans duobus Mil-

---

(*b*) Pag. 226.

(*c*) Pag. 43. *O-Heyno* ſuccinit *Echardus* Tom. ii. Pag. xiii.

(*d*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 230.

(*e*) Vol. II. Pag. 277.

(*f*) Cap. præced. §. xvi. Num. vi. Pag. 261.

(*a*) Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(*b*) De *Antiquit. Hibernic.* Cap. xxvi. Pag. 227.

(*c*) §. præced. Num. ii. Pag. præſ.

(*d*) Vol. II. Pag. 282.

(*e*) Pag. 226.

(*f*) Pag. 46. Huic ſuccinit *Echardus*, Tom. ii. Pag. xiii.

“ liaribus à Manſione Domini *Mac-Dermott* de *Carrigg* (*g*). In iſto Loco non habitaverunt Re-
“ ligioſi noſtri à longo Tempore, undè ejus Nati non inveniuntur numerandi.”

PORRO hiſce ſaltem Temporibus Fratres Prædicatores Priorem non habent *Knocvicarienſem.* Quòd ſi Domus iſta unquàm ſpectaverit ad Ordinem noſtrum, non videretur ex Nomenclatura Conventualis, ſed duntaxàt Vicarialis, fortaſſis ſubdita Cænobio *Clonſhanvillenſi*, in eadem Baronia *Boylana* ſito, de quo alibi dicebam (*h*). Cæterùm Traditio Loci, ut ibidem accepi Anno 1755, fert Domum qualemcunque Juris fuiſſe Fratrum Prædicatorum, & in Summitate ipſiuſmet Collis poſitam, cujus tamen neque Rudera deprehendere potui.

III. *Elphinenſes* Epiſcopos, ex Ordine noſtro aſſumptos, ſuperiùs recenſebam, dum de *Roſcomanienſi* Cænobio diſſererem (*i*).

§. VII.

De *Tumonenſi* Cænobio in *Roſcomanienſi* Comitatu *Conaciæ.*

SUMMARIUM.

I. *Nomenclatura, & Deſcriptio* Tumonæ.

II. *Eò Loci Cænobium Regularium juxtà* Waræum, *tacito tamen Ordinis Nomine. Ordinis autem Prædicatorum juxtà* Alemandum, *Tertij vero Ordinis* S. Franciſci *juxtà* Harriſium.

III. *Epiſcopi* Elphinenſes *Dominicani alibi nominati.*

I. TUMONA, hibernicè *Touathmona* (id eſt, *Gleba combuſtibilis)*, anglicè *Towemone*, Baroniæ *Roſcomanienſis* in ejuſdem Nominis Comitatu, Diæceſis verò *Elphinenſis* ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi* (*a*), neque Pagus impræſentiarùm exiſtit, nihil quippè eò Loci videre eſt præter Muros vetuſtiſſimos Caſtri Allodialis Nobiliſſimæ *O-Connororum* (*b*) Gentis, uno duntaxàt Milliari *Tulſkâ* (*c*) diſtantis. *Dublìniô* autem diſtat ſepuaginta tribus Milliaribus; *Roſcomaniâ*, novem; *Elphinâ*, ſeptem; *Tuamâ*, viginti ſex; *Galviâ*, quadraginta tribus; *Londino-Deriâ*, octoginta uno; *Corcagiâ*, centum, & novemdecim.

II. QUOD ibi fuerit olim Cænobium Ordinis Prædicatorum, aſſerit *Alemandus* duobus in Locis, nempè Pag. 214, ubi rectè vocatur *Towemone*; & Pag. 227, ubi mendosè (crediderim ex Typographi Incuria) *Towemore* nuncupatur. In poſteriori Loco diſertè ait, ibi extitiſſe Cænobium Ordinis Prædicatorum à Nobili *O-Connororum* (*b*) Familia fundatum. *Waræus* autem (*d*) affirmat quiddem fuiſſe apud *Tumonam* Cænobium aliquod Regularium, tacito tamen Ordinis Nomine. Noviſſimus verò ipſius Editor *Harriſius* dicere non dubitat (*e*), illud ſpectaſſe ad Fratres Tertij Ordinis *S. Franciſci.*

III. Epiſcopos *Elphinenſes* Ordinis noſtri alibi nominatos habes (*f*).

(*g*) Adeas §. xxix. Cap. præced. Num. ii. Lit. e. Pag. 295.

(*h*) Loco mox citato.

(*i*) Cap. præced. §. xvi. Num. vi. Pag. 261.

(*a*) Videſis Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(*b*) Legendus §. xvi. Cap. præced. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

(*c*) Ibi Conventus Ordinis Prædicatorum. de quo Cap. præced. §. xxxvi.

(*d*) De *Antiquit. Hibern.* Cap. xxvi. Pag. 228.

(*e*) Vol. II. Pag. 282.

(*f*) Cap. præced. §. xvi. Num. vi. Pag. 261.

CAPUT UNDECIMUM.

De Quatuor Monaſterijs Sanctimonialium in *Hibernia Dominicana* conſtitutis.

§. I.

De primæva Inſtitutione Sanctimonialium Ordinis Prædicatorum, earundemque Propagatione in *Hibernia*.

SUMMARIUM.

I. *Primæva Sanctimonialium Inſtitutio à* S. Dominico *facta. Monaſterium* Prullianum *primum ab ipſo erectum, in eoque plures Ancillæ Dei incluſæ, præſertim Novem Nobiles Fæminæ, quæ, abjuratâ* Albigenſium *Hæreſi, ad Græmium Eccleſiæ Catholicæ redierant, idque inſigne* S. Dominici *Miraculum.*

II. *Monaſterium item* S. Sixti *de Urbe ſecundum à* S. Dominico *Anno* 1219 *inſtitutum, dein Anno* 1575 *aliò in eadem Urbe tranſlatum, nunc vulgo dictum* Magnanapoli. *A duobus iſtis Monaſterijs omnia alia Ordinis exorta.*

III. *Plura Sanctimonialium* Canoniſſarum, *pauca vero cujuſvis Ordinis* Mendicantium *Monaſteria in* Hibernia *antè* Henricum VIII. *Quædam certè Ordinis Prædicatorum, incerte vero ubi niſi* Pontanæ *fortaſſis, &* Waterfordiæ. *Quatuor poſtmodùm ſtabilita.*

I. DUM Sanctiſſimus Patriarcha *Dominicus* in evertendis Hæreticis *Albigenſibus* (*a*) indefeſſam impendens Operam, animadverteret Viros aliquot Nobiles in Partibus *Toloſanis* uſque adeò Egeſtate compulſos, ut Filias ſuas Hæreticis iſtis nutriendas traderent, & erudiendas, immò potiùs peſtiferis Erroribus imbuendas, earum miſertus Calamitatem, Monaſterium *Prullianum* (*b*) inſtituit, ubi Ancillæ Dei, Virtutibus proficientes, devotum Alliſſimo exhiberent Famulatum. In eo porrò multas in primis incluſit, quas inter Novem erant Nobiles Mulieres, ab *Albigenſium* Hereſi ad Fidem Catholicam recens converſæ, idque, ut obiter dicam, ob idſigne illud Miraculum, quo *S. Dominicus* ejuſdem Fidei Catholicæ Veritatem confirmavit, quodque *Petrus de Valle Cernaij*, Ordinis Ciſtercienſis, Scriptor coævus memorat (*c*). Conſenſerunt quippè, Teſte illo Auctore, Hæretici *Albigenſes*, ut Schedula, in qua *S. Dominicus* Fidei Catholicæ Dogmata ſcripſerat, in Ignem projiceretur, eâ tamen Lege, ut, "Si combureretur, vera eſſet Fides, immò Perfidia Hæreticorum; ſi verò incombuſta maneret, Fidem, quam prædicabant noſtri, veram eſſe faterentur. Quid plura? Schedula in Ignem projicitur, ſed cùm in medio Igne aliquantulùm Moram feciſſet, incombuſta penitùs ab Igne reſilivit. Stupentibus quot aderant, unus cæteris durior ait illis: *Projiciatur in Ignem iterùm*; iterùm reſilijt incombuſta. Quod videns ille durus, & tardus ad credendum, dixit iterùm: *Trina Vice projiciatur, & tunc ſine Dubio Rei Exitum cognoſcemus.* Projicitur tertiò, nec tunc quidem comburitur, ſed integra ab Igne reſilit, & illæſa."

CONTRA Viritatem illius Miraculi nihil effutire poſſunt Heretici noſtri Temporis, cum referatur à Scriptore coætaneo, Viro gravi, & prudenti, quem veriſimile non eſt voluiſſe mentiri in Re ipſis Hæreticis notoriâ, à quibus, ut rectè obſervat *Graveſonus* (*d*), illicò Mendacij coargui potuiſſet, quod ad Catholicæ Religionis Dedecus, & Ignominiam non potuiſſet non cedere. Hinc in Officio *S. Dominici*, quod recitant Fratres Prædicatores, dicitur: *Ter in Flammas Libellus traditus, ter exivit illæſus pænitùs: Sic Error vincitur, Fides extollitur.* Ipſe porrò vidi Anno 1743 apud

---

(*a*) Confer Cap. ii. Num. i. Pag. 34; & Cap. præſ. §. ii. Num. iii.

(*b*) Vulgò *Prouille* in *Occitania*, ſeù *Gallia Narbonenſi.*

(*c*) *Hiſtoriæ Albigenſium* Cap. vii.

(*d*) *Hiſtor. Eccleſ.* Tom. v. Colloq. vi.

apud *Fanum Jovis (e)* Locum, in quo patratum fuit Miraculum, ibique Trabem, in quam ter alliſit prælibata Schedula ab Igne reſiliens, Signis Alliſionum in eadem etiamnùm manentibus.

INSTITUIT igitur S. Dominicus Monaſterium *Prullianum*, ut in eo Ancillæ Dei tutiùs viverent, ac remotis Periculis, quibus inter Hæreticos objiciebantur, ſanctè, pièque inſtituerentur. Et hoc fuit primum Sororum Ordinis noſtri Monaſterium, noſtrâ adhuc Ætate in tota *Gallia* celeberrimum, ſacris Virginibus, Nobilitate, & Sanctitate illuſtribus, omni Tempore inſigne. Ipſeque id Felicitatis habui, ut in hujus Monaſterij Ædibus Sacris Miſſam celebrarem, nonnullaſque viderem SS. Patriarchæ Reliquias, nominatìm Caſulam, ſeù Planetam, quâ indutus Sacrum peragebat.

II. EADEM Pietate motus *S. Dominicus* Centum & Quinque Virgines Deo ſacras congregavit Anno 1219 *Romæ* in Monaſterio *S. Sixti (f)* de Mandato *Honorij* III, Pontificis Maximi, & illud fuit ſecundum Sororum Ordinis noſtri Monaſterium, quod inſtituit Sanctus ille Patriarcha. Ex quo tamen tranſlatis poſteà Anno 1575 ob Cæli Gravitatem Sanctimonialibus in Clivum, qui olìm *Balnea Pauli*, nunc corrupto Nomine vulgò *Magnanapoli* dicitur, aliud Monaſterium à *S. Pio* V extructum eſt, quod ad hanc Diem *Romæ* nobiliſſimum habetur, & in eo benè multæ Puellæ, ex Illuſtriſſimis Principum Proſapijs oriundæ, Virginitatem ſuam, ſpretis Mundi Illecebris, Deo conſecrare ſummo ſibi Honoris Loco ducunt. Ab his igitur duobus Sanctimonialium Familiæ Dominicanæ Monaſterijs, â S. Patriarcha excitatis, omnia alia Cænobia Sororum Ordinis noſtri Originem habuerunt, ut *Chronicon Magiſtrorum Generalium* rectè advertit (*g*).

III. TAMETSI plurima fuerint Virorum omnis Ordinis, tàm Mendicantium, quàm non Mendicantium, Cænobia in *Hiberniæ* Regno antè *Henrici* VIII Lapſum in Hæreſim, pauca tamen erant Monaſteria Sanctimonialium cujuſvis Ordinis Mendicantium. *S. Brigidam* (*h*) quidem in quamplurimis Cænobijs Tredecim Millium Monacharum Curam habuiſſe ſexto Eccleſiæ Sæculo, & ex ejus Inſtituto Collegia *Canoniſſarum* non ſolùm in univerſa *Hibernia*, ſed etiam in *Anglia*, & *Belgio* duxiſſe Originem, tradunt *Joannes Manbunus*, Abbas *Linriacenſis*, in ſuo *Venatorio Canonicorum Regularium*, & *Gabriel Pennottus*, apud *Porterum* (i), qui addit, *Moniales Benedictinas, & S. Auguſtini, S. Dominici, & S. Franciſci ſua item habuiſſe Monaſteria, quæ omnia Hæreticorum Rabie, & Avaritiâ deſtructa fuere.*

QUOD ad Monaſteria Ordinis Prædicatorum attinet, nonnulla fuiſſe Temporibus *Henrici* VIII, Sole meridiano clariùs patet item ex *Regiſtro* Rmi Magiſtri Ordinis, ubi hæc legere eſt : “ Anno “ 1549 Die 8 Martij Fr. N. inſtituitur Commiſſarius ſuper omnia Cænobia, MONASTERIA, & “ UTRIUSQUE SEXUS Perſonas Provinciæ Hiberniæ cum pleniſſima Auctoritate tam in “ Capite quàm in Membris, in ſpiritualibus” &c (*k*). Attamen quibus in Locis fuerint hujuſmodi Monaſteria me latet, ut candidè fatear, ſi *Pontanam*, & *Waterfordiam* excipias. *Pontanæ* ſiquidem viguiſſe olìm Monaſterium haud obſcurè colligitur ex Literis Patentibus Rmi Magiſtri Ordinis, *Auguſtini Pipia*, poſteà S. R. E. Cardinalis, infrâ plenè exſcribendis (l). Inſuper & *Waterfordiæ* extitiſſe Monaſterium non minùs colligi videtur ex Exordio Literarum Summi Pontificis *Benedicti* XIV, quarum integrum Tenorem, etſi longiuſculum, ſuo Loco habebis (*m*).

CÆTERUM primum poſt *Henrici* VIII Tempora erectum Monaſterium Ordinis Prædicatorum fuit *Galvienſe*, Anno 1647 verè fundatum, à quo nonniſi poſt inchoatum præſens, quod labitur, Sæculum, noſtris ſcilicet Diebus, Originem habuit *Dublinienſe* (*n*), & dein *Pontanenſe*, & ex *Dublinienſi*

(*e*) Vulgò *Fanjoux*, quod *Prullio* diſtat Uno duntaxàt Milliari.

(*f*) Confer infrà dicenda Cap. ſeq. §. i. Num. x.

(*g*) Cap. i. Pag. mihi 5.

(*h*) Videſis Cap. vi. Num. x. Sect. ii. Pag. 116.

(*i*) Pag. 210, & 222.

(*k*) Conſulendum Cap. xiv, Num. iii.

(*l*) Cap. præf. §. iv. Num. i.

(*m*) Cap. præf. §. v. Num. iii.

(*n*) In Actis Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644 Sermo fit de Monaſterio *Limericenſi*, ut ex ſuperiùs allatis ejus Verbis Cap. vi. Num. x. Sect. 10 liquet, quod tamen Moniales noſtræ nunquàm aſſecutæ ſunt, ut ibidem ad Lit. t. advertebam, Pag. 112.

blinienſi Monaſterium *Waterfordienſe* (ſaltem quoad novam Erectionem) de quibus ſpeciales inſtituam Paragraphos, opportuniùs poſtmodùm Capite ſequenti de Monaſterio *Bethlehemitico*, ſivè *Ulyſſiponenſi*, utpote Extranationali, dicturus. Sit igitur

§. II.

De *Galvienſi* (*a*) Monaſterio *Jeſus Mariæ*.

SUMMARIUM.

I. *Monialibus noſtris erectum* Galviæ *Domicilium ab Oppidanis, habito Conſenſu Capituli Provincialis* Kilkenniæ 1643, *confirmati â Capitulo Generaliſſimo* Romæ 1644.

II. *Sic cæptam Monaſterij Fundationem Auctoritate Pontificiâ ſtabilivit Nuntius Apoſtolicus* Rinuccinus *Die* 10 *Septembris* 1647, Galviæ *tunc reſidens, ſpecialibus Literis hic exſcriptis.*

III. *Aliæ ejuſdem Nuntij Apoſtolici Literæ Diei* 26 *Octobris* 1647 *de Sacra Communione, unoque Roſario ſingulis Menſibus contrà* peſtiferum Hæreticorum Noſtratûm Virus.

IV. *Anno* 1652. *ſub* Cromuelliana *Tyrannide, Moniales omnes in* Hiſpaniam *profectæ, ibique piè defunctæ, exceptis duabus* Galviam *reverſis.* Galvienſe *Monaſterium deinceps refloruit.*

V. *Anno* 1698, *ejecto in Exilium Clero Regulari, erupta eſt Monialium Clauſura.* O-Heyni *eâ de Re flebilis Relatio.*

VI. *Permanſere nibilominùs Moniales in Patria, exemplariter pro poſſe viventes.* Juliana Nolana, *&* Maria Lyncæa *eis diù præfuere, & profuere.*

VII. *Perſecutionis Tempore multoties diſperſæ Moniales, impræſentiarùm vero imperturbatæ. Earum Numerus, & Sanctimonia.*

VIII. *Decretum Capituli Generalis* Romæ 1721 *in Favorem hujus Monaſterij.*

IX. *Sorores in eo Triginta Una Anno* 1756.

I. ANNO 1644, refloreſcente *Hiberniâ Dominicanâ* (*b*), Monialibus noſtris erectum fuit ab Oppidanis *Galvienſibus* Domicilium, & quidem de Conſenſu Capituli tàm Generalis, quam Provincialis, Teſte Nuntio Apoſtolico mox memorando. Illud autem Provinciale Capitulum proculdubiò erat *Kilkennienſe*, Anno 1643 pro Electione novi Provincialis, Patris nimirùm Magiſtri *Terentij Alberti O-Brien*, poſteà Fpiſcopi *Imelacenſis*, & Martyris (*c*), celebratùm, cujus Acta, & Ordinationes approbata fuere à Capitulo Generaliſſimo *Romano* 1644 (cui laudatus intererat Provincialis) his Verbis: “ Approbamus Acta, & Ordinationes Capitulorum Provincialium
“ Portumnenſis (*Anno* 1631) & Kilkennienſis (*Anno* 1643), & Inſtitutiones omnes Prædicatorum
“ Generalium ibidem factas” &c (*d*).

II. ANNO autem 1647, dûm Nuntius Apoſtolicus, de quo alibi dicturus ſum (*e*), *Galviæ* reſideret, ſic cæptam Monaſterij Fundationem Auctoritate Pontificiâ ſtabilivit ſub Titulo *Jeſus Mariæ* ſpecialibus Literis Tenoris ſequentis:

“ Joannes Baptiſta Rinuccinus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus,
“ ac in Regno Hiberniæ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius.

“ Dilectis Monialibus Ordinis S. Dominici Oppidi Galvienſis, earumque Sororibus futuris, Salutem, &
“ Apoſtolicam Benedictionem.

“ Religioſam Vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe Præſidium, nè fortè cujuſlibet Temeritatis Incurſus aut eas à Propoſito revocet, aut Robur Sacræ Religionis infringat. Eapropter cùm veſtro

“ Nomine

(*a*) *Galvienſis* Oppidi Nomenclaturam, Deſcriptionem &c videre poteris Cap. ix. §. xxxviii, Num. i. Pag. 322.

(*b*) Recolendum Cap. vi. Num. xi, Pag. 116.

(*c*) Adeas Cap. xiii. Num. lxvi.

(*d*) Videſis Cap. vi. Num. x. Pag. 114.

(*e*) Cap. xvii. à Num. xlv.

“ Nomine Nobis ſupplicatum fuerit, quod jam antè tres Annos unà conveniſtis, inſpirante divino Numine, ut ſub ſuavi Religionis Jugo Virtutum Domino famulantes, Monaſticam Vitam profiteremini ſub Regula Sororum S. Dominici; necnon per Generale, ac Provinciale dicti Ordinis Capitula acceptatæ fuiſtis: Nos, ut Apoſtolicâ Auctoritate cæptam veſtram Fundationem ſtabiliamus, habitâ Relatione fideli à Viris, quibus id commiſimus, de ſufficienti Redditu pro veſtra Suſtentatione, & aliarum uſque ad Numerum inferiùs deſignandum: Et attendentes de Vobis omnes per Dei Gratiam optimè ſentire, tanquàm ad Perfectionis Metam properantibus: Ideò veſtris pijs Supplicationibus annuentes, Vos à quibuſvis Excommunicationis, & Interdicti Vinculis, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine quavis Occaſione, vel Causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtitis, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Domum, quam nunc inhabitatis, & ſucceſſivè quaſcunque in poſterum contigerit inhabitare, in Monaſterium erigimus ſub Titulo JESUS MARIÆ de GALVIA cum Clauſurâ, eo Modo, & Forma, quibus Superioribus veſtris Ordinarijs viſum fuerit, deſignandâ. In primis autem ſtatuimus, ut Conſtitutiones, & Ordinationes Monialium S. Dominici, ſub Cura Fratrum Prædicatorum exiſtentium, perpetuis à Vobis Temporibus inviolabiliter obſerventur, quas compilatas vidimus in uno Volumine Tenoris ſubſequentis, videlicet: *Summarium Conſtitutionum, & Ordinationum editarum pro bono Regimine Monialium, & Perſonarum Tertij Habitûs ſub Cura Fratrum Ordinis Prædicatorum exiſtentium.* Unàque ſimul obſerventur etiam Decreta Sedis Apoſtolicæ, & maximè Concilij Tridentini, & Sacrarum Congregationum DD. Cardinalium, tùm Cænobij, tùm etiam Regularium, quæ adjecta reperiuntur eiſdem Conſtitutionibus. Præterea volumus, ut Numerus ordinarius Monialium non excedat Viginti, tot enim comperimus ex conſuetis Dotibus, & acquiſitis hucuſque Redditibus, juxtà Sacræ Congregationis Decreta, poſſe commodè ſuſtentari. Si qua verò ultrà prædictum Numerum ingredi velit, tertiâ Parte ad minus Dotem augere debeat, id eſt, ad ducentas Libras *(f)*, cùm ordinaria ſemper eſſe debeat centum & quinquaginta Librarum; ac proindè Monialis prædicta ſupernumeraria reputetur. Cùm verò in noſtro Acceſſu ad Galvienſem Civitatem invenerimus jam deſtinatum ad Curam, & Gubernium veſtrum R. P. Fratrem Gregorium French *(g)*, de cujus Pietate, ac Diligentia ergà veſtrum ſpiritualem Statum, & plurimùm omnes, & Nos etiam confidimus, eundem veſtrum legitimum Superiorem, ac perpetuum Vicarium confirmamus, &, quatenus Opus ſit, conſtituimus, adeò ut invitus ad alia Onera transferri non poſſit. Deinceps verò ac in futurum hujuſmodi Vicarij ordinaria Proviſio à majori Parte Capituli Provincialis fiat, nec aliter, aut alio Modo. Præterea quæcunque Poſſeſſiones, ſeù annui Cenſus, quæ in præſenti poſſidetis juſtè, & canonicè, aut in futurum vel Fidelium Oblatione, vel alijs legitimis Modis acquiri contigerit, firma, & illibata permaneant. Deindè prædictum veſtrum Conventum, ut jam fundatum, & approbatum, ab omnibus Chriſti Fidelibus habendum eſſe decernimus. Necnon omnibus Gratijs, Privilegijs, Immunitatibus, quibus Religioſarum veſtrarum Conventus, Bona, Poſſeſſiones, aliaque quomodocunque ad eoſdem Conventus ſpectantia per Orbem Chriſtianum de Jure, vel approbata Conſuetudine gaudere conſueverunt, Apoſtolicâ Auctoritate cumulamus. In quorum Fidem has Patentes Manu noſtrâ firmatas, & à Cancellario ſubſcriptas, Signi Impreſſione muniri fecimus. Datum Galviæ ex Palatio Noſtræ Reſidentiæ 10. Septembris 1647.

Locus “ Jo. B. ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS, NUNTIUS APOSTOLICUS.
✠
Sigilli “ *Albertus Pauletus, Cancellarius.*

III. Deinde prælibato Anno 1647 laudatus Nuntius Apoſtolicus Literas ad eaſdem dedit Moniales, ipſas hortans, ut ſemel in Menſe Sacram reciperent Euchariſtiam, unumque Roſarium Marianum recitarent, ad Effectum divinam implorandi Miſericordiam contrà peſtifera Hæreticorum Zizania in hoc *Hiberniæ* Regno, Exemplo S. Patris *Dominici*, acerrimi Hæreſeos Oppugnatoris non Verbis tantùm & Ratiocinationibus, ſed & ferventiſſimis Orationibus, ac ſanctiſſimis Vitæ Exemplis. En porrò Tenorem dictarum Literarum, quarum Autographum, ſicut & præcedentium, aſſervatur apud Moniales ipſas *Galvienſes* in Arca ſui Depoſiti.

“ Joannes

(f) Id eſt, octoginta Scuta Romana, quæ Summa tunc Temporis erat Duplô fermè major hodiernâ, quippè Auctarium Legale Cenſûs annui (quo unicè ſuſtentantur Moniales hujus Regni) erat tunc decem pro Centum, nunc verò ſex pro Centum, adhuc, ut fertur, minuendum.

(g) Adeas Cap. xvi. Num. lv.

“ Joannes Baptiſta Rinuccinus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus, ac in Regno Hiberniæ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius.

“ Dilectis Nobis in Chriſto Sororibus Monialibus Jeſus Mariæ de Galvia Ordinis Sancti Dominici Salutem, & noſtram Benedictionem.

“ Quantùm Hæreticorum Furor, ut evellat Catholicam Fidem in hoc Regno, laboret, per ſeſe quiſque intelligere poteſt, ſi tot Cænobia diruta, tot Eccleſias everſas, tot Monaſteria profanata, tot Catholicos oppreſſos, atque ferè extinctos, antè Oculos Mentis collocet. Nos itaque ad Summum Deum, cujus immenſa eſt Miſericordia, cujuſque Iram piorum Precibus, & Operibus à Nobis averti ſperamus, recurrendum, ejuſque Auxilium implorandum fore cenſentes, ut multiplicatis Interceſſionibus Majeſtas illius propitietur, & Catholicorum Exercitus de Hoſtibus Victorias reportent, peſtiferumque Virus Hæreticorum ab hoc Regno exterminetur; Vos à Sæculo ſequeſtratas, quæ Sanctiſſimis Divi Dominici Inſtitutis Vitam conformatis, hortamur, ut in perpetuum hanc Devotionem firmiter teneatis, ut ſemel in Menſe ad prædictum Finem confeſſæ Sacram Euchariſtiam recipiatis, & unum Roſarium in Honorem B. Virginis recitetis. Ut enim veſtri Beati Patris Emulatrices, ſicut ipſe acerrimus erat Hæreſeos Oppugnator, nam & Albigenſes in Aquitania, & Avenione ferè extinxit, non Verbis tantùm, & Ratiocinationibus, verùm etiam ſanctiſſimis Vitæ Exemplis, ac ferventiſſimis Orationibus Fidem Catholicam propagavit (*h*); ità & Vos in + + + + (*i*) Dei Miſericordiam enixè implorantes, ut hæc Zizania evellantur, ac penitùs extirpentur, confidimus, Voſque præſentes, ac futuras in noſtram, & Sedis Apoſtolicæ Protectionem ſuſcipimus. In quorum Fidem &c. Datum Galviæ ex Palatio noſtræ Reſidentiæ Die 26 Octobris 1647.

Loco
✠
Sigilli

JO. B. ARCHIEPs. FIRMANUS, NUNTIUS APOSTOLICUS.

Octavianus Corona, Cancellarius.

IV. EXPUGNATO per *Cromuellianos* (*k*) Oppido *Galviæ* Anno 1652, Moniales omnes ad unam, Perductore ſuo Vicario, P. Magiſtro Fr. *Gregorio O-Ferrall*, Exprovinciali (*l*), in *Hiſpanjam*, ceù ad tutiſſimum Azylum, proficiſci non dubitarunt, pluſquàm charitativè receptæ in varijs prælibati florentiſſimi, & verè Catholici Regni Monaſterijs, putà *Toletano*, *Valliſoletano*, *Lamorenſi*, *Flaviobrigenſi*, vulgò *Bilbao* (*m*), &c, in quibus, nec ſine religioſarum Virtutum Odore, obierunt omnes, demptis duabus, *Julianâ* nimirùm *Nolanâ*, hibernicè *Hualagban*, & *Maria Lyncæâ*, quæ Anno 1686, regnante *Jacobo* hujus Nominis Secundo, Orthodoxæ Fidei Cultore publico, de ſpeciali Patris Magiſtri Provincialis *Hiberniæ*, Fr. *Joannis Browne* (*n*), Mandato *Galviam* rediere. Illa Prioriſſa, iſta verò Supprioriſſa à laudato P. Provinciali inſtitutæ fuere, ſtatimque aptatâ ipſis Domo in Oppidi Umbilico, ibi Vitam verè religioſam ſnb arcta Clauſura ducentes, recipiebant ad Habitum Ordinis, & Profeſſionem Ancillas Chriſti, tùm Sanguine, quàm Virtute præclaras, quæ, creſcente paulatìm earum Numero, uſque adeò in Pietatis Schola edoctæ fuere, ut poſt Biennium, ad Matutinas Preces, Adventûs, & Quadrageſimæ Temporibus, mediâ Nocte perſolvendas, ſurgere inceperint (*o*).

V. ANNO autem 1698 diſperſo per Exilium Clero Regulari (*p*), Monialium iſtarum erupta eſt Clauſura, *laceratis Cratibus in Vigilia Apoſtolorum Philippi, & Jacobi, omneſque coactæ ſunt ad mutandum Habitum religioſum*, inquit *O-Heynus*, mox laudatus, poſtea ſubjungens: *Deplorabile erat videre chararum Sororum lacrymoſos Fletus, quibus nonnulli ex ipſis Hæreticis commovebantur ad Compaſſionem. Poſtquàm Communitas Patrum noſtrorum Galvienſium abierit in Galliam circà 20 Martij, Nemo erat, qui inſerviret iſtis noſtris Filiabus adbuc manentibus ſimul ſub Clauſura ſerata uſque ad extremam Diem limitatam à Parlamento* (*q*) *pro Diſperſione, & Abolitione omnium Conventuum, undè remanſerunt iſtæ Sorores noſtræ ſine Miſſa unâ Die Dominicâ. Quâ Re divulgatâ*

(*b*) Confer Cap. ii. Num. i; & Cap. præs. §. i. Num. i. Pag. 34, & 347.

(*i*) Deſùnt tria, vel quatuor Verba, præ Vetuſtate Chartæ penitùs obliterata.

(*k*) Adeas Cap. xvii. Num. c,

(*l*) Videſis Cap. xiv. Num. xiv.

(*m*) Legeſis Cap. xii. §. iv. Num. ii.

(*n*) De eò fiet Sermo Cap. xiv. Num. xxi.

(*o*) *O-Heynus*, Pag. 28.

(*p*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

gatâ extrà Civitatem per ruralia Loca, in quibus tunc Ego prædicabam, & audiebam Confeſſiones (illo enim Anno inceperant Parochi accipere Confeſſiones Populi citiùs ob Miniſtrorum Defectum), perſpiciens Deſolationem lamentabilem mearum Sororum, indilatè acceſſi, & inſervivi illis à 10 *Aprilis uſque ad* 17 *Junij Diem, quâ conſcendi Navim cum alijs* 126 *Religioſis. Ideò tanto Tempore me inſerviſſe his Filiabus obſervandum propono hic, ut inde unuſquiſque perſpicuiùs concipiat, me poſſe confidentiùs, & verè Teſtimonium perhibere de ipſarum Vita, & Moribus. Praxis enim Certitudinem præbet uberiorem.* Hæc *O-Heynus.*

VI. Permanserunt mihilominùs Sanctimoniales in Patria, exemplariter pro Rerum Conditionibus viventes ſub Regimine prudenti laudatæ Prioriſſæ *Julianæ Nolanæ*, quæ tandem Nonagenaria piè obijt Anno 1701. Ei ſucceſſit in Munere Prioriſſæ laudata pariter *Maria Lyncæa*, ad Regimen aptiſſima, utpote quæ in Monaſterio *Flaviobrigenſi* prænominato *Hiſpaniarnm* Pædagoga fuerat, atque in *Galvienſi* ſua Domo per diuturnam Annorum Seriem Magiſtra Novitiarum, ac Supprioriſſa.

VII. Sub hac, atque alijs ſubſequentibus Prioriſſis, exemplariter quoque, in ſummam tàm Orthodoxorum, quàm Heterodoxorum Ædificationem, vivebant Sanctimoniales, & quidem ut plurimùm in ipſomet *Galviæ* Oppido, id nimirùm permittente Gubernij Acatholici Clementiâ. Dixi autem, *ut plurimum*, enimverò in Diſperſionem *Conaciæ*, aliarumque Regni Nationum, haud ſemel abire coactæ ſunt, ut vel ex protinùs referendis de Monaſterio *Dublinienſi* clarebit (*r*). Cæterùm *Galviæ* à permultis jam Annis imperturbatæ manent in Numero circiter Quadragenario, pluribus earum in Sanctitatis Opinione defunctis.

VIII. Pro Rei hujus Coronide in Medium afferre placet Conceſſionem Quartam (*s*) à Comitijs Generalibus *Romæ* 1721 factam *Provinciæ Hiberniæ*, hiſce Terminis conceptam: "Concedimus, ut Conventus Monialium noſtrarum, quæ in Civitatibus Dublinienſi, & Galvienſi degunt, eligere ſibi valeant Prioriſſas juxtà noſtras Sacras Conſtitutiones, ac Leges, volumuſque, ut prædicti Conventus ſint incorporati, & uniti Ordini noſtro, & Provinciali Hiberniæ pro Tempore ſubjecti."

IX. Hoc Anno 1756 nonniſi Triginta una Sorores in Monaſterio iſto ſuperſunt, nempè Soror *Anaſtaſia Lynch*, Prioriſſa, Ætatis Anno 50, Profeſſionis 31; Sr. *Maria Lynch*, Supprioriſſa, Ætat. 58, Prof. 41; Sr. *Maria Lynch*, Mater à Conſilijs, Ætat. 73, Prof. 53; Sr. *Margarita Darcy*, Ætat. 68, Prof. 52; Sr. *Chriſtina Darcy*, Mater à Conſilijs, Ætat. 66, Prof. 50; Sr. *Juliana Bodkin*, Ætat. 66, Prof. 50; Sr. *Elizabetha Lynch*, Mater à Conſilijs, Ætat. 70, Prof. 50; Sr. *Margarita Browne*, Mater à Conſilijs, Ætat. 63, Prof. 46; Sr. *Brigida Kirwan*, Mater à Conſilijs, Ætat. 63, Prof. 44; Sr. *Roſa O-Kelly*, Ætat. 60, Prof. 44; Sr. *Cæcilia O-Kelly*, Ætat. 58, Prof. 42; Sr. *Brigida Geraldina*, Ætat. 60, Prof. 43; Sr. *Marcella French*, Mater à Conſilijs, Ætat. 59, Prof. 41; Sr. *Catharina Lynch*, Mater à Conſilijs, Ætat. 59, Prof. 41; Sr. *Elizabetha Browne*, Mater à Conſilijs, Ætat. 57, Prof. 37; Sr. *Brigida Browne*, Ætat. 56, Prof. 37; Sr. *Barbara Blake*, Mater à Conſilijs, Ætat. 55, Prof. 36; Sr. *Maria Browne*, Ætat. 52, Prof. 35; Sr. *Thereſia Browne*, Ætat. 51, Prof. 35; Sr. *Catharina Nolan*, Ætat. 52, Prof. 35; Sr. *Elizabetha Bodkin*, Ætat. 57, Prof. 35; Sr *Marcella Darcy*, Ætat. 51, Prof. 35; Sr. *Anna French*, Ætat. 55, Prof. 35; Sr. *Monica Bodkin*, Ætat. 55, Prof. 33; Sr. *Elizabetha Vaughan*, Ætat. 52, Prof. 33; Sr. *Maria Bodkin*, Ætat. 60, Prof. 31; Sr. *Anna Bodkin*, Ætat. 45, Prof. 28; Sr. *Marcella Blake*, Ætat. 46, Prof. 26; Sr. *Anaſtaſia Blake*, Ætat. 44, Prof. 26; Sr. *Monica Joyce*, Ætat. 42, Prof. 26; Sr. *Maria Joyce*, Ætat. 41, Prof. 25.

§. III.

(*q*) Scilicet Die 1 Maij, ut liquet ex Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*r*) §. ſeq. Num. i.

(*s*) Adeas, ſi libet, Cap. viii. Num. ix. Pag. 161.

§. III.

De *Dublinienſi* (*a*) Monaſterio *Jeſus, Mariæ, & Joſephi* (*b*).

SUMMARIUM.

I. *Anno* 1717 *Fundatio Monaſterij* Dublinienſis *ex Diſperſione Monialium* Galvienſium, *Tempore Perſecutionis, orta.*

II. *Anno* 1718 *Literæ Patentes Rmi* Cloche *de Monialium Dotibus*, Galviâ Dublinium *tranſferendis.*

III. *Debita earum Executio incunctanter peracta.*

IV. *Novitiæ ſtatim receptæ. Abbatiſſam, ſeù Prioriſſam, ipſæ eligunt Moniales. Geminas habent Domus. Nova utriuſque geminatæ Reſtauratio. Monialium, & Puellarum Numerus.*

V. *Anno* 1728, *Indulgentia Plenaria omnibus, in hoc Monaſterio degentibus, Quatuor Anni Diebus Feſtis, conceſſa.*

VI. *Anno* 1731, *Indulgentia Plenaria omnibus conceſſa Chriſtifidelibus, Eccleſiam hujus Monaſterij in Feſto* S. Joſephi *viſitantibus.*

VII. *Anno* 1733, *Literæ Patentes Rmi* Ripoll *Facultatem tribuentes Auctoritate Apoſtolicâ in Eccleſia hac erigendi Confraternitatem* SS. Roſarij B. Mariæ Virginis.

VIII. *Anno* 1740, *Indulgentia, Anno* 1731 *conceſſa, innovata. Alia ſimilis in Quatuor Anni Diebus Feſtis, omnibus, in hoc Monaſterio degentibus, conceſſa.*

IX. *Eodem Anno* 1740, *Altare Privilegiatum in Eccleſia hujus Monaſterij.*

X. *Eodem Anno* 1740, *Indulgentia Septem Eccleſiarum Urbis, ac Scalæ Sanctæ de eadem Urbe, in hoc degentibus Monaſterio conceſſæ.*

XI. *Eodem Anno* 1740, *Indulgentia Plenaria pro una ex Sextis Ferijs Martij, pro reliquis verò Septem Anni, & totidem Quadragenæ.*

XII. *Eodem Anno* 1740, *Indulgentia Plenaria pro primo, & ultimo Novem Dierum antè Natale Domini, pro reliquis verò Septem Anni, totidemque Quadragenæ.*

XIII. *Singulis hujus Monaſterij Monialibus, Die* 6 *Septembris* 1740 *viventibus, Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis conceſſa.*

XIV. *Duplex Animadverſio momentoſa Rmi* Bremond *circà duas Clauſulas, Bullis & Brevibus Indulgentiarum inſeri ſolitas.*

XV. *Viginti Octo in Monaſterio hoc Sorores Anno* 1756.

I. QUANDOQUIDEM per iteratas ſub Initium hujus Sæculi Acatholicorum Perſecutiones, in Clerum tàm Sæcularem (*c*) quàm Regularem, expulſæ fuerint Moniales *Galvienſes* è Monaſterio ſuo, immò à toto *Galviæ* Oppido, ut vel ex nuperrimè dictis conſtat, hìnc Anno circiter 1714, Provincialis *Hiberniæ*, P. Magiſter *Hugo O-Calanan (d)*, pro Munere ſuo hanc viſitans Provinciam, mærens & lugens eaſdem invenit hìnc indè inter Parentes Amicoſque diſperſas, & quidem abſque Spe ulla *Galviam* revertendi, ſuamque recuperandi Domum, à Militibus utpotè occupatam. In flebili hacce Rerum Circumſtantia laudatus Provincialis Illuſtriſſimum D. *Edmundum Byrne*, Archiepiſcopum *Dublinienſem*, ſuppliciter enixèque rogavit, ut aliquot ex diſperſis Sororibus in ſuam admitteret Diæceſim, atque Metropolim. Archipræſul benignè annuit, Provincialiſque ſubindè Octo ad eum miſit Moniales, nempè Sorores *Mariam Bellew*, *Elizabetham Weever*, *Juliam Browne*, *Honoriam Vaughan*, *Aliciam Rice*, *Helenam Keating*, *Catharinam Plunketo*, & *Mariam Plunkett*, è quibus, ut obiter dicam, ſolæ ſuperſunt *Alicia Rice*, & *Catharina Plunkett*, defunctis Anno 1755 *Elizabethâ Weever*, & Anno 1753 *Honoriâ Vaughan*, reliquis ve-

---

(*a*) *Dublinienſis* Urbis Nomenclaturam, Deſcriptionem, &c, videre poteris Cap. ix. §. i. Pag. 185.

(*b* Moniales *Galvienſes* Originem dantes huic Monaſterio, illud prioris ſui Monaſterij Titulo, §. præcedenti exhibito, inſignire voluerunt. Talemque eſſe Monaſterij hujus Nuncupationem cum Additione *Joſephi* ex protinùs dicendis in hoc §. Num. vi. Pag. 355. clarebit.

(*c*) Recolendum Cap. viii. Num. iv. Pag. 157.

(*d*) Conſulendum Cap. xiv. Num. xxv.

rò Quatuor anteà. Cæterùm Soror iſta *Catharina Plunkett* nunquàm ſpectabat ad novam hanc Communitatem *Dublinienſem*, ſed de Superiorum Licentia migravit *Bruxellas*, ubi per plures Annos manſit in Monaſterio Sororum *Anglarum* Ordinis noſtri, olim *het Spellekenſhuys* (e) flandricè, nunc autem *Pellicano* nuncupato, donec in *Hiberniam* de Superiorum Mandato regrederetur pro fundando *Pontanenſi* Monaſterio, ut ſuo Loco declarabitur (f).

PORRO *Dublinium* pervenerunt Octo iſtæ Moniales Menſe Martij 1717, habitaruntque ſimul in *Vico Piſcatorio*, anglicè *Fiſhers-Lane*, ad Borealem (g) Fluminis Partem, uſque ad Menſem Septembris prælibati Anni, quô tranſlatæ ſunt ad Vicum, in eadem Fluminis Parte, cui vulgò Nomen *Channel-Row*, & quidem ad Domum contiguam Eccleſiæ, quæ primitùs ſpectaverat ad Moniales Ordinis *S. Benedicti*, quæque conſecrata fuit ſub Nuncupatione *S. Birgittæ* Viduæ Anno 1689 ab Illuſtriſſimo tunc Archipræſule Dublinienſi, D. *Patritio Ruſſell*, adſtante Sereniſſimo *Jacobo* Rege, hujus Nominis Secundo (h), ut à Teſtibus oculatis accepi.

II. PAULO poſt Provincialis in *Gallijs* verſans, de lugubri Religionis Statu in hoc Regno certiorem fecit Rmum Magiſtrum Ordinis nunquàm delendæ Memoriæ, P. *Antonium Cloche*, enarrans inſuper, memoratas Sorores ab Archipræſule *Dublinienſi* admiſſas fuiſſe, atque à Civibus animatas & extimulatas ad Erectionem Monaſterij, dummodò tamen earum Dotes pro nova hac Fundatione *Dublinij* ſtabilitæ forent. Quapropter Rmus Generalis, pro eo, quo flagrabat, Paternæ Commiſerationis Zelo, ſequentes expediri fecit Literas Patentes, quarum Autographum in Arca Depoſiti iſtarum Monialium *Dublinienſium* aſſervatur. En Tenorem :

“ Fr. Antoninus Cloche, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

“ Sororum noſtrarum Provinciæ Hiberniæ, ex Monaſterio noſtro Galvienſi in Civitatem Dublinienſem tranſlatarum, deplorabili Statui paternè compatientes, ac religioſæ earum Indigentiæ, quantùm in Domino poſſumus, providere volentes, harum Serie, noſtrique Authoritate Offitij, damus Licentiam, & Facultatem, ut tàm illarum, quàm deinceps ob inevitabile Motivum ſimili Modo transferendarum Dos, quam ad Ordinem attulerant, pariter ad Communitatem Dublinienſem transferri, & Sororibus noſtris ibidem degentibus applicari valeat. Præcipientes, ne præfatum Galvienſe Monaſterium, vel quiſcunque alius, huic noſtræ Diſpoſitioni contravenire, aut illi ſe opponere præſumat. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum Fidem his Manu propriâ ſubſcriptis Sigillum Offitij noſtri apponi juſſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Super Minervam 28 Maij 1718.

“ FR. ANTONINUS CLOCHE,
“ MAGISTER ORDINIS

“ *Regiſtrata Lit. O. Pag.* 79.
“ *Fr. Thomas Brabant,*
“ *Magiſter, & Socius.*”

III. HARUM porrò Literarum Executio demandata fuit P. *Stephano Mac-Egan*, Magiſtro poſtmodùm Provinciali, dein Epiſcopo *Clonmacnoicenſi*, & à multis jam Annis *Midenſi*, nuperrimè defuncto (i), *Dublinij* tunc Temporis conſtituto, qui abjectâ omni Cunctatione Ineri ſe accinxit, Mandatumque Sororibus aperuit *Galvienſibus* coram P. Magiſtro *Edmundo de Burgo*, poſteà Theologo *Caſanatenſi* in Urbe (k), & P. *Colmano O-Shaghnuſſy*, poſtmodùm Magiſtro Provinciali, tandemque Epiſcopo *Oſſorienſi* (l). Atque ſubindè *Galvienſes* Sorores requiſitas tradiderunt Dotes eidem *Stephano*, qui eas illicò ad *Dublinienſes* tranſtulit. Hæc omnia luculenter conſtant tùm ex Epiſtola ipſiuſmet *Stephani* ad Rmum Magiſtrum Ordinis, quam exſcribere longum foret, tùm ex veridica ipſius mihi factâ verbali Relatione.

IV. STABILITO ſic Monaſterio in hac Metropoli *Dublinienſi*, prima illius Abbatiſſa, ſeù Pri-
oriſſa

(e) Legeſis noſtrum *Bernardum de Jonghe*, in *Belgio Dominicano*, Pag. 415.

(f) §. ſeq Num. ii.

(g) Confer Cap. ix. §. i. Num. i. Pag. 185.

(h) Recolendum Cap. vii. Num. ix, & ſeq. à Pag. 141.

(i) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxv.

(k) Videſis Cap. xv. Num. xxx.

(l) Legeſis Cap. xiii. Num. lxxviii.

oriſſa (*m*), Soror *Maria Bellew*, recipere incepit Novitias, tàm Natalium Origine, quàm Virtutum Splendore claras. Abbatiſſas porrò, ſeù Prioriſſas, ipſæmet eligunt Moniales ab Anno 1721 in Vim Privilegij ipſis à Capitulo Generali *Romano*, prælibato Anno celebrato, conceſſi, cujus Verba nuper (*n*), & pridem (*o*), exſcripta habes.

CRESCENTE autem annuatim Monialium, & Puellarum educandarum, necnon & Matronarum, ibi Devotionis ergò degentium, Numero, ultrà memoratam Domum, quam elocatam habuerant, & aliam huic contiguam ſibi elocari fecerunt, quam etiamnùm retinent. Aſt prior, Ruinam indiès minans, diruta fuit Anno 1748, & eodem in Loco nova à Fundamentis excitata, non minùs commoda, quàm magnifica, alterâ etiam ſimul & ſemel reſtauratâ.

HISCE præteritis Annis Moniales, Diebus Noctibuſque Deo inſervientes, ſunt circiter Triginta; & ultrà devotas Mationas prælibatas, Viginti ſunt circiter Puellæ, quas Fidei Catholicæ Inſtitutis, boniſque Moribus Moniales ſedulo vigilanterque imbuunt.

V. VARIJS Indulgentijs Eccleſiam hujus Monaſterij decorarunt Summi Pontifices *Benedictus* XIII, *Clemens* XII, & *Benedictus* XIV, ſpecialibus Diplomatibus, quæ in Arca Depoſiti aſſervantur.

IMPRIMIS enim *Benedictus* XIII, Ordinis Prædicatorum, Die 16 Septembris 1728 plenariam conceſſit Indulgentiam omnibus hoc in Monaſterio degentibus in Quatuor Anni Feſtivitatibus, per ipſamet Moniales eligendis, & ab Ordinario approbandis. Elegerunt autem Feſtivitates *S. Joſephi*, 19 Martij; *Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ*, 24 Junij; *S. Mariæ Magdalenæ*, 22 Julij; & *Exaltationis S. Crucis*, 14 Septembris, accedente Approbatione Ampliſſimi D. *Cornelij Narij*, Vicarij Generalis Archidiæceſis *Dublinienſis*, Sede Vacante, ut ex Literis ejus à Tergo Diplomatis liquet. En verò Diplomatis Tenorem:

BENEDICTUS PP. XIII.

“ Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterij Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis in Hibernia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad augendam veſtram Devotionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate intenti, Vobis omnibus, & ſingulis, ac alijs in veſtro Monaſterio degentibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ Capellam, ſeù Altare intrà Clauſtrum veſtri Monaſterij ſitum, in Quatuor Anni Feſtis Diebus, per Vos ſemel tantùm eligendis, & ab Ordinario approbandis, à primis Veſperis uſque ad Occaſum Solis Dierum hujuſmodi ſingulis Annis devotè viſitaveritis, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordiâ, Hæreſum Extirpatione, & S. Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effuderitis, quo Die prædictorum id egeritis, Plenariam omnium Peccatorum veſtrorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Volumus autem, ut ſi aliàs Vobis omnibus in quocunque alio Anni Die Capellam, ſeù Altare, intrà hujuſmodi Clauſtrum ſitum, viſitantibus aliqua alia Indulgentia perpetuò, vel ad Tempus nondùm elapſum duratura conceſſa fuerit, vel ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die xvi Septembris MDCCXXVIII, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

“ F. CARD. OLIVERIUS.

VI. Item *Clemens* XII, Die 26 Aprilis 1731, plenariam conceſſit Indulgentiam in Feſto *S. Joſephi*, non tantùm Monialibus, & alijs in hoc Monaſterio degentibus, ſed & omnibus Chriſti Fidelibus in hunc Modum.

“ CLEMENS PP. XII.

“ Univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate intenti, Omnibus utriuſque Sexûs Chriſti Fidelibus, verè pænitentibus, & confeſſis, & Sacrâ Communione refectis, qui Eccleſiam ſub Titulo Jeſus, Mariæ, ac S. Joſephi, Monaſterij Monialium

---

(*m*) Sic disjunctim appellatur à Summis Pontificibus, Num. v. ac, deinceps, laudandis.

(*n*) §. Superiori, Num. viii. Pag. 352.

(*o*) Cap. viii. Num. viii, Sect. 4. Pag. 162.

Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis, dummodò, præter Indulgentias Ordini dicti Monaſterij generaliter conceſſas, nullæ illi Eccleſiæ ſpecialiter conceſſæ reperiantur, Die Feſto Sancti Joſephi, à primis Veſperis uſque ad Occaſum Solis Diei hujuſmodi ſingulis Annis devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordiâ, Hæreſum Extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effuderint, Plenariam omnium Peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Volumus autem, ut ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xxvii Aprilis MDCCXXXI, Pontificatûs noſtri Anno Primo."

F. CARD. OLIVERIUS.

VII. Ut Ordini Chronologico inhæream, Opus eſt in Medium afferre Literas Patentes Rmi Magiſtri Ordinis P. *Thomæ Ripoll*, Auctoritate Apoſtolicâ Die 19 Septembris 1733 datas, Facultatem tribuentes in Eccleſia iſta *Confraternitatem SS. Roſarij B. Mariæ Virginis* erigendi. Earum Tenor eſt ut ſequitur:

" In Nomine Sanctiſſimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & ad Laudem, & Gloriam Beatiſſimæ Dei Genetricis Virginis Mariæ, piamque Venerationem Sancti Dominici, Sanctiſſimi Roſarij Authoris, & Inſtitutoris.

" Fr. Thomas Ripoll, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus: Omnibus præſentes Literas inſpecturis Salutem in Domino Sempiternam.

" Quemadmodùm Chriſtianæ Perfectionis Summam in Unitate Fidelium ad Chriſtum, veluti Membrorum ad Caput, omnium Perfectionum Fontem, necnon Unione Chriſtianorum ad invicem, conſiſtere credimus, ità ad illam adipiſcendam, optimum eſſe Orationis Medium, Ratione, & Experientiâ piè edocemur. Modus verò Deum orandi, ſecundùm quem SS. Virgo Maria Mater Dei per Centum Quinquaginta Salutationes Angelicas, & Quindecim Dominicas Orationes, inſtar Davidici Pſalterij colitur, qui Roſarium nuncupatur, à SS. Patre noſtro Dominico primùm inventus, & inſtitutus, à Summis Romanis Pontificibus ſucceſſivè ad devotam Patrum noſtri Ordinis Interceſſionem approbatus, Privilegijs quoque maximis, ac innumeris Indulgentijs, alijſque Apoſtolicis Gratijs decoratus, inter cæteros in Eccleſia inventos ad hoc obtinendum (ut piè credimus) magnoperè confert: Nam præter hoc, quod Beatiſſima Dei Genitrix, cujus Interceſſio Nobis Perfectionem hanc impetrare poteſt, ibi crebriùs invocatur: Ipſe quoque Modus orandi per ſe, ſi rectè fiat, quàm facillimè Compendio illum conſequitur, dum JESU CHRISTI Salvatoris noſtri Vitam omnem, per Quindecim Myſteria digeſtam, meditando percurrere facit. Quæ Vos in Chriſto dilectiſſimi, & devotiſſimi Chriſti Fideles Civitatis DUBLINIENSIS piè conſiderantes, ad habendum, augendum, & conſervandum prædictum Modum orandi, Confraternitatem Pſalterij, ſeù Roſarij, ſub Invocatione B. Mariæ Virginis in Eccleſia Monialium noſtri Ordinis dictæ Civitatis inſtituendi, & ordinandi, ejuſque Altare, & Capellam fundandi, & erigendi, à Nobis inſtantiſſimè petiviſtis, Vobis Licentiam impertiri cum Gratijs, & Favoribus opportunis. Nos igitur veſtris Votis, & pijs Petitionibus inclinati, dictam Confraternitatem, ſicut præfertur, inſtituendi Authoritate Apoſtolicâ, Nobis ſpecialiter conceſſâ (non obſtante quod in eadem Civitate alia ſit erecta ſimilis Confraternitas, ſuper quo præfatâ Authoritate Apoſtolicâ pro hac Vice derogamus Conſtitutioni S. M. Clementis VIII) Tenore præſentium Licentiam concedimus, & Facultatem. Eamque Confraternitatem, atque omnes utriuſque Sexûs Chriſti Fideles in eandem recipiendos, cum Gratijs, & Indulgentijs, ſibi à Romanis Pontificibus conceſſis, prout aliæ conſimiles Confraternitates in Eccleſijs noſtri Ordinis inſtitutæ potiuntur, recipimus, & admittimus in Vita pariter, & in Morte: Cujus Confraternitatis & Capellæ Capellanum deputamus Confeſſarium Ordinarium pro Tempore dictarum Monialium, qui Nomina, & Cognomina omnium Chriſti Fidelium, in eandem Societatem ingredi, & devotè recipi petentium, in Libro ad hoc ſpecialiter deputato poſſit ſcribere, Pſalteria, ſeù Roſaria benedicere, Sacri Roſarij Myſteria reverenter exponere, & omnia, & ſingula facere, quæ Patres noſtri, ad hoc deputati, facere poſſunt, & ritè conſueverunt: In Diem Chriſti Conſcientiam ejuſdem onerantes, ne pro Admiſſione, Ingreſſu, Scriptura, & Benedictione aliquid omninò temporalis Lucri quomodolibet exigat, ſed gratis hæc omnia præſtet, quemadmodùm etiam Nos in Dei Cultum, ejuſque Sanctiſſimæ Matris Gloriam, & Chriſti Fidelium Salutem, & Profectum, gratis accepimus, & gratis damus, atque bencedimus. In Nomine Patris & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum Fidem his Sigillo Officij noſtri munitis propriâ Manu ſubſcrip-

" ſimus,

“ ſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Super Minervam Die 19 Septembris 1733, Aſſumptionis noſtræ Anno Octavo.

“ FR. THOMAS RIPOLL,
“ MAGISTER ORDINIS.

Loco
✠
Sigilli

“ *Regiſt. Fol.* 83.
“ *Fr. Dominicus Ponſi, Magiſter,*
“ *Exprovincialis, & Socius.*”

VIII. Indulgentiam, à *Clemente* XII, ut præfertur, conceſſam innovavit *Benedictus* XIV, Die 6 Septembris 1740, concedens inſuper Indulgentiam Plenariam Monialibus, & alijs dicto in Monaſterio degentibus, in Quatuor alijs Anni Feſtis Diebus, per Moniales eligendis, & ab Ordinario approbandis, ut ſequitur.

BENEDICTUS PP. XIV.

“ Univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate intenti, Omnibus utriuſque Sexûs Chriſti Fidelibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, qui Eccleſiam Monaſterij S. Joſephi Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis Die Feſto ejuſdem S. Joſephi à primis Veſperis uſque ad Occaſum Solis Diei hujuſmodi devotè viſitaverint, & pro Chriſtianorum Principum Concordia, Hæreſum Extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effuderint, Plenariam: Monialibus verò, & alijs in dicto Monaſterio degentibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacra Communione refectis, prædictam Eccleſiam in Quatuor alijs Anni Feſtis Diebus, per dictas Moniales ſemel tantùm eligendis, & ab Ordinario approbandis, quo Die prædictorum id egerint, Plenariam ſimiliter omnium Peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: Præſentibus ad Decennium tantum valituris. Volumus autem, ut ſi aliàs dictis Monialibus, alijſque prædictis, Eccleſiam, ſeù Capellam vel Altare, intrà hujuſmodi Clauſtra ſitum, in quocunque alio Anni Die viſitantibus, aliqua alia Indulgentia ſimilis perpetuò, vel ad Tempus nondùm elapſum duratura, conceſſa fuerit, vel ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſponte oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die vi Septembris MDCCXL, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

IX. Idem etiam *Benedictus* XIV eodem Die huic conceſſit Monialium Eccleſiæ Altare Privilegiatum ſequentibus Literis Apoſtolicis in Forma Brevis:

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Omnium Saluti Paternâ Charitate intenti, Sacra interdùm Loca ſpiritualibus Indulgentiarum Muneribus decoramus, ut indè Fidelium Defunctorum Animæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum, Suffragia Meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorij Pænis ad æternam Salutem per Dei Miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Monaſterij S. Joſephi Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis, in qua aliud Altare Privilegiatum non reperitur conceſſum, & in ea ſitum Altare per Ordinarium deſignandum hoc ſpeciali Dono illuſtrare, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, ut quandocunque Sacerdos aliquis Sæcularis vel Regularis Miſſam Defunctorum in Die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis Diebus intrà illius Octavam, ac in una Feria cujuſlibet Hebdomadæ, per Ordinarium deſignandâ, pro Anima cujuſcunque Monialis, earumque Conſanguineorum, & Affinium primi, & ſecundi Gradûs, necnon dicti Monaſterij Benefactorum, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac Luce migraverit, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa de Theſauro Eccleſiæ per Modum Suffragij Indulgentiam conſequatur: Ità ut ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac B. Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium Meritis ſibi ſuffragantibus à Purgatorij Pænis liberetur, concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die vi Septembris MDCCXL, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

X. INSUPER laudatus *Benedictus* XIV, eodem etiam Die, conceſſit omnibus in hoc Monaſterio degentibus Indulgentias, quas conſequerentur, ſi Septem Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent; vel ſi Scalam Sanctam in Urbe perſonaliter flexis Genibus aſcenderent. En ipſamet Brevis Verba:

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterij S. Joſephi Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad augendam veſtram Devotionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate intenti, Vobis omnibus, & ſingulis, ac alijs in veſtro Monaſterio degentibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ Septem Capellas, ſeù Altaria, vel Oratoria, intrà Clauſtra veſtri Monaſterij ſita, ter in Anno devotè viſitaveritis, vel Scalam, intrà eadem Clauſtra ſitam, Orationi tantum deſtinatam, quater in Anno devotè flexis Genibus aſcenderitis, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordia, Hæreſum Extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ Exaltatione, pias ad Deum Preces effuderitis, quâ Vice prædictarum id egeritis, ut eas omnes, & ſingulas Indulgentias, & Peccatorum Remiſſiones, ac Pænitentiarum Relaxationes conſequamini, quas conſequeremini ſi Septem Almæ Urbis noſtræ, tàm intrà, quàm extrà illius Muros ſitas Eccleſias, ad id deſignatas, perſonaliter, & devotè viſitaretis, vel Scalam Sanctam de eadem Urbe etiam perſonaliter, & devotè reſpectivè flexis Genibus aſcenderetis, Apoſtolicâ Auctoritate Tenore præſentium concedimus, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Volumus autem, ut dicta Scala alijs Uſibus non inſerviat, quodque ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VI Septembris MDCCXL, Pontificatùs noſtri Anno Primo.”

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

XI. EODEM item Die Indulgentias conceſſit prælibatus Pontifex tàm Monialibus quàm alijs, hoc in Monaſterio degentibus, pro Ferijs Sextis Martj, ſequenti Diplomate:

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterij Monialium Sancti Joſephi Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ad augendam veſtram Devotionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate intenti, Vobis omnibus, & ſingulis, ac alijs in veſtro Monaſterio degentibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ Eccleſiam, ſeù Capellam, vel Oratorium, intrà Clauſtra veſtri Monaſterij ſitum, in una ex Sextis Ferijs Menſis Martij per Ordinarium deſignandâ, devotè viſitaveritis, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordia, Hæreſum Extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effuderitis, plenariam omnium Peccatorum veſtrorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. Inſuper eiſdem Vobis omnibus, alijſque prædictis, Eccleſiam, ſeù Capellam, vel Oratorium hujuſmodi in reliquis Ferijs Sextis Menſis Martij hujuſmodi, ut ſuprà, viſitantibus, & ibidem orantibus, Septem Annos, & totidem Quadragenas de injunctis Vobis, ſeù aliàs quomodolibet debitis Pænitentijs, in Forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad Decennium duntaxàt valituris. Volumus autem, ut ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur, aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VI Septembris MDCCXL, Pontificatus noſtri Anno Primo.

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

XII. ITEM in Novem Diebus immediatè antecedentibus Natale Domini, ut ex ſubſequentibus Literis Apoſtolicis clarebit:

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Cùm, ſicut accepimus, in Eccleſia Monaſterij Sancti Joſephi Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis per Novem continuos Dies immediatè antecedentes Feſtum Nativitatis Domini Noſ-

“ tri Jeſu Chriſti multa Chriſtianæ Pietatis Opera ad Capellam, ſeù Altare, vel Oratorium, intrà Clauſtra dicti Monaſterij ſitum, exercere conſueverint, ſeù intendunt, Nos ad augendam earundem Monialium Devotionem, & Animarum Salutem celeſtibus Eccleſiæ Theſauris piâ Charitate intenti, omnibus Monialibus, ac alijs, in dicto Monaſterio degentibus, verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, quæ Capellam, ſeù Altare, vel Oratorium, intrà hujuſmodi Clauſtra ſitum, in primo, & ultimo prædictorum Novem Dierum devotè viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordia, Hæreſum Extirpatione, ac S. Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effuderint, Plenarium omnium Peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus: Inſuper eiſdem nunc, & pro Tempore in dicto Monaſterio degentibus, etiam verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, prædictam Capellam in reliquis ex prædictis Novem Diebus, ut ſuprâ, viſitantibus, & ibidem orantibus, Septem Annos, & totidem Quadragenas, de injunctis eis, ſeù aliàs quamodolibet debitis Pænitentijs in Forma Eccleſiæ conſueta relaxamus. Præſentibus ad Decennium tantùm valituris. Volumus autem, ut ſi pro Impetratione, Præſentatione, Admiſſione, ſeù Publicatione præſentium aliquid vel minimum detur aut ſpontè oblatum recipiatur, præſentes nullæ ſint. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die VI Septembris MDCCXL, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

XIII. TANDEM omnibus, & ſingulis Monaſterij hujus Monialibus, ſæpiùs memorato Die 6 Septembris 1740 viventibus, Plenariam conceſſit Indulgentiam in Articulo Mortis ſpeciali Diplomate Tenoris ſequentis:

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Dilectis in Chriſto Filiabus Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, & Monialibus Monaſterij S. Joſephi Monialium Ordinis S. Dominici Civitatis Dublinienſis Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Sinceræ veſtræ in Nos, & Sedem Apoſtolicam Fidei, & Devotionis Affectus promeretur, ut ea, quæ ad ſpecialem Conſolationem veſtram faciunt, Vobis libenter concedamus. Vobis itaque omnibus, & ſingulis, nunc in veſtro Monaſterio viventibus, in veſtræ, ac cujuſlibet Veſtrum Mortis Articulo, ſi verè penitentes, & confeſſæ, ac Sacrâ Communione refectæ, vel, quatenùs id facere nequiveritis, ſaltem contritæ, Nomen Jeſu Ore, ſi potueritis, ſin minùs Corde, devotè invocaveritis, Plenariam omnium Peccatorum veſtrorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Die VI Septembris MDCCXL, Pontificatus noſtri Anno Primo.

“ D. CARDINALIS PASSIONÆUS.

XIV. Huic Materiei Colophonem apponet bina Animadverſio noſtri Rmi *Bremond* (*p*), hiſce Verbis concepta:

“ Notandum Nono, quod circà Clauſulam illam *verè pænitentibus, & confeſſis*, quæ paſsìm legitur in Bullis, ac Brevibus Indulgentiarum, ſæpiùs quæritur, utrùm ex Vi talis Clauſulæ præmittenda ſit actualis Confeſſio. De qua Quæſtione fuſiùs differit *Paſſerinus* de Indulgentijs, Quæſt. xxviii. Pag. 47 &c, cujus hæc Verba Pag. 50. Num. 240. *Dicendum* , . , , . . . , *quod Clauſula* verè penitentibus, & confeſſis, *importat Opus injunctum, & Formam, &* Conditionem, *& ideò, quod ex Vi dictæ Clauſulæ ſemper ad acquirendam Indulgentiam præmittenda eſt actualis Confeſſio. Reſpectu illius, qui habet Peccata mortalia, quæ non fuit confeſſus, & non ſufficere Contritionem.* . . . . . Ex his tamen, uti notat prædictus Auctor, *non ſequitur* . . . . . *quod qui non habet Conſcientiam Peccati Mortalis commiſſi poſt ultimam Confeſſionem debeat nihilominis confiteri.* Quod varijs Argumentis evincit contrà nonnullorum Sententiam, cui refragatur.

“ Notandum Decimo, quod hæc Clauſula: *Volumus autem, ut ſi aliàs Chriſtifidelibus, dictam Eccleſiam qualibet Anni Die viſitantibus, aliqua alia Indulgentia, perpetua, vel ad Tempus nondum elapſam duratura, conceſſa fuerit, præſentes Literæ nullæ ſint*; quæ cùm legatur in Brevibus Indulgentiarum, Anno 1676 Die 23 Junij, approbante Sanctiſſimo Anno 1677 Die 18 Martij, ſic expoſita fuit, ut non comprehendat Altaria Privilegiata pro Defunctis; neque Indulgentias certo Generi Perſo-

“ narum

(*p*) Tom. viii. *Bullar. Ord. Præd.* Pag. 57. Num. xli, & ſeq.

“ narum conceſſas, ut Confraternitati, Regularibus, &c. Vide *Monacellum* in Formulari Legali Prac-
“ tico Parte I.”

XV. VIGINTI Octo numerabantur in Monaſterio hoc Moniales Anno 1756, nimirùm Soror *Elizabetha de Burgo* (*q*), Prioriſſa, Ætatis Anno 48, Profeſſionis 32; Sr. *Maria O-Kelly*, Supprioriſſa, Ætat. 55, Prof. 37; Sr. *Alicia Rice*, Ætat. 68, Prof. 46; Sr. *Roſa O-Ferrall*, Mater à Conſilijs, Ætat. 65, Prof. 38; Sr. *Catharina Cruiſe*, Mater à Conſilijs, Ætat. 60, Prof. 38; Sr. *Barbara Eſmond*, Mater à Conſilijs, Ætat. 52, Prof. 36 (*r*); Sr. *Margarita O-Reilly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 52, Prof. 36; Sr. *Sara Dillon* Ætat. 55, Prof. 36; Sr. *Maria O-Daly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 51, Prof. 35 (*s*); Sr. *Maria O-Reilly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 53, Prof. 35 (*t*); Sr. *Catharina O-Reilly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 50, Prof. 34; Sr. *Sara O-Kelly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 54, Prof. 33; Sr. *Eleonora Keating*, Mater à Conſilijs, Ætat. 49, Prof. 33 (*u*); Sr. *Catharina O-Kelly*, Mater à Conſilijs, Ætat. 51, Prof. 31; Sr. *Maria Allen*, Ætat. 44, Prof. 28; Sr. *Maria O-Donnelan*, Ætat 42, Prof. 23; Sr. *Alicia O-Kelly*, Ætat. 48, Prof. 22; Sr. *Joanna Purcell*, Ætat. 38, Prof. 19; Sr. *Maria Nugent*, Ætat. 33, Prof. 17; Sr. *Maria French*, Ætat. 31, Prof. 12; Sr. *Elizabetha O-Kelly*, Ætat. 26, Prof. 8; Sr. *Maria Mac-Egan*, Ætat. 28, Prof. 8; Sr. *Maria Kirwan*, Ætat. 30, Prof. 6; Sr. *Suſanna Berford*, Ætat. 34, Prof. 4; Sr. *Anna Blake*, Ætat. 20, Prof. 1; Sr. *Eleanora Fottrell*, Converſa, Ætat. 55, Prof. 31; Sr. *Margarita Horiſh*, Converſa, Ætat. 62, Prof. 30; & Sr. *Maria Maguire*, Converſa, Ætat. 64, Prof. 29.

§. IV.

De *Pontanenſi* (*a*) Monaſterio *S. Catharinæ Senenſis.*

SUMMARIUM.

I. *Fundatio, ſivè Reſuſcitatio Monaſterij* Pontanenſis. *Ea de Re Literæ Patentes Rmi* Pipia, *poſtea S. R. E. Cardinalis.*

II. *Prima hujus fundati, ſivè reſuſcitati Monaſterij Prioriſſa. Hæc ſtatim recipere incepit Novitias præclaras. Ex his denuò ſelectæ Prioriſſæ. Ingens ibi educandarum Puellarum Numerus. Indies floreſcit Monaſterium.*

III. *Reverenter ibi aſſervatum Caput* Oliverij Plunketti, *Archiepiſcopi* Armacani, *Carnificinam paſſi Anno* 1681. *Nota de duorum Epiſcoporum Conſecratione, hìc peractâ.*

IV. *Octodecim in Monaſterio iſto Sorores Anno* 1759.

I. DUM Provincialis eſſet *Hiberniæ Dominicanæ* P. Magiſter *Stephanus Mac-Egan*, poſteà Epiſcopus *Midenſis* (*b*), à nonnullis deliberatum fuit de fundando, ſeù potiùs reſuſcitando, Monaſterio Monialium Ordinis noſtri in ea *Pontanenſis* Oppidi Parte ultrà *Boinum* Fluvium, quæ in Agro *Louthano*, & Archidieceſi *Armacana* ſita eſt. Huic Rei nedùm Conſenſum præbuit, ſed & adjutricem adhibuit Manum Illuſtriſſimus D. *Hugo Mac-Mahon*, prælibatæ Archidiæceſis tunc Antiſtites meritiſſimus. Hinc Româ venerunt Literæ Patentes, quarum Autograghum in memorato Monaſterio aſſervatur, Tenoris ſequentis:

“ Fr. Auguſtinus Pipia, S. Theologiæ Profeſſor, ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter
“ Generalis, & Servus.

“ Quandoquidem, ſingulariter benedicente Domino, deſolatum (*c*) hactenùs ob Perſecutionem Fidei
“ Catholicæ

(*q*) Filia *Theobaldi de Burgo*, Domini Vicecomitis *de Mayo*, ut liquet ex alibi dicti Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 320.

(*r*) Defuncta Anno 1757.

(*s*) Denata 14 Martij 1757.

(*t*) Vivere diſijt 5 Novembris 1757.

(*u*) Prioriſſa ab Anno 1759.

(*a*) Legendæ Nomenclatura & Deſcriptio Oppidi *Pontanæ* Cap. ix. §. ii. Num. i. Pag. 198.

(*b*) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxv; & Cap. xiv. Num. xxvii.

(*c*) Ex Verbis iſtis haud obſcurè conſtat, *Pontanæ* olim viguiſſe Monaſterium Monialium Ordinis noſtri, ut jam ajebam Cap. præſ. §. i. Num. iii. Pag. 348. Vid. Cap. viii, Num. xii. Pag. 163.

“ Catholicæ Sororum noſtrarum Monaſterium Civitatis Droghedæ, ſivè Pontanæ, Provinciæ Hiberniæ, ſecuriori nunc deſerviat Habitationi, illud harum Serie Ordini noſtro denuò unimus, & incorporamus, ac Provinciali Hiberniæ pro Tempore ſubjicimus, concedentes, ut Sorores noſtræ deinceps ibidem, juxtà noſtras Sacras Conſtitutiones, & Leges, Prioriſſam ſibi eligere valeant, prout Sororibus Monaſterij Dublinienſis, & Galvienſis in ultimo noſtro Generali Capitulo, Anno proximè decurſo Romæ celebrato, Ordinatione Quarta pro Provincia Hiberniæ (*d*), conceſſum eſt. Ac utentes Supremâ noſtri Muneris Facultate, Tenore præſentium, noſtrique Officij Authoritate, inſtituimus ſic Ordini reuniti, ac Provinciæ Hiberniæ incorporati, memorati Droghedenſis, ſeù Pontani, Monaſterij Primam Prioriſſam Religioſam Sororem Catharinam Plunkett, cum ea Juriſdictione, & Poteſtate, quam cæteræ in Ordine noſtro legitimè inſtitutæ Prioriſſæ, Vigore Conſtitutionum, Privilegiorum, aut probatæ Conſuetudinis habere debent, & ſolent. Præcipientes eidem in Virtute Spiritûs Sancti, & ſub Sanctæ Obedientiæ formali Præcepto, ut hoc Priorale Officium promptè ſuſcipiat, & Zelosè adminiſtret, quemadmodùm & reliquis Sororibus, ad idem Monaſterium ſpectantibus, ut illam tanquàm ritè inſtitutam hujuſce Monaſterij Prioriſſam agnoſcant & habeant, eique debitam in omnibus Obedientiam, atque Filialem Reſpectum exhibeant. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum Fidem his Manu propriâ ſubſcriptis Sigillum Officij noſtri apponi juſſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Super Minervam 28 Martij 1722.

“ Fr. AUGUSTINUS PIPIA,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ *Fr. Thomas Brabant,*
“ *Magiſter, & Socius.*

II. ISTA porrò *Catharina Plunkett*, etiamnùm vivens, non ità pridem memorata (*e*), Prioriſſa ſic conſtituta, *Bruxellis* in *Hiberniam* redijt, ſtatimque recipere incepit Novitias in hoc Monaſterio, tàm Parentelâ, quam Vitâ conſpicuas, è quibus poſtmodùm ſelectæ ſunt ſucceſſivè Prioriſſæ. Puellæ item educandæ ibi ſunt in magno Numero, ità ut Monaſterium iſtud indies magis magiſque floreſcat.

III. IN Monaſterio hoc reverenter aſſervatur Caput Illuſtriſſimi D. *Oliverij Plunketti*, Archipræſulis *Armacani*, Carnificiniam *Londini* Anno 1681 paſſi, Thecâ argenteâ incluſum, ex qua facilè extrahi poteſt, illudque quoad Crines, utique canos, nuper palpavi, & vidi, ut alibi referebam (*f*).

IV. ANNO 1759 Octodecim numerantur in Monaſterio hoc Moniales, nimirùm Soror *Brigida Taaffe*, Prioriſſa, Ætatis Anno 43, Profeſſionis 22; Sr. *Maria O-Reilly*, Supprioriſſa, Ætat. 56, Prof. 36; Sr. *Eleonora O-Neill*, Mater à Conſilijs, Ætat. 49, Prof. 33; Sr. *Maria Plunkett*, Mater à Conſilijs, Ætat. 51, Prof. 30, Sr. *Maria Balſe*, Ætat. 43, Prof. 25; Sr. *Maria Bellew*, Ætat. 42, Prof. 22; Sr. *Eleonora Jolly*, Ætat. 43, Prof. 21; Sr. *Brigida* Dillon, Ætat. 43, Prof. 18; Sr. *Roſa Bellew*, Ætat. 36, Prof. 18; Sr. *Margarita Savage*, Ætat. 27, Prof. 10; Sr. *Franciſca O-Reilly*, Ætat. 31, Prof. 9; Sr. *Catharina Ford*, Ætat. 65, Prof. 5. (*g*); Sr. *Catharina Clarke*, Ætat. 26, Prof. 5; Sr. *Anna Tracy*, Ætat. 29, Prof. 5; Sr. *Marianna Bath*, Ætat. 27, Prof. 3; Sr. *Maria Kirwan*, Ætat, 30, Prof. 2; Sr. *Maria O-Kelly*, Ætat. 20, Prof. 1; Sr. *Maria* Dodd, Converſa, Ætat. 67, Prof. 19.

(*d*) Legere eſt Cap. viii. Num viii; & Cap. præſ. §. ii. Num. viii. Pag. 162, & 352.

(*e*) §. præced. Num. i. Pag, 353. Poſtmodùm autem in iſto obijt Monaſterio 1 Julij 1757.

(*f*) Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 131. Auctor porrò hujuſce Hiſtoriæ Conſecrationis Epiſcopalis Beneficium ſuſcepit (unà cum Rmo *Philippo O-Reilly*, Parocho tunc *Pontanæ*, in Diæceſi *Armacana*, ad *Rapotenſem* Sedem evecto) in Monaſterij hujus Sacello, ab Illmo *Antonio Blake*, Archípræſule *Armacano*, aſſiſtentibus Illmis *Antonio O-Garvey*, Dromorenſi, & *Edmundo O-Doran*, Dunenſi, ac Connorenſi, Antiſtitibus, Dominicâ in Albis, 22 Aprilis 1759.

(*g*) Fatis ceſſit 29 Septembris 1760.

§. V.

De *Waterfordienſi* (a) Monaſterio *S. Catharinæ Senenſis.*

SUMMARIUM.

I. Waterfordienſis *Monaſterij Monialium Reſtitutio, ſive nova Erectio facienda. Decretum ea de Re Capituli Generalis* Bononiæ 1725.

II. *Decretum iſtud Executioni non mandatum ad Annum uſque* 1735. *Prioriſſa ibi conſtituta. Novitiæ receptæ. Nonnullorum Dubium de Rerum harum Validitate.*

III. *Literæ Apoſtolicæ* Benedicti XIV *earum approbativæ, vel, quatenùs Opus fuerit, ſanativæ.*

IV. *Sex in Monaſterio hoc Moniales Anno* 1756. *Nota de illarum Diſperſione.*

I. QUANDOQUIDEM, Provincialatum *Hiberniæ Dominicanæ* tenente ſæpiùs laudato P. Magiſtro *Stephano Mac-Egan*, poſtmodùm *Midenſi* Epiſcopo (b), *Waterfordienſes* magnoperè optarent, ut Monaſterium Monialium Ordinis noſtri ſub Nuncupatione *Sanctæ Catharinæ Senenſis*, quod in plurium Sententia olìm *Waterfordiæ* extiterat, reſtitueretur, vel, quatenùs Opus eſſet, de novo erigeretur, hìnc memoratus Provincialis in Comitijs Generalibus *Bononienſibus* Anno 1725, Rmi Magiſtri Ordinis P. *Thomæ Ripoll* electivis, perſonaliter præſens, ijſdem ſupplicavit pro Licentia Monaſterium Monialium ea in Civitate excitandi, quam Sapientiſſimi Patres hiſce conceſſere Verbis (c): “ Impertimur Licentiam excitandi Conventum Monialium in Civitate *Wafordienſi* (d) ſub Titulo S. Catharinæ de Senis; eamque ex nunc huic Provinciæ “ unimus, atque eidem P. Provinciaii Hiberniæ pro Tempore ſubjectum facimus, ac declaramus.”

II. HUJUSMODI autem Decretum debitæ Executioni demandatum non fuit uſque ad Annum 1735, quo de ſpeciali Mandato Rmi *Ripoll*, mox laudati, Soror *Maria-Aaſtaſia Wyſe* ex *Dublinienſi*, & Soror *Margarita Browne* ex *Galvienſi* Monaſterijs *Waterfordiam* pro nova hac Erectione tranſlatæ ſunt, accedente expreſsâ Licentia Ampliſſimi *D. Gulielmi O-Mara*, Decani, & Vicarij Generalis Diæceſis *Waterfordienſis* (e), in Abſentia Illmi Epiſcopi D. *Richardi Pearſe*, qui à Gubernio Heterodoxo in Exilium abactus, in *Galliarum* Regno tunc Temporis verſabatur. Tum prædicta Soror *Maria-Anaſtaſia Wyſe* Prioriſſa fuit conſtituta, recepitque ad Habitum Ordinis, ſuoque Tempore ad Profeſſionem, Sororem *Catharinam Wyſe*, deindeque ad Habitum Sororem *Mariam Pilkinton*, quæ, elapſo Probationis Anno, admiſſa non fuit immediatè ad Profeſſionem, quia nonnulli de Validitate Erectionis hujus Monaſterij, ſubindeque & de Validitatè Profeſſionis per prælibatam *Catharinam Wyſe* emiſſæ, atque de Validitate Novitiatûs, à ſuprà dicta *Maria Pilkinton* peracti, dubitabant.

III. EAPROPTER tàm Prioriſſa quam reliquæ Tres nominatæ Sorores Anno 1742 *Benedicto* XIV, Pontifici Maximo, pro opportuno ſupplicarunt Remedio, qui ratam habuit tàm Erectionem Monaſterij, quàm Profeſſionem *Catharinæ Wyſe*, quàm etiam Novitiatum *Mariæ Pilkinton*, omnes, ſi qui intervenerint, Juris & Facti Defectus ſupplendo & ſanando, inſimulque Facultatem tribuit Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, pro Tempore Puellas ad Habitum Ordinis, & Profeſſionem admittendi. En porrò integrum Literarum Apoſtolicarum Tenorem ex Exemplari authentico, quod *Waterfordiæ* in prælibato Monaſterio aſſervatur.

“ Benedictus

(a) Legendæ Nomenclatura, & Deſcriptio Urbis *Waterfordienſis* Cap, ix. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(b) Adeas Cap. xiij. Num. lxxv, & Cap. xiv. Num. xxuii.

(c) Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Num. iii. Pag. 133. Videſis integrum §. iſtius Tenorem. Cap. viii. Num. xiii. Pag. 164.

(d) Lege *Waterfordienſi.*

(e) Nunc Epiſcopi *Laonenſis*, mihi probè noti,

“ Benedictus PP. XIV. Ad futuram Rei Memoriam.

“ Militantis Eccleſiæ Regimini Meritis licèt imparibus divinâ Diſpoſitione præſidentes, circâ Statum Monaſteriorum, & aliorum Locorum Regularium devoti fæminæi Sexûs, ad Dei Gloriam, & Animarum Salutem, piamque Juventutis ejuſdem Sexûs Educationem & Inſtructionem ubique Locorum providè ſalubriterque inſtitutorum, propenſis Studijs intendimus, illaque Favoribus, & Gratijs libenter proſequimur opportunis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt Dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, & Moniales Monaſterij ſub Invocatione Sanctæ Catharinæ Senenſis Civitatis Waterfordienſis in Hibernia Ordinis Sancti Dominici, quod aliàs, nempè Anno MDCCXXV in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum Bononiæ celebrato expoſitum fuit, quod aliàs in Civitate Waterfordienſi prædicta Monaſterium hujuſmodi extiterat, in eoque Capitulo Generali ſtatutum fuit, ut Monaſterium prædictum reſtitueretur, & quatenùs Opus eſſet de novo erigereter eo Modo quo aliæ Domus ejuſdem Ordinis in Regno præfato reſtitutæ, & erectæ ſunt. Cùmque Reſtitutio, ſeù Erectio præfata debitæ Executioni minimè demandata fuiſſet, Dilectus Filius Thomas Ripoll, Magiſter Generalis ejuſdem Ordinis, per ſuas Literas Executionem Decreti Capituli Generalis hujuſmodi demandavit, & ſubindè juxtà Modum aliorum Monaſteriorum Monialium dicti Regni, de expreſſa tunc exiſtentis Vicarij Epiſcopi Waterfordien. in ſpiritualibus Generalis, ipſo Epiſcopo à Gubernio Heterodoxo in Galliam ablegato, Licentiâ, & Confirmatione, Monaſterium præfatum inſtitutum fuit, & in eo duæ Moniales alterius Monaſterij ejuſdem Ordinis, nempè dilecta in Chriſto Filia Maria Anaſtaſia Wyſe, moderni dicti Monaſterij Prioriſſa, cum Socia expreſsè profeſſa, pro hujuſmodi Inſtitutione tranſlatæ fuerunt, ipſaque Maria Anaſtaſia Habitum per Moniales dicti Monaſterij, & illius Ordinis geſtari ſolitum, duabus Puellis, nempè Dilectis in Chriſto Filiabus primò Catharinæ Wyſe, quæ, expleto Probationis Anno, Profeſſionem per eaſdem Moniales emitti conſuetam trium Votorum Subſtantialium, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, emiſit: Secundò Mariæ Pilkington exhibuit, illaſque ad Habitum hujuſmodi admiſit. In Monaſterio verò hujuſmodi dictæ Exponentes cum ejuſdem Ordinarij Approbatione, & Populi Ædificatione, non ſolùm Puellas, in memorato Monaſterio degentes, verùm etiam alias Civitatis, & Patriæ, Præceptis Chriſtianæ Doctrinæ, & bonis Moribus informant, necnon in legendi, & ſcribendi Arte, varijſque alijs nobilibus Puellis convenientibus, inſtruunt. Quoniam autem nulla reperiatur Notitia ſimile Monaſterium Monialium in dicta Civitate unquam extitiſſe, dictæ Exponentes de Validitate Reſtitutionis, & Erectionis Monaſterij præfati dubitant, qua de Cauſa à nonnullis etiam de Validitate Profeſſionis per eandem Catharinam emiſſæ, & Admiſſione dictæ Mariæ veretur, ac proindè dictæ Exponentes non ſolùm Erectionem dicti Monaſterij, ac illius Reſtitutionem, per Nos approbari, & confirmari, verùm etiam Profeſſionem per dictam Catharinam emiſſam validam declarari ſummoperè deſiderant. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, & ut infrà indulgere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur dictas Exponentes ſpecialibus Favoribus, & Gratijs proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine quavis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxât conſequendum, harum Seria abſolventes, & abſolutas fore cenſentes; hujuſmodi Supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium; Negotijs Propagandæ Fidei Præpoſitorum, ad quos Supplicem Libellum Nobis porrectum remiſimus, Conſilio, Reſtitutionem, ſeù Erectionem dicti Monaſterij Sanctæ Catharinæ Senenſis Civitatis Waterfordien. Vigore Decreti Capituli Generalis, & Literarum ejuſdem Thomæ Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, ut præfertur, factas, ac Profeſſionem Regularem, per memoratam Catharinam, ſicut præmittitur, emiſſam, Authoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium approbamus, & confirmamus, ac ratam validamque habemus, & declaramus, omneſque, & ſingulos Juris, & Facti Defectus, ſi qui deſuper in Reſtitutione, ſeù Erectione dicti Monaſterij, & in Profeſſione hujuſmodi quomodolibet intervenerint, dictâ Authoritate ſupplemus, & ſanamus, atque Novitiatum, per ſupradictam Mariam peractum, pariter approbamus; illamque ad regularem Profeſſionem hujuſmodi abſque ullo Novitiatûs Tempore admitti poſſe pariter declaramus. Prætereà quatenûs Opus ſit in eadem Civitate Waterfordien. unum Monaſterium ſub Invocatione Sanctæ Catharinæ Senenſis, & ſub Regula Sancti Dominici, ac ſub Regimine, & Gubernio Fratrum Ordinis Prædicatorum, dummodò Monaſterium hujuſmodi in omnibus ſuis Numeris, nempè Eccleſia, Campanili, Choro, Sacriſtia, Dormitorio, & alijs Officinis, Hortis, & ſpatijs abſolutum, ac Suppellectili tùm ſacrâ tum profanâ ſufficienter inſtructum, necnon Bonis Stabilibus liberis, & fructiferis, Re ipsâ, & cum Effectu proviſum ſit, Authoritate, & Tenore præfatis erigimus, ipſumque novum Monaſterium perpetuò ſine cujuſdam Præjudicio erectum, & inſtitutum eſſe volumus, & declaramus. Ac eidem novo Monaſterio, ſic erecto, & inſtituto, pro illius Dote, ac illius Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, ſivè alterius Nominis Superioriſſæ, & Moni-

“ alium pro Tempore exiſtentium Suſtentatione, Onerumque illis incumbentium Supportatione, præfata Bona Stabilia, necnon omnia, & ſingula alia, per quaſvis Perſonas, in perpetuum, vel ad Tempus, ſimul, vel ſucceſſivè, pro Augmento Dotis Monaſterij hujuſmodi, quandocunque, vel qualitercunque, tàm inter vivos, quàm in Causâ Mortis, ſeù in ultima Voluntate, donata, & aſſignata, ac elargienda, dotanda, relinquenda, eroganda, & aſſignanda Bona, Proprietates, Pecuniarum Summas, Res, & Jura quæcunque, etiam ex nunc prout ex tunc, poſtquàm elargita, donata, relicta, erogata, & aſſignata fuerint, ità ut liceat Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, aut alterius Nominis Superioriſſæ, & Monialibus prædictis, illorum omnium, & ſingulorum corporalem, realem, & actualem Poſſeſſionem, ſeù quaſi Poſſeſſionem, per ſe, vel per alium, ſeù alios, earum, & dicti Monaſterij Nominibus propriâ Authoritate apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere. Fructus quoque, Redditus, Proventus, & Emolumenta ex ijs provenientia quæcunque, ac Eleemoſynas, eis, & Monaſterio hujuſmodi pro Tempore factas, & elargitas, recipere, locare, arrendare, adminiſtrare, & recuperare, ac in ſuos communes, & dicti Monaſterij Uſus, Neceſſitatem, Utilitatemque convertere, cujuſvis Licentiâ deſuper minimè requiſitâ, itidem perpetuò eâdem Authoritate concedimus, applicamus, appropriamus, & aſſignamus. Inſuper eidem novo Monaſterio, illiuſque Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, ſivè alterius Nominis Superioriſſæ, ac Monialibus, & earum cuilibet, alijſque Perſonis, & Chriſti Fidelibus, Eccleſiam Monaſterij hujuſmodi pro Tempore viſitantibus, ut omnibus, & ſingulis Privilegijs, Facultatibus, Libertatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, Prærogativis, Præeminentijs, Conceſſionibus, Indulgentijs, Indultis, Favoribus, alijſque Gratijs univerſis, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus, alijs Monaſterijs Monialium, Ordinis hujuſmodi, eorumque Abbatiſſæ, Prioriſſæ, ſeù Superioriſſæ, Monialibus, & Perſonis, ac Chriſti Fidelibus, illorum Eccleſias viſitantibus, in Genere, vel in Specie, etiam per Viam ſimplicis Communicationis, ſeù aliàs quomodolibet conceſſis, dummodò ſint in Uſu, nec hactenùs revocata, ac Sacris Canonibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, maximèque Concilij Tridentini Decretis, Regularibuſque Ordinis hujuſmodi Inſtitutis non adverſentur, ac in poſterum concedendis, & quibus illa, vel illæ de Jure, Uſu, Conſuetudine, Privilegio, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, & gaudent, ac uti, frui, & gaudere poſſunt, & poterunt quovis Modo in futurum, non ſolùm ad eorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principaliter, & abſque ulla prorsùs Differentia, in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi illa novo Monaſterio, illiuſque Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, ſivè alterius Nominis Superioriſſæ Monialibus, & Perſonis prædictis, ſpecialiter, & expreſsè, ac nominatìm conceſſa fuiſſent, uti frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè poſſint, & valeant, Authoritate, & Tenore prædictis pariter concedimus, & indulgemus. Ad hæc Abbatiſſæ, ſeù Prioriſſæ, Superioriſſæ, Monialibus, & Conventui dicti Novi Monaſterij quæcunque Statuta, Ordinationes, Inſtitutiones, Capitula, & Decreta, ad ipſius Monaſterij, ejuſque Perſonarum, Rerum, Bonorum, & Jurium perpetuam Directionem, Gubernium, & Adminiſtrationem, ac Monialium prædictarum Receptionem, Admiſſionem, Ætatem, Conditiones, Uſus, & Regularem Diſciplinam quomodolibet ſpectantia, & pertinentia, aliàs tamen honeſta, & rationabilia, Sacriſque Canonibus, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, dictique Concilij Tridentini Decretis, necnon Regulæ, & Conſlitutionibus memorati Ordinis minimè contraria, ab earum Superiori Regulari examinanda, & approbanda, faciendi, & quoties pro Rerum, & Temporum Qualitate expediens videbitur, præviâ ſimili Approbatione, corrigendi, & moderandi, & quatenùs Opus fuerit abrogandi, aliaque etiam ex integro condendi Facultatem, Authoritate, & Tenore hujuſmodi impertimur. Poſtremò Abbatiſſæ, ſivê Prioriſſæ, aut alterius Nominis Superioriſſæ, de Licentia dicti Monaſterij Superioris, Puellas ad Habitam in dicto novo Monaſterio, & ſubſequenter, ſervatis ſervandis, ad Profeſſionem Regularem admittendi cum Dote, ſeù Eleemoſyna dotali, ab eodem Superiore præſcriptâ, ſeù præſcribendâ, ſeù præfiniendâ, opportunam Facultatem harum Serie tribuimus: Ità tamen ut in reliquis ea omnia, quæ in hujuſmodi novorum Monaſteriorum Erectionibus ſervanda ſunt, omninò ſerventur. Decernentes ipſas præſentes Literas ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Gatiarum Revocationibus, Suſpenſionibus, Limitationibus, Reſtrictionibus, & alijs contrarijs, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices, ſub quibuſcunque Verborum Expreſſionibus, & Formis, etiam Motu proprio pro Tempore faciendis, minimè comprehendi, vel comprehenſas cenſeri, ſed tanquàm pro Fundatione Monaſterij erigendi ad Religionis, divinique Cultûs, & bonorum, piorumque Operum Augmentum, conceſſa ſemper ab illis excipi, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum Statum reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, etiam ſub quacunque poſteriori Data, per Abbatiſſam, ſeu Prioriſſam, ſivè Superioriſſam, & Moniales novi Monaſterij hujuſmodi quandocunque eligendâ, conceſſas intelligi, firmaſque, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ac ſuos plenarios, & integros Effectus ſortiri, & obtinere. Sicque, & non aliter in præmiſſis per

“ quoſcunque

“ quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuntios, ſublatâ eis, & eorum cuilibet, quâvis aliter judicandi, & interpretandi Facultate, & Authoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam quâvis Authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari: Salvâ tamen ſemper in præmiſſis Authoritate memoratæ Congregationis Cardinalium. Non obſtantibus noſtrâ, & Cancellariæ Apoſtolicæ Regulâ de non concedendis Indulgentijs ad inſtar, alijſque Apoſtolicis, ac Univerſalibus, Provincialibuſque Concilijs editis Generalibus, vel Specialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, necnon, quatenùs Opus ſit, Ordinis, & Civitatis hujuſmodi, alijſque quibuſvis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis Statutis, & Conſtitutionibus, Privilegijs quoque Indultis, & Literis Apoſtolicis, etiam eidem Ordini, illiuſque Superioribus, Conventibus, Monialibus, & Perſonis quibuſcunque, ſub quibuſvis Verborum Tenoribus, & Formis, ac cum quibuſlibet etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis Clauſulis, & Decretis, etiam irritantibus, in Genere, vel in Specie, in contrarium præmiſſorum quomodolibèt conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro illorum ſufficienti Derogatione de illis, eorumque totis Tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, ac de Verbo ad Verbum, non autem per Clauſulas generales, idem importantes, Mentio, ſeù quævis alia Expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita Forma in illis tradita obſervata exprimerentur, & inſerentur, præſentibus pro plenè, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum hac Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xi Maij MDCCXLII, Pontificatus Noſtri Anno Secundo.

“ DOMINICUS CARDINALIS PASSIONÆUS.”

IV. Sex iſto in Monaſterio degebant Moniales Anno 1756, ſcilicet Soror *Maria-Anaſtaſia Wyſe*, Prioriſſa, Ætatis Anno 54, Profeſſionis 37; Sr. *Charlotta Wyſe*, Ætat. 34, Prof. 16; Sr. *Maria Mean*, Ætat. 33, Prof. 11; Sr. *Catharina Ayeres*, Ætat. 31, Prof. 7; Sr. *Margarita O-Dunne*, Ætat. 29, Prof. 6; & Sr. *Joanna O-Flaherty*, Ætat. 36, Prof. 4 *(f)*.

CAPUT DUODECIMUM.

De Extranationalibus *Hiberniæ Dominicanæ* Fratrum Domibus, ac Sororum Monaſterio.

Sæculo Superiori *Hibernia Dominicana* Quatuor poſſidebat Collegia extranationalia, *Romanum* nempè, *Ulyſſiponenſe*, *Lovanienſe*, & *Tingitanum*. Et quamquàm poſtremum hoc eidem omninò deperditum ſit, proindeque Tria duntaxàt hodiè poſſideat, de illo tamen pro Hiſtoriolæ hujus Complemento alibi (*a*) opportunè agebam, alibi etiam (*b*) obiter acturus. Tametſi autem primò haud acquiſiverit *Hibernia Dominicana* geminatum *SS. Sixti & Clementis* Cænobium *Romanum*, nihilominùs quia in Eccleſia *S. Sixti* Ordinem ſuum fundaverat SS. Patriarcha *Dominicus*, ut ex *Clementis* Papæ VIII diſertis Verbis ſuo Loco dicetur (*c*), idcircò de ea, ejuſque Cænobio, alteriſque ei unitis Eccleſia, & Cænobio *S. Clementis*, primò differendum eſt. Poſt Collegia porrò Tria, & Hoſpitium *Flaviobrigenſe*, ſeù *Bilbilitanum*, atque Tres Domos Conventuales in Spe habitas,

Belvearienſem

(*f*) Anno 1758, ob Redditum, ſeù Dotalium Eleemoſynarum, Reductionem, diſperſæ ſunt laudatæ Moniales. Annoque ſequenti, Die 6 Decembris, e Vivis exceſſit in Monaſterio noſtro *Dublinienſi* Soror *Maria-Anaſtaſia Wyſe*.

(*a*) Cap. vi. Num. xviii, & xix, à Pag. 125.

(*b*) Cap. præs. §. iv. Num. iv.

(*c*) Cap. præs. §. i. Num. viii. Pag. 373.

Belvearienſem nempè, *Portu-San-Marianam*, & *Matritenſem*, nunquàm verò reapsè poſſeſſas, Sermo erit de unico extranationali Monaſterio Sororum, *Ulyſſiponenſi* ſcilicèt, ſeù potiùs *Bethlehemitano*, vulgò *Belem*, propè *Ulyſſiponem*. Sit igitur

§. I.

De *Romano* geminato *SS. Sixti* & *Clementis* Cænobio.

SUMMARIUM.

I. *Obtinendis ab* Hibernia Dominicana *geminis* SS. Sixti & Clementis *de Urbe* Cænobijs *Viam ſtravit Magiſter Generalis* Joannes-Baptiſta de Marinis *Anno* 1667.

II. *Idem præſtitit Generalis* Joannes-Thomas de Roccaberti. *Ea autem reapsè donavit Generalis* Antonius de Monroy *Anno* 1677. *Hujus Literæ Patentes in Medium afferuntur. Nota de* Angliæ Dominicanæ *Cænobio* SS. Joannis & Pauli *de Urbe*.

III. *Eodem Anno* 1677 Joannes O-Connor, *alijque Septem Fratres* Hiberni, *in Poſſeſſionem per Procuratorem Generalem Ordinis* Thomam-Mariam Ruffum *(poſteà Archiepiſcopum* Barenſem) *immiſſi. Inventaria Bonorum utriuſque geminati Cænobij confecta*.

IV. *Donatio iſta à Capitulo Generali* Romæ 1686 *confirmata. Reſpectus ad Diverſitatem* quatuor *Hiberniæ Nationum ibidem diſtricte probibitus*.

V. *Elogia Magiſtri* Joannis O-Connor *prælaudati*.

VI. *Tranſmutatio Dedicationum Altarium apud* S. Sixtum à Benedicto *Papa XIII facta Anno* 1726.

(De Baſilica, & Cænobio S. Sixti)

VII. *Nota præliminaris de Nomine Baſilicæ, deque* S. Sixto Secundo *Papâ (Anno* 257 *electo)* & *Martyre, Baſilicæ hujus Titulari, cujus Archidiaconus erat* S. Laurentius *Martyr. Prima Baſilicæ* Conſtructio, *variæque Reſtaurationes. Nota de tribus hujus Tituli Cardinalibus, ad Summi Pontificatûs Apicem evectis*.

VIII. *Diploma* Clementis *Papæ VIII, ſpecialem exhibens Baſilicæ, ac Cænobij Hiſtoriam, atque Miracula, ibidem à* S. Dominico *patrata*.

IX. *Tàm ex Bulla hac* Clementina, *quàm ex Conſtitutionibus noſtris evincitur*, S. Dominicum *Ordinem ſuum inſtituiſſe in Eccleſia iſta* S. Sixti, *in eaque Ordinis prima jeciſſe Fundamenta*.

X. *Duorum Lapidum Inſcriptiones, Miracula quædam* S. Dominici *in Domo Capitulari* S. Sixti *indicantes*.

XI. *Aliæ Inſcriptiones de Miraculis, à* S. Dominico *in Cænobio* S. Sixti *patratis. Ibi inſtituit Monaſterium Monialium Anno* 1220.

XII. *Moniales per* 355 *Annorum Seriem ibidem permanſere. Epitaphium Sepulchrale cujuſdam Prioriſſæ. In prælibato Temporis Spatio plura pro eo Monaſterio per Sedem Apoſtolicam ſancita.* Moniales *alium in Urbis Locum, dictum* Magnanapoli, *Anno* 1575 *tranſlatæ. Regnante* Benedicto *XIII, venerunt Anno* 1728, & 1729, & *etiamnùm veniunt quotannis ad* S. Sixtum *pro cantanda Miſſa de* Requiem. *Eam pro ipſis celebravit ſolemniter Auctor Anno* 1741, & 1742.

XIII. *Eccleſia* S. Sixti *fermè deſerta poſt Annum* 1575. *A* Clemente *VIII conceſſa Magiſtro Ordinis*, Hieronymo Xavierre, *Anno* 1602. *Ab eo reſtaurata, magis autem ab illius Succeſſore* Seraphino Sicco *Anno* 1619. *Inſcriptianes ea de Re*.

XIV. *Cænobium* S. Sixti *pluries reſtauratum, nominatim à Magiſtro Ordinis* Antonino Cloche *Anno* 1716, *ut Inſcriptio quædam teſtatur. In eo Novitiatum peregit, Profeſſionemque emiſit Anno* 1646 *Cardinalis noſter* Philippus-Thomas Howardus *de* Norfolcia. *Conventus hic in Novitiatum Generalem Auctoritate Apoſtolicâ erectus Anno* 1655.

XV. *Tabula marmorea indicans Corpora Sanctorum apud* S. Sixtum *humata. Lapis Sepulchralis* Jacobi Euſtachij, *Sacerdotis* Hiberni, *denati Anno* 1712.

XVI. *Plura de* Vincentio Maria Urſino, *Tituli* S. Sixti *Preſbytero Cardinali, poſtmodùm* Benedicto *Papa XIII. Crebrò veniebat ad* S. Sixtum, & *ad* S. Clementem. *Repingi fecit Picturas in Domo Capitulari* S. Sixti, *ejuſdemque Altare conſecravit, Anno Jubilæi* 1725.

XVII. Benedictus *XIII declaravit, ſe à* Neapoleone, *Precibus* S. Dominici *ibidem Vitæ reſtituto, oriundum. Beneficij iſtius gratus, & memor, Ædes Sacras, & Cænobium, Vetuſtate labantia, reſtauravit. Rem paucis narrat Magiſter* Antoninus Bremond.

XVIII. ***Eccleſiam*** S. Sixti, *à ſe refectam, & decoratam conſecravit* Benedictus *XIII, ſicut & Altaria ejus. Anno* 1727. *Ea de Re Lapis Index. Anniverſaria Dedicationis Feſtivitas* Dominica Prima poſt Octavam Paſchæ *celebranda.*

XIX. *Eodem Anno* 1727 *Pars Cænobij* S. Sixti *cecidit, illæſis omninò Fratribus. Illud ſubindè inſtauravit* Benedictus *XIII, & ornavit, fermè Fundator ejus, potiùs quâm Reparator. Sacriſtiam inſuper, & Bibliothecam decoravit, & auxit.*

XX. *Tempore Fabricæ ſemel ad minùs in Hebdomada veniebat ad* S. Sixtum. *Eâ completâ, per Decem Dies continuos Anni* 1729 *ibidem Exercitijs vacavit ſpiritualibus. Affabilitas ejus ergà Fratres Cænobij, præſertim Hiſtoriolæ hujus Auctorem. Stupendum Humilitatis ejus Exemplum. Iſtis Diebus crebrò ibidem prandebat Magiſter Ordinis* Thomas Ripoll. *Nulla quoad Cibos Diſtinctio Perſonarum. Potus Pontificis Aqua pura, Nive vix non congelata. Nota de Fratribus iſtius Conventûs non deferentibus Cappas ad Chorum ex ſpeciali ipſius Diſpenſatione; & ibidem non genuflectentibus ad Elevationem Sacroſanctæ Hoſtiæ niſi in Miſſa Conventuali.*

XXI. *Ibi Preſbyteros ordinavit, Epiſcopos conſecravit, B.* Fidelis à Stamaringa *Miracula recognovit, & Clericalem Tonſuram* Thomæ Proby. *olim apud* Proteſtantes *Centurioni contulit. Hiſtoriolæ hujus Auctor ipſi in Miſſa (quam, niſi in Pontificalibus, More Patrum Prædicatorum quotidie celebrabat) alijſque Precibus, &c, continuo aſſiſtebat. Eundem cum alijs miſit Pontifex ad Scenicos Ludus, in Collegijs Urbis peractos. In Diſceſſu gratum ergà Fratres ſe geſſit. Anno ſubſequenti, fatali præventus Ægritudine, eò non redijt, ut ſtatuerat.*

XXII. *Anno* 1729 *Cardinalis* de Noailles, *Archipræſul* Pariſienſis, *Titulo* S. Sixti *inſignitus. Per Cardinalem* de Polignac, *Regis Chriſtianiſſimi Oratorem, illius accepit Poſſeſſionem. Illius etiam Titulares fuere Cardinales* Pipia *(ad* Minervam *denuo tranſlatus),* Fini, *&* Gotti. *Hujus de* Hibernis *Elogium. Ipſe ibidem tumulatus Anno* 1742. *Sepulchralis ejus Inſcriptio. Cardinalis* Lucini *ejuſdem Eccleſiæ Titularis. Ibidem humatus Anno* 1745. *Ejus quoque Inſcriptio Sepulchralis. Cardinalis* Orſi, *etiamnùm floreos, ejuſdem Baſilicæ Titularis. Auctor hujus Operis Septem vidit Ordinis Prædicatorum Cardinales, e quibus Quinque Titulares* S. Sixti. *Nota de Antiquitate Tituli* S. Sixti *præ Titulo* S. Mariæ Super Minervam. *Alia Nota de reliquis Cardinalibus Ordinis Prædicatorum,* S. Sixti *Titularibus.*

(De Baſilica & Cænobio S. Clementis)

XXIII. *Nota præliminaris de* S. Clemente Primo, *Papa, & Martyre, Apoſtolorum Coadjutore, & Diſcipulo. Baſilica* S. Clementis *olim Paterna ipſius Domus. Ibi* S. Barnabas *Apoſtolus ab eo receptus. Baſilicæ, Tituliquè Antiquitas. Titulus hic brevi Tempore cum illo* S. Pancratij *unitus. Quinque Tituli hujus Cardinales in Summos Pontifices electi.*

XXIV. *In* S. Clementis *Baſilica* S. Zozimus *Papa Anno* 417 *Synodum celebravit contrà* Cæleſtium. *Ibi* S. Gregorius Magnus *duplicem habuit Homiliam, eamque Baſilicam inter ſeptem Urbis Eccleſias adnotavit pro Litanijs* Septiformibus, *ac Sacra Statione Quadrageſimali condecoravit, illiuſque meminit in Homilia quadam de* S. Servulo *loquens. Nota de Litaniarum* Septiformium *Ordine ex* S. Gregorio Turonenſi. *Altera Nota de alia olim Statione ad* S. Clementem.

XXV. *Anno* 1099 Paſchalis *Papa II, Baſilicæ* S. Clementis *anteà Titularis, in ea Summus Pontifex electus, nec ſine Miraculo. Plura alia Dignitatis hujus Baſilicæ Monumenta.*

XXVI. *Baſilica hæc præ alijs in Urbe inſigniora continet Sacræ Antiquitatis Monumenta. Perfunctoria illius Deſcriptio.*

XXVII. *Deſcriptio exterioris Baſilicæ. Tribus conſtat Navibus, ſed non totidem, ut olim, Portis. Duæ nunc duntaxàt Portæ. Earum una à* Sixto *V aperta. Baſilicam hanc Clerus Romanus in* Rogationibus *viſitat.*

XXVIII. *Generalis Deſcriptio Baſilicæ interioris.*

XXIX. *Deſcriptio mediæ Partis Navis amplioris.*

XXX. *Deſcriptio alterius mediæ Partis, in qua Septum marmoreum, omnibus planè Numeris abſolutum. In eo, præter lapideum Candelabrum, Opere teſſelato (non ſecus ac ipſummet Eccleſiæ Pavimentum) elaboratum, & plura alia Obſervatu digna, duo adſunt marmorei Ambones. In eorum uno Concionem habuit* Benedictus *XIII Anno* 1727.

XXXI. *Deſcriptio Sanctuarij, in cujus Medio Tabernaculum, ſub quo Ara Summa. In eo etiam Cathedra Epiſcopalis, aliàs* Tribunal, *& Exedræ, ſive Sedilià, pro Sacerdotibus. Nota de prælibata Cathedra: A quo, & quando facta?*

XXXII. *Deſcriptio* Abſidis, *ejuſque muſivi Operis, necnon Reliquiarum ibi incluſarum. Marmorea Effigies, & Sepulchrale Elogium Cardinalis* Henrici de Alloſio.

XXXIII

XXXIII. *Deſcriptio dexteræ Navis. Sacella* S. Joannis Baptiſtæ, & S. Dominici, *olim* S. Crucis. *Variæ Inſcriptiones.*

XXXIV. *Deſcriptio ſiniſtræ Navis. Sacella* SS. Roſarij, *olim* Nativitatis Deiparæ, & S. Catharinæ *Virginis, & Martyris. Variæ Inſcriptiones.*

XXXV. *Corpora* SS. Clementis, Ignatij, Flavij Clementis, Cyrilli & Methodij *Fratrum*, Servuli, *(de quo Officium Proprium Operâ Cardinalis* Ferrarij) *requieſcunt in Baſilica* S. Clementis, *olimque in ea requieſcebat Corpus* S. Joannis Chryſoſtomi. *Catalogus Reliquiarum ibidem aſſervatarum. Nota de duplici Brachio argenteo, Reliquias includente* SS. Clementis, & Ignatij, *deque duplici duplicis Rei Benefactore.*

XXXVI. *Baſilicâ hac potiti ſunt imprimis Monachi, dein Canonici, poſtmodùm Fratres* S. Ambroſij ad Nemus *(de quo Ordine Nota), demùm in Commendam tranſijt. Conceſſa fuit à Cardinali* Maidalchino, *Abbate Commendatario, Fratribus Prædicatoribus* S. Sixti *Anno* 1667. *Ea de Re Lapis Index. Nota de Unione Eccleſiæ* S. Paſtoris *cum Titulo* S. Clementis. *Alia Nota de Oneribus Abbatiæ per Fratres exſolvendis abſque ulla Reddituum Portione. Quid ea de Re geſſerit Opellæ hujus Auctor Anno* 1740.

XXXVII. *Plures Baſilicæ hujus Reſtauratores, & Benefactores. Eos inter nonnulli Titulares. Ex his Quatuor Dominicani. Indulgentia Plenaria perpetua pro* S. Clementis *Papæ, &* S. Ignatij *Epiſcopi Diebus à Cardinali* Ferrario *impetrata. Nota de Cardinali* de Abdua.

XXXVIII. Clemens *XI, electus Summus Pontifex Die* S. Clementis *Papæ, ejuſdem Baſilicam reſtauravit Anno* 1715. *Tabula marmorea ea de Re paucis exhibens Elogia hujus Eccleſiæ. Sacellum* S. Dominici *à Cardinali* Ferrario *extructum eodem Anno* 1715. *Novas in eo Picturas fecit* Benedictus *XIII, præcavitque impoſterùm Humiditatem Anno* 1726. *Lateralis Janua Baſilicæ à* Sixto *V aperta, à* Clemente *XI reſtaurata Anno* 1719. *Nota de* Benedicto *XIII viſitante Septem Urbis Eccleſias, & circà Meridiem commorante ad* S. Clementem, *dùm Familia Pontificia ibidem pranderet Anno* 1726; *deque Colloquium habente ibidem cum Rege* Jacobo *III, ut vocant, Anno* 1724.

XXXIX. *Anno* 1726 Annibal *Cardinalis* Albanus *Tituli* S. Clementis *novum ibi extruxit Altare Summum. Hujus Inſcriptiones. Ibidem duos erexit Lapides marmoreos, Vitam* S. Servuli *ex* S. Gregorio Magno, *& vetuſtum Sacri Doni Monumentum, exhibentes. Modernus Titularis* S. Clementis, *laudati* Annibalis *e Fratre Nepos,* Joannes-Franciſcus Albanus.

XL. *Anno* 1727 *Tranſlatio Reliquiarum apud* S. Clementem, *& Conſecratio Aræ Summæ, à* Benedicto *XIII factæ. Officium divinum choraliter perſolvit idem Pontifex in Feſto* S. Dominici, *Epiſcopumque* Alexandrinum, *Fr.* Carolum-Vicentium Ferrerium, *poſteà S. R. E. Cardinalem, & Epiſcopum* Vercellenſem, *Ordinis Prædicatorum, conſecravit.*

XLI. *Anno* 1728. *Indulgentia Plenaria à* Benedicto *XIII perpetuò conceſſa Baſilicæ* S. Clementis *pro Dominica Secunda Octobris, in qua* SS. Roſarij *Feſtivitas cum Proceſſione celebratur.*

XLII. *Anno* 1733. *Solemniſſimæ pro Anima* Frederici Auguſti *II, Regis* Poloniæ, *apud* S. Clementem *habitæ Exequiæ.*

XLIII. *Apologia Auctoris pro fuſiori hujus § Proſecutione. Æconomia Rei literariæ in iſto Collegio. In eo haud obſervatur Alternativa Quatuor* Hiberniæ *Nationum. Ex eo tàm Lectores quam Studentes in* Hiberniam *revertuntur ad Vineam Domini per Apoſtolicarum Miſſionum Exercitium excolendam.*

XLIV. *Sodales geminati hujus Cænobij Anno* 1756 *Novemdecim, quibus Tres alij poſtmodùm acceſſere.*

I. QUANDOQUIDEM, ut pridem ajebam (*d*), Ordinem regente Rmo Patre Magiſtro Generali Fr. *Joanne-Baptiſta de Marinis*, tàm duris, tàmque diuturnis Perſecutionibus afflicta *Hibernia Dominicana*, nec Domi, nec Foris Locum haberet, ubi tot ſui Filij Caput reclinarent, hinc ſeriâ Commiſeratione, providâque Conſideratione inductus prælibatus Magiſter Ordinis, Die 6 Julij 1667 Literas dedit Patentes ad A. R. P. Magiſtrum Fr. *Joannem O-Connor* (*e*), *à S. Dominico* nuncupatum, *Hiberniæ Dominicanæ* Procuratorem Generalem, quibus ſingularum Provinciarum noſtri Ordinis Provinciales inter alia vehementer hortatus fuit, ut ſpontè, ac liberaliter unum, vel plures Conventus in ſuis cederent Provincijs pro tuto Refugio Fratrum *Hibernorum*, ut ſcilicet illic *Vernacula Juventus dictæ Nationis collegialiter, & ſeorſim ſub proprijs Prælatis, ac Studij Moderatoribus, idoneâ Educatione formaretur, tùm ad regularem Ordinis Diſciplinam, tùm ſpecialiter ad obeundas in Patria Miſſiones pro Fide Catholica tuenda, ac propaganda:*

Taleſque

(*d*) Cap. vi. Num. xv. Pag. 120.

(*e*) Conſulendus Num. v. hujus §, Pag. 372.

Taleſque Conventus hoc Modo reſignatos ex tunc pro ſemper Provinciæ *Hiberniæ* Ordinis Prædicatorum applicavit, & incorporavit Apoſtolicâ Auctoritate ſpeciali, quâ in hoc declarabat ſe fungi *(f)*.

II. Eadem planè Mens fuit duorum Romanorum Pontificum *Clementis* IX, & *Clementis* X, quorum prior ſpeciali Diplomate: *Crœditæ Nobis cælitus*, 16 Septembris 1667; poſterior autem altero Diplomate: *Apoſtolicæ Servitutis Munus*, 6 Auguſti 1674, memoratis Literis Patentibus Apoſtolicæ Confirmationis perpetuum Robur adjecerunt, integrum earum Tenorem recenſitis ſuis Brevibus, in *Bullario Ordinis Prædicatorum (g)*, atque in hacce Hiſtoriola (*h*) legendis, verbatim inſerentes. Quo factum eſt, ut Rmus Magiſter Ordinis P. *Joannes-Thomas de Roccaberti*, in hoc Provincialibus univerſis ſuo præire volens Evemplo, ſtatuerit Cænobium *S. Sixti*, quod Vigore Bullæ *Clementis* VIII (*i*), immediatæ Magiſtri Ordinis Juriſdictioni ſubdebatur, eique tunc annexum Cænobium *S. Clementis* de Urbe, dare, & incorporare ſuſpiranti Provinciæ *Hiberniæ*, Effectu tamen haud ſecuto (*k*) ad Initium uſque Generalatûs Rmi *Antonij de Monroy*, qui tanto promptiùs atque libentiùs executricem Manum appoſuit, quod in electivo ſuo Generali Capitulo comperiret, idem fuiſſe unanime Votum totius Definitorij ſolemniter congregati (*l*), ut ipſemet Sapientiſſimus Ordinis Moderator diſertè refert in Literis Patentibus Donationis factæ de præfatis Conventibus Provinciæ *Hiberniæ*, Die 4 Auguſti, S. Patriarchæ Dominico ſacrâ, 1677 datis, quarum Exemplar authenticum in Archivo *S. Sixti* aſſervatur, Tenoris ſequentis:

“ Fr. Antonius de Monroy, S. Theologiæ Profeſſor, Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus, ad perennem Rei Memoriam.

“ Quod Provincia noſtra Hiberniæ, duris, & diuturnis Perſecutionibus afflicta, nec Domi nec Foris Locum habeat, ubi tot ſui Filij Caput reclinent, Commiſeratione dignum exiſtimamus. Pridem idipſum piè conſideravit Optimus noſter Prædeceſſor fel. Mem. Rmus Pater Fr. Joannes Baptiſta de Marinis, utpote qui ſuiſmet Literis Patentibus, Anno 1667 Die 6 Julij expeditis (*m*), quarumlibet Provinciarum noſtri Ordinis Provinciales inter alia vehementer hortatus fuit, ut ſpontè, ac liberaliter unum, vel plures Conventus in ſuis Provincijs concedant, cedantque pro tuto Refugio miſeræ Provinciæ Hiberniæ, ad Effectum ut illic Vernacula Juventus dictæ Nationis collegialiter, ac ſeorsìm ſub proprijs Prælatis, ac Studij Moderatoribus idoneâ Educatione formetur, tùm ad regularem Ordinis Diſciplinam, tùm ſpecialiter ad obeundas in Patria Miſſiones pro Fide Catholica tuendâ, & propagandâ. Eadem planè Mens fuit duorum fel. Mem. Pontificum, Clementis Noni, & Decimi, quorum ille Anno 1667 Die 16 Septembris, hic Anno 1674 Die 6 Auguſti, ſupradictarum Patentium integrum Tenorem ſuis Brevibus (*n*) verbatim inſeruerunt, approbarunt, & Apoſtolicæ Confirmationis perpetuum Robur adjecerunt, ſeriò mandantes Rem perduci ad ſeriam Executionem. Proindè immediatus Prædeceſſor noſter univerſis Provincialibus in hoc volens præire ſuo Exemplo, conſtituerat binos in Alma Urbe Conventus, nimirùm S. Sixti, & S. Clementis, dare, & incorporare ſuſpiranti Provinciæ Hiberniæ. Verùm hactenùs ob varia Impedimenta Effectus defuit, videturque hoc Pietatis Opus peculiariter Nobis inter hæc Supremi noſtri Officij Primordia fuiſſe reſervatum. Cui etiam tantò libentius, atque promptiùs Manum executricem apponimus, quod nuperrimè in noſtro Generali Capitulo comperimus id fuiſſe unanime Votum totius Definitorij, ſolemniter congregati.

(*f*) Literas iſtas Patentes ſuperiùs exſcriptas habes Cap. vi. Num. xv. Pag. 121.

(*g*) Tom. vi. Pag. 227, & 315.

(*h*) Cap. vi. Num. xvi, xvii, & xxiv. Pag. 123, 124, & 132.

(*i*) Bullam hanc *Clementinam* exſcriptam protinùs habebis in præs. §. Num. viii.

(*k*) Quandoquidem ob varia Impedimenta Effectus per plures Annos defuerit, hinc laudatus P. Magiſter *Joannes O-Connor* ſtrenuè ſollicitabat pro Cænobio *SS. Joannis & Pauli*, ab Ædibus *S. Sixti* haud procul diſtante, quod & reapsè aſſequeretur, niſi Eminentiſſimus Noſter Fr. *Philippus-Thomas Howardus* de *Norfolcia*, alibi cum Laude nominandus (Cap. xv. Num. xx), in Urbe plurimùm valens, illud impetraſſet pro ſuis *Anglo-Dominicanis*, qui tamen eo Vitâ functo (Anno 1694) Domum iſtam dereliquerunt, quam nunc Congregatio Miſſionis *S. Vincentij a Paulo* poſſidet.

(*l*) Hujus Verba exſcripta habes Cap. vi. Num. xxvi. Pag. 134, quibus *Angelicam* vocat Provinciam noſtram.

(*m*) Eas legere eſt Cap. vi. Num. xv. Pag. 121.

(*n*) Brevia iſta videre eſt Cap. vi. Num. xvi, xvij, & xxiv. Pag. 123, 124, & 132.

“ Itàque amborum noſtrorum Anteceſſorum providæ Intentioni inhærentes, & utriuſque prænominati Romani Pontificis Mandata Apoſtolica reverenter, ut par eſt, exoſculantes, harum Serie, ac Authoritate noſtri Officij, ex nunc Provinciæ noſtræ Hiberniæ damus, incorporamus, appropriamus, datumque, incorporatum, & appropriatum declaramus noſtrum immediatè hactenùs Magiſtro Ordinis ſubjectum in Alma Urbe Conventum S. Sixti, unà cum ſibi annexo Conventu S. Clementis, idque juxtà adæquatam Diſpoſitionem, Intentum, & Approbationem prænominatorum Brevium Apoſtolicorum, decernentes quod amodò uterque ille Conventus ſic accenſeri debeat proprium verumque Membrum Provinciæ noſtræ Hiberniæ, ad quam deinceps pertinet, & pertinebit, cum omnibus ſuis Redditibus, Fundis, Cenſibus, Ornamentis, Juribus, & Bonis undecumque habitis, vel in poſterum habendis. Cùm verò nunc præſens in Urbe exiſtat R. P. Fr. Joannes O-Connor à S. Dominico, ejuſdem Provinciæ Procurator Generalis, & in Ultramarinis Vicarius Provincialis, cum Facultatibus in utroque Brevi Apoſtolico ſuprà citato expreſſis, nempè acceptandi ubique Locorum ſi qua Domus, aut Fundatio eidem Provinciæ adquiratur. Ideò præſentium Tenore illum veluti legitimum dictæ Provinciæ Procuratorem, ſeù Repræſentantem, immittimus in præfatorum duorum Conventuum realem Poſſeſſionem.

“ Et quia (ut in præallegatis Brevibus Apoſtolicis latè refertur) eidem Patri Procuratori Generali Hiberniæ, ſuiſque in illo Munere futuris Succeſſoribus, indultum eſt, poſſe in hujuſmodi novis Domibus, Locis, ac Fundationibus in Defectu Canonicæ Electionis providere de Prioribus, Rectoribus, Vicarijs, inſtituere Magiſtros Novitiorum, Lectores, alioſque tàm Scholaſticæ quàm Æconomicæ Rei Officiales; item aliundè accerſendi ſub Obedientiæ Præcepto noſtros Fratres Hibernos ubicunque profeſſos, eoſque aſſignandi, diſtribuendi, colligendi, deputandi pro Domibus noviter adquiſitis, vel adquirendis, necnon eoſdem removendi, & ad Miſſiones in Patria obeundas, aliòve deſtinandi, prout hæc omnia dudùm in Capitulo Generali Romano Anno 1670 fuere exhibita, & communi Suffragio acceptata (*o*), ideò & Nos præfato moderno Procuratori Hiberniæ, veluti ſimul Vicario ſui Provincialis (*p*) ultrà Mare, & Succeſſoribus, eaſdem Facultates in utramque Domum Romanam ſuæ Provinciæ ex nunc competere (quoad Opus eſt) declaramus.

“ Denique ſi forſan aliquando contingeret, quacunque de Cauſa, Fratres noſtros Hibernos utramque, vel alterutram ex his ſuis Romanis Domibus relinquere, vel indè ſimpliciter emigrare, aut ſubmoveri; iiſdem hoc Caſu licitum integrumque erit, ea omnia ſecum aſportare, quæ ipſi poſt apprehenſam illarum Domum Poſſeſſionem vel intulerunt, vel ſucceſſivè per piam Induſtriam, aut quoquomodo ex Largitione Fidelium ibidem pro Commodo ſuæ duntaxàt Provinciæ adquiſiverunt antè Emigrationem, ſivè ea ſint mobilia, ſivè Redditus, etiam perpetui, niſi de Voluntate illorum, à quibus prædicta obtinuerunt, aliter conſtiterit. Proindè hunc in Finem jubemus nunc abſque Delatione fieri exactum Inventarium de omnibus, quæ hactenus ad utrumque illum Conventum pertinuerunt, ſivè mobilia, ſivè immobilia, ut ea ibidem in Caſu Emigrationis intacta maneant, niſi intereà Neceſſitatis Uſu fuiſſent conſumpta.

“ His igitur præmiſſis, omnes, & ſingulos Filios noſtros deinceps ad S. Sixtum in Urbe moraturos paternè, ac ſollicitè in Domino hortamur, ut Conventum illum, tanquàm ſingulare, ac pretioſum S. P. N. Dominici Sanctuarium, tantique Patriarchæ tot præclaris adhuc Veſtigijs illuſtrem, utpotè ab ipſomet fundatum, ac prodigioſis Miraculis decoratum, ea Devotione incolant, & excolant, eo Affectu, Morum Exemplo, ac Religionis Studio conſtanter exornare ſatagant, prout eximia Loci Sanctitas peculiariter exigit, ac meretur. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. Porrò in Fidem, ac perenne Robur, his Officij noſtri Sigillo munitis propriâ Manu ſubſcripſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Super Minervam Die 4 Auguſti 1677.

“ FR. ANTONIUS DE MONROY,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ *Regiſt. Lit. H. Pag.* 4.
“ *Fr. Leonardus Hanſen*, *Magiſter*,
“ *Provincialis Angliæ* (*q*), *&* *Socius.*

“ In Dei Nomine Amen. Fidem facio per Præſentes Ego Notarius Publicus Apoſtolicus infraſcriptus, qualiter præcedens Copia fuit benè, & fideliter extracta à ſuo vero Originali non vitiato, non cancellato, neque in aliqua ſui Parte ſuſpecto, ſed omni prorsùs Vitio, & Suſpicione carens, cum quo fuit com-

“ probata

(*o*) Conſulendum Cap. vi. Num. xx. Pag. 127.

(*p*) Provincialis *Hiberniæ* tunc Temporis erat P. Magiſter *Gulielmus de Burgo*, Junior, ut ex Cap. xiv. Num. xix. liquebit.

(*q*) Titularis duntaxàt erat Provincialis *Angliæ*, ut alibi obſervabam, Cap. nempè v. Num. iii. P. 92.

“ probata, ac de Verbo ad Verbum collationata. Ideoque & ut præſenti Copiæ in Judicio, & extrà,
“ plena, & indubitata Fides adhibeatur, perindè ac ſi idemmet Originale exhiberetur, his me ſubſcripſi,
“ & meum, quo utor in publicandis Inſtrumentis, Signum appoſui. Romæ hac Die quinta Menſis Oc-
“ tobris, Anni à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti Milleſimi Sexcenteſimi Septuageſimi Septimi.

“ *Ita eſt Jacobus Gaſſio, Barchinonenſis, Authoritate Apoſtolicâ*
“ *Notarius Publicus in utroque Archivo Romanæ Curiæ deſcriptus.*”

III. Itaque Die 20 ejuſdem Menſis Auguſti 1677 Rmus P. Magiſter Fr. *Thomas-Maria Ruffus*, Procurator Generalis Totius Ordinis Prædicatorum (poſtmodùm de Anno 1684 Archiepiſcopus *Barenſis*, in Regno *Neapolitano*), & in hac Parte Vices gerens laudati Rmi Magiſtri Generalis *de Monroy*, Vigore Mandati ſibi facti, in dictorum geminorum Conventuum *SS. Sixti, &* *Clementis* de Urbe, eorumque omnium, & ſingulorum Reddituum, & quorumcunque Bonorum mobilium & immobilium, realem, corporalem, & actualem Poſſeſſionem immiſit, immiſſumque declaravit ſuprà recenſitum P. Magiſtrum *Joannem O-Connor*, Provinciæ *Hiberniæ* Procuratorem Generalem, in Vim dictarum Literarum Patentium, & juxtà adæquatam Diſpoſitionem, Intentum, & Approbationem duorum Brevium Apoſtolicorum memoratorum, præſentibus pluribus Provincialibus, ac Definitoribus Capituli Generalis, eo Anno *Romæ* celebrati, ſicut & Septem Fratribus Dominicanis *Hibernis*, qui in Urbe cum ſæpè laudato P. Magiſtro *Joanne O-Connor*, Galvienſi, aderant, nimirùm *Joanne Coleman*, Sligoenſi; *Felice Mac-Dowell*, Tulſkenſi (*r*); *Richardo O-Heain*, aliàs *Eano*, Bureſulenſi (*s*); *Thomâ Flyn*, Roſcomanienſi; *Thomâ de Burgo*, Athenrienſi (*t*); *Georgio Nangle*, Molingarenſi (*u*); & *Joanne Baptiſta Maguire*, Gaulenſi. Idque medio Inſtrumento Publico, rogato per Acta *Jacobi-Antonij Redoutey*, Notarij Publici Apoſtolici, qui etiam eodem Die facere incepit Inventarium omnium, & ſingulorum Bonorum mobilium, & immobilium, pertinentium ad Eccleſiam, & Conventum *S. Sixti*, quod Diebus 21, 22, & 23 ejuſdem Menſis Auguſti 1677 abſolvit. Dein Diebus 24, 25, 26, & 27 prælibati Menſis Inventarium idem Notarius confecit Bonorum ſpectantium ad Baſilicam, & Cænobium *S. Clementis*. Quæ quidem Inventaria eo vel maximè confecta ſunt, ut in Caſu Emigrationis Fratrum *Hibernorum* à ſæpè nominatis geminis Cænobijs *Romanis*, hujuſmodi Bona ibidem intacta permaneant, *niſi intereà neceſſario Uſu fuiſſent conſumpta*, ut diſertè habent jam tranſcriptæ Literæ Patentes Donationis factæ per Magiſtrum Generalem *de Monroy*, quæ tamen, ut vides, præmittunt, quod in Caſu ſimilis Emigrationis Fratrum *Hibernorum*, iiſdem licitum integrumque erit ea omnia ſecum aſportare, quæ ipſi poſt apprehenſam illarum Domorum Poſſeſſionem vel intulerunt, vel ſucceſſivè per ſuam Induſtriam, aut quoquomodo ex Largitione Fidelium acquiſiverunt. Ea autem Inventaria, Manu Sigilloque prælibati Notarij Publici Apoſtolici firmata, in Archivo *S. Sixti*, ut vidi, aſſervantur.

IV. Porro Donatio iſta Conventuum Romanorum *SS. Sixti & Clementis*, facta *Hiberniæ Dominicanæ* à ſæpiùs laudato Magiſtro Generali *de Monroy*, fuit in ſubſequentibus Comitijs Generalibus *Romæ* 1686, Succeſſoris ſui, Rmi nimirùm *Antonini Cloche* electivis, acceptata ſub Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provinciæ Hiberniæ*, his Verbis: *Acceptamus Conceſſionem factam ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Compoſtellano* (*w*), *quæ Conventum S. Sixti, cum ſibi annexo Conventu S. Clementis, incorporavit Provinciæ Hiberniæ pro bona Educatione Religioſorum Juvenum Hibernorum ad Miſſionem peragendam.* Dein ſubjungitur: *Præcipimus, & mandamus, quod deinceps in dictis Conventibus SS. Sixti & Clementis de Urbe, Studentes, Lectores, & Prælati indiſcriminatim, non habito Reſpectu ad Diverſitatem Nationum, ſed ſpectatis tantum Meritis, & Idoneitate Perſonarum aſſumantur.* Tandem concluditur: *Prohibemus, ne quis de cætero Alternationem, aut*

(*r*) Conſulendum Cap. xvi. Num. cxvi.

(*s*) Recolendum Cap. ix. §. xxxvii. Num. vi. P. 321.

(*t*) Adeas Cap. xvi. Num. xcix. Lit. u.

(*u*) Iſte fuit Prior ejuſdem Conventûs, obijtque *Florentiæ* ante Annum 1706.

(*w*) Id eſt *Antonio de Monroy*, qui Anno 1685 renunciatus fuit Archiepiſcopus *Compoſtellanus* in *Gallæcia*. Ex ſpeciali tamen *Innocentij* Papæ XI Diſpoſitione, in *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 371, legendâ, retinuit Generalatûs Officium uſque ad Succeſſoris ſui Electionem.

aut Diviſionem in dicta Provincia inducere attentet, prout hoc ipſum probitum eſt in Capituli Generali Romæ ſub Rmo Magiſtro de Marinis celebrato Anno 1656 (*x*).

V. Si autem quis fuerit *Joannes* iſte *O-Connor*, qui gemina hæc Cænobia *Hiberniæ Dominicanæ* procuravit, ſcire aveas, benigne Lector, en pauca de ipſo. Alumnus, ſeù Filius, ut vocant, fuit Conventûs *Galvienſis (y)*, Sacræ Theologiæ Magiſter præclarus, hæbraicè, & græcè peritus, Procurator Generalis Provinciæ *Hiberniæ*, ac in ultramarinis Partibus Vicarius, priùs Provincialis, poſtmodùm Generalis, Comitiorum Generalium *Romæ* 1670 (in quibus electus erat Magiſter Ordinis Rmus *Joannes-Thomas de Roccaberti*, Hiſpanus) Definitor pro ſua *Hiberniæ* Provincia, atque per plures Annos à Confeſſionibus Excellentiſſimæ *Eleonoræ* Ducifſæ *Cajetani Pimentelli*, cum qua in Urbem ex *Hiſpania* venit. In Cauſa porrò fuit cur laudata Duciſſa legaret noſtris *Patribus Miſſionarijs Hibernenſibus Conventûs SS. Sixti & Clementis* Sex Milla Scuta Romana; & cur Excellentiſſimus *D. Nicolaus Antonius*, Catholicæ Majeſtatis Regis *Hiſpaniarum* in Curia *Romana* Agens, ac Fiſcalis *S. Cruciatæ* in Curia *Matritenſi*, conſignaret ijſdem *Patribus Miſſionarijs* Quatuor Millia Scuta Romana, ſeù pro illis Triginta Octo Loca Montium (*z*), ut vocant, ex Reſiduo Diſpoſitionis Teſtamentariæ Eminentiſſimi *D. Dominici Pimentelli*, Hiſpani, Archiepiſcopi *Hiſpalenſis*, ex noſtro Prædicatorum Ordine aſſumpti, ut liquet ex Inſtrumento rogato per Acta *Jacobi-Antonij Redoutey*, Notarij Publici Apoſtolici, jam anteà nominati, quod in Archivo *S. Sixti* aſſervatur. Alia quoque innumera penè Beneficia, tàm per ſe, quàm per alios, huic Conventui præſtitit, ut in Libro, qui ab Italis vulgò nuncupatur *Cataſticus*, & in Libro Computuum illius Temporis, fusè legere eſt. Vir autem Sapientiſſimus, & in Rebus agendis dexterrimus, atque in Corpus ſuum ſeveriſſimus tàm Jejunio, Oratione, & Studio, quàm etiam Viſitatione Sacrorum Locorum in *Italia*, præſertim S. Domûs *Lauretanæ*, quam profundâ Devotione crebrò adibat, Meritis plenus, *Romæ* Diem clauſit extremum in Ædibus prælaudatæ Duciſſæ Menſe Decembris 1678. Ejus Cadaver tranſlatum fuit ad Eccleſiam *S. Sixti*, in eaque humatum juxtà Parietem ſitum inter Altaria tunc *SS. Roſarij*, & *S. Dominici*, nunc verò (poſt Reſtaurationem prælibatæ Eccleſiæ, à *Benedicto* XIII, ut protinùs narrabitur, factam) *S. Dominici*, & *S. Vincentij Ferrerij*, ubi Lapis Sepulchralis ſummoperè deſideratur.

VI. Ex mox dictis nullo Negotio intelliges, aliqua ex prælibatæ *S. Sixti* Baſilicæ Quinque Altaribus diverſimodè impræſentiarùm nuncupari ac antè *Benedicti* XIII, munificentiſſimi Reſtauratoris, Pontificatum. Enimverò Altare Summum nuncupabatur *S. Sixto* Papæ, & Martyri, Ædium Sacrarum Titulari; primum à a Latere ſiniſtro, Beatiſſimæ Virgini, Reginæ *SS. Roſarij*; illud huic è Regione ſitum, SS. Nomini *Jeſu*; ſecundum à Latere ſiniſtro, S. Patri *Dominico*; alterum verò è Regione, *S. Vincentio Ferrerio*. *Benedictus* verò XIII dedicavit Summum Altare ſimul cum Baſilica, ut infrà declarabitur (*a*), *S Sixto*, ut priùs; primum Altare à Latere dextero, Beatiſſimæ *SS. Roſarij* Reginæ; illud è Regione, S. Patri *Dominico*; ſecundum Altare à Latere dextero, *Omnibus Sanctis Ordinis Prædicatorum*; alterum è Regione poſitum, *S. Vincentio Ferrerio*.

Hæc dicta ſint de geminis *SS. Sixti & Clementis* Cænobijs generatim ſumptis à Tempore *Hibernorum*. Ulteriùs autem non abs Re ſed planè opportunum erit de illis ab Ovo, ut ajunt, diſſerere. Quod ut clarè diſtinctèque, ſemotâ ſcilicet omni Confuſione, fiat, de illis ſigillatim loquendum duxi, & primò quidem de Baſilica, & Cænobio *S. Sixti*, dicturus poſtmodùm de Baſilica, & Cænobio *S. Clementis*.

De Baſilica (*b*), & Cænobio S. Sixti (*c*).

VII. Primum ædificata fuit Baſilica hæc à *S. Sylveſtro* Papa, Ope *Conſtantini Magni* Imperatoris,

---

(*x*) Cujus Verba exſcripta habes Cap. vi. Num. xiv. Sect. 2. Pag. 119. Conſulendum idem Cap. Num. xxvii. Lit. n. Pag. 135.

(*y*) *O-Heynus*, Pag. 24.

(*z*) Ex ſingulis *Locis Montium* in Urbe Tria Scuta Romana annuè percipiuntur.

(*a*) §, præf. Num. xviii,

(*b*) Inſigniores Eccleſiæ, ſeù Templa, à Veteribus *Baſilicæ* nuncupari ſolebant, & *Romæ* etiamnùm nuncupantur.

(*c*) Hujus Nominis *Secundi*, Papæ, & Martyris, Natione ratoris, & à *S. Gregorio Magno* Statione Quadrageſimali (*d*), ac Titulo Preſbyteri Cardinalis decorata. Poſtmodùm reſtaurata fuit ab *Ardiano* Papa I, Anno 772, & ab *Innocentio* III, 1198, necnon à Cardinali *Philippo Boncompagni*, *Gregorij* Papæ XIII, ejuſdem Eccleſiæ antè Pontificatum Titularis, ex Fratre Nepote (*e*). Eam etiam, *Paulo* II Summo Pontifice, reſtauravit *Petrus* Cardinalis *Ferrici*, Hiſpanus, illius Titularis, Ordiniſque Prædicatorum Protector. Hìnc ſuprà lateralem Eccleſiæ Portam ſequens adeſt Inſcriptio :

Petrus Tituli S. *Sixti Card. Tiraſonenſis.* MCCCCLXXVIII.

PLURIES item diverſis Temporibus reſtaurata fuit eadem Eccleſia, ut fusè referunt, ex invictiſque Monumentis probant haud pauci graves Auctores, modernus præſertìm Scriptor, *Carolus-Bartholomæus Piazza*, in Libro cui Titulus : *De Titulis Cardinalitijs Urbis Romæ.*

VIII. CUM verò Eccleſiæ hujus Hiſtoriam à Tempore *S. P. Dominici* exhibeat *Clemens* Papa VIII in Diplomate, quo eandem Ordini Fratrum Prædicatorum reſtituit, idcircò Operæ Pretium erit in Medium afferre integrum Diplomatis iſtius Tenorem, longiuſculum quidem, opportuniorem tamen, quàm ut non exſcribatur *(f)*.

“ Clemens PP. VIII. Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Ordo Fratrum Prædicatorum, à S. Dominico fundatus, tàm magnos, & ſuaves in Eccleſia Dei Fructus
“ ſemper protulit, ac quotidiè profert, ut illius Propagationi meritô conſulendum cenſeamus, ſimulſque
“ Eccleſiæ S. Sixti Viâ Ardeatinâ de Urbe, in qua prædictus Ordo ab Apoſtolica Sede confirmatus
“ prima jecit Fundamentia, Reſtaurationi, & divini Cultus in ea Reſtitutioni, proſpiciamus. Nam ea
“ prima Eccleſia eſt, quæ Sancto Dominico in Urbe conceſſa fuit, in qua ſuum ipſe Religionis Ordinem
“ inſtituit, ab Honorio Papa III, Prædeceſſore noſtro, Apoſtolicâ Auctoritate confirmatum (*g*), quam Ec-
“ cleſiam

Natione *Græci*, qui Anno 257 electus, undecim Annis rexit Eccleſiam, ut ſcribit *Euſebius* Lib. vii. Hiſtor. Cap. xxii. etſi vix unum Seſſionis Annum *Baronius*, & *Binius* vendicent. Hic eſt Pontifex ille, cujus Archidiaconus erat *S. Laurentius*, & quem euntem ad Martyrium ſic adlocutus eſt : *Quo progrederis ſine Filio Pater? Quò, Sacerdos Sancte, ſine Diacono properas? Tu nunquàm ſine Miniſtro Sacrificium offerre conſueveras. Quid in me ergo diſplicuit Paternitati Tuæ? Numquid degenerem me probaſti? Experire certè utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis Diſpenſationem. Noli me derelinquere, Pater Sancte, quia Theſauros tuos jam expendi.* Cui præclarus Pontifex reſpondit : *Non Ego te deſero, Fili, neque derelinquo, ſed majora tibi debentur pro Chriſti Fide Certamina. Nos quaſi Senes levioris Pugnæ Curſum recipimus, te autem quaſi Juvenem manet glorioſior de Tyranno Triumphus : Poſt Triduum me me ſequeris, Sacerdotem Levita.* Id autem propheticè dicebat, ipſe enim Die 6 Auguſti Capite plexus eſt, *Sanctus* verò *Laurentius* Die 10 ejuſdem Menſis fortiſſimum Martyrium ſubijt.

(*d*) Scilicet Feria IV poſt Dominicam III Quadrageſimæ. Ab immemorabili porrò Uſus invaluit, ut eâ Die Patres Fratreſque *Minervitani* in Magno Numero ad *S. Sixtum* Completorij cantandi Causâ accedant.

(*e*) Duodecim Diebus poſt *S. Pij* V ad Superos Tranſitum, ſeù alterâ duntaxàt Die à Conclavis Ingreſſu, Anno 1572, electus fuit in Summum Pontificem *Hugo Boncompagnus*, Patriâ *Bononienſis*, Preſbyter Cardinalis *S. Sixti*, qui *Gregorij* XIII Nomen ſibi ſumpſit, quique primum, quem creavit, Cardinalem, *Philippum* nempè *Boncompagnum*, ſuum ex Fratre Nepotem, Titulo *S. Sixti* inſignire voluit. Porrò, ultrà laudatum *Hugonem* Cardinalem *Boncompagnum*, alios ut candidè fatear, non inveni Titulares *S. Sixti*, ad Summi Pontificatùs Apicem ſublimatos, niſi *Julium Roſpiglioſum*, Patriâ *Piſtorienſem*, Die 20 Menſis Junij Anni 1667 unanimi Suffragiorum Conſenſione electum, atque *Clementem* IX appellatum ; necnon & noſtrum Fr. *Vincentium-Mariam Urſinum*, è Ducibus *Gravinæ*, Cardinalem Preſbyterum *S. Sixti* Die 22 Februarij 1672 à *Clemente* X creatum, Die verò 29 Maij 1724 concordibus Votis quaſi derepentè Spiritûs Sancti Gratiâ electum Summum Pontificem, etſi reluctantem, & Manibus Pedibuſque detrectantem, aſcito ſibi *Benedicti* XIII Nomine, de quo plura Cap. viii. Num. xi. Pag. 162 ; & §. præſ. Num. xvi. & ſeqq. Confer Num. xxiii. §. præſ. Lit. s.

(f) Legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. v. Pag. 599, ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar authenticum ex Autographo *Vaticano*, & plura Exemplaria *Romæ* Typis *R. Cameræ Apoſtolicæ* impreſſa Anno 1602.

(g) Anno 1216.

“ cleſiam miſericors Deus multis Miraculis S. Dominici Meritis, & Interceſſione, ut in ejus Vita legitur,
“ illuſtravit. Nam S. Dominicus eam in primis ſingulis Noctibus ter ſuo Sanguine legitur irrigaſſe. Quidam
“ Architectus, dùm ejuſdem Monaſterij Fabricæ Operam navaret, Saxis, & Terrâ obrutus, S.
“ Dominici Precibus vivus effoſſus fuit. Filius item cujuſdam Viduæ, qui, dùm Mater Prædicationi S.
“ Dominici in Eccleſia S. Marci de Urbe intereſſet, acutâ Febri extinctus fuerat, ejuſdem S. Dominici
“ Orationibus revixit. Neapolio, Stephani Cardinalis de Foſſanova nuncupati, Nepos, qui Equo dejectus
“ occuberat, à S. Dominico ſuſcitatus fuit, ac ipſemet S. Dominicus, dum pro eo Sacrum Miſſæ Sacrificium
“ offerret, in ipſa Corporis Chriſti Elevatione, ac finitâ Miſsâ pro eodem defuncto orans, uno à Terra
“ Cubito ſublimis erigi ab omni Populo viſus fuit. Præterea, deficiente Pane ad Fratrum Suſtentationem,
“ qui magno Numero in eodem Monaſterio erant, Deus per Angelos ſuos Panem, & Vinum illis abundè
“ ſubminiſtravit. Deindè, in Eccleſia ejuſdem Monaſterij S. Dominicus primus B. Mariæ Virginis Roſarium
“ inſtituit, & promulgavit. Demùm, ipſemet S. Dominicus apud eandem Eccleſiam S. Sixti inſigne
“ Monaſterium Monialium ſui Ordinis erexit, & Moniales, quæ apud Eccleſiam B. Mariæ Regionis
“ Tranſtyberim habitabant, in illud tranſtulit, pro ſuorum verò Fratrum Habitatione Conventum S. Sabinæ
“ in Monte Aventino ab Apoſtolica Sede accepit. Cùm verò prædictæ Moniales in eo Monaſterio
“ S. Sixti ob Aeris Intemperiem gravia Valetudinis paterentur Incommoda, ad aliud Monaſterium, etiam
“ Ordinis S. Dominici, in Monte Magnanapoli nuncupatum, de Urbe traductæ fuerunt. Cùmque ex hujuſmodi
“ Monialium Tranſlatione prædicta Eccleſia S. Sixti ità deſerta remanſerit, ut divinus Cultus, &
“ eccleſiaſtica Officia rarò in ea celebrentur, atque ipſius Monaſterij Ædificium diuturnâ Monialium Incuriâ,
“ & Negligentiâ collabatur, Nos, ad ejuſdem Ordinis S. Dominici Dignitatem, & Ornamentum
“ magnoperè ſpectare exiſtimantes, ſi Eccleſia, & Monaſterium S. Sixti ipſis Fratribus Prædicatoribus
“ reſtituatur, ut nimirùm aliquot ejuſdem Ordinis Religioſi ad Officia divina celebranda in eo Monaſterio
“ reſideant, qui in Eccleſiæ, & totius Ædificij Reſtaurationem incumbant, ejuſque deligentem Curam gerant,
“ Motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ Petitionis Inſtantiam, ſed ex certa Scientia,
“ ac mera Deliberatione noſtris, ac de Apoſtolicæ Poteſtatis Plenitudine, Eccleſiam, & Monaſterium S.
“ Sixti, Muro, & quatuor Vijs publicis cinctum, cujus præcipua Porta eſt versùs Occidentem, Viâ Ardeatinâ
“ è Conſpectu Eccleſiæ Sanctorum Nerei, & Achillei Martyrum, cum toto Ædificio, & cum ea
“ Parte Hortorum ad ipſum Monaſterium ſpectantium, quam Nos ipſis Fratribus Prædicatoribus aſſignabimus,
“ & cum Juribus irrigandi dictos Hortos, & Uſu Aquæ neceſſariæ ex Rivo, ſecùs Hortos decurrente,
“ Marana vulgò nuncupato, pro Officinis, & Sacriſtia dicti Conventûs, & Fratrum, exceptis tamen
“ duobus Molendinis, & aliâ Parte Hortorum illis contiguorum, quæ ad prædictum Monaſterium Monialium
“ S. Dominici de Monte Magnanapoli liberè pertinere, ac pro illius Prioriſſa, & Conventu remanere
“ pleno, & integro Jure in omnibus, & per omnia volumus, & declaramus, necnon etiam cum
“ omnibus Vaſis ſacris, Paramentis, Ornamentis, & alijs Rebus, ad dictam Eccleſiam S. Sixti,
“ pro Miſſarum, & divinorum Officiorum Celebratione neceſſarijs, pertinentibus, à prædicto Monaſterio
“ Monialium S. Dominici de Monte Magnanapoli, ad quod ſpectare dignoſcuntur, &, quatenus Opus
“ ſit, etiam à Conventu S. Sabinæ, cujus Fratres in eadem Eccleſia S. Sixti certis Anni Temporibus, &
“ Diebus divina Officia, & Miſſas celebrare ſolent, & propterea à dilectis in Chriſto Filiabus Prioriſſa, &
“ Monialibus Monaſterij S. Dominici prædicti Scuta centum ſingulis Annis percipiunt, Auctoritate Apoſtolicâ,
“ Tenore præſentium, perpetuò diſmembramus, & ſeparamus, ipſumque Monaſterium, & Eccleſiam
“ S. Sixti cum Ædificio, Terris, Hortis, & Juribus per Nos aſſignandis dilecto Filio Hieronymo Xavierre,
“ univerſi Ordinis Fratrum Prædicatorum Magiſtro Generali, ſuiſque in dicto Officio Magiſtri
“ Generalis ejuſdem Ordinis Succeſſoribus, ut aliquot ſui Ordinis prædicti Fratres, ſaltem uſque ad Numerum
“ duodecim, pro divinis Officijs in eadem Eccleſia celebrandis ibidem manſuros collocent, & conſtituant,
“ Auctoritate, & Tenore prædictis perpetuò concedimus, & aſſignamus, ità quod liceat eidem
“ Hieronymo Magiſtro Generali moderno, per ſe, vel alium, ſeù alios, ab eo deputandos, corporalem,
“ realem, & actualem ejuſdem Monaſterij, & Eccleſiæ, ac Ædificiorum, Ornamentorum, & Rerum in
“ eis exiſtentium, ex nunc, necnon Hortorum, Terrarum, & aliorum Jurium, per Nos ipſis Fratribus
“ Prædicatoribus aſſignandorum, cùm primùm aſſignatæ fuerint, etiam abſque Prioriſſæ, & Monialium
“ prædictarum, ac Conventus S. Sabinæ, ſeù quorumvis aliorum Licentia, vel Conſenſu, immò etiam illis
“ invitis, & contradicentibus, propriâ Auctoritate apprehendere, & perpetuò retinere, ac in illis ſupradictum
“ Fratrum Numerum ponere, & conſtituere, ac pro ejuſdem Monaſterij, & Eccleſiæ proſpero Regimine
“ quaſcunque Ordinationes, & Statuta, licita tamen, & honeſta, ac Sacris Canonibus, & Concilij
“ Tridentini Decretis, regularibuſque Inſtitutis dicti Ordinis minimè contraria, neceſſaria. & opportuna
“ facere. Nos enim prædictum Monaſterium, & Eccleſiam S. Sixti ab omni Cura, Superioritate, & Juriſdictione,
“ Jure, & Dominio tàm Provincialis Utriuſque Lombardiæ, quàm Prioris, & Conventûs S. Sa-

“ binæ,

> “ binæ, ac Prioriſſæ, & Monialium, & quorumvis aliorum ejuſdem Ordinis Superiorum perpetuò abdicamus, ac ipſum Monaſterium, & Eccleſiam S. Sixti cum Priore, & Fratribus, in eiſdem pro Tempore degentibus, Curæ, & Juriſdictioni prædicti Hieronymi, moderni, & pro Tempore exiſtentis Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis perpetuò immediatè ſubjicimus, & ſupponimus, ipſique Hieronymo, Magiſtro Generali, præmiſſa omnia, & ſingula, ac alia quæcunque ad prædicti Monaſterij, & Eccleſiæ S. Sixti proſperum Statum, & Gubernium pertinentia faciendi, gerendi, & exequendi, plenam, & liberam Facultatem concedimus, & impertimur, cum Onere tamen dictam Eccleſiam, & Monaſterium, ubi Opus fuerit, perpetuò reſtaurandi, itâ ut Duodecim ad minus Fratres ibi manere teneantur, & divinus Cultus ibi exerceri debeat. Decernentes præſentes Literas, etiam ex eo, quod Prioriſſa, & Moniales prædicti Monaſterij S. Dominici, ac Prior, & Conventus Domûs S. Sabinæ, aut quicunque alij in præmiſſis Intereſſe habentes, ſeù prætendentes, quibus perpetuum ſuper præmiſſis Silentium imponimus, ad hoc vocati, & auditi non fuerint, neque præmiſſis conſenſerint, de Subreptionis, vel Obreptionis, aut Nullitatis Vitio, ſeù Intentionis noſtræ, aut alio quocunque Defectu notari, vel impugnari, aut in Jus, vel Controverſiam revocari, aut contrà illas aliquod Gratiæ, vel Juſtitiæ Remedium impetrari nullatenùs poſſe, neque ſub quibuſvis Revocationibus, Suſpenſionibus, Limitationibus, aut alijs contrarijs Diſpoſitionibus pro Tempore faciendis, comprehendi; ſed ſemper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum, & validiſſimum Statum reſtitutas, repoſitas, ac plenariè reintegratas, ac de novo etiam ſub poſteriori Data, per Magiſtrum Generalem prædictum eligendâ, conceſſas eſſe, & cenſeri, ſicque, & non aliter per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac S. R: E. Cardinales, ſublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi Facultate, & Auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecùs ſuper his à quoquam quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus noſtris de non tollendo Jure quæſito, ac de Unionibus committendis ad Partes, vocatis, quorum intereſt, ac de exprimendo vero Valore, necnon Lateranen. Concilij noviſſimè celebrati, Uniones perpetuas, niſi in Caſibus à Jure permiſſis, fieri prohibentis, ac felicis Recordationis Bonifatij Papæ VIII, Prædeceſſoris noſtri, quâ prohibuit ne Fratres Mendicantes nova Loca ad inhabitandum recipiant, ſine ſpeciali Apoſtolicæ Sedis Licentia, de hujuſmodi Prohibitione ſpecialem Mentionem faciente, alijſque Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibus, & Synodalibus Concilijs, editis, necnon ejuſdem Ordinis, & cujuſvis illius Provinciæ, necnon Conventûs S. Sabinæ, & Monialium S. Dominici præfatorum, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, eidem Ordini, Provincijs, Conventui, Monaſterijs, & illorum Superioribus, ac Perſonis in Genere, vel in Specie, ac ſub quibuſcunque Tenoribus, & Formis, ac cum quibuſvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijſque efficacioribus, & inſolitis Clauſulis, ac irritantibus, & alijs Decretis, in Genere, vel in Specie, quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis: Quibus omnibus, & ſingulis, eorumque Tenori, etiamſi pro illorum ſufficienti Derogatione de illis, eorumque totis Tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, & expreſſa, ac de Verbo ad Verbum, non autem per Clauſulas generales idem importantes, Mentio, ſeù quævis alia Expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita Forma ad hoc ſervanda foret, Tenores hujuſmodi, ac ſi de Verbo ad Verbum, nihil penitùs omiſſo, inſerti forent, hac Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die XIX Januarij MDCII, Pontificatûs noſtri Anno Decimo.
>
> “ M. VESTRIUS BARBIANUS.

IX. Ex harumce Literarum Apoſtolicarum Exordio Sole meridianô clarius patet, noſtram *S. Sixti* Eccleſiam *primam* eſſe, quæ *S. Dominico Romæ conceſſa fuit*, & in qua ſuum ipſe *Religionis Ordinem inſtituit*, & in qua prædictus Ordo, ab Apoſtolica Sede confirmatus, *prima jecit Fundamenta*, ut diſertis Verbis laudatus Pontifex *Clemens* teſtatur. Et quamquàm non deſint Scriptores, & quidem haud infimi Subſellij, autumantes, illa *Clementinæ* Conſtitutionis Verba intelligenda eſſe de his, quæ ab Ordinis Confirmatione geſta ſunt, Pace tamen eorum dixerim, *S. Dominicum* in Poſſeſſionem veniſſe *S. Sixti*, etiam antè confirmatum Ordinem, ut vel ex eo luculentiſſimè conſtat, quod Ordo confirmatus fuit ab *Honorio* III Anno 1216. Cænobium autem *S. Sixti* conceſſum fuit *S. Dominico* ab *Innocentio* III (*b*), *Honorij* Prædeceſſore, ut perſpicuè apparet ex Conſtitutionibus,

---

(*b*) Qui ſub Initium ſui Pontificatûs Baſilicam hanc reſtauraverat, ut ex nuper dictis, Num. VII, liquet.

ſtitutionibus noſtris (*i*), in hunc Modum referentibus : “ Fuit etiam *(S. Dominicus)* Apoſtolicus Officio Prædicationis, quem INNOCENTIUS III divinâ Revelatione edoctus, quod ipſe, & Fratres ſui illuminare debebant, ac defendere Eccleſiam, in ſancto Propoſito de Ordine ad Prædicationis Officium inſtituendo confirmavit, eique LOCUM S. SIXTI DE URBE TRADIDIT, ac piam ejus Intentionem de Zelo Salutis Animarum laudavit, commendavit, & approbavit. Quem etiam Honorius III, Innocentij Succeſſor, benignè ſuſcepit, & Ordinem ſuum liberaliter confirmavit.” En Mentem, & Senſum univerſi Ordinis, in Comitijs Generalibus ſolemniter congregati.

X. **Celeberrimam** hanc Eccleſiam, & Cænobium D. O. M. Meritis *B. Dominici* pluribus illuſtravit Miraculis, quæ in mox allata Conſtitutione *Clementina* recenſentur. Eorum porrò nonnulla adhuc inſcripta leguntur in patentibus Locis præfati Cænobij S. Sixti. Enimverò à Parte dextera Portæ, quæ à Clauſtro ducit ad Domum Capitularem (ubi S. *Dominicus* Tres Mortuos, in eadem Conſtitutione memoratos, ſuſcitaſſe perhibetur) in antiquo Lapide marmoreo ſequentia inſculpta manent :

Siſte Hoſpes,
Et hoc Sacellum
Gemino inſigne Miraculo
Aſpice, ſuſcipe.
Hic Magnus ille Dominicus,
Sal Terræ, Cæli Decus,
Neapoleonem, illuſtrem Virum,
Equo dejectum extinctumque,
Peracto divino Sacrificio,
Quod dum celebraret
Toto ſublimis Corpore viſus eſt,
Cernentibus Stephano de Foſſa Nova,
Defuncti Avunculo,
Et duobus alijs S. R. E. *Cardinalibus,*
Atque innumerâ Adſtantium Multitudine,
Vi Precum à Mortuis revocavit (*k*).

Ad Partem ſiniſtram ejuſdem Portæ eſt & alius Lapis marmoreus antiquus cum ſequenti Inſcriptione :

In hoc eodem Loco idem S. P. Dominicus,
Divino afflatus Spiritu,
Duos ex aggregato Sodalium Cætu,
Nempè Fr. Gregorium, & Fr. Albertum,
Æternam Vitam conſecuturos,
Duos prætereà Adoleſcentes,
A ſancto Propoſito egreſſuros,
Atque infelici Exitu
Brevi perituros,
Probante Rem Eventu,
Mirè prædixit,
Anno ab Orbe redempto
MCCXVIII.

Porrò

(*i*) Diſt. i. Cap. xv. Textu i. ad Lit. e.

(*k*) Confer infrà dicenda Num. xvii.

Porro Roſtrum, ſeù Pulpitum, in quo S. Dominicus primus (Verba ſunt ſæpè laudatæ Bullæ *Clementinæ)* B. Mariæ Virginis Roſarium inſtituit, & promulgavit in Eccleſia ejuſdem Monaſterij, vidi ipſe in Eccleſia ſitum inter duo Altaria, quæ nunc (*l*) *S. Dominico*, & S. *Vincentio Ferrerio* nuncupantur, ſed Anno 1726 Juſſu *Benedicti* XIII (de quo plura protinùs dicentur) tranſlatum fuit ad Domum hanc Capitularem, ubi magnâ Veneratione Fidelium, Particulas ejus decerpentium, colitur.

XI. In Refectorio depinguntur ſuprà Parietem *S. Dominicus*, ejuſque Fratres in Menſa ſedentes, quando, juxtà eandem Bullam, ipſis Angeli miniſtrarunt. Refert autem *Carolus-Bartholomæus Piazza* (Lib. *de Titulis Cardinalitijs)* cum gravibus Auctoribus, unâ Vice adfuiſſe cum *S. Dominico* in Refectorio ſic miniſtratos Centum Fratres, aliâ Vice ſolùm Quadraginta, reliquis ab eodem S. Patriarchâ miſſis in Civitates, Pagos, & Caſtella extrà Urbem. Hinc ſub illa Imagine ſcribuntur ſequentia Verba, deſumpta ex Officio *S. Dominici* in Breviario Fratrum Prædicatorum:

Panis oblatus cœlitùs
Fratrum ſupplet Inopiam.

Hinc etiam in Atrio Refectorij ſuprà hujus Portam adeſt Lapis marmoreus cum Inſcriptione ſequenti:

Deficiente Pane ad Fratrum Suſtentationem,
Qui magno Numero in hoc Monaſterio erant,
In hoc Refectionis Loco Deus per Angelos ſuos
Panem, & Vinum ſæpiùs illis abundè
Orationibus Divi Dominici ſubminiſtravit.

Ad Summitatem Scalæ Superioris, quæ ducit ad Dormitorium majus, eſt Pictura repræſentans Beatiſſimam Virginem *Mariam*, aſſiſtentibus Sanctis Martyribus *Catharinâ*, & *Cæciliâ*, aſpergentem Fratres dormientes Aquâ benedictâ, & ſub iſta inſcribuntur in Pariete hæc Sacræ Paginæ Verba:

Adorabimus in Loco, ubi ſteterunt Pedes ejus. Pſal. 131.
Locus in quo ſtas, Terra ſancta eſt. Exod. 3.
Beati, qui habitant in Domo tua, Domine. Pſal. 83.

Dein ſubjungitur:

Beatiſſima Deipara, comitantibus cœleſtibus
Virginibus Catharinâ, & Cæciliâ, Signo
Crucis conſignavit, & Aquâ
Luſtrali ſæpæ aſperſit in hoc Loco
Dormientes Fratres.

Apud eandem *S. Sixti* Eccleſiam, ut ex Bulla *Clementina* patet, *S. Dominicus* inſigne Monaſterium Monialium ſui Ordinis erexit (*m*), & Moniales, quæ àpud Eccleſiam *S. Mariæ Tranſtyberinæ* in Urbe habitabant, in illud tranſtulit Die 24 Februarij 1220. Pro ſuorum verò Fratrum Habitatione Cænobium *S. Sabinæ*, in Monte *Aventino*, ab Apoſtolica Sede accepit. Cùm autem aliquandò eſſet S. Patriarcha ad *S. Sixtum* in Colloquijs divinis, & Oratione cum Monialibus, & ad ſuum S. *Sabinæ* Cænobium nocturno Tempore redire vellet, Duo Angeli cum Facibus à Porta Monaſterij uſque ad Portam memorati ſui Cænobij ipſum in Via præceſſerunt. Idipſum porrò depingitur ad Pedem Scalæ Superioris prælibatæ, quæ ad majus ducit Dormitorium, atque deſcribitur triplici hoc Diſticho:

(*l*) Recole nuper dicta Num. vi. Pag. 372.

(*m*) Confer ſuperiùs dicta Cap. præced. §. i. Num. ii. Pag. 348.

Dum Clauſtrum tetrâ Guſmanus Nocte rediret,
Et Via præ Tenebris non benè tuta foret:
Protinùs è Cælo veniunt, qui Lumina geſtant,
Et nitet in Tenebris Nox quaſi facta Dies.
Scilicet hæc Superis Cura eſt impoſita Juſti,
Ut doceant tutas ſemper inire Vias.

XII. Porrò Moniales iſto in Monaſterio habitabant per 355 Annos, ab Anno ſcilicet 1220, mox recenſito, ad Annum 1575. Hucque facit Tabula marmorea, in Terra exiſtens ad Ingreſſum Conventûs hujus *S. Sixti*, inciſam habens Imaginem Monialis, infrà quam legere eſt ſequens Epitaphium Sepulchrale:

Hìc requieſcit Corpus Ven. Dom. Sororis Catharinæ
Jacobinæ, Prioriſſæ hujus Monaſterij, Anno Domini
MCCCL, *Die* X. *Menſis Februarij, cujus Anima*
Requieſcat in Pace.

Cæterùm in ea 355 Annorum Serie plura Obſervatu digna de hoc Monaſterio à Romanis Pontificibus ſancita ſunt. Imprimis enim

Honorius III Anno 1221 ei Poſſeſſionem Eccleſiarum *S. Mariæ in Tempulo*, & *S. Bibianæ* conceſſit (*n*). Annoque 1224 Monaſterium hoc Curæ Fratrum commiſit (*o*).

Gregorius IX Anno 1232 ſigillatim recenſuit ſpeciali Diplomate Conſtitutiones Monialium hujus Monaſterij (*p*).

Innocentius IV Anno 1244 varijs Privilegijs id donavit, & inter alia ratam habuit Donationem, quâ *Stephanus* Cardinalis *de Foſſa Nova*, gratus, & memor Beneficij in Monaſterio hoc, ut præfertur (*q*), accepti, annuum Quinquaginta Marcarum (*r*) Redditum ex Proventibus Eccleſiæ de *Bamburia*, vulgò *Bamborow*, in Septentrionali *Anglia*, illi tribuit. Inſimulque Pontifex Poſſeſſiones ejuſdem Monaſterij enumeravit (*s*). Anno item 1244 voluit, ut Moniales hujus Monaſterij ſub Cura Magiſtri Ordinis, & Provincialis *Tuſciæ* (*t*) perſeverarent (*u*). Eodemque poſtmodùm Anno 1244 Magiſtro Ordinis *Joanni Teutonico*, & Capitulo Generali *Bononienſi*, Curam illius diſtrictiùs demandavit (*w*). Annoque 1250 Monaſterium hoc à Decimis, cæteriſque Tributis in *Anglia*, ex prælibato Redditu Annuo ſolvendis, exemit (*x*).

Bonifacius IX Anno 1394 ſtatuit, ut hujus Monaſterij Moniales non ſint-pluſquam Sexaginta (*y*); Annoque 1398 Leges ſanxit de Clauſura illius, necnon de *Priore*, *Vicario*, ſeù *Confeſſore*, Redditibus, ac Bonis Mobilibus (*z*), quas *Martinus* V, Anno 1428, quodam adhibito Temperamento, confirmavit (*a*).

Eugenius IV Anno 1439 Monaſterium *S. Cæſarij*, Ordinis *S. Benedicti*, de Urbe, huic univit (*b*).

Sixtus

(*n*) Tom. i. *Bullar. Ord. Præd.* Pag. 13.

(*o*) Tom. i. Pag. 143.

(*p*) Tom. vii. Pag. 410.

(*q*) Num. x. §. præſ. Pag. 376.

(*r*) Conſulendum Cap. ix. §. i. Num. ix. Lit. z. Pag. 192.

(*s*) Tom. i. *Bullar. Ord. Præd.* Pag. 134, & Tom. vii. Pag. 17.

(*t*) Confer Cap. v. Num. v. Lit. p. Pag. 94.

(*u*) Tom. i. *Bullar. Ord. Præd.* Pag. 151, ubi Reverendiſſimus *Bremond* hanc ſubdit Annotationem: " Huc refert illud *Humberti* in Chronicis. " *Sub Regimine* (Fr. Joannis Teutonici) *multum laboratum eſt in Curia, quo Ordo eximeretur a* " *Cura Sororum . . . . At voluit Pontifex, quod* " *illæ, quæ ſub Cura Ordinis jam erant, remanerent in eodem Statu.*

(*w*) Tom. i. Pag. 143.

(*x*) Tom. i. Pag. 186.

(*y*) Tom. ii. Pag. 340.

(*z*) Tom. ii. Pag. 378.

(*a*) Tom. ii. Pag. 687.

(*b*) Tom. iii. Pag. 106.

Sixtus IV Anno 1483 ſanxit, ut Cardinalis Tituli *S. Sixti* nihil ex ejuſdem Monaſterij Redditibus exigere poſſit (*c*).

Julius II Anno 1506 Monaſterium hoc Curæ commiſit Vicarij Generalis Congregationis *Lombardiæ* (*d*).

Paulus III Anno 1534 ſtatuit, ut idem Monaſterium, inſimulque Cænobium S. *Sabinæ*, Juris eſſent Provinciæ *Lombardiæ* (*e*); Annoque ſequenti, 1535, Monaſterium iſtud Curæ commiſit Provincialis *Lombardiæ* (*f*), cui ſemper poſtmodùm ſuberant Moniales usque ad mox recenſendam earum Tranſlationem, ſemperque ſubſunt uſque in hodiernum Diem.

Cum autem iſta Pars Urbis, quæ Tempore S. *Dominici* habitabatur, tandem aliquando deſolata maneret, exindè proveniebat ingens Aeris Intemperies, ob quam Sanctimoniales gravia Valetudinis (inquit *Clemens* VIII) patiebantur Incommoda, quod advertens S. *Pius* V, ejuſdem Ordinis, illis à Fundamentis ædificavit maximum, & pulcherrimum Monaſterium, ſub Invocatione SS. *Dominici*, & *Sixti*, in Clivo, qui olìm *Balnea Pauli*, nunc corrupto Nomine Italicè *Magnanapoli* dicitur (*g*), ad quod traductæ fuerunt Die 8 Februarij 1575, *Gregorio* XIII Summo Pontifice.

Monialium apud S. *Sixtum* defunctarum Capita in maximo Numero ſæpiſſimè vidi in Cella, ſivè Camera, quæ inter duas Eccleſiæ Portas ſita eſt, ſed *Benedictus* XIII, Eccleſiam reſtaurans, ea Muro intùs muniri curavit Anno 1727.

Atque de laudati Summi Pontificis expreſſa Facultate, ut obiter dicam, Moniales prælibati Monaſterij *SS. Dominici* & *Sixti* de *Monte Magnanapoli* Urbis, ut præfertur, nuncupati, propè Numerum Centenarium venerunt in Rhedis ad S. *Sixtum* Die 19 Novembris 1728. & in Choro decantarunt choraliter Miſſam de *Requiem*, dein, proceſſionaliter exeuntes in Corpus Eccleſiæ, Reſponſorium *Libera* &c, pro Conſororum ſuarum ibidem defunctarum, & ſepultarum Animabus, celebrante Rmo Magiſtro Ordinis *P. Thomâ Ripoll*. Idemque factum fuit Anno ſequenti 1729, Die 22 Novembris, meipſo utriuſque Sacræ Functionis Teſte oculari.

Idem quoque, de ſpeciali Facultate feliciter regnantis Pontificis *Benedicti* XIV, memoratæ præſtitere Moniales Die 4 Octobris 1741, & Die 10 Octobris 1742, ipſeque tàm primâ Vice, quàm etiam ſecundâ (etſi ab Urbe jam jam diſceſſurus) Miſſam eis cantavi de Mandato Rmi Patris *Aloyſij-Mariæ Lucini*, S. Congregationis S. Officij Commiſſarij Generalis, earum immediati in Urbe Superioris (*h*), qui utroque Die integræ Cæremoniæ Sacræ adſtitit. En autem Breve Apoſtolicum, ſpecialem illam Facultatem concedens, ex Autographo, quod apud laudatas Sanctimoniales aſſervatur:

“ Dilecto Filio Aloyſio-Mariæ Lucini, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, in S. Theologia Magiſtro, Commiſſario Generali Congregationis Venerabilium Fratrum Noſtrorum S. R. E. Cardinalium, contrà Hæreticam Pravitatem Generalium Inquiſitorum.

“ BENEDICTUS Papa XIV.

“ Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Conſiderantes dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, & Moniales Ordinis S. Dominici, Monaſterij ſub Invocatione Sanctorum Dominici & Sixti de Urbe, cui præeſſe dignoſceris, omnes ſuas Conſorores, atque eas præſertim, quæ in Monaſterio S. Sixti, de præſenti Veteris dicti, de eadem Urbe, ab ipſo Ordinis Prædicatorum Fundatore Sancto Dominico ibidem pro Monialibus â Fundamentis excitato, ſanctiſſimis Legibus ac Regulis inſtituto, & Vigilantia, Sollicitudine, ac Zelo tamdiù per ipſum adminiſtrato (quo propter Aeris Gravitatem penitùs diruto, ad inhabitandum novum Monaſterium hujuſmodi migratum fuit) cum Pietate Dormitionem acceperant, optimam habuiſſe repoſitam Gratiam, ac propterea ſanctam & ſalubrem eſſe Cogitationem pro defunctis orare, ut à Peccatis ſolvantur; atque, ut a meritis per eadem Peccata Pœnis releventur, prodeſſe ijſdem Fidelium vivorum Suffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, Orationes, & Eleemoſynas, atque alia Pietatis Officia, quæ à Fidelibus ſecundùm Eccleſiæ Inſti-

---

(*c*) Tom. iii. Pag. 620.

(*d*) Tom. iv. Pag. 235.

(*e*) Tom. iv. Pag. 539.

(*f*) Tom. iv. Pag. 543.

(*g*) Confer Cap. præced. §, i. Num. ii. Pag. 348.

(*h*) Fuit poſtmodùm S. R. E. Preſbyter Cardinalis S. *Sixti*, demùmque in eadem S. *Sixti* Baſilica tumulatus, ut ex brevi dicendis patebit Num. xxii. Pag. 357.

“ Inſtituta pro alijs fieri conſueverunt; Nobis nuper ad eandem Eccleſiam, Dominicâ Die poſt Feſtum ejuſdem
“ S. Dominici Sacrum facturis, & Monaſterium accedentibus, exponi fecerunt, quod nimirùm fel. record.
“ Benedictus Papa XIII, quippè qui ejuſdem Ordinis Prædicatorum olim Alumnus, dictum Locum
“ S. Sixti Veteris, quem ipſe Fundator non tàm Domicilio, quàm eximijs Virtutibus ac Signis illuſtraverat,
“ ſingulari Studio celebrandum, & in eum quo viſitur Ædificiorum Ornamentorumque Statum, non ſine
“ magnis Sumptibus, reducendum curaverat, tunc exiſtentibus Monialibus, ut ſemel quotannis ad antedicta
“ Pietatis Officia Conſororibus ſuis in eodem Sancti Sixti Veteris Monaſterio defunctis, & in Eccleſia ibidem
“ abs ſe inſtauratis & affabrè inſtructis olim ſepultis ferventiùs perſolvenda, è novo Monaſterio egredientes
“ debitis cum Cautionibus ad Effectum hujuſmodi ſeſe ad antedictam S Sixti Veteris Eccleſiam conferrent,
“ ibique per integrum Diem Officia memorata obirent, Pietatique facerent ſatis, de peculiari Mandato,
“ atque Apoſtolica Benignitate, & Auctoritate injunxit. Poſtquàm autem Sapientiſſimus Pontifex per
“ Biennium probaverat, id eâ regularis Diſciplinæ Obſervantiâ præſtitum fuiſſe, ut nihil inordinatum, nihil
“ irreligioſum accidiſſet, dum Apoſtolicas ſuas in ſimili Forma Brevis Literas ſuper Indulgentia, ſeù Licentia,
“ & Facultate hujuſmodi, perpetuis futuris Temporibus valiturâ, dare meditabatur, Viam univerſæ Carnis
“ ingreſſus fuit. Eapropter Exponentes præfatæ Nobis pariter humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis
“ opportunè providere, &, ut infrà, de Benignitate Apoſtolica indulgere dignaremur. Nos itaque, qui
“ quantum eidem Benedicto Prædeceſſori debeamus, & quanti ipſum faciamus benè quidem intelligimus, ac
“ Exponentes præfatas ſpecialibus Gratiarum, nunquam tamen pro Exemplo adducendarum, Favoribus,
“ proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, & Interdicti, alijſque
“ Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione vel Cauſâ latis,
“ ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum,
“ harum Serie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, ipſis modernis ac pro Tempore exiſtentibus Monialibus
“ profeſſis, Novitijs, Educandis, Converſis, alijſque in Monaſterio hujuſmodi degentibus, ut ſemel
“ in Anno in perpetuum è Monaſterio præfato egredi, & ad Eccleſiam S. Sixti Veteris accedere, ibique
“ defunctis Conſororibus ſuis ea Suffragiorum Officia, quæ juxtà datam tibi à Domino Prudentiam
“ præſtari judicaveris, perſolvere poſſint, & valeant, Tenore præſentium Apoſtolica Auctoritate concedimus,
“ & indulgemus. Verùm ut hæc omnia ritè, & Ordine fiant, Tibi, & pro Tempore exiſtenti Superiori
“ Monaſterij hujuſmodi, unà cum duobus Confeſſarijs dicti Monaſterij pro Tempore etiam exiſtentibus,
“ diſtrictè præcipimus, & mandamus, ut Facultatem hujuſmodi non aliter exercere ſinatis,
“ quàm ut præmittitur, & ut infrâ præſcribimus. Nimirùm ut cùm Die per Te dictâ, ac dicendâ egredientur
“ è Monaſterio præfato, à Te, vel tuo Succeſſore, & ab Ordinarijs duobus earundem Monialium
“ Confeſſarijs, atque etiam à moderno, & pro Tempore exiſtente Generali Ordinis præfati Magiſtro, quatenùs
“ voluerit, (dummodò non plus quàm Quatuor, nec minores quàm Tres exiſtatis) ſocientur.
“ Exeant verò nonniſi ad Ortum Solis, ad Occaſum autem intrà dicti Monaſterij Sanctorum Dominici &
“ Sixti Clauſuram reperiantur. Exeuntes præterea Baſilicas S. Petri Principis Apoſtolorum de Urbe primùm,
“ deindè S. Mariæ Majoris, tertiò S. Joannis in Laterano, demùm dictam Eccleſiam S. Sixti
“ Veteris recto Tramite, & per Viam à Te indicandam hoc Ordine inviſendas, obductis Curruum Velarijs,
“ vulgò Bandinelle, petant, Velum antè Faciem demiſſum deferant: Revertentes eodem Ordine,
“ ſed per Viam à Te pariter indicandam proprium Monaſterium repetant. Cætera verò quæ Occaſione
“ Exitûs, Reditûſque hujuſmodi, & Moræ in Pietatis Officijs perſolvendis, alijſque omnibus peragendis
“ in Eccleſia & Monaſterio præfatis S. Sixti Veteris faciendæ, neceſſariò ſtatuenda eſſe corum Deo exiſtimaveris,
“ ità ad tuum Arbitrium ſtatuas, ordines, ac diſponas, ut non Hominibus, ſed uni Deo placere
“ ſatagens, ab eodem Mercedem conſequaris. Poſtquàm autem omnia, ut præmittitur, ſtatuta, ordinata,
“ ac diſpoſita primâ Vice probaveris ritè, ac ſanctè, & ſine religioſæ regulariſque Diſciplinæ Detrimento,
“ & ſine Populi Offenſione proceſſiſſe, ità imposterùm ſemper ſervanda, ac cuſtodienda præſcribas,
“ cures, atque præcipias. Porrò ſi Superior, ſivè Confeſſarij, ſivè Moniales quæcunque, etiam
“ Prioriſſa pro Tempore, exiſtentes aliter hoc in Negotio, quàm ſivè per Noſipſos Tenore præſentium,
“ ſivè per Te præſcriptum præceptumque fuerit, fecerint, quilibet eorum, aut quælibet earum ſubjiciatur
“ Pænis ad Arbitrium Magiſtri Generalis Ordinis pro Tempore exiſtentis duntaxàt imponendis & laxandis.
“ Denique quemadmodùm perſuaſum habemus, Te in præmiſſis omnibus ità geſturum eſſe, ut præclaram,
“ quæ de tua Sapientia, ac Religionis Zelo, Nobis in eſt, Opinionem magis magiſque augere contendas,
“ ità Te, quàm paternâ Charitate Monaſterium ante dictum proſequamur, facilè intellecturum
“ eſſe non dubitamus, ex hoc ipſo Apoſtolicæ Benignitatis, & Providentiæ Judicio, quod firmum eſſe ac
“ perpetûò valere decernimus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Declarationibus Apoſtolicis, etiam
“ in Concilijs Generalibus de obſervanda Clauſura editis, & ſpecialiter innovatis, & confirmatis, quibus

“ ad

" ad Effectum præſentium aliàs in ſuo Robore permanſuris, hac Vice duntaxàt derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Ac Tibi, dilecte Fili, Apoſtolicam Benedictionem impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris XV Menſis Septembris MDCCXLI. Pontificatûs noſtri Anno Secundo.

" DOMINICUS CARDINALIS PASSIONÆUS."

TANDEM Anno 1747 idem indulſit Pontifex, ut non ſemel duntaxàt ſed bis quotannis ad Eccleſiam & Cænobium noſtrum *S. Sixti Veteris* (ut vocant, ut ſic ſecernatur à Monialium Eccleſia *S. Sixti*) accederent, & quidem Diplomate ſequenti, cujus Autographum apud eaſdem Moniales item aſſervatur.

" Dilecto Filio Alexandro-Pio Saoli, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, in S. Theologia Magiſtro, ac Generali Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, contrà hæreticam Pravitatem Generalium Inquiſitorum, Commiſſario.

BENEDICTUS Papa XIV.

" Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Exponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Chriſto Filiæ Prioriſſa, & Moniales Monaſterij ſub Invocatione Sanctorum Dominici & Sixti de Urbe, Ordinis ejuſdem S. Dominici, quod ipſæ aliàs per quaſdam noſtras in ſimili Forma Brevis Die xv Septembris MDCCXLI expeditas Literas, ſub certis Modo & Forma tunc expreſſis, ſibi concedi obtinuerunt, ut tam ipſæ Exponentes, quâm Novitiæ, Educandæ, Converſæ, aliæque Perſonæ in dicto Monaſterio pro Tempore degentes, ſemel in quolibet Anno in perpetuum e dicto Monaſterio egredi, & ad Eccleſiam S. Sixti Veteris nuncupati accedere, ibique defunctis Conſororibus ſuis ea Suffragiorum Officia, quæ tunc exiſtens Commiſſarius Generalis Congregationis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, contrà hæreticam Pravitatem Generalium Inquiſitorum, juxtà datam ſibi à Domino Prudentiam præſtari judicaſſet, perſolvere poſſent, & valerent, & aliàs prout in dictis noſtris Literis, quarum Tenorem præſentibus pro expreſſis haberi volumus, pleniùs continetur. Cùm autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, dictæ Exponentes Licentiam egrediendi ſemel in Anno e dicto Monaſterio, ut præfertur, conceſſam per Nos ampliari ſummoperè deſiderent: Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſas Exponentes ſpecialibus Favoribus, & Gratijs proſequi volentes, & earum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Tibi, ac pro Tempore exiſtenti ejuſdem Monaſterij Superiori per præſentes committimus, & mandamus, ut eiſdem Exponentibus Licentiam egrediendi e dicto Monaſterio ſemel in Anno, & accedendi ad Eccleſiam S. Sixti Veteris, ut præfertur, a Nobis conceſſam, ad aliam Vicem pariter in Anno, ſervatâ tamen in reliquis præteritarum noſtrarum Literarum Formâ, & Diſpoſitione, Auctoritate noſtrâ Apoſtolicâ amplias, concedas, & indulgeas. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac Monaſterij, & Ordinis hujuſmodi, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: Quibus omnibus, & ſingulis illorum Tenores præſentibus pro plenè & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum inſertis habentes, illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum, hac Vice duntaxàt, ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xx Februarij MDCCXLVII. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

" Pro Domino Cardinali Paſſionæo,
" JOANNES FLORUS SUBSTITUTUS."

XIII. UT autem eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio, utque continenti Ordine, ut par eſt, procedam; quandoquidem ex Monialium Tranſlatione, Anno 1575, ut præmittitur, peractâ, Eccleſia *S. Sixti* quaſi deſerta, ut Verbis utar ejuſdem Bullæ *Clementinæ*, ità remaneret, ut divinus Cultus, & Eccleſiaſtica Officia raro in ea celebrarentur (quippè nonniſi certis Anni Temporibus, & Diebus, Patres Conventûs *S. Sabinæ* divina Officia, & Miſſas celebrabant, indè Scuta Centum ſingulis Annis percipientes, ut Diploma refert *Clementinum*) atque ipſius Monaſterij Ædificium diuturnâ Monialium Incuriâ & Negligentia collabaretur, hinc *Clemens* Papa VIII Vigore

dictæ

dictæ Bullæ eandem Eccleſiam & Cænobium conceſſit Rmo Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum *P. Hieronymo Xavierre* (poſtmodum S. R. E. Preſbytero Cardinali S. *Sixti*) pro Fratrum ſuo Habitatione. Ad iſtum porrò Effectum Cænobium reſtauravit idem Magiſter Generalis; ſed plus fecit Rmus hujus Succeſſor *P. Seraphinus Siccus*, Papienſis, qui etiam Sex ædificavit Cameras cum ſua Aula, ſivè Anti-Camera, ut vocant, ſuprà Domum Capitularem, in qua Domo Capitulari ſub ipſius Imagine extat Lapis marmoreus cum hac Inſcriptione:

MEMORIÆ
Fr. Seraphini Sicci, Papienſis,
Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum LIIII,
Inflexibilis Conſtantiæ Viri,
Qui Italiâm, Hiſpaniam, Galliam
viſitavit,
Comitia Generalia Romæ, Bononiæ,
Ulyſſipone, Mediolani, Toloſæ
celebravit,
Has S. Sixti Ædes,
Manſione, & Miraculis Sanctiſſimi P. Dominici illuſtres,
reparavit,
Ordinem ſummâ Integritate rexit
Annos XVI, *Menſes* III, *Dies* XV.
Obijt juxtâ Avenionem Octavo Kal. Octobris
Anno MDCXXVIII, *Peregrinationis ſuæ* LXVI.

Hujus etiam Magiſtri Generalis adeſt Teſſera Gentilitia in Teſtudine Atrij Refectorij, & infrà illam ſequentia legere eſt Verba:

Fr. Seraphinus Siccus,
Papienſis,
Magiſter Generalis
Ordinis Prædicatorum,
Reſtauravit A. D. MDCXIX.

Adest alia ejuſdem Teſſera Gentilitia in Teſtudine ipſiuſmet Refectorij cum Verbis ſequentibus:

Fr. Seraphinus Siccus,
Papienſis,
Magiſter Ordinis.

XIV. Cænobium hoc fuit pluries, expoſcente ſcilicet Neceſſitate, reſtauratum à varijs Benefactoribus, duobus præſertim Magiſtris Generalibus *Xavierre*, & *Sicco*, jam laudatis, atque à Rmo *Nicolao Ridulpo*, horum immediato Succeſſore, qui ibi habitabat, in prælibatis nempè Cameris, à Rmo *Sicco* extructis. Juxtà aquilonarem magni Dormitorij Extremitatem aderat Orientem versùs Structura, quam vidi è Regione Carcerum, continens Cameras, Temporibus iſtis Procuratori Generali Ordinis, atque Socijs Magiſtri Generalis deſervientes, ſed quandoquidem Ruinam totalem indiès minarentur, nulluſque eſſet ampliùs earum Uſus, niſi pro Calefactione Patrum poſt Prandium, & Cænam, Cænulamve, hyemali Tempore, eapropter in Cænobij Reſtauratione à *Benedicto* XIII, ut infrà dicetur, factâ, funditùs ſubverſæ fuere Anno 1727. Cameras tamen Magiſtri Generalis refecit decoravitque laudatus Pontifex pro Habitatione propria Bacchanalium Tempore, ut infrà etiam narrabitur.

Neque abs Re erit obiter referre, Partem Anni Probationis tranſegiſſe, atque ſolemnem emiſiſſe Profeſſionem in Cænobio hoc, Anno 1646, Magni Nominis Religioſum Fr. *Philippum-Thomam*

Thomam Howardum, è Ducibus *Norfolciæ*, Natione *Anglum*, poſteà S. R E. Cardinalem, ut alibi operoſiùs narrabitur (*i*); atque, paucos exindè poſt Annos, Romanum Pontificem *Alexandrum* VII, deſignantem, & deputantem pro Novitiatibus Conventus in ſingulis *Italiæ* Provincijs, & Congregationibus, diſertè nominaſſe *pro Ordine in communi Conventum S. Sixti Romæ*, & non alium, ut in ipſiſmet legere eſt Literis Apoſtolicis, Die 11 Maij 1655 datis, & in *Bullario Ordinis Prædicatorum* videndis (*k*).

Plura item Beneficia Cænobio huic præſtitit Rmus nunquàm delendæ Memoriæ *Antoninus Cloche*, ut ſequens indicat Inſcriptio, quam legere eſt ſub ipſius Teſſera Gentilitia ſuprà Portam Domûs Novitiorum:

Reverendiſſimo Patri
Fr. Antonino Cloche, Gallo,
Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro,
Qui Capitulum penè collapſum
Ad priſtinum Decus reſtituit;
Refectorium, ejuſque Atrium,
Novis Menſis, & Sedibus adornavit;
Eccleſiæ, ac Conventûs Tecta
ſæpiùs refecit,
In novam Clauſtri Reparationem
Haud parvas Expenſas contulit;
Et multa alia præclara Beneficia
Huic Cænobio præſtitit;
Et demùm hunc Novitiatum,
Habitationi Novitiorum nimis incommodum,
Novâ extructâ Teſtudine, Cellis ex Parte refectis,
Novis Luminibus, & Novâ Porta adornatum,
Commodiſſimum reddidit.
PP. Hiberni hujus Conventûs
Grati Animi æternum poſuere Monumentum.
Anno Salutis MDCCXVI.
Et denuò
Idem Novitiatus, unà cum Eccleſia, & Conventu,
Ad nobiliorem Formam redactus eſt
A Sanctiſſimo Domino Benedicto Papa XIII,
Ordinis Prædicatorum,
Anno Domini MDCCXXVIII.

XV. Ex poſtremis hiſce ſubjunctis Verbis nullo Negotio colliges, *Benedictum* XIII, Pontificem Maximum, Eccleſiam hanc, atque Cænobium reſtauraſſe, ut inferiùs diſtinctè referam. Sed prætermittendum non eſt impræſentiarùm, in Ingreſſu Baſilicæ per Portam Lateralem extare ad Manum ſiniſtram in Pariete antiquiſſimam Tabulam marmoream, quæ ſequentem exhibet Inſcriptionem, Literis Longobardicis, ſeù Gothicis, exaratam:

In hac Baſilica requieſcunt Corpora SS. *Mart. Imprimis B.*
Sixti Papæ, Felicis Papæ, Zepheryni Papæ, Antheros Papæ, Lucij
Papæ, Sotheris Papæ, Luciani Epiſcopi, & Sotheris, Calocerij,
& Parthenij, Julij Epiſcopi, & Lucij Epiſcopi, Maximi Martyris.

In Medio Pavimenti Eccleſiæ adeſt Lapis marmoreus Sepulchralis inciſum exhibens in ſuperiori Parte Teſſeram Gentis Hibernicæ *Euſtachianæ* (*l*), in Parte verò inferiori ſequens Epitaphium:

D. O. M.

(*i*) Cap. xv. Num. xx.

(*k*) Tom. vi. Pag. 178.

(*l*) Confer Cap. ix. §. xxviii. Num. ii. Lit. g, Pag. 293.

D. O. M.
Hic jacet
R. D. Jacobus Eustachius,
Aliàs Fitz-Eustace,
Sacerdos,
Ex Familia S. *Eustachij Romani Martyris,*
In Hibernia à Sexcentis circiter Annis
stabilitâ.
Obijt v Februarij
MDCCXII.

XVI. Jam Tempus est, ut ad *Benedicti* Papæ XIII, Ecclesiæ, ac Conventus *S. Sixti* Reparatoris præcipui, Tempora veniamus. De hujus Sanctissimi Viri, Genere *Romani*, qui, ex quo Ducatum *Gravinæ* in Regno *Neapolitano*, ad eum Jure Primogenituræ spectantem, Sæculumque sub Religionis Amore relinquens, Claustra ingressus est Familiæ Dominicanæ (à quibus posteà ægerrimè fuit avulsus per Promotionem ad Sacram Purpuram), ad extremam usque Vitæ Periodum, Virtutum omnium, profundissimæ nominatim Humilitatis, Exemplar se præbuit; de hujus, inquam, præclarissimi Pontificis, Re, & Nomine BENEDICTI, Vitâ, Rebusque gestis, pauca hic Loci dicam, nisi quæ nostros *SS. Sixti*, & *Clementis* Ecclesias, & Cænobia concernunt.

Igitur in Ordine nostro erat Fr. *Vincentius-Maria Ursinus*, Provinciæ *Utriusque Lombardiæ* Alumnus, & Viginti Tres habens Annos Ætatis, dùm *Brixiensis* Conventûs Lector Philosophiæ, *Bononiæ* Actu versaretur, creatus fuit à *Clemente* X Presbyter Cardinalis Tituli nostri *S. Sixti* Anno 1672, quam tamen Dignitatem, ut obiter dicam, acceptare omninò renuit, donec ad ipsum expresè missus Magister Ordinis *Joannes-Thomas de Roccaberti* cum Apostolico Brevi (*m*), eum *Bononiâ* ad Summi Pontificis Pedes adduxerit, quando, multis de non acceptanda Dignitate expositis, tandem, Obedientiâ impellente, purpureo Bireto invitum Caput supposuit. Titulum porrò *S. Sixti* constanter retinuit per viginti novem Annorum Seriem, à prælibato nimirùm Anno 1672 ad 1701, quo factus fuit Episcopus *Tusculanus* (*n*), tunc quippè Presbyteri Cardinalis Titulum, ut Juris est (*o*), dimisit.

Anno 1724 in Urbe aderam, quando illuxit tandem felix faustusque Dies, quo lætiorem vix *Roma* vidit, quem excipiet Honor æternus Annalium, cujus sera Posteritas memor erit, celeberrimus nempè Vigesimus Nonus Maij, quo Cardinalis noster *Ursinus*, præter ipsius Voluntatem, in Apostolorum Principis Cathedra, cunctis mirantibus, & plaudentibus, divino planè Munere, flens ipse, ejulans, & repugnans, collocatus fuit, ut alibi uberiùs referebam (*p*). Vidi insuper, ut obiter dicam, eundem præclarissimum Pontificem Die 4 Junij, concurrente Dominicâ Pentecostes, in Basilica Vaticana Ritu Solemni coronatum; atque Die 24 Septembris, quæ Dominica quoque erat, Equo incedentem maximo cum Comitatu ad *Lateranensis* Basilicæ, omnium Ecclesiarum Urbis & Orbis Matris, & Capitis, Possessionem, ut Moris est, accipiendam; atque etiam Die 24 Decembris, in Vigilia Natalis Domini, aperientem Portam Sanctam, ut vocant, Basilicæ *Vaticanæ*, pro Inchoatione Anni Jubilæi in Urbe; demùmque, elapso exindè integro Anno, in subsequentis Natalis Domini Vigilia, eandem Portam, pro Termino Jubilæi in Urbe, claudentem.

Porro ad Summi Pontificatûs Apicem evectus, crebrò venire dignabatur ipsissimo Anno 1724 ad Ecclesiam, & Cænobium *S. Sixti*, sicut & ad Ecclesiam, & Cænobium *S. Clementis*, ut suo

Loco

(*m*) Legitur in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 518.

(*n*) *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 518.

(*o*) Quoties Cardinalis aliquis de *Ordine Presbyterorum* quempiam ex Sex Episcopatibus Romano Pontifici, quâ Metropolitæ, immediate subjectis, *Ostiensi* nimirùm, *Portuensi*, *Albanensi*, *Prænestino*, *Sabinensi*, & *Tusculano*, in Consistorio *optat*, tunc simul Titulum *dimittit* Presbyteri Cardinalis. Fuit autem posteà, Anno nempe 1715, Cardinalis noster *Ursinus* ad *Portuensem* Ecclesiam translatus, ut liquet ex superius dictis Cap. viii. Num. xi. Pag. 162, & ex *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 520.

(*p*) Cap. viii. Num. xi. Pag. 162.

Loco dicetur (*q*). Annoque ſequenti, 1725, Picturas omnes in Domo Capitulari *S. Sixti*, præ Humiditate Loci jam fædatas, repingi fecit, erigens inſimul ibidem Altare marmoreum, quod & prælibato Anno conſecravit. Undè ſequens in eodem Altari Inſcriptio :

Benedictus XIII, Ordinis Prædicatorum, Altare hoc
erexit, & conſecravit Die xxi Octobris MDCCXXV.

XVII. Observatu digniſſimum eſt, quod Anno 1725, Die 6 Auguſti, *S. Sixto* ſacrâ, dum inter alias Domûs Capitularis Picturas illam intueretur Sanctiſſimus Pontifex, quæ repræſentat *Neapoleonem Urſinum*, Precibus S. *Dominici* eo in Loco a mortuis reſuſcitatum, ut ex jam anteà dictis conſtat (*r*), declaravit, me pronis Auribus auſcultante, Seipſum in Rerum Natura nunquàm fore, niſi iſtud perpetratum fuiſſet Miraculum, quatenùs ſcilicèt prælibatus *Neapoleon* unus erat è ſuis Majoribus, ſivè Aſcendentibus in Linea recta. *Neapeleon* quippè, poſtquàm Miraculo revixerat, genuit Filium, & hic alium, & ſic ſucceſſivè uſque ad Papam noſtrum *Benedictum*. Hìnc lepidè ſubjunxit quidam ex Circumſtantibus, SS. Patriarcham *Dominicum* tunc Temporis prævidiſſe, iſti Capitulari Domui, non minùs ac toti Cænobio, & Eccleſiæ, Reſtaurationem fore neceſſariam, propotereaque Vitam reſtituiſſe *Neapoleoni*, ut ab eodem rectâ Lineâ deſcendens Sanctitas Sua Reparationem moliretur.

Huc facit Annotatio I. Rmi noſtri *Antonini Bremond*, nunquàm ſine Laude nominandi, in Bullam = *Ligna Pomifera* = ab *Honorio* III, Die 17 Decembris 1219 datam (*s*), in qua cùm Sermo ſit de Eccleſia, & Cænobio *S. Sixti*, hæc ſcribit laudatus Auctor : “ Porrò, quot Miraculis celeberrimum illud Cænobium illuſtraverit Deus Optimus Maximus, Nemo neſcit. Cæteris, Brevitatis Causâ, Silentio prætermiſſis, illud unum commemorare non abs Re erit : Anno ſcilicet 1220, Die 24 Menſis Februarij, ut conſtat ex *Theodorico de Appoldia in Vita S. Dominici Lib. 2. Cap.* 6, & ex *S. Antonino Part.* 3. *Tit.* 23. *Cap.* 4. §. 7. Horâ Nonâ, More Gallorum, quæ Italis Quinta-decima eſt, *Neapoleonem Urſinum, qui jacuerat. . . mortuus a Mane uſque ad Horam nonam*, ut liquet, à S. Patriarcha Dominico eo in Cænobio Vitæ reſtitutum fuiſſe. Aderat Stephanus de Foſſa Nova, Tituli Duodecim Apoſtolorum Preſbyter Cardinalis, Neapoleonis Patruus, & tantum Beneficium gratâ Memoriâ proſequens, aliquanto poſt annuo Reditu Monaſterium S. Sixti donauit (*t*), ut ex certiſſimis Auctoribus dicetur infrà Annotatione VIII in Bullam = *Sacroſancta* = datam 1 Martij Anno 1224. Ex eodem Neapoleone oriundus Benedictus Papa XIII, feliciter regnans, Ordinis Prædicatorum, cùm nihil ſecundùm Deum prius, & antiquius habuit, quàm ut germanam æmuletur Pietatem Majorum ſuorum, ejuſdem Beneficij gratus, & memor, Ædes Sacras, Cœnobiumque S. Sixti, Vetuſtate labantia, ſic hiſce nunquàm ſatis laudandi Pontificatûs ſui fauſtiſſimis Diebus refecit, ut non Reparatorem modò, ſed penè Fundatorem illius Domus meritò ipſum dixeris.”

XVIII. A Menſe Decembri 1726 ad Menſem Septembris 1727 reſtaurabat *Benedictus* Papa XIII Eccleſiam *S. Sixti*, & quidem magnis Sumptibus. Novum quippè ex integro factum eſt Tectum, novum Pavimentum, nova *Stoccatura*, ut vocant, binum Frontiſpicium, Altaria Quinque marmorea, aliaque id Genus Ædes Sacras integrantia. Sacriſtiam inſuper, ac Campanariam Turrim refecit. Et cùm in prælibata Campanaria Turri anteà non eſſent niſi Scalæ ligneæ, Vetuſtate jam jam labentes, in ea Scalam lapideam Formæ teſtudineæ, ultrà centum Gradus complectentem, excitavit.

Omnibus autem pro Ædium ſic reſtauratarum Conſecratione paratis, Die 13 Septembris 1727 acceſſit Sanctiſſimus Pontifex poſt Prandium ad Cænobium *S. Sixti*, & in Domo Capitulari quaſdam præparavit SS. Reliquias, ſequenti Die in Majori Baſilicæ Altari, ut Moris eſt, collocandas, brevemque deſuper Sermonem ad Fratres, alioſque adſtantes habuit.

Subsequenti Die, Exaltationi S. Crucis ſacrâ, quæ & Dominica erat, reverſus Papa eandem Eccleſiam, ſimul cum Altari Majori, ſolemni Ritu conſecravit, Sermone per mediam circiter Horam interpoſitô, adſtantibus Eminentiſſimo noſtro Cardinali Fr. *Auguſtino Pipia*, hujus Eccleſiæ Titulari (*u*), Illuſtriſſimo D. *Philippo Anaſtaſio*, Patriarchâ *Antiocheno*, Illuſtriſſimis pariter

D d d Archie-

(*q*) §. præs. Num. xxxviii.

(*r*) Num. x. hujus §. Pag. 376.

(*s*) Legitur in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 8.

(*t*) Id conſtat ex jam dictis Num. xii. Pag. 378.

(*u*) Conſulendum Cap. viii. Num. xii, & ſeq, à Pag. 163.

Archiepiſcopis, Epiſcopiſque quamplurimis, Rmo Magiſtro Ordinis Fr. *Thomâ Ripoll*, & Socijs, univerſiſque fermè Patribus *Minervitanis* (ut nihil dicam de noſtris), qui peractâ Cæremoniâ Sacrâ, ultrà quinque Horas protractâ, Solemnem decantarunt Miſſam in Choro inferiori, aſſiſtentibus ibidem Summo Pontifice, Cardinali, Prælatiſque recenſitis, celebrante verò Illuſtriſſimo *Hyacintho Chiurliâ*, Ordinis noſtri, Epiſcopo *Juvenacenſi*, vulgò *Giovenazzo*, in Regno *Neapolitano* (*w*).

RELIQUA autem Quatuor Altaria duobus Diebus diverſis Menſis Octobris proximè ſequentis, ſolemni pariter Ritu ſacravit idem *Benedictus* Papa, ut indicat Tabula marmorea in Eccleſiæ hujus Pariete juxtà Aram Majorem ad Cornu Evangelij, in hunc Modum:

Eccleſiam hanc,
Divi Patriarchæ Dominici
Miraculis, ac Prædicatione clariſſimam,
Vetuſtate jam jam dilabentem,
Ex integro nunc ferè ſuffultam,
Formæque huic recenti venuſtæque reſtitutam,
Unà cum Ara Principe Die xiv Septembris,
Ariſque duabus hanc propè ſiſtentibus
Die 11 *Octobris,*
Duabuſque alijs in inferiore Parte excitatis
Die iv ejuſdem,
Anno Dom. MDCCXXVII
Solemni Ritu ſacravit
Benedictus Papa XIII. Ord. Præd.
Pontificatûs Sui *Anno iv.*

ADVERTENDUM porrò, quod quamquàm Baſilica hæc conſecrata fuerit Die 14 Septembris, eodemque Die per Biennium celebrata anniverſaria Dedicationis Feſtivitas, voluit tamen Pontifex, ordinavitque, me præſente, ut imposterùm eodem Die celebraretur, quo apud *S. Mariam Super Minervam*, Dominicâ nempè primâ poſt Octavam Paſchæ.

XIX. CIRCA Mediam Noctem Diei Mercurij, 26 Martij 1727, dum omnes Fratres (quorum unus ipſe fui) in Cellis ſuis cubarent, magna Pars Tecti, & Teſtudinis Dormitorij Majoris ad *S. Sixtum* propè Extremitatem Septentrionalem, duabus Vicibus cecidit. Illæſi omninò, & intacti, Deo favente, ſinguli manſere Fratres, etſi, qui in Cella, quæ nunc *Num. iv.* ſignatur, dormiebat, vix evaſerit. In primo ſiquidem Lapſu, uno, vel altero Lapide propè Lectum cadente, Timore perculſus ſurrexit, exivitque nedùm ex Cella, ſed & ex Dormitorio (cujus Porta ſuprà Scalam, Deo ſic diſponente, præter Conſuetudinem clauſa non erat), & ſtatim ac deſcendere inciperet Scalam, ſecundus ſecutus eſt Lapſus, quo Cellam ipſius Trabes, & Rudera impleverunt. In Craſtino ſequenti *Benedictus* Papa ab Urbe *Beneventum* diſceſſurus, Rem totam audivit in Collegio Pænitentiariorum *S. Mariæ Majoris* dùm Chocholatam ſumeret, dicereque non dubitavit, Fratres Miraculo S. Patris *Dominici* incolumes evaſiſſe. Atque tunc primùm de Cænobio inſtaurando poſt ſuum in Urbem Reditum cogitavit, juſſitque ut intereà Temporis collapſa Pars Tecti ſtatìm reficeretur.

IN Urbem redux Die 28 Maij, cùm Cænobium nedùm ex Parte collapſum eſſe, ſed & præ Vetuſtate totalem minari Ruinam videret, ſtatuit illud ex integro reſtaurare, quod iſto, & ſequenti Anno pleniſſimè executus eſt. Quippè adjuncto omni ex Parte novo Tecto, & ſervatâ in pleriſque (*x*) priori Formâ, ac Diſpoſitione, Domum redegit verè venuſtam, ità ut non Reparatorem modò, ſed penè Fundatorem illius meritò dixeris cum Rmo *Bremond*, nuper laudato (*y*). Sacriſtiam inſuper novâ Supellectili Sacrâ, & Bibliothecam novis Libris (z) decoravit, & auxit.

XX. Bened

(*w*) Videſis *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 434.

(*x*) Confer nuper dicta Num. xiv. Pag. 382.

(*y*) Num. xvii. Pag. præced.

(*z*) Huic etiam Bibliothecæ ultrà Centum ſelectos Libros donavit Anno 1734 Illuſtriſſimus D. *Thaddæus O-Mulrian*, Hibernus, in Exercitu *Caroli* VI Impe-

XX. **Benedictus** in toto ſuo Pontificatu ſæpiſſimè venire ſolebat ad *S. Sixtum*, Tempore autem Fabricæ, quæ duobus fermè integris Annis, nempe 1727, & 1728, durabat, ſemel ad minus in unaquaque Hebdomada. Annique proximè memorati, nimirùm 1728, Die 12 Decembris, unum, ut obiter dicam, è noſtris Lectoribus, Patrem nempè Fr. *Michaelem Mac-Donogh*, Colranenſem, Epiſcopum *Kilmorenſem*, conſecravit, ut ſuo Loco fuſiùs dicetur (*a*). Tandem per decem Dies continuos Bacchanalium, ſcilicet à Dominica Sexageſimæ, 20 Februarij, ad Diem Cinerum, 2 Martij, Anni 1729, in hoc Cænobio habitavit, Exercitijs vacans Spiritualibus, quo Tempore Fratres *Hibernos* noſtros (me præſertìm immeritum) paternis, affabilibus, humillimiſque honorabat Colloquijs; cum illis in Choro tàm diurno quàm nocturno (*b*), & Refectorio aſſiduus erat; ſemelque, ſcilicet Feria tertia poſt Quinquageſimam, Diſciplinam juxtà Morem Ordinis poſt Litanias Sanctorum, Stupendum Humilitatis Exemplum Poſteritati præbens, cum alijs Fratribus, à communi Hebdomadario, P. *Michaele Mac-Donogh*, Ballindunenſi, Studente Theologo (qui Anno 1734 Miſſionarius obijt in *America*) recepit. Aderat eodem Tempore in Choro Rmus Magiſter Ordinis *Thomas Ripoll*, qui iſtis quoque Diebus ſæpè in Refectorio Nobiſcum prandebat.

Porro Obſervatu dignum eſt, Regularis Inſtituti obſervantiſſimum Pontificem, nunquàm ſine Laude nominandum, in Refectorio haberi voluiſſe veluti unum ex Fratribus. Hìnc, ad evitandam omnem Diſtinctionem, Scutellas, & Pictantias, ut vocant, Manibus proprijs recipiebat de Aſſere, per Fratrem Servitorem circuientem deportato, quinimmò non id quod propriùs erat eligebat, ne lautum aliquod contineret. Cæterùm nihil prorsùs Vini bibebat, ſed Aquam duntaxàt Nive vix non congelatam.

XXI. **Neque** pro inexplicabili ſuo Zelo ceſſare potuit Vir planè Apoſtolici Pectoris à Re Pontificali. Enimverò Die Martis, 22 Februarij, Tres in Domo Capitulari ordinavit Preſbyteros, nempè D. *Joannem-Baptiſtam Arnaldum*, Neo-Archipreſbyterum S. *Euſtachij* Urbis, & Eminentiſſimo Cardinali D. *Renato-Joſepho Imperiali*, Regni *Hiberniæ* Protectori, à Secretis; D. *Joannem Sharp*, Scotum, olim apud *Proteſtantes* Miniſtellum; & quendam P. Minorem Capuccinum.

Item Die Jovis, 24 prælibati Menſis Februarij, *Divo Matthæo* Apoſtolo ſacrâ, Illuſtriſſimum D. *Joannem Ridulphum* è Comitibus *de Sporck*, Bohemum, *Amati* Epiſcopum *in Partibus*, ut vocant, conſecravit in Eccleſia *S. Sixti*, eâque peractâ Functione, Quatuor Miracula *Beati Fidelis à Stamaringa*, Martyris, Ordinis Minorum Capuccinorum, in Forma authentica recognovit.

Item Die Dominica, 27 ejuſdem Menſis Februarij, in memorata *S. Sixti* Eccleſia, *Carpaſiæ* Epiſcopum, *in Partibus* etiam, conſecravit Illuſtriſſimum D. *Nicolaum-Franciſcum Bonhome*, Gallo-Flandrum.

Demum Die Martis, 1 Martij, D. *Thomæ Proby*, Hiberno, olim *Proteſtanti*, atque in Acatholico *Hiberniæ* Exercitu ſub *Georgio* I Centurioni, vulgò *Capitaneo*, Primam Clericalem Tonſuram in Domo Capitulari contulit.

Imperatoris Major Generalis, ut vocant, *Romæ* tunc exiſtens, qui paulò poſt redux ex Bello Turcico obijt *Albæ Græcæ*, legatâ huic Cænobio ſupremis Tabulis haud exiguâ Pecuniæ Summâ, quam ipſe ejuſdem Cænobij Præſidens recepi Anno 1739, ejuſque Nomen in præliminaribus ſingulorum Librorum Folijs ſcripſi. Eruditus doctuſque iſte Miles, Rebus præclarè geſtis, & Virtutum Splendore celeberrimus, Quindecim circiter callebat Idiomata, ut in uno ex memoratis Libris, de *Capuæ* Antiquitatibus tractante, diſertè traditur.

(*a*) Cap. xiii. Num. lxxvii.

(*b*) Voluit omninò Pontifex, quod Fratres Cappas (recole Cap. ii. Num. iv. Lit. l. Pag. 36.) induti non eſſent in Choro, ſivè nocturno, ſivè diurno, diſerteque exemit Conventum hunc à Lege Ordinis id præſcribente à Die Animarum ad Paſcha. Fratres item noſtros edocuit, Cæremoniarum eccleſiaſticarum peritiſſimus, ne genuflectant, ſed ſtent, ad Elevationem Sacroſanctæ Hoſtiæ dùm divinum Officium choraliter perſolvunt, niſi Miſſa ſit Conventualis, ſeù Solemnis, ſeù de Feria, quam ex Præſcripto Legum audire tenentur Fratres, in Choro verſantes. Voluit inſuper, ut Die 25 Februarij, in Feſto S. *Felicis* III, Papæ & Confeſſoris, recitarentur Oratio, & Lectiones ut in Proprio Sanctorum Baſilicæ *Lateranenſis*.

HORUM porrò omnium, atque plurium aliorum Teſtis oculatus fui. Illis ſiquidem fauſtiſſimis Diebus de ſpeciali Pontificis Mandato ipſi tùm in Miſſa (quam utique legebat juxtà Ritum Ordinis Prædicatorum, niſi dùm in Pontificalibus celebraret) tùm in Orationibus ſuis privatis, Meditationibus, Librorum præſertim Aſceticorum Lectionibus &c, imprætermiſsè aſſiſtebam, id propterea Felicitatis habens, ut Sanctitati Suæ ab ipſius Expergefactione ſummo Mane uſque ad Somnum Meridianum, ac dein ad Nocturnum, nunquàm abfuiſſem, niſi quandò ſub Horis Veſpertinis me, reliquoſque Clericos Profeſſos, Juveneſque Studentes, in Rhedis miſit ad Ludus Scenicos, in Collegijs Urbis Bacchanalium Tempore peragi ſolitos, bis quidem in Collegio noſtro *Minervitano* (*c*), ſemel in Collegio *Clementino*, ſemelque in *Nazareno*. Atque, ob iſtum ipſi præſtitum Famulatum, Sanctitas Sua peculiarem in Modum me commendatum voluit Rmo Magiſtro Ordinis *Ripoll*, qui eo Intuitu (gratus obiter refero) me exindè Favore paterno ſpeciali cohoneſtare dignatus eſt uſque ad Annum 1742, quo, Magiſter S. Theologiæ ab eo laureatus, ab Urbe diſceſſi.

DISCESSIT à Conventu *S. Sixti* Humaniſſimus Pontifex Die Cinerum, 2 Martij, ad Portam Cænobij ultrò declarans, ſe de Fratribus noſtris plenè contentum, quibus propterea, omnibuſque, & ſingulis eorum Conſanguineis, atque Affinibus uſque ad tertium Gradum incluſivè, Indulgentiam Plenariam, in Mortis Articulo lucrandam, benignè conceſſit. Mihi inſuper (abſit Vanitas Verbo) Nocte antecedenti Roſarium, ut vocant, Quinque Decadum cum Nummiſmate ſatis pretioſo Manu propriâ donavit *cum Indulgentijs omnibus*, inquit, *ſimili Rei Sacræ unquam impertitis*, quod etiamnùm penes me habeo, & uſque ad ultimam Vitæ Periodum in Memoriam tanti Viri, aureis Eccleſiæ Sæculis digni, habere conabor.

STATUIT accedere ſecundò ad hoc *S. Sixti* Cænobium Pijſſimus Pontifex, Exercitijs Spiritualibus vacandi Gratiâ, Diebus Bacchanalium Anni ſequentis 1730, eundem Morem deinceps ſervaturus. At proh Dolor! fatali Ægritudine impeditus fuit, Diemque clauſit extremum Die 21 Februarij prælibati Anni 1730.

XXII. EMINENTISSIMUM D. *Ludovicum-Antonium* Cardinalem *de Noailles*, Archipræſulem *Pariſienſem*, per Quindecim Annorum Seriem Apoſtolicæ Conſtitutioni, *Unigenitus* exordienti, ſubſcribere detrectantem, ad meliorem tandem Frugem redegit *Benedictus* noſter XIII, ut Lippis, & Tonſoribus notum eſt. Ut autem Sapientiſſimus Pontifex, qui Cardinalem tanquàm Filium Prodigum Literis verè paternis amplexus fuerat, ſuum ea de Re Gaudium propalaret, ipſum Cardinalem, anteà Titularem S. *Mariæ Super Minervam*, ad Titulum *S. Sixti*, utpote antiquiorem (*d*), atque ab ipſomet Pontifice, dùm Cardinalis eſſet, ut præfertur (*e*), diù poſſeſſum, incunctanter in Conſiſtorio tranſtulit, Eminentiſſimum Cardinalem noſtrum *Auguſtinum Pipia*, Sardum, de iſto *S. Sixti* Titulo, quo ſub Initium Cardinalatûs decoratus fuerat (*f*), ad Titulum S. *Mariæ Super Minervam* viciſſim transferens.

CARDINALIS *de Noailles*, acceptâ hujuſmodi Notitiâ, Literas dedit ad Eminentiſſimum Cardinalem *Melchiorem de Polignac*, Archiepiſcopum *Auxitanum* in *Vaſconia*, Regis Chriſtianiſſimi apud S. Sedem Oratorem, ut Vice ſuâ novi ſui Tituli iniret Poſſeſſionem. Quocircà laudatus Cardinalis *de Polignac*, Die Dominica, 15 Maij 1729, magno cum Comitatu acceſſit ad *S. Sixtum*, ubi lecto Pontificio deſuper Diplomate, Poſſeſſionem hujus Tituli Nomine Cardinalis *de Noailles*, ut præfertur, accepit, dein Miſſam celebravit in Domo Capitulari, atque in Refectorio noſtro jentatus eſt.

POST Obitum Cardinalis *de Noailles*, Titulum hunc optaſſet Eminentiſſimus Ordinis noſtri Cardinalis *Vincentius-Ludovicus Gotti*, Bononienſis, Patriarcha *Hieroſolymitanus* (*g*), ut ab ipſomet,

---

(*c*) Euntibus eâ Occaſione ad *Minervam*, Mihi in Mandatis dedit Pontifex primâ Vice, ut Magiſtro Ordinis, ſecundâ verò, ut Priori *Minervitano*, pro Cæna Nos ſiſteremus, quod utique præſtitimus, & quidem felici Succeſſu, pro quo Urbaniſſimus Pontifex utrique, Magiſtro Generali ſignanter, me audiente, Grates rependere non eſt dedignatus.

(*d*) Eccleſia *S. Mariæ Super Minervam* erecta erat in Titulum Anno duntaxàt 1557 à *Paulo* IV, ut liquet ex *Actis Conſiſtorialibus*, & ex *Bullario Ordinis Prædicatorium*, Tom. v. Pag. 54.

(*e*) §. præs. Num. xvi. Pag. 384.

(*f*) Confer Cap. viii. Num. xii. Pag. 163.

(*g*) Modernus Patriarcha *Hieroſolymitanus* eſt Fr. *Thomas de Miranda*, Ordinis Prædicatorum, inſimul Archiepiſcopus *Meſſanenſis* in *Sicilia* Inſula.

ſomet audivi, ſi Eminentiſſimus *Franciſcus-Antonius Fini*, eo Senior Cardinalis, proindeque priorem in Conſiſtorio Vocem habens, illum prætermiſiſſet. Tandem autem hunc Titulum conſecutus eſt laudatus Cardinalis *Gottus*, qui inter accipiendam illius Poſſeſſionem Fratres ex Sede, ad hunc Effectum in Sacrario præparatâ, alloquens, inter alia, me audiente, ajebat, ſibi gratiſſimum eſſe Tituli hujus Cænobium ſpèctare ad Fratres *Hibernos* ſui Ordinis, quia quemadmodùm S. *Dominicus*, iſtius Domûs Fundator, *Albigenſes* debellavit Hæreticos, ità ejuſdem Conventûs Fratres, Studijs ibidem Philoſophicis, & Scholaſtico-Dogmaticis Operam dantes, contrà Hæreticos in *Hibernia* graſſantes Arma præparant (*b*).

Porro Doctiſſimus iſte Cardinalis, Orbi literario notiſſimus, meuſque ſingularis Patronus, Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt Die 17 Septembris 1742, ejuſque Cadaver, ut in Supremo juſſerat Teſtamento (de cujus Publicatione Teſtium ſubſcribentium ipſe unus fui) ad ſuum *S. Sixti* Titulum, unà cum Vaſe terreno, Præcordia ejus continente, tranſlatum, humili Loco juxtà Principem Aram tumulatum fuit, hac ſibi Sepulchrali Lapidi Inſcriptione deſignatâ:

Hic jacet
Fr. Vincentius-Ludovicus Gotti,
Bononienſis,
Ordinis Prædicatorum,
S. R. E. hujus Eccleſiæ Tituli
Preſbyter Cardinalis,
Expectans Carnis
Reſurrectionem.
Vixit Annos LXXVIII, *Dies xiii.*
Obijt xiv. Kal. Octob. MDCCXLII.

Vacavit poſtmodùm Titulus iſte integro Anno, ad Menſem nempè Septembris 1743, quo *Benedictus* Papa XIV Eminentiſſimum D. Fr. *Aloyſium-Mariam Lucini*, Mediolanenſem, anteà Commiſſarium Generalem *S. Officij* in Urbe, è Viginti Quatuor Cardinalibus, uno in Conſiſtorio creatis, unum, Titulo *S. Sixti* donavit.

Porro Eminentiſſimus *Lucinus* ex hac Vita migravit *Romæ* Die 17 Januarij 1745, in ſua *S. Sixti* Baſilica propè Eminentiſſimum *Gottum* ſepultus, ubi ſequens Sepulchralis Inſcriptio:

D. O. M.
Fr. Aloyſio-Mariæ Lucini, Mediolanenſi,
Ex Ordine Fratrum Prædicatorum,
Divinarum Humanarumque Scientiarum claro,
Novariæ Hæreticæ Pravitatis Inquiſitori,
A Clemente XI. Pont. Max. eodem Munere in Urbe
Generali Adminiſtro renunciato,
Atque à Benedicto XIV. Pont. Opt. Max.
Ob Probitatem ejus Pietatemque ſingularem
In Cardinalium Collegium cooptato,
Tituli S. Xyſti.
Vixit Annos LXXIX, *Menſes V, Dies xvii.*
Obijt xvi. Kal. Februarij, Ann. Sal. MDCCXLV.
Joſeph Lucatelli, Mediolanenſis, Romanæ Eccleſiæ Protonotarius,
Ac in Ferrarienſi Provincia Prolegatus,
Grati Animi Monumentum poſuit.

Modernus

(*b*) Adeas Cap. ii. Num. i. Pag. 34; Cap. vi. Num. xv. Pag, 120; & §. præs. Num. i. Pag. 368.

MODERNUS autem Titularis *S. Sixti* eſt Eminentiſſimus D. Fr. *Joſeph-Auguſtinus Orſi*, Florentinus, e Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici, ſimul cum Viginti & uno alijs Cardinalibus, à feliciter regnante Pontifice Clemente XIII Die 24 Septembris 1759 creatus. Sicque hocce elabente Sæculo Quinque fuere Ordinis noſtri Cardinales Tituli *S. Sixti*, ſcilicet *Orſini*, *Pipia*, *Gotti*, *Lucini*, & *Orſi* (*i*), quos omnes ipſe vidi, ſicut & alios duos ejuſdem Ordinis noſtri Purpuratos, Eminentiſſimos nempè *Gregorium Selleri*, Peruſinum, anteà S. Palatij Apoſtolici Magiſtrum, & *Carolum-Vincentium Ferrero*, Nicienſem, primò Epiſcopum *Alexandrinum* (*k*), non quidem Titulo *S. Sixti*, à memoratis, ut præmittitur, occupato, ſed alijs Titulis inſignitos.

De Baſilica (*l*), & Cænobio S. *Clementis* (*m*).

XXIII. Baſilica S. *Clementis* ad Radices Montis *Cælij* (*n*) Viâ *Lavicanâ* (*o*), olim paterna erat ipſius Domus, in quam S. *Barnabam* Apoſtolum, *Romam* profectum, à laudato *Clemente* exceptum fuiſſe, nonnulli ſcribunt (*p*). Neque deſunt Auctores apud *Philippum Rondininum* (*q*) aſſerentes, hanc Ædem ab ipſo *Clemente* in ſacrum Uſum converſam fuiſſe, & divino Obſequio mancipatam, quod tamen meo videri ità intelligi debet, ut S. *Clemens*, dùm Pontificatum *Romæ* adminiſtraret, in propria Domo divinum obtulerit Sacrificium, atque etiam, Perſecutione potiſſimùm debacchante, Fideles ad Sacras Sinaxes acceperit. Tandem autem aliquandò extinctâ ſub *Conſtantino Magno* Ethnicorum Tyrannide, inter illuſtria Martyribus primò extructa Ædificia Domum hanc Sacram ampliori Baſilicæ Formâ condecoratam fuiſſe, exiſtimat prælibatus *Rondininus*, cui Opinioni ſatis congruit S. *Hieronymi* in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* de *Clemente* Papa Teſtimonium: *Nominis ejus*, inquit, *Memoriam uſque hodie Romæ extructa Eccleſia* cuſtodit.

Inde

(*i*) Præter Quinque hujus Ævi recenſitos, Octo alij fuere Ordinis Prædicatorum Cardinales, Titulo *S. Sixti* decorati, nempè *Nicolaus Roſelli*, Majoricenſis, ab *Innocentio* VI, Anno 1356; Beatus *Joannes Dominici*, Florentinus, a *Gregorio* XII, 1408; *Joannes Caſanova*, Barchinonenſis, S. Palatij Magiſter, à *Martino* V, 1430; *Joannes de Turrecremata*, Hiſpanus, *Fidei Defenſor* appellatus, S. Palatij item Magiſter, ab *Eugenio* IV, 1439; *Thomas de Vio*, ex Patria vulgò nuncupatus *Cajetanus*, Magiſter Ordinis, à *Leone* X, 1517; *Nicolaus de Scombergo*, Suevus, Archiepiſcopus *Capuanus*, à *Paulo* III, 1535; *Joannes Alvarez*, de Toleto, Archiepiſcopus *Compoſtellanus*, ab eodem *Paulo* III, 1538; & *Hieronymus Xavierre*, Cæſarauguſtanus, Magiſter Ordinis, à *Paulo* V, 1607, creati.

(*k*) Videſis ſuperiùs dicta Cap. ii. Num. i, & ii. Lit. d. Pag. 34, & ſeq; ac inferiùs dicenda §. præs. Num. xl,

(*l*) Conſulendus Num. vi. §. præs. Lit. b. Pag. 372.

(*m*) *S. Clemens* noſter, Patriâ *Romanus*, à *S. Petro* baptizatus, & Diaconus ei aſſiſtens, dein Preſbyter, mox Epiſcopus ordinatus, Apoſtolorum Coadjutor fuit, & Diſcipulus, Quartuſque poſt SS. *Petrum*, *Linum*, & *Cletum*, & ſui Nominis Primus Romanus Pontifex, cujus meminit *S. Paulus* ad *Philippenſes* Cap. 4. v. 3. dicens: *Etiam rogo & te, germane Compar, adjuva illas, quæ mecum laboraverunt in Evangelio cum Clemente, & cæteris Adjutoribus meis, quorum Nomina ſunt in Libro Vitæ.* Vixit in Pontificatu Annos novem, Menſes ſex, Dies ſex. De eo Univerſalis Eccleſia Feſtum celebrat Die 23 Novembris.

(*n*) Unus eſt ſeptem Montium, ſivè Collium, quibus *Roma* conſtat, dicta propterea *Civitas Septicollis*.

(*o*) Via *Lavicana*, alijs *Labicana*, rectà ducit ab Amphitheatro *Flavij Veſpaſiani*, vulgò *Colloſſeo*, ad Baſilicam *S. Clementis*, dein ad Baſilicam SS. *Petri, & Marcellini*, poſteà ad Portam *Præneſtinam*, dictam *Majorem*, demùmque ad Oppidum, cui Nomen *Labicum*, nunc vernaculè dictum *Valmontone*, in *Campania Romana*, propè Civitatem *Præneſtinam*. Cæterùm à Tempore *Sixti* Papæ V alia eſt Via, juxtà quam modò eſt lateralis Porta Eccleſiæ, Via ſcilicet Magnifica illa, quam laudatus ſtravit Pontifex ab Amphitheatro ad *Lateranum*, quamque mediam intuemur inter prælibatam Viam *Lavicanam*, antiquiſſimamque Viam ab Amphitheatro ad SS. *Quatuor Coronatos*, dein ad *Lateranum*, ducentem.

(*p*) Scriptores iſti Facti hujus Traditionem vel ad antiquiſſimum ac truncum Lapidem referunt, qui, ùt monet *Pompejus Ugonius* in Libro *de Stationibus Urbis*, in ipſa S. *Clementis* Baſilica his Notis ſervatur: *Barnabas*. . . . . *tur*, cui Literas ſupplet *à Clemente hoſpitatur*, aut *excipitur*; vel ad Libros Recognitionum *Clementis* Nomine inſcriptos, in quibus Adventus *Barnabæ* Apoſtoli *Romam* apud *Clementem* fit Mentio. Adeas, ſi tibi per Otium liceat, *Rondininum* Pag. 7,

(*q*) Pag. 227.

Inde ſiquidem Baſilicæ S. *Clementis* antè S. *Hieronymi* (qui Anno 420 ad Superos evolavit) Ævum Vetuſtas nùllo Negotio conjici poteſt. Et ſanè eandem Structuræ Fotmam ex Parte in ijs adhuc intuemur Baſilicis *Romæ*, quæ *Conſtantini* Sæculo ædificatæ fuere, cum hoc tamen Diſcrimine, ut hanc S· *Clementis* Baſilicam inter venerabiliora Sacræ Antiquitatis Monumenta ſibi prædicet *Roma*, eaque hiſce quoque Diebus illius primæ Ætatis venerandam præſeferat Imaginem, & quidem præ reliquis Urbis Baſilicis, ut rectè notatur, in Tabula marmorea, Juſſu *Clementis* Papæ XI exſculptâ, atque inferiùs exhibendâ (*r*). Quod ſi Sermo ſit de Reſtauratione hujus Baſilicæ, primus omnium, qui eam reparavit fuit *Adrianus* Primus, Pontifex Maximus, *Carolo Magno* Imperatore, Anno 772, ut *Anaſtaſius* in ejus Vita teſtatur. *Tectum verò* (inquit) *Beati Clementis, quod etiam caſurum erat, & in Ruinis poſitum Regionis tertiæ noviter reſtauravit* &c.

ANTIQUUS pariter eſt Titulus (*s*) S. *Clementis*, cujus locupletiſſimum extat Teſtimonium apud S. *Leonem Magnum* in Epiſtola 24 ad *Flavianum* Epiſcopum *Conſtantinopolitanum*, Idibus Junij, Conſulibus *Aſterio*, & *Protogene*, circà Annum Salutis 449 datâ, ubi meminit S. Pontifex cujuſdam *Renati Preſbyteri* S. *Clementis*, quem ſubindè ad Æcumenicam Synodum *Epheſinam* Secundam legavit. Quippè hinc meritò educi poteſt, S. *Clementis* Baſilicam longè antè *S. Leonis* Ævum Titulo Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri decoratam fuiſſe. Quinimmò vehemens ſuppetit Conjectura, nedùm inter antiquiores Viginti Quinque Titulos, quos in Urbe *S. Marcellus* Papa, antè Annum 310, Teſte *Anaſtaſio* conſtituit, fuiſſe annumeratam, verùm etiam inter illos, quos primùm diviſit *S. Evariſtus*, qui Pontificatum tenuit ab Anno 98 ad 108.

Porrò *Julius* Papa III, poſtremâ Die Februarij 1550, Titulum S. *Clementis* cum illo S. *Pancratij*, ut *Ciacconius* tradit, unum fecit, ſed Die poſtmodùm 4 Decembris proximè ſequentis Anni Unionem iſtam diſſolvit. Hinc refert *Rondininus* (*t*), *Joannem Alvarem*, Toletanum, Ordinis Prædicatorum Alumnum, Preſbyterum Cardinalem S. *Sixti*, à *Paulo* III creatum, *Titulum optaſſe Sanctorum Clementis, & Pancratij, quos duos Julius* III *Pontifex in unum redegit, deindè diſſoluit.*

NEQUE Silentio prætermittendum eſt, Quinque Cardinales, Titulo S. *Clementis* inſignitos, ad Summi Pontificatûs Apicem evectos fuiſſe, nempè *Joannem* II (*u*), Anno 532; *Paſchalem* II, 1099; *Eugenium* IV, 1431; *Clementem* VII, 1523; & *Paulum* IV, 1555.

XXIV. BASILICAM S. *Clementis* nedùm ejus commendat Antiquitas, ſed etiam Dignitas ipſius perinſignibus illuſtratur Monumentis. Imprimis ſiquidem S. *Zoſimus* Papa Anno 417 Synodum celebravit in hac Baſilica adversûs *Cæleſtium*, vaferrimum Sycophantam, *Pelagij* Diſcipulum, qui ad Pontificem ibidem Querimonias detulit contrâ *Herotem*, & *Lazarum*, ſuos, ac *Pelagij* Accuſatores, & contrà Synodorum *Africanarum* Judicium; ipſique Fidei Libellum porrexit (*w*). Id ſanè magnum eſt Baſilicæ noſtræ Dignitatis Argumentum, in ea ſcilicet S. *Zoſimum* Pontificem cum omnibus ſimul Romanæ Eccleſiæ Ordinibus, Epiſcopis, Preſbyteris, & Diaconis, omnique Sacro Apparatu, ut vetus Temporis illius poſtulavit Conſuetudo, Judicium adeò inſigne habuiſſe, atque in illo Hæreſiarchæ *Cæleſtij* Cauſam cognoviſſe (*x*).

PRÆTEREA

(*r*) §. præſ. Num. xxxviii.

(*s*) Priſcis Temporibus *Tituli* Nomen nonniſi Ædibus quæ in Paræcias Preſbyterorum Curæ deputatæ erant, tribuebatur, ſicut hodiernæ ſolùm, quæ ſunt Eccleſiæ Preſbyterorum Cardinalium, *Tituli* adhuc Vocabulum retinent, ut rectè advertit *Rondininus*, Pag. 240.

(*t*) Pag. 373.

(*u*) De hoc Summo Pontifice, anteà *Joanne* Cardinale *Mercurio*, hæc legere eſt in antiqua è Marmore Tabula in Pavimento Baſilicæ *S. Petri ad Vincula*, *Romæ* in *Exquilijs*.

Salbo Papa N. Joanne Cognomento Mercurio
Ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteris ordinato,
Ex Titulo Sancti Clementis
Ad Gloriam Pontificalem promoto,
Beato Petro Apoſtolo Patrono ſuo
A Vinculis ejus Severus Preſbyter offert.
Et it. P. C. Lampadij, & Oreſtij,
VV. CC.

(*w*) Hac de Re videſis Epiſtolam ipſiuſmet S. *Zozimi* ad *Africanos Epiſcopos* apud *Philippum Labbeum* in Tom. ii. Conciliorum, & apud *Rondininum* Pag. 229.

(*x*) Legeſis hac de Synodo Romana *Natalem Alexandrum* Hiſtor. Eccleſ. Seculi. V. Part. i. Cap. iii. Art. iv. §. vii, & *Graveſonum* Tom. ii. Colloq. i.

PRÆTEREA quantum S. *Clementis* Baſilicæ Ornamento, & Dignitati proſpexerit S. Pontifex *Gregorius Magnus*, ex eo maximè educitur, quod ſemel iterumque in illa ad Populum declamavit. Habuit nemque XXXIII Homiliam ſuper Evangelium *Lucæ* Cap. VII, Feria Sexta Quatuor Temporum Septembris; necnon XXXVIII Homiliam ſuper Evangelium *Matthæi* Cap. xxii, Dominica Decima-nona poſt Pentecoſten; Quas in Baſilica S. *Clementis* à *Gregorio Magno* recitatas quidem fuiſſe, omnia ejuſdem Operum Exemplaria, etiam antiquiſſima, cum Veteribus MSS Codicibus collata, teſtantur *(y)*.

LUCULENTIUS tamen Argumentum quanti fecerit noſtram Baſilicam idem S. Pontifex, Memoriæ proditum eſt à S. *Gregorio Turonenſi*, in *Hiſtoria Francorum* Lib. x. Cap. i, ubi ejus Tempore graſſantem *Romæ* Luem deſcribit. Sub Finem quippè Menſis Auguſti Anno 590 Litanias Generales, ſeù publicas ad Deum Supplicationes, tàm Cleri, quàm Populi, omnis, ac Sexûs, ac Ordinis, divinam avertendam Iram indixit, quas *Septiformes* vocavit, & ideò *Septiformes*, quia totius Urbis Populum, ut tradit *Paulus* Diaconus in ejus Vita, in Septem Partes Deum deprecaturum diviſit; ità nimirùm, ut per varias diverſarum Perſonarum Claſſes, ſingillatìm ex diverſis ibidem aſſignatis Eccleſijs exeuntes, ſeorsìm procederint Clerici, Abbates cum Monachis ſuis, Abbatiſſæ cum Congregationibus ſuis, Infantes, & Pauperes, Viri Laici, Mulieres Viduæ, & Mulieres Conjugatæ. Inter illas autem ſtatutas Urbis Eccleſias, S. *Clementis* Baſilica adnotatur (z).

ALIUD ſequitur Argumentum, undè liquet quanto in Honore S. *Clementis* Baſilicam habuerit S. *Gregorius Magnus*. Cùm namque per Baſilicas, & Martyrum Cæmeteria, Stationes in Urbe diviſerit, eidem quoque S. *Clementis* pro Feria Secunda poſt Secundam Dominicam Quadrageſimæ (*a*) Stationem addixit, ut *Ugonius*, cæterique Rerum Eccleſiaſticarum Urbis Scriptores, necnon & Tabula marmorea Juſſu Clementis Papæ XI exſculpta, inferiùs exhibenda (*b*), abundè teſtantur.

DEMUM ejuſdem S. *Clementis* Baſilicæ peculiarem in Modum meminit ſæpè laudatus S. Pontifex Homilia Decima quinta ſuper Evangelia, in Baſilica *S. Pauli* habita, ubi de *S. Servulo* Paralytico his loquitur Verbis: " In ea Porticu, quæ euntibus ad Eccleſiam Beati Clementis eſt pervia, fuit " quidam Servulus Nomine, pauper quidem Rebus, ſed Meritis dives, quem longa Ægritudo " diſſolverat " &c (*c*).

XXV. PLURA

(*y*) Conſulenda Tabula marmorea, Juſſu *Clementis* Papæ XI exſculpta, §. præſ. Num. xxxviii.

(*z*) Hunc Litaniarum Ordinem laudatus ſcribit S. *Gregorius Turonenſis* ex Oratione, quam ad Plebem habuit Sanctus Pontifex, cujus hæc ſunt Verba:

Clerus egrediatur ab Eccleſia SS. *Martyrum Coſmæ & Damiani cum Preſbyteris Regionis Sextæ.*

Omnes Abbates cum Monachis ſuis ab Eccleſia Sanctorum Martyrum Gervaſij & Prothaſij cum Preſbyteris Regionis quartæ.

Omnes Abbatiſſæ cum Congregationibus ſuis egrediantur ab Eccleſia SS. *Martyrum Marcellini & Petri cum Preſbyteris Regionis primæ.*

Omnes Infantes, & Pauperes ab Eccleſia SS. *Martyrum Joannis & Pauli cum Preſbyteris Regionis ſecundæ.*

Omnes vero Laici ab Eccleſia S. *Protomartyris Stephani cum Preſbyteris Regionis ſeptimæ.*

Omnes Mulieres Viduæ ab Eccleſia S. *Euphemiæ cum Preſbyteris Regionis quintæ.*

Omnes Mulieres Conjugatæ egrediantur ab Eccleſia SANCTI MARTYRIS CLEMENTIS *cum Preſbyteris Regionis tertiæ.*

(*a*) Ità videre eſt in Miſſali ad memoratam Feriam Secundam poſt Dominicam Secundam Quadrageſimæ. Refert etiam *Onuphrius Panvinius* Lib. de *Stationibus Urbis Romæ*, fuiſſe olìm Stationem quoque ad S. *Clementem Dominica Vigeſima poſt Trinitatem*, ſed noſtris Temporibus exoleviſſe. Crediderim tamen, Pace tanti Viri, Stationem iſtam fuiſſe potiùs Dominicam Vigeſimam Secundam poſt Trinitatem, ſeù Vigeſimam Tertiam poſt Pentecoſten, juxtà modernum loquendi Modum quoad *Clerum Romanum*, ſeù etiam Vigeſimam Primam poſt Octavam Trinitatis, ut loquuntur *Fratres Prædicatores*; in Miſſa ſiquidem iſtius Dominicæ Epiſtola legitur S. *Pauli* ad *Philippenſes*, ubi Apoſtolus S. *Clementis* diſertè meminit Verbis nuper allatis Num. xxiii. ad Lit. m. Pag. 390.

(*b*) Num. xxxviii. §. præſ.

(*c*) Reliqua hujus Homiliæ de S, *Servulo* Verba videbis §. præſ. Num. xxxix.

XXV. **Plura** etiam recentiora ſuppetunt Monumenta, quæ ſeſe offerunt poſt antiquiora Eccleſiæ Sæcula, licèt reapsè ſint & ipſa vetera, atque Dignitati Baſilicæ magnum, & ſingulare Ornamentum præſtent. Hæc inter primum teneat Locum *Paſchalis* II, Pontificis Maximi, Electio. Is enim Monachus *Caſſinenſis*, antè Pontificatum *Rainerius* appellatus, Abbas fuit Cænobij *S. Laurentij* extrà Muros Urbis; dein à *S. Gregorio* VII Preſbyter Cardinalis S. *Clementis* creatus, apud Titulum ſuum morabatur. Interìm e vivis ſublato *Urbano* II, ſub quo *Romanæ* Eccleſiæ contrà Schiſmaticos egregiam Operam navarat, Comitia Pontificalia ad S. *Clementis* Baſilicam (*d*) indicta ſunt, quò Patres, Epiſcopi, Cardinales, Primoreſque Urbis, Primiſcrinarij, & Scribæ Regionarij, convenerunt, & invitum, ac fugientem *Rainerium* Cardinalem in Pontificem elegerunt Die 13 Auguſti 1099, qui devictus tandem Pontificium Onus ſuſcepit, maximè cùm ab univerſis ter acclamatum eſſet: *Rainerium, Virum Optimum, Pontificem S. Petrus elegit* (*e*). Apoſtolico ſibi ſuſcepto Munere, *Paſchaliſque* II Nomine aſſumpto, coccineam Chlamydem induit, & Tiarâ Capiti ejus impoſitâ, è Titulo *S. Clementis*, toto Cardinalium, & Cleri ſtipatus Cætu, ad Baſilicæ *Lateranenſis* Porticum perductus eſt. Certè pro Miraculo duci debet, ut obiter dicam cum Doctiſſimo noſtro *Graveſono (f)*, quod, vivente adhuc *Guiberto*, ſeù *Wiberto*, Antipapâ, *Clemente* III dicto, & ob eum in Factiones Urbe olim conſciſſâ, in Electionem *Paſchalis* II Pontificis Maximi omnes ſimul in Urbe Clerici, & Ordines, Nemine adverſante, conſenſerint; ſolus verò ipſe celciſſimam hanc fugiens Dignitatem (quam tamen anteà Vir Sanctus ipſi à Deo auguratus fuerat)invitus, ac mærens eam ſuſceperit (*g*).

Prænobile quoque, ac inſigniori Notâ dignum hujus Baſilicæ Monumentum à *Cencio Camerario* in antiquo ſuo Libro (quem *Mabillonius* in Tomo II *Muſei Italici* publici Juris fecit) proditum eſt. Ibi quippè Morem refert, quo Romanus Pontifex Die 25 Aprilis, *S. Marco Evangeliſtæ* ſacrâ, in Litania Majori è *Laterano* ad prælibati Sancti Baſilicam pergit. *Cum autem* (inquit) *Domnus Papa venerit cum Proceſſione ad Eccleſiam S. CLEMENTIS, ibi quieſcit in Lecto ſuperpoſito Tapeto, & Herbis circumquaquè poſitis, quæ tamen fiunt à Clericis ejuſdem Eccleſiæ S. Clementis. Poſtquàm verò quieverit, ſurgens vadit* &c.

Item *Petrus Amelius* in ſuo Veteri Codice *de Cæremonijs* (ibidem quoque apud *Mabillonium* edito) Uſum tradit inoleviſſe Die 26 Decembris, S. Protomartyri *Stephano* Sacrâ, Miſſam coram Pontifice, quoties ille non celebraret, & Cardinalibus, à Preſbytero Cardinali *S. Clementis* ſolemni Ritu eſſe celebrandam.

Item *Benedictus Millinus* in Opuſculo de *Oratorio S. Laurentij*, ſivè *Sancta Sanctorum* juxtà *Lateranum*, Cap. iii, perinſignem olìm, ac veterem à *Sergio* I (electo Pontifice Anno 687) inſtitutam Imaginis Sanctiſſimi Salvatoris Proceſſionem deſcribens, & Manu exaratum Codicem ex Archivo Societatis proferens, de Baſilica *S. Clementis* hæc habet: *Imago autem ipſa deindè eo Die per Arcum Baſile, & Viam Sacram cum Sonechio deſuper aurato, & magna Turba præcedentis, & ſequentis Populi defertur antè Faciem, & Portam primam S. CLEMENTIS, per cujus Sacerdotes ſimilis Cæremonia de Pedum Lotione ſervatur (h).*

Inferiori demùm Sæculo, *Nicolaus* V, Pontifex Maximus, cùm Anno 1450 pro impetranda Pace inter Chriſtianos Principes, ferali Bellorum Incendio indignatos, publicas ad Deum Preces indixerit, ipſe, ut *Ciacconius* in ejus Vita refert, pedeſter Iter agens, Sacram Euchariſtiam ſpectabili, ampliſſimoque Cultu detulit è Baſilica *Lateranenſi* ad illam uſque S. *Clementis*.

(*d*) *Platina*, de Vita *Paſchalis* II; *Onuphrius Panvinius*, in *Romanorum Pontificum Chronico*; *Rondininus*, Pag. 255.

(*e*) *Platina*, mox citatus; *Natalis Alexander*, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. xi, & xii. Part. i. Cap. ii. Art. i.

(*f*) Hiſtor. Eccleſ. Tom. iv. Colloq. ii.

(*g*) Legeſis *Natalem Alexandrum* Loco jam laudato.

(*h*) Ibi namque pro ſecunda, ut etiam indicat antiqua in Aula Hoſpitalis Societatis Pictura, myſtica quædam Lotionis Pedum Cæremonia fieri conſueverat, quâ peractâ, Populus, & Cætus omnis Sacram Imaginem ad Baſilicam *Lateranenſem* uſque comitabatur. Videſis *Rondininum*, Pag. 260.

XXVI. Basilicæ hujus S. *Clementis*, inſigniora utpotè continentis Sacræ Vetuſtatis Monumenta, Deſcriptionem fuſiori politiorique Calamo proſecutus eſt *Philippus Rondininus* Lib. ii ſui Operis, *de S. Clemente Papa, & Martyre, ejuſque Baſilica in Urbe Roma* inſcripti, Anno 1706 ſub Auſpicijs tunc regnantis Pontificis *Clementis* XI vulgati, quam Deſcriptionem non abs Re erit hìc Loci levi ſaltem Brachio attingere, eò vel maximè quia ipſamet Baſilica plures poſtmodùm ſubijt Alterationes, à laudato *Clemente* XI Reſtauratore factas.

Igitur Formæ eſt oblongæ in Modum Navis, quemadmodùm eſſe jubet Liber II *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quia hoc Pacto, ut advertit *Joannes-Stephanus Durantus* de *Antiquis Eccleſiæ Ritibus* Lib. i. Cap. iii, *monemur Nos in Mundo verſari tanquàm in Mari, quod Ventorum Vi agitari, atque turbari ſolet, nec aliter quàm in Navi Eccleſiæ tutò trajici poteſt.* Porrò Baſilica verſâ ad Orientem Facie ſita eſt, diſponi enim Eccleſiarum Situm veteri Chriſtianorum Ævo, ut Orientem ſpectarent, idem monet Lib. II *Conſtitutionem Apoſtolicarum* Cap. VI, ubi de Eccleſiæ Structura loquens, ait : *Primùm quidem ſit longa, & ad Orientem converſa.* Et hoc quidem ad Imitationem Templi *Salomonis*, quod ad Orientalem Plagam converſum fuiſſe *Ariſteas* affirmat. Sed quidquid ſit de hoc, viguit ejuſmodi Ritûs Obſervantia etiam apud Chriſtianos uſque ad *Diocletiani* Imperaroris Ætatem, ut ſcribit *Pompeius Sarnellus*, Epiſcopus *Vigiliarum* (in Regno *Neapolitano*), recunditâ Sacræ Antiquitatis Eruditione clarus (*i*). *Conſtantino* ſiquidem imperante paulatim obſolevit, promiſcuè enim & versùs Ortum, & versùs Occaſum fabricabantur Eccleſiæ. Verumtamen ſi Eccleſia Portam Majorem versùs Orientem habuerit, Ritus fuit, ut animadvertit *Gulielmus Durandus* (*k*), quod Sacerdos Facie ad Orientem celebraret ; & ſi Oſtium habuerit ad Occidentem, quod in Salutatione ad Populum ſe converteret. In hac autem S. *Clementis* Baſilica Ara Maxima ità extructa eſt, ſicut in alijs antiquioribus Urbis Eccleſijs, quod Sacerdos Orientem proſpiciat, & ad Populum Faciem habeat, adeoque in Salutatione nullatenùs ſe vertat, aliàs quippè Tergum ad Populum haberet.

XXVII. Obſervato itàque orientali Baſilicæ Situ, ob Oculos ſe objicit Prothyrum, ſivè parva Porticus exterior, ſub qua S. *Servulus* (l) Vitam traduxiſſe vulgò fertur, Quatuor è Numidico Marmore ſuffulta Columnis, quarum Baſes, quia à Terra obrutæ, non apparent. Fulcitur hiſce Partibus Teſtudo, Crucis in Morem aſſurgens, decuſſata Concameratione, & Pictura olim concinnata, cujus Veſtigia, Temporis Decurſu ſenſim eroſa, vix hodie ſuperſunt (*m*).

Perspecto hucuſque Prothyro, ſiuè parvâ illa Porticu exteriori, Atrium occurrit, ſivè Area, aperto Cælo, quod Atrium, Parietibus ex tribus Partibus circumcluſum, omnem olim habuiſſe Eccleſiam , & cuique Parieti Porticum adhæſiſſe, Columnis ſuſtentatam, ſcribit *Sarnellus*, Illæ verò tres Porticus ſimul in Forma Clauſtri connexæ jungebantur (& etiamnùm apud S. *Clementem* junguntur) cum quarta, Eccleſiæ proximiùs adhærente. Id ipſum porrò *Sanctus Carolus* Cardinalis *Borromæus*, Epiſcoporum Gemma, & Eccleſiaſticæ Vetuſtatis amantiſſimus Præſul, adimpleri, ſervarique ſanxit (*n*) his Verbis : *Atrium præterea in Fronte* Sacræ *Ædis pro Areæ Ratione, proque Ædificij Eccleſiaſtici* Structura, *fiet intùs ab omni Parte Porticibus cinctum, alioquè decenti Architecturæ Opere ornatum.*

E Latere hujus Atrij antè dexteram Porticum, per quam Scalâ in Cænobium aſcenditur, Puteus adſtat vetuſtis circumſtructus Lapidibus, qui profectò aliquid ſapit Antiquitatis. Præ Foribus namque Baſilicarum Aquas ſalientes, ſeù Puteos, & Cantharos, Conchas, vel Fontes Aquæ communis, olim conſtitui ſolitos, Cardinales *Baronius*, & *Bona* teſtantur (*o*) ; idque Chriſtianos conſueviſſe, ne illotis Manibus Sacro adeſſent.

Suprà

(*i*) In *Baſiliographia*, Cap. iii.

(*k*) In *Rationali Divinorum Officiorum*, Lib. v. Cap. ii.

(*l*) Confer. Num. xxxix. §. præſ.

(*m*) De Porticu hac loquitur S. *Gregorius*, cujus Verba non ità pridem de S. *Servulo* referebam, Num. xxiv. §. præſ. Pag. 392.

(*n*) In ſuis Inſtructionibus *de Fabrica Eccleſiæ*, Lib. *i.* Cap. iii. Tom. ii. Part. viii. *Actorum Mediolanenſis Eccleſiæ*.

(*o*) *Baronius*, in *Annalibus* ad Annum 57 ; *Bona*, Lib. i. *Rerum Liturgicarum*, Cap. xx.

Supra Porticum, cui conjungitur Prothyrum, ſivè parva Porticus exterior, jam memorata, adeſt Fabrica ſatis ſpatioſa, quam pro Bibliotheca Fratrum Prædicatorum *Hibernorum* fieri fecit *Clemens* XI, Pontifex Maximus, Anno 1715.

Porticus Baſiliæ proxima Locus eſt amplior, ubi quatuor Numidici Marmoris Columnæ Jonicis elaboratæ Epiſtylijs, Doriciſque Baſibus, erectæ ſunt (*p*). Siniſtrorsùm Campanaria Turris eminet, recentiorum Temporum Opus (*q*). Dextrorsùm ſub Arcu inter duas Columnas in Pavimento perantiqua hæc jacet Inſcriptio cujuſdam Nomine *Romani*, hujus Baſilicæ Preſbyteri Cardinalis, quem illum putat *Millinus* ab *Alexandro* Papa II, *Panvinio* Teſte (*r*), inter Cardinales cooptatum.

Iſtius Eccleſiæ Speculum, Rectorque beatus,
Qui fuit, hoc Tumulo mortuus ecce jacet.
Mortuus ecce jacet Mundo, ſed vivit in illo,
Qui nunquam moritur, nec moriturus erit.
Ecce jacet Cleri Spes, Cuſtoſque Pupilli,
Pauperis Auxilium, Cura benigna Dei.
Preſbyter iſte quidem, Romanus Nomine, cujus
Centenis Annis Vita beata fuit.

Post Atrium, & Porticum antè Baſilicam, unica hodiè ſuccedit Porta, per quam Ingreſſus fit ad majorem Baſilicæ Navem, Tribus quippè Navibus Baſilica hæc eſt diſtincta. Porrò Baſilicas antiquitùs quot Naves tot Portas habuiſſe exiſtimant Rerum Sacrarum Scriptores, unam ſcilicet priorem, & ampliorem, aliaſque minores ad ejus Latera, ut nimirùm Viri, & Fæminæ ſeorsìm Sacras Ædes ingrederentur: Et ſicut Virorum Portæ Oſtiarius præerat, ità Diaconiſſæ demandata erat Cura Fæminarum. Enimverò hunc Veterum fuiſſe Morem ſat clarè indicant plures *Conſtantini* Ævo erectæ Baſilicæ, quibus quot Naves tot Portæ ſunt. Verùm Baſilica *S. Clementis* etſi tot Portas quot Naves hodiè non habeat, primitùs tamen habuiſſe credibile exiſtimat *Rondininus* (*s*), quia, inquit, Sacella, quæ modò extant in Locis, ubi minores Januæ eſſe poterant, inferiorum Temporum reapsè arguunt Antiquitatem. Nihilominùs aliud eſt hiſce Temporibus Baſilicæ *S. Clementis* Oſtium, ſcilicèt Laterale, ſuprà quod eminet Gentilitium Stemma Magni Pontificis *Sixti* V, de Baſilica hac optimè meriti, qui in ea Laterale Oſtium, cùm Viam ab Amphitheatro magnificè ſtraverit ad *Lateranum* (*t*), pro faciliori ad illam Fidelium Acceſſu aperuit, & ornavit. Ab hinc, ut obiter dicam, Morem invaluiſſe perſuaſum habuit *Rondininus* (*u*), Romanum Clerum in Litanijs, quas vocant, *Rogationum*, Feriâ Tertiâ novam hanc Januam ingredientem, iſtam inviſere Baſilicam, deindè, ab Epiſcopo Oratione de *S. Clemente* habità, è majori exeuntèm rectà pergere ad *Lateranum*.

XXVIII. Tribus igitur diſtincta eſt Baſilica Navibus, quas tot coopertas intuemur Laquearibus, miro Artificio ſculptis, & deauratis, *Clementis* XI Beneficio. Mediæ Navi ſupereminent tres utrinque latiores modernâ Formâ Feneſtræ, ab eodem Pontifice reſeratæ, quas inter, & in medio Laqueari, fieri fecit perbellas celeberrimorum hujus Ævi Artificum Picturas.

Columnæ, quæ Naves formant, diverſi Ordinis, ac Lapidis ſunt. Duæ namque Tribunæ propiores ex Marmore numidico, ſequentes duæ ex pario Marmore conſtant, quibus duæ aliæ accedunt itidem ex numidico, deindè duæ aliæ ex pario pariter ſtriatæ. Has Columnas excipiunt duæ lateritiæ Pilæ, antiquiſſimis Imaginibus depictæ. Poſt Pilas eodem Ordine aliæ ex pario Mar-

---

(*p*) Porticum hanc, Baſilicæ adhærentem, ampliorem in Formam, novo deſuper addito Ædificio, redegiſſe *Joannem Alvarez de Toleto*, Ordinis Prædicatorum, à *Paulo* III inter Cardinales Titulo *S. Clementis* cooptatum, ejus Familiæ Inſignia forinſecùs ſuprà eandem Porticum varijs Coloribus expreſsè ſignificant, ut diſertis Verbis advèrtit *Rondininus* Pag, 269. Verùm poſt Inſtaurationem Baſilicæ, à *Clemente* XI Anno 1715 factam, hujuſmodi Inſignia ampliùs non apparent.

(*q*) Confer Num. xxxvi. §. præſ.

(*r*) In *Romanorum Pontificum Chronico.* Porrò *Alexander* II Pontificatum tenuit ab Anno 1061 ad 1073.

(*s*) Pag. 284.

(*t*) Confer §. præſ. Num. xxiii. ad Lit. s; & Num. xxxiv.

(*u*) Pag. 269.

more adſtant Columnæ, item duæ aliæ, quarum altera ex pario, altera ex numidico, hinc ſequentes pariæ ſunt, & demùm ex duabus ultimis altera non apparet, quia Muro incluſa, altera verò ex pario etiam Muro adhæret.

Basilicæ Pavimentum, ex Opere teſſellato, multiplici Lapide multiplicis Coloris permixtum, affabrè elaboratum eſt. Et quamquàm, ſcribente *Rondinino* Anno 1706, Temporis Diuturnitate ex Parte, ut ajebat (*w*), confectum fuerit, illud tamen *Clemens* XI ex integro reſtauravit.

Area Baſilicæ tota in eodem horizontali Plano non ſiſtit, ſed Preſbyterium, Altare Majus, & proximæ his Partes elevatiores ſunt, ità ut ad illas per plures Gradus aſcendatur.

Super antiquam, & principaliorem Baſilicæ Januam Tabulatum quoddam eminet à *Vincentio* Cardinali *Laureo* Tituli *S. Clementis*, de quo infrà, in Modum Chori pro divinis Officijs ædificatum, ac rudi Arte depictum, ex quo pendebant, dùm ſcriberet *Rondininus* (*x*), Temporis Edacitate conſumpti novem rubei Galeri, eorum ſcilicèt Cardinalium, qui hac in Baſilica ſepulti ſunt. Iſtos autem Galeros è medio ſuſtulit *Clemens* XI, novumque ibidem fieri fecit Chorum, & quidem valdè concinnum, cui Tres ſupereminent Feneſtræ, una ampliſſima ſuprà Porticum Baſilicæ proximam, reliquæ duæ collaterales.

XXIX. Ut autem nunc de Majori Baſilicæ Navi ſpeciatim loquar, in medio illius Pavimento marmoream videre eſt prælibati Cardinalis *Laurei* ſepulchralem Tabulam lapideam Ære circumornatam cum Stemmate pariter æreo, ſuprà quam hæc leguntur:

D. O. M.
Hìc jacet Vincentius Laureus,
Tit. S. Clementis Preſbyter Cardinalis,
Montis-regalis nuncupatus,
Obijt XII. *Kal. Jan.* MDXCII.
Religio Miniſtrantium Infirmis, Hæres,
Optimè de ſe merenti ex Teſt.
Poſuit.

Huic accedit, veluti Appendix, *Aloyſij Guarnerij*, qui Cardinalis *Laurei* ex Sorore Nepos erat, Sepulchralis Tabula lapidea, cujus hæc eſt Inſcriptio:

Aloyſio Guarnerio,
Jacobi Antonij F.
Vincentij Laurei Cardinalis
Montis-regalis ex Sorore Nepoti,
Opt. Spei Adoleſcenti.
Julius Cæſar Guarnerius,
Epiſcopus Campanien.
Patruus mærens P.

In Pavimento itidem è dextro Latere ſub Intercolumnio è Regione Sacriſtiæ hujuſmodi extat Epitaphium:

Quod perago, Clemens, Creſcentius excipe Sancte
Ferque tui mihimet Auxilium jugiter.
Ut te perpetuò teneam qua Gaudia ſemper
Cardinalis ovans, me tibi conſocians.

XXX. Hac-

(*w*) Pag. 285.

(*x*) Pag. 286.

XXX. Hactenus amplioris Navis mediâ Parte deſcriptâ, accedendum nunc eſt ad reliquæ ejuſdem Navis Deſcriptionem, quæ inſigniora Sacræ Vetuſtatis continet Documenta. Id præ omnibus valdè præſtat marmoreum Septum, quod *Scholam Cantorum*, ſivè *Chorum*, antiqui dixere. Intrà Chorum namque Clerici Minores, Cantoreſque, Locum habebant, ut teſtantur *S. Auguſtinus* in Pſal 149, & *S. Iſidorus* in Libro *de Genere Officiorum*, Cap. iii ; atque ex Concilio *Turonenſi* II, Can. iii, proditum eſt. His verò duntaxàt, & non alijs, licebat canere juxtà Synodi *Laodicenæ* Can. XXII Statutum.

Marmoreum hoc Septum omnibus planè Partibus in hac Baſilica abſolutum admiramur, cui variâ Formà plurimæ utrinque exciſæ ſunt Cruces. In Fronte majoris Ingreſſûs ſummo Loco ſeorſim Longobardico Charactere ac rudi Metro expreſſa leguntur hæc Carmina:

Hâc jacet Eccleſiâ Clemens Sanctiſſimus, Æquor
Quem diù celavit, hunc Ego Corde precor.

Ad ejus hinc Latera elegantiſſimè extructi marmorei Ambones, ſivè Pulpita, aſſurgunt, quorum major ab auſtrali Parte duplici aſcenſu aditur. Ibi in Miſſa Solemni Diaconus Evangelium versâ ad Aquilonem Facie legebat, ibique proclamabantur Pontificum Edicta, & Juſſiones, denunciabantur Anathemate perculſi, recitabantur è Diptycis Fidelium tàm vivorum quàm defunctorum Nomina, atque ad Populum à Preſbyteris, & Diaconis, habebantur Sermones, vidique ipſe, ut obiter dicam, *Benedictum* XIII, Pontificem Maximum, Ordinis Prædicatorum, ibidem concionantem (*y*). Juxtà illud Sedile marmoreum ſubeſt iſti fortaſſis ſimile, quod eſſe jubet Lib. II *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Cap. lvii, & cujus meminit *S. Athanaſius* in Epiſtola *ad Solitariam Vitam agentes.* Infrà Orientem versùs, lapideum adſtat Candelabrum, Opere teſſellato (quemadmodùm & Pavimentum) elaboratum, quod *Sarnellus* Cap. xxiv erectum exiſtimat, ut Cereum pro Evangelij Lectione ſuſtineret ; alij verò, ut notat *Ciampinus*, Cap. ii, pro Cereo duntaxat Paſchali erectum fuiſſe arbitrantur. In alio deindè minori Ambone, ad Aquilonem converſo, ad quem unico ſolùm Aſcenſu patet Aditus, Epiſtola à Subdiacono legebatur, versâ ſemper Facie ad Altare, nullo Orientis, ſivè Occidentis, habito Diſcrimine. Ex inferiori demùm marmoreo Legili in Orientis Proſpectu, ad quod per eandem Ambonis hujus Scalam aſcendi ditur, Clerici Lectores Prophetias, & Sacras Lectiones ad Populum recitabant, ubi & Clerici Cantores Graduale, ſivè Reſponſorium in Miſſa canebant. *Graduale enim* (inquit *Honorius Auguſtodunenſis* Lib. i. Cap. 96, *de Antiquo Ritu Miſſarum) à Gradibus dicitur, quia in Gradibus canitur. Reſponſorium itidem vocatur, quia Choro cantante, ab uno Verſus reſpondetur, & illo Verſum cantante, à Choro pariter reſpondetur.* Hìc tamen animadvertit *Ciampinus*, Legile hoc ad Orientem ijs tantùm ineſſe Eccleſijs, in quibus Cantor ſtans in ſuperiori Ambonis Gradu, Terga vertit ad Orientem ; ſi enim ad Altare converſus, unà pariter Orientem proſpiceret, in eodemet Loco Cantor conſiſteret ad canendum. Singulari item Notâ duplicem Chori Ambonem *Ciampinus* expendit, unde *S. Clementis* Baſilicam præ alijs antiquiorem exiſtimat ; illa quippè duplicis Ambonis Structura, Ritum exhibet vetuſtiſſimum, quo Diaconus Evangelium lecturus, modò ad Aquilonem, modò ad Auſtrum convertebatur, ut *Ordo Romanus* his teſtatur Verbis : *Ipſe verò Diaconus ſtat versùs ad Meridiem, ad quam Partem Viri ſolent confluere, aliàs autem ad Septentrionem.* Ritus iſte priori Eccleſiæ Sæculo promiſcuus erat prout ſeſe offerebat Occaſio, poſtmodùm certus factus eſt, ut legentis Facies Aquilonem tantùm reſpiceret, idque ex quorundam Ambonum Situ, qui adhuc in nonnullis *Romæ* Eccleſijs ſuperſtites ſunt, apparet.

Super binos hinc indè mormorei Septi Muros Quinque hodiæ duntaxàt eminent Ceroſtratæ, ſivè ferrei Loculi pro Facibus, & Ceries accommodati quæ olìm plures fuiſſe poſita ibidem indicant Foramina. Facibus ſiquidem & Ceries feſtivas Vigiliarum Noctes priſcos Fideles illuminare ſolitos fuiſſe tradit *Sarnellus* Cap. xxiii, cùm ſcilicèt divina Officìa peragerent, & ſpiritualibus adſtarent,

---

(*y*) Conſulendus Num. xl. præf. §.

rent Sermonibus, quos nocturnos Veterum Conventus *nocturnas Convocationes* vocat *Tertullianus*, Lib. ii *ad Uxorem*, Cap. iv, atque de illis Teſtimonium perhibet Concilium *Matiſconenſe* (in Provincia *Lugdunenſi)* Secundum, Can. i, necnon *S. Cyprianus* de *Oratione Dominica* circà Finem, alijque Veterum nonnulli.

XXXI. Post marmoreum Septum, ſeû Chorum, ad Sanctuarium (z) aſcenditur utrâque ex Parte marmoreis Cancellis circumſeptum. Iſti porrô Cancelli, marmoreis pariter Cratibus, Retis ad inſtar, perforatis, quæ *Tranſennæ* dicebantur, ornati, plures hinc indè exciſas præſeferunt Cruces, eodem fermè Opere ac circà Chori Muros ſpectantur (*a*).

In Medio Sanctuarij ſita eſt ſub Tabernaculo Ara Maxima (*b*), ubi Sacerdos Sacrum celebrans, Faciem ad Populum converſam habet (*c*). Tabernaculum autem, Altari ſuperpoſitum, Fornix eſt lapidea, Quatuor ſuffulta Columnis, eo ſimili Structuræ Genere, quo pleraque adhuc in Urbe viſuntur Veterum Baſilicarum Altaria Summa (*d*).

Aræ Pallium, Picturâ ornatum, in Proſpectu Baſilicæ poſitum, S. *Ignatij* Epiſcopi *Antiocheni* Martyrium, in Amphitheatro per Leones dilacerandi, ob Oculos ponebat antè Annum 1726. Infrà illud Cellula prominebat, ſivè ſubterraneum Sacellum, ferreo inaurato Oſtiolo obſtructum, ubi SS. *Clementis* Papæ, & *Ignatij* Epiſcopi Corpora requieſcunt. Ab hujus utroque Latere eorum Sacræ Imagines depictæ erant, ſub illa *S. Clementis* hiſce duobus ſuppoſitis Carminibus:

Impius inſano te merſit in Æquore Cæſar,
His poſitis Aris nunc pia Roma colit.

Et ſub altera *S. Ignatij* his alijs:

Vicinum tibi probra tulit numeroſa Theatrum,
Hic tibi delatus probra rependit Honos.

Ita, inquam, Res ſe habebat uſque ad Annum 1726; quomodô autem impræſentiarùm, opportuniùs dicetur infrà (*e*).

In eodem Sanctuario ab auſtrali Latere ſacra ex Marmore Menſa Veterum Uſu ſpectatur, aliamque è Regione antiquitùs extitiſſe divinari facilè poteſt. Geminæ hæ Menſæ ad Latera Sanctuarij apud Veteres in Baſilicis omnibus locabantur, eâ nempè Formâ, quâ nunc in Baſilica SS. *Nerei*, & *Achillæi*, propè S. *Sixti* Baſilicam, integræ conſpiciuntur. In ea, quæ ad Dexteram conſiſtebat, reponebantur Epiſcopi, vel Sacerdotis, celebraturi Sacra Indumenta, in altera ad Lævam Vaſa Sacra cum Velis collocari ſolebant, ſimulque Panis, Conſecrationi, ac Sacræ Communioni, necnon Eulogijs per Synaxim diſtribuendis, deſtinatus.

Intuemur deinceps per interiorem Sanctuarij Circuitum diſpoſitas hinc indê Exedras, ſivè Sedilia pro Sacerdotibus, atque tribus Gradibus editiorem Cathedram Epiſcopalem, *Tribunal* aliter

---

(z) Sanctuarium Pars fuit Eccleſiæ ſacratiſſima penitiſſimaque, alio Nomine *Secretarium*, *Sancta Sanctorum*, *Preſbyterium*, & *Tribunal*, à Latinis nuncupata, quam interjectis Cancellis à reliqua Eccleſia diviſam fuiſſe, Rerum antiquarum ſcribunt Auctores.

(*a*) Cancelli, Teſte *Mabillonio* in Commentario ad *Ordinem Romanum*, Cap. xxxi, Locum Orationis deſignant, ad quos uſque extrinſecùs Populus pertingebat; intrinſecùs quippè Sanctuarium erat ſolis Sacerdotibus, & Diaconis pervium.

(*b*) *Rondininus* Pag. 300 cum alijs opinatur, Altare hoc olim fuiſſe unicum in hac S. *Clementis* Baſilica. Is enim Veterum fuit Uſus, qui unum tantum Altare in Sacris Ædibus erigere conſueverunt. Hinc reliqua Quatuor Altaria, quæ hodiè in hac Baſilica apparent, inferiorum Temporum ſunt Opera.

(*c*) Confer Num. xxvi. §. præs. Pag. 394.

(*d*) Tabernaculo *Ciborij* Nomen, à *Cibo*, hoc eſt ab Euchariſtia, quâ ad perennem Vitam enutrimur, deductum, promiſcùe *Græci*, atque *Latini* tribuunt, ut paſſim legitur in Libro Pontificum *Anaſtaſij*, necnon illud *Propitiatorij* Voce idem Auctor quandoque appellat, & *Umbraculum* Altaris vocat *Ordo Romanus*.

(*e*) Num. xxxix. §. præs.

ter appellatam, in medio, ac intimo ejuſdem Sanctuarij Hemicyclo, & Aræ Maximæ Fronte erectam, ut jam Veterum Uſum fuiſſe S. *Gregorius Nazianzenus*, alijque Antiquorum teſtantur *(f)*.

XXXII. Abſidis modò, ejuſque muſivi Operis Deſcriptionem continenti Ordine aggredoir Primùm porrò in ejus aquilonari Latere SS. Petri, & Clementis occurrunt Effigies optimè elaboratæ, atque ad dexterum *Petri* Latus Inſcriptio legitur: *Agios Petrus*, hiſce exindè ſubſcriptis Verbis: *Reſpice promiſſum, Clemens, à me tibi XPM*, indicante *Petro* Salvatoris Imaginem, Medio Abſidis ſuperelatam. Inferiùs Prophetæ *Jeremiæ* inſcripta Nomine Imago eſt, atque circùm Abſidem hæc leguntur Verba, prægrandi Charactere exarata: *Gloria in excelſis Deo, & in Terra Pax Hominibus bonæ Voluntatis*; necnon hinc indè ad Latera Salvatoris Quatuor Evangeliſtæ Quatuor Animalium Formâ ſpectantur. Alterâ verò ex Parte, ſcilicèt auſtrali, eminentiori itidem Situ, è Regione SS. *Petri, & Clementis*, his ſimiles SS. *Pauli, & Laurentij* exhibentur Effigies cum Epigraphe: *Agios Paulus*, hoc inſuper ſuppoſito Verſu:

De Cruce, Laurenti, Paulo famulare docenti.

Atque inferiùs *Iſaiæ* Prophetæ Imagine, æquè ac *Jeremiæ*, diſpoſitâ.

In adverſo Frontis Baſilicæ ad Aquilonem, ſivè in Abſidis Facie ad Lævam, antiquum eminet Armarium, in quo Sacrum Oleum hodiè ſervatur *(g)*, à *Jacobo Thomaſio*, Anagnino, Ordinis Minorum, *Bonifacij* Papæ VIII Sororis Filio, S. *Clementis* Preſbytero Cardinali ab eodem creato, vario è Lapide conſtructum *(h)*, quemadmodùm ſuperimpoſita hæc obſcura, atque obſoleta Carmina teſtantur, muſivo, & deaurato Charactere exarata:

Ex Annis Domini prolapſis Mille Ducentis
Nonaginta Novem Jacobus Collega Minorum,
Hujus Baſilicæ Tituli Pars Cardinis Alti,
Hæc juſſit fieri, quo plauſit Roma Nepote,
Papa Bonifacius Octavus Anagnia Proles.

Ad Hemicyclum Abſidis quod attinet, ibi inter alia plura Ornamenta, longa cernitur Vitis, quæ vario Opere, & Colore hinc indè diffuſos Ramos protendens, è Stipite exſurgentem præfert Crucem *(i)*, cui Chriſtus Dominus affixus eſt, diſpoſitis ab utroque Latere Paſſionis Socijs, *Mariâ*

(f) Auctor *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Lib. ii, Cap. lxi, ait: *In ejus* (Sanctuarij) *Medio ſit Epiſcopi Sedes, ad cujus utrumque Latus conſideant Preſbyteri, & Diaconi aſſiſtant ſuccincti, & expediti.* Favet Concilij *Carthaginenſis* IV Canon xxxv: *Epiſcopus in Eccleſia, & in Conſeſſu Preſbyterorum ſublimior ſedeat.* Cur autem ſublimior inter alios Epiſcopus emineat, S. *Auguſtini* in Pſal. 26 Teſtimonio explicatur: *Quomodo* (inquit) *Vinitori Locus altior ſit ad cuſtodiendam Vineam, ſic & Epiſcopo altior Locus factus eſt, & de iſto Loco periculoſa redditur Ratio.* Cæterùm memorata Cathedra Epiſcopalis apud S. *Clementem* ædificata fuit ab *Anaſtaſio* Cardinali, hujus Baſilicæ Titulari, creato à *Paſchali* ii, ut Num. xxv. præs. §. Pag. 393. dictum eſt, electo Summo Pontifice Anno 1099. Hinc circâ eandem Epiſcopalem Cathedram hæc exciſa ſunt Verba: *Anaſtaſius Preſbyter Cardinalis hujus Tituli hoc Opus cæpit, & perfecit.*

(g) Aliud huic ſimile ad Auſtrum fuiſſe *Mabillonius* apud *Rondininum* Pag. 307 exiſtimat. Verùm quod antiquitùs Sacratiſſimæ Euchariſtiæ fuerint Conditoria, *Cabaſſutius* in *Notitia Eccleſiaſtica*, Diſſertatione x, colligit ex Lib. vi *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, & ex *Paulino*; ibidemque de multiplici Veterum Uſu in recondenda Euchariſtia erudito Examine diſputat.

(h) Ornavit inſuper laudatus Cardinalis Abſidem Baſilicæ muſivo Opere, ſeù potius vetus, Temporis Edacitate corruptum, ad priorem revocavit Formam, ut advertit *Rondininus* Pag. 267.

(i) Poſt Crucis hujus Vitem in Muro prælibatus Cardinalis *Thomaſius* Particulam recondidit Sanctæ Crucis, necnon Dentem unum S. *Jacobi* Apoſtoli, atque alterum S. *Ignatij* Martyris, prout in inferiori Hemicycli Parte circumſcripta hæc exprimunt Carmina:

Eccleſiam Chriſti Viti ſimilabimus iſti,
Quam Lex arentem, ſed Crux facit eſſe virentem:
De Ligno Chriſti, Jacobi Dens, Ignatijque,
In ſupraſcripti requieſcunt Corpore Chriſti.

riâ Virgine, & *Joanne* Apoſtolo. Totum Abſidis Hemicyclum comprehendunt Propagines, in quarum Curvaturis graphicè, inſcriptis Nominibus, depicti ſunt Quatuor Eccleſiæ Doctores, & variæ Volucrum Species. Inferiùs cernitur Ovis, aureo coronata Diademate, pluribus alijs eodem Ordine utrinque circumſtipata. Præterea utrobique graphicè expreſſi Duodecim ſuccedunt Apoſtoli totum Hemicyli Circumferentiam ambientes, quibus è ſiniſtro Latere proximè adhærent SS. *Joannis Baptiſtæ*, *Petri*, & *Petronillæ* vetuſtæ Imagines, ac paulò ultrà in Fronte primi Arcûs ſiniſtræ Navis Muro affixa eſt vetus lapidea Sepulchralis Tabula *Henrici de S. Alloſio*, Cardinalis Tit. S. *Clementis*, ab *Eugenio* IV creati, cujus propè jacet in Pavimento marmorea Effigies, Pontificalibus Indumentis ornata, cum Sepulchrali hoc Elogio:

Heu Decus, heu Lumen, tibi nunc Domus inclyta Sancto
De Alloſio perijt tuus ipſe colendus Henricus,
Hac requieſcit Humo, primùm qui Tempore longo
Præſul in Urbe fuit Terdonæ, dehinc qui Papiæ,
Poſt Mediolani Sacer Archiepiſcopus, indè
Pro Virtute ſua rubeo fuit ecce Galero
Per Papam Eugenium donatus in Ordine Quartum.
Hic pius, hic ſapiens, hic juſtus, caſtus, honeſtus,
Hinc Teſtamentum renuit ſibi condere, dicens
Cuncta fore Eccleſiæ, ſe cuncta relinquere Chriſto,
Qui dedit: Ac tandem cùm Sexaginta ſubiſſet
Annorum Ætatem, Jubilæi Tempore Sancti
Mille Quadringentis & Quinquaginta ſub Annis,
Atque Die quarta Julij devotus, & almus
Spiritus ille ſuus felix ſuper Aſtra volavit.

XXXIII. MEDIA hujus Baſilicæ Navi integrè deſcriptâ, ejuſque Partibus hiſtoricè illuſtratis, minores hinc indè ad ejus Latera ſequuntur Naves, quarum dextera ad Aquilonem ſummo Loco Sacellum habet Divo *Joanni Baptiſtæ* Sacrum, ad quod per Gradus, quibus ad Sanctuarium, aſcenditur. Super Ara Sacelli marmoreum extat ejuſdem Simulacrum optimè inſculptum, & utraque ex Parte Muro hærent, quæ Sanctiſſimi Præcurſoris Hiſtoriam repræſentant Picturæ, altera nempè Sermocinationem, quam habuit ad *Herodem*, & *Herodiadem*, altera ejus Decollationem. Antè Sacelli Ingreſſum, dextrorsùm ſurgit elegantiſſimum *Bartholomæi Roverellæ*, Cardinalis S. *Clementis* (*k*) Monumentum, in quo Sepulchralis adeſt Urna marmorea, ſuprà quam defuncti Cardinalis, Epiſcopalibus induta Veſtibus, decumbit Effigies; ſursùmque Deiparæ Imago inter Angelos, & Apoſtolos *Petrum*, & *Paulum* ſublata tollitur, cui *Petrus* eundem *Roverellam* Cardinalem, antè genuflexum, velut in Clientelam fovendum commendat. Deindè ſub Urna extat Inſcriptio hæc, prægrandibus Characteribus in Marmore exciſa:

Hoc Monumento clauditur Urbi,
Doctis, & bonis omnibus deſideratiſſimus,
Bartholomæus Roverella
Ob ſolas Animi Dotes,

Singularemque

(*k*) Cardinalem hunc Sacellum iſtud ædificaſſe non levis ſuadet Conjectura, quæ primùm deducitur ab antiqua vitrea ejuſdem Sacelli Feneſtra, ejuſque Forma, ubi Veterum More depictum Cardinalis *Roverella* gentilitium Inſigne ſpectatur; deindè ab ejus prænobili mox deſcribendo Sepulchro, quod apud Sacellum eximio Artis Opere extructum eſt. Huicque Conjecturæ ſuffragatur *Rondininus* Pag. 268.

Singularemque Fidem, & Scientiam,
Eugenij IV, Pontificis Maximi,
Secretarius,
Et ab eodem Archiepiſcopus Ravennas,
Indè
A Pio II. Pont. Max.
Tituli Sancti Clementis Cardinalis creatus,
Qui Legationibus multis,
Pace, & Bello peractis,
Dùm
Xyſti IV. Pont. Max.
Et Collegarum Benevolentiâ,
Principumque, ac Nationum plurimarum
Clientelis inſignis, tranquillam
Et Conſilijs utilem Septuagenarius Ætatem
Ageret,
Omni Supellectile in Familiæ Remunerationem
Diſtribui juſsâ,
Romæ obijt Anno Salutis
MCCCCLXXVI
VI. Nonas Maij.
Teſtam. Executores Collegæ
B. M.

A Latere hujus Tumuli, paulò inferiùs tamen, Sacriſtiam verſùs, minor alius adhæret *Joannis-Franciſci Bruſati*, primùm Epiſcopi *Caſſanenſis* in *Calabria*, dein Archiepiſcopi *Nicoſienſis* in Inſula *Cypro*, prælibati Cardinalis *Roverellæ*, ex Sorore Nepotis, Sepulchrali itidem Urnâ marmoreâ inſtructus, ſuprà quam jacet ejus Simulacrum, Epiſcopali Indumento inſignitum, cum his in Epigraphe Verbis:

Sedente Sixto IV,
Johanni Franciſco Bruſato,
Patria Veronenſi,
J. U. C.
Bartholomæi Roverellæ,
Cardinalis Ravenn.
Nepoti ex Sorore,
Antiſtiti Caſſanenſi,
Et in Nicoſienſi Archiepiſcopatu
Tranſlato,
Complurimis Legationibus,
Et apoſtolicis & regijs functo,
Doctrinâ, Gravitate,
Moribus,
Et multis Operibus admirandis claro;
Qui vixit Annos
XLIV.
Flavius Roverella Nepoti
Ex Teſtam.
P.

Huic Sepulchro vetuſtiſſimæ ſuccedunt Picturæ, longo Temporis Intervallo ex Parte labefactatæ, quas inter ſingularem meretur Notam Angelorum Chorus, cui ſuppoſita leguntur Verba hæc *Italico-Latina*, Elocutione barbarè conſcripta, quæ tamen Angelicæ Hierarchiæ ſingulas explicant Proprietates, & Munera:

Seraphin ardenti d' Amore.
Cherubin Scientia *de Deo.*
Throni Sedia che Dio le giudica.
Principatus hanno a gubernare L' Univerſo.
Dominationes hanno à commandare all' altri Angeli.
Poteſtates hanno Potenza ſopra li dannati dell' Inferno.
Virtutes hanno Poteſtà di far Miracoli.
Archangeli hanno a dinuntiare li Secreti de Deo.
Angeli hanno da guardare, e portare le Anime in Paradiſo.

Deinde paulò infrà Pictoris Nomen legitur in hunc Modum:

Si Vis Pictoris Nomen cognoſcere, Lector,
De Veteri Urbe Juvenalis eſt Nomen ejus (l).

Hinc præter S. *Clementis*, aliorumque Cælitum Imagines, quibus hæret Sacrarij, vulgò Sacriſtiæ, Oſtium, Cardinalis *Venerij* gentilitio Stemmate ornatum (*m*), proxima eſt Cardinalis *Ghinucci*, hujus Baſilicæ olim Titularis, Sepulchralis Tabula, recentiore Opere exculta, cujus hæc eſt Inſcriptio:

Hieronymus Ghinuccius,
Stephani Patritij Senenſis F.
A Julio II. Pont. Max. in Sacro
Lateranen. Concilio
Cum primis adhibitus,
Sub Leone X
Ad Henricum Britanniæ Regem
Nuncius,
Epiſcopus Vigorien.
Cameræ Apoſtolicæ Clericus,
Et Auditor Generalis,
Ad Hadriano VI
Ad Melitenſem Eccleſiam,
Mox ad Aſculanam tranſlatus,
A Paulo III Cardinalis creatus,
Apoſtolicis Brevibus, reformandæ Curiæ,
Tridentino Concilio convocando
Ordinandoque præfectus:
Poſtremò ad Pacem conciliandam
Inter Carolum Cæſarem,
Et Franciſcum Galliæ Regem,
E Latere Legatus,
Poſt egregiè tantis in Rebus

Navatam

(*l*) Is, ut notat *Benedictus Millinus* in ſuo *Codice Vaticano*, circà Annum Salutis 1400 claruit.

(*m*) Ex hoc rectè infert *Rondininus*, Pag. 268, Cardinalem iſtum *Venerium* Sacrarium vel ornaſſe, vel reparaſſe.

Navatam Operam,
In Æde
Tituli Sui
H. S. E.
Obijt Ann. Sal. MDXLI.
Die iii. Julij.

ABSOLVIT demùm hanc dexteram Navim Sacellum, olim S. *Cruci*, hodiè autem S. *Patriarchæ Dominico* dicatum, quod ferreis clauſum Cancellis (*n*), nullo tamen Ornamento inſignitum, ſed ſimplici Ara compoſitum erat, dum ſcriberet *Rondininus* (*o*) Anno 1706. Aliter tamen ſe habet ab Anno 1715, quo magnoperè decoratum fuit ab Eminentiſſimo Ordinis noſtri Cardinale *Thoma-Maria Ferrario*, Baſilicæ hujus Titulari, ut ex brevi dicendis clarebit (*p*).

XXXIV. HACTENUS dexterâ Navi deſcriptâ, ſiniſtra ad Auſtrum ſequitur, cujus in editiori Loco ſummâ Fronte Sacellum eleganti Æræ Structurâ, olim Beatiſſimæ Virginis Nativitati, nunc autem Reginæ Sacratiſſimi Roſarij, ſacrum erigitur, ad quod per Gradus, quibus ad Sanctuarium, patet Aditus. Sacellum hoc nonnullis hinc indè Picturis, laudatiſſimi *Caracci* Alumnorum Operâ elaboratis, ornatur, quarum altera S. *Franciſcum Aſſiſiatem* exprimit, Stigmata recipientem, altera S. *Carolum* Cardinalem *Borromæum*, Eleemoſymas Pauperibus erogantem. Sacellum porrò à Fundamentis ædificavit *Joannes-Angelus Ruffinellus* Anno 1617, ut Sepulchralis ejus Epigraphes, in Pavimento antè Aram defixa, docet, cujus hæc ſunt Verba :

D. O. M.
Joannes-Angelus Ruffinellus, Mediolanenſis,
Sacellum à Fundamentis exſtructum
Sanctæ Virginis Nativitati dicavit,
Sepulturæ Locum ibi,
Poſteriſque ſuis delegit
Anno MDCXVII.

AB Anno autem 1732 Lapis iſte, Facie inversâ, ſequentia exhibet Verba :

Hìc jacent
Mortales Exuviæ
Fratrum
Sanctiſſimi Roſarij.

INFERIUS extat antè Sacellum pernobile Cardinalis *Venerij* Sepulchrum, è Regione ipſi ſimilis Cardinalis *Roverellæ* nuper deſcripti, marmoreis Statuis inſtructum, ſuper cujus Urnam media inter Sanctos *Clementem* Papam, & *Antonium* Abbatem excellenti Labore inſculpta cernitur Deiparæ Imago, ſubeſtque Sepulchralis hæc Epigraphes :

Antonio-Jacobo Venerio,
Rachanaten.
Tituli Sancti Clementis Preſbytero Cardinali,
Epiſcopo Conchen.
Magnanimitatis, Conſtantiæ, Fidei, Integritatis
Exemplo,

(*n*) Ablati fuere Cancelli iſti dum Sacellum hoc decoraretur Anno 1715. Reliqua verò Tria hujus Baſilicæ Sacella ferreis Cancellis etiamnùm clauduntur.

(*o*) Pag. 315.

(*p*) Num. xxxviii. Pag. 409.

Cunctis in Romana Curia Honoribus,
Ac in omnibus penè Occidentis Oris mirâ Gratiâ,
Feliciſſimoque Succeſſu,
Legatione perfuncto,
In Cardinalem, ob Merita,
Totius Senatûs Suffragijs,
Aſſumpto,
Sixtus IV. Pont. Max.
B. P.
Annum agens lvii.
iii. Non. Aug.
Ann. Sal. MCCCCLXXIX.
In Patria deceſſit.

Postmodum in Planum Navis deſcendendo, lapidea occurrit Tabula Humi ſub Intercolumnio locata, cujuſdam *Iſabellæ Creſciæ*, *Melioris* Filiæ, materno Nomine *Strozziæ*, muſici Cantûs, Fidicumque omni Genere inſignis Puellæ, Monumentum. Quo viſo lateralis Janua, quam, ut ſuperiùs ajebam (q), *Sixtus* V aperuit, ſeſe offerebat uſque ad Annum 1715, quo eandem clauſit *Clemens* XI, aliam aperiens propriùs Orientem è Regione Sacrarij, eo in Loco ubi Ara erat Beatiſſimæ Virgini de Roſario ſacra (r). Contrà Portam illam clauſam Tumulus eminet affabrè effformatus, atque eleganti decoratus Epitaphio, *Petri-Antonij Salvati*, Sacræ Romanæ Rotæ Cauſidici, cujus alia in Pavimento jacet Epigraphes, & ex illa poſtrema hæc tantùm Carmina exſcribere lubet :

Hactenus ipſe alios, nunc tu me, Virgo, tuere,
Munere Salvatus *dicar ut eſſe tuo.*

Denique Sacellum *Divæ Catharinæ* Virgini, & Martyri ſacrum, amplioris paulò Ambitûs, ferreis, ut nuper dicebam, Cancellis obſtructum, Navis hujus, totiuſque antiquæ (s) Baſilicæ Deſcriptionem abſolvit. Ante illud in Pavimento marmoreum *Joannis-Antonij* Cardinalis *Capiſucchi* fixum eſt hoc Elogio Monumentum :

D. O. M.
Johanni-Antonio Capiſucco,
Tit. Sancti Clementis Preſbytero Cardinali,
[illegible]iſcopo Laudenſi,
A Pio V
Subſignandis Gratiæ Reſcriptis
Præpoſito,
Viro integerrimo;
Pietatis Religioniſque Chriſtianæ
Cultori præcipuo.
Hieronymus Capiſuccus Patruus benemeren.
Poſuit.
Vixit Annos liii, Menſes iii,
Dies viii.
Obijt iv. Kal. Februarij.
MDLXIX.

Totius

(q) Num. xxvii. §. præs. Pag. 395.

(r) Conſulendus *Rondininus* Pag. 317.

(s) *Antiquæ*, inquam, *Baſilicæ*, antè ſcilicet factam à *Clemente* XI Inſtaurationem, protinùs deſcribendam.

Totius porrò Sacelli Ambitus, multiplici Picturarum, quas celeberrimi Pictoris *Maſacei* Opera ſunt, Genere ſpectabilior eſt, atque inſigniorem Cultum oſtentat. Harum prior in Fronte Chriſtum Dominum inter Latrones ſublatum ob Oculos ponit; ſiniſtra autem ad Boream, S. Virginis *Catharinæ* Martyrium. In Teſtudine picti conſpiciuntur Evangeliſtæ Quatuor, & Doctores totidem, atque in Fornice Apoſtoli Duodecim. Propè Aram à Cornu Evangelij extat antiqua è Marmore Tabula, pervetuſtis inſculpta Characteribus, quæ ità ſe habet:

Stephanus de Caraja,
Epiſcopus Paduanus,
Et Aprutinus, & Tricaicenſis,
Hic requieſcit
Anno MCCCCXXXXIIII.
Die X. Mens. Julij.
Amen.

XXXV. Plures plurium Sanctorum Reliquiæ in hac *S. Clementis* Baſilica coluntur. Imprimis enim SS. *Clementis* Papæ, & *Ignatij* Epiſcopi *Antiocheni* Corpora in ea requieſcere nedùm ſuadet jam poſita (*t*), & inferiùs ponenda (*u*) Inſcriptio, ſed & multis momentis oſtendit *Rondininus* (*w*), idque ex Martyrologio *Romano* Luce meridianâ clarius patet. Quippè ad Diem 23 Novembris, de S. *Clemente* loquens, ait: *Cujus Corpus, Nicolao Primo Pontifice, Romam tranſlatum, in Baſilica, quæ anteà ejus Nomini fuerat extructa, honorificè reconditum eſt.* Et ad Diem 17 Decembris, de Tranſlatione Corporis S. *Ignatij* Martyris *Româ Antiochiam*, dein *Antiochiâ Romam*, loquens, dicit: *Cujus Reliquiæ rursùs Romam tranſlatæ ſunt, & in Eccleſia S. Clementis unà cum Corpore ejuſdem Beatiſſimi Papæ, & Martyris ſumma cum Veneratione reconditæ.* Hinc patet, quomodo fortiſſimi iſti Chriſti Martyres ſimul unam eandemque Baſilicam, eorum Corporum Sepulchro communem habuerint. Atque hùc facit Epigramma, quod optimè cecinit *Marianus* apud *Auguſtinum Oldoinum*, in Additione ad *Ciacconium*, in Vita S. *Clementis*:

Quàm benè conveniunt parili quos Ordine junxit
Gloria Romanæ Sedis, & Antiochiæ.
Anchora Vos merſit, Vos contrivere Leones,
Veſtra Sepulchra Feræ, veſtra Theatra Mare.
Quàm benè conveniunt parili quos Sorte necavit
Anchora Dente tenax, & Leo Dente vorax.

Ibidem etiam ſub Ara maxima, ut brevi ponenda (*x*) Inſcriptio evincit, aſſervatur Corpus *S. Flavij Clementis* Martyris, Viri Conſularis, cujus Neptem *Flaviam Domitillam*, Magnæ Conſtantiæ Virginem, ad Pietatem inſtituit S. Pontifex *Clemens*, & ſacro Velamine conſecravit, prout perbella repræſentat Pictura Juſſu *Clementis* XI Anno 1715 facta, inter duas è majoribus Baſilicæ Feneſtris ſita.

Prætérea in hac Baſilica SS. *Cyrilli*, & *Methodij*, Fratrum, Corpora requieſcere ſcribit Eminentiſſimus Annalium Parens, Cardinalis *Baronius*, in Notationibus Martyrologio ad Diem 9 Martij, ubi de illis hæc habet: *In Baſilica S. Clementis etiam ijdem Romæ morientes, Miraculis clari, ſepulti ſunt, quorum Sacras Reliquias nuper ſub Altari in ejuſdem Baſilicæ Sacello pervetuſto repertas eſſe accepi.* Hucque facit *Franciſci de Sodo* M. S. Vaticanus Codex, qui, S. *Cyrilli* Sacelcellum, à dextero Latere Baſilicam ingredientium (*y*) ſuâ Ætate erectum fuiſſe, ibique Corpus ejus

---

(*t*) §. præſ. Num. xxxi. Pag. 398.
(*u*) §. præſ. Num. xxxix. Pag. 410.
(*w*) A Pag. 45 ad 195, & à Pag. 331 ad 334.
(*x*) §. præſ. Num. xxxix. Pag. 410.

(*y*) Idipſum, quod hodie *Divo Dominico* ſacrum eſt, putat *Rondininus* Pag. 337. Sed quidquid ſit de hoc, ſaltem immediate ante Fratrum Prædicatorum Adventum Anno 1667, Sanctæ Cruci dicatum erat.

ejus requieſcere tradit. Idemque memorant *Ugonius*, & *Pancirolus*; necnon *Joannes Dubravius* de Obitu SS. *Cyrilli*, & *Methodij*, *Romæ*, meminit *(z)*.

In hac etiam Baſilica Corpus aſſervatur *S. Servuli* Confeſſoris, de quo ſemel dictum eſt (*a*), iterumque dicetur. Hujus Officium pro Die 23 Decembris Eminentiſſimus *Thomas-Maria Ferrarius*, Ordinis Prædicatorum, Preſbyter Cardinalis *S. Clementis*, curavit perficiendum, cujus Lectiones pro Secundo Nocturno ex *S. Gregorij Magni* Narratione protinùs referendâ (*b*), & pro Tertio Nocturno ex Sermone 124 S. *Petri Chryſologi*, Archiepiſcopi *Ravennatis*, eductas, S. Rituum Congregatio Anno 1702, Die 9 Decembris, referente eodem Digniſſimo Cardinale, laudavit probavitque, & à Fratribus noſtris *Hibernienſibus* (*c*), Ordinis Prædicatorum in hoc *S. Clementis* Cænobio, prælibato Die 23 Decembris, ſingulis Annis recitari conceſſit.

Ibidem quoque S. *Joannis Chryſoſtomi* Corpus olim quieviſſe, antequam in *Vaticanam* aſportaretur Baſilicam, Scriptorum nonnulli dixerunt, quibus ſuſpicari etiam placuit ipſius Sanctiſſimi Epiſcopi Caput, vel ſaltem aliquam ejus Partem ibi relictam fuiſſe, ut refert *Rondininus (d)*.

Verum præter recenſita Sanctorum Corpora, & quas ſuperiùs memoravi (*e*) in Muro Hemicycli Abſidis Cælitum Reliquias, aliæ plures in Baſilica hac ſervantur, quarum Catalogum (*f*) legere eſt in Superiori Sacrario *S. Clementis*, earumque inſigniores duntaxàt exſcribere lubet:

De Præſepio Domini Noſtri Jeſu Chriſti.
De ejus Corona Spinea.
De ejus Capillis.
De Lapide, ſuper quo fuit circumciſus.
De Monte Calvario.
De Columna, ad quam fuit Flagellis cæſus.
De Lacte Sanctiſſimæ Virginis.
De Capite S. Stephani Protomartyris.

De Reliquijs omnium penè Apoſtolorum, pluriumque Sanctorum Martyrum, videlicèt S. *Petri*, *S. Andreæ*, *S. Matthæi*, *S. Bartholomæi*, *S. Thomæ*, *S. Jacobi*, & *S. Simonis*; *S. Joannis Baptiſtæ*, *S. Lucæ Evangeliſtæ*, *SS. Nerei*, & *Achillei*, *S. Chryſogoni*, *S. Cypriani*, *S. Euſtachij*, *S. Sebaſtiani*, *S. Pancratij*, *S. Tiburtij*, *S. Perpetuæ*, *S. Reparatæ*, *S. Margaritæ*, *S. Domitillæ*, aliorumque.

De Digito *S. Clementis* Papæ, & Martyris, quem annuâ ejus Solemnitate ſuper Altare Majus Baſilicæ palàm expoſitum (*g*) devotus Populus veneratur.

De ejuſdem Stola, & Paſtorali Virga, & de alijs demùm complurium Sanctorum Reliquijs.

Olim Numero majores fuiſſe, atque clariores, Auctorum Teſtimonia apud *Rondininum* (*h*) ſuadent, de quibus hodiè ſuperſtes tantùm eſt Memoria, fuerunt nimirùm;

Digitus S. Petri Apoſtoli.
De Cruce Domini Noſtri.
De ejus Sudario.
De ejus Ueſte,
De Baculo, quo fuit Verberibus cæſus.
De cinctu B. Virginis, atque aliæ, quas latè notat *Ugonius* in Libro *de Stationibus Urbis.*

XXXVI. An-

(*z*) In *Hiſtoriæ Bohemicæ* Lib. ii.

(*a*) §. præſ. Num. xxiv. Pag. 392.

(*b*) §. præſ. Num. xxxix. Pag. 410.

(*c*) Verba ſunt ipſiuſmet Decreti S. Congregationis, cujus plura Exemplaria, Typis *Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* impreſſa, extant in Archivo S. *Sixti*.

(*d*) Pag. 338.

(*e*) §. præſ. Num. xxxii. Pag. 399.

(*f*) *Rondininus* Pag. 338 refert, Catalogum iſtum perhumaniter ſibi communicaſſe R. P. *Gerardum Weldon*, mihi dum viveret amiciſſimum, olìm, ab Anno ſcilicet 1694 ad 1697, Cænobij hujus Priorem, qui, poſt 47 Annorum in Urbe Reſidentiam, obijt apud *S. Clementem* Menſe Junij 1728. Adeas Cap. viii. Num xiii. Pag. 164.

(*g*) Scilicet in Brachio argenteo, argenteam pariter Anchoram tenente, quod fieri fecit Eminentiſſimus *Thomas-Maria* Cardinalis *Ferrarius*, de quo Num. xxxviii Sermo redibit Aliud huic ſimile Brachium, Martyrij Palmam Manu geſtans, Reliquiamque *S. Ignatij* Epiſcopi *Antiocheni*, & Martyris continens, fieri fecit Anno 1723 Illuſtriſſimus *Athanaſius Safar*, Maronita, Epiſcopus *Mardichenſis*, nimirùm *in Partibus*, ut vocant, mihi amiciſſimus.

(*h*) Pag. 339.

XXXVI. Antiquam S. *Clementis* Baſilicam, quam hodie cum veteri ejus Cænobio *Hibernia Dominicana* obtinet, *S. Gregorij Magni* Ætate Monachorum Miniſterio addictam fuiſſe, quorundam Auctorum Opinione perhibetur. Ibidem deindè Canonicos Rei divinæ Cultui paruiſſe, ſcribit *Fioravantes Martinellus (i).* Poſtmodùm autem Baſilicâ hâc potitos fuiſſe Fratres *S. Ambroſij ad Nemus* (*k*), tàm certum eſt quàm quod maximè, eâ quippè de Re Nemo hucuſque dubitavit. Eorum porrò Sumptibus Turrim Campanariam à Fundamentis inſtauratam fuiſſe, monent ipſius Monaſterij Inſignia (ab illis tunc uſurpata) quæ Anchoram exhibent, extrinſecùs ad Auſtrum ſuperimpoſita, ſicut & alibi ſparsìm in Cænobio ſculpta. Illam verò recentiorum Temporum Ædificium eſſe, ut ſuperiùs advertebam (l), & ejuſdem Cæmentitium Opus, & recens Structuræ Forma, teſtantur. Cæterùm extinctis, ſedente *Urbano* VIII, hujuſmodi Fratribus S. *Ambroſij ad Nemus*, Monaſterium S. *Clementis* in Commendam migravit. Enimverò S. *Pancratij* (*m*), extrà Urbem, Viâ *Aureliâ*, Monaſterio (quod olim, *Eugenio* IV Summo Pontifice (*n*), eorundem etiam Fratrum Juris fuiſſe ſcribit *Lubinius)* conjunctum fuit, & S. R. E. Cardinali ab *Innocentio* X commendatum.

POSTREMO cùm Fratres Prædicatores Conventûs S. *Sixti* non potuerint eò Loci æſtivo Tempore ob Aeris Intemperiem, fatali Experientiâ notam (*o*), habitare, ſed verſari coacti fuerint per plures Æſtates in Cænobio Civitatis *Anagniæ*, ab Urbe ultrà triginta Milliaria diſtantis, idcircò hoc S. *Clementis* Cænobium, ejuſque Baſilicam, Cardinalis *Maidalchinus*, ejuſdem Abbas Commendatarius, Anno 1667, *Innocentio* X anteà permittente, perpetuò conceſſit, ut marmorea teſtatur Tabula, ingreſſu Cænobij ſuper interiorem Januam poſita, his Verbis:

> *Innocentij* X *Pontificis Maximi Auctoritate, Eminentiſſimus Dominus Franciſcus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Maidalchinus, Sanctorum Clementis, & Pancratij Abbas Commendatarius, Cænobium hoc, & Baſilicam Sancti Clementis Fratribus Sancti Sixti Ordinis Prædicatorum eximiâ Benignitate perpetuò conceſſit*
>
> *Die* XXX *Maij*, MDCLXVII (*p*).

XXXVII. Ex

(*i*) Videſis *Rondininum* Pag. 275.

(*k*) Horum Ordo ſic dictus legitur, quia, ut tradit *Paulus Morigia*, de *Originibus Religioſorum*, Cap. 45, ſub Invocatione *S. Ambroſij* conditus eſt *Mediolani* in Loco extrà Muros, ubi S. Archiepiſcopi Tempore Nemus fuit, in quod aliquoties ſecedere conſueverat, ut Negotia fugans, divinæ Contemplationi vacaret. Anno autem 1441, Decem ſcilicèt poſt Annos ab eorum Inſtitutione, *Eugenio* IV Summo Pontifice, ſub una Congregatione redacti fuerunt, deindè cum Fratribus *S. Barnabæ*, Provinciæ *Marchiæ*, & *Genuæ*, à *Sixto* V ſimul uniti ſunt; tandem verò ſub *Urbano* VIII defecerunt. Adeas *Rondininum* Pag. 269, 271, & 276.

(*l*) §. præſ. Num. xxvii. Pag. 395.

(*m*) Nunc ſpectat ad Fratres Carmelitas Diſcalceatos S. *Thereſiæ*.

(*n*) Summus iſte Pontifex olim hujus Tituli Cardinalis, Eccleſiam S. *Paſtoris*, in Via *Majori* poſitam, ſpeciali adjunxit Diplomate Monaſterio S *Clementis*, quod Diploma in Archivo Cænobij *S. Pancratij* aſſervari notat *Lubinius* apud *Rondininum* Pag. 272.

(*o*) Confer §. præſ. Num. xii. Pag. 379.

(*p*) Fratres S. *Sixti* conſecuti ſunt quidem Cænobium *S. Clementis* pro æſtiva, & autumnali Habitatione, atque Baſilicam pro quotidiano Eccleſiaſtico Miniſterio, ſecùs verò eidem annexos Redditus, & Proventus, ad quater Mille circiter Scutorum Romanorum Summam pertingentes, qui Eminentiſſimo Abbati Commendatario integrè obveniunt; tametſi ter Centum circiter Privatarum, & Quadraginta Solemnium Miſſarum Onera in ſe ſuſceperint Fratres, ut nihil dicam de Cænobij, atque Viarum publicarum Reparatione, & de Suſtentatione unius Sacerdotis, uniuſque Fratris Laici, dum reliqui Fratres hyemali & vernali Temporibus habitant ad S. *Sixtum*. Quapropter Anno 1740, defuncto in Cardinalium Conclavi Eminentiſſimo *Petro Ottobono*, qui ab Anno 1690 Abbas Commendatarius fuerat, ipſe, qui Conventui tunc Temporis præeram, de inſigniorum Curiæ Romanæ Advocatorum Conſilio Libellum

Supplicem

XXXVII. Ex hucuſque dictis liquet, plures Temporis Succeſſu fuiſſe Baſilicæ hujus Reſtauratores, & Benefactores ab *Adriano* I, Summo Pontifice, qui Anno 772, *Carolo Magno* Imperatore, primus omnium eandem Baſilicam reparavit, ut apud *Anaſtaſium* legimus in ejus Vita. Ex illis plures fuere hujus Tituli Cardinales, atque inter iſtos Quatuor erant Ordinis Prædicatorum Alumni, nempè *Joannes Alvarez de Toleto*, Hiſpanus, ſemel iterumque laudatus (*q*), à *Paulo* III, Anno 1538; *Deſiderius Scalia*, Cremonenſis, Commiſſarius Generalis S. Officij in Urbe, à *Paulo* V, Anno 1621; *Vincentius Maculanus*, Etruſcus, Procurator Generalis Ordinis, Commiſſarius Generalis S. Officij, & Magiſter Sacri Palatij, ab *Urbano* VIII, Anno 1641; & *Thomas-Maria Ferrarius*, Apulienſis, Magiſter Sacri Palatij, alibi quoque laudatus (*r*), ab *Innocentio* XII, Anno 1695, Purpuratorum Collegio adſcripti.

Horum ultimus, inter alia huic Baſilicæ præſtita Beneficia, Anno 1697 Diploma impetravit à prælibato *Innocentio* XII perpetuis futuris Temporibus valiturum, quod Baſilicam iſtam plenariâ Indulgentiâ Diebus *Divo Clementi* Papæ, & *Divo Ignatio* Epiſcopo ſacris ditavit, cujus Diplomatis Exemplar marmore Lapide inſculptum in Porticu Baſilicæ idem Optimus Cardinalis omnibus palàm expoſuit, Tenoris ſequentis (*s*).

"INNOCENTIUS PP. XII.

"Univerſis Chriſti-fidelibus, præſentes Literas inſpecturis Salutem, & Apoſtolicam
"Benedictionem.

"Ad augendam Fidelium Religionem, & Animarum Salutem, cæleſtibus Eccleſiæ Theſauris, piâ Charitate
"intenti, ac Supplicationibus dilecti Filij noſtri Thomæ-Mariæ Ferrarij, Tituli Sancti Clementis
"Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Preſbyteri Cardinalis, Sancti Clementis nuncupati, Nobis ſuper hoc humiliter
"porrectis inclinati, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſti-fidelibus verè pænitentibus, & confeſſis
"(*t*), ac Sacrâ Communione refectis, qui Eccleſiam ejuſdem Sancti Clementis de Urbe Fratrum Ordinis
"Prædicatorum in ipſius Sancti Clementis, & Sancti Ignatij Martyris Feſtis Diebus à primis Veſperis uſque
"ad Occaſum Solis Dierum hujuſmodi devotè viſitaverint, & Sanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione
"pias ad Deum Preces effuderint, quâ Die prædictorum id egerint, plenariam omnium Peccatorum
"ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, in contrarium facientibus
"non obſtantibus quibuſcunque: Præſentibus perpetuis futuris Temporibus valituris. Datum Romæ
"apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die tertiâ Decembris MDCXCVII, Pontificatûs Noſtri
"Anno Septimo."

XXXVIII. Anno tandem 1715 *Clemens* Papa XI, qui Anno Jubilæi 1700 Die 23 Novembris, *Divo Clementi* Papæ & Martyri ſacrâ, electus fuerat ad S. *Petri* Cathedram (*u*), Baſilicam

---

Supplicem dedi ad Capita Ordinum, ut vocant, id eſt ad tres trium Ordinum (Epiſcoporum ſcilicet, Preſbyterorum, & Diaconorum) priores Eminentiſſimos Cardinales, qui ſtatim ſignificarunt, æquum ſore, ut congruam aliquam Summam ex Abbatiæ Redditibus perciperemus, promiſeruntque ſe Caſum noſtrum novo Pontifici diſertè exhibituros, prout reverà præſtiterunt. Indeque *Benedictus* XIV jam vix electus Summus Pontifex promittere dignatus eſt, congruam aliquam Reddituum Portionem (quingentorum ad minus Scutorum Summâm annuam, ut autumabant Cardinales experti) Nobis reſervandam in Abbatiæ Collatione ſuo Tempore faciendâ. Vacavit autem Abbatia ultrà tres Annos, propterea que ſæpenumerò deſuper exoratus erat benignus Pontifex, ne ob Negotiorum Multiplicitatem Memoriâ excideret, quod tamen proh Dolor! reapsè accidit, dùm ipſe ab Urbe abeſſem. Menſe ſiquidem Septembris Anni 1743 Eminentiſſimo *Franciſco Riccio*, uni ex viginti quatuor ſimul creatis Cardinalibus, Abbatiam contulit abſque Onere ullo, ſeu Penſione, Favore Fratrum S. *Clementis*.

(*q*) §. præſ. Num. xxii. Lit. i; & Num. xxvii. Lit. p. Pag. 390, & 395.

(*r*) §. præſ. Num. xxxiii. Pag. 403. Præiverat, ut obiter dicam, quà Titularis hujus Baſilicæ, Eminentiſſimus D. *Ferdinandus de Abdua*, Mediolanenſis, anteà *Londini* apud Regem *Jacobum* II Nuntius Apoſtolicus, ut liquet ex Cap. vii. Num. i. Pag. 136.

(*s*) Legere eſt etiam apud *Rondininum* Pag. 275.

(*t*) Confer Cap. xi. §. iii. Num. xiv. Pag. 359.

(*u*) Ea de Cauſa Pontifex iſte vocari voluit *Clemens*, aliàs quippè juxtà frequentiorem Uſum appellaretur *Alexander*, utpote ab *Alexandro* VIII Cardinalis creatus.

licam hanc, Vetuſtate fædatam, ac penè labentem reſtituit ornavitque, præpoliens ſimul concinnanſque quæ ſacram inibi redolebant Antiquitatem, eâ accuratè ſervatâ. Nobile inſuper adjunxit Laquear deauratum, inſignes Picturas, venuſtumque Chorum, & quidem Munificentiâ Supremo Pontifice dignâ, ità ut inter pulcherrimas *Romæ* Eccleſias meritò annumeretur, atque ab Urbe Advenâ admiretur. Undè ſuprà Portam Majorem ejuſdem Baſilicæ ſatis ampla adeſt Tabula marmorea à Parte interiori cum ſequenti Inſcriptione :

Antiquiſſimam hanc Eccleſiam,
Quæ penè ſola Ævi Damnis invicta,
Priſcarum Urbis Baſilicarum
Formam adhuc ſervat,
Eo ipſo in Loco ædificatam,
Ac in Titulum S.R.E. Preſbyteri Cardinalis erectam,
Ubi S. Clementis Papæ & Mart. Paterna Domus
Fuiſſe creditur,
A S. GREGORIO MAGNO
Geminis hîc habitis Homilijs,
Et Sacrâ Quadrageſimali Statione,
Condecoratam,
CLEMENS XI. *PONT. MAX.*
Ipſo Anniverſariæ Celebritatis ejuſdem S. Clementis Die
Ad Catholicæ Eccleſiæ Gubernium aſſumptus,
In Argumentum præcipui ſui in eum Cultûs
Inſtauravit ornavitque
Anno Sal. MDCCXV. *Pontific.* XV.

EODEM Tempore Eminentiſſimus D. Cardinalis *Thomas-Maria Ferrarius*, noſtri Ordinis Prædicatorum, ejuſdem Baſilicæ Titularis, ac per plures Annos munificus Cænobij Benefactor, ſæpè laudatus, venuſtiſſimum fecit Sacellum marmoreum S. Patris *Dominici*, Treſque in eo inſignes Imagines, quæ Tres Mortuos *Romæ* à S. Patriarcha ſuſcitatos repræſentant. Harum duæ, ut obiter dicam, intrà paucos Annos præ Humiditate Parietum omnino fædatæ evaſerunt ; quamobrem noſter *Benedictus* Papa XIII, qui Anno 1724 electus Pontifex crebrò veniebat ad *S. Clementem*, ut alibi obſervatum eſt (*w*), duos novos Icones ſubſtituit ſub Initium Anni 1726, Foſſamque à Latere Sacelli memorati ad Scalam uſque, quâ in Cænobium aſcenditur, Ponte coopertam extruxit, ad præcavendam impoſterùm Humiditatem, & quidem felici Succeſſu.

ANNO autem 1719 laudatus Pontifex *Clemens* XI lateralem, ut ſuperius (x) ajebam, Baſilicæ Portam, à *Sixto* V primitùs apertam clauſit, aliam aperiens propiùs ad Orientem è Regione Sacrarij, eo ipſo in Loco ubi Aram erexerant Fratres Prædicatores Reginæ *Sacratiſſimi Roſarij* dicatam, quæ tunc è Medio ſublata eſt, Sacello antè de *Nativitate* Deiparæ (*y*), exindè de *Roſario* nuncupato. Hinc ſuprà dictam Portam à Parte exteriori hæc legere eſt Verba, patenti in Marmore ſculpta :

(*w*) §. præſ. Num. xvi. Pag. 384. Porrò ſpeciatim prætermittendum non eſt, Sanctiſſimum, & nunquam delendæ Memoriæ Pontificem, Die 20 Decembris 1726 viſitantem Septem Urbis Eccleſias divertiſſe antè Meridiem ad Cænobium *S. Clementis*, ubi Prælati Domeſtici eum comitantes pranſi ſunt Nobiſcum in Refectorio, Sanctitas tamen Sua à Refectione prorsùs abſtinuit, quia in Diem iſtum & Vigilia *S. Thomæ* Apoſtoli, & Feria Sexta Quatuor Temporum inciderant. Electus autem Pontifex pro prima Vice venit ad *S. Clementem* Die 23 Novembris, eidem ſacrâ, Anno 1724, quando protractum habuit in Sacrario Colloquium cum Rege *Jacobo* III, ut vocant, de quo dictum eſt Cap. vii. Num. xiv. Pag. 145.

(*x*) §. præſ. Num. xxxiv. Pag. 404.

(*y*) Conſulendus Num. xxxiv. §. præſ. Pag. 403.

CLEMENS XI. *PONT. MAX.*
Reſtauravit & Ornavit,
Anno MDCCXIX
Pont. ſui XIX.

XXXIX. Anno 1726 Eminentiſſimus D. *Annibal Albanus,* Tituli hujus Preſbyter Cardinalis, *Clementis* Papæ XI ſuprà laudati ex Fratre Nepos, permagnis Sumptibus pulcherrimum erexit Altare Princeps (*z*) in noſtra *S. Clementis* Baſilica, ſequentes habens Inſcriptiones Literis æneis, Porphyriti infixis:

(Ad Latus Evangelij)
Sedente
Benedicto
XIII,
Pontifice
Maximo,
Pontificatus
Anno
III.

(Ad Latus Epiſtolæ)
Annibal
Cardinalis
Sancti
Clementis
Poſuit,
Anno
Salutis
MDCCXXVI.

Ad Partem poſteriorem Altaris versùs tamen Eccleſiam adeſt Lapis Porphyriticus, ſequentia exhibens Verba, Literis æneis expreſſa:

Flavius Clemens
Martyr
Hic
Feliciter
Eſt Tumulatus.

Sub Inſcriptione iſta adeſt & alius Lapis Porphyriticus cum ſequentibus Verbis æneis ut ſuprà:

In hac Eccleſia
Requieſcunt
Corpora Sanctorum
Clementis Papæ,
Et
Ignatij Epiſcopi,
Et Martyrum.

Anno 1727 prælibatus Cardinalis *Annibal Albanus,* Purpuratorum Patrum Collegio Anno 1711 Die 23 Decembris, *Divo Servulo* ſacrâ, adſcriptus, duos erexit Lapides marmoreos ad dexteram, & ſiniſtram interiores Partes majoris Portæ Baſilicæ, quorum primus inſculptam exhibet Vitam ejuſdem *S. Servuli* Confeſſoris, à *S. Gregorio* Magno editam (*a*), in hunc Modum:

" Ex Libro IV Dialogorum S. Gregorij Papæ.

" In ea Porticu, quæ euntibus ad Eccleſiam Beati Clementis eſt pervia, fuit quidam Servulus Nomine, " pauper Rebus, ſed Meritis dives, quem longa Ægritudo diſſolverat . . . . . . Nam ex quo illum ſcire

" potuimus

(*z*) Confer §. præſ. Num. xxxi. Pag. 398.

(*a*) Deſervit pro Lectionibus Secundi nocturni in officio, quod legit Conventus S. *Clementis* de S. *Servulo,* juxtà ſuperiùs dicta §. præſ. Num. xxxv. Pag. 406.

“ potuimus uſque ad Finem Vitæ Paralyticus jacebat. Quid dicam quia ſtare non poterat, qui nunquàm in Lecto ſurgere vel ad ſedendum valebat, nunquàm Manum ſuam ad Os ducere, nunquàm ſe potuit ad aliud Latus declinare? Huic ad ſerviendum Mater cum Fratre aderat, & quicquid ex Eleemoſyna potuiſſet accipere, hoc eorum Manibus Pauperibus erogabat. Nequaquàm Literas noverat, ſed Scripturæ Sacræ ſibimet Codices emerat, & Religioſos quoſque in Hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos coram ſe ſtudioſè legere faciebat, factumque eſt ut juxtà Modum ſuum plenè Sacram Scripturam diſceret, cùm, ſicut dixi, Literas fundatùs ignoraret. Sed cùm Tempus eſſet, ut tanta ejus Patientia remunerari debuiſſet, Membrorum Dolor ad vitalia redijt; cùmque jam ſe Morti proximum agnoviſſet, Peregrinos Viros, atque in Hoſpitalitatem ſuſceptos admonuit ut ſurgerent, & cum eo Pſalmos pro Expectatione ſui Exitûs decantarent, cùmque cum eis & ipſe moriens pſalleret, Voces pſallentium repentè compeſcuit cum Terrore magni Clamoris dicens: Tacete, nunquid non auditis quantæ reſonent Laudes in Cælo? Et dum ad eaſdem Laudes, quas intùs audierat, Aurem Cordis intenderet, ſancta illa Anima Carne ſoluta eſt, quâ ſcilicet exeunte tanta illic Fragrantia Odoris aſperſa eſt, ut omnes, qui illic aderant, inæſtimabili Suavitate replerentur; ità ut per hoc patenter cognoſcerent, quod eam Laudes in Cælo ſuſcepiſſent” (*b*).

Sub Tabula iſta memorata eſt Appendix Lapis marmoreus cum ſequenti Inſcriptione:

ANNIBAL TIT. S. *CLEMENTIS PRESB. CARD. ALBANUS*
Quo Die Anniverſaria S. SERVULI *Memoria recolitur,*
Sacrâ ornatus Purpurâ,
CLEMENTIS XI PONT. MAX. *Beneficentiſſimi Patrui*
Votum implens,
Egregium de Viro Sanctiſſimo Teſtimonium,
A S. *Gregorio Magno Rom. Pont. editum,*
Patenti in Marmore ſcalpi curavit,
Anno Dom. MDCCXXVII.

E Regione iſtius Monumenti, in Parte ſcilicet ſiniſtra Portæ majoris Baſilicæ, videre eſt alium Lapidem, & quidèm antiquiſſimum, Juſſu *Gregorij* Preſbyteri Cardinalis *S. Clementis* circà Annum 752 ſculptum, cujus Verba, prout jacent, quâ poſſum Accuratione hìc Loci exſcribo:

† Hiſrabeliticus Do. Offerebat Populus Ruri
Alius quidem Aurum, Alius namque Argentum.
Quidam coove aes, Quidam verò Pilos Caprarum.
Infelix autem Ego, Gregorius primus Pbr (*c*) *almae*
Sedis Apoſtolicæ, Hujuſque Tituli gerens
Curam Beati, Suppremus Cliens Clementis,
Offero de tuis, Haec tibi Chriſte theſauris
Temporibus ſciſs †Zacchariae Præſulis Summi,
Fer Martvrem et ſcm, Parva Munuſcula tuum
Clementem cujùs Meritis merear delictis carere,
Atque ad Beatam aeternam ingredi Vitam.
Aiſti quantum habes, Regnum valet Cælorum
Suſcipe Hos Dne, velut Minuta Viduae queſo,
Veteris novique Teſtamentorum denique Libros
Octateuchum, Regum, Pſalterium ac Profetarum
Salomonem Eſdram, Storiarum ilico plenos
Require Syllabarum Lector ſequentiam harnm.

(*b*) Hic deſcribit S. *Gregorius Magnus* brevi Elogio beatiſſimi Paralytici Vitam, quam ijſdemmet Verbis repetit in Homilia XV ſuper Evangelia in Baſilica S. *Pauli* habitâ, & utrobique ſubdit: *Cui Rei Monachus noſter interfuit, qui nunc uſque vivit, & cum magno Fletu atteſtari ſolet, quia quouſque Corpus ejus Sepulturæ traderent, ab eorum Naribus Odoris illius Fragrantia non receſſit.*

(*c*) Ideſt *Primus Preſbyter*, ſic dictus quia ſenior erat

SUB Lapide hoc antiquiſſimo adeſt Appendix Marmor ſequentia exhibens Verba:

Vetuſtum Sacri Doni Monumentum,
Jampridem Fabricæ Baſilicæ
Imperitorum Hominum Incuriâ addictum,
Annibal Tit. S. Clementis Preſb. Card. Albanus
Eductum, perpolitum, ac priſtinæ Literarum Integritati reſtitutum,
Tranſmiſit ad Poſteros,
Anno Dom. MDCCXXVII.

XL. EODEM Anno 1727, Die Dominica 22 Junij, Horis promeridianis, Sanctiſſimus D. N. *Benedictus* Papa XIII ex Ambone marmoreo, de quo alibi (*d*), Concionem habuit. Deindè adjuvantibus Eminentiſſimo Cardinale *Annibale Albano*, ſæpiùs memorato, duobuſque Archiepiſcopis, Solemni Pompâ tranſtulit Arcam, Reliquias *S. Flavij Clementis*, aliorumque Sanctorum continentem, eam proprijs deportando Humeris ab Ara Maxima extrà lateralem Baſilicæ Portam, dein per Portam Principaliorem rursùs in Eccleſiam, præcedentibus proceſſionaliter Duodecim S. R. E. Cardinalibus (*e*), quamplurimis Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Prælatis, Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis *Thomâ Ripoll*, & Socijs, omnibuſque fermè Patribus, & Fratribus *Minervitanis*, cum Hymnis, & Canticis, ingentique Populo devotè, & feſtivè comitante; dein Arcam collocavit ſub eadem Ara Maxima, noviter, ut mox dictum eſt, erectâ.

MANE ſequenti redijt Beatiſſimus Pontifex ad *S. Clementem*, Aram iſtam maximam conſecraturus, quod Solemni Ritu peregit, inter alios continuò adſtante Cardinale noſtro *Albano*. Undè Lapis marmoreus in anteriori ejus Parte hanc exhibet Inſcriptionem:

Benedictus XIII. *Pont. Max. Ord. Prædic. Altare hoc conſecravit Die* XXIII
Junii MDCCXXVII.

SACRA hâc exactâ Cæremoniâ, Benigniſſimus Pontifex, omni Elogio dignus, pranſus eſt cum Fratribus noſtris in Refectorio *S. Clementis*, iſtâque Nocte apud Nos dormivit, in Camera ſcilicet Priorali, cujus Feneſtræ versùs Campanariam Turrim proſpiciunt. Hinc cùm Aulicorum unus Sanctiſſimo Viro ſuadere vellet, ut extrà *Quirinale* Palatium non cubaret, ne ipſi noceret Mutatio Aeris, actutùm reſpondit Pontifex Italicè: *L'Aria del Campanile non mi ha fatto mai male*: Id eſt, Aer Campanariæ Turris nunquàm mihi nocuit.

MANE ſequentis Diei, *Divo Joanni Baptiſtæ* ſacræ, Conſiſtorium tenuit in Aula noſtra Theologica, Aulæis pulcherrimè in eum Effectum ornatâ, quo in Conſiſtorio Quinque Epiſcopandi à conſuetis S. R. E. Cardinalibus, atque Prælatis, examinati fuere.

DIE 3. Auguſti ejuſdem Anni 1727 ſæpè laudatus, & nunquàm ſatis pro Meritis laudandus Pontifex *Benedictus* XIII cantavit cum Fratribus noſtris in Choro *S. Clementis* (*f*) primas Veſperas S. P. *Dominici*, & poſteà Completorium. Dein ſequenti Die, Sanctiſſimo Patriarchæ ſacrâ, perſolvit ibidem Nobiſcum Preces Matutinas, Primam, & Tertiam. Poſteà in Baſilicam noſtram *S. Clementis* deſcendit, conſecravitque ad Aram Principem in Epiſcopum *Alexandrinum*, ſub Archiepiſ-

---

erat inter Preſbyteros Cardinales, quem Itali vocant *Primo Prete*. Porrò in Synodo *Romana*, quam Anno 746 habuit S. *Zaccharias* Papa, *Gregorius Preſbyter Cardinalis S. Clementis* ſubſcriptus reperitur.

(*d*) Num. xxx. hujus §. Pag. 397.

(*e*) Hos inter erat Eminentiſſimus *Julius Alberonus*, Placentinus, olim Adminiſter *Hiſpaniarum* Regni dexterrimus, nulli non notus.

(*f*) Etſi Menſe Auguſti Fratres geminati hujuſce Cænobij habitare ſoleant ad S. *Clementem*, ſe conferunt nihilominùs ad S. *Sixtum* pro integro Officio perſolvendo S. P. *Dominici*, qui Locum iſtum Prædicatione, Habitatione, & Miraculis illuſtravit. Hoc tamen Anno 1727 perſolutum fuit ad S. *Clementum*, propter Fabricam, quæ tunc Temporis fiebat ad S. *Sixtum* juxtà alibi dicta. §. præs. Num. xviii. Pag. 385.

chiepiſcopo *Mediolanenſi* (in Ditionibus tamen Ducis *Subaudiæ*, aliàs Regis *Sardiniæ)* P. Magiſtrum Fr. *Carolum-Vicentium Ferrerum*, Nicienſem, noſtri Ordinis Prædicatorum Alumnum, poſtmodùm S. R. E. Cardinalem, & ad *Vercellarum* (ſub eodem Metropolitano, ijſdemque in Ditionibus) Diæceſim tranſlatum (*g*). Exactâ Conſecratione Sanctiſſimus Papa, & Illuſtriſſimus Neo-Epiſcopus, Sextam, & Nonam Nobiſcum choraliter recitarunt.

XLI. Quandoquidem apud *Minervam*, & apud S. *Sabinam*, Solemnis Supplicatio, ſeù Proceſſio, peragatur Dominicâ Primâ Octobris, SS. *Roſario B. M. V.* nuncupatâ, hinc Uſus invaluit apud S. *Clementem*, ut non Primâ, ſed Secundâ Dominicâ ejuſdem Menſis Proceſſio ibidem fieret, cui itereſſe ſolebant, ac ſolent, quamplurimi Patres & Fratres *Minervitani*, quemadmodùm & noſtri eorum Proceſſioni interſunt. Ulteriùs Anno Jubilæi 1725 inceperunt Conſodales SS. *Roſarij* ad S. *Clementem* celebrare ejuſdem Octavarium, ut vocant, quod & poſteà, ſaltem uſque ad meum ab Urbe Diceſſum Anno 1742, continuarunt. Ut autem Indulgentia, non ſecùs ac Proceſſio, & Octavarium, perpetuò transferreretur, Conventus noſter ſupplex factus eſt apud Benigniſſimum immortalis Memoriæ Pontificem *Benedictum* XIII, qui Die 23 Februarij 1728 annuentes dedit Literas in Forma Brevis, quarum Autographum aſſervatur in Archivo prælibati Conventus, Exemplar verò in *Archivo Ordinis*, ex quo illas habet *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*b*), Tenoris ſequentis:

“BENEDICTUS PAPA XIII.

“Ad perpetuam Rei Memoriam.

“Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filij modernus Prior (*i*) ac Fratres Eccleſiæ Conventûs S. Clementis Ordinis Prædicatorum de Urbe, quod aliàs omnibus, & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pænitentibus, & confeſſis, ac Sacrâ Communione refectis, qui aliquam ex Eccleſijs Fratrum dicti Ordinis ubicunque exiſten. primâ Dominicâ Menſis Octobris, ac Septem Diebus immediate ſubſequentibus, ſingulis Annis devotè viſitaſſent, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordia, Hæreſum Extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione pias ad Deum Preces effudiſſent, Plenaria omnium Peccatorum ſuorum Indulgentia, & Remiſſio per unumquemque Chriſtifidelem Spatio prædicti Octidui ſemel tantùm quolibet Anno lucrifacienda, Auctoritate Apoſtolicâ perpetuò conceſſa fuit, prout in Literis Apoſtolicis deſuper expeditis, quarum Tenorem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, uberiùs continetur. Cùm autem, ſicut eadem Expoſitio ſubjungebat, Chriſtifideles ſupradictam Indulgentiam primâ Dominicâ Menſis Octobris, ac ſeptem Diebus immediatè ſubſequentibus, certis de Cauſis, minùs commodè lucrari valeant, illamque propterea per Nos, ut infrà, transferri ſummoperè deſiderent: Nos Supplicationibus dictorum Exponentium Nomine Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Indulgentiam prædictam à prima Dominica Menſis Octobris cum ſeptem Diebus immediatè ſubſequentibus ad ſecundam Dominicam Menſis Octobris ejuſmodi, & ſeptem Dies immediatè ſubſequentes, ità ut Chriſtifideles præmiſſa in prædicta Eccleſia adimplentes, eandem prorsùs Indulgentiam conſequantur, quam conſequerentur, ſi eadem præmiſſa primâ Dominicâ Menſis Octobris, ac ſeptem Diebus immediatè ſubſequentibus adimplerent, Auctoritate Apoſtolicâ, Tenore præſentium, quoad Eccleſiam prædicti Conventûs tantùm, perpetuò transferimus. In contrarium facien. non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die xxiii Februarij MDCCXXVIII, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.

“FABIUS CARD. OLIVERIUS.”

XLII. Defuncto Die 1 Februarij 1733 Sereniſſimo *Frederico Auguſto*, hujus Nominis Se-ndo, Rege *Poloniæ*, Magno Duce *Lithuaniæ*, atque *Saxonico* Sacri *Romani* Imperij Electore, b Hæreſi *Lutherana* ad Catholicam Fidem ſub Initium hujus Sæculi converſo, ſæpè laudatus Ti-laris noſter, Eminentiſſimus *Annibal Albanus*, quà memoratæ *Poloniæ* Regni apud S. Sedem poſtolicam Protector, ſolemniſſimas pro Animæ ipſius æterna Requie Exequias celebrari fecit in ſua

---

(*g*) Diem clauſit extemum *Vercellis* 9 Decembris 742. Ætatis ſuæ 61.

(*b*) Tom. vii. Pag. 507.

(*i*) P. *Patritius O-Dugan*, Pontanenſis, qui huic Conventui præfuit ab Anno 1713 ad 1716, & ab Anno 1726 ad 1732. Obijt autem ibidem Menſe Februarij Anno 1743.

ſua S. *Clementis* Baſilica, Aulæis atratis, Facibuſque, & Cereis innumeris ornatâ, & illuminatâ, in qua ultrà alia Emblemata, & Symbola (quæ ſi ſigillatim recenſere vellem, Dies profectò me deficeret), Statua aderat humanæ Magnitudinis ſuprà altum amplumque Suppedaneum, affabrè factum ſita, Regem ipſum repræſentans, Die nempè 22 Maij Anni prælibati 1733. Miſſam in Choro decantarunt Capellæ Pontificiæ addicti; ad Altare verò Illuſtriſſimus D. *Pompejus Aldovrandus*, Bononienſis, Patriarcha *Hieroſolymitanus*, poſteà S. R. E. Cardinalis; Orationem verò funebrem habuit Illuſtriſſimus *Joſephus Aſſemannus*, Maronita, Prælatus Domeſticus Sanctiſſimi. Sacræ huic Cæremoniæ aderant Sereniſſima *Maria Clementina*, Regina, ut vocant, *Magnæ Britanniæ*, *Hiberniæ* &c (*k*), Viginti Quinque Eminentiſſimi Cardinales, & ultrà centum Archiepiſcopi, Epiſcopi, atque *Romanæ* Curiæ Præſules, ut nihil dicam de Duce S. *Agnani*, Regis Chriſtianiſſimi Oratore, ac Excellentiſſimâ ejus Conjuge, alijſque utriuſque Sexus Nobilibus Perſonis, quibus ſolis permittebatur Aditus in Baſilicam, Turbam impedientibus ad Fores Eccleſiæ Militibus Pontificijs. Ut tamen Populo *Romano*, Orbique Advenæ, fieret ſatis, reliquit Eminentiſſimus *Annibal Albanus* Baſilicam eodem in Statu Diebus ſequentibus uſque ad integram Hebdomadam Pentecoſtes, Die 30 Maij completam, quo Tempore mirus erat Concurſus omnis Generis Perſonarum.

MODERNUS porrò Preſbyter Cardinalis S. *Clementis* eſt ſæpè laudati *Annibalis* e Fratre Nepos, Emus D. *Joannes-Franciſcus Albanus*, à *Benedicto* Papa XIV Sacrâ Purpurâ ornatus Die 10 Aprilis 1747.

XLIII. HÆC dicta ſint de geminato SS. *Sixti & Clementis* de Urbe Cænobio, in quibus referendis multus profectò fui, tûm ob Copiam Materiæ de antiquiſſima S. *Sixti* Eccleſia, Manſione, Prædicatione, & Miraculis SS. Patriarchæ *Dominici* clarâ, ac de non minùs antiqua quàm pulchra Baſilica S. *Clementis*; tùm ob meam ibi Præſentiam per Viginti fermè Annorum Seriem, atque ſcriptam per me, poſt diligentiſſimam Inquiſitionem, memoratarum Ædium Sacrarum, & Cænobiorum Hiſtoriolam, quam, ante meum abindè Diſceſſum, in Archivo S. *Sixti* reliqui, hinc quippè factum eſt, ut nihil Momenti hìc Loci me fugere potuit.

SUFFICIAT addidiſſe, Studia Artium, & Theologiæ, tàm Scholaſticæ, quàm Moralis, & Polemicæ, ibi florere, quibus Quatuor præſunt Profeſſores, nempè Regentes Primarius, & Secundarius (*l*), Magiſter Studentium, & Lector Artium, ſeù Philoſophiæ. Quandoque etiam vidi Lectorem S. Scripturæ, & Controverſiarum Fidei (*m*). Ultrà Conferentias matutinas, & veſpertinas, tàm Philoſophicas, quàm Theologicas, duo ſunt quotidie Circuli, ut loquimur, matutinus nimirùm Theologiæ, & veſpertinus Philoſophiæ; atque multoties Theſes ex Philoſophia, & Theologia publico Certamini exponuntur, & quidem ſemper in Baſilica S. *Clementis*, ſcilicet ab Amplitudinem Loci, & Proximitatem illius Urbi, niſi ſemel, Anno nempè 1728, quando ipſe, ad Præceptum Mecænatis mei, Eminentiſſimi, inquam, *Nicolai* Cardinalis *Coſcia*, Boneventani, Theſes Theologicas in Templo S. *Sixti*, jam tunc à *Benedicto* XIII, Romano Pontifice, reſtaurato, propugnavi. Ibi ut plurimùm ſunt Religioſi circiter Viginti, è quibus Regens Primarius multoties agit Priorem, & Lector aliquis ſubalternus Suppriorem, neque, ex Sapientia & Benignitate Rmi Magiſtri Ordinis, ullus habetur Reſpectus ad Diverſitatem Quatuor *Hiberniæ* Nationum, & quidem juxtà primævam hujus Conventûs pro *Hibernia Dominicana* Fundationem, ut ex alibi dictis (*n*) luculenter conſtat. Ex iſta porrò Schola, ultrà S. Theologiæ Graduatos, Præſentatos nempè, ut vocamus, & Magiſtros, exeunt Studentes omnibus Numeris abſoluti, qui in *Hiberniam* ſucceſſivè revertuntur ad obeundas ibi Apoſtolicas Miſſiones pro Fide Catholica propugnanda, & propaganda, e quibus duo nuperrimè fuere Epiſcopi, fideles Gregis Chriſti Cuſtodes, ut de meipſo nihil dicam (*o*).

CÆTERUM

(*k*) Adeas Cap. vii. Num. xiv. Pag. 145.

(*l*) Crediderim aptius fore, quod Secundus Theologiæ Profeſſor in Studio hoc Generali nuncuparetur *Baccalaureus* More *Italorum*, ſicut in *Ulyſſiponenſi* noſtro Collegio vocatur *Lector Veſperarius* More *Luſitanorum*, & in *Lovanienſi* Studio Generali *Regens Secundarius* More *Belgarum*, & *Teutonicorum*. Confer Cap. xiv. Num. iii. Lit. e.

(*m*) Adeas Cap. xiii. Num. lxxvii. Item Cap. præs. §. ii. Num. x; & §. iii. Num. xvi.

(*n*) Cap. vi. Num. xxvii. Pag. 134.

(*o*) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxvii, lxxix, & lxxxiii.

Cæterum, quod Fratrum in *Italia*, & Locis vicinis defunctorum Bona Conventui huic cedant, ex pridem dictis patet (*p*).

XLIV. Sodales geminati hujus Cænobij Anno 1756 fuere Novemdecim, ſcilicet R. P. Præſentatus Fr. *Joannes-Franciſcus Nettirville*, Dublinienſis, Prior, & Regens Primarius, Ætatis Anno 34, Profeſſionis 16 (*q*); R. P. Fr. *Joannes O-Neil*, Caſſelienſis, Supprior, & Magiſter Novitiorum, Ætat. 45, Prof. 20; R. P. Lector Fr. *Vincentius O-Heyne*, Limericenſis, Regens Secundarius (poſtmodùm Primarius) Ætat. 46, Prof. 17; R. P. Fr. *Barnabas Mangan*, Dublinienſis, Sindicus, Ætat. 34, Prof. 16; R. P. Lector Fr. *Vincentius Berrill.* Pontanenſis, Magiſter Studentium, Ætat. 29, Prof. 10; R. P. Fr. *Patritius Dalton*, Molingarenſis, Lector Artium, Ætat. 27, Prof. 8; P. Fr. *Joannes Murphy*, Killocienſis, Ætat. 33, Prof. 6; P. Fr. *Dionyſius Magrath*, Killocienſis, Ætat. 28, Prof. 6; P. Fr. *Joannes O-Neil*, Cavanenſis, Ætat. 27, Prof. 6; Fr. *Thomas Ryan*, Killocienſis, Ætat. 23, Prof. 6; Fr. *Thomas Fottrell*, Dublinienſis, Ætat. 21, Prof. 5; (*r*) Fr. *Michael Cummins*, Athyenſis, Ætat. 24, Prof. 2 (*s*); Fr. *Michael Ward*, Dublinienſis, Ætat. 17, Prof. 1 (*t*). Porrò iſti omnes ſunt Clerici (*u*), ſequentes verò Laici, ſeù Converſi (*w*), nimirùm Fr. *Joannes-Baptiſta Grollier*, Gallus; Fr. *Dominicus Marcheſi*, Picænus; Fr. *Matthias Vogler*, Suabus; Fr. *Joannes Mayer*, Tirolenſis; Fr. *Jacobus Chiani*, Romanus; & Fr. *Bernardus Becker*, Hamburgenſis.

§. II.

De *Ulyſſiponenſi* (*a*) Collegio *Sanctiſſimi Roſarij.*

SUMMARIUM.

I. *Inchoata Collegij hujus Fundatio. Ea de Re Diploma* Pauli *V Die* 13 *Novembris* 1615. *Nota præliminaris de Urbe* Ulyſſiponenſi.

II. *P. Magiſter* Daniel O-Daly, *aliàs* Dominicus de Roſario, *poſtmodùm Epiſcopus* Conimbricenſis *electus, primus Collegij Rector, Fundationem proſequitur, indèque meritò dictus ejuſdem Collegij Fundator. Nonnulla de eo Elogia.*

III. *Pro augendo Religioſorum Juvenum Numero in hoc Collegio P.* Arthurus Mac-Geoghegan *in* Hiberniam *miſſus, in Itinere Martyrium ſubijt. Recenſentur Sex alij Domûs hujus Alumni, Martyrij Palmam aſſecuti. Collegium hoc acceptatum, & in Studium Generale erectum Decreto Capituli Generaliſſimi* Romani 1644.

IV. *Nova conſtrui cæpit Domus ſub Nuncupatione* SS. Roſarij, *Beneficio Reginæ* Luciæ, *promovente P. Magiſtro* O-Daly *prælibato. Primus angularis Lapis ab Epiſcopo* Lamecenſi, *ſolemni Ritu, & Pompâ, jactus Anno* 1659. *Nota de Perſona Reginæ* Luciæ.

V. *Ædificio Finis incunctanter impoſitus. Deſcriptio Cænobij. Fundatoris, Magiſtri ſcilicèt* O-Daly, *Epitaphium. Recuſatis ab eo Metropoliticis Sedibus* Braccarenſi, & Goenſi, *ac Cathedrali* Conimbricenſi, *conſenſit tandem ut Epiſcopus* Conimbricenſis *eligeretur, ſed electus obijt antè Conſecrationem.*

VI. *In*

(*p*) Cap. v. Num. xvii. Lit. p. Pag. 106.

(*q*) Nunc S. T. Magiſter verſatur *Dublinii*, ut conſtat ex Cap. ix. §. i. Num. xxi. Lit. l. Pag. 198. Anno 1761 electus Definitor Capituli Generalis.

Anno autem 1761 Prior, & Regens Secundarius eſt R. P. Præſentatus Fr. *Patritius Kirwan*, Gal-ienſis, jam anteà, peractis eodem in Cænobio Stu-ijs tam Philoſophicis, quam Theologicis, ibidem Lector Artium, & Magiſter Studentium, in ultimo Capitulo Provinciali 1757 electus Socius, ſeù Elector, pro futuro Capitulo Generali.

(*r*) Anno 1761 adeſt *Dublinij*, ut liquet ex Cap. . §. i. Num. xxi. Lit. l. Pag. 198.

(*s*) Ab Anno 1760 in Conventu ſuo *Athyenſi*, ut Cap. ix. §. xv. Num. viii. Lit. c, dictum eſt.

(*t*) Juvenis optimæ Spei obijt *Neapoli* ineunte Anno 1760, quò Valetudinis Cauſâ paulo anteà perrexerat.

(*u*) Poſtmodùm Tres ſequentes acceſſerunt Clerici, nempè Fr. *Franciſcus Quirk*, Naſenſis; Fr. *Joannes Troy*, Dublinienſis; & Fr. *Patritius O-Hart*, Ballindunenſis. His addendus Novitius, *Gulielmus O-Brien*, Dublinienſis.

(*w*) Adeas Cap. ix. §. i. Num. x. Pag. 193.

(*a*) *Ulyſſipo*, & *Liſbona*, alijs *Ulixibo*, & *Olyſſipo*, vernaculè *Liſboa*, italicè *Liſbona*, gallicè *Liſbonne*, capitatis eſt & regia *Luſitaniæ*, ſeù *Portugalliæ*, Urbs, nulli non nota. Ædeas tamen Num. xi. §. præs. Pag. 424.

VI. *In Eccleſia non ſunt Lapides Sepulchrales, dempto uno Fr*, Michaelis Mac-Donogh, *Epiſcopi* Kilmorenſis. *Ejus Inſcriptio.*

VII. *Literæ Patentes Magiſtri Ordinis* Joannis Baptiſtæ de Marinis, 15 *Aprilis* 1655, *ſancientes, ut Collegium hoc, ſicut & Monaſterium* Boni Succeſsûs, *pro* Hibernis *duntaxàt Fratribus, & Monialibus ſint.*

VIII. Alexandri *VII Diploma*, 23 *Decembris* 1661, *memoratis Literis Patentibus perpetuum Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjiciens.*

IX. Joannis Thomæ de Roccaberti, *Magiſtri Ordinis, Literæ Patentes*, 19 *Novembris* 1676, *nonnulla pro bono Regimine hujus Collegij, ac prælibati Monaſterij ordinantes, & ſtatuentes; ſignanter ut Rector Collegij, & Vicarius Monaſterij ſua proſequantur Officia uſque ad aliorum Inſtitutionem. Nota de Diſcrimine Collegium inter, & Domum propriè Conventualem.*

X. *Apologia Scriptoris pro Materiei hujus § Penuria. Æconomia Studij in hoc Collegio. Ex eo prodeunt Operarij Evangelici ad Fidem Catholicam in* Hibernia *propugnandam, & propagandam. Impræſentiarùm non obſervatur admuſſim Alternativa Quatuor* Hiberniæ *Regionum, peſſima Diſſentionum, & Rixarum omnium Radix. In eam animadvertit Capitulum Generale* Romanum 1694.

XI. *Ampliſſima* Ulyſſiponenſis *Civitas maximo Terræ Motu ſubverſa, & generali Conflagratione conſumpta, Die* 1 *Novembris* 1755. *Inter alia Collegium noſtrum Solo fermè æquatum.*

XII. *P. Magiſter* Carolus O-Kelly, *Roſcomanienſis, ind.* Romam *quà Definitor Capituli Generalis profecturus, Reſtaurationi Collegii intentus, Literas Teſtimoniales à Sacra Inquiſitione* Liſbonenſi *impetrat Die* 4 *Martij* 1756.

XIII. *Seriâ Commiſeratione inductus* Benedictus *XIV, Literas dedit Apoſtolicas in Forma Brevis*, 5 *Novembris* 1756, *Antiſtitibus in Ditionibus Catholici Regis* Hiſpaniarum *inſcriptas, Numero Nonaginta, ad conferendam Opem pro memorato Collegio à Fundamentis erigendo, Rem agente præfato Magiſtro* O-Kelly, *in iiſdem diſertè laudato.*

XIV. *Aliæ eadem de Re Literæ Apoſtolicæ ejuſdem Pontificis eodem Die datæ ad Magiſtrum Ordinis* Joannem-Thomam de Boxadors.

XV. *Aliæ item eadem de Re Literæ Apoſtolicæ* Clementis *XIII ad eoſdem Nonaginta* Hiſpaniarum & Indiarum *Antiſtites, datæ* 11 *Januarij* 1759.

XVI. *Aliæque ejuſdem Pontificis eodem Die datæ ad* Hiſpaniarum *Nuntium*, Hieronymum Spinola, *Archiepiſcopum* Laodiceæ, *poſteà S. R. E. Cardinalem.*

XVII. *Sodales hujus Collegii Viginti Quinque Anno* 1755 *antè Terræmotum & Incendium.*

I. ANNO Incarnationis Dominicæ 1615 fundari cæpit, ut alibi narrabam (*b*), Collegium *Ulyſſiponenſe* per Donationem cujuſdam Prædij duobus Patribus *Luſitanis* Ordinis noſtri factam, & rursùs per aliam ejuſdem, alteriuſque ei contigui Prædij Donationem, ab ijſdemmet Patribus de Licentia Magiſtri Ordinis pariter factam *Hiberniæ Dominicanæ* pro excitando Collegio, ubi Regni *Hiberniæ* Incolæ, paſſim à ſua Patria Causâ Fidei Catholicæ exules, ac per totam, quà latè patet, Europam diſperſi, ad Ordinem Prædicatorum, ſi illum profiteri cuperent, admitti poſſent, & introduci, ut ibidem etiam in Sacris Literis, & Theologia edocti, & ſpiritualiter educati, ſuſtentarentur; ipſique, abſolutis hujuſmodi Studijs, in *Hiberniam* ad prædicandum Dei Verbum, Fructuſque ex Vinea Domini reportandos, mitterentur: Id enim proculdubiò in haud modicum Fidei Orthodoxæ reſiliret Incrementum, indè ſiquidem ejuſdem Regni Incolæ, qui in avita Majorum ſuorum Religione eouſque perſtiterant, confirmarentur, & à vera Veritatis Via devij ad Gremium Eccleſiæ faciliùs revocarentur, ut diſertis Verbis loquitur *Paulus* V, Pontifex Maximus, in ſpecialibus ſuper ea de Re Literis Apoſtolicis, Die 13 Novembris prælibato Anno 1615 datis, quas in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt (*c*), præfixo hoc Titulo: *Fundatio Ulyſſiponenſis Collegij Hibernorum Fratrum.* En porrò earum Tenorem:

" Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio
" Officiali Olixbonenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" In Apoſtolicæ Dignitatis Culmine, & Poteſtatis Plenitudine, ſummâ Redemptoris Benignitate, Meritis licèt imparibus, conſtituti, ad ea, per quæ Domus Regulares pro recipiendis Chriſti Fidelibus, Can

---

(*b*) Cap. v. Num. xvi. Pag. 105.

(*c*) Tom. v. Pag. 704 ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar authenticum.

“ Causâ Fidei Catholicæ â ſuis Regionibus ſpontè exulantibus, ac in illis profiteri volentibus, conſtrui valeant, propenſis Studijs intendimus, ac aliàs in his Paſtoralis Officij noſtri Partes favorabiliter interponi mandamus, prout conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte dilectorum Filiorum Vicarij Generalis totius Ordinis Fratrum Prædicatorum, necnon Johannis de Portugallo, Prioris Conventûs S. Dominici de Benfiqua (*d*), Olixbonen. Diæceſis, ejuſdem Ordinis Provinciæ Portugalliæ, ac Dominici de Roſario, nuper Comitis de Vimiozo, nunc verò ob melioris Vitæ Frugem dictum Ordinem expreſsè profeſſi, Petitio continebat; quod aliàs dilectus Filius Garcias Horunca, Laicus Nobilis Olixbonen. Civitatis, vel Diæceſis, ex Bonis Patrimonialibus, ſibi â Deo collatis, dicto Conventui, illiuſque Priori, & Fratribus quoddam Prædium, in Loco Loures vulgariter nuncupato, â dictis Civitate, & Conventu Itinere duarum circiter Leucarum diſtans, donavit eâ Conditione, ut in illo una Domus Regularis ejuſdem Ordinis pro Arbitrio, & Voluntate, ac Diſpoſitione Joannis, & Dominici prædictorum erigeretur, & inſtitueretur, prout in Inſtrumento Donationis hujuſmodi pleniùs dicitur contineri. Cùm autem, ſicut eadem Petitio ſubjungebat, ipſi Johannes, & Dominicus, qui Fratres Germani exiſtunt, conſiderantes, Regnì Hiberniæ Incolas ad præſens pro majori Parte Fidem Catholicam profiteri, & paſſim a ſua Patria Cauſa dictæ Fidei exulare, ac per totam Europam diſperſos eſſe, quodque ſi Hiberni ſic diſperſi, qui dictum Ordinem profiteri cuperent, in dicta Domo erigenda admitterentur, & introducerentur, ac in infraſcripto Collegio in Sacris Literis, & Theologia edocti, & ſpiritualiter educati ſuſtentarentur; ipſique, abſolutis Theologiæ hujuſmodi Studijs, in Hiberniam ad prædicandum Dei Verbum, Fructuſque ex Vinea Domini reportandum, mitterentur, proculdubiò id in Fidei Orthodoxæ non modicum reſiliret Incrementum, ac deindè ejuſdem Regni Incolæ, qui in avita ſuorum Antiquorum Religione hucuſque perſtiterunt, confirmarentur, & â vera Veritatis Via devij faciliùs ad Gremium Eccleſiæ revocarentur; ipſique Prior, & Conventus de Licentia dilecti Filij Magiſtri Generalis totius Ordinis hujuſmodi quoddam aliud Prædium, prædicto Conventui contiguum, & intrà illius Septa conſiſtens, pro fabricando inibi Collegio, in quo Alumni, ſeù Collegæ Hiberni dictum Ordinem profiteri volentes, Literarum, & Theologiæ Studijs commodè vacare poſſent, libenter donarent, & elargientur, ac de utriuſque Prædij Bonis, Juribus, Obventionibus, & Emolumentis, ipſi Prior, & Fratres in Domo, & Collegio erigendis introducendi ſufficienter ſuſtentarentur. Quarè pro Parte Vicarij Generalis, ac Johannis, & Dominici prædictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs dictum Ordinem ſpecialis Gratiæ Favore proſequi, ac aliàs in præmiſſis pro piæ Voluntatis ejuſdem Garciæ promptâ Executione opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ergà Chriſti Fideles ſingulos, præſertim pro Fide Catholica exulantes, paternâ Caritate benè affecti, Vicarium Generalem, ac Johannem, & Dominicum prædictos, â quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenjuris, & Pænis, â Jure, vel ab Homine quavis Occaſione, vel Causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs verificatis priùs coram te ſuprà narratis, prædictis in primo dicto Prædio unam Domum Regularem ejuſdem Ordinis cum Eccleſia, ſeù Capella, ſub Invocatione, per Priorem, & Fratres Hibernos in dicta Domo erigenda introducendos deſignandâ, ac Campanili humili, Campanis, Clauſtro, Dormitorio, Refectorio, Cellulis, Hortis, Hortalitijs, alijſque Officinis, & Fabricis neceſſarijs, & opportunis pro unius Prioris, & decem Fratrum Nationis Hibernicæ, dictum Ordinem in illa profiteri volentium, qui juxta regularia ejuſdem Ordinis Inſtituta Altiſſimo perpetuò famulentur, ac eiſdem Inſtitutis ſe conforment, necnon dicto Ordini Provinciæ Portugalliæ prædictæ adſcripti ſint, ac inſimul in dicta Eccleſia Miſſis, & alijs divinis Officijs, ac Horis canonicis diurnis, & nocturnis intervenire debeant, perpetuis Uſu, & Habitatione, in ſecundo dicto vero Prædio, poſtquàm illud, ut prædicitur, donatum fuerit, unum Collegium pro unius Lectoris, qui dictos decem Collegas, ſeù Alumnos Hibernos, tàm Novicios, dictum Ordinem profiteri volentes, quàm jam profeſſos, Artes Liberales, & Theologiam doceat, illoſque in Sacris Literis inſtruat, ac ejuſdem Domûs erigendæ Prior exiſtat etiam Uſu, & legendi Commoditate, dummodô tamen Prædia, Bona, & Proprietates, Domui erigendæ hujuſmodi aſſignata, vel aſſignanda, illorumque Fructus, Redditus, & Proventus ad congruam Prioris, & decem Fratrum in ea pro Tempore degentium Manutentionem, & aliorum illius Onerum Supportationem ſufficiant, Auctoritate noſtra, ſine alicujus Præjudicio, perpetuò erigas, & inſtituas, illiſque ſic erectis, & inſtitutis eorundem Prædiorum, præſertim ſecundò dicti, prout ipſius Conventus S. Dominici Prior, & Fratres illud hac-

---

(*d*) Adeas Cap. v. Num. xvi. Lit. d. Pag. 105:

“ tenùs poſſiderunt, Bona, Jura, Proprietates, & Emolumenta prædicta, necnon Eleemoſynas, eis per
“ quoſcunque Chriſti Fidelis relicta, & reliquenda, ex nunc, prout ex tunc, cùm primùm illa aſſignata,
“ & relicta fuerint, ità quod liceat ex nunc prout ex tunc, & è contrà, Priori Domûs ſic erigendæ, ac
“ Fratribus Hibernis in ea, ut prædicitur, introducendis, per ſe, vel per alium, ſeù alios, eorum, ac
“ dictæ Domûs ſic erigendæ Nomine, ſeù Nominibus, propriâ Auctoritate, corporalem, realem, & actualem
“ Poſſeſſionem dictorum Prædiorum, aliarumque Rerum prædictarum, cum omnibus, & ſingulis
“ Juribus, & Pertinentijs ſuis, liberè apprehendere, & apprehenſam perpetuò retinere, Fructus quoque,
“ Redditus, Proventus, Jura, Obventiones, & Emolumenta quæcunque de eis provenientia percipere,
“ exigere, levare, recuperare, locare, arrendare, ac in communes Domûs ſic erigendæ Uſum, & Utilitatem
“ convertere, Diœceſani Loci, vel cujuſvis alterius Licentiâ deſuper minimè requiſitâ, dictâ Auctoritate
“ etiam perpetuò applices, & appropries, ac inſuper ejuſdem Domûs ſic erigendæ Priori, & Fratribus
“ pro Tempore exiſtentibus, ac quibuſvis alijs Perſonis, illius Servitio addictis, ut omnibus, &
“ ſingulis Privilegijs, Facultatibus, & Libertatibus, Immunitatibus, Exemptionibus, Prærogativis, Præeminentijs,
“ Antelationibus, Favoribus, Indultis, Indulgentijs, & alijs Gratijs univerſis, tàm ſpiritualibus,
“ quàm temporalibus, quibus alij ejuſdem Ordinis Domorum, & Conventum Priores, & Fratres
“ de Uſu, Jure, Privilegio, vel Conſuetudine, aut aliàs quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, &
“ gaudent, ac uti, frui, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum, ſimiliter, & pariformiter,
“ ac abſque ulla prorsùs Differentia uti, frui, potiri, & gaudere liberè, & licitè valeant, dictâ Auctoritate
“ ſimiliter perpetuò concedas, & indulgeas, necnon demùm ejuſdem Domûs ſic erigendæ Priori
“ quæcunque Statuta, Ordinationes, Capitula, & Decreta ad ejuſdem Domûs erigendæ, ejuſque Perſonarum,
“ Rerum, & Bonorum, ſpiritualium, & temporalium, Curam, Regimen, Gubernium, Directionem,
“ & Adminiſtrationem, ac Fratrum Hibernorum in illa Receptionem, Admiſſionem, Ætatem,
“ Qualitates, Victum, Amictum, Inſtructionem, Diſciplinam, Modumque, & Formam Recitationis
“ divinorum Officiorum, Precum, Orationum, & aliorum Suffragiorum pertinentia, ac aliàs utilia,
“ licita tamen, & honeſta, Sacriſque Canonibus, ac Concilij Tridentini Decretis, necnon dicti Ordinis
“ Inſtitutis Regularibus minimè contraria, & à dicto Magiſtro Generali examinanda, & approbanda,
“ condendi, ac quoties pro Rerum Qualitate, vel aliàs expediens videbitur, prævio Examine, & Approbatione
“ hujuſmodi, illa immutandi, corrigendi, moderandi, reformandi, ac etiam alia de novo condendi,
“ eâdem Auctoritate Licentiam tribuas, & impartiaris; necnon præſentes Literas ſemper, & perpetuò
“ validas, & efficaces exiſtere, ſuoſque plenarios, & integros Effectus ſortiri, & obtinere, neque
“ ſub quibuſvis ſimilium, vel diſſimilium Gratiarum Revocationibus, Suſpenſionibus, Limitationibus,
“ aut alijs contrarijs Diſpoſitionibus, etiam per Nos, & Succeſſores noſtros Romanos Pontifices pro Tempore
“ conſequentes, ſub quibuſcunque Verborum Formis, pro Tempore factis, & conceſſis, comprehendi,
“ ſed ſemper ab illis excipi, ac quoties illæ emanabant, toties in priſtinum, & validiſſimum Statum
“ reſtitutas, repoſitas, & plenariè reintegratas, ac de novo, & ſub quacunque poſteriori Datâ, per
“ Priorem dictæ Domus ſic erigendæ, & Fratres Hibernos in illa introducendos pro Tempore conſequentes,
“ quandocunque eligendâ, conceſſas fore, & eſſe: Sicque, & non aliàs, per quoſcunque Judices,
“ & Commiſſarios, & Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales,
“ etiam de Latere Legatos, & Sedis Apoſtolicæ Nuncios, ubique judicari, & definiri debere; necnon irritum,
“ & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocunque, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit
“ attentari, dictâ Auctoritate decernas, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis,
“ ac dicti Ordinis, Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis, Statutis,
“ & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, eidem, illiuſque Superioribus,
“ & Perſonis in contrarium forſitan quomodolibet conceſſis, approbatis, & innovatis. Quibus
“ omnibus, etiamſi de illis, eorumque totis Tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & iudividua, non
“ autem per Clauſulas Generales, idem importantes, Mentio, ſeù quævis alia Expreſſio habenda foret,
“ illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, hâc Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque
“ contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo
“ Quinto Decimo, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.”

II. Collegij Fundatio ſic inchoata, non ſtatim ad Perfectionem perducta fuit, juxtà tritiſſimum illud Proloquium: *Nihil inventum, & perfectum eodem Tempore.* Rem tamen haud longè poſt complevit Vir præclariſſimus, iſtius propterea *Collegij Fundator* Jure optimo nuncupatus, Vir, inquam, præclariſſimus luſtrali Nomine, patrioque Agnomine, *Daniel O-Daly*, in Ordine Prædicatorum *Fr. Dominicus de Roſario* appellatus. Hic quippè Ordinem memoratum in Cænobio *Luci-Auguſti*, vulgò *Lugo*, in *Gallæcia*, profeſſus, completis apud *Burgos* in *Caſtella Veteri* Studijs,

dijs, perlectoque *Burdigalæ* in *Aquitania* tàm Philoſophico, quàm Theologico Curſu, in *Hiberniam* regreſſus, manſit aliquandiù in nativo ſuo Cænobio *Traleienſi* (*e*). Dein *Lovanium* de Mandato ſui Provincialis, P. Magiſtri *Nicolai Lynch*, profectus, in Collegio pro Fratribus *Hibernis* Ordinis noſtri noviter erecto (*f*), ſumma cum Laude docuit. Poſteà *Matritum* perrexit pro expediendis quibuſdam prælibati Collegij Negotijs, quibus cum Dexteritate feliciter peractis, ſentiens ſe in Gratia *Philippi* IV, Catholici Regis *Hiſpaniarum* (in cujus Ditionibus tunc erat *Luſitania*, non ſecus ac *Belgium*) de complenda *Ulyſſiponenſis* Collegij Fundatione ſeriò meditabatur. Eo Conſilio Itineri ſe accinxit, & in Via divertens ad Conventum, ubi Duo erant Patres *Hiberno-Dominicani*, *Matthæus* nimirùm *de Cruce*, & *Petrus-Martyr Piercy*, ijs *Ulyſſiponem* uſque aſſociatus fuit Anno 1629. Ibi Ope & Auxilio P. Magiſtri Provincialis *Portugalliæ*, in Cænobio S. *Dominici* memoratæ Civitatis tunc reſidentis, atque P. Magiſtri Fr. *Joannis de Vaſconellos*, & P. Magiſtri Fr. *Alvari de Caſtro*, aliorumque plurium Graduatorum iſtius Provinciæ, favente inſimul Illmo & Rmo D. *Roderico de Cunha*, Archiepiſcopo *Ulyſſiponenſi*, antè elapſum Annum integrum Tres illi Noſtrates cum alio quarto, *Eduardo* nempè *Nagle*, in Cænobio S. *Dominici de Benfica* jam anteà commorante, Poſſeſſionem aſſecuti ſunt Hoſpitij parvij in Vico, cui vulgò Nomen *Rua nova de Almada*, quod nunc Cænobium eſt Congregationis Oratorij, non longè a Palatio Regis ſitum, primuſque illius Præfectus ſub Titulo *Vicarij Hoſpitij* laudatus P. *Dominicus de Roſario*, fuit a Magiſtro Ordinis *Nicolao Ridulpho* inſtitutus *Rector Collegij* Anno 1634, quo potiebatur Munere Anno etiam 1644, dum in Capitulo Generaliſſimo *Romæ* eo Anno celebrato ad Magiſterij Gradum promoveretur, ut ex ejuſdem Actis alibi (*g*) exſcriptis liquet. Qui cùm apud *Luſitanos* ſummâ Pietatis Eruditioniſque Laude claruiſſet, atque Prudentiâ, facilè ſibi Magnatum Populorumque conciliavit Animos, & Æſtimationem, præſertim Sereniſſimæ D. *Margaritæ* Duciſſæ Viduæ *Mantuanæ*, Infantis *Hiſpaniarum*, Regis *Philippi* IV Patruæ, & ſub eo Regni *Portugalliæ* Gubernatricis, quæ ſingulis primis Menſium Dominicis ad Collegium hoc veniebat, ut Sacroſanctum Roſarium Marianum recitaret, Proceſſionique intereſſet fieri ſolitæ. At præclara hæc Duciſſa Fundationem perficere, ut intendebat, nequivit ob ejus ex *Portugalliæ* Diſceſſum Anno 1641, deficientibus ſcilicet *Luſitanis* à Rege *Hiſpaniarum*. Cæterum Reginæ *Luciæ*, *Joannis* IV Regis *Luſitaniæ* Anno 1640 proclamati Uxoris, à Sacris Confeſſionibus electus *Dominicus*, tantam invenit apud eundem Regem Gratiam, ut Anno 1655 ab eo miſſus Orator fuerit ad Chriſtianiſſimum *Francorum* Regem *Ludovicum* XIV, tunc Minorennem, ejuſque Matrem, de paciſcendis inter utrumque Fæderibus, & Affinitatibus. Quâ de Legatione plura ex *Jacobo Echardo* inferiùs dicetur (*h*).

III. Ut autem eo in Hoſpitio faciliùs celeriùſque augeretur Fratrum Numerus, indè in *Hiberniam* deſtinatus fuit Venerabilis P. *Arthurus Mac-Geoghegan*, qui tamen in Itinere ab *Anglis* comprehenſus, & *Londinenſi* Carceri mancipatus, plures in Odium Catholicæ Fidei Calumnias perpeſſus eſt. Tandem ad Patibulum ductus, ſuſpenſus, & adhuc ſemivivus membratim diſciſſus, atque Inteſtinis in Igne crematis, Mortem glorioſè ſubijt A. D. 1633 (*i*).

Ea de Cauſa magis magiſque percrebuit Fama memorati noſtri Hoſpitij, indeque quamplurimi Juvenes *Hiberni* eidem ſe aggregarunt, quod deinceps celebre Seminarium Martyrum evaſit. *Seminarium*, inquam, *Martyrum*, ex eo quippè intrà paucos Annos Septem Catholicæ Fidei Athletæ prodiere, qui pro ea Martyrij Palmam conſecuti ſunt, *Arthurus* nempè *Mac-Geoghegan*, jam laudatus, *Geraldus Dillon*, *Milerus* (ſeù *Milo*) *Magrath*, *Æneas-Ambroſius O Cahil*, *Michael O-Clary*, *Geraldus Bagot*, & *Thaddæus Moriarty*, de quibus alibi uberiùs opportuniùſque dicetur (*k*).

(*e*) Videſis Cap. ix. §. x. Pag. 237.

(*f*) De quo Sermo erit §. ſeq.

(*g*) Cap. vi. Num. x. Sect. 14. Pag. 116.

(*h*) Cap. xiii. Num. lxix.

(*i*) Verba ſunt Capituli Generaliſſimi Romæ 1644, quæ in ejuſdem Actis legere eſt Pag. 119, & quæ exſcripta habebis Cap. xvi. Num. v.

(*k*) Cap. xvi. Num. v, xxiii, xxvii, xxviii, xxxvii, & xlvi.

Scholastici autem talem, ac tantum in Philoſophicis, & Theologicis Diſciplinis fecere Progreſſum, ut prælaudatum Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644, ſub Rmo Magiſtro Ordinis *Thoma Turco* celebratum, Collegium noſtrum in Studium Generale, ut vocamus (id eſt, ubi Actus, & Exercitia Scholaſtica pro Præſentaturæ, & Magiſterij Gradibus fiunt), erigere non dubitaverit, his ſub Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 9, Verbis: *Acceptamus Nomine ejus Provinciæ* (Hiberniæ) *Collegium, ſeù Conventum Fratrum, & Monaſterium Monialium Ulyſſipone fundatum, ſub Cura, & Regimine R. Adm. Patris Provincialis Hiberniæ pro Tempore, & concedimus, ut in eodem Collegio fiant Actus & Exercita pro Gradu & Forma* (l).

IV. **Crescente** indiès Fratrum Numero, Magiſter *Daniel O-Daly*, ſeù *Dominicus de Roſario*, ſuprà laudatus, & nunquàm ſatis pro Meritis laudandus, qui præclaris Dotibus cumulatiſſimè ornatus, Sereniſſimæ D. *Luciæ*, ab Anno 1656 Reginæ Regentis, ut vocant, *Luſitaniæ*, à Confeſſionibus fuerat, atque à Sanctioribus Conſilijs, eidem Reginæ poſt ſuum a Legatione præfata Reditum ſupplicavit, ut Confratribus ſuis *Hibernis*, qui in calamitoſis ſub Gubernio *Hiſpanico* Temporibus Hoſpitium exiguum impetrarunt, nunc Cænobium magis amplum, magiſque commodum extruatur. Confeſſarij ſui Precibus benignè annuit Regina, indèque incunctanter cæpta fuit Fabrica Die 4 Maij 1659 per Poſitionem primi angularis Lapidis, hæc exhibentis ſcalpta Verba, ex *Luſitanico* in *Latinum* verſa: *Sacra Majeſtas* D. *Luciæ de Guſman* (*m*), *Reginæ Portugalliæ, Collegium hoc fundavit pro Dominicanis Hibernis, Beatiſſimæ Reginæ Sacratiſſimi Roſarij, & Sancto Patriarchæ Dominico* (*n*) *nuncupatum, Die* 4 *Maij* 1659.

Sacram peregit Cæremoniam ſolemni Ritu Illuſtriſſimus D. *Franciſcus de Sottomajor*, Epiſcopus *Lamecenſis* (*o*), adſtantibus Sacræ Inquiſitionis & Curiæ Officialibus, Religioſorum Ordinum Prælatis, univerſis Patribus Conventûs S. *Dominici*, magnoque Nobilium & Populi Concurſu, eoque majori quia Dies Dominica erat. Eodem Tempore P. Magiſter *Ferdinandus Suero* Sermonem habuit politiſſimum ſuper ſingulari *Hibernorum* Conſtantia in Fide Catholica, necnon Martyrio, quod eorum plurimi, tam Sæculares, quàm omnium Ordinum Regulares, Causâ ipſius fortiter ſubierunt, nuperis etiam Annis, immò & tunc Temporis ſubibant; atque ſuper Felicitate Metropolis *Ulyſſiponenſis*, utpotè habentis in ſuo fermè Centro Seminarium Doctrinæ, Pietatis, & Martyrij, & quidem in *Portugalliæ* Regno, ad cujus primum Monarcham dixiſſe fertur Chriſti Domini in Cruce pendentis Imaginem: *Volo in te, & in Semine tuo, ſtabilire mihi Regnum* (*p*).

V. **Ædificium** iſtud, abſque Interruptione ulla continuatum, ad felicem Exitum Sumptibus laudatæ Reginæ citò perductum fuit, & quidem in Parochia S. *Pauli*, atque in Platea *Corporis Sancti* (*q*), cujus integrum occupat Latus, habens è Regione magnificum Palatium, à Regibus olim habitatum, atque ab utroque amæniſſimus eſt magni Fluminis *Tagi*, Naviumque Proſpectus. Etſi porrò Cænobium ſat commodum ſit (*r*), Clauſtrum nihilominùs verè exiguum eſt,

nihilque

(*l*) Reliquas Capituli hujus Generaliſſimi Conceſſiones, *Provinciæ Hiberniæ* factas, legere eſt Cap. vi. Num. x. Pag. 114.

(*m*) Filia erat *Joannis-Emmanuelis Perez de Guſman*, Ducis *Medinæ-Sidoniæ* in *Hiſpania*, & Vidua tunc *Joannis*, primò Ducis *Brigantiæ*, dein, excuſſo *Hiſpanico* Gubernio Anno 1640, Regis *Luſitanæ*, hujus Nominis IV; atque Mater nedùm *Alphonſi* VI, Regis item *Luſitaniæ*, tunc Minorennis, ſed & *Catharinæ* Reginæ, Conjugis *Caroli* Secundi, *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* Regis.

(*n*) Credere par eſt, prælibatum Collegij hujus Fundatorem, utpotè *Dominicum de Roſario*, Auctorem fuiſſe iſtius Nuncupationis. Idemque de Nuncupatione S. *Crucis*, Cænobio noſtro *Lovanienſi* inditâ, dicetur §. ſeq. Num. xiii.

(*o*) Vulgò *Lamego*, in *Luſitania*, ſub Archiepiſcopo *Braccarenſi*.

(*p*) Rem hanc integram ex *Ulyſſiponenſis* iſtius Collegij Archivo reſcripſit mihi P. Magiſter *Carolus O-Kelly*, Roſcomanienſis, olim ejuſdem Collegij Rector, ibidemque Studiorum Regens, nunc verò Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologus, alibi laudatus, & laudandus. Plura etiam hìc narrata excerpſi ex *Chorographia Luſitanica* (Tom. iii. Pag. 484. §. i.) quam *luſitanico* Idiomate Juris publici fecit P. *Antonius Carvalho de Coſta*, Anno 1712.

(*q*) Vulgò *Largo di Corpo Santo*, ſic paſſim nuncupata à parvo quodam Templo, ad ſeptentionalem Plateæ Partem ſito. Accuratiùs autem vocatur *Largo de la Corte Real* à Palatio regio ibidem exiſtente.

(*r*) Hæc ſcripſi antè Terræ-Motum, & Conflagrationem Urbis *Ulyſſiponenſis*, de quibus vide Num. xi. Pag. 424.

nihilque Obſervatu dignum Oculis exhibet præter laudati Fundatoris P. Magiſtri *Danielis O-Daly*, aliàs *Dominici de Roſario*, omni Elogio digni, Monumentum, hiſce conceptum in Marmore Verbis :

Hic jacet
Venerabilis Pater Magiſter
Frater Dominicus de Roſario, Hibernus,
Hujus, & Conventûs Monialium Boni Succeſſûs
Fundator,
In varijs Regum Legationibus felix,
Epiſcopus Conimbricenſis Electus,
Vir Prudentiâ, Literis, & Religione conſpicuus.
Obijt 30 *Junij Anno Domini* 1662
Ætatis 67.

Ex Sepulchrali hac Inſcriptione liquet, Virum hunc omni Laude majorem, electum fuiſſe *Conimbricenſem* Epiſcopum. Cùm enim poſt novam Supplicationem, Reginæ *Luciæ* factam, pro annua Eleemoſyna, Collegio, & Monaſterio à ſe fundatis erogandâ, alius, exhauſto jam Sumptibus Belli Ærario, excogitatus non fuerit Modus congruam tribuendi Summam pecuniariam annuam, quàm ſi vacantem tunc Epiſcopatum iſtum *Conimbricenſem*, ſeptuaginta quinque millium Aureorum Proventu opulentum, acceptaret, qui anteà ſui ſtudioſiſſimus ac tenax Inſtituti, *Braccarenſem*, & *Goenſem* Archiepiſcopales Sedes, hancque *Conimbricenſem* Cathedralem conſtantiſſimè recuſavit, Sorte ſuâ, ſuiſque contentus prodeſſe Fratribus, Sororibus, atque Gentilibus, dura pro Chriſti Fide in *Hibernia* ſuſtinentibus, tandem, ſeriâ Commiſeratione ergà prædictos devictus, conſenſit, ut Epiſcopus *Conimbricenſis* eligeretur, antè peractam autem Ordinationem Pontificalem ex hac Vita migravit (*s*).

VI. In Ædibus Sacris hujuſce Collegij non ſunt Lapides Sepulchrales, unum ſi excipias mihi olim tàm in Urbe qnàm in *Hibernia* notiſſimi, Illuſtriſſimi nempè *Michaelis Mac-Donogh*, Confratris noſtri, Epiſcopi *Kilmorenſis*, haud longè ab Ara Maxima ſitum, cujus hæc eſt Inſcriptio :

Hic jacet
Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Dominus
Fr. Michael Mac-Donogh, Hibernus,
Epiſcopus Kilmorenſis, Solio Pontificio Aſſiſtens,
E Sacra Prædicatorum Familia aſſumptus,
Vir Prudentiâ, Fidei Zelo, ac Religionis Amore præclarus,
Poſt varias Hæreticorum Perſecutiones,
Diuturnâ Infirmitate conſumptus,
Obijt Ulyſſipone 6. *Kal. Decembris Anno* 1746.
Ætatis 48 (*t*).

VII. Porro ne Collegium hoc, aut Monaſterium Boni Succeſſûs, de quo infrà (*u*), unquàm avulſa forent ab *Hiberniæ* Provincia, ſed pro ſolis Fratribus, & Monialibus Hibernis deſerviant; ſpeciales dedit Die 15 Aprilis 1655 Literas Patentes nunquàm delendæ Memoriæ Reverendiſſimus æquè ac Munificentiſſimus *Hiberniæ Dominicanæ* Benefactor, *Joannes-Baptiſta*, inquam, *de Marinis*, Magiſter Ordinis, pro eo, quo flagrabat, Paternæ Charitatis Zelo vehementer dolens,

Patres

(*s*) Hæc, & plura alia de egregio iſto Viro clarent Cap. xiii, Num. lxix, & Cap. xv. Num. xxi.

(*t*) Conſulendum Cap. xiii. Num. lxxvii, ubi datâ Operâ de eo dicetur.

(*u*) Cap. præſ. §. v.

Patres, ac Sorores Noſtrates *calamitoſis* iſtis *Temporibus (w) ab Hæreticis ejectos fuiſſe à toto Regno Hiberniæ.* En autem integrum earum Tenorem ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* (x).

“ Nos Frater Joannes Baptiſta de Marinis, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

“ Cùm à Nobis, & Prædeceſſoribus noſtris, ordinarum fuerit, Collegium Sanctiſſimi Roſarij, & Monaſterium Sanctimonialium noſtrarum Dominæ Noſtræ Boni Succeſsûs, in Regno Portugalliæ, manutenenda eſſe, ac fore, pro Patribus, ac Sororibus Nationis Hiberniæ, prout hactenùs obſervatum fuit, & obſervatur, ad majorem tamen Voluntatis noſtræ Expreſſionem attendentes, tàm dictum Collegium Sanctiſſimi Roſarij, quàm Monaſterium Sanctimonialium noſtrarum Dominæ Noſtræ Boni Succeſſus, in Regno Portugalliæ, fuiſſe fundata, & erecta pro Patribus, & Sororibus dictæ Nationis Hiberniæ, necnon conſiderantes, prædictos Patres, & Sorores his calamitoſis Temporibus ab Hæreticis ejectos fuiſſe à toto Regno Hiberniæ, harum Serie, ac Officij Noſtri Authoritate inhærentes Diſpoſitionibus aliàs factis, ordinamus, ac inviolabiliter obſervari mandamus, in poſterum dictum Collegium, ac Monaſterium, eſſe, ac fore in perpetuum deputata pro Fratribus, ac Sororibus noſtris reſpectivè Nationis Hiberniæ. Præcipientes in Virtute Spiritus Sancti, ac Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto, necnon ſub Pœna Excommunicationis latæ Sententiæ ipſo Facto incurrendâ, hac unâ pro trinâ Cononicâ Admonitione præmiſsâ, omnibus, & ſingulis noſtræ Curæ ſubjectis, cujuſcunque ſint Gradus, & Conditionis, nè ullo Modo directè, nec indirectè, nec per ſe, nec per alios, audeant quicquam in contrarium attentare, petere, aut exequi. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus, Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Super Minervam Die 15 Aprilis 1655” *(y)*.

VIII. Ut autem præinſertis Literis Patentibus Apoſtolicæ Firmitatis Robur inviolabile adjiceretur, Patres Collegij, ſicut & Moniales Monaſterij prælibati, demiſsè ſupplicarunt *Alexandro* VII, Pontifici Maximo, qui eorum Precibus benignè annuens, ſequentem expediri fecit Conſtitutionem, quam in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (z) legere eſt.:

“ ALEXANDER PP. VII. Ad futuram Rei Memoriam.

“ Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti Filij Fratres Collegij Sanctiſſimi Roſarij, ac dilectæ in Chriſto Filiæ Moniales Monaſterij B. Mariæ Virginis Boni Succeſsûs nuncupati, Civitatis Ulixibonen. Nationis Hiberniæ Ordinis Prædicatorum, quod aliàs dilectus Filius Magiſter Generalis dicti Ordinis, Diſpoſitionibus anteà factis inhærens, ordinavit, ac inviolabiliter obſervari mandavit, ut ex tunc in poſterum Collegium, & Monaſterium prædicta eſſent, & forent in perpetuum deputata pro Fratribus, ac Monialibus reſpectivè Nationis, & Ordinis prædictorum, ac aliàs prout uberius aſſeritur contineri in ejuſdem Magiſtri Generalis Literis Patentibus Tenoris, qui ſequitur, videlicet: Nos Frater Joannes Baptiſta de Marinis *(&c ut ſupra uſque ad Subſignationem incluſivè, deinde proſequitur Pontifex)* Cùm autem, ſicut eadem Petitio ſubjungebat, firmiora ſint illa, quæ Sedis Apoſtolicæ Munimine roborantur, Nobis propterea ipſi Exponentes humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportunè providere, & ut infrà indulgere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur illos ſpecialibus Gratijs, & Favoribus proſequi volentes, & eorum ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pœnis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Causâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxat conſequendum, Harum Serie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Ordinationem, & Mandatum, à memorato Magiſtro Generali, ſicut præmittitur, facta, expeditaſque deſuper ejuſdem Literas Patentes præinſertas, cum omnibus, & ſingulis contentis in illis, Auctoritate Apoſtolicâ, Tenore præſentium confirmamus, & approbamus, illiſque inviolabilis Apoſtolicæ Firmitatis Robur adjicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti Defectus, ſi qui in illis quomodolibet intervenerint, ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes Literas ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere,

“ & fore,

(w) Adeas Cap. vi. Num. xiii. Pag. 118.

(x) Tom. vi. Pag. 200, & ex Autographo *Ulyſſiponenſi.*

(y) Hùc facit Decretum Capituli Generalis *Romani* Anno ſequenti 1656 ſub eodem Magiſtro Ordinis celebrati, quod exſcribere erit §. ſeq. Num. xi.

(z) Tom. vi. Pag. 200, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar.

“ & fore, ſuoſque plenarios, & integros Effectus ſortiri, obtinere, & illis, ad quos ſpectat, & pro Tempore ſpectabit, pleniſſimè ſuffragari, ſicque in præmiſſis per quoſcunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Authoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, necnon, quatenùs Opus ſit, prædicti Ordinis, & alijs quibuſvis, etiam Juramento, Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate aliâ roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis, in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis illorum Tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo Robore permanſuris, ad præmiſſorum Effectum hac Vice duntaxàt ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die xxiii Decembris MDCLXI, Pontificatûs Noſtri Anno Septimo.”

IX. ANNO 1676 Rmus P. Magiſter Ordinis Fr. *Joannes-Thomas de Roccaberti* quaſdam fecit Ordinationes, tam pro Collegio Fratrum, quàm pro Monaſterio Sororum, nominatim ut eorum Superiores Quatuor Menſibus antequàm Officiorum Tempus finiant, Notitiam de eo præbeant Magiſtro Ordinis, proſecuturi tamen Officia ſua uſque dum alij à Magiſtro Ordinis inſtituantur (*a*). En porrò Literarum laudati Magiſtri Ordinis Tenorem ex Autographo *Ulyſſiponenſi*.

“ Nos Fr. Joannes Thomas de Roccaberti, Sacræ Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

“ Cùm Collegium Sanctiſſimi Roſarij Fratrum Hibernorum Ulyſſipone, necnon Monaſterium Monialium Boni Succeſsus in Suburbijs ejuſdem Civitatis conſtructum, tùm ex Diſpoſitione Prædeceſſoris noſtri Reverendiſſimi Patris Magiſtri Fr. Thomæ Turci, tùm ex Decreto Capituli Generalis Romani 1650 (*b*), ſint Nobis ſolis immediatè ſubjecta, cogimur ex Debito Officij noſtri eorundem Bono & Incremento ſpecialibus conſulere.

“ Sanè poſt Mortem R. P. Magiſtri Fratris Dominici de Roſario (*c*), qui tàm dicto Collegio, quàm præfato Monaſterio præfuit tanquàm Vicarius Magiſtri Ordinis, Reverendiſſimus P. Fr. Joannes Baptiſta de Marinis, Prædeceſſor noſter, diſpoſuit pro interim, ut Rector ab ipſo inſtitutus Curam haberet utriuſque Domus uſquedum aliter ab eodem, ſeù à ſuis Succeſſoribus ordinaretur. Sed quoniam Experientiâ compertum eſt, quod, cùm Monaſterium Monialium diſtet à Collegio per quatuor ferè Milliaria, non poſſit commodè Rector ordinario Gubernio utriuſque Domûs incumbere, neceſſarium judicamus, quod cuique Domui præſit peculiaris Prælatus, prout anteà conſuetum erat: Quapropter per alias Patentes noſtras inſtituimus pro Collegio Rectorem, & pro Monaſterio Vicarium. Nihilominùs quoniam præfatum Monaſterium indiget multoties Operâ Religioſorum dicti noſtri Collegij, ordinamus quod Rector Collegij pro Tempore habeat Vices Vicarij Generalis utriuſque Domûs, prout dictus P. Magiſter Fr. Dominicus de Roſario habebat dùm viveret.

“ Ipſis autem tàm Rectori Collegij, quàm Vicario Monaſterij pro Tempore præcipimus in Virtute Spiritus Sancti, & Sanctæ Obedientiæ ſub formali Præcepto, ut quatuor Menſibus antequàm finiant Tempus ſui Officij, in ſuis Literis Patentibus præfinitum, Notitiam præbeant Magiſtro Ordinis pro Tempore, tùm de Statu Collegij, & Monaſterij, tàm etiam de Die quo Officia ſua complent, ad hoc, ut Magiſter Ordinis poſſit alios inſtituere, vel eoſdem (ſi ſibi in Domino viſum fuerit) confirmare, & Caſu quo, completo Tempore ſuorum Officiorum, novæ Inſtitutiones Magiſtri Ordinis adhuc non pervenerint, proſequantur ſua Officia uſque ad Adventum novarum Patentium, in quibus alij tùm Collegio, quàm Monaſterio, à Magiſtro Ordinis præficiantur.

“ Quoniam

(*a*) *Ulyſſiponenſis* iſta Domus Fratrum propriè onventualis non eſt, prout ſunt *Romana*, & *Lova-* enſis, ſed merum Collegium, quarè Præfectus illi- non *Prior* nuncupatur, ſed *Rector*, neque à Pa- bus eligitur, prout eliguntur Priores *Romanus*, & vanienſis, ſed inſtituitur à Magiſtro Ordinis, qui men pro pleniori Informatione, & Candidatorum otitia recipere ſolet à Partibus Collegij Scrutinium, non quidem Electionis Canonicæ, ſed puræ putæque Poſtulationis.

(*b*) Conſule Cap. vi. Num. xii. Sect. 4; & confer Cap. viii. Num. ix. Sect. 2. Pag. 117, & 161.

(*c*) Patrio Agnomine *O-Daly*, de quo mox dictum eſt à Num. ii, iterumque uberiùs dicetur Cap. xiii. Num. lxix, & Cap. xv. Num. xxi.

“ Quoniam verò prædictæ Domus ſunt ſoli (*d*) Magiſtro Ordinis pro Tempore ſubjectæ, & abſque expreſſa
“ illius Authoritate nullus poſſit Gubernio illarum ſe intromittere, prohibemus, ne Provincialis Hiberniæ
“ pro Tempore, vel alius quicunque, mittat Fratres ad dictum Collegium niſi à Rectore pro
“ Tempore poſtulentur, cùm in præfato Collegio non poſſint habitare niſi illi, qui præcisè neceſſarij ſunt,
“ vel Ratione Studiorum, quæ in ipſo Collegio vigent, vel Officiorum pro utriuſque Domus Religioſo Miniſterio.
“ Et ità perpetuis futuris Temporibus totum hìc præſcriptum obſervandum decernimus, niſi
“ aliter per Nos, ſeù Succeſſores noſtros, fuerit ordinatum. In Nomine Patris, & Filij, & ſpiritus Sancti.
“ Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum Fidem his Officij noſtri Sigillo munitis
“ Manu propriâ ſubſcripſimus. Datum Romæ in Conventu noſtro Sanctæ Mariæ Super Minervam
“ Die 19 Novembris 1676.

“ Fr. JOANNES THOMAS DE ROCCABERTI,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ Regiſtrata Filio I.
“ *Fr. Emanuel Pereira*,
“ *Magiſter*, *Provincialis Terræ Sanctæ*.

X. Sɪ iſta non ſufficiant de *Ulyſſiponenſi* noſtro Collegio, mihi Vitio verti non debet, ulteriora quìppè poſt repetitas, atque urgentes à me ad illud datas Epiſtolas, recipere nequivi. Cæterùm quod ad Rei Literariæ Æconomiam attinet, quæ nuper (*e*) ajebam de Studio Generali *SS. Sixti*, *& Clementis* de Urbe, hìc Loci repeti poſſent, paucis mutatis, nempè Alumnos hujus Collegij eſſe ut plurimùm in Numero intrà vigenarium, & trigenarium, è quibus Sex ſunt Studij Officiales, ſcilicet Regens, Lector Primarius, Lector Veſperarius (*f*), Lector S. Scripturæ, & Controuerſiarum Fidei (*g*), Magiſter Studentium, & Lector Artium, ſeù Philoſophiæ. Ex hoc item Collegio prodeunt aptiſſimi Miſſionarij Apoſtolici, qui Vocationis ſuæ memores in Patriam redeunt pro Fide Catholica tuenda, & propaganda. Neque hìc Loci, benedicente Domino, obſervatur adamuſsìm, hiſce ſaltem Temporibus, Alternativa Quatuor *Hiberniæ* Nationum, unica & peſſima Rixarum, & Diſſentionum quotidianarum Radix (*h*); enimverò modernum Rectorem P. Magittrum *Petrum Mac-Keon*, Conacienſem, inſtituit Rmus P. Magiſter Generalis *Antoninus Bremond*, tametſi alienam Nationem Alternativa tetigerit, eundemque poſteà ad aliud Triennium in prælibato Rectoris Munere continuavit. Hùc profectò faciunt planè aurea Comitiorum Generalium *Romæ* 1694 ſub immortalis Memoriæ Rmo Magiſtro Ordinis P. *Antonino Cloche* celebratorum Verba alibi exſcripta (*i*): *Indecorum ſanè, & inboneſtum eſt* (ajunt Sapientiſſimi Patres) *quod dum eo in Regno* (Hiberniæ) *ab Hereticis vehemens excitata eſt Perſecutio, adhuc inter Fratres vigeant hæ irreligioſæ Æmulationes, & Rixæ; eas omninò abolere volentes, injungimus omnibus bujuſce Provinciæ Filijs, ut ſe ad invicem ſuſcipiant, & Honore præveniant (k).*

XI. Vɪx hæc ſcripſeram, cum ecce Die 1 Novembris 1755 Terræ-Motus, poſt Hominum Memoriam maximus, Regiam iſtam *Ulyſſiponenſem* Civitatem undequaque ſubvertit, ſubſecutaque penitùs conſumpſit Conflagratio. Heu! igitur, quàm fluxæ, & inſtabiles ſunt Res humanæ, quàm anceps, & lubrica Rerum Conditio! *Ulyſſiponem*, Metropolim ampliſſimam frequentiſſimamque, Opibus & Commercio florentiſſimam, ſi quæ alia Europæ, inopinata Terræ Concuſſio, & repentina Flamma, Cælo tranquillo, & blando, Exiſtentiâ privavere, rapuereque ex Hominum Conſpectu. Hominum, inquam, ſuperſtitum, innumeram quippè Hominum Multitudinem Calamitas hæc delevit. Ite nunc ite, & malè creduli lenocinantis Fortunæ fallacibus Blandimentis confidite.

Porro

(*d*) Conſulendum Cap. viii. Num. ix. Sect. 2. Pag. 161.

(*e*) §. ſuperiori, Num. xliii. Pag. 414.

(*f*) Conſulendus Num. xliii. §. ſuperioris, Lit. l. Pag. 414.

(*g*) Adeas Cap. viii. Num. iii. Sect. 4. Pag. 156.

(*h*) Recolendum Cap. vi. Num. xxvii. Lit. n; & Cap. viii. Num. i. Sect. 3. & 4. Pag. 135, & 154

(*i*) Cap. viii. Num. i. Sect. 4. Pag. 154

(*k*) Verba ſunt Apoſtoli in Epiſtola ad *Romanos* Cap. xii. Vers. 10.

PORRO Quatuor Collegij hujus Alumni fatali eo Die obruti ſunt, extrà Septa Monaſterij conſtituti, nimirùm P. Præſentatus Fr. *Thomas-Milo de Burgo*, Athenrienſis, Studiorum Ex-Regens (l); P. Præſentatus Fr. *Patritius Mac-Cabe*, Colranenſis, S. Theologiæ Lector Veſperarius; Patres Studentes Theologi, Fr. *Antonius Mac-Donnell*, & Fr. *Brianus Morilly*, Urlarienſes.

XII. EA ex Calamitate nonniſi vulneratus evadens A. R. P. Magiſter Fr. *Carolus O-Kelly*, Roſcomanienſis, nuper laudatus (*m*), Collegij hujus olim Rector, &, poſt verè laudabiliter expleta omnia Scholaſtica Munia, Studiorum Regens, tunc autem in Conventu *S. Dominici* degens, Vir Eruditione, & Pietate conſpicuus, ac in Rebus agendis dexterimus, *Hiberniæ Dominicanæ* Bono natus, omnique Elogio dignus, Mentis Aciem ad Collegij ejuſdem Reſtaurationem pro ſummo, quo flagrat, Ordinis, & Provinciæ Zelo, fortiter ſtatim intendit. Eo Conſilio, *Romam* jam jam profecturus ad Comitia Generalia (*n*), quà eorundem Definitor, Teſtimoniales Sacræ Inquiſitionis *Liſbonenſis* Literas dari curavit, Tenoris ſequentis:

“ Nobis hujus Sanctæ Inquiſitionis Liſbonenſis Apoſtolicis Inquiſitoribus expoſuerunt Rector, & Religioſi
“ Alumni Collegij Sanctiſſimi Roſarij Fratrum Prædicatorum Hibernorum, quod in præſentibus Rerum
“ ſuarum Circumſtantijs, Literæ noſtræ teſtimoniales de eorum Collegij Utilitate, illis ſint omninò neceſſariæ.
“ Nos igitur Teſtimonium Veritati perhibere parati, omnibus cujuſcunque Gradûs has viſuris
“ Fidem facimus, & atteſtamur, prædictum Collegium à ſua Fundatione uſque ad ejus totale Exitium
“ per Terræ Motum, & Incendium ſubſecutum Die primâ Novembris Anni proximè elapſi, Sanctæ Dei
“ Eccleſiæ continua, & graviſſima præſtaſſe Obſequia. Enimverò vigentibus in eo præclaris Philoſophiæ,
“ &Theologiæ Scholaſticæ, Poſitivæ, & Dogmaticæ Studijs, Miſſionarios Apoſtolicos, Fidei Zelo flagrantes, &
“ bonis Moribus ædificantes, ſingulis Annis tranſmiſit in varias Magnæ Britanniæ Ditionum Partes, dùm in hac
“ ipſa Civitate ſui Alumni ingentem Hæreticorum Numerum, ex Partibus Acatholicis Commercij Causâ
“ confluentem, ad Gremium Eccleſiæ reducunt, immò Saluti Animarum, & maximè Catholicorum exterorum,
“ hìc degentium, tùm Verbi Dei Prædicatione, cùm Sacramentorum Admiſtratione, ſedulò, &
“ vigilanter incumbunt, huicque Fidei Tribunali in multis haud parvi Momenti Negotijs frequenter inſerviunt.
“ Undè illos de Nobis benè meritos, & ad ſummam Egeſtatem redactos, omnibus Chriſtifidelibus
“ plurimùm in Domino commendamus. Datis Liſbonæ apud Sanctum Officium ſub Signo noſtro, & Sigillo
“ ejuſdem, Die 4 Martij 1756.”

“ *Emmanuel Alfonſus Ribello Secretarius*, fecit.
“ *Ludovicus Barata de Limà.*
“ *Joachinus Janſen Muller.*
Locus ✠ Sigilli.

XIII. IN Itinere conſtitutus laudatus Magiſter *Carolus O-Kelly*, Notitiam recepit de Electione ſua ad Theologatum Collegij *Caſanatenſis* (*o*) de Urbe. Hinc ibidem poſt expleta Comitia Generalia manens, & poſt nullum non motum ab eo Lapidem, intrà duos Menſes, præter omnium fermè Expectationem, ſequentes Literæ Apoſtolicæ, ad Nonaginta Antiſtites in Ditionibus Regis *Hiſpaniarum* datæ, emanarunt in hunc Modum:

“ Venerabili Fratri Archiepiſcopo, vel Epiſcopo &c.

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Inter cæteras Ædes, Conventus, Monaſteria, ac Sacra Templa, in Civitate Liſbonenſi potiſſimùm,
“ alijſque Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Civitatibus, Oppidis, & Locis, propter ingentes, iteratiſque
“ Terræ Motus Concuſſiones, ſivè diruta, ſivè everſa, ſivè Solo æquata (quemadmodùm non ſine
“ graviſſimo Pontificij Cordis noſtri Mærore recipimus) numeratur quoque Collegium dilectorum Filiorum
“ Fratrum Ordinis Prædicatorum pro Natione Hiberniæ inibi erectum, & magno cum religioſarum Virtu-

---

(*l*) De eo datâ Operâ dicetur Cap. xv. Num. xxxiii.

(*m*) §. præſ. Num. iv. Lit. p. Pag. 420.

(*n*) Recolendum Cap. viii. Num. xxx. Pag. 183.

(*o*) Adeas Cap. xv. Num. xxix.

“ tum Doctrinarumque Splendore, & præcipuè cum Hominum Acatholicarum Nationum ad Catholicam Fidem, vel in ipſa Liſbonenſi Civitate, vel in Regno Hiberniæ, per ejuſdem Collegij Miſſionarios convertendorum Utilitate commendatiſſimum. Undè factum eſt, ut Neceſſitas Religioſos Alumnos memorati Collegij profugos ad alios dicti Ordinis Conventus tanquam Hoſpites confugere coegerit. Sanè dilectus Filius Carolus O-Kelly, laudati Ordinis Frater expreſsè profeſſus, in Sacra Theologia Magiſter, Natione Hibernus, ijdemque Religioſi Alumni dicti Collegij, non levi Fiduciâ pro certo ſibi pollicentur acceptam Calamitatem, urgentemque ipſorum Inopiam, apud Paſtoralem Fraternitatis tuæ Pietatem ſatis valere, ut Opem tuam implorantes, tuam Benignitatem opportuno ſibi fore in tot tantiſque Anguſtijs Subſidio experiantur. Verùm quo ipſi ſuorum Votorum Deſideriorumque pleniùs fiant compotes, exiſtimantes noſtram apud te, Venerabilis Frater, Commendationem ſibi plurimùm profuturam, Supplices paternam Charitatem noſtram ad illam tecum, atque alijs Venerabilibus Fratribus Hiſpaniarum Antiſtitibus adhibendam exorarunt. Nos autem, quibus reipsà exploratum eſt, quanti ad Catholicæ Religionis Decus, & Incrementum interſit, ut Collegium hujuſmodi iterûm à Fundamentis excitetur, & in priſtinum Statum, & Commodum reſtituatur, libenter ſtimulis tuæ Virtutis noſtræ etiam Commendationis Officium adjungimus, ut Catholicæ Nationis inter Hereticorum Vexationes Conſtantiam nullo deſtitui patiamur Apoſtolici Patrocinij Studio, tibi verò, Venerabilis Frater, uberem ſuggeramus Meritorum Materiem, cùm nimirùm intellexeris, tuæ Miſericordiæ Fructus ad novum tuæ in hanc Sanctam Sedem Noſque ipſos Obſervantiæ Teſtimonium, atque ad pium ergà Catholicam Religionem Obſequium pertinere. Quidquid igitur ſivè per teipſum erogatum, ſivè ex alijs Chriſtifidelibus per Parochos, quibus id injunges, collectum, ipſis Religioſis Alumnis commodaveris, ad cæleſtem tibi uberiùs demerendam Mercedem redundabit, Animumque noſtrum ampliùs tibi obſtringet. Itaque quamcunque Pecuniarum Summam, ut præmittitur, paratam habueris, volumus, ut illam apud te ſerves, & ad Prioris Provincialis, ſivè in tua, ſivè in alijs Diæceſibus exiſtentis, proximioris, Manus, à quo haſce noſtras in Forma Brevis Literas tibi reddendas mandamus, præſtito tamen receptæ Pecuniæ hujuſmodi legitimo Documento, perveniendam ſedulò cures. Interim Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die V Novembris MDCCLVI, Pontificatûs noſtri Anno Decimo ſeptimo.

“ CAJETANUS AMATUS.

XIV. EODEM Deo idem Sanctiſſimus Dominus noſter alias expediri fecit Literas Apoſtolicas Tenoris ſequentis:

“ Dilecto Filio Johanni Thomæ de Boxadors, Magiſtro Generali Ordinis
“ Fratrum Prædicatorum.

“ BENEDICTUS PP. XIV.

“ Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Quanti ſemper fecerimus, quantoque in Pretio habere pergamus inclytum Ordinem dilectorum Filiorum Frarrum Prædicatorum, cui tu, dilecte Fili, tanta cum Nominis tui, & Religioſarum Virtutum Laude praees, pleniſſimè explicavimus in Concione, quam in Comitijs Generalibus ejuſdem Ordinis, hoc Anno celebratis, in quibus Magiſter Generalis electus fuiſti, proprio Ore habuimus. Quamobrem tibi, dilecte Fili, perſuaſum eſſe cupimus, Nos opportunas Apoſtolici Miniſterij Partes eidem Ordini profuturas deſiderari nunquàm fore paſſuros. Sanè dilectus Filius Carolus O-Kelly, Ordinis tui Frater expreſsè profeſſus, in Sacra Theologia Magiſter, & Natione Hibernus, tâm ſuo, quàm dilectorum Filiorum Fratrum ejuſdem Ordinis dictæ Nationis Hiberniæ Alumnorum Collegij, in Civitate Liſbonenſi poſiti, Nomine, Supplicem Libellum Nobis humiliter exhibendum fecit. In ipſo autem Libello Supplici enixè exorabat, ut Apoſtolicas noſtras Literas in ſimili Forma Brevis ad Venerabiles Fratres Regnorum Hiſpaniarum Antiſtites daremus, quibus eorundem Antiſtitum Pietatem excitaremus ad Opem conferendam pro ipſorum Collegio iterùm à Fundamentis erigendo. Nos igitur pijs juſtiſque Poſtulatis hujuſmodi benignè annuentes, exoptatas hac ipſa Die damus Literas Tenoris ſequentis: Venerabili Fratri &c Benedictus PP. XIV. Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Inter cæteras Ædes &c *(ut in Diplomate præcedenti ad Finem uſque, deinde ſubjungit Pontifex)*: Intereà paternâ Charitate, & Apoſtolicâ Providentiâ conſiderantes, quæ, & quanta Itinerum Pericula, Latronum Diſcrimina, Hoſpitiorum Incommoda, atque etiam colligendæ Pecuniæ Diſpendia ſubire deberent memorati Religioſi Alumni, ſi per ſe ipſi per Hiſpaniarum Regna pro Stipe ſibi

“ imper-

“ impertienda tanquàm vagi, & peregrini curſitarent, eapropter id diſtrictè prohibentes, tibi, dilecte Fili, committimus, &, quatenus Opus eſt, etiam præcipimus, ut Authoritate tuâ in Virtute Sanctæ Obedientiæ mandes, & diſtrictè injungas. primùm quidem Provincialibus, Prioribus, ac Superioribus Conventuum in Regnis Portugalliæ, & Algarbiorum exiſtentium, in quibus Hiberni Alumni recepti adhuc morantur, eoſdem Alumnos ſecum retinere, fovere, & omnia neceſſaria, perindè ac ſi eorundem Conventuum Filij, ut dicitur, eſſent, opportunè ſuppeditare, donec, & quouſque illorum Collegium ad priſtinum Statum redactum fuerit, atque ſub Regulari Diſciplina continere. Deindè verò Authoritate pariter tuâ, & in Virtute Obedientiæ injungas Provincialibus in Regnis Hiſpaniarum, ut quiſque eorum inſertas Literas noſtras ad Antiſtitem illum, cui inſcriptæ ſunt, & cujus Diæceſis in ſua Provincia reperitur, exhibere, & perferre ſatagat, & adnitatur. Præterea, ut poſtquàm Pecuniæ Summam à quolibet Antiſtite receperit, de acceptà hujuſmodi Summa legitimum Documentum ipſi Antiſtiti præſtare teneatur. Inſuper, acceptam ſæpe dictam Pecuniæ Summam, quæcunque ſit, ad Collectorem per te deputandum cautè, & tutè tranſmittendam ſtudeat, & curet ad Finem illam ſecum ſervandi, neque in alios quoſcunque Uſus impendendi niſi in Erectionem ſæpè dicti Collegij, aliaque pro eodem Collegio neceſſaria, & opportuna. Porrò ſi hiſce Apoſtolicæ Providentiæ Rationibus alias addere, tu dilecte Fili, exiſtimaveris, Prudentiæ tuæ committimus. Interim ad cæleſtis Præſidij hac in Re Auſpicium Apoſtolicam Benedictionem tibi tuiſque inclyti Ordinis Religioſis peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die V. Novembris MDCCLVI, Pontificatûs noſtri Anno Decimoſeptimo.

“ CAJETANUS AMATUS.

XV. Sed quoniam Literæ iſtæ Apoſtolicæ Executioni mandatæ non fuere antè laudati Pontificis *Benedicti* XIV Mortem, Die 2. Maij 1758 ſecutam, idcircò immediatus illius Succeſſor *Clemens* XIII, Die 6 Julij Anno prælibato 1758 electus, eaſdem, ad laudati P. Magiſtri *Caroli O-Kelly* Inſtantiam, innovare volens, alias in ſimili Forma Brevis expediri juſſit ad eoſdem Nonaginta *Hiſpaniarum* & *Indiarum* Antiſtites, Tenoris ſequentis, ubi nonnulla mutata videbis.

“ Venerabili Fratri Archiepiſcopo, vel Epiſcopo &c.

“ CLEMENS PP. XIII.

“ Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Inter cæteras Ædes, Conventus, Monaſteria, ac Sacra Templa, in Civitate Liſbonenſi potiſſimùm, alijſque Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum Civitatibus, Oppidis, & Locis, propter ingentes, iteratasque Terræ Motûs Concuſſiones, ſivè diruta, ſivè everſa, ſivè Solo æquata (quemadmodùm non ſine graviſſimo Cordis noſtri Mærore recipimus) numeratur quoque Collegium dilectorum Filiorum Fratrum Ordinis Prædicatorum pro Natione Hiberniæ inibi erectum, & magno cum religioſarum Virtutum Doctrinarumque Splendore, & præcipuè cum Hominum Acatholicarum Nationum ad Catholicam Fidem, vel in ipſa Liſbonenſi Civitate, vel in Regno Hiberniæ, per ejuſdem Collegij Miſſionarios convertendorum Utilitate commendatiſſimum. Undè factum eſt, ut Neceſſitas Religioſos Alumnos memorati Collegij profugos ad alios dicti Ordinis Conventus tanquàm Hoſpites confugere coegerit. Sanè dilectus Filius Carolus O-Kelly, laudati Ordinis Frater expreſsè profeſſus, in Sacra Theologia Magiſter, Theologus Caſanatenſis, & Natione Hibernus, ijdemque Religioſi Alumni dicti Collegij, non levi Fiduciâ pro certo ſibi pollicentur acceptam Calamitatem, urgentemque ipſorum Inopiam, apud Paſtoralem Fraternitatis tuæ Pietatem ſatis valere, ut Opem tuam implorantes, tuam Benignitatem opportuno ſibi fore in tot tantiſque Auguſtijs Subſidio experiantur. Verùm quo ipſi ſuorum Votorum Deſideriorumque pleniùs fiant compotes, exiſtimantes noſtram apud te, Venerabilis Frater, Commendationem ſibi plurimùm profuturam, Supplices paternam Charitatem noſtram ad illam tecum, atque alijs Venerabilibus Fratribus Hiſpaniarum Antiſtitibus adhibendam exorarunt. Nos autem, quibus reipsà exploratum eſt, quanti ad Catholicæ Religionis Decus, & Incrementum interſit, ut Collegium hujuſmodi iterùm à Fundamentis excitetur, & in priſtinum Statum, & Commodum reſtituatur, libenter ſtimulis tuæ Virtutis noſtræ etiam Commendationis Officium adjungimus, ut Catholicæ Nationis inter Hæreticorum Vexationes Conſtanſtiam nullo deſtitui patiamur Apoſtolici Patrocinij Studio, tibi verò, Venerabilis Frater, uberem ſuggeramus Meritorum Materiem, cùm nimirùm intellexeris, tuæ Miſericordiæ

“ Fructus ad novum tuæ in hanc Sanctam Sedem Noſque ipſos Obſervantiæ Teſtimonium, atque ad pium ergà Catholicam Religionem Obſequium pertinere. Quidquid igitur ſivè per teipſum erogatum, ſive ex alijs Chriſtifidelibus per Parochos, quibus id injunges, collectum, ipſis Religioſis Alumnis commodaveris, ad celeſtem tibi uberiùs demerendam Mercedem redundabit, Animumque noſtrum ampliùs tibi obſtringet. Itaque quamcunque Pecuniarum Summam, ut præmittitur, paratam habueris, volumus ut illam tutiori quo poteris Modo ad modernum & pro Tempore exiſtentem Ordinarium noſtrum, & Apoſtolicæ hujus Sanctæ Sedis in Hiſpaniarum Regnis Nuntium perveniendam cures, qui & de recepta Summa Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem monebit, & ipſam Summam receptam per Manus Procuratoris Provinciæ Hiberniæ, Matriti exiſtentis (*p*), ad Rectorem dicti Collegij Liſbonenſis ſedulò remittet. Quam ſanè Pecuniam in hujuſmodi Reparationem duntaxàt impendendam eſſe cupimus, & diſtrictè mandamus. Interim Fraternitati tuæ Apoſtolicam Benedictionem peramanter impertimur. Volumus autem ut præſentium noſtrarum Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, Manu ejuſdem noſtri, & Apoſtolicæ Sedis Nuntij, ejuſque Cancellarij, ſubſcriptis, & Sigillo præfati Nuntij munitis, eadem prorsùs Fides habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XI Januarij MDCCLIX, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

CAJETANUS AMATUS.

XVI. Eodem Die alias expediri fecit idem Sanctiſſimus Pontifex Literas Apoſtolicas Tenoris ſequentis :

“ Venerabili Fratri Hieronymo (*q*) Archiepiſcopo Laodiceæ, moderno & pro Tempore exiſtenti Ordinario noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Hiſpaniarum Regnis Nuntio.

“ CLEMENS PP. XIII.

“ Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Ex binis (*r*) noſtris in Forma Brevis Literis, hac ipſa Die datis, quas hiſce itidem noſtris in ſimili Forma Brevis, ſcriptis adligamus, facilè, Venerabilis Frater, intelliges quam Operam à Fraternitate tua requiramus. Eapropter Opus eſt, ut primûm collatis Studijs cum moderno & pro Tempore exiſtente Procuratore Provinciæ Hiberniæ, earundem noſtrarum Literarum Exempla, ſivè Typis edita, ſivè manuſcripta, prout Fraternitati tuæ meliùs viſum fuerit, legitimis Documentis munita, nempè à Te, & Cancellario tuo ſubſcripta, Signoque tuo Solito corroborata, ſingulis Antiſtitibus Hiſpaniarum & Indiarum, ſervatis tamen in Hiſpanijs de More ſervandis, mittenda cures. Deindè verò ea omnia, quæ in ipſis Literis noſtris continentur, ità exactè adimplere ſatagas, ut non ſolùm benevolam noſtram ergà Te Voluntatem ampliùs obſtringes, verumetiam meritam tuorum Laborum Mercedem a bonorum omnium Largitore, Deo, magis magiſque Tibi pollicearis. Enitere igitur, Venerabilis Frater, ut omnia pro noſtris Votis, & Religioſorum Hibernorum Indigentijs proſperum ſortiantur Succeſſum, cujus auſpicem eſſe cupimus Apoſtolicam Benedictionem, quam Fraternitati tuæ pêramanter impertimur. Volumus autem ut Fraternitas tua non ſolùm de collecta Stipe, tàm in Hiſpanijs, quàm in Indijs, Apoſtolicam hanc Sanctam Sedem edoceat, verum etiam de Pecunijs in Reſtaurationem Collegij Liſbonenſis duntaxàt impendendis diſtrictam Rationem exigat. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Sub Annulo Piſcatoris Die xi Januarij MDCCLIX, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

“ CAJETANUS AMATUS.

XVII. Anno 1755, antè Terræmotum, & Incendium, Sodales Collegij hujus erant Viginti Quinque, nempè A. R. P. Magiſter Fr. *Petrus Mac-Keon*, Clonſhanvillenſis, Rector, Ætatis

Anno

(*p*) Patre nempè *Dominico O-Connor*, Roſcomanienſi. Vid. Cap. viii. Num. xxx. Sect. 2. P. 184.

(*q*) Cognomine *Spinula*, poſtmodùm S. R. E. Cardinali, Die 24 Septembris 1759 creato.

(*r*) Præter mox allatas ad Antiſtites *Hiſpaniarum* & *Indiarum* Literas, alias Diſtinctionis Gratiâ eodem dedit Die ad duos *Hiſpanos* Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales, *Alvarum* nempè *de Mendozza*, Patri-

Anno 53, Profeſſionis 32; A. R. P. Magiſter Fr. *Dominicus O-Kennedy*, Dublinienſis, Ex Regens, & Ex Rector, Prof. 36 Ætat. 54, Definitor Capituli Generalis 1748, (S); A. R. P. Magiſter Fr. *Eugenius Mac-Croghan*, Traleienſis, Regens, Ætat. 46, Prof. 26; R. P. Præſentatus Fr. *Thomas-Milo de Burgo*, Athenrienſis, Ex-Regens, Ætat. 43, Prof. 24; R. P. Præſentatus Fr. *Marcus Bodkin*, Athenrienſis, Lector Primarius, Ætat. 39, Prof. 23 (*s*); R. P. Præſentatus Fr. *Patritius Mac-Cabe*, Colranenſis, Lector Veſperarius, Ætat. 36, Prof. 17; R. P. Lector Fr. *Dominicus Delamar*, Longofordienſis, Magiſter Studentium, Ætat. 35, Prof. 15 (*t*); R. P. Fr. *Thomas Devinish*, Portumnenſis, Lector Artium, Ætat. 30, Prof. 14 (*u*); R. P. Fr. *Patritius Mac-Henry*, Colranenſis, Procurator Collegij, Ætat. 42, Prof. 15 (*w*); R. P. Fr. *Dominicus Mac-Donnell*, Urlarienſis, Procurator Monaſterij, Ætat. 56, Prof. 33; R. P. Fr. *Martinus Horan*, Killocienſis, Confeſſarius Monaſterij, Ætat. 56, Prof. 32; R. P. Fr. *Chriſtophorus Fottrell*, Dublinienſis, Ex-Procurator Collegij, Ætat. 60, Prof. 37 (*x*); P. Fr. *Jacobus Keating*, Caſſelienſis, Ætat. 45, Prof. 15; P. Fr. *Michael O-Cavanagh*, Caſſelienſis, Ætat. 39, Prof. 12; P. Fr. *Dominicus de Burgo*, Roſcomanienſis, Ætat. 29, Prof. 12; P. Fr. *Dominicus Mac-Mahon*, Traleienſis, Ætat. 35, Prof. 9; P. Fr. *Georgius Jones*, Pontanenſis, Ætat. 30, Prof. 8; P. Fr. *Dominicus O-Sullivan*, Arcloenſis, Ætat. 26, Prof. 5; P. Fr. *Joannes Mac-Egan*, Pontanenſis, Ætat. 29, Prof. 5 (*y*); P. Fr. *Terentius Mac-Donnell*, Urlarienſis, Ætat. 30, Prof. 5; P. Fr. *Michael Mac-Jordan*, Urlarienſis, Ætat. 28, Prof. 5; P. Fr. *Antonius Mac-Donnell*, Urlarienſis, Ætat. 29, Prof. 5; P. Fr. *Brianus Morilly*, Urlarienſis, Ætat. 35, Prof. 5; P. Fr. *Patritius Crawly*, Aghavoenſis, Ætat. 26, Prof. 5; & Fr. *Michael Geraldinus*, Converſus. E quibus Quatuor Terræmotu periere, ut jam dictum eſt (*z*).

§. III.

De *Lovanienſi* (*a*) Cænobio *S. Crucis.*

SUMMARIUM.

I. *Primum Fundationis hujus Collegij, ſeù Cænobij, Molimen.*

II. *Anno* 1624 *obtenta ſub annuo Cenſu Domus cum Templo contiguo ſub Invocatione* S. Joannis Baptiſtæ, *ad Equites* Melitenſes *ſpectans, occupata anteà per Patres* Anglo-Jeſuitas. *Primus Collegij hujus Rector* P. Oliverius de Burgo, *paulò poſt Vicarius Apoſtolicus* Duacenſis. *Lis Ordinarium inter, & Patres de Altari Privilegiato.* P. Rochi Mac-Geoghegan, *aliàs à* S. Cruce, *Prioris Provincialis* Hiberniæ Dominicanæ, *Libellus Supplex ad Sereniſſimam* Iſabellam-Claram-Eugeniam, *Infantem* Hiſpaniarum, *& Gubernatricem* Belgij.

III. *Gubernatrix Libellum Supplicem mittit ad Academiam* Lovanienſem. *Gratitudo Academiæ ergà* Hiberniam, *ex qua Belgium primos Fidei Precones accepit. Nota exhibens Elogia* Bernardi de Jonghe, *&* Nicolai Vernulæi, *Belgarum, eâdem de Re, atque textum ab hoc ultimo Catalogum Alphabeticum Sanctorum ex* Hibernia, *qui Fidem Catholicum in* Belgium *invexerunt, aut illam per Martyrium, effuſo Sanguine, colluſtrarunt.*

Patriarcham *Indiarum*, & *Aloyſium Fernandez de Corduba*, Archiepiſcopum *Toletanum*, quæ tamen ejuſdem omninò ſunt Tenoris, demptis Nominibus, & Titulis. Literæ porrò ad Antiſtites imprimendæ erant, aut exſcribendæ, atque à memorato Nuntio Apoſtolico teſtificandæ, ſeù, ut vulgò ajunt, legalizandæ.

(*S*) Graviter decumbens Mempore Terræmotûs, obijt paulò poſt.

(*s*) Miſſionarius in Diſtrictu ſui Conventûs ab Anno 1757, Definitor eo Anno Capituli Provincialis.

(*t*) Rector ab Anno 1759.

(*u*) Videſis Cap. ix. §. xxxii. Num. viii. Lit. f. Pag. 307.

(*w*) Legeſis Cap. ix. §. xii. Num. ix. Lit. c. Pag. 246.

(*x*) Denatus *Dublinij* 1S Januarij 1758.

(*y*) Adeas Cap. ix. §. ii. Num. xii. Pag. 204.

(*z*) §. præs. Num. xi. Pag. 425.

(*a*) *Lovanium*, vulgò *Louvain*, Civitas eſt *Brabantiæ* in *Belgio*, ubi notiſſima Academia, ampliſſimis Privilegijs decorata.

IV. *Facultas Sereniſſimæ Gubernatricis, Fratribus* Hiberno-Dominicanis *facta, tenendi Reſidentiam* Lovanij.

V. *Literæ* Philippi *IV*, *Regis* Hiſpaniarum, *ad Amitam ſuam* Iſabellam-Claram-Eugeniam, *Gubernatricem* Belgij, *Favore* Hiberno-Dominicanorum *in* Lovanienſi *Collegio, gallicè conſcriptæ. Literæ iſtæ in Latinum verſæ.*

VI. *Literæ Gubernatricis prælibatæ ad eundem Regem* Philippum, *Sobrinum ſuum, ſeù ex Fratre Nepotem, Favore item* Hiberno-Dominicanorum *in* Lovanienſi *Collegio, gallice conſcriptæ. Eædem Literæ latinè redditæ.*

VII. *Penſio, Epiſtolæ bujus Intuitu, iſti Collegio conceſſa à Gubernio* Hiſpanico, & *continuata ſub* Auſtriaco *cum Dimiuutione tamen, & Mutatione Tituli in Eleemoſynam. Penſio item Collegio huic aſſignata ab Eminentiſſimis Patribus S. Congregationis* de Propaganda Fide *ſub Conditione Quatuor mittendi quolibet Sexennio Miſſionarios in* Hiberniam.

VIII. *Statutum Capituli Generalis* Romani 1629 *pro bono Regimine hujus Collegij. Ipſum perſonaliter viſitavit Magiſter Ordinis* Thomas Turcus.

IX. *Collegium hoc in Studium Generale erectum à Capitulo Generali* Romano 1650. *Id, & Collegium* Ulyſſiponenſe, *à Juriſdictione Provincialis exempta. Nota referens ad contraria Statuta.*

X. *Patres Provinciæ apud* Urlariam *capitulariter congregati Anno* 1654 *ſupplicant Magiſtro Ordinis* Joanni-Baptiſtæ de Marinis, *ut Collegia* Lovanienſe, & Ulyſſiponenſe, Ulyſſiponenſeque *Monaſterium, Provinciali* Hiberniæ *reſtituantur.*

XI. Lovanienſe *Collegium hoc in Conventum formalem erectum, & Provincialis Juriſdictioni reſtitutum, à Magiſtro Ordinis* Joanne-Baptiſta de Marinis *Anno* 1655. *Literæ ejus Patentes iſtâ de Re. Nonnihil in illis Obſervatu dignum de* Hibernia.

XII. *A Capitulo Generali* Romano 1656 *ſancitum, ne Provinciales, intrà quorum Fines Domus hæc, &* Ulyſſiponenſis, *exiſtunt, ullam in eas Juriſdictionem prætendant.*

XIII. *Novum Cænobium* Lovanij *iiſdem* Hiberno-Dominicanis *conſtructum ſub Nuncupatione* S. Crucis, *cujus multiplex Cauſa. Intereà Temporis alià Domus ab ipſis habitata ſub Invocatione* S. Georgij.

XIV. *Commemorantur Fabricæ hujus Benefactores, Tres nempè e Gente* Joiſia, *vulgò* Joyce, *Patriâ* Galvienſes. *Inſtrumentum eâ de Re à Conventu confectum. Nota de Duobus Archiepiſcopis* Armacanis, *unoque S. R. E. Cardinali, Ordinis Prædicatorum Alumnis, e Gente* Joiſia. *Altera Nota de Canonicis Regularibus Congregationis* S. Patritij *in* Hibernia, *Canonicis Regularibus* Lateranenſibus *in* Italia *aggregatæ. Alia inſuper Nota, & quidem longiuſcula, bina complectens Diplomata Pontificia de Guardianatu, vulgò* Wardianatu, *ſive Præpoſitura, & Diſtrictu,* Galvienſibus.

XV. *Aliud ejuſdem fermè Tenoris Inſtrumentum coràm Notario Publico, & Teſtibus à Conventu ſubſignatum.*

XVI. *Situs novi Cænobij, ejuſque Deſcriptio. Apologia Auctoris pro ulterioribus haud relatis. Æconomia Studij. Ex eo redeunt in* Hiberniam *Religioſi Miſſionarij pro Catholica Fide propugnanda, & propaganda.*

XVII. *Sodales Conventûs hujus Triginta Duo Anno* 1756.

I. UT ab Ovo, ut ajunt, Collegij noſtri *Lovanienſis* Fundationem exordiar, in Memoriam revocandum eſt, quod alibi narrabam (*b*), nempè, *Elizabethâ*, Filiâ Nothâ *Henrici* VIII, Regna iſta Britannica uſurpante, & in Templa, Cænobia, Monaſteria, omniaque omnis Generis Sacra, ſæviente, tantam Piorum Locorum Stragem fuiſſe factam, ut Anno 1603, quo peſſimam efflavit Animam, ne unum quidem Cænobium relictum fuerit in prælibatis Regnis haud profanatum. Hinc Religioſi omnes ex Patria abacti fuere, aut Morte affecti, præter perpaucos ex Fratribus Mendicantibus ſe abſcondentes in Montibus, & Speluncis, & Cavernis Terræ, alijſque abditis fugitivorum Locis, ut Catholicos ſuperſtites in vera Fide ſolidarent. Ex ijs erant Venerabilis P. *Daniel O-Criedegain*, Sligoenſis, tunc Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ*, & Venerabilis P. *Thaddæus O-Duanus*, Sligoenſis item, à Comitijs Generalibus *Romæ* 1656 (*c*) inter eos memoratus, qui pretioſa in Conſpectu Domini Morte obierunt. Hic poſterior ſucceſſit priori in Regimine deſolatæ Provinciæ, & facilè prævidens, Ordinem noſtrum citiſſimè in *Hibernia* extinguendum,

---

(*b*) Cap. v. Num. ix. Pag. 99.

(*c*) In Actis Pag. 155, quorum Verba exſcripta habebis Cap. xiv. Num. vii.

guendum, niſi in Regione aliqua Catholica Locus educandis Juvenibus *Hiberno-Dominicanis* aptus inveniretur, omnem adhibuit Operam, nullumque non movit Lapidem, per ſe, & per alios, ad impetrandum aliquod in *Belgio* Refugium, quod & obtinuit, licèt noſtri *Lovanium* non intraverint durante illius Regimine, obijt quippè Anno 1608, ſed ſub Venerabili P. *Rocho Mac-Geoghegano*, aliàs *à Cruce*, Molingarenſi, qui inſtitutus fuerat *Hiberniæ Dominicanæ* Provincialis in Capitulo Generali *Mediolanenſi* 1622 *(d)*, ut ex ejuſdem Actis, ſuperiùs exſcriptis, liquet (*e*). Utque hic faciliùs ſuum aſſequeretur Intentum, Rmus Magiſter Ordinis *P. Seraphinus Siccus*, Papienſis, alijque Sapientiſſimi Patres Capituli prælibati, *Hibernos* peculiarem in Modum commendatos voluere P. Magiſtro Provinciali *Germaniæ Inferioris* his Actorum Verbis: *Commendamus A. R. P. Provinciali Provinciæ Inferioris Germaniæ Magiſtro Fratri Joanni de Loix omnes Fratres Hibernos, ut pro eo quantum poterit ipſis faveat apud Flandriæ Magnates (f).*

II. Anno igitur 1624 *(g)* P. Præſentatus *Richardus à S. Dominico*, alias *de la Penna* (*h*), Patrio Agnomine *Berminghamus*. Athenrienſis, Procurator Generalis *Hiberniæ Dominicanæ*, Eccleſiam, S. *Joanni Baptiſtæ* ſacram, Domumque contiguam, *Lovanij* propè Caſtrum, dictum *Caſtrum Cæſaris*, impetravit à Nobiliſſimo D. *Jacobo de Martinet*, Equite Ordinis S. *Joannis Jeroſolymitani*, nunc vulgò appellati *Melitenſis* (*i*), ſub annuo Cenſu ad Sexennium, occupatas anteà per Patres *Anglos* Societatis Jeſu. Primuſque hujus Loci Sacri Præfectus, ſub Titulo Rectoris (*k*), erat P. Magiſter *Oliverius de Burgo*, Galvienſis, qui tamen conſuetum Prælaturæ Triennium haud explevit, quatenùs ad propria vocatus fuerit, Vicarius ſcilicet Apoſtolicus Diœceſis *Duacenſis* (*l*) in *Conacia* inſtitutus, ut alibi dictum eſt (*m*). Cùm autem Lis oriretur Ordinarium inter, & noſtros Patres circà Altare Privilegiatum, ipſis ab *Urbano* VIII Pontifice Maximo conceſſum, contendente Ordinario ipſos eo uti non potuiſſe quoaduſque à Sereniſſima *Belgij* Gubernatrice Permiſſionem *Lovanij* in Forma Communitatis reſidendi obtinerent, eapropter laudatus *P. Rochus Mac-Geoghegan*, aliàs *à Cruce*, Provincialis, Libellum Supplicem Sereniſſimæ *Iſabellæ-Claræ-Eugeniæ* (*n*), Gubernatrici Belgij (quod tunc in Regis *Hiſpaniarum* erat Ditionibus) porrexit, cujus Tenorem (*o*) ex Inſtrumentis duobus, in Medium mox afferendis, nullo Negotio intelliges.

III. Porro Sereniſſima Gubernatrix ad Almam Univerſitatem *Lovanienſem* Libellum Supplicem cum adjecta miſit Poſtilla, ut nempè ejuſdem Rector, alijque Doctiſſimi Graduati ſuum deſuper Judicium ad ipſam reſcriberent. Hi autem ex benevolo ſuo ergà Fratres noſtros exules Affectu, atque ex Gratitudine ergà Nationem *Hibernicam*, à qua olim *Belgium* ſuum primos S. Evangelij,

---

(*d*) Non verô 1624, ut mendosè aſſerit *O-Heynus*, Pag. 46.

(*e*) Cap. v. Num. xvii. Pag. 105, ubi nonnulla de laudato *Rocho*, magno Nominis Viro, poſtmodùm Epiſcopo *Darenſi*, dicta ſunt, pluraque alia datâ Operâ dicentur Cap. xiii. Num. lxii, & Cap. xiv. Num. ix.

(*f*) Reliquas ab hoc Capitulo Generali factas *Provinciæ Hiberniæ* Conceſſiones exſcriptas habes Cap. v. Num. xvii. Pag. 106.

(*g*) Non autem Anno 1626, ut iterùm mendosè ait *O-Heynus*. Enimverò mox exſcribenda Almæ Univerſitatis *Lovanienſis* ad Sereniſſimam D. *Iſabellam-Claram-Eugeniam*, Gubernatricem *Belgij*, Epiſtola, Die 8 Novembris 1626 data, disertè refert, Religioſos *Hibernos* Ordinis S. *Dominici* ex Conducto inhabitaſſe Domum iſtam *per duos circiter Annos*, proindeque ab Anno 1624.

(*h*) Confer Cap. vi. Num. ix. Lit. b, Pag. 114.

(*i*) Ab Inſula *Melita*, vulgò *Malta*, in Mari *Mediterraneo*, quam ab Anno 1530 occupant.

(*k*) Hoc ideò, quia Domus iſta erat purum tunc *Collegium*, erecta poſtmodùm in *Conventum*, ut brevi dicetur, Anno 1655, ex quo Tempore Præfectus illius nuncupatur *Prior*, juxtà nuper dicta §. præced. Num. ix. Lit. a. Pag. 423.

(*l*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. Pag. 19.

(*m*) Cap. ix. §. xxxviii. Num. vi. Pag. 326.

(*n*) Filia erat *Philippi* II Regis *Hiſpaniarum*, Soror *Philippi* III, & Amita *Philippi* IV, cujus Vices gerebat in *Belgio*, illius nimirùm Gubernatrix ab eo conſtituta.

(*o*) Exemplar iſtius Libelli Supplicis, etſi ſæpè requiſitum, à Cœnobio *Lovanienſi* recipere haud potui.

Evangelij, ac Fidei Catholicæ, Precones acceperat (*p*), Gubernatrici Sereniſſimæ ſequentem ſcripſere Epiſtolam, quam ex ejuſdem Exemplari authentico, quod penès me habeo, & ex *Bernardo de Jonghe* (*q*), verbatim tranſcribo.

“ Sereniſſima Princeps,

“ Libellus Supplex, quem Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudini porrexit R. P. Provincialis Ordinis Fratrum Prædicatorum in Hibernia, per Literas Celſitudinis Veſtræ Nobis communicatus eſt cum adjecta Poſtilla, ut deſuper Judicium noſtrum reſcriberemus, cui Mandato non poſſumus non promptè obſequi. Itàque atteſtamur, verum eſſe quod in eodem Supplice Libello continetur; Religioſos aliquot Hibernos prædicti Ordinis S. Dominici ex Conducto inhabitare Domum Militarem S. Joannis Melitenſis, quæ in hoc Oppido Lovanienſi ſita eſt in Monte ex oppoſito Caſtri Suæ Regiæ Catholicæ Majeſtatis, eandemque inhabitaſſe per duos circiter Annos pro certa annua Penſione, ac in eadem piè, & religioſè vivere. Bullam habent Apoſtolicam (*r*) à SS. Papa moderno (*Urbano* VIII) conceſſam, ut in eadem Domo uti poſſint Altari Privilegiato, ad cujus Bullæ Seriem, ſeù Tenorem, Nos referimus. Hoc inſuper atteſtamur, eoſdem Religioſos à Studijs, & Pietate eſſe valdè commendabiles, ut ſuo Tempore poſſint Eruditione, ac Virtutum Armis, Hoſtibus Eccleſiæ reſiſtere, ac cum ijſdem viriliter dimicare, quandò in ſuam Patriam redierint; quibus tantò libentius hoc noſtro Teſtimonio opitulamur, quòd Arma ſuæ Propugnationis in vera, & catholica noſtræ Academiæ Lovanienſis Schola, & Doctrina inſtruant. Deindè etiam eò libentius, ut ſic etiam videamur Vices aliquas rependere Nationi Hibernicæ, à qua olim Belgium noſtrum primos Precones S. Evangelij, ac Fidei Catholicæ, accepit (*s*). Sic igitur ſperamus per præſentes Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudinis Deſiderio facere ſatis, offerentes de cætero in alijs omnibus humiliter noſtra Obſequia, ac Deum Optimum Maximum omnibus Votis orantes, ut Sereniſſimam Veſtram Celſitudinem Nobis, ac toti Patriæ, dui ſervet incolumem, ac contrà Hoſtes, & Rebelles, Victricem. Datum Lovanij 8 Novembris 1626.

“ RECTOR & UNIVERSITAS
“ STUDIJ GENERALIS LOVANIENSIS.”

IV. Visa

(*p*) Reſponſa Almæ hujus Academiæ ad duplicem Caſum ſuper Rebus Regularium in Regno *Hiberniæ*, exſcripta habes Cap. vi. Num. vii, & viii. Pag. 109, & ſeqq.

(*q*) Pag. 417.

(*r*) Deſideratur in *Bullario Ordinis Prædicatorum* ex Negligentia Patrum noſtrorum *Lovanienſium*, qui illius exemplar ad Rmum Magiſtrum Ordinis non miſerunt; neque ipſe etiam illud aſſequi potui, alioquin hìc Loci id verbatim exſcriberem.

(*s*) Huc faciunt quæ habet egregius hujuſce Ævi Scriptor, à me ſæpè laudatus, P. *Bernardus de Jonghe*, Belga, in *Belgio Dominicano*, Pag. 417. “ Hibernia (inquit) à S. Patritio, Natione Anglo, Dignitate Epiſcopo, converſa, *Sanctorum Inſula* olim dicta, multos Viros apoſtolicos protulit, ex quorum Numero plurimi Belgarum ad Chriſtum Converſioni ſtrenuè inſudarunt, & nonnulli Martyrium ſubierunt. Horum Nomina recenſet Nicolaus Vernulæus in Libello ſuo *de Propagatione Fidei Catholicæ in Belgio per Sanctos ex Hibernia Viros*, ubi Folio 3 ſic habet: *Hos adhuc Martyres ſuos Belgium colit, Templis, & Aris honorat, Patronos agnoſcit. Atque idcircò Gentem Hibernorum, cum apud Nos, tùm alibi, hoc Tempore exulem, complecti omni Benevolentiâ, juvareque par eſt. Nimirùm, ne illa apud Nos Inopiam patiatur, quos Opibus cæleſtibus dotavit. Nam ſi Cælo naſci amplius eſt, quàm in communem hanc Lucem prodire, plus illis debemus, per quos Salutis æternæ Viam accepimus, quàm ijs, à quibus ut tantùm viveremus, habemus.*”

Porrò Sanctos illos indigitat in Limine prælibati ſui Operis, *Lovanij* 1639 Typis vulgati, idem *Nicolaus Vernulæus*, in hunc Modum alphabeticum.

Sancti ex Hibernia Viri, qui Fidem Chriſtianam in Belgio propagarunt.

S. *Abel.*
S. *Acca.*
S. *Adalgiſus.*
S. *Adalbertus.*
S. *Bertuinus.*
S. *Columbanus.*
S. *Eloquius.*
S. *Ecco.*
S. *Fredegandus.*
S. *Foillanus.*
S. *Furſæus.*
S. *Forannuanus.*
S. *Gerebernus.*
S. *Guathagonus.*
S. *Himelinus.*
S. *Ieron.*
S. *Kilianus*
S. *Livinus.*
S. *Luglius.*
S. *Luglianus.*
S. *Marcellinus.*
S. *Mombolus.*
S. *Mono.*
S. *Obodinus.*
S. *Othgerus.*
S. *Plecbelmus.*

S. *Rumol-*

IV. Visa hâc Univerſitatis *Lovanienſis* Epiſtolâ, à prælibata Sereniſſima Sua Celſitudine ſequentes emanarunt Literæ gallicè (*t*) conſcriptæ, quas latinè exhibet *Bernardus de Jonghe* (*u*), anteà laudatus.

“Super Supplicatione factâ Sereniſſimæ Infanti ex Parte P. Rochi à S. Cruce, Provincialis Patrum Ordinis S. Dominici in Hibernia, cùm jam à Biennio, ille expoſuerit, ſe habuiſſe Domum pro annua Penſione in Univerſitate Lovanienſi, occupatam ante per Patres Anglos Societatis Jeſu, ut ibi ſtudere procuret Fratres ſuæ Provinciæ, qui habiles facti irent ad prædicandam ſanctam noſtram Fidem in Patria ſua. Et cùm obtinuerit hoc Anno à Sanctiſſimo Patre noſtro Literas pro uno Altari Privilegiato in ipſorum Templo, circà quod Ordinarius Difficultatem movet, ne illius Altaris fruantur dicti Patres Privilegio indulto, donec Permiſſionem obtineant à dicta ſua Celſitudine reſidendi in Forma Communitatis in dicta Univerſitate; ille Pater pro hac habenda Licentia humillimè ſupplicavit Sereniſſimam Suam Celſitudinem, quæ, Re maturè conſideratâ, & habito Conſilio Archiepiſcopi Mechlinenſis (*Jacobi Boonen*), Univerſitatis, & Oppidi Lovanienſis, permiſit, conſenſit, & convenit, permittit, conſentit, & convenit, ex ſpeciali Gratia per hanc Scripturam Fratri Rocho à S. Cruce ſupplicanti, ejuſque Succeſſoribus, ſub Onere tenendi Reſidentiam cum Fratribus ſuæ Provinciæ in Forma Communitatis in dicto Oppido Lovanienſi, &c. Actum Bruxellis 18 Decembris 1626.”

S. *Rumoldus.*
S. *Switbertus.*
S. *Wendelinus.*
S. *Wiro.*
S. *Willibrordus.*
S. *Werenfridus.*
S. *Wigbertus.*
S *Willeicus.*
S. *Ultanus.*
S. *Vulganius.*
S. *Vuaſnulphus.*
S. *Vincentius.*

Ejus Filij,
Landricus.
Deutelmus.
Sanctæ ex Hibernia
Faminæ.
S. *Dympna.*
S. *Oda.*
S. *Cunera.*
His adjectæ
S. *Waldetrudis.*
S. *Aldetrudis.*
S. *Madelberta.*

Demùm in *Concluſione Operis* Pag. 89 laudatus Scriptor ſubjungit longiuſcula quidem Verba, pulchriora tamen quàm ut non exſcribantur: “Quod mihi (*inquit*) propoſitum erat, niſi fallor, hactenùs ſum executus. Id fuit, ut agnoſcant Belgæ noſtri Hibernorum in ſe Merita, quorum Operâ aut Religionem acceperunt, aut quaſdam adhuc remanentes ex antiqua Superſtitione Tenebras depulerunt, aut in Fide accepta confirmati ſunt. Viros produxi, & Divos, non eorum Vitas, niſi fortè ſummatim. Neque enim propoſitum Nobis hoc fuit. Plures ſcio ab illa Sanctorum Inſula prodijſſe, ſed benè mereri de Orbe toto, non de Belgio tantùm, voluerunt. Alibi proindè etiam Relgionis Chriſtianæ Legem promulgarunt. Loquentur eorum Merita Nationes aliæ, nec obliterari Temporum Oblivione permitterent, quos ipſæ ſolent Salutis ſuæ celebrare Patres, Vitæ Patronos. Fateri autem cogor, & impellit me Veritas, Gentem nullam aliam tantoperè in aliorum Salutem incubuiſſe. Utinam (& hoc Votum ſupremum ſit) cùm alij omnes, tùm Nos Belgæ, tantum acceptæReligionis Beneficium agnoſcamus. Sub Iugo hæreticæ Tyrannidis ingemiſcit hodiè Gens Hiberna, & tamen conſtantiſſimis Animis Religionem retinet, nec ulla Vis extorquet. Nec frangitur Egeſtate, nec Morte exhauritur, fortior ipſa Tyrannide. Immò quod olim fecit, in alienas Nationes diffundit, ut alijs proſit, in Patria inter tot Pericula ſubſiſtit, ut ſibi non deſit. Illuceſcet aliquando Dubio procul ille Dies, quo in Chriſtianæ Religionis Libertatem, Deo propitio, tot Divorum ſuorum Meritis aſſeretur, ſed juvemus intereà qui obligati ſumus, Manum porrigamus, qui Beneficium accepimus. Id voveo, voveant omnes, faveant, quos ſcripſi, Dij.

Inter eos autem Sanctos, ex *Vernulæo* Belga mox recenſitos, qui Catholicam Fidem in *Belgium* invexerunt, aut illam per Martyrium, effuſo Sanguine, colluſtrarunt, Quinque ſunt, nempè S. *Livinus*, Epiſcopus *Dublinienſis*, *Gandavenſium* Patronus, S. *Rumoldus*, *Dublinienſis* item Epiſcopus, *Mechlinenſium* Apoſtolus, S. *Kilianus*, Epiſcopus *Herbipolenſis*, S. *Columbanus* Abbas, & S. *Dympna* Virgo, *Gelenſium* Patrona, de quibus Officia cum proprijs Lectionibus Secundi Nocturni, & Collecta, celebrant *Hiberni* utriuſque Sexûs, ſivè in ipſo Regno, ſivè in Collegijs extranationalibus conſtituti, & quidem ex ſpeciali S. Sedis Apoſtolicæ Indulto, ut ex jam pridem dictis claret Cap. i. Num. xv. Pag. 22, & ſeq.

Hùc etiam faciunt Mellifui Doctoris S. *Bernardi*, & Summi Pontificis *Benedicti* XIV Teſtimonia, quæ ſuperiùs exſcripta habes Cap. i. Num. xiv. Pag. 21. Necnon & Decretum Comitiorum Generalium *Romæ* 1677, ſuprà, Cap. vi. Num. xxvi. Pag. 134, allatum, Gemina SS. *Sixti*, & *Clementis* de Urbe Cænobia in Provinciam *Hiberniæ* transferens, quod eandem Provinciam *Angelicam* nuncupare non dubitat.

(*t*) Harum Literarum Exemplar ex Cænobio noſtro *Lovanienſi* obtinere haud potui.

(*u*) Pag. 419.

V. Quinque autem Menſibus antè datum iſthoc Inſtrumentum, nuper recenſitus (w) P. Præſentatus *Richardus Berminghamus*, aliàs à S. *Dominico*, Procurator Generalis *Hiberniæ Dominicanæ*, ſequentes impetravit à *Philippo* IV, Catholico *Hiſpaniarum* Rege, ad Sereniſſimam ſuam Amitam, *Iſabellam-Claram-Eugeniam*, Gubernatricem *Belgij*, Literas, *hiſpanico* Idiomate conſcriptas, hujuſce Tenoris:

" Madama, mi buena Tia,

" Fray Riccardo de la Penna (*x*), Irlandez, Procurador General de la Orden de Sto Domingo de la " Provincia de Irlanda, me a repreſentado, que, por la Falta que ay de la Doctrina, y Predicadores de " ſu Orden en la Provincia de Irlanda, deſe aora para mejor extirpar y confundir las Heregias, y aug-" mentar la Sancta Fee Catholica, eſtabeleſcer un Colegio de Religioſos de ſu Orden en la Univerſidad " de Louvayna, para que ſiendo exercidados en la Virtud e Doctrina, paſſado de Teologia, puedan bol-" ver, y predicar el Sancto Evangelio en ſu dicho Pays, para cujo Effecto, y Intencion al preſente haſta " il Numero de doze Religioſos viven en una Caſa alquilada en la dicha Villa de Louvayna en Forma de " Communidad ſin Medios ni Poſſibilidad para effectuarlo, ſupplicando me por tanto fueſſe ſervido ſoc-" correrlos, y favorecer ſu buena Intencion, y por eſta Cauſa ho querido à Voſſa Alteza fueſſe ſervido in-" formarſe ſobra lo referido, e hallando convenible favorecerlos, y ſoccerrerlos de Maniera que Voſſa " Alteza hallare convenir, y ſiendo neceſſario algun otro Deſpacho mio para eſte Subjecto, avizzando " me, lo horè luego deſpachar. Ruego a Dio, Madama mi buena Tia, guarde a Voſſa Alteza en buena " Salud par muchos Annos. De Madrid a 15 de Julio 1626.

" A mi buena Tia, Madama Izabel-Clara-
" Eugenia, Infanta de Eſpagna, &c."

" Vueſtro buen Sobrino,
" PHILIPE.

In Gratiam porrò Lectoris, hiſpanicè non periti, ſuprà adductas Literas in hunc Modum latinè reddò:

Domina mea, meaque bona Amita,

Frater Richardus de la Penna (x), Hibernus, Procurator Generalis Ordinis S. Dominici Provinciæ Hiberniæ, mihi expoſuit, qualiter ob Defectum Doctrinæ, & Prædicatorum ſui Ordinis in Provincia Hiberniæ, deſideret, ad melius extirpandas, & debellandas Hæreſes, augendamque Fidem Catholicam, fundare Collegium Religioſorum ſui Ordinis in Univerſitate Lovanienſi, ut Pietate, & Doctrinâ imbuti, poſt emenſum Theologiæ Curriculum, in prædictam Regionem reverti poſſint, ibique ſacroſanctum Evangelium prædicare; in quem Effectum, & Finem, Duodecim ex dictis Religioſis Domum in memorato Oppido Lovanienſi impræſentiarùm ex Conducto inhabitant in Forma Communitatis, omnibus tamen deſtituti Medijs, ad Fundationem perficiendam neceſſarijs, atque etiam Poſſibilitate ea acquirendi, mihi proptereà ſupplicantes, quatenùs dignarer ipſis ſuccurrere, ſuoque bono Propoſito favere. Eapropter dignetur Celſitudo Veſtra ſuper præmiſſis informari, prælibatiſque Religioſis favere, & ſuccurrere, ſi, & in quantum, id congruum fore judicaverit. Quod ſi ulterioribus hac de Re Literis meis Opus fuerit, monitus à Celſitudine Veſtra eas expediri incunctanter jubebo. Deum Optimum Maximum exoro, Domina mea, meaque bona Amita, ut Celſitudinem Veſtram ad multos Annos incolumem ſervet. Matriti 15 Julij 1626.

Meæ bonæ Amitæ, Dominæ meæ Iſabellæ-
Claræ-Eugeniæ, Infanti Hiſpaniarum, &c.

Veſter bonus Sobrinus
PHILIPPUS,

VI. Circ

(*w*) §. præs. Num. ii. Pag. 431.

(*x*) Confer Cap. vi. Num. ix. Lit. b. Pag. 114, ubi clarebit, ipſum eundem eſſe Richardum *à S. Dominico*, Patrio Agnomine *Berminghamum*, nuper memoratum. Iſti porrò in Munere Procuratoris Generalis *Hiberniæ Dominicanæ* ſucceſſit P. Magiſter *Dominicus O-Daly*, aliàs *de Roſario*, Fundator Collegij noſtri *Ulyſſiponenſis*; & huic P. Magi ter *Joannes O-Connor*, aliàs *à S. Dominico*, Fu dator Studij noſtri Generalis SS. *Sixti*, & *Cleme tis* de Urbe, ut liquet ex alibi dictis, §. præce Num. ii. & ſeqq; atque §. i, hujus Cap. Num. i. ſeqq. Pag. 368, & 418.

VI. Circa Exitum ejuſdem Anni 1626, vel ſub Initium Anni 1627 (y), prælaudata iſta Gubernatrix Sereniſſima viciſſim dedit Favore *Hiberno-Dominicanorum* Literas ad Sobrinum ſuum, ſeù ex Fratre Nepotem, *Philippum* IV, Regem *Hiſpaniarum* Catholicum, gallico (z) Idiomate conſcriptas, Tenoris ſequentis:

" Monſeigneur,

" AFin de donner tant plus-tot de Sujet aux Religeux Irlandois de L'Ordre de S. Dominique, eſtants dans ces Etats, de ſe multiplier, et de j'y inſtruire, et rendre capable pour etre apres envoyer en Irlande a y travailler en la Vigne de notre Seigneur, je ſuis etè menè de leur permettre, paſsè deux An et dimi, de prendre leur Reſidence en la Ville de Louvain, ou juſques or ils ſe ſont maintenu, et aſſez bien entretenu per l' Aſſiſtence, que leur Parens, et autres Gens du bien du dit Royaume, leur ont continuellement fait avoir, la quelle venant pourtant a ceſſer a Cauſe du Meſentendu (*a*) arrivè entre la Eſpagne, et L' Angleterre, et que d' alleur ils n 'ont de quoi a ſe nourir, leur Provincial Pere Roque de la Croix ſ'eſt adreſsè a Mois par Requete à Fin de leur vouloir procurer quelque Secours de Votre Majeſtè qui puiſſe tenir Lieu de Recompence de la Perte, et Dommage qu' ils ſouffrent. C'eſt le Sujet, qui m' at occaſionè de leur acorder volontiers mes Lettres de Faveur à Votre Majeſtè à Fin que ayant Egard à leur preſente Neceſſitè, et a leur bonnes, e tres pieuses Intentions, il plaiſe à Votre Majeſtè leur faire la Mercede, qu' elle trouverà convenir, et que eux ſe promettent de cette mon Interceſſion, et pour l' Avancement d 'une ſi bonne Oeuvre je ne leur ay pu refuſer, en priant le tres Haut, qui conſerve la Votre Majeſtè,

" Monſeigneur,

" De Votre Majeſte tres humble Tante,

" IZABEL.",

Has quoque Literas in Gratiam Lectoris, gallicè haud periti, latinè ſic reddo:

Domine mi,

Ut aptior præberetur Opportunitas Religioſis Hibernis Ordinis S. Dominici, in hac verſantibus Ditione, ſe multiplicandi, ſeque Literarum Studiis reddendi habiles, qui in Hiberniam mittantur ad excolendam ibi Vineam Domini, ante duos Annos cum medio adducta fui ad permittendum eos reſidere in Civitate Lovanienſi, ubi hucuſque nutriti ſunt, & ſat benè ſuſtentati per Aſſiſtentiam, quam Parentes eorum, aliæque benevolæ Familiæ prælibati Regni illis indeſinenter tribuebant, quæ tamen cùm jam ceſſet ob præſens Hiſpaniam inter, & Angliam Diſſidium (b), & cum cæteroquin non habeant undè alantur, eorum Provincialis Pater Rochus à Cruce mihi per Libellum ſupplicavit, quatenus aliquod ipſis obtinere vellem à Majeſtate Veſtra Subſidium, quod veluti compenſaret Jacturam, & Damnum, quæ patiuntur. Hæc porrò Cauſa eſt, cur libenter ipſis promiſi Literas meas commendatitias ad Majeſtatem Veſtram, ut, præſenti eorum Inopiâ, bonoque & pio Propoſito attentis, talem dignetur Majeſtas Veſtra eis tribuere Mercedem, qualem congruam exiſtimabit, qualemque ſibi pollicentur obventuram ex hac mea Interceſſione, quam in promovendo Opere tàm pio denegare haud potui, deprecans Altiſſimum, ut Majeſtatem Veſtram incolumem ſervet.

Domine mi,

Majeſtatis Veſtræ humillima Amita,

ISABELLA.

(y) Disjunctivè id aſſero, quia Epiſtolæ mox exſcribendæ Exemplar, quod præ Oculis teneo, Datam non exhibet. Quia tamen diſertè refert, Fratres *Hiberno-Dominicanos* à *duobus annis cum medio* in *Lovanienſi* Civitate verſari, & cum aliàs eam ingreſſi fuerint anno 1624, ut ex nuper dictis Sole meridiano clarius patet, idcircò prælibatam Epiſtolam datam crediderim vel ſub Finem Anni 1626, vel poſt inchoatum Annum ſubſequentem.

(z) Non autem *hiſpanico*, quia etſi Natione *Hiſpana* fuerit Sereniſſima Gubernatrix, attamen *gallicum* Idioma tunc vigebat in Curia *Bruxellenſi*, & etiamnùm viget. *Bruxellæ* porrò Capitalis eſt Civitas nedum *Brabantiæ*, ſed & univerſi *Hiſpanici Belgij*, nunc *Auſtriaci*.

(*a*) Seù *Miſentelligence*, ſeuve *Mal entendu*, quod *Hiſpanos* inter, & *Anglos*, ſubindeque & *Hibernos* erupit, Ratione cujus interrupta erat inter utrorumque Ditiones quævis Communicatio, etiam Epiſtolarum.

(*b*) Attende ad nuper dicta Lit. a.

VII. INTUITU porrò iſtarum Sereniſſimæ *Iſabellæ-Claræ-Eugeniæ* Literarum Catholicus *Hiſpaniarum* Rex, *Philippus* hujus Nominis IV, Conventui noſtro Penſionem aſſignavit annuam Mille Florenorum (c) ex Ærario *Bruxellenſi* (d) ſolvendam, quam Conventûs iſtius Fratres quotannis imprætermiſsè receperunt ad Initium uſque præſentis, quod labitur, Sæculi, tunc quippè ex *Hiſpanico* mutatum fuit Gubernium in *Germanicum*, ſivè *Auſtriacum*, ſub quo Fratres noſtri memoratæ Penſionis Loco recipiunt quotannis ex Ærario item *Bruxellenſi* Summam ter Centum Florenos excedentem ſub Titulo Eleemoſynæ.

IMPETRARUNT inſuper, ut obiter dicam, antè Annum 1660 Fratres noſtri *Lovanienſes* à S. Congregatione de *Propaganda Fide*, Operâ P. Magiſtri *Felicis O-Connor*, Sligoenſis, de quo alibi (e), Penſionem Centum & Viginti Scutorum *Romanorum*, quam ex laudatæ S. Congregationis Ærario quotannis recipiunt, eâ Lege, ut Miſſionarij Apoſtolici, in Schola iſta edocti, in *Hiberniam* regrediantur pro Fide Catholica propugnanda, & propaganda, Quatuor ſcilicet quovis Sexennio, quam ſanè adimplent Legem, ut ex brevi dicendis clarebit *(f)*.

VIII. ANNO 1629 Capitulum Generale *Romanum*, Rmi Magiſtri Ordinis *Nicolai Ridulphi*, Florentini, electivum, de Collegio hoc ſequens edidit Decretum ſub Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 1. (*g*).

Ordinamus, & omninò prohibemus omnibus Fratribus in Collegio Lovanienſi S. Joannis Baptiſtæ pro hac Provincia deſtinatis, ne ſeſe ingerere audeant in Studiorum Proviſionibus, ſed Rector (h), ſeu Prælatus dicti Collegij, cæterique Moderatores, & Studentes ejuſdem à P. Provinciali Hiberniæ tantùm de Conſilio Patrum, vel Definitorum Capituli Provincialis eligantur, & inſtituantur, ipſumque Collegium dicto Patri Provinciali pro Tempore in omnibus omninò ſubjectum ſit.

PORRO laudati Magiſtri Ordinis Succeſſor, Rmus nempè *Thomas Turcus*, Cremonenſis, Collegium hoc perſonaliter viſitavit circà Annum 1647 (*i*).

IX. ANNO 1650 in Capitulo Generali item *Romano*, Rmi Magiſtri Ordinis *Joannis-Baptiſtæ de Marinis*, Januenſis, electivo, erectum fuit Collegium hoc in Studium Generale, ut in ejuſdem Capituli Actis ſub Tit. *Conceſſiones* §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 4 (*k*) legere eſt in hunc Modum:

Concedimus quod in ejuſdem Provinciæ (Hiberniæ) *Lovanienſi Collegio fiant Actus, & Exercitia Scholaſtica pro Gradu, & Forma, prout Collegio Ulyſſiponenſi Anno 1644 conceſſit Capitulum Generaliſſimum (l). Porrò utrumque hoc Collegium, videlicet Ulyſſiponenſe, & Lovanienſe, unà cum Monaſterio Monialium Ulyſſipone fundato pro Natione Hibernica, ob Cauſas Nobis benè viſas, eximimus à Juriſdictione Patris Provincialis Hiberniæ pro Tempore, ſubjicientes ea immediatè Officio, ac Regimini Rmi Magiſtri Ordinis in ſpiritualibus, & temporalibus (m).*

X. HOC non obſtante Anno 1665 laudatus Rmus *de Marinis*, ad Supplicem Inſtantiam Capituli Provincialis *Hiberniæ* ſub Priore Provinciali P. Magiſtro *Gulielmo de Burgo*, Seniore (*n*), Collegium hoc Juriſdictioni Provincialis Hiberniæ reſtituit. Enimverò memoratus P. Provincialis ad *Lotharingiæ* Ducem quà Catholicorum *Hiberniæ* Legatus Anno 1650 miſſus (*o*), relicto Provinciæ ſuæ *Hiberniæ* Vicario P. Præſentato *Geraldo Davock*, Athenrienſi (*p*), per nonnullos Annos in *Belgio* verſatus eſt, continuatus intereà Anno 1652 in Munere Prioris Provincialis. Anno

autem

(c) *Florenus Belgicus* ualet Quatuor circiter *Julios Romanos*, ſivè duas quintas Partes *Scuti Romani*, hinc Mille *Floreni* quater Centum circiter *Scuta Romana* valent, Centum verò *Libras Sterlingas*.

(d) Confer nuper dicta Num. vi. Lit. z.

(e) Cap. xvi. Num. lxxxiii.

(f) §. præs. Num. xvi.

(g) Reliquas Conceſſiones videre poteris Cap. vi. Num. ix. Pag. 112.

(h) *Rector* Collegij non eligitur à Communitate ſicut *Prior* Conventus, ut nuper obſervatum eſt §. præced. Num. ix. Lit. a. Pag. 423.

(i) Confer Cap. xv. Num. xvii, & *Chronicon Magiſtrorum Generalium* Cap. xviii. Pag. mihi 115.

(k) Reliquas Conceſſiones legere eſt Cap. vi. Num. xii. Pag. 117.

(l) Conſulendus §. præced. Num. iii. Pag. 420.

(m) Confer Cap. viii. Num. ix. Sect. 2, & Num. xiii. Sect. i. Pag. 161, & 164.

(n) De eo plura Cap. xiv. Num. xv.

(o) Adeas Cap. xvii. Num. lxxxv.

(p) De quo infrà Cap. xvi. Num. lxx.

autem 1654 convocatorias dedit ad Patres ſuos in *Hibernia* Literas pro Capitulo, ſeu Congregatione, ut vocant, intermedia in *Urlarienſi* Cænobio (q) habendâ, novumque ad Effectum hunc inſtituit Vicarium, Patrem nempè *Joannem O-Hart*, Sligoenſem, prælibato ſcilicet P. Præſentato *Davock* in Carcere *Galvienſi* pro Fide Chriſti detento. En porrò Epiſtolæ Patrum iſtius Capituli ad eundem Rmum *de Marinis* Tenorem, cujus Copiam penès me habeo *Româ* tranſmiſſam.

“ Reverendiſſime Pater,

“ Visâ Citatione Reverendi Admodùm Patris Provincialis hodiè congregavimus in Conventu noſtro Urlarienſi, ubi inter alia lectæ ſunt Epiſtolæ Patrum noſtri olim Conventûs Lovanienſis, inſinuantes dictum Conventum, à noſtra Juriſdictione ademptum, ad Veſtræ Reverendiſſimæ Paternitatis immediatam Subjectionem tranſlatum fuiſſe. Et quamquàm de Veſtra ergà Nos Æquitate dubitare non poſſimus, hanc tamen Alienationèm noſtro miſerrimo Statui inconvenientem, & maximè incongruam judicamus. Ea enim Domus unicum eſt, & præcipuum totius hujus noſtræ deſolatæ Provinciæ Refugium, Baſis, & Aſylum, noſtraque Juventutis habendæ, & habitæ Spes unica, ex qua novos Operarios huic noſtræ Meſſi idoneos indiès ſperabamus, inermeſque, & inutiles ad ſereniora Tempora transferre decrevimus: Nobis quippè noſtrorum Capacitates, & Conditiones individuantes magis innoteſcunt. Abſit namque ut unius Commodum, & Opinionem communi totius Provinciæ præferatis. Quapropter Veſtram Reverendiſſimam Paternitatem inſtantiſſimè obſecramus, ut Veſtrâ ſolitâ Paternali Benignitate dictum Conventum Nobis reſtituat, noſtræque aſſiduæ Afflictioni, Vinculis, & Lachrymis, pro Chriſti Fide perfuſis, tantam Conſolationem, & Animum ad plura ſubeunda Certamina miſericorditer tribuas. Eandem Inſtantiam pro duobus Conventibus noſtræ Gentis Ulyſſipone erectis facimus, Reverendique Patris Joannis O-Connor à S. Dominico (r) pios Conatus ad alium Nobis in Hiſpania Conventum fundandum (s) pro Chriſti Fide collabentis Reſtauratione benignè promoveat Veſtra Reverendiſſima Paternitas. Ità humiliter deprecantur in Cænobio Urlarienſi Die 16 Auguſti 1654 congregati veſtri in Chriſto Filij,

“ *Fr. Joannes O-Hart, Vicarius Provincialis Hiberniæ.*
“ *Fr. Cornelius Geoghegan, S. Theologiæ Profeſſor, necnon Prior Molingarenſis.*
“ *Fr. Eugenius O-Coighly, Prædicator Generalis, Prior Derienſis, Miſſionarius Apoſtolicus* (t).
“ *Fr. Thomas Philbin, Prior Bureſulenſis, Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Gualterus Styphen, Prior Stradenſis, & Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Richardus O-Maddin, Prior Portumnenſis, & Miſſionarius Apoſtolicus* (u).
“ *Fr. Gulielmus Moran, Vicarius in Capite Urlarienſis.*
“ *Fr. Carolus Mac-Dermott, Ex-Vicarius in Capite Ballindunenſis.*
“ *Fr. Dominicus Philbin, Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Joannes Kenny, Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Ambroſius Henegan, Magiſter Studij,* &c.

“ Nomina Fratrum abſentium, qui per Literas ſubſcripſerunt.

“ *Fr. Geraldus Davock, S. Theologiæ Præſentatus* (w), *& hactenus Vicarius Provinciæ, in Carcere Galvienſi pro Chriſti Fide detentus.*
“ *Fr. Henricus Burgatt, S. Theologiæ Præſentatus* (x), *& Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. N. Scurlock, Prior Dublinienſis, & Miſſionarius Apoſtolicus.*

“ *Fr.*

(q) De eo jam dictum Cap. ix. §. xxxv. P. 311.

(r) Recolendum Cap. præf. §. i. Num. v. Pag. 372.

(s) Confer Cap. vi. Num. xiv, Sect. 7. Pag. 119.

(t) De quo Cap. xvi. Num. lxxvii.

(u) De quo Cap. xvi. Num. xciii.

(w) Fuit poſtmodùm Magiſter, ut conſtabit ex Cap. xvi. Num. lxx.

(x) Hic quoque poſtmodùm fuit Magiſter, ut liquebit ex Cap. xvi. Num. lxxxi.

“ *Fr. Michael Feolan* (y), *Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Raymundus Egan, Miſſionarius Apoſtolicus.*
“ *Fr. Chriſtophorus Walſh, Miſſionarius Apoſtolicus.*

XI. Anno igitur ſequenti ſæpè laudatus, & nunquàm ſatis laudandus Magiſter Generalis *de Marinis* nedum Collegium iſtud *Lovanienſe* Juriſdictioni Prioris Provincialis Hiberniæ reſtituit, ſed & illud in formalem erexit Conventum, ſpecialibus Literis Patentibus Tenoris ſequentis (z):

“ Frater Joannes Baptiſta de Marinis, S. Theologiæ Profeſſor, Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter
“ Generalis, & Servus. Ad futuram Rei Memoriam.
“ Cùm in Hibernia, quondam ex communi Epitheto *Sanctorum Inſula* nuncupata, proh dolor! Res
“ Catholica eò nunc redacta ſit, ut extinctæ ibidem ſimillima videatur, eodem Perſecutionis Turbine
“ clara olim noſtri Ordinis Provincia in pati, aut etiam triſtiori Calamitate (quamquàm ſine Culpa ſua)
“ modò ſe videat, qualem Benjaminitæ olim, Jud. Cap. 21, ſuorummet Popularium Gladio penè abſumpti
“ perſenſerunt, utique ad Nos ex ſupremo Religionis Officio pertinebit, non Verbo duntaxàt ſed Opere,
“ idipſum dicere quod tunc Majores Natu prudenter graviterque pronunciarunt, nempe (*a*): Magna No-
“ bis Cura, ingentique Studio providendum eſt, ne una Tribus deleatur ex Iſrael. Quod ne huic Provin-
“ ciæ noſtræ accidat, quam in meliora Tempora pro Fidei apud ſuos Reſtauratione ſuperſtitem expedit
“ conſervari, vel unicum Regulare Cænobium alicubi poſſideat neceſſe eſt, in quo ſub legitima Forma
“ clauſtralis Diſciplinæ non tantùm ea, quæ reſtat, Nationis Scintilla foveatur, ſed & in perpetuæ Propa-
“ gationis Spem vernacula Juventus continuo Delectu ſuccreſcat in juge Decedentium Supplementum,
“ & cum divino Cultu ſcholaſtica Literarum Exercitia, noſtræ Vocationi tàm individua, atque conſenta-
“ nea, florere Filias, hoc eſt, Provinciarum Conventus dare, ac deſpondere non vacat, eò Nos demùm
“ flecti permiſimus, ut ei Collegium noſtrum Lovanienſe (Nobis aliàs ex Decreto poſtremi Capituli Gene-
“ ralis immediatè ſubjectum) cum omnibus ſuis Pertinentijs, tùm præſentibus, tùm futuris, in Conven-
“ tum liberaliter, attribuamus, cedamus, ac deſpondeamus. Proindè harum Serie, noſtrique Officij
“ Authoritate, ſuprà dictum noſtrum Collegium Lovanienſe erigimus, erectumque declaramus in Con-
“ ventum noſtræ Provinciæ Hiberniæ, eoque Titulo ipſum Ordinariæ Inſpectioni, & Juriſdictioni ſui Pri-
“ oris Provincialis denuò ſubjicimus, conferentes huic Conventui tàm Facultatem ſibi eligendi Priorem, à
“ dicto Provinciali confirmandum, tùm reliqua Jura, Privilegia, Onera, Suffragia, huic Titulo quali-
“ tercunque annexa, ſalvis inſuper Juribus Studij, ut hactenùs, & Communicatione literaria cum inclyta
“ Univerſitate Lovanienſi. Porrò ut hæc noſtra præmemorati Collegij in Conventum Tranſmutatio ad
“ Fines ſuprà dictos fæcundis Succeſſibus, jugique Incremento frondeat, floreat, fructificet, hiſce illi
“ paternam noſtram Benedictionem ſollicitè impertimur. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.
“ Amen. Quibuſcunque in contrarium non obſtantibus. In quorum Fidem hiſce Sigillo noſtro munitis
“ Manu propriâ ſubſcripſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Super Minervam quinto Idûs Junij
“ MDCLV.

“ Fr. JOANNES BAPTISTA de MARINIS,
“ MAGISTER ORDINIS.

“ Regiſtrata Pag. 140.
“ *Fr. Leonardus Hanſen, Magiſter,*
“ *Provincialis Angliæ* (*b*).

XII. Huc facit Decretum Capituli Generalis Romani Anno immediate ſequenti (1656) ſub ſæpè recenſito Magiſtro Ordinis P. *Joanne Baptiſta de Marinis* celebrati, quod in ejuſdem Actis (*c*) legere eſt in hunc Modum: *Pro hujus Provinciæ* (Hiberniæ) *Conſervatione declaramus tàm Collegium Ulyſſiponenſe, quàm Conventum Lovanienſem Fratrum Hibernorum, cum omnibus ſuis Pertinentijs habitis, & habendis, eſſe de Corpore dictæ Provinciæ, ità quod alij Provinciales intrà quorum Fines hæ Domus exiſtunt, nullam in eas Juriſdictionem prætendere, aut adquirere poſſint, ſed*

(y) Adeas Cap. xvi. Num. xciv.

(z) Ex Libro Mſs, cui Titulus: *Brevis Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600, apud *S. Sixtum* Urbis aſſervato.

(*a*) Verſu 17.

(*b*) Titularis duntaxàt erat Provincialis *Angliæ*, ut Cap. v. Num. iii. Pag. 92 explicabam.

(*c*) Tit. Conceſſiones, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. iii. Pag. 77.

ſed totum earum Regimen relinquere teneantur ijs, quibus Magiſter Ordinis Directionem illarum vel inſtituendo contulerit, vel delegandò commiſerit (*d*).

Et quia huc flectit Oratio, non Abs Re erit in Memoriam revocare Comitiorum Generalium Anni 1706 ſub Reverendiſſimo *Cloche* Hortamen in Domino ad Provinciales & Priores Locorum aliarum Provinciarum, ut benignè tractent Religioſos hujus Collegij, in alienas Provincias Queſtûs Causâ miſſos, neque ipſis ſint Impedimento ad Collectas peragendas (*e*).

XIII. His Ordine chronologico ità relatis, pro ulteriori methodica hujus Rei Narratione regredi Opus eſt ad Domum propè *Caſtrum Cæſaris*, quam ſub Nuncupatione S. *Joannis Baptiſtæ* ex Condicto, ut præfertur (*f*). *Hiberni Dominicani* inhabitabant, anteà per Patres *Anglo-Jeſuitas* occupatam. Prævidentes porrò ſe eò Loci ſemper manere non poſſe, " de Collegio, ſeù Seminario Miſſionariorum Apoſtolicorum extruendo convenerunt ; deerant tamen Opes, ſine quibus tantum Opus inchoare non poterant. Sed Munificentiâ quorundam Benefactorum prima " hujus Conventûs Ædificia extructa fuerunt " (*g*), & quidem ſub Appellatione *S. Crucis*, fortaſſis quia P. Provincialis *Rochus Mac-Geogheganus*, qui primævam Collegij hujus Fundationem molitus eſt, cognominabatur paſſim à *S. Cruce*, non ſecùs ac Collegium noſtrum *Ulyſſiponenſe* nuncupatur *de Roſario* à Fundatore ejus *P. Dominico de Roſario*, aliàs *Daniele O-Daly* (*h*) ; vel quia P. *Thaddæus O-Duanus*, Provincialis item, qui eandem Fundationem primò inchoaverat promoveratque, Alumnus erat, non ſecùs ac illius Prædeceſſor P. *Daniel O-Creidegain*, noſtri *Sligoenſis* Cœnobij S. Crucis (*i*) ; vel demùm quia ergà Sacroſanctam Domini Crucem, ab Hæreticis Noſtratibus conculcatum, à Miſſionarijs autem Apoſtolicis etiam cum Diſpendio Vitæ prædicandam, Benefactores iſti peculiarem ſuam propalare geſtiebant Devotionem. Neque obiter prætereundum eſt, Sex ex Eccleſijs noſtris in *Hibernia* fuiſſe *S. Cruci* dicatas, quas alibi recenſebam (*k*), ubi etiam referebam, Morem ab immemorabili in *Hibernia Dominicana* invaluiſſe dicendi, poſt *Salve Regina* in Completorio, Antiphonam, Verſiculum, & Collectam de *S. Cruce*.

Interea autem Temporis Fratres, relictâ Domo militari prænominatâ, eique annexâ Eccleſiâ *S. Joannis Baptiſtæ*, aliam inhabitabant in Urbe *Lovanienſi* Domum, cui contiguum erat Sacellum ſub Invocatione *S. Georgij*, ubi manſerunt ad fabricatum uſque à Benefactoribus Cœnobium, de quo mox dictum eſt, ſub Nuncupatione *S. Crucis*.

XIV. Cæterùm Benefactores hujuſmodi erant Tres Fratres Germani, Cognomine *Joiſij*, vernaculè *Joyce* (*l*), Patriâ *Galvienſes* (*m*), nempè Ampliſſimus, & Reverendiſſimus D. *Gregorius Joyce*, Ordinis Canonicorum Regularium, nunc *Lateranenſium* (*n*), utpotè Monaſterij *Enachdunenſis* (*o*) Abbas, inſimulque Eccleſiæ Collegiatæ *S. Nicolai*, ac totius Diſtrictûs *Galvienſis* Wardi-

---

(*d*) Confer Cap. vi. Num. xiv. Pag. 119.

(*e*) Adeas, ſi libet, Cap. viii. Num. iii. Sect. 7. Pag. 157.

(*f*) §. præſ. Num. i, & ſeqq. à Pag. 431.

(*g*) Verba ſunt *Bernardi de Jonghe*. Pag. 420.

(*h*) Confer §. præced. Num. iv. Lit. n. Pag. 420.

(*i*) Id claret ex nuper dictis §. præſ. Num. i. Porrò de *Sligoenſi* iſto Cœnobio agebam Cap. ix. §. xiii. Pag. 246.

(*k*) Cap. ix. §. x. Num. iv. Pag. 239.

(*l*) Ex Familia hac, primitus Anglicana, Duo erant Archiepiſcopi *Armacani*, unuſque S. R. E. Cardinalis, Ordinis Prædicatorum Alumni, ut patet ex alibi dictis Cap. iii. Num. ix. Pag. 59.

(*m*) *Galvienſe* Oppidum deſcribebam Cap. ix. §. xxxviii. Num. i. Pag. 322.

(*n*) Nuncupantur nunc *Lateranenſes*, quia Congregatio Canonicorum Regularium noſtri *S. Patritij* (qui & ipſe Canonicus Regularis fuerat) aggregata fuit ab *Innocentio* xii, Pontifice Maximo, Congregationi *Lateranenſi* in *Italia*, ſic dictæ, quia Sacroſanctam Baſilicam *Lateranenſem*, Omnium Eccleſiarum Urbis, & Orbis Matrem, & Caput, olim poſſidebat.

(*o*) In *Galvienſi* Agro *Conaciæ*. Modernus porrò hujus Monaſterij Abbas, ut obiter dicam, eſt Ampliſſimus, & Reverendiſſimus D. *Joannes O-Maly*, in Urbe pro Congregationis ſuæ *S. Patritij* expediendis Negotijs jam verſans. Commiſſarius autem Generalis prælibatæ Canonicorum Regularium Congregationis eſt Ampliſſimus, & Reverendiſſimus D. *Thomas O-Kelly*, Abbas *Mayonenſis*, & Prior Purgatorij *S. Patritij* (conſule Cap. i. Num. iii.

(p) Wardianus, ſivè Præpoſitus, necnon Protonotarius Apoſtolicus; Admodùm Reverendus Dominus *Henricus Joyce*, Canonicus, & Paſtor *Galvienſis*, atque Exercitûs Sereniſſimi *Magnæ Britanniæ*

---

iii. Lit. b. P. 4.), Amicus mihi multis Nominibus colendus, quem religioſæ Virtutes, præſertìm Humilitas, plurimæque Dotes, & Odor præcellentis Famæ, blandâ Harmoniâ commendant. Alter ejuſdem Cognominis, Ampliſſimus nempè, & Reverendiſſimus D. *Henricus O-Kelly*, Anno 1752 defunctus, Abbas erat *Dublinienſis* Monaſteri *S. Thomæ Martyris.* Principale verò nunc iſtius Congregationis Monaſterium, utpote plures ſibi habens annexas Parochias, à Canonicis Regularibus pacificè poſſeſſas, eſt *Congenſe* in Agro *Mayonenſi*, & Archidiæceſi *Tuamenſi*, cujus modernus Abbas eſt Ampliſſimus, & Reverendiſſimus D. *Marcus Kenny*.

(p) Cap. ix. §. xxxviii. Num. i. Pag. 323, de *Galviæ* Oppido diſſerens, promittebam de Diſtrictu *Galvienſi*, quem *Wardianatum* vocant, fuſum hìc Loci Sermonem facere, & quidam Rogatu quorundam Amicorum meorum, plus autem Patriæ, ne ſcilicet duo Diplomata Pontificia, deſuper emanata, pro conſueto *Hibernorum* Infortunio, ne dicam Negligentiâ, prorsùs de Memoria Hominum deleantur. Ea porrò humaniſſimè mihi communicavit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. *Marcus Skerrett*, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, ad quem, utpote Conſanguineum meum, ruſticandi Gratiâ hiſce Diebus divertebam. Ad liberandam igitur Fidem, en imprimis Diploma *Innocentij* viii, Diſtrictum, ſeù Wardianatum, *Galvienſem* conſtituens, A. D. 1484, ſeù potiùs jam conſtitutum ſtabiliens.

“ Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei,
“ ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Super Gregem Dominicum, noſtræ divinitùs Vigilantiæ creditum, vigilis Speculatoris Officium, prout Nobis deſuper conceditur, extendentes, ad ea libenter intendimus, per quæ divinus augetur Cultus, & Salus provenire ſperatur Animarum his, quæ propterea proinde emanaſſe comperimus, ut eò firmiùs illibata perdurent, quò fuerint majori Robore ſolidata, libenter noſtri adjicimus Muniminis Firmitatem. Sanè pro Parte dilectorum Filiorum univerſorum Parochianorum Parochialis Eccleſiæ S. Nicolai Villæ Galviæ Enachdunenſis Diæceſis Nobis nuper exhibita Petitio continebat, quod Venerabilis Frater noſter Donatus *(O-Murry, Canonicus Regularis S. Auguſtini)* Archiepiſcopus Tuamenſis, qui Eccleſiæ Enachdunenſis, Tuamenſi Eccleſiæ perpetuò unitæ, præeſſe dignoſcitur, olim attentè conſiderans Parochianos dictæ Eccleſiæ S. Nicolai modeſtos, & morigeratos Homines eſſe, & in ipſa Villa, Muris, ſeù Mænibus circumcinctâ, habitantes, eiſdem Moribus, quibus montani, & ſylveſtres Homines illarum Partium utebantur, non uti, ac propter Impetrationes, quæ ſuper Vicaria dictæ Eccleſiæ S. Nicolai per Vicarios antehàc ſolitæ gubernari, à præfatis ſylveſtris, & montanæ Nationis Hominibus quotidiè fiebant, in tantùm vexari, quod ſecundùm Decentiam, Ritum, & Modum Anglicanum, quem Incolæ præfati, & eorum Prædeceſſores ſervare ab antiquo ſoliti erant, Officia divina audire, & Eccleſiaſtica Sacramenta percipere non poterant, & ab illis indoctis Hominibus perturbabantur, nonnunquàm Bonis ſpoliabantur, & interficiebantur, nonnullaque alia Damna, & Incommoda Perſonarum, & Rerum ſuſtinere cogebantur, & majora, niſi eis celeri Remedio ſuccurreretur, in futurum perferre veriſimiliter formidabant, providâ ſuper hoc Deliberatione præhabitâ, ad ipſorum Parochianorum Supplicationem, Eccleſiam prædictam S. Nicolai in Collegiatam, & in illa Collegium unius Cuſtodis, & Octo Preſbyterorum ordinariâ Auctoritate erexit, ac ordinavit, & pro illorum Suſtentatione Fructus, Redditus, & Proventus prædictæ Vicariæ, ac dimidiam Quartam, quam Servitores dictæ Eccleſiæ S. Nicolai à dilectis Filijs Abbate, & Conventu Monaſterij Collis Victoriæ Ciſtercienſis Ordinis, Tuamenſis Diæceſis, per longum Tempus habere conſueverant, nonnulla quoque Bona, Redditus, Terras, Decimas, Jura, & Servitia tunc expreſſa, per ipſum Archiepiſcopum, & quoſdam ex dictis Parochianis, providè conſiderantes, quod præmiſſa ad decentem Suſtentationem quatuor ex dictis Preſbyteris vix ſufficere poterant, ad hunc Effectum dictæ Eccleſiæ S. Nicolai donata, & oblata, ac quæ per aliquos ex eiſdem Parochianis donari contingeret in futurum Menſæ Capitulari dictæ Eccleſiæ S. Nicolai applicavit, & appropriavit, ac ad eandem Eccleſiam S. Nicolai pleno Jure pertinere voluit, necnon Vicariam Parochialis Eccleſiæ S. Jacobi de Balenclaer dictæ Enachdunenſis Diæceſis de Conſenſu Vicarij ejuſdem Eccleſiæ S. Jacobi pro Suſtentatione Cuſtodis, & octo Preſbyterorum prædictorum, in ipſa Eccleſia S. Nicolai vivere volentium, perpetuò univit, annexuit, & incorporavit; & quod dicta Eccleſia S. Nicolai, ſicut præmittitur, in Collegium erecta, non per unum Vicarium, ſed per dictos octo Preſbyteros, ſivè Vicarios, mori-

“ geratos,

niæ Hiberniæque Regis *Caroli* Secundi, in *Belgio* militantis, Vicarius Generalis; & Dominus *Gualterus Joyce*, Centurio, vulgò Capitaneus, ut patet ex ſequenti Inſtrumento, quod ex Exemplari *Lova-*

“ geratos, virtuoſos, & doctos, & per unum Guardianum, ſivè Cuſtodem, Anglicanum Ritum, & Modum in divinorum Celebratione rectè tenentes, de cætero regeretur, & gubernaretur; quodque ipſi Preſbyteri per Superiorem Præpoſitum, vel Majorem, & Ballivos, ac Pares Villæ prædictæ, præfato Guardiano, ſivè Cuſtodi dicti Collegij præſentarentur, & per ipſum Guardianum, ſivè Cuſtodem, tanquam Vicarij Curam Animarum in ſolidum agentes, confirmarentur, ipſeque Guardianus, ſivè Cuſtos, ad Præſentationem prædictorum Superiorum, ſivè Majoris, & Parium, ſingulis Annis removibilis, & per ipſos Vicarios inſtitueretur, ac poſt Inſtitutionem hujuſmodi factam, Guardianus ipſe ſuper omnes dictos Vicarios, & Parochianos Poteſtatem haberet, ac Curam exerceret Animarum, eâdem Auctoritate ordinavit, prout in quibuſdam Literis Authenticis, dicti Archiepiſcopi Sigillo munitis, pleniùs dicitur contineri. Quarè pro Parte Parochianorum prædictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Erectioni, Donationi, Applicationi, Appropriationi, Unioni, Annexioni, & Incorporationi, Voluntati, ac Ordinationi prædictis pro earum Subſiſtentia firmiori Robur noſtræ Confirmationis adjicere, aliâſque in præmiſſis opportunè providere, de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini Cultûs diligimus Augmentum, & dudùm inter alia voluimus, quod petentes Beneficia Eccleſiaſtica alijs uniri, tenerentur exprimere verum annuum Valorem Fructuum, Reddituum, & Proventuum Beneficij, cui Unio fieri peteretur, alioquin Unio non valeret, & ſemper in Unionibus Commiſſio fieret ad Partes, vocatis, quorum intereſt, & idem obſervaretur in Unionum jam factarum Confirmationibus, Fructuum, Redditum. & Proventuum Vicariæ dictæ Eccleſiæ S. Nicolai, & illius Collegij, ac aliarum Donationum, & Obligationum hujuſmodi, verum annuum Valorem, necnon ultimæ Vacationis dictarum Vicariarum Eccleſiarum SS. Nicolai, & Jacobi Modos, ac Literarum Erectionis, Donationis, Applicationis, Appropriationis, Unionis, Annexionis, & Incorporationis, Ordinationis, & Voluntatis prædictorum Tenorem, præſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Erectionem, Donationem, Applicationem, Appropriationem, Unionem, Annexionem, & Incorporationem, Voluntatem, & Ordinationem prædictas, ac prout illas concernunt, omnia, & ſingula in dictis Literis contenta, & indè ſecuta quæcunque, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac præſentis Scripti Patrocinio communimus, ſuppleműſque omnes, & ſingulos Defectus tàm Juris, quàm Facti, etiam alterius cujuſcunque Solemnitatis omiſſæ, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Et pro potioris Cautelæ Suffragio Eccleſiam prædictam S. Nicolai in Collegiatam, & in ea unam Cuſtodiam pro uno Guardiano, ſivè Cuſtode, qui inibi ut Caput. & octo perpetuas Vicarias per totidem Preſbyteros, qui inibi ut Membra cum dicto Cuſtode Capitulum conſtituant, cum communi Sigillo, Arca, ſivè Burſa, Menſa, & alijs Collegialibus Inſignijs, dictâ Auctoritate Apoſtolicâ de novo, ſine Præjudicio alicujus, erigimus, ac Vicariam prædictam Eccleſiæ S. Jacobi, cui Cura imminet Animarum, & annuos Fructus, Redditus, & Proventus ſex Marcarum Sterlingarum (*Videſis Cap.* ix. §. i. *Num.* ix. *Lit.* z. *Pag.* 192.) ſecundùm communem Æſtimationem, Valorem annuum, ut Parochiani prædicti aſſerunt, non excedunt, quovis Modo, aut ex cujuſcunque Perſonæ Obitu vacet, etiamſi tanto Tempore vacaverit, quod ejus Collatio juxtà Lateranenſis Statuta Concilij ad Sedem Apoſtolicam ſit legitime devoluta, ipſaque Vicaria Eccleſiæ S. Jacobi Diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, cum omnibus Juribus, & Pertinentijs ſuis, eidem Eccleſiæ S. Nicolai de novo perpetuò unimus, annectimus, & incorporamus; quodque Eccleſia prædicta S. Nicolai ſic in Collegiatam erecta, juxtà dicti Archiepiſcopi Ordinationem prædictam, per octo Preſbyteros morigeratos, virtuoſos, & doctos, Anglicanum Ritum, & Morem in divinorum Celebratione obſervari ſolitos, perpetuis futuris Temporibus regatur, & gubernetur; & illius Preſbyteri prædicti per Superiorem Præpoſitum, vel Majorem, & Ballivos, ac Pares dictæ Villæ, Guardiano, ſivè Cuſtodi prædicto pro Tempore præſentari, & per ipſum Guardianum, ſivè Cuſtodem, in perpetuos Preſbyteros, ſeù Vicarios, in eodem Collegio, ad Præſentationem eandem, inſtitui. Guardianus verò, ſivè Cuſtos, præfatus, per eoſdem Superiorem Præpoſitum, ſivè Majorem, & Pares, Annis ſingulis removibilis, eiſdem Preſbyteris, ſivè Vicarijs, præſentari, & per ipſos Preſbyteros, ſivè Vicarios, ad Præſentationem ipſam in Guardianum pro illo Anno inibi deputari, & inſtitui debeat; & habeat ipſe Guardianus, ſivè Cuſtos, poſt obtentam Inſtitutionem ſuam, durante Anno, pro quo electus, *Lovanienſi*, & ex *Notitiâ Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600, apud *S. Sixtum* de Urbe aſſervatâ (ut nihil dicam de *Bernardo de Jonghe*, Pag. 420, ubi Exordium,

---

ſeù inſtitutus fuerit, ſuper omnes dictæ Eccleſiæ S. Nicolai Preſbyteros, ſeù Vicarios, ac Parochianos, Poteſtatem, & ipſorum, ac Parochianorum prædictorum Curam exerceat Animarum, eâdem Auctoritate ſtatuimus, & ordinamus; ac Jus Patronatûs, & præſentandi Guardiano Preſbyteros prædictos in Vicarios inſtituendos, & Guardianum Preſbyteris, ſivè Vicarijs, per eos inſtituendum, præfatis Superiori Præpoſito, ſivè Majori, Ballivis, & Paribus dictæ Villæ, pro Tempore exiſtentibus, in perpetuum prælibatâ Auctoritate concedimus; Jure tamen aliarum Parochialium Eccleſiarum, & cujuſlibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper ijs à quoquam quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus priori Voluntate noſtrâ prædictâ, ac Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcunque; aut ſi aliqui ſuper Proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel alijs Beneficijs Eccleſiaſticis in illis Partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus, Literas impetrarent, etiamſi per eas ad Inſtitutionem, Reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem Literas, & Proceſſus habitos per eaſdem, ac indè ſecuta quæcunque, ad præfatam unitam Vicariam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad Aſſecutionem Beneficiorum aliorum Præjudicium generari, & quibuſlibet alijs Privilegijs, Indultis, & Literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque Tenorum exiſtant, per quæ, præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, Effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus quorumque totis Tenoribus habenda ſit in noſtris Literis Mentio ſpecialis, proviſo quod propter Unionem hujuſmodi Eccleſia S. Jacobi debitis non fraudetur Obſequijs, & Animarum Cura in ea nullatenùs negligatur, ſed ejus congruè ſupportentur Onera conſueta. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Confirmationis, Approbationis, Conjunctionis, Suppletionis, Unionis, Annexionis, Incorporationis, Conſtitutionis, Ordinationis, Conceſſionis, Decreti, & Voluntatis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Quarto, Sexto Idûs Februarij, Pontificatûs noſtri Anno Primo.”

“ L. GRIFUS.”

Exortâ autem deſuper Lite D. *Bernardum O-Gara*, Archiepiſcopum *Tuamenſem* inter, & Clerum Populumque *Galvienſem*, atque in S. Congregatione de *Propaganda Fide* agitatâ, tandem ab ea ex Compromiſſo Decretum emanavit Anno 1732, Apoſtolicæ Confirmationis Robore munitum Anno ſequenti, in hunc Modum:

“ CLEMENS PP. XII.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Redemptoris, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui Charitas eſt, & Deus Pacis, Vices licèt immeriti gerentes in Terris, ea, quæ inter Fideles quoſcunque, præſertim in Partem Sollicitudinis noſtræ, ac Sortem Domini vocatos, dirimendarum Litium, ſtabiliendæque Pacis, & amabilis Animarum Concordiæ Studio providè conventa, atque tranſacta eſſe noſcuntur, ut firma ſemper, ac inviolata perſiſtant, Apoſtolici Muniminis Studio, cùm id à Nobis petitur, libenter conſtabilimus. Cùm itàque, ſicut ex Relatione Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Rebus Propagandæ Fidei præpoſitorum, accepimus, poſtquàm inter Venerabilem Fratrem modernum, & pro Tempore exiſtentem Archiepiſcopum Tuamenſem ex una, ac dilectos Filios Clerum, & Populum Galvienſem in Hibernia ex altera Partibus, graves Controverſiæ de, & ſuper Exemptione, quam Clerus, & Populus præfati ab ordinaria ipſius Archiepiſcopi Juriſdictione prætendebant, diù agitatæ fuerant, Congregatio eòrundem Cardinalium, quo ejuſmodi Controverſijs Finis imponeretur, Venerabili itidem Fratri Silvio *(Valenti-Gonzaga)* Archiepiſcopo Nicæno, noſtro, & Apoſtolicæ Sedis in Belgicis Dictionibus Nuntio *(poſtmodùm S. R. E. Cardinali)* mandaſſet, ut utriuſque Partis Jura, quæ jam pluries deducta fuerant, peremptoriè cognoſceret: Dictus verò Silvius Archiepiſcopus, & Nuntius, Vigore Facultatis, ſibi à dicta Congregatione Cardinalium attributæ, Venerabilem quoque Fratrem Epiſcopum Limericenſem *(Cornelium O-Keeffe)* ſubdelegaſſet, ut in Faciem Loci ſe conferret, & Partes prædictas coràm audiret, quomadmodùm reipsâ præſtitit: Tandem Conſilio, Curâ, & Operâ ipſorum Sylvij Archiepiſordium, & inſequentem majorem Partem exhibet) de Verbo ad Verbum exſcribo.

Cum

---

copi, & Nuntij, ac Epiſcopi Limericenſis, conciliata, ac poſtmodùm inita fuit inter prædictas Partes ſuper enarratis Controverſijs Tranſactio, ſeù Concordia, reſervato noſtro, & hujus S. Sedis Beneplacito, ſub Pactis, & Conditionibus contentis in publico deſuper confecto Inſtrumento Tenoris, qui ſequitur, videlicet:

“ In Nomine Domini. Amen. Cùm inter Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Archiepiſcopum Tuamenſem ex una, & Clerum Populumque Galvienſem ex altera Parte, ſuper prætenſa Exemptione à Juriſdictione Ordinaria, longæva exarſerint Litigia, afferebant enim dictus Clerus Populuſque Galvienſis in eorum Favorem, Bullam quandam à San. Mem. Innocentio VIII uſque & de Anno 1484 datam fuiſſe, quâ eximebatur Clerus & Populus prædictus ab immediata Juriſdictione Archiepiſcopi Tuamenſis, quam Bullam confirmatam dicebant ab altera poſteriori Bulla San. Mem. Urbani VIII ſub Die 17 Kal. Decembris Anno 1635, Pontificatûs ejus Anno XIII, ſeque in dictæ Exemptionis continuata Poſſeſſione ab immemorabili perſtitiſſe autumant. Ex altera verò Parte, Archiepiſcopi pro Tempore acriter ſe hujuſmodi Exemptioni oppoſuerunt, prætendendo, aut nunquàm extitiſſe aſſertam Bullam Innocentij VIII, aut fuiſſe ſub & obreptitiè extortam, necnon poſteriorem Bullam Urbani VIII nullatenùs loqui de prætenſa Exemptione; quodque attinet ad longævam Poſſeſſionem, ultrà quod hæc pacifica nunquàm dici poteſt, contradicentibus ſemper pro Tempore Archiepiſcopis, nec ulla de Jure contrà Viſitationem, & Obedientiam currit Præſcriptio ex Cap. *Cùm non liceat*, & Cap. *Cùm ex Officio*, de *Præſcriptionibus*: Quæ Jura utriuſque Partis pluries fuerant deducta, quæque finaliter examinanda S. Congregatio Propagandæ Fidei demandavit Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Silvio Valenti-Gonzaga, Archiepiſcopo Nicæno, & Nuntio Bruxellenſi, per Literas eidem ſub Die 22 Decembris Anni 1731 retrolapſi datas, quarum Vigore delegavit Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. *(Cornelium)* O-Keeffe, Epiſcopum Limericenſem, in Literis ei datis ſub Die 2 Aprilis currentis Anni 1732, ad hoc, ut, ſuper Faciem Loci ſe conferens, Partes ultimò, ac peremptoriè audiret. Quæ omnia per dictum Epiſcopum Limericenſem acta ſunt, prout habuit in Mandatis, uti conſtat ex ejus Relatione ad præfatum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Nuntium tranſmiſſâ ſub Die 23 Maij proximè elapſi. Cùmque novum Jus, vel Probatio Juris à neutra Parte adducta fuerit præter eas Rationes, quas iterum, atque iterùm adduxerunt, videntibuſque tâm Archiepiſcopo Tuamenſi, quàm Clero Populoque Galvienſi, Neceſſitatem Litis protrahendæ uſque ad Sententiæ Definitionem, quod ſummam Incommoditatem, & maxima Diſpendia afferret, & præterea, cùm Exitus Litis ſit maximè incertus, hinc eſt, quod Conſilijs Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Epiſcopi Limericenſis acquieſcentes, tùm Archiepiſcopus Tuamenſis Clerum & Populum Galvienſem paternè amplexando, tùm ipſi Galvienſes uti Filij inter Brachia ſui Ordinarij ſe recipiendo, decreverunt, poſthabitâ omni & quacunque Contentione mutuam hanc Dilectionem abrogante, Jurium Prætenſionibus hinc indè cedendo, ad veram, ſtabilem, & perpetuò duraturam Concordiam devenire, prout de Facto devenerunt, atque ſupradicto Epiſcopo Limericenſi tanquàm Arbitro ſua Jura commiſerunt, qui Re benè ac maturè examinatâ, omnibuſque tùm Juris tùm Facti Circumſtantijs, & Probationibus perpenſis, in hujuſmodi Concordiæ Pactiones, & Articulos conſultò devenit, quorum Tenor eſt, prout ipſe Epiſcopus Limericenſis in ſua Epiſtola ſub Die 23 Maij proximè elapſi, Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. Nuntio Bruxellenſi explicavit. Huic autem Concordiæ, ac ejuſmodi omnibus, & ſingulis Articulis, Conſenſum præbuit tàm Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Tuamenſis per Literas ad Ampliſſimum D. Equitem (*Franciſcum*) Goddard, Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Nuntij Auditorem, ſub Die 7 Julij currentis Anni 1732 tranſmiſſas, quàm ipſe Clerus Populuſque Galvienſis, qui non ſolùm Supplicem in hunc Finem Libellum ad Curiam hujus Nuntiaturæ tranſmiſerunt, omnium Nomine ſubſcriptum à Reverendiſſimo Domino Patritio Bermingham, Præpoſito Galvienſi, ſub Die 28 Julij Anni currentis 1732, ejuſque Sigillo munitum, verùm & Procuratorem conſtituerunt Ampliſſimum D. Riccardum Henneſy, Decanum Eccleſiæ Limericenſis, uti conſtat ex Mandato Procuratoriæ dato ſub Die 19 Maij currentis Anni 1732, & in Nuntiatura hac exhibito, in cujus Archivis hæc omnia ad perpetuam Rei memoriam conſervantur. Tenor autem Tranſactionis eſt ut ſequitur. Primò conſentiunt Clerus Populuſque Galvienſis, quod Archiepiſcopus pro Tempore Tuamenſis habeat

“ Cùm ob Zelum Religionis, & ſingularem Affectum ergà Prædicatorum Familiam, Admodùm Reverendi Domini D. Gregorius Joyce, Protonotarius Apoſtolicus, Canonicus, Perſona, ſeù Rector Galvienſis,

“ enſis,

“ quolibet Triennio Jus eos viſitandi in Capite, & in Membris. Secundò, quod Appellationes in ſecunda Inſtantia, & à Sententia Wardiani, ad Tribunal Archiepiſcopi aſcendant. E contrà verò Archiepiſcopus Tuamenſis, dummodò ei reſervetur Jus Viſitationis in Capite, & in Membris, & Cognitio Cauſarum in ſecunda Inſtantia, cedit cæteris Privilegijs, quæ ſibi competere prætendunt dictus Clerus Populuſque Galvienſis. Primò ſcilicet, quod Jus Electionis Wardiani pro Tempore ſpectet ad Patronos Laicos, & Jus inſtituendi ſalvum maneat penès Vicarios Collegiatos Wardiani à Patronis Laicis præſentati, & vice verſa. Secundò, quod Wardianus, ſeù Cûſtos, polleat Juriſdictione Ordinariâ in Clerum, & Populum ſui Territorij, nimirùm ut poſſit ſuſpendere, interdicere, excommunicare, & pro Confeſſionibus Populi Approbationem, & Juriſdictionem dare Clero tùm Sæculari, tùm Regulari, eo modo, quo Suffraganei Epiſcopi utuntur in ſuis Diæceſibus Reſpectu Subditorum. Tertio, ut Wardianus poſſit concedere Literas Dimiſſoriales Subditis ſui Wardianatûs, & ut Virtute ſuæ Ordinariæ Juriſdictionis cognoſcat de Cauſis Matrimonialibus, habeatque ſibi directas Facultates, concedi ſolitas Suffraganeis Epiſcopis, diſpenſandi in Gradibus prohibitis, tùm Conſanguinitatis tùm Affinitatis, quoties tales Caſus occurrent. Quartò, ut Wardiani Juriſdictio extendatur ad Regulares, & Moniales ſui Territorij eodem Modo quo Epiſcoporum Poteſtas, quodque ſemper conſulatur in Receptione Puellarum, & per ſe, vel per Delegatum examinet earum Vocationem, ac earum Profeſſioni, tanquàm Auctoritatem habens, intereſſe poſſit, & valeat. Quintò, ut ipſe Wardianus ſolus cum Conſilio ſui Capituli vigilet ſuper Eccleſias annexas Eccleſiæ Collegiatæ, in ipſiſque nominet, & inſtituat Paſtores, qui Curam agant Animarum independenter à quovis alio, ipſique Rationem reddant de eorum Adminiſtratione in dictis Eccleſijs, & Correctioni ſubdantur. Sextò, ut Wardianus in futurum ſit eligibilis ad Triennium ob nimis gravia Incommoda, quæ hucuſque provenerunt, & provenire timentur ex annuali Electione Wardiani. Hanc Concordiam, in quam utræque Partes ſub Reſervatione Beneplaciti Apoſtolici conſenſerunt, tàm Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Archiepiſcopus Tuamenſis âpprobavit, & approbat, juxtà ejus Literas ſupradictas ſub Die 7 Julij dicto Domino Equiti Goddard Auditori datas, quàm Ampliſſimus D. Riccardus Henneſy, qui, uti Procurator dicti Cleri Populique Galvienſis, perſonaliter conſtitutus coram me Notario, & Teſtibus, ratam habuit, & habet, renuncians, cedens, & annullans omnes anteactas Lites, & Controverſias, & volens, quod hoc præſens Inſtrumentum Tranſactionis, quatenùs ità S. Congregationi Propagandæ Fidei beneplacitum fuerit, Vim habeat Sententiæ, & Rei Judicatæ. Acta ſunt hæc Bruxellis in Tribunali Nuntiaturæ coràm Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Silvio Valenti-Gonzaga, Archiepiſcopo Nicæno, & Sanctitatis Suæ, ac S. Sedis Nuntio Ordinario, Die 11 Septembris Anno reparatæ Salutis 1732, Pontificatûs Sanctiſſimi in Chriſto Domini D. Clementis divinâ Providentiâ Papæ XII Anno Tertio, factâ priùs authenticâ Recognitione Manûs ſupradictæ Epiſtolæ Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Archiepiſcopi Tuamenſis, dicto Ampliſſimo D. Equiti Goddard Auditori ſub Die 7 Julij currentis Anni 1732 ſcriptæ, per præfatum Ampliſſimum D. Henneſy, qui ſe Manûs Cognitionem habere coram infraſcripto Notario, & Teſtibus aſſeruit. Erat ſignatum: Hubertus Coulon, Preſbyter Canonicus, Teſtis. Bernardus Rothut, Teſtis. Et, Ego Joannes Baptiſta Verſpilt, Protonotarius Apoſtolicus. Et à Latere appoſitum erat dicti Protonotarij Sigillum. Hanc Copiam cum ſuo Originali de Verbo ad Verbum conſonam eſſe Fidem facio, & atteſtor, Hubertus Coulon, Protonotarius Apoſtolicus.

“ Quarè memorati Cardinales in Concordiam, & Tranſactionem præfatam recognoverunt, ac, Re maturè perpenſâ, per Nos approbari poſſe cenſuerunt, Nobiſque humiliter ſupplicarunt, ut in præmiſſis opportunè providere, &, ut infrà, indulgere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorundem Cardinalium Votis hac in Re, quantùm cum Domino poſſumus, annuere, dictoſque modernum Archiepiſcopum Tuamenſem, & Clerum, & Populum Galvienſem, ſpecialibus Favoribus, & Gratijs proſequi volentes, horumque ſingulares Perſonas à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, a Jure, vel ab Homine quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, Con-

“ cordiam,

" enſis, Abbas Monaſterij Canonicorum Regularium Anaghdunenſis; & D. Henricus Joyce, Vicarius
" Generalis Exercitûs Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ in Belgio, Canonicus, & Paſtor inſignis Ec-
" cleſiæ Collegiatæ S. Nicolai Galvienſis in Hibernia; & D. Gualterus Joyce, Germani Fratrès, & Cives
" Galvienſes, in Honorem S. Crucis, & Paſſionis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, Eccleſiam Fratrum Hi-
" bernorum Sacri Ordinis Prædicatorum Lovanij ſub Titulo S. Crucis ædificare inchoaſſent, & primum
" angularem Lapidem, à dicto A. R. D. Henrico benedictum, apponendo, Parietes à Fundamentis eri-
" gendo, quamplura Materialia ſubminiſtrando, Architectis, & Operarijs Stipendia ſolvendo, liberaliſſimè
" ad Fabricam proſequendam noſtram Communitatem adjuviſſent, &, Deo auxiliante, inceptum Opus
" ad Finem perducere intendant, ut in noſtro Collegio regularis Obſervantia, & Literatum Studia floreant
" ad Juvenes educandos in Viros doctos, & Miſſionarios Apoſtolicos, qui Vineam Domini in Hibernia, &
" in alijs Orbis Partibus, excolere valeant. Hinc eſt, quod Nos Prior, & Religioſi dicti Collegij S. Crucis,
" ad Sonitum Campanæ capitulariter congregati, tanti Beneficij memores, & ſupradictis Admodùm Re-
" verendis Dominis, eorumque Domino Fratri, tanquam noſtris præcipuis Benefactoribus, & Patronis, qui
" tantam Summam in dicta Fabrica expenderunt, & adhuc expendere firmiter proponunt, gratos Nos ex-
" hibere cupientes, obligamus Nos, Communitatem, & Succeſſores noſtros in perpetuum ad ſubſequen-
" tia. Imprimis, ut pro dictis Admodùm Reverendis Dominis, eorum Domino Fratre, Parentibus, &
" Conſanguineis, teneamur Nos, & Succeſſores noſtri in dicto Collegio, ſeù Conventu S. Crucis, legere
" duo Sacra Solemnia quotannis in perpetuum, unum videlicèt in Die Inventionis S. Crucis, & alterum
" in Die Exaltationis. Secundò, ut in Vigilijs dictorum Feſtorum Officium Defunctorum legatur in
" Choro pro ijsdem Benefactoribus. Tertiò, quod defuncto quocunque dictorum trium Fratrum, quilibet
" Sacerdos debet legere unum Sacrum pro Refrigerio Animæ ipſius, & ulteriùs Sacrum Communitatis ad
" eandem Intentionem debet applicari ſimul cum Officio Defunctorum choraliter lecto. Quartò, præfatos
" Admodùm Reverendos Dominos, & eorum Dominum Fratrem, Parentes, & Conſanguineos, Compar-
" ticipes facimus omnium Sacrificiorum, Precum, Vigiliarum, Jejuniorum, Studiorum, & reliquorum
" bonorum Operum hujus Communitatis in perpetuum. Denique prædictis Admodùm Reverendis Do-
" minis, & eorum Domino Fratri, concedimus Facultatem ſibi liberè eligendi Locum Sepulturæ in dicta
" noſtra Eccleſia, vel Clauſtro, & eandem pro Libito ornandi. In quorum omnium Fidem, & Robur
" his, Sigillo noſtro munitis, communi omnium Conſenſu ſubſcripſimus Lovanij in Conventu S. Crucis Die
" 8 Januarij 1659.

Locus ✠ Sigilli

" *Fr. Dominicus O Kelly, Prædicator Generalis, & Prior* (q)
" *Fr. Dominicus Romanus, Supprior.*
" *Fr. Gulielmus de Burgo, Regens Primarius* (r).
" *Fr. Thomas Lyncæus.*

" *Fr. Felix*

" cordiam, ſeu Tranſactionem inter Partes prædic-
" tas initam, ſicut præmittitur, confectumque de-
" ſuper Inſtrumentum præinſertum, cum Pactis, &
" Conditionibus in eo contentis, Auctoritate Apoſ-
" tolicâ Tenore præſentium confirmamus, & appro-
" bamus, illiſque inviolabilis Firmitatis Robur ad-
" jicimus, ac omnes, & ſingulos Juris, & Facti De-
" fectus, ſi qui deſuper quomodolibet intervenerint,
" ſupplemus. Decernentes eaſdem præſentes Li-
" teras ſemper firmas, validas, & efficaces exiſtere,
" & fore, ſuoſque plenarios, & integros Effectus
" ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro
" Tempore quandocunque ſpectabit, in omnibus,
" & per omnia pleniſſimè ſuffragari. Sicque in præ-
" miſſis, per quoſcunque Judices Ordinarios, &
" Delegatos, etiam Cauſarum Palatij Apoſtolici Au-
" ditores, & dictæ Sedis Nuntios, judicari, & defi-
" niri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper
" his a quoquam quavis Auctoritate ſcienter vel ig-
" noranter contigerit attentari. Non obſtantibus
" præmiſſis, ac Apoſtolicis, & Univerſalibus Pro-
" vincialibuſque, & Synodalibus Concilijs editis ge-
" neralibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, &
" Ordinationibus, necnon Metropolitanæ Eccleſiæ
" Tuamenſis, alijſque quibuſvis, etiam Juramento,
" Confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis Firmitate
" aliâ roboratis, Statutis, & Conſuetudinibus, Pri-
" vilegijs quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis,
" in contrarium promiſſorum quomodolibet conceſ-
" ſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus,
" & ſingulis illorum Tenores præſentibus pro plenè,
" & ſufficienter expreſſis, ac de Verbo ad Verbum
" inſertis, habentes, illis aliàs in ſuo Robore per-
" manſuris, ad præmiſſorum Effectum hac Vice
" duntaxàt ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæte-
" riſque contrarijs quibuſcunque. Datum Romæ
" apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris
" Die xxi Aprilis MDCCXXXIII, Pontificatûs noſtri
" Anno Tertio."

" FABIUS CARDINALIS OLIVERIUS."

(q) Hic fuit poſtmodùm Provincialis *Hiberniæ* Anno 1669, ut ex Cap. xiv. Num. xvii, conſtabit.

(r) Hic etiam fuit Provincialis *Hiberniæ* ab Anno 1674 ad 1682, ut dicetur Cap. xiv. Num. xix.

" *Fr. Felix O-Connor, Prædicator Generalis (s).*
" *Fr. Joannes O-Bern, Regens (t).*
" *Fr. Theobaldus Roche, Magiſter Studij.*
" *Fr. Chriſtophorus Bath, Vicarius Conventualis (u).*
" *Fr. Antonius Henegan, Lector Philoſophiæ.*
" *Fr. Patritius Henebry.*
" *Fr. Joannes Browne.*
" *Fr. Daniel Nolanus.*
" *Fr. Bernardus O-Donnellus.*
" *Fr. Jacobus Albidenſis.*"

" Nos Fr. Gulielmus de Burgo, S. Theologiæ Magiſter, & Prior Provincialis Hiberniæ (*w*), Ordinis Prædicatorum, annuentes Petitioni tàm præfatorum Reverendi Patris Prioris, & Religioſorum, quàm Reverendorum Admodùm Dominorum, harum Serie, & Authoritate noſtri Officij confirmamus, & approbamus ſupradictas Obligationes. In cujus Rei Fidem, & Robur his Sigillo noſtri Officij munitis ſubſcripſimus. Lovanij in Conventu S. Crucis Die 8 Januarij 1659."

Locus ✠ Sigilli.

" FR. GULIELMUS DE BURGO, MAGISTER, & PRIOR PROVINCIALIS."

XV. En inſuper aliud ejuſdem fermè Tenoris Inſtrumentum, coram Notario Publico Septem poſt Annos, completâ ſcilicet Fabricâ, confectum, in quo videbis Cognomen *Martinez* Cognomini *Joyce* adjunctum (*x*).

" In Nomine Domini. Amen.

" Cunctis pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno à Nativitate Domini Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo Sexto, Die Vigeſimo Nono Menſis Aprilis, coram me Notario Publico, in Concilio Brabantiæ admiſſo, Lovanij reſidente, & in Præſentia Teſtium infrà nominatorum, comparuerunt perſonaliter Reverendus Admodùm Pater Prior, & alij Patres Conventûs Fratrum Prædicatorum Hibernorum in hac Civitate Lovanienſi infrà ſignati, qui Præſentium Tenore agnoſcunt Reverendum Admodum Dominum Gregorium Joyce-Martinez, Protonotarium Apoſtolicum, Perſonam, ſivè Rectorem Galvienſem, Abbatem Enachdunenſem, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Gudulæ Bruxellenſis Canonicum, necnon Excellentiſſimi Marchionis de Carracua, pro Rege Catholico Belgarum, & Burgundiæ Gubernatoris, Capellanum; Reverendum Admodùm Dominum Henricum Joyce-Martinez, inſignis Eccleſiæ Collegiatæ Divi Nicolai de Galvia Canonicum, ſivè Vicarium, & Paſtorem, totius Exercitûs Regis Magnæ Britan- in Belgio Provicarium Generalem. & Decanum electum Binckenſem in Hannonia &c; atque Nobilem Dominum Gualterum Joyce-Martinez, pro Servitio Regis Catholicæ Majeſtatis in Belgio Capitaneum &c, &c, Germanos Fratres Hibernos ex Civitate Galvienſi, poſuiſſe prima Fundamenta Fabricæ Templi extructi Fratrum Prædicatorum Hibernorum Lovanij in Honorem Sanctiſſimæ Crucis, & Paſſionis Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri, eandemque promoviſſe Parietes à Fundamentis erigendo, quàm plura Materialia ſubminiſtrando, Architectis, & Operarijs Stipendia ſolvendo uſque ad Perfectionem Operis: Et inſuper ſuum Patrocinium, & Affectum perpetuò continuare firmiter intendunt, ad hoc ut in prædicto Conventu Regularis Obſervantia, & Literarum Studia floreant ad Juvenes educandos in Viros doctos, & Miſſionarios Apoſtolicos, qui Vineam Domini in Hibernia, & alijs Orbis Partibus, excolere valeant. Hinc eſt quod prædicti Prior, & Patres comparentes dicti Conventûs S. Crucis, ad Sonitum Campanæ capitulariter congregati, tanti Beneficij memores, præfatos Admodùm Reverendos Dominos, eorumque Dominum Fratrem Gualterum, ejuſque Succeſſores, & eorum Actiones habentes, acceptant, &, quantùm in illis eſt, conſtituunt, ſuos perpetuos, & ſingulares Patronos, contrà quoſcunque, qui quovis Prætextu dictæ Fabricæ Poſſeſſionem, & Uſum, in Præjudicium dictorum Patrum invaderent;

" illis

(*s*) De hoc Sermo erit Cap. xvi. Num. lxxxiii.

(*t*) De iſto jam dictum Cap. ix. §. xvi. Num. vi. Pag. 261.

(*u*) De eo videndum Cap. xvi. Num. xcvii.

(*w*) Adeas Cap. xiv. Num. xv.

(*x*) Ex Exemplari *Lovanienſi*, atque ex prælibata *Notitiâ Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600, in Archivo Conventus *S. Sixti* de Urbe aſſervatâ.

“ illiſque concedunt omnes Gratias, Privilegia, & Jura, quæ juxtà Conſtitutiones dicti Ordinis in ſimili
“ Caſu concedi poſſunt. Declarunt inſuper dicti Patres comparentes, hanc Conceſſionem omni ex Parte
“ eſſe integram, & firmam; volentes eam in omni Judicio perpetuò valere, & pro Rata, & Authentica
“ haberi, atque inſuper ratificari, ſi quandò alterutri Parti id expedire videbitur. Acta ſunt hæc Lovanij
“ in prædicto Conventu, præſentibus ibidem honeſtis Perſonis, Aurelio Haighian, & Joanne O-Brien,
“ Teſtibus ad præmiſſa vocatis, atque rogatis, qui huic Actui unà cum Reverendis Patribus compa-
“ rentibus ſubſignarunt, & Sigillo Conventûs confirmarunt.

“ *Aurelius Haighan,* } Teſtes
“ *Joannes O-Brien,* }

“ *A. Van-Henſdem,*
“ *Notarius Publicus.*

Notarij
Locus ✠ Sigilli
Publici,

“ *Fr. Gulielmus Collins, Prior.*
“ *Fr. Jacobus Albidenſis, Supprior.*
“ *Fr. Dominicus O-Kelly, Prædicator Generalis* (y).
“ *Fr. Dominicus Romanus.*
“ *Fr. Joannes Browne, Lector Philoſophiæ.*
“ *Fr. Balthazar à S. Thoma, Magiſter Studij.*
“ *Fr. Chriſtophorus Ferrall.*
“ *Fr. Joannes Stapletonus*
“ *Fr. Dominicus Ferrallus.*
“ *Fr. Thomas Coſtello* (z).

Locus ✠ Sigilli
Conventûs.

XVI. SITUM eſt Cænobium hoc in Loco amæniſſimo, inquit *Bernardus de Jonghe* (*A*), nempè in Platea S. *Jacobi*, quæ ducit ad Portam *Vinearum* dictam, nunc *Novam Bruxellenſem*. Fundùs ejus nonnihil elevatus Religioſos contrà Inundationes Aquarum, quæ, ut alibi refert laudatus Scriptor (*a*), quandoque magnam Oppidi *Lovanienſis* Partem operiunt, præſervat. Clauſtrum habet quadratum cum debitis Officinis regularibus, hocce noſtro Ævo auctis, & decoratis, quibus Hortus ſatis amplus adjacet.

SI ulteriora Obſervatu digna de Cænobio hoc habeat *O-Heyni* noſtri Liber, cujus Pagina 46 de eo agere incipit, illa referre nequeo, quia impreſſum iſtius Exemplar, quod penès me habeo, aliquatenùs imperfectum eſt, utpotè nihil prorsùs continens ultrà memoratam Paginam 46, neque aliud invenire eſt ejus Exemplar in Univerſa *Hibernia*. Nihil etiam ſivè quoad Cænobium hoc, ſivè quoad Provinciam *Hiberniæ*, à Patribus Conventûs iſtius, etſi rogatis, recipere potui (*b*).

CÆTERUM quod ad Rei literariæ Æconomiam attinet, hìc Loci repeti poſſunt, quæ de *Romano* noſtro Studio Generali SS. *Sixti*, & *Clementis* nuper dicebam (*c*), paucis duntaxàt additis, vel demptis, nempè Alumnos hujus Conventûs eſſe plerumque ultrà Numerum Tricenarium, è quibus Quinque ſunt Officiales Scholæ, ſcilicet duo Regentes, Primarius, & Secundarius (*d*), Lector S. Scripturæ, Magiſter Studentium, & Lector Artium, ſeù Philoſophiæ. Ex hoc item Conventu, non ſecùs ac ex Romano, atque ex Collegio *Ulyſſiponenſi*, Miſſionarij Apoſtolici, omnibus Numeris abſoluti, atque illius Vocationis, quâ vocati ſunt, omninò memores, in *Hiberniam* regrediuntur ad Fidem Catholicam propugnandam, & propagnandam, omnibuſque alijs Modis Vineam Domini excolendam (*e*).

NON abs Re erit addidiſſe, Fratrum, in *Gallia*, & *Utraque Germania* defunctorum, Bona Collegio huic cedere; ut ex jam pridem dictis liquet (*f*).

XVII. ANNO 1756 Triginta Duo erant Conventùs hujus Sodales, nempè A. R. P. Magiſter Fr. *Bernardus Brullaughan*, Colranenſis, Prior, Ætatis Anno 52, Profeſſionis 36 (*g*); R. P. Lector

---

(*y*) Diverſus planè ab altero ejuſdem Nominis, Cognominis, & Gradûs ſubſignato Num. præced. ut liquet ex Cap. xiv. Num. xvii.

(*z*) Adeas Cap. ix. §. xxxv. Num. vi. Pag. 314.

(A) Pag. 421.

(*a*) Pag. 141.

(*b*) Confer Cap. ix. §. xii. Num. vii, Pag. 245.

(*c*) Cap. præs. §. i. Num. xliii. Pag. 414.

(*d*) Conſulendus §. i. Cap. præs. Num. xliii. Lit. l. Pag. 414.

(*e*) Recolendus Num. vii. §. præſentis. Pag. 436.

(*f*) Cap. v. Num. xvii. Lit. p. Pag. 106.

(*g*) Verſatur *Ulyſſipone* ab Anno 1757, ubi olim erat Rector, & Regens.

Lector Fr. *Laurentius Connelan*, Sligoenſis, Supprior, & Magiſter Novitiorum, Ætat. 39, Prof. 18 (*h*); R. P. Præſentatus, Fr. *Thomas Plunkett*, Roſcomanienſis, Regens Primarius, Ætat. 39, Prof. 19 (*i*); R. P. Præſentatus Fr. *Joannes-Philippus O-Mahony*, Youghallenſis, Regens Secundarius, Ætat. 41, Prof. 18 (*k*); R. P. Præſentatus Fr. *Thomas Mac-Iver*, Carlingfordienſis, Procurator, Ætat. 40, Prof. 18 (*l*); R. P. Lector Fr. *Joannes Mac Manus*, Colranenſis, S. Paginæ Profeſſor, Ætat. 32, Prof. 13; R. P. Lector Fr. *Dionyſius O Connor*, Glanorenſis, Magiſter Studentium, Ætat. 31, Prof. 10 (*m*); R. P. Fr. *Joannes O-Daly*, Naſenſis, Lector Artium, Ætat. 31, Prof. 8 (*n*); R. P. Fr. *Antoninus O-Dwyer*, Limericenſis, Lector Artium Secundarius, Ætat. 24, Prof. 6; P. Fr. *Antoninus O-Duan*, Killocienſis, Studens Theologus, Cantor, Ætat. 26, Prof. 5; P. Fr. *Petrus Mac-Swiny*, Sligoenſis, Studens Theologus, Ætat. 27, Prof. 5; P. Fr. *Joannes O-Kelly*, Sligoenſis, Studens Theologus, Ætat. 26, Prof. 5; P. Fr. *Jacobus Mac-Egan*, Roſcomanienſis, Studens Theologus, Ætat. 28, Prof. 5; P. Fr. *Patritius O-Bern*, Longofordienſis, Studens Theologus, Ætat. 27, Prof. 5; P. Fr. *Gulielmus Hanly*, Killocienſis, Studens Theologus, Ætat. 25, Prof. 5; Fr. *Philippus Raymundus O-Reilly*, Pontanenſis, Studens Theologus, Succintor, & Pædagogus, Ætat. 22, Prof. 5; Fr. *Bernardus Brady*, Derienſis, Studens Theologus, Ætat. 26, Prof. 4; Fr. *Patritius Keely*, Naſenſis, Studens Theologus, Ætat. 21, Prof. 4; Fr. *Dominicus Cornyn*, Sligoenſis, Studens Philoſophus, Ætat. 28, Prof. 2; Fr. *Edmundus Gaven*, Roſcomanienſis, Studens Philoſophus, Ætat. 27, Prof. 1; Fr. *Michael Dardis*, Molingarenſis, Studens Philoſophus, Ætat. 18, Prof. 1; Fr. *Michael Fleming*, Trimmenſis, Studens Philoſophus, Ætat. 21, Prof. 1; Fr. *Mauritius Stack*, Traleienſis, Studens Philoſophus, Ætat, 22, Prof. 1; Fr. *Daniel O-Kelly*, Carlingfordienſis, Studens Philoſophus, Ætat. 19, Prof. 1; Fr. *Jacobus Duffy*, Aghavoenſis, Novitius, Ætat. 21; Fr. *Galfridus Nugent*, Glanorenſis, Novitius, Ætat. 21. Iſti omnes Clerici, ſequentes verò Converſi (*o*); Fr. *Albertus Leinbeer*, Ætat. 45, Prof. 18; Fr. *Dominicus Murien*, Ætat. 46, Prof. 18; Fr. *Auguſtinus Doignies*, Ætat. 46, Prof. 18; Fr. *Jacobus Farieaux*, Ætat. 39, Prof. 17; Fr. *Thomas Gamant*, Ætat. 56, Prof. 17; Fr. *Sebaſtianus Peeters*, Ætat. 51, Prof. 10.

§. IV.

De Hoſpitio *Flaviobrigenſi*, ſeù *Bilbilitano* (*a*), ac obiter de Cænobio *Tingitano* (*b*), deque tribus Domibus Conventualibus in Spe, non reapsè, habitis, nimirùm *Belvedarienſi* (*c*), *Portu-San-Mariana* (*d*), & *Matritenſi* (*e*); necnon de Eremitagio S. *Antonij* in *Galliarum* Regno.

SUMMARIUM.

I. *Trium Capitulorum Generalium Hortamina ad univerſi Ordinis Provinciales, ut Hibernorum proſpiciant Neceſſitatibus, eorumque Profectibus ſpecialiter intendant.*

II. *Plus*

(*h*) Miſſionarius in Conventu ſuo *Sligoenſi* ab Anno 1760, poſtquam fuit Regens Primarius.

(*i*) Ab Anno 1757 Prior Provincialis *Hiberniæ*, ut dicetur Cap. xiv. Num. xxxvi.

(*k*) Adeas Cap. ix. §. xx. Num. vi. Lit. e Pag. 274.

(*l*) Obijt Regens Primarius Anno 1760.

(*m*) Conſulendum Cap. ix. §. iv. Num. vi. Lit. x. Pag. 209.

(*n*) Prior, & Regens Primarius ab Anno 1760.

(*o*) Adeas Cap. ix. §. i. Num. x. Lit. m. Pag 193.

(*a*) *Bilbilis*, antiquis *Flaviobriga*, vernaculè *Bilbao*, capitalis eſt, & maritima Urbs *Cantabriæ* (in *Hiſpania*) vernaculè *Vizcaja*, italicè *Biſcaia*, anglicè, & gallicè *Biſcay*.

(*b*) *Tingis*, alijs *Tingi*, vulgò *Tangier*, Civitas eſt maritima *Mauritaniæ*, vulgò *Marocco*, in *Africa*, de qua ſat dictum Cap. vi. Num. xviii, & ſeq. Pag. 185.

(*c*) Oppidum eſt maritum *Galliæ*, paſſim dictum *Belvearia ſuprà Mare*, nonnullis *Bovaria ad Mare*.

(*d*) *Portus S. Mariæ* Oppidum eſt maritimum *Vandalitiæ*, ſeù *Andaluziæ*, in *Hiſpania*.

(*e*) *Matritum* Urbs eſt Capitalis *Hiſpaniarum*, nulli non nota.

II. *Plus præſtitit* Hiſpania *quàm reliqua* Europa. *Hoſpitium* Flaviobrigenſe, *ſeù* Bilbilitanum, *prudenti Conſilio acquiſitum.*

III. Hiberniæ Dominicanæ *Procurator apud* Matritum, *Curiæ* Hiſpanicæ *Sedem. Viaticum* Hibernis *Miſſionarijs, in* Hiſpania *edoctis, à Rege Catholico elargiri ſolitum.*

IV. *Nonnihil obiter de Cænobio* Tingitano. *Tres Conventuales Domus in Spe duntaxàt, non autem reapsè, ab* Hiberno-Dominicanis *obtentæ,* Belvearienſis *nimirum,* Portu-San-Mariana, *&* Matritenſis. *Eremitagium* S. Antonij *in* Gallia *ipſis conceſſum, ſed reipsà ab ijs haud poſſeſſum.*

I. SÆCULO ſuperiori plures Ordinis noſtri Provinciæ, in *Hiſpania* præſertim, *Italia*, & *Gallia*, Juvenes recipiebant *Hibernos* peculiari Charitate, & Promptitudine, eos Literarum Studijs opportunè applicantes, atque ad generoſa pro Fide Certamina formare conantes, & quidem juxtà varia Capitulorum Generalium Hortamina, nominatim *Romani* 1629 ſub Rmo Magiſtro Ordinis *Nicolao Ridulpho*, in Actis Tit. *Conceſſiones*, §. Pro *Provincia Hiberniæ*, Sect. 12. dicentis: *Summoperè commendamus Admodum RR. PP. Provincialibus Ordinis omnes hujus Provinciæ* (Hiberniæ) *Fratres, eoſque in Domino hortamur, ut in eis complectendis faciles, ac benignos ſeſe exhibeant, eoſque ad Studia promptè admittant; memores ſe ad id ex divina Lege, noſtriſque Conſtitutionibus, & Profeſſione teneri, cùm præſertìm hujus Provinciæ Fratres egregiè, & ſtrenuè uſque ad Sanguinem in Fide tuenda, & propaganda quotidiè inſudare non deſiſtant*—Itemque *Romani* 1650 ſub Rmo Magiſtro Ordinis *Joanne-Baptiſta de Marinis*, Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 2, in hunc Modum decernentis: *Cùm in iſta Provincia* (Hiberniæ) *per has Temporum Calamitates vix ulla poſſint vigere Studia Literarum, ideo ne ex hoc paulatim ei deficiant Miniſtri Evangelij, diſtrictè mandamus, inque Meritum S. Obedientiæ injungimus reliquarum Provinciarum RR. PP. Provincialibus, ut Fratres hujus afflictæ Provinciæ ubique peculiari Charitate, ac Promptitudine ſuſcipiant, foveant, & in ſuis Studijs Generalibus juxtà Locorum Vacationem ſaltem unum alterumve acceptent, & habeant: Inſuper quoque ubi poſſunt ſatagant adjuvare Nationem pro acquirendis, & extruendis Seminarijs, ſicubi Deus ad hoc Fundatorem, aut Benefactores excitavit*—Demumque *Romani* quoque 1656 ſub eodem immortalis Memoriæ *Hibernorum* Benefactore, *Joanne-Baptiſta de Marinis*, Tit. item *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 5, ſic hortantis, & obteſtantis: *Hortamur, ac per Viſcera JESU Chriſti obteſtamur omnes Provinciales, ac Priores reliquarum Provinciarum, præſertìm Hiſpaniarum, ut, ſi qui fortè Juvenes Hiberni probæ Indolis, & Capacitatis ſe offerant, eos promptâ Charitate ad Habitum ſanctamque Profeſſionem recipiant in Conventibus, ubi magis viget Obſervantia regularis; eoſdemque jàm profeſſos Literarum Studijs opportunè applicent, ipſorum Profectibus ſpecialiter intendant, Neceſſitatibus proſpiciant, Spiritum foveant, ipſoſque ad generoſa pro Fide Certamina formare conentur (f).*

II. QUANDOQUIDEM autem florentiſſimum *Hiſpaniarum* Regnum, cui *Hibernica* Gens, ut alibi oſtenſum eſt (g), ſuam debet Originem, plures reciperet Juvenes noſtros quàm reliqua *Europa*, hìnc viſum erat, acquirendam fore Domum in Portu aliquo maritimo laudati Regni, *Hiberniæ* proximiori, ubi Juvenes Profeſſi Navi deſcendentes indui poſſent Religioſis Veſtibus, & ad certum aliquod benevolum Cænobium mitti juxtà Præmonitum, quod Domûs iſtius Præfectus à Superioribus, ſeù Provincialibus, ſeù Localibus, aut à Procuratore noſtro *Matritenſi*, reciperet. Eo Conſilio reapsè acquiſita fuit Domus apud *Flaviobrigam*, alijs *Bilbilim*, vernaculè *Bilbao*, maritimam principalemque *Cantabriæ* Urbem, quæ proindè Domus nunquàm Conventualis fuit, ſed purum putumque ſemper manſit Hoſpitium pro recipiendis Juvenibus tam ex *Hibernia*, ut præfertur, recens profeſſis, quàm in *Hiberniam*, poſt emenſum Studiorum Curriculum, reverſuris, ut ſcilicet eò Loci Navim conſcendere poſſent.

(f) Reliquas trium iſtorum Comitiorum Generalium Conceſſiones, Provinciæ *Hiberniæ* factas, legere eſt Cap. vi. Num. ix, xii, & xiii. Pag. 112, 117, & 118.

(g) Cap. i. Num. vi. Pag. 9.

III. Dixi porrò *à Procuratore noſtro Matritenſi*, enimverò *Hibernia Dominicana* apud *Matritnm*, utpote Curiæ *Hiſpanicæ* Sedem, continuò habet probum aliquem Patrem, in Rebus agendis ſat verſatum, qui, inter alia Confratribus ſuis præſtita Obſequia, procurat ipſis Viaticum, ut vocant, octodecim Duplicibus Aureis, vulgò *Doppijs*, ſeù *Doblonis*, conſtans, quod ſingulis in *Hiberniam* ad Miſſiones peragendas, poſt completa in *Hiſpaniarum* Regno Studia, regreſſuris Rex verè Catholicus munificè elargitur (*b*).

IV. Cæterum ultrà Hoſpitium iſtud *Flaviobrigenſe*, ſeù *Bilbilitanum*, atque Cænobia *Romanum*, *Ulyſſiponenſe*, *&* *Lovanienſe*, de quibus in hoc Capite ſigillatim diſſerebam, aliam Domum, & quidem verè Conventualem, *Hibernia Dominicana* Sæculo ſuperiori poſſidebat, nempè *Tingitanam*, vulgò *Tangier*, in *Mauritania*, cujus non minùs fuſa, quàm opportuna, alibi facta eſt Mentio (*i*). Inſuper tres aliæ erant Domus Conventuales, quas ſe acquiſituram ſperabat, quas tamen nunquàm reapſè poſſedit. Illæ autem ſunt Ordine chronologico,

Belvearienſis ſuprà Mare in *Gallia*, de qua hæc habet Capitulum Generale *Mediolanenſe* 1622 ſub Magiſtro Ordinis *Seraphino Sicco*, in Medium jam anteà adductum (*k*) : *Tradimus huic Provinciæ* (Hiberniæ) *Conventum Belvearienſem in Gallia, modò Patres Provinciæ Franciæ conſentiant.* Verùm Patres Provinciæ *Franciæ* non conſenſerunt, vel ſaltem *Hiberni* Cænobium nunquàm aſſecuti ſunt.

Portus-San-Mariana in *Vandalitia* (*l*), ut liquet ex ſequentibus Capituli Generalis Anno 1656, ſub Magiſtro Ordinis *Joanne-Baptiſta de Marinis*, ſuperiùs laudati (*m*), Verbis : *Committimus A. R. P. Magiſtro Fr. Antonio Vaena, hujus Capituli pro Bethica Definitori, eidemque impensè commendamus, quod Excellentiſſimum D. Ducem de Medina Cæli ex communi Nomine hujus Generalis Capituli, ac totius Ordinis, eò inclinare ſtudeat, ut pro eximio ſuo in Ordinem Affectu novum illum Conventum, quem aliàs in Civitate Portûs S. Mariæ conſtruere intendit, fundare dignetur in Aſylum commune Fratrum Provinciæ noſtræ Hiberniæ pro Catholica Religione exulantium, diſponendo, ſi ità placuerit, quod ibidem ſub immediata A. R. P. Provincialis Andaluziæ Cura pro Tempore degant tùm hi, tùm alij Fratres Hiberni, qui, finitis alibi Scholarum Curſibus, idonei fuerint ad ſubeundam illic exactiſſimam Regulæ, & Conſtitutionum Obſervantiam, & ad vacandum intereà Studio Sacræ Scripturæ, Controverſiarum Fidei, Caſuum Conſcientiæ, &c, ut his Exercitijs conſummatè erudiantur ad Fidem in Patria ſua propugnandam, atque propagandam,* Verùm neque Domum hanc ullatenùs aſſecuti ſunt *Hiberni*.

Matritenſis in *Caſtella Nova*, ut legere eſt in Literis Patentibus laudati, & nunquàm ſatis ab *Hibernis* laudandi, Rmi *Joannis-Baptiſtæ de Marinis*, Anno 1667, ad P. Magiſtrum *Joannem O-Connor*, Generalem *Hiberniæ Dominicanæ* Procuratorem datis, à *Clemente* Papa IX confirmatis, atque alibi (*n*) ex *Bullario Ordinis* adductis, ubi prælibatum Procuratorem noſtrum Magiſter Ordinis ſic alloquitur : *Nos harum Serie, ac ſupremâ Officij noſtri Auctoritate in primis tibi ſuprà nominato, tuiſque in Officio Succeſſoribus, Poteſtatem facimus acceptandi, erigendi, ac formandi apud Matritum Hiſpaniæ, unicum tuæ nativæ Provinciæ Collegium, quale confidis illic ex piorum Eleemoſynis, ac liberali Fundatione te obtenturum, ad Effectum præcipuè ibidem ſub Regulari Diſciplina educandi Miſſionarios Hibernicæ Nationis indiſcriminatim* (*o*). Sed neque Collegium iſtud unquam fuit pro *Hibernis* obtentum.

His adjicere liceat Eremitagium *S. Antonij* in *Gallia*, à Celſiſſimo *Philippo*, Duce *Aurelianenſi*, Regis Chriſtianiſſimi *Ludovici* XIV unico Fratre, *Hiberno-Dominicanis* Anno 1702 conceſſum, procurante P. *Hugone O-Calanan*, Lothorienſi, Doctore *Sorbonico*, poſtmodùm *Hiberniæ* Priore

Provin-

(*b*) De Procuratore noſtro *Metritenſi* nonnihil dictum Cap. viii. Num. xxx. Sect. 2. Pag. 184.

(*i*) Cap. vi. Num. xviii, & ſeq. Pag. 125.

(*k*) Cap v. Num. xvi. Pag. 106.

(*l*.) Confer Cap. v. Num. v. Lit. b. Pag. 96.

(*m*) Cap. vi. Num. xiv. Sect. 7. Pag. 119.

(*n*) Cap. vi. Num. xvi, & xvii, à Pag. 120.

(*o*) Confer Decretum Capituli Generalis *Romani*, mox laudati, Anno proximè antecedente celebrati, exſcriptum Cap. vi. Num. xiv. Sect. ii. Pag. 119.

Provinciali, alibi laudando (*p*), ſed ab eo, & P. *Edmundo Mac-Egan*, Portumnenſi, alibi quoque memorando (*q*), vix aut ne vix quidem ob nonnullas enatas Difficultates reipsâ poſſeſſum.

§. V.

De *Bethlehemitano* (*a*) Monaſterio *B. Mariæ* Virginis *Boni Succeſſûs*.

SUMMARIUM.

I. *Anno* 1639 *Monaſterium hoc fundatum. Nota præliminaris de Caſtro* Bethlehemitano, *alijs* Bethlehemitico, *vulgò* Belem.

II. *Anno* 1644 *Acceptatio ejus facta â Capitulo Generaliſſimo* Romano *Nomine* Provinciæ Hiberniæ, *& quidem ſub ejus Provincialis Regimine, prout ſæpenumerò ſtatutum. Nonnihil de Monaſterii Confeſſarijs.*

III. *Anno* 1655 *ordinatum tàm a Magiſtro Ordinis* de Marinis, *quàm ab* Alexandro *Papa* VII, *ut Monaſterium hoc pro ſolis ſit* Hibernis *Monialibus.*

IV. *Quadragenarius Monialium Numerus ab eodem Magiſtro* de Marinis, *& ab* Innocentio *Papa* XI *regulatus. Declaratio deſuper Capituli Generalis* Bononiæ 1706.

V. *Anno* 1676 *à Magiſtro Ordinis* de Roccaberti *ſancitum, ut Vicarius hujus Monaſterij diſtinctus ſit a Rectore Collegij: Utque ſuum proſequatur Officium, tametſi completum, uſque ad novi Inſtitutionem.*

VI. *Anno* 1725 *denuò ſtabilitum in Comitijs Generalibus* Bononiæ, *ut Monaſterium hoc ſubſit Provinciali* Hiberniæ.

VII. *Anno* 1760 *Triginta Novem Sorores in hoc Monaſterio.*

I. TAMATSI haud pauca appoſitè obiterque jam dicta ſint in Opellæ hujus Decurſu de Extranationali hocce Monaſterio, nihilominis ut Promiſſis ſtem, utque Hiſtoriæ Legibus conſulam, non poſſum quin de eo Sermonem datâ Operâ ſpeciali Paragrapho inſtituam, ſingula deſuper prænarrata in Memoriam revocaturus.

Porrò Domina *Irena* (*ſeù Iria*) *de Brito*, Luſitana, prima Comitiſſa de *Atalaya*, ſollicitante quidem P. Magiſtro *Fr. Daniele O-Daly*, Traleienſi, alias *Dominico de Roſario*, alibi (*b*) ſæpeſæpiùs laudato, id fundavit, beneque dotavit A. D. 1639, Teſtibus *Antonio Carvalho de Coſta* (*c*), *& Thoma Milone de Burgo* (*d*), cujus poſterioris Verba, utpotè latina, placet in medium afferre ex dedicatoria ſua Epiſtola Emo & Rmo D. *Joſepho Manoel*, è Comitibus de *Atalaya*, S. R. E. Cardinali, & Patriarchæ *Ulyſſiponenſi* (*e*), ubi de Hæreticis Proteſtantibus elocutus, ait: *At quantam illorum Malorum Partem devoto Sexui impendentium per ducentos penè Annos avertit Pietas Majorum tuorum, ex qua Ortum, & Incrementum cæpit præclarum illud Religionis & ſinceræ Pietatis Sanctuarium, Cænobium Monialium* Boni Succeſſûs *vulgò vocatum, ab illis fundatum, & dotatum in Gratiam nobilium & inopum Puellarum* Hiberniæ, *quæ piæ Majorum Eminentiæ Veſtræ Protectioni & Tutelæ confiſæ, Patriam ſuam reliquerunt, pretioſum Fidei Depoſitum ſervaturæ, & ſeipſas Deo conſecraturæ. Illic non tantùm Refugium & Protectionem à Periculis, verùm etiam Amorem & Tutelam paternam in Illuſtriſſimis Eminentiæ Veſtræ Majoribus ſemper ſunt expertæ.* Atque

---

(*p*) Cap. xiv. Num. xxv.

(*q*) Cap. xvi. Num. cvi.

(*a*) *Bethlehem*, vulgò *Belem*, Arx eſt ad Septentrionalem Magni Fluminis *Tagi* in Mare jam ſe exonerantis Ripam, Tribus Occaſum versùs Milliaribus diſtans *Ulyſſipone*, qua de Urbe nonnihil Cap. præſ. §. ii Num. i. Lit. a. Pag. 415.

(*b*) Præſertim Cap. præſ. §. ii. à Num. ii. & Pag. 418. Hinc appoſitè dictus fuit ejuſdem Monaſterij *Fundator*, idque ex Epitaphio ejus liquet Cap. præſ. §. ii. Num. v. Pag. 421.

(*c*) In *Chorographia Luſitanica*, editâ luſitanicè Anno 1712, Tom. III. Pag. 660.

(*d*) In Libro, quem Juris publici fecit Anno 1752, ut dicetur Cap. xv. Num. xxxiii.

(*e*) Creatus fuit Cardinalis Anno. 1747, obijt verò Anno. 1758.

que Nota in Calce Paginæ hæc habet: *Cænobium Dominicanarum Quadraginta Monialium* Hibernarum *fundatum* Ulyſſipone, *& benè dotatum à D.* Irena de Brito, *Comitiſſa* de Atalaya, *Anno* 1639, *pro Virginibus* Hibernis *nobilibus & pauperibus.*

II. Anno 1644 acceptatum fuit hoc Monaſterium à Capitulo Generaliſſimo *Romæ*, ſub Rmo *Thoma Turco*, Nomine Provinciæ *Hiberniæ*, his Actorum (*f*) Verbis: *Acceptamus Nomine ejus Provinciæ* (Hiberniæ) *Collegium, ſeù Conventum Fratrum, & Monaſterium Monialium, Ulyſſipone fundatum, ſub Cura & Regimine R. Adm. Patris Provincialis Hiberniæ pro Tempore.* Atque iſtam deſuper fecit Ordinationem Capitulum Generale *Bononiæ* 1706, ſub Rmo *Antonino Cloche*, hiſce Verbis: *Ordinamus, ſicut fuit ordinatum à Reverendiſſimo de Marinis, & confirmatum à Sanctiſſimo D. N. Alexandro Papa* VII, *ut Rector Collegij Ulyſſiponenſis, & Vicarius Monaſterij Monialium Boni Succeſſûs ejuſdem Civitatis, præfatæ Provinciæ, ſint ſemper Religioſi Hiberni.* Et, paucis interjectis, ſubjungit: *Ordinamus, ſicut pro toto Ordine ſæpè ordinatum eſt, ut Confeſſarij dicti Monaſterij ultra Biennium non continuentur ſine ſpeciali Licentia Magiſtri Ordinis, ſintque ſemper Religioſi Hiberni ex maturioribus, & benè verſatis in Lingua hibernica, anglica, & luſitana* (*g*).

III. Anno 1655 Rmus *Joannes-Baptiſta de Marinis* Literas expediri fecit Patentes, ut Monaſterium hoc pro *Hibernis* ſit duntaxat Monialibus. Annoque 1661 eaſdem Literas Patentes Munimine Apoſtolico roboravit Alexander VII, Pontifex Maximus, cujus Diploma (atque Magiſtri Ordinis Literas Patentes) alibi exſcriptum habes (*h*).

IV. Laudatus Rmus *de Marinis* Numerum Quadragenarium Monialium hujus Monaſterij regulavit, eamque confirmavit Diſpoſitionem *Innocentius* Papa XI, ut diſertè teſtantur Comitia Generalia *Bononienſia* 1706 ſub Rmo *Cloche*, dum iſtam ea de Re faciunt Declarationem (*i*): *Declaramus Numerum Quadragenarium pro Monialibus Boni Succeſſûs, regulatnm à Reverendiſſimo de Marinis, & confirmatum a Sanctiſſimo D. N. Papa Innocentio* XI, *debere intelligi de nobilibus Hibernis, includendo tamen Quatuor Loca Fundatricis: Extraordinarias verò, vel extranumerarias Luſitanas, quæ Titulo eximiæ Dotis, vel Eleemoſynæ, in præfato Monaſterio recipiuntur, nullatenùs præjudicare dicto Quadragenario Hibernarum Numero.* Verùm, ut candidè fatear, Bulla *Innocentiana* tàm in *Bullario Ordinis*, quàm in *Supplemento* ejus, nuper editis, deſideratur, aliàs quippè eam pro More exſcriberem.

V. Anno 1676 Rmus *Joannes-Thomas de Roccaberti*, Magiſter Ordinis, quaſdem edidit Ordinationes pro Monaſterio hoc (ſicut & pro Collegio Fratrum) ſignanter, ut illius Vicarius diſtinctus ſit à Rectore Collegij, utque Quatuor Menſibus anrequam Officij ſui Tempus finiat, Notitiam ea de Re præbeat Magiſtro Ordinis, ſuum tamen proſecuturus Munus donec alius à Magiſtro Ordinis inſtituatur. Literas porrò Patentes ſuperiùs legere eſt (*k*).

VI. Anno 1725, denuò ſtatutum fuit in Comitijs Generalibus *Bononiæ* ſub Rmo *Thomâ Ripoll*, ut Monaſterium hoc Priori Provinciali *Hiberniæ* ſubeſſet, ſequentibus Verbis: *Confirmamus quæcunque in Favorem hujus Provinciæ ordinata ſunt ab Anno* 1600, *& nominatim quod in anteacto Capitulo Generali* 1721 *Sub Num.* II. *ſtatutum invenitur* (*l*), *videlicet, quod Conventus Extranationales, Romanus, Lovanienſis, & Ulyſſiponenſis* (*qui & Collegia appellari ſolent*) *unà cum* MONASTERIO MONIALIUM ULYSSIPONENSIUM, *ſubſint Provinciali Hiberniæ* (*m*).

VII. Anno 1760 Triginta Novem in Monaſterio hoc degunt Moniales, nempè Soror *Joſepha Plunkett*, Hiberna, jam ſecundò Prioriſſa, Ætatis Anno 61, Profeſſionis 44; Sr. *Marianna-Thereſia*

(*f*) Sub Tit. *Conceſſiones*, §. *Pro Provincia Hiberniæ*, Sect. 9. Pag. 68. Reliquas porrò Capituli hujus Generaliſſimi Conceſſiones videre poteris Cap. vi. Num. x. Pag. 114.

(*g*) Pro reliquis ejuſdem Capituli Generalis Ordinationibus, & Conceſſionibus, adeas, ſi libet, Cap. viii. Num. iii. Pag. 156.

(*h*) Cap. præf. §. ii. Num. vii, & viii. Pag. 422.

(*i*) Conſulendum Cap. viii. Num. iii. Pag. 156.

(*k*) Cap. præf. §. ii. Num. ix. Pag. 423.

(*l*) Id videre eſt Cap. viii. Num. ix. Sect. ii. Pag. 161.

(*m*) Reliquas hujus Capituli Conceſſiones videſis Cap. viii. Num. xiii. Pag. 164.

Thereſia Fanning, Hiberna, Supprioriſſa, Ætat. 58, Prof. 31 ; Sr. *Eugenia Mac-Carty*, Hiberna, Ætat. 85, Prof. 62 ; Sr. *Maria-Antonia de S. Clara*, Luſitana, naturalis Comitis de *Atalaya* Filia, Ætat. 80, Prof. 56 ; Sr. *Thomaſia de S. Roſa*, Luſitana, Infirmaria, Ætat. 64. Prof. 48 ; Sr. *Thereſia de Jeſu*, Luſitana, Vidua, Ætat. 72, Prof. 47 ; Sr. *Irena-Victoria Tuamy*, Hiberna, in *Gallijs* tamen nata, Magiſtra Novitiarum, Ætat. 68, Prof. 46 ; Sr. *Catharina O-Carroll*, Hiberna, Vicaria, Ætat. 64, Prof. 46 ; Sr. *Marianna-Roſa O-Kennedy*, Hiberna, Ætat. 61, Prof. 45 ; Sr. *Maria-Michaela Antunes*, Luſitana, Portaria, Ætat. 56, Prof. 40 ; Sr. *Franciſca Angelica*, Luſitana, Sacriſta, Ætat. 56, Prof. 40 ; Sr. *Agnes Antunes*, Luſitana, Ætat. 55, Prof. 39 ; Sr. *Scholaſtica-Maria de Campis*, Luſitana, Ætat. 55, Prof. 39 ; Sr. *Agnes Antonia*, *Lycet*, Hiberna, Refectoraria, Ætat. 59, Prof. 36 ; Sr. *Elizabeth-Baptiſta Scurlog*, Hiberna, Rotaria, Ætat. 53, Prof. 35 ; Sr. *Maria-Barbara Springler*, Patre Germano, Matre *Fox* Hibernigenâ, Ætat. 61, Prof. 34 ; Sr. *Anna-Roſa Lycet*, nata *Ulyſſipone* Parentibus *Hibernis*, Ætat. 48, Prof. 32 ; Sr. *Maria Methildis Americana*, Luſitana, Ætat. 48, Prof. 32 ; Sr. *Maria Thomas*, Hiberna, Ætat. 58, Prof. 31 ; Sr. *Maria French*, nata *Ulyſſipone* Parentibus *Hibernis*, Organiſta, Ætat. 46, Prof. 30 ; Sr. *Maria-Magdelena Van-Zeller*, nata *Ulyſſipone* Parentibus *Belgis*, Ætat. 39, Prof. 23 (*n*) ; Sr. *Brigida O-Ferrall*, Hiberna, Ætat. 43, Prof. 20 ; Sr. *Anna-Joachina O-Kennedy*, Hiberna, Ætat. 46, Prof. 19 ; Sr. *Anna-Bernarda Mac-Crohan*, Hiberna, Ætat. 38, Prof. 18 ; Sr. *Margarita Tuite*, Hiberna, Ætat. 36, Prof. 18 ; Sr. *Marianna O-Byrne*, Hiberna, Ætat. 44, Prof. 15 ; Sr. *Thereſia-Rita Faro*, Luſitana, Comitis *Vimerenſis* legitima Filia, Ætat. 30, Prof. 12 ; Sr. *Marianna-Franciſca Faro*, præcedentis legitima Soror, Ætat. 29, Prof. 11 ; Sr. *Maria-Magdalena Fox*, Hiberna, olim *Calviniſta*, Ætat. 36, Prof. 7 ; Sr. *Eleonora Mac-Donnell*, Hiberna, Ætat. 32, Prof. 7 ; Sr. *Thomaſia Rita*, Luſitana, Ætat. 35, Prof. 4 ; Sr. *Thereſia Morrogh*, Hiberna, Ætat. 22, Prof. 4 ; Sr. *Maria Mac-Donnell*, Hiberna, Novitia, Ætat. 23 ; Sr. *Marianna-Joſepha de Cruce*, Converſa, (*o*), Luſitana, Ætat. 60, Prof. 34 ; Sr. *Maria-Roſa*, Converſa, Luſitana, Ætat. 54, Prof 29 ; Sr. *Maria Cleary*, Converſa, Hiberna, Ætat. 35, Prof. 11 ; Sr. *Maria Archdekin*, Converſa, Hiberna, Ætat. 38, Prof. 11 ; Sr. *Marianna Oats*, nata *Ulyſſipone*, Patre *Anglo*, Matre *Suecâ*, Converſa, Ætat. 32, Prof. 3 ; Sr. *Maria-Hieronyma Ricci*, Januenſis, Tertiaria, Ætat. 36.

CAPUT DECIMUM-TERTIUM.

Dominicani Antiſtites Hiberniæ, Numero Octoginta Tres, Ordine chronologico recenſiti, Archiepiſcopi nempè Octodecim, & Epiſcopi Sexaginta Quinque, ex ijſque Legati Quinque (*a*), ac Conciliorum Generalium Patres Duo.

SUMMARIUM.

Reverendiſſimi Patres,

I. *F.* David Mac-Kellius, *vulgò* Mac-Kelly, *Epiſcopus* Clonenſis *Anno* 1237, *dein Archiepiſcopus* Caſſelienſis *Anno* 1238, Caſſelienſiſque *noſtri Cænobij Fundator Anno* 1243. *Ex hac Vita deceſſit Anno* 1253.

II. *F.* Robertus Archerus, *deſignatus Archiepiſcopus* Armacanus *Anno* 1237.

III. *F.* Alanus O-Sullivan, *Epiſcopus primùm* Clonenſis *Anno* 1240, *poſtmodùm* Liſmorenſis *Anno* 1248, *Vitâ functus Anno* 1252.

IV. *F.* Hen-

(*n*) Monaſterium ære alieno gravatum Dote ampliſſima ſublevavit. Dedit quippè in Ingreſſu Ordinis 625 Libras Sterlingas (i. e. Duo Millia & Quingenta Scuta Romana), & in Die Profeſſionis alias 625 Libras Sterlingas. Stipulavit inſuper alias 625 Libras Sterlingas in Die ſuæ Mortis Monaſterio dandas, quarum Cenſum annuatim percipit, eum tamen in Obſequium Cultus divini potiùs quàm in ſuimet ipſus Sublevamen expendens.

(*o*) Videſis Pag. 193. Lit. m.

(*a*) Alium Legatum, qui Epiſcopus non erat, videas Cap. xiv. Num. xv.

IV. *F.* Henricus, *nonnullis* Heinricus, *ex Priore Provinciali* Angliæ *Archiepiſcopus* Armacanus *Ann* 1245, *tranſlatus Anno* 1246 *ad Metropolitanam Sedem* Pruſſiæ, Livoniæ, & Eſtoniæ *in* Polonia, *deindè ad Cathedrales Sedes* Chiemenſem *in* Bavaria, & Lubecenſem *in* Hollandia, *retento* Archiepiſcopi *Titulo. Legatus Sedis Apoſtolicæ in* Ruſſia *Anno* 1246. *E vivis ereptus Anno* 1254.

V. *F.* Reinerius, *alijs* Reginaldus, *aut* Raynoldus, *primus in* Hibernia *Dominicanus, in* Angliam *à S.* P. Dominico *amandatus, Archiepiſcopus* Armacanus *conſecratus* Romæ *Anno* 1247. *Vivere deſijt Ann* 1256.

VI. *F.* Chriſtianus, *Epiſcopus* Ardfertenſis *Anno* 1252, *Vitâ functus Anno* 1256.

VII. *F.* Patritius O-Scanlan, *Epiſcopus* Rapotenſis *Anno* 1256, *dein Archipræſul* Armacanus *Ann* 1261. *Synodum Provincialem convocavit* Pontanæ *Anno* 1262. *Metropolitanam Eccleſiam inſtauravit, ornavitque, ac Fratribus Minoribus Cænobium fundavit* Armacæ, *verſimiliterque Fratribus ſuis Prædicatoribus. Fatis ceſſit Anno* 1270. *Nota nonnihil exhibens de Primatu* Armacano.

VIII. *F.* Hugo, *Epiſcopus* Oſſorienſis *Anno* 1257, *Conventûs* Kilkennienſis *Benefactor. Obijt Ann* 1259. *Nota de varijs Diæceſis hujus Nominibus.*

IX. *F.* Mauritius O-Connor, *Epiſcopus* Elphinenſis *Anno* 1266. *Obiter de Inſtrumento Permutationis cujuſdam Regem* Eduardum *I inter, & Canonicos Regulares* Roſcomanienſes. *Migravit è Vita Ann* 1284.

X. *F.* Carbraeus O-Scoba, *Epiſcopus* Rapotenſis *circà Annum* 1267, *unus è Concilij Generalis* Lugdunenſis *II Patribus Anno* 1274, *ubi commune Debitum ſolvit eodem Anno, vel* Romæ *Anno ſequenti.*

XI. *F.* Joannes Durlendunus, *ſeu* de Derlington, *Regi* Henrico *III à Confeſſionibus, & Conſilijs, Apoſtolicus per* Angliam *Quæſtor Decimarum in Subſidium Terræ Sanctæ, atque Regis* Eduardi *I ad Romanum Pontificem* Nicolaum *III Legatus, demùmque Archiepiſcopus* Dublinienſis *Anno* 1271, Fulconi Saunfordio *ſuccedens, à F.* Joanne Peckam, *Ordinis Minorum, Archipræſule* Cantuarienſi *conſecratus.* Petri Denariorum *tàm in* Anglia *quàm in* Hibernia *Collector. Deceſſit Anno* 1284. *Ejus Opera alibi exhibenda.*

XII. *F.* Raymundus *Archiepiſcopus* Armacanus *Anno* 1286.

XIII. *F.* Gulielmus de Hothum, *ſeù* Hotum, *ſeù* Hothun, *ſeú* de Odone &c, *bis Prior Provincialis* Angliæ, *Archiepiſcopus* Dublinienſis *in Locum* Joannis de Saunford *Anno* 1297. *Ipſi indultum, at ubivis, & à quovis Antiſtite Catholico conſecrari poſſet. Sequeſter Pacis inter* Angliæ, & Galliæ *Reges diſſidentes. Legatus ad Bonifacium Papam VIII. Animam efflavit Anno* 1298. *De ipſo Elogia* Bernardi Guidonis, Nicolai Triveti, & Sebaſtiani de Olmedo. *Inter Scriptores alibi recenſendus.*

XIV. *F.* Gualterus de Jorz, *ſeu* Joiſius, *vernaculè* Joyce, *Cardinalis* Thomæ Joiſij, *Ordinis noſtri, Germanus Frater,* B. Alberti *Magni Diſcipulus, Angelici verò Doctoris Condiſcipulus, Regis* Eduardi *Confeſſarius, Archiepiſcopus* Armacanus *Anno* 1306. *Sponte reſignavit, non Anno* 1311, *ſed* 1307. *Ipſius meminit* Hiſtoria Oxonienſis Academiæ. *Ejus Scripta alibi memoranda.*

XV. *F.* Martinus Bononienſis, *Archiepiſcopus* Armacanus, *prælibato* Gualtero Joiſio *ſuffectus Ann* 1307.

XVI. *F.* Rolandus de Jorz, *ſive* Joiſius, *vulgò* Joyce, *Archiepiſcopus* Armacanus *Anno* 1313. *Sponte abdicavit Anno* 1321.

XVII. *F.* Philippus de Slana, *vulgò* Slane, *Epiſcopus* Corcagienſis *Anno* 1321. *Legatus Regis* Eduardi *II ad* Joannem *Papam XXII Anno* 1324. *Denatus Anno* 1326.

XVIII. *F.* Joannes de Egleſcliff, *Epiſcopus primùm* Bethlehemitanus, *dein* Connorenſis *Anno* 1322, *tandem* Landavenſis *Anno* 1323. *Vitâ functus Anno* 1346.

XIX. *F.* Henricus, *Epiſcopus* Clonmacnoiſenſis *Anno* 1337. *Ex hac Vita migravit Anno* 1367.

XX. *F.* Edmundus de Caermarthen, *Epiſcopus* Ardfertenſis *Anno* 1341. *Unus è primis S. Theologi Doctoribus, in Academia* Dublinienſi *creatis.*

XXI. *F.* Joannes Aubry, *electus Epiſcopus* Ardachadenſis *Anno* 1373.

XXII. *F.* Gulielmus Andreas, *vulgò* Andrews, *Epiſcopus primo* Achadenſis *Anno* 1374, *posteà* Midenſis *Anno* 1380. *Diſceſſit e Vita Anno* 1385. *Nota de* Gulielmi *Nomine.*

XXIII. *F.* Thomas Ruſhock, *Regis* Richardi *II Confeſſarius, Epiſcopus primùm* Landavenſis *An* 1383, *poſtmodùm* Ciceſtrienſis *Anno* 1385, *demùm* Tribur̃nienſis *(nunc* Kilmorenſis) *Anno* 1389. *No be Mutatione Nominis Diæceſis ultimo dictæ.*

XXIV. *F.* Henricus Nony, *Capellanus Summi Pontificis, Epiſcopus* Ardachadenſis *Anno* 1392. *Ea Re Literæ Apoſtolicæ* Bonifacij *IX.*

XXV.

XXV. *F.* Robertus Read, *primùm* Liſmorenſis, & Waterfordienſis *Anno* 1394, *dein* Carleonenſis *Anno* 1395, *tandem* Ciceſtrienſis *Anno* 1396. *Denatus Anno* 1417. *Diploma* Bonifacianum *de Promotione ejus ad geminas* Liſmorenſem, & Waterfordienſem *Diæceſes.*

XXVI. *F.* Joannes Depingus, *ſive* de Ping, *nonnullis* de Puig, *Epiſcopus* Waterfordienſis, & Liſmorenſis *Anno* 1397. *Viam univerſæ Carnis ingreſſus Anno* 1400. *Afferuntur Literæ Pontificiæ* Bonifacij *IX.*

XXVII. *F.* Nicolaus Ileyan, *Epiſcopus* Duacenſis *Anno* 1395. *Ex hac Vita migravit Anno* 1399.

XXVIII. *F.* Adam Lyons, *vel* Lyns, *Epiſcopus* Ardachadenſis *Anno* 1400. *Diem clauſit extremum Anno* 1416. *Hac de Promotione Literæ* Bonifacianæ.

XXIX. *F.* Richardus Rocomb, *nonnullis* Bokum, *ad Eccleſiam* Leghlinenſem *Anno* 1400 *aſſumptus, eidem Nuncium remiſit Anno* 1420. *Nonnihil obiter de Urbe* Leghlinenſi.

XXX. *F.* Joannes Babynghe, *Archiepiſcopus* Tuamenſis *deſignatus Anno* 1409, *renunciatus Anno* 1410. *Ea de Re Literæ Apoſtolicæ* Joannis *XXII.* *Item Literæ Apoſtolicæ* Martini *V*, *quibus ipſi indultum, ut Delectum haberet unius Fratris, qui ipſius eſſet Capellanus.* *Obijt circà Annum* 1427.

XXXI. *F.* Laurentius Petri Jacopini, *Epiſcopus* Achadenſis *Anno* 1414, *e vivis ſublatus Anno* 1442.

XXXII. *F.* Cornelius O-Ferrall, *Epiſcopus* Ardachadenſis *Anno* 1410. *Vitâ functus Anno* 1424, *ſepultus in Cænobio noſtro* Longofordienſi; *à ſe fundato Anno* 1400. *Obiter de Archipræſule* Armacano *ſibi vendicante Principalia defunctorum Epiſcoporum Provinciæ ſuæ.* *F.* Sinlaus de Albania, *Epiſcopus* Liſmorenſis, *non in* Hibernia, *ſed in* Scotia, *Anno* 1420.

XXXIII. *F.* Richardus Belmer, *Epiſcopus* Achadenſis *Anno* 1424. *Ea de Re Literæ Apoſtolicæ* Martini *V.*

XXXIV. *F.* Joannes Baterleius, *vulgo* Baterley, *nonnullis* Barley, *Archiepiſcopus* Tuamenſis *Anno* 1427. *Diem clauſit extremum circà Annum* 1437. *Scripta ejus poſtmodùm recenſenda.*

XXXV. *F.* Nicolaus O-Daly, *Epiſcopus* Achadenſis *Anno* 1436.

XXXVI. *F.* Thomas Bird, *Epiſcopus* Waterfordienſis, & Liſmorenſis *Anno* 1438. *Vixit ad Annum uſque* 1446.

XXXVII. F. Thomas O-Kelly, *Archiepiſcopus* Tuamenſis *Anno* 1438. *In vivis eſſe deſijt* A*nno* 1441. *De eo Elogium* Annalium *Cænobij* Lacûs Rienſis.

XXXVIII. F. Jacobus Blacden, *ſeu* Blakedon, *Epiſcopus* Achadenſis A*nno* 1442. *Ea de Promotione Literæ Apoſtolicæ* Eugenij *IV.* *Deindè Epiſcopus* Bangorenſis A*nno* 1452.

XXXIX. F. Galfridus Hereford, *Epiſcopus* Darenſis A*nno* 1449. *Migravit e Vita* A*nno* 1464. *Nota de* Galfridi, *ſeù* Severini, *Nomine.*

XL. F. Richardus Volſi, *Epiſcopus* Dunenſis, & Connorenſis *Anno* 1451. *Literæ* A*poſtolicæ* Nicolai *IV.*

XLI. F. Robertus de Rupe Forte, *vulgo* Rochefort, *Epiſcopus* Dunenſis, & Connorenſis A*nno* 1451. *ſedit uſque ad* Annum *circiter* 1456. *Nota de accurato ſcribendi modo Diæceſim* Connorenſem.

XLII. F. Nicolaus O-Flanagan, *Epiſcopus* Elphinenſis A*nno* 1458. *Bulla deſuper* Calixti *III.*

XLIII. F. Simon, *Epiſcopus* Connorenſis A*nno* 1459. *Literæ* A*poſtolicæ* Pij *II.*

XLIV. F. Donatus O-Connor, *Epiſcopus* Alladenſis A*nno* 1461. *Nota de accurato ſcribendi modo Cognomen* O-Connor. *Altera de Nomine* Donati.

XLV. F. Humbertus de Roto, *quibuſdam* de Rotomago, A*rchiepiſcopus* Armacanus A*nno* 1464. *Nonnihil obiter de aliquot Cognominibus in* Hibernia *vigentibus.*

XLVI. F. Richardus Winchelſæus, *vulgo* Winchelſey, *Epiſcopus* Oſſorienſis A*nno circiter* 1480; *à Magiſtro Generali* F. Sylvio Caſſetâ *ad Ordinis Beneficia, & Gratias in Vita, & Morte acceptatus* An- 1481.

XLVII. F. Joannes Payn, *vel* Pain, *Prior Provincialis* Angliæ (*Natione tamen* Hibernus) *Epiſcopus* idenſis A*nno* 1483. *Cuſtos Rotulorum Cancellariæ* A*nno* 1496. *E vivis exceſſit* A*nno* 1506. *Nota Rotulis, deque Cuſtode, ſeu, ut vulgo vocant,* Magiſtro Rotulorum.

XLVIII. F. Petrus Burgundus, *Archiepiſcopus* Tuamenſis A*nno* 1486.

XLIX. F. Oliverius Cantwell, *Epiſcopus* Oſſorienſis A*nno* 1487. *Diploma* Innocentianum. *Nonnullæ ab eo geſtæ.* *Epiſcopus Regularis tenetur Habitum geſtare ſui Ordinis.*

L. F. Richardus Mac-Brien, *Epiſcopus* Elphinenſis A*nno* 1499.

LI. F. Franciſcus de Corduba, *Epiſcopus* Glandelacenſis A*nno* 1500. *Præiverant duo Epiſcopi ex dine Minorum.* *Diploma* Alexandri *VI.* *Nota de Etimologia* Glandelacenſis *Eccleſiæ.*

LII. F. Eugenius O-Flanagan, *Epiſcopus* Achadenſis A*nno* 1508. *Plura* Julij *II.* *Diplomata.* *Nota diſtinctis* Eugenij, & Audoeni *Nominibus.*

LIII. *F.*

LIII. F. Dionyſius Mori, *ſeù* Morus, *Hibernis* O-More, *Anglis* Moore, *Epiſcopus* Clonfertenſis Ann 1509. *Plura Diplomata* Juliana. *Ex hac Vita diſceſſit* Anno 1534.

LIV. F. Willelmus, *ſeu* Gulielmus Hogeſon, *Epiſcopus* Derienſis Anno 1520. *Ea de Re Literæ Pontificiæ* Leonis *X. Nota Affinitatem prodens inter* Deriæ, & Daræ *Vocabula.*

LV. F. Joannes Quinus, *alijs* Coynus, *Epiſcopus* Limericenſis *Anno* 1521. *Sponte abdicavit* Ann 1551.

LVI. F. Mauritius Doran, *ſeu* O-Deoran, *quibuſdam* Baxaunum, *Epiſcopus* Leghlinenſis Anno 1524, *ſceleratiſſime interfectus* Anno 1525 *à* Mauritio O-Cavanagh, *Archidiacono ſuo, id ob Crimen ad Furcam acto.*

LVII. F. Petrus Stoll, *Epiſcopus* Darenſis *Anno* 1529. *Breve* Clementis *VIII.*

LVIII. F. Quintinus Cogly, *Epiſcopus* Dromorenſis *Anno* 1536.

LIX. F. Bernardus O-Higgin, *Epiſcopus* Elphinenſis *antè Annum* 1552.

LX. F. Petrus Wall, *Epiſcopus* Clonenſis *Anno* 1556.

LXI. F. Andreas Xerea, *Epiſcopus* Elphinenſis *Anno* 1562.

LXII. F. Eugenius O-Hart, *ſive* O-Hairt, *Epiſcopus* Achadenſis *Anno* 1562, *unus e Patribus Concilij* Tridentini, *cui ſubſcripſit ; Vitâ functus Anno* 1603.

LXIII. F. Thaddæus O-Ferrall, *Epiſcopus* Clonfertenſis Anno 1587, *denatus Anno* 1602.

LXIV. F. Rochus Mac-Geoghegan, *aliàs* à Cruce, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Darenſis *Anno circiter* 1640. *Egregium de eo Elogium Capituli Generalis* Romani 1656. *Spiritum Deo reddidit Anno* 1641.

LXV. F. Jacobus O-Hurly, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Imelacenſis *Anno* 1641. *Notæ de accurato Modo ſcribendi prælibatam Diæceſim.*

LXVI. F. Terentius-Albertus O-Brien, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Imelacenſis *Anno* 1644, *ob Defenſionem Fidei Catholicæ Laqueo ſuſpenſus* Limerici *in Pervigilio Omnium Sanctorum* Anno 1651. *Pulchrum de eo, ceù Virgine, Doctore, Epiſcopo, & Martyre, Elogium Capituli Generalis* Romani 1656. *Indè claret Judicium Dei adversùs Perſecutorem* Irton.

LXVII. F. Edmundus O-Dempſey, *Epiſcopus* Leghlinenſis *antè* Annum *(vel ipſo* Anno*)* 1643. *Obiter de Elencho Epiſcoporum Hiberniæ, qui in ſuis reſidebant Eccleſijs* Anno 1649. *Obijt in Exilio ante* Annum *(vel ipſo* Anno*)* 1667. *Plures accedunt Notæ.*

LXVIII. F. Oliverius Darceus, *vulgò* Darcy, *Veteribus* de Arcia, & *per Syncopen* Darcia, *gallicè* D'Arcie, *Epiſcopus* Ardachadenſis *Anno* 1649, & Dromorenſis *Anno* 1670, *cui præiverat in* Dromorenſi *Sede alter* Oliverius Darceus, *Minorita, olim* Hiberniæ Franciſcanæ *Miniſter Provincialis.*

LXIX. F. Daniel O-Dalath, *ſeù, ut modernis placet,* O-Daly, *dictus paſſim in Ordine* Dominicus de Roſario, *Confeſſarius Reginæ* Luſitaniæ, *Fundator Collegij, & Monaſterij* Ulyſſipone, *Legatus* Philippi *IV Regis* Hiſpaniarum *ad* Carolum *I,* & Carolum *II,* Anglorum *Reges, & prælibati* Caroli *II ad* Innocentium P*apam X, necnon* Joannis *IV Regis* Luſitaniæ *ad* Galliarum *Regem* Ludovicum *XIV. Deſignatus Archiepiſcopus primùm* Bracarenſis, *dein* Goenſis, *tandem electus Epiſcopus* Conimbricenſis. *Vivere deſijt* Anno 1662. *Epitaphium ejus alibi exſcriptum. De ipſo longiuſcula ſed pulcherrima* Vincentij Baronij, *atque* Jacobi Echardi *Elogia, Res ab eo præclare geſtas indicantia. Inter Scriptores alibi memorandus.*

LXX. F. Thaddæus Mac-Eoga, *alijs* Keogius, *vulgò* Keogh, *Epiſcopus* Clonfertenſis, *Anno* 1671. *Animam reddidit Creatori* Anno 1687.

LXXI. F. Dominicus de Burgo, *vulgò* Burke, *Epiſcopus* Elphinenſis *Anno* 1671. *Res ab ipſo præclarè geſtæ ex* Joanne O-Heyno, & Edmundo de Burgo. *Notæ momentoſæ. Piè defunctus* Anno 1704. *Ejus Epitaphium. Inter Scriptores poſtmodùm recenſendus.*

LXXII. F. Dominicus Maguire, *ſeu* Mac-Guire, *Archiepiſcopus* Armacanus Anno 1681 *Loco D.* Oliverij Plunkett, *Carnificinam eodem* Anno *paſſi, qui D.* Edmundo O-Reilly *ſucceſſerat* Anno 1669. *Piè obijt Archipræſul noſter* Dominicus Anno 1708. *In hujus Locum renunciatus* F. Richardus O-Heain, *aliàs* Eano, *qui tamen Dignitatem recuſavit.*

LXXIII. F. Ambroſius Mac-Dermott, *ex Pænitentiario Apoſtolico Epiſcopus* Elphinenſis, *conſecratus* Romæ *Anno* 1707. *In Itinere captus* Londini, & *in Exilium abactus. Per aliam Viam in* Hiberniam *profectus, ibi Perſecutionibus agitatus manſit uſque ad Mortem, quam ſubijt* Anno 1717.

LXXIV. F. Ambroſius O-Connor, *per Novennium* Hiberniæ *Prior Provincialis, Epiſcopus* Ardachadenſis *deſignatus, Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt* Anno 1710.

LXXV.

LXXV. F. Stephanus Mac-Egan, *Ordinis Inſtaurator* Dublinij, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Clonmacnoiſenſis *(exſcribuntur Literæ deſuper Patentes Magiſtri Ordinis, & Apoſtolicæ) à* Benedicto XIII *conſecratus Anno Jubilæi* 1725, *ab eodemque Provincialis* Hiberniæ *continuatus ad futura uſque Comitia Provincialia. Ad Eccleſiam* Fernenſem *transferendus Anno* 1729, *reapſe tranſlatus fuit ad* Midenſem. *Commendatarius Parochiæ* Navanenſis. *Vivere deſijt Anno* 1756. *Septem poſt ſe promotos vidit* Hiberno-Dominicanos *Epiſcopos, atque quinque ſimul florebant.*

LXXVI. F. Dominicus O-Daly, *Epiſcopus* Achadenſis *Anno* 1725. Bruxellis *conſecratus. Diem clauſit extremum* Anno 1735.

LXXVII. F. Michael Mac-Donogh, *Epiſcopus* Kilmorenſis *à* Benedicto *XIII conſecratus Anno* 1728, *ipſius poſtmodùm Prælatus Domeſticus, & Pontificio Solio Aſſiſtens, atque Principi* Walliæ, *ut vocant, à Confeſſionibus. Fatis ceſſit* Anno 1746. *Epitaphium ejus alibi exſcriptum.*

LXXVIII. F. Colmanus O-Shaghnuſſy, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Oſſorienſis *Anno* 1736. *Commendatarius Parochiæ* S. Joannis Evangeliſtæ *apud* Kilkenniam. *Quà Primipilus Nobilis ſuæ Familiæ Litem inchoavit pro ampliſſimis ejuſdem Bonis hæreditarijs adversùs Equitem* Thomam Prendergaſt *(Nota de ementito hujus Baronetti Titulo). E vivis exceſſit* Anno 1748. *Epitaphium ejus.*

LXXIX. F. Joannes Brett, *Pænitentiarius* Apoſtolicus, *Epiſcopus* Alladenſis, *Anno* 1743 Romæ *conſecratus, ad* Elphinenſem *Sedem tranſlatus* Anno 1748. *Exſcribuntur Tranſlationis hujus Literæ Apoſtolicæ. Debitum Naturæ ſolvit* Anno 1756 *Impetrata ab eo Reſolutio Dubij circà* Apoſtatas *à Fide.*

LXXX. F. Petrus Killikelly, *ex Theologo* Caſanatenſi *Prior Provincialis* Hiberniæ, *& ex Priore Provinciali Epiſcopus* Duacenſis *(afferuntur Literæ Apoſtolicæ)* Anno 1744, *inſimulque* Fenaborenſis *Anno* 1750, *cui utrique Eccleſiæ præeſt, & prodeſt. Commendatarius Parochiæ in Diæceſi* Duacenſi. *Nota de Indulto Epiſcopis* Hiberniæ *paſſim conceſſo, ut à quocunque Catholico Antiſtite, Communionem cum S. Sede Apoſtolica habente cum Aſſiſtentia duorum in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum, conſecrari valeant.*

LXXXI. F. Laurentius Richardſon, *Epiſcopus* Kilmorenſis, *Loco Confratris ſui* Michaelis Mac-Donogh, *nuper memorati, Anno* 1747, *e Vivis ereptus* Anno 1753. *Inter Scriptores alibi memorandus.*

LXXXII. F. Patritius Brullaughan, *Epiſcopus* Derienſis *Anno* 1751, *ſponte reſignavit Anno* 1752, Londini *poſtmodùm verſans apud Regium* Sardiniæ *Sacellum, non tamen quà Capellanus, Synodûs* Tridentinæ *ea de Re Præcepti memor. Nota alibi excripta de Epiſcopo Regulari, qui Paſtorali Regimini cedit. Poſteà Obijt Anno* 1760.

LXXXIII. F. Thomas de Burgo, *(poſtquam hanc lucubravit Hiſtoriam) Epiſcopus* Oſſorienſis *Anno* 1759. *Ea de Re Literæ Patentes Magiſtri Ordinis. Commendatarius Parochiæ* S. Mariæ *in Urbe* Kilkennienſi. *Diploma Apoſtolicum hac de Re.*

LXXXIV. Corrolarium iſtius Capitis.

Reverendiſſimi Patres,

I. DAVID MAC-KELLIUS, vulgò *Mac-Kelly* (b), Vir Virtutibus eximius, dùm Decanus eſſet Eccleſiæ Metropolitanæ *Caſſelienſis* (c) (jam anteà ejuſdem Canonicus) Ordini Prædicatorum in Cænobio *Corcagienſi* Nomen dedit. Anno autem 1237, *Gregorio* IX Summo Pontifice, ad Epiſcopatum *Clonenſem*, vulgò *Cloyne*, ſub Archipræſule *Caſſelienſi*, aſſumptus fuit, indèque ad ipſumet *Caſſelienſem* Archiepiſcopatum Anno 1238, eodemet Romano Pontifice, tranſlatus. Anno 1243 *Caſſeliæ* fundavit ſuo Ordini Domum, quam Fratribus ex prælibato *Corcagienſi* Conventu replevit (d). “ Pacti Exemplar facti inter Archiepiſcopos Dublinienſem, &
“ Caſſelienſem, & eorum Suffraganeos, *contra Armachanum Archiepiſcopum in Cauſa maxime*
“ *Primatiæ* extat in Regeſto Archiepiſcopi Dublinienſis, vocato *Crede mihi*,” inquit *Waræus* (e). Ex hac Vita diſceſſit Die 2 Martij 1253, ad quem Annum Monachus *Buellenſis*, vulgò *Boyle*, in *Roſcomanienſi* Agro *Conaciæ*, Annales ſuos his abſolvit Verbis: *David Mac-Kelluig, Archiepiſcopus Caſſelienſis, & Alan O-Sullivan, Epiſcopus Liſmorenſis (f) quieverunt.* Succinit *Fontana* (g)

(b) De antiquiſſima, olimque Regia *Mac-Kelli-rum*, ſivè *O-Kelliorum* Progenie Sermo fuit Cap. §. ix: Num. ii. Lit. f. Pag. 235. Confer Cap. ræs. Num. I. Lit. i.

(c) Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(d) De Cænobio iſto *Caſſelienſi* differebam Cap. ix. §. ix. Pag. 235, de *Corcagienſi* verò §. vi. ejuſdem Capitis, Pag. 214.

(e) *De Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 165.

(f) De Præſule iſto protinùs dicetur Num. iii.

(g) In *Theatro Dominicano* Pag. 66.

dicens: *Sexdecim Annos in hac nobili Sede præfuit Paſtor optimus, quievitque cum Chriſto Anno* 1253. “ Tumulatum ferunt in Capellula Apoſtolorum (quæ ingredientibus Chorum in ſiniſtris, “ ni fallor, ſita eſt) fortè in ſeptentrionali Pariete, ubi Statuam vidi Pontificis ſpecioſam pro- “ fectò, Tumulo inſculptam.” Verba ſunt *Waræi* mox laudati (*b*).

II. F. ROBERTUS ARCHERUS, vulgò *Archer*, Sede *Armacanâ* per Obitum *Donati O-Fidabra* per Triennium vocante, toto eo Tempore, ab Anno nimirùm 1237 ad 1240, deſignatus erat, *Henrico* III *Anglorum* Rege, *Hibernorumque* Domino, ſatagente, ejuſdem Archiepiſcopus, *Gregorio* IX Summo Pontifice (*i*).

III. F. ALANUS O-SULLIVAN, mox memorato *Davidi Mac-Kelly* in Epiſcopatu *Clonenſi* ſucceſſit Anno 1240, *Gregorio* IX Romano Pontifice, indèque ad *Liſmorenſem* Sedem Anno 1248, *Innocentio* IV Pontifice Maximo, tranſlatus, Vitâ demùm functus Anno 1252 (*k*).

IV. F. HENRICUS, Echardo *Heinricus*, Prior Provincialis *Angliæ*, ad Archiepiſcopalem Sedem *Armacanam* evectus Anno 1245, *Innocentio* IV Summo Pontifice, ad Archiepiſcopalem pariter Sedem *Pruſſiæ*, *Livoniæ*, & *Eſtoniæ* in *Polonia* Anno 1246 tranſlatus, tandemque ad *Chiemenſem* in *Bavaria* ſub Archiepiſcopo *Saliſburgenſi*, & *Lubecenſem* in *Hollandia* ſub Archiepiſcopo *Bremenſi*, Sedes Epiſcopales, ſervato in Bullis Apoſtolicis *Archiepiſcopi* Titulo. Dùm *Pruſſiæ*, *Livoniæ*, & *Eſtoniæ* Archiepiſcopus eſſet, à laudato *Innocentio* IV conſtitutus fuit Anno 1246 S. Sedis Apoſtolicæ in *Ruſſia* Legatus. E vivis autem ereptus eſt Die 1 Julij 1254 (*l*).

V. F. REINERIUS, pleriſque *Reginaldus*, aut *Raynoldus*, Natione *Hibernus*, atque unus ex Duodecim à Comitijs Generalibus *Bononiæ* ſub ipſomet Sanctiſſimo Patriarcha *Dominico* Anno 1221 celebratis in *Angliam* amandatis, ut rectè opinatur *Echardus*, infrà laudandus, etſi an Indigena fuerit, anve Extraneus, à *Waræo*, ut candidè fatear, dubitetur. Ex *Anglia* in *Hiberniam* trajecit, & poſt quaſdam, inquit *Echardus*, erectas apud *Hibernos ſuos* Ordinis Domos (*m*), in *Italiam* reverſus, & à *Gregorio* Papa IX inter Pænitentiarios aſcitus, ab *Innocentio* IV ad *Armacanam* Sedem aſſumptus, Archiepiſcopus in Urbe conſecratus fuit Anno 1247. Detraxit à Diæceſi *Clocherenſi*, & *Armacanæ* adjunxit Agrum *Louthanum*, in ſe olim, & uſque ad Annum ſaltem 1044 Epiſcopatum, cujus Sedes apud *Dundalkam* fuerat (*n*) E vivis ſublatus eſt *Romæ* Anno 1256, Executores relinquens Teſtamentarios F. *Patritium Scanlanum*, vernaculè *O-Scanlan*, Rapoten-

ſem

(*b*) Archipræſulis hujus meminere *Vincentius-Maria Fontana*, Italus, in *Theatro Dominicano*, Part i. Tit. xxiv. Pag. 65, ex Ughello in M S; *Joannes-Michael Cavalerius*, Italus, in Opere Italico, cui Titulus: *Galeria Dominicana*, Tom. i. Pag. 16. Num. xxiv; *Jacobus Echardus*, Tom. i. *Scriptorum Ordinis Prædicatorum*, Pag. xxvii. Col. i; Eques *Jacobus Waræus*, Hibernus, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 165, & 216; Advocatus *Gualterus Harriſius*, Hibernus, in Opere Anglico ejuſdem Tituli, Vol. I. Pag. 472; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. i. Pag. 113, & 114. Iſtius etiam Vitam cum Laude conſcripſit *Antonius* noſter *Touron* in Gallico Opere noviſſimè edito, cui Titulus. *Hiſtoire des Hommes illuſtres de L'Ordre de Saint Dominique*, Tom. i. Pag. 136. Quæ tamen ex Auctoribus refero, non omnia in ſingulis, ſed quædam in quibuſdam, & alia in alijs, legere eſt.

(*i*) *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 171 *Harriſius* Vol. I. Pag. 65.

(*k*) *Echardus* Tom. I. Pag. xxiv. Col. i; *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 204, & 206; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 552, & 575; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 114, & 258.

(l) *Germania Sacra*, Tom. i. Pag. 53. Col. i; *Gaſpar Chutzen* in *Serie Epiſcoporum Culmenſium* laudatus ab eruditis Editoribus *Actorum Sanctorum* ad Diem V. Maij, Tom. vii. Pag. 603, & 607; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 55. Col. i; *Echardus* in *Addendis* ad Tom. i; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 163, 256. ac 257.

(*m*) Confer Cap. ii. Num. v, & xii. Pag. 36, & 41.

(*n*) Conſulendum Cap. i. Num. xii. præſertim ad Lit. r, Pag. 16.

ſem (*o*), & *Milonem de Dunſtable*, Ardachadenſem Epiſcopos, necnon Bertrannum Archidiaconum *Armacanum* (*p*); inter Scriptores alibi recenſendus (*q*).

VI. F. CHRISTIANUS, Epiſcopus *Ardfertenſis*, vulgò *Ardfert*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, Anno 1252, *Innocentio* IV Summo Pontifice. Omittitur à Scriptoribus Ordinis, memoratur tamen à *Waræo*, & *Harriſio* (*r*) his Verbis: "Chriſtianus quidam, Ordinis Prædi-
" catorum, Epiſcopus deſignatus Ardfertenſis, ab Henrico III Rege confirmatus eſt (*s*) 25
" Februarij Stylo noſtro, 1252. Sedit exiguo Tempore. Nam illius, ut videtur, Morte con-
" ceſſa eſt ab eadem Rege Poteſtas eligendi novum Epiſcopum Auguſti 20, 1256."

VII. F. PATRITIUS O-SCANLAN, ad Sedem *Rapotenſem*, vulgò *Raphoe*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano* aſſumptus Anno 1256, *Alexandro* IV Summo Pontifice, à Decano, & Capitulo *Armacano* unanimi Suffragio electus fuit ejuſdem Eccleſiæ Archipræſul, & ad Regis *Henrici*, hujus Nominis III, Preces ab *Urbano* Papa IV per Bullam, Nonis (Die 5) Novembris 1261 datam, confirmatus. Anno ſequenti Synodum Provincialem *Pontanæ*, ſivè *Drogbedæ*, coegit, cujus Statutorum Pars aliqua in Regeſto *Octaviani de Palatio*, Archiepiſcopi *Armacani*, Fol. 282. *a*, habetur. Metropolitanam ſuam S. *Patritij* Eccleſiam *Patritius* inſtauravit, multumque ornavit, ac Fratribus Minoribus Cænobium *Armacæ* excitavit Anno 1263, vel 1264 (*t*). An autem Fratribus ſuis Prædicatoribus idem præſtiterit Beneficium? Alibi diſcutiebam (*u*). Dùm *Rapotenſis* eſſet Epiſcopus, Diploma impetravit ab *Alexandro* IV Pontifice Maximo, 5 Februarij 1256, ad Effectum habendi ſecum duos ex ſuo Ordine Prædicatorum Socios, quod jampridem exſcribebam (*w*). Fatis ceſſit *Dundalkæ* in *Cænobio* S. *Leonardi* Fratrum Cruciferorum

---

(*o*) *Patritius* iſte fuit poſteà Archiepiſcopus *Armacanus*, ut Num. vii. clarebit.

(p) *B. Humbertus de Romanis*, Magiſter Ordinis, in *Vitis Fratrum* Lib. ii. Cap. xx; *Bernardus Guidonis*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus primùm *Tudenſis* in *Hiſpania*, poſtmodùm *Lodovenſis* in *Gallia*, Tit. *de Epiſcopis Hiberniæ*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 15. Num. xvi; *Echardus*, Tom. i. Pag. 41. Col. ii, & Pag. 105. Col. ii; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 235; *Harriſius*, Pag. 520.

(*q*) Cap. xv. Num. ii.

(*r*) *Waræo*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 235; *Harriſio*, Vol. I. Pag. 520.

(*s*) Id eſt, in Temporalium Poſſeſſionem immiſſus juxtà Ævi iſtius Morem.

(*t*) Verba ſunt *Waræi* mox laudandi.

(*u*) Cap. x. §. i. Pag. 338.

(*w*) Cap. iii. Num. iii. Pag. 48. Tametſi porrò (ut jamdudùm ajebam Cap. i. Num. xii. Lit. a. Pag. 17) mei non ſit Inſtituti de *Primatu Hiberniæ* ullatenùs diſſerere, nihiloſeciùs Leges Hiſtoriæ me, de *Patritio O-Scanlan* datâ Operâ loquentem, adigunt ad referendum ex *Jure Primatiali*, edito ab *Oliverio Plunkett*, Archipræſule *Armacano*, Anno 1672, Pag. 15; & ex *Jure Primatiali Armacano*, ab alio edito Archipræſule *Armacano*, *Hugone* nempe *Mac-Mahon*, Anno 1728, Pag. 14, laudatum *Patritium O-Scanlan*, a *Rapotenſi* ad *Armacanam* Sedem tranſlatum, Bullam recepiſſe ab *Urbano* Papa IV, Menſe Novembris 1261 datam, cui hæc inſeritur Clauſula: *Primatiam verò totius Hiberniæ, quam Prædeceſſores tui uſque ad hæc Tempore inconcuſſè habuiſſe noſcuntur, ad Exemplar Cæleſtini Papæ, Prædeceſſoris noſtri, tibi, tuiſque Succeſſoribus, Auctoritate Apoſtolicâ confirmamus, ſtatuentes, ut Hiberniæ Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alij Prælati, tibi, & Succeſſoribus tuis, tanquam Primati, Obedientiam, ac Reverentiam, omni Tempore, debeant exhibere.* Aſt, ut candidè fatear, non poſſum non mirari, prælibatam Bullam non inveniri in *Bullario Romano*, neque in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, nec proindè in *Archivo Apoſtolico*, aut in *Tabulario Vaticano*, quæ Rmus noſter *Bremond*, ſecundô dicti *Bullarij*, Octo Tomis in Folio comprehenſi, Editor, diligentiſſimè perſcrutatus eſt, eaque cum *Archivo Ordinis* jugiter laudat, ut *Bullarium* ſuum intuenti liquebit, cùm tamen mox recenſitum Diploma de duobus ex ſuo Ordine Prædicatorum habendis Socijs, quamquàm minoris profectò Momenti, in ijs reperiatur. Hinc *Petrus Talbot*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, in ſuo de *Primatu Dublinienſi* Libro, *Inſulis* 1674 vulgato, Pag. 7, rotundis Verbis aſſeverare non dubitat, *Bullam iſtam eſſe fictitiam*, pluribus id evincens alijs Momentis, quæ perſcribere nimis longum foret, mihi præſertim, extrà demandatam Provinciam duntaxàt expatianti. Sufficiat igitur primam ejus Rationem in Medium afferre, hiſce conceptam Verbis: *Quia* (inquit) *nec ipſemet* Scanlan, *nec ullus ex ijs, qui poſt illum præ-*

Ordinis S. Auguſtini, Die 16 Martij 1270; & *Pontanæ* apud Fratres ſuos Prædicatores ſepultus (*x*).

VIII. F. HUGO, alteri *Hugoni de Mapleton*, atque *de Glandeloch* (*y*) è Patria cognominato, ſucceſſit, Epiſcopus ſcilicet *Oſſorienſis*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, Anno 1257, *Alexandro* IV Summo Pontifice, creatus, Teſte *Waræo* (*z*) his Verbis : " In Eccleſiæ Oſſorienſis Archivis Succeſſor (poſt Hugonem de Mapleton) nominatur Hugo quidam Dominicanus, qui multa dicitur contuliſſe Fratribus ſui Ordinis Kilkenniæ (*a*), ac inter alia Fontem S. Canici & Aquæductum. Hoc Munere Biennio functus obijt 1259, & in Eccleſia Dominicanorum prædictorum propè Summum Altare ſepultus eſt."

IX. F. MAURITIUS O-CONNOR, Filius *Neili*, Epiſcopus *Elphinenſis*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, confirmatus Die 23 Aprilis 1266, *Clemente* IV Summo Pontifice. Unus erat ex Teſtibus, qui ſubſcripſerunt Inſtrumento Permutationis Regem Eduardum I (*b*) inter, & Priorem ac *Roſcommanienſem* (*c*) Conventum *S. Comani*, Die 28 Novembris 1282 initæ, quâ

---

ceſſerunt Richardum *Armacanum (fuerunt autem Sex), oſtendit Urbani IV Bullam pro Primatu ; cùm tamen Duo ſaltem*, Rolandus Jorſe, & David O-Hiraghty, *magnam habuerint Contentionem cum Archiepiſcopis Dublinienſibus de Primatu. Mirum eſt igitur ſolum* Richardum *Armacanum, poſt tot Præſules litigantes in eadem Cauſa, oſtendiſſe, aut Mentionem feciſſe Diplomatis, quod ſi verum fuiſſet, tantam Litem Momento Temporis diremiſſet. Mirum etiam videtur*, Patritium O-Scanlan *in ſua Synodo Pontanæ celebrata Anno* 1263, *nihil dixiſſe de iſta Bulla, quam Anno* 1261 *acceperat ; præſertim cum* Reinerus *Armacanus*, & Lucas *Dublinienſis, Septennio anteà, ingenti Animorum Æſtu de* Primatu *decertaverint. Cùm* Scanlan *Succeſſor* Reinerij *in Epiſcopatu, & Executor Teſtamenti fuerit, certè Hæres in* Primatu *fuiſſet, Hæreditatemque ſine Lite ad Succeſſores tranſmiſiſſet, ſi vera fuiſſet Bulla Urbani IV.* De *Richardo* iſto *Armacano*, Cognomine *Fitz-Ralph*, haud pauca dicebam, Cap. iii. Num. xii. Pag. 62.

Cæterùm videtur planè, neutrum Archiepiſcopum eſſe verè *Primatem* quoad Juriſdictionem, cùm nondum deciſa ſit Lis, etſi recens ſuſcitata Anno 1719, ut Cap. i. Num. xii. Pag. 17 ajebam, utque teſtatur *Petrus Pollidorus* (jam anteà laudatus Cap. viii. Num. vi. Pag. 158.) in *Vita Clementis* Papæ XI, quam non minùs accuratè quàm eleganter lucubravit, ad Annum 1719, nempè Lib. v. Num. xxxiv. Pag. 373, hiſce Verbis : *Pontificiâ Liberalitate inferioris quoque fortunæ Homines per eaſdem opportunè complexus, ubere Nummorum Subſidio pauperes Batavos, itemque Scotos levavit, & Hibernos. Adverſæ autem, quâ hi premebantur, miſertus Anguſtiæ, duras ob Heritico Magiſtratu Conditiones impoſitas Caroli Imperatoris, Philippi Ducis Aurelianenſis, ac Joannis Luſitaniæ Regis, Officijs amolitus eſt. Pernicioſas etiam Rebus ſacris Controverſias, inter Archiepiſcopos Armacanum, & Dublinienſem, Juriſdictionis Occaſione ortas, ſuſtulit. Quo facta Mala non levia, quæ ex latè fuſo Diſſidio pullulabant, tempeſtive antevertit, & extinxit. Antiquam pariter de Jure* Primatûs *Cauſſam, quo Armachanus Antiſtes in Univerſam Hiberniam ſe potiri jactabat, moleſtiſſime integratam, ad Apoſtolicam Sedem advocavit : Illamque, & quotquot inter Hibernos Epiſcopos in Dies ſuboleſcebant, Diſceptationes, ut Delecti Patres in Cætu* Propagandæ *Fidei Negotijs præfecto maturâ Excuſſione cognoſcerent, imperavit.* Recolendum Cap. i. Num. xii. Pag. 16 ; & Cap. præs. Num. i. Pag. 457.

(*x*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 17; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 67 ; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 78. Num. ccxlviii ; *Thomas Sovegius*, in *Anno Dominicano* Pag. 19 *Præfationis* Menſis Junij ; *Echardus*, Tom. i. in *Indice Archiepiſcoporum*, Pag. xxvii. *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 413, & 447.

(*y*) Legendum Cap. iii. Num. ix. Lit. h. Pag. 59 ; & Cap. præs. Num, li. Lit. m.

(*z*) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 142, cui ſubſcribit *Harriſius*, Vol. I. Pag. 405. Item *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 23. Num. xlvi ; *Fontana* in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. ccccxl. Pag. 252 ex *Regeſto Vaticano*, necnon *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. i. Pag. 413.

(*a*) De Urbe & Cænobio *Kilkennienſi* diſſerebam Cap. ix. §. iii. Pag. 204. Diæceſis porrò nuncupabatur aliquando *Eyrupolenſis*, & anteà *Saigerenſis*, ut liquet ex Pag. 205. Lit. i.

(*b*) Conſulendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*c*) Cænobium iſtud noſtrum non eſt, de quo Cap. ix. §. xvi. Pag. 257, dicebam, ſed Monaſterium Canonicorum Regularium, ut liquet ex *Waræo* mox laudato Pag. 224.

quâ Rex Terram de *Roſbrennan*, ſivè *Rathbrenin* cum Priore, & Conventu permutavit pro Terra de *Liſnenerny*, in *Roſcomanienſi* Agro *Conaciæ*. Migravit è Vita Præſul noſter *Mauritius* Anno 1284 (*d*).

X. F. CARBRACUS O-SCOBA, conſecratus *Armacæ* Epiſcopus *Rapotenſis*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1266, ut volunt *Waræus*, & *Harriſius*, vel Anno 1267, ut refert *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*e*), *Clemente* IV Romano Pontifice. Unus fuit ex Patribus Concilij Generalis *Lugdunenſis Secundi*, ſub *B. Gregorio* X, Pontifice Maximo, Anno 1274 celebrati, ipſumque *Lugduni* obijſſe prælibato Anno diſertè aſſerit *Bullarium* laudatum. Aſt *Waræus*, cui ſubſcribit *Harriſius*, Annales de *Lough-kee* (*f*) laudans, eum Anno 1275 mortuum ait *Romæ*, quò ob Eccleſiæ ſuæ Negotia profectus fuerat, quatenùs ſcilicèt per Potentiam *Germani Cheballen*, Epiſcopi *Derienſis*, & Cognationis ſuæ de *Kenel-cogain*, Pars aliqua Diæceſis *Rapotenſis* ſubtracta eſt, & Sedi *Derienſi* adjuncta, ut ex Regeſto *Clocherenſi* liquet (*g*).

XI. F. JOANNES DURLENDUNUS, ſeù *de Derlington*, è Patria (*h*), quæ in *Dunelmenſi* (vulgò *Durham*) Epiſcopatu *Angliæ* ſita eſt, cognominatus, Ordinem in *Anglia* amplexus, poſtquam aliquot Annos apud ſuos Studijs Operam dediſſet, *Lutetiæ Pariſiorum* pro Rata ſuæ Provinciæ ad Gymnaſium *San-Jacobæum* miſſus eſt, ubi jam agebat antè Annum 1250, & quibuſdam Annis ſtetit, Doctoris S. Theologiæ Lauream conſecutus. Exindè in *Angliam* reverſus, non parvam ſibi ab Eruditione Famam comparavit. A Rege ſuo *Henrico* III Conſcientiæ Arbiter, & à Conſilijs aſcitus fuit Anno 1256; à Summis verò Pontificibus *Innocentio* V, Ordinis Prædicatorum Alumno, *Joanne* XXI, & *Nicolao* III, colligendis in Terræ Sanctæ Subſidium Decimis, in Synodo Generali *Lugdunenſi Secundâ*, conceſſis, Apoſtolicus fuit per *Angliam* Quæſtor conſtitutus. Illo nondùm liber erat Munere, cùm ad *Dublinienſem* Metropolitanam Sedem, *Fulconis Saunfordij* Anno 1271 defuncti Archipræſulis Morte jam Annos propè Septem Viduam, fruſtrà electis jam duobus, à *Nicolao* III, utramque rejiciente Electionem, evectus eſt, & Archiepiſcopus conſtitutus Anno 1279. Eodem Anno Die 29 Auguſti in *Walthamenſi* Cænobio *Angliæ* à F. *Joanne Peckam*, Ordinis Minorum Alumno, Archipræſule *Cantuarienſi*, aſſiſtentibus *Nicolao Wintonienſi*, Roberto *Bathonienſi*, ac *Willenſi*, & *Gulielmo Norwicenſi* Antiſtitibus, Epiſcopus conſecratur. Porrò jam anteà Legatus fuerat à Rege *Eduardo* I ad *Nicolaum* III Summum Pontificem, ut ab eo Decimas Sacerdotiorum *Angliæ* obtineret ad Expeditionem *Jeroſolymitanam*, quam Rex ille meditabatur, eaſque *Nicolaus* Papa conceſſit Literis datis *Viterbij* Kalendis Auguſti 1276 (*i*). Item *ſub Joanne* XXI,

Nicolao

(*d*) *Waræus*; de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 245; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 630.

(*e*) *Bullarium* hoc noſtrum Tom. i. Pag. 501, ſic duntaxàt habet: *F . . . . Epiſcopus in Hibernia*, 1267. Verùm poſtquàm Magiſtro *Bremond* ipſius Nomen, & Sedem in *Compendio Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ*, à *Franciſco Portero*, Hiberno, Ordinis Minorum, edito, ipſe oſtendi, laudatus accuratiſſimus juxtà & politiſſimus Scriptor ſequentia adjunxit in Bullarij Supplemento Tom. vii. Pag. 515. “Tom. i. Pag. 501 ad Annum 1267, ex *Bernardo* “*Guidonis*, *Leandro Alberto*, & *Cavalerio* memini “cujuſdam Epiſcopi Hiberniæ, cujus nec Nomen, “nec Sedem exhiberi. Is autem fuit Frater Car- “bracus O-Scoba, Epiſcopus Rapotenſis, in Hi- “bernia, ſub Archiepiſcopo Armacano, cujus No- “men in antiquo MS Bernardi Guidonis ſe repe- “periſſe, narrat *Thomas* noſter *Sovegius* in Anno “Dominicano ad Diem 10 Maij Pag. 521, ubi Vi- “tam hujus Epiſcopi deſcribit. Unus fuit ex Pa- “tribus Concilij Generalis Lugdunenſis Secundi. “Obijt Lugduni Anno 1274. Ejuſdem Epiſcopi “Nomen prodit Franciſcus Porterus in Compendio “Annalium Eccleſiaſticorum Hiberniæ, Sect. 5. “Cap. 7. Pag. 177.”

(*f*) Id eſt, Annales Monaſterij Canonicorum Regularium in Inſula S. Trinitatis de Eaen *Kea* in *Roſcomanienſi* Agro *Conaciæ*.

(*g*) *Bernardus Guidonis*, in *Epiſcopis Hiberniæ*; *Leander Albertus*, de *Viris illuſtribus*; *Thomas Sovegius*, in *Anno Dominicano*, Pag. 521; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 32. Num. lxxxiii; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 75; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 271; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 501, & Tom. viii. Pag. 515.

(*h*) Conſulendum Cap. ix. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Pag. 252.

(*i*) Eas legere eſt in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 557.

Nicolao III, & *Martino* IV *Papis*, *Quæſtor*, *ſivè Petri Denariorum*, *tàm in Anglia quàm in Hibernia*, *factus eſt Collector*, inquit *Waræus* mox laudatus. *Vir erat probatiſſimæ Vitæ*, & *maximæ in Literis Diligentiæ*, atque *ob Eruditionem*, & *Prudentiam multæ Auctoritatis*, ut diſertis Verbis *Selandus* & *Matthæus Pariſius* referunt (*k*). Nondùm à Collectione Decimarum, per Sanctam Sedem Apoſtolicam ipſi impoſitâ, totaliter expeditus, deceſſit *Londini* Die 29 Martij 1284, in Eccleſia Fratrum Prædicatorum humatus (l). Nonnulla edidit Opera, quæ alibi opportuniùs exhibebo (*m*).

XII. F. RAYMUNDUS, ad Archiepiſcopalem Sedem *Armacanam*, in *Ultonia*, aſſumptus Anno 1286, *Honorio* IV Summo Pontifice (*n*).

XIII. F. GULIELMUS De HOTHUN, & quem alij ex varia ſuorum Idiomatum Flexione variè nuncupant *de Hotum*, *de Hothum*, *de Hozum*, *Bothum*, *de Honden*, *Heddon*, *Heddonem*, *Ochumium*, ille idem, qui *de Odone* in veteribus Ordinis noſtri Monumentis appellatur, Natione *Anglus*, Vir fuit Pietate, Doctrinâ, Rerum agendarum Peritiâ, ſuo Ævo clariſſimus, proptereaque Regi ſuo *Eduardo* hujus Nominis Primo (*o*) charus, & acceptus. *Pariſijs* in Gymnaſio *San-Jaçobæo* pro Rata Provinciæ ſuæ *Anglicanæ* ſtudens ad Magiſterij Gradum in Sacra Facultate, jam ejuſdem Licentiatus, promotus fuit Anno 1280. Dein Anno 1282 amoto in Actis Comitiorum Generalium *Viennæ* in *Auſtria* Priore Provinciali *Angliæ*, ei ſuffectus eſt *Gulielmus* noſter, qui eo Munere fungebatur etiamnùm Anno 1287. Alterâ Vice Provinciam *Angliæ* rexit, alteri ſcilicet *Gulielmo* (qui rediens à Comitijs Generalibus, Anno 1294 *Ferrariæ* celebratis, in Itinere obierat) ſuffectus, tumque ad Annum 1297 in Officio perſeveravit, Teſte *Triveto*, poſtmodùm referendo. Eccleſia *Dublinienſis* à Die 11 Octobris 1294, mortuo tunc *Joanne de Saunford*, Archiepiſcopo, Vidua erat, licèt quippè Eccleſiæ *Patritianæ* ejuſdem Metropolis Decanus, *Thomas* nempè *de Cladſworth*, electus fuiſſet, Electio tamen, Rege adverſante, rejecta eſt à *Bonifacio* Papa VIII, qui ſubindè *Gulièlmum* noſtrum, Regi gratiſſimum, ad Metropoliticam hanc Sedem evexit Die 16 Junij 1297, datâ ei Facultate Munus Conſecrationis à quocunque mallet Epiſcopo, Communionem cum S. Sede Apoſtolica habente (*p*), & ubicunque, ſuſcipiendi. Hinc *Gandavi* in *Flandria*, quò cum *Anglorum* Rege iverat, ab *Antonio Beck*, Epiſcopo *Dunelmenſi*, vulgò *Durham*, in *Anglia*, ſub Archiepiſcopo *Eboracenſi*, inauguratum ſcribit *Thomas Walſinghamus*, Rerum *Anglicarum* Scriptor accuratus. Tùm autem inter *Philippum* IV Galliarum, & *Eduardum* I Anglorum Reges diſſidentes Sequeſter acceptus (nam & *Philippo*, ex quo *Pariſijs* ſtuduerat & rexerat, notus erat, & familiaris) itâ Dexteritate ſuâ egit ac Prudentiâ ultrò citròque ad ambos pergens ac rediens, ut Inducias inter utrumque ad Biennium pepigerit, ac firmarit. Legatus exindè

(*k*) *Selandus*, Cap. 291; *Matthæus Pariſius* ad Annum 1256, Pag. 624.

(l) *Trivetus*, in *Chronicis* ad Annum 1289; *Thomas Wikens*, in *Chronicis*; *Waræus*, de *Præſul. Hiber.* Pag. 109, & de *Scriptor. Hiber.* Pag. 121; *Pitſeus*, in *Scriptoribus Angliæ*; *Waddingus*, *Annal. Minor.* Tom. ii. ad Annum 1284, Num. xiii. Pag. 504; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. ix. Tit. xl. Pag. 73, ex *Regeſto Vaticano*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 42. Num. cxvii; *Echardus* Tom. i. Pag. 395: *Bernardus de Jonghe*, Pag. 413; *Antonius Turon*, Tom. i. Pag. 415; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. i. Pag. 572.

(*m*) Cap. xv. Num. vii.

(*n*) *Fontana* in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. iv. Tit. viii. Pag. 54, ex *Plodio*, & *Luſitano* in *Chronicis*, & in *Monumentis Dominicanis*; Part. i. Cap. vii. Pag. 124; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 48, Num. cxliii; *Bullarium Ordinis Prædicatorum* Tom. ii. Pag. 17. Hinc emendandus *Waræus*, qui *Raymundum* noſtrum Silentio prætermittit, autumans *Nicolaum Mac-Moliſſa*, qui *Patritio* noſtro *O-Scanlan*, Archipræſuli *Armacano*, nuper laudato, immediatè ſucceſſerat, Sedem iſtam per triginta unius Annorum Seriem, ab Anno ſcilicet 1272 ad 1303 occupaſſe.

(*o*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag 45. Videſis mox dicenda Num. xxii. Lit. k.

(*p*) Vere juſtis de Cauſis Summi Pontifices in Diplomatibus, Diæceſes *Hiberniæ* hiſce Temporibus conferentibus, expreſsè diſpenſare ſolent, ut in Epiſcopos electi Munus Conſecrationis à quocunque Epiſcopo Catholico, & ubicunque ſuſcipiant, cum Aſſiſtentia duorum in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum, & quidem ob Difficultatem convocandi tres Antiſtites, ut magis infrà declarabitur Cap. præs. Num. lxxv, & lxxx.

exindè ſelectus, qui Induciarum Conditiones, inter Reges compactas, *Romam* deferret *Bonifacio* VIII Pontifici Maximo, ceù in quem Rex *Eduardus* compromittebat, & Arbitrum de Pace, inter ſe, & *Philippum* Regem ineundâ, eligebat, Itineri ſe commiſit, ac Urbem aggreſſus Rem ità feliciter egit, ut Die 20 Junij 1298 Summus Pontifex in publico Conſiſtorio Sententiam ſuam Arbitralem, ut vocant, pronunciaverit, Pacemque ſub certis Articulis ſtabilierit. Verùm *Gulielmus* in Reditu per *Burgundiam* tranſiens, *Divione*, vulgò *Dijon*, Morbo correptus, Animam ibidem in Cænobio noſtri Ordinis efflavit Die 27 Auguſti ejuſdem Anni, *Legatus Cardinalis futurus*, inquit *Sebaſtianus de Olmedo*, brevi laudandus. Corpus ejus exindè in *Angliam* delatum, *Londini* in Templo noſtro honorificè tumulatum fuit. Nonnulla ſcripſit Opera, de quibus alibi opportunior redibit Sermo (*q*).

Bernardus Guidonis in *Indice Epiſcoporum* ſic laudat: “ F. Gulielmus de Odone, Anglicus, “ Magnus Magiſter in Theologia, in toto Ordine nominatus, Archiepiſcopus Dublinien- “ ſis in Hibernia Anno 1298 circùm circà. Fuit Prior Provincialis Angliæ bis. Hic “ Legatus Regis Angliæ ad Summum Pontificem, redeundo in Conventu Divionenſi moritur in “ Vigilia B. Auguſtini 1298.” Idem habet in *Indice Magiſtrorum in Theologia*.

Laudat & *Nicolaus Trivetus* in *Chronico* ad Annum 1297: “ Eodem (*inquit*) Anno idem “ Papa (*Bonifacius* VIII) Fratri Willelmo de Hotum, Priori Provinciali Fratrum Prædicatorum “ *Angliæ*, Archiepiſcopatum contulit Dublinienſem, indulgens eidem, ut à quocunque Epiſcopo “ Catholico, & ubicumque decreverit, valeat conſecrari. Hic P. Willelmus, poſtquàm Ordi- “ nem ingreſſus eſt, cùm eſſet Vir acutiſſimi Ingenij, Doctor in Theologia factus eſt. Erat au- “ tem jocundus in Verbis, in Affatu placidus, Religionis honeſtæ, in omnium Oculis gratioſus, “ qui cum Rege (*Eduardò*) in Flandriam profectus, ibidem à Domino Dunelmenſi Munus Conſe- “ crationis accepit. Per cujus Mediationem ex Parte Anglicorum, & Ducis Britanniæ ex Parte “ Gallicorum, inter Reges Angliæ, & Franciæ acceptæ Sunt Induciæ, & ultrà datos Terminos “ ſæpius prorogatæ”.

Nec omittenda, quæ de eo habet *Sebaſtianus de Olmedo*: “ Hic Frater Gulielmus de Odone “ cùm in Patriam rediret, Legatus Cardinalis futurus, apud Divionem Galliæ in Vigilia S. Auguſ- “ tini, quem unicè coluit, ex hac Luce diſceſſit, magnâ Ordinis, ac Bonorum multorum Mæſti- “ tiâ; cujus Oſſa in propria, petente etiam Anglorum Rege, delata ſunt” (*r*).

XIV. F. GUALTERUS DE JORZ, ſeù *Joiſius*, vernaculè *Joyce* (*s*), Anglus, Frater Germanus *Thomæ Joiſij*, Cardinalis *S. Sabinæ*, Ordinis noſtri item Alumni, olimque *B. Alberti Magni* cum Angelico Doctore Diſcipuli, *Eduardi* II. (*t*) Regis Anglorum Confeſſarius, poſtquam in Ordine omnium Virtutum Odore floruiſſet, ad *Armacanæ* Sedis Inſulas Anno 1306 aſſumptus eſt, *Clemente* V Summo Pontifice, & à *Nicolao* Cardinale *Oſtienſi* conſecratus, ut ex Bulla prælibati Papæ, 8 Idûs Auguſti Pontificatûs ſui Anno Secundo datâ, inter Archiva Turris *Londinenſis*

(*q*) Cap. xv. Num. viii.

(*r*) Legendi, nltrà laudatos Auctores, *Bernardus Guidonis*, in *Epiſcopis Hiberniæ*; *Trivetus*, in *Chronicis*, Part i. Cap. iv. Tit. xl. Pag. 73, ex S. *Antonino*, *Leandro Alberto*, *Luſitano*, & *Plodio*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 55. Num. clxv; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 109, & *de Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 121; *Echardus*, Tom. i. ad Annum 1291, Pag. 459; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 413; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 326, & Vol. ii, *de Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 320; *Antonius Touron*, Tom. i. Pag. 603; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. II. Pag. 71. Ipſius etiam meminere *Laurentius Pignon*, *Altamura*, *Lelandus*, *Baleus*, *Sinclerus*, & *Pitſeus*. Hinc emendandus *Poſſevinus*, qui in Apparatu ſuo *Gulielmum* noſtrum dividit in duos, quorum unum nominat *de Odone*, alterum *de Hothum*. Errat etiam *Lobineau* in *Hiſtoria Armoricæ*, ubi *Gulielmum* Epiſcopum *Dumblanienſem* vocat. Enimverò Sedes hæc Epiſcopalis *Dumblanienſis* eſt in *Scotia* ſub Archiepiſcopo *Andreapolitano*. Sedes verò *Dublinienſis* eſt Archiepiſcopalis, atque in *Hibernia*, ut rectè advertit *Bullarium* mox laudatum.

(*s*) Floret hiſce etiam Temporibus antiqua Gens iſta in *Magna Britannia*, & *Hibernia*, ut jam dictum eſt, Cap. iii. Num. ix, & Cap. xii. §. iii. Num. xiv. Pag. 60, & 439.

(*t*) Recolendum Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

dinenſis aſſervatâ, liquet. Archiepiſcopatum lubens reſignavit, at non Anno 1311, ut græcâ Fide aſſerit *Waræus*, mox laudandus, ſed Anno 1307, quo eidem ſuffectus fuit alter Dominicanus, *Martinus* nempè *Bononienſis*, de quo Num. ſequenti. Benè autem refert idem *Waræus*, memoratum *Gualterum Joiſium ſex habuiſſe Fratres Uterinos, qui omnes ejuſdem fuerant Ordinis Prædicatorum.* Immediatè ſubjungens: *Fortè is idem fuit Walterus Anglicus, quem Raphael Volaterranus, Commentariorum Urbanorum Lib. 21, Eduardi Regis Angliæ fuiſſe Confeſſarium, & Genuæ in Italia ſepultum aſſerit.* Porrò lucubrata ab eo Opera alibi recenſebo (*u*).

In *Hiſtoria Oxonienſis* (in Anglia) *Academiæ* (*w*) ſic de ipſo legitur: "Gualterus Joyce, ſeù " Jorſe, Pietate, Doctrina, cum primis deprecandus, qui cum hìc (id eſt in Scholis Publicis Fra- " trum Prædicatorum Oxonienſibus) aliquantiſper docuiſſet, in Archiepiſcopum *Armacanum*, & " Totius Hiberniæ Primatem (*x*), Anno plus minùs 1308 emerſit (*y*)".

XV. F. MARTINUS BONONIENSIS, Archiepiſcopus *Armacanus*, in Locum *Gualterij Joiſij* mox laudati ſuffectus, Anno 1307, *Clemente* V, Summo Pontifice (*z*).

XVI. F. ROLANDUS DE JORZ, ſeù *Joiſius*, vulgò *Joyce*, prolibati *Gualteri* Germanus Frater, Die 15 Septembris 1313 electus Archiepiſcopus *Armacanus*, Romano Pontifice *Clemente* V, ſponte abdicavit Die 20 Martij 1321 (*a*).

XVII. F. PHILIPPUS DE SLANA, vulgò *Slane*, à Natali Solo (*b*), *Midenſis* Agri *Lageniæ* Vico, ſic nuncupatus, à *Joanne* XXII, Pontifice Maximo proviſus de Epiſcopatu *Corcagienſi*, vulgò *Cork*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, in ejuſdem Poſſeſſionem immiſſus fuit Die 17 Julij 1321. Poſt Triennium deindè ab *Eduardo* Rege II (*c*) ad laudatum Romanum Pontificem miſſus, Munus ei demandatum adeò ſolerter executus eſt, ut poſt Regreſſum Conſiliarijs Regijs in *Hibernia* annumeratus fuerit. Diem clauſit extremum Anno 1326 (*d*).

XVIII. F. JOANNES DE EGLESCLIFF, Epiſcopus primùm *Bethlehemitanus*, in *Judæa*, ſub Patriarcha *Jeroſolymitano*, tùm *Connorenſis*, vulgò *Connor*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1322, *Joanne* XXII Summo Pontifice, dein Anno 1323, circà Feſtum *S. Michaelis Archangeli*, ad *Landavenſem* Diæceſim, vulgò *Landaff*, in *Cambria*, ſivè *Wallia*, ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, tranſlatus eſt. Obijt *Biſhtonæ*, quæ tunc Temporis *Lancadwallader* dici conſuevit, in memorata *Cambria*, Die 2 Januarij 1346, ſepultus apud Fratres Prædicatores *Cardiffæ*, quæ *Landavâ* duobus dantaxàt Milliaribus diſtat (*e*).

XIX. F.

(*u*) Cap. xv. Num. xi.

(*w*) Pag. 64.

(*x*) Conſule nuper dicta Pag. 459. Lit. w.

(*y*) Legendi *Bernardus Guidonis*, in *Epiſcopis Hiberniæ*; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. iv. Tit. viii, Pag. 54; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 19, & *de Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 122; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 77, Num. ccxliii; *Echardus*, Tom. i. in *Indice Archiepiſcoporum*, Pag. xxvii, & ad Annum 1311. Pag. 573; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 413; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 71, & Vol. ii. *de Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 320; *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. ii. Pag. 124.

(*z*) *Bernardus Guidonis*, in *Epiſcopis Hiberniæ*; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. iv. Tit. viii. Pag. 54, & in *Monumentis Dominicanis*, Part. i. Cap. vi. ad Annum 1270, Pag. 99; *Cavalerius* Tom. i. Pag. 80. Num ccliv, ubi laudat *S. Antonium*, & *Luſitanum*; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag 125.

(*a*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 19; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 85. Num. xii, ex *Sovegio*; *Echardus*, Tom. i. in *Indice Archiepiſcoporum*, Pag. xxvii, Col. ii; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 80; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag 126.

(*b*) Conſulendum Cap. ix. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Pag. 252.

(*c*) Confer Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*d*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 209; *Reymer*, *Fœdera*, *Conventiones*, &c. Tom. iv. Pag. 53; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 559.

(*e*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 65; *Petrus Heylin*, in *Auxilio ad Hiſtoriam*, Pag. 102; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 696, Num. vii, ex *Laurentio Beyerlinch*; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxv. Col. ii; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 221; *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. ii. Pag. 210.

XIX. F. **HENRICUS**, Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*, in *Lagènia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1337, *Benedicto* XII Summo Pontifice. Ex hac Vita migravit Anno 1367 (*f*).

XX. F. **EDMUNDUS DE CAERMARTHEN**, Epiſcopus *Ardfertenſis*, vulgò *Ardfert*, in *Momonia*, ſub Metropoli *Caſſelienſi*, à *Benedicto* Papa XII proviſus Anno 1341. Omittitur à Scriptoribus Ordinis (non ſecùs ac præcedens) memoratur tamen à *Waræo*, & *Harriſio*, qui (*g*) in Catalogo Epiſcoporum *Ardfertenſium* hæc habent : " *Alanus O-Hathern*, aliàs *Cathern*, con-" ſecratus 1336, ultimum Diem clauſit 2 Decembris 1347. Eo ſedente, Anno nimirùm 1341, " Benedictus Papa XII Epiſcopatum hunc contulit Edmundo de Caermarthen, Ordinis Prædi-" catorum, tanquàm vacantem per Obitum *Alani*. Sed *Alani* Vita hanc Donationem reddidit ir-" ritam". Hic porrò *Edmundus de Caermarthen*, alijs *Kamardin*, unus fuit e primis S. Theologiæ Doctoribus in Academia *Dublinienſi* creatis, ut Cap. iii. Num. xv. Pag. 66, & Cap. ix. §. 1. Num. viii. Pag. 191, dictum eſt.

XXI. F. **JOANNES AUBRY**, Patriâ *Trimmenſis*, in *Midenſi* Agro *Lageniæ*, ab una Parte Capituli electus Epiſcopus *Ardachadenſis*, in prælibata *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1373, *Gregorio* XI Summo Pontifice. Num verò inauguratus fuerit, non produnt Auctores mox laudandi (*h*).

XXII. F. **GULIELMUS ANDREAS**, vulgò *Andrews*, S. Theologiæ Magiſter, à *Gregorio* XI Pontifice Maximo proviſus Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1374, eam Sedem Annis ſex rexit. Indè ab *Urbano* VI Anno 1380 ad *Midenſem*, vulgò *Meath*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, tranſlatus, cum ibi ſediſſet Annos Quinque, deceſſit è Vita in Vigilia *S. Michaelis Archangeli* Anno 1385 (*i*). *Vir fuit prudens, & eruditus, Socratis tamen Exemplo, nulla publicare voluit Scripta, cùm multa expectarentur*, inquit *Waræus*, Loco proximè citato, qui inſuper Loco priùs citato refert, ipſius Anteceſſorem immediatum, *Stephanum de Valle*, obijſſe *Oxoniæ* inteſtatum 10 Novembris 1379, & apud Fratres Prædicatores illius Urbis humatum. De laudato autem *Gulielmo Andrea* nonnihil alibi dictum eſt (*k*).

XXIII. F. **THOMAS RUSHOCK**, Anglus, *Angliæque* Provincialis (l), *Richardo* II Regi à Confeſſionibus, Epiſcopus *Landavenſis*, vulgò *Landaff*, in *Cambria*, ſivè *Wallia*, ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, Die 3 Maij 1383 conſecratus, *Urbano* VI Summo Pontifice, *Ciceſtriam*, vulgò *Chicheſter*, in *Anglia*, ſub eodem Metropolita, tranſlatus eſt Menſe Octobri 1385. Poſt Triennium deindè, turbatis *Angliæ* Rebus ſub memorato infelici Rege, tandem exauctorato, ab Aula pulſus eſt per Regni Barones, &, Bonis ejus confiſcatis, in *Hiberniam* relegatus. Anno autem ſequenti, hoc eſt 1389, à laudato Romano Pontifice ad Diæceſim *Triburnenſem* (*m*), nunc dictam *Kilmorenſem*, vulgò *Kilmore*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, tranſlatus eſt, ſed poſteà haud diù vixit (*n*).

(*f*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 98, *Harriſius*, Vol. i. Pag. 172.

(*g*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 236; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 521.

(*h*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 87; Echardus, Tom. i Pag. 25, Col. ii; *Harriſius*, Vol. i. Pag. 252; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag. 294.

(*i*) *Weræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 36, & 276; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxv. Col. i; *Harriſius*, Vol I. Pag. 146, & 957; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 294, & 304.

(*k*) Cap. iii. Num. vii. Pag. 52. Notandum porrò, haud paucos Scriptores, præſertim *Gallos*, non *Gulielmum* More *Martyrologij Romani* ſcribere, ſed *Guillelmum*, gallicè *Guillaume*, anglicè *William*.

(l) Recolendum Cap. iii. Num. vii. Pag. 52.

(*m*) Diæceſis iſta olim vocabatur *Breſinienſis* à *Breſiniæ* (confer Cap. ix. §. xxv. Num. iii. Lit. k. Pag. 286.) Territorio, quandoque etiam *Triburnenſis* à *Triburnæ* Oppido, ubi Epiſcopi reſidebant. Anno autem 1454 Eccleſia Parochialis *Kilmorenſis* erecta eſt in Cathedralem à *Nicolao* V Summo Pontifice, exindèque *Kilmorenſis* Diæceſis nnncupatur.

(*n*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 79. & ſeq; *Reymer*, *Fædera*, *Conventiones*, &c, Tom. vii. Pag. 590; *Heylin*, in *Auxilio ad Hiſtoriam*, Pag. 112; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 228.

XXIV. F. HENRICUS NONY, Capellanus Pontificius, Epiſcopus *Ardachadenſis*, vulgò *Ardagh*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1392 (*o*), *Bonifacio* IX Summo Pontifice. Quandoquidem porrò *Waræus*, aut novus ipſius Editor *Harriſius*, Epiſcopi hujus inter *Ardachadenſes* non meminerint, idcircò non abs Re, ſed planè neceſſarium erit in Medium afferre ipſaſmet Literas *Bonifacianas*, Die 29 Aprilis 1392 datas, ut ſunt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*p*).

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Henrico
“ Nonii Electo Ardakaden, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Divinâ diſponente Clementiâ, cujus inſcrutabili Providentiâ Ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Sedis Specula, licèt immeriti, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias Aciem noſtræ Conſiderationis extendimus, & pro earum Statu ſalubriter dirigendo Apoſtolici Favoris Auxilium adhibemus; ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas proprijs carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxtà Cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui ſciant commiſſos ſibi Populos per ſuam Circumſpectionem providam, & Providentiam circumſpectam, ſalubriter dirigere, & informare, ac Bona Eccleſiarum ipſarum nedùm gubernent utiliter, ſed multimodis efferant Incrementis. Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Carolo (*q*) Epiſcopo Ardakaden. Regimini Eccleſiæ Ardakaden. præſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſiæ, cùm vacaret, per Apoſtolicæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Diſpoſitioni, & Ordinationi noſtræ eâ Vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodùm verò dicta Eccleſia per Obitum ipſius Caroli Epiſcopi, qui extrà Romanam Curiam Diem clauſit extremum, Paſtoris Solatio deſtituta, Nos, Vacatione hujuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac Vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ Vacationis exponeretur Incommodis, paternis, & ſolicitis Studijs intendentes, poſt Deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Perſonam hujuſmodi cum Fratribus noſtris habuimus, diligentem; demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, Capellanum noſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis Zelo conſpicuum, Literarum Scientiâ præditum, Vitæ, ac Morum Honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & alijs multiplicium Virtutum Meritis, prout ex Fide dignorum Teſtimonijs percepimus, inſignitum, direximus Oculos noſtræ Mentis. Quibus omnibus attentâ Meditatione penſatis, de Perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, eidem Eccleſiæ, de dictornm Fratrum noſtrorum Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; Curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod, dirigente Domino Actus tuos, præfata Eccleſia per tuæ Induſtriæ, & Circumſpectionis Studium fructuoſum regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet Incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum Humeris promptâ Devotione ſuſcipiens, Curam, & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicitè, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque, præter æternæ Retributionis Præmium, noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & Gratiam exindè uberiùs conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum III Kal. Maij, Pontificatùs noſtri Anno Tertio.”

XXV. F. ROBERTUS READ, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus *Liſmorenſis*, & *Waterfordienſis*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, Anno 1394, *Bonifacio* IX Summo Pontifice, Anno ſequenti *Carleolum*, vulgò *Carliſle*, in *Anglia*, ſub Archiepiſcopo *Eboracenſi*, migravit, & ante Finem Anni 1396 ab eodem Summo Pontifice, petente *Richardo* II Rege, rejectâ *Gulielmi Strikland* Electione, *Ciceſtriam*, vulgò *Chicheſter*, in *Anglia* pariter, ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, tranſlatus eſt, ubi Crucem eximij Operis in Foro ſtatuendam curavit. Denatus eſt ad Pentecoſtem

---

(*o*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, in *Appendice* Pag. 620, ex MSs *Bzovianis*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 184, Num. cccxxxix; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. ii. Pag. 322, & 463.

(*p*) Tom. ii. Pag. 327, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. xxxii. Fol. 95.

(*q*) Cognomine *O-Ferrall*.

Pentecoſtem Anni 1417 (*r*). Lubet autem Diploma exſcribere *Bonifacianum*, Die 9 Septembris 1394 datum, quo *Robertus* noſter *Read* ad *Liſmorenſem*, & *Waterfordenſem* geminatam Diæceſim aſſumptus fuit, prout legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*s*).

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Roberto Electo Lyſmorenſi, & Waterfordenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Romani Pontificis, quem Paſtor ille cæleſtis, & Epiſcopus Animarum, Poteſtatis ſibi Plenitudine traditâ Eccleſijs prætulit Univerſis, plena Vigilijs Solicitudo requirit, ut ipſe circà quarunlibet Statum Eccleſiarum, vigilanter excogitet, ſicquè proſpiciat diligenter, quod per ejus Providentiam circumſpectam Eccleſijs ſingulis Paſtor accedat idoneus, & Rector providus deputetur, per quem Eccleſiæ ipſæ, ſuperni Favoris Auxilio ſuffragante, votivæ Proſperitatis Succeſſibus gratulentur. Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Thoma (*t*) Epiſcopo Lyſmorenſi, & Waterfordienſi, Lyſmorenſis, & Waterfordienſis Eccleſiarum invicem canonicè unitarum Regiminibus præſidente, Nos, cupientes eiſdem Eccleſijs, cùm ipſas vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem earundem Eccleſiarum Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ eâ Vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodùm verò dictis Eccleſijs per Obitum ejuſdem Thomæ Epiſcopi, qui extrà Romanam Curiam Diem clauſit extremum, vacantibus, Nos Vacatione hujuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem earundem Eccleſiarum celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac Vice ſe intromittere potuit, ſivè poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſiæ ipſæ longæ Vacationis exponerentur Incommodis, paternis, & ſolicitis Studijs intendentes, poſt Deliberationem, quam de præficiendo eiſdem Eccleſijs Perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & in Sacra Theologia Magiſtrum, cui de Religionis Zelo, Vitæ Munditiâ, Honeſtate Morum, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Circumſpectione, ac alijs multiplicium Virtutum Donis apud Nos Fide digna Teſtimonia perhibentur, direximus Oculos noſtræ Mentis. Quibus omnibus debitâ Meditatione penſatis, de Perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum Exigentiam Meritorum, acceptâ, eiſdem Eccleſijs, de eorundem Fratrum noſtrorum Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providemus, teque illis præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; Curam, & Adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod præfatæ Eccleſiæ ſub tuo felici Regimine, Gratiâ tibi aſſiſtente divinâ, proſperè dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipient Incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum Humeris, promptâ Devotione ſuſcipiens, Curam, & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicitè, fideliter, & prudenter, quod ipſæ Eccleſiæ Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas, tuque præter æternæ Retributionis Præmium, noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & Gratiam exindè uberiùs conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum V Idûs Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.”

XXVI. F. JOANNES DEPINGUS, ſivè *de Ping*, nonnullis *de Puig*, ad *Waterfordienſem*, & *Liſmorenſem* unitos Epiſcopatus, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, aſſumptus Die 11 Julij 1397, *Bonifacio* IX Summo Pontifice, Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt Die 4 Februarij 1400 (*u*). En ipſaſmet Literas Pontificias prælibato Die datas ut jacent in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*w*).

(*r*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. cccxxxix. Pag. 206; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, laudans *Godwinum*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 698. Num. xiii; *Echardus*, Tom. i. Pag. 26. Col. ii; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 534; *Bullarium Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 345, 465, & 467.

(*s*) Tom. ii. Pag. 345, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xlv. Fol. 29.

(*t*) Cognominato *le Reve*.

(*u*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i, Cap. v. Tit. DCXVIII. Pag. 317, ex MSs *Bzovianis*; *Waræus*, *de Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 197; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 186. Num. cccxlv; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 135; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 466.

(*w*) Tom. ii. Pag. 364, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxxi. Fol. 252.

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Seruorum Dei, dilecto Filio Johanni de Puig, Electo Waterfordenſi, & Liſmorenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolatûs Officium, quamquam inſufficientibus Meritis, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium Regimini præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti Corde reddimur, & ſolertes, ut, cùm de ipſarum Regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi Gregem dominicum ſciant non ſolùm Doctrinâ Verbi, ſed Exemplo boni Operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in Statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, Duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Thomâ (*x*) Epiſcopo Waterforden. & Liſmoren. Regimini Waterforden. & Liſmoren. Eccleſiarum invicem canonicè unitarum præſidente, Nos, cupientes eiſdem Eccleſijs, cùm ipſas vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, &c *(ut in Bulla antecedenti)* demum ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum &c (*ut in Bulla antecedenti*). Datum Romæ apud Sanctum Petrum V Jdûs Julij, Pontificatûs noſtri Anno Octavo.”

XXVII. F. NICOLAUS ILEYAN, poſt *Gregorium Ileyan*, in Cænobio noſtro *Roſcomanienſi* (*y*) humatum, ſucceſſit Epiſcopus *Duacenſis*, vulgò *Kil-Mac-Duagh*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1395, *Bonifacio* IX Summo Pontifice, & ex hac Vita migravit Anno 1399, in *Athenrienſi* (z) noſtro Cænobio tumulatus (*a*).

XXVIII. F. ADAM LYONS (*b*), vel *Leyns*, vel *Lyns*, ad *Ardachadenſem* (vulgò *Ardagh*) Sedem in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 400 aſſumptus à *Bonifacio* IX Pontifice Maximo. Diem clauſit extremum Menſe Junio 1416 (*c*). En porrò Literas *Bonifacianas*, ut eas legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*d*), Die 15 Februarij prælibati Anni 1400 datas.

“ Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Adæ Leyns, Electo Ardakaden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Inter Solicitudines varias, quibus aſſiduè premimur, illa potiſſimùm pulſat, & excitat Mentem noſtram, ut Status Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, Curæ noſtræ divinâ Providentiâ commiſſorum, ſpiritualiter, & temporaliter augeatur, quodque illis, quæ ſuis deſtituta Paſtoribus Vacationis Incommoda deplorare noſcuntur, tales Miniſtros præficere ſtudeamus, per quorum Regimen Eccleſiæ, & Monaſteria ipſa utiliter, & ſalubriter valeant gubernari. Dudùm ſiquidem quondam Gilberto (*e*) Epiſcopo Ardakaden. Regimini Ardakaden. Eccleſiæ præſidente, Nos, cupientes &c (*quæ hic deſunt invenies* Pag. 466.) Poſtmodùm verò præfatâ Eccleſiâ per ipſius Gilberti Epiſcopi Obitum, qui extrà Romanam Curiam Diem clauſit extremum, Paſtoris Regimine deſtitutâ, Nos. . . . demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum. . . . Datum Romæ apud Sanctum Petrum xv Kal. Martij, Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.”

XXIX. F. RICHARDUS ROCOMB, nonnullis *Bokum*, Epiſcopus *Leghlinenſis*, vulgò *Leigblin*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, Die 1 Decembris 1400, *Bonifacio* IX Summo Pontifice, ut refert *Bullarium Ordinis Prædicatorum* cum *Bzovio*, *Fontana*, & *Cavalerio*, mox laudandis, etſi Anno 1399 conſecratum dicant *Waræus*, & *Harriſius*, mox quoque laudan-di-

---

(*x*) Cui Cognomen *Sparkford*.

(*y*) Videſis Cap. ix. §. xvi. Pag. 257.

(*z*) Legeſis Cap. ix. §. viii. Num. iii. Pag. 223.

(*a*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 282; *Harriſius*, Vol I. Pag. 648.

(*b*) Confer Cap. ix. §. xxvii. Num. i.

(*c*) *Annales Hiberniæ* apud *Camdenum* poſt Pag. 1526; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, in *Appendice*, Pag. 620, ex MSs *Bzovianis*; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 87; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 187. Num. cccl; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxiv; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 253; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 468.

(*d*) Tom. ii. Pag. 392, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxxxviii. Fol. 35.

(*e*) Cui Cognomen *Mac-Brady*.

di, qui hæc obiter ſubjungunt: *Illo ſedente, in Urbe Leghlinenſi octoginta ſex cenſebantur Burgenſes. Poſteà verò per Clades bellicas Leghlina ità devaſtata eſt, & direpta, ut hodie tenuis eſt Villa, in qua præter Eccleſiam Cathedralem, & Ædes Epiſcopales, nihil ferme Viſu eſt dignum.* Idem & ipſe dicere potero, qui eò Loci nuper verſabar. Porrò *Richardum* noſtrum *Rocomb* Epiſcopali Oneri Nuncium remiſiſſe Anno 1420 ex prælibatis Auctoribus, *Waræo* nimirùm, & *Harriſio*, haud obſcurè colligitur *(f)*.

XXX. F. JOANNES BABYNGHE, S. Theologiæ Magiſter, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, vulgò *Tuam*, in *Conacia*, ab *Alexandro* Papa V, Die 2 Septembris 1409 deſignatus, ſed cùm antè expeditas Literas Apoſtolicas Summus iſte Pontifex humanis fuerit Rebus exemptus, idcircò *Joannes* noſter reapsè evectus, ſeù renunciatus non erat ad memoratam Metropolitanam Sedem uſque ad 25 Maij 1410, *Joanne XXIII* Summo Pontifice, ut ex ſequenti liquet Diplomate, quod legere eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*g*), Tenoris ſequentis:

“ Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Johanni Babynghe,
“ Electo Tuamen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Decens reputamus, & congruum, ut Proviſiones Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, quæ ex
“ Romani Pontificis Providentia proceſſerunt, licèt ejus ſuperveniente Obitu Literæ Apoſtolicæ ſuper illis
“ confectæ non fuerint, ſuum conſequantur Effectum. Dudùm ſiquidem per felicis Recordationis
“ Alexandrum PP V, Prædeceſſorem noſtrum, in ſui Apoſtolatûs Primordijs Fide dignis Relationibus intellecto
“ quod Eccleſia Tuamen, cui bonæ Memoriæ Mauritius (*h*) Archiepiſcopus Tuamen. dùm viveret
“ præſidebat, per ipſius Mauritij Archiepiſcopi Obitum, qui, Apoſtolicâ Sede vacante, in Partibus
“ illis Debitum Naturæ perſolvit, Paſtoris fuerat Regimine deſtituta, idem Prædeceſſor, cupiens dictæ
“ Eccleſiæ, per dictæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem ejuſdem
“ Eccleſiæ Ordinationi, & Diſpoſitioni ſuæ duxit eâ Vice ſpecialiter reſervandam, decernens ex
“ tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quocunque, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter
“ contingeret attentari, & ad Proviſionem ejuſdem Eccleſia celerem, & felicem, de qua nullus præter
“ ipſum Prædeceſſorem ea Vice ſe intromittere potuerat, ſivè poterat, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus
“ ſupradictis, ne longioris Vacationis exponeretur Incommodis, paternis, & ſolicitis Studijs intendens,
“ poſt Deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Perſonam utilem, & etiam fructuoſam
“ cum Fratribus ſuis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, de quorum Numero tunc eramus,
“ habuit diligentem, demùm ad te Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacra Theologia
“ Magiſtrum, cui de Religionis Zelo, Vitæ Munditiâ, Honeſtate Morum, ſpiritualium Providentia, &
“ temporalium Circumſpectione, alijſque multiplicium Virtutum Donis, apud eum Fide digna Teſtimonia
“ perhibebantur, direxit Oculos ſuæ Mentis. Quibus omnibus debitâ Meditatione penſatis, de Perſona
“ tuâ, ſibi, & Fratribus ſuis prædictis, ob dictorum tuorum Exigentiam Meritorum, acceptâ, eidem
“ Eccleſiæ de dictorum Fratrum ſuorum Conſilio, videlicèt iv Non. Septembris Pontificatûs ſui Anno
“ primo, Auctoritate Apoſtolicâ duxit providendum, præficiendo te illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem,
“ Curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo.
“ Cùm autsm poſtmodùm idem Prædeceſſor, Literis Apoſtolicis ſuper Proviſione hujuſmodi non
“ confectis, ſicut Domino placuit, Rebus fuerit humanis exemptus, Nos, divinâ favente Clementiâ, ad
“ Apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, volentes quod Proviſio prædicta ſortiatur Effectum, ac in eo,
“ qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod, dirigente Domino Actus tuos, præfata Eccleſia
“ per tuæ Induſtriæ, & Circumſpectionis Studium fructuoſum regetur utiliter, ac proſperè dirigetur,
“ ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet Incrementa, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica
“ Scripta mandamus, quatenùs impoſitum tibi à Domino Onus Regiminis dictæ Eccleſiæ ſuſcipiens reverenter,
“ ſic te in ejus Cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſa
“ Eccleſia

(f) De Præſule hoc legendi *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v, Tit. cccxxiv. Pag. 213. ex Mſs *Bzovianis*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 190. Num. ccclxv; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 155; *Bernardus de Jongbe*, Pag. 422; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 459; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 468.

(*g*) Tom. ii. Pag. 504, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. viii. Fol. 248.

(*h*) Cognomine *O-Kelly*.

“ Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque, præter æter-
“ næ Retributionis Præmium, noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & Gratiam exindè uberiùs conſequi
“ merearis. Datum Bononiæ (*i*) viii Kal. Junij, Pontificatus noſtri Anno Primo.”.

ARCHIPRÆSULEM hunc prætermittit omninò *Waræus*, ipſius autem meminit novus *Waræi* Editor *Harriſius* (*k*), *Bernardum* noſtrum *de Jonghe* ſecutus, addens tamen, eundem brevi Tempore ſediſſe, quatenùs Minorita quidam, Nomine *Cornelius*, ad Archidiæceſim iſtam *Tuamenſem* promotus fuerit à laudato *Joanne XXIII* Die 18 Septembris 1411, & quidem juxta *Waræum* (*l*). Aſt utrumque Scriptorem hac in Re emendandum eſſe, Sole meridiano clariùs patet ex *Martini* V, ejuſdem *Joannis XXIII* Succeſſoris, Diplomate, Die 22 Julij 1418 dato, quo *Joanni* noſtro Archiepiſcopo *Tuamenſi* conceſſum fuit, ut Delectum haberet unius Fratris, qui Capellanus ipſius eſſet, indè enim luculentiſſimè conſtat, eum ad Annum uſque 1418 vixiſſe. En porrò Tenorem (*m*):

“ Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Joanni Ar-
“ chiepiſcopo Tuamen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Perſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus Meritis, paternâ Benevolen-
“ tiâ proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quæ tuis Commoditatibus fore conſpicimus opportuna.
“ Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac Parte Supplicationibus inclinati, tibi, qui Ordinis Fratrum Prædica-
“ torum Profeſſor, & Magiſter in Theologia exiſtis, &, ut aſſeris, cum aliquo Fratre dicti Ordinis prop-
“ ter priſtinam Converſationem tuam in eodem Ordine meliùs ſcis, & magis deſideras, quàm cum aliquo
“ Preſbytero Sæculari, converſari, & orare, ut unum dicti Ordinis Profeſſorem, quem ad id voluntarium
“ inveneris, in Capellanum tuum Domeſticum recipere, & tecum pro Celebratione divinorum, & ad di-
“ cendum Horas canonicas continuò retinere licitè valeas, ac illi, ut tecum, quoad vixeris, commorari,
“ & hujuſmodi divina celebrare, Horaſque canonicas dicere liberè poſſit; Sic tamen quod idem Profeſ-
“ ſor interim ad Domos, ſeù Loca dicti Ordinis per Superiores ſuos, qui erunt pro Tempore, invitus re-
“ vocari nequeat, Privilegijs per dictam Sedem eidem Ordini conceſſis, necnon Conſtitutionibus, & Or-
“ dinationibus Apoſtolicis, ac Statutis, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, Juramento, Confirmatione A-
“ poſtolicâ, vel quâcumque Firmitate aliâ roboratis, & alijs contrarijs quibuſcunque nequaquàm obſtan-
“ tibus, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium indulgemus, Nulli ergô omninò Hominum liceat
“ hanc Paginam noſtræ Conceſſionis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc at-
“ tentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no-
“ verit incurſurum. Datum Gebennis (*n*) xi Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.”

IGITUR Archiepiſcopus *Tuamenſis* non fuit *Cornelius* iſte Minorita Anno 1411, ut autumant *Waræus*, & *Harriſius*, neque ullatenùs ab Anno 1399 ad 1418. Quod ſi nec poſtmodùm eâ fulſerit Dignitate, cùm aliàs nullus alius in Antiſtitum *Tuamenſium* Catalogo apud prælibatos Scriptores adſcribatur uſque ad alterum *Joannem* noſtrum *Baterley*, brevi recenſendum (*o*), *Tuamenſem* Archipræſulem Anno 1427 renunciatum, hinc concludendem erit noſtrum *Joannem Babyngbe* ad Tempora uſque illa ſediſſe (*p*).

XXXI. F. LAURENTIUS PETRI JACOPINI, Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Die 6 Julij 1414, *Joanne XXIII* Summo Pontifice (*q*).

Hujus

(*i*) *Bononiæ* electus fuit Summus Pontifex *Johannes* XXIII, & quidem ipſomet Die 25 Maij, ſeù 8 Kalendas Junij, quo iſtas dedit Literas. Is porrò eſt, ut obiter dicam, qui abdicavit poſtmodùm in Concilio *Conſtantienſi*, Die 31 Maij 1415.

(*k*) Vol. I. Pag. 612.

(*l*) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 249.

(*m*) Ut in *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 549, ex *Archivo Ordinis*, ubi Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. iii. Fol. 197.

(*n*) Gallicè *les Cevennes*, in *Occitania*.

(*o*) Num. xxxiv.

(*p*) De Archipræſule iſto legendi *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, in *Appendice*, Pag. 619 ex Mſs *Bzovianis*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 204. Num. ccccxviii; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 241; *Bullar. Ord. Præd.* Locis jam laudatis, & Tom. ii. Pag. 528.

(*q*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, in *Appendice*, Hujus non meminit *Waræus*, nec mirum, nullum quippè recenſet *Achadenſem* Præſulem à *Gulielmo* noſtro *Andrea*, nuper memorato (*r*), quem ab *Achadenſi* ad *Midenſem* Eccleſiam Anno 1380 tranſlatum ipſemet affirmat (*s*), uſque ad *Thaddæum* quendam, de quo nihil ſcit, niſi quod obierit Anno 1448. Immò ingenuè dicit (*t*): *De Succeſſoribus Gulielmi Andreæ in Sede Achadenſi ante Thaddæum nihil comperi.* Et quoad ipſum *Thaddæum* planè emendandus eſt, ubi ait, eum uſque ad Annum 1448 vixiſſe: Ex protinùs enim afferendo (*u*) Diplomate Pontificio clarebit, prælibatum *Thaddæum* obijſſe Anno 1442, ſi non anteà. *Waræo* ſubſcribit *Harriſius* (*w*), qui nihilominùs meminit *Laurentij* noſtri *Petri Jacopini* ex *Bernardo de Jonghe*, etſi hunc mendosè laudet pro Anno 1445, in quo *Laurentium* aſſumptum dicit ad Præſulatum, cùm tamen *de Jonghe* rotundè affirmet, ipſum creatum fuiſſe Epiſcopum *Achadenſem* Anno 1414.

XXXII. F. CORNELIUS O-FERRALL, poſt *Adamum Lyons*, alterum Dominicanum nuper recenſitum (*x*), Epiſcopus *Ardachadenſis*, vulgò *Ardagh*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Die 3 Februarij 1418, *Martino* V Summo Pontifice, Charitate in Pauperes celebris. Obijt Auno 1424, ſepultus apud Fratres Prædicatores Cænobij *Longofordienſis* (*y*), à ſemetipſo probabiliter fundati, ut alibi oſtenſum eſt (*z*). " Poſt Mortem ejus (*Joannes*) Swaynus, Archi-" epiſcopus Armachanus (ut in Regeſto ejus reperi Fol. 67. a) *Principalia* defuncti Cornelij, viz; " *Equum*, *Annulum*, & *Scyphum*, ſibi vendicavit. Similia ſibi poſteà vendicavit, ut de Jure Ec-" cleſiæ ſuæ Armachanæ, poſt Mortem Suffraganei ſui Arthuri Mac-Camæil, Epiſcopi Clonfer-" tenſis, ut ex alio Regeſto Fol. 147 patet, ubi & in Parte Satisfactionis ſe Equum recepiſſe fa-" tetur. Quamdiù hæc Conſuetudo duravit, non reperi." Verba ſunt *Waræi*, & *Harriſij*, Locis mox laudatis.

F. SINLAUS (vel *Finlaus*) DE ALBANIA (*a*), Epiſcopus *Liſmorenſis*, in *Hibernia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, Die 31 Januarij 1420, *Martino* V Summo Pontifice, electus aſſeritur à *Cavalerio* (*b*), ea tamen in Re hallucinato. Enimverò *Liſmorenſi* huic Sedi, *Waterfordienſi* tunc Temporis (*c*) unitæ, Epiſcopus ab Anno 1409 ad 1425 præerat *Joannes Geeſe*, Carmelitani Ordinis Alumnus (*d*). Hinc *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*e*) *Finlaum* præficit Eccleſiæ quidem *Liſmorenſi*, at in *Scotia*, tunc immediatè ſub S. Sede Apoſtolica, deindè ſub Archiepiſcopo *Glaſcuenſi*. Undè in prælibato *Bullario* (*f*) extat Diploma, à *Martino* V laudato, Die 31 Januarij 1420 datum *Jacobo* Regi *Scotorum* hujus Nominis Primo, ut memoratum *Sinlaum*, electum Epiſcopum *Liſmorenſem*, habeat commendatum.

XXXIII. F. RICHARDUS BELMER, S. Theologiæ Baccalaureus, Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Die 12 Aprilis 1424, *Martino* V Summo Pontifice. Præſulis hujus non meminere *Waræus*, aut novus ipſius Editor *Harriſius*, ob Rationem nuper aſſignatam (*g*), immò neque *Fontana*, *Cavalerius*, *Echardus*. *de Jonghe*, aut alij:

---

dice, Pag. 619, ex Mſs *Bzovianis*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 207. Num. ccccxxxvi; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 422; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom, ii. Pag. 531, advertens *Echardum* iſtum non diſtinguere à *Laurentio Gracomini*, *Jacomini*, vel *Jacopini*, Epiſcopo *Achajæ* circà Annum 1421.

(*r*) Cap, præs. Num. xxii. Pag. 465.

(*s*) *De Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 276.

(*t*) Ibidem, Pag. 277.

(*u*) Num. xxxviii.

(*w*) Vol. I. Pag. 660.

(*x*) Num. xxviii. Pag. 468.

(*y*) De Præſule hoc legendi *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 87; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxv. Col. I; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 252; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 700.

(*z*) Cap. ix. §. xxxi. Num. ii. Pag. 300.

(*a*) Recolendum Cap. i. Num. iii. Lit. e. Pag. 5.

(*b*) Tom. i. Pag. 218. Num. xxi.

(*c*) *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis* Diæceſes unitæ fuere ab *Urbano* V, Pontifice Maximo, Anno 1363, ſicque unitæ manent uſque in hodiernum Diem.

(*d*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 197; *Pitſeus*, de *Scriptoribus*, Pag. 875; *Marcus-Antonius Allegre*, in *Paradiſo Carmelitani Decoris*, Pag. 328; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 535.

(*e*) Tom. ii. Pag. 703.

(*f*) Tom. ii. Pag. 577.

(*g*) Num. xxxi.

alij hucuſque in Capite hoc laudati, ſed ſolum *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*b*), ubi inſuper legere eſt (*i*) hac de Re Literas Apoſtolicas prælibati Romani Pontificis, quarum hic eſt Tenor:

" Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Richardo Belmer, Electo
" Akaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Apoſtolatûs Officium &c (*ut ſuprà Pag.* 468.) Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Donato Epiſcopo
" Akaden. Regimini Akaden. Eccleſiæ præſidente, Nos (*reliqua quæ hic deſunt invenies* pag. 466.)
" Poſtmodùm verò præfatâ Eccleſiâ per Obitum ejuſdem Donati, qui extrà Romanam Curiam Diem
" clauſit extremum, Paſtoris Solatio diſtitutâ, Nos . . . . demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicato-
" rum Profeſſorem, in Sacra Theologia Baccalaureum, & in Sacerdotio conſtitutum . . . . Datum
" Romæ apud Sanctum Petrum II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo."

XXXIV. F. JOANNES BATERLEIUS, vulgò *Baterley*, nonnullis *Barley*, Anglus, S. Theologiæ Magiſter, Vir Doctrinâ inſignis, nedùm publicè perfuncto per longam Annorum Seriem dicendi Munere, ſed & frequentibus ad Populum, atque ad Regni Proceres Concionibus magnam ſibi Famam peperit. Hìnc, poſt alterum Dominicanum, *Joannem* inquam *Babinghe*, nuper recenſitum (*k*), Archiepiſcopus *Tuamenſis*, vulgò *Tuam*, in *Conacia*, electus, & à *Martino* V, Pontifice Maximo, confirmatus Anno 1427, Eccleſiam ſuam ſapientiſſimè adminiſtravit. Diem clauſit extremum circà Annum 1437, in Templo Abbatiali *Tuamæ* Ordinis Præmonſtratenſis tumulatus, ejuſque Sepulchrum juxtà Altare Majus ad Cornu Evangelij Parieti affixum, ſuperimpoſitâ hujus Archipræſulis Pallio ornati Statuâ, etiamnum videre eſt. Qua tamen de Re *Waræus* (l) dicit: *Athenriæ in Cænobio ſui Ordinis ab Aquilonari Parte Summi Altaris (ubi Statuam Præſulis Pallio ornati, Monumento Parieti indito, inſculptam vidi) tumulatum* conjicio. Crediderim autem *Waræum* Archipræſulem iſtum confundere cum *Gulielmo Berminghamo*, altero *Tuamenſi* Archiepiſcopo, quem ijſdem fermè Verbis, alibi (*m*) à me adductis, ibidem humatum dicit.

Ejus cum Laude meminerunt *Philippus Wolffius*, in *Vireto Dominicano*, *Joannes Baleus*, *Pitſeus*, & alij, ipſum plura reliquiſſe Opera aſſerentes, ſed quæ Temporum Injuriâ, Rerumque Viciſſitudine, maximè verò Fidei Catholicæ in hiſce Regnis Everſione, perierunt (*n*). Inter Scriptores propterea ſuo Loco recenſendus (*o*).

XXXV. F. NICOLAUS O-DALY, veteribus *O-Dalath*, Vir *multiplicium Virtutum Meritis inſignitus*, ut loquitur *Eugenius* Papa IV in Diplomate, quo *Nicolaus* renunciatur Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Die 3 Septembris 1436 (*p*). Anteceſſit alter Dominicanus in eadem Sede, *Laurentius* nempè *Petri Jacopini*, de quo nuper dictum eſt (*q*), alterque Dominicanus, interjecto quodam *Thaddæo*, ſucceſſit, *Jacobus* ſcilicèt *Blakedon*, cujus Brevi meminero (*r*).

XXXVI. F. THOMAS BRID, S. Theologiæ Profeſſor, Epiſcopus *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, deſignatus Anno 1438, *Eugenio* IV Summo Pontifice

---

(*b*) Tom. ii. Pag. 705.

(*i*) Tom. ii. Pag. 644 ex *Archivo Ordinis*, in quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. lxxxix. Fol. 71.

(*k*) Num. xxx. Pag. 469.

(l) De *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. ii. Cap. iv. Pag. 130.

(*m*) Cap. ix. §. viii. Num. ii. Pag. 222.

(*n*) Præter recenſitos memorandi *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap iv. Tit. cviii. Pag. 108, ex Mſs *Ughellianis*; *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 249; *Cavalerius*, Tom. i. pag. 225, Num. xlii; *Echardus*, Tom. i. Pag. 779; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 421; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 612; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. ii. Pag. 700.

(*o*) Cap xv. Num. xiii.

(*p*) *Fontana*, in *Monumentis Dominicanis* Part. iii. Cap. i. ad Annum MCCCCXXXVI. Pag. 330, ex *Eugenij* IV Conſtitutione, datâ tertio Nonas Septembris, Pontificatus ſui Anno Sexto; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 232. Num. lviii; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iii. Pag. 220.

(*q*) Num. xxxi. Pag. 470.

(*r*) Num. xxxviii.

Pontifice, ut teſtantur *Waræus*, & *Harriſius*, qui (*s*) de *Richardo* Epiſcopo *Waterfordienſi*, & *Liſmorenſi*, Anno 1426 renunciato, loquentes, ajunt : *De Morte hujus Richardi Fama increbuerat, ſed falſa, Anno* 1438. *Hinc autem Henricus VI, Angliæ Rex, Literas perſcripſit commendatitias ad Eugenium IV Pontificem in Gratiam Thomæ Brid, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Profeſſoris, ut ſuccederet. Sed Vita Richardi hunc Conatum reddidit inefficacem.* Vixit autem Epiſcopus iſte *Richardus* uſque ad Diem 7 Maij 1446.

XXXVII. F. THOMAS O-KELLY, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, vulgò *Tuam*, in *Conacia*, ab *Eugenio* IV, Pontifice Maximo, proviſus Anno 1438, ut teſtantur *Waræus*, & *Harriſius*, mox laudandi, qui etiam volunt, ipſum Epiſcopum anteà fuiſſe *Clonfertenſem*, in eadem Provincia *Tuamenſi*, & quidem ab Anno 1415. Et ſanè tam Vero ſimillimum videtur quàm quod maximè, prælibatum *Thomam* 1438 evectum fuiſſe ad Metropolitanam Sedem *Tuamenſem*, in ea quippè ſucceſſit immediatè *Joanni* noſtro *Baterleio*, qui ut nuper vidimus, in Vivis eſſe deſijt circà Annum 1437. Hìnc *Harriſius* concludit, *Bernardum de Jonghe* aſſerentem, *Thomam* noſtrum Anno 1441 ad Archidiæceſim *Tuamenſem* fuiſſe aſſumptum, confundere Annum Aſſumptionis ad Archipræſulatum cum Anno Mortis ejus, obijt quippè ipſo Anno 1441. Vir fuit *tam Pietate quàm Liberalitate inſignis*, uti habent Annales Cænobij *Inſulæ Omnium Sanctorum*, aliàs *Inſulæ Sacræ*, Ordinis Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*, quæ eſt in Lacu *Rienſi* (*t*), vernaculè *Lough-Ree*, in *Longofordienſi* Agro *Lageniæ* (*u*).

XXXVIII. F. JACOBUS BLACKDEN, ſeù *Blakedon*, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus *Achadenſis* vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Die 15 Octobris 1442 proviſus ab *Eugenio* IV, Romano Pontifice, ut patet ex ſequenti Diplomate, quod in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt (*w*), quodque eò vel maximè hìc Loci exſcribo, quia laudati Præſulis *Jacobi*, *Fontana*, *Cavalerius*, alijve Noſtrates haud meminere.

“ Eugenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Jacobo Blackden, Electo
“ Akaden, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolatûs Officium &c *(ut ſupra* Pag. 468.*)* Dudùm ſiquìdem bonæ Memoriæ Thadæo Epiſcopo
“ Akaden. Regimini Akaden. Eccleſiæ præſidente, Nos, *(reliqua invenies* Pag. 466.*)* Poſtmodùm verò
“ præfatâ Eccleſiâ per Obitum ejuſdem Thadæi, qui extrà Romanam Curiam Diem clauſit extremum,
“ Paſtoris Solatio deſtitutâ, Nos . . . . demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in
“ Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum . . . . Datum Florentiæ Anno Incarnationis Do-
“ minicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quadrageſimo Secundo, Idibus Octobris, Pontificatûs noſtri Anno
“ Duodecimo.”

POSTMODUM autem, Anno ſcilicet 1452, Præſul noſter *Jacobus* ad *Bangorienſem* Sedem, vulgò *Bangor*, in *Cambria*, ſivè *Wallia*, ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, tranſlatus fuit, *Nicolao* V Summo Pontifice, Diemque clauſit extremum Menſe Septembri 1464 (*x*).

XXXIX. F. GALFRIDUS HEREFORD, Epiſcopus *Darenſis*, vulgò *Kildare*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, ab *Eugenio* IV, Pontifice Maximo, rogante *Henrico* VI Rege, proviſus,

---

(*s*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 98; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 536.

(*t*) Sunt & duæ aliæ ejuſdem Nominis Inſulæ, & uidem Mari circumfluæ, altera juxtà Agrum *Mayonſem* in *Conacia*, altera juxtà *Donegalenſem* grum *Ultoniæ* in *Lacu Rubro*, de quo plura aje- m Cap. i. Num. iii. Lit. b. Pag. 4.

(*u*) De Archipræſule iſto legendi *Waræus*, de æſulibus *Hiberniæ*, Pag. 249, & 256; *Fontana*, *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. iv. Tit. cviii. Pag. 108, ex Mſs *Ughellianis*; Cavalerius, Tom. i. Pag. 244. Num. xcviii; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 412; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 612, & 640; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iii. Pag. 210.

(*w*) Tom iii. Pag. 230, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xxi. Fol. 87.

(*x*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 277; *Petrus Heylin*, in *Auxilio ad Hiſtoriam*, Pag. 70; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 660, ultrà *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Loco mox laudato.

proviſus, Die Reſurrectionis Dominicæ Anni 1449 conſecratus fuit. Migravit è Vita Anno 1464, in Cathedrali ſua Eccleſia tumulatus (*y*).

XL. F. RICHARDUS VOLSI, Epiſcopus *Dunenſis*, & *Connorenſis*, vulgò *Down*, & *Connor*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, à *Nicolao* V Summo Pontifice proviſus Die 21 Julij 1451 (z). Hunc non norunt *Fontana*, *Cavalerius*, *Waræus*, alijque, quare Operæ Pretium erit ipſaſmet exſcribere Apoſtolicas Literas in extenſum, ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum* jacent (*a*).

> “ Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Ricardo Volſi, Electo Dunen. & Conneren. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.
>
> “ Divinâ diſponente Clementiâ, cujus inſcrutabili Providentiâ Ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Sedis Specula, licèt immeriti, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias Aciem noſtræ Conſiderationis extendimus, et pro earum Statu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas proprijs carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxtà Cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui ſciant commiſſos ſibi Populos per ſuam Circumſpectionem providam, & Providentiam circumſpectam, ſalubriter dirigere, & informare, ac Bona Eccleſiarum ipſarum nedùm gubernent utiliter, ſed multimodis efferant Incrementis. Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Thomâ Dunen. & Conneren. Eccleſiarum inſimul canonicè unitarum Epiſcopo, Regimini Dunen. & Conneren. Eccleſiarum præſidente, Nos, cupientes eiſdem Eccleſijs, cum vacarent, per Apoſtolicæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem ipſarum Eccleſiarum Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ duximus eâ Vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodùm Eccleſijs ipſis per Obitum ipſius Thomæ, qui extrà Romanam Curiam Diem clauſit extremum, Paſtoris Solatio deſtitutis, Nos, Vacatione hnjuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem earundem Eccleſiarum celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac Vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſiæ ipſæ longæ Vacationis exponantur Incommodis, paternis, & ſolicitis Curis intendentes, poſt Deliberationem, quam de præficiendo eiſdem Eccleſijs Perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Sancti Dominici Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis Zelo, Vitæ Munditiâ, Honeſtate Morum, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Circumſpectione, alijſque multiplicium Virtutum Donis, apud Nos Fide digna Teſtimonia perhibentur, direximus Oculos noſtræ Mentis. Quibus omnibus debitâ Meditatione penſatis, de Perſona tuâ, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum Exigentiam Meritorum, acceptâ, eiſdem Eccleſijs de ipſorum Fratrum Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providemus, teque illis præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, Curam, & Adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod, dirigente Domino Actus tuos, præfatæ Eccleſiæ per tuæ Induſtriæ, & Circumſpectionis Studium fructuoſum regentur utiliter, & proſperè dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & Temporalibus ſuſcipient Incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum Humeris promptâ Devotione ſuſcipiens, Curam, & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſolicitè, fideliter, & prudenter, quod ipſæ Eccleſiæ Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas, tuque, præter æternæ Retributionis Præmium, noſtram, & dictæ Sedis Benedictionem, & Gratiam exindè uberiùs conſequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Primo, Undecimo Kal. Julij, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.”

Brevissimo Tempore, ut ex mox dicendis clarebit, geminatam hanc rexit Eccleſiam *Richardus* iſte, aut Mortis, aut Reſignationis, autve ad aliam Diæceſim Tranſlationis Causâ, qu ut candidè fatear, me prorsûs latet.

XLI.

(*y*) *Waræus*, de *Præſulibus* Hiberniæ, Pag. 127; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 387, & 389. Nota porrò, Præſulem hunc vocari anglicè *Geofry*, ſeù *Geffry*, quod Nomen à nonnullis latinè redditur *Severinus*, ab alijs verò *Galfridus*, diverſum planè Nomen à *Godofrido*, anglicè *Godfrey*, pro quo ade Cap. xv. Num. ii.

(*z*) *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. Pag. 333.

(*a*) Tom. iii. Pag. 334, ex *Archivo Apoſtoli* Lib. lxxi. Fol. 34.

XLI. F. ROBERTUS DE RUPE FORTI, vulgò *Rochfort*, S. Theologiæ Profeſſor, Epiſcopus *Dunenſis*, & *Connorenſis* (*b*), vulgô *Down*, & *Connor*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, electus Anno 1451, & à *Joanne Meyo*, Archipræſule *Armacano*, per Literas *Nicolao* V, Pontifici Maximo, enixè commendatus (*c*). Crediderim ipſum ſediſſe uſque ad Annum 1456, quo *Thomas* quidam eidem ſuffectus fuit (*d*).

XLII. NICOLAUS O-FLANAGAN, Vir *in S. Theologia peritiſſimus*, ut loquitur *Caliſtus* Papa III in Diplomate jamjam exſcribendo, Epiſcopus *Elphinenſis*, vulgò *Elphin*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, 7 Junij 1458 â laudato Summo Pontifice proviſus, quem quia haud norunt *Fontana*, *Cavalerius*, *Waræus*, alijque, idcircò lubet in Medium afferre ipſammet Bullam Apoſtolicam, quam in *Bullario Ordinis Prædicatorum* legere eſt (*e*), hujus Tenoris:

“ Caliſtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Nicolao Oflanagen,
“ Electo Elphinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Romani Pontificis &c *(ut ſuprà Pag.* 467.*)* Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Johanne *(f)* Epiſcopo
“ Elphinen. Regimini Eccleſiæ Elphinen. præſidente, Nos *(reliqua, quæ hic deſunt, videbis Pag.* 466.*)*
“ demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdoto conſtitutum, ac in Sacra
“ Theologia pertitiſſimum, Religionis Zelo conſpicuum, Vitæ, ac Morum Honeſtate decorum. . . . .
“ Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quin-
“ quageſimo Octavo, Septimo Idûs Junij, Pontificatûs noſtri Anno Quarto.”

XLIII. F. SIMON, S. Theologiæ Baccalaureus, Epiſcopus *Connorenſis*, vulgò *Connor*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Die 12 Februarij 1459 à *Pio* II Romano Pontifice proviſus, ut Luce meridianâ clariùs patet ex ſequenti Diplomate, quod propter eà exſcribo quatenùs *Simonem* noſtrum noſtri non noverunt. Legere eſt porrò in *Bullario Ordinis Prædicatorum (g)*.

“ Pius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Simoni Electo Conne-
“ ren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolatûs Officium &c *(ut ſuprà*, Pag. 468.*)* Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Johanne Epiſco-
“ po Connoren. Regimini. Eccleſiæ Conneren. præſidente, Nos, *(reliqua hìc deſiderata invenies pag.*
“ 466) demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, & in The-
“ ologia Baccalaureum formatum, Religionis Zelo conſpicuum. . . . . Datum Peruſij Anno Incarnati-
“ onis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Quinquageſimo Octavo *(Stylo Bullarium, Æræ communis*
1459*)* Pridie Idûs Febrnarij, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

XLIV. F. DONATUS O-CONNOR *(b)*, Epiſcopus *Alladenſis*, vulgo *Kil-Alla*, in *Cona-*

(*b*) Sic accuratè ſcribitur etiam apud *Waræum*, qui de *Connorenſibus*, & *Dunenſibus* Præſulibus, antè, & poſt Diæcesûm iſtarum Unionem, datâ Operâ differit. Nec obſtat, quod in Literis Apoſtolicis Num. præced. ſcribatur *Conneren.*, id enim Amanuenſis Imperitiæ tribuendum eſt, aut quia vulgò pronunciatur *Conner*, etſi ſcribatur *Connor*. Innumera porrò ſunt ejuſmodi Mendorum Exempla. Cæterùm accuratum Modum ſcribendi Nomina Diæcesûm in *Hibernia*, tàm Latinè, quàm Vernaculè, habes Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*c*) Regeſtum Archiepiſcopi *Meij*, Part. i. Fol. 9; *Waræus* de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 58; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxvi. Col. ii; H*arriſius*, Vol. I. Pag. 203.

(*d*) Legeſis *Waræum*, & H*arriſium*, mox laudatos.

(*e*) Tom. iii. Pag. 374, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xl. Fol. 129.

(f) Ex his liquet, ultrà *Nicolaum* noſtrum, *Joannem* quendam Epiſcopum fuiſſe *Elphinenſem* inter *Cornelium*, quem Anno 1450 ibidem ſediſſe, & *Nicolaum*, quem Anno 1490 reſignaſſe, ajunt *Waræus*, & H*arriſius*, de memorato *Joanne*, aut *Nicolao* noſtro, ipſius Succeſſore, nihil prorſus ſcientes.

(*g*) Tom. iii. Pag. 435, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. xi. Fol. 50.

(*b*) *Oconcubayir* nonnullis, qui mendosè aſſerunt, ipſum Natione *Anglum* fuiſſe. Enimverò Gentem *O-Con-*

ſia, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1461, *Pio* II Summo Pontifice (*i*). Hunc haud novit *Waræus*, hæc ingenuè dicens (*k*) de *Thoma* Epiſcopo *Alladenſi*, Anno 1400 renunciato: *Quamdiù ſederit, aut quis ei proximus ſucceſſerit, adhuc neſcio.* Verumtamen *Harriſius*, hic laudatus, noſtrum memorat *Donatum* (l), ſexque alios *Alladenſes* Antiſtites poſt recenſiti *Thomæ* Præſulatum.

XLV. F. HUMBERTUS De ROTO, Waræo *de Rotomago* (*m*), Archiepiſcopus *Armacanus*, in *Ultonia*, Anno circiter 1464, *Pio* II Summo Pontifice (*n*).

XLVI. F. RICHARDUS WINCHELSÆUS, vulgò *Winchelſey* (*o*), Epiſcopus *Oſſorienſis*, vulgò *Oſſory*, nonnullis *Kilkenny* ob Epiſcopalem nunc ea in Civitate Sedem (*p*), in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, Anno circiter 1480, *Sixto* IV Summo Pontifice, Ordinis Minorum Alumno (*q*). Ut eximius ſuo Ævo Dialecticus, & Theologus laudatur à *Baleo*, *Simlero*, *Poſſevino*, &c. Licèt autem à *Waræo*, & *Harriſio* in Numero Præſulum memoratæ Eccleſiæ non recenſeatur, dubitari tamen nequit quin ad eam reverà promotus fuerit, ſiquidem ſub hoc Titulo à Magiſtro Ordinis *Salvo Caſſetta* Anno 1481 ad Ordinis Beneficia, & Gratias in Vita, & Morte acceptatus eſt, ut ex ejuſdem Magiſtri Ordinis Actis, *Romæ* ſervatis, advertit *Echardus*, hic laudatus,

---

O-Connoram verè *Hibernicam* eſſe olimque regiam, conſtat ex ſuperiùs dictis Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258. Porrò cognominatur paſsìm *O-Connor*, licèt hibernizantes, ut ità loquar, ſcribant, pronuncientque *Oconcubhair*, ſivè etiam *Ocnoſur*, prout legere eſt in Literis Patentibus Rmi Magiſtri Ordinis *de Marinis*, quas exſcriptas habes Cap. vi. Num. xv. Pag. 121, & videre poteris in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 227.

(*i*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. xiv. Pag. 117, ex Lib. *Proviſion. Prælatorum*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 263, Num. CLXXX; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 414; *Harriſius*, Vol. I. Pag, 651; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iii. Pag. 437.

(*k*) De *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 273.

(*l*) Quem rectè cognominat *Oconcubhair*, ſivè *O-Connor*. Cæterùm luſtrale Nomen hibernicum *Donogh*, anglicum verò *Donat*, latinè redditur *Donatus*, non verò *Daniel*, aut *Dionyſius*, ut à quibuſdam mendosè vocatur. Porrô de nationali ſuo Sancto *Donato* Feſtum celebrant *Hiberni* Die 22 Octobris, ut liquet ex Cap. i. Num. xv. Pag. 23.

(*m*) Capitalis *Normanniæ* Urbs eſt *Rotomagus*, gallicè *Rouen*, anglicè *Roan*, hinc *Roan* cognominat *Humbertum* noſtrum *Harriſius*, mox laudandus. Ex quo perſpicuè apparet, præfatum *Humbertum* vel Patriâ *Rotomagenſem*, vel oriundum ex una Familiarum illarum, quæ in *Angliam* ſub Rege *Gulielmo* I, Anno 1066, & in *Hiberniam* ſub Rege *Henrico* II, Anno 1172, advenere, quæque ab Oppidis, ſeù Civitatibus, undè primitùs exierant, Cognomina ſua derivant, ut *De Arcie*, *De Eureux*, per Syncopen *Darcy*, & *Deureux*, quemadmodùm & in *Hibernia* adſunt ultrà centum Familiæ Cognomina ſua à natalibus reſpectivè *Angliæ* Solis, dudùm relictis, deſumentes, ut uberiori Calamo indigitabam Cap. xi. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Pag. 252. Sunt etiam in *Anglia*, & *Hibernia* Cognomina ab ipſomet *Galliarum* Regno, aut Provincijs ejus derivata, ut *French*, quod *Gallicum*, & *Gaſcoigne*, quod *Vaſconicum* ſignificat. Adſunt inſuper Cognomina merè Gallica, ut *Nugent*, quod *Novam Gentem*, & *Petit*, quod *Parvum* indicat. Et ſanè viget in *Anglia* & *Hibernia* Familia, cui Nomen *Roan*, undè *Waræus*, & *Harriſius*, de *Præſulibus Limericenſibus*, in *Momonia*, differentes, inter alios nominant *Joannem Roan*, quem in *Cambria*, ſeù *Wallia*, natum perhibent. Hæc autem dico ad oſtendendum, evinci non poſſe *Humbertum* noſtrum Natione haud *Hibernum*, quia *Roto*, ſivè *de Rotomago* cognominatum, tametſi mihi perindè ſit, ſatis eſt enim in *Hibernia* Antiſtitem fuiſſe, Ordiniſque Prædicatorum Alumnum.

(*n*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap, iv. Tit, viii. Pag. 55, ex *Fernandez*, & *Plodio*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 288, Num. CLXXXIX; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iii. Pag. 435. Eundem memorant *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 23; & *Harriſius*, Vol. I. Pag. 87.

(*o*) *Winchelſea*, vernaculè *Winchelſey*, Municipium eſt Agri *Suſſexiæ* in Euro-Auſtrali *Anglia*. Hinc ſequitur, *Richardum* noſtrum vel Patriâ *Winchelſæum* fuiſſe, vel Natione *Hibernum*, ex ijs ortum *Hiberniæ* Familijs, quæ Cognomina ſua à natalibus, quæ dudùm reliquerant, *Angliæ* Solis derivant, juxtà ſuperiùs dicta Cap. ix. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Pag. 252.

(*p*) Adeas Cap. ix. §. iii. Num. i. Pag. 204.

(*q*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. CCCVXL. Pag. 252, ex Regeſtis *Sixti* IV; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 288. Num. cclii; *Echardus*, Tom. i. Pag. 860; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 422; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iii. Pag. 645.

tus. Ab eo Rei literariæ relictus eſt: *Liber Quæſtionum Opinabilium, ſeù Problematum*, de quo alibi opportunior Sermo erit (*r*).

XLVII. JOANNES PAYN, vel *Pain*, Hibernus, S. Theologiæ Profeſſor in *Oxonienſi* noſtro *Angliæ* Cænobio, tandemque Provinciæ *Angliæ* Prior Provincialis, ad Sedem *Midenſem*, vulgò *Meath*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, à *Sixto* Papa IV, Ordinis Minorum Alumno, evectus Die 17 Martij 1483 (*s*).

Quod ſi objiciat quiſpiam, prælibatum *Joannem* non fuiſſe *Hibernum* quia *Angliæ* Priorem Provincialem. Reſpondebo hoc minimè obeſſe, tùm quia ipſemet vidi Anno 1731 in Urbe Priorem Provincialem *Provinciæ Romanæ* P. Magiſtrum *Jacobum O-Ferrall*, Natione *Hibernum*, & Cænobij noſtri *Longofordienſis* primitùs Alumnum, ſuperiùs memoratum (*t*). Tùm vel maximè, quia laudatum *Joannem* Epiſcopum *Hibernum* fuiſſe diſertè teſtatur Rmus Magiſter Ordinis P. *Antoninus Bremond* in *Bullario* mox recenſito, & recenſendo, inſimul in Medium adducens Diploma *Sixtinum*, ubi refertur, ipſum fuiſſe *Angliæ* Provincialem. En porrò Tenorem (*u*):

" Sixtus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Johanni Payn, Electo Miden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Apoſtolatus Officium &c. (*ut ſuprà Pag.* 468.) Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Willielmo (*w*) " Epiſcopo Miden. Regimini Eccleſiæ Miden. præſidente, Nos, (*reliqua hic deſiderata invenire eſt Pag.* " 466.) demùm ad te, Theologiæ Profeſſorem, ac Fratrum Provinciæ Angliæ Ordinis Prædicatorum, " ſecundum Morem ipſius Ordinis, Priorem Provincialem, cui de Religionis Zelo, Vitæ Munditia, Ho- " neſtate Morum, ſpiritualium Providentia, ac temporalium Circumſpectione, alijſque multiplicibus " Virtutum Donis, apud Nos Fide digna Teſtimonia perhibentur . . . . Datum Romæ apud S. Petrum " Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Secundo (*Stylo Bullarum,* " *Æræ Communis* 1483.) Decimo ſexto Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Duodecimo."

Die 4 Auguſti, Divo Patriarchæ *Dominico* ſacrâ, prælibati Anni 1483 fuit *inthronizatus*, (inquit *Waræus* juxtà conſuetum loquendi Morem apud *Anglos*) ſivè inauguratus, aut in Eccleſiæ ſuæ Poſſeſſionem immiſſus. " Sedit Annos pluſquam viginti tres, factus interim, Die ſcilicet 3 " Octobris 1496, Rotulorum Cancellariæ Cuſtos (*x*), Vir fuit ob Eleemoſynas, & Menſam " hoſpitalem celebratus. Evivis exceſſit Die 6 Maij 1506, & ſepultus eſt *Dublinij* in Cænobio " ſui Ordinis (*y*), Teſte *Georgio Cogley*, Notario Publico, & Regiſtrario Diæceſis *Midenſis* circà " illa Tempora." Verba ſunt *Waræi*, & *Harriſij*, hic laudandorum (*z*).

XLVIII. F.

(*r*) Cap. xv. Num. xv. Adeas Num. lxv, & lxxxiii. Cap. præs.

(*s*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 37; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxvi. Col. i; H*arriſius*, Vol. i. Pag. 151; B*ullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iii. Pag. 648. De eo nonnihil dicebam Cap. iii. Num. xviii. Pag. 86.

(*t*) Cap. ix. §. xxxi. Num. viii. Pag. 303.

(*u*) Ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* Tom. iii. Pag. 648, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cxcvi. Fol. 213.

(*w*) Cognomine *Shirwood*, qui ulteriùs fuit Magnus Regnis Cancellarius, necnon Deputatus, ut vocant, Prorex H*iberniæ* Anno 1475. Confer Cap. præs. Num. xxii. Lit. k. Pag. 465.

(*x*) Regia Diplomata, Literæ Patentes, aliaque Regni Commentaria, nuncupantur *Rotuli*, quia Rotulæ inſtar ſubvolvuntur. Porrò Cuſtos, ſeu Magiſter, ut vocant, Rotulorum (anglicè *Maſter of the Rolls*, gallicè *Garde de Regiſtres)* juxtà *Magnæ Britanniæ*, & H*iberniæ* Leges, unus eſt è primoribus Curiæ, & à Sanctioribus Conſilijs, atque propriè loquendo, in aliarum Regionum Senſu, ac Stylo, Vice Cancellarius Regni cenſetur, in Abſentia quippè Cancellarij ejus Munere in Suprema Cancellariæ Curia, pro Tribunali Sedens, fungitur, præſertim *Londini*. Quemadmodùm autem priſcis Temporibus Præſules Eccleſiæ erant ſæpenumerò Cancellarij, ut videre erat Anno 1480 in *Gulielmo Shirwood*, hujus noſtri *Joannis* in *Midenſi* Diæceſi Anteceſſore, mox ad Lit. w. nominato, &, ut alios prætermittam, in *Gualtero Fitz-Simons*, Archiepiſcopo *Dubiinienſi*, Anno 1496, ità etiam & Magiſtri Rotulorum, ſivè Vice Cancellarij.

(*y*) Videſis Cap. ix. §. i. Num. xiii; & Cap. iv. Num. xxiii. Pag. 86, & 195.

(*z*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 37; *Antonius Wood*, in *Athen. Oxon.* Vol. I. Pag. 648; *Thomas Reymer*, *Fædera*, *Conventiones*, &c, Tom. xii. Pag. 196; *Echardus*, Tom. i. Pag. xxvi. Col. i; H*arriſius*, Vol. I. Pag. 151, & ſeq; B*ullar. Ord. Prædic.* Tom. iii. Pag. 648.

XLVIII. F. PETRUS BURGUNDUS, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, vulgò *Tuam*, in *Conacia*, Anno 1486, *Innocentio* VIII Summo Pontifice (*a*).

XLIX. F. OLIVERIUS CANTWELL, Epiſcopus *Oſſorienſis*, vulgò *Oſſory*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, ab *Innocentio* Papa VIII proviſus Die 27 Martij 1487, non verò 1488, ut volunt *Fontana*, *Waræus*, *Cavalerius*, & *Harriſius*, mox laudandi, ut nihil dicam de *Bernardo de Jongbe*, qui de Anno, quo renunciatus eſt Epiſcopus *Oliverius* noſter, altè ſilet. Id autem contigiſſe Anno 1487, proindeque emendandos in hoc prælibatos Scriptores, liquet ex hoc Diplomate (*b*).

> “Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Oliverio Ordinis Fratrum Prædicatorum, Electo Oſſorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.
>
> “Cùm Nos pridem Eccleſiæ Oſſorien. Paſtoris Regimine deſtitutæ, de Perſona tua, Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, de eorundem Fratrum Conſilio, & Auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris indè confectis Literis pleniùs continetur, Nos ad ea, quæ ad tuæ Commoditatis Argumentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis Supplicationibus inclinati, tibi, ut à quocunque malueris Catholico Antiſtite, Gratiam, & Communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſcitis & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus Epiſcopis (*c*), ſimilem Gratiam, & Communionem habentibus, Munus Conſecrationis accipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut recepto prius per eum noſtro, & Romanæ Eccleſiæ Nomine à te Fidelitatis debitæ ſolito Juramento juxtà Formam præſentibus annotatam, Munus prædictum Auctoritate noſtrâ impendere tibi liberè poſſit, plenam, & liberam concedimus eorundem præſentium Tenore Facultatem. Volumus autem, & Auctoritate prædictâ ſtatuimus, ac decernimus, quod ſi, non recepto priùs à te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento, idem Epiſcopus Munus ipſum tibi impendere, & tu illud recipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes à pontificalis Exercitio Officij, & tàm ipſe quàm tu ab Adminiſtratione tàm ſpiritualium, quàm temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Propterea volumus, quod Forma hujuſmodi à te tunc præſtiti Juramenti Nobis de Verbo ad Verbum per tuas patentes Literas, tuo Sigillo ſignatas, per proprium Nuncium quantociùs deſtinare procures; quodque per hoc Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Dublinen. cui præfata Eccleſia Metropolitico Jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſterum Præjudicium generetur. Forma autem Juramenti, quod præſtabis, hæc eſt: Ego Oliverius Electus Oſſorien. ab hac Hora in anteà fidelis, & obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro, Domino Innocentio Papæ VIII, ſuiſque Succeſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in Conſilio, aut Conſenſu, vel Facto, ut Vitam perdant, aut Membrum, ſeu capiantur malâ Captione. Conſilium verò, quod mihi credituri ſunt, per ſe, aut Nuncios, aut Literas, ad eorum Damnum, me ſciente, Nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri Adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ſalvo meo Ordine, contrà omnem Hominem. Legatum Sedis Apoſtolicæ in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis Neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum, veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ Præpeditione. Poſſeſſiones verò ad Menſam meæ Eccleſiæ pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel alio Modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice (*d*). Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quadringenteſimo Octuageſimo Septimo, Sexto Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri Anno Tertio.”

De *Oliverio* noſtro *Waræus* hæc habet: *In Reparatione Ædium Epiſcopalium, tàm apud* Agher, *quàm apud* Freinſton, *multum inſumpſit Pecuniæ. Pontem Majorem Kilkenniæ, Aquarum Inundatione fractum, reſtauravit. Vicarijs porrò Choralibus appropriavit Eccleſiam* S. Mallæ. Se-

nect

(*a*) *Fontana*, in *Theatro Domin.* Part. i. Cap. iv. Tit. cviii. Pag. 108, ex *Fernandez*, & *Plodio*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 298. Num. cclxxxix; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 76.

(*b*) Ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. iv. Pag. 79.

(*c*) Hiſce Temporibus additur: *Vel ſi commodè adeſſe non poterunt, eorum Loco totidem Preſbyte ris in Eccleſſaſtica Dignitate conſtitutis*; ut lique bit Cap. præs. Num. lxxv, & lxxx.

(*d*) Forma Juramenti nunc uſitata continet no nulla alia, ut videre poteris Cap. præs. Num. lxx & lxxx.

nectâ gravis, Vitam hanc reliquit 9 *Januarij* 1526, *cùm ſediſſet Annos fermè triginta novem, & ſepultus, uti fertur, Kilkenniæ in Cœnobio ſui Ordinis* (*e*). *Cæterùm, Monumentum, ut accepi, illius Memoriæ erectum eſt in Eccleſia Cathedrali S. Canici. Dominicani Habitum, etiam poſt Præſulatum, quoad vixit, retinuiſſe fertur.* Hæc *Waræus*, quæ de Verbo ad Verbum exſcribit *Harriſius*, ſubjungens, inſuetum haud fuiſſe Temporibus illis, quod Epiſcopi Regulares Habitus ſuorum reſpectivè Ordinum deferrent, immò ex Regeſto *Swaini (f)* refert, Synodum Provincialem ſub *Joanne Swaino*, Archiepiſcopo *Armacano*, Anno 1427 celebratum, animadvertiſſe in *Joannem Cely*, Monachum Benedictinum, Epiſcopum *Dunenſem*, quod Habitum ſui Ordinis non geſtaret. Et quidem ad Mentem Angelici Doctoris (*g*) ajentis: *Si quæ ſunt in Regularibus Obſervantijs, quæ non impediant Pontificale Officium, ſed magis valeant ad Perfectionis Cuſtodiam, ſicut eſt Continentia, Paupertas, & alia hujuſmodi, ad hæc remanet Religioſus, etiam factus Epiſcopus, obligatus, & per conſequens AD PORTANDUM HABITUM SUÆ RELIGIONIS, qui eſt hujus Obligationis Signum* (*h*).

L. F. RICHARDUS MAC-BRIEN (*i*), Epiſcopus *Elphinenſis*, vulgò E*lfin*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1499, *Alexandro* VI Summo Pontifice (*k*).

LI. F. FRANCISCUS DE CORDUBA (*l*), *in Sacra Theologia peritiſſimus*, Teſte *Alexandro* VI, Pontifice Maximo, in Bulla protinùs recenſenda, Epiſcopus *Glandalacenſis*, vulgò *Glandaloch* (*m*), in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, ab eodem *Alexandro* proviſus Die 21 Auguſti 1500. Omittitur à *Fontana*, *Cavalerio*, alijſque Ordinis noſtri Scriptoribus (excepto Magiſtro *Bremond* in *Bullario* mox laudando) non ſecùs ac à *Waræo*, atque *Harriſio*, & hoc quia ipſimet referunt, Anno 1216 Diæceſim *Glandalacenſem* in unam coaluiſſe cum Archidiæceſi *Dublinienſi* Vigore Diplomatis *Honorij* Papæ III. Rectè tamen advertit idem *Harriſius* (*n*), adfuiſſe Epiſcopos *Glandalacenſes*, etiam longè poſt Unionem, ſeù Coalitionem illam. Hinc *Waddingus* (*o*) ait, prælibatum *Alexandrum* VI, mortuo *Joanne* quodam Epiſcopo *Glandalacenſi*, evexiſſe ad memoratam Sedem *Ivonem Ruſſi*, S. Theologiæ Doctorem, Ordinis Minorum Alumnum, Die 10 Novembris 1494, & poſt Obitum hujus Anno ſequenti 1495 alium ſuffeciſſe Minoritam, Nomine *Joannem*, aut fortaſſis *Junonem* illum, qui in mox afferendo Diplomate memoratur. Quarè crediderim huic *Joanni*, ſivè *Junoni*, ſuffectum fuiſſe noſtrum *Franciſcum de Corduba*, Natione *Hiſpanum*, ſicut & ipſemet *Alexander* Papa VI *Hiſpanus* erat. En porrò Diploma *Alexandrinum* ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum jacet* (*p*):

“ Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Franciſco de Corduba,
“ electo Glandelacen, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolatus Officium, &c (*ut ſupra Pag.* 468.) Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Junone Epiſcopo
“ Glandelacen. Regimini Eccleſiæ Glandelacen, præſidente, Nos, *(reliqua hic deſiderata legere eſt Pag.*
“ 466.) demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, in Sacra Theologia peritiſſimum,
“ Religionis

(*e*) De quo dicebam Cap. ix. §. iii. Pag. 204.

(*f*) Tom. i. Pag. 226.

(*g*) 2. 2. q. 185. art. 8. in corp.

(*h*) *Oliverium* noſtrum memorant *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 147; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. ccccxl. Pag. 252, ex Lib. *Provis. Prælat. Innocentij* VIII; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 341. Num xxxiii; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 422; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 79.

(*i*) Paſſim, & magis propriè dicitur *O-Brien*, de qua nobiliſſima Progenie Sermo fuit Cap. ix. §. v. Num. ii. Lit. n. Confer Cap. præs, Num. i. Lit. b, & Cap. ſeq. Num. iv. Lit. h.

(*k*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 259; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 633.

(*l*) *Corduba*, vernaculè *Cordoua*, Civitas eſt *Bæticæ*, ſeù *Vandalitiæ*, aliàs *Andaluſiæ*, in Regno *Hiſpaniarum*.

(*m*) Hibernicè *Glean-da-loch*, i. e. Clivus, ſeu Vallis duorum Stagnorum. Hinc à multis vocabatur Epiſcopatus *Biſtagnenſis*, & ab *Honorio* III, in Bulla Unionis cum *Dublinienſi* Archidiæceſi, *Epiſcopatus Inſularum*.

(*n*) Vol I. Pag. 378.

(*o*) *Annal. Minor.* Tom. vii. Pag. 346.

(*p*) Tom. iv. Pag. 207, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cclxii. Fol. 64.

“Religionis Zelo conſpicuum, Vitæ, ac Morum Honeſtate decorum. . . . Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo, Duodecimo Kal. Septembris, Pontificatûs noſtri Anno Octavo.”

LII. F. EUGENIUS O FLANAGAN, S. Theologiæ Baccalaureus, Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, à *Julio* II, Pontifice Maximo, renunciatus Die 22 Decembris 1508 (*q*). Hunc non norunt *Fontana*, *Cavalerius*, aut *de Jonghe*, neque *Waræus*, aut *Harriſius*, quorum tamen uterque ſtatuens *Cormacum* quendam Epiſcopum *Achadenſem* Anno 1523, & immediatè antè ipſum *Thomam Fort*, Canonicum Regularem *S. Auguſtini*, Papali Proviſione Epiſcopum item *Achadenſem*, Die 13 Octobris 1492 conſtitutum, ingenuè fatetur, ſibi non conſtare de Tempore Obitûs illius his Verbis: *De Tempore Mortis ejus nihil habeo certi* (*r*). Quapropter in Catalogo Epiſcoporum *Achadenſium* per ipſos *Waræum*, & *Harriſium* collecto, facilè interjici poteſt *Franciſcus* noſter inter memoratos *Thomam*, & *Cormacum*. Quod autem *Franciſcus* noſter *Thomæ* in Epiſcopatu *Achadenſi* immediatè ſucceſſerit, Luce meridianâ clariùs patet ex ſequenti Diplomate, quod in *Bullario Ordlnis Prædicatorum* reperire eſt (*ſ*), quodque in extenſum exhibeo.

“Julius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto Filio Eugenio Ophlannagan,
Electo Achaden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“Apoſtolatûs Officium, quamquàm inſufficientibus Meritis, Nobis ex Alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium Regimini præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti Corde reddimur, & ſolertes, ut, cum de ipſarum Regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi Gregem Dominicum ſciant non ſolum Doctrinâ Verbi, ſed Exemplo boni Operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in Statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, Duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudùm ſiquidem bonæ Memoriæ Thomâ Epiſcopo Achaden. Regimini Eccleſiæ Achaden præſidente, Nos, cupientes ipſi Eccleſiæ, cùm vacaret, per Apoſtolicæ Sedis Providentiam, utilem, & idoneam præſidere Perſonam, Proviſionem ejuſdem Eccleſiæ Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtris duximus eâ Vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his per quoſcunque, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodùm verô dictâ Eccleſiâ per Obitum dicti Thomæ Epiſcopi, qui extrà Curiam Romanam Debitum Naturæ perſolvit, Paſtoris Solatio deſtitutâ, Nos, Vacatione hujuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus hac Vice præter Nos diſponere potuit, ſivè poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ Vacationis exponatur Incommodis, paternis, & ſolicitis Studijs intendentes, poſt Deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus, diligentem, demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, ac in Theologia Baccalaureum, in Sacerdotio, & Ætate legitima conſtitutum, cui apud Nos de Religionis Zelo, Literarum Scientiâ, Vitæ Munditiâ, Honeſtate Morum, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Circumſpectione, ac alijs multiplicium Virtutum Donis, Fide digna Teſtimonia perhibentur, direximus Oculos noſtræ Mentis. Quibus omnibus debitâ Meditatione penſatis, de Perſona tuâ, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, eidem Eccleſiæ, de ipſorum Fratrum Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, Curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ tibi in ſpiritualibus

---

(*q*) *Bullarium Ordinis Prædicatorium*, Tom. iv. Pag 288.

(*r*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 178; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 660. Nullus porrò dubitò quin luſtrale ipſius Nomen fuerit *Eugenius*, emendandi tamen ſunt qui *Owen* aqud *Hibernos*, ſeu, ut *Galli* ſcribunt, *Ouen*, latinè vocant *Eugenium*. Quippè appellari debet *Audoenus*, poſt *S. Audoenum*, Archiepiſcopum *Rotomagenſem* in *Normannia*, ſub cujus Invocatione adeſt *Dublinij* Eccleſia Parochialis, ut liquet ex Cap. ix. §. i. Num. vi. Lit. i. Pag. 189. Memoratur porrò in *Martyrologio Romano* ad Diem 24. Auguſti.

(*ſ*) Tom. iv. Pag. 288, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cclxx. Fol. 277.

“ bus, & temporalibus plenariè committendo; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes,
“ quod præfata Eccleſia ſub tuo felici Regimine, Gratiâ tibi aſſiſtente divinâ, proſperè dirigetur, ac gra-
“ ta in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet Incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſi-
“ tum Humeris, promptâ Devotione ſuſcipiens, Curam, & Adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtu-
“ deas ſolicitè, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtra-
“ tori gaudeat ſe commiſſam, tuque, præter æternæ Retributionis Præmium, noſtram, & dictæ Sedis Be-
“ nedictionem, & Gratiam exindè uberiùs conſequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum Anno In-
“ carnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarij, Pontificatûs noſtri
“ Anno Sexto.”

EXTAT etiam in *Bullario Ordinis Prædicatorum,* Loco mox laudato (*t*), aliud Diploma *Juli-
anum,* eodem Die ac præcedens, præviè tamen datum, hujus Tenoris:

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Eugenio Ophlannagom,
“ Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, & in Thelogia
“ Baccalaureo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolicæ Sedis conſueta Clementia ad ea libenter intendit, per quæ Perſonæ Eccleſiaſticæ, per
“ eam ad Cathedralium Eccleſiarum Regimina aſſumendæ, poſſint illis, ſublatis Obſtaculis univerſis,
“ puro Corde, & ſincerâ Conſcientiâ præſidere. Cùm itàque Nos hodiè Eccleſiæ Achaden., tunc certo
“ Modo Paſtoris Solatio deſtitutæ, de Perſona tua, Nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum Exigentiam
“ Meritorum acceptæ, de Pratrum eorundem Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providere, teque illi in
“ Epiſcopum, & Paſtorem præficere intendamus, Nos, ne forſan aliquibus Sententijs, & Cenſuris Eccle-
“ ſiaſticis ligatus exiſtas, Proviſio, & Præfectio prædictæ poſſint propterea quomodolibet impugnari, pro-
“ videre volentes, te à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis
“ Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Causâ latis, ſi quibus
“ quomodolibet innodatus exiſtis, ad hoc duntaxàt, ut Proviſio, & Præfectio prædictæ, ac ſingulæ Literæ
“ Apoſtolicæ, deſuper conſiciendæ, ſuum conſequantur Effectum, harum Serie abſolvimus, & abſolutum
“ fore nunciamus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque in contra-
“ rium quibuſcunque Nulli ergò omninò Hominum liceàt hanc Paginam noſtræ Abſolutionis infringere,
“ vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipo-
“ tentis Dei, & BB Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Pe-
“ trum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarij, Pon-
“ tificatus noſtri Anno Sexto.”

EXTAT & tertium Diploma *Julianum* in *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*u*), duos poſt Dies,
in Pervigilio nempè Natalis Domini 1508, datum, Tenoris ſequentis:

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Eugenio, Ordinis Fratrum
“ Prædicatorum, & in Theologia Baccalaureo, Electo Achaden.,
“ Salutem, & Apoſtolioam Benedictionem.

“ Cùm Nos pridem Eccleſiæ Achaden., tunc certo Modo Paſtoris Regimine deſtitutæ, de Perſona tuâ,
Nobis, & Fratribus noſtris, ob tuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, de eorundem Fratrum Conſilio,
& Auctoritate Apoſtolicâ duxerimus providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout
in noſtris indè confectis Literis pleniùs continetur, Nos ad ea, quæ ad tuæ Commoditatis Argumentum
cedere valeant, favorabiliter intendentes, tuis Supplicationibus inclinati, tibi, ut à quocunque malueris
Catholico Antiſtite, Gratiam, & Communionem Apoſtolicæ Sedis habente, accitis, & in hoc ſibi aſ-
ſiſtentibus duobus, vel tribus Catholicis Epiſcopis (*w*), ſimilem Gratiam, & Communionem habentibus,
Munus Conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, recepto priùs per eum noſtro & Romanæ Ec-

---

(t) Scilicet Tom. iv. Pag. 288, ex *Archivo Apoſ-*
ico, Lib. cclxx. Fol. 278.

(u) Tom. iv. Pag. 288, ex *Archivo Apoſtolico,*
Lib. xii. Fol. 81.

(*w*) Confer Cap. præs. Num. xlix. Lit. c. Pag. 478.

“ cleſiæ Nomine a te Fidelitatis debitæ ſolito Juramento juxtà Formam præſentibus annotatam Munus
“ prædictum Auctoritate noſtrâ impendere liberè tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus earundem
“ præſentium Tenore Facultatem. Volumus autem, & Auctoritate prædicta ſtatuimus, & decernimus, quod
“ ſi non recepto à te per ipſum Epiſcopum dicto Juramento, idem Epiſcopus Munus ipſum tibi impendere,
“ & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, dictus Antiſtes à Pontificalis Officij Exercitio, & tàm ipſe,
“ quàm tu ab Adminiſtratione tàm ſpiritualium, quàm temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis
“ eo ipſo. Prætereà volumus, quod Formam Juramenti hujuſmodi, a te tunc præſtiti, Nobis de Verbo
“ ad Verbum per tuas Patentes Literas, tuo Sigillo ſignatas, per proprium Nuncium quantociùs deſtinare
“ procures, quodque per hoc Venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Tuamen. cui præfata Eccleſia Metropolitico
“ Jure ſubeſſe dignoſcirur, nullum in poſterum Præjudicium generetur. Forma autem Juramenti,
“ quod præſtabis, hæc eſt: Ego Eugenius Electus Achaden. ab hac Hora in anteà fidelis, & obediens
“ ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro, Domino Julio Papæ
“ II, ac ejus Succeſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in Conſilio, aut Conſenſu, vel Facto, ut Vitam
“ perdant, aut Membrum, ſeù capiantur malâ Captione. Conſilium verò, quod mihi credituri ſunt, per
“ ſe, aut Nuncios, aut Literas, ad eorum Damnum, me ſciente, Nemini pandam. Papatum
“ Romanum, & Regalia Sancti Petri Ajutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ſalvo meo Ordine,
“ contrà omnem Hominem. Legatum Sedis Apoſtolicæ in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in
“ ſuis Neceſſitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum, veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ Præpeditione.
“ Poſſeſſiones verò ad Menſam meæ Eccleſiæ pertinentes non vendam, neque donabo, neque
“ impignorabo, neque de novo infeudabo, uel alio Modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice (x). Sic
“ me Deus adjuvet, & hæc ſancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis
“ Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Nono Kal. Januarij, Pontificatus noſtri Anno Sexto.”

OPERÆ Pretium quoque erit in Medium afferre quartum Diploma *Julianum*, eadem Die ac duo priora, 22 ſcilicet Decembris 1508 datum, hujus Tenoris ut in *Bullario Ordinis Prædicatorum (y).*

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio Henrico (z),
“ Angliæ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Gratiæ divinæ Præmium, & humanæ Laudis Præconium acquiritur &c. Hodie ſiquidem Eccleſiæ
“ Achaden. tunc per Obitum bonæ Memoriæ Thomæ Epiſcopi Achaden., extrà Romanam Curiam defuncti,
“ Paſtoris Solatio deſtitutæ, de Perſona dilecti Filij Eugenij Ordinis Fratrum Prædicatorum, & in
“ Theologia Baccalaurei, electi Achaden. Nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum Exigentiam Meritorum
“ acceptâ, de Fratrum eorundem Conſilio, Apoſtolicâ Auctoritate providimus, ipſumque illi præfecimus
“ in Epiſcopum, & Paſtorem, Curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus & temporalibus
“ plenariè committendo, prout in noſtris indè confectis Literis pleniùs continetur. Cùm itàque,
“ Fili Chariſſime, ſit Virtutis Opus, Dei Miniſtros benigno Favore proſequi, ac eos Verbis, & Operibus
“ pro Regis æterni Gloria venerari, Serenitatem Veſtram Regiam rogamus, & hortamur attentè, quatenùs
“ eundem Eugenium electum, & præfatam Eccleſiam ſuæ Curæ commiſſam, habens pro noſtra, &
“ Apoſtolicæ Sedis Reverentia propenſiùs commendatos, in ampliandis, & conſervandis Juribus ſuis ſic
“ eos benigni Favoris Auxilio proſequaris, ut idem Egenius electus, Tuæ Celſitudinis fultus Præſidio, in
“ commiſſo ſibi Curæ Paſtoralis Officio poſſit, Deo propitio, proſperari, ac tibi exindè à Deo perennis
“ Vitæ Præmium, & à Nobis condigna proveniat Actio Gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno
“ Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Octavo, Undecimo Kal. Januarij, Pontificatûs
“ noſtri Anno Sexto.”

DUO alia Diplomata *Juliana*, quibus *Eugenius* noſter Capitulo, & Populo *Achadenſis* Eccleſiæ commendatur, memorat ſæpè laudatum noſtrum *Bullarium (a)*, ea tamen Brevitatis ergò prætermittens, rectèque ex his omnibus emendandum cenſens *Echardum* Tom. II. Pag. xxix, ubi *Eugenium* noſtrum præficit Eccleſiæ *Ardachadenſi*, ſub *Armacana* Metropoli.

(x) Confer Cap. præs. Num. xlix. Lit. d Pag. 478.

(y) Tom. iv. Pag. 288, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cclxx. Fol. 278.

(z) Hujus Nominis *Septimo*.

(a) Tom. iv. Pag. 289, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cclxx. Fol. 278, in *Archivo Ordinis* aſſervata.

LIII. P. DIONYSIUS MORI, ſeù *Morus*, Hibernis *O-More*, Anglis *Moore*, S. Theologiæ Baccalaureus, Epiſcopus *Clonfertenſis*, vulgò *Clonfert*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, à *Julio* II, Pontifice Maximo, proviſus Die 7 Novembris 1509 (*b*). Omittitur à *Fontana*, *Cavalerio*, *Echardo*, & *de Jonghe*. Et quamquàm memoretur à *Waræo*, & *Harriſio*, dicunt tamen ipſum fuiſſe Franciſcanum. Hinc tranſcribendum Diploma ſequens ex *Bullario Ordinis Prædicatorum* (*c*) :

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Dionyſio Mori, Electo Clon-
“ ferten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Apoſtolatûs Officium &c (*omnia hic deſiderata legere eſt Pag.* 468.) Dudùm ſiquidem
“ bonæ Memoriæ David (D) Epiſcopo Clonferten. Regimini Clonferten. Eccleſiæ præſidente, Nos . . . .
“ demùm ad te, ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM PROFESSOREM, Baccalaureum in
“ Theologia, in Sacerdotio conſtitutum, cui apud Nos de Religionis Zelo, Vitæ Munditiâ, Honeſtate
“ Morum, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Circumſpectione, aliiſque multiplicium Virtutum
“ Donis, Fide digna Teſtimonia perhibentur . . . . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnatio-
“ nis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Idûs Novembris, Pontificatûs noſtri Anno
“ Sexto.”

Adest in *Bullario* noſtro (*d*) aliud Diploma, eodem Die datum, prælibato indulgens *Dionyſio*, ut à quocunque Antiſtite Catholico, accitis duobus, vel tribus Catholicis pariter Epiſcopis, conſecrari valeat. En Tenorem, ex quo iterùm clarè eruitur, ipſum fuiſſe Ordinis Prædicatorum Alumnum.

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Dionyſio, ORDINIS
“ FRATRUM PRÆDICATORUM, Baccalaureo in Theologia, Electo
“ Clonferten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cùm Nos pridem Eccleſiæ Clonferten., &c (*quæ hic deſunt legere eſt Pag.* 481.) tibi, ut
“ à quocunque malueris Catholico Antiſtite, Gratiam, & Communionem Apoſtolicæ Sedis habente,
“ accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus, duobus vel tribus Catholicis Epiſcopis (*e*) . . . . Forma autem Ju-
“ ramenti, quod præſtabis, hæc eſt : Ego Dionyſius Electus Clonferten. ab hac Hora in anteà fidelis, &
“ obediens ero Beato Petro, Sanctæque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro, Domino Julio
“ Papæ II, ac ejus Succeſſoribus canonicè intrantibus (*f*) . . . . Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta
“ Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingente-
“ ſimo Nono, Septimo Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.”

In eodem *Bullario* noſtro (*g*) legere eſt & aliud Diploma, eundem *Dionyſium* Anglorum Regi *Henrico* VII commendans, ex quo iterùm iterùmque Sole meridiano clariùs conſtat, ipſum reverà fuiſſe de *Fratrum Prædicatorum* Familia. En porrò Tenorem :

“ Julius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto Filio Henrico Angliæ
“ Regi Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Gratiæ divinæ Præmium, & humanæ Laudis Præconium acquiritur &c. Hodiè ſiquidem Eccleſiæ
“ Clonferten., tunc per Obitum bonæ Memoriæ David olim Epiſcopi Clonferten. extrà Romanam Curi-
“ am Defuncti, Paſtoris Solatio deſtitutæ, de Perſona dilecti Filij Dionyſij, ORDINIS FRATRUM

(*b*) *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 290.

(*c*) Tom. iv. Pag. 290, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cclxxi. Fol. 72.

(D) Cui Cognomen *de Burgo*.

(*d*) Tom. iv. Pag. 271, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cciii. Fol. 122.

(*e*) Recolendum Cap. præs. Num. xlix. Lit. c. Pag. 478.

(*f*) Videſis Cap. præs. Num. xlix. Lit. d. Pag. 478.

(*g*) Tom. iv. Pag. 291, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. cciii. Fol. 123.

“ PRÆDICATORUM, in Theologia Baccalaurei, Electi Clonferten., Nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, de Fratrum eorundem Conſilio, Auctoritate Apoſtolicâ providimus, ipſumque illi præfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, Curam, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo. Cùm itàque, Fili cariſſime, ſit Virtutis Opus Dei Miniſtros benigno Favore proſequi, ac eos Verbis, & Operibus pro Regis æterni Gloria venerari, Majeſtatem tuam Regiam rogamus, & hortamur attentè, quatenùs eundem Dionyſium Electum, & Eccleſiam prædictam, ſuæ Curæ commiſſam, habens pro noſtra, & Apoſtolica Sedis Reverentia propenſiùs commendatos, ipſos benigni Favoris Præſidio proſequaris. Ita quod idem Dionyſius Electus Tuæ Celſitudinis fultus Præſidio, in commiſſo ſibi Curæ Paſtoralis Officio poſſit, Deo propitio, proſperari, ac tibi exindè à Deo perennis Vitæ Præmium, & à Nobis condigna proveniat Actio Gratiarum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Nono, Septimo Idûs Novembris, Pontificatûs noſtri Anno Sexto.”

ALIA Quinque Diplomata, quibus idem *Dionyſius* commendatur Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Capitulo, Populo, & Vaſſallis Eccleſiæ *Clonfertenſis*, & Cenſuris, uti Moris eſt, ſolvitur, prætermittit *Bullarium* noſtrum, ajens, ea aſſervari in *Archivo Ordinis* (*b*).

VIVUM porrò fuiſſe Die 14 Julij 1518, teſtantur *Waræus*, & *Harriſius* (*i*), neſcientes tamen quo Tempore obierit. Veriſimile autem eſt, eum Vitam protraxiſſe ad Annum uſque 1434, quo *Rolandus de Burgo* à *Clemente* VII., Pontifice Maximo, evectus fuit, ut prælibati referunt Scriptores, *Dionyſium* noſtrum inter, & *Rolandum* in Epiſcoporum *Clonfertenſium* Catalogo nullum interjicientes.

LIV. F. WILLELMUS (ſeù *Gulielmus*) **HOGESON**, S. Theologiæ Baccalaureus, Epiſcopus *Derienſis*, vulgò *Derry*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, à *Leone* Papa X renunciatus Die 8 Auguſti 1520 (*k*). Omittitur à *Fontana*, *Cavalerio*, *Echardo*, & *de Jonghe*; atque à *Waræo*, & *Harriſio*, qui tamen in ſuo Præſulum *Derienſium* Catalogo nullum habent à *Jacobo Mac-Mahon*, Anno 1517 defunctum, ad *Rodericum O-Donnell*, Anno 1529. Hinc *Gulielmum*, ſeù *Willelmum*, noſtrum interjiciendum fuiſſe Sole meridiano clarius patet ex ſequenti Diplomate, quod in *Bullario Ordinis Prædicatorum* invenere eſt (*l*).

“ Leo Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Willelmo Hogeſon, Electo Darien (*m*), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Divinâ diſponente Clementiâ &c (*quæ hic deſiderantur legere eſt ſuprâ Pag.* 466.) Sanè Eccleſiâ Darien. tunc certo Modo Paſtoris Solatio diſtitutâ . . . . Proviſionem ipſius Eccleſiæ Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ duximus ſpecialiter reſervandam . . . . Nos, Vacatione hujuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum, in Theologia Baccalaureum . . . . Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Vigeſimo, Sexto Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Octavo.”

LV. F. JOANNES QUINUS, alijs *Coynus* (*n*), Epiſcopus *Limericenſis*, vulgò *Limerick*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, Anno 1521, alijs 1522, *Leone* X Summo Pontifice. Rexit ad Diem uſque 9 Aprilis 1551, quo Tempore ceù cæcus, & valetudinarius Epiſcopatu ſe

ſpontè

(*b*) Ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. ccxx. Fol. 96, & 97, Lib. cclxxi. Fol. 73, & Lib. cciii. Fol. 123.

(*i*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 266; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 641.

(*k*) *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 404.

(*l*) Tom. iv. Pag. 404, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. ccxxv. Fol. 185.

(*m*) Lege *Derien.*, inter quam & *Daren.*, ſeù *Darien.*, vulgò *Kildare*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Dublinienſi*, magna eſt Vocabulorum Affinitas. Nihilomiuùs *Willelmus* noſter nequivit eſſe Anno 1520 Epiſcopus *Darenſis*, eò quippè Loci ſedebat *Edmundus Lane* ab Anno 1482 ad Annum 1522, quo *Thomas Dillon* eidem ſuffectus eſt juxtà *Waræum*, de *Præſul. Hib.* Pag. 128, & *Harriſium*, Vol. I. Pag. 388.

(*n*) *Quinus*, & *Coynus*, diſtincta omninò ſunt apud *Hibernos* Cognomina.

ſpontè abdicavit. Interfuerat Synodo Provinciali ſub *Edmundo Butlero*, Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, habitæ *Limerici* circà Feſtum SS Apoſtolorum *Petri & Pauli* Anno 1529 (*o*).

LVI. F. MAURITIUS DORAN, ſivè O-DEORAN, nonnullis *Baxanum*, Epiſcopus *Leghlinenſis*, vulgo *Leighlin*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Dublinienſi*, Anno 1524, *Clemente* VII Summo Pontifice (*p*). In *Lexia*, ſivè in hodierno Agro Reginæ, natum referunt *Waræus*, & *Harriſius* (*q*), hæc de eo addentes: *Homo ob Mores probatiſſimus, & Concionum Facunditatem multum laudatus, ſedit Annum unum, & Menſes octo. Anno tùm* 1525 *à* Mauritio Cavanagh, *Eccleſiæ ſuæ Archidiacono, in Via, propè Locum dictum* Glen-Reynold, *ſceleratiſſimè interfectus eſt. Occaſio traditur, quod Epiſcopus inſolentem Archidiaconi Pervicaciam, & Crimina neſcio quæ alia, acriter increparat, atque aliter corrigere minitarat. Homicida poſteà*, Geraldi Fitz-Gerald, *Comitis Kildariæ, Hiberniæque Deputati* (*r*) *Juſſu, in ipſo Loco, ubi Scelus illid perpetraverat, in Patibulo ſuſpenſus eſt, & Viſcera deindè combuſta.*

LVII. F. PETRUS STOLL, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus *Darenſis*, nonnullis *Darienſis*, vulgô *Kildare*, ſeù *Kildare*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, à *Clemente* Papa VII Die 15 Martij 1529 proviſus (*s*). Omittitur à *Waræo*, & *Harriſio*, quos ſequens emendat Diploma (*t*):

" Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto Filio Petro Stoll, Electo Darien " (*u*), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Poſtmodùm verò (*w*) præfatâ Eccleſiâ Darien certo Modo vacante, Nos, Vacatione hujuſmodi Fide-" dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem dictæ Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus, præter " Nos, hac Vice diſponere potuit, ſivè poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ac " longæ Vacationis ſuſtineat Incommoda, paternis, & ſolicitis Studijs intendentes, poſt Deliberationem, " quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Perſonam utilem, & fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus, " diligentem, demùm ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſorem, & Theologiæ Magiſtrum, cui " de Religionis Zelo, Vitæ Munditia, Honeſtate Morum, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Cir-" cumſpectione, alijſque multiplicibus Virtutum Donis, apud Nos Fide digna Teſtimonia perhibentur &c " (*ut ſuprà Pag.* 466.) Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo " Quingenteſimo Vigeſimo Octavo (*Stylo Bullarum, Æræ communis* 1529) Idibus Martij, Pontificatûs " noſtri Anno Sexto."

LVIII. F.

(*o*) *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 138; *Fontana*, in *Theatro Dominicano*. Part. I. Cap. v. Tit. cccxxxv. Pag, 205, ex *Actis Conſiſtorialibus Clementis* VII; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 339, Num. xxvii; *Bernardus de Jongbe*, Pag. 422; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 510; *Bullarium Ordinis Prædicatorum* Tom. iv. Pag. 405. Adeas Cap. præs. Num. lxxxii. Lit. l. & Cap. ſeq. Num. i. & ii.

(*p*) *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. iv. Pag. 528. Cæterùm *Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 157; *Harriſius*, Vol. I. Pag. 461; & *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 340. Num. xxx, incertum dicunt, nùm *Mauritius* iſte ſit Ordinis Minorum, vel Ordinis Prædicatorum Alumnus.

(*q*) Locis mox laudatis.

(*r*) Id eſt, Vices Gerentis Proregis *Hiberniæ*.

(*s*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. ccxix. Pag. 185, ex *Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 347. Num. xlvi; *Bernardus de Jongbe*, Pag. 422; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 329.

(*t*) Videre eſt in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. iv. Pag. 530, ex *Archivo Apoſtolico*, Lib. civ. Fol. 204.

(*u*) Magna quidem eſt Affinitas inter Vocabula *Darien.* & *Derien.*, ut nuperrimè obſervabam ad Lit. m. Vero ſimile tamen non eſt *Petrum* noſtrum renunciatum fuiſſe Epiſcopum *Derienſem* Die 15 Martij 1529, Menſe quippè Septembris ejuſdem Anni Sedem iſtam occupavit *Rodericus O-Donnell*, ut legere eſt apud *Waræum*, de *Præſulibus Hiberniæ*, Pag. 77; & *Harriſium*, Vol. I. Pag. 291. Hinc *Cavalerius*, & *de Jongbe*, mox laudati, rectè præficiunt *Petrum* noſtrum Sedi *Darenſi*, ſeù *Kildarienſi*, ut juxtâ vernaculum Nomen vocat *Cavalerius*. Confer protinùs dicenda Num. lxiv. Lit. o. Pag. 587.

(*w*) Exordium, quod in *Bullario* noſtro deſideratur, ex Diplomatibus ejuſdem Tenoris, Cap. præſ. à Num. xxiv exſcriptis, nullo Negotio ſupplere poteris.

LVIII. F. QUINTINUS COGLY, Epiſcopus *Dromorenſis,* vulgò *Dromore,* in *Ultonia,* ſub Archiepiſcopo *Armacano,* Anno 1536, *Paulo* III Summo Pontifice (*x*). Omittitur à *Waræo,* qui tamen in *Dromorenſium Præſulum* Catalogo, poſt recenſitum *Thaddæum* quendam, Ordinis Minorum Alumnum, Die 30 Aprilis 1511, ingenuè ait (*y*): *Ad Succeſſores Thaddæi quod attinet, per centum poſteâ Annos non reperi, fateor, Mentionem cujuſquam, niſi unius dicti Arthuri Magenis, qui vixit Anno* 1550. In Catalogo igitur iſto *Thaddæum* inter, & *Arthurum* facilè Locum inveniet *Quintinus* noſter.

LIX. F. BERNARDUS O-HIGGIN, Epiſcopus *Elphinenſis,* vulgò *Elphin,* in *Conacia,* ſub Metropoli *Tuamenſi,* antè Annum 1552. Omittitur à Scriptoribus Ordinis, de eo tamen *Waræus* (z), cui ſubſcribit *Harriſius* (*a*) in Elphinenſium Præſulum Catalogo poſt *Conatum O-Sigal,* Canonicum Regularem, Epiſcopum *Elphinenſem* Anno 1544 renunciatum, hæc habet: *Bernardus O-Higgin, Dominicanus, à Papa proviſus, ſucceſſit. Vixit Anno* 1552 *(ut refert breve Dominicanorum Chronicon) ſed quamdiù poſteâ Vitam prooduxerit, nondùm reperi.* Ex quo infert *Harriſius,* eo ipſo Anno 1552 obijſſe *Bernardum* noſtrum, tùm quia Die 10 Aprilis ejuſdem Anni *Rolandus de Burgo,* Epiſcopus *Clonfertenſis,* in eadem Provincia *Tuamenſi,* Adminiſtrationem Eccleſiæ iſtius *Elphinenſis* ſuſcepit. Tùm etiam quia Verbum *vixit* in prælibato *Chronico* uſurpatum, idem frequenter ſignificat ac *Vitâ ceſſit,* ſicque Verbum illud *Varro* exponit.

PORRO animadvertas velim, *Waræum,* & *Harriſium,* utpotè Acatholicos, alios poſt *Bernardi* hujus Tempora non recenſere cujuſcunqne in *Hibernia* Diæceſis Antiſtites niſi Heterodoxos, ab *Henrico* VIII Rege, & Succeſſoribus ejus, prætenſis Eccleſiæ Capitibus, proviſos. Solum ſi excipias *Eugenium O-Hart,* Epiſcopum *Achadenſem,* brevi recenſendum (*b*).

LX. F. PETRUS WALL, Epiſcopus *Clonenſis,* vulgò *Cloyn,* in *Momonia,* ſub Metropoli *Caſſelienſi,* Anno 1556, *Paulo* IV. Summo Pontifice (*c*),

LXI. F. ANDREAS XEREA, Epiſcopus *Elphinenſis,* vulgò *Elfin,,* in *Conacia,* ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi,* Anno 1562, *Pio* IV Summo Pontifice (*d*).

LXII. F. EUGENIUS O-HART, ſivè *O-Hairt,* Cænobij *Sligoenſis* (*e*) Alumnus, ex ejuſdem Priore Epiſcopus *Achadenſis,* vulgò *Achonry,* in *Conacia,* ſub Metropoli *Tuamenſi,* à *Pio* IV Die 28 Januarij 1562 proviſus. De eo hæc habent *Waræus,* & *Harriſius,* mox laudandi: *Eugenius O-Hart, ex Priore Sligoenſi à Pio IV Die* 28 *Januarij* 1562 *promotus Epiſcopus Achadenſis, eo Titulo Tridentum ingreſſus eſt Die* 25 *Maij ſequentis, & ſedit inter Patres Concilij. Anno verò* 1603 *centenarius obijt, & ſepultus fuit in Eccleſia Achadenſi ad Cornu Evangelij Majoris Aræ (f).* Legitur porrò in Catalogo Patrum laudatæ Synodi Æcumenicæ, in hunc Modum: *Eugenius Obairt, Hibernus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Acadenſis.*

LXIII. F. THADDÆUS O-FERRALL, Epiſcopus *Clonfertenſis,* vulgo *Clonfert,* in *Conacia,*

(*x*) *Fontana,* in *Theatro Dominicano,* Part. i. Cap. v. Tit. ccxxix. Pag. 187, ex *Actis Conſiſtorialibus,* & *Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ*; *Cavalerius,* Tom. i. Pag 358, Num. lxix; *Bernardus de Jonghe,* Pag. 422; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. iv. Pag. 677.

(*y*) Lib. de *Præſulibus Hiberniæ,* Pag. 93. Succinit *Harriſius,* Vol. I. Pag. 264.

(*z*) De *Præſulibus Hiberniæ,* Pag. 259.

(*a*) Vol. I. Pag. 633.

(*b*) Cap. præſ. Num. lxii.

(*c*) *Fontana,* in *Theatro Dominicano,* Part. i. Cap. v. Tit. clxxxix. Pag. 174, ex *Actis Conſiſtorialibus Pauli* IV; *Cavalerius,* Tom. i. Pag. 392. Num. cxliv; *Bernardus de Jonghe,* Pag. 422; *Bullarium Ordinis Prædicatorum,* Tom. v. Pag. 56.

(*d*) *Fontana,* in *Theatro Dominicano,* Part. i. Cap. v. Tit. ccvxxiv, Pag. 139, ex *Regeſtis Apoſtolicæ Cancellariæ*; *Cavalerius,* Tom. i. Pag. 403, Num. clxvii; *Bernardus de Jonghe,* Pag. 422; *Bullar. Ord. Præd,* Tom. v. Pag. 105.

(*e*) De quo dicebam Cap. ix. §. xiii. Pag. 246.

(*f*) *Waræus,* de *Præſulibus Hiberniæ,* Pag. 278; *Fontana,* in *Theatro Dominicano,* Part. i. Cap. v. Tit. iv. Pag. 113, ex *Actis Conſiſtorialibus,* & ex *Plodio*; *Cavalerius,* Tom. i. Pag. 407. Num. clxxv; *Echardus,* Tom. ii. Pag. xvix; *Bernardus de Jonghe,* Pag. 522; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. v. Pag. 105.

cia, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1587, *Sixto* V Summo Pontifice (*g*). *Cùm valdè averet Catholicam Fidem propagare* (*h*), *poſt multos pro eadem Cauſa Labores exantlatos in Ætate florenti, & Senio confectus renovare uellet eundem Zelum, & Studium prædicandi Fidem, & Sacramenta adminiſtrandi, obijt Quinſaliæ* (*i*) *Anno Domini* 1602.

LXIV. F. ROCHUS MAC-GEOGHEGAN, in *Hiſpaniarum* Regno, ubi Studia confecit, cognominatus *à Cruce*, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Molingarenſis (k)* Alumnus, Provincialis *Hiberniæ* in Comitijs Generalibus *Mediolani* apud *S. Euſtorgium* Anno 1622 inſtitutus (*l*), Epiſcopus *Darenſis*, vulgò *Kildare*, in Lagenia, ſub Archiepiſcopo *Dublinienſi*, Anno circiter 1640, *Urbano* VIII Summo Pontifice (*m*). De celeberrimo hoc Viro ſequentia legere eſt in Actis Comitiorum Generalium *Romæ* 1656, ſub Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis P. *Joanne Baptiſta de Marinis* (*n*), nempè :

> “ Anno 1641 Magnum ſui Deſiderium reliquit moriens Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Dominus, Fr. Rochus à Cruce, patrio Agnomine Mac Geoganus, Filius Conventûs Rupis-Franciæ in Provincia Hiſpaniæ. Hic Vinculo clari Sanguinis primarias totius Regni Hibernici Familias contingens, at eximiâ Indole Nobilitatem ſuperans, gradatim uſque ad Darenſem (*o*) Infulam, quam poſt Provincialatum admittere coactus eſt, mirificis luxit Virtutum Exemplis. Corpus aſperrimo Cilicio domans, Mulierum Alloquia, ſeù Peſtem, evitabat, Diſcordias plurimas eradicavit, in Victus Parſimonia admirabilis, Contemplationi verò adeò addictus, ut huic quatuor ad minùs Horas dietìm impendere ſolitus fuerit. Ordinem in Lagenia velut extinctum feliciter inſtauravit, Fratribus Dublinium, Molingaram, Pontanam, Athiam (*p*) &c, velut per Colonias deductis, ut meritò tot egregiorum Chriſti Militum, quos Eccleſiæ dedit Hibernia, Pater dici queat. Rigorem ſui Regularis Inſtituti, etiam in Epiſcopatu, accuratè tenuit. Ab Hæreticis, Sanguinem ejus rabidè ſitientibus, plurimas paſſus Inſidias, & Perſecutiones, adeò ut publicè Aqua, & Igni interdictus, crebrò mutare Latibula, perque Provinciam exul oberrare debuerit. Ergà Pauperes liberaliſſimus, etiam quandò ipſemet Pauperie premebatur, nimirùm omni Epiſcopatûs ſui Proventu per Hæreticos interverſo. Tandem Senio, & Ærumnis confectus, tantæque in Hibernia Cladi Religionis aſſiduè illachrymans, Spiritum Deo reddidit, illatus Majorum ſuorum Tumulo in Cænobio Multifernenſi (*q*) Ordinis S. P. Franciſci.

LXV. F. JACOBUS O-HURLY, Cænobij *Killocienſis* (*r*) Alumnus, Prior Provincialis *Hiberniæ* electus *Youghallæ* Die 12 Octobris 1638, Epiſcopus *Imelacenſis*, vulgò *Emly*, in *Momonia*.

(*g*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. clxxxvii. Pag. 173, ex *Regeſtis Cancellariæ Apoſtolicæ* ; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 483. Num. cclxxxiii ; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. v. Pag. 475.

(*h*) Verba ſunt *T. N. Philadelphi*, reverà autem *Davidis Rothæi*, Epiſcopi *Oſſorienſis*, in Exordio Libri *Coloniæ* impreſſi 1619, cui Titulus : *De Proceſſu Martyriali quorundam Fidei Pugilûm in Hibernia.*

(*i*) Vulgò *Kinſale* in *Corcagienſi* Agro *Momoniæ*.

(*k*) De quo Cap. ix. §. vii. Pag. 217.

(*l*) Videſis Cap. xiv. Num. ix.

(*m*) *Fontana*, in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. ccxix. Pag. 185, ex actis Capituli Generalis *Romani* 1656, ubi rectè dicitur Epiſcopus *Darenſis*, non autem *Derienſis*, ut nonnulli volunt ; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 590. Num. lxxx ; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 422 ; *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 142.

(*n*) Tit. *Fratres, & Sorores, qui pretioſa in Conſpectu Domini Morte obierunt*, §. *In Provincia Hiberniæ*, Pag. 157.

(*o*) *Darenſis* in *Lagenia*, & *Derienſis* in *Ultonia*, Sedes ob Vocabulorum Affinitatem ſæpenumerò ab Exteris confunduntur, ut nuper advertebam Num. liv. Lit. m, & Num. lvii. Lit. n. Pag. 484, & 485. Cæterùm *Rochi* noſtri Sedes diſertè hìc Loci dicitur *Darenſis*, ſicut & apud *Bernardum de Jonghe*, mox laudatum. Item in Libro Collegij noſtri *Lovanienſis* ad *S. Crucem*, ubi verſabatur *Rochus*, notatur Epiſcopus *Kildarenſis* (vernaculum *Darenſis* Diæceſis Nomen eſt *Kildare*, ut liquet ex Cap. i. Num. xii. Pag. 18.) ut refert P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis*, in Nota Marginali M. S. ad Epilogum Chronologicum *O-Heyni*, Pag. 46.

(*p*) De quatuor iſtis Cænobijs noſtris Sermo erat Cap. ix. §. i, ii, vii, & xv. Pag. 184, 198, 217, & 254.

(*q*) Vulgò *Multifernan*, in *Midenſi Occidentali* Agro *Lageniæ*.

(*r*) De quo Cap. ix. §. xxiv. Pag. 283.

monia, ſub Metropoli *Caſſelienſi*, Anno 1641, *Urbano* VIII Summo Pontifice (*s*). *Vir eximiè religioſus, & doctus*, inquit *O Heynus*, cujus de eo integra Verba alibi exſcribam (*t*).

LXVI. F. TERENTIUS-ALBERTUS O-BRIEN, ſeù *O-Brian*, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Limericenſis* (*u*) Alumnus, Prior Provincialis *Hiberniæ*, Anno 1643 *Kilkenniæ*, ut alibi ajebam (*w*), electus, ab *Urbano* VIII, Pontifice Maximo, Epiſcopus *Imelacenſis* (*x*), vulgò *Emly*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, poſt *Jacobi* noſtri *O-Hurly*, mox laudati, Deceſſum, renunciatus Anno 1644, Cælos petijt Anno 1651, in Vigilia Omnium Sanctorum ob Defenſionem Fidei Catholicæ *Limerici* Laqueo Suſpenſus (*y*).

De Præſule iſto verè Apoſtolico, aureis Eccleſiæ Sæculis digno, præſcriptæ Brevitati conſulens, nihil dicam, niſi quæ coætanei ipſius, Reverendiſſimus nempè Magiſter Generalis *de Marinis*, alijque Sapientiſſimi Patres Capituli Generalis Romani 1656, nuper laudati, in ejuſdem Actis produnt (*z*), Tenoris ſequentis:

“ Magna hìc (*in Provinciæ Hiberniæ*) eorum, qui pro Fide Catholica immania pertulerunt Tormenta, Seges, præſertìm noſtris Temporibus fæcundè maturuit, Cælorum Horreis illata manipulatim, ſiquidem ex quadraginta tribus Conventibus, quos in hac Inſula poſſedit Ordo, nec unus hodiè ſupereſt, quem non hæretici Perſecutoris Furor aut exuſſerit, aut Solo æquarit, aut in ſuos Uſus profanos redegerit. Ad Annum 1646 numerabantur in illis Fratres plus minùs ſexcenti, quorum nunc fortè nec quarta Pars ſupereſt, & quidem patrio Solo extorris, cæteris aut Domi conſumptis Martyrio, aut crudeli ad Inſulas Barbadas Deportatione longam in Novo Orbe Mortem obeuntibus.

“ Inter priores meritò primus hìc recenſendus venit Illuſtriſſimus, & Rmus D. Fr. Terentius-Albertus O-Brien, claro priſcorum Hiberniæ Regum Sanguine ſatus (*a*), qui Studijs in Provincia Hiſpaniæ feliciter decurſis, in Patriam redux, Exemplo, ac Verbo Domini Vineam mirificè excoluit, Prioratibus nativi ſui Conventûs Limericenſis bis, Lothorienſis ſemel fructuosè perfunctus. Exindè Provincialis Capitulum Generaliſſimum Romæ 1644 indictum adijt, ubi à novo Ordinis Generali Magiſtro, Fr. Thoma Turco, pro Meritis, ac Zelo, quem in tuenda Ordinis Unitate, ſupremique Capitis juſta Reverentiâ, intrepidus oſtenderat, Laureâ Magiſterij inſignitus, ac paulò poſt ab Urbano VIII ad Imolacenſem (*b*) Epiſcopatum aſſumptus, in eo totus fuit ut & Epiſcopali Dignitati inviolabilem ſui Ordinis, atque Inſtituti Tenorem conſtanter conjungeret, & Eccleſiæ, quæ tunc vel maximè in Hibernia tali Heroe indigebat, Auctoritate, Conſilio, Vigilantiâ indefeſsè ubique ſuccurreret. Quod cùm Anno 1651 ageret in Civitate Limericenſi, quam tunc Henricus Irton, Cromuelli Gener, veruſque Hiberniæ Procromuellus (*c*), atroci Obſidione ſtringebat, præclarum Integritatis, atque Conſtantiæ Specimen dedit, ſiquidem â prænominato Hæreticorum Anteſignano tentatus ſeorſim, oblatis quadraginta Aureorum

---

(*s*) *Joannes O-Heyne*, Pag. 17; *Bernardus de Jongbe* Pag. 423; *Bullarium Ordinis Præaicatorum*, Tom vi. Pag. 143. Animadvertas porrò, ſi placet, hanc *Jacobi* noſtri *O-Hurly*, ſicut & *Terentij-Alberti O-Brien*, immediati Succeſſoris ejus, Sedem haud rectè dici *Kilmalocenſem*, aut etiam *Imolacenſem*, ſed *Imelacenſem*, ut *Waræus*, alijque accurati Scriptores *Hibernigenæ*, & *Angligenæ* ſcribunt. Adeſt quidem in *Momonia* Oppidum, cui vernaculum Nomen *Kilmalock*, latinum autem *Killocia*, ubi haud ſemel fui, atque Conventum habemus, cujus Alumnus erat *Jacobus O-Hurly*, cujuſque memini Cap. ix. §. xxiv. Pag. 283. Aſt Sedes Epiſcopalis non eſt, ſed intrà Fines continetur Diæceſis, & Agri *Limericenſis*. *Imelaca* verò eſt Sedes Epiſcopalis in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ* ſub Metropoli *Caſſelienſi*, cui impræſentiarùm unitur, ut liquet ex Catalogo Diæceſum Hiberniæ, ſuperiùs allato. Cap. i. Num. xii. Pag. 19. *Imelaca* autem vulgò nuncupatur *Emly*, ſeù *Emlie*, hinc *Emlienſem* nuncupat Diæceſim *Aubertus Miræus* in Notitia *Epiſcopatuum Orbis Chriſtiani*, Lib. ii. Pag. 80, & Lib. iv. Pag. 220, & Lib. v. Pag. 320. Confer Cap. xiv. Num. xii. Lit. l.

(*t*) Cap. ſeq. Num. xii.

(*u*) De quo Videſis Cap. ix. §. ii. Pag. 209.

(*w*) Cap. ix. §. iii. Num. iv. Pag. 206. Vid. Cap. ſeq. Num. xiii.

(*x*) Confer nuperrimè dicta ad Lit. s.

(*y*) *Fontana* in *Theatro Dominicano*, Part. i. Cap. v. Tit. ccxcviii. Pag. 205; *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 602, Num. ci; *O-Heyn*, Pag. 15; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 423; *Bullarinm Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 143.

(*z*) Tit. *Fratres, & Sorores, qui pretioſa in Conſpectu Domini Morte obierunt*, §. *In Provincia Hiberniæ*, *Pag.* 149.

(*a*) Conſulendum Cap. ix. §. v. Num. ii. Lit. r. Pag. 211.

(*b*) Lege *Imelacenſem*, juxtà nuper dicta ad Lit. s.

(*c*) Confer Cap. xvii. Num. lxxxiv.

“ Aureorum Millibus, & ſecurâ quòcunque vellet emigrandi Licentiâ, modò Urbe excederet, nec ejus Deditionem pergeret impedire, fortiſſimè reſpuit, præeligens Catholicis Civibus ad Mortem uſque aſſiſtere, quàm Hæreticorum Salvo Conductu, Auroque alibi fulgere, aut ſecurè deliciari. Itaque Urbe demùm expugnatâ captus, vinctus, & ad Forum pertractus, ipſo Omnium Sanctorum Pervigilio ibidem publicè ad Furcam actus, Agonem ſuum gloriosè conſummavit. Dùm lætus ad Supplicij Locum pergit, ſereno Vultu converſus ad Catholicos, qui inconſolabiliter adlachrymantes circumfluxerant, poſtrema hæc Verba, ipſiſmet Hæreticis Cor penetrantia, fecit: *Habetote*, inquit, *Fidem*, *ſervate Mandata, adversùs DEI Diſpoſitionem ne queramini, quod facientes poſſidebitis Animas veſtras: Pro me autem nolite flere, ſed orate, ut in hoc Mortis Tormento firmus, & infractus Curſum meum feliciter abſolvam.* Perſecutor Irton (cui Albertus vicinam DEI Ultionem diſertè prædixerat) paulò poſt Lue, ac Phræneſi tactus, Furijſque dirè exagitatus, palàm adſtantibus ſuæ tàm Malitiæ quàm Militiæ Primipilis faſſus eſt, innocentis Epiſcopi Cœdem ſibi extremè jàm fatalem eſſe. Indè obversâ ad Parietem Facie, ſecum ſubmuſſitans proteſtabatur, *nunquàm ego* (inquiens) *meo Conſilio ad Necem illius Epiſcopi cooperatus fui; nunquàm, nunquàm, Senatus bellicus fecit, Conſilij Opus fuit, ipſi viderint*, &c. Item: *Utinam Papiſticum hunc Epiſcopum nunquàm vel à longè vidiſſem.* Inter hujuſmodi Verba, & Conſcientiæ Utricas, altùm gemens infelicem Animam in Orcum expuit. Caput Martyris præalto Stipiti infixum, ac Regiæ Arcis Pinnaculo impoſitum, poſt multa Tempora videbatur quaſi recentem adhuc ſtillare Cruorem, Aſpectu integro, Carne, Cute, Pilis nihilo mutatis, vel in Teſſeram Incorruptionis, nàm & conſtans Fama eſt, eum uſque ad extrema virginali planè Munditia floruiſſe, ut vel indè piè liceat conjectare, Virginem, Doctorem, Epiſcopum, Martyrem non unicâ duntaxàt Coronâ jam fulgere in Cælo. Vitæ, ac Certaminis ejus prolixior Hiſtoria quandoque Lucem aſpiciet (*d*).

LXVII. F. EDMUNDUS O-DEMPSY, Epiſcopus *Leghlinenſis*, vulgò *Leighlin*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Dublinienſi* (antè Annum, vel ipſo) Anno 1643. Hunc, ut candidè fatear, non norunt Scriptores hìc paſſim laudati; eum tamen memorat Præſul coævus, *Nicolaus French*, Epiſcopus *Fernenſis*, qui Libellum Supplicem (poſteà Typis vulgatum) *Clementi* IX, Pontifici Maximo, ſuper Rebus *Hiberniæ* porrexit Menſe Novembri Anno 1667, eidem ſubnectens *Elenchum Illuſtriſſimorum Dominorum Epiſcoporum, qui reſiderunt in Eccleſijs ſuis Anno* 1649, *& exindè mortui ſunt.* Inter eos ſiquidem, *qui Diem clauſerunt in Exilio*, quinto Loco recenſetur D. Fr. *Edmundus O-Dempſy, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Leghlinenſis, Artabriæ* (*e*) *in Regno Galliciæ.* Quid clarius? Quid luculentius? Ut autem curioſo Lectori faciam ſatis, en ipſiſſima integri *Elenchi* ad Calcem prælibati *Libelli Supplicis* Verba.

“ Elenchus Illuſtriſſimorum Dominorum Epiſcoporum, qui reſiderunt
“ in Eccleſijs ſuis Anno 1649, & exindè mortui ſunt.

“ Qui Diem obierunt in Patria.

“ 1. D. *Hugo O-Reilly*, Archiepiſcopus *Armachanus*, Totius *Hiberniæ* Primas, Doctor Utriuſque Juris.
“ 2. D. Fr. *Thomas Flemingus*, Franciſcanus, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, *Hiberniæ* Primas, Lector Jubilatus S. Theologiæ.
“ 3. D. *David Roth*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, S. Theologiæ Doctor.
“ 4. D. *Thomas Deſſe*, Epiſcopus *Midenſis*, S. Theologiæ Doctor.
“ 5. D. *Thomas O-Mollony*, Epiſcopus *Laonenſis*, S. Theologiæ Doctor.
“ 6. D. *Eugenius Swynius*, Epiſcopus *Kilmorenſis*, S. Theologiæ Doctor.
“ 7. D. Fr. *Boetius Eganus*, Franciſcanus, Epiſcopus *Elphinenſis*.
“ 8. D. *Richardus Conellus*, Epiſcopus *Ardfertenſis*, Utriuſque Juris Doctor.
“ 9. D. Fr. *Antonius Geoghegan*, Franciſcanus, Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*, poſteà *Midenſis*.

(*d*) Sed hucuſque, quoad ſcire potui, Lucem non aſpexit. Eum autem memorat *Elenchus Præſulum, interfectorum in Odium Fidei*, Num. ſeq. exſcribendus. Vide etiam ex *Daniele O-Daly* plura de eo Cap. xvi. Num. xxix.

(*e*) Hiſpanicè *S. Maria de Finis Terræ*, quia juxtà Promontorium *Finis-Terræ*.

Interfecti in Odium Fidei.

“ 1. D. *Emerus Matthæus (f)*, Epiſcopus *Clocherenſis*, magni Nominis Præſul, Laqueo necatus fuit *(apud Enniſkillen)* ſpeciali Mandato Parlamenti Anglicani, Judice *Carolo Coote*, Hoſte Fidei Catholicæ peſtifero. Affixum erat Palo Caput ejus, funeſtum Catholicis Spectaculum.

“ 2. D. Fr. *Terentius O Brien*, Epiſcopus *Imelacenſis*, Ordinis Prædicatorum, Laqueo ſtrangulatus fuit in Civitate *Limericenſi*, ſic jubente *Iretonio*, *Cromuelli* Genero, & Exercitu hæretico barbarè ei inſultante (*g*).

“ 3. D. Fr. *Boetius Eganus* Junior, Franciſcanus, Epiſcopus *Roſſenſis*, in Via publica à Turma Equitum hoſtilium comprehenſus, ſuſpenſus eſt ex Arbore Habenis Equi ſui.

“ Qui Diem clauſerunt in Exilio.

“ 1. D. *Thomas Valeſius* (*h*), Archiepiſcopus *Caſſelienſis*, *Compoſtellæ* in Regno *Galliciæ*.

“ 2. D. *Joannes Culenanus*, Epiſcopus *Rapotenſis*, S. Theologiæ Doctor, &

“ 3. D. *Edmundus O Dwyer*, Epiſcopus *Limericenſis*, S. Theologiæ Doctor: Ambo *Bruxellis* in *Belgio*.

“ 4. D. *Franciſcus Kirovanus*, Epiſcopus *Alladenſis*, *Rhedoni* (*i*) in *Britannia Armorica*.

“ 5. D. Fr. *Edmundus O-Dempſy*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Leghlinenſis*, *Artabriæ* (*k*) in Regno *Galliciæ*.

“ 6. D. *Walterus Lynch*, Epiſcopus *Clonfertenſis*, S. Theologiæ, & Utriuſque Juris Doctor, *Javarini* (*l*) in *Hungaria*.

“ 7. D. Fr. *Hugo de Burgo*, Franciſcanus, Epiſcopus *Duacenſis*, in *Anglia*.

“ 8. D. Fr. *Arthurus Magneſius* (*m*), Ordinis *S. Bernardi*, Epiſcopus *Dunenſis*, expiravit in Mari.

“ 9. D. *Norbertus Barry*, Epiſcopus *Corcagienſis*, & *Clonenſis*, S. Theologiæ Doctor, &

“ 10. D. Fr. *Patritius Comerfordus*, Ordinis *S. Auguſtini*, Epiſcopus *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis*: Ambo *Nannetis* in *Britannia Armorica*.

“ Qui adhuc vivunt.

“ 1. D. *Joannes de Burgo*, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, S. Theologiæ Doctor, è Carcere pulſus in Exilium, dein reverſus in Patriam, jacet in Lecto languidus, decrepitus, & incurvatus, ità ut poni poſſet in Numero Mortuorum.

“ 2. D. *Nicolaus French*, Epiſcopus *Fernenſis* (*n*), exulans *Gandavi* vivit ſub alis, & Umbra Illuſtriſſimi D. *Eugenij-Alberti Dalamant*, Epiſcopi *Gandavenſis*.

“ 3. D

(*f*) Anglicè *Matthew*, Italicè *Mattei*.

(*g*) Recolendus Num. præcedens.

(*h*) Anglicè *Walſh*, hibernicè *Brannoch*.

(*i*) Gallicè *Rennes*.

(*k*) Hiſpanicè *S. Maria de Finis Terræ*, ut nuper dictum eſt ad Lit. e.

(*l*) Vulgò *Gewer*, hungaricè *Raab*, italicè *Giavarino*.

(*m*) Vulgò *Magenis*.

(*n*) Is eſt, qui, ut mox dictum eſt, hunc confecit *Elenchum*, ſine quo nihil prorſùs de *Edmundo* noſtro *O-Dempſy* ſciremus. Obijt autem Præſul *Nicolaus* ibidem Die 23 Auguſti 1678, tumulatus in Eccleſia Cathedrali, ubi Sepulchralis hæc Inſcriptio, quam Gratitudinis Causâ exhibeo.

D. O. M.
Siſte Viator, audi, lege, luge.
Jacet hic
Illuſtriſſimus, ac Pijſſimus Præſul,
Nicolaus French,
Fernenſium in Hibernia Epiſcopus humilis,
Sacræ Pontificiæ Capellæ Comes Aſſiſtens,
Supremi Conſilij Regni Hiberniæ Conſiliarius,
Ab eodem ad Innocentium X Papam
Cum Auctoritate Deputatus,
Illuſtriſſimorum, ac RR. Epiſcoporum
In Gallicia, Pariſienſis in Gallia, ac demùm Gandavenſis in Flandria
Coadjutor Indefeſſus,
Hæreſiarcharum, ac Hæreticorum,

Tam

“ 3. D. *Andreas Lynch*, Epiſcopus *Fenaborenſis*, Doctor Utriuſque Juris, *Rotomagi* ſub Auſpicijs Illuſtriſſimi D. *Franciſci de Harlai*, Archiepiſcopi *Rotomagenſis*, & Primatis *Normanniæ*.

“ 4. D. Fr. *Patritius Plunquettus*, Ordinis *S. Bernardi* (o), Epiſcopus *Ardachadenſis*, ſecretò latet in Sylvis, & Montibus, & Pauperum Domibus in Patria poſt decenne Exilium.”

Idem etiam *Edmundus* noſter O *Dempſy*, Epiſcopus *Leghlinenſis*, interfuit Conventui Generali Cleri *Hiberniæ* ſub Excellentiſſimo Nuntio Apoſtolico *Rinuccino*, ſubſcripſitque Decreto cuidam ibidem edito, quod cum ſingulis Prælatorum Nominibus alibi exſcriptum habebis (p). Cùm autem veriſmile ſit, Epiſcopos illos, utpotè coram Nuntio Apoſtolico congregatos, ſubſignaſſe, ut par erat, ſecundùm Antiquitatem à Conſecratione, & cùm aliundè conſtet (q), prælaudatum D. *Nicolaum French*, Epiſcopum fuiſſe *Fernenſem* de Anno 1643, hinc ſat peſpicuè apparet *Edmundum* noſtrum *O-Dempſy*, qui quinto Loco antè ipſum ſubſcripſit, fuiſſe antè recenſitum Annum 1643, vel ſaltem ipſo Anno 1643, ad infulas evectum. Teſtimonio inſuper ejuſdem *Fernenſis* Præſulis in mox allato *Elencho* claret, Antiſtitem noſtrum *Leghlinenſem* antè Annum (vel ipſo Anno) 1667 ex hac Vita migraſſe.

LXVIII. F. OLIVERIUS DARCY, Veteribus *de Arcia*, & per Syncopen *Darcia*, gallicè *D'Arcie* (r). S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Trimmenſis* Alumnus, Epiſcopus *Ardachadenſis*, vulgò *Ardagh*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Anno circiter 1649, *Innocentio* X Summo Pontifice (s). Ipſius, ad Præſentaturæ Theologicæ Gradum evecti, meminere Acta Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644, ut ex ſuperiùs allatis (t) conſtat. Ejus etiam Curæ Eccleſia *Dromorenſis*, vulgò *Dromore*, in *Ultonia*, ſub eadem Metropoli *Armacana*, concredita fuit Anno 1670 (u). Et quamquàm ex *Echardo* hìc laudato, poſteriorem recenſente Promotionem, Anno 1670 ſecutam, non verò priorem Anni 1649, colligi videretur, diſtinctos prorſùs fuiſſe *Ardachadenſem*, & *Dromorenſem* Epiſcopos, eodem Nomine, & Cognomine nuncupatos, rectè nihiloſeciùs in *Bullario* noſtro, hìc quoque laudato, opinatur Rmus Magiſter *Bremond*, eundem omninò eſſe *Oliverium Darceum*, Anno circiter 1649 Epiſcopum *Ardachadenſem*, poſtea verò Epiſcopum, vel Adminiſtratorem *Dromorenſem*.

Ad omnem tamen è Medio eliminandam Hallucinationem monearis oportet alium floruiſſe eâ Tempeſtate *Oliverium Darceum*, Ordinis Minorum Alumnum, atque Epiſcopum *Dromorenſem*, anteà *Hiberniæ Franciſcanæ* Miniſtrum Provincialem, cui non præiverat, ſed ſucceſſit in *Dromorenſi* Sede *Oliverius* noſter, utpote Anno duntaxàt 1670 Præſul *Dromorenſis* renunciatus, ut liquet

---

Tàm Verbo, quàm Calamo
Profligator Acerrimus,
Collegij Paſtoralis Hibernorum Lovanij
Alumnus, Magiſter, Præſes, Benefactor,
Fundatâ ibidem Burſâ 180 Florenorum
Annuatim in Perpetuum
Pro Capacioribus Ingenijs.
Tandem Exulatûs ſui à Dilectis
Patriâ, Epiſcopatu, & Grege
Ob Fidem Annos 25
Præſul emeritus,
Emenſis pro Eccleſia Dei innumeris
Periculis, ac Perſecutionibus,
Cunctis ſemper gratus, omnibus ſpectabilis,
Non ſine magno Patriæ ſuæ Præjudicio,
Bonorumque Suſpirijs, ac Lachrymis,
Hoc marmore tegitur, qui verè fuit
Animo Pontifex, Verbo Angelus,
Vita Sacerdos.
Obijt Gandavi, in Metropoli Flandriæ,
Ætatis Anno 74, Epiſcopatûs 30,
Incarnationis Dominicæ 1678,
Menſis Auguſti Die 23.

(o) Fuit anteà Abbas *B. Mariæ Dublinij*, ut ex Cap. xvii. Num. lii. conſtabit.

(p) Cap. xvii. Num. lii. , item Num. lxxxii.

(q) Ex *Harriſio*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 166.

(r) Legeſis Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 276. Ejuſdem porrò Cognominis, ut obiter dicam, erat celebris Puella *Aurelianenſis*, juxtà *Natalem Alexandrum* in Hiſt. Eccleſ. Sæc. xv, & xvi. Part. ii Cap. vi. Art. ii. Pag. mihi 265; & *Graveſonum*, Tom. vi. Colloq. i. Pag. mihi 21.

(s) *O-Heynus*, Pag. 9; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 423; *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 176.

(t) Cap. vi Num. x. Sect. 14. Pag. 116.

(u) *Echardus*, Tom. ii. Pag. xxix. *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi Pag. 331.

quet ex *Epiſtola Oliverij Darcei, Epiſcopi Dromorenſis, ad Ulicum de Burgo, Clanrickardiæ Comitem, Hiberniæ Proregem*, Die 27 Martij 1651 datâ; & ex Epiſtola viciſſim laudati *Marchionis ad Epiſcopum Dromorenſem*, datâ Die 8 Octobris ejuſdem Anni (*w*).

Neque ſuſpicari quiſpiam poterit, alium non fuiſſe illorum Temporum *Oliverium Darceum* præter laudatum Minoritam, nam floruiſſe quoque *Oliverium Darceum*, Ordinis Prædicatorum Alumnum (*x*), præter *Bullarij* noſtri, *Echardi*, & *Jonghi* Teſtimonia, liquet ex mox recenſitis Capituli Generaliſſimi ejuſdem Ordinis Actis, ubi inter tunc promotos ad Theologicum Præſentaturæ Gradum diſertè annumeratur. De eo hæc habet Scriptor ſuppar *O-Heynus* (*y*), de Conventu noſtro *Trimmenſi* differens: “Exiſtimo, ſed ſecurus non ſum, quod fuerit Filius perdig-
“ nus hujus Domûs Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. *Oliverius Darcy*, ex nobili Fami-
“ lia de *Plattin*. Audivi quod ſtuduerit *Bononiæ*, & quidem fructuoſiſſimè, ſicut patuit plenè in
“ Patria cùm eſſet Epiſcopus *Ardaghadenſis* in Comitatu *de Longford*. Vixit Anno 1648, & ne-
“ ſcio quo Anno determinato obierit. Fuit ſtrenuus, & ſolidus Conſiliarius pro Re Catholica
“ durante Bello orto Octobris quarto 1641.” (*z*).

LXIX. F. DANIEL O-DALATH, ſeù, ut modernis placet, *O-Daly*, dictus paſſim in Ordine *Dominicus de Roſario*, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Traleienſis* (*a*) Alumnus, Confeſſarius Reginæ *Luſitaniæ*, Fundator Collegij noſtri, noſtrique Monaſterij *Ulyſſipone* (*b*) in memorato Regno, Legatus *Philippi* IV Regis Catholici apud *Carolum* I, & *Carolum* II, *Anglorum* Reges; & *Caroli* II prælibati ad *Innocentium* X, Pontificem Maximum; necnon *Joannis* IV, *Luſitaniæ* Regis, apud Regem Chriſtianiſſimum *Ludovicum* XIV, Archiepiſcopus primùm *Bracarenſis*, vulgò *Braga*, in eodem Regno, dein *Goenſis*, vulgò *Goa*, in Indijs *Orientalibus*, in Ditionibus autem *Luſitanicis*, deſignatus, quibus Metropoliticis Sedibus, atque etiam Cathedrali *Conimbricenſi*, mox memorandâ, conſtantiſſimè recuſatis, Amicorum prudentum Precibus pulſus, tandemque devictus conſenſit, ut Epiſcopus eligeretur *Conimbricenſis*, vulgò *Coimbra*, in ſæpedicto *Luſitaniæ* Regno, ſub Patriarcha *Ulyſſiponenſi* (*c*), ſed antequàm conſecraretur Vir verè magnus, nunquàm ſatis pro Meritis laudandus, vivere deſijt in recenſito *Ulyſſiponenſi* noſtro Collegio Die 30 Junij 1662, Ætatis ſuæ 67, cujus Epitaphium alibi exſcriptum habes (*d*), ubi plura de digniſſimo hoc Præſule, ceù Collegij iſtius Fundatore, jam dicta ſunt, aliaque de eo, ceù Scriptore Ordinis, infrà dicentur (*e*).

Interim autem Operæ Pretium erit in Medium adducere quæ de eo habet Scriptor coætaneus, ipſique perſonaliter notus, *Vincentius*, inquam, *Baronius*, Provinciæ *Toloſanæ* Alumnus, longiuſcula quidem, ſed pulchriora quàm ut non exſcribantur.

Imprimis Lib. II *Apologeticorum* (*f*), præmiſſis quibuſdam de *Petro Tapia*, & *Joanne à S. Thoma*, præclaris Ordinis Prædicatorum, & Scholæ Thomiſticæ Ornamentis, ait:

“ Sed quâ Ratione ſejungam ab hoc Pari Thomiſtarum illuſtrium Reverendiſſimum Dominicum à Ro-

“ ſario,

(*w*) Iſtas Epiſtolas legere eſt in Libro *Dublinij* 1744 Typis vulgato, cui Anglicè Titulus: *Memoirs of the Right Honourable the Marquis of Clanrickard* &c. i. e. *Notæ Memores Illuſtriſſimi Domini Marchionis Clanrickardiæ*, Pag. 38, & 110.

(*x*) Liquet ex mox dictis Num. præced. duplicem fuiſſe eodem Anno 1649 *Boetium Eganum*, Ordinis Minorum Alumnum, unum *Elphinenſem*, alterum *Roſſenſem* Epiſcopum.

(*y*) Pag. 9.

(*z*) Videſis Cap. xvii. à Num. xliii.

(*a*) De quo dicebam Cap. ix. §. x. Pag. 237.

(*b*) De Collegis, & Monaſterio iſtis Sermo erat Cap. præced. §§. ii, & v. Pag. 415, & 451.

(*c*) De Sede *Bracarenſi* noſtro oblatâ *Danieli* teſtantur *O-Heynus*, Pag. 21, & *Bernardus de Jonghe*, Pag. 422; de *Goenſi* verò, & *Conimbricenſi*, *Echardus*, Tom. ii. Pag. 617; de omnibus autem tribus, Scriptor coævus, & *Danieli* noſtro perſonaliter notus, *Vincentius Baronius*, Toloſanus, in *Apologeticis*, Lib. ii. Sect. i. §. iv. Pag. 448, Lib. iv. Sect. iv. §. i. Pag. 117, Lib. v. Sect. iv. §. iv. Pag. 241; atque *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. vii Pag. 533.

(*d*) Cap. præced. §. ii. Num. v. Pag. 421.

(*e*) Cap. xv. Num. xxi.

(*f*) Sect. i. §. iv. Pag. 448.

ſario, Provinciæ Caſtellæ Alumnum (*g*), Natione Hibernum, cujus dum hæc ſcribimus Mortis Nuncium atrociſſimum Nos oppreſſit (*b*). Ingratiſſimi Animi me reputarem, niſi Virum immortali Memoriâ digniſſimum, & de me optimè meritum, duobus à me nominatis adjungerem, quibus Amicitiâ arctiſſimè junctus ejuſdem Provinciæ Decus, nec Pietate, nec Sapientiâ, & Integritate illis inferior, & fortè etiam pertinaci Dignitatûm Repulsâ, & Contemptu, in Negotijs gerendis Solertiâ, in Animis Regum, & Procerum conciliandis Gratiâ, & Rerum gerendarum Magnitudine illos ſuperavit. Ex Hiberniæ nobili Familia natus, in Caſtellana Provincia ad Ordinem receptus, indè eam hauſit Pietatem, & Sapientiam, quas Lovanium, quas Matritum, quas Gallia, & quas tota ferè Europa mirata eſt. Nomine Regis Catholici (*Philippi* IV) apud Regem Angliæ Patrem *(Carolum* I*)* & apud Carolum *(Secundum)* Filium (*i*), & hujus Romæ apud Innocentium X geſſit Negotia graviſſima, pari Sapientiâ, & Felicitate, ſed apertiùs Titulo Archiepiſcopi Goenſis, quem abdicavit, apud Regem Chriſtianiſſimum Legatus *Luſitaniæ*, toti Aulæ fuit Amori, & Venerationi: Atque hoc Elogium retulit, nullum unqnam feliciùs Pietatem cum Prudentia, Modeſtiam, & Humilitatem Religioſam cum Legati Gravitate, & Sapientia conjunxiſſe.

“ Quid referam tres Epiſcopatus recuſatos? Quid dicam Vim illam Animorum conciliatricem, quâ Regum, & Procerum Amorem, & Judicia non ſolùm merebatur, ſed etiam rapiebat? Neſcio an ulli unquàm Hominum contigerint hæc, quæ in illo licuit mirari. Summâ Gratiâ ubique valuit, præſertim apud Luſitanos extraneus ſine ulla Invidia, & liberrimè reprehendentem, Principes, & Reges ſummè dilexerunt: Sed hujus Felicitatis Admirationem minuit Integritas, & Virtutis Magnitudo. Nihil ſanè mirum fuiſſe omnibus Venerationi, & Amori, cùm ex ſumma Gratia apud Reges nullum privatum Commodum, ſed de omnibus benè merendi Occaſiones captaret.

“ Hoc unum, cæteris prætermiſſis, dicam; Nemo neſcit, quâ Cupiditate flagrent reliquarum Dignitatum Contemptores, ut Regum Animos occupent; & cùm Confeſſarij, & Conſiliarij Principis Munus diligentiſſimè obiret in Luſitania, & Rex Angliæ *(Carolus II)* humaniſſimis Epiſtolis illum advocaret in Conjugis *(Catharinæ, Joannis IV, Luſitaniæ Regis Filiæ)* Confeſſarium (*k*), & Conſiliarium, nunquàm horum Officiorum Titulos, & Nomina admiſit. Nihil ergò mirum, ſi ejus Gratiam, vel Reprehenſiones Principum liberas, nunquàm Odium, aut Livor ſecuta ſunt, cùm nihil ſui Causâ ageret, ſed Dei Gloriæ, publici Boni Studio, quo unicè flagrabat.”

Et alibi *(l)*, inter loquendum de Fratrum Dominicanorum à Dignitatibus Fuga, dicit:

“ Quid de Patre Dominico à Roſario, à duobus Menſibus mortuo, quem tres Epiſcopatus recuſaſſe, & Titulum etiam Confeſſarij Reginæ Luſitaniæ (*m*) cùm Officio fungeretur, ſupra memoràvimus, nec paſſum ſe nominari ad Epiſcopatum Conimbricenſem, niſi eâ Spe, quod Nomen tantùm, non Redditus (*n*), aut Curam eſſet habiturus.”

“ Et alibi (N) hæc habet: “ Ea fuit Mens ſæpiùs à me commemorati, & æternâ Laude celebrandi Patris Dominici è Roſario, qui à Titulo Confeſſarij Reginæ Luſitaniæ, ſicut ab Epiſcopatu perpetuò abſtinuit.

(*g*) Sic reputatum, quia ea in Provincia Ordini Nomen dedit, ut dictum eſt Cap. præced. §. ii. Num. ii. Pag. 418.

(*b*) Ex iſtis Verbis mendoſè refert *Harriſius* Vol. II. de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 143, *Baronium* aſſerere, quod *O-Dalæus* noſter ad Annum uſque 1666 vixerit: Enimverò Anno 1662 ſcribebat *Baronius*, etſi Opus ſuum Typis vulgatum non fuerit uſque ad Annum 1666, cujus Rei haud rara ſunt Exempla.

(*i*) Eò Loci *Harriſius* mox allatus malè reprehendit *Baronium*, quem fingit dicentem, *O-Dalæum* noſtrum Negotia geſſiſſe *Philippi* III Regis *Hiſpaniarum* apud *Carolum* II Regem *Angliæ*, quia, inquit *Harriſius*, Luſitani ab Hiſpanico Dominio receſſerunt longè antequàm *Carolus* II per Genitoris ſui Obitum ad Coronam *Angliæ* Jus haberet. Verùm *Baronius* dicit ſolummodò *O-Dalæum* graviſſima apud *Carolum* II geſſiſſe Negotia Nomine *Regis Catholici*, non autem dicit Regem illum fuiſſe *Philippum* III, neque id aſſerere citrà Falſitatem potuit, Rex quippè *Philippus* III Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt Anno 1621. Deinde quod ad *Philippum* IV, qui ab Anno 1621 ad 1665 in *Hiſpania* regnavit, attinet, ſciat *Harriſius*, *Danielem* noſtrum *O-Dalæum* ſummâ Gratiâ apud ipſum valuiſſe tàm antè quàm poſt Annum 1640, quo *Luſitani* ab *Hiſpanis* defecerunt, ſibique Regem *Joannem* IV, *Bragantiæ* Ducem elegerunt. Confer Cap. xii §. ii. Num. ii. Pag. 419.

(*k*) Videſis Cap. xvi. Num. lxxxiii.

(*l*) Lib. iv. Sect. iv. §. i. Pag. 117.

(*m*) Nomine *Luciæ*, Regis *Joannis* IV Viduæ, quæ Regens erat Regni, dùm Primogenitus ipſius *Alphonſus* minorennis eſſet.

(*n*) Adeas Cap. xii. §. ii. Num. v. Pag. 421.

(*N*) Lib. v. Sect. iv. §. iv. Pag. 241.

abſtinuit. Eum imitati ſunt Patres noſtri Luſitani: Nam eo Tempore, quo de Reginæ Angliæ Confeſſario agebatur, & plures illud Officium ambirent, è noſtris, qui Palatium antè frequentabant Titulo aut Munere Concionatorum regiorum, per aliquot Menſes indè receſſerunt, & vix eò Pedem intulere, ne viderentur illum Honorem expetiviſſe, aut potiús incauti Periculum adiviſſe: Et quamvis id Cautelæ, Formidinis, & Fugæ ex ingenita Modeſtia, & Humilitate adhibuerint; eò tamen crediderim illos impuliſſe Exemplum Patris Dominici, etiam inter Vitam Religioſam, & ab Aula remotam profeſſos rariſſimum, & planè mirandum, quod pauci velint, aut fortè poſſint imitari.

“ Comperta narrabo non minùs Reginæ, quæ ſe illius Conſilijs regendam permiſerat, cujus eodem, quo hæc ſcripſeram, Die Mortis Nuncium excepi, aut Luſitanis Proceribus, apud quos extranei Virtus, ſine Invidia, Admirationi fuit, quàm ipſi Dominico glorioſa, qui hoc meruit, ut tota Aula Luſitana, id eſt, Regina cum Optimatibus in illo colendo, & ornando certarint.

“ Ipſa Princeps Fæmina ſatis virilem Animum, & Sexu majorem teſtata eſt, cùm Virum à Proceribus conjuratis ad Numerum triginta quinque oblatum Regnum recuſantem ſuis Precibus, & Conſilijs coegit adire, eoque Vivis exempto, multis Annis adminiſtravit ſapientiſſimè, & Bello adversùs Hoſtem longè Viribus majorem, pari Fortitudine & Felicitate defendit. Eo autem fuit in noſtrum Dominicum Animo, ut nihil Regiâ Auctoritate, & Manu muniret, quod ipſi legendum primò, & probandum non ſubjeciſſet. Quibus verò Artibus hanc apud illam promeruit Gratiam, & Auctoritatem? Summâ in ſuggerendis ſalutaribus Conſilijs Sapientiâ, & pari in minimis Labeculis non diſſimulandis, ſine Moroſitatis Vitio, Libertate, apud Principes inſolitâ, & vix unquàm viſâ.

“ Audi, Lector, Rem hactenùs nec uſurpatam, nec lectam: Patri Dominico inter colloquendum familiariter Chriſtianè, ac Religioſè aliquandò ingemeſcenti, & graves Conſcientiæ Remorſus conteſtanti, quod ipſam mortuo Viro *(Rege Joanne* IV *Anno* 1656*)* Res Luſitanas ſummo Imperio adminiſtrantem non ſatis exactè ſui Officij admonuiſſet, neque datâ Occaſione Conſilia ſaniora aperuiſſet: *Depone,* inquit Regina, *mi Pater, hunc vanum Timorem*: *Nunquàm te conſului, quin mihi Author fueris meliorum, & velut Angelus è Cælo miſſus ad mea Dubia reſponderis*; *& ſi quid Peccatum fuerit, non tibi imputandum ſemper ſalutaria ſuadenti, ſed mihi non obtemperanti.* Et tùm è feliciſſima Memoria, quaſi in Promptu, & in Numerato omnia haberet, longo Ordine narravit quidquid ſibi per regiæ Adminiſtrationis aliquot Annos ad ſingula quæque alicujus Momenti conſuluiſſet; quorum ipſe omninò oblitus erat: Et mihi referebat à ſe audita, non ſolùm cum Admiratione adeò felicis Memoriæ, adeoque ſolicitæ Curæ hæc Animo infigendi, & identidem recolendi, ac Uſu perpetuo frequentandi, ſed etiam cum Maximo Conſcientiæ Levamine, quod minus quàm timeret negligenter Conſiliarium, Chriſtianum, & Confeſſarium egiſſet.

“ Et cum hoc ſolemne ſit, altèque defixum Animis Aulicorum, ut Gentilibus ſuis, multòque magis alienis, qui Gratiâ valent apud Principes, invideant; Luſitana tamen prima Nobilitas noluit ipſi Reginæ in Dominico colendo decedere. Hujus inauditæ Æmulationis, & Contentionis ſingulare Exemplum accipe. Cùm Dominico noſtro prorsùs inconſulto, & inſcio, Regni Mutatio contigiſſet; non putavit ad ſe pertinere, rectène an ſecùs Luſitani deſciviſſent à Rege Hiſpano, ſed ſui tantùm eſſe Officij, ut novo Regi eâdem, quâ Hiſpanum demeruerat, Fide pareret, & quâ illi ad multa Negotia graviſſima inſervierat, nullâ aliâ Mercede, nec receptâ, nec quæſitâ, quàm benè facti Conſcientiâ. Quarè cùm Legationibus, alijſque Muneribus probè defunctus, non inutilem Operam novo Regi navaſſet, & Archiepiſcopatum Goenſem, aliaſque Dignitates oblatas recuſaſſet, neque ſuppeterent Pecuniæ, quibus Collegium Religioſis Hibernis, & Monaſterium ejuſdem Gentis Virginibus, piorum magis Largitionibus, & Eleemoſynis, quàm regijs Muneribus inchoatum proſequeretur, & abſolveret; Libellum Supplicem Reginæ dedit, quo narrabat ſe Regis, & Regni Bono aliquot Annis operatum, deficere quibus ſuos Fratres aleret, & imperfecta Ædificia perficeret, & aliquam ad id Mercedem, aut Liberalitatem rogabat.

“ Supplicationem Scriptô exaratam ipſa Regina detulit ad Procerum Conſilium, quo ſine nihil ſibi permittebat agere, nec dare etiam Confeſſario ſibi gratiſſimo, & de toto Regno benè merito: Rogatis à Regina quid ſentirent, viſa eſt Petitio juſtiſſima, & primus, qui Sententiam dixit, ter mille circiter Nummos Aureos ſingulis Annis erogandos adjudicavit. Qui proximè ſecutus eſt primi Sententiæ omninò Aſſenſus addidit, cùm ægrè hæc Summa à Queſtoribus regijs, exhauſto Sumptibus Belli Ærario, numeranda eſſet, ſibi videri ad Epiſcopatum Conimbricenſem, ſeptuaginta millium Aureorum Proventu opulentum, deſignari oportere, undè poſſet, ſinè publicæ Utilitatis Noxa, facilè depromi Summa. Deindè hujus Conſilio aſſenſere omnes, etiàm qui primus dixerat, cauſatus non ità ſe opinatum, quod non occurriſſet ea expediendæ Solutionis Ratio, quæ ſibi maximè placeret, Sed qui illam aperuerat,

“ aliud quid altius meditabatur: Sciebat Epiſcopo Conimbricenſi Jus eſſe comparatum præſidendi Conſilio
“ regio; quod hac Deſignatione collatum volebat Dominico. Quis non miretur Hominis Sapientiam, &
“ Felicitatem, qui id Juris meruit alieni Gratiâ? Sed laudanda Magis Modeſtia, quâ nedùm ab ambiendo
“ Honore, quem facilè conſequi proterat, abſtinuerit, ſed oblatum etiam conſtantiſſimè recuſavit.”

Ut tamen Fratribus ſuis, & Sororibus, quibus Collegium, & Monaſterium *Ulyſſipone* fundaverat, ſuiſque Gentilibus, dura pro Fide Catholicâ in *Hiberniæ* Regno ſuſtinentibus, prodeſſet, ſeriâ Commiſeratione ergà illos devictus, inductuſque fuit, ut ſe in Epiſcopum *Conimbricenſem* eligi permitteret, ut ex ſuperiùs dictis liquet *(n)*.

Audiamus demùm quæ de præclariſſimo hoc Præſule, Religioſorum Gemmâ, habet politiſſimus hujus Ævi Scriptor *Jacobus Echardus*, ipſum inter Scriptores Ordinis recenſens *(o)*:

“ Fr. *Daniel O Daly*, vel *O-Dalath*, in Religione *Dominicus à Roſario* dictus, claro nobilique apud
“ Hibernos oriundus *Geraldinorum* Stemmate *Deſmondiorum* Comitum (*p*), & Conventus *Traleienſis* in
“ Comitatu de *Kiery* Alumnus, Ordinem ſuum, Patriam ſuam, & *Luſitaniam* egregij Animi ſui Virtu-
“ tibus, medio currente Chriſti Sæculo XVII, plurimùm illuſtravit. Qui cum apud Luſitanos *Ulyſſipone*
“ ſummâ Pietatis Eruditioniſque Laude claruiſſet, atque Prudentiâ, facilè ſibi Magnatum Populorumque
“ conciliavit Animos, & Æſtimationem *Bragantinæ* Duciſſæ Guſmanici Sanguinis (*q*) Heroinæ *Luciæ*,
“ Ducis *Medinæ Sidoniæ* Filiæ, *Joannis* IV, Portugalliæ Regis, Anno 1640 proclamati, Bragantinique
“ Ducis olìm Uxoris, Sacris à Confeſſionibus electus, tantam invenit apud eundem Regem Gratiam, ut
“ ab eo miſſus Orator fuerit Anno 1655 ad Chriſtianiſſimum Francorum Regem Ludovicum XIV, ejuſ-
“ que Matrem, de paciſcendis inter utrumque Fæderibus, & Affinitatibus. Qui Pariſios appulſus in
“ Conventu SS. Annunciationis ad S. Honoratum apud ſuos declinavit, & toto Legationis ſuæ Tempore,
“ Vir Diſciplinæ Regularis tenax, eſt commoratus, regio Oratorum Apparatu ad Regis admiſſus allo-
“ quium. Joanne verò Luſitaniæ Rege intereà defuncto, Die 6 Novembris 1656, Rex acclamatus eſt
“ Alphonſus VI, Hæres illius, & Primogenitus, cujus Inaugurationem Orator hic noſter publicâ Largi-
“ tione, & Lætitiâ, feſtiviſque ad *Sequanam (r)* Ignibus *Pariſijs* celebravit, ac non multùm poſteà di-
“ miſſus ab Aula Die 26 Junij 1656 Luſitaniam repetiturus Pariſijs diſceſſit. Quanti Virum habuerint Jo-
“ annes IV Rex, & Regina Uxor ejus, vel ex eo liquet, quod ad Metropolitanam Indiarum Orientalium
“ Eccleſiam Goæ, tum ad Conimbricenſem (Bracarenſem tamen dicit F. Joannes O-Heyn in ſuo Epil.
“ Chron. Prov. Hiberniæ Pag. 21) elegerint, & propoſuerint, quas ille ſui ſtudioſiſſimus ac tenax Inſtituti
“ conſtantiſſimè detractavit, Sorte ſuâ ſuiſque contentus prodeſſe Fratribus, atque Gentilibus, dura pro
“ Chriſti Fide in Patria ſuſtinentibus: Quibus quâ valebat apud Regem, & Reginam Gratiâ novam erex-
“ erat Ulyſſipone Domum, & Collegium, in Capitulo Generaliſſimo Romæ 1644 unà cum ejuſdem Or-
“ dinis Virginum & Nationis Hiberniæ Monaſterio receptum, cujus & Collegij Rector eſt Daniel noſter in
“ eodem Capitulo memoratus. Plura de eo apud Vincentium Baronium (*s*), ubi Virum à ſumma Animi
“ Integritate, Modeſtia, humanarumque Deſpitientia Rerum egregiè commendat.”

Hæc *Echardus*, qui etſi Scriptor alioquin accuratiſſimus, mendoſè tamen, Pace tanti Viri dixerim, emendat *O-Heynum* dicentem, *Danielem* noſtrum deſignatum fuiſſe Archiepiſcopum *Bracarenſem*, enimverò ex Auctore coævo, & *Danieli* perſonaliter noto, *Vincentio Baronio*, nuper allato, quem ipſemet laudat *Echardus*, luculentiſſimè conſtat, eum *tres recuſaſſe Epiſcopatus*, cui ſuccinit Rmus Noſter *Bremond* (*t*), qui, multis præmiſſis de eo Elogijs, ex Baronio, & *Echardo*, concludit: *Hinc nullus dubito quin Conimbricenſem, Goenſem, & Bracarenſem Sedes recuſaverit Daniel.* Nihilominùs *Conimbricenſem* tandem aliquandò acceptavit, ut nuper & anteâ ajebam *(u)*.

Editum ab eo Librum alibi opportuniùs recenſebo (*w*).

(*n*) Cap. xii. §. ii. Num. v. Pag. 421.

(*o*) Tom. ii. *Scriptorum Ordinis*, Pag. 617.

(*p*) Lineâ ſcilicet maternâ. Porrò de *Geraldinis* Comitibus tàm *Kildarenſibus*, quàm *Deſmondijs* ſat dictum fuit Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. P. 237.

(*q*) Adeas Cap. xii. §. ii. Num. iv. Pag. 420.

(*r*) *Sequana* eſt Amnis *Lutetiam Pariſiorum* interfluens.

(*s*) Cujus Verba in Medium mox adduxi.

(*t*) In *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vii. Pag. 533.

(*u*) Cap. præced. §. ii. Num. v. Pag. 421.

(*w*) Cap. xv. Num. xxi.

LXX. F. THADDÆUS MAC-EOGHA, alijs *Keogius*, vulgò *Keogh*, Cænobij *Roſcomanienſis* (*x*) Alumnus, peracto in *Pampilonenſi* Conventu *Hiſpaniæ* Studiorum Curriculo, Prædicationiſque Munere in Patria per longam Annorum Seriem, ingenti cum Animarum Fructû, indefeſsè expleto, ſub *Cromuelliana* Tyrannide (*y*) perrexit *Londinum*, ubi haud paucis manſit Annis cum *Ulico de Burgo*, Marchione *Clanrickardiæ*, & Comite *S. Albani* (*z*), qui Gubernatorem Generalem *Hiberniæ* pro *Carolo* II, in exteris Regionibus, poſt decollatum Patrem, verſante, agens, à *Cromuellianis* è toto Regno pulſus, eò ſeceſſerat. Tandem poſt reſtauratum prælibatum Regem, *Thaddæus* noſter, Vir verè exemplaris, ad Sedem *Clonfertenſem*, vulgò *Clonfert*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno 1671, *Clemente* X Summo Pontifice, evectus fuit (*a*). In *Hiberniam* ſtatìm redux, commiſſum ſibi Gregem ceù vigilantiſſimus Paſtor Annis Sexdecim rexit, Animamque reddidit Creatori Anno 1687, in *Kilcorbanienſi* (*b*) noſtro Sacello SS. *Virginis de Roſario* ſepultus.

LXXI. F. DOMINICUS DE BURGO (vulgò *Burke*), Cænobij *Athenrienſis* (*c*) Alumnus, Epiſcopus *Elphinenſis*, vulgò *Elfin*, in *Conacia*, ſub Metropoli *Tuamenſi*, ſimul cum mox laudato *Thaddæo Mac-Eogha*, Antiſtite *Clonfertenſi*, in eadem *Tuamenſi* Provincia, à *Clemente* X, Pontifice Maximo, renunciatus Anno 1671 (*d*). Præclariſſimi hujus Præſulis Memoria etiamnùm vivit apud *Hibernos*, Rem nihilominùs pergratam me facturum arbitror, ſi de eo Teſtomonia adducam duorum Conſodalium ipſius, ejuſdem utpotè *Athenrienſis* Conventûs Alumnorum, Patrum nempè Magiſtrorum *Joannis O-Heyn*, Auctoris *Epilogi Chronologici*, & *Edmundi de Burgo*, Theologi *Caſanatenſis* in Urbe, qui illum in *Hibernia*, & in *Belgio* probè noverant.

PRIMUS igitur, Notis Marginalibus MMS Secundi auctus, hæc de eo habet (*e*).

“ Natus eſt in *Hibernia* circà Annum 1629 Parentibus Fidei Orthodoxæ conſtanti Profeſſione, necnon
“ antiquâ Nobilitate (*f*) conſpicuis. Anno verò circiter 1648 toto Regno tumultuoſis Bellis, & Hoſtilitatis
“ Sævitiâ concuſſo (*g*), ſpiritualis Perfectionis Amore ductus, Evangelicæ Militiæ ſe devovens, in
“ Sacro Fratrum Prædicatorum Ordine profeſſus eſt. *Hiſpaniam* dein petens, in Mari comprehenſus eſt
“ ab Hæreticis *Anglis*, qui ipſum *Kinſaliam* (in Agro *Corcagienſi*) ductum, ac Veſtibus, & Viatico ſpoliatum,
“ Carceri tradidere, ex quo, Jeſu Chriſto ſingulariter opitulante, ſe liberavit ſaltando à Summitate
“ Muri Carceralis in Lutum, ab effluente Mari relictum. In Sylva ibi vicina biduo latuit, ad Collum
“ uſque Luto conſperſus, quia non audebat indagare Flumen ad ſe abluendum. Duobus hiſce Diebus
“ neque manducavit, neque bibit, donec tandem ægrè venit ad Ædes cujuſdam Catholici Nobilis ex
“ Familia de *Roche* (*h*), à quo benigniſſimè receptus fuit, & hoſpitatus quoaduſque recuperaverit Vires,
“ tunc benè veſtitutum dimiſit in Pace cum ſufficienti etiam Viatico pecuniario. In Fortitudine hujus
“ adjumenti perrexit ſalvus in Domicilium Dominæ Matris ſuæ, quæ ſtupefacta nimis voluit abſolutè
“ quod denuò non ſe exponeret Maris Periculo ; ille autem prævaluit, & nactus à Matre novum Viaticum
“ conſcendit Navim *Galviæ*, & tutè appulit in *Hiſpaniam*, ac receptus *Segoviæ* in religioſiſſimo
“ Conventu noſtro *S. Crucis*, ibi Sexennium conſumpſit in Studijs, quibus completis, & Perſecutione
“ *Cromuelliana* inardeſcente in *Hibernia*, profectus eſt in *Bæticam*, indèque in *Italiam*, ubi manſit
“ Sexdecim circiter Annis, & ob Vitæ Probitatem, Morum Candorem, ac promovendæ Religionis
“ Zelum

(*x*) De quo Sermonem faciebam Cap. ix. §. xvi. Pag. 257.

(*y*) Adeas Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*z*) Recolendum Cap. ix, §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 277.

(*a*) *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 635. Num. clii ; *O-Heynus*, Pag. 44 ; *Bernardus de Jonghe*, Pag. 423 ; *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 331.

(*b*) De Domo hac quà Vicariali Sermo fuit Cap. ix. §. viii. Num. xix, & quà Conventuali dubia Cap. x. §. iv. Pag. 234, & 341.

(*c*) De quo fusè dicebam Cap. ix. §. viii. Pag. 220.

(*d*) *Cavalerius*, Tom. i. Pag. 636. Num. cliii ; *O-Heynus*, Pag. 33 ; *de Jonghe*, Pag. 423 ; *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 331.

(*e*) Pag. 33, & ſeq.

(*f*) Videſis Cap. ix. §. viii. Num. iii. Lit. q. Pag. 222.

(*g*) Confer Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*h*) Legeſis Cap. ix. §. xlii. Num. ii. Lit. f. Pag. 334.

“ Zelum ferventem, ſummoperè conſideratus ab omnibus, & principaliter ab Eximio, & Sapientiſſimo Patre Magiſtro *Julio-Vincentio Gentili*, bis Provinciali Magnæ, & obſervantiſſimæ Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ*, ac poſteà Archiepiſcopo digniſſimo *Januenſis* Eccleſiæ. Factus Novitiorum Magiſter *Venetijs* in Conventu S. Dominici *Caſtelli (i)*, *Mediolani* in Conventu magnifico, & ducali *S. Mariæ Gratiarum*, ac denique in Generali Novitiatu de *Boſcho (k)*, Decennio integro hoc Officium cum Pietate, & Laude adimplevit. Deindè in Comitijs Generalibus noſtri Ordinis, *Romæ* celebratis 1670, Definitor (*l*) fuit ad Decorem ſuæ Provinciæ, atque ad Utilitatem ſingularem Collegij noſtri *Lovanienſis* S. Crucis (*m*). A *Clemente* X, Pontifice Maximo, nullatenûs ſolicitans, ſed vocatus tanquam *Aaron*, ex improviſo promotus eſt ad *Elphinenſem* Epiſcopatum 1671, Ætatis ſuæ 41, & conſecratus *Gandavi*, indeque illicò in Patriam redux, boni, ac vigilis Paſtoris Miniſterium implevit Verbo, Exemplo, & Sacramento Annis triginta tribus.

“ Vix enarrari poteſt quantas qualeſque Tribulationes perpeſſus fuerit in horrenda Perſecutione, ſuſcitatâ contrà omnes promiſcuè Catholicos in *Anglia*, & *Hibernia* Anno 1680. Conſtitutæ ſunt bis Centum Libræ *Sterlingæ* (id eſt, octies Centum Scuta *Romana)* à Domino Prorege, & Sanctiori Concilio Regni *Hiberniæ* pro quocunque eum prendente, quam ob Rem Noctu itinerari ſolebat durante iſtâ Perſecutione. Quatuor Menſibus delituit in Domo quadam ſolitaria, ità ut ne ſemel quidem extrà illius Limen Pedem poſuerit, ſed accedente Die-Cænæ Domini, in quo Olea conſecrari oportebat, è Veſtigio indè abijt ad Quadraginta Milliaria, Noctu jugiter incedens. Eram *(Joannes O-Heyn)* ejus individuus Socius toto illo Anno, uſque dùm captus fuerit Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus Armachanus Archipræſul, Dominus *Oliverius Plunkett* (*n*), qui crebiò monebat Epiſcopum *Elphinenſem* è Carcere *Dublinienſi* de frequentibus Conſilijs Concilij Supremi, ac Privati ad capiendum illum, quibus Monitionibus multùm adjutus eſt *Elphinenſis* Præſul ad eorum Inſidias, & ſanguinolentas Manus evitandas (*o*), in quas ſi incidiſſet, proculdubiò eâdem fruiturus eſſet Sorte, quam nactus eſt Reverendiſſimus dictus *Hiberniæ* Primas, qui ex *Hibernia* ductus ſub Præſidio Militari *Londinum*, ſuſpenſus, ſtrangulatus, decapitatus, ac membratìm ſectus eſt Die prima Julij Anno 1681.

“ Porrò Epiſcopus noſter *Elphinenſis*, eſtò pauper, & ſine Redditibus ullis (nam Hæretici Pſeudo-Epiſcopi in illis miſeris Regnis omnium Eccleſiarum Bona poſſident) Oſor ingens erat Munerum ab ullo, & præcipuè ab Eccleſiaſticis tribuendorum, hinc ut viveret decenter, ac non oneroſus ſuo Clero, nihil omninò habenti præter voluntarias Fidelium Oblationes, Terram amplam, & bonam accepit ſub Emphy-

---

(*i*) In hoc Cænobio ad Habitum Ordinis (Anno 1666) & Profeſſionem à laudato Provinciali *Utriuſque Lombardiæ*, P. Magiſtro *Julio-Vincentio Gentili*, admiſſus fuit Fr. *Vincentius-Maria Urſinus*, poſtmodùm (Anno 1672) S. R. E. Cardinalis, tandemque (Anno 1724) *Benedictus* Papa xiii, ut ſpecialibus Diplomatibus, in *Bullario Ordinis* Tom. vi. Pag. 536, & 691 legendis, ipſemet Summus Pontifex declaravit, qui inſuper probè novit *Dominicum* noſtrum *de Burgo*, ut crebrò narrabat, eundem magnoperè laudans, apud *S. Sixtum* de Urbe, dùm ipſe id Felicitatis haberem, ut ibi verſarer, juxtà ſuperiùs dicta Cap. præced. Num. xx, & ſeq, à Pag. 387.

(*k*) *Boſchum* eſt Oppidum Diæceſis *Dertonenſis*, vulgò *Tortona*, apud *Inſubres*, *S. Pij V* Natalibus clarum, ubi idem Clariſſimus Pontifex Conventum noſtri Ordinis fundavit, alijs permagnæ Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ* Cænobijs obſervantiâ Regulari prælucentem.

(*l*) Definitor non fuit ijs in Comitijs, ſed Elector Magiſtri Ordinis, ut Cap. vi. Num. xx. Pag. 127. ajebam. Definitor quippè erat P. *Joannes O-Connor*, à *S. Dominico* paſsim nuncupatus, ut vel ex eorundem Comitiorum Actis, *Romæ* Typis *Nicolai-Angeli Tinaſſi* 1671 impreſſis, quæ præ Manibus teneo, luculentiſſimè conſtat. Si tamen Definitor iſte poſt Electionem Magiſtri Ordinis per Ægritudinem fortaſsè impeditus fuerit ad interveniendum Definitorio, tunc quidem juxtà Leges Ordinis *Dominicus* noſter, quà Elector, Definitoris Munere fungi debuit.

(*m*) Refert P. Magiſter *Edmundus de Burgo* in Notis Marginalibus M. S, quod cùm Provincialis *Germaniæ Inferioris*, quibuſdam fultus Inſtrumentis Univerſitatis, & Magiſtratûs *Lovanienſis*, attentaret ſibi ſubdere Collegium noſtrum *Lovanienſe* S. Crucis, eâ de Re præmonitus *Dominicus* noſter *de Burgo*, nonnulla præparavit magni Ponderis Momenta, quibus permotus Neo-Magiſter Ordinis Rmus *Joannes-Thomas de Roccaberti*, Hiſpanus, graviſſimè increpavit Provincialem *Belgam* pro injuſto ſuo Conatu, *Hibernos* inſimul *Lovanij* florentes, duraque apud ſuos ſuſtinentes pro Sacroſancta Fide Catholica, ſummoperè laudans.

(*n*) De celebri hoc Antiſtite, ceu peculiari Ordinis noſtri Amico, ejuſque glorioſâ Morte Sermo erat Cap. vi. Num xxiii. Pag. 130.

(*o*) Apologiam pro ejus Fuga, Exemplo *S. Athanaſij*, texebam Loco mox citato.

“ teuſi ab Illuſtriſſimo D. *Gulielmo de Burgo*, Comite *Clanrickardiæ*, intimo ſuo Conſanguineo, quam ſummoperè melioravit ædificijs, Sepimentis, & ſpecioſâ Arborum Plantatione, ex cujus Beneficio vivebat, Jura gratæ, ac liberalis Hoſpitalitatis ſecundùm primitivum Eccleſiæ Morem ſervans, dùm Ceſſatio aliqua à procelloſis Perſecutionibus luceſceret. In Bello rebellium Hæreticorum contrà Regem noſtrum *Jacobum* Secundum coactus fuit Venerandus iſte Antiſtites Domicilium capere *Galviæ* extrà ſuam Diæceſim, ubi Cives *Galvienſes* colebant eum omni Affectu, & Honore, & miniſtrabant ei plurimùm de Facultatibus ſuis, ibique Menſam tenuit apertam, nullo alio Regni Prælato ſimiliter faciente. Strenuus fuit ſemper Defenſor Ordinum Mendicantium, quos vocabat *dexterum Eccleſiæ Oculum*, & hoc perſpicuè apparuit in Parlamento *Dublinij* ſub Sereniſſimo Rege *Jacobo* Anno 1689 habito *(p)*, ubi obturavit Ora adverſantium Religioſis, præſertìm Illuſtriſſimi *Patritij Cuſacki*, Epiſcopi *Midenſis*. Fuit devotiſſimus ergà SS. Virginem Deiparam, undè præter Officium Canonicum ferventer recitabat quotidiè integrum Roſarium, & ſæpiſſimè bis in Die.

“ Rex *Jacobus* dilexit eum valdè, & Regina pariter. Ipſe exul factus manere noluit in Abbatia ei oblata à Chriſtianiſſimo Rege *Ludovico Magno*, ſed declinans *Lovanium*, & magis contentus Fratrum Mendicantium Paupertate, elegit tranſigere inter Fratres ſuos in Collegio S. Crucis.

“ Ibidem à Menſe Julij 1695 commoratus, per crebras Literas, ad Compaſſionem verè incitantes, Summum Pontificem, Principes Europæ Orthodoxos, eorum Legatos ad ineundam Pacem *Ryſwickanam (q)* miſſos, de flebili Catholicorum in *Hibernia* Statu informavit, detegens inſimul Hæreticorum Intentionem ad Fidem ibidem eradicandam. Eo Conſilio Acta quædam Parlamentaria, præſertim de Expulſione Cleri cum Præfatione ad Orthodoxos, Typis imprimi, & impreſſa diſtribui fecit eodem Anno 1697; item Libellum Supplicem ad *Innocentium* XII, Pontificem Maximum, quo permotus Sanctiſſimus Dominus duo Brevia Spiritu Sancto plena expediri fecit 10 Junij 1698, & 6 Junij 1699 data, Proceſſiones publicas indixit, Collectiones Eleemoſynarum inter Catholicos fieri voluit pro extorribus; Suaque ipſa Sanctitas magnam Pecuniarum Summam ad *S. Germanum* propè *Pariſios (r)* miſit, inter eos diſtribuendum. Inſuper Præſul noſter *Elphinenſis* ſolicitavit pro toto *Hiberniæ* Regno Abſolutionem, à præſumpta Excommunicatione, in quam incurriſſe exiſtimabantur Incolarum nonnulli Tempore Excellentiſſimi Nuncij Apoſtolici *Rinuccini*. Repulſam ſæpiùs paſſi ſunt alij *Hiberni* ſolicitantes, ſed Gratiam tandem ipſe impetravit, Trigintæ Tres nempè Bullas Apoſtolicas ad ſingulas totidem *Hiberniæ* Diæceſes (*s*), eum in Effectum datas (*t*).

“ Cæterùm Ruinam minante Cænobio noſtro *Lovanienſi* cum maximo Inhabitantium Periculo, diſſolutoque propterea Ædificio pro ejuſdem Inſtauratione, ſe contulit Illuſtriſſimus noſter ad Reverendos Patres Minoritas *Hibernos* in eodem Oppido, à quibus urbaniſſimè receptus, inter eos valdè contentus vixit. Demùm Laboribus plurimis pro Deo, & Eccleſia exantlatis, ac Numero Annorum ſeptuaginta quinque circiter gravatus, Exomologeſi præmiſsâ, Sacroſanctâ Euchariſtiâ, & Extrema-Unctione confortatus, Mentis, & Linguæ ad extremum uſque Punctum compos, Animam Salvatori placidè reddidit primâ Die Anni 1704 inter nonam, & decimam Horam veſpertinam, ſepultuſque manet in eorundem Templo juxtà Altare Summum.”

INTER Scriptores alibi (*u*) recenſendus. Memorato autem Loco elegantiſſimum videre eſt Marmor, ſequentem exhibens Inſcriptionem:

D. O. M.
Hic jacet, ut voluit,
Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Fr. Dominicus de Burgo,
Nobilis Familiæ, ex S. Ordine Prædicatorum,
Epiſcopus Elphinenſis in Hibernia,

Qui

(*p*) Recolendum Cap. vii. Num. x. Pag. 142.

(*q*) Propè *Delphos*, vulgò *Delft*, in *Belgio Batavorum*.

(*r*) Adeas Cap. vii. Num. xiii, & Cap. xv. Num. xxiii.

(*s*) Eas omnes conſcriptas habes Cap. i. Num. xii. Pag. 16, quatuor nempè Metropolitanas, & viginti novem Cathedrales Sedes, ultrà *Enachdunenſem*, & *Mayonenſem*, quæ *Tuamenſi* dudùm adjectæ fuerant, & *Aghadoenſem* adjectam *Ardfertenſi*.

(*t*) Confer Cap. xvii. Num. lxxxi.

(*u*) Cap. xv. Num. xxiv.

Qui pro Deo, ac Rege ſuo plurima paſſus,
Profugus obijt in hoc Collegio Lovanienſi
S. Antonijj de Padua Fratrum Minorum Hibernorum,
Die I *Anni* MDCCIV, *&* *Ætatis* LXXV.
R. I. P. A.

LXXII. F. DOMINICUS MAGUIRE, ſeù *Mac-Guire*, nobili Familiâ (*w*) oriundus, Cænobij *Gaulenſis* (*x*) Alumnus, etſi in *Derienſi* ad Habitum Ordinis receptus à Venerabili P. *Eugenio O-Coighly* (*y*), ejuſdem Priore. Peractis in Provincia *Bæticæ* Studijs, perrexit *Londinum*, ubi Sacellanus Honorarius factus eſt penès Regis *Hiſpaniarum* Oratorem. Eo Munere, magna cum Prudentia, Fideliſque Populi Ædificatione, per longam Annorum Seriem fungens, tandem ab *Innocentio* XI, Pontifice Maximo, renunciatus eſt Archiepiſcopus *Armacanus*, vulgò *Armagh*, in *Ultonia*, Anno 1681, in Locum nuper & pridem laudati (z) *Oliverij Plunkett*, eadem in Urbe *Londinenſi*, in Odium Fidei Catholicæ, Capite plexi. Hinc emendandus *Cavalerius Dominicum Maguire* Sedè *Armacanæ* præficiens Anno 1678, Lippis quippè & Tonſoribus in *Magna Britannia*, & *Hibernia* notum eſt, prælibatum *Oliverium* Carnificinam illam, ne dicam Martyrium, ſubijſſe Die 1 Julij 1681, ad dictamque Sedem fuiſſe promotum Anno 1669 in Locum *Edmundi O-Reilly*. Supra porrò exſcriptum habes (*a*) Decretum ipſius Favore Fratrum Prædicatorum *Ultoniæ*, Die 11 Octobris 1671 datum.

In Diæceſim ſuam nullâ interpoſitâ Morâ ſe contulit *Dominicus* noſter *Maguire*, eamque feliciter pro Rerum Conditionibus rexit uſque ad integram Regni Expugnationem à *Gulielmo Rege* (*b*) factam Anno 1691. quo Tempore coactus fuit cum permultis alijs Eccleſiarum Præſulibus transfretare in *Galliam*, *ubi Exul à Grege, & Patria vivit tollerans æquanimiter ſuum Exilium*, ajebat Anno 1706 noſter *O-Heynus* (*c*). Piè obijt *Lutetiæ Pariſiorum* Anno 1708, in Ædibus Sacris Seminarij *Hibernorum*, vulgò dicti *Collegij Lombardorum* (*d*), tumulatus.

In Locum hujus renunciatum fuiſſe Archipræſulem *Armacanum* P. Magiſtrum *Richardum O-Heain*, aliàs *Eano*, Bureſulenſem, *Neapoli* tunc verſantem, refert *Cavalerius* apud *Bullarium Ordinis Prædicatorum* (*e*). Sed Onus pariter, & Honorem recuſavit Vir modeſtus, de quo alibi dicebam (*f*).

LXXIII. F. AMBROSIUS MAC-DERMOTT, antiquâ ortus Proſapiâ, (G), S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Tulſkenſis* (*g*) Alumnis, Artes, & Theologiam per plures Annos docuit apud SS. *Sixtum*, & *Clementem* (*h*) Urbis, ibique fuit per conſuetum Triennium ab Anno nempè 1686 ad 1689, Prior. Indè ad Collegium Pænitentiariorum Apoſtolicorum Baſilicæ Liberianæ S. *Mariæ Majoris* in eadem Urbe tranſlatus, quà Definitor *Hiberniæ* interfuit Comitijs Generalibus *Romæ* 1694 (*i*). Tandem à *Clemente* XI, Pontifice Maximo, ad Eccleſiam *Elphinenſem*, vulgò *Elfin*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, evectus fuit Anno 1707 (*k*).

(*w*) Recolendum Cap. ix. §. xl. Num. iii. Lit. e. Pag. 331.

(*x*) De quo Sermonem habui Loco mox citato. O-Heynus Pag. 4, *Dominicum* noſtrum facit Alumnum Cænobij *Derienſis*, ſed P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, in Notis Marginalibus *O-Heynum* mendans, ipſi adjudicat Conventum *Gaulenſem*.

(*y*) De eo dicetur Cap. xvi. Num. lxxvii.

(z) Cap. vi, Num. xxii. & Cap. præſ. Num. præced. Pag. 129, & 497.

(*a*) Cap. vi. Num xxii. Pag. 129.

(*b*) Adeas Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*c*) Pag. 4.

(*d*) Sic paſsim nuncupatur quia primitùs fundatum pro Natione *Lombardorum* in *Italia*.

(*e*) Tom. vii. Pag. 521.

(*f*) Cap. ix. §. xxxvii. Num. vi. Pag. 321.

(G) Adeas Cap. ix. §. xxix. Num. ii. Lit. e. P. 295.

(*g*) Itâ refert P. Magiſter *Edmundus de Burgo* in Notis Marginalibus ad Pag. 40 *O-Heyni*.

(*h*) De geminato hoc Cænobio dicebam Cap. præced. §. i. à. Pag. 366.

(*i*) Recolendum Cap. viii. Num. i. Lit a. Pag. 153.

(*k*) *Echardus*, Tom. ii, Pag. xxix; *Dominicus Ponſi* in *Vita Antonini Cloche*, Cap. viii. Pag. 213. Num. xxxix; *Bullar. Ord. Præd.* Tom. vi. Pag. 519.

Ne Proviſionem hanc Apoſtolicam reſcirent Acatholici in *Magna Britannia*, aut *Hibernia*, ubi Perſecutio in utrumque Clerum, tàm Sæcularem, quàm Regularem (l), ferveſcebat, *Ambroſius* noſter antè Diſceſſum ab Urbe conſecratus fuit tàm privatim, ut exiſtimabatur, quàm quod maximè. Nihilominùs totius Rei, omniumque Circumſtantiarum ejus Notitia ad Aulam *Londinenſem*, Operâ Exploratorum ſuorum, uſque adeò devenit, ut eo ipſo Die, quo Neo-Epiſcopus, in *Hiberniam* proficiſcens, *Londinum* appulſus eſt, captus ſtatìm, & Carcerali Cuſtodiæ mancipatus fuerit. Pluries indè examinatus de Dignitate Epiſcopali, nihil unquàm reſpondit, *Italum* ſe fingens, italicè ſcilicèt peritiſſimus. Tandem in Examine adhibitus fuit prò Interprete quidam cujuſdam Ordinis Regularis Sacerdos *Italus* Apoſtata, qui tametſi *Romæ* probè noviſſet *Ambroſium* noſtrum, quà Pænitentiarium ad *S. Mariam Majorem*, ipſi tamen pro Viribus facere geſtiens, declaravit, quod Loquela ſua non *Hibernum*, aut *Anglum*, ſed *Italum* manifeſtum faciebat. Demùm unus è duobus Regni Adminiſtris accerſitum ad ſe Neo-Epiſcopum in hunc Modum Anglico Idiomate adlocutus eſt: *Quamquàm te facias Italum, ſcio tamen optimè te eſſe Hibernum, Nomine Ambroſium* Mac-*Dermott, Dominicani Ordinis Alumnum, antebàc Pænitentiarium apud S. Mariam Majorem de Urbe, nunc verò Epiſcopum Elphinenſem Titularem* (m) *in Hibernia, Romæ conſecratum tali Die & Menſe à tali Cardinale in ſuis Ædibus cum Aſſiſtentia talium Epiſcoporum.* Dein in Carcerem remiſſus fuit, poſtmodùm exulare coactus in *Belgium* cum diſtricta Minatione Mortis ſi regrederetur, aut in *Hiberniam* ullatenus ſe conferret (*n*).

Nihilominus Vir planè Apoſtolici Pectoris, tanquàm Paſtor bonus Animam ſuam ponere volens prò Ovibus ſuis, per aliam Viam ex *Belgio* in *Hiberniam* perrexit, ubi Gregi ſuo ſedulò indeſinenterque pro virili invigilabat ad Mortem uſque, inter ſuos, exardeſcente Perſecutionis Rabie, verſatus Commilitones, qui egentes, & auguſtiati latebant in Montibus, & Cavernis Terræ, ut Catholicos in vera Fide ſolidarent. Commune autem Debitum ſolvit propè *Clontuoſkirtam*, Diæceſis ſuæ, Agrique *Roſcomanienſis* Pagum, haud procul à *Shanano* Flumine ſitum, in propinquâ Canonicorum Regularium Abbatiâ humatus, Menſe Septembri Anno 1717.

LXXIV. F. AMBROSIUS O-CONNOR (*o*), S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Sligoenſis* (*p*) Alumnus, *Hiberniæ Dominicanæ* Procurator apud *Matritum* (*q*) conſtitutus, Officium illud per Triginta Annorum Seriem (*r*) cum Laude exercuit. Deindè Anno 1700 inſtitutus fuit Prior Provincialis, Patribus ſcilicèt Electoribus de Anno 1698 in Exilium abactis (*s*), atque, expleto eo in Munere conſueto Quadriennio, continuatus uſque ad Annum 1708 (*t*). Deſignatus porrò erat Epiſcopus *Ardachadenſis*, vulgò *Ardagh*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Armachana*, *Clemente* XI Summo Pontifice (*u*). *Londini* autem Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt circà Annum 1710, inter Provinciales, & Scriptores alibi memorandus (*w*).

LXXV. F. STEPHANUS MAC-EGAN, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Dublinienſis* (*x*) Alumnus, in Ordinem cooptatus fuit in Conventu *Lovanienſi* ad *S. Crucem*, ubi completis Studijs, in *Hiberniam* Anno 1708 redux, Ordinem noſtrum de Anno 1698 (*y*) extorrem, *Dublinij* inſtauravit, acquiſitâ novâ Capellâ, ut vocant, in *Vico Pontis*, quam etiamnùm retinemus, ut ſuo Loco, ajebam (z). Multam quoque adhibuit Operam, ut Moniales noſtræ in *Dublinienſi*

hac

(*l*) Adeas Cap. viii. Num. ii, & ſeq. à Pag. 154.

(*m*) Nonniſi *Titulares* dicunt Epiſcopos noſtros ob ſingularum Diæceſum Epiſcopos Acatholicos, Proventibus fruentes.

(*n*) Conſulendum Cap. viii. præſertim Num. ii. Pag. 154.

(*o*) De antiquſſima Gente *O-Connora* dicebam Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i, Pag. 258, inter agendum de Cænobio *Roſcomanienſi*, ab ea fundato.

(*p*) De quo diſſerebam Cap. ix. §. xiii. Pag. 246.

(*q*) Videſis Cap. viii. Num. xxx. Sect. 2. P. 184.

(*r*) *O-Heynus*, Pag. 43, infrà recenſendus Cap. ſeq. Num. xxiv.

(*s*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*t*) Adeas infrà dicenda Cap. ſeq. Num. xxiv.

(*u*) *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 519.

(*w*) Cap. xiv. Num. xxiv, & Cap. xv. Num. xxv.

(*x*) De quo ſuperiùs, Cap. ix. §. i. Pag. 184.

(*y*) Recolendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*z*) Cap. ix. §. i. Num. xix. Pag. 197.

hac Metropoli ſtabilirentur (*a*), earum ſubindè per plures Annos Vicarius, & Confeſſarius Ordinarius. Divini Verbi Conſcionator non minùs facundus quàm indefeſſus erat, nulli in *Hibernia* ſecundus, nedum Sermone ſed & Opere prædicans, atque utrumque Roſarium indeſinenter propagans. Die 24 Julij 1721 *Dublinij* electus (*b*) Prior Provincialis, interfuit Anno Jubilæi 1725 Comitijs Generalibus *Bononienſibus*, Rmi *Thomæ Ripoll* electivis, dein *Romam* profectus, manſit Quatuor Menſes in extranationali ſuo Cænobio *S. Clementis* (*c*), ubi Viſitationem pro Munere Provincialis peregit. Intereà nominatus, & electus Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*, vulgò *Clonmacnois*, in *Lagenia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, Die 20 Septembris, ſupplex factus, ut par erat, mox laudato Rmo Magiſtro Ordinis, ſequentes ab eo recepit Literas Patentes :

" Fr. Thomas Ripoll, Sacræ Theologiæ Profeſſor, ac Totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus : In Dei Filio ſibi dilecto Admodùm Reverendo Patri Magiſtro Provinciali Fr. Stephano Mac-Egan, Salutem, & Paſtoralis Muneris Apoſtolicum Zelum.

" Ab extremis Terræ Finibus ad audiendam Salomonis Sapientiam properans Regina Auſtri, viſiſque Miniſtrantium Ordinibus in Stuporem verſa, Regij Famulatûs Charactere diſtinctos, ac Aſſiſtricis Sapientiæ Solio Aſſiſtentes beatificavit. Celſiori Gloriæ Subſelliô ſublimare conſuevit ad Fines uſque Orbis Terrarum diffuſa Orbis Chriſtiani Regina, Eccleſia, Fideles Divini Salomonis Famulos, glorioſis Meritorum ſuorum Obſequijs ſibi individuè aſſiſtentes, quos admirabili Providentiâ diverſis diſtinctos Gradibus, multiplicibuſque Gratiarum Diviſionibus à Sponſo ſuo diſpoſitis, in ſe hucuſque perennare, læta miratur, dùm alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Fidelium Gregum Paſtores, uno, eodemque Spiritu Sancto operante, fæcunda Meritis, materno Gratiarum complectitur Sinu, qui velut Sal Terram condiant, ut Mundi Lumina Doctrinis illuſtrent, ut Civitates in Monte poſitæ Plebem ſibi à Deo deſtinatam Virtutibus, ſanctæque Converſationis Exemplis circumvallent, ac tandem æterni Paſtoris Greſſibus inſiſtentes, aſſiduâ Sollicitudine ad ſalutaria dirigant Paſcua Salutis. Ad horum illuſtre Conſortium, cùm te, perpenſis præclaris Meritis tuis BENEDICTUS XIII (quem ſuprema divinæ Sapientiæ Providentia de Grege Dominicano ad Summum Apoſtolatûs Apicem, Vicariamque ſui in Terris Majeſtatem exaltare dignata fuit) te aſſumere intendat, tuque pro Humilitatis tuæ Parte, Onus, Angelicis etiam Humeris formidabile, ac reddendæ olìm pro Grege commiſſo Rationi obnoxium, refugiens, ad noſtram, quam profeſſus es, Obedientiam recurras, vel hac ſaltem Ratione, ne communia Ordinis noſtri Suffragia amittas, quin etiam (ſi Apoſtolicæ Voluntati parendum) ad id ſapienter, fortiterque ferendum, per illa adjuveris : Nos igitur præclaras Animi tui Dotes, ſingularem Prudentiam, Doctrinæ Excellentiam, illìbatum Religioſæ Vitæ, Morumque Candorem, probatiſſimam regendi Dexteritatem, ardentem Domûs Dei ac Animarum Zelum, cæteraſque Præſule, ac Ovium Chriſti Paſtore dignas Qualitates, tibi ab æterno Paſtore, ad hoc Munus te eligente, collatas, conſiderantes, quamquàm renitentem Animum tuum non niſi laudare debeamus, tamen Dei, ejuſque Vicarij Vocem, à te non modò audiendam, verùm & ſequendam eſſe ducimus. Ideoque tibi Licentiam, & Facultatem concedimus (quantum in Nobis eſt) Epiſcopatum ſuſcipiendi, eamque Tenore præſentium benè tibi precantes impertimur, de Suffragiorum, Meritorum, atque Beneficiorum Ordinis noſtri non modò illæſa Fruitione, immò & ampliori eorum Cumulo (ſi poſſibile eſt) tibi ſuperaddendo, te plenè certificamus, & aſſecuramus (D). In quorum Fidem his propriâ Manu ſubſcriptis, Sigillum Officij noſtri apponi juſſimus. Romæ in Conventu S. Mariæ Super Minervam Die 22 Septembris Anno Jubilæi 1725.

FR. THOMAS RIPOLL,
" MAGISTER ORDINIS.

" *Regiſtr. Lit. P. Pag.* 129.
" *Fr. Conſtantinus Lemmichen, Magiſter, & Socius.*

ITAQUE Die 29 ejuſdem Menſis Septembris, *S. Michaeli Archangelo* ſacrâ, prælibato Anno Jubilæi 1725, conſecratus fuit à Romano Pontifice, Ordinis noſtri Alumno, *Benedicto* XIII, in Palatio Apoſtolico Quirinali, Aſſiſtentibus duobus alijs ex eodem Ordine aſſumptis, nimirùm Fr. *Vincentio-Maria de Aragonia*, e Ducibus *Aleſſanenſibus*, Archipræſule *Conſentino*, in *Calabria*, & Fr. *Hyacintho-Cajetano Chiurlia*, Bituntino, Epiſcopo *Juvenacenſi*, in *Apulia*, atque Auctoritate

---

(*a*) Confer Cap. xi. §. iii. Num. iii. Pag. 354.

(*b*) Legeſis Cap. viii. Num. x. Pag. 162.

(*c*) De binis *SS. Sixti, & Clementis* de Urbe Cænobijs dicebam Cap. præced. §. i. Pag. 366.

(D) Confer Num. xlvi. Cap. præs. Pag. 476.

tate Apoſtolicâ continuatus *Hiberniæ* Provincialis uſque ad electivum Succeſſoris ſui Capitulum, *Dublinij* Sabbato ante Dominicam, *Deus qui erantibus* (*d*), Anni ſequentis celebrandum. In *Hiberniam* illicò rediens per *Belgium*, divertit *Bruxellas*, ubi Literas Apoſtolicas ad Cautelam reliquit, hanc ſecum afferens Copiam authenticam :

BENEDICTUS PP. XIII.

“ Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolatûs Officium, Meritis licèt imparibus Nobis ab alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium Regimini divinâ Diſpoſitione præſidemus, utiliter exequi, adjuvante Domino, ſatagentes, ſolliciti Corde reddimur, & ſolertes, ut cum de Eccleſiarum ipſarum Regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui Populum ſuæ Curæ creditum ſciant non ſolùm Doctrinâ Verbi, ſed etiam Exemplo boni Operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in Statu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, Authore Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudùm ſiquidem Proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium, & in poſterum vacaturarum, Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodùm verò Eccleſiâ Clouanmacnen., aliàs de Septem Eccleſijs, in Regno Hiberniæ, per Obitum ultimi illius Epiſcopi, ſeù alio certo, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, Modo, Paſtoris Solatio deſtitutâ, Nos, Vacatione hujuſmodi Fide dignis Relatibus intellectâ, ad Proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, ne illa longæ Vacationis exponatur Incommodis, Paternis, & ſollicitis Studijs intendentes, ad te, Preſbyterum expreſsè profeſſum Ordinis Prædicatorum, in Ætate legitima conſtitutum, & de legitimo Matrimonio procreatum, aliaque omnia Requiſita habentem, cui apud Nos de Vitæ Munditiâ, Probitate, & Honeſtate Morum, Pietate, & Catholicæ Religionis Zelo, ſpiritualium Providentiâ, & temporalium Circumſpectione, alijſque multiplicibus Virtutum Donis, Fide digna Teſtimonia perhibentur, direximus Oculos noſtræ Mentis. Quibus omnibus debitâ Meditatione penſatis, te à quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine quavis Occaſione, vel Cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ac intendentes tàm dictæ Eccleſiæ Clouanmacnen. quàm ejus Dominico Gregi ſalubriter providere, eidem Eccleſiæ Clouanmacnen. de Perſona tua, Nobis ob tuorum Exigentiam Meritorum acceptâ, Auctoritate Apoſtolicâ providemus, teque illi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Clouanmacnen. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo ; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod, dirigente Domino Actus tuos, Eccleſia prædicta ſub tuo felici Gubernio regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet Incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum Humeris, promptâ Devotione ſuſcipiens, Curam, & Adminiſtrationem præfatas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, & prudenter, ut Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque, præter æternæ Retributionis Præmium, noſtram, & Apoſtolicæ Sedis Gratiam, & Benedictionem exindè uberiùs conſequi merearis. Quocircà per Apoſtolica Scripta mandamus Dilectis Filijs Capitulo, & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ, ac Clero, & Populo Civitatis, & Diæceſis Clouanmacnen., quatenùs Capitulum quidem tibi tanquàm Patri, & Paſtori Animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi Obedientiam, & Reverentiam congruentes, ac Clerus te, pro noſtra, & dictæ Sedis Reverentia, benignè recipientes, & honorificè pertractantes, tua ſalubria Monita, & Mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Populus te, tanquàm Patrem, & Paſtorem Animarum ſuarum devotè ſuſcipientes, & debitâ Honorificentiâ proſequentes, tuis Monitis, & Mandatis ſalubribus humiliter intendant, ità ut tu in eis Devotionis Filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis : Vaſſalli autem prædicti te debito Honore proſequentes, tibi Fidelitatem ſolitam, & conſuetam, Servitia, ac Jura, tibi ab eis debita, integrè exhibere ſtudeant, alioquin Sententiam, ſivè Pænam, quam ritè tuleris, ſeù ſtatueris in Rebelles, ratam habebimus, & faciemus, Authore Domino, uſque ad Satisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Rogamus quoque, & hortamur attentè Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Armachan., cui prædicta Eccleſia Clouanmacnen. Jure Metropolitico ſubeſſe dignoſcitur, eidem Archiepiſcopo per Apoſtolica Scripta mandantes, quatenùs te, & eandem Eccleſiam Clouanmacnen. Suffraganeam ſuam habens, pro noſtra, & dictæ Sedis Reverentia, propenſiùs commendatos, in ampliandis, & conſervandis Juribus veſtris, ſic Vos benigni Favoris Auxilio proſequa-

“ tur,

(*d*) Recolendum Cap. viii. Num. xiii. Sect. 4. Pag. 164.

“ tur, ut tu, ejus fultus Præſidio, in commiſſo tibi Curæ Paſtoralis Officio poſſis, Deo propitio, proſperari, ac eidem Archiepiſcopo æternæ Vitæ Præmium, & à Nobis condigna proveniat Actio Gratiarum. Cæterum ad ea, quæ in tuæ Commoditatis Augmentum cedere poſſunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut à quocunque, quem malueris, Catholico Antiſtite, Gratiam, & Communionem dictæ Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus alijs pariter Catholicis Antiſtitibus, vel, ſi commodè adeſſe non poterunt, eorum Loco totidem Preſbyteris, in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutis, ſimiles Gratiam, & Communionem habentibus, Munus Conſecrationis ſuſcipere poſſis, ac eidem Antiſtiti, ut, receptis à te Fidei Catholicæ Profeſſione juxtà Articulos pridem à Sede prædicta propoſitos, ac noſtro, & Romanæ Eccleſiæ Nomine Fidelitatis debitæ ſolito Juramento juxtà Formam infrà annotatam, Munus prædictum tibi Auctoritate noſtrâ impendere valeat, plenam, & liberam Tenore præſentium concedimus Facultatem. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Univerſalibus, Provincialibuſque Concilijs, editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Volumus autem, & Auctoritate prædictâ ſtatuimus, atque decernimus, quod niſi receptis à te per dictum Antiſtitem Juramento, & Fidei Profeſſione hujuſmodi, dictus Antiſtes Munus prædictum tibi impendere, & tu illud ſuſcipere præſumpſeritis, idem Antiſtes à Pontificalis Officij Exercitio, & tàm tu, quàm ipſe à Regimine, & Adminiſtratione tàm ſpiritualium quàm temporalium Eccleſiarum veſtrarum ſuſpenſi ſitis eo ipſo. Prætereà etiam volumus, ut Profeſſionis Fidei à te ſic emiſſæ in publicam, & authenticam Formam ſine Mendis redactæ, ac Juramenti à te, ut præfertur, præſtiti Formas de Verbo ad Verbum per tuas Patentes Literas, tuo Sigillo munitas, ad Nos per proprium Nuncium quantocitiùs deſtinare procures. Forma autem Juramenti, quod præſtabis, hæc eſt: Ego Stephanus Mac-Egan, Electus Clouanmacnen., ab hac Hora in anteà fidelis, & obediens ero Beato Petro Apoſtolo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro Benedicto Papæ XIII, ſuiſque Succeſſoribus canonicè intrantibus. Non ero in Conſilio, aut Conſenſu, vel Facto, ut Vitam perdant, aut Membrum, ſeù capiantur malâ Captione, aut in eos violenter Manus quomodolibet ingerantur, vel Injuriæ aliquæ inferantur, quovis quæſito Colore. Conſilium verò, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut Nuncios ſuos, ſeù Literas, ad eorum Damnum, me ſciente, Nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri Adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum, ſalvo meo Ordine, contrà omnem Hominem. Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis Neceſſitatibus adjuvabo. Jura, Honores, Privilegia, & Auctoritatem S. R. E., Domini Noſtri Papæ, & Succeſſorum prædictorum conſervare, defendere, augere, promovere curabo, neque ero in Conſilio, vel Facto, ſeù Tractatu, in quibus contrà ipſum Dominum Noſtrum, vel eandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia Perſonarum, Juris, Honoris, Statûs, & Poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia à quibuſcunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro poſſe, &, quantocitiùs potero, ſignificabo eidem Domino Noſtro, vel alteri, per quem poſſit ad ipſius Notitiam pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, Ordinationes, ſeù Diſpoſitiones, Reſervationes, Proviſiones, & Mandata Apoſtolica totis Viribus obſervabo, & faciam ab alijs obſervari. Hæreticos, Schiſmaticos, & Rebelles eidem Domino Noſtro, vel Succeſſoribus prædictis, pro poſſe perſequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonicâ Præpeditione. Apoſtolorum Limina ſingulis Quadriennijs perſonaliter per me ipſum viſitabo, & Domino Noſtro, ac Succeſſoribus prædictis Rationem reddam de toto meo Paſtorali Officio, ac de Rebus omnibus, ad meæ Eccleſiæ Statum, ad Cleri, & Populi Diſciplinam, Animarum denique, quæ meæ Fidei commiſſæ ſunt, Salutem quovis Modo pertinentibus, & viciſſim Mandata Apoſtolica humiliter recipiam, & quàm diligentiſſimè exequar; quod ſi legitimo Impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuncium, ad hoc ſpeciale Mandatum habentem, de Gremio mei Capituli, aut alium in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ſeù aliàs Perſonatum habentem, aut, his mihi deficientibus, per Diæceſanum Sacerdotem, & Clero deficiente omninò, per aliquem alium Preſbyterum Sæcularem, vel Regularem ſpectatæ Probitatis, & Religionis, & de ſupradictis omnibus plenè inſtructum: De hujuſmodi autem Impedimento docebo per legitimas Probationes, ad S. R. E. Cardinalem Proponentem in Congregatione S. Concilij per ſupradictum Nuncium tranſmittendas. Poſſeſſiones verò, ad Menſam meam pertinentes, non vendam, nec donabo, neque impignorabo, aut de novo infeudabo, vel aliquo Modo alienabo, etiam cum Conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice, & ſi ad aliquam Alienationem devenero, Pænas in quadam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas eo ipſo incurrere volo. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 20 Septembris 1725 Pontificatûs noſtri Anno Secundo----*Erat ſignatum*----Fabius Cardinalis Oliverius. *Et obſignatum Annulo Piſcatoris*----*Foris autem habebatur*----Dilecto Filio

“ Stephano Mac-Egan, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Electo Clouanmacnen, aliàs de Septem Eccleſijs.

“ *Hanc Copiam cum Originalibus Literis Apoſtolicis, in Archivo Nunciaturæ Apoſtolicæ Bruxellenſis ſervatis, per omnia, ac de Verbo ad Verbum conſonam eſſe, hiſce Fidem facio, & atteſtor. Bruxellis in Apoſtolica Nunciatura Die* 14 *Martij* 1726.

Locus
✠
Sigilli

“ *Joannes Baptiſta Verſpilt, Protonotarius Apoſtolicus.*”

ANNO 1729 transferendus erat ad Eccleſiam *Fernenſem*, vulgò *Ferns*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Dublinienſi*, ſed antequam Executioni mandarentur Literæ Apoſtolicæ, per novas, eodem Anno emanatas, reapsè tranſlatus fuit ad Diæceſim *Midenſem*, in *Lagenia* pariter, ſub Archiepiſcopo tamen *Armacano* (*e*), per Amotionem D. *Lucæ Fagan* ad Metropolitanam *Dublinienſem* promoti, vacantem, cui Gregi præfuit, & profuit (Parochiam habens *Navanenſem* à Sanctæ Sede Apoſtolica in Commendam) Præſul meritiſſimus ad Diem uſque 30 Maij 1756, quo Debitum Naturæ piè ſolvit *Dublinij*, Anno Ætatis Septuageſimo Quinto, in Cæmeterio *S. Jacobi* ejuſdem Metropolis humatus. Septem poſt ſe promotos vidit in *Hibernia* Epiſcopos Dominicanos, è quibus Quinque (ſeipſo incluſo) erant ſimul viventes, ut ſequentia perpendenti clarebit.

LXXVI. F. DOMINICUS O-DALY, S. Theologiæ Magiſter, Ordini Fratrum Prædicatorum in Cænobio *Athenrienſi (f)* Nomen dedit. Studia verò *Romæ* partim apud SS. *Sixtum, & Clementem*, partimque apud *S. Mariam Super Minervam* laudabiliter peregit. In *Hiberniam* reverſus, per plurimos Annos apud *Athenrienſes* ſuos Miſſionarij Apoſtolici Munus Verbo, & Opere fructuosè exercuit. Quà Elector interfuit Comitijs Generalibus *Romæ* 1721, Rmi *Auguſtini Pipia* (poſtmodùm S. R. E. Cardinalis) electivis (*g*). Tandem à *Benedicto* XIII, Pontifice Maximo, proviſus Epiſcopus *Achadenſis*, vulgò *Achonry*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, Anno Jubilæi 1725, conſecratus fuit *Bruxellis* Anno ſequenti, Die 30 Novembris, *S. Andreæ* Apoſtolo ſacrâ, ab Excellentiſſimo Nuntio Apoſtolico (*h*), *Joſepho Spinello*, Archiepiſcopo tunc *Corintho*, poſtmodùm *Neapolitano*, nunc S. R. E. Cardinali, Sacræ Congregationis *de Propaganda Fide* Præfecto. Pie obijt Anno 1735, in prælibato *Athenrienſi* ſuo Cænobio ſepultus.

LXXVII. F. MICHAEL MAC-DONOGH, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Cænobij *Colranenſis* (*i*), ubi ad Habitum Ordinis, & Profeſſionem admiſſus fuit. Philoſophiæ Operam dedit *Romæ* in Studio Generali *SS. Sixti, & Clementis*, Theologiæ verò *Neapoli* in Studio Formali *S. Catharinæ apud Formellum* Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ*. In Urbem redux Anno Jubilæi 1725, inſtitutus fuit Lector S. Scripturæ, & Controverſiarum Fidei apud prælibatos *SS. Sixtum, & Clementem*, quo Munere fungebatur donec, qui ab Eminentiſſimo Cardinali Fr. *Vincentio-Maria Urſino*, Ordinis noſtri, Archiepiſcopo *Beneventano*, Sacrum Preſbyteratûs Ordinem ſuſceperat Anno 1723, ab eodem quà Summo Pontifice *Benedicto* XIII, Epiſcopus *Kilmorenſis*, vulgò *Kilmore*, in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, conſecratus fuerit in Palatio *Vaticano* Die 12 Decembris 1728 (*k*), Anno Ætatis ſuæ Vigeſimo Nono. In Urbe per Annum, & ultrà, apud Confratres ſuos in Cænobio *S. Clementis* quorundam Negotiorum Causâ commoratus, *Sereniſſimo Carolo-Eduardo Stuarto, Principi Walliæ* (*l*), *à Confeſſionibus fuit* (*m*), atque cum laudato Romano Pontifice *Beneventi* per integrum Menſem Anni 1729 verſatus eſt, ab eodem renunciatus Prælatus ſuus Domeſticus, & Pontificio Solio Aſſiſtens. Eo defuncto Pontifice, in *Hiberniam* perrexit Anno 1730, ubi ſuo Gregi ſedulò, ut par erat, invigilabat ad Annum uſque

1739,

(*e*) *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi. Pag. 709, & 710, refert Tres haſce Promotiones, necnon & Conſecrationem ipſius à *Benedicto* XIII peractam, cujus Rei ipſemet Teſtis fui, *Romæ* à duobus tunc Annis exiſtens.

(*f*) De quo videſis Cap. ix. §. viii. Pag. 220.

(*g*) Recolendum Cap. vii. Num. viii. Pag. 161.

(*h*) *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 709.

(*i*) De quo dicebam Cap. ix. §. xii. Pag. 243.

(*k*) *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vi. Pag. 710. Ipſemet etiam hujuſce Rei Teſtis fui, ejuſdem Præſulis Diſcipulus.

(*l*) Adeas Cap. vii. Num. xv. Pag. 146.

(*m*) Verba ſunt *Bullarij* mox laudati.

1739, quandò vix non captus fuit à Magiſtratu quodam, qui tamen Manus injecit in Epiſtolarum, & Scripturarum ſuarum Faſciculum, quem ſubindè ad Caſtrum miſit *Dublinienſe*, à Prorege, & Sanctiori Concilio Regni examinandum. Intereà aufugiens Præſul noſter *Michael*, rursùs in Urbem, vacante tunc Sede Apoſtolicâ per Obitum *Clementis* Papæ XII, ſe contulit, quem gratulabundus excepi in Cænobio *S. Clementis*, illius tunc Præfectus, ibique moratus eſt uſque ad Electionem novi Pontificis *Benedicti* XIV. Tandem reſciens, quod nihil Gubernio Acatholico offenſivum deprehenſum fuerit in recenſito Epiſtolarum, & Scripturarum Faſciculo, eâ de Causâ Amicis ſuis reſtituto, ad Eccleſiam *Kilmorenſem* Sponſam ſuam feſtinus redijt. Verùm diuturnâ tabeſcens Infirmitate, ex Medicorum Conſilio transfretavit *Ulyſſiponem*, ubi paulò poſt Rebus humanis exemptus eſt, Sacramentis Eccleſiæ munitus, Die 26 Novembris 1746, in Templo Fratrum Prædicatorum *Hibernorum* tumulatus, cujus Epitaphium alibi exſcriptum habes (*n*).

LXXVIII. F. COLMANUS O SHAGHNUSSY, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus *Athenrienſis*, (*o*) Cænobij, oriundus è præclariſſima Familia de *Gort*, in *Galvienſi* Agro *Conaciæ*, cujus Nobilitatem, Antiquitatem, & Integritatem, qui non novit, *Hiberniam* non novit. *Lovanij* in Ordinem Fratrum Prædicatorum ex Officiali Militari cooptatus, ibidem Studia confecit, atque docere incepit Anno 1706. Miſſionibus Apoſtolicis *Hiberniæ* maturus, eòque profectus, laudabiliter ſe geſſit, Sermone, & peculiari Morum Candore, in plurimis *Conaciæ* Regionibus, ingenti cum Animarum Fructu prædicans. Die 30 Aprilis 1726 in Comitijs *Dublinij* celebratis electus fuit Provincialis (*p*) in Locum *Stephani* noſtri *Mac-Egan*, Epiſcopi tunc *Clonmacnoiſenſis*, nuperrimè laudati (*q*). Anno 1736 à *Clemente* XII, Pontifice Maximo, renunciatus fuit Epiſcopus *Oſſorienſis*, vulgò *Oſſory*, in *Lagenia*, ſub Metropoli *Dublinienſi* (*r*), atque *Dublinij* in Monialium noſtrarum Ædibus Sacris conſecratus à D. *Joanne Linegar*, ejuſdem Urbis Archipræſule, aſſiſtentibus F. *Stephano Mac-Egan*, mox laudato, *Midenſi*, & F. *Michael Mac-Donogh*, Kilmorenſi Epiſcopis, ex Ordine noſtro, ut ex nuper dictis liquet, aſſumptis.

Anno 1744 defuncto Patruele ſuo, Tribuno *Gulielmo O-Shaghnuſſy*, in *Galliarum* Partibus, quò Pater ipſius *Rogerius* Regem *Jacobum* (*s*) ſecutus fuerat Anno 1691, eam ob Cauſam Caſtro ſuo Allodiali *Gortenſi*, ampliſſimiſque circumjacentibus Prædijs, ultrà Summam bis Mille, & quinquies centum Librarum *Sterlingarum*, id eſt, decies Mille Scutorum *Romanorum*, annuatìm valentibus, privatus à Principe *Arauſicano*, nuncupato *Gulielmo* III, qui eadem conceſſit Equiti *Thoma Prendergaſt*, durante duntaxàt Vitâ laudatorum *Rogerij*, & *Gulielmi O-Shaghnuſſy*; iſto, inquam, *Gulielmo* defuncto, *Colmanus* noſter *O-Shaghnuſſy*, etſi jam Epiſcopus, Litem inchoavit, quà Familiæ ſuæ Primipilus, *Dublinij* in Curia *Communium Placitorum*, contrà tunc, & adhuc exiſtentem Equitem *Thomam* pariter *Prendergaſt*, primò dicti Filium, ad Bona illa hæreditaria recuperanda; atque Præſule noſtro è vivis ſublato, in Jure ſucceſſit Germanus ipſius Frater, *Robocus O-Shaghnuſſy*, Armiger, hujuſque nunc ſuccedit Filius *Joſephus O-Shaghnuſſy*, Armiger. Eques (*t*) autem *Thomas Prendergaſt* acriter ſe defendit, non quidem Juſtitiâ Cauſæ ſuæ, ſed Pecuniâ,

---

(*n*) Cap. præced. §. ii. Num. vi. Pag. 421.

(*o*) De quo dicebam Cap. ix. §. viii. Pag. 220.

(*p*) Conſulendum Cap. ſeq. Num. xxviii.

(*q*) Cap. præs. Num. lxxv. Pag. 500.

(*r*) *Bullar. Ord. Prædic.* Tom. vii. Pag. 534. In Epiſcopis porrò recenſendis *Bullarium* exhinc non laudabo quia ſequentes nonniſi poſt illud completè editum renunciati fuere. Cæterùm quæ referam vel ipſemet vidi, vel ab oculatis Teſtibus audivi. Ipſos etiam Illuſtriſſimos Præſules perſonaliter novi. Cæterùm *Colmano* noſtro in *Oſſorienſi* præiverat Diæceſi *Patritius Shee*, huic autem *Malachias Delany*, huic autem *Gulielmus Daton* (aliàs *Dalton*), huic autem *Jacobus Phelan*, de quo Cap. vii. Num. x. Pag. 142, atque huic *David Roth*, de quo Cap. xvii. Num. xxxi, lv, &c. *Colmano* autem ſucceſſit *Jacobus Dunne*, de quo Cap. præs. Num. lxxxiii.

(*s*) Confer Cap. vii. Num. xii. & ſeq. Pag. 144.

(*t*) Affectat quidem Eques iſte vocari, & ſcribi Baronettus, ejus tamen Nomen legere non eſt in nupero *Baronettorum Hiberniæ* Catalogo, per accuratiſſimum *Joannem Lodgæum*, Pro-Magiſtrum Rotulorum, bis edito, & quidem in publicis Kalendarijs, vulgò *Almanacchis*.

cuniâ, & Potentiâ, unus quippè eſt è Senatoribus Regni in *Parlamento* ſedens, inſuperque Regi à Sanctioribus Conſilijs, ad Differentiam Domini *O-Shaghnuſſy*, qui Fidei Catholicæ eſt Cultor, ſuiſque hæreditarijs Bonis exutus.

CÆTERUM Præſul noſter *Colmanus* è vivis exceſſit apud *Gowran*, Diœceſis ſuæ Oppidum, in Ædibus Preſbyteri Parochialis D. *Joannis Hoyne*, Die 2 Septembris 1748, in minori *Kilkennienſis* Parochiæ *S. Joannis Evangeliſtæ* (de qua per Sedem Apoſtolicam proviſus fuerat) Cæmeterio *S. Stephani* humatus, ubi ſequentem Inſcriptionem Sepulchralem patenti in Marmore ſcalpi curabo:

D. O. M.
Siſte Viator; vide, lege, luge.
Jacet ſub hoc Marmore
Illuſtriſſimus, et Reverendiſſimus Dominus
Fr. Colmanus O-Shaghnuſſy,
Nobiliſſimæ ſuæ Familiæ Primipilus,
Probitate, et Pietate clarus,
Epiſcopus Oſſorienſis,
Ex Ordine Prædicatorum aſſumptus,
Hujus S. Joannis Evangeliſtæ Parochiæ Commendatarius,
Expectans Carnis Reſurrectionem.
Obijt Quarto Nonas Septembris,
Anno Salutis MDCCXLVIII.
Peregrinationis Suæ LXXIII.
Conſecrationis XII.
R. J. P.

LXXIX. F. JOANNES BRETT, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Cænobij *Sligoenſis* (u), ubi ad Habitum Ordinis receptus fuit, Votaque Solemnia nuncupavit. Studijs egregiam navavit Operam partìm *Viterbij* in Cænobio *S. Mariæ ad Gradus*, Provinciæ *Romanæ*, partimque in Urbe apud *S. Mariam Super Minervam.* Dein Lector Artium inſtitutus in Collegio noſtro *SS. Sixti, & Clementis* (w) Anno Jubilæi 1725, illicò docere incepit, me ipſius Diſcipulo, evaſitque ſucceſſivè Secundarius, & Primarius Studiorum Regens, ſummo cum Urbis Applauſu, atque eidem Cænobio per conſuetum præfuit Trennium, ab Anno nempè 1735 ad 1738. Sub aliquot etiam ex recenſitis Annis Theologiam inſimul docuit in Collegio *S. Norberti* de Urbe, Ordinis Præmonſtratenſis. Anno autem 1739 *Liburni* in *Eturia* Confeſſarius Nationalium *Magnæ Britanniæ, & Hiberniæ* conſtitutus, eo in Oppido Maritimo per paucos duntaxàt Menſes morari permiſſus fuit, revocatus utpotè in Urbem, atque inter Pænitentiarios Baſilicæ Liberianæ *S, Mariæ Majoris* adſcriptus Menſe Martio 1739 (x). Poſtmodùm à tunc regnante Romano Pontifice *Benedicto* XIV renunciatus Epiſcopus *Alladenſis*, vulgò *Kilalla*, in *Conacia*, ſub Archiepiſcopo *Tuamenſi*, conſecratus fuit in Urbe ab Eminentiſſimo *Antonio-Xaverio Gentili*, S. R. E. Tituli *S. Stephani in Monte Cælio* Preſbytero Cardinali, in privato Ædium ſuarum Sacello, Die 8 Septembris, *Nativitati* Sanctiſſimæ Deiparæ ſacrâ, 1743. Ad Eccleſiam Sponſam ſuam incunctanter ſe contulit, eique præfuit, & profuit ad Annum uſque 1748, quo tranſlatus eſt ad Diœceſim *Elphinenſem*, vulgò *Elfin*, in *Conacia* pariter, eademque Provincia *Tuamenſi*, per Obitum Illuſtriſſimi *Patritij French*, Ordinis Minorum, vacantem, quam feliciter rexit doctiſſimus Præſul, nedum egregijs Animi Dotibus, ſed & ardenti Salutis Animarum Zelo, ac Prudentiâ ſingulari florens,

---

(u) De quo Sermo erat Cap. ix. §. xiii. Pag. 246.

(w) De quo diſſerebam Cap. præced. §. i. Pag. 366.

(x) Huic præiverat eo in Munere P. Magiſter *Thomas de Burgo*, antè laudatus Cap. vi. Num. xxv. Lit. i. Pag. 134. Succeditque P. Magiſter *Joannes Baptiſta Lincæus*, antè pariter laudatus Cap. i. Num. xv. Pag. 22.

florens, & fulgens, uſque ad Diem 22 Junij 1756, quo humanis Rebus exemptus fuit, Sacramentis Eccleſiæ munitus, propè *Ballymotam* in Agro *Sligoenſi*, Anno Ætatis ſuæ 58, in propinquo Familiæ ſuæ Tumulo apud Fratres Minores prælibati Pagi ſepultus.

LITERÆ porrò Apoſtolicæ, quibus de Eccleſia *Alladenſi* proviſus fuit, ejuſdem ſunt Tenoris, mutatis mutandis, ac illæ, quas nuper exſcripſi (*y*), illæque, quas mox exſcribam (*z*). En autem Tranſumptum Literarum Tranſlationis ad Diæceſim *Elphinenſem*:

“ *In Nomine Domini. Amen.*

“ *Cunctis ubique pateat, & ſit notum, quod Anno à Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti* MDCCXLVIII, *Die verò xxxi Menſis Auguſti, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Benedicti divinâ Providentiâ Papæ XIIII, Anno ejus Nono, Ego Officialis Deputatus infraſcriptus legi, & diligenter inſpexi, quaſdam Literas Apoſtolicas, in Forma Brevis, ſub Annulo Piſcatoris, More Romanæ Curiæ expeditas, ſanas ſiquidem, & integras, Tenoris ſequentis, videlicet; Foris*, Venerabili Fratri Joanni Brett, Epiſcopo Alladenſi, in Epiſcopum Elphinenſem electo. *Intus verò*: Benedictus Papa XIV. Venerabilis Frater, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divinâ diſponente Clementiâ, cujus Ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicæ Dignitatis Specula, Meritis licèt imparibus, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias Aciem noſtræ Conſiderationis intendimus, & pro earum Statu ſalubriter dirigendo Apoſtolici Favoris Auxilium adhibemus, ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas proprijs carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxtà Cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi Populos per ſuam Circumſpectionem providam, & Providentiam circumſpectam ſalubriter dirigant, & informent, ac Bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant Incrementis. Dudùm ſiquidem Proviſiones Eccleſiarum omnium tunc vacantium, & in poſterum vacaturarum, Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quavis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itàque, ſicut Fide dignis Relationibus intelleximus, Eccleſia Elphinenſis in Hibernia per Obitum ultimi illius Epiſcopi, ſeù aliàs certo, quem præſentibus pro expreſſo haberi volumus, Modo, Paſtoris Solatio deſtituta reperiatur, Nos ad Proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac Vice diſponere potuit, ſivè poteſt, Reſervatione, & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne illa longæ Vacationis exponatur Incommodis, paternis, & ſollicitis Studijs intendentes, poſt Deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Perſonam utilem, & fructuoſam habuimus diligentem, demùm ad te, qui Eccleſiæ Alladenſi hactenùs laudabiliter præfuiſti, & dictam Eccleſiam Elphinenſem ſcias, vales, & poteris, Authore Domino, feliciter regere, & ſalubriter gubernare, direximus Oculos noſtræ Mentis, omnibuſque debitâ Meditatione penſatis, te à quibuſvis Suſpenſionis, & Interdicti, alijque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, à Jure, vel ab Homine, quâvis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, tàm prædictæ Eccleſiæ Elphinenſi, quam ejus Gregi Dominico ſalubriter providere intendentes, te à Vinculo, quo prædictæ Eccleſiæ Alladenſi, cui præeras, tenebaris, de Apoſtolicæ Poteſtatis Plenitudine abſolvimus, & ad eandem Eccleſiam Elphinenſem Auctoritate Apoſtolicâ transferimus, dictæque Eccleſiæ Elphinenſi in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Elphinenſis tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenariè committendo, liberamque tibi ad eandem Eccleſiam Elphinenſem tranſeundi Licèntiam tribuendo; in illo, qui dat Gratias, & largitur Præmia, confidentes, quod, dirigente Domino Actus tuos, prædicta Eccleſia Elphinenſis ſub tuo felici Gubernio regetur utiliter, & proſperè dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet Incrementa. Quocircà per Apoſtolica Scripta mandamus dilectis Filijs Capitulo, & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ, ac Clero, & Populo Civitatis, & Diæceſis Elphinenſis, quatenùs Capitulum videlicèt tibi tanquàm Patri, & Paſtori Animarum ſuarum humiliter intendentes, exhibeant tibi Obedientiam, & Reverentiam congruentes, ac Clerus pro noſtræ, & dictæ Sedis Reverentia benignè recipientes, & honorificè pertractantes, tua ſalubria Monita, & Mandata humiliter ſuſcipiant, & efficaciter adimplere procurent. Populus verò te tanquàm Paſtorem Animarum ſuarum devotè ſuſcipientes, & debitâ Honorificentiâ proſequentes, tuis Monitis, & Mandatis ſalubribus humiliter intendant, ità ut tu in eis Devotionis Filios, & ipſi in te per conſequens Patrem benevolum inveniſſe gaudeatis; Vaſſalli autem te debito Honore proſequentes, tibi Fidelitatem ſolitam, & conſueta Servitia, ac Jura, tibi ab eis

---

(*y*) Cap. præs. Num. lxxv. Pag. 502. | (*z*) Num. ſeq.

" debita, integrè adhibere ſtudeant, alioquin Sententiam, ſivè Pænam, quam ritè tuleris, ſeù ſtatueris
" in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, Authore Domino, uſque ad Satisfactionem condignam,
" inviolabiliter obſervari. Rogamus quoque, & hortamur attentè Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum
" Tuamenſem, cui prædicta Eccleſia Elphinenſis Jure Metropolitico ſubeſſe dignoſcitur, eidem Archie-
" piſco per Apoſtolica Scripta mandantes, quatenus te, & eandem Eccleſiam Elphinenſem Suffraganeam
" ſuam habens pro noſtra, & dictæ Sedis Reverentia propenſiùs commendatos, in ampliandis, & conſer-
" vandis Juribus veſtris ſic vos benigni Favoris Auxilio proſequatur, ut tu ejus fultus Præſidio, in com-
" miſſo tibi Curæ paſtoralis Officio poſſis, Deo propitio, proſperari, ac eidem Archiepiſcopo à Deo æter-
" næ Vitæ Præmium, & à Nobis condigna proveniat Actio Gratiarum. Datum Romæ apud Sanctam
" Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 28 Auguſti MDCCXLVIII. Pontificatûs noſtri Anno nono,
" D. Cardinalis Paſſionæus. *Loco* ✠ *Annuli Piſcatoris. Quibus quidem Literis Apoſtolicis diligenter vi-*
" *ſis, & perlectis, præſens Tranſumpti Inſtrumentum confeci, ut eidem plena Fides ad hibeatur, perindè*
" *ac ſi Literæ Originales oſtenſæ forent. Actum ut ſuprà, præſentibus Dominis Nicolao Requitani, &*
" *Dominico Foſchini, Teſtibus &c*

Concordat cum Originali, J. B. Riganti Officialis Deputatus:

Loco
✠
Sigilli Datarij.

J. DATARIUS.

Loco Sigilli
✠
Notarij Apoſtolici.

Ità eſt Philippus Rinelli Notarius Apoſtolicus.

" *Bravetti.* "

DUM Epiſcopus eſſet *Elphinenſis* ſcripſit ad Illmum *Nicolaum Lercari*, Archiepiſcopum *Rhodi*, ac S. Congregationis de *Propaganda Fide* Secretarium, in Urbe ipſi olim amiciſſimum, ut Reſolutionem impetraret Dubij, inter Regni hujus Præſules, & Miſſionarios magnoperè excitati, utrùm ſcilicet Apoſtatæ redeuntes ad Gremium Eccleſiæ debeant palàm Hæreſim abjurare, & Catholicam profiteri Fidem, an verò ſatis ſit id privatìm peragere? Porrò laudata S. Congregatio Dubium tranſmiſit ad S. Congregationem *Sancti Officij*, quæ pro Reſponſo priſcam exſcribi juſſit Reſolutionem alterius haud abſimilis Dubij pro Civitate *Tuneti* in *Africa* Anno Dom. 1630. Hinc Eminentiſſimus *Silvius Valenti-Gonzaga*, prælibatæ S. Congregationis de *Propaganda Fide* Præfectus, ejuſdem Nomine Epiſtolam dedit ad *Elphinenſem* noſtrum Præſulem cum Copia Decreti S. Congregationis *Sancti Officij* in hunc Modum, ut ab ipſomet Epiſcopo accepi:

Illuſtriſſimo, e Reverendiſſimo Monſignore, e Fratello.

Eſſendo ſtato eſaminato dallà Congregazione del S. Ufficio il Dubbio da V. S. propoſto intorno all' Abjura da farſi dalli Apoſtati, quel Supremo Tribunale ha determinato, che ſe le tranſmetta una Copia del Decreto fatto in Caſo conſimile li 18 *Luglio dell' Anno* 1630, *dalla San. Mem. d' Urbano VIII, e che ella riconoſcerà nel Foglio anneſſo. Mentre per tanto eſeguiſco colla preſente li Ordini della medeſima S. Congregazione, prego S. D. M. che la conſervi, e la proſperi.*

Roma I Guigno 1754.

Come Fratello,
S. CARDINALE VALENTI.
N. Arciveſcovo di Rodi Segretario.

Al Veſcovo d' Elfin.

" In Congegatione S. Officij coram Sanctiſſimo D. N. Urbano Papa VIII, habitâ Die 8 Julij 1630.
" Relato Caſu tranſmiſſo à Congregatione de Propaganda Fide, propoſito à P. Franciſco Longobardo,
" Ordinis Minorum, Miſſionario Tuneti in Africa, videlicet, an Apoſtatæ à Fide Chriſtiana ad Pæniten-
" tiam redeuntes, cogendi ſint ad retractandum explicitè & publicè coram Infidelibus cum Periculo Vitæ,
" ſicut negarunt Fidem: An verò ſufficiat coram Fidelibus publicè & explicitè abjurare Apoſtaſiam in
" proprijs Balneis (quæ ſunt Captivorum Carceres) & implicitè apud Infideles, abſtinendo ab Actibus In-
" fidelitatis, & deponendo Habitum.
" Sanctiſſimus Dominus noſter Papa cenſuit, Apoſtatas à Fide, redeuntes ad Pænitentiam, non teneri ad
" abjurandum Apoſtaſiam publicè coram Infidelibus, ſed ſufficere, ut eam abjurent in Balneo coram Fide-
" libus, abſtinendo ab Actibus Infidelitatis, ac deponendo Habitum Infidelium, quatenùs ſit proteſtativus
" falſæ Religionis, ſi verò ſit æquivocus, poſſe illum deferre. Quod ſi ex illa Delatione Ratione Perſonæ
" aliqua oriretur Suſpicio, teneri aufugere cùm primùm poterit.

LXXX. F. PETRUS KILLIKELLY, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Galvienſis* (*a*), ubi ad Habitum Ordinis, ac Profeſſionem Solemnem admiſſus fuit, Alumnus, completis in Provincia *Hiſpaniæ* Literarum Studijs, percurſiſque in Collegio noſtro *Lovanienſi* ad *S. Crucem* ſingulis Scholæ Officijs (*b*), atque Munere Prioris, in *Hiberniam* ad obeundas pro More Sacras Miſſiones reverſus eſt, ſed pauos poſt Annos in Urbem perrexit, utpotè inter Theologos Collegij *Caſanatenſis*, in Locum P. Magiſtri *Edmundi de Burgo* (*c*), annumeratus Anno 1740. Verùm nec ibi diù manſit, nam Anno 1742 Die 22 Aprilis Prior Provincialis *Dublinij* electus, in *Hiberniam* regreſſus eſt. Sed medio Provincialatu vix præterlapſo, evectus à *Benedicto* Papa XIV ad Sedem *Duacenſem*, vulgò *Kilmac-Duagh*, in *Conacia*, ſub Metropoli *Tuamenſi*, per Obitum *Milonis de Burgo* vacantem, conſecratus fuit *Dublinij* in Monialium noſtrarum Ædibus Sacris Die Dominicâ 14 Octobris 1744. Et quamquàm per Literas Apoſtolicas, jam jam videndas, quas ipſemet ſub Initium Sacræ Cæremoniæ, ut Moris eſt, publicè legi, indultum fuerit, ut à quocunque Epiſcopo, Gratiam, & Communionem S. Sedis Apoſtolicæ habente, cum Aſſiſtentia duorum Sacerdotum, in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutorum (ſi commodè Antiſtites adeſſe non poſſent) conſecrari rite valeret, Archiepiſcopo tamen Dublinienſi D. *Joanni Linegar* Conſecratori duo aſſiſtebant Epiſcopi, & quidem ex Ordine noſtro aſſumpti, nempè Fr. *Stephanus Mac-Egan* Midenſis, & F. *Michael Mac-Donogh*, Kilmorenſis, Antiſtites, nuper ſuis Locis laudati.

Ut autem Lectori innoteſcat ſub qua Forma Literæ Apoſtolicæ pro conferendis *Hiberniæ* Epiſcopatibus expediri ſolent, ac mitti, en earum Tenorem in Tranſumpto, ut vocant, papyraceo, quod, authenticè confectum, Loco Originalis membranacei, Sigillo in Cera rubra muniti, *Romæ* aſſervati, deſervit.

“ *In Nomine Domini. Amen.*

“ *Cunctis ubique pateat, & ſit notum, quod Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti*
“ MDCCXLIIII, *Die verò* XXV *Menſis Januarij, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini*
“ *Noſtri, Domini Benedicti divinâ Providentia Papæ* XIIII, *Anno ejus Quarto, Ego Officialis*
“ *Deputatus infraſcriptus legi, & diligenter inſpexi quaſdam Literas Apoſtolicas ſub Annulo Piſcatoris*
“ *More Romanæ Curiæ expeditas, ſanas ſiquidem, & integras, Tenoris ſequentis, videlicet. Foris:*
“ Dilecto Filio Petro Killikelly, Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro,
“ Electo Duacenſi in Hibernia. *Intùs verò*: Benedictus Papa XIV. Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam
“ Benedictionem. Divinâ diſponente Clementiâ, cujus Ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in
“ Apoſtolicæ Dignitatis Specula, Meritis licèt imparibus, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias
“ Aciem noſtræ Conſiderationis intendimus, & pro earum Statu ſalubriter dirigendo Apoſtolici
“ Favoris Auxilium adhibemus, ſed de illis propenſiùs cogitare Nos convenit, quas proprijs carere
“ Paſtoribus intuemur, ut eis juxtà Cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi
“ Populos per ſuam Circumſpectionem providam, & Providentiam circumſpectam ſalubriter dirigant,
“ & informent, ac Bona Eccleſiarum ipſarum non ſolùm gubernent utiliter, ſed etiam multimodis
“ efficiant Incrementis. Dudùm ſiquidem Proviſiones Eccleſiarum omnium, tunc vacantium, & in
“ poſterum vacaturarum, Ordinationi, & Diſpoſitioni noſtræ reſervavimus, decernentes ex tunc irritum,
“ & mane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret
“ attentari. Cùm itàque, ſicut Fide dignis Relatis intelleximus, Eccleſia Duacenſis in Provincia
“ Tuamenſi Regni Hiberniæ per Obitum ultimi illius Epiſcopi &c. *(quæ hic deſiderantur, ſuprà legere eſt,*
“ *Pag.* 502.*)* demùm ad te, Fratrem expreſsè profeſſum in Sacra Theologia Magiſtrum, Priorem Provincialem
“ Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum, in Ætate legitima conſtitutum, ac de legitimo
“ Matrimonio procreatum, aliaque omnia Requiſita habentem . . . . . in Epiſcopum præficimus, &
“ Paſtorem, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Duacenſis tibi in ſpiritualibus, &
“ temporalibus plenariè committendo . . . . Quocircà per Apoſtolica Scripta mandamus dilectis Filijs
“ Capitulo,

(*a*) De quo jam dictum Cap. ix. §. xxxviii. Pag. 322.

(*b*) Recolendum Cap. præced. §. iii. Num. xvi, Pag. 447.

(*c*) Adeas Cap. xv. Num. xxx.

“ Capitulo, & Vaſſallis dictæ Eccleſiæ, ac Clero, & Populo Civitatis, & Diæceſis Duacenſis . . . . Rogamus
“ quoque, & hortamur attentè Venerabilem Fratrem Archiepiſcopum Tuamenſem cui prædicta Eccleſia
“ Duacenſis Jure Metropolitico ſubeſſe dignoſcitur, eidem Archiepiſcopo per Apoſtolica Scripta mandantes
“ . . . . . Cæterùm ad ea, quæ in tuæ Commoditatis Augmentum cedere poſſunt, favorabiliter
“ intendentes, tibi, ut â quocunque, quem malueris, Catholico Antiſtite, Gratiam, & Communionem
“ dictæ Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus alijs pariter
“ Catholicis Antiſtitibus, vel, ſi commodè adeſſe non poterunt, eorum Loco totidem Preſbyteris, Eccleſiaſticâ
“ Dignitate conſpicuis, ſimilem Gratiam, & Communionem habentibus (*d*), Munus Conſecrationis
“ ſuſcipere poſſis, ac eidem Antiſtiti, ut receptis à te Fidei Catholicæ Profeſſione juxtà Articulos, pridem
“ à Sede prædicta propoſitos, ac noſtro, & Romanæ Eccleſiæ Nomine Fidelitatis debitæ ſolito Juramento
“ juxtà Formam infrà annotatam, Munus prædictum tibi Auctoritate noſtra impendere valeat, plenam,
“ & liberam Tenore præſentium concedimus Facultatem. Non obſtantibus . . . . Forma autem
“ Juramenti, quod præſtabis, hæc eſt: Ego Petrus Killikelly, Electus Duacenſis, ab hac Hora in anteâ
“ fidelis, & obediens ero Beato Petro Apoſtolo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro, Domino
“ Benedicto PP. XIV, ſuiſque Succeſſoribus canonicè intrantibus . . . . . Sic me Deus adjuvet,
“ & hæc ſancta Dei Evangelia. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris
“ Die xxii Januarij MDCCXLIV, Pontificatûs noſtri Anno Quarto. D. CARDINALIS PASSIONÆUS.
“ *Loco + Annuli Piſcatoris. Quibus quidem Literis Apoſtolicis diligenter viſis & perlectis, præſens*
“ *Tranſumpti Inſtrumentum confeci, ut eidem plena Fides adhibeatur, perindè ac ſi Literæ Originales*
“ *oſtenſæ forent. Actum ut ſuprà præſentibus DD. Joanne Baptiſta Reij, & Nicolao Requitani, Teſtibus*
“ *tibus* &c.

“ *Concordat cum Originali J. B. Riganti, Officialis Deputatus.*

“ *Loco*
✠
“ *Sigilli* Datarij

“ *J. DATARIUS.*

“ *Ità eſt Nicolaus Mazzonuchi, Notarius Apoſtolicus.*

“ *Bravetti.*”

“ *Loco Sigilli*
✠
“ *Notarij Apoſtolici.*

ANNO 1750 Eccleſia *Fenaborenſis*, vulgò *Kilfenora*, in *Momonia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, per Obitum F. *Jacobi O-Daly*, ex Ordine Eremitarum *S. Auguſtini*, vacans, Præſulis noſtri *Petri Killikelly* Curæ commiſſa eſt, cum Retentione prioris Eccleſiæ *Duacenſis*, & Parochiæ, quam ibidem habet à Summo Pontifice in Commendam. Utramque porrò Diæceſim feliciter regit, egregiâ Doctrinâ, Morumque Candore conſpicuus.

LXXXI. F. LAURENTIVS RICHARDSON, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Cænobij *Dublinienſis* (*e*), ubi in Ordinem noſtrum cooptatus fuit, ſtuduit in Collegio *Lovanienſi* ad *S. Crucem* (*e*) ibique inſtitutus erat Lector Artium, necdum in Sacro Preſbyteratûs Ordine conſtitutus, Ingenij Acumine, indefeſſâque Operâ Ætatem ſupplentibus. Ibidem etiam fuit Magiſter Studentium, & Studiorum Regens, docuitque poſtmodùm Theologiam apud *S. Trudonem* (*f*), paſsìm *Trudonopolim*, in Canonicorum *Præmonſtratenſium* Monaſterio. *Dublinium* reverſus Anno 1729, ea in ampliſſima Urbe Miſſionarij Apoſtolici Munere ingenti cum Animarum Fructu aſſiduò, quâ erat Eruditione & Elegantiâ, prædicando Verbum Dei, exortando in Doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguendo, item propagando utrumque Sacroſanctum Roſarium, vulgatis etiam deſuper nonnullis Opuſculis (*g*), & alia id Genus inexplebili Zelo præſtando. E vivis ſublato Præſule noſtro *Michaele Mac-Donogh*, nuperrimè laudato, in ejus Locum ſuffectus eſt, renunciatus,

---

(*d*) Hujus Tenoris Indultum conceditur ut plurimùm *Hibernis* ob Difficultatem convocandi tres Antiſtites, ut antè innuebam Cap. præſ. Num. xiii. Lit. p. Pag. 462. Dixi tamen *ut plurimùm*, quia quandoque Agentes in Urbe pro Clauſula illa ſupplicare negligunt.

(*e*) De quo legeſis Cap. ix. §. i. Pag. 184, de Collegio autem *Lovanienſi* Cap. xii. §. iii. Pag. 429.

(*f*) Belgicè *S. Truyen*, gallicè *S. Tron*, in Comitatu *Haſbainenſi* juxtà *Brabantiam*.

(*g*) Recenſendis Cap. xv. Num. xxxii.

nunciatus à *Benedicto* Papa XIV Epiſcopus *Kilmorenſis*, vulgò *Kilmore*, in *Ultonia*, ſub Metropoli *Armacana*, atque conſecratus in Monialium noſtrarum *Dublinienſium* Ædibus Sacris Die 1 Maij 1737 à *Dublinienſi* Archipræſule D. *Joanne Linegar*, aſſiſtentibus F. *Stephano Mac-Egan*, Midenſi, Ordinis Prædicatorum, & D. *Jacobo O-Gallagher*, *Darenſi*, Epiſcopis. Cæterùm Vir egregius in omni fermè Diſciplinarum Genere exercitatus, non Annis ſed Diæceſis Laboribus fractus, poſt diuturnam Ægritudinem, invictâ Patientiâ toleratam, piè obijt *Dublinij* Die 29 Januarij 1753, Ætatis ſuæ 52, in Cæmeterio *S. Jacobi* cum Confratribus ſuis *Dublinienſibus* humatus.

LXXXII. F. PATRITIUS BRULLAUGHAN, S. Theologiæ Profeſſor, Cænobij *Colranenſis* (*b*), ubi ad Habitum Ordinis, Profeſſionemque Solemnem admiſſus fuit, Alumnus, F. *Michaelis Mac-Donogh*, Præſulis *Kilmorenſis* nuper recenſiti (*i*), Conſobrinus, Studia inchoavit apud *Caſalem* in *Monteferrato*, Provinciæ *Utriuſquæ Lombardiæ*, complevit verò apud *SS. Sixtum & Clementem* Urbis, ubi Examen Lectoris Artium, & S. Theologiæ egregiè, me Teſte, ſubijt. *Londinum* perrexit Anno 1730, factus ibidem apud Oratorem Regis *Sardiniæ* Capellanus, quo adhuc Munere laudabiliter fungebatur Anno 1751, quandò Epiſcopus *Derienſis*, vulgò *Londonderry* (*k*), in *Ultonia*, ſub Archiepiſcopo *Armacano*, à *Benedicto* XIV, Pontifice Maximo, proviſus, *Londini* Regio in *Sardiniæ* Sacello à D. *Jacobo Dunne*, Epiſcopo *Oſſorienſi* in *Hibernia*, tunc ex *Gallijs* pertranſeunte, aſſiſtentibus duobus Prælatis in *Partibus*, ut loquimur, nimirùm D. *Benjamino Stoner*, Epiſcopo *Pruſenſi*, in Diſtrictu *Londinenſi* Vicario Apoſtolico, & D. *Richardo Chaloner*, Epiſcopo *Deforenſi* (*l*), memorati Vicarij Apoſtolici Coadjutore, conſecratus fuit Die 3 Martij prælibati Anni 1751. Suam ad Diæceſim ſtatim quidem ſe contulit, planè tamen videns utriuſque Muneris Impoſſibilitatem, Oneri Epiſcopali, Exemplo aliorum ſui Ordinis in *Hibernia* (*m*), ſpontè ceſſit Anno ſequenti 1752, non autem Honori (*n*), *Londini* hodiedùm (1756) apud prælibatam manens Capellam, non tamen quà propriè Capellanus, memor ſcilicet gravis Præcepti à Sacroſancta *Tridentina* Synodo emanati (*o*), aureis hiſce concepti Verbis: *Non poteſt Sancta Synodus non graviter dolere, audiens Epiſcopos aliquos, ſui Statûs oblitos, Pontificiam Dignitatem non leviter deboneſtare, qui cum Regum Miniſtris, Regulis, & Baronibus in Eccleſia, & extrà, indecenti quadam Demiſſione ſe gerunt, & veluti inferiores Miniſtri Altaris, nimis indignè non ſolùm Loco cedunt, ſed etiam perſonaliter illis inſerviunt. Quarè, hæc & ſimilia deteſtans Sancta Synodus, ſacros Canones omnes, Conciliaque Generalia, atque alias Apoſtolicas Sanctiones ad* Dignitatis *Epiſcopalis* Decorem, *& Gravitatem pertinentes, renovando præcipit, ut ab hujuſmodi in poſterum Epiſcopi ſe abſtineant; mandans eiſdem, ut tàm in Eccleſia, quàm forìs, ſuum Gradum & Ordinem præ Oculis habentes, ubique ſe Patres & Paſtores eſſe meminerint: reliquis verò tàm Principibus, quàm cæteris omnibus, ut eos paterno Honore, ac debitâ Reverentiâ proſequantur (p).*

LXXXIII. F. THOMAS DE BURGO (vulgò *Burke*) S. Theologiæ Magiſter, Alumnus nativi ſui Conventûs *Dublinienſis*, pro quo ſanctam emiſit Profeſſionem apud SS. *Sixtum & Clementem* Urbis, ut alibi dicetur *(q)*, omnium *Hiberniæ Dominicanæ* minimus. Hancce ab eo, per

" Comitia

(*b*) De quo dictum eſt Cap. ix. §. xii. Pag. 243.

(*i*) Cap. præſ. Num. lxxvii. Pag. 504.

(*k*) Adeas, ſi libet, Cap. ix. §. xxiii. Num. i. Pag. 281.

(*l*) Recolendum Cap. iv. Num. xiv. Pag. 81.

(*m*) Tales ſunt *Gualterus Joiſius*, Archiepiſcopus Armacanus; *Rolandus Joiſius*, Archiepiſcopus item Armacanus; *Richardus Rocomb*, Epiſcopus Leghlinenſis; & *Joannes Quinus*, alijs *Coynus*, Epiſcopus Limericenſis, de quibus Cap. præſ. Num. xiv, xvi, xxix, & lv. Pag. 463, 464, 468, & 484.

(*n*) Hûc facere videtur quod de *Joanne Teutonico*, quarto Magiſtro Ordinis, habet Scriptor ſuppar, noſter nempè *Nicolaus Trivetus*, Natione *Anglus*, in *Chronico* ad Annum 1251, cujus Verba exſcripta habes Cap. ii. Num. xvi. Lit. n. Pag. 46. Succinit *Chronicon Magiſtrorum Generalium*, Cap. vi. Pag. 18.

(*o*) Seſſ. xxv. de *Reform.* Cap. xvii.

(*p*) Obijt poſtmodùm *Londini* Menſe Majo 1760, Ætatis ſua 56, prælibatâ Regis *Sardiniæ* Capellâ priùs caſuali Incendio abſumptâ, Soloque æquatâ, Die 1 Decembris 1759.

(*q*) Cap. xv. Num. xxxiv, ubi reliqua de ipſo.

Comitia Provincialia Anni 1753 Hiſtorigrapho electo, lucubratam Opellam dùm Cenſores perlegerent, nunciata ipſi fuit ad Inſulam *Oſſorienſem*, per Obitum D. *Jacobi Dunne* vacantem, Nominatio, Literaſque recepit Patentes à Rmo Magiſtro Generali, nedùm Facultatem ſuſcipiendi Epiſcopatum, ſed & communia Meritorum, & Orationum Suffragia, atque Privilegia omnia, Prælatis ex Ordine aſſumptis indulta, ei abundantiſſimè largientes. En porrò illarum Tenorem:

“ Nos Fr. Joannes Thomas de Boxadors, S. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

“ Poſtquàm Eccleſiæ Oſſorienſi in Hibernia idoneum Epiſcopum proviſurus Sereniſſimus . . . . Te elegit, Nobis accidiſſe ſentimus, quod in ſe experiebatur, licèt aliâ Occaſione, Gentium Apoſtolus (r) dicens: *Coarctor á duobus.* Nam tui in religioſa Converſatione Mores, in Regimine Juſtitiæ Amor, in docendo Aſſiduitas, in Negotijs Prudentia, cæteræque Virtutes Animum noſtrum movent, ut Te intrà Religioſæ Vitæ clara Latibula optemus: Sed dum conſideramus, quomodo Lumen, quod in Te eſt à Patre Luminum accenſum, altiori impoſitum Faſtigio longè ampliùs profuturum ſit ad Illuminationem Scientiæ Charitatis Dei, non poſſumus non adhortari, ut ſublimem illum Gradum conſcendas in Nomine Domini. Adeoque & Nos harum Serie, noſtrique Auctoritate Officij, Tibi Admodùm Reverendo Patri Magiſtro Fr. Thomæ de Burgo, Provinciæ Hiberniæ, omnem Facultatem, quæ ex Parte Ordinis noſtri requiritur, concedimus, ut dictum Epiſcopatum Oſſorienſem ſuſcipias, necnon communia Meritorum & Orationum Suffragia, aliaque Privilegia, Prælatis ex Ordine noſtro aſſumptis indulta (s), quam poſſimus, ampliſſimè deferimus; Benedictionem S. Patris Noſtri Dominici ex pleniſſimis Altiſſimi Theſauris abundantiſſimam precantes. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. In quorum Fidem has propriâ Manu ſubſcriptas Sigillo Officij noſtri muniri juſſimus. Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Suprà Minervam Die 7 Martij 1759.

“ Fr. JOANNES THOMAS DE BOXADORS,
“ MAGISTER ORDINIS.

Locus
✠
Sigilli.

“ Regiſt. Pag. 1.
“ *Fr. Emericus Langenwalter,*
“ *Provincialis Daciæ, Magiſter, & Socius.*

Subinde, receptis feliciter regnantis Pontificis Clementis XIII Literis Apoſtolicis (t), conſecratus fuit Dominica in Albis, 22 Aprilis ejuſdem Anni 1759, in Monialium noſtrarum *Pontanenſium* Capella, à D. *Antonio Blake*, Archiepiſcopo *Armacano*, Aſſiſtentibus DD. *Antonio O-Garvey*, Dromorenſi, ac *Edmundo O-Doran*, Dunenſi, & Connorenſi, Epiſcopis, ut alibi obiter narratum eſt (u). Eodemque Anno laudatus Summus Pontifex ipſi in Commendam dedit Parochiam *S. Mariæ* in Urbe *Kilkennienſi*, Diæceſique ſua *Oſſorienſi*, jam anteà immediato ſuo Prædeceſſori D. *Jacobo Dunne* commendatam, ut Moris eſt in iſta alijſque per *Hiberniam* Diæceſibus, ut nempè Epiſcopi Statum ſuum juxtà Pontificalis Dignitatis Exigentiam decentiùs tenere valeant. Verùm D. *Patritius Molloy*, Preſbyter *Oſſorienſis*, cui prælibatus *Jacobus* Epiſcopus dictam *S. Mariæ* Parochiam, tametſi ejuſdem tunc Commendatarius, contulerat, Litem movit in S. Congregatione *de Propaganda Fide*, prætendens ſic ſibi datam Parochiæ *S. Mariæ* Collationem validam fuiſſe, Literas proindè Apoſtolicas irritas & inanes. Aſt tandem aliquando poſt Seſquiannum laudata S. Congregatio, Ponente Eminentiſſimo *Nereo* Cardinali *Corſino*, Regni *Hiberniæ* Protectore, decrevit, nulliter datam fuiſſe Collationem iſtam ab Ordinario, defuiſſe tamen Literis Apoſtolicis de ea Mentionem, reſcripſitque propterea, ſæpè dictam *S. Mariæ* Parochiam moderno Epiſcopo *Thomæ* de novo Auctoritate Apoſtolicâ commendari debere. A qua S. Congregationis Sententia appellatum fuit ad ipſummet Summum Pontificem, ſed fruſtrà. Hinc novum emanavit Diploma Pontificium, ſequenti Tranſumpto, ut Moris eſt, authenticatum.

“ In

(r) In Epiſtola ad *Philippenſes*, Cap. i. Verſ. 23.

(s) Confer Num. xlvi. Cap. præſ. Pag. 476.

(t) Earum Tenorem colligere poteris ex præcedentibus Num. lxxv, & lxxx. Pag. 502, & 509.

(u) Cap. xi. §. iv. Num. iii. Lit. f. Pag. 361.

“ *In Nomine Domini. Amen.*

“ *Cunctis ubique ſit notum, quod Anno à Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* MDCCLXI, *Die verò* xxx *Julij, Pontificatûs autem Sanctiſſimi Domini Noſtri Clementis Papæ* xiii *Anno ejus Quarto, Ego Officialis Deputatus vidi, & legi quaſdam Literas Apoſtolicas Tenoris ſequentis, videlicet:*

“ Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Thomæ Burke, moderno Epiſcopo Oſſorienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Perſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus Meritis, Paternâ Benevolentiâ proſequentes, illa Tibi favorabiliter concedimus, quæ tuis Commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cùm itaque, ſicut accepimus, aliàs Parochiali Eccleſiâ Sanctæ Mariæ Oppidi Civitatis nuncupati da Kilkenny, Oſſorienſis Diæceſis in Hibernia, quam bonæ Memoriæ Jacobus Dunne, dùm viveret, Epiſcopus Oſſorienſis in Hibernia præfata, in Commendam ad ſui Vitam ex Conceſſione & Diſpoſitione Apoſtolicis, etiam dum viveret, obtinebat, Commendâ hujuſmodi tunc per Obitum dicti Jacobi Epiſcopi, illius, pariter dum viveret, ultimi Poſſeſſoris Commendatarij, extrà Romanam Curiam defuncti, ceſſante, adhuc eo quo antè Commendam ipſam vacabat Modo vacante, illa ſic vacans Tibi per Te, quoad viveres etiam, unà cum Eccleſia Oſſorienſi in Hibernia hujuſmodi, cui tunc præeras, prout adhuc præes de præſenti, ac aliàs ſub certis Modo & Forma tunc expreſſis tenendam, Apoſtolicâ Auctoritate commendata, ſeù quod commendaretur mandatum fuit, prout in Literis Apoſtolicis deſuper expeditis pleniùs continetur, Poſſeſſione minimè ſubſequtâ. Cùm autem, ſicut etiam accepimus, dictus Jacobus Epiſcopus, antequàm è vivis decederet, præfatam Parochialem Eccleſiam, Apoſtolicâ ſibi Auctoritate prædictâ, ut præfertur, commendatam, & ex ſui Perſona in certo Modo vacantem, cuidam Patritio Molloy aſſerto Preſbytero ordinariâ Auctoritate nulliter (*w*) & de facto contulerat, ortâ Controverſiâ in Congregatione Venerabilium Fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium de Propaganda Fide inter Te ex una, & præfatum Patritium ex altera, Partibus, ſuper eorum reſpectivè Juribus, eadem Congregatio ob non factam in prædictis Literis per Te de præmiſſis Mentionem, Commendam ſecundò dictam ſubſtineri non poſſe, ipſamque Parochialem Eccleſiam Tibi de novo Apoſtolicâ Auctoritate commendari debere reſcripſerit, proptereaque Tu plurimùm cupis Parochialem Eccleſiam præfatam Tibi per Nos de novo, ut infrà, commendari. Nos Tibi, ut Statum tuum juxtà Pontificalis Dignitatis Exigentiam decentiùs tenere valeas, de alicujus Subventionis Auxilio providere, ac ſpecialem Gratiam facere volentes, Teque à quibuſvis Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pœnis, à Jure, vel ab Homine, quavis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, ad Effectum præſentium tantùm conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, verumque & ultimum dictæ Parochialis Eccleſiæ Vacationis Modum, etiamſi ex illo quævis generalis Reſervatio etiam in Corpore Juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, Parochialem Eccleſiam præfatam, cujus, & illi forſan annexorum, Fructus, Redditus, & Provèntus, ut aſſeris, ab Hæreticis occupati, nulli ſunt, ſivè ut præfertur, ſivè aliàs quovis Modo, aut ex alterius cujuſcunque Perſona, ſeù per liberam Ceſſionem Commendæ dicti Jacobi Epiſcopi, vel cujuſvis alterius de illa extrà dictam Curiam, & coram Notario Publico, & Teſtibus, ſpontè factam, aut Conſtitutionem Piæ Memoriæ Joannis Papæ XXII, Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Excelſis, vel Aſſequtionem alterius Beneficij Eccleſiaſtici, Ordinariâ Auctoritate collati, Commendâ primò dictâ ceſſante, vacet, etiamſi dicta Parochialis Eccleſia Diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos Lis, cujus Statum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodò Tempore Datæ præſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter Jus quæſitum, cum annexis hujuſmodi, ac omnibus Juribus, & Pertinentijs ſuis Tibi, per Te, quoad vixeris etiam, unà cum Eccleſia Oſſorienſi in Hibernia prædicta, cui ad præſens, ut præfertur, præeſſe dignoſceris, tenendam, ità quod liceat Tibi de Fructibus, Redditibus, & Proventibus diſponere, & ordinare, ſicut Parochialem Eccleſiam prædictam in Titulum pro Tempore obtinentes de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeù etiam debuerunt, Alienatione tamen quorumcunque Bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium dictæ Parochialis Eccleſiæ Tibi penitùs interdictâ, ad hoc ut Tu ex Juribus Stolæ dictæ Parochialis Eccleſiæ habeas undè commodiùs vivere poſſis, Apoſtolicâ Auſtoritate prædictâ commenda-

---

(*w*) Ex his liquet, Epiſcopum Facultatem non habere conferendi Parochiam, ipſimet a Summo Pontifice anteà commendatam.

“ mus. Quocircà Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Caſſelienſi, ac Corcagienſi, & Limericenſi Epiſcopis (*x*), ſivè dilectis Filijs eorum Officialibus, aut Vicarijs in Spiritualibus Generalibus, ſeù Vicarijs Apoſtolicis, per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeù alios, Te, vel Procuratorem tuum Nomine tuo, in corporalem Poſſeſſionem dictæ Parochialis Eccleſiæ, ac Annexorum, Juriumque, & Pertinentiarum, prædictorum, inducant Auctoritate noſtrâ, & defendant inductum, amoto exindè quolibet illicito Detentore, facientes Tibi de illius, ac annexorum eorundem Fructibus, Redditibus, Proventibus, Juribus, Obventionibus, & Emolumentis univerſis integri reſponderi, Contradictores Auctoritate noſtrâ prædictâ, Appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo. Non obſtantibus felicis Recordationis Bonifacij Papæ VIII, etiam Prædeceſſoris noſtri, & alijs Apoſtolicis Conſtitutionibus contrarijs quibuſcunque: Aut ſi aliqui ſuper Proviſionibus, ſeù Commendis, Tibi faciendis, de hujuſmodi, vel alijs Beneficijs Eccleſiaſticis in illis Partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, aut Legatorum ejus, Literas impetraverint, etiamſi per eas ad Inhibitionem, Reſervationem, & Decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus Te in Aſſequtione dictæ Parochialis Eccleſiæ volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad Aſſequtionem Beneficiorum aliorum Præjudicium generari: Seù ſi pro Tempore exiſtenti Epiſcopo Oſſorienſi, vel quibuſvis alijs, communiter, aut diviſim, ab eadem ſit Sede indultum, quod ad Receptionem vel Proviſionem alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujuſmodi, vel alijs Beneficijs Eccleſiaſticis, ad eorum Collationem, conjunctim, vel ſeparatim, ſpectantibus, nulli valeat provideri per Literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum, de Indulto hujuſmodi Mentionem. Volumus autem quod propter Commendam noſtram hujuſmodi dicta Parochialis Eccleſia debitis propterea non fraudetur Obſequijs, & Cura Animarum in ea nullatenùs negligatur, ſed ejus congruè ſupportentur Onera conſueta, & inſuper ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecùs ſuper his à quoquam, quâvis Auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Sexageſimo Primo, Quarto Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri Anno Quarto. Loco ✠ Plumbi.

“ *Super quibus Ego Notarius infraſcriptus præſens Tranſumptum Subſcripſi, præſentibus DD. Carolo, & Franciſco Bianchi, Teſtibus.*

“ *Concordat cum Originali, F. Riganti Officialis Deputatus.*

Loco Sigilli
✠
Prodatarij.

“ *C. CARDINALIS PRODATARIUS* (*y*).

“ *Ità eſt Philippus Rinelli, Notarius Apoſtolicus:*

Loco Sigilli
✠
Notarij Apoſtolici.

“ *Bravetti.*”

LXXXIII. Ex his omnibus, præſenti in Capite narratis, perſpicuè apparet, Ordinis Prædicatorum Decem fuiſſe Archiepiſcopos *Armacanos*, Quatuor *Tuamenſes*, Duos *Dublinienſes*, unumque *Caſſelienſem*, & quidem primum ex *Hibernia Dominicana* aſſumptum, *Davidem* nempè *Mac-Kelly*: Epiſcopos quoque ex eodem Ordine adfuiſſe ſingularum Viginti Novem Diæceſûm, hiſce Temporibus nominatarum, ſolis exceptis *Clocherenſi* in *Ultonia*, & *Laonenſi* in *Momonia*. Diæceſûm porrò *Hiberniæ* Elenchum, ſub ſuis reſpectivè Archiepiſcopatibus, alibi conſcriptum habes (z).

(*x*) *Jacobo* nimirùm *Butler*, *Richardo Walſh*, & *Daniele O-Carney*.

(*y*) Poſſeſſionem porrò iſtius Parochialis Eccleſiæ, ſeù Capellæ, accepit *Thomas* Epiſcopus Die 11 Septembris 1761.

(*z*) Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

CAPUT DECIMUM-QUARTUM.

Series Priorum Provincialium *Hiberniæ Dominicanæ.*

SUMMARIUM.

I. *Ordinis Prædicatorum, tametſi Anno* 1224 *in* Hibernia *plantati, primus ibidem Prior Provincialis fuit Magiſter* Mauritius Moral *in Comitijs Generalibus* Romæ 1484 *inſtitutus. Afferuntur Verba Decreti. Laudatus Provincialis Licentiam ſtatim impetravit Conventus reformandi in* Hibernia. *Non ei, ſed Provinciali* Angliæ *ſubdebantur Conventus* Hiberniæ *intrà* Palum Anglicanum *conſtituti. Fuit Vicarius Generalis* Hiberniæ *ab Anno* 1488 *ad* 1491, *quo ad Inſtantiam propriam abſolvitur. Anno* 1693 *iterùm inſtitutus erat Vicarius Provinciæ. Anno* 1496 *fit Vicarius Conventuum Reformatorum, quo Anno inſtitutus erat Vicarius Provinciæ Magiſter* Richardus O-Hart *(idem veriſimiliter* Richardus Herre, *Definitor Hiberniæ in Capitulo Generali* Cenomanenſi *Anno* 1491) *qui eo in Officio duravit ad Annum uſque* 1502, *circà quem Annum Naturæ Debitum ſolvit Magiſter* Mauritius Moral. *Subindè à Magiſtro Ordinis fit Vicarius ſuper Conventus Hiberniæ Reformatos F.* Joannes de Bauffremez, *Hollandus, & à Summo Pontifice confirmatur. Anno* 1505 *F.* Joannes Coyn, *alijs* Quin *(poſtmodùm Epiſcopus* Limericenſis) *fit Vicarius ad Triennium ſuper Conventus reformatos, & reformandos.*

II. *Anno* 1509 *cùm tres ſimul eſſent in* Hibernia *Vicarij, ea de Re Literas dedit Magiſter Ordinis* Thomas de Vio, *Cajetanus. Anno autem* 1518 Hibernia *evaſit Congregatio reformata, cui Vicarij præerant ad Annum* 1536 *à ſelectis Patribus Conventuum electi, & à Magiſtro Ordinis confirmati, quibus tunc haud ſuberant Conventus non reformati intrâ* Palum Anglicanum, *ſed Provinciali* Angliæ, *qui Vicarium ſuum pro ijs conſtituebat.*

III. *Anno* 1536 Hibernia *denuò erecta à* Paulo *III in Provinciam Ordinis, omnes Inſulæ Conventus amplectentem. Prior Provincialis veriſimiliter tunc inſtitutus erat Magiſter* David. *Anno* 1547 *Baccalaureus* Quienatius, *ſeù* Qintinus O-Heyns *fit Vicarius pro Coadjutore Prioris Provincialis. Anno autem* 1548 *fuit haud dubiè Prior Provincialis Magiſter* David.

IV. *Anno* 1563 *F.* Thaddæus O-Duanus, *Sligoenſis, Prior Provincialis. Obiter de* Honoria de Burgo, *quæ Habitum Tertij Ordinis ab eo recepit, vixitque Annos* 104. *Idem poſteà Vicarius Provinciæ.*

V. *Antè Annum* 1594 *F.* Eugenius Mac-Tugam, *Prior Provincialis. Dein F.* Thaddæus, *mox laudatus, Vicarius Provinciæ ad Beneplacitum Magiſtri Ordinis.*

VI. *F.* Daniel O-Creidegain, *Sligoenſis, Prior Provincialis ab Anno* 1600 *ad* 1604. *Ea de Re Teſtimonium* Bernardi de Jonghe.

VII. *F.* Thaddæus O-Duanus, *Sligoenſis, iterùm Prior Provincialis ab Anno* 1604 *ad* 1608, *quo obdormivit in Domino. Elogium de eo Capituli Generalis* Romani 1656.

VIII. *F.* Rolandus de Burgo, *Athenrienſis, ab Anno* 1608 *ad* 1615, *quo migravit è Vita. Ejuſdem Capituli Generalis Elogium de ipſo.*

IX. *F.* Rochus Mac-Geoghegan, *aliàs* à Cruce, *Molingarenſis, S. Theologiæ Præſentatus, Prior Provincialis in Comitijs Generalibus* Mediolani 1622 *inſtitutus. Epiſcopus* Darenſis, *de quo alibi.*

X. *F.* Nicolaus Lincæus, *vulgò* Lynch, *Galvienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Sligoæ *Anno* 1627. *Interfuit Capitulo Generali* Romano 1629.

XI. *F.* Daniel O-Creidegain, *Sligoenſis (non ille qui ſuprà) S. Theologiæ Magiſter, electus* Portumnæ *Anno* 1631. *Obdormivit Anno* 1655. *Elogium de eo Capituli Generalis* Romæ 1656.

XII. *F.* Jacobus O-Hurly, *Killocienſis, electus* Youghallæ *Anno* 1638. *Capitulum habuit Intermedium* Corcagiæ *Anno* 1640. *Epiſcopus* Imelacenſis, *de quo alibi.*

XIII. *F.* Terentius-Albertus O-Brien, *Limericenſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Kilkenniæ 1643. *Interfuit Capitulo Generaliſſimo* Romæ 1644. Imelacenſis *Epiſcopus, Martyrij Palmâ decoratus, ut alibi narratum.*

XIV. *F.* Gregorius O-Ferrall, *Longofordienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Athenriæ 1644. *Interfuit Concilio Nationali* Hiberniæ 1646. *Fatis ceſſit Anno* 1672.

XV. *F.* Gulielmus de Burgo, *Senior, Athenrienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Athenriæ 1648, *continuatus ad* 1659. *Legatus Catholicorum* Hiberniæ *ad Ducem* Lotharingiæ *Anno* 1650. *Defunctus Anno* 1685.

XVI. *F.* Joannes O-Hart, *Sligoenſis, S. Theologiæ Magiſter, inſtitutus à Magiſtro Ordinis Anno* 1660, *& ad Novennium continuatus. Carceri mancipatus pro Primatu Romani Pontificis. Denatus Anno* 1672.

XVII. *F.* Dominicus O-Kelly, *Roſcomanienſis, Prædicator Generalis, inſtitutus à Magiſtro Ordinis* 1669. *Obijt* Dublinij *eodem Anno.*

XVIII. *F.* Conſtantinus O-Cuiffe, *aliàs* Keeffe, *Corcagienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Athenriæ 1670. *Migravit è Vita Anno* 1679.

XIX. *F.* Gulielmus de Burgo, *Junior, Bureſulenſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Athenriæ 1674, *iterùmque* Roſcomaniæ 1678. *Animam Deo reddidit Anno* 1701.

XX. *F.* Thaddæus O-Daly, *ſeù* O-Daladh, *Athenrienſis, Prædicator Generalis, electus* Roſcomaniæ 1682. *Capitulum habiturus Intermedium* Athenriæ *obijt* 15 *Auguſti* 1684.

XXI. *F.* Joannes Brunus, *vulgò* Browne, *Galvienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Athenriæ 1684. *Carceri ab Acatholicis truſus. Exul defunctus* Lovanij *Anno* 1700.

XXII. *F.* Gelaſius Mac-Mahon, *Gaulenſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Lothoriæ 1688. *Ad Biennium Auctoritate Apoſtolicà continuatus. Profugus piè obijt in* Belgio *Anno* 1703.

XXIII. *F.* Patritius Marſhall, *Kilkennienſis, electus* Athenriæ 1692, *ſed in caſſum, inſtitutus vero a Magiſtro Ordinis* 1694. *Vivere deſijt* Londini *Anno* 1725.

XXIV. *F.* Ambroſius O-Connor, *Sligoenſis, S. Theologiæ Magiſter, ex Proucratore* Matritenſi *Prior Provincialis à Magiſtro Ordinis inſtitutus Anno* 1700, *atque ad Annum* 1709 *continuatus. Epiſcopus* Ardachadenſis *deſignatus. Alibi tertiò recenſendus.*

XXV. *F.* Hugo O-Calanan, *Lothorienſis, S. Facultatis* Pariſienſis *Doctor, Prior Provincialis a Magiſtro Ordinis inſtitutus Anno* 1709, *& continuatus ad Annum uſque* 1717. *Piè obijt* Metis *in* Lotharingia *Anno* 1728.

XXVI. *F.* Antoninus Maguire, *Gaulenſis, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis a Magiſtro Ordinis inſtitutus Anno* 1717. *Interfuit Comitijs Generalibus* Romæ 1721 *poſtquàm Provincialia habuerit Comitia* Dublinij 1720. *Viam univerſæ Carnis* Dublinij *ingreſſus Anno* 1724.

XXVII. *F.* Stephanus Mac-Egan, *Dublinienſis, Prædicator Generalis (poſtmodùm S. Theologiæ Magiſter) electus* Dublinij 1721. *Capitulum habuit* Intermedium *ibidem* 1723. *Comitijs Generalibus* Bononiæ 1725 *interfuit, ibi ultra conſuetum Quadriennium continuatus Prior Provincialis, eodem Anno Epiſcopus* Clonmacnoiſenſis, *poſtea* Midenſis *quoque, ut alibi dictum. Fatis ceſſit Anno* 1756.

XXVIII. *F.* Colmanus O-Shaghnuſſy, *Athenrienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Dublinij 1726. *Epiſcopus* Oſſorienſis *Anno* 1736, *de quo alibi. Diem clauſit extremum Anno* 1748.

XXIX. *F.* Joannes O-Brien, *Corcagienſis, S. Theologiæ Magiſter, electus* Dublinij 1730. *Capitulum habuit Intermedium ibidem Anno* 1732. *Denatus Anno* 1743.

XXX. *F.* Bernardus Mac-Henry, *Colranenſis, S. Theologiæ Præſentatus, electus* Dublinij 1734. *Iterùm, ut infrà, electus, tunc S. Theologiæ Magiſter.*

XXXI. *F.* Joannes Fottrell, *Dublinienſis, Prædicator Generalis, electus* Dublinij 1738, *poſtmodùm S. Theologiæ Præſentatus. nunc vero Magiſter.*

XXXII. *F.* Petrus Killikelly, *Galvienſis, S. Theologiæ Magiſter, ex Theologo* Caſanatenſi *electus* Dublinij 1742. *Poſt Biennium Epiſcopus* Duacenſis, *& nunc inſimul* Fenaborenſis, *de quo alibi.*

XXXIII. *F.* Michael Hoare, *Limericenſis, Prædicator Generalis, electus Dublinij* 1745. *Interfuit Comitijs Generalibus* Bononiæ 1748. *Poſtmodùm S. Theologiæ Præſentatus, nunc autem Magiſter. Iterùm electus, ut infrà.*

XXXIV. *F.* Bernardus Mac-Henry, *Colranenſis, S. Theologiæ Magiſter, qui ſuprà, iteratò electus* Dublinij 1749. *Viam univerſæ Carnis ingreſſus* 1757.

XXXV. *F.* Michael Shanly, *Dublinienſis, S. Theologiæ Præſentatus, electus* Dublinij 1753. *E vivis exceſſit Anno* 1759.

XXXVI. *F.* Thomas Plunkett, *Roſcomanienſis, S. Theologiæ Præſentatus, (dein Magiſter) ex Priore* Lovanienſi *a Capitulo abſens unanimi quinquaginta trium Vocalium Calculo electus* Dublinij 1757.

XXXVII. *F.* Michael Hoare, *Limericenſis, S. Theologiæ Magiſter, qui ſuprà, iterùm electus* Dublinij 1761.

I. TAMETSI Ordo Fratrum Prædicatorum in *Hibernia* plantatus dignoſcatur Anno 1224 (*a*), atque Triginta Sex habuerit Cænobia ante Annum 1484 (*b*), nihilominùs toto eo Tempore

---

(*a*) Recolendum Cap. ii. Num. xv. Pag. 44.

(*b*) Confer Cap. iv. Num. v. Pag. 72.

Tempore non erat Provincia Ordinis, ſed illa, non ſecùs ac *Scotia*, Natio erat *Provinciæ Angliæ*, quæ à Vicario Provinciali, capitulariter (*c*) electo, & per Priorem Provincialem *Angliæ* confirmato regebatur. Cùm autem Sæculo Eccleſiæ decimoquinto Rmi Magiſtri Generales magnoperè intenti eſſent ad Reformationem Ordinis faciendam (*d*), ijſdemque ſuccineret in *Hibernia* P. Magiſter *Mauritius Moral*, hinc *Sixto* IV, Pontifici Maximo, & *Salvo Caſſeta*, Panormitano, XXXII Magiſtro Ordinis, ſupplex factus eſt, ut eo Conſilio *Hibernia* à Provincialis *Angliæ* Juriſdictione omninò eximeretur, & proprio ſubeſſet Provinciali, ſub *Anglorum* quippè Regimine Conventus erant *Fratribus nativis expoliati, & corrupti malis Moribus*, ut ex *Regiſtro Ordinis* mox declarabitur. Votis ipſius annuit proximè celebratum Capitulum Generale *Romanum* 1484 ſub Rmo *Bartholomæo de Comatijs*, Bononienſi, XXXIII Magiſtro Ordinis, ibidem electo, quod Denunciatione VIII hæc habet : “ Maximis, & rationabilibus Cauſis, in præſenti Capitulo allegatis, de unanimi Voto Reverendorum Provincialium (*e*), & Diffinitorum præſentis Capituli, Nationem Hyberniæ Provinciam facimus, quam Provinciam per ſe volumus à Provincia Angliæ diſtinctam, & ſeparatam eſſe, & appellari, & eandem Provinciam Hyberniæ cum ſuis Conventibus, Privilegijs omnibus, Gratijs, & Libertatibus Ordinis, quemadmodùm cæteræ Provinciæ dehinc anteà, gaudere debere, ac Locum inter alias Provincias in noſtris Generalibus Capitulis, ut Moris eſt, obtinere. Et ne prædicta Provincia idoneo careat Capite pro Tempore, Reverendiſſimus Magiſter Ordinis Fratrem Mauritium Moral, Theologiæ Magiſtrum, in Priorem Provincialem prædictæ Provinciæ Hiberniæ inſtituit, & creavit, dando ei Auctoritatem ſuper dictam Provinciam in ſpiritualibus, & temporalibus, & Fratribus Provinciæ, ac omnia, & ſingula, quæ cæteris Provincialibus conceduntur.”

PRIMUS igitur Prior Provincialis *Hiberniæ* erat laudatus P. Magiſter MAURITIUS MORAL, qui Die 10 Novembris ejuſdem Anni 1484 obtinuit Licentiam à præfato Magiſtro Generali, *Bartholomæo de Comatijs*, reformandi *Pontanenſem*, *Colranenſem* & *Corcagienſem* Conventus, & quoſcunque in *Hibernia* duceret reformandos. En Verba Regiſtri : *Fr. Mauritius Prior Provincialis obtinuit Licentiam reformandi Conventus B. Mariæ (f) de Ponte, Banniæ (g), Corkagiæ, & quoſcunque duxerit reformandos in præfata Provincia. Mediolani Die* 10. *Novembris* 1484. Dein ſtatìm ſubditur : *Conceditur Magiſtro Mauritio Provinciali, quod poſſit diſpenſare omnia Bona ſua in Ordine, & quod poſſit equitare cum Socio, vel ſine Socio. Die ut ſupra.*

HOC Provincialis Munere functus eſt ad Annum uſque 1488, quo binæ emanarunt à S. Sede Apoſtolica Literæ *Innocentij* VIII de *Priore Provinciali* Provinciæ *Hiberniæ* Fratrum Prædicatorum Mentionem diſertè facientes, ut jam anteà dicebam (*h*), ubi inſuper advertebam, Conventus *Hiberniæ* intrà *Palum Anglicanum* ſitos, non Neo-Provinciali *Hiberniæ*, ſed Provinciali *Angliæ* Obedientiam præſtaſſe. Hæc de Cauſa, & ut faciliùs reformare poſſet Conventus tàm intrà, quam extrà *Palum* iſtum, non convocavit Patres Vocales ad eligendum Succeſſorem ſuum, ſed Conventus extrà Palum rexit quà Vicarius Generalis ab Anno 1488 ad 1491, quo ad Inſtantiam propriam ab Officio hoc amotus fuit, ut patet ex *Regiſtro Ordinis*, hæc habente Verba : *Die* 17 *Julij* 1491 *Fr. Mauritius abſolvitur a Vicariatu Provinciæ ejus Inſtantiâ, & poteſt legere Literas quàm ſibi placuerit.* Anno autem 1493 denuò inſtitutus fuit Vicarius Provinciæ, eo in Munere duraturus uſque ad Capitulum Generale, quod poſteà celebratum erat *Ferrariæ* 1494 ſub Rmo *Joachimo Turriano*, Veneto, XXXV Magiſtro Ordinis. Unde *Regiſtrum Ordinis* ſubdit :

Anno

(*c*) Videſis Cap iii. Num. ii. & ſeq. Pag. 48.

(*d*) Legeſis Cap. iv. Num. xi. Pag. 78.

(*e*) Ex Actis hujus Capituli liquet, ei interfuiſſe Provincialem *Angliæ*, P. Magiſtrum *Gulielmum Richford*, fortaſsè *Rochford*, aut *Rochfort*. Iſta porrò *Denunciatio* me prorsùs latuit quando Typis formabântur Operis hujus. Paginæ 73, & 97, ibi ſiquidem inter alia Num. vi. & vii. allata opportunum haberet Locum, Magiſtrumque *Fontanam* actutùm proſterneret.

(*f*) Adde *Magdalenæ*, ut conſtat ex Cap. ix. §. ii. Num. vii. Pag. 202.

(*g*) Ideſt *Colranæ* juxta Cap. ix. §. xii. Num. i. Pag. 244.

(*h*) Cap. iv. Num. vii. Pag. 74.

Anno 1493 *Magiſter Mauritius Moral reſtituitur ad Vicariatum Provinciæ, & hoc uſque ad Capitulum Generale, etiamſi legerit ſuam abſolutionem Die* 7. *Auguſti.* Veriſimile antem eſt, ipſum eodem in Officio fuiſſe continuatum uſque ad Annum 1496, quo abſolutus fuit a Vicariatu Provinciæ, factus Vicarius Conventuum duntaxàt reformatorum, *Regiſtro Ordinis* hæc addente: *Anno* 1496 *Magiſter Mauritius Moral abſolvitur à Vicariatu Provinciæ, & fit tantùm Vicarius Conventuum reformatorum. Romæ* 17. *Aprilis.*

QUANQUAM porrò Tres duntaxàt fuerint in Initio Conventus reformati, *Pontanenſis* ſcilicet, *Colranenſis*, & *Corcagienſis*, nuper recenſiti, Anno tamen 1493 ipſis ſe aggregavit *Youghallenſis*, ut patet ex *Regiſtro Ordinis* hæc dicente : *Approbatur Reformatio Conventus Joachiæ* (i. e. Youghallæ) *per Magiſtrum Bartholomæum* (de Comatijs, XXXIII Generalem Ordinis) *facta, & Vicarius Generalis Provinciæ Magiſter Mauritius poteſt reformare quoſcunque alios Conventus, quos cognoverit eſſe reformandos, eo quod fertur, quod omnes Conventus ſunt Fratribus nativis, & alijs expoliati, & corrupti malis Moribus ; itâ tamen quod illi Fratres illorum Conventuum quos voluerit reformare, ſi voluerint in Reformatione perſeverare, debeat illos retinere, &c. Datum Romæ 7 Auguſti* 1493. *Ipſis inſuper reformatis Conventibus ſe aggrevavit Limericenſis*, ut patet ex Conſtitutione *Julij* II, quam alibi exſcriptam habes *(i)*.

SED quidquid ſit de hoc, memorato Anno 1496 P. Magiſter *Richardus Hart* factus fuit Vicarius Provinciæ, & Electionis futuri Vicarij Generalis, quæ à ſelectis Patribus Provincæ fieri ſolebat, ut ſuprà explicatum eſt *(k)*; Electionis autem Confirmatio commiſſa fuit ſæpè laudato P. Magiſtro *Mauritio Moral.* En *Regiſtri* Verba : *Magiſter Ricardus Hart fit Vicarius Provincæ, & Electionis pro Electione futuri Vicarij Generalis, & Confirmatio ejuſdem committitur Magiſtro Maurito Moral, Vicario Conventuum reformatorum dictæ Provinciæ.* 26 *Aprilis* 1496.

CREDIDERIM porrò hunc fuiſſe *Richardum*, cognominatum *Herre*, qui quà *Definitor Hiberniæ* interfuit Capitulo Generali *Cenomanenſi* 1491, ut alibi narratum eſt *(l)*.

DURAVIT autem eo in Officio uſque ad Annum 1502, quo alius, cujus Nomen, utpotè in *Regiſtro* prætermiſſum, me latet, (ſed fortaſſis erat P. *Joannes Bauffremez*, Hollandus, jam jàm recenſendus), in ejus Locum ſubrogatus fuit. Iſte verò ab Officio amotus fuit Anno 1505 per Rmum *Vincentium Bandellum*, de Caſtro Novo, Lombardum, XXXVI Magiſtrum Ordinis, inſtituto iterùm Magiſtro *Richardo Hart.* Redeat *Regiſtrum Ordinis*, ajens : *Fr. Richardus Hart fit Vicarius ſuper Conventus non reformatos, cujus Officium duret ad Quadriennium. Confirmatur à Provinciali Angliæ* (m). *Caſſatur Prædeceſſor ſuus. Ipſe Vicarius pro Tempore Authoritatem habet Provincialis. Florentiæ Anno* 1505.

DEFUNCTO circà Annum 1502 P. Magiſtro *Mauritio Moral*, Neo-Magiſter Ordinis *Vincentius Bandellus*, mox laudatus, Anno præcedenti *Romæ* electus, Vicarium ſuper Conventus *Hiberniæ* reformatos, vel reformandos inſtituit P. *Joannem de Bauffremez*, Hollandum, quæ Inſtitutio Apoſtolicæ Confirmationis Robur per Conſtitutionem *Julianam* mox recenſitam accepit, ut alibi plenè narrabam *(n)*.

ANNO 1505 P. *Joannes Coyn*, alijs *Quin*, poſtmodùm Epiſcopus *Limericenſis*, ut ſuo Loco dicebam (*o*), factus fuit Vicarius ad Triennium ſuper Conventus rèformatos, & reformandos, ut liquet ex *Regiſtro Ordinis*, hæc habente : Fr. *Joannes Coyn Vicarius Congregationis Hiberniæ confirmatur cum omni Authoritate, quam habent Provinciales, ſuper Conventus reformatos, & reformandos, qui eximuntnr à Juriſdictione Provincialis, & cujuſlibet alterius, cujus Officium duret ad Triennium. Poſtulatio fiat More Congregationis Lombardiæ. Datum Prati* 4 *Septembris* 1505.

II. CUM

(i) Cap. iv. Num. x. Pag. 77.

(k) Cap. iii. Num. ii. & ſeq. à Pag. 48.

(l) Cap. iv. Num. vii. Pag. 75.

(m) Senſus horum Verborum videtur eſſe, vel quod Confirmatio Electionis Vicarij commiſſa fuit Provinciali *Angliæ*, ut anteâ fuit Magiſtro *Mauritio Moral*, vel quod Magiſter *Richardus Hart*, inſtitutus â Magiſtro Ordinis ſuper Conventus extrá *Palum*, fuit inſtitutus á Provinciali *Angliæ* Vicarius ſuper Conventus intrá *Palum*.

(n) Cap. iv. Num. x. Pag. 77.

(o) Cap. xiii. Num. lv. Pag. 484.

II. Cum autem Anno 1509 ſimul, & ſemel Tres eſſent Vicarij in *Hibernia*, nempè *Richardus Hart*, *Joannes Coyn*, & *Simon Lacy*, hinc Neo-Magiſter Ordinis, *Thomas de Vio*, Cajetanus, Anno præcedenti *Romæ* electus, ad præcavendam Confuſionem omnem, Literas dedit ad *Hibernos*, in hunc Modum regiſtratas: *Tribus ſe gerentibus pro Vicarijs in Hibernia, unus ſuper tres* (*p*), *Conventus reformatos*; *alius ſuper totam Nationem ex Inſtitutione Magiſtri Vincentij* (ſcilicet Bandelli, nuper laudati); *tertius dicens ſe Vicarium Provincialis Angliæ* (*q*); *Mandamus, ut ſinguli ſcribant Inſtitutionem, & Auctoritatem ſuam, à quo, ſuper quot Conventus, cum quibus Exemptionibus, quem Superiorem recognoſcant, cui Contributiones ſolvant*; *Literas ſuæ Inſtitutionis, vel earum Copias authenticas mittant. In contrarium &c, ut poſſit provideri illi Inſulæ. Lucæ* 4 *Novembris* 1509. Dein immediatè ſubditur: *Omnibus Præſidentibus Conventuum prædictæ Nationis, cuicumque Vicario ſubjiciantur, mandatur ſub Pæna Abſolutionis, ut in Manus Magiſtri Simonis Lacy, Vicarij Provincialis Angliæ ſuper Hibernia* (*r*), *ſolvant ſinguli pro Rata ſua Contributionem debitam Magiſtro Generali, ut ei quoad totum de centum & quatuordecim Ducatis ſatisfiat. In contrarium &c Die* 14.

Ad Purpuram aſſumpto laudato *Thomâ de Vio*, à Patria & Epiſcopatu dicto paſſim *Cajetano*, in Comitijs Generalibus *Romæ* 1518, in quibus electus erat in XXXIX Magiſtrum Ordinis Rmus P. *Garſias de Loayſa*, Hiſpanus, *Hibernia Dominicana* evaſit Congregatio reformata, ut ſuo Loco oſtendebam (*s*). A recenſito autem Anno 1518 ad 1536 prælibatam *Hiberniam Dominicanam* regebant Vicarij, more aliarum Congregationum, hiſce etiam Temporibus ſervato, à ſelectis Patribus Conventuum electi, (*t*), & à Magiſtro Ordinis confirmati, in ſuo durantes Munere per Triennium, cum hoc tamen Diſcrimine, quod reeligi poſſent, & confirmari, ut ſancitum fuit in Capitulo Generali *Romano* prælibati Anni 1518, cujus Decreti Verba ſuperiùs exſcripta habes (*u*).

Vicario tamen hujus Congregationis haud ſuberant Conventus non reformati intrà *Palum Anglicanum*, ſed Provinciali *Angliæ*, qui Vicarium ſuum pro ijs conſtituere ſolebat. Undè *Anno* 1524 *Die* 25 *Februarij* (Verba ſunt Regiſtri Ordinis) *mandatum fuit R. P. Provinciali Angliæ, ut ſecundùm quod Moris eſt in Natione Hiberniæ, Provinciali Angliæ ſubjectâ* (*w*), *Vicarium inſtituat, & quia, Caſu quo eſſet Conſuetudo Vicarium à præfata Natione eligi, Tempus à Jure præfixum tranſivit jam à multis Diebus, facta eſt Commiſſio Patri Provinciali ut Nomine R. Patris Vicarij Ordinis* (ſcilicet Franciſci Sylveſtri, Ferrarienſis, Anno ſequenti in XL Magiſtrum Ordinis electi) *Vicarium in Natione illa conſtituat probum, & religioſum.*

III. Tandem verò Anno 1536, poſt Lapſum *Henrici* VIII in Schiſma (*x*), Potentiâ *Anglorum* in *Hibernia* quoad Juriſdictionem Eccleſiaſtico-Catholicam ceſſante, denuò erecta fuit *Hibernia Dominicana* in Provinciam, Conventus omnes Inſulæ hujus, tàm intrà quàm extrà *Palum Anglicanum* ſitos, complectentem, à *Paulo* III, Pontifice Maximo, ut ex locupletiſſimo conſtat Teſtimonio Capituli Generalis *Romæ* 1558, cujus ipſiſſima Verba Oculis tuis, benigne Lector, pridem ſubjiciebam (*y*). Undè quæ in primæva Inſtitutione vigeſimum-tertium habuit in Ordine Locum, poſt *Scotiam* nimirùm Anno 1481 erectam (*z*), poſtmodùm in ſecunda hac Inſtitutione cecidit ad Locum vigeſimum-ſeptimum, poſt Provinciam nempè *Indiarum*, Anno 1530 ſtabilitam (*a*).

Ceterum quis fuerit Prior Provincialis, *Hiberniæ Dominicanæ* Anno illo 1536 datus, me latet, ut

---

(*p*) Ex his liqnet, Tres duntaxát Conventus in Reformatione tunc Temporis perſeveraſſe.

(*q*) Ex his *Regiſtri* Verbis colligitur, emendandum *Fontanam*, qui Part. ii. Pag. 207, in hunc Modum habet: *Tertius dictus ſit Vicarius Provincialis Angliæ.*

(*r*) i e. Super *Hibernia Anglicana*, ſivè ea *Hiberniæ* Parte, quæ intrà *Palum* eſt *Anglicanum.*

(*s*) Cap. iv. Num. xiv. Pag. 80.

(*t*) Confer Cap. iii. Num. ii. & ſeqq. á Pag. 48. Celebratum porrò fuiſſe Capitulum in Cænobio noſtro *Athenrienſi* Anno 1524, liquet ex Cap. ix. § viii. Num. vi. Pag. 228.

(*u*) Cap. iv. Num. xiv. Pag. 80.

(*w*) i. e. In Natione *Hiberniæ*, intrá *Palum Anglicanum* coarctatæ.

(*x*) Legeſis Cap. i. Num. xvii. & xxi, atque Cap. xvii. Num. i.

(*y*) Cap. v. Num. i, & viii Pag. 91, & 98.

(*z*) Videſis Cap. iv. Num. vi Lit. a. Pag. 73.

(*a*) Adeas Cap. v. Num. vi. Pag. 97.

ut candidè fatear, neque ex *Regiſtro Ordinis* apparet. Veriſimiliter autem erat P. Magiſter *David*, infrà recenſendus.

ANNO verò 1547 Rmus *Franciſcus Romeus*, Reatinus Caſtilionenſis, XLV Magiſter Ordinis, confirmavit in Vicarium pro Coadjutore Prioris Provincialis P. Baccalaureum Fr. *Quenatium*, ſeù *Quintinum (b) O-Heyns*, dicente Regiſtro : *Anno* 1547, 12 *Martij, Venerabilis Fr. Quienatius, ſeù Quintinus O-Huijgnz*, Baccalaureus (c), *confirmatnr in Vicarium pro Coadjutore Reverendi Provincialis, tàm ſuper Obſervantes quàm ſuper Conventuales, ut poſſit per ſe, vel per alium regere, & gubernare, non obſtantibus quibuſcunque, maximè Literis Reverendiſſimi Prædeceſſoris ſui* (Alberti Caſai, Hiſpani) *mandando omnibus, ut ei tanquam Perſonæ ſuæ obediat.*

SED ſaltem poſteà, Anno ſcilicet 1548 P. Magiſter *David* erat Prior Provincialis, ſic quippè in *Regiſtro Ordinis* refertur : 1548, *Die* 15 *Maij, Procurator Ordinis, & Vicarius, Stephanus Genuenſis, dedit Facultatem Reverendo Magiſtro David Provinciali, ut omnes Apoſtatas ab Ordine, & ab Unitate Eccleſiæ hæreticâ Labe infectos, redire volentes, Auctoritate Sanctiſſimi Domini* (Pauli Papæ III), *vivæ Vocis Oraculo Reverendo Vicario conceſsâ, ad Unitatem Eccleſiæ recipiat.*

1549, 8 *Martij, Fr. N. inſtituitur* (Verba ſunt Regiſtri) *Commiſſarius ſuper omnia Cœnobia, Monaſteria, & utriuſque Sexûs Perſonas Provinciæ Hiberniæ cum pleniſſima Auctoritate tâm in Capite quàm in Membris, in ſpiritualibus, & temporalibus, omnia faciendi, quæ Reverendiſſimus Generalis poſſit, ita tamen quod in Executione Commiſſionis adhæreat Conſilijs Archiepiſcopi Armacanenſis.*

IV. QUAMDIU duravit iſte in Officio, quiſve fuerit, aut quid in *Hibernia* præſtiterit, autve quis Prior Provincialis, vel Præſidens Provinciæ fuerit, ex *Regiſtro* non patet, ſed certo certius eſt, Anno 1563 Priorem Provincialem fuiſſe *Thaddæum O-Duanum*, Sligoenſem. Tam enim ex Magiſtro *Fontana* (*d*), quàm ex Actis Capituli Generalis *Romæ* 1656, cujus Verba alibi referam (*e*), conſtat, *Honoriam de Burgo*, quæ vixit Annos centum & quatuor, denatam autem Anno 1653, Habitum tertij Ordinis (*f*), decimo quarto Ætatis ſuæ Anno, hoc eſt Anno Chriſti 1563, recepiſſe à laudato P. *Thaddæo O-Duano, Priore Provinciali.* Hic porrò *bis Provincialem egit*, inquit Capitulum Generale *Romanum* 1656 mox laudatum, hac Vice ſcilicet, & ab Anno 1604 ad 1608, quo obdormivit in Domino juxtâ idem Capitulum Generale, cujus Verba poſthàc commodiùs exſcribam (*g*).

IN *Regiſtro Ordinis* nihil poſteà notatur de Provinciali *Hiberniæ* uſque ad Annum 1594 (confer brevi dicenda Num. vi.) ſic verò tunc habetur : 1594, *Die* 13 *Aprilis, a Vincentio Caſtrucienſi, Procuratore, & Vicario Generali Ordinis, inſtitutus fuit Vicarius in Provincia Hiberniæ ad Beneplacitum Superiorum Fr. Thaddæus Mac-Duanay (h) cum ea Auctoritate, quam illi conceſſerat Fr. Eugenius Mac-Tugam, olìm Provincialis, qui prædictum P. Fr. Thaddæum Vicarium creaverat, & cum Auctoritate, quam ſolent habere ſimiles Vicarij ſecundùm noſtras Conſtitutiones.* Igitur

V. F. EUGENIUS MAC-TUGAM erat Prior Provincialis antè Annum 1594. Veriſimile autem eſt Provincialem hunc, ad exteras migrantem Regiones, *Thaddæum O-Duanum*, ſeù *Mac-Duanum*, inſtituiſſe ſuum Vicarium, qui ſubindè, vel Vitâ, vel Munere functo *Eugenio*, factus fuit Vicarius Provinciæ, ut præfertur, Anno 1594, duraturus in Officio ad Triennium, quo expleto continuatus fuit durante Beneplacito Rmi Magiſtri Ordinis. En Verba Regiſtri : 1597, *Die*

(*b*) Confer Cap. ix. §. xli. Num. iii. Lit. h. Pag. 332.

(*c*) Qui punc vocatur *Præſentatus*, tunc Temporis dicebatur *Baccalaureus*, More Italorum. Recolendum Cap. xii. §. i. Lit. l. Pag. 414.

(*d*) *Monumenta Dominicana* ad Annum 1653.

(*e*) Cap. xvi. Num. xliv.

(*f*) Conſulendum Cap. x. §. iv. Num. iii. Pag. 343.

(*g*) Cap. præſ. Num. vii.

(*h*) *Mac*, & *O* promiſcuè præmittuntur quibuſdam Cognominibus apud *Hibernos*, ut *O-Donnell*, & *Mac-Donnell*. Sic item *O-Kelly*, quandoque dicitur *Mac-Kelly*, & *O-Brien*, *Mac-Brien*, ut ex Cap. ſuperiori, Num. i, & l. Pag. 457, & 479, liquet.

Die 8 *Martij*, *P. Fr. Thaddæus Mac-Duany confirmatus fuit Vicarius Provinciæ Hiberniæ ad Beneplacitum Reverendiſſimi Generalis cum ſolita Auctoritate.* Duravit autem Beneplacitum Reverendiſſimi Magiſtri Ordinis ad Annum uſque 1600, quo Provincialis fuit factus P. *Daniel O-Creidegain*, ut ſequitur.

VI. F. DANIEL O-CREIDEGAIN, Sligoenſis, Prior Provincialis fuit ab Anno 1600 ad 1604, ut pellucidè conſtat ex *Bernardo de Jonghe* (*i*) hæc referente:

“Sub Initium Sæculi Decimi-ſeptimi, *Elizabethâ* Filiâ Nothâ *Henrici* VIII Regna *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* uſurpante, & in Templa, Monaſteria, & quæcunque Sacra ſæviente, tanta Locorum ſacrorum Strages facta eſt, ut Anno 1603, quo obijt, ne quidem unum Cænobium relictum fuerit in prædictis Regnis non profanatum. Religioſi omnes ex Patria abacti fuerunt, aut Morte affecti, præter perpaucos ex Mendicantibus, abdentes ſe in abditis fugitivorum Locis, ut Catholicos ſuperſtites in Fide ſolidarent. Ex his erant Ven. P. *Daniel O-Creidegain* tunc (*Anno* 1603) Provincialis Provinciæ *Hiberniæ*, longo Tempore in Provincialatu continuatus, & Ven. P. *Thaddæus O-Duain*, ex Conventu S. *Crucis* de *Sligoa*. Hic poſterior ſucceſſit Priori in Regimine deſolatæ Provinciæ” &c.

Hæc *de Jongbe*, ex quibus inferri videtur fuiſſe P. *Danielem O-Credegain* anteà Provincialem, & quidem diù continuatum, fortaſſis inter Annum 1570 & 1590, quo in Spatio Temporis nullus, ut nuper obſervabam, à *Regiſtro Ordinis* indigitatur Provincialis, aliuſve cujuſcunque Nominis Provinciæ Præſidens. Diſceſſit autem *Daniel O-Creidegain* in *Hiſpaniam* Anno prælibato 1603, relinquens in *Hibernia* Vicarium ſuum prælaudatum *Thaddæum O-Duanum*, jam anteà poſteàque Priorem Provincialem.

VII. F. THADDÆUS O-DUANUS, Sligoenſis, iterùm Prior Provincialis ab Anno 1604 ad 1608, quo obdormivit in Domino. De celebri Viro iſto hæc habent ſuppares Patres Comitiorum Generalium *Romæ* 1656 (*k*):

“R. P. Fr. *Thaddæus O-Duanus*, tùm Catholicæ Religionis, tùm ſui Ordinis, ac Inſtituti mirificus Zelator, difficillimis Temporibus ſuſceptâ paſſìm ad Habitum numeroſâ Juventute, effecit, ne ſuâ Ætate interiret Ordo in illis Regionibus, ubi bis Provincialem egit. Dum nobilis quidam Catholicus deploraret coram eo ſævam *Conaciæ* Præſidis *Georgij Bingham* Angli Immanitatem (velut qui nobilium Catholicorum Facultatibus inhians, plurimos eorum extremo Supplicio affecerat), pius Pater Vultu repentè ſerenato reſpondit: *Bono Animo ſimis, neque enim Georgius ille jam ampliùs Eccleſiam, & Patriam noſtram affliget.* Compertumque fuit, eâdem Horâ, quâ hoc dicebatur, procul alibi Tyrannum hunc Æmuli ſui Gladio confoſſum perijſſe.

“Captus aliquandò ab Hæreticis Caſtri *Bureiſolenſis* (*l*) Præſidiarjs, ad unum omnes convertit, adeò ut, relictâ Hæreſi, & ſacrilegâ Militiâ Sæculi, per Patriam ſe diſperſerint, nec unquàm redierint ad Hæreticos.

“Pauperis cujuſdam Familiæ miſertus, Vaccam Dæmonis Arte faſcinatam, Lactis exſuccam, jamque morientem, Crucis Signo erexit ſanam, ac ſtatìm Lac copioſum præbere fecit.

“Fractus Laboribus, & Senectute, cùm ſenſìm ad extrema vergeret, circumſtantibus Catholicis, ejuſque Exitum, ac ſuam indè Deſolationem lugubriter deflentibus, placido Ore prædixit, non antè ſe migraturum è Vita, quàm adeſſet Religioſus ſui Ordinis, qui tùm ſibi agonizanti aſſiſteret, tùm poſt Obitum opportunè ſuccederet in Officio miniſtrandi Catholicis Sacramenta. Itâ factum, nam ipſa Die ſui feliciſſimi Tranſitûs advenit ex *Portugallia* (finitis *Ulyſſipone* ſuis Studijs) P. Fr. *Daniel O-Creidegain*, de quo ſuprà (*m*), in cujus Manibus P. *Thaddæus*, Dierum, ac Meritorum plenus, dulciter in Domino obdormivit, ſepultus in Eccleſia ſui Conventûs *Sligoenſis* Anno 1608.”

VIII. F. ROLANDUS DE BURGO, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, Prior Provincialis Auctoritate Rmi Magiſtri Ordinis ab Anno 1608 ad 1615 (*n*), quo migravit è Vita, ut teſtantur Acta Capituli Generalis *Romani* 1656 (*o*) his de eo præclaris Verbis:

(*i*) In *Belgio Dominicano*, Pag. 417.

(*k*) In *Actis* Tit. *Fratres, & Sorores, qui pretioſa in Conſpectu Domini Morte obierunt*, §. *In Provincia Hiberniæ*, Pag. 155.

(*l*) Legeſis Cap. ix. §. xxxvii. Num. i. Pag. 317.

(*m*) Pag. 154. *Actorum*, quorum Verba Num. xi. hujus Capitis in Medium afferentur.

(*n*) Itâ *compendioſa Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum*, *Ab Anno* 1600, quæ in Archivo *S. Sixti* de Urbe aſſervatur.

(*o*) Loco nuper laudato *Actorum*, Pag. 156.

“ Anno 1615 R. P. Fr. *Rolandus de Burgo*, ex Illuſtriſſima Comitum *Clanrickardiæ* (*p*) Proſapia, Virtute nobilior, *Hiberniæ* demùm Provincialis, ſingulis Dominicis feſtiviſque Diebus, tàm Hyeme, quàm Æſtate, ſub Ardore ſævientis Perſecutionis excurrebat ad multa Milliaria, prædicans Chriſtum crucifixum, & Marianum Roſarium. Sæpè a quadrageſimali Concione rediens, ſolo Pane groſſiori, & Aquâ reficiebatur, iſtamque Vitæ Rationem, per multos Annos continuatam, cum Vita finivit in Patria ſua, ubi tanta Integritatis ejus Opinio, ut vulgò diceretur, ſi Eccleſia Chriſti de præſenti unicum duntaxàt Sanctum Virum haberet, eum utique fore P. F. *Rolandum* Provincialem S. *Dominici*. Vitâ functum tota Patria amarè luxit, Cadaver ad nativum Conventum Athenrienſem delatum fuit, at ſeminudum, quod Veſtium ejus Particulas certatim Catholicorum Devotio ſibi diſcerpſerat inſtar Reliquiarum adſervandas.”

IX. Post Prælati hujus digniſſimi Obitum delectus non fuit à Rmo Magiſtro Ordinis novus Prior Provincialis ob Temporum Calamitates (*q*). Veriſimiliter tamen factus fuit Vicarius Provinciæ *Rochus Mac-Geoghegan*, mox recenſendus, qui ſaltem eo Munere fungebatur Anno 1617, ſic enim habet Regiſtrum : *Anno* 1617, *Die* 17 *Septembris, fit Mentio de Facultatibus à Paulo V in Congregatione S. Officij conceſſis Fr. Rocho Vicario Provinciali Ordinis Prædicatorum in Hibernia.*

Igitur *Hiberniæ Dominicanæ* defuit Prior Provincialis uſque ad Capitulum Generale *Mediolanenſe*, ſub Rmo *Seraphino Sicco*, Papienſi, LIV Magiſtro Ordinis, Anno 1622 celebratum, quod, ut ex Actis ejus conſtat (*r*), Priorem Provincialem inſtituit P. Præſentatum Fr. ROCHUM MAC GEOGHEGAN, aliàs à *Cruce*, Cænobij *Molingarenſis* Alumnum, tametſi Conventûs *Rupis Franciæ* in Provinciæ *Hiſpaniæ* tunc Filium, qui conſuetum complevit Quadriennium, fuitque poſtmodùm Epiſcopus *Darenſis*, ut ſuperiùs dictum eſt (*s*), ubi plura Elogio digna de ipſo narrabam.

X. F. NICOLAUS LINCÆUS, vulgò *Lynch*, S. Theologiæ Magiſter in Capitulo Generali *Romano* 1629 creatus (*t*), Cænobij *Galvienſis* Alumnus, Prior Provincialis electus Anno 1627 in Capitulo Provinciali *Sligoenſi*, cujus diſertè meminit Capitulum Generale *Romanum*, mox laudatum, Verbis ſuo Loco exſcriptis (*u*), cui ipſemet perſonaliter quà Provincialis interfuit. Hinc *O-Heynus* noſter (*w*) hæc de eo refert : “ Ex eodem (*Conventu Galvienſi*) R. A. P. Fr. *Nicolaus Lynze*, S. Theologiæ Magiſter, fuit Provincialis *Hiberniæ* ; fuit etiam Definitor in Capitulo Generali celebrato *Mediolani* (1629) ſub Reverendiſſimo Patre Magiſtro Generali Fr. *Nicolao Ridulpho*, ubi promotus fuit ad Magiſterium. Fuit Vir pius, & Roſarij Reſtautator Galviæ, ac per totum Regnum Propagator zeloſiſſimus.”

XI. F. DANIEL O-CREIDEGAIN, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Cænobij *Sligoenſis*, non qui nuper laudatus (*x*), ſed alter ab eo, electus Prior Provincialis *Portumnæ* 1631, cujus Capituli Provincialis Acta, & Ordinationes Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644 diſertis Verbis pridem exſcriptis (*y*) approbavit. In Officio duravit veriſimiliter ultrà conſuetum Quadriennium propter Difficultatem convocandi Patres Capitulares ex omnibus Regni Partibus, exardeſcente ſcilicet Acatholicorum Perſecutione. De eo autem ſequentia habet *O-Heynus* (*z*) :

“ Poſt hunc (*Thaddæum O-Duanum, antea memoratum*) viguit R. Adm. P. *Daniel O-Creidegain*, qui etiam fuit Provincialis meritiſſimus, nam flagrante ſævæ Perſecutionis Hoſtilitate ſub Jacobo Primo contrà omnes Catholicos, Vir iſte plenus Pietate, Fortitudine, ex Zelo ferventi Catholicæ Veritatis tuendæ, ac fovendæ, circumgirabat Regnum, pertranſiens benefaciendo. Vixit uſque ad Senectutem maximè decrepitam, ideoque caligaverunt Oculi ejus, nec videre quidquam poterat ; & orto Bello Octobris 4, Anno 1641, & irrumpentibus Hoſtibus Hæreticis, Scotis æquè ac Anglis, in Comitatu

Sligoæ

(*p*) Videſis Cap. ix. §. viii. Num. vi. Lit. m. Pag. 227.

(*q*) Videſis Cap. xvii. Num. xxv.

(*r*) Conſulendum Cap. v. Num. xvii. Pag. 105.

(*s*) Cap. xiii. Num. lxiv. Pag. 487.

(*t*) Legeſis Cap. vi. Num. ix. Sect. 13. Pag. 11[illegible].

(*u*) Cap. vi. Num. ix. Sect. 10. Pag. 113.

(*w*) In *Epilogo Chronologico*, Pag. 24.

(*x*) Num. vi. Pag. 521.

(*y*) Cap. vi. Num. x. Sect. 16. Pag. 116.

(*z*) Pag. 40.

“ *Sligoæ*, coactus fuit Venerabilis Senex fugere à Facie hoſtilis Gladij, omnia devorantis. Hunc Prior *Athenrienſis*, qui tunc fuit Vicarius totius Provinciæ (*a*), ſuſcepit omni Charitatis Pondere in Ulnas ſuas, quem, & tota Communitas pari Amicitiâ cordialiter amplexa eſt, in qua vixit per aliquot Annos ut Norma Regularis Vitæ uſque dùm Hoſtis irruperit in illas Partes. Diſpersâ igitur Communitate *Athenrienſi*, remiſſus fuit Venerandus Magiſter, ut ipſe poſtulaverat, ad Comitatum *Sligoæ*, ubi à *Carolo Coote*, Cromuelliani Exercitus Ductore Generali in illis Partibus, expugnato Caſtro de *Ballimota*, captus eſt inter reliquos; & licèt iſte *Coote* eſſet implacabilis Oſor Fidei veræ, ac Religionis, tactus eſt de Cælo tantâ hujus Senis Veneratione, ut eum tranſmitteret *Sligoam* cum Præſidio, ac Salvo Conductu, ordinando ſtrictè, ut unaquæque Domus in Civitate ſolveret illi quatuor Aſſes per ſingulos Annos quamdiù viveret, eſtò ſuaſiſſent heterodoxi Duces, & principaliter *Robertus Ormſby*, eundem Patrem è Veſtigio in Patibulo ſuſpendendum. Et advertendum eſt, quod iſte clarus Vir tantæ fuerit Auſteritatis in ſuum Corpus, ut dùm degeret *Athenriæ*, noluiſſet prorsùs veſci Carnibus Diebus vetitis, & ſpecialiter in Quadrageſima, niſi Priore eum obligante ſub ſtricto Præcepto. Deindè notandum eſt, quod dùm vixiſſet *Sligoæ* ſub dicto Salvo Conductu, ſemper portaverit Ordinis Habitum per publicas Plateas, tàm enim erat tenax Dominicani Candoris, nec Acatholici contradicebant, ſed mirabantur Viri decrepiti Fortitudinem, & Conſtantiam. Obijt (*Anno* 1655) plenus Dierum, ac ſuaviſſimæ Famæ indelebili Odore refertus, cujus Memoria in Benedictione eſt apud Catholicos illius Loci.”

Quod verò planè diverſus fuerit à *Daniele O-Creidegain*, quem ſemel iterumque dicebam (*b*) & ſucceſſiſſe, & præceſſiſſe F. *Thaddæo O-Duano* in Munere Prioris Provincialis, quemque ſignanter oſtendebam (*c*) ex *Bernardo de Jonghe* Provincialem fuiſſe Anno 1603, Luce meridianâ clarius patet ex nuper (*d*) exſcriptis Comitiorum Generalium *Romæ* 1656 Verbis, quibus diſertè aſſeritur, laudatum *Thaddæum O-Duanum* obdormiviſſe *Anno* 1608 in Manibus hujus *Danielis O-Creidegain, de quo ſupra, qui ipsâ Die feliciſſimi* iſtius *Tranſitûs advenit ex Portugallia, finitis Ulyſſipone ſuis Studijs.*

En porrò quæ *ſuprà*, id eſt Pag. 154 Suorum *Actorum*, de hoc *Daniele O-Creidegain*, referunt recenſita Comitia Generalia:

“ Eodem Anno (1655) ſimilem penè, at in Patria, vivendi Finem cum publica Probitatis Opinione habuit Venerabilis Senex P. Fr. *Daniel O-Creidegain*, qui miro ſuo Religionis Zelo Ordinem noſtrum, in *Conacia* propè extinctum, reſuſcitavit, pluribus Conventibus, quà inſtauratis, quà de novo extructis, ac numerosâ Juventute ad Habitum ſuſceptâ, quam apud exteras Provincias in Moribus, ac Literis fecit educari. Sub Rege Jacobo (*Primo*) plurimos Nobiles Viros, ob avitam Fidem in Vincula conjectos, intrepidus Athleta animavit ad Conſtantiam, & Pecunijs toto Regno emendicatis honeſtiſſimè ſuſtentavit. Illuſtriſſimo Comiti *Weſtmediæ* (*e*) Auctor fuit transfretandi in *Angliam*, ad Regis in Catholicos Iram, Hæreticorumque Rabiem mitigandam, qui quidem Nobiliſſimus Heros quanta illic pro Fidei, ac Patriæ Defenſione præſtiterit, univerſo Regno palam eſt (*f*). At *P. Daniel* varijs Perſecutionum Procellis mirè agitatus, ac ſemel, dum pro Nobiliſſimæ cujuſdam Matronæ tuenda Caſtitate ſe exponit, in Capite diro Vulnere ſauciatus, demùm cæcus, ab ipſo hæretico Gubernatore ob notoriam Vitæ Innocentiam communi Exilij Lege exemptus, ac inter ſuos vivere permiſſus, aſſiduò intendebat Catholicorum ſpirituali Solatio, interque hos Labores, Ætate, ac Meritis gravis, ſanctè in Domino obdormivit.”

XII. F. JACOBUS O-HURLY, Cænobij *Killocienſis* Alumnus, Prior Provincialis electus *Youghallæ* Die 12 Octobris 1638, Electione poſtmodùm confirmatâ, ut Moris eſt, à Rmo Magiſtro Ordinis Die 19 Februarij 1639, ut ex jam pridem dictis authenicè conſtat (*G*). Anno 1640 ſub eo habitum fuit *Corcagiæ* Capitulum intermedium, ut vocant, cujus meminit Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644, ut ex pridem dictis patet (*g*). Anno autem ſequenti 1641 renunciatus fuit Epiſcopus *Imelacenſis* (*h*), ut vel ex eo potiſſimùm conſtat, quod prælibato Anno 1641

(*a*) Ob Aſſumptionem ſcilicet Prioris Provincialis, *Jacobi O-Hurly*, ad Epiſcopatum *Imelacenſem*, ut poſthàc declarabitur Num. ſeq.

(*b*) Cap. v. Num. ix, & Cap. xii. §. iii. Num. i. Pag. 99, & 430.

(*c*) Num. vi. hujus Capitis, Pag. 521.

(*d*) Cap. præſ. Num. vii. Pag. 521.

(*e*) *Richardo* nempè *Nugent*, qui decimus fuit Baro *Delvinæ*, & primus Comes *Weſtmediæ*, à Rege *Jacobo* I, Anno 1621, creatus.

(*f*) Adeas Cap. xvii. Num. xxiii.

(*G*) Cap. ix. §. xx. Num. ii. Pag. 272.

(*g*) Cap. vi. Num. x. Sect. 6. Pag. 115.

(*h*) Recolendum Cap. præced. Num. lxv, P. 487.

Prior *Athenrienſis* erat *Vicarius totius Provinciæ*, ut ex nuperrimè dictis liquet (*i*). Cæterùm de eo hæc habet *O-Heynus* noſter (*k*), inſigniores *Killocienſis* Conventûs Alumnos recenſens: "Primus ex occurrentibus noſtræ Notitiæ eſt Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus D. Fr. *Jacobus O-Hurly*, Vir eximiè religioſus, & doctus, qui ſtuduit in *Hiſpania*, & redux in Patriam ſæpiùs fuit Prior, & ſemel Provincialis perdignus, poſteà Epiſcopus fuit *Immolæ* (*l*), cui ſucceſſit immediatè Reverendiſſimus D. *Terentius*, aliàs *Albertus O-Brien*."

XIII. F. TERENTIUS-ALBERTUS O-BRIEN, Cænobij *Limericenſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter in Capitulo Generaliſſimo *Romæ* 1644 creatus (*m*), Prior Provincialis *Kilkenniæ* electus eo ipſiſſimo Tempore, quo eadem in Civitate *Supremum Catholicorum Fœderatorum Concilium* ſedebat, Anno ſcilicet 1643, ut ſuo Loco declarabitur (*n*). Iſtius porrò Capituli Provincialis *Kilkennienſis* diſertè meminit laudatum Capitulum Generaliſſimum Anno ſequenti celebratum, ejuſdem Acta, & Ordinationes approbans, ut ex alibi exſcripto illius Decreto liquet (*o*). Eidem Capitulo Generaliſſimo quà Provincialis interfuit *Terentius-Albertus* noſter *O-Brien*, Magiſterij Laureâ ibidem, ut præfertur, decoratus, eodemque Anno ad Epiſcopatum *Imelacenſem*, per Obitum Prædeceſſoris ſui, Fr. *Jacobi O-Hurly*, vacantem, ab *Urbano* VIII, Pontifice Maximo, evectus, tandemque ob Defenſionem Catholicæ Fidei in Furcam actus *Limerici* Anno 1651, ut longiuſculis Verbis ſuperiùs narrabam (*p*).

XIV. F. GREGORIUS O-FERRALL, Alumnus Cænobij *Longofordienſis*, ad Præſentaturæ Theologicæ Gradum acceptatus à Capitulo Generaliſſimo *Romæ* 1644 (*q*), Magiſterij verò Laureâ donatus à Capitulo Generali *Romano* 1650 (*r*), Prior Provincialis electus *Athenriæ* prælibato Anno 1644. Interfuit Concilio Nationali *Hiberniæ* ſub Excellentiſſimo *Joanne-Baptiſta Rinuccino*, Archiepiſcopo, & Principe *Firmano*, atque Nuntio Apoſtolico, primùm habito *Kilkenniæ*, poſtmodùm *Waterfordiam* tranſlato, ut ex Decreto quodam poſt hàc exſcribendo (*s*) clarebit. De celebri hoc Viro ſequentia habet *O-Heynus* (*t*):

"Ex eodem Conventu (*Longofordienſi*) R. Adm. Pater Fr. *Gregorius O-Ferrall* ſtuduit in *Hiſpania*, & redux Philoſophiam docuit *Limerici*, ubi fuit etiam Magiſter Studentium cum Laude, ſub cujus Officij Fine fuit electus Socius P. Prioris *Lymericenſis* euntis ad Capitulum Provinciale, agendum *Athenriæ*, & P. *Gregorius* præter communem Opinionem electus, & confirmatus eſt Provincialis. Rexit cum ſingulari Religione, Prudentia, & Provinciæ Satisfactione. Peracto Provincialatu, Curam geſſit noſtrarum Monialium *Galvienſium*, quas, expugnatâ Civitate ab Hoſtibus, perduxit in *Hiſpaniam* (*u*), ac ſolicitavit citò à Majeſtate Catholica Conventus pro illis; ipſe verò degit in Conventu de *Stella* toto Tempore Exilij. Ego autem audivi *Salmanticæ* à P. Præſentato *Rincon*, qui fuit Prior in *Stella*, morante ibi iſto Patre, quod non agnoverit Religioſum altioris Humilitatis. Anno 1664 redivit in Patriam. Novitius *Athenriæ* vidi eundem ibidem Anno 1665, & receptum ab omnibus Patribus velut Angelum bonum. Erat mitiſſimi, & mortificati Aſpectus, ingens Cuſtos Silentij, & Obſervantiæ, quantum fieri potuit in ea afflictiſſima Regione; undè Sæculares eum æſtimabant tanquàm Virtutis Speculum. Obijt in Domino, devotè ſuſceptis Eccleſiæ Sacramentis, in Domicilio noſtrorum Patrum extrà *Longofordiam* Anno 1672."

XV. F. GULIELMUS DE BURGO, Senior (*w*), Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis electus *Athenriæ* Anno 1648, in Munere hoc continuatus

Aucto-

(*i*) Num. præced.

(*k*) Pag. 17.

(*l*) Lege *Imelacæ*, juxtà ſuperiùs dicta Cap. præced. Num. lxv. Lit. s. Pag. 488. *Imola* autem, Veteribus *Forum Cornelij* (ubi adfui), Urbs eſt Epiſcopalis *Æmiliæ* ſub Archiepiſcopo *Ravennatenſi* in Ditione Pontificia.

(*m*) Liquet ex Cap. vi. Num. x. Sect. 14. Pag. 116.

(*n*) Cap. xvii. Num. xliii.

(*o*) Cap. vi. Num. x. Sect. 16. Pag. 116.

(*p*) Cap. præced. Num. lxvi. Pag. 488.

(*q*) Videſis Cap. vi. Num. x. Sect. 13. Pag. 116.

(*r*) Conſulendum Cap. vi. Num. xii. Sect. 5. Pag. 118.

(*s*) Cap. xvii. Num. lii.

(*t*) Pag. 11.

(*u*) Adeas Cap. x. §. ii. Num. iv. Pag. 351.

(*w*) Confer Cap. ix. §. xvi. Num. iv. Lit. q. Pag. 260.

Auctoritate Rmi Magiſtri Ordinis *Joannis-Baptiſtæ de Marinis*, Januenſis, ad Finem uſque Anni 1659, quo eidem Muneri lubens reſignavit, *Lovanij* tunc verſans, ſed vix adduci potuit Rmus *de Marinis* laudatus ut Reſignationem hujuſmodi acceptaret, plenam in Literis ad ipſum faciens Fidem de nulla regnandi Cupiditate, de prudenti Adminiſtratione Provinciæ, atque de optimè functa Legatione à Catholicis *Hiberniæ* ad Ducem *Lotharingiæ*, de qua infrà. In Literis item Patentibus, quibus ab eodem Rmo creatus fuerat Anno 1655 S. Theologiæ Magiſter, Merita ipſius Scholaſtica, atque prudens Provinciæ Regimen magnoperè expenduntur (*x*). Audiamus porrò *O-Heynum* (*y*), hæc de eo inter *Athenrienſis* Conventûs Filios ajentem :

" R. Adm. & Eximius P. *Fr. Gulielmus de Burgo*, dictus *Senior*, S. Theologiæ Magiſter, ſtuduit in " *Hiſpania* excellenter, docuit in Conventu noſtro *Biſontino* (*z*) in *Burgundia*, fuit elegans Elocutor nativæ " Linguæ, Anglicæ, Hiſpanicæ, & Latinæ. Fuit Provincialis *Hiberniæ* ab Anno 1648 incluſivè uſque " ad Annum 1654 (*a*). In Provincialatu exulavit Patriâ *Lovanium*, ubi degens finivit ſuum Officium. " Reſtaurato Rege (*Carolo* II, *Anno* 1660) redux in ſuo Conventu factus eſt Prior, deinde in Conventu " *Rathbrannæ* in Comitatu de *Mayo*, ubi natus eſt ex Clariſſima Familia *Burgorum* de *Turlogh* (*b*). Longam nactus Ætatem, plenus Dierum, & munitus Sacramentis Eccleſiæ piè obijt in dicta Domo de " *Rathbranna* circà Annum 1685. Hic Legatione functus eſt à Catholicis *Hiberniæ* ad Sereniſſimum " D. Ducem *Lotharingiæ* Anno 1650 (*c*)."

Nec mirari ſubijt, laudatum Virum adeò diù Provincialem egiſſe, quia quandoquidem conſuetum expleverit Quadriennium *Lovanij* Anno 1652, quâ Tempeſtate ob *Cromuellianam* Tyrannidem (*d*) Religioſi omnes exulabant, proindeque eligere nequibant Provincialem, hinc in Munere Provincialis continuatus fuit à prælibato Magiſtro Ordinis, Rmo, inquam, *Joanne-Baptiſta de Marinis*, ſub quo Capitulum Generale *Romanum* 1656 hæc in *Actis* ſuis (*e*) de *Provincia Hiberniæ* mærens, & lugens narrat :

" Magna hìc (*in Provincia Hiberniæ*) eorum, qui pro Fide Catholica immania pertulerunt Tormenta, " Seges, præſertim noſtris Temporibus, fæcundè maturuit Cælorum Horreis illata manipulatim, ſiquidem ex quadraginta tribus Conventibus, quos in hac Inſula poſſedit Ordo, nec unus HODIE ſupereſt, " quem non hæretici Perſecutoris Furor aut exuſſerit, aut Solo æquarit, aut in Uſus ſuos profanos redegerit. Ad Annum 1646 (*f*) numerabantur in illis Fratres plus minus Sexcenti, quorum nunc " fortè nec quarta Pars ſuperſtes, & quidem PATRIO SOLO EXTORRIS, cæteris aut Domi conſumptis Martyrio, aut crudeli ad Inſulas *Barbadas* Deportatione longam in novo Orbe Mortem " obeuntibus."

Ulterius præcedenti Anno idem Rmus Pater Generalis in Literis Patentibus alibi exſcriptis (*g*), affirmat Fratres noſtros, ac Sorores *bis calamitoſis Temporibus ab Hæreticis ejectos fuiſſe à toto Regno Hiberniæ.*

XVI. F. JOANNES O-HART, Conventûs *Sligoenſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis inſtitutus à ſæpè laudato Rmo Magiſtro Ordinis, *Joanne-Baptiſta de Marinis*, Anno 1660. Hic porrò eſt Provincialis ille, quem *ob Fidem retruſum fuiſſe in Sequeſtrum*, idem refert Magiſter Generalis in pridem à me exſcriptis (*h*) Literis Patentibus, ubi inſuper ſolicitiori Commiſeratione dolet, *Orthodoxam Fidem ſub novo quodam Perſecutionis Genere lacerari, indeque alios Fratres in Vincula conjectos, Miſſionarios diſperſos, Communitates diſſipatas*, &c. Hinc convocari nequibant Patres Capitulares ad novum eligendum Provincialem, hincque eundem egregium Virum pro Primatu Romani Pontificis patientem, Prioris Provincialis Titulo continuò decorari

---

(*x*) Hæc omnia ex *Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600, quæ in Archivo *S. Sixti* de Urbe aſſervatur.

(*y*) Pag. 40.

(*z*) Vulgò *Beſanzon* in *Burgundiæ* Comitatu, vernaculè dicto *Frenche Compte.*

(*a*) Error Typographicus, Lege igitur 1659.

(*b*) Conſulendum Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 318.

(*c*) Adeas Cap. xvii. Num. lxxxv.

(*d*) Videſis Cap. xvii. Num. c.

(*e*) Pag. 148.

(*f*) Recolendum Cap. vi. Num. xi. Pag. 116.

(*g*) Cap. vi. Num. xiii, & Cap. xii. Num. vii. Pag. 118, & 422.

(*h*) Cap. vi. Num. xv. Pag. 120.

rari voluit Magiſter Ordinis ultrà duo Quadriennia, ad Annum nempè 1669. Scriptor porrò ſuppar *O-Heynus* (*i*), hæc de *Joanne* noſtro, omni Elogio digno narrat:

> “Ex eodem Conventu (*Sligoenſi*) fuit Eximius P. Pr. *Joannes O-Hart*, S. Theologiæ Magiſter, qui fructuoſè peractis Studijs in religioſiſſimo Conventu *Placentino* in *Hiſpania*, remeavit ad ſuum nativum Conventum. Indè compulſus abire ingruente Crudelitate hæretici Exercitùs, contulit ſe ad Conventum *Bureſulenſem*, ubi per aliquod Tempus Iuventutem Sæcularem, & Regularem in Humanioribus exercuit. At indè vocatus eſt ad Studium Generale *Athenrienſe*, tunc operoſò vigens, & ibidem inſtitutus Philoſophiæ Lector, eandem docuit Triennio integro cum Fructu uberrimo. Hinc miſſus fuit ad Conventum *Kilkennienſem*, in quo præfuit Studio ut Primarius Theologiæ Profeſſor uſque ad Expugnationem Regni completam. Tunc ibidem congregatum erat Concilium Supemum Regni (*k*), conflatum ex omnibus Regni Proceribus, tàm Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, apud quos iſte Pater erat ſpecialiſſimæ Æſtimationis ob claram illius Eruditionem, erat namque in concionando doctus, facundus, & jucundus; ac in reſolvendo morales Difficultates ſecurus, & ſolidus. Ptovincialatum geſſit feliciter Decennio integro ſub Reverendiſſimo P. M. Generali *de Marinis*. Curavit, ut diſperſi Fratres Manſiones ſtabilirent in Locis valdè ſolitarijs, & ut cohabitarent in ſuis reſpectivè Diſtrictibus. Sub ipſo plurimi Juvenes egregij induti, ac profeſſi ſunt per omnes Conventus Regni.”

> “Post reſtauratum Regem noſtrum *Carolum* II (*Anno* 1660) quidam Religioſus Minorita Nomine Fr. *Petrus Walleſius* (anglicè *Walſh*) addictus Novitatibus, & inſtigatus Suſurris Excellentiſſimi D. *Jacobi Butler*, Ducis *Ormondiæ*, & eo Tempore Proregis in Hibernia, voluit, reluctante totâ ejus Provinciâ, inducere Doctrinas peregrinas, ac ſchiſmaticas contrà Summi Pontificis ſupremam, & infallibilem Auctoritatem. Suum peſtiferum Libellum nuncupavit *Remonſtrantiam*, quam Pater Magiſter *O-Hart*, tunc Provincialis, tranſmiſit *Salmanticam*, & *Complutum*, ab utraque Academia examinandam, quo audito D. Prorex, perſuaſus à dicto Religioſo, eum conjecit in Carcerem *Dublinienſem*, in quo detentus fuit Anno cum dimidio (*l*), nec permiſſus exire, niſi datis prius Vadibus ditiſſimis ad comparendum indilatè ſtatuto Tempore. Triennium adimplevit ſub iſto rigoroſo Vadimonio. Erat planè Vir pius, ac probus, affabiliſſimus, & humillimus, abſque tamen ſui ipſius degeneri Dejectione. Ibat perſonaliter ad mendicandum per Pagos, immò per Montana aſperrima, adjungens Prædicationum, & Confeſſionum audiendarum Retributionem ſalvificam, in Diſtrictu ſui nativi Conventûs, in quo, munitus Sacroſanctâ Euchariſtiâ, & Extremâ Unctione, Diem clauſit extremum circà Annum 1672. Fuit diligentiſſimus Indagator antiquarum Rerum geſtarum in noſtra *Hibernia*, cujus Memorialia ſi habuiſſem ad Manum, Satisfactionem uberiorem exhibuiſſem omnibus lecturis hæc exigua Notamina.”

Ultinam ipſe ſaltem penès me habuiſſem Lucubrationes tanti Antiquitatum noſtram Indagatoris, cui ſimiles heu! panciſſimos *Hibernos* invenire eſt.

XVII. F. DOMINICUS O-KELLY, Prædicator Generalis, è ſpectabili Domo de *Ballenlaſs*, in Agro *Galvienſi*, ſed *Roſcomanienſis* Cænobij Alumnus, Prior Cænobij noſtri *Lovanienſis* Anno 1659 (*m*), dùm ibidem verſaretur à Rmo Magiſtro Ordinis *de Marinis*, ſæpiûs laudato, inſtitutus Prior Provincialis Die 23 Martij 1669. Inſequenti Menſe Aprilis è *Belgio* diſceſſit, aſt paulò poſt ejus in *Hibernia* Appulſum deceſſit è Vita *Dublinij*, magnum ſui Deſiderium poſt ſe relinquens.

XVIII. F. CONSTANTINUS O CUIFFE, alijs KEEFFE, Alumnus *Corcagienſis* Cænobij, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis electus *Athenriæ* Anno 1670. En autem quæ de ipſo habet *O-Heynus* (*n*):

> “Eximius Pater Magiſter Fr. *Conſtantinus O-Cuiffe*, qui ſtuduit optimè in *Hiſpania*, redux in Patriam poſt exiguum Temporis Intervallum evaſit præclarus, & maximè proficuus Concionator in ſuo nativo Idiomate, apparuitque omnibus doctis inſignis Theologus in Occaſionibus gravium Conſultationum. In Lingua nativa erat Poeta mirificus, Confeſſionibus audiendis aſſiduus, & SS. Roſarij Propagator magnus erat. Prior fuit ſæpiùs in Conventibus *Momoniæ*, recepitque perplures ad Habitum. Plurima paſſus Tribulationum Jacula ſub Uſurpatore *Cromuello* (*o*), tandem electus fuit Prior Provincialis Anno 1669 (*p*). Benemeritus de Eccleſia, & Ordine ſuo, ac in Odore ſuavis Famæ apud omnes, annoſus ſatis, & munitus Sacramentis, piè migravit è Vita Anno 1679.”

XIX. F.

(*i*) Pag. 41.

(*k*) Adeas Cap. xvii. Num. xliii.

(*l*) Confer Cap. xvi. Num. lvii.

(*m*) Videſis Cap. xii. §. iii. Num. xiv. Pag. 445.

(*n*) Pag. 12. & ſeq.

(*o*) Adeas Cap. xvii. Num. C.

(*p*) Error ſaltem typographicus non ſecùs ac Pag. 14, ubi aſſeritur, Provincialem hunc ad Inſtantiam Comitis

XIX. F. GULIELMUS DE BURGO, Junior (*q*), Conventûs *Bureſulenſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, præclaris Animi Dotibus, eximiâque Humilitate præditus (*r*), Prior Provincialis electus *Athenriæ* Anno 1674, iterùmque *Roſcomaniæ* Anno 1678, habitâ proculdubiò Diſpenſatione Rmi Magiſtri Ordinis. Porrò quod electus fuerit Anno 1678 Luce meridianâ clariùs patet ex Actis iſtius *Roſcomanienſis* Capituli, quæ ipſemet legi nuperrimè in Scrinijs Ampliſſimæ Bibliothecæ apud Academiam *SS. Trinitatis* juxtà *Dublinium* in Libro Notato F. 4. 14, ubi etiam legere eſt Acta ſubſequentis Capituli Provincialis item *Roſcomanienſis* Anno 1682, in quo electus erat P. *Thaddæus O-Daly*, jam jam recenſendus. Cùm igitur *Gulielmus* noſter *de Burgo* Provincialis fuerit *Octennio conſequenter*, Teſte *O-Heyno* (*s*), qui eundem optimè novit, ut ex ijs, quæ de ſe pſo refert alibi exhibenda (*t*), manifeſtè patet, hinc ſat clarè conſtat, illum electum fuiſſe Provincialem nedùm Anno 1678. ſed & Anno 1674.

“ REVERENDUS Admodùm (inquit) ac Eximius Pater Magiſter Fr. *Gulielmus de Burgo* ſtuduit *Salmanticæ* cum plurima Laude. Docuit Philoſophiam, & Theologiam plauſibiliter in Collegio S. Crucis *Lovanij* (*u*). Factus Magiſter repatriavit, & ab Appulſu incepit prædicare, ſed timidè in Principio. At Uir ſapiens, & ſciens, benè expertus eſt quod Labor improbus omnia vincat, nam Exercitio adhibito diligenti evaſit pauco Tempore facundus Prædicator in Lingua Hibernica, *& Æſtimatione primus totius Regni* (*w*). Fuit valdè ſuavis, & Conſtitutionum noſtrarum Obſervator, quantùm miſera Patriæ Conditio permittebat. Fuit ſæpiùs Prior ſui Conventûs (*Bureſulenſis*,), *Galvienſis* ſemel, & *Stradenſis*. OCTENNIO CONSEQUENTER fuit Provincialis, & longævus, ſuſceptis piè Sacramentis, Animam Deo reddidit Anno 1701.”

XX, F. THADDÆUS O-DALY, ſeù O-DALADH, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, Prædicator Generalis, Prior Provincialis electus *Roſcomaniæ* Anno 1682, Capitulum propedièm celebraturus Intermèdium *Athenriæ* è vivis ſublatus eſt Die 15 Auguſti, Aſſumptioni Beatiſſimæ Deiparæ ſacrâ, Anno 1684. Pro ulteriori Rerum à Provinciali hoc geſtarum Notitiâ lubet in Medimum adducere *O-Heynum*, poſt recenſitos aliquot Conventûs *Athenrienſis* Alumnos, ſubdentem (*x*):

“ OBLIVISCI non decet Adm. R. P. Prædicatorem Generalem Fr. *Thaddæum O-Daladh*, Anglicè *Daly*, qui quarto decimo ſuæ Ætatis Anno indutus eſt *Athenriæ*, & Profeſſione emiſſâ profectus eſt in *Hiſpaniam*, ibidemque Operam dedit Studijs cum Laude. Sciebat Cantum apprimè Gregorianum. Vox fortis erat, & ſuaviſſima. Annunciabat Verbum Dei cum energica Facundia, & ut valdè exemplaris diligebatur ab omnibus. Erat mitiſſimi Genij. A Confeſſionibus fuit, & commenſalis non paucis Annis Illuſtriſſimo D. *Gulielmo de Burgo*, Comiti *Clanrickardiæ* (*y*). Fuit ſemel Prior in Conventu S. Petri Martyris (*z*) *Portumnæ*, & bis in ſuo nativo Conventu (*Athenrienſi*), pro quo erat Prædicator Generalis. Recepit varios Juvenes honeſtiſſimos ad Ordinem in utroque Conventu. Tandem factus Provincialis, & quidem dignus, ac inſtante Capitulo Intermedio, *Athenriæ* celebrando, Tridui Infirmitate oppreſſus, Eccleſiæ Sacramentis devotiſſimè, & pænitenter ſumptis, tranſijt ex hac ad meliorem Vitam, ut confidimus, Anno 1684.”

XXI. F. JOANNES BRUNUS, vulgò BROWNE, Alumnus Conventûs *Galvienſis*, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis *Athenriæ* Anno 1684 electus, Munere illo per conſuetum Quadriennium egregiè functus eſt. Sub *Arauſicano* Principe, dicto *Gulielmo* Rege hujus Nominis

---

Comitis de *Barrimore* Priorem inſtituiſſe apud *Caſtelionem* Anno 1683 cum tamen hìc Loci rectè dicat, eundem obijſſe Anno 1679. Videſis Cap. ix. §. xxvii. Num. iii. Pag. 292.

(*q*) Confer Cap, ix. §. xvi. Num. iv. Lit. q. Pag. 260.

(*r*) Itâ *Compendioſa Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum* &c, in Archivo *S. Sixti* Urbis aſſervata.

(*s*) Pag. 38.

(*t*) Cap. ſeq. Num. xxvii. ex ſuo *Epilogo Chronologico*, Pag. 34.

(*u*) Fuit ibi Studiorum Regens, ut conſtat ex Cap. xii. §. iii. Num. xiv. Lit. r. Pag. 445.

(*w*) Verba hæc addidit in Margine P. Magiſter Fr. *Edmundus de Burgo*, Athenrienſis, Theologus *Caſanatenſis*, de quo Cap. ſeq. Num. xxx.

(*x*) Pag. 32.

(*y*) Videſis Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 277.

(*z*) Loco S. *Petri Martyris* lege *B. Mariæ, & SS. Petri, & Pauli*, pro quo Mendo adeas Cap. ix. §. xxxii. Lit. a. Pag. 303.

nis *Tertio*, Carceri *Galvienſi* mancipatus, tandemque Exul factus Anno 1698 (*a*) *Lovanium* petijt, ubi Annis, & Meritis plenus Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt Die 23 Auguſti 1700. Redeat porrò *O-Heynus*, Conſodalis coævus, hæc de ipſo recenſens (*b*):

“ Rev. Adm. P. Fr. *Joannes Browne*, S. Theologiæ Magiſter, *Galviæ* profeſſus, venit *Lovanium*,
“ ubi Studia laudabiliter complevit. Ibi Philoſophiæ Lector, & Magiſter Studentium, ac etiam Prior
“ fuit cum magna Approbatione. Adjutor fuit ſpecialis in conſtruendo ædificium tunc erectum, non ſo-
“ lûm Induſtriâ providâ, verùm etiam proprijs Manibus aſſiduè, & operoſè laborando. Peracto honori-
“ ficè Prioratùs Officio *Lovanij*, remeavit in Patriam ad ſuum nativum Conventum (*Galvienſem*), ubi
“ quartò fuit Prior, & ſemel Provincialis perdignus. Ornavit plurimùm ſuo Labore manuali Sacellum
“ anteà erectum *Galviæ*, ac totam Habitationem Religioſorum. Prædicabat frequenter, & fructuoſè
“ Domi, & Foris. Sub *Auraſicano* Uſurpatore detentus fuit in Carcere *Galvienſi* cum multis alijs
“ Religioſis, & Clericis continuò per quatuor Menſes, & quindecim Dies. Anno 1680 agonizavit maximè
“ latens in Montibus durante ſævà Perſecutione (*c*). Veſtivit non paucos bonos Iuvenes. Fuit Vir per
“ omnia commendabilis, & maximè mitis. Tandem ejectus ex Patria in communi Exilio (*Anno* 1698)
“ declinavit *Lovanium*, & gratanter ab omnibus receptus eſt, inter quos vixit amabiliter uſque ad 23 Au-
“ guſti 1700, in quo, ordinarijs Eccleſiæ Sacramentis ſuſceptis, piè & reſignanter obijt in Domino.”

XXII. F. GELASIUS MAC-MAHON, Cænobij *Gaulenſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis *Lothoriæ*, vulgò *Lorha*, electus Anno 1688, Fratribus in Magno Numero Habitu Ordinis indutis, regnante ſcilicèt tunc Temporis *Jacobo* II Orthodoxo. Expleto conſueto Provincialatûs Quadriennio, Auctoritate Apoſtolicâ fuit Menſe Julij 1692 ad Biennium eodem in Munere continuatus (*d*). Poeta fuit inſignis (*e*), tam latinè quàm vernaculè, ab omnibus in Admiratione habitus, quam præclarum Animi Dotem prætermittit *O-Heynus*, hæc duntaxàt de eo narrans (*f*):

“ Pro hoc Conventus (*Gaulenſi*) ſuſcepit Habitum noſtrum *Lovanij* R. A. P. Magiſter Fr. *Gelaſius*
“ *Mac-Mahon*, Primogenitus legitimus ſuæ illuſtris Domûs. Studuit *Valliſoleti* in *Hiſpania* cum Laude co-
“ pioſa. Docuit Philoſophiam *Lovanij* in Collegio *S. Crucis*, ubi fuit Magiſter Studentium, Secundarius
“ Regens ſemel, Primarius bis, uti & bis Prior ibidem. In Patria electus fuit Provincialis ſuæ Provinciæ.
“ Tandem victo infeliciter Regno (*g*), & ejus Fratre, Domino *Arthuro Mac-Mahon*, Tribuno Legionis
“ Pedeſtris occiſo ab Hoſte obſidente *Athloniam* (*h*), ipſe tranſmaritavit, & profectus eſt *Romam*, indeque
“ regrediens *Lovanium*, ibi finivit ſuum Provincialatum, & occluſo omni Oſtio, per quod reintraret in Pa-
“ triam, ſatis multa paſſus eſt. Tandem fuit coactus poſt multos exantlatos Labores ſubire docendi Onus
“ apud *Reveny* ſuper *Moſam*, ubi benè æſtimatus, & amatus erat à Clero, & Populo, &, poſt Biennium im-
“ pletum ibi, captus Febri violentâ, & munitus piè Sacramentis, requievit in Domino cum magno Luctu
“ Conventûs, & Populi Anno 1703, Die 11 Februarij.”

XXIII. F. PATRITIUS MARSHALL, Alumnus Cænobij *Kilkennienſis*, Prior Provincialis electus *Dublinij* Die 23 Auguſti Anno 1692. Sed quandoquidem Menſe antecedenti, ut præfertur, continuatus fuerit eo in Munere Magiſter *Gelaſius Mac-Mahon* (quod tamen latebat prorſùs Patres Capitulares) hinc Die 21 Februarij 1693 Electionem caſſavit, ſeù irritam, & inanem declaravit Rmus P. Generalis Fr. *Antoninus Clocbe*, LX Magiſter Ordinis, qui tamen Die 20 Auguſti 1694 eundem *Patritium Marſhall* Priorem Provincialem Auctoritate Apoſtolica inſtituit (*i*). Antè Finem Provincialatûs ſui condita fuit, atque promulgata Lex *Parlamentaria* prohibens ſub rigoroſiſſimis Pænis, ne Regularis ullus, ſicut nec Epiſcopus quicunque, Vicarius Generalis, aliuſve Dignitarius, in hoc veniret Regnum *Hiberniæ* poſt Diem 29 Decembris 1697, mandanſque ſub ijſdem Pænis, ut omnes, & ſinguli ex prælibatis Perſonarum Generibus diſcederent ex hoc eodem Regno antè Diem

---

(*a*) Conſulendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*b*) Pag. 25.

(*c*) Recolendum Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 129.

(*d*) Ità refert *Compendioſa Notitia Provincæ Hiberniæ* &c in Archivo S. *Sixti* de Urbe aſſervata.

(*e*) Videſis Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 278.

(*f*) Pag. 5.

(*g*) Adeas Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*h*) Vulgo *Athlone* ſuper *Shananum* Fluvium in *Lageniæ Conaciæque* Confinijs. Cæterùm de præclariſſima *Mac-Mahonorum* Gente nonnihil dicebam Cap. ix. §. xxxii. Num. iii. Lit. t. Pag. 306.

(*i*) *Compendioſa Notitia Provinciæ Hiberniæ* &c in Archivo *S. Sixti* Urbis aſſervata.

Diem 1 Maij 1698, ut alibi fusè diſtinctèque referebam (k). Eapropter celebratum non fuit Capitulum Provinciale Anno ipſo 1698, novi Prioris Provincialis electivum, neque deinceps uſque ad Annum 1721, ut ſuo Loco declarabitur (l). Cæterùm Provincialis iſtius in hunc Modum meminit *O-Heynus* (m), de Conventu *Kilkennienſi* diſſerens :

“ R. A. P. Fr. *Patritius Marſhall*, qui ſtuduit Victoriæ (*in Provincia Hiſpaniæ*), in Patriam redux
“ fuit Prior *Kilkennienſis* iteratò. Prædicat ſufficienter anglicè. Longo Tempore vixit inter *Anglos*, ac
“ tandem fuit Vicarius Provincialis Biennio, conſtitutus à P. Magiſtro *Gelaſio Mac-Mahon* Provinciali
“ tranſmaritante Anno 1691. Deindè fuit Provincialis Quadriennio uſque ad ultimum Generale Exilium.
“ Modò (Anno 1706) habitat in *Anglia*.” Poſtmodum verò piè obijt *Londini* Anno 1725.

XXIV. F. AMBROSIUS O-CONNOR, Cænobij *Sligoenſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, ex Procuratore apud Aulam *Matritenſem* (n) Prior Provincialis à Rmo Magiſtro Ordinis, mox laudato, P. *Antonino Cloche*, inſtitutus Anno 1700, eoque in Munere continuatus ad Annum uſque 1709 (o). Epiſcopus *Ardachadenſis* deſignatus erat à *Clemente* XI, Pontifice Maximo, ut ſuo Loco ajebam (p), obijtque *Londini* circà Annum 1710. Sequentia porrò de ipſo narrat *O-Heynus* (q), Scriptor coævus :

“ R. Adm. P. Magiſter Fr. *Ambroſius O-Connor*, peractis Studijs, fuit factus Procurator Generalis
“ pro Provincia *Hiberniæ* in Curia *Matritenſi*, quod Officium geſſit laudabiliter triginta Annis, & inſtitutus
“ Provincialis profectus eſt illicò ex *Hiſpania Lovanium* ad viſitandum ſuum Collegium *S. Crucis*,
“ deindè ſtatim ivit per *Hollandiam*, & *Angliam* in *Hiberniam* ad inſpiciendum aliquorum (r) ex noſtris
“ Patribus ibi adhuc manentium Statum. Sed varijs Modis conquiſitus ab Hæreticis, Deo opitulante illæſus
“ remeavit per dictas Vias *Lovanium*, & indè per *Gallias Matritum*, ubi modò (*Anno* 1706)
“ reſidet factus ſecundò Prior Provincialis.” De eo autem alibi Sermonem tertiò inſtituam (s).

XXV. F. HUGO O-CALANAN, Alumnus Cænobij *Lothorienſis*, vulgò *Lorba*, “ ſtuduit
“ in Conventu S. Jacobi *Pariſijs* (t). Peractis Studijs, profectus eſt in *Angliam*, & ibi unius Anni
“ Carcerem ſuſtinuit (u), quando noſter Rex *Jacobus* Deo, & Eccleſiæ gratus, ejectus eſt è
“ Throno (*Anno* 1690). Indè liberatus, regreſſus *Pariſios*, Doctoris Lauream obtinuit in *Sorbona*.
“ Fuit Prior *Bleſis* in *Gallia* per Literas Regias, eſtque affiliatus in Provincia *Pariſienſi*.” Hæc *O-Heynus*, qui ſcripſit Anno 1706. Cæterùm *Hugo* noſter, S. Facultatis *Pariſienſis* Doctor, fuit ſemel, iterumque Prior Provincialis *Hiberniæ*, & quidem à Rmo Magiſtro Ordinis mox laudato, *Antonino* nempè *Cloche*, inſtitutus, primùm Anno 1709, deindè Anno 1713. Sicque eo in Munere integrum explevit Octennium. Eundem egregium Virum, Staturâ procerum, & pulchrum, ipſemet novi *Romæ* in Cænobio noſtro *S. Clementis*, quò venerat à Comitijs Generalibus *Bononiæ* Anno Jubilæi 1725, ibique moratus eſt per Quatuor circiter Menſes. Dein in *Gallias* rectà regreſſus eſt, pièque obijt *Metis* in *Lotharingia* Anno 1728 (w).

XXVI. F. ANTONINUS MAGUIRE, Conventûs *Gaulenſis* Alumnus, “ ſtuduit in *Italia*
“ (x), & redux in Patriam ſervivit ut Capellanus in Exercitu, & cum eodem vivit adhuc in *Italia*.” Anno ſcilicet 1706, quo ſcribebat *O-Heynus*. Eodem Anno *Antoninus* iſte factus fuit S. Theologiæ Magiſter in Capitulo Generali *Bononienſi* (y), Annoque 1717 inſtitutus fuit à Rmo

---

(k) Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(l) Cap. præs. Num. xxvii. Adeas etiam Cap. viii. Num. viii. Pag. 161.

(m) Pag. 8.

(n) Confer Cap. viii. Num. xxx. Sect. 2. Pag. 184.

(o) *Bullarium Ordinis Prædicatorum*, Tom. vi Pag. 519.

(p) Cap. præced. Num. lxxiv. Pag. 500.

(q) Pag. 43.

(r) Erant Nonaginta circiter ingenti cum Fructu occultè evangelizantes, & Quinque Carceribus pro Fide occluſi, ut patet ex Libello Supplici, quem *Clementi* Papæ XI obtulit Anno 1704, quem & Typis vulgavit, ut ſuo Loco dicetur, Cap. nempè ſeq. Num. xxv.

(s) Cap. ſeq. Num. xxv.

(t) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 22.

(u) Confer Cap. xvii. Num. cxii.

(w) Recolendum Cap. xii. §. iv. Num. iv. Pag. 450.

(x) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 5.

(y) Adeas Cap. viii. Num. ii. Sect. 8. Pag. 157.

P. Magiſtro Generali Fr. *Antonino Cloche*, ſæpiùs laudato, *Hiberniæ* Prior Provincialis, quâ inſignitus Dignitate interfuit Comitijs Generalibus *Romæ* celebratis Anno 1721, electivis Rmi P. *Auguſtini Pipia*, LXI Magiſtri Ordinis, poſteà S. R. E. Cardinalis. Anno antecedenti, ſcilicèt 1720, Die 17 Auguſti, Capitulum tenuit Provinciale *Dublinij*, ubi inter alia denunciatum fuit, Capitulum electivum novi Provincialis celebrandum fore *Dublinij* pariter Die 29 Julij 1721, ut ſuo Loco referebam (z). Is dùm Provincialis eſſet, unus fuit ex Septem Sacerdotibus, quà Sæcularibus, quà Regularibus, qui à *Judæo* quodam *Luſitano*, Auri Cupidine impulſo, ſeque Sacerdotem fingente, capti, & ſtrictis truſi Carceribus, in Exilium abacti fuere, nunquàm ſub Pæna Mortis reverſuri. Singuli nihilominùs reverſi ſunt, ficta Cognomina ſibi aſſumentes, & quidem impunè, ut alibi narrabam (*a*).

Porro *Antoninus* noſter dùm poſt prælibata Comitia Generalia in Regreſſu eſſet versùs *Hiberniam* conſuetum Provincialatûs Quadriennium explevit, Succeſſorque ejus *Dublinij*, ut mox dicetur, fuit electus. Viam autem univerſæ Carnis ingreſſus eſt in eadem Urbe *Dublinienſi* Die 4 Julij 1724.

XXVII. F. STEPHANUS MAC-EGAN, Alumnus Cænobij *Dublinienſis*, Prædicator Generalis (poſtmodùm S. Theologiæ Magiſter), Prior Provincialis *Dublinij* electus Die 29 Julij 1721. Capitulum habuit Intermedium ibidem Die 10 Julij 1723. Interfuit Comitijs Generalibus *Bononiæ* Anno Jubilæi 1725, Rmi *Thomæ Ripoll*, LXII Magiſtri Ordinis electivis, à quibus continuatus fuit in Provincialis Munere ad quintum fermè Annum, ut ex *Actorum* Verbis alibi exſcriptis (*b*) liquet, immò quamquàm Epiſcopus conſecraretur *Clonmacnoiſenſis* à Summo Pontifice Ordinis noſtri *Benedicto* XIII, voluit tamen Sanctiſſimus Papa ut Provincialis inſimul maneret uſque ad ſtatutum pro novi Electione Provincialis Diem. Plures, eaſque præclaras, Res geſtas digniſſimi hujus Præſulis, mihi optimè noti, nuper referebam (*c*), de *Dominicanis* Antiſtitibus *Hiberniæ* diſſerens, ad quem Locum te remitto ne eadem inutiliter repetam. Fatis ceſſit Anno 1756.

XXVIII. F. COLMANUS O-SHAGHNUSSY, Conventûs *Athenrienſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis electus *Dublinij* Die 30 Aprilis 1726, tandem ad Epiſcopatum *Oſſorienſem* evectus Anno 1736, ut ſuo Loco dicebam (*d*), ubi nonnihil de Vita ejus, & Morte, deque inclyta ejus Progenie, delineatum invenies. Diem clauſit extremum Anno 1748.

XXIX. F. JOANNES O-BRIEN, Cænobij *Corcagienſis* Alumnus, completis in Provincia *Bæthicæ* Studijs, ubi inſuper Artes Theologiamque laudabiliter docuit, in *Hiberniam* regreſſus, plurimam adhibuit Operam, *Corcagiæ* præſertìm, in Vinea Domini excolenda, electuſque tandem fuit Prior Provincialis *Dublinij* Die 18 Aprilis 1730, tunc S. Theologiæ Magiſter. Sub eo habitum fuit ibidem Capitulum Intermedium Anno 1732. Demùm prælibata in Urbe *Corcagienſi*, cujus Clero, & Populo, Integritate, Doctrinâ, & Pietate præfulſerat, vivere deſijt Anno 1743 vix inchoato, Die nimirùm 11 Menſis Januarij.

XXX. F. BERNARDUS MAC-HENRY, Alumnus Cænobij *Colranenſis*, completo *Lovanij* apud *S. Crucem* Studiorum Curriculo, ibidem Lector fuit Philoſophiæ, Magiſterque Studentium. In *Ultoniam* redux magnoperè deſudavit in Evangelij Prædicatione, Hæreticorumque Converſione, ſed plus in *Scotia*, magis deſolatâ, ubi per longam Annorum Seriem Miſſionarij Apoſtolici Munus ingenti cum Animarum Fructu indefeſſè exercuit (*e*). In Patriam porrò reverſus, electus fuit Prior Provincialis Die 4 Maij 1734, tunc S. Theologiæ Præſentatus, iterùmque Die 17 Junij 1749, S. Theologiæ Magiſter, ut ſuo Loco poſthàc declarabitur (*f*).

XXXI. F. JOANNES FOTTRELL, Cænobij *Dublinienſis* Alumnus, peractis partim *Ulyſſipone*, partimque *Florentiæ* Studijs, per plures Annos Concionibus Confeſſionibuſque fructuoſam dedit Operam in Metropoli *Dublinienſi*, ubi electus eſt Prior Provincialis Die 22 Aprilis 1738, tunc Prædicator Generalis, poſtmodùm S. Theologiæ Præſentatus, nunc verò Magiſter.

(*z*) Cap. viii. Num. viii, & x. Pag. 161, & ſeq.

(*a*) Cap. viii. Num. viii. Pag. 160.

(*b*) Cap. viii. Num. xiii. Pag. 164.

(*c*) Cap. præced. Num. lxxv. Pag. 500.

(*d*) Cap. præced. Num. lxxviii. Pag. 505.

(*e*) Recolendum Cap. vi. Num. ix. Sect. ii. Pag. 113.

(*f*) Cap. præſ. Num. xxxiv. Pag. ſeq.

XXXII. F. PETRUS KILLIKELLY, Alumnus Conventûs *Galvienſis*, S. Theologiæ Magiſter, ex Collegij *Caſanatenſis* de Urbe Theologo electus eſt Prior Provincialis *Dublinij* Die 8 Maij 1742, ad Inſulam *Duacenſem* aſſumptus Anno 1744 antequam medium recenſiti Muneris Tempus tranſigeret, ut nuper advertebam (*g*), ubi alia ipſius Geſta referuntur.

XXXIII. F. MICHAEL HOARE, Conventûs *Limericenſis* Alumnus, Studia peregit in Provincia *Provinciæ*, atque Miſſionarij Apoſtolici Munere per multos Annos in Patria laudabiliter functus, in Priorem Provincialem electus eſt Die 4 Maij 1745, tunc Prædicator Generalis, poſtmodùm verò S. Theologiæ Præſentatus, nunc Magiſter. Comitijs Generalibus *Bononiæ* Anno 1748, Rmi P. *Antonini Bremond*, LXIII Magiſtri Ordinis electivis interfuit. Secundò Prior Provincialis Die 13 Junij 1761 electus, ut brevi dicetur.

XXXIV. F. BERNARDUS MAC-HENRY, S. Theologiæ Magiſter, Cænobii *Colranenſis* Alumnus, Prior Provincialis iteratò electus Die 17 Junij 1749. Viam univerſæ Carnis ingreſſus *Pontanæ*, Conventûs iſtius Prior, Die 15 Auguſti 1757.

XXXV. F. MICHAEL SHANLY, S. Theologiæ Præſentatus, *Dublinienſis* Conventûs Alumnus, completis cum Laude Studijs in Provincia *Hiſpaniæ*, ubi Vices Lectoris Philoſophiæ ſupplevit, *Dublinium* reverſus Prædicationi fructuoſam navavit Operam, electus demùm ibidem Prior Provincialis Die 14 Julij 1753. E vivis exceſſit eadem in Urbe Die 23 Septembris 1759.

XXXVI. F. THOMAS PLUNKETT, S. Theologiæ Præſentatus (dein Magiſter) Cænobij *Roſcomanienſis* Alumnus, peractis maximo cum Applauſu Liberalium Artium, & Sacræ Theologiæ Studijs in Collegio noſtro *Lovanienſi* ad *S. Crucem*, percurſiſque egregiè ibidem ſingulis tàm Lecturæ quàm Regentiæ etiam Primariæ Scholaſticis Officijs, dùm ejuſdem Cænobij Prioris Munere fungeretur, à Comitijs abſens unanimi Quinquaginta Trium Vocalium Calculo electus fuit Prior Provincialis *Dublinij* Die 2 Julij 1757.

XXXVII. F. MICHAEL HOARE, S. Theologiæ Magiſter, *Limericenſis* Conventûs Alumnus, qui ſuprà, Prior Provincialis ſecundò electus *Dublinij* Die 13 Junij 1761.

CAPUT DECIMUM-QUINTUM.

Scriptores *Hiberniæ Dominicanæ*.

SUMMARIUM.

I. *Apologia Auctoris pro paucis* Hiberno-Dominicanis *Scriptoribus. Nonnihil obiter de Artis Typographicæ Initio, & Incremento.*

II. *Scriptorum Agmen ducunt puſillum duo Pænitentiarij Apoſtolici, nimirùm F.* Godofridus, *& T.* Reginaldus, *Archiepiſcopus* Armacanus (*de quo alibi*) *florentes Anno* 1237. *Plura de Naufragio* B. Jordani, *Secundi Magiſtri Ordinis, & de Principe quodam Orientali, ad Chriſtianam Fidem converſo.*

III. *F.* Petrus Hibernicus, *Anno* 1240 *florens*, Neapoli *Angelici Doctoris Præceptor.*

IV. *F.* Thomas Palmeranus, *ſivè* Palmerſtonenſis, *paſſim agnominatus* Hibernicus. *Floruit circà Annum* 1269. *Duplex veriſimiliter* Thomas Hibernicus, *Dominicanus unus, Franciſcanus alter.*

V. *F.* Anonymus (*fortaſſe F.* Stephanus de Exonia, *de quo protinùs*) *Auctor Annalium Ordinis ad Annum* 1274, *quo florebat. Subnectitur Catalogus Cænobiorum* Hiberniæ Dominicanæ, *alibi exſcriptus.*

VI *F.* Stephanus de Exonia, *ſeù* de Exeter, *anglicè per Syncopen* Dexter, *hibernicè* Mac-Jordan, *Cænobij* Stradenſis, *à Gente ſua fundati, Alumnus. Floruit Anno* 1274.

VII. *F.* Joannes Durlendunus, *ſeû* de Derlington, *Regi Henrico* III *à Confeſſionibus, Archiepiſcopus* Dublinienſis *Anno* 1271, *&c, de quo anteà.*

(*g*) Cap. præced. Num. lxxx. Pag. 509.

VIII. *F.* Gulielmus de Hothun, *ſivè* de Hothum, *alijs* de Odone, *Archiepiſcopus* Dublinienſis *Anno* 1297, *de quo ſuprà.*

IX. *F.* Marcus, *Sæculo* xiii *veriſimiliter florens.*

X. *F.* Gotofridus de Waterfordia, *Sæculo* xiii *florens. Plura de ipſius Operibus.*

XI. *F.* Gualterus de Jorz, *ſeù* Joiſius, *vernaculè* Joyce, *Cardinalis* Thomæ Joiſij *Ordinis noſtri Germanus Frater*, B. Alberti Magni *Diſcipulus*, *Angelici Doctoris Condiſcipulus*, *Regi* Eduardo *I à Confeſſionibus*, *Archipræſul* Armacanus *Anno* 1306, *de quo ſuperiùs.*

XII. *F.* Malachias Hibernicus *floruit circà Annum* 1310.

XIII. *F.* Joannes Baterleius, *vulgo* Baterley, *nonnullis* Barley, *Archiepiſcopus* Tuamenſis *Anno* 1427, *denatus Anno* 1437, *ut anteà dictum.*

XIV. *F.* Joannes Hibernicus *floruit circà Annum* 1460.

XV. *F,* Richardus Winchelſæus, *vulgò* Winchelſey, *Epiſcopus* Oſſorienſis *Anno circiter* 1480, *ut ſuprà.*

XVI. *F.* Henricus O-Rian, *vulgò* Ryan, *in Urbe verſabatur Anno* 1633.

XVII. *F.* Joannes O-Ruain, *Bureſulenſis*, *florebat Anno* 1641. *Fatis ceſſit Anno* 1674.

XVIII. *F.* Moriartus Moriarti, *Traleienſis*, *S. Theologiæ Magiſter*, *obijt circà Annum* 1660.

XIX. *F.* Jacobus (*aliàs* Didacus) Arthurus, *Limericenſis*, *commune Debitum ſolvit circà Annum* 1670.

XX. *F.* Joannes-Baptiſta Hacquetus, *vernaculè* Hackett, *Caſſelienſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *florebat Anno* 1644. *Oblatas Infulas*, *etiam Cardinalitiam*, *declinavit. Strenuè egit felici Succeſſu ut Purpuratorum Collegio adſcriberetur F.* Phillippus-Thomas Howardus, *e Ducibus* Norfolciæ, *de quo plura obiter. Fatis ceſſit Anno* 1676.

XXI. *F.* Daniel O-Daly, *paſſim nuncupatus* Dominicus de Roſario, *Traleienſis*, *S. Theologiæ Magiſter*, *Confeſſarius Reginæ* Luſitaniæ, *Fundator Collegij*, *& Monaſterij* Ulyſſiponenſium, *Variorum Principum*, *& ad Varios Legatus*, *Archiepiſcopus tùm* Bracarenſis, *tùm* Goenſis *deſignatus*, *Epiſcopus* Conimbricenſis *electus*, *ut alibi fuſè narratum*, *denatus Anno* 1662.

XXII. *F.* Dominicus Lincæus, *vernacule* Lynch, *Hiſpanis* Linze, *Galvienſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *commune Debitum ſolvit Anno* 1697.

XXIII. *F.* Petrus French, *Hiſpanis* Frenze, *Galvienſis*, *Prædicator Generalis*, *Viam univerſæ Carnis ingreſſus Anno* 1693.

XXIV. *F.* Dominicus de Burgo, *Athenrienſis*, *Epiſcopus Elphinenſis*, *de quo anteà. E Vita migravit Anno* 1704.

XXV. *F.* Ambroſius O-Connor, *Sligoenſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Ardachadenſis *deſignatus*, *ut ſuprà*, *Animam efflavit Anno* 1710.

XXVI. *F.* Chriſtophorns French, *Galvienſis*. S. *Theologiæ Magiſter*, *defunctus poſt Annum* 1713.

XXVII. *F.* Joannes O-Heyn, *Athenrienſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *ſupremum egit Diem Anno* 1717. *Obiter de Cura Auctoris in perſcrutandis* Hiberniæ Dominicanæ *Monumentis*, *omni fermè humano Adjutorio deſtituti.*

XXVIII. *F.* Petrus Mac-Cuillin, *ſeù*, *ut paſſim pronunciatur*, Mac-Quilin, *Colranenſis*, *ex hoc Vita diſceſſit Anno* 1719.

XXIX. Patritius Plunkett, *Roſcomanienſis*, *S. Facultatis Pariſienſis Doctor*, *Collegij* Caſanatenſis *Theologus*, *e vivis exceſſit Anno* 1728. *Nonnihil obiter de Collegij* Caſanatenſis *præfati Urbis* Fundatione.

XXX. F. Edmundus de Burgo, *Athenrienſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *mox laudati in* Caſanatenſi *Collegio Succeſſor*, *Vitâ functus Anno* 1739.

XXXI. F. Dominicus Brullaughan, *Colranenſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *diſceſſit e Vita Anno* 1746.

XXXII. F. Laurentius Richardſon, *Dublinienſis*, S. *Theologiæ Magiſter*, *Epiſcopus Kilmorenſis*, *de quo alibi*, *e vivis ereptus* Anno 1753.

XXXIII. F. Thomas-Milo de Burgo, *Athenrienſis*, S. *Theologiæ Præſentatus*, *Terræ Motu* Ulyſſiponem *ſubvertente*, *dum Sacrum perageret interemptus* Anno 1755.

XXXIV. F. Thomas de Burgo, *Dublinienſis*. S. *Theologiæ Magiſter*, Hiberniæ Dominicanæ *Hiſtoriographus*, *hujus proindè Opellæ Auctor*. *Poſteà Epiſcopus* Oſſorienſis, *alibi memoratus.*

I. NULLUS dubito quin *Hiberno-Dominicani* ab ipſiſmet Ordinis Incunabulis multos elucubraverint Libros in omni fermè Diſciplinarum Genere, non ſecùs ac Confratres ſui, per

univerſum,

univerſum, quà latè patet Orbem Chriſtianum propagati. Sed quandoquidem Ars Typographica, quæ, ut obiter dicam, unicum eſt contrà Tineas, & Blattas, Eruditionis omnis inimicas, Remedium, nonniſi Sæculo Eccleſiæ decimo quinto, Anno nimirùm 1440, in *Germaniæ* Partibus excogitata noviſque ſubindè Adinventionibus illuſtrior Temporis Progeſſu reddita, in varias *Europæ* Ditiones ſub prælibati Sæculi Exitum illata fuerit, idcircò concinnati à Noſtratibus Libri, in Bibliothecis aut Muſeis, antè Epocham iſtam, Manuſcripti manentes, Temporum poſtmodùm Injuriâ, Rerumque Viciſſitudine, maximè verò Bellorum inteſtinorum Cladibus perierunt, ijs præcipuè exceptis, quos in exteris Regionibus conſcripſere. Immò Sæculo Decimo Sexto, quo Ars vigebat Typographica, ob *Henrici* VIII, *Angliæ Hiberniæ*que Regis Lapſum in Hæreſim(*a*), obque indè enatas utriuſque Regni Commotiones, & Calamitates, aut Otium non ſuppetebat, edendis Libris opportunum, aut certè Religioſis Mendicantibus *Hibernis*, Iro pauperioribus, Nummi deerant Lucubrationibus ſuis Prælo committendis neceſſarij. Hiſce igitur de Cauſis perpaucos duntaxàt *Hiberniæ Dominicanæ* Scriptores recenſere potero.

II. PUSILLUM porrò Agmen ducunt F. *Godofridus*, & F. *Reginaldus*, ê quibus poſteriorem Natione *Hibernum* fuiſſe, ex alibi dictis (*b*), ubi inter *Dominicanos* Antiſtites *Hiberniæ* anuumeratus erat, Archipræſul utpotè *Armacanus*, haud obſcurè conſtat. De priori tamen meritò, ut candidè fatear, dubitari poſſet. Crediderim nihilominus & ipſum quoque *Hibernigenam* agnoſcendum, tùm ob *Godofridi*, ſeù *Gotofridi*, Nomen (anglicè *Godfrey*) apud Noſtrates uſitatum; tùm vel maximè quia aliæ Nationes, Antiquitatum ſuarum plùs *Hibernicâ* Indagatrices, eum, etſi ſat celebrem, ſibi non vindicant. Cæterùm audiamus ſi placet, quæ de utroque inſigni Viro habet *Echardus* noſter, de *Scriptoribus Ordinis* diſſerens (*c*):

“ F. GODOFRIDUS, & F. REGINALDUS, ambo unà Pænitentiariorum Munus *Romæ* apud *Gregorium* IX obibant Anno 1237. Cujas fuerit *Godofridus* non produnt vetera Monumenta: *Reginaldus* verò ille eſt, qui ſuprà laudatur in Supplemento ad Vitam *S. Dominici* ex Vitis Fratrum P. 12. N. 20, exindè Archepiſcopus *Armacanus* ab *Innocentio* IV electus, & conſtitutus Anno 1247, & quem propterea *Hibernum* conjiciebamus, qui tandem Fatis ceſſit Anno 1256. Dùm autem ambo in Aula *Romana* degerent, Pænitentiariorum Munere fungentes, *Gregorius* IX Literas à F. *Philippo* noſtro in *Terra Sancta* Priore Provinciali accepit, quibus inter alia plura iſte Naufragium *B. Jordani* Magiſtri Ordinis nunciabat, quod illi per Provincias Ordinis ſignificare curarunt. Sic autem ad Priorem Pariſienſem (*d*), ſcripſerunt:

“ *Venerabilibus, & Dilectis Priori, & Conventui Fratrum Prædicatorum Pariſienſium, Fratres Godofridus, & Reginaldus, Domini Papæ Pænitentiarij, Salutem, & Spiritûs Sancti Conſolationem.*

“ *Noveritis, quod inundante Maris Sævitiâ, ac ſuo Impetu propellante ad Littus Galeam* (*e*), *in quo dulcis Pater noſter Magiſter Jordanus cum duobus Fratribus erat, ipſe, & nonaginta novem* (*f*) *Perſonæ aliæ, Mortis Vinculis liberati ſunt ab hoc Sæculo nequam. Super hoc tamen, Chariſſimi, non paveat Cor veſtrum, quia Nobis Orphanis pius Pater, & Deus totius Conſolationis Remedium poſt Tempeſtatem providit tranquillum. Nam dùm jacerent Corpora inhumata, ut teſtantur qui de illo Naufragio evaſerunt, & qui eos tradierunt proprijs Manibus Sepulturæ, Luminaria de Cælo ſuper eos ſingulis Noctibus effulſerunt: Sed et Cruces ſuper eos multæ viſiæ ſunt, & a multis. Ad quod Miraculum Loci Incolæ confluentes, tanti Odoris Fragrantiam hauſerunt, juxtâ Teſtimonium eorum, qui poſt viſa Miracula eos Tres ſepelierunt, uſque poſt decem Dies Odor nimius ab eorum Manibus non receſſit.*

“ *Sed*

(*a*) Videſis Cap. v. Num. iii. Pag. 93.

(*b*) Cap. xiii. Num. v. Pag. 458.

(*c*) Tom. i. Pag. 105. Videſis Cap. xiii. Num. xxxix. Lit. y. Pag. 474.

(*d*) Cur ad Priorem *Pariſienſem* ſcripſerint, colligere poteris ex Cap. v. Num. ii. Pag. 92.

(*e*) In Actis *à Bollando* collectis ad xiii. Februarij Pag. 730. Num. 43 legitur, *propellente ad Littus Galileæ*, ſed erractum eſſe ſui Codicis M S, & legendum ut in noſtris (inquit *Echardus*) ad *Littus Galeam*, quod Genus eſt Navigij vaſtiſſimi (de quo legendus *Ducangius* in Gloſſario) hinc conſtat, quod non ad Littus *Galileæ*, ſed ad Littus *Sothaliæ*, quæ à *Galilea* longiùs diſtat, Naufragium fecit *Jordanus*, & quidem Dei 13. Februarij 1236.

(*f*) Sic legitur in uno ex duobus Codicibus MSS Seculi xiii, quos vidit *Echardus*, in altero verò legitur *viginti novem*.

“ *Sed & per Circuitum Sepulturæ ejuſdem Odoris Suavitas latiûs emanavit, quo uſque Fratres de Acon venerunt cum Barcha, & eos in ſuam Eccleſiam tranſtulerunt, ubi dictus Pater coruſcat Miraculis, & multa multis Beneficia præſtat. Per omnia Benedictus Deus. Amen.*

“ Alteras Literas idem F. *Godofridus* tùm ad omnes Ordinis Provincias ſcripſit, in ijſdem mittens Exemplum Epiſtolæ ad *Gregorium* IX à *F. Philippo*, de quo mox, a *Terra-Sancta* ſcriptæ, de quo ſic habet *Matthæus Parys*, Anglus, ad 1237 P· 301: Anno quoque eodem venit jucundus Rumor de *Terra-Sancta*, quod ſcilcèt quidam magnus Orientalium Hæreticorum Princeps, relictâ Superſtione, & Errore ſuo, tactus Spiritu Sacto, ad Chriſtianam converſus eſt Religionem ad inſtantem, & diligentem *F. Philippi* de Ordine Prædicatorum in *Terra Sancta* Prioris Prædicationem, & Exhortationem. Qui ſine Dilatione hoc Domino Papæ, Fratrique *Godoſrido* Domini Papæ Pænitentiario, ut eoſdem tàm jucundo Rumore exhilararet, ſignificavit. Ipſe autem *Godofridus* Prioribus Ordinis Prædicatorum in *Anglia*, & *Francia* conſtitutis, hæc omnia ſignificans, ſcripſit in hæc Verba:

“ *Venerabilibus in Chriſto Patribus FF. Ordinis Prædicatorum Franciæ, atque Angliæ, ad quos Literæ iſtæ pervenerint,* F. Godofridus, *Domini Papæ Pænitentiarius, Salutem, & Gaudium in Spiritu* Sancto.

“ *Noveritis, Dominium Papam Literas F. Philippi Miniſtri Provincialis Terræ* Sanctæ *in hunc modum recepiſſe.*,’ Epiſtolam porrò integram paulo antè exſcripſerat *Echardus (g)*, tandemque concludit in hunc Modum:

“ Ex his emendandus *Fontana* in *Theatro* Pag. 471 ſcribens, Fratres *Godofridum*, & *Reginaldum* non *Romæ*, ſed in *Tetra-ſancta* Pænitentiariorum Munus geſſiſſe: Ex his enim utriuſque Literis conſtat, eos *Romæ* in Aula Pontificia egiſſe, & à *Gregorio* IX. quæ ex *Syria*, ſcripta fuerant didiciſſe, ac toti Ordini nunciaſſe.” Hæc *Echardus*, quibus nihil addendum ſupereſt.

III. F. PETRUS HIBERNICUS, à Regno ſuæ Originis ſic dictus, floruit Anno 1240, Librumque edidit, cui Titulus: *Quodlibeta Theologica.* In Philoſophicis Diſciplinis *Neapoli* fuit Præceptor Angelici Doctoris *S. Thomæ Aquinatis*, quo unicè Motivo, ut candidè fatear, adducor ad exiſtimandum, ipſum Ordinis noſtri fuiſſe Alumnum. *Waræus* porrò, & *Harriſius* hæc de eo narrant *(h)*: “ Petrus Hibernicus, Philoſophus, & Theologus egregius, vixit Neapoli in Italia Anno 1240, ubi in Studijs Philoſophicis Præceptor fuit Thomæ Aquinatis. Scripſit *Quodlibeta Theologica.* Quando, aut ubi obierit, nondûm comperi. Videtur autem obijſſe Neapoli.” Deindè ex *Waddingo (i)*, ſubjungunt: *Hunc Fredericus Secundus Auguſtus ad Academiam Neopolitanâm, à ſe reſtitutam, invitavit, datis ad eum Literis, quas inter Epiſtolas Petri de Vineis* (k), *ejuſdem Imperatoris Cancellarij, & Secretarij, legere licebit.*

IV. F. THOMAS PALMERANUS, ſivè PALMERSTONENSIS, ſic dictus à Natali Oppido, cui anglicè Nomen *Palmerſtown*, propè *Naſam (l)*, in *Kildarenſi* Agro *Lageniæ (m)*, paſſim verò nuncupatus *Thomas Hibernicus*, “ Patriâ relictâ Eruditionis Cauſâ, *Pariſijs* aliquandiû hæſit, ubi S. Theologiæ Doctoris Gradum conſecutus eſt” *(n)*. Floruit circà Annum 1269 Librumque edidit cujus exemplar impreſſum *Pariſijs* 1555, quod in meo adeſt Muſeolo, iſtum præſefert Titulum: *Flores omnium penè Doctorum, qui cùm in Theologia, tùm in Philoſophia hactenùs claruerunt, ſedulò collecti per Thomam Hibernicum, & Alphabetico Ordine digeſti, exactiore verò jam Fide, & Animadverſione, quâm uſquâm anteà caſtigati. Pariſijs, apud Odoenum Parvum, Viâ ad Divum Jacobum, ſub Lilio aureo* 1555.

In *Negrologio Sorbonico* ſic legitur: “ Cbijt Magiſter Thomas Hibernicus, quondâm Socius hujus Domûs, qui compilavit *Manipulum Florum*, & tres parvos Tractatus, quos & miſit Nobis,

---

(g) Tom. s. Pag. 104.

(h) *Waræus.* de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lit. i. Cap. ix. Pag. 59; *Harriſius*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. x. Pag. 74. Adeas Cap. xvii. Num. xlii.

(i) *Annal. Minor.* ad An. 1270. Num. 27.

(k) Lib. iii. Cap. x.

(l) Adeas Cap. ix. §. xxviii. Num. i. Pag. 293.

(m) Eſt & aliud ejuſdem Nominis Oppidum in Agro *Dublinienſi*, tertio ab Urbe Lapide.

(n) Verba ſunt *Waræi*, & *Harriſij*, mox laudatorum.

“ bis, & multos alios Libros legavit, & ſex Libras pro emendis Reditibus pro ſuo Anniverſario faciendo.” Illi autem tres Tractatus recenſentur ab *Echardo* (o), nempe:

1. *De tribus Punctis Chriſtianæ Religionis.*
2. *Commendatio Theologiæ,*
3. *De tribus Hierarchijs, tàm Angelicis, quàm Eccleſiaſticis.*

Hunc porrò Scriptorem, quem credierim Ordinis Prædicatorum Alumnum, *Waddingus* (p), ſuo Minorum Ordini adjudicat (ſeù potiùs alium, ut ex mox dicendis clarebit), quem refert, in *Italiam* progreſſum, floruiſſe circà Annum 1269, Diemque clauſiſſe extremum in Cænobio *Aquilæ* in Finibus Regni *Neapolitani* propè Ditionem Pontificiam, atque ibidem ſepultum. Iſti ſequentia adſcribuntur Opera (q).

1. *Flores Doctorum.* *Libris* 2.
2. *De Chriſtiana Religione.* *Lib.* I.
3. *De Illuſionibus Dæmonum.* *Lib.* I.
4. *De Tentatione Diaboli.* *Lib.* I.
5. *De Remedijs Vitiorum.* *Lib.* I.

Audiamus autem hac de Re *Echardum*, jam laudatum : “ Thomas de Hibernia *(inquit)* à Luſitano, & Sequacibus imprudenter inter Scriptores noſtros numeratur, nec ſapientiûs ab Waddingo, atque ſuccenturiantibus Ordini Minorum vindicatus, nulla certò Familæ Regulari Votis mancipatus, ſed vergente Sæculo XIII, natus, Sociuſque exindè Sorbonicus, circà Sœculi XIV ſequentis Initia potiſſimùm floruit.”

Dein, quibusdam interjectis, ſubjungit : “ Hiſtoriolam refert Waddingus, ſcilicèt Thomam de Hibernia, Franciscanum factum, Pollicem ſibi dexetrum amputaſſe, ne ad Sacerdotium ſuſcipendum à Superioribus cogeretur ; quæ fortè vera eſt de quodam pio Franciſcano hujus etiam Nominis circà 1270 florente, & in Conventu Aquilano mortuo, ſed pura puta Fabula eſt de iſto Socio Sorbonico, quem ſua Opera indicant Oleo Sacro Preſbyterij inunctum.”

Ex his colligere par eſt, duplicem eo Ævo floruiſſe *Thomam de Hibernia*, alterum Franciſcanum non Sacerdotem, alterum Sacro Preſbyteratûs Ordine decoratum, quem Pace *Echardi* exiſtimo Dominicanum. Neque obſtat Animadverſio ipſius in *Waddingum*, & *Waræum*, Scriptori huic *Palmerani* Agnomen tribuentes, quia, inquit, *Familia Palmer Anglica eſt non Hibernica.* Enimverò *Waddingus*, & *Waræus*, Hibernigenæ, & in Hiſtoria ſuæ Gentis egregiè verſati, meliùs noverunt, Familiam *Palmer*, etſi primitùs *Anglicam*, in *Hiberniam* tamen adveniſſe cum multis alijs Anno 1169 *Henrico* II Rege (r), Sedemque fixiſſe propè *Palmerſtown*, id eſt, *Palmeri Oppidum*, quod cùm fuerit natale Solum *Thomæ* noſtri, indè cognominatus eſt *Palmeranus*, ſeù ut cum *Waræo* loquar, *Palmerſtonenſis*, non ſecùs ac noſter Angelicus Doctor *S. Thomas* cognominatur *Aquinas* à Civitate *Aquini*, & Cardinalis noſter *Thomas de Vio* paſsìm nuncupatur *Cajetanus* à Civitate *Cajetæ*, ſuis ſcilicèt reſpectivè natalibus Solis. Immò ipſemet *Echardus* anteà (s) dixerat, *Fr. Stephanum de Exonia, Hibernum* (t), *Originem duxiſſe ex illuſtri hujus Nominis Familia Anglica, ſed quæ in Hiberniam Seculo XIII* (u) *jam commigrarat, & apud Athletan Sedem fixerat, cujus & Dominium compararat.* Eccur igitur, amabò, dici nequit *Thomæ Hibernico* noſtro rectè tribui *Pàlmeri* Agnomen etſi Familia *Palmer* primitùs fuerit *Anglicana* ?

V. F. ANONYMUS, qui Anno 1274 floruit, Annales Ordinis noſtri lucubravit perduxitque ad prælibatum Annum, quibus denuò adjectus fuit Catalogus omnium *Hiberniæ Dominicanæ* Cænobiorum, quæ antè Annum 1300 fnndata fuere. Etſi porrò Opus hoc Auctoris Nomen non prodat, adeoque Anonymo tribuatur, nihiloſecius par credere eſt, illud à *Fr. Stephano*

(o) Tom. i. Pag. 745.

(p) *Annal. Minor.* ad An 1269, & 1270.

(q) Apud *Waræum*, Lib. i. *de Scriptoribus Hiberniæ*. Cap. ix ; & *Harriſium* ibidem Cap x.

(r) Adeas Cap. i. Num. xxi, & Cap. ix. §. xiv. Num. ii. Pag. 30, & 250.

(s) Tom. i. Pag. 348.

(t) De eo ſtatim dicetur Num. vi.

(u) Lege *Sæculo Duodecimo*, Anno ſcilicèt 1169.

no de Exonia, ut jam dicetur (*w*), editum fuiſſe. De eo autem Opere, illiuſque memorata Appendice, *Waræus*, *Echardus*, & *Harriſius* hæc habent (*x*):

" Annales Ordinis Prædicatorum ab Anonymo Dominicano perducti ad Annum Chriſti 1274, quo " floruit. Annalibus adjicitur Catalogus ſubſequens omnium illius Ordinis Conventuum, qui in Hi" bernia fuerunt antè Annum 1300 ſecundùm Tempus, quo quiſque Conventus cæpit, diſpoſitus.

" Dublinij, Anno Domini	1224.
" Pontanæ,	1224.
" Kilkenniæ,	1225.
" Waterfordiæ,	1226.
" Limerici,	1227.
" Corcagiæ,	1229.
" Molingaræ,	1237.
" Athenriæ,	1241.
" Caſſeliæ,	1243.
" Traleiæ	1243.
" Newtonæ (*y*), in Agro Dunenſi,	1244.
" Banninæ (aliàs Colranæ),	1244.
" Sligoæ,	1252.
" Athlethanæ (aliàs Stradæ juxtà Ath- " lethan),	1252.
" Athyæ,	1253.
" Roſcomaniæ,	1253,
" Trimmæ,	1263,
" Arcloæ,	1264.
" Roſſæ, (alias Roſſæ Pontis),	1267.
" Youghallæ,	1268.
" Lothoriæ (aliàs Lurchoæ),	1269.
" Rathbrannæ,	1274.
" Deriæ,	1274.
" Killociæ (aliàs Kilmalociæ),	1291."

VI. F. STEPHANUS DE EXONIA, ſeû *de Exeter*, anglicè per Syncopen *Dexter*, hibernicè *Mac-Jordan* (z), Alumnus Cænobij *Stradenſis*, à prælibata Gente fundati, ubi Ordini Nomen dedit Anno 1263, Auctor paſsìm exiſtimatur Annalium Conventûs Fratrum Minorum *Montis Fernandi*, vulgò *Multifernan*, in *Midenſi Occidentali* Agro *Lageniæ*, incipientium Anno 1245, & deſinentium Anno 1274. Ibi quippè crebra fit Mentio nedùm de Rebus *Conaciæ*, ubi ſita eſt *Strada*, ſed & ſignanter de ipſamet laudata Familia, ab eaque fundato *Stradenſi* Cænobio. Audiamus autem hac de Re noſtrum *Echardum*, hujuſce Sæculi Scriptorem (*a*):

" F. Stephanus de Exonia, Hibernus, ex illuſtri hujus Nominis Familia Anglica, ſed quæ in Hiberniam " Sæculo XIII (*b*) jam commigrarat, & apud *Athletan* Sedem fixerat, cujus & Dominium compararat, " Originem ducens, natus Anno 1246, & 25 Martij 1263 ad Ordinem accitus in Domò Stradenſi " ad *Athletan*. Laudatur in Catalogo Codicum MSs Angliæ, & Hiberniæ (*c*), ubi ſic legitur Tom. ii. " Pag. 11. Num. 42.

" *Annales Domûs* de Multifernan. *In ijs nulla deprehenduntur Veſtigia* (*d*) *ſive* Auctoris *ſive* " *Loci, ad quem olim pertinebant. Sed quia ibi crebra ſit Mentio de Rebus* Conacienſibus, *& ſpeci-* " *atim de antiqua Familia* Dexeterorum, *ſive* de Exonia, Athletanæ *Dominorum*, *& Cænobij* Stradenſis " *Fundatorum, inde orta eſt Suſpicio ad Cænobium* Fratrum *Prædicatorum* Stradæ *prope* Athletan, *in* " *Comitatu* Majo, *pertinuiſſe*, *& ejus Loci Dominicanum aliquem horum Annalium fuiſſe* Auctorem; " *fortaſſe, inquit* Waræus, *Fratrem* Stephanum de Exonia, *quem natum perhibent* Anno 1246, *&* " *indutum* 1263.

" *Auctor Annalium illorum, quos vulgò* Annales Montis Fernandi, *ſive* Minoritarum Multifernanæ, " *vocamus, incipit ab Anno Domini* 1245, *& deſinit Anno* 1274, *quo Tempore ipſe vixit, ut ex Antiqui-*

(*w*) Num. ſeq.

(*x*) *Waræus* de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. ix; *Harriſius*, ibidem Cap. x; *Echardus*, Tom. i. Pag. 348.

(*y*) Pro hujus, nonnullorumque aliorum hujus Catalogi Nominum, Elucidatione adeas Cap. ii. Num. vi. Pag. 38. aut Cap. ix, ubi de ſingulis Conventibus §. §. diſtinctis differebam.

(*z*) Recolendum Cap. ix. §. xiv. Num. ii, & iii. Pag. 250.

(*a*) Tom. i. Pag. 348.

(*b*) Lege *Sæculo Duodecimo*, Anno ſcilicet 1169, ut nuper obſervabam.

(*c*) Duo eorundem Annalium Exempla in aſſervantur in Bibliotheca Ducis de *Chandos*, in *Anglia*, juxtà pridem dicta Cap. ix. §. xiv. Num. vi. Lit. z. Pag. 254.

(*d*) Hanc eandem Animadverſionem legere eſt in uno ex memoratis Exemplaribus, ut ibidem referebam.

“ *tiquitate Characteris liquet* (*e*). *Non poſſum non ſuſpicari Auctorem fuiſſe Fratrum* Stephanum de
“ Exonia, *quem natum perhibent Annales illi Anno* 1246, *& Habitu Ordinis ſui indutum in Die An-*
“ *nunciationis B. Mariæ Anno* 1263. Ex Waræo.

“ In iſta Waræi Narratione apparet quiddam ſecum pugnans, ſcilicet quem priùs Annalium Ordinis
“ Prædicatorum dixerat, poſteà Annalium Minoritarum Concinnatorem dicit, quod animadvertiſſe viden-
“ tur Catalogi Còdicum MSs Angliæ Editores, undè & correxerunt, & Dominicanum purè agnoverunt.
“ Reverà quis putet Franciſcanum Domorum noſtrarum Hibernarum Chronologiæ ſcribendæ fuiſſe ſolli-
“ citum? Itàque immeritò hunc ſuis Waddingus recenſet Scriptoribus.” Hæc *Echardus*.

VERUM ut Compatriotæ mei, tametſi Acatholici, Partes tuear, negare auſim Pace *Echardi*, quidpiam ſecum pugnans in iſta *Waræi* Narratione apparere. Non enim *Stephanum de Exonia* Annalium Ordinis Prædicatorum Auctorem dixerat, ut refert *Echardus*, ſed rotundis Verbis aſſeruerat, Annales illos ab *Anonymo Dominicano* concinnatos fuiſſe, ut ex ipſiſmet ejus Verbis nuperrimè in Medium adductis (*f*) Sole meridiano clarius patet. Crediderim nihilominùs Annalium iſtorum reapsè Auctorem fuiſſe Fr. *Stephanum de Exonia*, ut Temporis, & Loci Circumſtantiæ comprobare videntur, atque innuit *Echardus*, eos inter ſæpè laudati *Stephani* Opera recenſens.

VII. F. JOANNES DURLENDUNUS, ſivè DE DERLINGTON, Regi *Henrico* III à Confèſſionibus, & à Conſilijs, Apoſtolicus per *Angliam* Quæſtor Decimarum in Subſidium Terræ Sanctæ, atque Regis *Eduardi* I ad Romanum Pontificem *Nicolaum* III Legatus, demumque Archiepiſcopus *Dublinienſis* Anno 1271, *Petrique Denariorum* tàm in *Anglia* quàm in *Hibernia* Collector, ut alibi fusè narrabam (*g*), Opera edidit hos præſeferentia Titulos, juxtà *Baleum*, & *Pitſeum* apud *Echardum* (*h*).

1. *Diſceptationes Scholaſticæ.*
2. *Sermones ad Clerum, & Populum.*
3. *Concordantiæ Magnæ Bibliorum Sacrorum Anglicanæ dictæ.*

DE hoc ultimo Opere ſic habet *Nicolaus* noſter *Trivetus*, Natione *Anglus*, ad Annum 1276. “ Hoc Anno Fr. Joannes de Derlington, Ordinis Prædicatorum, Confeſſor quondam Regis “ Henrici, Auctoritate Papali in Regno Angliæ Collector efficitur Decimarum, cujus Studio, & “ Induſtriâ editæ ſunt Concordantiæ Magnæ, quæ *Anglicanæ* vocantur.”

VIII. F. GULIELMUS DE HOTUN, ſeù DE HOTHUM, alijs de *Odone*, Archiepiſcopus *Dublinienſis* renunciatus eſt Anno 1297, ut alibi ajebam, plurima de ipſo enarrans (*i*). Ejus cum Laude meminerunt *Laurentius Pignon*, *S. Antoninus*, *Leander*, *Albertus*, *Luſitanus*, *Pius*, *Fernandez*, *Bzovius*, *Fontana*, *Altamura*, & alij noſtri. Ext ates verò *Lelandus*, *Baleus*, *Sinclerus*, *Poſſevinus*, *Pitſeus*, *Waræus*, & *Harriſius*.

HÆC porrò ejus laudantur Opera apud *Echardum* (*k*),

1. *Commentarij in Quatuor Libros Sententiarum.* Hos laudat *Laurentius Pignon*, ac prætereà alterum in Primum Sententiarum Scriptum, quos proindè viderat.
2. *De immediate Viſione Dei.*
3. *De unitate Formarum.*
4. *Lecturæ Scholaſticæ.*
5 *Oratio de Jure Regis ad Scotiam, gallicè dicta, & ſcripta.* Laudatur à Cajo P. 242 Antiquitatum Cantabrigienſis Academiæ. Hæc eadem illi tribuit Opera *Boſtonius Burienſis*, Nomenclator accuratus.
6. *In tres Libros de Anima.* Recenſetur in Catalogo Codicum MSs Angliæ Tom. I. P. II. N. 1574, ubi dicitur *Gulielmus Heddonen*, aliàs *Heddon*. Tom. II. P. JI. N. 5. hæc habentur:

(*e*) Verba iſta ſunt *Waræi*, qui teſtatur, Annales illos extare MSs in Bibliotheca Rmi Archiepiſcopi *Armacani*. Nunc autem Mehercle extant in Scrinijs Bibliothecæ Academiæ *Dublinienſis*.

(*f*) Num. præced.

(*g*) Cap. xiii. Num. xi. Pag. 461.

(*h*) Tom. i. Pag. 396.

(*i*) Cap. xiii. Num xiii. Pag. 462.

(*k*) Tom. i. Pag. 458.

“ Proceſſio de Electione Archiepiſcopi Dublinienſis per Priorem, & Conventum Eccleſiæ S.
“ Trinitatis, & Decanum, & Capitulum Eccleſiæ S. Patritij Dublinij, poſt Mortem Gulielmi de
“ Hothum Archiepiſcopi Anno 1298.”

7. *Queſtiones Quodlibetales.* Quædam extant in Sorbon. Cod. 133. Folio Magno Membraneo.

IX. F. MARCUS, qui veriſimiliter Sæculo Eccleſiæ XIII floruit, fuit Natione *Hibernus*, ut conjicere licet ex ejus Opere, hunc præſeferente Titulum : *Hiſtoria Hiberniæ piæ.* Quod autem Regularis fuerit, certo certius patet ex Operis Initio, hiſce concepto Verbis : *Venerabili, ac Deo devotæ Dominæ G. Dei Dono Abbatiſſæ, FRATER Marcus* &c.

CÆTERUM Ordini noſtro ſpeciatim aſcribere ipſum non auſim, ut candidè fatear, quem nihilominùs inter *Hiberniæ Dominicanæ* Scriptores recenſeo, Exemplum ſcilicèt ſecutus *Echardi* noſtri, eundem inter Scriptores Ordinis Prædicatorum annumerantis (*l*), hæc tamen poſt memoratum Operis Titulum, atque Exordium ſubdentis Verba : “ Hunc Scriptorem laudo, non quod
“ eum à quoquam viderim noſtris adſcriptum, ſed quia ejus Opus mihi occurrit *Pariſijs* in Navarr.
“ Cod. MS. Folio medio Membraneo, & eleganti inter alia plura, quorum primum, *Vita S.*
“ *Martini per Severum Sulpitium* ; ultimum, *Bulla Canozationis S. Dominici per Gregorium* IX.
“ Cûm verò Waræus hujus Auctoris non meminerit, curioſis Hibernis gratum futurum putavi,
“ ſi eum illis indicarem, ut cujus Ordinis profeſſus fuerit indagent.” Noviſſimè item *Harriſius* (*m*), poſtremus *Waræi* Editor, noſtri Fr. Marci diſertè meminit, *Echardum* laudans, haud valens tamen, ut ingenuè aſſerit, determinare, cujus fuerit Ordinis Alumnus.

X. F. GOTOFRIDUS DE WATERFORDIA, à natali ſua Civitate (*n*) ſic nuncupatus, quantum conjicere eſt ex ejus Operibus, mox memorandis, Sæculo Eccleſiæ XIII floruit, nedùm latinè, ſed & græcè, arabicè, atque gallicè peritus, quem propterea & in Regiones Orientales profectum, & in *Galliarum* Regno, potiſſimùm *Lutetiæ Pariſiorum*, haud modico Tempore hæſiſſe rectè cum *Echardo* (*o*) exiſtimes. Hæc ſiquidem è Latino, Græco, & Arabico gallicè, Linguâ nimirùm vulgari, prælibato Sæculo uſitatâ, ab eo reddita ſunt.

1. *Daretis Phrygij Liber de Bello Trojano.*
2, *Eutripij Romani Hiſtoria.*
3. *Ariſtotelis ad Alexandrum Liber, qui dicitur Secretum Secretorum, ſeù de Regimine Regum.*

HUJUS porrò tertij Operis Prologum referre non abs Re erit ad pleniorum Viri Notitiam. Sic autem exorditur : *C' eſt li Prologes de Secrè des Secrès. A Noble Bers prouz, & ſages. Frere Joffroi de Waterford de l' Ordene az Freres Precheurs le mendre Salus en Jheſu Chriſt, & Santei d' Aulme, & de Cors*, &c. Quæ ſic latinè reddit *Echardus* : “ Hic eſt Prologus Secretorum. No-
“ bili Viro ſtrenuo, & prudenti, F. Goffridus, vel Gotofridus, de Waterfordia Ordinis Fratrum
“ Prædicatorum minimus, Salutem in Jeſu Chriſto, Animoque, & Corpore benè valere.” Scilicet cuidam Magnati, etſi in Codice, quem excipiebat *Echardus*, non nominato, Librum nuncupavit, utpotè ab ipſo rogatus, ut eundem Librum ex *Græco* primùm *arabicè* & poſtmodùm ex *Arabico latinè* verſum, è *Latino* demûm *gallicè* interpretaretur. Sic enim poſt plura proſequitur gallicè eâ Linguâ vulgari, ut legere eſt apud *Echardum*, latinè vero in hunc Modum :

“ Quod Subtilitate Ingenij optimè intellexiſti ; & ideò modò Arma, aliaque in Bello neceſſaria paras,
“ modò in Lectione Librorum deliciaris . . . . . Quamobrem ad alios bonos Libros, quos jam habes,
“ addere cupis Ariſtotelis Sapientiſſimi Philoſophi Librum, *Secretum Secretorum* dictum, ſeù *de Regimine*
“ *Regum, ac Principum.* Ideoque me rogaſti, ut Opus illud ex Græco primùm arabicè, & rursùs ex
“ Arabico latinè verſum, è Latino tui Gratiâ gallicè interpretarer. Id tuis Precibus motus agere curavi,
“ majoremque Laborem adhibui quàm in altioribus, & profundioribus, quibus detineor Studijs, ſoleam.
“ Aliundè ſcias velim, Arabes multo Verborum Circuitu pauca vera dicere, Græcos verò in Modo lo-

“ quendi

(*l*) Tom. i. Pag. 743.

(*m*) *De Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. xi. Pag. 81.

(*n*) De *Waterfordienſi* Urbe Sermo erat Cap. ix. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(*o*) Tom. i. Pag. 467.

“ quendi obſcuros eſſe : Quapropter ex utraque Lingua vertendo, fuſiora unius reſcindere, & alterius obſcura illuſtrare conatus ſum, quantùm Materies pati potuit, Senſum Verborum non Verba conſectatus. Noveris ampliùs, plura alia me addidiſſe, quæ licèt eo Libro non habeantur, ex alijs authenticis deprompta ſunt, neque minùs utilia quàm hoc Libro ſcripta : Hæc verò Addita Rei ſubjectæ prorsùs convenientia. Scito denique Verſionem ex Arabico latinam non ſinceram eſſe, ideoque plura, nec vera nec utilia à me ità rejecta, ut Medullam, & quod Veritati conſonum quàm breviſſimè acceperim.”

Hæc porrò in Operis Prologo & Patriam, & Ordinem Scriptoris demonſtrant, ejuſque in quatuor Idiomatibus Peritiam. En verò ejuſdem Operis Epilogum :

“ Librum *de Regimine Regum, ac Principum*, quem magno Regi Alexandro miſit Ariſtoteles, auxiliante Deo in Linguam vulgarem transfudimus, & plura alia bona, & utilia ex Hiſtoria antiqua, & ex Philoſophia deſumpta inſeruimus, & Auctorem noſtrum, ut propiùs fieri potuit, ad Lucem adduximus : Et eſt ſciendum, quæ de Ciborum, & Potuum Diverſitate à Nobis poſita ſunt, ea ex Libris Iſaaci, quibus Titulus, *Dietæ Univerſales, & Particulares*, tranſlata eſſe. Qui hunc Librum legerint, orent pro P. Gotofrido de Waterfordia, & pro Servatio Copale, qui hanc Operam ſuſceperant, &, Deo adjuvante, ad Finem perduxerunt, & ut Librum Daretis Phrygij de *Bello Trojano*, & Librum Eutropij de *Imperio Romano*.”

Quæ tria Opuſcula ſervantur *Pariſijs* in Bibliotheca *Colberitana* Cod. 4154. Folio parvo membraneo, Charactere Sæculi XIII eleganti.

Eodem in Volumine Quatuordecim ſunt Sermones, gallicè redditi, qui in Catalogo dicuntur noſtri *Jacobi de Voragine*, à *Liguriæ* Oppido maritimo ſic nuncupati, Archiepiſcopi *Januenſis*, à *Nicolao* IV, Pontifice Maximo, renunciati Anno 1292. Poſteà ſequitur, *Expoſitio brevis Articulorum Fidei, & Orationis Dominicæ*, gallicè. Denique, *Sermones de Tempore ſuper Evangelia Dominicarum totius Anni.*

“ Qui tamen (inquit *Echardus* mox laudatus) cum Sermonibus noſtri *de Voragine*, ſaltem cum impreſſis, nec cum MSs Codicibus à me viſis congruunt. Sunt autem Evangeliorum Explicationes faciles, morales, & breves. Cùm verò non ſolùm eâdem Manu ſcripti ſint, quâ Opuſcula relata noſtri *Waterfordij*, ſed & idem Stylus, idem Ortographiæ Modus, libenter ei aſcriberem, ſeù ab eo compoſitos gallicè, ſeù ex alio gallicè verſos : Verùm id nolim aſſerere abſque Vade, peritioriſque Inquiſitioni, ac Arbitrio permitto. Idem eſto Judicium de duobus Opuſculis, eodem Volumine contentis, eodem Stylo è Latino gallicè redditis, eâdemque Manu ſcriptis, quorum primi latinè Titulus eſt, *Libellus Moralitatum* ; gallicè, *Le petit Livre de Moralitez*. Alterius verò, *Elucidarius*, Liber nempè ille, de cujus Auctore tanta eſt apud Literatos Diſputatio, *Anſelmo Cantuarienſi* alijs, alijs *Honorato Auguſtodunenſi* aſcribentibus ; Fr. *Gulielmi Coventrienſis* Carmelitæ, Anno 1360 florentis, quicquid dicat *Baleus*, certò non eſſe conſtat, tùm ex Codicibus longè antiquioribus MSs, tùm ex Verſione gallica, quæ haud dubiè XIII Sæculi, vel alterius ſequentis.”

Tandem ſubjungit *Echardus :* “ Hic Scriptor non ſolùm noſtris hactenùs, ſed & ipſi *Waræo (p)* incognitus fuit ; ideoque Nobis viſus eſt fuſiùs expendendus. Mirum enim hac noſtrâ Ætate futurum eſt, *Hibernum* Sæculo XIII ad Verſionem *gallicam* ſuſcipiendam quæſitum fuiſſe.”

XI. F. GUALTERUS DE JORZ, ſeù JOISIUS, vernaculè *Joyce*, Cardinalis *Thomæ Joiſij*, Ordinis noſtri, Germanus Frater, *B. Alberti Magni* Diſcipulus, Angelici verò Doctoris *S. Thomæ Aquinatis* Condiſcipulus Regi *Eduardo Primo* à Confeſſionibus, necnon Archiepiſcopus *Armacanus* Anno 1306 renunciatus, ut ſuo Loco dicebam, ipſius Res geſtas operoſiùs enarrans (*q*), ſequentia edidit Opera juxtà *Waræum*, & *Harriſium* (*r*), nempè :

“ *Promptuarium Theologiæ*, Libris 3.
“ *De Peccatis in Genere*, Lib. 1.
“ *Quæſtiones varias*, Lib. 1.
“ Et alia Opera.

(*p*) *Harriſius* tamen, noviſſimus *Waræi* Editor, *Waræum* recenſet *Echardum* exſcribens, Lib. i. *de Scriptoribus Hiberniæ*, Cap. xi. Pag. 81.

(*q*) Cap. xiii. Num. xiv. Pag. 403.

(*r*) *Waræum*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib ii Cap iii, Pag. 122 ; *Harriſium*, ibidem, Pag. 320.

Sic autem habet *Echardus*, de ejus Lucubrationibus diſſerens (*s*): " Hæc ejus Opera lau-
" dantur à Luſitano:

" *Summa Theologiæ, Libris quatuor diſtinctæ.*
" *Quæſtiones variæ.*
" *De Peccato Originali.*
" His Pitſeus addit:
" *Promptuarium Theologiæ, Libris tribus.*
" *De Peccatis in Genere.*

" Fernandez addit:
" *Scriptum in quatuor Libros Sententiarum*, idem fortè cum Summa Theologiæ.
" Altamura ad Annum 1316 & ipſe addit: *Scriptum in Primos Pſalmos Davidicos*, de quo ſi-
" lent alij.

XII. F. MALACHIAS HIBERNICUS, ab Inſula natali ſic cogniminatus, Ordinis Prædicatorum fuit Alumnus, ut teſtantur *Luſitanus*, quem ſequuntur plures apud *Echardum* (*t*), & *Altamura* ad Annum 1308, poſt *Gareſium* (*u*), immò & *Antonius Senenſis*, ut fatetur *Waræus* (*w*), etſi eidem refragetur, *Waddingum* (*x*) ſecutus, *Malachiam* ſuo Fratrum Minorum Ordini vindicantem, à quo tamen *certiora & Ætatis, & Profeſſionis exigere quis potuiſſet Documenta*, ut *Echardus* animadvertit. Sed quidquid ſit de hoc, floruit *Oxoniæ* circà Annum 1310, & poſtmodùm *Neapoli*, ut refert *Waræus* mox laudatus, ediditque Libellum, qui *Pariſijs* prodijt Anno 1518 ex Officina *Henrici Stephani*, hunc (ut referunt *Poſſevinus* in *Apparatu Sacro*, & *Gareſius* mox laudatus) præſeferens Titulum:

De Veneno, & Remedijs mortalium Peccatorum.

Addit *Baleus* (*y*), & poſt ipſum *Harriſius* (*a*), eundem *Malachiam* alia lucubraſſe Opera, nimirùm

Inſtitutorum Communium, Lib. 1.
Legum Cælibatûs, Lib. 1.
Novarum Traditionum, Lib. 1.
Ad Divum Bernardum, Epiſtolas Plures.

Item *Staniburſtus* apud *Harriſium* ipſi adſcribit:
Conciones Plures, Lib. 1.

XIII. F. JOANNES BATERLEIUS, vulgò *Baterley*, nonnullis *Barley*, Archiepiſcopus *Tuamenſis* Anno 1427, defunctuſque Anno 1437, ut ſuo Loco ajebam (*b*), præclaras Res ab eo geſtas recenſens, inter Scriptores annumeratur à *Philippo Wolffio* in *Vireto Dominicano*, *Baleo*, *Pitſeo*, & alijs apud *Echardum* (*c*), aſſerentibus, *ipſum plura reliquiſſe Opera, ſed quæ Temporum Injuriâ, Rerumque Viciſſitudine, maximè verò Fidei hiſce in Regnis Everſione, perierunt* (*d*).

XIV. F. JOANNES HIBERNICUS, à natali ſuo Regno hoc ſic agnominatus, floruit circà Annum 1460, ut refert *Michael Plodius* apud *Antonium Alphonſum Fernandez* (*e*), juxtà quem etiam Librum edidit, cui Titulus: *Manipulus Florum*, ex omnibus ſcilicet Scriptoribus Sacris collectus. Nonnulli item apud *Harriſium* (*f*) affirmant, quendam *Joannem Hibernicum*, Ordinis Prædicatorum Alumnum, Librum vulgaſſe hoc Titulo: *Scala Dei, ſeù Cæli.*

XV. F. RICHARDUS WINCHELSÆUS, vulgò *Winchelſey* (*g*), Epiſcopus *Oſſorienſis*, Anno circiter 1480, ut alibi dicebam (*h*), Rei literariæ Opus reliquit hunc præſeferens Titulum: *Liber Quæſtionum Opinabilium, ſeù Problematum.* Eundem *Richardum* inter Scriptores Sæculi refert

---

(*s*) Tom. i. Pag. 513.
(*t*) Tom. i. Pag. 742.
(*u*) Lib. i. de *Corpore, & Sanguine Chriſti*, Claſſe i.
(*w*) De *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. x. Pag. 65.
(*x*) *Annal. Minor.* ad Annum 1270,
(*y*) Centuria 14, Num. 91,
(*a*) De *Scriptor. Hiber.* Lib i. Cap. xi. Pag. 81.
(*b*) Cap. xiii. Num. xxxiv. Pag. 472.
(*c*) Tom. i. Pag. 779.
(*d*) Recolenda nuper dicta Cap. præſ. Num. i.
(*e*) In *Notitia Prædicatoriæ Familiæ.*
(*f*) Lib. i. de *Scriptor. Hiberniæ*, Cap. xii. P. 88.
(*g*) Adeas Cap. xiii. Num. xlvi. Lit. o. Pag. 476.
(*h*) Cap. xiii. Num. xlvi. Pag. 476.

refert *Lelandus* (*i*), ſicque de ipſo habet: “ Richardus Winchelſegus, ut colligo, Dominicanus, ex ea Scriptorum Secta fuit, qui Res Philoſophicas, & Theologicas ſubtiliùs quàm fideliùs diſcutiunt. Extat ejus Volumen *Quæſtionum*, ut vocat, *Opinabilium*.” Quod proindè *Lelandus* ipſe viderat, ut rectè concludit *Echardus* (*k*).

XVI. F. HENRICUS O-RIAN, vulgò *Ryan*, in Urbe verſabatur, *Urbano* VIII Pontifice Maximo, ſcripſitque, ac edidit:

Poema Encomiaſticum de Adventu Excellentiſſimi Ducis Caroli de Crequi, Mareſcalli, Ducis, & Paris Franciæ, Chriſtianiſſimi Regis ad Sanctiſſimum Patrem Urbanum VIII Oratoris Extraordinarij. Romæ Typis Ludovici Grignano, Anno 1623. In 4°.

CARMEN eſt, heroicis Verſibus bis centum & quinquaginta conſtans, *elegantiſſimum*, Teſtibus *Echardo*, & *Harriſio* (l).

XVII. Affinitas Cognominis, Arſque Poetica, in Medium adducere me commonent alium Muſarum peritiſſimum, F. nempè JOANNEM O-RUAIN, de quo *O-Heynus* noſter, *Bureſulenſis* Cænobij Alumnos recenſens (*m*), hæc habet:

“ R. P. Fr. *Joannes O-Ruain* ſtuduit cum Applauſu *Burgis* in *Hiſpania*. Fuit inſignis Poeta, quod probavit mirificè dùm Studens eſſet *Burgis*. Tunc enim Oſſa Domini *Ferdinandi* Cardinalis *de Auſtria* *(n)* transferebantur ex *Belgio* in *Hiſpaniam*, ut reconderentur in Regali Monaſterio *Del Eſcurial*, & in ſingulis Civitatibus per quas tranſibant, cum ingenti Pompa recipiebantur, & præcipuè *Burgis*, abundantibus Viris, & Scholis doctiſſimis in omni Genere Eruditionis. Prior noſter Conventûs S. *Pauli* monuit *Patrem O-Ruain* concinere aliqua Carmina in Encomium hujus magni Principis. & quod diſpenſaret eum à Choro & Matutinis ad Menſem. Ille promiſit ſe aliquid facturum, dormivit autem altè totâ Nocte, & Prior arbitrans, quod ſtuduiſſet potiùs, viſitavit eum Horâ primâ, finitis Matutinis, ſuper quo excanduit Prior Iracundiâ, nam ſciebat habiles Viros omnium Ordinum applicatos valdè eſſe ad Laudes Principis modulandas Carmine latino, & hiſpanico. *O-Ruain* dedit P. Priori ſuum unicum Diſtichon ſummo Mane, quod ut lectum fuit coram Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo, ac toto Cætu, mirati nimis conticuere omnes, Et hoc eſt Carmen:

“ *Auſtria me genuit, fovit Caſtella, Galerum*
“ *Roma dedit, Belgis Rector, & Hector eram.*

“ Iſte Pater docuit *Lovanij*, viſitante Reverendiſſimo noſtro *Turco (o)*, in cujus Laudem confecit multos Verſus, energicos valdè, & ſervatos apud Nos adhuc in Collegio. Redux in Patriam docuit longo Tempore Scholam Magnam cum inexplicabili Utilitate totius Comitatûs de *Mayo*. Vixit exemplariter, & defunctus eſt cum Laude & Mœrore Populi circà Annum 1674.”

XVIII. INTER Scriptores Locum profectò meretur F. MORIARTUS MORIARTI, S. Theologiæ Magiſter, Cænobij *Traleienſis* Alumnus, qui “ floruit quaſi Palma procera in Regno *Portugalliæ*, ubi docuit Theologiam in magno Regali, & Religioſo Conventu *Ulyſſiponenſi*. In Schola nullo utebatur Chartapaſio, ſed omnia dictabat memoriter cum ſumma Connexione, & ſciebat Sanctos Patres, ac Doctores numeroſè ſine ulla prorſùs Oblivione aut Errore. Doctiores Viri quærebant ejus Dictata, emebantque multi quovis Pretio, & tranſcribebantur paſſim à multis impenſo Labore” (*p*). Obijt autem circà Annum 1660.

XIX. F. JACOBUS (Echardo cum Hiſpanis *Didacus*) ARTHURUS, Patriâ *Limericenſis*, ibidem Ordinem noſtrum amplexatus eſt, profeſſuſque *Salmanticæ* in regio *S. Stephani* Cænobio, ubi ſic Literis, ac Morum Gravite claruit, ut in eadem Academia laureatus, Cathedram fuerit aſſecutus, ubi maximo Diſcipulorum Concurſu, & Fructu, omniumque Academicorum Plauſu,

Pro-

(*i*) Cap. 539.
(*k*) Tom. i. Pag. 580.
(*l*) *Echardo* Tom. ii. Pag. 476; *Harriſio*, Lib. i. de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 115.
(*m*) Pag. 38.
(*n*) Hic Filius erat *Philippi* iii, Regis *Hiſpaniarum*, Gubernatorque *Belgij*, ubi ſupremum obijt Diem Anno 1641.
(*o*) Adeas Cap. xii. §. iii. Num. viii. Pag. 436.
(*p*) *O-Heynus*, Pag. 20, & ſeq.

Profeſſorem egit S. Theologiæ pluribus Annis (*q*). Indè in *Luſitaniam* evocatus, Cathedræ Theologicæ in *Conimbricenſi* Academia præfectus eſt, quà Primarius Profeſſor, quod honorificum Munus ingenti cum Applauſu per diuturnam Annorum Seriem impigrè exercuit (*r*). Demùm *Ulyſſipone* in Domo Regia *S. Dominici* ſupremum obijt Diem circà Annum 1670, ut rectè ait *Harriſius* (*s*), ibique ſepultus jacet. Scripſit porrò

Commentaria in totam ferè S. Thomæ de Aquino Summam, duobus Tomis comprehenſa, quorum unus Typis vulgatus fuit (*u*) Anno 1665, in Folio. Decem inſuper alios Tomos eadem de Re Prælo parabat quandò e Vivis ſublatus eſt (*w*).

Fuit & alter *Jacobus Arthurus*, ejuſdem *Limericenſis* Cænobij Alumnus (ut ſcitè advertit *Harriſius*) alibi memorandus (*x*).

XX. F. JOANNES-BAPTISTA HACQUETUS, vernaculè *Hackett*, Patriâ *Fiderdenſis*, vulgò *Fethard*, in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ*, propinqui Cænobij *Caſſelienſis*, ubi Ordinem profeſſus eſt, Alumnus, Sacras Literas ingenti cum Applauſu docuit *Mediolani*, *Neapoli*, & *Romæ*, in Generalibus, ut vocant, hiſce Studijs Regens inſtitutus, ac Profeſſor Ordinarius, S. Theologiæ Magiſter in Capitulo Generaliſſimo *Romæ* 1644 intereà creatus *(y)*, Cardinalis *Virginij Urſini* Theologus ob eximiam Eruditionem aſcitus. Cæterorum etiam Purpuratorum Patrum omnium ſibi conciliavit Amorem, & Æſtimationem (z), maximè autem *Æmilij* Cardinalis *de Alterijs*, poſtmodùm *Clementis* Papæ X, qui magnoperè inclinabatur ad inſignem hunc Virum Eccleſijs Cathedralibus præficiendum, immò & Sacrâ ornandum Purpurâ, ut à Fide digniſſimis, tàm *Italis*, quàm *Hibernis*, qui eundem in Diebus illis probè noverant, *Romæ* Juvenis accepi. Sed verè humilis, & pauper Spiritu oblatas Dignitates pervicaciſſimâ Modeſtiâ ſuſcipere detrectavit. Strenuè tamen egit, ut Cardinalium Collegio aggregaretur F. *Philippus-Thomas Howardus*, Natione *Anglus*, è Ducibus *Norfolciæ*, & Comitibus *Arundellæ* oriundus, *Londini* Anno 1629 natus, qui *cum Avo in* Italiam *profectus (a)*, Mediolani *Colloquia miſcens cum* P. Joanne Hacquet, *Hiberno*, *Ordinis noſtri, in Conventu* S. Euſtorgij *(b) Regente, eidem de amplectendo Ordine noſtro Deſiderium indicavit; ſed quomodo id fieri poſſet ob contrarios Avi, & Parentum Animos, ignorabat. Deindè* Placentiæ *Moram trahens, acceptâ ab Avo Veniâ,* Mediolanum *redijt, & cum præfato* P. Hacquet *piam Fugam* Cremonam *arripuit. Ibidem, abjectâ ſplendidiſſimâ Veſte, humilem Prædicatorum Habitum, ſuis inſcijs, ſuſcepit* Die 28 *Junij Anno* 1645, *Nomenque novum* Thomæ *ſuo addidit in Honorem* S. Thomæ Aquinatis, *cujus Exemplum imitari ſtatuit.* Quæ obiter refero ex noſtro *Bernardo de Jonghe*, & quidem ipſiſſimis ſuis Verbis. Et quia de tanto Viro Mentionem feci, placet ex eodem Auctore ulteriora exſcribere, quibus Lectori perſpectum, exploratumque erit, quot, qualeſque Nobiliſſimus iſte Juvenis perpeſſus fuerit Difficultates, antequàm Solemnia Ordinis Vota emittere potuerit.

“ Hoc *(inquit)* accepto Nuncio, mox ingens Perturbatio exorta eſt in Familia *Howardiana*. Avia
“ ejus (*Alethea Talbot*, *Comitis Salopiæ*, *vulgò Shrewſbury*, *Filia*) *Bruxellis* Internuncium adijt, ut ſuâ
“ Authoritate *Romam* commoveret. Avus *Romam* ſcripſit ad Dominum Equitem *Digbæum*, qui *Catharinam*,
“ *Philippi* noſtri Sororem, poſteà Uxorem duxit. Hic Recurſum habuit ad Eminentiſſimum D.
“ Cardinalem *Franciſcum Barberinum*, Regni *Angliæ* Protectorem, cujus Interventu illi Aditus patuit
“ ad Cardinalem *Pamphilium*, *Innocentij X* Summi Pontificis Nepotem, & ad Cardinalem *Antonium*
“ *Barberinum*, Ordinis Prædicatorum Protectorem, obtinuitque à Cardinali *Pamphilio* Epiſtolam ad
“ Epiſcopum *Cremonenſem*, quâ Nomine Pontificis ei mandat, ut F. *Philippum-Thomam* Novitium (ſi
“ Opus ſit, adhibitis Cenſuris, & advocato Brachio Sæculari) ex Conventu *Cremonenſi* deduci curet ad
“ Palatium ſuum Epiſcopale, ibidemque illum, interdicto cum Prædicatoribus Colloquio, tamdiù detineat,

---

(*q*) *Echardus*, Tom. ii. Pag. 536.

(*r*) *Harriſius*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Lib. i. Cap. xiv. Pag 160.

(s) Ibidem.

(*t*) Tom ii. Pag. 536.

(*u*) *Biblioth. Hiſp. Nich. Antonio* apud *Harriſium*, Loco citato.

(*w*) *Harriſius*, ibidem.

(*x*) Cap. ſeq. Num v.

(*y*) Videſis Cap. vi. Num. x. Sect. 15. Pag. 116.

(*z*) *Echardus*,, Tom. ii. Pag. 579.

(*a*) Verba ſunt *Bernardi* noſtri *de Jonghe*, Pag. 406.

(*b*) Adeas Cap. v. Num. xvii. Lit. h. Pag. 105.

“ tineat, donec Summus Pontifex aliquid certi ſtatuerit. Quæ Epiſtola ſcripta fuit *Romæ* 17 Julij 1645.

“ Igitur Die 26 Julij F. *Philippus-Thomas* ex Conventu *Cremonenſi* deductus fuit ad Palatium Cardinalis *Montium*, ubi Nobiliſſimum Captivum, veluti alterum *Aquinatem*, aggreſſi ſunt domeſtici, & & extranei. Cùm autem nihil efficerent, & conſtantiſſimum Juvenis Animum à Propoſito dimovere non poſſent, prædictus Cardinalis *Montium* valdè amplam ad Cardinalem *Pamphilium* ſcripſit Epiſtolam, in qua explicabat Modum, quo, tùm ipſe per Septem Dies tum alij Viri doctiſſimi, *Philippi* Animum explorarunt, eumque omnes invenerunt in ſancto Propoſito conſtantem, & maximo Zelo ergà Hæreticorum *Anglorum* Converſionem ductum, Sacrum Prædicatorum Ordinem aſſumpſiſſe, in eoque perſeverare velle uſque ad Mortem.

“ Summus Pontifex fatigatus importunis Amicorum Precibus, Rem totam Sacræ Cardinalium Congregationi *de Propaganda Fide* determinandam commiſit, cujus Decreto F. *Philippus* ex Palatio Epiſcopali Cremonenſi *Romam* abductus, & in Conventu *S. Sixti* (*c*) depoſitus fuit, ut ibidem evidentiùs probaretur ejus Conſtantia. Inſtat interim Frater ejus *Henricus* (*d*) Nomine totius Familiæ *Howardianæ* apud Summum Pontificem, ut *F. Philippus* Habitu Ordinis privaretur, ac prohiberetur non ſolùm Fratribus Prædicatoribus, verùm etiam alijs quibuſcunque Ordinibus, ne quiſquam illorum *Philippum* ad Profeſſionem, vel Sacros Ordines admitteret, inconſultis Romano Pontifice, & Amicis. Quod, quia, invito *Philippo*, fieri non oportebat, non fuit conceſſum.

“ Ne tamen Summus Pontifex Parentum, & Conſanguineorum ejus Supplicationibus omninò contrarius eſſe videretur, indulſit, ut F. *Philippus* ex Conventu S. *Sixti* deduceretur ad Patres Oratorij, vulgò *la Chieſa Nuova*, ibidemque Novitiatum ſuum continuaret ſub Diſciplina R. P. *Pauli*, ejuſdem Oratorij Sacerdotis, qui, Quinque circiter Menſium Decurſu, explorato F. *Philippi* Animo, & in Sancta Vocatione Conſtantiâ, tale Teſtimonium Pontifici detulit, ut ipſemet Summus Pontifex Adoleſcentem examinare voluerit. Accerſitus igitur F. *Philippus*, ſtrictiſſimè ab ipſo Summo Pontifice examinatus fuit, & ad omnes propoſitas Difficultates adeò prudenter reſpondit, ut Famam vicerit Reſponſis ſuis, & Suæ Sanctitati nullum reliquerit ampliùs dubitandi Locum.

“ Summus Pontifex agnoſcens Adoleſcentis Vocationem à Spiritu Sancto procedere, Conſanguineorumque ejus Oppoſitiones nonniſi humano Reſpectu niti, mox advocari juſſit Reverendiſſimum Vicarium Generalem Ordinis noſtri P. *Dominicum de Marinis* (poſteà Archiepiſcopum *Avenionenſem*), eique Conſtantiam F. *Philippi* notam faciens, Licentiam tribuit admittendi illum ad Profeſſionem Solemnem, quam ille læto Animo emiſit in Conventu S. *Sixti*, Anno Ætatis ſuæ decimo ſexto expleto (*A. D.* 1646).

“ Indè *Neapolim* Studiorum Causâ miſſus, in Conventu *B. Mariæ*, vulgò *La Sanità*, commoratus eſt uſque ad Annum 1650, quo *Romæ* in Capitulo Generali doctiſſimam Orationem habuit, & à totius Ordinis Patribus obtinuit, ut Juvenes *Angli*, *Scoti*, & *Hiberni* ubique ad Ordinem, & Novitiatum, ac Studia reciperentur, ut, illis peractis, ad Propagationem Fidei Catholicæ in Patria procurandam apti redderentur.”

HÆC *Bernardus de Jonghe*, qui Nobiliſſimi juxtà, & Religioſiſſimi Fratris Vitam, Geſtaque præclara operosè ſubjungit, ad quem te aventem remitto, ne longiùs, quàm par eſt, hæc abeat Digreſſio. Sufficiat addidiſſe, laudatum *Philippum-Thomam* Howardum Die 27 Maij 1675 Purpuratis Patribus adſcriptum à *Clemente* X, Pontifice Maximo, qui, ut obiter dicam, & alium Ordinis noſtri Cardinalem creaverat, nempè F. *Vincentium-Mariam Urſinum*, è Ducibus *Gravinæ*, Die 22 Februarij 1672, poſteà *Benedictum* Papam XIII, de quo plura alibi (*e*).

UT autem eò revertatur undè digreſſa eſt Oratio, Magiſter noſter *Joannes-Baptiſta Hacquetus* in Cœnobio Romano *S. Sixti* prælibati, ad Provinciam *Hiberniæ* nondùm ſpectante, diù verſatus eſt, ut luculenter conſtat vel ex Libris Computuum in Archivo ejuſdem Conventûs aſſervatis, ubi memini me legiſſe ipſius Nomen pluries ſubſcriptum in hunc Modum : *Fr. Joannes-Baptiſta Hacquetus*,

---

(*c*) Juris eſt Provinciæ *Hiberniæ* ab Anno 1677, de quo uberi Calamo dicebam Cap. xii. §. i. à Pag. 366. Vide ſignanter Num. xiv. Pag. 382.

(*d*) Poſtmodùm Dux *Norfolciæ*, & *Comes-Marſhallus*, ut vocant, *Angliæ*, à quo deſcendit modernus Dux *Norfolcius*, Catholicâ Religione clarus.

(*e*) Cap. viii. Num. xi, & Cap. xii. §. i. Num. xvi, & ſeqq. Pag. 126, & 384.

eutus, *Magiſter, & Regens.* Et fortaſſis tunc primum eò advenerat, quando Novitius ſuus *Philippus-Thomas Howardus* ex *Cremonenſi* Palatio Epiſcopali *Romam* abductus, iſto in Conventu, juxtà mox dicta, depoſitus fuit. Plures etiam Annos tranſegit apud *S. Mariam Super Minervam* præſertim dùm Eminentiſſimis Purpuratis ſuperiùs laudatis Theologi & Confeſſarij Munere fungeretur, ut nimirùm eorum reſpectivè Ædibus propinquior eſſet. Cænobium quippè *S. Sixti*, etſi intrà Muros *Romæ* ſitum ſit, ab inhabita tamen Urbe longiuſculè diſtat. Tandem Meritis, & Annis plenus Diem obijt extremum præfato in Conventu *Minervitano*, 23 Auguſti, 1676, paulò ſcilicet antè acquiſita ab *Hibernis* gemina *SS. Sixti, & Clementis* Cænobia *(f)*. *Romæ* autem degens ſcripſit, ab eoque edita ſunt.

Controverſorium Theologicum complectens omnes Tractatus Primæ Secundæ Doctoris Angelici, Romæ 1654. In Folio.

Synopſis Theologica in Tractatum de Fide, Spe, & Charitate. Romæ 1659. In 4°.

Synopſis Philoſophiæ. Romæ 1662. Duobus comprehenditur Tomis in 12°., eſtque Epitome Curſûs Philoſophici noſtri *Joannis à S. Thoma*, in Gratiam edita cujuſdem ſui Diſcipuli è nobiliſſima Gente *Alteria.*

XXI. F. DANIEL O-DALY, dictus paſſim in Ordine *Dominicus de Roſario*, Conventûs *Traleienſis* Alumnus, Confeſſarius Reginæ *Luſitaniæ*; Fundator Collegij, & Monaſterij *Ulyſſiponenſium*; Legatus *Philippi* IV Regis *Hiſpaniarnm* ad *Carolum* I, & *Carolum*, II, Reges *Anglorum*, & prælibati *Caroli* II ad *Innocentium* X Pontificem Maximum, necnon *Joannis* IV Regis *Luſitaniæ* ad *Galliarum* Regem *Ludovicum* XIV; deſignatus Archipræſul primùm *Bracarenſis*, dein *Goenſis*, tandemque electus Epiſcopus *Conimbricenſis*. Fatis ceſſit Die 30 Junij 1662. Quæ omnia alibi ſigillatìm narrabam (g), ubi etiam Lapidem Sepulchralem, necnon longiuſcula juxtà, & pulcherrima *Vincentij Baronij*, atque *Jacobi Echardi* Elogia, Res ab eo præclarè geſtas indigitantia, de Verbo ad Verbum exſcripſi. Ab eo autem editus eſt Liber in 12°. Paginis 406 conſtans, hoc Titulo compendiario: *Relatio Geraldinorum, ac Perſecutionis Hiberniæ.* Diffuſo autem. *Initium, Incrementum, & Exitus Familiæ Geraldinorum, Deſmoniæ Comitum, Palatinorum Kyerriæ in Hibernia, ac Perſecutionis Hæreticorum Deſcriptio, ex nonnullis Fragmentis collecta, ac Latinitate donata. Per Fratrum* Dominicum *de Roſario* O-Daly, *Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Profeſſorem, in Supremo S. Inquiſitionis Senatu Cenſorem, in Luſitaniæ Regnis quondam Viſitatorem Generalem, ac Fundatorem Conventuum Hibernorum ejuſdem Ordinis in Portugallia.* Ulyſſipone: Ex Officina Craeſbeeckiana Anno 1655.

Iſta porrò Familia *Geraldinorum* fundavit *Traleienſe* noſtri *Danielis* Cænobium, inque natali ipſius Comitatu *Kyerrienſi*, ſeù *Kerrienſi*, dominabatur, ut ex alibi dictis luculentiſſimè conſtat (*h*). Atque eâ fortaſſis de Cauſa primam iſtius Libri Partem conſcripſit. Quia autem ſecunda Pars agit de Viginti Novem Ordinis noſtri Martyribus, qui paulò antè in *Hibernia* paſſi ſunt, idcircò Librum iſtum, nunquàm à me viſum, avidè quæſivi, eumque mihi tandem promiſit P. Magiſter *Dominicus Kennedy*, Conventûs *Dublinienſis* Filius, in Collegio noſtro *Ulyſſiponenſi*, ubi Regens fuerat, & Rector, verſans, ſed jam jam mittendus ad me Liber Terræ Motu magno Diei 1 Novembris 1755, ſubſecutoque Incendio (*i*) perijt. Aliud autem ejuſdem Operis Exemplar impreſſum, à prælibata Calamitate præſervatum tandem aliquandò, nudiuſtertiùs ſcilicèt, recepi à R. D. *Gulielmo de Burgo*, S. Theologiæ & Utriuſque Juris Doctore, ibidem per Novemdecim Annorum Seriem reſidente, nuper autem in Hiberniam reverſo, quem Gratitudinis Cauſâ nomino.

XXII. F. Domi-

(*f*) Confer Cap. xii. §. i. Num. iii. Pag. 371. Porrò *Liber Mortuorum Eccleſiæ Parochialis S. Mariæ Super Minervam* hæc habet Verba: *Anno* 1676 *Die* 23 *Auguſti obijt Adm. R. P. Magiſter Fr. Joannes-Baptiſta Hacqueto, Hibernus, Confeſſarius Eminentiſſimi Domini Cardinalis Alterij, ſepultuſque eſt in Tumulo communi Fratrum antè Altare S. P. N. Dominici.*

(*g*) Cap. xii. §. ii. à Num. iii, & Cap. xiii. Num lxix. Pag. 418, & 492.

(*h*) Cap. ix. §. x. Num. ii. Pag. 237.

(*i*) Videſis Cap. xii. §. ii. Num. xi. Pag. 424.

XXII. F. DOMINICUS LINCÆUS, vernaculè *Lynch*, Hiſpanis *Linze*, Cænobij *Galvienſis*, ubi Solemnia nuncupavit Vota, Alumnus, in Provinciam *Bethicæ* Studiorum Causâ miſſus, in Regio *S. Pauli* Conventu *Hiſpalenſi* Philoſophiam audivit, tùm & Theologiam, adeoque Ingenio acri, quod ingenui, religioſique Mores ornabant, numeroſiſſimæ iſti ſe probavit Familiæ, ut àb eo ſpontè adoptatus fuerit in Filium, ad omnia deinceps Studij Munia gradatìm promotus, atque Sacræ Theologiæ Magiſter laureatus. Ejus eximiam in tractanda Scholaſtica Theologia Methodum, ac in enodandis Quæſtionibus abſtruſioribus Facilitatem, cùm diligentiùs exploraſſent Gymnaſij *S. Thomæ* ejuſdem *Hiſpalenſis* Civitatis Rectores, ſuam ei Cathedram Theologicam perpetuò regendam contulerunt Anno 1674, quam exindè moderatus eſt, ſummâ omnium Approbatione, ingentique Diſcipulorum Fructu ad Annum uſque 1697, quo e vivis ſublatus eſt. Intereà, quod non parvum ejus in Provincia *Bethicæ* Æſtimationis, & Famæ Argumentum, ab eadem electus eſt, qui ſuo Nomine in Comitijs Generalibus *Romæ* 1686, Reverendiſſimi *Antonini Cloche* electivis, adeſſet Definitor, ſuoque Sodali, Theſes publicas ibidem propugnaturo, Aliptes, & Moderator præſideret; quod utrumque Munus cum celeberrimi Virorum Sapientiſſimorum Conſeſsûs Voluptate, & Applauſu præſtitit, ut *O-Heynus*, & *Echardus* referunt (*k*), ipſeque *Romæ* audivi Adoleſcens ab haud paucis doctiſſimis Viris, qui tunc Temporis in Urbe aderant. Illius cum Laude meminit *Nicolaus Antonius* (*l*) inter Scriptores *Hiſpaniæ*. Plura autem Prælo danda paraverat, quorum hæc duntaxàt ſunt mihi nota:

Summa Philoſophiæ Speculativæ juxtà Mentem, & Doctrinam Divi Thomæ, & Ariſtotelis.

Tom. I. Complectens primam Partem Philoſophiæ Rationalis, quæ communiter nuncupatur Dilectica. Pariſijs 1666. In 4°.

Tom. II. Complectens Secundam Partem, quæ communiter nuncupatur Logica. Pariſijs 1667. In 4°.

Tom. III. Comprehendens Tertiam Partem, in qua agitur de Prædicabilibus, Prædicamentis, & de Poſterioribns. Pariſijs 1670. In 4°.

Tom. IV. Complectens Primam Partem Phyſicæ Naturalis. Pariſijs 1686. In 4°.

CÆTERUM nullus dubito, quin reliquam quoque Phyſicam Naturalem ediderit. Immò à multis me audiviſſe *Hiſpanis* memini, præclarum hunc Virum lucubraſſe integrum Curſum Theologicum, ſed, dùm Mari deportaretur ex *Hiſpania* in *Galliam* Typis tradendus, Naufragio periſſe.

XXIII. F. PETRUS FRENCH, Hiſpanis *Frenze*, Alumnus Conventûs *Galvienſis*, ubi Ordini Nomen dedit, peractis in *Bethicæ* Provincia Studijs, in *Americam Hiſpanam* navigavit, ubi apud *Indos Mexicanos* per Triginta Annorum Seriem Miſſionarium egit, ingentemque Animarum Meſſem Chriſto reportavit. Ut autem Regionis illius Indigenarum Linguam apprimè comparaverat, ſcripſit eàdem

Catechiſmum, ſeù Expoſitionem Fidei Chriſtianæ.

EXINDE Prædicatoris Generalis Titulo inſignitus, Patriam reviſit, ubi Chriſti Fideles Verbo, & Exemplo in Religione Catholica confirmare pergens, ibidem tandem commune Debitum ſolvit Anno 1693 (*m*).

XXIV. F. DOMINICUS DE BURGO, vulgò *Burke*, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, necnon Epiſcopus *Elphinenſis*, Anno 1704 defunctus, de quo plura alibi (*n*), dum, ex *Hibernia* extorris, *Lovanij* verſaretur, Typis vulgavit Anno 1697 *Acta quædam Heterodoxi Parlamenti Hiberniæ præſertìm de Expulſione Cleri cum Præfatione ad Orthodoxos.*

(*k*) *O-Heynus*, Pag. 29; *Echardus*, Tom. ii. Pag 744.

(*l*) In *Bibliotheca Hiſpanica*, Tom. ii. Pag. 358 Videſis etiam *Harriſium*, de *Scriptor. Hiberniæ*, Pag. 258.

(*m*) *O-Heynus*, Pag. 24; *Echardus*, Tom. ii. Pag. 735; *Harriſius*, de *Scriptoribus Hiberniæ*, Pag. 295.

(*n*) Cap. xiii. Num. lxxi. Pag. 496.

OPUSCULUM porrò hoc diſtribui fecit per Univerſam quà latè patet *Europam* ad Effectum informandi Principes Catholicos, eorumque Plenipotentiarios, *Ryſwickam* propè *Delphos*, vulgò *Delft*, in *Belgio Batavorum*, ad ineundam Pacem eodem Anno miſſos. Scripſit item, ediditque

Libellum Supplicem ad Innocentium XII Pontificem Maximum.

QUO permotus Sanctiſſimus Papa duo Diplomata Spiritu Sancto plena expediri fecit, 10 Junij 1698, & 6 Junij 1699 emanata; Proceſſiones publicas indixit; Collectiones Eleemoſynarum in Regionibus Catholicorum fieri voluit pro Exulibus; Suaque ipſa Sanctitas, Univerſis Chriſti Fidelibus ſuo præire volens Exemplo, ingentem Pecuniarum Summam ad S. *Germanum* propè *Pariſios*, ubi maximus erat extorrium *Hibernorum* Numerus (*o*), miſit, inter eos diſtribuendam, ut ſuprà ajebam (*p*), alia plura Eximij hujus Præſulis præclara Geſta, piamque Mortem uberi Calamo recenſens.

XXV. F. AMBROSIUS O-CONNOR, S. Theologiæ Magiſter, Alumnus Cænobij *Sligoenſis*, Provincialis *Hiberniæ* per Novennium, & Epiſcopus *Ardachadenſis* deſignatus, atque circà Annum 1710 Viam Univerſæ Carnis ingreſſus, ut ſemel iterumque ſuis reſpectivè Locis (*q*) dicebam, inter Scriptores Ordinis Jure optimo annumeratur ab *Echardo*, hæc de ipſo referente (*r*):

“ F. *Ambroſius O-Connor*, Hibernus, *Sligoæ*, vernaculè *Sligeagh*, ex illuſtri Dominorum *O-Connor*,
“ Comitatûs *Sligoenſis* Dynaſtarum, Stirpe ortus, ibidem Ordinem amplexatus eſt, &, poſt exacta in *Hiſ-*
“ *pania* Studia, Procurator Generalis Provinciæ *Hiberniæ* noſtræ in Aula Regia *Matritenſi* poſitus, hoc
“ Munus Morum Gravitate, Agendorumque Peritiâ ſtrenuè tutatus eſt per Annos triginta. Hinc à Ma-
“ giſtro Ordinis Prior Provincialis ſemel & iterùm inſtitutus, in *Hiberniam* ſe contulit, Sodales viſita-
“ turus, quos nonaginta circiter per Regnum hinc indè diſperſos invenit, cum ingenti Fructu occultè
“ evangelizantes, & quinque à quatuor Annis in diverſis Partibus Carceribus pro Fide incluſos, omnique
“ Ope deſtitutos: Quos omnes ad quæcunque aſpera pro Religione ſuſtinenda inflammavit Verbo, & Ex-
“ emplo, cum Miſſionarijs utriuſque Cleri ipſe Catholicis in Fide Romana fovendis fortiter, & impigrè
“ laborans, dum ab Hæreticis interim ſolicitiùs quæreretur, & ejus Veſtigijs ſæpiſſimè inſtaretur. Indè
“ redux Anno 1704 *Clementi* XI Libellum Supplicem obtulit, quem & edidit hoc Titulo:
“ *De præſenti Hiberniæ ſub Acatholico Jugo Statu Anno* 1704, *in quo tria præſertìm exponuntur:*
“ *Primò, Fidem, & Pacta Limericenſia* (*s*) *violari: Secundò, Orthodoxam extirpari Religionem:*
“ *Tertiò*, S. *Sedis Venerationem in Nihilum redigi.* Paginis 14 in 12°.
“ Hæc tum ex ipſo Libello, tùm ex Epilogo Chronologico Provinciæ *Hiberniæ* Fr. Joannis O-Heyn”, de quo brevi Sermonem inſtituam (*t*).

COLONELLUS *Hooke* in *Negotiationibus Scoticis* Anni 1707, impreſſis *Dublinij* 1760, à Pag. 105 ad 111, prodit *Ambroſij* noſtri Memoriale ad *Angliæ* Reginam, nempè *Mariam-Eleonoram-Beatricem*, de qua Cap. vii. Num. iii. Pag. 137.

XXVI. F. CHRISTOPHORUS FRENCH, S. Theologiæ Magiſter à Comitijs Generalibus *Bononiæ* 1706 creatus (*u*), Cænobij *Galvienſis* Alumnus, poſt exacta in Collegio noſtro *Lovanienſi* Studia, fuit ibidem Lector Artium, ac Magiſter Studentium, *Romæque* apud SS. *Sixtum & Clementem* Sacras Literas profeſſus eſt, tùm poſteà *Auximij* in *Picæno* Provinciæ *Utriuſque Lombardiæ*, ubi & Theologus fuit Eminentiſſimi D. *Opitij* Cardinalis *Pallavicini* Octo Annis, intereà Prioris ſui Conventûs, Examinatoris Synodalis, & Vicarij Sacræ Inquiſitionis Muneribus fungens. Defuncto autem memorato Cardinali *Pallavicino*, redux *Lovanium*, Quadriennio conſueto prælibati Studij Generalis ad *S. Crucem* Regens Primarius fuit. *Echardus* addit (*w*), eum Anno 1713 in vivis fuiſſe, verùm paulò poſt obijt in Cænobio *Ervinenſi*, vulgò *Ervein*, apud *Wallones* in *Belgio Gallico*. Typis ab eo prodierunt

Theſes

(*o*) Recolendum Cap. vii. Num. xiii. Pag. 145.

(*p*) Cap. xiii. Num. lxxi. Pag. 498.

(*q*) Cap. xiii. Num. lxxiv, & Cap. xiv. Num. xxiv. Pag. 500, & 529.

(*r*) Tom. ii. Pag. 763.

(*s*) Ea legere eſt Cap. vii. Num. xvii. Pag. 148.

(*t*) Num. xxvii.

(*u*) Conſulendum Cap. viii. Num. iii. Sect. 9. Pag. 157.

(*w*) Tom. ii. Pag. 784. Ipſum recenſet *O-Heyn*, Pag. 27.

Theſes (x) Theologicæ de Scientia, Voluntate, Providentia, Prædeſtinatione, & Gratia Dei, cum juſta Refutatione Appendicis Joannis Baptiſtæ Vander Voeſtyn S. J. (y), & Depulſione Querelæ publicæ excitatæ per Livinum de Meyer S. J. Lovanij 1703. In 4°.

Vidi inſuper *Romæ* Opuſculum Eruditione plenum, quod Juris publici fecit in 12°, quo Cardinalem *Henricum Norriſium,* Natione *Italum,* præclarum Familiæ, & Scholæ *Auguſtinianæ* Decus, & Ornamentum, contrà quoſdam Æmulos Obtrectatores tutatur, & vindicat. Ipſius tamen Nomine Liber inſcriptus non eſt, ſed prodijt per Modum Epiſtolæ *ad Equitem Auratum commorantem Pariſijs.*

XXVII. F. JOANNES O-HEYN, S. Theologiæ Magiſter à Comitijs Generalibus *Boniniæ* 1706 creatus (z), Alumnus Conventûs *Athenrienſis,* ſtuduit *Burgis,* & *Salmanticæ,* Philoſophiamque in *Gallia* profeſſus eſt, tùm in Collegio noſtro *Lovanienſi* Magiſter Studentium, Regenſque Secundarius, & ſuo Ordine Primarius, pluribus Annis egit. Zelo Fidei ductus Patriam Inſulam repetens, Scholam magnam de Mandato P. Magiſtri Provincialis Fr. *Gulielmi de Burgo* Junioris (*a*) ibidem aperuit, exercuitque, donec exortâ in Catholicos Perſecutione Anno 1680 latere coactus fuerit, Illuſtriſſimumque D. *Elphinenſem* Præſulem Fr. *Dominicum de Burgo* (*b*) ſociare. Verùm ab Heterodoxis nominatìm perquiſitus, Regnum exire compulſus, *Lovanium* repetijt, Ludoque iterùm ſe includens Scholaſtico, Regentis Munus, anteà inchoatum, complevit. Sedatâ paulìſper Tempeſtate, ſuos reviſit *Athenrienſes,* Octennioque in *Conacia* manſit, Verbo Dei Populàres ſuos ſedulò paſcens, Prioris etiam *Urlariæ* Munere fungens. Reviviſcente tandem Perſecutione, cum omnibus omnium Ordinum Regularibus, ſicut & Epiſcopis, Vicarijs Generalibus, ac reliquis Dignitarijs, Anno 1698 (*c*) Exul factus, *Lovanium* redijt, ibique tandem Diem obijt ſupremum Anno 1717. Scripſit Opuſculum, cui Nomen indidit :

Epilogus Chronologicus, exponens ſuccinctè Conventus, & Fundationes Sacri Ordinis Prædicatorum in Regno Hiberniæ, & Nomina pariter quorundam Illuſtrium Filiorum ejuſdem Provinciæ, tàm mortuorum, quàm in Exilio, aut Domi viventium. Lovanij 1706. In 4°.

De quo Libro ſic loquitur *Echardus* (*d*) : “ Hæc Opella etſi quantùm ad Sæculum XVII vi-
“ deatur ſatis accurata, quoad Antiquitates majorem deſiderat Diligentiam, quam, ſi fortè Per-
“ ſecutio deferbuerit, vel ille, vel alius, non Vulgi Sermonibus, ſed certis Documentis, ex an-
“ tiquis Archivis, quæ non deſunt, depromptis innixus adhibebit. Et quidem alia No-
“ tatu digna, ut Sepulchra Principum, & Nobilium in noſtris Eccleſijs extantia promittebat, an
“ autem Promiſſis ſteterit, me latet.”

Ipse autem ſcio, quod Promiſſis non ſtetit, neque ſtare potuit, exindè enim ad Mortem uſque *Lovanij* commoratus eſt. Cæterùm qui ſingulos luſtravi *Hiberniæ* Comitatus, Numero Triginta Duos, lubentiſſimus id præſtarem, ſi Inſcriptiones Sepulchrales ad mea uſque Tempora manſiſſent. Sed heu ! Injuriâ Temporum penitùs obliteratæ ſunt, neque ipſamet Eccleſiarum Mænia, vel etiam Rudera ſuperſunt, niſi paucis in Locis, quæ in Decurſu hujus Operis indigitabam. Quod attinet verò ad majorem, quam quoad Antiquitates *Echardus* optat Diligentiam, eam pro Virili adhibui, non Vulgi Sermonibus, ut Verbis ejus utar, ſed certis innixus Documentis, quæ ex antiquis Manuſcriptis, Literis originalibus nunquàm impreſſis, probatis Auctoribus, Inſtrumentis authenticis, & Archivis, alijſque invictæ Fidei Monumentis, à me ſedulò perſcrutatis, accuratè depromebam, omni fermè humano adjutorio, ſeù intrà, ſeù extrà Regnum, tametſi ju-

---

(*x*) Opus iſtud in Medium adduco, non præcisè propter *Theſes,* aliàs quippè infinitus eſſem in refe-endis Theſibus Profeſſorum tàm Artium qnàm Theologiæ in Collegis noſtris Extranationalibus, ſed propter *Refutationem,* & *Depulſionem,* illis annexas.

(*y*) Id eſt, *Societatis Jeſu.*

(z) Adeas Cap. viii. Num iii. Sect. 9. Pag. 157.

(*a*) De quo Cap. præced. Num. xix. Pag. 527. Hæc porrò de ſe narrat *O-Heynus,* Pag. 34.

(*b*) De eo dicebam Cap. xiii. Num. lxxi. Pag. 496.

(*c*) Adeas Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*d*) Tom. ii. Pag. 721.

giter ardenterque quæſito, deſtitutus. Meritò tamen (cum paucis alijs) excipiendus eſt P. Magiſter *Carolus O Kelly*, Theologus *Caſanatenſis* (*e*), qui plura Notatu digna ab Urbe ad me quâ eſt Humanitate tranſmiſit.

XXVIII. F. PETRUS MAC-CUILLIN, ſeù, ut paſsìm pronunciatur, *Mac-Quilin*, Conventûs *Colranenſis* Alumnus, poſt Studia in *Pariſienſi* Cænobio *S. Honorati*, Provinciæ *S. Ludovici* Regis *Galliarum*, fructuosè exacta, in eadem Provincia, tametſi ibi haud affiliatus, Philoſophiam, Theologiamque cum Laude docuit. Fuit poſtmodùm Cænobij noſtri *Lovanienſis* ad *S. Crucem* Prior, electus ſcilicèt circà Annum 1709, Annoque ſequenti Librum edidit in 12°, quem *Romæ* vidi in Muſeo P. Magiſtri *Edmundi de Burgo*, Theologi *Caſanatenſis*. Ejus porrò Titulus hiſce aut ſimilibus concipitur Verbis: *Diſſertatio de Dolore Supernaturali in Sacramento Pænitentiæ requiſito juxtà Mentem Sacroſancti Concilij Tridentini, & Angelici Doctoris Divi Thomæ Aquinatis.*

Et quandoquidem Liber iſe totus ſit in probando Attritionem illam neceſſariò includere debere verum Dei Amorem, initialem ſaltem, naſcentem, & remiſſum, & quidem ex Mente *Tridentini*, & *S. Thomæ*, eapropter eundem datâ Operâ impugnavit laudatus Magiſter *de Burgo*, ut protinùs narrabitur *(f)*. Cæterùm ex hac Vita diſceſſit *Petrus* verè pius, bonuſque Religioſus, *Pariſijs* apud *S. Dominicum* in Suburbio *S. Germani*, Anno 1719.

XXIX. F. PATRITIUS PLUNKETT, Cænobij *Roſcomanienſis* Alumnus, abſoluto Studiorum Curriculo *Pariſijs* in celeberrimo Conventu *S. Jacobi*, docuit ibidem apud Abbatias quaſdam, Jure merito exindè Sacræ Facultatis *Pariſienſis* Doctor laureatus. Unus fuit ex Sex primis Theologis Collegij apud *S. Mariam Super Minervam* de Urbe, quod pius juxtà, & literatus Cardinalis *Hieronymus Caſanate*, Patriâ *Neapolitanus*, inſtituit, Sex, inquam obiter, conſtans Theologis Ordinis Prædicatorum, qui Gradibus in celebrioribus Orbis Academijs inſigniti, & ex diverſis Europæ Partibus, *Italiâ* nempè, *Germania*, *Gallia*, *Hiſpania*, *Inſulis Britannicis*, ac *Belgio* delecti, in aſſerendis Fidei Catholicæ contrà Heterodoxos Dogmatibus, & in vindicanda Chriſtianæ Moralis Puritate ab invecta Morum Corruptela indefeſſis Vigilijs, atque Lucubrationibus occuparentur (*g*). Definitoris Munere egregiè functus eſt *Patritius* noſter Nomine ſuæ Provinciæ *Hiberniæ* in tribus immediatè ſibi ſuccedentibus Comitijs Generalibus, nimirùm *Bononiæ* 1706, *Romæ* 1721, & iterùm *Bononiæ* 1725. Tandem è Vivis exceſſit in prælibato *Caſanatenſi* Collegio Die 24 Aprilis 1728.

Hunc porrò egregium Virum, reconditâ Eruditione, & religioſis urbaniſque Moribus conſpicuum, optimè novi, & quamquàm nullos, quos ſciam, Typis mandaverit Libros, ſuum ſaltem Nomen præſeferentes, inter Scriptores tamen *Hiberniæ Dominicanæ* abſque Piaculo prætermitti nequit, plures utpotè relinquens poſt ſe Lucubrationes, Prælo maturas, quas Doctor ſtudioſus juxtà, & modeſtus per Viginti Septem Annorum Seriem elaboravit. Doctor, inquam, non modò philoſophicè, & theologicè peritus, verùm etiam in Hiſtoria, & politiori Literatura verſatiſſimus, cultiorique latini Sermonis Elegantiâ, atque exquiſito Verborum Apparatu nulli hujus Ævi meherclè ſecundus, ut vel ex permultis ejus Cenſuris, ſeù Approbationibus, quas omnigenæ Literaturæ Libris, in Urbe ſuo Tempore impreſſis, nominatìm Operibus ſingulis Doctiſſimi noſtri *Ignatij-Hyacinthi Amat de Graveſon*, præfixas legere eſt, ſat ſuperque conſtat.

Consulto autem dixi, *ſuum ſaltem Nomen præſeferentes*, fertur namque, nonnulla Opera, *Auctore Anonymo* inſcripta, ab ipſo lucubrata fuiſſe.

XXX. F. EDMUNDUS DE BURGO, Alumnus Conventûs *Athenrienſis*, ubi ſolemnem emiſit Profeſſionem Die 8 Maij 1683, per Octennium ſtuduit in Provincia *Hiſpaniæ*, partìm *Pampilonæ*, partimque *Salmanticæ*, ubi Condiſcipulus erat Eminentiſſimi noſtri Fr. *Vincentij-Ludovici Gotti*, Cardinalis *S. Sixti*(*h*), ut ab utroque ſeorsìm conjunctimque accepi. Per Biennium

---

(*e*) De eo nonnihil Cap. xii. §. ii. Num. xii, &c, à Pag. 425.

(*f*) Num. xxx.

(*g*) Videſis *Graveſonum*, Theologum *Caſanatenſem*, Tom. viii. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Colloq. v.

(*h*) De eo nonnihil Cap. xii. §. i. Num. xxii. Pag. 388.

nium poſteà Rebus Theologicis in *Matritenſi* Cænobio *S. Mariæ de Atocha* navavit. Tandem inſtitutus Lector Artium in Collegio noſtro *Lovanienſi* ad S. *Crucem*, ibi ſeptemdecim Annis docuit, factus ſcilicèt gradatìm Magiſter Studentium, Sacræ Scripturæ Lector, Regens Secundarius, atque Primarius, quo Munere fungebatur Anno 1706, tuncque S. Theologiæ Præſentatus, atque Cænobij Prior, quandò à Comitijs Generalibus *Bononiæ* eo Anno celebratis, ad Magiſterij Lauream promotus fuit (*i*). Anno 1710 in *Hiberniam* perrexit, ibique per novemdecim Annorum Seriem Hæreticis convertendis, Catholicis in Fide confirmandis, atque Peccatoribus ad meliorem Frugem reducendis, toto Studio tàm Uerbo, quàm Exemplo, quàm etiam Calamo, cum ingenti Laude, & Fructu deſudavit, potens ſcilicèt, & geſtiens exhortari in Doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere. Anno demùm 1729 à Rmo tunc Magiſtro Ordinis P. *Thomâ Ripoll* in Urbem accercitus fuit, electus nempè Theologus Collegij *Caſanatenſis*, Loco P. Magiſtri *Patritij Plunkett*, mox laudati, ubi Doctrinâ, & Pietate conſpicuus, Fatis ceſſit, me adſtante, Die 23 Maij 1739, Ætatis ſuæ 74.

PORRO, ut *Echardus (k)* rectè advertit, " in Theologia Scholaſtica, Doctrinaque S. Thomæ
" Verſatiſſimum probant, quæ ſcripſit, ac edidit hoc Titulo :
" *Reſponſio ad Diſſertationem primam Liberij Gratiani (l), quâ Opus P. F. Antonini Regi-*
" *naldi de Mente Tridentini Concilij &c, et Gratia ſeipſa efficaci à Calviniſmo, Janſeniſmo, ali-*
" *jſque Calumnijs (à dicto Gratiano innovatis) vindicatur.* Lovanij Typis Ægidij Denique 1708.
" In 4°. Paginis 82."

IN *Hibernia* Miſſionarij Munus obiens, *utiliſſimum*, inquit *Echardus* laudatus, *Opus de Controverſijs* concinnavit, de Controverſijs ſcilicet Fidei contrà *Proteſtantes*, quod ipſemet apud eum vidi *Romæ*, nunquàm tamen Juris publici factum. Librum autem Typis vulgavit, cui anglicè Titulus :

The Roſarys of the Name of Jeſus, & B. Virgin Mary, with Anſwers to three curious Letters : The first of the Popes's Infallibility. The ſecond of Eaſter-Confeſſion. The third of Holy Communion, and bearing Maſs Sundays, & Holidays. Lovain 1725. Hoc eſt : *Roſaria Nominis Jeſu* (*m*), *& B. Virginis, cum Reſponſis ad tres curioſas Epiſtolas. Prima de Infallibilitate Romani Pontificis. Secunda de Confeſſione Paſchali. Tertia de Sacra Communione, & Auditione Miſſæ Diebus Dominicis, & Feſtivis.* Lovanij (*n*) 1725.

Contrà Librum hunc, utpotè in quo Infallibilitas Summi Pontificis, & Privilegia nonnulla, à S. Sede Apoſtolica Regularibus conceſſa, validiſſimis Rationibus propugnantur, quidam, ſub ficto *Philalethis* Nomine, Liberculum malè conſarcinatum edidit Anno 1728, damnatum tamen, & & prohibitum ſpeciali Decreto Sacræ Congregationis *Indicis*, Die 29 Auguſti 1730, *Clemente* XII Summo Pontifice, emanato, quod alibi exſcriptum habes (*o*), ubi plura iſtis de Rebus opportunè diſcuſſa legere eſt.

Romæ exiſtens, Librum doctè lucubravit, me ipſius Amanuenſi, cui Titulus :

Laqueus Contritus, ſeù Falſa Calumnia, verâ confutata Reſponſione, quâ Doctrina Auguſtino-Thomiſtica de Dei Gratia, & Creata Libertate, Summorum Pontificum Decretis, Janſenij, & Moliniſtarum propriâ Confeſſione, ac Romanorum Cenſorum Judicio, à Calviniſmi atroci horrendo impacto Crimine, & à Laqueo Venantium, Verboque aſpero liberatur. Lugduni 1736. In 8°.

DOCTE etiam compoſuit, me item Amanuenſi, Opuſculum inſcriptum : *De Sufficientia Attritionis Tridentinæ in Sacramento Pænitentiæ.* Et quidem contrà Librum nuper (*p*) recenſitum Petri noſtri *Mac-Cuillin.* Enimverò, ut ſcitè advertit Eminentiſſimus juxtà & Doctiſſimus *Gotti* (*q*), quamquàm in Difficultate noſtris Temporibus celebri *Janſenius*, alijque ex *Gallia*, & *Belgio* exiſtiment,

---

(*i*) Confer Cap. viii. Num. iii. Sect. 9. Pag. 157.

(*k*) Tom. ii. Pag. 784.

(*l*) Id eſt, *Livini de Meyer* (nuper memorati Num. xxvi.) ſub adſcititio *Liberij Gratiani* Nomine.

(*m*) Videſis Cap. viii. Num. xxv. Pag. 177.

(*n*) Reverà autem *Dublinij.*

(*o*) Cap. viii. Num. xiv. Pag. 165.

(*p*) Cap. præſ. Num. xxviii. Pag. 548.

(*q*) Tract. *de Sacram. Pænitentiæ*, Quæſt. iv. Dub. iv. §. i.

exiſtiment, Attritionem nunquàm ſufficere ad Sacramentum Pænitentiæ, & minùs ad Fructum illius, niſi includat verum Dei Amorem, initialem ſaltem, naſcentem, & remiſſum ; alij tamen, & ſanè *communiùs poſt Tridentinum*, (ut ait *Alexander* Papa VII in ſuo Decreto, 5 Maij 1657) tenent, non requiri ullum ex Parte Subjecti Amorem Dei, neque initialem, qui ſit Amor Charitatis ; ſed ſolam Attritionem, ſi verè deponat Voluntatem peccandi ex Motivo ſupernaturali, ſufficere ad validè, & cum fructu percipiendum Sacramentum Pænitentiæ.

Cæterum Liber iſte, etſi Prælo maturus, Præloque digniſſimus, Lucem non aſpexit, quatenùs ſcilicet Auctor alteri mox recenſito magis erat intentus, neque adfuere Nummi, utrique Operi imprimendo neceſſarij (*r*). Illud autem, ſicut & reliqua ipſius Manuſcripta, mihi tradidit propediem moriturus, eaque penès me, dùm in Urbe deinceps verſarer, ſervavi. Inter quæ plùs momentoſa reliqui depoſitata in Cameris Regentis Primarij apud S. *Clementem*, ab Urbe diſcedens Anno 1742.

XXXI. F. DOMINICUS BRULLAUGHAN, Conventûs *Colranenſis* Alumnus, F. *Patritij Brullaughan*, Epiſcopi *Derienſis*, ſuperiûs memorati (*s*) Patruus, F. verò *Michaelis Mac-Donogh*, Epiſcopi *Kilmorenſis*, paulò anteà recenſiti (*t*) Avunculus, emenſo laudabiliter *Lovanij* apud S. *Crucem* Studiorum Curriculo, in *Ultoniam* reverſus eſt, ubi per longam Annorum Seriem Evangelicum aſſiduò egit Operarium, nulli eâ in Regione Concionatori ſecundus, immenſam fermè Animarum Meſſem Chriſto reportans, eo ſubindè Titulo S. Theologiæ Magiſter Jure optimo laureatus, jugiter tamen, ut par erat, recordatus, honorificum iſtum Gradum in ulterioris Operæ Stimulum, & veluti nobile Calcar, ipſi collatum fuiſſe. Tandem Senio, & Laboribus fractus Diem obijt Supremum in *Derienſi* ſuo Comitatu Anno 1746.

Quandoquidem crebrò viſitaret Inſulam *Lacûs Rubri*, Pænitentijs, & Miraculis S. *Patritij* conſecratam, indèque *Purgatorium* S. *Patritij* paſsìm nuncupatam (ubi frequentiſſimos habebat Sermones ad Populum) deprehenderetque, Chriſti Fideles haud rectè informari de Loco illo Sacro, cujus pridem memini (*u*), deve Methodo Peregrinationem iſtam, omnium mehercle univerſi Orbis Auſteritate primam, ritè peragendi, eapropter Opuſculum Typis vulgavit, cui anglicê Titulus :

The Pilgrimage of Lough-Derg——Pſal. 31. Vers. 10. *I will give thee Underſtanding, and inſtruct thee in this Way, by which you are to go.* Belfaſt, 1726. Hoc eſt : *Peregrinatio Lacûs Rubri*——Pſal. 31. Verſ. 10. *Dabo tibi Intellectum, & inſtruam te in Viâ hâc, quâ gradieris.* Belfaſti (*w*) 1725. In 8°. Secundis verò Curis impreſſum fuit Dublinij, 1752. In 16°.

XXXII. F. LAURENTIUS RICHARDSON, Alumnus Conventûs *Dublinienſis*, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus *Kilmorenſis*, de quo datâ Operâ alibi (*x*), ſcripſit, publicique Juris fecit Opuſculum hoc Titulo anglicano :

An Eſſay on the Roſary of the Bleſſed Virgin Mary. Dublin 1736. Hoc eſt : *Specimen Roſarij B. Mariæ Virginis.* Dublinij, 1736. In 24°.

Edidit inſuper eodem Idiomate alium Librum, cui Titulus : *The Manner of hearing Maſs with Prayers before Confeſſion, & Communion ; and the Examination of Conſcience.* Dublin, 1746. Latinè : *Modus audiendi Miſſam, cum Precibus antè Confeſſionem, & Communionem, atque Examine Conſcientiæ.* Dublinij, 1746. In 12°.

In priori hujus Operis Parte ſingularum Miſſæ Cæremoniarum delucidè Rationem reddit ex Angelico Doctore.

Eidem Libro Supplementum acceſſit, ſic inſcriptum :

An Appendix to the Manner of Hearing Maſs &c. written in the Year 1746, *by L. R. D. D. Containing an Account of the Deſign, Conditions, Rules, Indulgences, and Privileges, belonging to the*

(*r*) Videſis Num. i. Cap. præſ. Pag. 532.

(*s*) Cap. xiii. Num. lxxxii. Pag. 511.

(*t*) Cap. xiii. Num. lxxvii. Pag. 504.

(*u*) Cap. i. Num. iii. Lit. b. Pag. 4.

(*w*) Oppidum eſt maritimum *Antrimenſis* Agri *Ultoniæ*, Portu, & Commercio inſigne.

(*x*) Cap. xiii. Num. lxxxi. Pag. 510.

the Confraternity, or Sodality of the Moſt Holy Name of JESUS, aliàs, of the Name of GOD, againſt the profane Vice of curſing, and ſwearing. To which are added the Pſalm and Hymn to be ſung at the Proceſſion. And an Extract of the Decree iſſued on the ſaid Sodality, September 30th of this preſent Year 1748. Dublin 1748.

Latinè: *Appendix ad Librum, cui Titulus:* Modus audiendi Miſſam &c, *ſcriptum Anno* 1746 *per Laurentium Richardſon Doctorem Theologiæ. Continens Relationem Scopi, Conditionum, Regularum, Indulgentiarum, & Privilegiorum, attinentium ad Confraternitatem, ſivè Sodalitatem Sanctiſſimi Nominis JESU, aliâs Nominis DEI, contrà prophanum Vitium maledicendi, & jurandi. Cui adduntur Pſalmus, & Hymnus in Proceſſione decantandi. Inſuper Extractum Decreti ſuper prælibata Sodalitate emanati Die* 30 *Septembris hujus Anni* 1748 *(y)*. Dublinij 1748. In 12°.

Edidit item anglicè: *A Letter to the R. C. Clergy of the Dioceſe of K . . . . . impowering them to erect the Confraternity, or Sodality of the Moſt Holy Name of JESUS againſt the hateful Vice of curſing, and ſwearing.* Printed in the Year 1749.

Hoc eſt: *Epiſtola ad Clerum Romano-Catholicum Diæceſis Kilmorenſis, tribuens illis Facultatem erigendi Confraternitatem, ſeù Sodalitatem Sanctiſſimi Nominis JESU, contrà deteſtabile Vitium maledicendi, & jurandi.* Impreſſa *(Dublinij)* Anno 1749. In 4°.

XXXIII. F. THOMAS-MILO DE BURGO, Conventûs *Athenrienſis Alumnus*, S. Theologiæ Præſentatus, tranſactis ſumma cum Laude Studijs in celeberrimo Cænobio *Salmantino*, à Rmo Magiſtro Ordinis P. *Thomâ Ripoll* ad *Ulyſſiponenſe* noſtrum Collegium SS. *Roſarij* miſſus, eò Loci ſingula Scholæ Munia completè egregieque obivit, gradatìm ſcilicèt Lector Artium, Magiſter Studentium, S. Theologiæ Lector Veſperarius (z), ut vocant, dein Primarius, tandemque Studiorum Regens, eſſetque propterea ad Magiſterij Lauream non minùs quàm ad Theologicæ Præſentaturæ Gradum, Jure merito promotus, ſi in ſua *Conaciæ* Natione Locus ei vacaſſet (a). Dùm autem nuper, in Feſtivitate ſcilicet Omnium Sanctorum Anni 1755, Sacrum perageret, non quidem in propria SS. *Roſarij* Eccleſia, ſed in Oratorio privato propè Septa Collegij, in Elevatione Sacroſanctæ Hoſtiæ commota eſt, & contremuit Terra. Hinc Chriſti Fideles Sacro aſſiſtentes illicò aufugerunt, ipsè verò tametſi monitus aufugere renuit ne Sacrificium relinqueret imperfectum; ſed heu! antequàm conſecrare potuiſſet Calicem, totum ruit Oratorium, ipſeque in Domino obdormivit; in eo nimirùm poſt Hominum Memoriam Maximo Terræ-Motu, quô, ac eidem ſtatìm ſubſecutâ Conflagratione, *Ulyſſiponenſis* Metropolis Regia, Opibus, & Commercio florentiſſima, repentè deleta eſt, deletamque omninò Univerſus Orbis Chriſtianus deflet (b).

Porro tribus anteà Annis, *Thomas-Milo* noſter *de Burgo*, Studiorum tunc Regens, in Gratiam cujuſdam Noſtratûm Familiæ, *Ulyſſipone* verſantis, cui magnoperè devinctus erat, doctè devotèque conſcripſit, ejuſdemque opportunis, & importunis Precibus exoratus, tandemque devictus, Juris publici fecit Librum, Eminentiſſimo, & Reverendiſſimo D. *Joſepho* Cardinali *Manoel*, è Comitibus de *Atalaya*, poſtmodùm Patriarchæ *Ulyſſiponenſi*, nuncupatum, hoc Titulo Anglicano:

A Catechiſm Moral and Controverſial proper for ſuch as are already advanced to ſome Knowledge of the Chriſtian Doctrin. To which is annexed, by Way of an Appendix, a practical Method of preparing for Sacramental Confeſſion. Liſbon 1752.

Id eſt: *Catechiſmus Moralis, & Controverſialis* (ſivê Polemicus), *ijs, qui Doctrinæ Chriſtianæ Rudimentis imbuti ſunt, accommodatus. Cui ſubnectitur, per Modum Appendicis, Methodus practica præparandi pro Confeſſione Sacramentali.* Ulyſſipone 1752. In 8°.

XXXIV. F.

(y) Decretum iſtud, ſeù Diploma, legere eſt Cap. viii. Num. xxv. Pag. 177.

(z) Legeſis Cap. xii. §. ii. Num. x. Pag. 424.

(a) Confer Cap. viii. Num. ix. Sect. 3. Pag. 161.

(b) Adeas Cap. xii. §. ii. Num. xi. Pag. 424.

XXXIV. **F. THOMAS DE BURGO**, nativi ſui Conventûs *Dublinienſis* Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, omnium *Hiberniæ Dominicanæ* minimus, hujuſque Opellæ Scriptor, Adoleſcens *Romam* profectus eſt Anno 1723, ut ſub Pro-Patrui ſui, P. Magiſtri *Thomæ de Burgo*, Athenrienſis, Apoſtolici apud *S. Mariam Majorem* Pænitentiarij, de quo alibi (*c*), Patrocinio ad Ordinem Fratrum Prædicatorum pro Votis admitteretur. Vix igitur decimum quintum Ætatis Annum ingreſſus, impetratâ priùs Diſpenſatione Sacræ Congregationis Cardinalium *Diſciplinæ Regularis*, Habitu Ordinis indutus fuit à P. Magiſtro *Jacobo Geraldino*, Molingarenſi, Conventûs SS. *Sixti, & Clementis* (*d*) Priore, & Regente Primario (*e*), Die 14 Junij 1724, in ejuſdemque Manibus ſolemnem emiſit Profeſſionem Die 2 Martij 1726, tunc ſcilicet Ætatis ſexdecim Annorum completè. Studia incepit prælibato Anno 1724 ſub Lectore Artium P. *Thoma-Vincentio O-Kelly*, Kilkenienſi (poſtmodùm ejuſdem Studij Regente, Conventûſque Priore, quo poſtremo fungens Munere ibidem obijt Anno 1739) etſi tunc Novitius, & quidem præmaturè, de ſpeciali tamen Licentia Reverendiſſimi P. *Auguſtini Pipia*, tunc Magiſtri Ordinis, poſteà Eminentiſſimi Cardinalis S. *Sixti*; Philoſophiamque iterùm incepit Anno Jubilæi 1725 ſub P. Lectore *Joanne Brett*, Sligoenſi, nuper Epiſcopo *Elphinenſi* (*f*), dein Studia Theologica Anno 1727, quæ ad Quinquennium proſecutus eſt. Intereà autem id habuit Felicitatis, & Honoris, ut *Benedicto* noſtro XIII, Pontifici Maximo, Exercitijs vacanti ſpiritualibus apud S. *Sixtum* Anno 1729, peculiarem in Modum famularetur, ut ſuo Loco fusè narratum eſt (*g*). Diaconus ordinatus, Lector Artium, ſeù Philoſophiæ, inſtitutus eſt à Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis *P. Thomâ Ripoll*, atque gradatìm fuit Regens Secundarius, & per Sexennium integrum Regens Primarius, intereà ad Præſentaturæ Gradum promotus, tandemque S. Theologiæ Magiſter à laudato Rmo Patre Generali perſonaliter laureatus Die 29 Julij 1742. Anno ſequenti in *Hiberniam* regreſſus, indè Vineam Domini in nativa ſua *Dublinienſi* Metropoli excolere conatur: Semel (1749) iterùmque (1757) Definitor Capituli Provincialis, plurieſque Vicarius Monialium *Dublinienſium*.

Dum in Urbe verſaretur Studiorum Regens, urgentiſſimo Amicorum quorundam Rogatu Latinitate donavit celebre *Promptuarium Morale* Hiſpanicum noſtri *Franciſci Larraga*, eâdemque Operâ illud, prout Opus eſſe videbatur, mutavit, auxit, & illuſtravit, hunc imprimendo Operi tribuens Titulum:

Promptuarium Morale, olim à celebri P. Franciſco Larraga, *Pampilonenſi, Ordinis Prædicatorum*, Hiſpanico *Idiomate lucubratum, & antehàc pluſquàm vigeſies diverſis in Locis recuſum, ac à toto* Hiſpaniarum *Clero, maximo cum Applauſu receptum. Nunc verò Stylo familiari, & Tyronibus accommodato*, Latinè *redditum, perſpicuo Ordine digeſtum, paſsìm mutatum, Additamentis de* Confeſſarijs Monialium, *de* Probabilioriſmo, *de* Actibus Humanis, *de* Legibus Vectigalium, *de* Peccatis Capitalibus, *&* in Spiritum Sanctum, *de* Solutione Decimarum, & Primitiarum, *de* Bello, *de* Cenſibus, *de* Propoſitionibus Corruptæ Moralis ab Alexandro VIII confixis, *&c*; *necnon pluribus Capitibus ac Paragraphis, varijſque Conſcientiæ Caſibus, & Materijs undequaque auctum, & refertum; graviſſimorum Auctorum Citationibus, quæ hactenùs plurimùm deſiderabantur, locupletatum, & illùſtratum. Atque juxtà Angelici Doctoris* probam, incorruptamque Doctrinam *(Verba ſunt* Clementis *Papæ* XII *feliciter regnantis in Diplomate incipiente*=Verbo Dei Scripto=*V Kal. Sept.* 1733) *Rigorem inter, & Laxitatem collocatum. Ità ut rectè jam cenſeri poſſit OPUS NOVUM Univerſam Theologiam Moralem complectens, omnibus ſuis Numeris abſolutum. IN REM Militiæ Eccleſiaſticæ adſcriptorum, eorum potiſſimùm, qui Examini ſeù pro excipiendis Confeſſionibus, ſeù pro ſuſcipiendis Ordinibus, ſiſtere ſe cupiunt. Ipſis etiam Pænitentibus cujuſvis Conditionis apprime utile, & perquàm neceſſarium.*

Opere hoc à duobus Theologis *Caſanatenſibus*, à Rmo P. Generali *Thoma Ripoll* deputatis, nimirùm A. R. P. Magiſtro Fr. *Dominico-Antonio Ciacconi*, Mantuano, & A. R. P. Magiſtro

Fr

(*c*) Cap. ſeq. Num. xcix. Lit. u.

(*d*) De geminato hoc Cænobio fusè dictum fuit Cap. xii. §. i, à Pag. 366.

(*e*) Videſis Cap. ix. §. vii. Num. vi. Pag. 219.

(*f*) De quo Cap. xiii. Num. lxxix. Pag. 506.

(*g*) Cap. xii. §. i. Num. xx, & ſeqq, à Pag. 387.

Fr. *Pio Van-Den-Dyck*, Antuerpienſi, perlecto, & approbato, idem Rmus Magiſter Ordinis Facultatem prælibato Fr. *Thomæ de Burgo* tribuit illud Typis mandandi, ſervatis aliàs ſervandis, per Literas Patentes Die 24 Martij 1738 datas. Dein perlectum quoque fuit, & approbatum à Rmo Patre Magiſtro Fr. *Policarpo de Burgos*, Granatenſi, Ordinis Carmelitarum Caſceatorum, Archigymnaſij *Romanæ Sapientiæ* Lectore, apud *S. Mariam Tranſpontinam* reſidente; & ab A. R. P. Fr. *Patritio Mac-Donogh*, Ballymotenſi (*b*), S. Theologiæ Lectore Primario, & Guardiano Collegij Fratrum Minorum *Hibernorum* apud *S. Iſidorum*, in hunc Effectum deputatis à Rmo P. Magiſtro S. Palatij, qui Facultatem quoque tribuit illud imprimendi, præmiſſâ Ordinarij Licentiâ, in hunc Modum:

> " IMPRIMATUR. Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtro.
> " *Philippus Spada, Epiſcopus Piſaurenſis, Viceſgerens.*"
> " IMPRIMATUR.
> " *Fr. Joannes-Benedictus Zuanelli, Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter.*"

Romæ adhuc conſtitutus, Anno ſcilicet 1740, à Clero Regni *Hiberniæ* per Organum Illuſtriſſimi D. Fr. *Michaelis Mac-Donogh*, Colranenſis, Epiſcopi *Kilmorenſis*, de quo ſuprà (*i*), Commiſſionem accepit impetrandi à S. Sede Apoſtolica Extenſionem Miſſarum, & Officiorum Decem Sanctorum ejuſdem Regni ſub Ritu Duplici Majori, ad Univerſum Clerum Sæcularem, & Regularem utriuſque Sexûs, tàm in Regno *Hiberniæ* memoratæ, quàm in Conventibus, & Collegijs Nationalibus Ultramarinis. Ad hunc Effectum Hiſtoriunculas ſingulorum Sanctorum uno in Scripto contexuit, Sacræ Rituum Congregationi exhibitas; tandemque aliquandò Indultum obtinuit, poſt Octo Menſium haud interruptam Sollicitationem perſonalem, quæ ſanè multò protractior foret, juxtà Praxim Urbis, niſi Eminentiſſimus noſter Cardinalis *Gottus* (quem Sanctiſſimus D. *Benedictus* XIV, ad ejuſdem F. *Thomæ de Burgo* Preces, nominaverat Ponentem, ut vocant) Rem ferventiùs urſiſſet. Decretum porrò emanatum fuit Die 8 Julij 1741, ſtatimque de Mandato laudati Cardinalis *Gotti* Ponentis idem Procurator *Thomas* authenticum illius Exemplar miſit ad Archipræſulem *Dublinienſem*, Illuſtriſſimum D. *Joannem Linegar*, pro Univerſo *Hiberniæ* Regno; aliaque Exemplaria item authentica ad ſingulos Conventus, & Collegia Extranationalia, tàm Sæcularia, quàm Regularia utriuſque Sexûs.

DEINDE Anno 1745 *Dublinij* agens, rogatus fuit à laudato Archiepiſcopo, alijſque *Hiberniæ* Præſulibus, ut Novo viam ſterneret impetrando Decreto pro Conceſſione reſpectivè & Extenſione Miſſarum, & Officiorum Quatuordecim aliorum *Hibernicæ* Gentis Sanctorum. Ad eum igitur Effectum novam confecit Scripturam, priori conſimilem, quam opportunè miſit ad P. Magiſtrum *Joannem-Baptiſtam Lincæum*, Galvienſem, tunc Studiorum Regentem Primarium apud SS. *Sixtum & Clementem*, nunc verò Pænitentiarium Apoſtolicum apud S. *Mariam Majorem*, qui eâ de Re Decretum obtinuit à prælibata S. Congregatione *Rituum* Die 1 Julij 1747, cujus Exemplaria authentica in varias *Europæ* Partes, ut præfertur, tranſmiſſa ſunt. Iſta porrò bina Decreta tibi pridem exſcripſi (*k*), eâdem Operà advertens, eorum Originalia extare in Archivo Cænobij *S. Sixti* de Urbe.

SECUNDO hoc Decreto *Dublinium* perveniente, Illmus Archipræſul laudatus eidem *Thomæ* in Mandatis dedit, ut ex Breviarijs, aut Supplementis approbatis, juxtà utriuſque Decreti Tenorem, viginti quatuor Sanctorum, ibidem nominatorum, Officia propria integra, aut ſaltem quoad Collectas, & Lectiones Hiſtoricas Secundi Nocturni colligeret, ad quod peragendum Opus erat ad remotas diſſitaſque ſcribere Chriſtiani Orbis Diæceſes, & Abbatias, Sanctorum iſtorum, qui ijſdem præfuerant, Memoriam Anniverſariam colentes. Poſt Triennium autem recepit, propitio Numine, Officia Propria plurium, Collectas verò, & Lectiones Secundi Nocturni reliquorum omnium,

---

(*b*) *Ballymota* Pagus eſt *Sligoenſis* Agri *Conaciæ*, ubi Conventus Minoritarum.

(*i*) Cap. xiii. Nnm. lxxvii. Pag. 504.

(*k*) Cap. i. Num. xv. Pag. 22, & 23.

omnium, S. *Celſo* Archipræſule *Armacano*, & S. *Colmano Duaco* Epiſcopo *Duacenſi*, duntaxàt exceptis, de quibus tamen ejuſdem Archiepiſcopi *Dublinienſis* Juſſu Lectiones Secundi Nocturni, Typis *Italicis* imprimendas, ex probatis Scriptoribus contexuit, tùm ut in Novo Supplemento edendo reperiantur continenti Ordine, ſi fortè in Tempore opportuno à S. Sede Apoſtolica approbentur : Tùm ut intereà Concionatoribus deſerviant, alijſque, qui brevem duorum iſtorum Cælitûm Hiſtoriam ſcire aveant. Cæterùm omnia illa Officia ſic ab eo collecta Juris publici fecit ſæpè laudatus Archipræſul, mandans, ut Supplementi Titulus memorati *Thomæ* Procuratoris Nomine inſcriberetur in hunc Modum :

Officia Propria Sanctorum Hiberniæ, ab omnibus Utriuſque Sexûs, qui ad Horas Canonicas tenentur, tàm in memorato Regno, quàm in Conventibus, & Collegijs extranationalibus, ſub Ritu Duplici Majori recitanda, in Vim Duplicis Decreti Sacræ Rituum Congregationis, ut duæ priores Paginæ indicabunt. Procurante A. R. P. THOMA DE BURGO, Dublinienſi, Ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Magiſtro, & Protonotario Apoſtolico. Dublinij 1751. In 8°.

Anno demùm 1753 Opus, hoc donandum Titulo=*Promptuarium Dogmatico-Canonico-Morale*=Prælo reapsè parabat, quandò à Comitijs Provincialibus, *Dublinij* Die 14 Julij prælibato Anno celebratis, electus eſt *Hiberniæ Dominicanæ* Hiſtoriographus, exindè propterea (quantùm aſſidua Miſſionum Apoſtolicarum Exercitatio ſinit) eo in Munere, eructandi ſcilicet Abſcondita Tenebrarum, occupatus.

Post Hiſtoriam hanc ad Umbilicum perductam, immò & Prælo maturam, Libro cui anglicè Titulus : *Hiſtorical Collections out of ſeveral eminent Proteſtant Hiſtorians concerning the Changes of Religion, and the ſtrange Confuſions following, in the Reigns of King* Henry VIII, *King* Edward VI, *Queen* Mary, *and Queen* Elizabeth. i. e. *Hiſtoricæ Collectiones ex pluribus Hiſtoricis Proteſtantibus de Variationibus Religionis, miriſque indè ſecutis Confuſionibus, Temporibus* Henrici *Regis* VIII, Eduardi *Regis* VI, *Reginæ* Mariæ, & *Reginæ* Elizabethæ. Appendicem adjecit, ſic anglicè inſcriptam : *An Appendix, ſetting forth the Abbies, Priories, and other Religious Houſes diſſolved in* Ireland ; *and an Hiſtorical Account of each.* DUBLIN 1758. i. e. *APPENDIX exhibens Abbatias, Prioratus, aliaſque Religioſas Domos in* Hibernia *diſſolutas*, *necnon ſingularum Hiſtoriunculas.* DUBLINIJ 1758.

Denique Anno 1759 creatus fuit Epiſcopus *Oſſorienſis*, ut ſuo Loco dictum eſt (*l*).

(*l*) Cap. xiii. Num. lxxxiii. Pag. 511.

CAPUT DECIMUM-SEXTUM.

De alijs *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnis, vel Martyrio, vel publicâ Virtutis Opinione, claris.

SUMMARIUM.

I. *Apologia pro prætermiſſis Virtute claris* Hiberniæ Dominicanæ *Alumnis, antè Sæculum* xvii *denatis.*

II. *Duo noſtri Sacerdotes, Septemque* Limericenſis, *&* Killocienſis *Cænobiorum Clerici, Monachique Quadraginta, in Odium Fidei Catholicæ ſubmerſi Anno* 1602.

III. *A. R. P. Fr.* Thaddæus O-Duanus, *Sligoenſis, ſemel iterumque Prior Provincialis* Hiberniæ, *alibi memoratus ex Capitulo Generali* 1656. *Obdormivit Anno* 1608.

Eodem Anno Fr. Donatus Oluinus, *Prior* Derienſis (*cum multis Preſbyteris Sæcularibus*) *& Germanus ipſius Frater,* Gulielmus Oluinus, *alter Ordinis Prædicatorum Religioſus, Martyrium paſſi.*

IV. *A. R. P. Fr.* Rolandus de Burgo, *Athenrienſis, Prior Provincialis* Hiberniæ *ab Anno* 1608 *ad* 1615, *quo ex hac Vita migravit. Ipſius Elogium alibi exſcriptum ex Capitulo Generali* 1656.

V. *R. P. Fr.* Arthurus Mac-Geoghegan, *Molingarenſis, Martyrij Palmam adeptus Anno* 1623.

VI. *Fr.* Edmundus de Burgo, *Converſus, Bureſulenſis, migravit ad Dominum circà Annum* 1633.

VII. *R. P. Fr.* Joannes O-Mannin, *Derienſis, ad meliora tranſijt Anno circiter* 1637.

VIII. *R. P. Fr.* David de Rupe, *vulgo* Roche, *Glanorenſis, vigebat circà Annum* 1640.

IX. *Illmus & Rmus D. Fr.* Rochus Mac-Geoghegan, *aliàs* à Cruce, *Molingarenſis, Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Darenſis, *alibi ex Capitulo Generali* 1656 *recenſitus, Spiritum Deo reddidit Anno* 1641.

X. *P. Fr.* Petrus Higgin, *Dublinenſis, ſuſpenſus Patibulo Anno* 1641.

XI. *R. P. Fr.* Petrus O-Higgin, *Prior* Naſenſis, *dàmnatus ad Laqueum, Victor obijt Anno* 1641. *Alter planè à* Petro Higgin *mox laudato.*

XII. *P. Fr.* Raymundus Keoghy, *Roſcomanienſis, extremo affectus Supplicio, immortalem in Morte Vitam invenit Anno* 1642.

XIII. *P. Fr.* Stephanus Pettit, *Molingarenſis, in Prælio adverſùs Heterodoxos Sclopeti percuſſus Globulo, Vitam cum Morte mutavit Anno* 1642.

XIV. *Fr.* Raymundus Keoghe, *Converſus, in Odium Fidei interfectus Anno* 1642. *Diſtinctus omninò à P. Fr.* Raymundo Keoghy, *memorato Num.* xii.

XV. *Fr.* Cormacus Eganus, *Converſus, Laqueo ſuſpenſus Anno* 1642.

XVI. *P. Fr.* Thomas Poetius *in medio Concionis Fervore extinctus circà Annum* 1642.

XVII. *P. Fr.* Raymundus O-Heir *Mortem in Domino pretioſam obijt circà Annum* 1642.

XVIII. *P. Fr.* Joannes Davidis, *Kilkennienſis, obdormivit Anno* 1643.

XIX. *R. P. Prædicator Generalis Fr.* Richardus Barry, *Corcagienſis,* Prior *Caſſelienſis, Gladio tranſverberatus Anno* 1647.

XX. *Soror* Eleonora de Burgo *feliciter migravit* Ulyſſipone *Anno* 1648. *Nota de ejus Genitore,* Joanne de Burgo, *Matyrium paſſo.*

XXI. *R. P. Præſentatus, & Prædicator Generalis, Fr.* Joannes Gillaboy, *Roſcomanienſis, migravit ad Dominum Anno* 1648.

XXII. *Fr.* Geraldus Geraldinus, *Clericus, &* David Foxius, *Converſus, Killocienſes, Vitam cum Sanguine ſimul, & Cerebro pro Domino profuderunt Anno* 1648.

XXIII. *P. Fr.* Petrus Coſtello, *& P. Fr.* Geraldus Dillon, *Urlarienſes, pro Domino Vitam conſummarunt circà Annum* 1648.

XXIV. *Fr.* Donaldus O-Naghten, *Converſus, Roſcommanienſis, Gladijſque Teliſque interemptus circà Annum* 1648.

XXV. *R. P. Fr.* Jacobus O-Reilly, *Clonmellenſis, felix Victima procubuit Anno* 1649.

XXVI. *R. P. Fr.* Dominicus Dillon, *Prior* Urlarienſis, *& R. P. Fr.* Richardus Oveton, *Supprior* Athyenſis, *Capitibus truncati Anno* 1649.

XXVII. *P. Fr.* Milerus (*ſeù* Milo) Magrath, *aliàs* Michael â Roſario, *Clonmellenſis, Vitam caducam in Reſti finivit Anno* 1650.

XXVIII. *P. Fr.* Æneas-Ambroſius O-Cahil, *Corcagienſis, membratim diſſectus Anno* 1650.

XXIX. *Illmus & Rmus D. Fr.* Terentius-Albertus O Brien, *Limericenſis, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis* Hiberniæ, *Epiſcopus* Imelacenſis, *Laqueo ſuſpenſus Anno* 1651, *alibi memoratus ex Capitulo Generali* 1656. *Plura hîc Loci de eo ex* Daniele O-Daly, *aliàs* Dominico de Roſario.

XXX. *R. P. Prædicator Generalis Fr.* Jacobus Wolſæus, *Limericenſis, Mortem pro Chriſto oppetijt Anno* 1651. *Item P. Fr.* Joannes Collins, *Limericenſis pariter.*

XXXI. *R. P. Præſentatus Fr.* Laurentius O-Ferrall, & *R. P. Prædicator Generalis Fr.* Bernardus O-Ferrall, *Longfordienſes, Mortem pro Chriſto ſubierunt Anno* 1651.

XXXII. *P. Fr.* Gulielmus O-Connor, *Clonmellenſis, Gladio occubuit Anno* 1651. *Item P. Fr.* Gulielmus Lincæus.

XXXIII. *P. Fr.* Thomas O-Higgin, *Clonmellenſis, Laqueo ſuſpenſus Anno* 1651.

XXXIV. *P. Fr.* Vincentius-Geraldus Dillon, *Athenrienſis, Squalore, Fame, Pedore in Vinculis abſumptus ob Fidem* Eboraci *Bravium accepit Anno* 1651.

XXXV. *P. Fr.* Stephanus Pettit, *Athenrienſis, Glande plumbeâ trajectus Anno* 1651.

XXXVI. *Fratres* Jacobus Moran, Dominicus, *ſeù* Donatus Niger, & Richardus Hovedon, *Athenrienſes, felices Victimæ pro Chriſto ceciderunt Anno* 1651.

XXXVII. *R. P. Fr.* Michael O-Clery, *Prior Waterfordienſis*, & P. *Fr.* Geraldus Bagot, *felici Agone poſuerunt Animas ſuas pro Amicis ſuis Anno* 1651 .*Idem præſtiterunt P. Fr.* Thaddæus O-Cahaſy, *Fr.* Gulielmus Geraldinus, & *Fr.* Joannes Geraldinus, *Limericenſes, Anno* 1652.

XXXVIII. *De ijſdem, & P. Fr.* Donaldo O-Brien, P. *Fr.* Geraldo Geraldino, *Fr.* Donato Nigro, & *R.* P. *Prædicatore Generali Fr.* Davide Rochæo, *diſſerit* Daniel *noſter* O-Daly, *aliàs* Dominicus de Roſario.

XXXIX. *Item R. P. Fr.* Thomas Philbinus, & *P. Fr.* Carolus Mac-Cuil, *Bureſulenſes, in eodem ſummæ Charitatis Officio Vitam mortalem amiſerunt pro immortali Anno* 1652.

XL. *P. Fr.* Gaſpar Boyton, *Caſſelienſis, piè defunctus circà Annum* 1652.

XLI. *P. Fr.* Joannes O-Cullin, *Athenrienſis, Martyrium paſſus Anno* 1652.

XLII. P. *Fr.* Edmundus O-Bern, *Roſcomanienſis, paſſus eſt Anno* 1652.

XLIII. P. *Fr.* Raymundus Keoghy, *Roſcomanienſis, paſſus eſt Anno* 1653.

XLIV. *Soror* Honoria de Burgo *paſſa eſt Anno* 1653.

XLV. *Soror* Honoria Magaen *paſſus eſt Anno* 1653.

XLVI. *A. R.* P. *Magiſter Fr.* Thaddæus Moriarti, *Traleienſis*, P*almam Victoriæ obtinuit Anno* 1653.

XLVII. R. P. *Fr.* Thomas Moriarti, *Traleienſis, piè migravit è Vita poſt Annum* 1653.

XLVIII. *Fr.* Bernardus O-Kelly, *Converſus, Roſcomanienſis, Animam ſuam pro Cauſa Religionis poſuit Anno* 1653.

XLIX. *P. Fr.* Hugo 'Mac-Goill, *Rathbrannenſis, Laqueo ſuſpenſus Anno* 1654.

L. *P. Fr.* Thomas Bermingham, *Naſenſis, obdormivit Anno* 1655.

LI. *A. R. P. Fr.* Daniel O-Creidegain, *Sligoenſis, Prior Provincialis* Hiberniæ, *obdormivit Anno* 1655, *alibi memoratus ex Comitijs* Generalibus 1656.

LII. *P. Fr.* Jacobus-Joannes Flaverly, *Colranenſis, in Flumen projectus, & Lapidibus obrutus circà Annum* 1656.

LIII. *P. Fr.* Jacobus O-Reilly, *Colranenſis, Verberibus Vitam finivit circà Annum* 1656. *Alter planè à* Jacobo O-Reilly, *Clonmellenſi, non ità pridem memorato Num.* xxv.

LIV. *R. P. Fr.* Joannes O-Laighin, *Prior* Derienſis, *Martyrio coronatus circà Annum* 1657.

LV. *R. P. Fr.* Gregorius French, *Galvienſis, piè defunctus* Viterbij *circà Annum* 1660.

LVI. *Fr.* Gulielmus O-Gormain, *Converſus, Killocienſis, Procurator Generalis* Matritenſis, *piè denatus ibidem circà Annum* 1664. *Virtute ſanandi Morbos, præſertim* Scrofulam, *clarus.*

LVII. *R. P. Fr.* Chriſtophorus O-Ferrall, *Prior* Dublinienſis, *placidè deceſſit poſt Annum* 1664.

LVIII. *P. Fr.* Arthurus Panti, *Dublinienſis, diſceſſit è Vita* Hiſpali *poſt Annum* 1664.

LIX. *R. P.* Raymundus Morus, *Dublinienſis,* V*itam finivit in Carcere Anno* 1665.

LX. *R.* P. *Fr.* Gulielmus de Burgo, *Athenrienſis, piè obijt* Venetijs, *in* Britannia Minori, *circà Annum* 1665.

LXI. R. P. *Lector Fr.* Joannes O-Fahy, *Athenrienſis, piè migravit è Vita* Viterbij *circà Annum* 1665.

LXII. R. P. Fr. Edmundus de Burgo, *Athenrienſis, placidè denatus in* Bethica *Anno* 1670.

LXIII. R. P. Fr. Euſtachius Maguer, *Corcagienſis, Fatis ceſſit circà Annum* 1671.

LXIV. Fr. Richardus Huſſay, *Converſus, Traleienſis, piè defunctus circà Annum* 1671.

LXV. R. P. *Præſentatus* Fr. Thomas Tully, *Athenrienſis, deceſſit Anno* 1672.

LXVI. R. P. *Lector* Fr. Cornelius Mac-Mahon, *Athenrienſis, diſceſſit è Vita Anno* 1674.

LXVII. R. P. Fr. Nicolaus O-Hallurain, *Galvienſis, pié obijt Anno* 1673.

LXVIII. Alter Fr. Nicolaus O-Hallurain, *item Galvienſis, obdormivit Anno* 1676.

LXIX. R. P. Fr. Dominicus O-Connor, *Sligoenſis, denatus cum Odore celebris Famæ circà Annum* 1675.

LXX. A. R. P. *Magiſter* Fr. Geràldus Davoc, *Athenrienſis, obdormivit Anno* 1675. *Obiter de Venerabili Viro* Bernardo Mac-Ghiolla-Chuinne, *Miniſtro Provinciali Minoritarum.*

LXXI. A. R. P. Fr. Antonius O-Molloy, *Longofordienſis,* Procurator *Generalis* Bilbilitanus, *ibidem pie denatus poſt Annum* 1675.

LXXII. P. Fr. Malachias O-Laughlin, Portumnenſis, *ſanctè finivit Dies ſuos Anno* 1678.

LXXIII. Fr. Gulielmus de Burgo, *Athenrienſis, e vivis abreptus* Burgis *cum magna Opinione Virtutis Anno* 1679.

LXXIV. R. P. Fr. Marcus Barnewall, *Dublinienſis, pie deceſſit in* Luſitania *poſt Annum* 1680.

LXXV. R. P. Fr. Patritius O-Dirah, *Colranenſis, obdormivit circa Annum* 1680.

LXXVI. R. P. Fr. Clemens O-Bern, *Colranenſis, pie diſceſſit e Vita circà Annum* 1680

LXXVII. R. P. P*rædicator Generalis* Fr. Eugenius O-Coigly, *Colranenſis, denatus poſt Annum* 1680.

LXXVIII. R. P. Fr. Thomas Mac-Mahon, *Colranenſis, Diem clauſit extremum Anno* 1681.

LXXIX. R. P. Fr. Jacobus O-Croly, *Colranenſis, Mortem lætus aſpexit circà Annum* 1681.

LXXX. Fr. Hyacinthus Dowdall, *Clericus,* P*ontanenſis, obijt in* Hiſpaniâ *cum Opinione magnæ Virtutis circà Annum* 1681.

LXXXI. A. R. P. *Magiſter* Fr. Henricus Burgatt, *Killocienſis, migravit é Vita poſt Annum* 1684.

LXXXII. A. R. P. *Magiſter* Fr. Cornelius O-Heyn, *Limerienſis, denatus* Londini *Anno* 1685.

LXXXIII. A. R. P. *Magiſter* Fr. Felix O-Connor, S*ligoenſis, tranſijt ad meliorem Vitam circà Annum* 1686.

LXXXIV. R. P. Fr. Dominicus Lincæus, G*alvienſis, placide deceſſit* A*nno* 1686.

LXXXV. R. P. Fr. Joannes Davoc, A*threnrienſis, pie obijt* A*nno* 1686.

LXXXVI. A. R. P. *Magiſter* Fr. Geraldus Dillon, *Molingarenſis, defunctus circâ* A*nnum* 1688.

LXXXVII. R. P. Fr. Jacobus Arthur, *Limericenſis, Diem clauſit extremum cum celebri Opinione Virtutis* A*nno* 1689.

LXXXVIII. R. P. Fr. Joannes O-Mearadh *(nunc ſcribitur* O-Meara*) pie obijt circà* A*nnum* 1690.

LXXXIX. P. Fr. Dominicus O-Rageid, *Kilkennienſis, placide denatus* A*nno* 1690.

XC. R. P. Fr. Thomas O-Branain *(nunc paſſim ſcribitur* Brenan) *Kilkennienſis,* A*nimam reddidit Creatori* A*nno* 1690.

XCI. R. P. Fr. Nicolaus de Rupe, *vulgò* Roche, *Prior Limericenſis, migravit ex hac Vita* A*nno* 1690.

XCII. R. P. Fr. Geraldus Gibbon, *Killocienſis, ab* A*catholicis occiſus* A*nno* 1691.

XCIII. A. R. P. *Magiſter* Fr. Richardus O-Maddin, P*ortumnenſis, obijt placide* A*nno* 1691.

XCIV. R. P. *Prædicator Generalis* Fr. Michael O-Fælain, *Anglis* Fullam, *Dublinienſis, Diem clauſit extremum cum magna Opinione Virtutis* A*nno* 1692.

XCV. R. P. Fr. Reginaldus (*Thomas)* Mac-Donnell, *Gaulenſis,* A*gonem ſuum devote finivit* A*nno* 1693.

XCVI. A. R. P. *Magiſter* Fr. Thaddæus Mac-Biracca, *Lothorienſis, devote requievit à Laboribus miſeræ hujus Vitæ circà* A*nnum* 1694.

XCVII. R. P. Fr. Chriſtophorus Bath, *Carlingfordienſis, obdormivit circà* A*nnum* 1696.

XCVIII. R. P. Fr. Petrus Roth, *Kilkennienſis, Prior* Dublinienſis, *emiſit Spiritum* A*nno* 1697.

XCIX. R. P. Fr. Thomas de Burgo, *Senior, Athenrienſis, migravit ex hac miſera Vita Anno* 1698. *Nota de* A. R. P. *Magiſtro* Fr. Thoma de Burgo, *Juniore,* A*threnrienſi, denato* A*nno* 1724.

C. R. P. Fr. Ambroſius Geraldinus, *Roſcomanienſis,* P*rocurator* Londinenſis, *ad meliora migravit ibidem circà* A*nnum* 1698.

CI. A. R. P. *Magiſter* Fr. Antonius Roth, *Kilkennienſis, pie defunctus poſt Annum* 1698.

CII. A. R. P. P*rædicator Generalis* Fr. Humbertus Delphinus, *Junior,* A*threnrienſis,* P*rocurator Generalis* Matritenſis, A*nimam tradidit in Manus Redemptoris* A*nno* 1700. *Nota de* A. R P. P*rædicatore Generali* Fr. Humberto Delphino, *Seniore, Athenrienſi, defuncto* A*nno* 1652.

CIII. R. P. P*rædicator Generalis* Fr. Dominicus Mac-Philippinus, *Bureſulenſis, pie denatus* A*nno* 1700.

CIV. R. P. Fr. Walterus Fleming, *Rathbrannenſis, Exilij, & Carceris Erumnas paſſus, obijt* A*nno* 1701.

CV. R. P. Fr. Joannes Morrogh, *Corcagienſis, obijt in Carcere Anno* 1702.

CVI. R. P. Fr. Edmundus Mac-Egan, *Portumnenſis, exul Diem clauſit extremum in* Gallia *Anno* 1702.

XVII

CVII. R. P. *Lector* Fr. Clemens O-Colgan, *Derienſis, obijt ibidem in Carcere* Anno 1704.

CVIII. R. P. Fr. Marcus Boyton, *Caſſelienſis, pie defunctus* Mediolani *Anno* 1704.

CIX. R. P. *Lector* Fr. Lazarus Lincæus, *Galvienſis, exul pie obijt* Nannetis *Anno* 1704.

CX. R. P. Fr Patritius O-Hegarty, *Colranenſis, tranſivit ex hac Vita apud* S. Maclovium *Anno* 1704.

CXI, A. R. P. Fr. Ambroſius O-Kennedy, *Lothorienſis, Doctor* P*ictavienſis, ibidem denatus Anno* 1704.

CXII. R. P. Fr. Jacobus O-Fælain, *Anglis* Fullam, *Dublinienſis, in Prælio occiſus Anno* 1705.

CXIII. R. P. *Prædicator Generalis* Fr. Patritius Mac-Donogh, *Sligoenſis, migravit ad meliorem Vitam* Bilbili *Anno* 1705.

CXIV. R. P. Fr. Dominicus O-Connor, *Roſcomanienſis, piè obijt Anno* 1705.

CXV. R. P. Fr. Daniel Mac-Donnell, *Urlarienſis, defunctus in Carcere* Galvienſi *circâ Annum* 1707.

CXVI. R. P. *Præſentatus* Fr. Felix Mac-Dowell, *Tulſkenſis, glorioſam obijt Mortem in* Carcere Dublinienſi *Anno* 1707.

CXVII. R. P. *Lector* Fr. Laurentius O-Ferrall, *Longofordienſis, pie obijt in* Hiſpania *Anno* 1708.

CXVIII. R. P. Fr. Jacobus Barrett, *Corcagienſis, defunctus cum magna Opinione Virtutis circà Annum* 1710.

CXIX. R. P. Fr. Dominicus Mac-Egan, *Traleienſis, obdormivit in Carcere* Dublinienſi, *poſt Tredecim in eo tranſactos Annos Anno* 1713.

CXX. A. R. P. *Magiſter* Fr. Antonius O-Carroll, *Lothorienſis, pie obijt* Ulyſſipone *circà Annum* 1719.

CXXI. A. R. P. *Magiſter* Fr. Chriſtophorus Dillon, *Dublinienſis, placide migravit e Vita* Anno 1728

CXXII. R. P. Fr. Andreas Kirwan, *Galvienſis, denatus cum præclara Virtutis Opinione* Nannetis Anno 1736.

CXXIII. A. R. P. *Magiſter* Fr. Antoninus Sall, *Waterſordienſis, ibidem Mortem lætus aſpexit* Anno 1739.

CXXIV. R. P. *Lector* Fr. Dominicus Lincæus, *Galvienſis, placide in Domino conquievit* Romæ *Anno* 1743.

CXXV. R. P. Fr. Franciſcus Leynagh, *Trimmenſis, in Sancta* Pace *requievit Centenarius* Anno 1745.

CXXVI. P*roteſtatio Auctoris circà Conſtitutionis* Urbani P*apæ VIII Obſervantiam in* Alumnorum Hiberniæ Dominicanæ *Eloglјs.*

I. QUAMQUAM *Hiberniæ Dominicanæ* nunquam meherclè deſuerint, vel ab ipſius Initio, Religioſi ſingulari Exemplo, ac Vitæ Sanctimoniâ illuſtres, heu! tamen perijt Memoria eorum, qui antè *Henricum* VIII in Domino glorioſè defuncti fuerant, Cænobiorum omnis Ordinis Devaſtatione, ex Lapſu prælibati Regis in Hæreſim natâ (*a*). Et quod ad eos attinet, qui ab illa Tempeſtate, præſertìm ſub *Elizabetha* Regina, & *Jacobo*, hujus Nominis *Primo*, pro Catholica Fide immania pertulerunt Tormenta, ipſorum *juſta Memoria in Actis Superiorum Capitulorum interlapſa ſubticetur*, ut diſertis Verbis advertit Capitulum Generale *Romanum* 1656 (*b*). Excipiendi tamen ſunt Pontificali Dignitate inſigniti, quorum Memoria non perijt ob *Archivum Apoſtolicum*, ex quo eos deſumpſit *Archivum Ordinis*, & ex hoc *Bullarium* noſtrum nuper editum.

INCIPIAM igitur ab ijs, qui placidâ Morte quieverunt poſt inchoatum Sæculum Eccleſiæ XVII, à qua Epocha plures floruerunt, in tribus proximè antecedentibus Capitibus recenſiti, dùm de *Hiberniæ Dominicanæ* Antiſtitibus, Prioribus Provincialibus, atque Scriptoribus Sermo eſſet, quos propterea hìc Loci miſſos faciam, nonnullis duntaxàt exceptis, qui pluſquàm conſpicua, ut ità dicam, erant Virtutum Exemplaria.

II. Im-

(*a*) Conſulendum Cap. præced. Num. i, Pag. 533.

(*b*) Pag. 155.

II. Imprimis autem Silentio prætereundi non ſunt Duo noſtri Sacerdotes, Septemque *Limericenſis*, & *Killocienſis* Cænobiorum Clerici, in Odium Fidei Catholicæ ſubmerſi, de quibus hæc habet *O Heynus* (c):

"Siſte Oculos, Lector, & perſpice Caſum horrendum. Anno. 1602 infernale Inſtrumentum *Elizabetha*, Pſeudo-Regina *Angliæ*, evulgavit Edictum, quo ſupprimebat omnes Monachos in *Hibernia*, eorumque Bona Fiſco adjudicavit. Expoſuerunt Monachi Benedictini, Bernardini. & reliqui, per Libellum Supplicem, dictæ *Elizabethæ*, ut dignaretur illis Conductum exhibere extrà Regnum. Annuit illa libenter, mandans ipſis, ut omnes congregarentur in quadam Inſula (*magni Fluminis Shanani*) vocatâ Hibernicè *Inniſcatha*, Anglicè *Scattery*, diſtante quatuordecim Leucis *Limerico*. Convenerunt eo ex omnibus Finibus Regni Monachi quadraginta duo, & ſub Nomine *Bernardinorum* venerunt eò pariter duo Patres graves ex noſtris, exeuntes, veluti Agentes, apud Principes Catholicos pro iſta deſolata *Hibernia*. Septem etiam Clerici noſtri ex utroque Conventu *Limericenſi*, & *Killocienſi* convenerunt. Tandem miſſa eſt ad eos omnes tranſvehendos uno magna Navis Bellica, quam conſcendentes ingreſſi ſunt altum Oceanum, & omnes projecti ſunt in Mare ex privato Mandato iſtius diabolicæ Fæminæ, quæ regreſſum Capitaneum, ac reliquos Nautas,& Milites, ad illam Navim ſpectantes, intruſit in Carcerem, caſſans omnes Officiales, ut ſic Mundus quaſi videret Innocentiam ejus in turpi iſto Facto. At clam monens, ne ſibi attribuiſſent aliquid in hac Re, recompenſavit hos, ſimulanter incarceratos, per Partem Bonorum Abbatialium derelictorum ab iſtis ſacrilegè ſubmerſis; & aliqui de Poſteritate hac nequiſſima vivunt hodiè in *Hibernia*. Vah! Facinus multò plus quàm horrendum."

III. A. R. P. Fr. **THADDEUS O-DUANUS**, Alumnus Cænobij *Sligoenſis*, Prior Provincialis *Hiberniæ* Anno 1563, & ab Anno 1604 ad 1608, quo feliciter in Domino obdormivit. Porrò longiuſculum de eo Elogium Capituli Generalis *Romani* 1656 exſcriptum habes alibi (d), ad quem Locum te remitto, ne Brevitati conſulens idem inutiliter repetam.

Eodem Anno 1608, R. P. Fr. **DONATUS OLUINUS**, Prior *Derienſis*, cum multis Preſbyteris Sæcularibus, in Medio Foro dictæ Civitatis *Derienſis* Fune ſuſpenſus eſt, & in Partes ſectus ab Hæreticis Anglicanis. Hujuſque Prioris Germanus Frater, *Gulielmus Oluinus*, alter Ordinis Prædicatorum Religioſus, aliquanto Tempore antè Paſſionem ipſius Prioris, pro Fidei Profeſſione Fune quoque ſuſpenſus eſt, ut ex *Petro Malphæo*, Priore *Bruxellenſi*, in *Palma Fidei Ordinis Prædicatorum*, diſertis Verbis refert *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (e).

IV. A. R. P. Fr. **ROLANDUS DE BURGO**, Conventûs *Athenrienſis* Alumnus, Prior Provincialis *Hiberniæ* ab Anno 1608 ad 1615, quo cum magna Integritatis ipſius Opinione ex hac Vita migravit, ut teſtantur Comitia Generalia *Romæ* 1656 ſpeciali Elogio, quod ſuprà Oculis tuis ſubjeci (f).

V. R. P. Fr. **ARTHURUS MAC-GEOGHEGAN**, Cænobij *Molingarenſis*, ut opinor, Alumnus, cujus pridem memini, de *Ulyſſiponenſis* noſtri Collegij Fundatione Sermonem faciens (g), Martyrij Palmam glorioſè adeptus eſt Anno 1633, ut ex locupletiſſimo conſtat Teſtimonio Capituli Generaliſſimi, *Romæ* 1644 celebrati, his Verbis (h):

"Venerabilis P. Fr. *Arthurus Geoghegan*, poſt peractum in *Hiſpanijs* Studiorum Curſum, & pertractata cum Dexteritate Ordinis Negotia ſibi demandata, ad ſuam Provinciam rediens, in Itinere ab Anglis comprehenſus, & Carceri *Londini* mancipatus, plures Calumnias in Odium Fidei ab Hæreticis perpeſſus, de Crimine læſæ Majeſtatis, ut ibi moris eſt, expoſitus, tandem ad Patibulum ductus, poſt publicam Fidei Catholicæ, & Religionis Dominicanæ Proteſtationem ſuſpenſus, & adhuc ſemivivus membratim diſciſſus, ejuſque Inteſtinis Igne concrematis, Mortem glorioſè ſubijt Anno Domini 1633."

Rem hanc fuſiùs expendit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (i), in hunc Modum;

Arthurus

(c) Pag. 18, & ſeq.

(d) Cap. xiv. Num. vii. Pag. 521.

(e) Pag. 363. De priori hæc habet *Porterus* Pag. 335: *Donatus Oluinus, Dominicanus, Prior, nonageſimum Annum agens, ſuſpenſus, & ſectus.*

(f) Cap, xiv. Num. viii Pag. 521.

(g) Cap. xii. §. ii. Num. iii. Pag. 419.

(h) Pag. 119.

(i) Pag. 364, & ſeqq.

Arthurus Mac-Geoghegain, *de quo longa, & celebris Relatio apud præfatum* Malphæum *(k), cum ex Civitate* Ulyſſiponenſi (*ubi per Tempus in Collegio noſtro Deiparæ* de Roſario *commoratus*) *Patriam petiturus in* Angliam *diverteret, ſtatim* Londini *accuſatus eſt, in* Hiſpania *dixiſſe licitum fore cuique* Angliæ *Regem interficere, condemnatus,* Patibulo *ſuſpenſus,* Corde, *atque Inteſtinis exſectis, Spiritum dedit. Sed Re bene perſpectâ, & ad Reginam* Angliæ, *quæ adhuc vivit* (*l*), *delatâ, etſi ſerò nimis, Diplomate regio, ad Valvas* Platearum *affixo, declaratus eſt falſo accuſatus, & innocenter condemnatus. Non enim hoc, quod objectum fuit, dixiſſe, ſed contrà Hæreticum, Libertatem Arbitrij humani negantem, diſputando affirmaſſe conſtitit, nihil immane, vel illicitum fore in humanis Actibus, ne quidem Regem interficere, ſi Libertas e Medio tollatur. Duo, vel tria maximâ Admiratione digna in ejus Morte accidiſſe refert prædictus* Pater Malphæus *in* Palma Fidei Ordinis Prædicatorum.

Primum *eſt, quod Fune abſciſſo, & Corpore e Cruce demiſſo, poſtquam Cor, & cum Inteſtinis Præcordia crudeliter exſecta fuiſſent, ſemimortuus adhuc ſpirabat, & dum Carnifex* Populo Cor *oſtenderet, ac clamaret:* En Proditoris Cor, *ipsùm verſus Tortorem flexiſſe Oculos, atque in eundem expuiſſe,* Circumſtantium *Teſtimonio comprobatum eſſe refert* Malphæus.

Secundum: *Lictore Viſcera in Ignem paratum dejiciente, Juvenis quidam propè adſtans, cernenſque Martyris Jecur extra Ignem, Baculo, quem Manu tenebat, illud in Ignem injecit,* Virum *quoque ipſum cum ſua Religione execratus, abivit. Sed ultricem Dei Manum non evaſit, ſiquidem, & contremuit ſtatim ſacrilega Manus, & tanto* Viſcerum *Dolore percuſſus eſt, ut in proximum Terræ Tumulum ſe præcipitem ferre cogeretur.*

Tertium: *Mulieres quædam ad Supplicij Locum tendentes, dùm adhuc longiùs abeſſent in Via, tâm ſuavem ſenſere Odorem, ut nec ſimilem unquam ſenſiſſe faterenter, & quò viciniores Loco fierent, eò redolentiùs Odor ſpirabat; etſi altera hæretica fuiſſet, Rei tamen Veritatem ingenue confeſſa eſt. Inſuper & Germanus quidam, Opere Pigmentarius, illâc tranſiens, eandem Odoris Fragrantiam ſenſit, nec unquâm talem in Officina ſua ſeſe odoratum fuiſſe teſtatus eſt. Denique* Falklandius *ipſe (m),* Hiberniæ *Prorex (qui & unus ex Iudicibus fuerat) ſe ejus Cauſû plexum, Tibiamque non conſueto ullo ſed miro quodam Modo fregiſſe adſeveravit.*"

VI. " Circà Annum 1633 (*n*), Fr. EDMUNDUS DE BURGO, Converſus, Illuſtriſſimi Dynaſtæ *Mayonenſis* (*o*) ex Fratre Nepos, Sæculi Vanitatem, ac Ludos, quos Iuvenis dilexerat, ex Animo deteſtatus, humilique Converſorum Habitu in *Bureſulenſi* Conventu (*p*) ſuſcepto, evaſit in Speculum Pænitentiæ, ac Perfectionis. Deflebat jugiter mundanæ Vitæ Noxas, cinctus Catenâ ferreâ, Humo aut ſubſtratis Paleis indormiens, & rudi Saxo pro Cervicali utens, pauciſſimas Horulas Somno Reliquum Noctis cum Die Orationi, & Lacrymis impendebat, inſtar Petri Cantum Galli Monitorem attendèns, & crebriùs Aquam ſolam cum Pane in Delicijs habens, ſummâ Hyeme nudis Pedibus Templa Noctu adibat, Urticis ſeſe flagellabat, interdùm etiam Corpus per Spineta volutans. Miro Dei Beneficio Caſtimoniam, licèt Nobilis, ac Blandimentis Sæculi innutritus. ſervavit uſque ad obitum illibatam. Mariani Roſarij præcipuus Cultor ad ſingula Horarum Intervalla procumbebat in Preces. Ab ipſis Hæreticis, qui ſuum Conventum in Speluncam Latronum converterant, ob Vitæ Exemplum in Admiratione habitus, tandem in Senectate bona migravit ad Dominum."

VII. " Anno circiter 1637 (*q*) ad meliora tranſijt Venerabilis P. Fr. *Joannes O-Mannin*, Conventùs *Derenſis* (*r*), regularis Obſervantiæ fidelis Cuſtos, qui impavidè ſui Ordinis Habitum inter frementes Hæreticos geſtabat palàm. Itàque raptus demùm ad Tribunal, cùm propoſita tùm Præmia tùm Tormenta magno Animo contempſiſſet, Fidemque Romano-Catholicam alacri Conſtantiâ profiteretur, paſſus eſt per ſingulas Hebdomadas bis aut ter ſuſpendi in Equuleo, ſi fortè his Cruciatibus victus à Fide deficeret: In qua Tortura pendulus, ſemel ex alto præceps datus, exindè rupto Dorſo ad Mortem uſ-

" que

(*k*) Scilicet *Petrum Malphæum*, Priorem *Bruxellenſem*, mox recenſitum.

(*l*) Regina iſta *Angliæ*, Conjux *Caroli* i, erat *Henrietta-Maria*, Filia *Heurici* IV, & Soror *Ludovici* XIII, Regum Chriſtianiſſimorum.

(*m*) Scilicet *Henricus Carey*, Dominus Vicecomes de *Falkland* in *Anglia*, qui erat *Hiberniæ* Prorex ab Anno 1625 ad 1629.

(*n*) Verba ſunt Capituli Generalis *Romæ* 1656. Pag. 156.

(*o*) Adeas Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 156.

(*p*) A Majoribus ſuis fundati juxtà ſuperiùs dicta Cap. ix. xxxvii. Pag. 317. Confer Pag. 193. Lit. m.

(*q*) Verba ſunt Capituli Generalis *Romæ* 1656. Pag. 156.

(*r*) Seù *Derienſis*, de quo Cap. ix. §. xxiii. Pag. 281.

que in Gibbum procurvus manſit, ſatis conteſtans non Martyrio Animum, ſed Animo Martyrium defuiſſe."

VIII. R. P. Fr. **DAVID DE RUPE**, vulgò *Roche*, in Conventu ſuo *Glanorenſi* (s) "viguit circâ Annum 1640 ſummo cum Applauſu, *inquit O-Heynus* (t), ob Probitatem Vitæ, Profunditatem Doctrinæ, Facundiam in prædicando, & converſandi gratioſum, & gravem Modum, undè in tota *Momonia* colebatur ut Vir conſummati Meriti."

IX. Illmus & Rmus D. Fr. **ROCHUS MAC-GEOGHEGAN**, alias à *Cruce*, Alumnus Cænobij *Molingarenſis*, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis *Hiberniæ* à Comitijs Generalibus *Mediolani* 1622 inſtitutus, dein Epiſcopus *Darenſis* ab *Urbano* VIII Pontifice Maximo creatus, tandem Senio, & Erumnis confectus, plurimas ſcilicèt ab Hæreticis paſſus Inſidias, & Perſecutiones, Spiritum Deo reddidit Anno 1641, ut refert Capitulum Generale *Romanum* 1656, cujus pulchrum de ea Elogium pridem exſcribebam (u).

X. "P. Fr. **PETRUS HIGGIN** *(Cænobij Dublinienſis Alumnus)* qui poſt initum à Catholicis Regni *Hiberniæ* pro Fide, & Patria Libertate Bellum (w), ab Hereticis captus, poſt tetrum Carcerem, & diuturnam Inediam, Nemine licèt accuſante, quin potiùs plurimis ex ipſis Hæreticis innocentem Verbo, & Scripto acclamantibus, factâ ter Sacramentali Confeſſione Priori ſuo, ſimulato Habitu ad eum accedenti, & Abſolutione toties perceptâ, publicè de Innocentia ſua, Fide Catholica, & Ordine Prædicatorum, quem profeſſus eſt, Teſtimonium reddens. Patibulo in Foro Civitatis *Dublinienſis* ſuſpenſus obijt Die 23 Martij 1641. Ejus in Tormentis conſtans Animus, & Animi in Vultu expreſſa Lætitia, ex ipſis Hæreticis complures ad Lacrymas, & Singultus movit; alios ad majorem Rabiem, qui in defunctum Cadaver Furorem ſuum reſumentes, necdum Ludibrio omnium expoſuerunt, Sepulturam ei intrà Civitatem denegarunt, extrà Portas cùm duceretur Sclopeti Ictu Caput ei fregerunt, varijſque id Genus Injurijs affecerunt (x)."

XI. "Eodem Anno (1641) R. P, Fr. **PETRUS O-HIGGIN** *(non idem qui ſuprâ)* Prior *Naſenſis*, eximiæ Conſtantiæ Palmam *Dublinij* adeptus eſt. Adductus Proregi ibidem, & quod Orthodoxam Fidem ſeminaret in Populo accuſatus, tentatur lautis Promiſſionibus, ſi ad Sectam *Anglicanam* tranſire vellet, quod ubi conſtantiſſimè recuſavit, damnatus ad Laqueum glorioſo Certamine Victor obijt" (y).

De eodem hæc habet *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (z): *R. P. Fr.* Petrus O-Higgin, *Prior Conventus* Naſenſis, *& Verbi Domini Prædicator eximius, ab Hæreticis captus, ante Proregem Hiberniæ* Dublinij *ſiſtitur tanquàm dogmatizans contrà Religionem Anglicanam, de Seductione Populi accuſatur, in Carcere aliquanto Tempore detentus, cùm in illum authenticè probari nihil poſſet, quo ſecundùm Leges Regni Capite plectendus fuiſſet, Libertatis Uſurâ, & Muneribus magnificis à Prorege donandus declaratur, ſi abdicatâ Religione Romanà Anglicanam Sectam amplecti velit. Mane Diei, quo ad Patibulum ducendus erat, â Prorege deſtinatur Nuncius ad Patrem in Carcere, benigna Conditio proponitur; verùm intrepidus, & prudens Pater reſpondens quaſi veneficus incantans ſapienter:* Hodie, *inquit,* ad Patibulum ducor, nec ulli Dubium eſſe poteſt, quin Natura, Mortis impatiens, Vitâ nihil charius exiſtimet, nec meæ Me Vitæ Tædium adeò urget, ut ad Mortem properare cupiam niſi Neceſſitas cogat. Sponſionis ſuæ Authographum ad me mittere dignetur Prorex, Optionem Vitæ aut Mortis penes me integram, & inviolatam relinquens, ut ſi Vitæ meæ cupidus Religionem abdicavero, ſaltem ipſa Mortis Præſentia me a Calumnia quodammodò excuſare videatur. *Prorex jam ratus Hominem Animo conſternatum, & penè victum, actutùm Executionem jubet, Schedulam Sponſionis ſub præmiſſa Conditione ſignat, Authographum mittit, aſcendenti magnanimo Patri primum Gradum Schedula porrigitur. Schedulam ſubridens accipit. Exultant Hæretici, ad Partes ſuas adſcitum Hominem ducturi in Triumpho fortè, & Catholici Scandalum verentur: Verùm Homo Dei ſui compos Aſcenſum non declinat, hilarior ſursùm nititur, in aperto jam, editoque Vertice conſtitutus, Chartulam à Prorege ſignatam Manu ventilans, Injuſtitias Hæreticorum obloquitur confidenter, Judicemque ſuum de iniqua Sententia ex propria Scriptura condemnat, Catholicos circumſtantes effatur in hunc Modum:*

(s) A Gente ſua fundati ut oſtenſum eſt Cap. ix. §. xlii. Pag. 334.

(t) Pag. 14.

(u) Cap. xiii. Num. lxiv. Pag. 487.

(w) Adeas Cap. xvii. Num. xliii.

(x) Acta Capituli Generaliſſimi *Romæ* 1644. Pag. 119.

(y) Acta Capituli Generalis *Romæ* 1656. Pag. 157.

(z) Pag. 335.

Chariſſimi Fratres, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cultores, ex quo Tempore in ſævas adſtantium Hæreticorum Manus incidi, Inedias longas, Contumelias plurimas, & Carceres obſcuros, & fætidos pertuli, incerta mihi Pænæ Cauſa dubiam quoque Martyrij Palmam feciſſe videbatur. Martyrem enim non facit Pæna, ſed Cauſa. Providens autem Deus omnipotens Innocentiæ meæ Protector, diſponens omnia ſuaviter ita Rem geſſit, ut quantùmvis Seductor accuſatus, aut legalibus Regni Criminibus impetitus, hodie ſola in me Religionis Catholicæ Nota damnatur ad Mortem, ecce authenticum Innocentiæ meæ Teſtem, Libellum Incolumitatis, & Sponſionis proregiæ Authographum, quo ampliſſimorum Munerum Cumulus cum Vitæ Uſura profertur, ſi jam jam à Religione Catholica deſcivero: Deum autem teſtor, & Homines, quàm ſecurus, & conſtans hæc reſpuo, quâm lubens, & gaudens in, & pro hac Profeſſione hunc Agonem amplector.

His dictis, projectâ e Manibus Chartulâ *ad Amicum quendam, Executorem jubet Officium ſuum actutum præſtare. Excuſſo autem, & vibrato deorsùm Corpore, multiſque deſuper Impulſibus Carnificis quaſſato, ſuoque tandem Pondere non parvâ Quiete penſili, alto quodam Suſpirio eructat,* Deo Gratias, *ſicque deluſâ Proregis Aſtuſiâ, & Hæreticorum Expectatione confuſâ, migravit.*

PORRO quod iſte *R. P. Fr. Petrus O-Higgin* ſit alter ab illo *P. Fr. Petro Higgin* anteà recenſito, Luce meridianâ clarius patet. Tum quia Memoria iſtius eruitur ex Actis Capituli Generalis 1656 ſub Tit: *Appendix aliquot præcipuorum Virorum hujus Provinciæ* (Hiberniæ) *quorum juſta Memoria in Actis ſuperiorum Capitulorum interlapſa ſubticetur*; atqui Memoria illius anterioris in Actis ſuperiorum Capitulorum interlapſa non ſubticetur, ſed exprimitur in Actis ſuperioris Capituli, nempè Anni 1644: Ergò iſte poſterior non eſt ille anterior in Actis Capituli Generaliſſimi 1644 memoratus, proindèque alter eſt ab illo. Tum etiam, quia iſte poſterior in Actis Capituli Generalis 1656 dicitur *Prior Naſenſis*, & ideò appellatur *Reverendus Pater*; ille verò anterior in Actis Capituli Generaliſſimi 1644 appellatur ſimpliciter *Pater* (*a*), non enim erat Prior (neque Graduatus), immò ibidem dicitur *Priori ſuo*, ſimulato Habitu ad eum accedenti, Sacramentalem Confeſſionem ter feciſſe. Tùm demùm, quia diſtincta ſunt eorum Commentariola, ut conferenti perſpicuè clarebit.

NEC obſtat Identitas tâm Nominis, quàm Cognominis, quàm etiam Loci Paſſionis. Enimverò, ut innumera fermè Exempla hujus Rei Brevitatis ergò miſſa faciam, *Romæ* novi in uno *S. Sixti* Cœnobio duos è Patribus noſtris, quorum uterque erat *Michael Mac-Donogh*, unus S. Theologiæ Profeſſor, eodem ipſiſſimo Tempore ad Epiſcopatum *Kilmorenſem* evectus, alter Studens Theologus, ut ex alibi dictis liquet (*b*). Nuperrimè etiam duplex erat *Thomas de Burgo*, uterque Conventûs *Athenrienſis* Alumnus, & uterque S. Theologiæ Præſentatus, quorum unus præteritis hiſce Diebus Terræ-Motu *Ulyſſiponenſi* perijt, ut non ità pridem narrabam (*c*). Ut nihil dicam de tertio *Thoma de Burgo* hæc ſcribente. Impræſentiarùm denique quatuor in Metropoli hac *Dublinienſi* verſantur Sacerdotes, quorum unuſquiſque *Richardus* eſt *Talbotus*, duo nempè Sæculares, duoque Regulares Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*.

ADDE præterea, poſteriorem *Petrum* noſtrum cognominari *O-Higgin*, anteriorem verò *Higgin* abſque Vocula *O*, ſiquidem *Dublinij*, utpote Civitatis propemodùm *Anglicæ*, plurima *Hibernica* Cognomina Voculas *O*, & *Mac*, Ruri præmitti ſolitas, omninò deperdunt.

XII. “ Sequenti Anno (1642) P. Fr. RAYMUNDUS KEOGHY, Conventûs *Roſcomanienſis* Filius, ab Hæreticis captus, ac Fidei Causâ extremo affectus Supplicio, immortalem in Morte Vitam invenit ” (*d*).

XIII. “ P. Fr. STEPHANUS PETTIT, dùm Catholicos in Fide animaret, & in medijs Bellorum, & Conflictuum Periculis, eorum Animabus medendis conſuleret, & Prædicatoris ſimul ac Confeſſarij Munus cum Laude gereret, in Prælio adversùs Hæreticos Sclopeti percuſſus Globulo Vitam cum Morte mutavit ” (*e*) Anno 1642.

Hujus

(*a*) Animadverſio hæc conformis eſt memorato Actorum Capituli Generalis 1656 Loco, ubi alij *Reverendi Patres*, alij ſimpliciter *Patres*, alij verò *Fratres* appoſitè dicuntur.

(*b*) Cap. xii. §. i. Num. xx. Pag. 387.

(*c*) Cap. xii. §. ii. Num. xi. Pag. 425.

(*d*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 187.

(*e*) Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644. Pag. 119.

Hujus meminit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (*f*), Verbis iſtis: “ R. P. Fr. *Stephanus Pettit*, Supprior Conventûs *Molingarenſis*, dùm in Pago *Ballynacurra* pugnaturi Militis Confeſſionem audiret, ex Habitu recognitus eſt Chriſti Confeſſor ex propinquo Hæreticorum Propugnaculo, directoque in eum Sclopeto, Glande plumbeâ percuſſus, perceptiſque Eccleſiæ Sacramentis, poſtero Die mortuus eſt.”

XIV. “ Fr. RAYMUNDUS KEOGHE ab Hæreticis in Odium Fidei interfectus obijt ” (*g*) circà Annum 1642.

Porro quod iſte alter fuerit à P. Fr. *Raymundo Keoghy*, jam anteà laudato, dilucidè conſtat, tùm quia non eſt idem omninò Cognomen; tùm vel maximè quia unus erat Sacerdos, alter verò Laicùs, ſeû Converſus, ut vocant, vel ad ſummum Clericus; tùm etiam ob Rationem aliam nuper allatam (*h*).

XV. “ Fr. CORMACUS EGANUS, Converſus, ab Hæreticis ſuſpenſus fuit (*i*) ” circà Annum 1642.

XVI. “ P. Fr. THOMAS POETIUS ab ipſa ſua Juventute devotiſſimus, modeſtus, humilis, in matura Ætate totum ſe Operibus Charitatis, ac Proximorum Saluti impendit, in Prædicatione Verbi Dei aſſiduus, tandem poſt multos cum Fructu exantlatos Labores, Sacrâ Euchariſtiâ refectus, Pulpitum pro More conſcendens, ac Mortem ſuam imminere prædicens, in mediæ Concionis Fervore occidit” (*k*) circà Annum 1642.

XVII. “ P. Fr. REYMUNDUS O-HEHIR, poſt peractum Studiorum Curſum, ad propria, Proximorum Saluti conſulturus, rediens, à Turcarum Claſſe cum alijs captus, in duram arctus Servitutem, ac varijs Tormentorum Generibus excruciatus, ut à Fide recederet, Verberibus, & Flagellis cæſus, ac ferreis Aculeis in Unguibus excarnificatus, conſtantiſſimus ſemper fuit. Concaptivis Chriſtianis Exemplo, Monitis, Prædicatione, & Sacramentorum Miniſterio per plures Annos plurimùm profuit. Tandem à Servitute liberatus, totus Orationi, & divinorum Contemplationi intentus, Vitam duxit religioſiſſimam, quam ſecuta eſt Mors in Domino pretioſa” (l) circà Annum 1642.

XVIII. “ P. Fr JOANNES DAVIDIS (*Kilkennienſis*), Innocentiâ, ac Humilitate conſpicuus, ergà Beatam Virginem Mariam devotiſſimus, & Roſarij ejus Propagator zelantiſſimus, in bona Senectute moriens inopinato Fratrum ſuorum ex omnibus Regni Finibus Concurſu (*w*) meruit conſolari, quibus brevi Oratione ad regularem Obſervantiam augendam adhortatis, Obitum ſuum prædixit, ac eos illuc confluxiſſe, ut Sepulturæ Corpus ejus traderent, declaravit. Et demùm, Sacramentis omnibus maxima cum Devotione perceptis, obdormivit in Domino” (*n*) Anno 1643.

XIX. “ Anno 1647 pari Felicitate (*o*) decertavit R. P. Fr. RICCARDUS BARRY (*Corcagienſis*) Prior *Caſſelienſis*, & Prædicator Generalis, quem in *Rupe S. Patritij* (*p*) cum alijs captum hæreticus Exercitus (reliquis Eccleſiaſticis ibidem cum ingenti Numero Sæcularium Catholicorum primo Impetu contrucidatis) ſervarat ad Supplicia atrociora. Itàque poſtulatus, ut Religioſum, quem geſtabat, Habitum abjiceret, adque ipſorum nefanda Sacra tranſiret, animosè reſpondit: *Hæc mea Veſtis Exuvias Chriſti, ejuſque Paſſionem repreſentat, ac noſtræ Militiæ Vexillum eſt.* Quibus dictis alligatur Columnæ, & dum apparantur Sarmenta, petulanti Militum Inſolentiæ diriſſimè vexandus exponitur, mox Igne circumpoſito lentè per duas circiter Horas ab infima Corporis Parte torretur. Quibus in Cruciatibus cùm non ceſſaret tùm fidelem Populum, tùm Animam ſuam Deo commendare, Gladio de Latere

---

(*f*) Pag. 360.

(*g*) Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644. Pag. 119.

(*h*) Cap. præſ. Num. xi. Pag. 561.

(*i*) Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644. Pag. 119.

(*k*) Idem ibidem.

(*l*) Idem ibidem.

(*m*) Scilicèt in Comitijs Provincialibus *Kilkenniæ* 1643, ubi electus fuit *Terentius-Albertus O-Brien*, poſteà Epiſcopus *Imelacenſis*, & Martyr, ut dictum eſt Cap. ix. §. iii. Num. iii; & Cap. xiii. Num. lxvi; & Cap. xiv. Num. xiii. Pag. 206, 488, & 524.

(*n*) Capitulum Generaliſſimum *Romæ* 1644. Pag. 120.

(*o*) Verba ſunt Capituli Generalis *Romæ* 1656. Pag. 158, poſt memoratum P. Fr. *Reymundum Keoghy*, Roſcomanienſem, de quo nuper Num, xii. Videſis *O-Heynum* Pag. 13.

(*p*) Rupes S. *Patritij*, ut vidi, eſt in Colle petroſo, præcipitique juxtà Urbem *Caſſelienſem*, cui ſupereminet Eccleſia Metropolitana, *Divo Patritio* ſacra.

“ ad Latus tranſverberatus reddidit Spiritum, 15 Septembris. Aſportatus indè poſt Inimicorum Diſceſſum, ac ſepultus in ſuo Conventu.”

Præiverat *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (q), Scriptor coævus, longiuſculis quidem hiſce Verbis, ſed verè opportunis: *R. P. Fr.* Richardus Barry, *Civitatis Metropoliticæ* Caſſelienſis *in Provincia* Momoniæ *Prior, & Prædicator Generalis, ſecundum ſibi vendicat Locum inter Fratres ſcilicet Ordinis noſtri in Hibernia extremò Fidei Agone, & Certamine tunc peremptos: Accedentibus enim in Multitudine barbarorum Hominum ad obſidendam Civitatem* Caſſelienſem *Hæreticorum Copijs ſub* Morgano O-Brien *Barone de* Inchiquin *viperino Genimine, utpote Matricidâ Homine, multorum illuſtrium Eccleſiaſticorum Sanguine inquinato* (r), *Pupillorum, & Viduarum Maledictionibus onuſto, refu*[illegible] *multi Catholici cum parva Militum* [illegible]*anu, & Eccleſiaſticis quibuſdam Viris ad Eccleſiam Majorem, ut ſacra Suppellectilia, & Bona quædam mobilia cum Vita propugnent: Exurgit enim è Vallibus, & minatur in ſublime Rupes, Clivo, quò ſe deducit Aſcenſu, admodùm difficilis, quâ Parte à Porta Civitatis, & interjecto Fratrum Prædicatorum Conventu propulſat Aquilonem. In cujus Culmine Locu, Gramine læto tenui, viridique amænus, humili, & antiquâ Macerie vallatus (ubi quondam Ærarij Publici Sedes dùm ſteterant* Mileſiorum (s) *Regna) Eccleſiæ cum Procinctu non modico ſufficiens exiſtit. In quo Sacello ab antiquis Divo* Cormacho O-Cuillenain, *Viro ſimul Archiepiſcopo, Regi, Prophetæ, & Vati, in Vita Miraculorum Opifici, in Morte Martyri glorioſo* (t), *dicato, conjuncta eſt Eccleſia Magna, Divo* Patritio *ſacra, & Sedes Metropolitana utriuſque* Momoniæ. *Ad hanc Eccleſiam cum cæteris (conceſſâ, immo & juſſâ Fratribus alijs recedendi Facultate, ut ſe Periculo ſubducant) conſcendit intrepidus noſter Prior. Tandem eò ventum eſt, ut Impetu facto Hoſtes Locum occupent, ſed non impune, proſtratis utrinque octingentis Hominibus, alijſque omnibus Eccleſiaſticis in Conflictu peremptis, hunc Deus ſpeciali Providentiâ non tantum Gladio, ſed Igne etiam probare voluit. Primus ergo Invaſor, Militum Chiliarchus, advertens in Vultum Patris (erat enim Vir Aſpectu pulcher, & gravis, ingenitæ Nobilitatis Imaginem ferens in Vultu, robuſtus Corpore, Enſe micante coruſcus, Defenſioni non ſegniter intentus) eum ſic alloquitur:* Reſpicio in te, Vir animoſe, nec quidquam niſi Laude dignum, & Gratiâ animadverto. Incolumitatis Fidem ſpondeo tibi, ſi Veſtem illam, Nobis odioſam exuere volueris *(erat ſiquidem Habitu Ordinis indutus)* neque enim Coloribus illis non Favorem, aut Gratiam, ſed Iram, & Indignationem provocantibus, Incolumitatis Beneficium hujus Belli Conditio admittit. *Reſpondet Pater:* Veſtis iſta mea Exuvias Chriſti, & Paſſionis Inſignia repræſentat, & Militiæ meæ Vexillum eſt, quam à Juventute geſtivi in Morte abdicare nolo; eadem ergò mihi, & iſtis Militiæ meæ Coloribus Incolumitatis aut Damni Conditio ſervetur. *Ad hæc Chiliarchus:* Conſule tibi meliùs, ſi enim mori non vereris in Promptu eſt, quod expectas; ſi vivere cupis, Amictum exue Perfidiæ; ſi ſtultam Martyrij Vanitatem expetis, dabimus ſanè Operam & Nos, ut tuis expenſis obtineas, quod cæcâ Ambitione deſideras. Datâ *(inquit Pater)* Optione tam præclarâ, & Occaſione tam illuſtri, mihi ſanè iucundum eſt pati, & mori Lucrum; penès te eſt facere quod promittis, vel non jactare quod non præſtiteris. *Laceſſitus hac Reſponſione Chiliarchus, Patrem Manibus captatum Militibus aſſignat, primo Conflictu Colaphis, Pugnis, Sputis, & Opprobrijs multis impetitum, deinde Cathedræ alligatum, Igne lento à Planta Pedis uſque ad Femora ſuppoſito, torreri per duas circiter Horas donec tandem Oculis Lucis Radios in Cælum jaculantibus, & bulliente per Poros Sanguine, reluctantem Animam, tranſmiſſo à Latere ad Latus Enſe, accelerare jubet. Triduo, quo Manubijs intenti Milites, ut eum Spolijs exuere properent (non enim viſum eſt Præſidio Locum munire, ſed ſpoliatum, & inermem relinquere) devota quædam Tertiaria* (u) *Ordinis Prædicatorum Corpus inter tot Cadavera exquiſivit, & repertum Vicario Generali denunciavit. Mox Vicarius Generalis poſt Receſſum Inimicorum, quarto nimirùm Die, convocatis ſuperſtite Clero, & Populo, unà cum Notario Apoſtolico,* Henrico O-Cuillenain, *adhuc* (Anno 1655) *vivente, & hujus Rei Fidem faciente, Corpus viſitat. Recognoſcunt omnes Veſtigia Paſſionis ejus, aſſatos Pedes, & Crura, utriuſque Lateris Vulnera, quaſi perennes duas puriſſimi, & recentiſſimi Sanguinis Scaturigines, in Quatriduo diſcernunt. Corpus, Proceſſione inſtructâ, conducunt in Conventum ſuum Ordinis Prædicatorum, decantato Hymno,* Te Deum laudamus, *ibidem reponunt. Dies Executionis, & Mortis ejus fuit* 15 *Septembris, S. Patri* Dominico à Suriano (w) *ſacer, Anno Domini* 1647. Hæc *O-Daly*.

XX. “ Anno

(q) Pag. 339, & ſeqq.

(r) Confer Cap. ſeq. Num. liv.

(s) Conſulendum Cap. i. Num. vi. Pag. 10.

(t) Videſis Cap. i. Num. i, & Cap. ix. §. ix. Num. i. Pag. 3, & 235.

(u) Adeas Cap. x. §. ix. Num. iii. Pag. 343.

(w) Die 15 Septembris Fratres Prædicatores Feſtum celebrant de Commemoratione Imaginis Miraculoſæ Sancti Patriarchæ *Dominici* in *Suriano*, quod Oppidum eſt *Calabriæ*.

XX. " Anno 1648 feliciter migravit ad Sponſum Soror ELEONORA DE BURGO, Filia glorioſi Militis Domini *Joannis de Burgo*, qui *Limerici* pro Fide Sanguinem dedit (*x*). Hic ſtrenuus Chriſti Athleta pro ſuo in Ordinem noſtrum devotiſſimo Affectu, conſtitutus in Loco Supplicij, omnibuſque ſe Facultatibus exutum videns, indoluit ſe nihil habere quod Ordini relinqueret : Eidem tamen Fætum, quem Uxor ſua tunc ferebat in Utero, pro Uoto ſacravit, ut ſeù Maſculus ille foret, ſeù Fæmella, unius S. Patris noſtri Dominici Soboles eſſet. Nata igitur hæc Infans Patris Teſtamentum tàm validè Cordi inſcriptum retinuit, ut in Ætate nubili, quamquàm á pluribus non indignis expetita, dimoveri nulla Ratione potuerit à Propoſito Caſtitatis, quod, Tertium (*y*) ſancti Patris uoſtri *Dominici* Ordinem amplexa, Voto firmavit. Exindè Matri cohabitans, ac Cellulam ſuam niſi ad Templa egredi neſcia, miris Modis ad ſublimioris Vitæ Perfectionem ſeſe exercuit. Vino nunquàm uſa, ſingulis Hebdomadibus minimùm ter Pane ſolo, & Aqua, reficiebatur, reliquis Diebus in qualecunque Obſonium paucis Leguminibus contenta. Vultu ſemper macilento, pallido, & ad ſummam Modeſtiam compoſito, ut Nemo eam aſpiciens non animitùs compungeretur. Hanc Vitæ Rationem dùm pia Virgo proſequitur in *Hibernia*, interim *Ulyſſipone* Monialium *Hibernarum* Monaſterio (*z*) ultima Manus imponitur. Eô igitur, Matre, Cognatione, dulcique Patriâ relictis, læta navigavit, ubi Sacro Velo ſuſcepto, ac Solemni Profeſſione emiſſâ, in Jejunijs, Lacrymis, Vigilijs talem uſque ad Obitum Vitam duxit, ut mortuæ Veſtimenta, Roſarium, aliaque pauperrima Supellex pro pretioſis jam Theſauris aſſerventur in publicum Teſtimonium Probitatis." (*a*).

XXI. " Anno 1648 feliciter in Domino obdormivit R. P. Fr. JOANNES GILLABOY (*Roſcomanienſis*), Pater Provinciæ, Sacræ Theologiæ Præſentatus, & Prædicator Generalis. Hic varijs Prioratibus cum inſigni Laude perfunctus, tantâ Prudentiæ Famâ valuit, ut certatim Regni Proceres ac Magnates ad ipſum, velut ad alterum ferè *Antoninum Conſiliorum* (*b*), in ſuis Ambiguitatibus recurrerent, ejuſque ſagaci Arbitrio ſe, ac ſua moderarentur. Magno Spiritu fructuoſas ad Populum Conciones indefeſſus habebat non ſine Plauſu Auditorum, ac peculiariter SS. Roſarij Devotionem in Plebe, & Clero mirificè propagavit. Zelo vindicandi ab Interitu Ordinem ſuum in Patria permultis Tyronibus ſuâ Manu Religionis Habitum dedit, quorum adhuc (Anno 1656) non pauci publicas hinc indè Cathedras, ac Pulpita illuſtrant. Patientiâ ad Obitum uſque incredibili enituit, præſertìm in diuturnis ac moleſtis Infirmitatibus, ut cùm Pedibus æger continuo Octennio Lectulum ſupinus premere debuit, nihil interìm feriando à ſolitis Charitatis Exercitijs, quibus Fideles perpetìm Hortatu, & Solatio reficiebat. Denique in communi Perſecutionis Fuga ad Caſtrum *Athlonenſe* juxtà Conventum ſui Ordinis elapſus, ibique per Annos aliquot decubuus, dùm Caſtrum illud à Sectarijs expugnatur, migravit ad Dominum." (*c*)

XXII. " Eodem Anno (1648) Fr. GERALDUS Clericus, & Fr. DAVID FOXIUS Converſus in *Killocenſi* Conventu, per Vim ab Hæreticis expugnato, dùm circumpoſitis Collo Roſarijs genuflexi, Mortem expectant, Gladijs confoſſi, & in ſuo aliquamdiù Cruore volutati, demùm impacto Cervicibus Sclopo, Vitam cum Sanguine ſimul ac Cerebro pro Domino profuderunt." Hæc Capitulum Generale mox laudatum (*d*).

Præiverat *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario*, Scriptor coævus (*e*), his Verbis : *Geraldus Geraldinus, Clericus, ſeù Choriſta, & Fr. David Foxius, Converſus, cùm Nocte quadam intempeſtivâ Hære-*

(*x*) De eo hæc habet *Thomas Carve*, Tipperarienſis, Notarius Apoſtolicus, in *Annalibus Hiberniæ* Pag. 315, ad Annum 1610 : " Circà hæc Tempora crudelis illa Executio Nobiliſſimi Viri *Joannis de Burgo* contigit, qui eo, quod Sacerdos Romanus in ſua Cura Miſſam celebrans repertus fuiſſet, *Limerici* crudeli Morte adjudicatus fuit, ejuſque omnes Ditiones ad Regios Uſus confiſcatæ. Hic ſanctè vixit, ac proculdubio ſanctiſſimè obijt, dùm enim Proconſules omnium Bonorum Reſtitutiones, Vitæque Aſſecurationem promiterent, modò eorum Fidem amplecti vellet, magnaminus Pugil reſpondiſſe fertur : *Malo Animam lucrari, quam Univerſum Mundum.*" Ejus meminit noſter *O-Daly*, ut videbis Cap. ſeq. Num. v.

(*y*) Adeas Cap. x. §. iv. Num. iii. Pag. 343.

(*z*) Conſulendum Cap. xii. §. v. Pag. 451.

(*a*) Capitulum Generale *Romæ* 1656 Pag. 160.

(*b*) S. *Antoninus* Archiepiſcopus *Florentinus*, Ordinis Prædicatorum, in explicandis Conſilijs tantæ Dexteritatis fuit, ut communi Elogio *Antoninus Conſiliorum* diceretur. Ex Bulla Canonizationis in *Bullario Ordinis Prædicatorum*, Tom. iv. Pag. 417.

(*c*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 158.

(*d*) Capitulum nempè *Romanum* 1656. Pag. 158.

(*e*) Pag. 362.

Hæreticorum Agminâ in Monaſterium noſtrum Killocienſe *extrà Muros, & Pontem de repente inſilirent, rati ſine Dubio Hoſtes ſe magnam Fratrum Cladem effecturos, fugientibus providè alijs, hos duos in Eccleſia ſolos invenerunt, ibique delatis Monaſterij Spolijs, inter Veſtibulum, & Altare occiſos reliquerunt.*

XXIII. “ Circà hoc Tempus (1648) P. Fr. PETRUS COSTELLO (*Urlarienſis*)Enſe (*f*), & P. Fr. GERALDUS DILLON (*Urlarienſis etiam*) Carceris Pedore, ac Fame, Vitam conſummarunt. (*g*)

XXIV. “ Item Fr. DONALDUS O-NEAGHTEN, Converſus de Conventu *Roſcomanienſi*, qui Obſervantiæ tenax, & Lineis nunquam uſus ad Carnem, Habitumque Religioſum in medio Perſecutionis Furore conſtanter, ac palam deferens, Roſarij (quod ſemper ferebat manu) perſtudioſus, ad extremum poſt Plagas, & Verbera Juſſu Præfecti Militum Gladijſque Telijſque interimitur, verus Iſraelita, in quo Dolus non erat,” (*h*), circà Annum 1648.

XXV. “ Anno 1649 P. Fr. JACOBUS O-REILLY (*i*), verſatus Theologus, facundus Orator, & inſignis Poeta, dùm è *Waterfordienſi* Conventu ad C*lonmellenſem* miſſus teneram Juventutem ſimul & humanioribus Literis, & Chriſtianæ Fidei imbuit Præceptis, in hoſtili Civitatis Excidio dilapſis Fuga Præſidiarijs, ac Civibus Catholicis, Errore Viarum procul in Turmam C*romuellianorum* Equitum incidit, Manu Roſarium geſtans, quibus de Statu ſuo interrogantibus impavidus reſpondit: *Sacerdos ſum, & Religioſus, licet indignus, Dominicani Inſtituti, Uiam perdidi, & à veſtris declinans in Vos incidi. Chriſtianus ſum, Romano-Catholicus Apoſtolicus, ſic vixi, ſic moriar, prout fuerit Voluntas in Cælo ſic fiat.* Mox ab irruentibus multiplici Vulnere cruentatus, integræ prepemodùm Horæ Carnificinam à tot Lanionibus mirâ Fortitudine, ac Patientiâ ſuſtinuit. JESU Nomen, & Beatiſſimæ DEIPARÆ, S. Patris Noſtri *Dominici*, aliorumque Tutelarium Præſidia ad ſuum Agonem identidem advocans. Denique plura jam numerans Vulnera quàm Membra, felix Victima procubuit.” Hæc Capitulum Generale *Romanum* 1656. (*k*), cui

Præcinuit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliâs *Dominicus de Roſario* (*l*), his Verbis: *R. P. Fr. Jacobus O-Reilly, Ordinis Prædicatorum, in Declivio Montis prope* Clonmellam, *ab Hæreticis captus, Officio divino intentus, &* Bre*viarium ob Oculos habens, ſine Mora Gladio percuſſus efflavit Spiritum.*

XXVI. Anno 1649. “ R. P. F. DOMINICUS DILLON, Proſapiâ nobilis & Virtute, dùm in Catholicorum Exercitu ex Commiſſione Illuſtriſſimi Domini Nuncij Apoſtolici, *Joannis Baptiſtæ Rinuccini*, Archiepiſcopi Firmani (*m*), Concionatoris Munus obijſſet, *Pontanæ* Urbis Præſidium Catholicum ingreſſus, eoque mox ab Hæreticis expugnato, crudeliter necatus eſt.” Hæc *Daniel* noſter *O-Daly*, aliâs *Dominicus de Roſario* (*n*), cui

Succinit *O-Heynus* (*o*), affirmans ipſum Priorem fuiſſe, eidemque Suppriorem addens, in hunc Modum: *Anno* 1649 *R. P.* Dominicus Dillon, *Prior Conventus* Urlarienſis, *& R. P. Fr.* Richardus Oveton, *Supprior* Athyenſis *capti* Pontanæ, *& adducti ad Campum, in quo erat caſtramentatus Exercitus hæreticus* Anglorum, *poſtquam ſe fervidâ Oratione commendaverint jam Chriſto, ejuſque SS. Matri, Capitibus truncati fuerunt in Fronte Exercitus in Odium ſui Statûs, & Fidei Catholicæ:*

XXVII. “ Anno 1650 in Oppido Clonmellenſi P. Fr. MILERUS (ſeù *Milo*) MAGRATH (aliàs *Michael à Roſario*) dûm totus ſpirituali Fidelium Obſequio intentus, cuidam Moribundo Sacramenta adininiſtrabat, ab Hæretici Gubernatoris Satellitio deprehenſûs in Opere, ſtatimque à Judice damnatus ad Patibulum, actis Deo Gratijs, Vitam caducam in Reſti finivit, meliorem reportaturus in Cælo” (*p*). Ipſum porrò Cænobij *Clonmellenſis* Alumnum fuiſſe aſſerit *O-Heynus* (*q*). Et quamquàm ipſi refragari videatur *Daniel O-Daly*, jam jam in Medium adducendus, utriuſque tamen Dictum potuit eſſe verum, qui priùs enim fuerat Filius Conventûs apud *Luſitanos* in *Hiberniam* redux potuit eſſe Conventûs *Clonmellenſis* Alumnus, immò & Filius, ut multis Exemplis probari valet.

Redeat igitur *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus ae Roſario*, hæc narrans (*r*): R. P. Fr. *Milerus Magrath, aliàs Michael de Roſario, Filius Conventûs S. Dominici* de Benfica (*s*), *Collegij Deiparæ Virginis*

(*f*) De hoc iterum Cap. præſ. Num. xxxii.

(*g*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 159.

(*h*) Idem ibidem.

(*i*) *Clonmellenſis* Cænobij Alumnus, Teſte *O-Heyno* Pag. 20. Confer infrà dicenda Num. liii.

(*k*) Pag. 159.

(*l*) Pag. 358.

(*m*) Conſulendum Cap. xvii. Num. xlv.

(*n*) Pag. 359.

(*o*) Pag. 39.

(*p*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 150.

(*q*) Pag. 20.

(*r*) Pag. Pag. 354.

(*s*) Adeas Cap. v. Num xvi. Lit. d. Pag. 105.

Virginis de Roſario *Fratrum* Hibernorum *Civitatis* Ulyſſiponenſis *per aliquot Annos Alumnus, Procurator, & Vicarius, ſimilis Salutis Animarum Zelo ductus* Clonmellam, *munitiſſimum Hæreticorum Præſidium, ingreſſus, poſt expletum Miſſæ* Sacrificium, *& adminiſtratum moribundo Homini ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, Pixide ſacrâ in Manibus repertà, captus illicò ad Patibulum damnatus, habità ſimiliter Oratione ad Populum non ſine multorum Lachrymis, & Admiratione, Laqueo ſuſpenſus eſt.*

XXVIII. “ P. Fr. ÆNEAS-AMBROSIUS O-CAHIL, Conventûs *Corcagienſis* facundus Concionator, circâ eadem Tempora fortuitæ Hæreticorum Equitum Turmæ obvius, ac pro Religioſo agnitus, inter eorundem Manus ſubitanea Victima occubuit, membratim diſſectus.” (*t*) Anno 1651, inquit *O-Heynus*, Conventûs *Corcagienſis* Alumnos recenſens (*u*).

Præiverat *Daniel* noſter *O-Daly*, aliâs *Dominicus de Roſario* (*w*), dicens: *P. Fr. Ambroſius Cahel, olim Collegij* Ulyſſiponenſis *Fratrum* Hibernorum *Ordinis Prædicatorum Alumnus, & Sacriſta, in Congreſſu ab Hæreticis captus propè* Corcagiam *recognitus eſt in utroque Munere Miles Chriſti, Manu ſcilicet validâ in pugnando, & Linguà validâ in prædicando: Quapropter Rabie quâdam inauditâ circumventus & oppreſſus, in Fruſta minutiſſima conſciſus, & per diverſas Loci Partes diſtributus, Corviſque deſtinatus, occubuit.*

XXIX. Illmus & Rmus Dominus Fr. TERENTIUS-ALBERTUS O-BRIEN, Alumnus Cænobij *Limericenſis*, S. Theologiæ Magiſter, Prior Provincialis *Hiberniæ* in Comitijs *Kilkennienſibus* Anno 1643 electus, ab *Urbano* VIII, Pontifice Maximo, Epiſcopus *Imelacenſis* renunciatus Anno1644, Orthodoxæ Fidei Cauſâ Laqueo ſuſpenſus *Limerici* in Omnium Sanctorum Pervigilio Anni 1651, ut Verbis verè pulchris verèque aureis refert Capitulum Generale *Romanum* 1656, quæ ſuperiùs exſcripta habes (*x*).

Hic autem Loci non abs Re ſed planè opportunum erit in Medium adducere quæ de eo habet *Daniel* noſter O-Daly, aliàs *Dominicus de Roſario*, Scriptor coævus (*y*) nempè :

Terentius, aliàs Albertus O-Brien ex Provinciæ Hiberniæ Provinciali Epiſcopus Imelacenſis *factus, ex Capitulo* Romano *Anno* 1644 *rediens,* Ulyſſiponam, *celeberrimum* Luſitaniæ *Emporium, ad viſitandos Conventus Fratrum, & Monialium* Hibernorum *ſui Ordinis, ſuæque Provinciæ divertit, ibique Nuncium de Electione ſuæ Perſonæ ad Epiſcopatum* Imelacenſem *accepit. Migrat in* Hiberniam *ut Capitulum de Succeſſore eligendo indicet* (z). *Antiquum, & celebre Elogium* (*a*): Dicique beatus antè Obitum Nemo ſupremaque Funera debet. *Sed liberum Nobis immo & juſſum expreſſit* Spiritus *Veritatis* (*b*), *maximè Vitâ functos laudare Viros glorioſos in Generatione ſua, illumque Honorem & Laudem huic Homini jam mortuo aſſerere, quem ipſe ſibi vivo deferri præ innata Bonitate non permitteret. Certè Generis Splendorem, & Nomen habuit Grande juxtà Nomen Magnatum, qui ſunt in Terra, utpote ab illuſtriori Parte* Mileſiæ *Propaginis* (*c*) *à propè bis mille Annis perenni Nobilitatis Luſtro ſplendidæ, Originem ducens. Avis quoque Proavis, & Majoribus claris, clarior ipſe Virtute præfulgens. Cùm autem Epiſcopus factus eſſet, tanto Religionis Catholicæ Negotium agebat Fervore, quaſi unus ſolus, & omnis Homo actitare videbatur, & plus alijs cujuſcumque Statûs Perſonis omnium Hæreticorum in ſe Furorem excitaverit, ad eoque in Obſeſſione Civitatis* Limericenſis *interceptus, Periculum non evaſit. Primo Dux Obſeſſor quadraginta mille Aureorum Donum, & Incolumitatis, & ſecuri Comeatûs Fidem ſpondet quocunque extrà Regnum ire vellet, ſi à ſolita, & operoſa Excitatione Populi deſiſtere, & Deditioni Civitatis connivere velit. Reſpuit Munera herous Animus, Fidem ſervare, & Curſum conſummare beneplacitus. Quid faceret laceſſita Tyranni Improbitas? Hunc cum alijs Viginti à quocunque Beneficio non ſolùm* Commeatûs, *ſed & Incolumitatis excipit. Obpignoravit Animam ſuam, quia Pellem pro Pelle aut hujus Epiſcopi, aliorumque renitentium Hominum Capita Cives ipſi deferre cogerentur. Mota eſt Quæſtio, an licitum eſſet tradere Innocentem Tyranno obſidenti, & petenti illum propter Incolumitatem aliorum? Advocato ſuper hoc Ducentorum*

(*t*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 150.

(*u*) Pag. 13.

(*w*) Pag. 358.

(*x*) Cap. xiii. Num. lxvi. Videſis etiam Cap. xiv. Num. xiii. Pag. 488, & 524.

(*y*) Pag. 344, & ſeqq.

(*z*) Legeſis Cap. xiv. Pag. 524.

(*a*) Ex *Ovidio Metamorph.* Lib. iii.

(*b*) *Eccleſiaſtici* Cap. xliv. Verſ. i.

(*c*) *Brianus Boroveus*, Univerſæ *Hiberniæ* Monarcha, â quo antiquiſſima *O-Brienorum* Gens Cognomen deſumpſit, rectâ Lineâ deſcendit ab *Hebero*, Primo Rege *Hiberniæ*, Primogenito *Mileſij* Regis *Hiſpaniæ*. Adeas Cap. i. Num. vi, & xvi; ac Cap. ix. §. v. Num. ii. Lit. n. Pag. 10, 25, & 211.

rum Eccleſiaſticorum Conventu, Viginti Quatuor illuſtrium Virorum Patrocinium ſuſcipere viſum eſt, ſed incaſſum, excipiuntur & reliqui omnes Eccleſiaſtici. Sileo multa, & pudenda. Superſunt hodie vivi Teſtes Ulyſſipone, *alibi, & ubilibet. Epiſcopus noſter proteſtatur, ſe velle Collum dare ſi alijs expedire videatur. Renuunt alij omnes Eccleſiaſtici. Ille ſecure Mortem ſibi, hi fruſtrà Vitam autumant, Invaluit tandem* Deditia, *& major* Civium *Pars dictum cuique, Animam ſuam liberare, ſibi quiſque provideat. Introducuntur Hoſtes, & captus Epiſcopus, à Proceſſu, à Lite, à Parocinio excluſus, ad Patibulum damnatus, Laqueo ſuſpenditur. Verùm circà Mortem tanti Viri duo maximè notanda occurrunt.*

Primum *eſt, quod cùm jam captus coram Supremo Judice Invaſore ſiſteretur, & ab illo de nimis operoſa Commotione Populi adverſus* Dominium, *& Religionem* Anglicanam *increparetur ; ſtatìmque Morti adjudicatus fuiſſet, quaſi quodam Spiritu prophetico, Tyrannum de Injuſtitia redarguit, Mortem pro Morte minatur, & breviſſimo Tempore antè Tribunal* Divinæ *Majeſtatis ſibi reſponſurum appellat. Sanè vix* Deus *ſuſtinuit Tyrannum Victoriâ inſolentem, ut impleret Numerum Fratrum, cùm jam expletâ Executione aliorum Hominum, quos exceperat, ne quidem octavum* Diem *attigiſſet, Peſte correptus, Phreneſi, & Furijs exagitatus, altis Clamoribus ejularet, innocentem illius Epiſcopi Sanguinem ſibi Mortem acceleraſſe, ijſdem Verbis multoties repetitis Animam efflaverit.*

Secundum *eſt, Caput hujus Epiſcopi Gladio amputatum, Paxillo ſublimi, & Turriculæ, quæ in Medio Civitatis Ponti eminet, impoſitum, Carne, & Capillis adhuc incorruptis, recentem indiès diſtillare Cruorem.*

XXX. “ Eodem Anno 1651 *(d)*, inque eadem Civitate (*Limericenſi*) Mortem pro Chriſto oppetijt
“ R. P. Fr. JACOBUS WOLFÆUS, Prædicator Generalis *(e)*, emeritus Senex, qui diverſis Priora-
“ tibus ſanctè perfunctus, jamque pridem in diuturno Carcere factus Chriſti Confeſſor, paſsìm uſque
“ ad hæc ultima Perſecutionis Tempora Miniſterium ſuum infatigabili Ardore complevit, proque S. Se-
“ dis Apoſtolicæ Authoritate validum ſe Murum perduellibus oppoſuit. Demùm *Limerici* ſub ipſa incruenti
“ Sacrificij Oblatione captus, poſtque pauculas Horas, acceptâ Laquei, & Mortis Sententiâ, in Forum
“ pertractus, editâ palàm Fidei Profeſſione, Catholicos hortatus eſt ad ſinceram in avita Religione Con-
“ ſtantiam, idque eo Vultûs, Verborum, ac Geſtuum Ardore, ut vel ſuoſmet Carnifices compunxerit.
“ In ſupremo Scalæ Gradu conſtitutus, jamque præcipitandus, hilariter exclamavit : *Spectaculum facti*
“ *ſumus Deo, Angelis, & Hominibus, Deo* (faxit ipſe) *ad Gloriam, Angelis ad Lætitiam, Hominibus*
“ *autem ad Ludibrium.* Quibus dictis mox à Trabe pendulus Agonem ſuum conſummavit.” Hæc Ca-
“ pitulum Generale *Romæ* 1656.

Cui præcinuit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (*f*), in hunc Modum : *R. P. Fr. Jacobus Wolf, Vir gravis, & prudens, multorum Annorum Prior & Prædicator Generalis, & Civitatis* Limericenſis *nativus, toto Obſidionis Tempore à Civitate abſens, eâdem captâ, & Eccleſiaſticis omnibus trucidatis, aut expulſis, de Salute Animarum ſollicitus, quo meliùs Sacramentorum Adminiſtratione, vel alio quovis Modo, Catholicis Solamen afferret, clam ſeſe in Civitatem ingerit, ubi vix octavum Diem implevit, cum proditus, & ad Manus Hæreticorum traditus, Laqueo ſuſpenſus eſt. Exhortationem egregiam ad Populum in Fide Catholica confirmandum è Patibulo, tanquàm è Suggeſtu, declamaſſe perhibetur.*

Huic addendus Conſodalis ejus “ R. P. Fr. JOANNES COLLINS, Conventûs *Limericenſis* Filius
“ *(g)*, Homuncio Corporis Mole puſillus, & ingratâ Figurâ contemptibilis, ſed Fidei Efficaciâ, & Ani-
“ mi Vigore multarum Rerum, ſuprà Expectationem Hominum, Patrator fuit. Unus, & ſolus ſuffi-
“ ciebat ad Copias in Prælia Hæreticorum ducendas. Dum Caſtrum *Bunratenſe* à Catholicis noſtris ob-
“ ſideretur Militibus Die quodam Inſultum parantibus (Nuncio Apoſtolico *(h)*, & Epiſcopis multis, to-
“ toque Exercitu inſpectantibus) Pater iſte Crucifixifer in Habitu Ordinis expugnaturas Propugnacula
“ Hoſtium Phalanges anteibat. Hoſtes laceſſendo irritabat, Milites noſtros vel arguendo, vel obſecrando,
“ improperando Opprobrium, vel animando ad Palmam provocabat. Pudebat ſine Dubio animoſos
“ Milites, & Satellites armatos, pro Libertate, & Fide præliantes, Homunculum inermem, ſolâ Cruce
“ munitum,

(*d*) Verba ſunt Capituli Generalis *Romæ* 1656 Pag. 150.

(*e*) Confer Cap. vi. Num. x. Sect. 16 ; & Num. xii. Sect. 7. Pag. 116, & 118.

(f) Pag. 353.

(g) Verba ſunt laudati *Danielis O-Daly*, ſe

Dominici de Roſario, Pag. 360.

(h) Videſis Cap. xvii. Num. xlv.

“munitum, non ſequi. Quid ergò feciſſent illi? Quid et iſte? Plumbeis mille Globulis expetitus, retrò non reſpexit, donec expugnantem Catervam in Hæreticorum Propugnacula illæſus, & alacris induxerat, ſtatimque Hoſtes Deditionis Signum dedere. In Obſidione Civitatis *Limericenſis* eam ſibi Provinciam accepit, ut obſidentium Hæreticorum Copias quandoque miris, & varijs Modis exploraret, nihilque intentatum relinqueret, quo poſſet obſeſſis Catholicis Conſilio, vel Admonitione prodeſſe. Verùm his Artibus ſibi Laqueum paravit, adeò ſiquidem Hæreticorum in ſe Furorem excitavit, ut, diſtrictis in eum Capitalibus Edictis multis, expetitus, ab omni Favore, & Gratiâ proſcriptus, tandem captus ab Hæreticis, recognitus eſt ille idem, cujus Imago in Tabulis depicta ferebatur à perſequentibus. Continuum, & longum cum Hæreticis Diſcrimen Morte glorioſâ implevit.”

XXXI. “Anno 1651 (i), Patres Fr. LAURENTIUS O-FERRALL, Præſentatus, & Fr. BERNARDUS O-FERRALL, Prædicator Generalis, Mortem pro Fide ſubierunt, dignam Hiſtoriâ longiori. Summa eſt: Longofordiæ in Templo nativi ſui Conventûs (qui Fratribus, Fugâ ob Sævitiam Perſecutionis dilapſis, vacuus erat) ſummo Mane inter orandum deprehenſis, diverſo Mortis Genere pro eadem Fidei Cauſa occubuerunt. Nam Fr. *Bernardum* impij Satellites mox in Ingreſſu pluſquam viginti quatuor mortiferis Vulneribus confecerunt, & tamen ipſe mirabiliter adhuc deſiderata Sacramenta, priuſquàm expiraret obtinuit, uti prædixerat. Fratrem verò *Laurentium* ſauciatum raptarunt ad Gubernatorem, à quo agnitus, quod pro Fide, & Apoſtolici Nuncij (*k*) Auctoritate adhæſiſſet Exercitui Pontificio, damnatur ad Patibulum, eòque poſtridie perductus, dùm læto Animo Mortem invitat, alienâ Interceſſione perſuaſus Tyrannus, Tridui Dilationem indulget morituro, quod quidem Laurentio moleſtiſſimum fuit, undè Interceſſores ſuos increpans, ad Lachrymas, Preceſque convertitur, toto illo Triduo Deum rogans, ne ſibi Martyrij Palmam eripi, aut elabi patiatur. Factus denique Voti compos, è Summitate Scalæ Catholicos docto Sermone conſolatus, tantâ Facundiâ, Ardore, ac Argumentorum Vi in Hæreſes invectus eſt, ut Gubernator confuſus Laqueo Silentium ei celeriter imponi juſſerit. Tunc Martyr Populo valedicens, Roſarium Collo circumponens, ac Dexterâ Crucem geſtans, Manus ſub Scapulari mitiſſimè compoſuit, ſicque Carnifici ſe permiſit, à quo dejectus, jamque pendulus, Stupendo Prodigio utramque Manum de ſubtus Scapulari prolatam conjunxit, Crucemque in altum ſuſtulit, velut Triumphi ſui Teſſeram. Quo Spectaculo cum adſtantibus & ipſe Gubernator perculſus, Cadaver honorificè deponi fecit, conceſſoque ſalvo Conductu, omnem undequaque Clerum ad ſolemne Funus, & populoſas Martyris Exequias confluere permiſit.”

XXXII. “Eodem Anno 1651 P. Fr. GULIELMUS O-CONNOR de Conventu Clonmellenſi, Vir Deo, & Hominibus dilectus, capitur ab Hæreticis, poſt varia Ludibria omni Veſtitu ſpoliatus, Gladio occubuit.” (*l*)

Martyrium item ſubijt P. Fr. GULIELMUS LYNCÆUS, ut liquet ex *Daniele* noſtro *O-Daly*, aliàs *Dominico de Roſario*, qui ad Calcem ſuæ *Relationis Perſecutionis Hiberniæ* ſubnectit *Fragmentum*, hiſce conceptum Verbis: “Poſtquàm Opelulæ huic Colophonem addidiſſem, Viri quidam doctiſſimi ſimul ac religioſiſſimi, mihi retulere, ſe eſſe Teſtes (& ſunt equidem omni Exceptione majores) alios tres Religioſos noſtros in Odium Fidei Hæreticorum Manibus occubuiſſe, videlicèt RR. PP. FF. *Gulielmum Lyncæum*, Patibulo ſuſpenſum, *Gulielmum O-Connor* (ſcilicèt nunc laudatum), & *Petrum Coſtello* (nuper recenſitum (*m*), Gladio peremptos, quos Silentio præterivi. Quare hic inſerendos eſſe duxi, quamvis nihil peculiare de ipſis recenſere poſſumus abſque pleniori Notitia Circumſtantiarum Loci, & Temporis, & reliquarum, quæ in eorum Morte intervenerunt.”

XXXIII. “Ibidem (*Clonmellæ*) P. Fr. THOMAS O-HIGGIN, ab Hæreticis conjectus in Carcerem, demùm pro Fidei Confeſſione damnatus ad Suſpendium, adeptus eſt glorioſi Certaminis Coronam,” (*n*) Anno 1651.

Redeat *Daniel* noſter *O-Daly*, ſivè *Dominicus de Roſario* (*o*), ajens: *P. Fr. Thomas O-Higgin Sacerdos Ordinis Prædicatorum, ab ijſdem Hæreticis* Clonmellenſis *Præſidij captus, aliquamdiù Carceri mancipatus, & demùm Laqueo ſuſpenſus eſt.*

XXXIV. “Ex Conventu *Athenrienſi* eodem Anno (1651) P. Fr. VINCENTIUS-GERALDUS

(i) Ex Capitulo Generali *Romæ* 1656. Pag. 151.

(*k*) Videſis Caput xvii. Num. xlv.

(*l*) Ex Cap. Gen. *Romæ* 1656. Pag. 151 Adeas Cap. ix. §. xl. Num. iii. Pag. 329.

(*m*) Num xxiii. Cap. præſ. Pag. 566.

(*n*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 151.

(*o*) Pag. 358.

“ **DILLON** ob Fidem Eboraci *(p)* retruſus in Carcerem, poſt multa Patientiæ, & Conſtantiæ Exempla, “ Squalore, Fame, Pædore in Vinculis abſumptus, Bravium accepit.” *(q)*

Iterùm redeat Daniel *O-Daly*, ſeù D*ominicus de Roſario* (*r*), ſic enarrans: *R. P. Fr. Vincentius, alias Geraldus, Dillon, Collegij Hibernorum* Ulyſſiponenſis *Ordinis Prædicatorum quondàm Vicarius, Proſapiâ nobilis, Religione, & Doctrinâ ſpectabilis, dùm* Londini *aſſiſteret, in extremo Regis, & Parlamenti Diſcrimine (s), nobilibus* Catholicis *in Exercitu regio militantibus, à Conſilijs, & Confeſſionibus adhæſit, in Prælio* Eboracenſi *ab Hæreticis captus, & in Carcerem intruſus eſt, nec indè dimiſſus, quàm Inediâ, & Squalore confectus, interijt.*

XXXV. “ Ex eodem (*Athenrienſi Conventu*) P. Fr. **STEPHANUS PETIT**, dùm Catholici Militis “ Confeſſionem excipit, à Milite Sectario eminùs Glande plumbeâ trajectus, Curſum conſummavit” (*t*), Anno 1651.

XXXVI. “ Ibidem (*Athenriæ*) Fr. **JACOBUS MORAN**, Converſus, Fr. **DOMINICUS** (ſeù D*onatus*) **NIGER**, & Fr. **RICHARDUS HOVEDON**, Manibus Hæreticorum felices Victimæ pro “ Chriſto ceciderunt” (*u*), Anno 1651.

XXXVII. “ Anno 1651 R. P. Fr. **MICHAEL O-KLERY**, (*O-Clery*), Prior *Waterfordienſis*, & “ P. Fr. **GERALDUS BAGOT**, dùm Catholicis Hibernis, Peſte infectis, Sacramentorum Miniſterio “ intrepidè ſuccurrerunt, correpti & ipſi, felici Agone poſuerunt Animas ſuas pro Amicis ſuis.”

Idem præſtiterunt “ Anno 1652 P. Fr. **THADDÆUS O-CAHOLY** (*w*), Fr. **GULIELMUS** “ **GERALDINUS**, & Fr. **JOANNES GERALDINUS** Limerici.” Verba ſunt Capituli Generalis *Romæ* 1656 (*x*).

XXXVIII. De iiſdem autem, atque *Donaldo O-Brien, Geraldo Geraldino, Donato Nigro*, & *Davide Rocheo*, in hunc Modum diſcurrit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (*y*): *Nec Oblivioni tradendam puto Memoriam illorum piorum Hominum, qui ex Chriſtiana Charitate Proximis Peſte contactis, vel Auxilij Genere ſublevandis, Mortem, quam vitare potuere, liberè oppetentes, adepti ſunt. Hos ſiquidem non quoquo Modo, vel latè dicto, ſed verè, proprieque, ſtrictâ, atque rigoroſâ Nuncupatione, Martyres eſſe non ſolùm doctorum Virorum Sententiâ, & Approbatione, aut multorum Sanctorum Hominum in primitiva Eccleſia Officio, & Praxi, ut* S. Gregorij Thaumaturgi *in* Neocæſarea *Anno* 255, S. Cypriani Carthagine *eodem Anno*, S. Gregorij *Magni* Romæ *antè initum Pontificatum circà Annum Chriſti* 590 *(de quo videri poteſt* Theophilus Raynauldus, *Societatis Jeſu, in Libro* de Martyrio per Peſtem, *impreſſo* Lugduni 1630, *ubi doctè, & luculenter probat, hos omnes ex Charitate mortuos, veros Martyres eſſe) ſed etiam Romanæ Eccleſiæ de Sanctis* Alexandrinis *ſpectatiſſima Authoritate comprobatur. Siquidem in Romano Martyrologio, totius Eccleſiæ Authoritate probato, de Sanctis* Alexandrinis, *contactos Lue juvantibus, hæc Verba habentur:* Alexandriæ Commemoratio Sanctorum Preſbyterorum, Diaconorum, & aliorum plurimorum, qui Tempore Valeriani Imperatoris cùm Peſtis ſæviſſima graſſaretur, Morbo laborantibus miniſtrantes, libentiſſimè Mortem oppetiere, quos velut Martyres religioſa piorum Fides venerari conſuevit. *Habentur eadem Verba in Martyrologio noſtro, quod quotidiè in Choro Fratrum Prædicatorum legitur, pridie Kalendas Martij. Robur autem, & Fidem hujus Authoritatis ab omni Suſpicione, & Labe expurgat præfatus Author, ut probet veros eſſe Martyres, qui hoc Genus Mortis ex Proximi Charitate oppetunt, & cum Effectu conſequuntur.*

Satis eſto hanc Doctrinam eſſe probabilem valdè, nec noſtra refert, an requiratur neceſſariò lethale Vulnus, aut Mors ipſa cum Effectu conſequuta propter Odium Fidei, aut Virtutis præceſſiſſe ad Martyrium ſtricte ſumptum (etſi Noſtratûm hæc Sententia), etenim ſivè analogicam Martyrij Rationem, ſivè veram & ſtrictam importet illa Particula, velut Martyres, *de* Alexandrinis *poſita, ſatis indicat, Genus hocce Mortis ab Eccleſia Sancta & Catholica, pia quadam, & præſtanti Veneratione colendum.*

In hoc ergò Genere Mortis primus Lauream accepit R. P. Fr. Michael O-Clery, *Collegij noſtri* Ulyſſiponenſis *Alumnus, & Conventus noſtri* Menapienſis (*z*) *Prior. Etenim graſſante in Civitate* Menapienſi (*quæ*

(*p*) Vulgò *York*. Urbs eſt Archiepiſcopalis in *Anglia*.

(*q*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 151.

(*r*) Pag. 359.

(*s*) Conſulendum Cap. xvii. Num. xxxvi.

(*t*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 152. Porrò quod alter planè ſit ab eo, quem Cap. præſ. Num. xiii. Pag. 562. memorabam, conſideranti diſtinctos Annos, & Conventus patebit.

(*u*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 152.

(*w*) Lege *O-Cahaſy*.

(*x*) Pag. 153.

(*y*) Pag. 367, & ſeqq.

(*z*) Conſulendum Cap. ix. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(quæ Waterfordia *dicitur) Peſte truculenta, Loci Epiſcopus Sacerdotum, & Fratrum Religioſorum omnium de Salute Animarum opportunè providenda Concilium advocat, Charitatis Officium ſimul ac Meritum fore ſupremum, Remque Deo gratiſſimam expoſuit, ſi qui vellent illis, non modò Catholicis, & Concivibus ſuis, ſed & Parentibus, & Cognatis, Lube, Lueque pereuntibus, Sacramentorum Adminiſtratione ſubvenire. Reticentibus alto Silentio alijs omnibus, noſter Prior, & Sacerdos quidam benemeritus,* D. Patritius Vitus, *Canonicus* Menapienſis *ex præcipuis illius Civitatis oriundus, ac Germanus Frater R. A. P.* Franciſci Vitus *Societatis Jeſu, & Collegij* S. Patritij Ulyſſiponenſis *nunc Miniſtri meritiſſimi, ſeſe ultro huic Miniſterio obtulere. In Triduo generali Confeſſione Peccatorum, necnon & Euchariſtiæ Sacratiſſimo Sacramento ſe præmunientes, Infectionis Campum ingreſſi ſunt, Officium Spiritualis Medici ſedulo exercentes. Poſt auditas ferè omnium Confeſſiones, ipſi tandem unà contacti ſimnl interiere.*

Secundus. P. Fr. Geraldus Bagot, *ejuſdem noſtri Collegij* Ulyſſiponenſis *Fratrum Prædicatorum Alumnus, Vir Ingenij Acumine inſignis, ac Proſapiâ nobilis, dum Rure* Limericum *veniſſet, rogatus pro Dei Amore tantiſper à ſuo Tramite divertere, ut Hominis cujuſdam Peſte contacti, jamque Animam arcentis, Confeſſionem audiret, acquievit pius Pater, & Hominis Salutem propriâ Morte redemit. Expleto ſiquidem illo Charitatis Officio, mox ſeipſum ſenſim infectum, nec auſus Civitatem ingredi, poſt Triduum, Confeſſioni, & Communioni applicatum, extrà Muros mortuus eſt.*

Tertius. P. Fr. Donaldus O-Brien *eodem planè Modo, ex ſcilicet amplexa Confeſſionis Occaſione Peſte correptus, in* Tuomonia *(a) mortuus eſt.*

Quartus. P. Fr. Thaddæus O-Cahaſi, *qui in Obſidione Civitatis* Limericenſis *dùm foris Gladius urgeret, atque intùs Peſtis abſumeret, eam ſibi Provinciam accepit, ut Infirmorum Militum Zenodochio inſerviret, erat quippe prope Conventum Prædicatorum ſitum, adeoque Charitatis Officijs accommodatum, Hoſpitale omnium infirmorum (ſolos excipe peſtiferos) commune Receptaculum. Verùm & id ipſum, indeque & noſtrum Patrem invadit Peſtilentia, perceptiſque rite Sacramentis, Die quintâ mortuus eſt. Hujus autem audiendæ Confeſſionis Gratiâ accedit R. P. Fr.* Joannes-Gulielmus Geraldinus, *Vir planè religioſus, & doctus, Prædicator Generalis, & varijs in Conventibus Prior, Peſtem etiam hauſit mortiferam, quâ Die tertio extinctus eſt.*

Huic tandem Joanni à Confeſſionibus aſtitit Geraldus Geraldinus, *ejuſdem Ordinis Prædicatorum Sacerdos (b), & prædicti Joannis Sanguinis Fædere Germanus Frater, qui etiam illico contactus Peſte, Sacramentis pie perceptis, tertio Die requievit in Pace.*

Sileo Fratrem Donatum *Cognomento* Nigrum, *Laicum Ordinis Prædicatorum, ex Provincia* Conaciæ, *in Habitu repertum, & mox interfectum.*

Sileo Davidem Rocheum, *Prædicatorem Generalem, ab* Anglis *ad* Americas *Inſulas in Servitutem* Nicotianæ *Plantationis aſſertum.*

Sileo alios quamplures, qui tot ſpecialibus, & capitalibus Edictis in proprias Perſonas ab Hæreticis impetiti, Calicem Perſecutionis guſtaſſe, ſi non penitùs abſorbuiſſe, viſi ſunt.

Scio alijs Eccleſiaſticorum Hominum Ordinibus non deeſſe Præcones, qui ſuos, ſuorumque Labores concinne concinere velint, quibus Ego Vicem hanc cedo, non quia Laborem hunc refugio, ſed quia me ipſa geſtarum Rerum Series præterit.

XXXIX. " Item R. P. Fr. THOMAS PHILBINUS (*Mac-Philbin*) quondùm Prior *Bureſulenſis*, &
" P. Fr. CAROLUS MAC-CUIL, in hoc ſummæ Charitatis Officio Vitam mortalem amiſerunt pro
" immortali " (*c*) Anno 1652.

" XL. Neque tacendus hic P. Fr. GASPAR BOYTON, Conventûs *Caſſelienſis*, Vir miræ Simplici-
" tatis, ac Integritatis, humilis Contemptor ſui, in educandis Novitijs dexterrimus, qui ut, ſæviente
" atrociſſimâ Perſecutione, Catholicorum Spirituali Solatio in adminiſtrandis clàm Sacramentis non de-
" eſſet, per Triennium Nobilis cujuſdam Catholici Opilionem egit interdiu, ſacris Miniſterijs Noctu
" intentus. Amiſſo deindè Oculorum Lumine, non ceſſavit Mendici Habitu diſcurrere per Patriam con-
" fortando Catholicos, eorumque Confeſſiones excipiendo. In quibus Laboribus glorioſè conſumptus,
" obijt circà Annum Domini 1652 " (*d*).

(*a*) Nunc dicitur *Comitatus Clarenſis*.

(*b*) Diverſus planè ab altero *Geraldo Geraldino*, Num. xxii memorato, utpotè duntaxàt *Clerico*, ſeu Choriſta.

(*c*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 153.

(*d*) Idem ibidem.

XLI. "Anno 1652 P. Fr. JOANNES O-CUILLIN (*Athenrienſis*), vivum Obſervantiæ, ac Religionis Exemplar, Orationi, ac Jejunijs (licèt infirmâ ſemper Valetudine) deditiſſimus, vili perpetim Veſte contentus, tantùm Ingenio valuit, ut omnes ferè Scientias abſque Præceptore didicerit. Hæreſes doctiſſimè in varijs Congreſſibus revincebat, Catholicos animabat, pro Auctoritate S. Sedis Apoſtolicæ (*e*) nullum non Diſcrimen adijt, undè tandem ab Hæreticis captus, pluriniſque Vulneribus confoſſus, Vitam pro Chriſto alacriter dedit, Virginitatis, ac Conſtantiæ Candidatus. Caput à Trunco reſectum, Haſtæque infixum, pro Trophæo expoſitum fuit" (*f*).

XLII. "Eodem Anno (1652) P. Fr. EDMUNDUS O-BERN, Conventûs ſui *Roſcomanienſis* bis Supprior, pro Fide, Patria, ac S. Sedis Apoſtolicæ debito tuendo Reſpectu (*g*), extrema agens, ac patiens, ideòque à Sectarijs ad Necem perquiſitus, demùm in eorum Manus incidit, ſtatimque Bipennibus, Sclopis, Gladijs undique confoſſus, Zeli ſui Candorem triumphali Sanguine purpuravit" (*h*).

XLIII. "Pari felicitate petitus eſt ſequenti Anno (1653) P. Fr. RAYMUNDUS KEOGHY, dicti Conventûs (*Roſcomanienſis*) Filius, qui ab Hæreticis captus, in Odium Religionis Supplicio affectus fuit." (i).

XLIV. "Anno 1653 Soror HONORIA DE BURGO Virginitatis Candori Purpuram Martyrij adjunxit, ut Sponſo candido, ac rubicundo ſe probaret. Hæc ex Illuſtriſſima Familia Dynaſtarum *de Burgo* (*k*) in inferiori Conacia (l) Patre *Riccardo* nata, quartodecimo Ætatis Anno Habitum *Tertij* (*m*) Ordinis, quem *S. Catharinæ Senenſis* vocant, Manibus R. P. Fr. *Thaddæi Duani*, Provincialis *Hiberniæ* (*n*) induit, in quo perſanctè vixit, erectâ ſibimet Domo juxtà Eccleſiam noſtri Conventûs *Bureſulenſis*, ubi continuò ſub Regno *Elizabethæ*, *Jacobi* (*Primi*), & *Caroli* (*Primi*), uſque ad decrepitam Ætatem, aſſiduis Pietatis Operibus ſe exercuit, per totum Vitæ ſuæ Decurſum nullâ unquàm mortali Noxâ admiſſâ, ut Fama eſt.

"Sub communi Annonæ Caritate ipſa cum alia Ordinis Sorore (*o*) periclitabatur Fame: Sed Sponſi Opem, quæ ſola ſupererat, fuſis Præcibus imploranti mox ad Portam adfuit Peregrinus juvenis (ut piè creditur Angelus Domini) qui de omnibus abundè providit Ancillis Chriſti, ignaris quis, aut undè eſſet, quovè receſſiſſet.

"Denique in ultima hac Perſecutione *Cromuelliana* diſperſis undique Religioſis, pia Virgo cum prædicta Sorore, & Ancilla ad Laci cujuſdam *Inſulam*, *Sanctorum* (*p*) dictam, cum frugali Commeatu ſe recepit, ubi tandem ab inſequentibus Inimicis capta, ac Rebus omnibus ſpoliata, ipſis quoque Veſtibus per ſummam Barbariem mediâ Hyeme (nam *Februarius* erat) direptis, ſeminuda abducitur, dumque Algore obfrigida, nec aliquid habens præter Cutem, & Oſſa, à Barbaris in proximam Scapham impetuoſe inſtar Faſcis Sarmentij projicitur, tres ei ſimul in Corpuſculo confractæ ſunt Coſtæ, undè & vivendi Finem fecit, priùs tamen ab Ancilla ad Eccleſiam noſtri Conventûs *Bureſulenſis*, uti petierat, Humeris delata, & antè Beatiſſimæ Virginis Altare reclinata: Undè mox digreſſa Ancilla, ut alteram Sororem, in Sylva relictam, perquireret, revertens ad Templum reperit eodem Loco Sororem *Honoriam* flexis Genibus, erectoque Collo, velut orantis Situ, placidè in Domino conſopitam. Ejus aliæ Res geſtæ prolixiori Hiſtoriæ reſervantur." (*q*).

XLV. "Soror HONORIA MAGAEN, eundem *Tertium* Ordinem profeſſa, ac prioris individua Laborum Ærumnarumque Socia, veluti à qua, nec in Morte, nec in Tumulo, potuit ſeparari. Hæc à ſupradictis Inferni Satellitibus in eadem *Inſula Sanctorum* capta, Veſtibus nudata, multiſque affecta Vulneribus, cùm eſſet Ætate junior, ac magis Pudicitiæ ſuæ metueret quàm Vitæ, in proximam Sylvam furentium Manibus elapſa, cavæ Arboris Trunco ſe abdidit, ubi poſtridiè Frigoribus extincta reperta fuit, ſimulque cum Sorore *Honoria* tumulata" (*r*) Anno 1653.

XLVI. "Anno

(*e*) Adeas Cap. xvii. Num. c.

(*f*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 152.

(*g*) Adeas Cap. xvii. Num. c.

(*h*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 152.

(*i*) Idem ibidem.

(*k*) Conſulendum Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. b. Pag. 318.

(l) Id eſt in Agro *Mayonenſi*.

(*m*) Adeas Cap. x. §. iv. Num. ii. Pag. 343.

(*n*) De quo Cap. xiv. Num. v, & vii. Pag. 521.

(*o*) Nominandâ Num. ſeq.

(*p*) Juxtà *Mayonenſem* Agrum *Conaciæ*. Videſis Cap. xiii. Num. xxxvii. Pag. 473.

(*q*) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 159, & ſeq.

(*r*) Idem Pag. 160.

XLVI. “Anno 1653 R. P. Magiſter Fr. THADDÆUS MORIARTI Palmam Victoriæ obtinuit. Hic regulari Obſervantiæ, Jejunijs, ac peculiariter Orationi uſquè adeò deditus erat, ut cum in Conventu *Toletano (s)* mirè proficeret in Literis, de ipſo aſſererent illud celebre Acroama S. Thomæ, *quidquid ſciret, non tàm Studio, ac Labore, quàm cælitus* Precibus impetratum *accepiſſe.* Fuit Conventûs ſui *Traleienſis* Prior, ac pro Orthodoxa Religione, & Pontificiâ Auctoritate defendendâ nulli unquàm Labori pepercit. Incrudeſcente Perſecutione, oblatam ſibi Regno excedendi, & ad tutiora migrandi Licentiam reſpuit, miſertus Catholicorum, quibus Præſentiam ſuam perneceſſariam videbat. Itàque comprehenſus demùm & *Killarniam (t)* ductus, Patibulo adjudicatur, ubi ex Summitate Scalæ velut è Roſtris Fideles exhortatus, ac Hæreſibus Interitum vaticinans, dicto Verſu: *In Manus tuas Domine*, &c, generosè Mortem amplexus eſt, ipſis Sectarijs affirmantibus, ſi quis Papiſtarum cenſendus ſit Martyr, hunc certè Martyrem eſſe.” (*u*).

Audiamus inſuper *Danielem* noſtrum *O-Daly*, aliàs *Dominicum de Roſario*, de eodem ſic præcinentem (*w*): *R. Admodùm P. Fr.* Thaddæus Moriarti, *ejuſdem Collegij* Ulyſſiponenſis *Alumnus, S. Theologiæ Magiſter, & Conventûs* Traleienſis *in* Momoniæ *Provincia poſtremus Prior, Vir non ſolùm Theologiâ Scholaſticâ, ſed & Poſitivâ, nec minûs Virtutnm Splendore, quàm abavitæ Nobilitatis Charactere illuſtris. Hic ab Hereticis (quorum Aures jamdiù Hominis Fama invaſerat) captus, nunquam lætior innupta ad maritalia, quam hic ad Carceris Vincula, nec avidior famelicus ad Convivia, quâm hic ad Patibulum exivit. Primo de data Mortis Sententia Nuncio Manuum Oſculis, & Amplexibus, Cuſtodibus ſuis, & conducentibus Militibus Nummis in Promptu habitis ablectatis, Catholicorum aſtantium Animis pulchrâ Oratione de Excellentia* Religionis Catholicæ, & Romanæ, *de humanæ Vitæ Inconſtantia, & dubia Mortis Anſa, de Martyrio ſecuriſſimo in Cælum Calle, & Viarum omnium Compendio recreatis, Laqueo ſuſpenſus eſt. Sed & multorum Animis Stuporem pariter, & Admirationem ingeſſit, Vultum Hominis, anteà tàm longâ Carceris Inediâ fuſcum, lividum, & Oculis quodammodo ingratum (Morte transfiguratum dixiſſes) tantâ Charitate, & Venuſtate ſplenduiſſe, ut quaſi quoſdam Lucis Radios jaculaſſe videretur, ità ut ipſi Carnifies Vultum ipſius tanquàm Angeli eſſe faterentur. Humilitatis, & Patientiæ ſingulare totâ Vitâ ſuâ ſe præbuit Exemplum. Nunquàm iraſci viſus eſt. In Paſſione ſua tam raræ fuit Tolerantiæ, ut Hæretici fatuum eſſe aſſererent, nam adeo Vitam contempſit temporalem, ut Fuſtibus onuſtus, Colaphis cæſus, Veſtibus exutus, non ſolùm Impatientiæ, ſed nec Senſibilitatis Indicium oſtenderet, tanquàm Ovis ad Occiſionem ductus. Omnibus à Judice interrogatis ità libere, conſtanter, ac veraciter reſpondit, ut ipſum neſcire mentiri faſſi ſint contrarij. Dum interrogaret Præſes, quare Edictis Regni non obtemperaret, dixit ſe teneri obedire potiûs Deo, ac Vicem ejus Gerentibus, qui ipſi ſuam Functionem exercere imperabant. Judicem Uxor admonuit, nihil habere cum Sanguine innocentis iſtius, cui ait ſe aliàs proprium Periculum exponere. Plane in omnibus ſe Apoſtolicum Miniſtrum, ac Verum Chriſti Diſcipulum, ejus Veſtigia ſectando, exhibuit, juxtà omnia Signa veri Miniſtri concinne depicta à Magno Auguſtino* Tom. 10. Serm. 39 ad Fratres in Eremo. *Paſſus eſt* 15 *Octobris Anni* 1653, *& adhuc Noctu Dieque Milites Hæretici Corpus ejus cuſtodiunt ne à Sepulchro tollatur, & hic Error eſt pejor priore.*

XLVII. “Ex eodem Conventu (*Traleienſi*) R. P. Fr. THOMAS MORIARTI, Frater memorati Patris (*Thaddæi*) incedebat per Patriam larvatus, & adminiſtrans Sacramenta Catholicis Ovibus, nullum habentibus Paſtorem. Catechizavit continuò, in quo Exercitio multos Annos conſumpſit, & tandem multis Incommodis ſævæ Perſecutionis exagitatus diù, piè migravit hinc ad meliorem Sortem, ut ſperatur (*x*), poſt Annum 1653.

XLVIII. “Anno eodem (1653) Fr. BERNARDUS O-KELLY, Converſus, è Conventu *Roſcomanienſi*, poſt diuturnum Carceris Squalorem, ferreorum Vinculorum Pondera, Inediam (quæ ipſum ad vendendam pro Pane unicam, quâ tegebatur, Veſtem adegerat) *Galviæ* per Sententiam damnatus ad Mortem, publicoque Suſpendio erectus, viriliter Animam ſuam pro Cauſa Religionis poſuit.” (*y*)

XLIX. “Anno

(s) *Toletum* Urbs eſt Archiepiſcopalis Regni *Caſ-llæ Novæ* in *Hiſpania.*

(t) *Killarnia* Pagus eſt *Kerrienſis* Agri, *Traleiâ* ptemdecim Milliaribus diſtans.

(u) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 152, ſeq. Ipſius quoque meminit Capitulum Generaliſſimum Anni 1644, ut legere eſt ſuprà, Cap. v. Num. x. Sect. 6. Pag. 115.

(w) Pag. 355, & ſeqq.

(x) *O-Heynus*, Pag. 20.

(y) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 153.

XLIX. “Anno 1654 P. Fr. HUGO MAC-GOILLIUS (*Mac-Gaill*), è Conventu *Rathbrannenſi*, ob egregiam Literaturam, Modeſtiam, Vitæque Innocentiam, Novitijs educandis, & inſtruendis præfectus Magiſter, urgente Fidei Zelo, *Waterfordium* (z) ultrò acceſſit, Catholicos illic periclitantes confortaturus, ubi ab Hæreticis captus, liberrimeque ſe Sacerdotem, ac Religioſum profeſſus, damnatur ad Laqueum; jamque proximus fatali Trabi talem ad circumſtantes Concionem habuit, quæ & ipſos Impietatis Satellites compunxerit. Mortui Corpus non ſine Pompa Catholici devote ſepelierunt.” (a)

L. “P. Fr. THOMAS BERMINGHAM Anno 1655 Exul, non ſine Odore eximiæ Probitatis Animam, multis pro Fide Ærumnis, ac Laboribus exercitam, Deo reddidit. Erat is inſigniter eruditus, ac mirè deditus Orationi, in qua Noctes integras conſumebat. Rigidus Carnis ſuæ Domitor aſperrimis Diſciplinis ad Sanguinis Effuſionem creberrimè ſe affligebat, Jejunijs, & Abſtinentiâ exhauſtus. Somnum in duro Scamno, & ligneo Cervicali libabat potiùs quàm capiebat. Incendij Conventûs *Naſenſis* (cujus tunc erat Prior) Vi Precum Extinctionem impetravit. Similiter obſeſſæ Civitati *Naſenſi* orans Præſidio fuit, quando promiſſo Civibus, & Militibus cæleſti Auxilio contrà Fidei Hoſtes in Orationem procubuit, ipſo delatæ Thaumaturgæ Imaginis *Sorianenſis* Anniverſario Die (b) obtinuit, quod S. Pater *Dominicus* palàm appareret in Faſtigio Templi, ipſis quoque Inimicis conſpicuus, ex quo paulo poſt Civitas ab Obſidione liberata fuit. Demùm ab Hæreticis captus, ac direpto proprij Ordinis Habitu, Veſtem Patrum Minornm S. *Franciſci* indutus, inter Scommata, Ludibria, Militumque barbaras Petulantias veluti Agnus *Dublinium* adducitur, ubi inſtar Fatui exagitatus, conjectuſque in Carcerem, demùm cum alijs Confeſſoribus ſubijt Sententiam Deportationis ad Inſulas *Barbadus*; at Lytro per Dominos *Conſtantinum* & *Felicem O-Neil*, & D. *Hugonem O-Roirk* oblato, in *Hiſpanicum* Littus emiſſus, *Romam* adijt, ac viſitatis ſacratioribus *Italiæ* Locis, Vitæ Curſum feliciter explevit.” (c)

LI. “Eodem Anno (1655) ſimilem penè, at in Patria, vivendi Finem cum publica Probitatis Opinione habuit Venerabilis Senex P. Fr. DANIEL O-CREIDEGAIN,” inquit Capitulum Generale *Romanum* 1656 (d). At cum dictus P. *Daniel* Prior Provincialis fuerit *Hiberniæ*, idcircò reliqua de eo prælibati Capituli Verba alibi opportuniùs exſcribebam (e).

LII. “Ex Conventu Colranenſi R. P. Fr. JOANNES FLAVERLY, Prior ejuſdem Loci, in Flumen projectus, & Lapidibus obrutus à Militibus Hæreticis, pro Fide Vitam tradidit ſub Cromuello” (f) circà Annum 1656.

LIII. “Etiam P. Fr. JACOCUS O-REILLY (*Colranenſis*) ſub Militum furioſis Verberibus Vitam finivit” (g) circà Annum 1656. Porrò alius *Jacobus O-Reilly*, ſed *Clonmellenſis*, Martyrium ſubijt Anno 1649, ut ex anteà dictis patet (h).

LIV. “R. P. Fr. JOANNES O-LAIGHIN, Prior *Derienſis*, poſt longas Carceris Ærumnas, & diuturnam Inediam, ingentibus Hæreticorum Pollicitationibus, ſi Fidem deſereret Catholicam, mori præelegit. Retulerunt de ipſo Concaptivi, ſeipſos vidiſſe illum ſub Fervore Orationis Cubiti Altitudine in Aera elevari, & quod ipſe tunc faſſus ſit, ſe vidiſſe cæleſtem Gloriam, ne Acerbitati Tormentorum ſuccumberet, finalis Perſeverantiæ Coronâ jàm præviſâ. Strangulati in Patibulo detruncatum eſt Caput, ſicque Martyrio coronatus fuit” (i) circà Annum 1657.

LV. R. P. Fr. GREGORIUS FRENCH, Alumnus Cænobij *Galvienſis*, ſtuduit in *Italia*, & redux in Patriam vivum ſe exhibuit Pietatis, ac Obſervantiæ Exemplar, digniſſimus proptereâ qui novo Monialium noſtrarum Monaſterio *Galvienſi* præeſſet, earum Superior, & Vicarius perpetuus ab Excellentiſſimo D. *Joanne-Baptiſta Rinuccino*, Nuntio Apoſtolico, conſtitutus, ut ſuo Loco obſervabam (k). “Hic venerandus Pater; inquit *O-Heynus* (l), abactus è Pattia, expugnatâ *Galvia*, ac toto Regno ſubacto per *Cromuellianos*, remeavit in *Italiam*, obijtque poſt aliquot Annos (*circà* 1660) cum Opinione

“Virtutis

(z) In *Momonia*, de qua Cap. ix. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(a) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 153.

(b) Scilicet Die 15 Septembris, quo Commemoratio miraculoſæ iſtius Imaginis à Fratribus Prædicatoribus celebratur, ut nuper dictum Num. xix. Lit. w. Pag. 564.

(c) Capitulum Generale *Romæ* 1656. Pag. 154.

(d) Pag. 154.

(e) Cap. xiv. Num. xi. Pag. 522.

(f) *O-Heynus* Pag. 4.

(g) Idem ibidem.

(h) Cap. præſ. Num. xxv. Pag. 566.

(i) *O-Heynus*, Pag. 3.

(k) Cap. xi. §. ii. Num. ii. Pag. 350.

(l) Pag. 23.

" Virtutis *Viterbij* in Conventu S. Mariæ de *Quercia*. Audivi à multis in Patria, quod eſſet Confeſſarius maximè prudens, & pius, ac Propagator ingens SS. Roſarij."

LVI. Fr. GULIELMUS GORMAIN, Cænobij *Killocienſis*, vulgò *Kilmallock*, Converſus, " conſcendens Campanarium (*m*), ſe defendit animosè ab Aggreſſoribus donec Catholici acceſſerint, Suppetias ei ferentes. Iſte Frater abijt poſteà in *Hiſpaniam* & moratus eſt diù in Conventu magno, & religioſo *Valliſoletano*. Sartor erat concinnus, undè Gratiam obtinuit citæ Receptionis. Sed brevi gratior evaſit, quando detectum fuit Donum, illi à Deo datum, ad ſanandas varias Infirmitates ſola Contactu ſuæ Manûs, & præ alijs Chæradas, ſeù Strumas (ſivè *Scrofulam*) curabat infallibiliter (N), undè Strumoſi ex Locis circumvicinis confluebant *Matritum* ad iſtum Fratrem, qui, eò vocatus, fuit Sacriſta providus in Conventu Beatiſſimæ Virginis de *Athocha*, poſteâ fuit Procurator Generalis pro Provincia *Hiberniæ* in Curia *Matritenſi*, ibidemque obijt cum bona omnium Opinione (*circà Annum* 1665). Audivi autem *Matriti*, quod illa Vis ſanandi Strumas eſſet mere naturalis, eo quod fuerit ſeptima Proles maſcula conſequenter, Filiæ nullius interpoſità Nativitate, nec ullo pariter abortivo. Ut ut ſit, erat bonus Religioſus, Deo, & Ordini fideliter famulans ſine Querela."

LVII. " R. P. Fr. CHRISTOPHORUS O-FERRALL, Conventûs *Dublinienſis*, ſtuduit *Lovanij*, indè remeans appulit *Dublinium*, ubi fuit Prior, & Confeſſarius pius, diligens, ac prudens. Simul cum ſuo Provinciali, P. Magiſtro Fr. *Joanne O-Hart* (*n*), ob Defenſionem Pontificiæ Poteſtatis conjectus fuit in Carcerem *Dublinienſem*, detentuſque eſt ibidem per Triennium integrum, nec dabatur illi Lectus, ſed cubare debuit ſuper nudam Terram. Et illemet poſteà mihi affirmavit, quod crebrò ejus Pedes mordebant Sorices. Erat Cultor ſingularis Beatiſſimæ Matris Dei Mariæ" (*p*). Piè obijt poſt Annum 1664.

LVIII. " R. P. Fr. ARTHURUS PANTI, ex eodem Conventu (*Dublinienſi*,) carceratus & ipſe *Dublinij* eandem ob Cauſam, poſteà Procurator pro *Hibernia* obijt Hiſpali" (*r*) poſt Annum 1664.

LIX. " R. Admodùm P. Fr. RAYMUNDUS (*Morus*) O-MORRADH, ex eodem Conventu (*Dublinienſi*), inſignis Theologus, ſtuduit in *Hiſpania* glorioſè, & in Collegio *Ulyſſiponenſi*, & illicò ac appulit *Dublinium* carceratus ſimul cum prædictis Patribus Triennium conſumpſit ſub ijſdem Afflictionibus in eodem Carcere niſi quod ſub Fine tertij Anni mortuus ſit ibidem glorioſus, doctus, & fortis Vir pro Honore, & Unitate Eccleſiæ in ſuo Capite viſibili, ſupremo, & infallibili. Anglice loquendo dicitur *Moore*, at Cognomen ejus eſt merè hibernicum ; ortus eſt enim ex Clariſſima Familia D. *O-Morradh*, quondam Domini, ac Dynaſtæ, ſivè Reguli totius (*q*) Comitatus, qui hodiè vocatur *Comitatus Reginæ*. Obijt in dicto Carcere Anno 1665." (*r*)

LX. " R Adm. P. Fr. GULIELMUS DE BURGO, ex Domo *Burgorum* de *Iſerkealla* (*s*), clarus Familiâ, ſtuduit in *Hiſpania*, & redux vixit cum ſummo Exemplo in ſuo Conventu *Athenrienſi* quoaduſque devicto Regno per *Cromuellum*, extorris factus fuerit ſub Annum 1650. Tùm venit in *Galliam*, & moratus eſt in Conventu *Venetenſi*, vulgò *Vanne*, religioſiſſimæ, & doctæ Congregationis *Britannicæ*, uſque ad Mortem " (*t*), quam piè obijt circà Annum 1665.

LXI. " R. Adm. P. Fr. JOANNES O-FAHADH (*O-Fahy*), ſtuduit operosè nimis, & cum Fructu uberrimo in *Italia*, undè profectus in Patriam, inſtitutus eſt Philoſophiæ Lector in ſuo nativo Conventu *Athenrienſi*, deindè Magiſter Studentium, ac Theologiæ Lector, quæ Officia adimplevit cum magno Applauſu, & tamen ſingulis Diebus feſtivis prædicavit doctè, & facundè. Erat Vir magnæ Mortificationis, & Pietatis Exemplar intùs, & extrà. Semper ibat Pedes quocunque eundum eſſet. Nunquàm à Profeſſione portavit Linea, & ordinariè veſtiebatur laceris Habitibus. Valdè oppoſuit ſe his, qui non acquieſcebant Legato S. Sedis (*u*). Catholici venerabantur illum oppidò. Regno ſubacto, & Religione conſequenter proſtratâ, ipſe fuit compulſus diſcedere ex Patria (*circà Annum* 1652). Indeque perrexit iterùm in *Italiam*, & vixit *Viterbij*, ubi piè obijt " (*w*) circà Annum 1665.

LXII.

(*m*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 17.

(N) Videſis Cap. ii. Num. xvi. Lit. i. Pag. 45.

(*n*) Confer Cap. xiv. Num. xvi. Pag. 525.

(*o*) *O-Heynus*, Pag. 7.

(*p*) Idem ibidem.

(*q*) Excipe tamen Regionem, ſeù Baroniam *Oſſo-* æ Superioris juxtà ſuperiùs dicta Cap. ix. §. xxx. Num. i. Lit. f. & Num. iii. Lit. p. Pag. 297, & 298.

(*r*) *O-Heynus*, Pag. 7.

(*s*) Conſulendum Cap. ix. §. viii. Num iv. Lit. n. Pag. 225.

(*t*) *O-Heynus*, Pag. 30.

(*u*) Adeas Cap. xvii. Num. iii.

(*w*) *O-Heynus*, Pag. 30.

LXII. “ R. P. Fr. EDMUNDUS DE BURGO, de *Gortnamexccan*, nobiliter natus, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, ſtuduit *Burgis* in *Hiſpania*, & rediens in Patriam captus eſt à *Mauris Algerienſibus* cum alijs duobus Patribus, qui detenti ſunt in Servitute duriſſima per Triennium, donec Lytrum pro illis miſerit Rex Catholicus *Philippus IV*. Iſte Pater ex hac Vita piè migravit in *Bethica*” (*x*) Anno 1670.

LXIII. “ R. P. Fr. EUSTACHIUS MAGUER, ex Conventu *Corcagienſi*, Vir plenus Pietate, & Zelo Fidei, tantæ fuit Fortitudinis, ut quaſi alter *Machabæus*, factus à Catholicis Gubernator Caſtri de *Druimeagh* (y), illum Locum ſervavit illæſum toto Tempore *Cromuelli*” (*z*), hoc eſt ab Anno 1649 ad 1660. Fatis autem piè ceſſit circà Annum 1670.

LXIV. “ Fr. RICHARDUS HUSSAY, Vir nobilis, in Matrimonio duxit Vitam longo Tempore, & poſteâ fuit profeſſus Converſus in Cænobio *Traleienſi*, atque ob ejus Pietatem ac Humilitatem ſpectatus plurimùm ab omnibus” (*a*). Piè obijt circà Annum 1671.

LXV. “ R. P. Pr. THOMAS TULLY, Athenrienſis, S. Theologiæ Præſentatus, peractis Studijs laudabiliter *Victoriæ* in *Hiſpania*, remeans in Patriam cum alijs duobus, P. *Edmundo* videlicet *de Burgo*, jam ſuperiùs memorato (*b*) & P. *Cornelio Mac-Mahon*, de quo ſtatim, à *Mauris* captus, ſub Servitute atroci Triennium tranſegit cum perfecta Reſignatione. Reſtituto noſtro Rege (*Carolo II*, 1660), Patriam petijt, & appulſus feliciter ad ſuum Conventum *Athenrienſem*, ex Mandato P. Provincialis *O-Hart* (*c*), Scholam exorſus eſt ipſe, & dictus *P. Mac-Mahon* in Loco valdè ſolitario, quam exercuerunt Decem Annis cum eximia Laude, & Fructu. Anno 1665, quo Ego indutus ſum, erant in Schola ter centum circiter Studentes parvi, & magni. Demùm fractus Laboribus aſſiduis in docendo, prædicando, Confeſſiones excipiendo, & catechizando infatigabiliter, Vir ſuaviſſimus, & verè religioſus, Sanctis Sacramentis piè receptis, mortuus eſt cum omnium Catholicorum Dolore ſummo Anno 1672 (*d*).”

LXVI. “ Collega illius P. CORNELIUS MAC-MAHON. Cænobij *Athenrienſis* pariter Alumnus, tranſlatus fuit ad Conventum *Kilkennienſem* ad docendum ibi, & ibidem obijt ſub Principio Anni 1674. Hic Pater fuit Triennio Magiſter Novitiorum in obſervantiſſimo Conventu *Segoviano* (*Hiſpaniæ*). Pater Magiſter Fr. *Joannes Martinez de Prado* (*e*) mirabatur Ingenium ejus, & Memoriam, ità ut auditus fuerit dicere, quod exiſtimabat hunc Patrem tenuiſſe memoriter Secundam Secundæ *S. Thomæ*, undè magnus ille Vir conſulebat eum crebrò circà Moralia. Fuit verus Iſraelita, in quo Dolus non erat, atque ſummoperè addictus Orationi contemplativæ, in qua conſuevit Nos duodecim Novitios, ſub ejus Cura poſitos, tenere tamdiù, ut ſæpè caderent multi in Terram præ Debilitate, & omnium Genua ulcerata eſſent” (*f*).

LXVII. “ R. P. Fr. NICOLAUS O-HALLURAIN ſtuduit optimè in *Hiſpania*, & regreſſus directè ad ſuum Conventum *Galvienſem*, applicuit ſe Prædicationi, in cujus Exercitio tâm magnum fecit Progreſſum, ut facilè poſſit annumerari inter optimos Prædicatores ſui Regni. Fuit ſæpiùs Prior ſui Conventus *Galvienſis*, & in ultimo ſuo Prioratu recepit me amantiſſimè, dùm iturus eſſem in *Hiſpaniam* pro Studijs Anno 1667. Erat Vir plenè bonus, facetus, & affabilis, inſerviens Deo, & Religioni cum Humilitate, & Charitate. Munitus Sacramentis, & ſui compos uſque ad extrema, obijt *Galviæ* Anno 1673, Ætatis ſuæ 75. Fuit Roſarij celeberrimus Propagator, & in omnibus devotiſſimus Cultor Sacratiſſimæ *Virginis* Mariæ Dei Matris” (*g*).

LXVIII. Alter “ Fr. NICOLAUS O-HALLURAIN, Cænobij item *Galvienſis* Alumnus, auditâ cum Specimine excellentis Ingenij totâ Philoſophiâ hic *Lovantj*, Infirmitate mortali correptus, obijt ibidem Anno 1676. Habitus eſt ab omnibus in hac Communitate (*Lovanienſi*) pro valdè virtuoſo, & narratum fuit mihi hic, quod exhumati ipſius Cadaveris, poſt Decennium in Sepulchro, Caro incorrupta adhæreret Oſſibus” (*k*).

Hujus

(*x*) Idem ibidem.

(y) In *Corcagienſi* Agro *Momoniæ*.

(z) *O-Heynus*. Pag. 13.

(*a*) Idem, Pag. 21.

(*b*) Num. lxii. Cap. præſ. Pag. præſ.

(*c*) De quo Cap. xiv. Num. xvi. Pag. 525.

(*d*) *O-Heynus*, Pag. 31.

(*e*) Scriptor *Hiſpanus* magni Nominis in Orbe Literario.

(*f*) *O-Heynus*, Pag. 31.

(*g*) Idem, Pag. 24.

(*h*) Idem, Pag. 27.

LXIX. “ R. Adm. P. Fr. DOMINICUS O-CONNOR, Conventûs *Sligoenſis*, Vir fuit inſigniſſimæ Pietatis, ac Puritatis, cujus æternis Laboribus Fratres noſtri in Provincia *Ultoniæ* reſtituti ſunt (*i*), non obſtante adverſo, & valido Conamine quorundam obſiſtentium nervosè, ne admitterentur non ſolùm ad Diſtrictus, in quibus conſueverunt mendicare, verùm etiam ad ipſos Conventus, quos anteà poſſidebant coram omnium Oculis à Primordio Fundationum uſque ad Tempus *Cromuelli*, tunc enim coacti ſunt omnes Religioſi Fugam capere ; & omnes ferè noſtri Patres ex illa vaſta Provincia mortui ſunt in Exilio. Alij (*Minoritæ*) autem redeuntes, accedente aliquali Tranquillitate, occupabant noſtra Loca, è quibus vix avelli poſſent, niſi ſuſcitaſſet, & conſervaſſet Dominus Nobis ſtrenuum Defenſorem, & efficacem Expugnatorem, qui Claritate Sanguinis (*k*), & Nominis, ac Religionis Perſpicuitate præditus, habebatur plurimi apud Catholicam, & Antiquam Nobilitatem *Ultoniæ*. Hic Pater erat ingens Propagator SS. Roſarij ſuis aſſiduis Concionibus, & quamvis eſſet naturaliter hebetioris Linguæ ob Balbutiem aliqualem, dùm tamen conſcendebat Pulpitum tàm paratæ erat Loquelæ, & tam energicæ Facundiæ, ac ſi à Natura nullum penitùs haberet Obſtaculum. Caſtimoniæ erat integerrimus Cuſtos, ità ut cum nulla Perſona alterius Sexûs, etiam cum proprijs Conſanguineis, ſolitariè colloqueretur extrà Confeſſionis Tempus, quam ſemper audiebat in Loco aliquo patulo. Fuit ſæpiùs Prior ſui nativi Conventûs, & Definitor pro *Ultonia* in Capitulo Provinciali *Kilkenniæ* in Menſe Januarij 1643 (l). Obijt valde ſenex, & cum Odore celebris Famæ apud Clerum, & Populum ” circà Annum 1675.

LXX. “ R. A. P. Fr. GERALDUS DAVOCK, Alumnus Conventûs *Athenrienſis*, S. Theologiæ Magiſter, redux in Patriam poſt Studia in *Hiſpania*, factus fuit Lector Philoſophiæ, & deindè Magiſter Studij. Hæc Officia geſſit gratiosè, & prædicabat facundè pariter. Religioſis diſperſis, ille captus ab Hæreticis relegatus eſt cum multis Sacerdotibus, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, in Inſulam Maris vocatam *Boſin* (*m*), ubi cum Inedia, & ſumma Patientia Septennium complevit, Reſtituto autem Rege (*Carolo* II, 1660) liberati ſunt, præter magnum, & Venerabilem Virum P. Fr. *Bernardum Mac-Ghiolla Cluinne*, Provincialem meritiſſimum Ordinis Magni Patriarchæ *S. Franciſci*, qui pro Dei Gloria ibi feliciter mortuus eſt. Porrò circà Lumbos hujus heroici Viri defuncti inventum eſt Cingulum ex Corio, aculeatis, & pungentibus Clavis ferreis refertum. Noſter autem P. Magiſter *Davock* vixit perreligiosè, & piè longo Tempore poſt Liberationem ex prælibata Inſula, & operosè excolebat Vineam Domini Verbo, & Exemplo, donec Senio fractus, & fatigatus Perſecutionis Pondere, tunc noviter ortæ, munitus Sacramentis piè obdormivit in Domino Anno 1675. Ex *Hibernia* venerat *Lovanium* ad Collegium noſtrum S. *Crucis* viſitandum Anno 1664, ubi multa ſapienter ordinavit ” (*n*).

LXXI. “ R. P. Fr. ANTONIUS O-MOLLOY, alias *de Roſario*, Longofordienſis, ſtuduit in *Hiſpania*, factuſque fuit Procurator Generalis Pro Provincia *Hiberniæ* (*o*), Ordinis Prædicatorum. Mirificè providus erat ergà Juvenes recenter profeſſos, confluentes in *Hiſpanias* ad Studia, & revertentes denuò in Patriam. Quod Officium geſſit cum Laude, & Opinione Cleri, & Civium de *Bilbao*, quadraginta circiter Annis. Benè vocatus eſt *de Roſario*, etenim erat huic Devotioni, & in omnibus Cultui Sanctiſſimæ Matris Dei Virginis deditus. Quoties premebatur aliqua Neceſſitate, applicabat ſe devotè ad B. Virginem de *Bigonna*, per quam Deus crebra patrat Miracula in illa Civitate. Poſt Studia deputatus ut venirem *Lovanium*, manſi apud eum Menſe, & medio, expectans Navigij Commoditatem, & quidem mirabar venerandi Senis ſanctam, & religioſam Vitam. Vixit ſatis fortis quandò valedixi Anno 1675, non ſcio autem determinate quando obierit, ſed quod erat valdè annoſus, & bonus ” (*p*).

LXXII. “ R. P. Fr. MALACHIAS O-LOUGHLIN, Conventûs *Portumnenſis*, ſtuduit *Segoviæ* in *Hiſpania*, & licèt Pater ipſius Miniſtellus eſſet Hæreticus, ipſe tamen Flos erat verè gratioſus de Spina. Exemplariter vixit, ſanctèque finivit Dies ſuos, receptis Eccleſiæ Sacramentis. Anno 1678 ” (*q*).

(*i*) Confer Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*k*) Legeſis Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

(*l*) Adeas Cap. xiv. Num. xiii. Pag. 524.

(*m*) Juxta Agrum *Galvienſem*.

(*n*) *O-Heynus*, Pag. 31. Videſis Cap. xii. §. iii. Num. x. Pag. 437.

(*o*) Adeas Cap. xii. §. iv. Num. ii. Pag. 449.

(*p*) *O-Heynus*, Pag. 11.

(*q*) Idem Pag. 36.

LXXIII. " Fr. **GULIELMUS DE BURGO**, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus recenter profeſſus, miſſus eſt in *Hiſpaniam*, & receptus in clariſſimo Conventu *Burgenſi*, aggreſſus eſt ibidem ſua Studia. Erat amabilis omninò, & ex clara Parentela *Burgorum* de *Iſerclerain* (*r*), ſed multo amabilior Moribus, nàm ità ſe mortificaverat Cilicio, ac Catenâ ferreâ, tenero Corpuſculo circumductâ, ut indè mihi ſcriptum eſt, quod Anno 1679 confortatus Sacramentis Eccleſiæ Vitam finierit cum magna Opinione Virtutis. Id expreſsè teſtantur Acta Capituli Provincialis Almæ Provinciæ *Caſtellæ*, quæ quidem ſimile non exhibere ſolet Teſtimonium niſi cum altis, & inexpugnabilibus Fundamentis." (*s*)

LXXIV. " R. P. Fr. **MARCUS BARNEWALL**, Conventûs *Dublinienſis*, ſtuduit in *Portugallia* cum amplo Progreſſu, & redux *Dublinium* prædicabat cum Ædificatione, & Laude non exiguâ. Perſecutio ſæva, Anno 1680 orta, expulit eum inde in *Luſitaniam*, ubi pie obijt ſicut vixit " (*t*).

LXXV. " R. P. Fr. **PATRITIUS O-DIRAH**, Conventûs *Colranenſis*, ſtuduit cum magno Fructu in *Hiſpania*, & redux ad ſuos brevi evaſit facundiſſimus Concionator. Erat Regularis Obſervantiæ Cuſtos vigilantiſſimus, obijtque plenus bonæ Opinionis in Ordine, & Populo " (*u*) circa Annum 1680.

LXXVI. " Rev. Adm. P. Fr. **CLEMENS O-BERN**, Conventûs item *Colranenſis*, nobiliter natus, & multò nobilior ſanctis Moribus, ſtuduit optimè in *Hiſpania*. Prædicator erat egregius, & Converſationis valdè exemplaris in tota Vita. Fuit ſæpiùs Prior, moderans cum inſigni Prudentia " (*u*), pieque diſceſſit è Vità circà Annum 1680.

LXXVII. " Rev Adm. P. Fr. **EUGENIUS O-COIGLY**, Conventus item *Colranenſis*, ſtuduit pariter in *Hiſpania* pretioſiſſime, & redux in Patriam ità aſſidue ſe exercuit in Prædicatione docta, profunda, & facunda, ſicut Illuſtriſſimus Dominus Primas (*w*) mihi ſcribit, quod nunquàm audiverit æquandum illi Prædicatorem in *Hibernia*. Fuit ſæpiùs Prior, multamque ſuſcepit Juventutem egregiam ad Habitum, & Profeſſionem. Exactus erat Obſervator Conſtitutionum, quoad fieri poterat in ea afflicta Patria " (*x*), denatus poſt Annum 1680.

LXXVIII, " Rev. Adm. P. Fr. **THOMAS MAC-MAHON**, ex Conventu item *Colranenſi*, ſtuduit *Pampilonæ* in *Hiſpania*. Expletis Studijs venit in *Galliam*, & moratus eſt *Bajonæ*, ubi Septennio erat Magiſter Novitiorum cum ſingulari Pietate, Laude, & Fructu. Redux in Patriam idem exercuit Officium multo Tempore cum pari Sorte. Fuit obſervantiſſimus Conſtitutionum noſtrarum, & cum magna Sanctitatis Opinione Die 17 Martij conſecratâ Apoſtolo noſtro *S. Patritio*, Confeſſione factâ, & Miſſâ devotè lectâ, oppreſſus denſo, & violento Catarrho, Diem clauſit extremum Anno 1681. Quindecim Annis fuit Prior *Gaulenſis* cum ſummo Exemplo. Vir erat doctus, ſed minùs habilis ad prædicandum ob Pectoris Infirmitatem. Erat tamen magnus Catechiſta, indefeſſuſque, & prudens Confeſſarius. Sed mirabile eſt apud me, quod affirmant, qui vixerunt ſub ipſo diu Novitij, & Profeſſi, nempè quod ſingulis Diebus, præter Officium Canonicum, recitabat Officium B. Virginis Mariæ, ac Defunctorum integrè cum Roſario. Quis eſt ſimilis illi in hac Devotione? (*y*) Recepit ad Ordinem plures Juvenes, Sanguine, & Moribus conſpicuos " (*z*).

LXXIX. " R. P. Fr. **JACOBUS O-CROLY**, Cænobij item *Colranenſis* Alumnus, ſtuduit pariter in *Hiſpania* cum Laude. Evaſit in Patria optimus Prædicator, ac Obſervator regularis Vitæ ſine ullo Improperio. Erat Miſſionarius Zeloſiſſimus uſque ad Mortem " (*a*), quam lætus, ſuſceptis Sacramentis, aſpexit circà Annum 1681.

LXXX. " Fr. **HYACINTHUS DOWDALL**, Alumnus Conventus *Pontanenſis*, Studens in Cæ-

---

(*r*) Videſis Cap. ix. §. viii. Num. iii. Pag. 222.

(*s*) *O-Heynus*, Pag. 31.

(*t*) Idem, Pag. 7.

(*u*) Idem, Pag. 4.

(*w*) Scilicèt *Dominicus* noſter *Maguire*, de quo Cap. xiii. Num lxxii. Pag. 499.

(*x*) *O-Heynus*, Pag. 4. Videſis Cap. xii. §. iii. Num. x. Pag. 437, ubi conſtabit ipſum fuiſſe Prædicatorem Generalem.

(*y*) Confer Num. cxxv. Cap. præf.

(*z*) *O-Heynus*, Pag. 3, & ſeq.

(*a*) Idem, Pag. 4. laudans pro hoc, & tribus antecedentibus Epiſtolam noſtri Archipræſulis *Maguire*, nuper laudati, ſcriptam Pariſijs Die 26 Februarij 1706.

nobio *Matritenſi* B. Virginis Mariæ de *Atocha*, obijt cum Opinione magnæ Virtutis ut mihi inſinuarunt plures ex noſtris Religioſis, qui ibidem ſtuduerunt" (*b*).

LXXXI. "Ex Conventu *Killocienſi* Eximius Pater Magiſter Fr. HENRICUS BURGATT, in Actis Capituli Generalis *Romæ* 1650, ut alibi dictum (*c*), memoratus, Vir magni Ingenij, eſtò parvi Corporis, ſtuduit *Burgis* in *Hiſpania*, ubi Senes fixam habuerunt illius Recordationem. Dicebant enim ſæpiùs, me præſente (vixi enim Clericus ibi uno Anno), ſe nunquàm noviſſe Adoleſcentem vivacioris Ingenij. Id refulſit uberrimè in ſua Patria, ubi ſpargebat Evangelicam Veritatem per multos Annos cum tanta Doctrina, Fervore, & Elegantia, ità ut Homines adhuc docti ſtupefacti aſſererent, mirandum ſatis eſſe, Virum tàm puſillum Staturâ, Poſſeſſorem ac Diffuſorem videri tantæ Sapientiæ, & Facundiæ. Campaginavit autem arctè, ac inſolubiliter quaſi, Vitam maximè exemplarem cum hac Scientia. Novit enim apprimè Vir religioſus, non ſufficere ad Complementum Viri Apoſtolici, quod lucens ſit duntaxàt, ſed & ardens pariter, ac condiens Sale bonorum Operum. Ipſe clarus Vir egregiè verſatus in Poſitiva Theologia, in Jure Canonico, & in Polemicis, erat cinctus Panopliâ totius Vetuſtatis ad conterendos Fidei Hoſtes, ex quibus plures convertit ad Fidem, doctioribus inter illos verentibus convenire eundem Patrem, obturantem Ora eorum Sacrilega. Audiens iſte, coronatum fuiſſe noſtrum Regem *Jacobum* (*Secundum*) jam declaratum Catholicum, & vere ab omnibus bonis Hominibus ſemper memorandum, lætatus eſt magnoperè, & quibuſdam Nobilibus ibi converſantibus, & dolentibus, quod Majeſtas Sua non haberet Prolem, reſpondit P. Magiſter *Burgatt*, quod ex Regina eadem haberet adhuc duas Proles. Et Dominis replicantibus, an eſſet Filius? Ille ait, quod ſaltem unus foret Filius. Et hoc fuit Quadriennio ante Nativitatem præſentis noſtri Regis *Jacobi Tertij* (*d*). Dictum igitur Eximij Patris probavit Eventus, undè videtur, quod ſit propheticè locutus,

"Hic Pater, ut jam dixi, multas ſpectabiles Perſonas convertit ad Fidem, inter quas fuit Magnus Sheriffus, ſivè Vice Comes, Comitatus *Limericenſis*, vocatus *Pourdon*. Aliquandò viſum eſt Cubiculum ejus Noctu coruſcare Lumine, nulla aliâ Luce accenſâ in tota Domo. Conſultus erat ab omnibus in omni Difficultate emergente veluti Oraculum. Conquiſitus ab Hæreticis Anno 1681, quo Anno videtur Infernus aperuiſſe Os ſuum contrà omnes Catholicos iſtorum Regnorum infelicium (*e*), ipſe Genibus flexis orabat in ſua Camera, inviſibilis factus perquirentibus, qui intrà idem Cubiculum exiſtebant, viſibilis tamen Actu omnibus Catholicis circumſtantibus, & ſic, protegente Jeſu Chriſto, evaſit eorum Manus. Tranquillâ poſtmodùm Aurâ ſubnaſcente, & ſedatâ partìm ſæviſſimâ Perſecutione, narratum eſt ſub Juramento eiſdem Perſecutoribus ipſius, quod fuerit morans poſitis Genibus in tali Cubiculo, perveſtigato ab illis in Domo prænominati Domini *Pourdon* recenter converſi; & illi viciſsìm jurarunt, ſe nullatenùs vidiſſe eum. Hac de Re informatus ſum adamuſsìm per R. P. Fr. *Petrum Kinà*, qui Sexennio gubernavit, ut bonus, & vigil Prior, *Killocienſem* Conventum & ſanctè affirmat, hæc ſe audiviſſe à Catholicis, qui tunc aderant in Camera, ubi Pater Magiſter *Burgatt* orabat. Iſte venerandus Pater piè munitus Sacramentis migravit è Vita (*poſt Annum* 1684) in Ædibus dicti Domini *Pourdon*, per eum converſi ad Fidem, ejuſque Corpus humatum eſt in Conventu Fratrum Minorum de *Aſketina* (*f*). Si Pax autem affulgeret, Confratres mei *Killocienſes* ſperarent exportare illius Exuvias" (*g*).

LXXXII. "Ex Conventu *Limericenſi* Rev. Adm. P. Fr. CORNELIUS O-HEYN, S. Theologiæ Magiſter, ſtuduit *Romæ* apud *S. Mariam Super Minervam*, & docuit *Pragæ* in *Bohemia* Philoſophiam, ac Theologiam multis Annis cum Laude non exigua, & factus ibi Magiſter profectus eſt in *Angliam*. Socius fuit & Commenſalis Reverendiſſimi Patris Magiſtri Fr. *Chriſtophori de Roſario*, Confeſſarij Sereniſſimæ Reginæ Angliæ (*h*), quoad uſque coactus fuerit à ſæva Perſecutione indè abſcedere. Et Requie quâdâm luceſcente, denuo reverſus eſt *Londinum*, ubi piè obijt Anno 1685. Fuit valde candidus, doctus, ac proficuus Catholicis *Anglis*" (*i*). Fratrem habuit ſecundùm Carnem, Patrem item Magiſtrum Fr. *Thaddæum O-Heyn*, ſuperiùs memoratum (*k*).

(*b*) *O-Heynus*, Pag. 6.

(*c*) Cap. vi. Num. xii. Sect. 6. Pag. 118.

(*d*) Confer Cap. vii. Num. xiv. Pag. 145.

(*e*) Videſis Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 130.

(*f*) In *Limericenſi* Agro *Momoniæ*.

(*g*) *O-Heynus*, Pag. 18. Videſis Cap. xii. §. iii. Num. x. Pag. 437.

(*h*) Uxoris *Caroli II*, Regis *Angliæ*, Filiæ verò *Joannis IV*, Regis *Luſitaniæ*, Nomine *Catharinæ*.

(*i*) *O-Heynus*, Pag. 16.

(*k*) Cap. ix. §. v. Num. vii. Pag. 213.

LXXXIII. “ Eximius Pater Magiſter Fr. **FELIX O-CONNOR**, Cænobij *Sligoenſis* Alumnus, Vir fuit verè Apoſtolicus, qui velut ſonora Buccina ſpargebat Verbum Dei. Hic poſt Studia luculenter peracta in *Hiſpania*, pergens in Patriam, incubuit ſedulò Prædicationi Evangelicæ. Exul autem factus ab Hæreticis Victoribus, venit in *Belgium*, & moratus eſt *Lovanij* pluribus Annis, ubi fuit Prior meritiſſimus. Tunc verò Temporis noſter Rex *Carolus* II, poſt Patris Decapitationem *(l)*, à *Cromuellianis* relegatus eſt cum duobus Fratribus ſuis *(m)* extrà *Angliam*, & poſt varios Caſus declinavit in *Belgium* ſub Aſylum Regis Catholici *(n)*. Circà hos ſuos Principes extorres conglobati ſunt cuncti Nobiles *Hiberni*, ex nativa ejecti Hæreditate, cum Affeclis, & gregarijs Militibus, ità ut eſſent Numero ad minùs quatuordecim mille. Iſte ſapiens Magiſter *Felix* Re & Nomine, percurrebat inter has Legiones, annuncians ferventer, & facundè Evangelicam Veritatem in omni Adventu, & Quadrageſima per plures Annos, & omne Emolumentum temporale indè acceptum, tradebat *Lovanienſi* Conventui *S. Crucis (o)*, tunc oppreſſo Exulûm Multitudine. Audivi à Patribus gravibus, & doctis in noſtra Provincia, quod P. *Felix O-Connor* poſſidebat quaſi memoriter omnes Homilias Illuſtriſſimi noſtri *Lanuza*. *Lovanio* profectus eſt *Matritum*, Ratificationem, ac Confirmationem Penſionis, huic Collegio datæ à Sereniſſima Principiſſa Domina *Clara Eugenia* Infanta *Hiſpaniæ*, obtinuitque à Catholico Rege *Rhilippo IV*. Indè *Romam* means, à S. Congregatione de *Propaganda Fide* conſecutus eſt annuam Penſionem pro quatuor Studentibus in hac Domo educandis, & jurandis, ut ſtatim, perſolatis Studijs, repatriarent ad Miſſionis ſuæ Executionem *(p)*. *Lovaniàm Româ* rediens, revocato Rege noſtro (*Carolo II*, 1660) ad ſuum Thronum, profectus eſt in Patriam. Pluries fuit Prior ſui nativi Conventus (*Sligoenſis*), & ſemel *Roſcomanienſis* perdignus. Valdè vigilans erat in non veſtiendo niſi ingenioſos, morigeros, & honeſtè natos Juvenes, qui plerùmque in ejus Conventu Nobiles erant. Novit enim prudentiſſimus Pater, quantum Bonum Eccleſiæ, & Ordini naſcatur ex ſimili Vigilantia. Infatigabiliter prædicavit uſque ad breve Tempus ante Mortem. Fuit Vir valdè facetus, & hilaris ſine ulla Levitate, æquanimis in Perſecutionibus, ac alijs ſupervenientibus Adverſitatibus. Fractus denique Laboribus aſſiduis, & Annorum Cumulo, tranſijt ad meliorem Vitam verè penitens, & Sacramentis munitus in ſuo Conventu circà Annum 1686 ” *(q)*.

LXXXIV. “ R. P. Fr. **DOMINICUS** (Lincæus) **LYNZE** (ſeu *Lynch*), Alumnus Conventus *Galvienſis*, ſtuduit in *Hiſpania*, & redux ad ſua, vixit valdè exemplariter, etſi natus eſſet ex Miniſtro Hæretico. Monſtravit benè & efficaciter, quod Opera Fidei, & Gratiæ non veniant Hominibus à Nativitate, aut Natura, ſed à Deo glorioſo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, nàm ità averſus erat ab Hæreticis, quod non conjungeret ſe ullatenùs eorum Converſationi, licèt illi, uti & Catholici, anxiè appeterent illius Conſortium, quia ipſe erat maximè jucundus, & facetus, ſervatâ ſemper religioſâ Gravitate. Multa paſſus eſt in Perſecutione ortâ Anno 1680, fuit enim per Annum in Carcere rigoroſo, quem toleravit æquanimiter, & cum jucunda Facetie, etiam dùm loqueretur cum Hæreticis, admirantibus ejus Conſtantiam. Recreatus Eccleſiæ Sanctæ Sacramentis, poſt Liberationem ab Ergaſtulo Carceris, placidè obijt Anno 1686 ” *(r)*.

LXXXV. “ R. P. Fr. **JOANNES DAVOCK**, Cænobij *Athenrienſis* Alumnus, Vir conſpicuus, & receptiſſimus, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Hæreticos *Anglos*. ob ſuavem ejus converſandi Modum. Obijt, gravi Senectute oppreſſus, & piè ſumptis Sacramentis, *Athenriæ* inter aſtantium Fratrum Preces Anno 1686. Fuit ſemel Prior ſui Conventus, & diù vixit in *Anglia* cum Illuſtriſſimo Domino Marchione de *Clanrickard (s)*, Confeſſarius, & Commenſalis ipſius ” *(t)*.

LXXXVI. “ Rev. Adm. Pater Magiſter Fr. **GERALDUS DILLON**, fuit Vir exemplaris, & operoſus in Obſequijs Dei, & ſui Ordinis, ſui Conventus *Molingarenſis* ſæpiùs Prior, & aliorum in *Lagenia*

bene

(*l*) Legeſis Cap. vi. Num. xi, Pag. 116.

(*m*) Nempe *Jacobo* Duce *Eboraci*, & Comite *Ultoniæ*, poſtmodùm Rege *Magnæ Britanniæ*, *Hiberniæque*, de quo Cap. vii. Num. i. & ſeqq, à Pag. 136; ac *Henrico*, Duce *Gloceſtriæ*, & Comite *Cantabrigiæ*, mortuo innupto 13. Septembris 1660.

(*n*) *Philippi IV Hiſpaniarum.*

(*o*) De quo Cap. xii. §. iii. Pag. 429.

(*p*) Confer Cap. xii. §. iii. Num. vii. Pag 436.

(*q*) *O-Heynus*, Pag, 41.

(*r*) Idem, Pag. 24.

(*s*) *Ulico* nempe *de Burgo*, de quo Cap. ix. § xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 277.

(*t*) *O-Heynus*, Pag. 32.

“ benè meritus. Erat aſſiduus in adminiſtrando Penitentiæ Sacramento, & in prædicando utiliter. Obijt circà Annum 1688” (u).

LXXXVII. “ R. P. Fr. JACOBUS ARTHUR ſtuduit in *Portugallia*. Manſit *Londini* multo Tempore ut Sacellanus apud Caduceatorem *Luſitaniæ*, ſub cujus Præſidio iſte Religioſus inſervijt operosè Catholicis ibi, & aliàs. Regreſſus *Limericum*, factus fuit Prior ſui Conventus (*ibidem*), quem gubernavit cum Pietate, & Prudentia paternâ. Diem clauſit extremum cum celebri Opinione Virtutis Anno 1689” (w).

LXXXVIII. “ Rev. Adm. Pater Fr. JOANNES O-MEARADH (x) fuit Vir magni Meriti, & Æſtimationis in Conventu ſuo *Kilkennienſi*, & Populo, ob Doctrinæ, ac Prædicationis Energiam. Obijt valdè annoſus, & maximè pius” (y) circâ Annum 1690.

LXXXIX. “ R. P. Fr. DOMINICUS O-RAGEID, ex eodem Conventu *Kilkennienſi*, Vir erat ſummmoperè deditus Orationi mentali, & vocali, & mirificè timens Judicia Dei. In nuperrimo Bello (z) ſub Rege noſtro *Jacobo* (*ſecundo*), adventante Hoſte, ac ſubjugante *Kilkenniam*, profugus venit iſte Pater innocens ad Conventum *Athenrienſem* (a), ubi gratanter receptus, obijt piè munitus Sacramentis Menſe Auguſti Anni 1690, & ſepultus eſt *Athenriæ* (b).

XC. “ R. P. Fr. THOMAS O-BRANAIN (c) ex eadem Domo *Kilkennienſi*, ſtuduit *Placentiæ* in *Hiſpania*, & regreſſus in Patriam prædicabat laudabiliter. Fuit Prior ſui Conventus, & *Dublinienſis* pariter. Indè abactus per Inimici Adventum, ſecutus eſt Exercitum Catholicum, & Febri violentâ correptus, poſt ſuſcepta devotè Sacramenta, Animam reddidit Creatori *Portumnæ* (d) Anuo 1690, circà Finem Septembris” (e).

XCI. “ R. P. Fr. NICOLAUS ROCHE ſtuduit in *Luſitania*. Vir erat mitiſſimus, & licèt non eſſet præcinctus multâ Armaturâ Scientiarum, certè verſatus erat abundè in vera Sanctorum Scientia, in Religione munda, & immaculata, quæ eſt Amor Dei, & Proximi, in Spiritu, & Veritate. Prior exiſtens ſui Conventus *Limericenſis* migravit ex hac Vita Anno 1690, Civitate jam à Menſe, & medio ſtrictè obſeſsâ (f) ſub Arauſicano Uſurpatore” (g).

XCII. “ R. P. Fr. GERALDUS FITZ-GIBBON, Cænobij *Killocienſis* Alumnus, ſtuduit in *Hiſpania*, & redux factus Supprior, tàm providus apparuit, ut ipſe ſolus provideret abundanter omnia neceſſaria pro alendis quindecim Religioſis. Hic clarus Vir in Comitatu de *Kerry* occurrens Hoſtibus, occiſus eſt in Pago de *Liſtowhill* Anno 1691.” (h)

XCIII. “ R. P. Fr. RICHARDUS O-MADDIN, Alumnus Conventûs *Portumnenſis*, ſtuduit egregiè *Abulæ* in *Hiſpania*, & Bello *Cromuelliano* obſtruente Viam in *Hiberniam*, venit in *Belgium*, docuitque *Trajecti*. Et regrediente Rege noſtro (*Carolo II.*) ad Thronum, ipſe pariter regreſſus eſt in Patriam, ubi ab Appulſu uſque ad Annum Mortis aſſiduè annunciavit Verbum Dei. Poſt meum primum Regreſſum in Patriam ſæpiùs eum audivi prædicantem, nec novi unquàm Prædicatorem altioris Energiæ. Erat verè verſatus in Scientia Sanctorum, & pariter erat valdè mitis, & affabilis. Creatus eſt Magiſter à Reverendiſſimo noſtro Generali de *Raccaberti*, toto Capitulo Provinciali unanimiter poſtulante Anno 1678 (i). Fuit Prior *Lymerici*, *Longofordiæ*, *Roſcomaniæ*, *Lothoriæ*, *Dublinij*, & *Portumnæ*, rexitque cùm ſingulari Pietate, & Prudentia. Profligato Exercitu Catholico in Conflictu de *Aughrim* (k) Anno 1691, & Hoſte victorioſo omnia devaſtante, iſte bonus Pater abſcondit ſe in quadam Palude ferè inacceſſibili, ubi continuans ſuam Latitationem per quindecim Dies Tranſcurſionis Hoſtium, fugientibus à Facie hoſtilis Gladij omnibus debentibus, & potentibus illi Suppetias dare, conſolatus Sacramentis Miniſterio Sacerdotis Sæcularis ſe pænitenter Jeſu Chriſto commendans, obijt placidè in eodem Salvatore noſtro, Menſe Auguſti prædicti Anni 1691, Ætatis ſuæ 70. Planta-

“ vit,

(u) Idem, Pag. 10.

(w) Idem, Pag. 17.

(x) Paſsim pronunciatur *O-Mara*, ſed ſcribitur *O-Meara*.

(y) *O-Heynus*, Pag. 8.

(z) Legeſis Cap vii. Num. xii. Pag. 144.

(a) De quo Cap. ix. §. viii. Pag. 220.

(b) *O-Heynus*, Pag. 8.

(c) Nunc paſsim ſcribitur *Brenan*.

(d) Ubi Conventus noſter, de quo Cap. ix. §. xxxii. Pag. 303.

(e) *O-Heynus*, Pag. 8.

(f) Adeas Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(g) *O-Heynus*, Pag. 17.

(h) Idem, Pag. 18.

(i) Videſis Cap. xiv. Num. xix. Pag. 527.

(k) Adeas Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

“ vit, & propagavit inſigniter SS. Roſarij Devotionem, & fuit ſummoperè conſideratus ab omnibus.” (*l*)

XCIV. “ Rev. Adm. Pater Fr. Michael O-FÆLAIN, Anglis *Fullam*, ſtuduit fructuosè in *Italia*,
“ regreſſus verò in Patriam, Annunciator Verbi Divini evaſit inſignis in *Anglica* Lingua, ſuam enim *Hibernicam*
“ vix callebat, quia in Territorio ſuæ Nativitatis, videlicèt in *Fingallia* (*m*), rarus eſt qui loquitur
“ aliter quam *anglicè*, omnes ſiquidem Regionis illius Coloni ſunt *Angli* Origine, paucos ſi excipias
“ *Hibernos.* Porrò iſte Pater, in perſuadendo energicus, fuit Prædicator Generalis digniſſimus, ac ſæpiùs
“ Prior ſui Conventûs *Dublinienſis*, quem ſummâ Prudentiâ, & Suavitate regebat; tamque exemplaris
“ ſemper viſus eſt, ut Catholici eum exiſtimarent ſanctum Virum, immò & ipſimet Hæretici
“ favebant, ac fovebant eum, præſertìm Tempore Perſecutionis. Erat inſuper valdè ſobrius, & mortificatus,
“ à Profeſſione ad Mortem Lineis non indutus. In Confeſſionibus excipiendis aſſiduus, plures
“ Hæreticos reduxit ad Sinum S. Matris Eccleſiæ. Demùm octogenarius fermè Diem clauſit extremum
“ cum magna Opinione Virtutis Anno 1692” (*n*).

XCV. “ R. P. Fr. REGINALDUS MAC-DONNELL, vocatus *Thomas* in ordine, ſtuduit *Lovanij*
“ ad *S. Crucem*, dein *Pariſijs* ad *S. Jacobum*, demùmque *Romæ* ad *SS. Sixtum*, & *Clementem*. In Patriam
“ redux, fuit Prior Conventûs ſui *Gaulenſis*, quo Munere expleto, ivit in *Scotiam*, ubi Biennio
“ exercuit Miſſionem, indeque regreſſus, vixit exemplariter valdè. Victo Regno (*o*) redijt *Lovanium*,
“ ubi infirmatus fortiter, Agonem ſuum, ſuſceptis devotè Sacramentis, finivit, amplectens lubenter
“ Mortem, ut reciperetur ad Oſculum Jeſu Chriſti Salvatoris Anno 1693. Iſte Religioſus fuit
“ mihi notiſſimus, & verè erat ipſe Candor, ac ſincera Simplicitatas, cum qua junxit vigilem Prudentiam”
“ (*p*).

XCVI. Rev. Adm. Pater Magiſter Fr. THADDÆUS MAC-BIRACCA ſtuduit luculenter in Collegio
“ noſtro *Ulyſſiponenſi*, ibidemque docuit Philoſophiam, ac Theologiam cum Laude multis Annis.
“ Indè in Patriam reverſus, cum Applauſu, & Fructu non exiguo annunciavit aſſiduè Verbum Dei.
“ Fuit quartò Prior ſui nativi Conventûs *Lothorienſis*. Plures veſtivit Habitu noſtro egregios Juvenes,
“ fuitque providus, & prudens in regendo. Definitor ſæpiùs erat Capituli Provincialis. Provectæ Ætatis
“ pius, & bonus Vir, devotè munitus Sacramentis, requievit à Laboribus hujus miſeræ Vitæ” (*q*)
circà Annum 1694.

XCVII. “ Rev. Adm. Pater Fr. CHRISTOPHORUS BATH, mihi quidem apprimè notus, Vir
“ erat candidiſſimus, plenus Obſervantiâ, & ſolidâ Pietate. Fuit Prior Conventus ſui *Carlingfordienſis*,
“ & *Pontanenſis* benè meritus. Veſtivit utrobique plures dignos Juvenes, & de eodem ſcripſit ad
“ me Illuſtriſſimus D. Primas noſter *Maguire* (*r*), quod fuerit Iſraelita ſine Dolo” (*s*). Obdormivit in
Domino circà Annum 1696.

XCVIII. “ R. P. Fr. PETRUS ROTH, erat purus Novitius in Conventu ſuo *Kilkennienſi* Anno
“ 1674, & ſubnaſcente tunc Perſecutione valida profectus eſt in *Hiſpaniam*, receptus ſtatìm cum inexplebili
“ Charitate (ſicut conſuevit Alma *Hiſpania* ſuſcipere Noſtrates in ſuos Alumnos) in Conventu
“ S. Mariæ *Victoriæ*, ubi expleto Probationis Anno cum mira Ædificatione, profeſſus eſt, ac ſtuduit
“ operosè ibidem, indeque remeavit in Patriam, ubi Prædicatorem oſtendit ſe doctum, & eloquentem
“ in *Anglica* Lingua. Factus poſteà Prior *Dublinienſis*, tota magna Civitas mirabatur Viri adhuc juvenis
“ Æconomiam circà Res domeſticas valdè diſſipatas Tempore Belli. Modeſtiam nullatenùs affectatam,
“ Manſuetudinem non facilè æquabilem, ſed ejus Humilitatem multo magis admirabantur
“ omnes, & præcipuè quia ab omnibus æſtimabatur tantoperè ob prædicandi Gratiam. Solicitudine
“ aſſiduâ pro Decore Domus Dei ejus leve Corpus oppreſſum eſt. Hinc lentâ Tabe conſumptus, &
“ recreatus divinis, ac ordinarijs Eccleſiæ Sacramentis, Spiritum ſuum, Hominibus percharum, uti &
“ Deo ipſi, ut ſperamus, emiſit Anno 1697 in Menſe Novembris. Et juxtà Judicium Hominis judicantis
“ ſecundùm Faciem, ſuæ Ætatis videlicet quaſi quadrageſimo primo Anno, vix inveniri poſſit completior
“ Religioſus in ijs, quæ concernunt noſtrum Statum. Ad illius Exequias confluxerunt turmatìm

“ Catholici

(*l*) *O-Heynus*, Pag. 36. *Videſis* Cap. xii. §. iii. Num. x. Pag. 437.

(*m*) *Fingallia* Pars eſt Septentrionalis Agri *Dublinienſis*, à reliqua Parte diviſa per Flumen *Liffium*.

(*n*) *O-Heynus*, Pag. 17. Videſis Cap. xii. §. iii. Num. x.

(*o*) Videſis Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*p*) *O-Heynus*, Pag. 5.

(*q*) Idem, Pag. 21.

(*r*) De quo Cap. xiii. Num. lxxii. Pag. 499.

(*s*) *O-Heynus*, Pag. 5, & ſeq.

Catholici *Dublinienſes*, ſicut & ad Sepulturam principales Nobiles tàm Catholici, quàm etiam Acatholici utriuſque Sexus Erat extremè caſtus Verbo, & Geſtu, quamvis eſſet venuſti Aſpectus. Et licèt non docuiſſet, plauſibilis tamen erat Scholaſticus; in Sacra verò Scriptura, atque in Re Polemica, Morali, & Hiſtorica erat optimè verſatus " (*t*).

XCIX. " Rev. Adm. Pater Fr. THOMAS DE BURGO, Senior (*u*), Studia peregit in Conventu S. Pauli *Palentiæ* in *Hiſpania*, poſt quæ magno Temporis Intervallo commoratus eſt *Rivadaviæ* in Regno *Galliciæ*, uſque videlicèt ad Regis (*Caroli II*) reſtaurati Regreſſum in *Angliam*. Poſt Annum ab Appulſu in Patriam electus fuit Prior ſui Conventus *Athenrienſis*, Anno nimirùm 1665. Veſtivit noſtro Habitu perplures Juvenes egregios. Secundâ, & tertiâ Vice fuit Prior ſui Conventus, & ſemel *Roſcomanienſis*. Benè intelligebat, inſigniſque erat Moraliſta, atque Vir bonæ Vitæ, & valdè exemplaris. Erat tàm Senex, quod Hæretici eum amovere non poterant ex Patria (*w*), ejecerunt tamen extrà Conventum, qui confortatus Sacramentis migravit ex hac miſera Vita Nonagenarius Anno 1698." (*x*)

C. " Ex Conventu *Roſcomanienſi* R. P. Fr. AMBROSIUS (Geraldinus) FITZ-GERALD, ſtuduit *Lovanij* in Collegio *S. Crucis*, & *Romæ* ad *S. Sixtum*. Fuit perſpicacis Ingenij, & candidiſſimus Religioſus. Concionator energicus in Lingua *Anglicana* prædicavit *Pontanæ*, & *Dublinij* cum ſpeciali Fructu, & Laude. Procurator ſuæ Provinciæ Hiberniæ in Curia *Londinenſi* ad meliora migravit è Vita ibidem circà Annum 1698." (*y*)

CI. " Rev. Admodùm Pater Magiſter Fr. ANTONIUS ROTH, Cænobij *Kilkennienſis* Alumnus, indutus eſt ac profeſſus in Conventu de *Lerma* in *Hiſpania*. Studuit in *Pampilonenſi* Conventu tanta cum Laude, ut ibi fuerit Lector Philoſophiæ, quam Triennio docuit. Indè miſſus eſt *Lovanium* Magiſter Studentium, fuitque ibidem Secundarius, & Primarius Regens, immò & Prior perdignus, Vir quidem profundè doctus, ac verſatiſſimus in Litera *Divi Thomæ*. Redivit *Lovanio Kilkenniam*, ubi vixit cum ſumma Ædificatione. Valetudinarius tandem evaſit in Patria, indèque impotens prorsûs ad exeundum è Regno Tempore exterminantis Decreti, à Parlamento Hæretico, & rebelli tyrannicè lati (*z*) in Odium Fidei. Denique pius, & bonus Vir mortuus eſt " (*a*) poſt Annum 1698.

CII. " R. Adm. Pater Fr. HUMBERTUS DELPHINUS, Junior, & Sobrinus alterius Viri gravis ejuſdem Nominis (*b*), perſolutis humanioribus, & Philoſophicis Studijs in Patria, factus Sacerdos Sæcularis, Parochiam adminiſtravit prudenter, & vigilanter duodecim Annis. Ut autem Pericula crebra ſæcularis Vitæ evitaret, optimam Partem elegit, nempè Habitum, & Profeſſionem Dominicani Inſtituti

" *Athenriæ*

(*t*) Idem, Pag. 8.

(*u*) Sic dictus ad Differentiam alterius ejuſdem Nominis, & Cognominis, ac Conventus, de quo hæc habet *O-Heynus*, Pag. 35: *R. A. P. Fr. Thomas de Burgo, S. Theologiæ Præſentatus, incepit Studia Lovanij, progreſſus eadem in Conventu S. Jacobi, Pariſijs, finivit Romæ ad S. Sixtum, ubi docuit Philoſophiam, & Theologiam. Fuit ibidem Prior* (ab Anno 1683 ad 1686) *& redux in Patriam poſt aliquot Annos fuit Prior ſui Conventus Athenrienſis. Exul factus* (*Adeas Cap.* viii. *Num.* ii. *Pag.* 154.) *profectus eſt Romam, ubi denuo conſtitutus fuit Prior S. Sixti* (ab Anno 1700 ad 1703). *Nunc* (1706) *degit in Conventu S. Mariæ Super Minervam, probus, & bonus Religioſus.* Anno 1707 creatus fuit S. Theologiæ Magiſter, & conſtitutus Pænitentiarius Apoſtolicus in Baſilica Liberiana *S. Mariæ Majoris* de Urbe in Locum Illuſtriſſimi noſtri *Ambroſij Mac-Dermott*, ad Epiſcopatum *Elphinenſem* evecti (videſis Cap. xiii. Num. lxxiii. Pag. 499). Laudatum Virum Religioſum, Propatruum meum, ibidem novi ab Anno 1723 ad 15 Martij 1724, quo pie obijt in Collègio Apoſtolico Pænitentiariorum memoratæ Baſilicæ, in Templo S. *Mariæ Super Minervam* ſepultus. Confer Cap. vi. Num. xxv. Lit. i; Cap. ix. §. viii. Num. iii. Lit. p; & Cap. xii. §. i. Num. iii. Pag. 134, 222, & 371.

(*w*) Adeas Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*x*) *O-Heynus*. Pag. 32.

(*y*) Idem, Pag. 44.

(*z*) Legeſis Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*a*) *O-Heynus*, Pag. 8.

(*b*) De quo hæc habet idem *O-Heynus*, Pag. 31. *Ex eodem Conventu* (Athenrienſi) *R. Adm. P. Fr. Humbertus Delfin, ſtuduit in Hiſpania cum ſingulari Laude. Erat Vir probus, & pius, ac vivaciſſimi Ingenij, & in benè prædicando clariſſimus. Tàm verſatus erat in Sacra Scriptura, ut videretur eam integre memoriter poſſidere. Fuit Prædicator Generalis, Prior Urlariæ, & Athenriæ, & regens Conventum cum magna Religione, ac Prudentia, obijt piè Anno* 1653.

Athenriæ. Indè miſſus in *Hiſpaniam*, Curſum triennalem Theologiæ perfecit *Salmanticæ*. Poſteà inſtitutus Procurator Generalis *Matriti* pro Provincia *Hiberniæ* Ordinis Prædicatorum, Officium iſtud velut verè Pater ſedulò, & adamuſsìm adimplevit uno Anno. Sed in Infirmitate præpeditus ne ulteriùs illud exequi quiverit, obtentâ Superiorum Licentiâ, remeavit in *Hiberniam*, ubi incepit inſudare Prædicationi, factus ſubindè Prædicator Generalis, ac poſtmodùm Prior *Limericenſis*, & Definitor pro *Conacia* in Capitulo Provinciali. Poſtquâm autem ferventi cum Zelo Miſſionarij Munus adimpleverit, Exul cum reliquis omnibus cunctorum Ordinum Religioſis (c) factus, appulit *Nannetas*, comitantibus quatuor puris Novitijs, pro quibus, ut Novitiatus inveniret Commoditatem ad tres Menſes, Anno Approbationis deficientes, plurimùm ſuſtinuit Laboris peditando *Pariſios* uſque, donec eos collocaverit in Novitiatu Generali ad Suburbium *S. Germani* ejuſdem Civitatis *Pariſienſis*, ijſque docendis in Via Virtutis incubuit uſque ad emiſſam Profeſſionem. Tunc autem *Lovanium* ad Collegium S. *Crucis* venit, omnibus gratus. Illuſtriſſimi Domini Comitis *de Berlo*, Epiſcopi *Namurcenſis*, ſingulari fruebatur Favore, ità ut complures Heterodoxos, Facultate ad id obtentâ à dicto Præſule, ad Sinum S. Matris Eccleſiæ feliciter duxerit. Demùm 20 Die Novembris, poſt Confeſſionem Sacramentalem, & Miſſæ Sacrificium devotè oblatum, Catarrho violento oppreſſus; eodem Die Extremâ Unctione confortatus, Animam tradidit in Manus Redemptoris Anno 1700, Ætatis verò ſuæ 66. Fuit Vir planè bonus & Zeloſus pro Gloria Dei, & Eccleſiæ Catholicæ Honore, ac ſui Ordinis Decore" *(d)*.

CIII. " R. P. Fr. DOMINICUS MAC-PHILIPPINUS, Alumnus Cænobij *Bureſulenſis*, ſtuduit bene in *Hiſpania*, redux in Patriam, Concionibus Operam jugiter dabat, iade Prædicator Generalis Jure merito factus. Fuit ſæpius Prior, & in quocunquo Loco, etiam remotiori, celebrabatur Capitulum Provinciale, ibat eò Pedes ſemper. Erat devotus valde, & exemplaris in omnibus ſuis Operibus, & Prædicatio ejus abundans erat Unctione. Annoſus obijt Sacramentis confortatus Anno 1700." *(e)*

CIV. " R. P. WALTERUS FLEMING, exulans *(f)* in eadem Navi venit mecum *(g)* in *Galliam*, & poſt Annum rediens in *Hiberniam*, antequàm diſcederet ex Navi, captus, & intruſus eſt in Carcerem *Corcagiæ*, ubi manſit cum Socio ſub Compedibus ferreis ultrà Annum. Remiſſus in *Galliam*, ac in Mari infirmatus, decubuit longo Tempore in Xenedochio *Nannetenſi*. ubi pie ſuſceptis Sacramentis, mortuus eſt grandævus Anno 1701.

CV. " Nuper poſt ultimum Exilium *(h)* pie obijt (*Anno* 1702) R. P. Fr. JOANNES O-MORAGHUADH (vulgò *Morrogh*), qui fuit Vir bonus, & ſæpiùs Conventus ſui *Corcagienſis* ac alibi Prior. Obijt autem in Carcere, jam quatuor Annis detentus, ob Podagram enim fugere nequivit." (*i*)

CVI. " R. P. Fr. EDMUNDUS MAC-EGAN, ſtuduit *Palentiæ* in *Hiſpania*, & quidem benè. Redux in Patriam, inſervivit religioſè, & fideliter ſuo Conventui *Portumenſi*. Infirmatus fuit Biennio Vertigine valida, at, Deo propitiante, convaluit optimè. Exul factus *(k)*, mecum *(l)* venit in *Galliam*, Biennio &, ultrâ moratus in Conventu de *Goneſſa* propè *Pariſios*. Indè vocatus eſt ad Eremitagium S. *Antonij Eremitæ*, conceſſum Nobis Dominicanis *Hibernis* à Celſiſſimo Principè Domino Duce *Aurelianenſi*, Fratre unico Regis Chriſtianiſſimi (M). Ibi vacans aſſiduè Orationi, captus eſt gravi Infirmitate, & poſitus in Xenedochio de *Villiercoteret*, poſt unum Menſem toleratâ patienter quotidianâ, & ardenti Febre, Suſceptis cum magna Ædificatione Sacramentis, Diem clauſit extremum, à RR. Canonicis Regularibus *Norbertinis* in ſua ipſorum Eccleſia Parochiali honorifice ſepultus in Die SS. Roſarij Anno 1702. Fuit mirifice devotus ergà SS. Virginem, cujus Roſarium recitabat tàm aſſidue, ut ſemper haberet illud præ Manibus quocunque ibat. Audivi P. Suppriorem *Goneſſæ* ſæpiùs dicentem, quod nunquàm noviſſet humiliorem. Moriens agebat Annum 73."

CVII. P. Fr. CLEMENS O-COLGAN, ſtuduit fructuoſè in *Hiſpania*. Redux in Patriam, religioſè vixit in ſuo Conventu *Derienſi*, & prædicavit dilucidè, & ferventer uſque ad Regni Debellationem Anno 1691 (*m*), quo tranſmeavit in *Gallias*. Indè profectus *Romam*, docuit Philoſophiam in

" Con-

(*c*) Videſis Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*d*) *O-Heynus*, Pag. 32.

(*f*) Idem, Pag. 38.

(*f*) Conſulendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*g*) Verba ſunt O-Heyni, Pag. 39.

(*h*) Legendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*i*) *O-Heynus*, Pag. 13.

(*k*) Videſis Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*l*) Verba ſunt *O-Heyni*, Pag. 36, & ſeq.

(M) Confer Cap. xii. §. iv. Num. iv. Pag. 450.

(*m*) Legeſis Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

Conventu S, *Sixti*, ac deindè repatriavit. Captus autem ab Hæreticis, Biennij integri Carcerem ſuſtinuit in Civitate *Derienſi*, obijtque pro Fide Jeſu Chriſti in eodem Carcere Anno 1704." (*n*)

CVIII. "R. P. Fr. MARCUS BOYTON, profeſſus eſt *Lovanij* pro Domo *Caſſelienſi*, ſtuduitque ibidem Philoſophiæ, reliquum verò Studium cum magno Fructu, & Laude perfecit *Cremonæ* in Provincia *Utriuſque Lombardiæ*. Fuit mihi ab Induitione notus, & quidem Adoleſcens per omnia amabilis, Ingenij profundi, & penetrantis, ac tenaciſſimæ Memoriæ. Evaſit in *Italia* Concionator clarus, tamque probus Religioſus, ut *Mediolanenſis* Conventûs *S. Mariæ Gratiarum* (*o*), lubenter eum ſibi affiliaret. Erat omnibus percharus, & Excellentiſſimæ Principiſſæ de *Vaudimont*, Gubernatricis *Mediolanenſis*, Confeſſarius Ordinarius. Ejus Merita laudaverunt, ac immaturam Mortem luxerunt *Mediolanenſes* Anno 1704 (*p*).

CIX. "Ex Conventu *Galvienſi* R. P. Fr. LAZARUS LINZE (latinè *Lincæus*, vernaculè *Lynch*) ſtuduit in *Bethica* benè, benèque docuit *Ulyſſipone*, & poſt longum Tempus ab Egreſſu, in Patriam tandem regreſſus, Vitam egit Angelicam, & exemplarem. Confeſſariuſque fuit ſagax, & prudens. Extorris autem factus in nuperrimo Exilio (*q*), *Nannetis* obijt pius, & annoſus, Sacramentiſque Eccleſiæ fortificatus Anno 1704." (*r*)

CX. "Rev. Adm. P. Fr. PATRITIUS O-HEGARTY, Alumnus Cænobij *Colranenſis*, ſtuduit *Pariſijs* ad *S. Honoratum*, in qua religioſiſſima Domo profecit in Scientia, & Religione. Redux in Patriam prædicavit anglicè *Pontanæ* diù in Eccleſia Parochiali cum Laude; & Exercitio aſſiduo evaſit ſatis completus Concionator in utraque Lingua, *hibernica*, & *anglica*, Fuit Prior *Dublinienſis*, & expugnato Regno ab Uſurpatore *Arauſicano* (*s*), venit cum Legione *Hibernica* in *Galliam*. Et cum hæc Legio reformata eſſet incipiente ultimâ Pace, ille cum Licentia Superiorum inſervivit ut Vicarius in Parochia de *Frelon* in Diæceſi *Sueſſionenſi* ubi prædicabat gallicè cum Applauſu. Deindè profectus ad Urbem S. *Maclovij* (*t*), ad Negotium quoddam peragendum, longo fatigatus Itinère correptus eſt Febri valida, & poſt Octiduum, ſuſceptis Sacramentis, tranſivit ex hac Vita Anno 1704." (*u*)

CXI. "Rev. Adm. P. Fr. AMROSIUS O-KENNEDY, Conventûs *Lothorienſis* Alumnus, ſtuduit Philoſophiæ *Lovanij* ad S. Crucem, & Theologiæ in *Gallia*. Primam Scientiam laudabiliter explicuit *Gratianopoli*, ſecundam verò viginti Annis *Pictaviæ*. Gradatus fuit Doctor *Pictavienſis*, & affiliatus in Provincia *Franciæ*. Erat Vir bonus, & in Studijs ſuis aſſiduus ab Adoleſcentia. Apoplexiâ correptus obijt *Pictaviæ* Anno 1704." (*w*)

CXII. "R. P. Fr. JACOBUS O-FÆLAIN, Anglis *Fullam*, Sobrinus ſupradicti *Michaelis* (*x*), Studia peregit in *Portugallia*, vixitque in Conventu ſuo *Dublinienſi* cum magno Exemplo, & Utilitare Domûs, erat enim providus, & prudens Æconomus. Sæpiùs fuit Supprior ejuſdem Domûs, præfuitque ſemper Confratribus *SS. Roſarij* dirigendis, ac inſtruendis, quod Officium executus eſt cum ſingulari Laude, & omnium Satisfactione. Subjugato Regno (*y*), conatus eſt transfretare, at in Mari captus eſt ab Anglis, *Londinumque* ductus, Carceris Squalorem, Inediamque Biennio patienter toleravit. Indè tandem mirâ Providentiâ Libertatem nactus, venit in *Galliam*, habitavitque in villa *Abbatis* per aliquot Annos. Omne adhibens Conamen ad repatriandum, denuò carceratus eſt in *Anglia* ad Annum, indequè liberatus redijt in *Belgium*, ubi factus eſt Sacellanus Legionis Excellentiſſimi Domini Ducis de *Berwick* (*z*), cui fideliter inſerviens in Ditione *Mediolanenſi*, occiſus eſt in Conflictu habito inter Principem *Eugenium de Subaudia*, & Ducem *de Vendome*, Anno 1705." (*a*)

CXIII. "Rev. Ad. P. Fr. PATRITIUS MAC-DONOGH, noſter (*b*) chariſſimus Condiſcipulus *Salmanticæ*, ubi Studijs Philoſophiæ, ac Theologiæ ſtrenuam fructuoſamque navavit Operam. Habitus eſt ab omnibus ibidem Speculum Virtutum, itâ ut, tùm in magno, & religioſiſſimo Novitiatu, tùm etiam apud omnes Patres, communiter appellaretur Angelus. Eum nunquàm vidi commotum Irâ quantumvis parvâ, nec memini me vidiſſe ſuæ Ætatis Religioſum mitiorem. Completis Studijs

---

(*n*) *O-Heynus*, Pag. 3.

(*o*) Confer Cap. ix. §. xx. Num. ii. Pag. 272.

(*p*) *O-Heynus*, Pag. 19.

(*q*) Adeas Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*r*) *O-Heynus*, Pag. 24.

(*s*) Conſulendum Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*t*) Gallicè *S. Malo*. Porrò S. *Maclovius* fuit atione *Hibernus* ut liquet ex *Portero* in *Compendio Annalium Hiberniæ*, Pag. 138, & 147.

(*u*) *O-Heynus*, Pag. 4.

(*w*) Idem, ibidem.

(*x*) Nuper memorati, Cap. præſ. Num. xciv. P. 582.

(*y*) Recolendum Cap. vii. Num. xii. *Pag.* 144.

(*z*) De eo obiter dictum Cap. iv. Num xvi. P. 82.

(*a*) *O-Heynus*, Pag. 47.

(*b*) Verba ſunt mox laudati *O-Heyni*, Pag. 42.

vixit aliquandiù in Conventu Ordinis ad *S. Sebaſtianum*, ubi plurimùm æſtimabatur; & vixiſſe *Salmanticæ* in Conventu *S. Stephani* Sexennio, & ultrâ, cum totius magnificæ Domûs Approbatione, & Veneratione, plenarium eſt Teſtimonium magnæ Probitatis ejus. Repatrians, ſuum adivit Conventum *Sligoenſem*, adhibuitque Diligentiam plurimam Prædicationi, Catechiſimo, Confeſſionibus audiendis, & Propagationi SS. Roſarij. Factus eſt Prædicator Generalis, & ſæpiùs ſui Conventús Prior. Exemplar fuit ſeriæ Pietatis in Ordine, & Populo, ſed celebranda ſemper ejus profunda Humilitas ſileri nec poteſt. Nam cum noſter Reverendiſſimus P. Magiſter Generalis Fr. *Antoninus Cloche* eundem jam Exulem reſidentem *Bilbili*, vulgò *Bilbao*, in *Hiſpania*, inſtitueret Provincialem *Hiberniæ* (*b*), humillimè ceſſit Oneri, & Honori, nec ullatenûs adduci poterat, ut oblatum acceptaret Honorem. Erat continuò valetudinarius à Regreſſu in Patriam uſque ad Obitum, laborans jugiter cum magna Tolerantia, ſciebat enim apprimè, quod Virtus in Infirmitate perficiatur. Refectus igitur adorabili Euchariſtiâ, & Extremâ confortatus Unctione migravit ad meliorem Vitam (ut ſperamus) Anno 1705 in Refugio, quod noſtri Religioſi *Hiberni* habent ibidem (*c*), cujus tunc erat Vicarius."

CXIV. " R. P. Fr. *Dominicus O-Connor*, in magnifico Conventu *S. Pauli* apud *Burgos* in *Hiſpania* finiens ſua Studia laudabiliter, in ſuam redijt Patriam, & factus Prior Conventús *Traleienſis*, glorioſè ſe exercuit in Prædicatione divini Verbi. Fuit ibi, & in Conventu ſuo *Roſcomanienſi* acceptiſſimus Clero, & Populo. Continuò prædicabat doctè, & facundè. Zeloſiſſimus fuit in Propagatione SS. Roſarij. Prior ſui nativi Conventús, & Vicarius Provincialis inſtitutus à noſtro Provinciali (*d*), obijt Anno 1705, verè pius, & bonus Vir."

CXV. " R. P. Fr. DANIEL MAC-DONNELL, Alumnus Cænobij *Urlarienſis*, peractis laudabiliter Studijs in Provincia *Bethicæ*, in Patriam regreſſus eſt, ibique continuò exemplariter vixit uſque ad Generale Exilium Anni 1698 (*f*). Ex *Gallia* poſtmodùm rediens denuò in Patriam, & in Navi anchorata detectus ut Religioſus, injectus fuit in Carcerem, ibique detentus per Quatuordecim Menſes in Compedibus; tandemque in *Galliam* remiſſus. Paulò poſt enitens jam tertiò repatriare, appulit *Galviam*, ubi ſtatim captus, iterùm Carceri manciparus fuit, ibique ultrà Sexennium detentus" (*g*). Demùm hiſce Arduis fractus, placidè obdormivit in Domino circà Annum 1707.

CXVI. R. P. Præſentatus Fr. FELIX MAC-DOWELL, Cænobij *Tulſkenſis* Alumnus, è Familia Cænobij ejudem Fundatoris (*h*) oriundus, exactis *Valliſoleti* in *Hiſpania* Studijs, perrexit in *Sardiniam*, ubi docuit Philoſophiam. *Romam* indè profectus, unus fuit ex Septem Fratribus, qui cum P. Magiſtro *Joanne O-Connor* Nomine *Hiberniæ Dominicanæ* Poſſeſſionem accepere geminati Cænobij *SS. Sixti & Clementis* de Urbe, ut ſuo Loco referebam (*i*). Poſtmodùm S. Theologiam legit in Conventu Fratrum Prædicatorum Anglorum *SS. Joannis & Pauli*. Deindè Anno 1680 Prior inſtitutus prælibati Cænobi *SS. Sixti & Clementis*, Conventum iſtum *hibernicæ* Genti paulo antè conceſſum, Zelo, atque Exemplo ad exactam Regularis Obſervantiæ Normam reduxit. In *Hiberniam* reverſus, Miſſionarium Apoſtolicum egit, fuitque Sacellanu cujuſdam Legionis in Exercitu Regis *Jacobi* II ab Anno 1689. Devicto autem Regno Ann 1691 (*k*), transfretavit, & poſt varios Caſus ſe contulit in *Angliam*, ubi aliquamdiù reſideba Tandem rediens in *Hiberniam*, vix *Dublinium* appulit dùm captus eſſet, & in Carcerem ſtricti ſimum miſſus, ubi Vir verè pius, verèque religioſus glorioſam obijt Mortem Die 3 Februa 1707.

CXVII. R. P. Lector Fr. LAURENTIUS O-FERRALL, Cænobij *Longofordienſis* Alumnus, ſtuduit *Pragæ* in *Bohemia*, legit verò Philoſophiam *Romæ* apud Fratres Prædicatores *Hibernos* in Conventu *SS. Sixti & Clementis*, & Theologiam apud Fratres Prædicatores *Anglos* Cænobio SS. *Joannis & Pauli*. Indè profectus in *Angliam*, & Miſſionarium Apoſtolicum gens, in Carcerem ſtrictiſſimum *Londini* detruſus eſt, plurima ibidem ultrà Annum pro Cath

---

(*c*) Videſis Cap. xii. §. iv. Num. ii. Pag. 449.

(*d*) Magiſtro *Ambroſio O-Connor*, de quo Cap. xiv. Num. xxiv. Pag. 529.

(*e*) *O-Heynus*, Pag. 44.

(*f*) Conſulendum Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*g*) *O-Heynus*, Pag. 39.

(*h*) Adeas Cap. ix. §. xxxvi. Num. iv. Pag. 3

(*i*) Cap. xii. §. i. Num. iii. Pag. 371.

(*k*) Recolendum Cap. vii. Num. xii. Pag. 14

lica Religione paſſus. Tandem, Deo propitiante, dimiſſus, perrexit in *Belgium*, ubi diuturnas Infirmitates, aliaque Incommoda patienter ſuſtinuit. In *Angliam* iterùm profectus, ſecundò incarceratus eſt, ſed dimiſſus tanquàm *Alemannus* in *Luſitaniam* cum Archiduce *Carolo*, poſtmodùm *Romanorum* Imperatore, hujus Nominis *Sexto*. Indè, Occaſione nactâ, ſe contulit in *Hiſpaniam*, ubi Capellanus Legionis de *Berwick* (*l*) piè obijt Anno 1708.

CXVIII. “ R. P. Fr. JACOBUS BARRET, Vir Nobilis, poſt longi Conjugij Vinculum, Uxoris Morte ſolutum, Habitum noſtrum recepit *Corcagiæ*, Ibidemque Profeſſionem emiſit. Hic vixit cum ſumma Humilitate, & Exemplo, ità ut nonnulli Hæretici conſiderantes Bonitatem, & venerandam Senectutem Viri, antecedenter illis noti in Sæculo, commotique inde naturali quadam Compaſſione, curarunt ut in Generali Exilio Anni 1698 (*m*) maneret Domi. Indutus igitur Veſte Vaccarij, ſe abſcondit velut Cuſtos Boum cujuſdam *Angli*. Sicque vixit, & defunctus eſt cum magna Opinione Virtutis” (*n*), non antè Annum (vel ipſo Anno) 1706, quo ſcripſit *O-Heynus*, ex quo hanc deprompſi Hiſtoriolam, ſed circà Annum 1710.

CXIX. R.. P. Fr. DOMINICUS MAC-EGAN, Alumnus Cænobij *Traleienſis*, â Studijs, in *Hiſpania* peractis, revertens ad propria, *Dublinij* captus eſt, & in Carcerem miſſus Anno 1700 (*o*). Eò Loci Miſſam quotidiè celebrabat, cui intereſſe ſolebant nedùm incarcerati, ſed & alij Chriſtifideles (quorum nonnulli adhuc ſuperſunt, mihi hæc referentes) in Civitate, quibus Sacella, Perſecutione ſæviente, occluſa erant. Criminoſos ad meliorem Frugem reducebat aſſiduis Exortationibus, & exemplari Vita, eiſque Sacramenta adminiſtrabat, & imprimis capitali Sententiâ damnatis, pluribus eorum ab Hæreſi ad Sinum S. Matris Eccleſiæ evocatis. Sicque glorioſam duxit Vitam, quam & glorioſè poſt tàm diuturnum Incarceramentum finivit, ibidem obdormiens in Domino Anno 1713.

CXX. Rev. Adm. P. Fr. ANTONIUS O-CARROLL, Conventûs *Lothorienſis* Alumnus, “ S. Theologiæ Magiſter, ſtuduit in Collegio *Ulyſſiponenſi*, ibidemque docuit Philoſophiam, ac Theologiam permulto Tempore cum Laude, & Utilitate non modica Diſcipulorum, & Provinciæ. Rector fuit ejuſdem Collegij, & Monialium Director pius, & dignus. A pluribus Annis degit *Romæ*, ibique factus Magiſter, modò (1706) eſt Socius pro proximo Capitulo Generali” (*p*). Illius porrò meminit *Clemens* Papa XI in Literis Apoſtolicis, Die 28 Septembris 1709 datis (*q*), quibus Catholicos *Hberniæ*, ab Hæreticis dirè, ac diverſimodè afflictos, Sereniſſimo *Joanni* V, Regi *Portugalliæ*, ſummoperè commendat. Piè autem obijt Vir verè religioſus in prælibato Collegio noſtro *Ulyſſiponenſi* circà Annum 1719.

CXXI. Adm. Rev. Pater Magiſter Fr. CHRISTOPHORUS DILLON, Cænobij *Dublinienſis* Alumnus, peractis *Lovanij* Studijs, *Dublinium* reverſus eſt, ubi Miſſionarij Apoſtolici Munere per longam Annorum Seriem ſummo cum Zelo indefeſſè fungens, Fidelem Populum Sermone, & Opere plurimùm ædificavit, atque haud paucos Heterodoxos ad Caulam Dominici Gregis adduxit. Dùm autem ſecundò eſſet memorati ſui Conventûs Prior, lentâ Tabe conſumptus, placidè migravit è Vita, Sacramentis Eccleſiæ munitus, magnum ſui Deſiderium relinquens, Menſe Novembri Anno 1728.

CXXII. R. P. Fr. ANDREAS KIRWAN, Cænobij *Galvienſis*, ubi Sacræ Religioni Nomen dedit, Alumnus, peractis in *Hiſpania* laudabiliter Studijs, Miſſionarium Apoſtolicum per diuturnam Annorum Seriem ingenti cum Animarum Fructu ſedulò egit *Galviæ*, quâ tandem diſcedere coactns fuit, nè ſcilicet, juridicè jam citatus â Tribunali Acatholico, Teſtimonium ferret, quo proximiores ejus Conſanguinei Latifundijs ſuis Religionis Catholicæ Cauſâ privarentur. Eapropter *Nannetas* in *Britannia Minori* perrexit, ubi cum præclara Virtutis Opinione vivere deſijt Anno 1736.

(*l*) *Jacobi Fitz James*, Ducis *Berwici*, de quo Sermo erat Cap. iv. Num. xvi. Pag. 82.

(*m*) Videſis Cap. viii. Num. ii. Pag. 154.

(*n*) *O-Heynus*, Pag. 13.

(*o*) Adeas *O-Heynum*, Pag. 21.

(*p*) *O-Heynus*, Pag. 21.

(*q*) Eas legere eſt Cap. viii. Num. v. Pag. 158.

CXXIII. Adm. Rev. Pater Magiſter Fr. ANTONINUS SALL, Cænobij *Waterfordienſis* Alumnus, ad Habitum receptus in Collegio noſtro *Lovanienſi*, ibidem ſolemnem emiſit Profeſſionem Anno 1682. Ibi etiam Philoſophiam audivit, & per Biennium S. Theologiam, quam abſolvit in Collegio *Duaceno*, talem faciens in Scientia, & Pietate Progreſſum, ut per Univerſam *S. Roſæ* in *Belgio* Provinciam viva ejus adhuc vigeat Memoria (*r*). *Lovanium* regreſſus, Lector fuit Philoſophiæ, Magiſter Studentium, & Regens Secundarius. Regens verò Primarius nonniſi à Bimeſtri, acceſſitus fuit *Romam* ad Collegium *SS. Sixi & Clementis*, ubi eodem Regentis Primarij Munere per Decennium ſummo cum Urbis Applauſu functus eſt, maximo Pretio à Viris literatis habitus, nominatim à Doctiſſimo noſtro juxtà & Eminentiſſimo *Thomâ-Mariâ Ferrari*, S. R. E. Cardinali ſuperiùs laudato (*s*). Ibidem fuit per conſuetum Triennium Prior ab Anno ſcilicet 1710 ad 1713, ac poſtmodùm Rector Collegij noſtri *Ulyſſiponenſis*, ex quo ad propria reverſus, Vineam Domini Evangelicâ Prædicatione, & Religioſâ Operatione per haud brevem Annorum Seriem excoluit, Vir utpotè Doctrinâ admirabilis, Oratione aſſiduus, Humilitate, & Obedientiâ ſingularis. Tandem Annis & Meritis plenus, Eccleſiaſticis Sacramentis munitus, Mortem lætus aſpexit in prælibata *Waterfordienſi* Civitate Anno 1739.

CXXIV. R. P. Lector Fr. DOMINICUS LINCÆUS, vulgò *Lynch*, Conventûs *Galvienſis*, ubi ad Habitum, & Profeſſionem admiſſus fuit, Alumnus, Studia laudabiliter tranſegit partim in Collegio *Salmantino*, partim in Collegio *Minervitano* Urbis, utrobique conſpicuum Modeſtiæ, Humilitatis, cæterarumque religioſarum Virtutum Exemplar. Perlectâ Philoſophiâ *Romæ* in Conventu SS. *Sixti & Clementis*, ibidem fuit ſemel iterumque Regens Secundarius. Sed adhuc florenti in Ætate, nimirùm triginta duorum Annorum, ſupremam Diem vidit, raptus, fas ſit credere, ne Malitia mutaret Intellectum ejus. Siquidem Rheumate epidemico, quo Urbs affecta erat ſub Initium Anni 1743, correptus & ipſe, omnibus munitus Sacramentis, placidè in Domino conquievit Menſe Februarij ejuſdem Anni. Vir (inquam Teſtis oculatus) verè pius, ſuique Inſtituti Cuſtos integerrimus, cujus Vultus planè angelicus præclarum aliquid ſuprà humanum ſemper præſeferebat.

CXXV. R. P. Fr. FRANCISCUS LEYNAGH, Menſe Octobris Anno 1651 in *Midenſi* Agro *Lageniæ* natus, poſtquàm per Triginta & ultrà Annos commiſſo ſibi Parochi Officio egregiè functus fuerit, ſacrum *S. Dominici* Inſtitutum in *Trimmenſi* Conventu amplexus eſt, Vir maturimæ Compoſitionis, ac Modeſtiæ, Linguæ, & Oculorum diligentiſſimus Cuſtos, ac totis Moribus ad Regulæ, ſacrarumque Conſtitutionum, pro Rerum Conditionibus, Ideam effigiatus, adeòque pluries tùm Magiſter Novitiorum, tùm prælibati Cænobij Prior, & per omnes Officiorum Gradus ſui perpetuò ſimilis. Divinas Laudes in Delicijs habens, quotidiè, ultrà Horas Canonicas, integrum Officium, & Roſarium *Marianum*, integrumque Officium Defunctorum recitabat. Paupertatis amantiſſimus erat, ſuique Abnegatione tranquillus. Tandem plenus Dierum, & Meritorum, in Sancta Pace requievit Die 24 Novembris 1750, Ætatis ſuæ Centeſimo.

CXXVI. Advertas velim, benigne Lector, quod quamquàm in Elogijs Alumnorum *Hiberniæ Dominicanæ*, quos Capite hoc complexus ſum, nonnullis Sanctimoniæ, vel Martyrij Appellationem tribuere videar, hæc omnia tamen ità meis propono Lectoribus, ut nolim ab illis accipi tanquàm à Sede Apoſtolica examinata, atque approbata, ſed tanquàm quæ à ſola ſuorum Auctorum Fide Pondus obtineant, atque adeò non aliter quàm Hiſtoriam purè humanam. Proindè Apoſtolicam Felicis Recordationis *Urbani* Papæ VIII Conſtitutionem, Die 13 Martij 1625 editam, & Die 5 Junij 1634 innovatam, obſervari à me omnes intelligant, nec velle me, aut Cultum, aut Venerationem aliquam per has meas Narrationes ulli arrogare, vel Famam, & Opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeù augere, nec quicquam ejus Exiſtimationi adjungere,

---

(*r*) Inquit P. Magiſter *Edmundus de Burgo* in Notis MSs ad *O-Heynum*, Pag. 12.

(*s*) Cap. xii. §. i. Num xxxviii. Pag. 409.

jungere, nullumque Gradum facere ad futuram aliquando ullius Beatificationem, vel Canonizationem, aut Miraculi Comprobationem, ſed cuncta in eo à me relinqui Statu, quem ſecluſâ hac meâ Lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi Temporis Curſu. Hæc tàm ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi Filius cupit, & ab eo in omni ſua Inſcriptione, & Actione dirigi.

Pag. 296. Lin. 23. Prætermiſſus ex Incuria Typographi R. P. Prædicator Generalis Fr. *Bernardus Mac-Dermott*, Parochus de *Athleague*, in Diæceſi *Elphinenſi*, Ætat. 40. Prof. 17.

CAPUT DECIMUM-SEPTIMUM.

De præſenti lachrymabili Statu Provinciæ *Hiberniæ*, obiterque de Legibus, Edictis, & Perſecutionibus Gubernij Acatholici in Clerum Populumque Catholicum latis, promulgatis, & motis à Tempore Regis *Henrici* VIII ad præſens; ac ſparsìm de alijs *Hiberniæ* Rebus, præſertim Eccleſiaſticis, tunc occurrentibus.

SUMMARIUM.

I. *Lapſus Rei Catholicæ, & Religioſæ, præcipuè in* Anglia *ſub Regibus* Henrico *VIII*, & Eduardo *VI*, *qui ſe* Capita Eccleſiæ *declararunt*.

II. *Earundem Reſtauratio ſub* Maria *Reginâ Orthodoxâ*, Philippo *II* Hiſpaniarum *Regi nuptâ*; & *Relapſus ſub* Elizabetha, *primùm Catholicâ, apparenter ſaltem, poſtmodùm Acatholicâ*, & Capitis Eccleſiæ *Titulum aſſumente. Nota de* Mariâ Stuartâ, *Reginâ* Scotorum.

III. *Sacrificium Miſſæ ſublatum. Novæ Cæremoniæ Eccleſiaſticæ, novæque Preces inſtitutæ. Juriſdictio omnis Spiritualis à prælibata Fæmina uſurpata. Juramentum* Suppremetiæ, *ut vocant, ab Univerſo Clero præſtandum, aliudque ab Epiſcopis Neo-conſecratis.*

IV. *Plures è Clero Populoque Catholico in Cuſtodiam dati, in Exilium miſſi, Martyrium paſſi. Statuta quædam contrà* Hibernos *Orthodoxos in* Anglia *condita, quæ etſi in* Hibernia *non recepta, ſecundùm ea tamen majori Sævitiâ quàm in ipſamet* Anglia *proceſſum.* Elizabetham *Regnis* Angliæ, & Hiberniæ, *omnique alio Dominio privatam declarunt* S. Pius *V*, Gregorius *XIII*, & Sixtus *V*. *Crudelior Carnificina in Catholicos indè exercita.*

V. *Ex* Davide Roth, *Epiſcopo* Oſſorienſi, & Daniele O-Daly, *aliàs* Dominico de Roſario, *plura tam in Textu, quàm in Notis, de Miſſionarijs, præſertìm Antiſtitibus, Martyrium, Vincula, Exilium ſub* Elizabethæ *perpeſſis.*

VI. *Anno* 1591, *Edictum* Elizabethæ *contrà Miſſionarios* Angliæ, & Hiberniæ.

VII. *E multis nonnullæ deteguntur Fraudes, & Impoſturæ recenſiti Edicti. Statutum* Elizabethæ *Anno* 1584 *de crudeli Sacerdotum publica Carnificina. Aliud Statutum Anno* 1580 *de Indulgentia, Sontibus omnibus cujuſcunque Sceleris concedendâ, exceptis detentis ob Religionem Catholicam.*

VIII. Elizabethicæ *Perſecutionis Forma, & Praxis, Inſtructionibus quibuſdam, Regiâ Auctoritate ad ſingulas Provincias, & Comitatus miſſis, expreſſæ.*

IX. *Horum omnium præcipuus Suggeſtor* Gulielmus Cæcilius, *obſcuræ Familiæ, ſed Fortunæ Filius. Nonnihil de ſubdolo, & verſipelle hoc Viro ſub Regibus* Eduardo, Mariâ, & Elizabethâ. *Titulus* Defenſoris Fidei *ab* Elizabetha *ineptè uſurpatus. Funeſti Perſecutionis* Elizabethicæ *Effectus.*

X. *Status Rei Catholicæ, & Religioſæ ſub* Jacobo *I Rege, qui Orthodoxis Orthodoxus primùm videbatur, reapsè tamen Heterodoxus, Anno* 1605, *promulgatum Edictum contrà Catholicos* Hiberniæ, *maximè Utrumque Clerum.*

XI. *Furit Perſecutio in Catholicos.* Elizabethicæ *Juramenti Formulæ Verba quædam à* Jacobo *Rege addita. Occaſione accepta ex Conjuratione quadam contrà Regem, & Ordines Regni* Angliæ, *nova Juſjurandi Formula cuſa. Literæ Apoſtolicæ* Pauli *V contrâ illud Juſjurandum.*

XII. *Fides iſtarum Literarum Apoſtolicarum à nonnullis malevolis ſuſpecta. Aliæ propterea expeditæ.*

XIII. *Contrà Literas illas Librum edidit* Jacobus *Rex. Intereâ per Quadriennium minor, minùſque frequens Perſecutionis Strepitus. Poſtea tamen Anno* 1610 *emanavit ex Concilio Sanctiori* Hiberniæ *Proregis Edictum quoddam contrà Catholicos, præſertim Juvenes Studiorum Cauſâ in externis Principum Catholicorum Ditionibus miſſos.*

XIV. *Anno* 1611, Andreas Knox, *Scotus, Acatholicus Epiſcopus* Rapotenſis, *à Rege in* Hiberniam *miſſus ad extinguendam Fidem Catholicam. Ejus cum Prorege, Equite nimirûm* Arthuro Ciceſtrio, *vulgò* Chicheſter (*Comitum* Donegalenſium *Progenitore*) *Colloquium, ex quo* Hibernorum *Conſtantia perſpicuè apparet. Ab eo ſeveriora promulgata Edicta.*

XV. *Quatuor* Hiberniæ *Archiepiſcopi Acatholici à* Knoxo *Damnis coerciti, Convitijſque correpti,* Dublinium *conveniunt, celebratoque Concilio, Decreta quædam rigidiora faciunt.*

XVI. *Ea Prorex* Ciceſtrius *omnimodæ Executioni mandari facit. Mæſtum indè luctuoſumque Spectaculum. Sacra fermè omnia prophanis Uſibus addicta. Nonnulla Prodigio illæſa.*

XVII. *Ab Anno* 1585 *ad* 1613 *nullum in* Hibernia *Parlamentum ſedens. Novum enixè præſtolantur Senatores Catholici. Difficulter deprehendunt ab Hæterodoxis excogitatum pro ſancienda Lege. Id extenſis Verbis relatum.*

XVIII. *Huic annexa quædam Monita, Judicio Proregis, & Sanctioris Concilij propoſita.*

XIX. *Hiſce pro virili ſe opponunt Orthodoxi. Prorex* Ciceſtrius *primam celebrat* Parlamenti *Seſſionem* 18 *Maij* 1613. *Diſſidium in Inferiori Domo de Electione Prolocutoris. Adlocutio cujuſdam Orthodoxi. Heterodoxi Equitem* Joannem Daviſium, *Orthodoxi verò Equitem* Joannem Everardum *eligunt. Violentas Manus in* Everardum *Prolocutorem Hæterodoxi injiciunt. Indè Orthodoxi Anſam ſumunt non conveniendi ad* Parlamentum.

XX. *Senatores Catholici,* Hibernos *nunquàm à Fide Catholica defecturos obteſtantur in Libello Supplici, qui ex anglico in latinum accuratè vertitur.*

XXI. *Ab inflexibili Prorege* Ciceſtrio *ad Regem* Jacobum *provocant Orthodoxi Senatores. Ex utraque Domo Senatores nonnullos* Londinum *ituros impedire conatur Prorex ſpeciali Edicto* 9 *Julij* 1613, *ſed fruſtrà.*

XXII. *Urbanè primùm excipit eos Rex. Auditis eorum Querelis, in* Hiberniam *quatuor Judices Heterodoxos mittit ad inquirendam Veritatem, ipſumque Proregem* Ciceſtrium *Rex accerſit. Eum innocentem declarat Die* 7 *Februarij* 1614 *peculiari Sententiâ.*

XXIII. *Dein in* Parlamento *Catholicos, præcipuè ob Obedientiam Romano Pontifici tàm tenaciter præſtitam, publicè incuſat Sermone longiuſculo, ad Oratores* Hibernos *habito, quem hi ſubinde interrumpebant, nominatìm* Richardus Nugentius, *Baro* Delvinæ, & Chriſtophorus Nugentius, *Eques Auratus.*

XXIV. Cookus, *Capitalis* Angliæ *Judex; item Magnus* Angliæ *Cancellarius; atque Archiepiſcopus* Cantuarienſis *Acatholicus, in* Hibernos *ob Orthodoxam Fidem invehuntur.*

XXV. *Circà Annum* 1614 Paulus *Papa V conſolatur* Hibernos *in hac Tribulatione, eoſdemqu ſummis Laudibus celebrat, ſpeciali Diplomute ex* Donato O-Roirk, *alijs* Davide Roth, *Epiſcop* Oſſorienſi.

XXVI. Ultimum, & exitiale Jacobi *Regis contrà Catholicos* Hiberniæ *Edictum,* 31 *Maij* 1614 *emanatum.*

XXVII. Ex Dalæo *nonnulla Relatu digna de* Thoma Butlero, *Comite* Ormondiæ, & Geraldo Gera dino, *Comite* Kildaræ.

XXVIII. Eques Arthurus Ciceſtrius, *iteratò* Hiberniæ *Prorex, eò reverſus, omnibus Modis* Hibernos c *natur â Fide avertere, ſed fruſtrà. Immo Heterodoxi ad Fidem convertuntur. Memorabile ea de dictum cujuſdam Adminiſtri, ipſiuſmetque Proregis.*

XXIX. Proregi Ciceſtrio *ſuccedit Eques* Oliverius à S. Joanne (*vulgo* Saint John) *Anno* 1616, *ad C tholicos perſequendos ſuccenſus ex publico Regis Sermone.*

XXX. Severiores adversùs Catholicos Leges ſtrictæ mandat Executioni, Edictumque promulgat cont Sacerdotes Regulares, e Regno ejiciendos. Mira Orthodoxorum Conſtantia.

XXXI. Anno 1618, *Literæ Regis ad Proregem, & Cancellarium de creando inveſtiendoque* Theoba de Burgo, *Barone de* Brittas, *ſub Conditione* Proteſtantiſmi, *tâm in ſe, quàm in Liberis educandis. alios duos Indigenas, aut genuinos* Hibernos, *reperire ſimiles in toto Procerum Conſeſſu. A prælibato* *men* Theobaldo *oriundi Catholicæ Fidei Cultores Bona, & Honores, immo & Vitam propter eam, & Fidelitatem ergà Regem, amiſſi.*

XXXII. Eodem Anno 1618, *Proregis Inſtructio ad Juſtitiarios itinerantes circà Modum exequendi Pænas pecuniarias ergà* Recuſantes.

XXXIII. Catholicorum Antiſtitum Hiberniæ *Supplicatio ad* Hiſpaniarum *Regem.* Henricus Carey, *Vicecomes de* Falkland, *novus Prorex Anno* 1622, *Poteſtatem habet à Rege concedendi Catholicis Libertatem Conſcientiæ, ſed in caſſum, obnitente ſcilicet per Prædicationem, & Potentiam* Jacobo Uſſero, *Archiepiſcopo* Armacano *Heterodoxo. Quinimmò novum promulgatur Edictum Anno* 1623 *contrà Sacerdotes omnes Orthodoxos, tàm Sæculares, quàm Regulares.*

XXXIV. Denato Regi Jacobo, 27 *Martij* 1625, *ſuccedit Filius ipſius* Carolus *I, in Catholicos clemens. Regulares ſubinde in* Hiberniam *reverſi, Juvenes ad Habitum recipiunt. Eodem autem Anno* 1625 *Regi, legalem Catholicis Tolerationem concedere volenti, ſe opponunt Epiſcopi Acatholici. Hinc novum promulgatum Edictum Anno* 1629 *contrà univerſum Clerum Orthodoxum.*

XXXV. Regis Mandatum adverſus Puritanos, *ſeu* Preſbyterianos. *Illud omnimodæ Executioni mandat* Gulielmus Laudus, *Archiepiſcopus* Cantuarienſis *Acatholicus. Nota de* Proteſtantium, *&* Preſbyterianorum *Sectis, obiterque de antiquis* Waldenſibus.

XXXVI. Puritani *in Regem Turbas concitant, omniaque ſus deque in* Scotia *miſcent. Rex armatâ Manu movet ad* Scotiæ *Confinia, Pacemque init cum* Puritanis *territis.* Puritani Scoti, *violatâ Fide,* Angliam *invadunt.* Thomas Wentworth, *Comes* Straffordiæ, *Prorex* Hiberniæ, *decem Millibus Catholicorum* Hibernorum *Militum, Puritanorum tàm* Angliæ, *quàm* Hiberniæ *Perfidiam caſtigare, & Contumaciam reprimere paratus erat, ſed neglecto deſuper ejus Conſilio, Rex* Carolus *Litem dirimi voluit in* Parlamento Anglicano, *quod ipſi tandem Vitam ademit.*

XXXVII. Parlamentum *vulgò* longum 3 *Novembris* 1640 *inceptum. Comes* Straffordius *Capite plexus, nolente volente Rege,* 12 *Maij* 1641. *Catholicus non erat, ut nonnulli hallucinantur Scriptores exteri. Menſe Auguſti* 1642, *Rex Labrum ſuum explicat. Menſe Octobris item* 1642, *& Menſe Julij* 1643, *duplici Certamine rebelles* Parlamentarios *ſuperat, ab ijs poſtmodùm ſuperatus Menſe Junij* 1644. *Archipræſul* Laudus *Acatholicus Capite plectitur* 10 *Januarij* 1645. *Rex iterum victus in Prælio* Naſebiano 14 *Junij item* 1645.

XXXVIII. Menſe Majo 1646 *Rex* Carolus *à* Scotis *invitatus, ad eoſque confugiens, ab iiſdem fœdiſſime traditur. Deterritus Rex ut Captivus aufugit, ſed captus ab* Oliverio Cromuello, *prolatâ in eum à* Parlamentarijs *Sententiâ, Capite truncatur* 30 *Januarij* 1649. *Martyr à* Proteſtantibus *ad* Puritanorum *Differentiam celebratur.* Cromuellus *ſuperato Rege* Carolo *Tyrannidem arripit.* Protector *trium Regnorum acclamatur* 16 *Decembris* 1653, *anteà de Anno* 1650 *Strategus, vulgo* Capitaneus Generalis, *renunciatus.*

XXXIX. Schema numerale Legum omnium pænalium, quæ ſub Elizabetha, Jacobo, *&* Carolo *Regibus adverſus* Angliæ, *&* Hiberniæ *Catholicos latæ ſunt.*

XL. Statutum Parlamentarium *factum in* Anglia 1643 *contra* recuſantes *novum Juramenti Genus circà Principia Fidei, & Religionis.*

XLI. In Decretum hoc animadvertit O-Dalæus *noſter, oſtendens violentam Jurisjurandi hujus Extorſionem cum Libertate Nationis* Anglicanæ, *immo & cum antiquis noviſque Regni* Anglicani *Legibus pugnare.*

XLII. Plura addit de antiquo, & præſenti Statù Regni Hiberniæ, *& lato inter utrumque Diſcrimine.*

XLIII. Hæc omnia Scitu neceſſaria, ut innoteſcat, quo Pacto Religio Catholica, & Status Religioſus, per Quadriennium refloruere in Hibernia. *Conventus Generalis Catholicorum* Hiberniæ *apud* Kilkenniam *Menſe Majo* 1641. *(Nota Prælatorum, & Doctorum Judicium exhibens, & Hæterodoxorum Calumnias de Hibernica Rebellione* 1641 *ex alijs Hæterodoxis refellens). Ibi ſelectiſſimi Viri delecti, qui Res Catholicorum moderarentur, dato ipſis* Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij *Titulo, eiſque electo in Prædicatorem Ordinarium P.* Thomâ O-Cuirk, *Traleienſi, Ordinis Prædicatorum. Omnes in* Hibernia *Juramentum Aſſociationis (Nota exhibens ejus Formulum) præſtituri, & Obedientiam Senatoribus iſtis exhibituri.*

XLIV. Manifeſtum, *ut vocant, ab iiſdem promulgatum. Quatuor Generales Militares quatuor* Hiberniæ *Nationibus aſſignati, quorum Ductu Res Catholicorum mirabilem fecit Progreſſum Annis* 1642, 43, *&* 44.

XLV. Anno 1644, *Summus Pontifex* Urbanus *VIII a P.* Luca Waddingo, *inſigniſſimo Minoritâ, intelligens patrata ab* Hibernis *pro Fide, Rege, & Patria, ad eoſdem mittit P.* Petrum Scarampam, *Pedemon-*

demon-

demontanum, C*ongregationis Oratorij Preſbyterum*, & *viciſſim* S*upremum* C*oncilium D*. Richardum Belling, *Juriſperitum*, S*ecretarium ſuum*, *mittit in Urbem. Ab utroque edoctus Neo-Pontif*ex Innocentius *X de felici Catholicorum Progreſſu, ad eoſdem deſtinavit Nuntium Apoſtolicum D*. Joannem Baptiſtam Rinuccinum, *Florentinum*, *Archiepiſcopum* & *Principem* Firmanum. *Hic in* Hiberniam *appulſus* 22 *Octobris* 1645, Kilkenniam *feſtive ingreſſus eſt Die* 12 *Menſis ſequentis. Ejus Declaratio coram Supremo Concilio de Mandato Summi Pontificis.* Jacobus Butlerus, *Acatholicus*, Ormondiæ *Marchio* (*poſtmodùm Dux*) Hiberniæ *tunc Prorex*.

XLVI. Dudùm ante Nuntij in Hiberniam *Adventum*, Hibernicos *Motus reprimere volens Rex* Carolus, *Leges, contra Præſules Orthodoxos latas, abrogare ſtatuit. Pror*ex Ormondius *Inducias cum* Fæderatis Catholicis *ad Annum paciſcitur* 15 *Septembris* 1643. *Eas ad alterum Annum continuare voluit R*ex, *ſed Prorex Tergiverſationibus obſtitit.* S*eptem* ex S*upremo* C*oncilio miſſi ad Regem*, Oxoniæ *tunc verſantem, qui eos gratioſe excipit. Quædam illius Proteſtatio cum quodam concordans Affatu* Innocentij *Papæ X*.

XLVII. *Rex illico ad* Hibernos *deſtinat* Eduardum Somerſet, C*atholicum*, C*omitem* Glamorganum. *Hic Pacem favorabilem cum ijs concludit* 25 *Auguſti* 1645. *De ea informatus* Ormondius, *in* Dublinienſem *Arcem trudit* Glamorganum. *Regem inducit, ut datam ei Facultatem revocet. Pror*ex Ormondius S*upremum* C*oncilium monet, ſibi a Rege commiſſum tractandæ Pacis Negotium. Soluto* Glamorgano, *duo e* S*upremo* C*oncilio tractant cum* Ormondio *de Pace, ſed fruſtrà. Prorex* P*acem effingit Laicis favorabilem, Eccleſiaſticis vero adverſam. Hinc diviſi inter ſe* C*atholici*.

XLVIII. *Diſputantibus jam Catholicis in Supremo Concilio, appellit, ut præfertur, Nuntius Apoſtolicus* Rinuccinus, *qui Paci iſtæ* Ormondij *obſtat. Duæ ſtatim Catholicorum Factiones, una* Nuntij, *altera* Ormondij. *Ad eas componendas habitus ſtatim Conventus Generalis Regni Menſe Januario* 1646. *Literæ ab eo datæ ad Summum Pontificem* Innocentium X.

XLIX. *Pax concluſa*, & *ſubſcripta* 28 *Martij* 1646, *ejuſque Inſtrumentum apud* Ulicum de Burgo, *Marchionem* Clanrickardiæ *depoſitum, donec* Fæderati Catholici *mittant decem Millenos conſcriptos Milites ad Regem contrà Rebelles* Parlamentarios. *Nuntius iſtæ* P*aci indirecte contrarius tanquam haud ſufficienti, Motiva contra eam proponit* C*onventui Generali*.

L. *Anno* 1646, *Menſe Majo, Exercitus Rebellium* Parlamentariorum *a* C*atholicis varijs in Locis profligatus. Die* 5 *Junij* Benburbiæ *in* Ultonia *triumphat* O-Neillus. *Epiſtola Nuntij ad Papam ea de Re*.

LI. *Epiſtola Supremi Concilij ad Papam eadem de Re. Accedunt plures Notæ, præcipue de Subſcribentibus*.

LII. *Eodem Anno* 1646, *Menſe Auguſto, de Mandato Regis, deque Conſenſu utriuſque Partis, Pax promulgata* Dublinij, Kilkenniæ, & *alibi, à Rege Armorum, decemque per eum deputatis* Heraldis. *Nuntius Clerum convocat* Waterfordiæ. *Pacemque repudiat Die* 12 *prælibati Menſis Auguſti ſpeciali Decreto, a ſe, atque Epiſcopis, ac a Superioribus Regularibus*, & *Dignitarijs ſubſcripto. Variæ Notæ de Epiſcopis Subſcribentibus, eorumque Diæceſibus*.

LIII. *Nuntius* Kilkenniam *reverſus, incarcerari fecit primarios Pacis Fautores.* C*onvocatis Regni Comitijs novus eligitur Senatus, eique Præſes aſſignatur ipſemet Nuntius. Decretum Excommunicationis contra adhærentes nuperæ Paci, eiſve Auxilium, aut Favorem præſtantes. Die* 7 *Februarij* 1647 *Generalis Fæderatorum Catholicorum Congregatio invalidam declarat prælibatam Pacem*.

LIV. Anno 1647, *Ruina* Hiberniæ *ex iſtis Catholicorum Diſſentionibus exorta. Catholicis plura rapiunt Loca* Parlamentarij *ſub Ductu* Mauri O-Brien, *Baronis* Inchiquini. *Nonnihil de eo. Prorex* Ormondius *de Pace ſua cum* C*atholicis diſperans, e Regno diſcedit, omnia relinquens Præſida, non quidem Catholicis, Regi fidelibus, ſed* Parlamentarijs, *capitalibus Regis Hoſtibus.* Michael Jones *integrum* Preſtoni *delet Peditatum in* P*rælio, ſex Millibus Catholicorum occiſis. Generalis* Taaffius *ab* Inchiquino *ſuperatus, cæſis tribus* C*atholicorum Millibus*.

LV. *Hinc ab omnibus in Sententiam itum de* P*ace tandem aliquando concludendâ. Anno* 1648 *miſſi deſuper tres Legati ad Reginam*, & P*rincipem* Walliæ, *Rege ſcilicet in Rebellium* P*oteſtate conſtituto. Duo inſuper miſſi ad* Innocentium X, P*ontificem Maximum. Omnes ad propria redeunt, Re prorſùs infectâ*.

LVI. *Generalis* Inchiquinus *reſipiſcens ad Regis* P*artes tranſit. Inducias offert* Fæderatis Catholicis. *Nuntij ad* C*oncilium Epiſtola pro diſſuadendis Inducijs*.

LVII. *Concilij ad præinſertam Nuntij Epiſtolam Reſponſio*.

LVIII. *Nuntij ad præmiſſam Epiſtolam Replica.* 20 *Aprilis* 1648.

LIX. Concilij ad Epiſtolam iſtam Rationeſque in ea contentas Roſponſio.

LX. Nuntius Kilkenniâ *diſcedit, ſuique Diſceſſûs reddit Cauſam per Epiſtolam 7. Maij* 1648. *Concilium de inopinato ejus Diſceſſu expoſtulat, ad Reditumque tàm Literis, quam Legatis invitat. Reſcribit Nuntius, quaſdam proponens Conditiones, & Remedia, ut Armorum Ceſſatio concludi poſſit.*

LXI. Concilij ad Propoſitiones, ſeù Conditiones Nuntij Reſponſio.

LXII. Concluſæ Induciæ, atque impreſſæ, ac publicatæ Kilkenniæ 22 *Maij* 1648. *Exhibentur ſecundus, & quintus earum Articuli.*

LXIII. Eodem Die 22 *Maij* 1648 *promulgatur iſta de Re Supremi Concilij Edictum.*

LXIV. Die 27 *Maij* 1648 *Concilium eadem de Re Declarationem emittit.*

LXV. Eodem Die 27 *Maij* 1648 *Decretum Excommunicationis comminatorium Valvis Cathedralis Eccleſiæ* Kilkennienſis *affixum. Decretum item Excommunicationis latæ Sententiæ in Concilij Proceres, omneſque ipſis in Induciarum Negotio obſequentes emanatum.*

LXVI. Declaratio quorundam Epiſcoporum aliam, ab ijſdem alijſquc editam, expendens.

LXVII. Die 4 Junij 1648 *Concilium à Nuntio ad Summum Pontificem Appellationem interjicit. Eam admittit Nuntius, non quoad Effectum ſuſpenſivum, ſed devolutivum. Concilij Epiſtola ad univerſos* Hiberniæ *Theologos. Quæſita quædam, anglicè* Queries, *ijſdem Theologis propoſita.*

LXVIII. Die antecedenti monuit deſuper Concilium Superiores Regulares. Novam cudit Juriſjurandi Formulam, cui Appendicem addit, quam exhibet Nota. Generalis O-Neillus *Bellum denunciat adversùs Concilium. Liber anglice editus ab* Offorienſi *Epiſcopo,* Davide Rothæo, *alijſque Doctoribus, ad præmiſſa Quæſita exhibens Reſponſa. Illius Approbatio per* Midenſem *Epiſcopum,* Thomam Deaſſe.

LXIX. Reſponſio octo Theologorum Dublinij *ad Quæſtionem, ab* Ormondio *Prorege ipſis propoſitam.*

LXX. Die 13 Julij 1648 *Nuntius Nationalem indicit Synodum* Galviæ *habendam Die 15 inſequentis Menſis Auguſti. Contrà eam Concilium ſcribit ad Nuntium Die 26 ejuſdem Menſis Julij.*

LXXI. Concilium eam reapſe impedit. Die 2 Auguſti 1648, *ſuper Gravamine Provinciali Minorum illato Nuntius expoſtulat cum* Ulico de Burgo, *Marchione* Clanrickardiæ, *qui ab Initio neutralis erat, etſi Conſanguineus ipſius* Thomas de Burgo, *Vicecomes de* Clanmorris, *ad Mortem uſque* Fæderatorum Catholicorum *Cauſam promoverit.*

LXXII. Reſpondet Clanrickardius *Die* 8 *ejuſdem Menſis, quaſdam Percontationes Nuntio proponens.*

LXXIII. Diploma Nuntij ſuper Dubio de Induciarum Publicatione exorto, 13 Auguſti 1648.

LXXIV. In Comitijs Generalibus Menſe Septembri 1648 *habitis, omnia, quæ à Concilij Proceribus in Induciarum Tractatione acta fuerunt, confirmantur. P.* Joannes Rowe, *Provincialis Carmelitarum Diſcalceatorum, à Comitijs* Romam *mittitur cum Literis in Proſecutione Appellationis ad Summum Pontificem. Eundem ſequuntur de Mandato Nuntij PP.* Joſephus, *Theatinus, &* Richardus Ferrall, *Capucinus.*

LXXV. Generalium Comitiorum Epiſtola ad Nuntium, quâ ab omni Rerum hibernicarum *Adminiſtratione interdicitur. In eam incluſum Compendium Accuſationum, ad Summum Pontificem adversùs ipſum mittendarum.*

LXXVI. Alia Comitiorum Epiſtola (ſeù Edictum) quâ Commercium omne cum Nuntio vetatur.

LXXVII. Pax tandem concluſa, 16 Januarij 1649, Ormondium *inter Nomine Regis, & Supremum Concilium. Tres illiùs recenſentur Articuli. Solemnitates quædam in Ratificatione ejus exhibitæ. Nota de duplici Oppido* Carrickæ.

LXXVIII. Epiſtola Encyclica novem Antiſtitum, qui Comitijs interfuere.

LXXIX. *Die 30 Januarij* 1649 Carolo *Regi Caput in publico Supplicij Loco obtruncatum. Die 23 Februarij prælibati Anni Nuntius ex* Hibernia, *poſt trium Annorum, quatuorque Menſium Reſidentiam, diſcedit, Navim* Galviæ *conſcendens. Ad eum in* Gallias *profectum ſcribunt Epiſcopus* French, *& Eques* Plunkettus, *Româ reverſi, Die ultimo Februarij* 1649. *Nonnihil de ipſo in Urbem regreſſo.*

LXXX. Nonnihil de Cauſa Appellationis poſt appulſos Romam *Nuntium* Rinuccinum, *& Provincialem* Roweum. *Epiſtola* Franciſci Albitij, *S. Congregationis ſuper Rebus* Hibernicis *Secretarij (poſteâ S. R. E. Cardinalis) ad* Dionyſium Maſſarium, *Nuntiaturæ* Hibernicæ *Auditorem, ea de Re, 4 Decembris* 1649.

LXXXI. Anno 1656 *PP. Magiſtri* Joannes Nolanus, *Kilkennienſis, &* Richardus O-Kelly, *Rathbrannenſis, pro obtinenda Abſolutione ab hujuſmodi Cenſura apud S. Sedem agunt. Epiſtola ad laudatum* Richardum O-Kelly *ea de Re. A Cenſura iſta abſolvit tandem* Alexander *Papa VII, Anno* 1665, *impoſitâ Pænitentiâ Salutari. Elogium Nuntij de Dominicanis. Completam Abſolutionem, ſeù Relaxationem memoratæ Pænitentiæ nonniſi circà Annum* 1698 *impetravit Fr.* Dominicus de Burgo, *Epiſcopus* Elphinenſis, *Ordinis Prædicatorum.*

LXXXII. Anno 1649 Carolus *II Rex proclamatus per* Hiberniam. *Recenſitam confirmat Pacem* Hagæ Comitis *Die* 8. *Martij. Ejus Copiæ apud* Rathmineas *juxtà* Dublinium *profligatæ Die* 2. *Augusti.* Oliverius Cromuellus *cum novem Millibus Peditum, quatuorque Equitum,* Dublinium *ex* Anglia *appellit Die* 13 *ejuſdem Menſis. Congregatio Generalis Antiſtitum, aliorumque Prælatorum, apud* Clonmacnoiſam *Die* 4 *Decembris. Prorex* Ormondius *viginti quatuor convocat Epiſcopos* Limericum 8 *Martij* 1650, *dein* Loughreagham 19 *ejuſdem Menſis. Rex Pacem abrogat, & viciſsim Generalis Epiſcoporum Conventus in* Villa Jacobi 26 *Auguſti. Nonnulla indè emanata contrà* Ormondium *Decreta. Subſcriptiones Prælatorum, & Dignitariorum.*

LXXXIII. Sex Antiſtites à Congregatione delegati Commiſſarij, Galviæ *reſidentes. Ab his emanant Literæ duorum conſtitutivæ Procuratorum,* Nicolai *nempè* French, *Epiſcopi* Fernenſis, *&* Hugonis de Ruperforti, *vulgò* Rochfort, *Juriſconſulti,* 5 *Octobris* 1650 *datæ.*

LXXXIV. *Die* 15 *Novembris* 1650 *Comitia Regia per* Ormondium *apud* Loughreagham *convocata. Declaratio ab ijs edita. Sub Finem ejuſdem Anni* 1650 Ormondius, *rogante Clero, ex* Hibernia *diſcedit. Ei Prorex ſubrogatus* Ulicus de Burgo, *Marchio* Clanrickardiæ, *Comeſque* S. Albani. *Hic nonniſi Cleri Precibus devictus ſupremam Regni ſuſcipit Præfecturam. Intereà* Cromuellus, *qui in* Hiberniam *venerat Menſe Auguſto* 1649, *varia ad Deditionem cogit Fortalitia. Ex* Hibernia *diſcedens in* Scotiam 29 *Maij* 1650, *Copiarum Præfectum poſt ſe relinquit Generum ſuum* Iretonum, 26 *Novembris* 1651 *infeliciter defunctum.*

LXXXV. Carolus IV, *Dux* Lotharingiæ, *olim propenſiſſimi Animi ergà Regem* Carolum I. *Ad laudatum Ducem pro Suppetijs Clerus, apud* Clonmacnoiſam *convocatus, legat D.* Nicolaum French, *Epiſcopum* Fernenſem, *& P. Magiſtrum* Gulielmum de Burgo, *Athenrienſem, Provincialem* Hiberniæ Dominicanæ. *Dux* Lotharingius *viciſſim mittit ad Proregem* Ormondium *Chiliarcham* Oliverium Synot, *Hibernigenam, in* Hiberniam *appulſum* 29 *Aprilis* 1650. *Tractatus cum eo habitus. Ejus Intuitu miſſus Vicecomes* Taaffius *ad* Carolum *II Regem, in* Galliarum *Regno verſantem.*

LXXXVI. *Rege in* Scotiam *jam perrecto,* Taaffius *ſe ſiſtit Reginæ Matri, Facultatem habenti à Rege Tractatum ineundi de Rebus* Hibernicis. *Scriptores* Clarendonus, *&* Coxus *mendosè aſſerunt, à ſolis Catholicis Legationem factam ad Ducem* Lotharingiæ, *ad Effectum transferendi in ipſum Jura Regia. Epiſtola Ducis* Eboracenſis *ad* Lotharingium, *data in Inſula* Cæſareæ 25 *Julij* 1650.

LXXXVII. *Epiſtola Reginæ Matris* Henriettæ Mariæ *ad laudatum Ducem* Lotharingiæ, *data* Pariſijs 4 *Octobris* 1650.

LXXXVIII. *Alia Epiſtola ejuſdem ad eundem per Vicecomitem* Taaffium, *data* 18 *Novembris* 1660. *Dux* Lotharingius *ab* Eboracenſi *Duce, Equitibuſque* Henrico Vice, *&* Georgio Ratcliffe *ſtimulatus ad Suppetias in* Hiberniam *mittendas.*

LXXXIX. *D.* Stephanus de Henin *Legatus ad Hibernos à* Lotharingio *miſſus. Ejus Literæ Credentiales verè aureæ, verèque Catholico Principe dignæ,* Bruxellis 31 *Decembris* 1650 *datæ.*

XC. *Ejuſdem Literæ item aureæ ad Catholicos* Hiberniæ *Ordines, in Regni Adminiſtratione conſtitutos,* Bruxellis 1 *Januarij* 1651 *datæ.*

XCI. Lotharingiæ *Legatus in* Hiberniam *appulſus Menſe Februario* 1651, P. Gregorio Dillono, *Minoritâ, Vicecomitis* Dillon *Fratre, Vicecomitiſque* Taaffi *Avunculo, ſociatus, Prorex* Clanrickardius *de Legati Adventu per P.* Dillonum *certior factus, ad eum quatuor mittit è Catholicorum Commiſſarijs. Ei primam præbet Audientiam Die* 7 *Martij. Ineundi Tractatûs Articuli nonnulli.*

XCII. *Die* 12 *Martij* 1651 *Prorex* Clanrickardius *Literas dat pro Generali tàm Cleri quàm Nobilitatis Convocatione. Quinque nominat Commiſſarios ad Tractatum eum Legato* Lotharingio *ineundum, quibus duos adjicit Clerus. Ad eos Inſtructiones mandat* Clanrickardius.

XCIII. *Congregatio Generalis haberi cæpta* Galviæ 18 *Martij* 1651. *Proponit Tractatûs Articulos, quos acceptare renuit* Clanrickardius. *Legatus viginti Millia Librarum Sterlingarum tribuit pro præſenti ſublevanda Neceſſitate, ſub duplici* Conditione *omninò gratâ.*

XCIV. *Die* 12 *Auguſti* 1651 *Eques* Nicolaus Plunkett, *& Armiger* Severinus Browne, *in Procuratione juncti Vicecomiti* Taaffio, *apud* Bruxellas *verſanti, Literas Procurationis, & Inſtructiones à Proregè* Clanrickardio *recipiunt. Literæ* Clanrickardij *ad Ducem* Lotharingiæ *per hujus ſæpè laudatum Legatum,* Loughreaghæ 9 *Aprilis datæ.*

XCV. *Tribus iſtis Procuratoribus, à Solo* Clanrickardio *nominatis, duos adjiciunt Prælati Commiſſarij, à nuperâ Convocatione Generali deputati, Epiſcopum nempè* Nicolaum French, *& Equitem* Jacobum Preſton. *Procurationis Inſtrumentum,* Galviæ 7 *Aprilis* 1651 *datum. Idem à Prætore, & Oppido* Galvienſi *confirmatum, & ratificatum.*

XCVI.

XCVI. *Procuratores apud* Bruxellas *conſentiunt de Articulis Reginæ*, Eboracenſi, *&* Ormondio *ſubjiciendis. Maxima Reginæ* Cautela. *Procuratores Fædus pangunt cum Duce* Lotharingiæ 2 *Julij* 1651. *Recenſentur ſummatim præcipui Articuli.*

XCVII. *Anno* 1651, *Die* 20 *Septembris, Dux* Lotharingiæ *Epiſtolam mittit ad* Proregem Clanrickardium *per præfatum Chiliarcham* Oliverium Synot, *necnon & exiguam Rerum bellicarum Quantitatem. Appulſus in* Bophinam *Inſulam* Synotus, *ad* Clanrickardium *tranſmittit Literarum Faſciculum, omnia continentem circà Negotium Fæderis.* Clanrickardius *ſe opponit quoad Articulos de Protectione Regni, & Præfecturâ Exercitûs, Principi extero tribuendis.* Plunkettum, *&* Brunum *Procuratores minatur. Indicit Generalem Cleri, Nobilitatiſque* Congreſſum, *veriſimiliter haud ſecutum. Nonnihil obiter de Victoria* Cromuelli *in* Anglia, *deque* Carolo *II Rege extremis in Auguſtijs conſtituto.*

XCVIII. *Anno* 1652 *Rex binas dedit Literas ad* Clanrickardium *Proregem* 10 *Februarij. &* 23 *Martij, ejus Fidelitatem &c in reſpuendo dictos Fæderis Articulos magnoperè laudantes, blandèque inhibentes ne in Procuratores animadvertat. Literas item Die* 6 *Februarij de Negotio Fæderis &c dedit Rex ad Ducem* Lotharingiæ, *qui Die* 23 *ejuſdem Menſis ei reſpondit. Expugnatis omnibus Momenti alicujus Oppidis,* Clanrickardius *à* Parlamentarijs, *& Regicidis ex* Hibernia *pulſus.*

XCIX. *Articuli viginti duo, per* Parlamentarios, *& Regicidas fabricati, ad extirpandos* Hibernos, *quà Catholicos, & Regi fideles, qui tamen quantò opprimebantur à* Pharaonis *Sectatoribus, tanto magis multiplicabantur*

C. *Subjugatâ* Hiberniâ, *Tyrannidemque exercente iniquiſſimo* Cromuello, *quamplurimi, etiàm Laici, crudelem ſubeunt Mortem, nominatim Eques* Felimus O-Neillus *Menſe Novembri* 1652, *&* Theobaldus de Burgo, *Vicecomes* Mayonenſis 15 *Januarij* 1653. *Nulla dirior Perſecutio à Mundo condito. Die* 6 *ejuſdem Menſis Januarij novum prodit Edictum, generalem Eccleſiaſticorum omnium Proſcriptionem, & varias capitales* P*œnas contrà eorundem Receptatores, & Fautores mandans.*

CI. *Crudelis Lex* Elizabethica *Anni* 1584 *per Edictum hoc Executioni mandata. Exinde Religioſi, & Lupi ijſdem Armis, & Venatoribus, eademque Mercede conquiſiti. Haud pauci eorum Martyrium conſecuti, in ſolo tamen Libro Vitæ perquirendi. De Dominicanis plura in Comitiorum Generalium Actis.*

CII. *Sæviſſima hæc Strages per Biennium exarſit. Anno* 1654 *Bona omnia* Catholicorum *confiſcata. Magnates, ac Nobiles in* Conaciam *relegati, jàm anteà penitùs devaſtatam, ubi plurimi Fame, alijſque Ærumnis periere.*

CIII. *Acerbiſſimæ contrà hos ſpeciatim Leges latæ. Severe punita quæcunque eorum Querela. Immanior eorum Servitus quâm* Iſraelitarum *in Ægypto.*

CIV. *In reliquis tribus* Hiberniæ *Provincijs Homines quorundam Generum è Catholicis vivere permiſſi, ſed per Leges contrà eos ſancitas Tyrannide pluſquàm belluinâ oppreſſi.*

CV. *Aliud Edictum Exploratoribus Præmia præſcribens, ut Eccleſiaſticos eorumque Fautores, ac Benefactores prodant. Idem Edictum innovatum A. D.* 1657, *novumque adbuc crudelius emanatum contrà eoſdem Fautores, ac Benefactores.*

CVI. *Eodem Anno* 1657, *monſtruoſum, & peſtiferum Juſjurandum ab omnibus Utriuſque* Sexûs *ad vigeſimum primum Ætatis Annum pertingentibus præſtandum,* Juramentum Abjurationis *paſsim nuncupatum.*

CVII. *Anno* 1658, *mulctantur ſinguli Catholici Diebus Dominicis, abſentes à Concione Proteſtantica.*

CVIII. *Die* 5 *Septembris* 1658 *obit perſidus perduelliſque* Oliverius Cromuellus. *Ei ſuccedit Filius* Richardus, *qui tamen, Oneri ferendo impar, cedit* 22 *Aprilis* 1659, *jamjam ab* Anglis *deponendus.* Georgius Monkus *(poſtmodùm Dux* Albæ Marlæ) Anglos *flectit ad* Carolum *II Regem acceptandum, & acclamandum, qui, duobus aſſociatus ſuis Fratribus,* Londinum *feſtivè ingreditur ſuo Natali Die* 29 *Maij A. D.* 1660, *Ætatis verò* 30.

CIX. *Rex* Carolus *II, Catholicus occultus, Catholicis Libertatem Conſcientiæ indulget ſpeciali Decreto, quod poſteà reſcindere cogitur. Catholici de Conſpiratione in Regem ab Hæterodoxis falsò accuſati. Inde* Petrus Talbotus, *Archiepiſcopus* Dublinienſis, *in* Dublinienſem *Arcem detruſus* 8 *Septembris* 1678. *Anteà verò, ſcilicet* 27 *Septembris* 1666 Edmundus O-Reilly, *Archipræſul* Armacanus, *in* Angliam *Captivus ductus, celebratâ jam ab Antiſtitibus* Hiberniæ *Synodo Nationali apud* Dublinium 19 *Junij prælibati Anni.*

CX *Calumniæ iſtius Architectus* Antonius Aſhly-Cooper, *Comes* Shaftsburius, *Magnus* Angliæ *Cancellarius, falſos ſubornans Teſtes, præcipuè quendam* Titum Oates. *In Catholicos, etſi inſontes, atrociter ſævitum, ſparſo ubique eorum Sanguine. Edicta duo adversùs Clerum Populumque Orthodoxum* 16 *Octobris, &* 20 *Novembris* 1678 *promulgata.* Oliverius Plunkettus, *Archiepiſcopus* Armacanus, *Capite plexus* Londini 1 *Julij* 1681. Petrus Talbotus, *Archipræſul* Dublinienſis, *communi* Carceri Dublinienſi *mancipatus, ibidem glorioſè denatus. Fr.* Dominicus de Burgo, *Epiſcopus* Elphinenſis, *Ordinis Prædicatorum, ab Acatholicis diù conquiſitus.*

CXI. *Ipſimet Heterodoxi fictæ iſtius* Conjurationis *Authores. Duæ eorum deprehenſæ* Conjurationes *Annis* 1682, & 83, *ob quas nonnulli* Capite, *aut Exilio mulctati. Viam univerſæ* Carnis *ingreditur Rex* Carolus 15 *Februarij* 1685, *Catholicam Religionem palàm profeſſus. Acclamatur Rex* Jacobus II, *publicus etſi Religionis Orthodoxæ* Cultor. *Catholicos in Libertatem aſſerit, indè Acatholicorum Odia incitans. Infauſta hæc Res alibi plene narrata.*

CXII. *Princeps* Arauſicanus, *ſub Nomine* Gulielmi *III, in* Magna Britannia, & Hibernia *regnat, cum* Conjuge Maria, *Regis* Jacobi *II Filiâ, ab Anno* 1689 *ad* 1694, *ſolus deinceps vero ad Annum* 1702. *Acta* Parlamentaria *Regni* Hiberniæ *adversùs Orthodoxos, præcipue* Clerum, *tàm* Sæcularem, *quàm Regularem, ſub eo edita. Formulæ Juramentorum* Allegianciæ, & Suppremat iæ.

CXIII. Anna, *altera* Jacobl II *Filia Heterodoxa*, Georgij *Principis* Daniæ *Uxor, in* Magna Britannia, & Hibernia *ab Anno* 1702 *ad* 1714 *regnans. Acta* Parlamentaria *ſub ejus Regimine adversùs utrumque Clerum, cæteroſque Orthodoxos, edita. Duplex Duplicis Juramenti Abjurationis Formula.*

CXIV. Georgius *Dux* Hannoveranus, *poſthabitis quinquaginta, & ultrà, Principibus* Catholicis *utriuſque Sexûs, potiori Sanguinis Regij* Stuartorum *gaudentibus, regnavit in* Magna Britannia, & Hibernia *ab Anno* 1714 *ad* 1727, *ad* Clementium *ergà* Catholicos *pronus, plura ſubinde repudians* Decreta *Parlamentaria* (*vulgo* Billas), *Vim Legum alias habitura. Acta Parlamentaria* Hiberniæ *contrà Orthodoxos ſub eo condita. Nova Juramenti* Abjurationis *Formula.*

CXV. *Miteſcunt Acatholicorum Perſecutiones, tùm ob Lenitatem Regnantis, tùm ob Infamiam* Captoris Sacerdotum, *tùm ob* Compaſſionem *Magiſtratuum. Hinc Regulares tàm Ruri quàm in* Oppidis *Sacella, & Hoſpitia ſibi excitant in Ædificationem Populi Fidelis, & Adjutorium Parochorum. Moniales religiose, ac commode vivunt.*

CXVI. Georgius, *item Dux* Hannoveranus, *bujus Nominis Secundus, in* Magna Britannia, Hiberniaque *ab Anno* 1727 *ad præſentem* 1760 *regnat. Sub eo, etſi ad Lenitatem Exemplo* Genitoris *prono, nonnulla contrà Catholicos Acta* Parlamentaria *condita, repudiatis ab ipſo pluribus* Decretis, *ſeù Libellis, a* Parlamento *ad condenda nova Acta emanatis.*

CXVII. *Generalis Perſecutio in Clerum tâm Sæcularem, quam Regularem, atque Edictum deſuper ſolemniſſimè promulgatum, Anno* 1744.

CXVIII. *Libellus (vulgò* Billa) *ſub Initium Anni* 1756 *in Superiorem* Parlamenti *Domum introductus, & quidem impreſſus, pro nova ſancienda Lege contrà utrumque Clerum. Recenſentur ejus Articuli, atque Jurejuranda* Fidelitatis, & Abjurationis, *à Parochis antè* Regiſtrationem, *ut vocant, præſtanda.*

CXIX. *Juramentum* Abjurationis *nimis crudele omnibus fermè Senatoribus viſum, adeoque in ſecunda Libelli Impreſſione modificatum.*

CXX. *Adbuc tamen Crudelitate baud vacat, ut paucis oſtenditur. Hinc iſtam etiam Juramenti Formulam, aliaque in Libello contenta, impugnant plures Proceres, tam Spirituales, quam Temporales, qui indigitantur.*

CXXI. *Ejectus propterea poſt longam Diſceptatiouem Libellus ab octodecim Senatoribus contra ſexdecim.*

CXXII. *Anno* 1757 *Menſe Octobri novus introductus in Superiorem* Parlamenti *Domum Libellus, Typis mandatus, contra utrumque Clerum. Illius in Medium adducuntur Capita, atque Jusjurandum.*

CXXIII. *Iterata fit Editio Libelli mitiorem exhibens Jurisjurandi Formulam.*

CXXIV. *Viſa quidem nonnullis mitiora Libelli bujus Capita, ab alijs ſtrenuè impugnata Proceribus. Ejectus revera per Pluralitatem Suffragiorum præſentium, ſed approbatus per Pluralitatem Suffragiorum, numeratis ſex Proceribus abſentibus, per Procuratores ſuffragantibus, indeque ad Sanctius Concilium* Hiberniæ *miſſus.*

CXXV. *Paucis obiter expenditur* Lex Poyningana *Anno* 1494 *ab ipſomet Hiberniæ* Parlamento *cum Regis Aſſenſu, ut Moris eſt, lata, quâ nova Methodus in formandis Statutis præſcribitur.*

CXXVI.

CXXVI. *Libellus poſt maturam Deliberationem a Sanctiori Concilio rejectus.*
CXXVII. *Parùm abſuit quin eſſet ibi approbatus. Duo præcipui Tragædiæ bujus Actores paulò poſt defuncti.*

I. PRÆSENTI in Capite Sermo eſt de *Hibernia Deminicana*, prout coaleſcit ex Religioſis ipſo duntaxàt in Regno agentibus, & Sacras exercentibus Miſſiones; de extranationalibus quippè Collegijs nihil hìc Loci (*a*) dicendum arbitror, quandoquidem eorum Status, ſeù vivendi Modus, Urbi, & Orbi ſit notiſſimus.

UT autem, benigne Lector, *Hiberniæ Dominicanæ*, olim floridiſſimæ Ordinis Provinciæ, nunc autem heu! nimiùm flacidæ, aliqualem efformes Ideam, Opus eſt, ut perfunctoriam ſaltem habeas Notitiam Legum, Edictorum, & Perſecutionum, à duobus jam Sæculis adversùs Clerum Populumque Catholicum latarum reſpectivè, promulgatorum, & motarum, quibus Nomen Religioſum vix non eſt extinctum.

PORRO tametſi ob Diſſidia inteſtina ipſos inter *Hiberniæ* Magnates, inſtigante potiſſimùm quadrifidâ Nationum hujus Regni Diverſitate, Rixarum omnium inter *Hibernigenas* peſſimâ ſemper, ut obiter dicam, & fermè unicâ Radice (*b*), obque tot Bella, quæ cum *Danis*, & *Anglis*, Patriam invadentibus, pro Libertate geſſere Noſtrates, Res religioſa nonnihil obſcurata fuerit, ſalva tamen ſtetit uſque ad Tempora *Henrici* VIII Regis, qui prioribus Regiminis ſui Annis Rerum civilium bellicarumque Gloriâ conſpicuus, Literis quoque excultus, Schiſmatis, Ebrietatis, Libidinis, Avaritiæ, Crudelitatis Infamiâ nonnullas, quibus præditus fuerat, præclaras Dotes obſcuravit, obruitque (*c*). Noverunt Hiſtorici, qualiter Princeps iſte Animi ſatis magni, ſed in fædam Corporis Libidinem effuſiſſimus, Bonorumque Eccleſiæ repaciſſimus, omnia utriuſque Sexûs Monaſteria in *Anglia*, ejectis Religioſis, invaſerit, eorumque Bona in Fiſcum redegerit. Neque noſtra *Hiberniæ* Inſula ferinam ejus Rabiem evaſit (*d*). Plurima attamen Cænobia intacta, vel parùm læſa, manſerunt ſub eo, ejuſque ex *Jana Seimera* Filio, *Eduardo* VI (*e*), qui Novem Annorum Puer, juxtà ſupremam Patris Voluntatem, Rex *Angliæ*, & *Hiberniæ*, Summumque *Anglicanæ* Eccleſiæ Caput, proclamatus eſt Anno 1547, obijtque Anno 1553.

II. STATIM verò *Maria*, ejuſdem *Henrici* VIII & legitimæ Conjugis *Catharinæ* Infantis *Hiſpaniarum* Filia, ſe Reginam dixit, juxtà prælibatam Genitoris ſupremam Voluntatem, & Supremi Eccleſiæ *Anglicanæ* Capitis Appellationem, ab *Henrico* Patre uſurpatam, & ab *Eduardo* Fratre retentam abdicavit. Oratores *Romam* miſit, qui ejus Nomine Obedientiam Summo Pontifici *Julio* III exhiberent; accivitque *Reginaldum* Cardinalem *Polum*, ejuſdem Pontificis à Latere Legatum, hoc Honore propter regium Sanguinem (*f*), Eruditionem ſingularem, & obitos pro Eccleſia Labores digniſſimum, qui totum *Angliæ* Regnum à Schiſmate abſolvit. Sicque illicò viſa fuit Catholica Religio ibidem reſpirare, & quaſi poſtliminiò revocata inſtaurari, adeoque & Status Religionis reflorere in *Hibernia*, cujus proindè totalis Subverſionis Epocham nonniſi ab *Elizabethæ* mox memorandæ Regno deducere debemus.

ENIMVERO diuturna non fuit iſta Catholicorum Lætitia, ſed ſummam eorum Spem fefellit Eventus. *Maria* quippè Regina, quæ ad faciliùs feliciùſque procurandam ſuis in Regnis Religionis Catholicæ Reſtaurationem, nupſerat Hiſpaniarum Regi *Philippo* II, *Caroli* V Romanorum Imperatoris

---

(*a*) De illis porrò fusè dicebam Cap. xii. per totum.

(*b*) Confer Cap. vi. Num. xxvii. Lit. n. Pag. 135.

(*c*) Videſis Cap. i. Num. xvii, & xxi. Pag. 28, & 30.

(*d*) Recolendum Cap. ix. §. i. Num. xiv. Pag. 195.

(*e*) Adeas Cap. ii. Num. xiv. Lit. i. Pag. 45.

(*f*) Mater hujus Cardinalis Filia erat *Georgij Plantagenet*, Ducis *Clarentiæ*, Fratris *Eduardi* IV, & *Richardi* III Regum *Angliæ*, & Dominorum *Hiberniæ*.

peratoris Filio (g), obijt nullâ relictâ Prole Die 17 Novembris 1558; confeſtimque ſummo omnium Ordinum Conſenſu Regina *Angliæ*, & *Hiberniæ* ſalutata eſt *Elizabetha*, ex illicitis Nuptijs *Henricum* VIII inter, & *Annam Bolenam*, procreata, Annos tunc nata Viginti Quinque, Literis politioribus exculta, & Linguarum *latinæ*, *italicæ*, *gallicæ* perita, egregijs Naturæ, ac Ingenij prædita Dotibus, gerendæ Reipublicæ capaciſſima, ac in magnorum Principum Numero celebranda, niſi tot Naturæ, Studij, Politicæ Ornamenta Hæreſi, & Crudelitate, quam in pios graſſata eſt, dedecoraſſet. Nec tamen ſtatim Impietatem prodidit, quamdiù enim regnavit *Maria* ejus Soror, Catholicam ſemper ſimulavit Religionem, immò Catholico Ritu inaugurata fuit ab Epiſcopo *Carleolenſi* Die 15 Januarij 1559, quâ in Solemnitate ſolitum præſtitit Juramentum de Fidei Catholicæ Defenſione, & Privilegiorum & Immunitatum Eccleſiaſticarum Conſervatione; deque ſua Inauguratione certiorem fecit *Paulum* IV, Pontificem Maximum, per *Eduardum Carnum*, Sororis *Mariæ* Legatione functum, in Aula *Romana* adhuc verſantem. Eam tamen Pontifex ceù Reginam agnoſcere renuit, obſtante Natalium Vitio, pridem ſcilicèt damnatis *Clementis* VII, & *Pauli* III, Romanorum Pontificum, Sententiâ Nuptijs *Henrici* VIII cum *Anna Bolena*, Proleque ex ijs ſuſceptâ illegitimâ declaratâ (*h*). Repulſam hanc ægerrimè tulit *Elizabetha*, eâque Occaſione uſa eſt callidiſſima Mulier, ut Hæreſim, quam Animo fovebat, palàm profiteretur, indèque *Romanæ* Eccleſiæ Jugum excuteret, novamque Religionis, Eccleſiaſticique Regiminis Formam introduceret, & ſtabiliret. Hinc ſuſcitari fecit Statutum Parlamentarium, ſub *Henrico* VIII Anno 1537 conditum, ſub *Philippo* verò & *Maria* Anno 1556 abrogatum, hiſce conceptum Verbis: *Supplicantes pro Facultatibus Romæ obtinendis, eiſve Auxilium præbentes, Pœnæ dictæ PRÆMUNIRE* (*i*) *ſubjaceant*.

III. CONVOCATIS itàque Regni *Angliæ* Comitijs, prævalente contrà Antiſtitum Suffragia Nobilitate, obtinuit *Elizabetha*, ut omnia *Mariæ* Reginæ Acta, & Decreta de Religione abolirentur, *Eduardi* autem Regis reſtituerentur. Hinc Imagines ſacras omnes è Templis, alijſque Locis deturbari juſſit, exceptâ Chriſti Cruciſixi, quam in domeſtico ſervavit Sacello, publicèque exponi permiſit. Miſſæ Sacrificium, & Sacramenta adminiſtrandi Ritum ſuſtulit; novaſque Cæremonias, ac Preces Linguâ vulgari, ad Normam præſertìm *Lutheranorum*, præſcripſit, quàmquàm *Calviniana* Dogmata maximâ ex Parte profiteretur, ac ſecundùm illa Schiſmaticam Eccleſiam ſuam inſtitui voluerit. *Supremi Eccleſiæ Anglicanæ Capitis* Titulum, Patris Fratriſque Exemplo ſibi vendicavit. Omnem Juriſdictionis nedùm temporalium, ſed etiam eccleſiaſticarum Rerum, & Cauſarum Plenitudinem ſibi aſſumpſit, cum omni Viſitatione, Correctione, ac Reformatione Cleri, cum omni Authoritate Epiſcopos creandi, Synodos convocandi, atque in ijs præſidendi, Leges, & Conſtitutiones condendi; cum omni Cognitione, ac Punitione Errorum, Hæreſum, Schiſmatum, & Abuſuum; denique cum omni Facultate ſubſtituendi alios quoſcunque

vellet

(g) Nuptiæ feſtivâ Pompâ celebratæ fuere apud *Weſtmonaſterium* juxtà *Londinum*, Die 25 Julij, S. *Jacobo* Apoſtolo, *Hiſpaniarum* Patrono, ſacrâ, Anno 1554, quo Tempore *Garterus* Rex Armorum (Adeas Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. i. Pag. 266.) Neo-Conjugum Titulos *latino*, *gallico*, & *anglico* Idiomate inſcripſit, & proclamavit in hunc Modum latinè: *Philippus, & Maria, Dei Gratiâ Rex, & Regina Angliæ, Franciæ, Neapolis, Hieroſolymorum, & Hiberniæ, Defenſores Fidei, Principes Hiſpaniæ, & Siciliæ, Archiduces Auſtriæ, Duces Mediolani, Burgundiæ, & Brabantiæ, Comites Auguſtæ Vindelicorum, Flandriæ, & Tyrolis.* Videſis *Waræum* in *Annalibus Hiberniæ* ad Annum 1554.

(*h*) Regnum *Angliæ* de Jure tunc debebatur *Mariæ Stuartæ*, Reginæ *Scotiæ*, utpotè unicæ Proli *Jacobi* V Regis *Scotiæ*, Filij *Margaritæ Tudor*, Natæ primogenitæ *Henrici* VII Regis *Angliæ*. Hinc eo Jure Filius ejus *Jacobus*, poſt *Elizabethæ* Mortem *Angliæ* Thronum conſcendit. Porrò adverſùs laudatam *Mariam Stuartam* Reginam, eximiâ in Deum Pietate, invictâ Animi Magnitudine, Prudentiâ ſuprâ Sexum, Formâ præſtantiſſimam, in Fide Catholica conſtantiſſimam, perduellibus *Scotis* favit *Elizabetha*, eamque ad ſe confugientem in Cuſtodiam dedit, ac licèt innocentiſſimam oppreſſit, & Capite truncari juſſit.

(i) Legeſis infra dicenda Cap. præſ. Num. xxxix. Sect. 12.

vellet etiam ſimplices Laicos, ijſdem in Negotijs, nullâ Epiſcoporum habitâ Ratione, niſi quantùm ipſa concederet, ità ut Juriſdictionem Poteſtatemque Epiſcopalem non tenerent, aut exercerent Antiſtites *niſi ad Beneplacitum Reginæ, nec aliter niſi per ipſam, & à Regia Majeſtate derivatam Auctoritatem.* Quamobrem Vicarios, & Commiſſarios in ſpiritualibus conſtituit, Sigillumque ad Cauſas Eccleſiaſticas peculiare cudit. Ad hæc, convocato *Parlamento*, Archiepiſcopos omnes, Epiſcopos, Prælatos totumque Clerum novo Jurejurando obſtringere decrevit. Qui recuſarent, primâ Vice Beneficijs, Boniſque omnibus mulctari, & in Carcerem detrudi; alterâ Vice Perduellionis damnari, & Capite plecti edixit. Hæc autem eſt Juramenti, quod *Suprematiæ* vocant, Formula (*k*):

Ego A. B. prorſùs teſtificor, & declaro in Conſcientia mea, Reginam eſſe ſolam Supremam Gubernatricem, & iſtius Regni Angliæ, & aliorum omnium Suæ Majeſtatis Dominiorum, & Regionum, non minùs in omnibus Spiritualibus, atque Eccleſiaſticis Rebus, vel Cauſis, quâm Temporalibus; & quod Nemo externus Princeps, Perſona, Prælatus, Status, vel Potentatus, aut Facto, aut Jure habet aliquam Juridictionem, Poteſtatem, Superiorititatem, Præeminentiam, vel Auctoritatem Eccleſiaſticam, aut Spiritualem in hoc Regno. Ideòque planè renuntio, & repudio omnes externas Juriſdictiones, Poteſtates, Superioritates, atquè Auctoritates. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Statutum inſuper fuit, ut unuſquiſque Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, ſequentem faceret ſub Jurejurando Declarationem, peractâ jam ſuâ Conſecratione:

Ego A. B. Archiepiſcopus (Dublinienſis, vel Epiſcopus talis Loci) *Electus, & Conſecratus, profiteor, me habere, & tenere omnes Temporalitates, & Poſſeſſiones dicti Epiſcopatus de manibus Elizabethæ Reginæ Angliæ* &c, *et de Succeſſoribus ejus, Angliæ Regibus, ut in Jure Coronæ Regni ſui Hiberntæ: Ei, & Succeſſoribus ſuis, Angliæ Regibus, fidelis ero. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia* (*l*).

IV. Ea Juramenta, factamque ab *Elizabetha* in Religione, & Eccleſiaſtico Regimine Immutationem, cùm Epiſcopi omnes execrarentur, à Regina exauctorati, & relegati, aut in varios Carceres conjecti ſunt. Melior etiam Pars Cleri, tàm Sæcularis, quàm Regularis, Nobileſque Laici utriuſque Sexûs, in veteri Religione conſtantes, vel in Cuſtodiam dati, vel in Exilium amandati. Omnes Cænobiorum Poſſeſſiones, ſacris Uſibus à *Maria* Regina anteà reſtitutas, partim Fiſco addixit *Elizabetha*, partim Nobilitati hæreticæ diſtribuit. Cruenta deindè Perſecutio, in Preſbyteros, Religioſos, & ferventiores quoſque Catholicæ Fidei Profeſſores, ac Defenſores excitata, Martyres plurimos conſummavit.

Atque ut liberiùs poſſet in Catholicos animadverti, quaſi non tàm Religionis Cauſâ, quàm ob Legum Tranſgreſſionem, Statuta quædam condita ſunt, non quidem in *Hibernia*, ſed in Comitijs *Angliæ*, tantæ plena Immanitatis, ut vera Catholicæ Religionis Exercitia decernant planè Delicta civilia, & capitalia, ac quædam etiam læſæ Majeſtatis Crimina, putà Sacrum Miſſæ Officium celebare, vel audire; non velle accedere ad Templa, & Officia *Proteſtantium*; inferre, vel habere Miſſalia, Breviaria, Officia Mariana, Romanæ Conſecrationis Cruces, Coronas, Roſaria, Nummiſmata, Agnos Dei; Peccatorum Confeſſionem facere, vel ab ijs abſolvere; maximè verò Romanæ Eccleſiæ Acatholicum quempiam reconciliare. Legiſlatoribus ſcilicet *Anglorum* in hoc imitantibus *Medorum*, & *Perſarum* Principes, & Satrapas, qui cùm *Danielem* vellent perdere, & viderent, ſe non poſſe *invenire illi aliquam Occaſionem niſi fortè in Lege Dei ſui*, procurarunt, *ut Decretum Imperatoris exiret, & Edictum, ut omnis, qui petierit aliquam Petitionem à quocumque Deo, & Homine, niſi à Rege, mittatur in Lacum Leonum* (*m*).

Quamvis autem Statuta iſta, & Decreta in Comitijs *Hiberniæ* nunquam, ut præfertur, recepta eſſent, ſed è contrariò rejecta, majori nihilominùs Sævitiâ, quàm in ipſamet *Anglia*, ſecundùm illa

---

(*k*) Confer Cap. præſ. Num. cxii.

(*l*) Ex *Waræo* ad Annum 1563.

(*m*) Danielis vi. Verſ. 5, & ſeqq.

illa ſic proceſſum eſt aliquoties, ut in eos Catholicæ Fidei Cultores, quibus Auctoritatem, popularemque Favorem conciliabant Nobilitas, Virtus, Gradus, Ordo, Eruditio, Pietas, aliæque Virtutes, animadverſum ſit per Carceres, Tormenta, & Mortes acerbiſſimas. Quæ ſi Mundo manifeſtarentur (quod, ut ſperandum, diſponet ſuo Tempore Deus) agnoſcerent omnes, quàm eo Sæculo Regnum hoc decoratum ſit Confeſſorum primâ Gloriâ, inſuperque præcipuâ Fortitudine Martyrum, quorum Nomina ſunt in Libro Vitæ.

MERITO igitur *S. Pius* V Conſtitutionem edidit V Kalendas Martij 1570, quâ Fæminam iſtam, Furijs in Catholicos invectam, &, ut eos penitùs exterminaret, nihil intentatum relinquentem, *Angliæ* Regno, omnique alio Dominio privatam declaravit, omneſque, ac ſingulos ejus Subditos, à Juramento Fidelitatis abſolvit, lato in eos, qui illius Legibus, ac Mandatis parerent, Anathemate. Quam Conſtitutionem *Gregorius* XIII, & *Sixtus* V innovarunt, & confirmarunt, quorum Diplomatibus exacerbata magis *Elizabetha*, crudeliorem Carnificinam in Catholicos exercuit, ut *Natalis Alexander*, & *Graveſonus* rectè obſervant (*n*).

V. PORRO *Catalogum ſacratorum Autiſtitum, aliorumque tàm Regularium, quàm Sæcularium, cum quibuſdam Laicis, qui pro invicta Confeſſione Fidei Catholicæ in Hibernia, regnante Elizabetha, Martyrium, Vincula, Exilium perpeſſi ſunt*, exhibet *David Roth*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, ſub aſcititio Nomine *T. N. Philadelphi*, in Libro, cui Titulus: *Analecta Sacra Nova, & Mira de Rebus Catholicorum in Hibernia, pro Fide, & Religione geſtis*, impreſſo *Coloniæ* 1617 (*o*). Succinit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſaria*, in *Relatione Perſecutionis Hiberniæ*, editâ *Ulyſſipone* 1655 (*p*), cujus Verba, etſi longiuſcula, non abs Re, ſed planè opportunam erit in Medium afferre:

Excuſſis (inquit) *Humanitatis Officijs, Deique Timore ſoluto, pro venereti Animi Ardore, truculentorum inſtar Leonum, in Sacras Ædes inſilientes* (Acatholici), *Sacerdotes Domini Lapidibus impetunt, eminentia Clericorum Calvitia, quæ* Coronæ *nuncupantur, crepitantium Petrarum Ictibus Scopum præbebant, extrema Capitum Occipitia proprium Cerebrum exprimebant, Corpora ipſa in Terram allidunt, Calcibus terunt, Fuſtibus feriunt, aliorum Ungues ex vivis Digitorum Radicibus evellantur, quorumdam ex rupto Ventre Subjectis Manibus pendula Inteſtina friſca fluebant, alij in Catapulta diſtenti ſunt, alij tabulatis Preſſuris attriti, alij ferreis Pectinibus confoſſi ſunt. Quid ergò inferendum putares?* Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in Occiſione Gladij mortui ſunt *(jam vide)* & in Teſtimonio Fidei probati ſunt (*q*). *Sanè nihil inexcogitatum reliquit Malitia nihil inauſum Sævitia, nihil non tentatum, & probatum ſævior ipſa Crudelitas. Cujus quidem Exempla ſuperſunt infinita, ſi viventium adhuc Hominum Memoria non fallit, ſi præteritarum Rerum Annales evolvantur, ſi adhuc reſidua, & ſuperviventia Locorum, & Facinarum Rerum Monumenta pateſcant.*

NONNE *illuſtris Memoriæ Martyrium* Joannis Burke (*r*) *Equitis Nobiliſſimi, hoc ſolùm Crimine inſimulati, quod Sacerdotibus Refugium, & Miſſarum Solemnia in ſuo Caſtro de* Brittas *admitteret? Nonne* Joannis Graverſij, *Doctoris Theologi, de quodam Juris, & Authoritatis Pontificiæ Apologetico accuſati, Martyrium ad ſeneſcentem uſque Mundum appellabit? Accuſatur, producitur, interrogatus, Pollice, Indice, & Medie oſtenſis*, his, *inquit*, Digitis hæc Scripta exaravi, quod nec feciſſe pænitet, nec objici tædet, nec fateri pudet. *Inde Morti addicitur, Igni ſola dextera Manus adjudicatur, & tandem comburitur, ſed (mira Res) tres illi priores Digiti illæſi penitùs evaſere.*

QUID *de* Patritio O Helio, Majoæ *Epiſcopo, Ordinis Minorum, &* Socio ejus Cornelio O-Ruarchio, *Franciſcano Fratre, falſò de Traditione accuſatis, ad Quæſtionem dein applicatis, quorum Manibus*

(*n*) *Natatis Alexander*, Hiſt. Eccleſ. Sæc. xv, & xvi. Part. ii. Cap. viii. Art. vi; *Graveſonus*, Hiſt. Eccles. Tom. vii. Colloq. i.

(*o*) In Appendice ſcilicet, cui Titulus: *De Proceſſu Martyriali quorundam Fidei Pugilum*, in *Hibernia*, *pro* Complemento *Sacrorum Analectorum.*

(*p*) A Pag. 161.

(*q*) Verba ſunt Apoſtoli ad *Hebrcos*, Cap. xi. Vers. 37, & 39.

(*r*) Seù *de Burgo*, cujus obter memini Cap. præced. Num. xx. Lit. n. *Pag.* 565. De eodem fusè agit *David Roth*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, mox laudatus, à Pag. 163 ad 181, ubi inter alia aſſerit, eum *Limericj* in Eccleſia *S. Joannis* humatum.

nibus Torturæ admotis, Cruribus Maleo confractis, Aciculis Unguibus infixis, nihilo tandem quod ſperabatur revelato, tanta damnandæ Innocentiæ Paſſio non ſuffecit. Horum Corpora jam ab octo Annis cum ipſis Martyrij Inſignibus Killociâ Aſchettinam (*s*) *tranſlata, & inConventu* S. Franciſci *ibidem repoſita.*

Quid de Dermitio Hurleo, *Caſſelienſi Archiepiſcopo, in quem ſævior Laniena longiora Supplicia produxit? Ad Truncum alligatur, Pedes ejus, & Crura, Ocreis, Sale, Butiro, Oleo, Pice, Sulphure, Aqua ardente, quæ* Aqua Vitæ *dicitur, immixta, illitis induuntur. Fortè Silice Opus fuit, aut Calibe? Nonne exprimendis Flammis hæc apta Pharmacia? Maceriam ipſam abſumit una Hora, alia aliam miniſtrando reparat, ad plures Horas Cataplaſma iteratur, Muſculi ſimul, & Arteriæ diſſipantur, oſſa arida Divortium patiuntur. Tandem poſt Quindenam, in hoc Labore abſumptam, ad Patibulum fertur in Crepuſculo matutino, ne Tumultus fieret in Populo ſi Alto* Phaetone *producatur. Itàque oſcitantibus in Lecto alijs omnibus, Mane dum Carro fertur ad Furcam, occurrit Amicus quidam, fortè Inſtitor ejus privatum ad Victum, apprehendens Archiepiſcopus Manum ejus (eccè Fidei, & Sunctitatis Indicium, ecce Gratitudinis Argumentum) Palmæ ipſius in Modum Crucis coccineæ Signum indelebile impreſſit.*

Antiſtes iſte tàm illuſtris, eximiæ Doctrinæ, & Eloquij Alveus, tàm magnanimi, & planè heroici Pectoris, & in redarguenda Hæreſi terribilis, tantæque apud Hæreticos ipſos Æſtimationis fuiſſe traditur, ut ſuus Judex Adamus Loftus, *Hiberniæ Cancellarius* (*t*), *ipſum non ſolùm jucundioris Vitæ Beneficio, ſed etiam Regalis Munificentiæ locupletiſſimis Argumentis oblatis, in ſuam, Hæreticorumque Sententiam adducere ſtatuerit, hoc unum ab invictiſſimo Homine præſtolatus, ut Reginam* Elizabetham *totius Eccleſiæ Catholicæ, vel (hoc recuſato) ſaltem* Anglicanæ, *Caput eſſe affirmet. Immò verò etiam hoc recuſato, non ſolùm Archiepiſcopatum ſuum* Caſſelienſem *pacificè poſſeſſurum, ſed etiam uberioribus à Regina Beneficijs donatum iri promittebat, ſi in hoc unicum conſentire velit, ut ſuppreſſo* Caſſalienſis *Prælaturæ Titulo â Pontifice Maximo recepto, novum Inaugurationis ſuæ Titulum à Regina recipiat. Spretis tamen Minis, & Muneribus, necnon & Judice ipſo Stoliditatis, & Stultitiæ acriùs increpato, Fortitudine, & Conſtantia* Comitibus, *ad Palmam Martyrij jam relatam ſeſe Præſul accinxit* (*u*).

De Richardo Creagho, *Hiberniæ quondam Primate, proindè his ſimilia referuntur, utpotè quem tot tantiſque Reginæ Favoribus accumulandum promittunt Judices, ſi Reginæ Primatum admittat. Recuſantem, de violenta Corruptione cujuſdam Virginis, Cuſtodis ſui Filiæ, inſimulant. Virginem ipſam ad Accuſationem inducunt. Depoſitioni ſimul, & Judicio Dies, & Locus, ac multorum Magnatum Concurſus præſtituitur, ut ipſis* Hiberniæ *Primoribus cernentibus tanti Præſulis famoſior reddatur Infamia. Sed mira Innocentiæ Virtus, Puellam adeò reſolutam, ſpeſcoſis ſuprà Modum Pollicitationibus, & multorum Aulicorum Blanditijs animatam, ad Conſiſtorium adductam, viſo Præſule, inquiſſimi Conſilij ſui pænitet. Vidiſſes fortè pallentem, confuſam, & penè ſui immemorem, quid agat, quidvè audeat in Præſulem eructare neſciam. Interrogata, quid contrâ illum Hominem objicere valeat: Reſpondet, ſe ab illo Homine non modò in extremis Veſtimentorum Oris non tactam, ſed neque Nutu quidem tentatam fuiſſe, quinimmò Hominem innocentem, & ſanctum eſſe, Jurejurando affirmat. Certante igitur in hunc Modum, & glorioſè triumphante Innocentiâ, nequaquàm tamen Judicum Malitia procumbit, ſuis ſiquidem Machinis deluſa, ſuis Retibus intercepta, Præſulem perpetuo Carceri condemnat* (*w*).

(*s*) In *Limericenſi* Agro *Momoniæ*.

(*t*) Fuit inſuper tunc Temporis Regni *Hiberniæ* Prorex.

(*u*) Laqueo autem ſuſpenſus fuit in Vireto *S. Stephani* propè *Dublinium*, Anno 1583. *Poſtquam ſacram exhalaſſet Animam, in vicino Oratorio* S. *Kevani ſemidiruto ſub Veſperam fuit ſepultus: Ad cujus Tumulum diverſa feruntur edita Miracula, ob quæ in venuſtiorem Formam vetuſta Eccleſia inſtaurata eſt, additis Muris, & apertâ Viâ frequentanti Populo, qui ſe commendare ſolet Orationibus, & Suffragijs Sancti Martyris.* Verba ſunt *Davidis Rothæi*, Epiſcopis *Oſſorienſis*, in *Proceſſu Martyriali*, Pag. 71. Huic porrò præiverat in *Caſſelienſi* Metropolitana Sede *Mauritius Gibbonus* (vulgò *Fitz-Gibbon*) qui extorris in *Hiſpaniam* fugere coactus, in Exilio apud Civitatem *Portuenſem* mortuus eſt circà Annum 1578. Cæterùm eodem Anno 1583, quo laudatus Archipræſul *Dermitius Hurlæus* paſſus eſt, *Nicolaus Skerettus*, Archiepiſcopus *Tuamenſis*, poſt Carceris Auguſtias in *Luſitianam* profugus, & voluntarius Exul, magno ſui relicto Deſiderio obijt *Ultſſipone*, in Templo S. *Rochi* ſepultus.

(*w*) Poſt diuturnam Incarcerationem, plurimaſque Ærumnas, & Calamitates, ob Fidem Catholicam patienter toleratas, in Odium ejuſdem Fidei Veneno ſublatus eſt in Turri *Londinenſi*, Die 14 Octobris 1585, ut refert *David Rothæus*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, in *Proceſſu Martyriali*, ubi de eo

De Cornelio O-Dubhanna (*vulgo* O-Duane, *aut* Dovane) *Epiſcopo* (Dunenſi, & Connorenſi) & Patritio O-Lurchain (*vulgo* Logher) *Sacerdote*, *illuſtris Martyrij Hiſtoria refertur à Domino* Philippo O-Sullivan *in ſua* Hiſtoria Catholica (*x*). *Verùm quia mihi jam Animus non eſt omnia hujus Generis Dicta, vel Facta recenſere, ſed ſolùm appoſita quædam Exempla adducere, quæ Perſecutionis* Anglicanæ *in Catholicos* Hiberniæ *Imaginem quandam exprimant, ideo ab his ſuperſedeo.*

VI. ANNO 1591 cùm accepiſſet *Elizabetha*, Seminaria Catholicæ Juventutis *Anglicanæ*, quæ *Rhemis* in *Gallia*, *Romæque* inſtituta, Summi Pontificis ac Regis *Hiſpâniarum* Munificentiâ ſuſtentabantur, non ſolùm non extinctum iri, aut labeſſere (ut ſperaverat) Bellorum *Gallicorum* Motibus, Temporumque Difficultatibus, ſed effloreſcere magis & majorem indies Operariorum Copiam in *Anglicanam* Meſſem emittere; & quod, ultrà hæc duo Virtutis, ac Literarum Cathòlicorum Domicilia, tertium quoque repentè in *Hiſpania*, ejuſdem Regis Catholici Pietate, ac Liberalitate extiterit, *Valliſolèti* erectum, exarſit vehementer Fæmina, ſtatimque atrox, ſævum, ac contumelioſum meditatur Edictum, paulò poſt promulgandum. Acuerat quoque Mulieri Iracundiam, quod æſtivo prælibati Anni Tempore plures Miſſionarij ex *Hiſpania* emiſſi, Apoſtolico quidem More, ſed vario, ac diſſimulato, prout Opus erat, Habitu, *Angliam Hiberniamque* fuerant, inſciâ ſanè *Elizabethâ*, ſnbingreſſi, Exploratorùmque Manus, Deo Duce, prælerlapſi, ad Opus jam per Regni intima erant diviſi, antequàm Rei Fama ad illius Aures perveniſſet. Quod cùm illa reſciviſſet, Rem ſiniſtrè interpretata ad Seditionem pertinere, & ſibi valde timens, ne horum ſuaſu multi fierent Catholici, vindicandam ſe penitùs cenſuit eodem Edicto Tenoris, qui ſequitur (*y*):

“ PER

---

differit à Pag. 1. ad 47. Huic in *Armacana* Sede ſucceſſit *Edmundus Gauranus*, vulgò *Magauran*, qui (ut fertur) dum Sacramentali Confeſſioni excipiendæ, & Reconciliationi cujuſdam ab Hæreſi facièndæ vacaret fervente Conflictu (propè *Armacam*) Vulnus mortiferum accepit ab hæretico Milite, Anno Domini 1598, ut in Exordio *Proceſſûs Martyrialis* diſerte narratur.

(*x*) De ijs hæc habet *Proceſſûs Martyrialis* Exordium: *Cornelius Douanius*, *Dunenſis*, & *Connorenſis Epiſcopus*, *cum Martyrij Conſorte Patritio Locherano Preſbytero*, *trabeati Honore Inſignium Chriſti Athletarum per* Suſpendij *Laqueum*, & *fædam Corporum Dearcuationem*, *contritis Inimici Laqueis*, & *effracto corporei Carceris Ergaſtulo*, *pervenerunt ad optatam*, & *felicem Palmam*, *Arthuro Ciceſtrio Hiberniam gubernante*, *primo Die Februarij Anno Domini* 1600.

Ibidem etiam decem alij recenſentur Epiſcopi, *vel Martyres*, *vel Confeſſores*, regnante *Elizabethâ* defuncti, nempè *Thomas Leurus*, aliàs *Leverhous*, Epiſcopus *Kildarenſis*, circà Annum 1577; *Gulielmus Walſhæus*, Epiſcopus *Midenſis*, circà Annum 1578; *Thomas O-Hierlatius*, vulgò *O-Herlihy*, Epiſcopus *Roſſenſis*, Anno 1579; *Hugo Lacæus*, Epiſcopus *Limericenſis*, Anno 1580; *Moriartus O-Brien*, Epiſcopus *Imelacenſis*, in Carcere *Dublinienſi* mortuns, Anno 1586; *Edmundus Tannerus*, Epiſcopus *Corcagienſis*, & *Clonenſis* Anno . . . .; Petrus *Poerus*, vulgò *Power*, Epiſcopus *Fernenſis*, Archiepiſcopi *Compoſtellani* in *Hiſpania* Suffraganeus, ibidem denatus Anno 1587; *Richardus Bradæus*, Epiſcopus *Kilmorenſis*, Ordinis Minorum. qui varijs functus *L*aboribus, Ærumnis, & Incarcerationibus pro Orthodoxa Fide, atque grandævus, & Meritis conſpicuus, cum aliquot antè Mortem Annis renunciare vellet Epiſcopatui, quem aliorum Voluntas, & Suprema Auctoritas invito impoſuit, è Vita exceſſit in Cœnobio ſui Ordinis apud *Montem Fernandum*, vulgò *Multifernan*, in *Midenſi Occidentali* Agro *Lageniæ*, Anno . . . .; *Thomas Strongus*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, Archiepiſcopi *Compoſtellani* Suffraganeus, ibidem mortuus Anno 1601; *Thaddeus O-Ferrallus*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Clonfertenſis*, Anno 1602, de quo jam anteà dictum Cap. xiii. Num. lxiii. Pag. 486. His addendus, paulò poſt *Elizabetham* defunctus, *Redmundus Galchorius*, vernaculè *O-Gallagher*, Epiſcopus *Derienſis*, qui Anno circiter Ætatis ſeptuageſimo captus â Præſidarijs Excurſoribus hæreticis, & multis Vulneribus ab eis confoſſus occubuit Anno 1604.

(*y*) Ex *Daniele O-Daly*, ſeù *Dominico de Roſario*, Pag. 171, & ſeqq.

“PER REGINAM.

“ *Declaratio magnarum Turbationum, quæ contrà Rempublicam intentantur per Multitudinem Sacerdotum, Seminariſtarum, ac Jeſuitarum, qui clam immiſſi, & per Regnum diſperſi ſunt, ut inſignes Proditiones operentur ſub ementito Nomine Religionis, cum Proviſione valde neceſſaria de Remedio ad malum hoc evertendum, Edicto Suæ Majeſtatis publicata.*

“ Quamquâm non defuerint Nobis probabiles quædam Cauſæ, quibus perſuadere Nobis potuiſſemus, nunc tandem poſt triginta fere & trium Annorum Gubernationem noſtram, quibus DEUS Omnipotens perpetuò Nos conſervavit in pacifica Regni noſtri Poſſeſſione, Inimicornm noſtrorum violentam, ac ferocem Malitiam (præcipuè verò Regis Hiſpaniæ) quâ tot Annis jam conatus eſt ſiue ulla juſta Cauſa Rempublicam noſtram turbare, languidiorem tandem, & infirmiorem futuram, hocque non ſolum in illo, verúm etiam in alijs omnibus, qui ab illo pendent; & quod hæc Inimicitia mutâretur aliquando in Humorem aliquem magis pacificum, quo Rex iſte idoneè diſponſeretur ad vivendum Nobiſcum, & cum cæteris Chriſtianis Principibus vicinis ſuis in Concordia, eaque Ratione Pax aliqua univerſalis in Republica Chriſtiana conſtitueretur, quæ illius ſolummodò Bellis Armiſque, & nulla alia præterea Re perturbata cernitur: Nihilominûs tamen ex præſentibus ejus Actionibus, quæ majori Apparatu, ac Potentiâ ſuſceptæ ſunt, quàm unquàm anteà, contrarium planè perſpicimus, quo Nobis ſanè perſuademus, placuiſſe tandem Omnipotenti Deo Exercituum, permittere Ruinam, & Correctionem iſtiuſmodi Hominum, qui induci non poſſunt, ut Rebus contenti, pacificè vivant, & hac de Cauſa permiſiſſe huic Regi (z), ut hac Ætate ſua jam inclinatâ (quæ Paci eſſer aptior) & eo Tempore, quo maximè contentus eſſe deberet Dominijs proprijs, abſque hoc quod aliena per Vim, & Arma quæreret (plures enim hodiè Coronas, plura Regna, & Nationes, plures etiam Divitias terrenas poſſidet, quàm ulli anteà Majorum ſuorum, aut ullus unquàm Chriſtianus Princeps habuit) nunc, inquam hac Ætate permiſiſſe Deum, ut Bellum longè injuſtiſſimum, & univerſæ Republicæ Chriſtianæ periculoſiſſimum contrà præſentem Franciæ Regem *(a)* incipiat, quod etiam manifeſtum eſt, illum, contrà Nos quoque antè Biennium cogitaſſe, ut Regna ſcilicèt noſtra invaderet, hocque eo maximè Tempore, quo Nobiſcum de Pace tractabat; ſed Deus ei reſtitit, & non ſolùm ipſi, ſed & univerſo etiam Exercitui ſuo juſtam Cauſam Reſipiſcentiæ dedit *(b)*.

“ Cùm igitur nunc pro certo intelligamus, Regem Hiſpaniæ, ut novo aliquo Colore Actiones ſuas exorbitantes, & violentas muniat, procuraſſe nuper, ut Mediolanenſis quidam Vaſſallus ſuus ad Papatum Romanum exaltetur *(c)*, eumque ſeduxiſſe, ut ſine Conventu Collegij Cardinalium Theſauros Eccleſiæ exhauriat, ad Milites in Italia (quæ anteà in ſe nullum Bellorum Sonitum habebat) multiſque alijs in Locis conſcribendos, quos ſub Nepotis ſui Ducatu in Galliam mittat, ad Regnum illud invadendum, quod illi Eccleſiæ in omnibus Oppreſſionibus ſuis Auxilio ſemper fuit: Cùmque hoc Bellum tàm generaliter, ac potenter contrà Galliam ſuſceptum, noſtro etiam Statui, & Dominijs non poteſt non eſſe valdè periculoſum, præſertim cùm Nobis multis Modis pernotum ſit, Regis Præparationes, tám maritimas, qnàm terreſtres, majores forè contrà noſtram Coronam, ac Ditiones pro Anno ſequente quàm unquàm hactenûs fuerunt.

“ Præterea cum ſciamus, Regem hunc pro iſtis promovendis, ex Occaſione Poteſtatis Papæ ſui Peculiaris, quem ſibi ſubjectum ac à Cinctu ſuo pendentem habet, practicaſſe cum quibuſdam præcipuis Seditionum Capitibus Regni noſtri, ingratis Subditis (licèt obſcuris admodùm Natalibus) ut magnis Laboribus' ac Regis Sumptibus Multitudinem quandam colligant diſſolutorum Adoleſcentium, qui partìm ob Victûs Inopuiam, partìm ob Crimina à ſe commiſſa, facti ſunt fugitivi, & rebelles, ac Proditores Patriæ: Cùmque pro his alendis, ac ſuſtentandis Receptacula quædam, partim Romæ, partìm in Hiſpania, alijſque Locis, Seminariorum Nomine erecta ſint in quibus inſtituantur, & cùm ſatis edocti in ſcholaſticis quibuſdam Seditionibus videntur, tùm indè clàm in Dominia noſtra remittuntur, cum ampliſſimis Pontificis Romani Facultatibus, ad perſuadendum omnibus quibuſcum agere audebunt, ut O-

---

(z) Rex *Hiſpaniarum* tunc erat *Philippus* ii, qui per 43 Annos regnavit, obijtque Anno 1598. Prima ejus Conjax erat *Maria* Regina *Angliæ*, ut nuper datum Cap. præſ. Num ii. Pag. 597.

(a) *Henricum* ſcilicèt hujus Nominis iv.

(b) Figmenta eſſe hæc omnia, necnon & ſequentia, ad Evidentiam oſtendit *Andreæ Philopatri* ad idem Edictum *Reſponſio*, Typis vulgata Anno 1593.

(c) *Nibolaus* nempe *Sfrondatus*, dictus *Gregorius* xiv.

“ bedientiam noſtram, noſtræque Coronæ debitam deſerant, ſpe nimirùm Hiſpanicæ Invaſionis, quâ eos mirabiliter ditandos fore reliqiorum noſtrorum fideliúm Subitorum Opibus, perſuadent.

“ Propter quam Cauſam etiam Sacerdotes iſti Subditos noſtros, quibuſcum tractant, Juramentis, ac Sacramentis quibuſdam devinciunt, ut Subjectionem ſuam naturalem Nobis debitam abjurent, omnemque Obedientiam, Vires, & Opes Regi iſti Hiſpanico offerant, ad Exercitum ejus juvandum, cùm venerit: Ad quam etiam Rem efficaciùs efficiendam, & ut faciliùs Populo ſimpliciori Seminatores illi Seditionum imponant, Bullas quaſdam Papales ſecum adferunt, quarum aliquæ Indulgentias habent, promittentes Cælum omnibus, qui ſua Conſilia ſequentur; aliæ verò Maledictiones continent, Damnationem, & Infernum minitantes, ſi quì fortè prædictis eorum Perſuaſionibus non acquieſcunt.

“ Et quamquàm Genus hoc Molitionum Papalium jamdiû apud aliquos in Uſu fuerit, tamen aliquo etiam Modo per Nos impeditæ fuerunt, directâ quadâm Legum contrà hujusmodi Perduelles Executione, hocque tantum ob Proditiones, & læſæ Majeſtatis Crimina, & ob nullum omninò Religionis Articulum (*d*), ut eorum Fautores ad Actiones eorum fucandas falſò perſuadere volunt, quod tamen ex eo manifeſtè refutatur, quod in Proceſſibus Criminum, qui contrà iſtos fiunt, non accuſantur, neque condemnantur, neque Morti traduntur ob aliud, quâm ob Supremæ Majeſtatis læſæ Crimen, affirmantes inter cætera, quod ſi Papa contrà Nos, & Religionem noſtram Exercitnm aliquem mitteret, ipſi ei adhærerent, & à Pattibus ejus ſtarent.

“ Præterca quod nullus iſtorum Mortem patiatur propter Religionis Negotium, ex hoc quoque evidentiſſimè probatur, quod multi Viri locupletes in Regno noſtro cognoſcuntur eſſe, qui Religionem noſtræ contrariam profitentur, & tamen neque Vitâ, neque Poſſeſſionibus, neque Bonis, neque Libertate, ob hoc ipſum plectuntur, ſed tantûm ut ſolvant Summam quandam pecuniariam, tanquâm Pænam pro Tempore, quo Eccleſias noſtras frequentare recuſant: Qui modus agendi noſter clariſſimè refellit Sermones illos, & Libellos infamatorios, quos fugitivi noſtri in Terris alienis divulgant.

“ His tamen non obſtantibus certiſſimè Nobis conſtat, Capita quædam iſtorum Latibulorum, ac Receptaculorum, quæ Perduelles noſtri Seminaria, ſeù Jeſuitarum Collegia vocant, recenter admodùm Hiſpaniæ Regi perſuaſiſſe iterùm, quod etſi anteà magna illa Claſſis Hiſpanica, contrà Nos inſtructa, Succeſſum infælicem habuerit, ſi tamen iterùm Rem aggrediatur fore parata intrà Inſulam hanc multa Hominum Millia (ut ipſi ad Commodum ſuum Rationem ineunt) qui Exercitum ejus in Terram ſemel expoſitum ſequantur: Et quamquàm Rex ſecundùm Prudentiæ Regulam, & Experientiam ſuperioris Temporis, nullam hujuſmodi Spem de mittendis Militibus ſuis ìn Angliam concipere deberet, falſis tamen his Promiſſis, & Informationibus tentatus eſt.

“ Informationes verò iſtæ fiunt Regi in Hiſpania præcipuè per Scholaſticum quendam vocatum Perſonium (*e*), quod id ſibi aſſumit, ut Regis Catholici Confeſſarius ſit; Romano Pontifice per alium Scholarem, Alanum Nomine (*f*), qui jàm ob ſuas contrà Nos Proditiones Galeri Cardinalitij Honorem accepit: Hi duo Nominum quorundam Catalogos his Principibus exhibuerunt plurimorum Hominum, quos iſti exiſtimant Factionis ſuæ eſſe, vel fore, præſertìm in Locis maritimis Ditionum noſtrarum, & certiſſimos Hiſpanicarum Partium Fautores, Coadjutòres, cùm Exercitus advenerit. Et quamquàm tum Papa, tùm etiam Rex rectè intelligant, majorem Partem eorum, quæ iſti ſuggerunt, falſa eſſe, tamen cum videant Seminariſtas iſtos, & Jeſuitas, idoneos eſſe, qui ſuis impijs Deſignationibus inſerviant, & Populum ſuum reconciliatum in perdita ſua Conſtantia conſervent, non paucos ex eis recenter, ideſt, intrà decem, vel duodecim Menſium Spatium, hùc clàm in Angliam miſerunt, ut per Regnum diſperſi, Complicibus ſuis annuncient, Regem omninò ſtatuiſſe (quemadmodùm ex aliquibus eorum comprehenſis intelleximus) ſequente Anno Vires ſuas univerſas contrà Angliam iterum adhuc ſemel experiri. Sed quia nonnulli ex Conciliarijs Regis, qui ſunt reliquis prudentiores, exiſtimant nihil hac Re profici poſſe, ideò Rex cogitavit, ſi contrà Nos nihil proficiat, eandem tamen Claſſem poſſe non incommodè contrà Galliam, aut Belgium, aut contrà Partem aliquam Scotiæ, Hiberniæ (quò etiam nonnullo Seminarium iſtorum Progenies immiſſa eſt) converti.

“ Quapropter cùm Regis Hiſpaniæ Intentiones ità Nobis patafactæ ſint, ut ampliùs de eiſdem dubitare non liceat, quamquàm minimè profectò dubitemus, quin Deus, juſtarum omnium Cauſarum

“ Defenſor,

(*d*) Hic ſanè mentita eſt Iniquitas ſibi, ut ex dicendis Num. ſeq. clarebit. Mendacem igitur memorem eſſe oportet.

(*e*) *Robertum* ſcilicèt *Perſonium*, vulgò *Parſons*, Natione *Anglum*, Societatis Jeſu Alumnum, in *Hiſpania* tunc verſantem, ſed nequaquam Regis Catholici Confeſſarium.

(*f*) Vulgò *Allen*, Natione item *Anglum*, ob præclara Merita ad Purpuram aſſumptum.

" Defenſor, eaſdem planè irritas facturus ſit (quemadmodûm ſemper feciſſe cernitur), tamen Officij quoque noſtri eſt, qui ſupremam ſub potentiſſima ejus Manu Gubernationem accepimus, Media omnia adhibere, quæ ipſe Nobis donavit, & ea concurrere cum divino ipſius Favore, per Auxilium fidelium noſtrorum Subditorum, tùm ad Vires noſtras augendas omni illorum Potentiâ, tùm ad Leges contrà Seditioſos exequendas, aliaſque politicas Ordinationes adhibendas, quibus Proditiones iſtæ impediri poſſent.

" Itàque primo Loco, & antè omnia hoc poſtulamus ab Eccleſiaſticis noſtris, ut omnis Diligentia adhibeatur piorum Eccleſiæ Miniſtrorum, ut tùm Doctrinâ, tùm Exemplo Vitæ retineant ſemper Populum in Profeſſione Evangelij, & in Officio, tum ergà Deum, tûm etiam ergà Nos, eoque magis, quod videant paucos Seditioſorum, ac Proditorum Duces continenter in eo occupari, ut per Seminaria obducant ſimpliciorum, & ignorantium Multitudinem ad Faſcinationes, & Incantationes ſuas.

" Secundò, quantùm pertinet ad Copias noſtras, tàm Mari, quâm Terra parandas, ad diſcutiendos Utres iſtos inflatos, qui ex Hiſpania Nobis intentantur ; confidimus per illum Ordinem, quem his jam de Rebus præſcripſimus, fore Nos potentiores, quàm unquàm antè ad Hoſtibus reſiſtendum, ad quod tamen ominino requirimus, ut Subditi noſtri tùm Manibus, tùm Crumenis etiam, & Conſilijs ſuis Nos adjuvent, & omnes Oratione inſtante apud Deum agant, ut Nobis adſit in hac Defenſione, tâm Naturæ debitâ, tàm honorificâ, neceſſariâ, & utili, cùm ſit tantummodò pro tuenda nativa Patria, pro conſervandis Uxoribus, pro Familijs, pro Liberis, pro Honoribus, pro Bonis, pro Libertate, & Poſteris, contrà Exteros crudeles, & rapaces, contrà deſperatiſſimos Patriæ Depopulatores, ac Proditores monſtruoſos.

" Tertiò, ut Remedia etiam matura, & opportuna adhibeantur contrà ſecretas, & fraudulentas Machinationes Seminariorum, Jeſuitarum, aliorumque Proditorum (ſine quibus videtur, quod Rex Hiſpaniæ nihil ſaltem hoc Tempore attentaret) quique falſâ quadam Sanctitatis Specie in Animos Subditorum noſtrorum ſe inſinuant, ut Conſcientias eorum pervertant, & ad Proditiones paulatim diſponant, omninò Nobis conſtitutum eſt, Commiſſarios ſtatim, ad omnes Regni noſtri Comitatus, Provinciaſque cum Mandatis ampliſſimis dirigere, & ad omnes Civitates, & Oppida, Locaque maritima eorundem, qui ſummâ Diligentiâ Modiſque omnibus legitimis inquirant de Perſonis omnibus ſuſpectis, quæ vel perſuadeant, vel perſuadere ſibi permittant, Obedientiam ullam cujuſcunque Generis ſit, Papæ, vel Regi Hiſpaniæ præbendum eſſe.

" Et quia multi ex iſtis Seminariſtis cognoſcuntur ementito Habitu in Regna noſtra ingredi, & tanquàm alterius longè Generis Homines in ipſas ſe Univerſitates, & Aulas etiam Principum, Familaſque nobilium Virorum Fæminarumque (quò tutiûs lateant) callidiſſimè ingerere ; idèo mandamus, ſeveriſſimèque præcipimus omnibus, & ſingulis cujuſcumque Generis, Statûs, Sexûs, Conditionis, & Dignitatis Perſonis, immò etiam cunctis Palatij noſtri Officialibus, Miniſtris, & Magiſtratibus, & cujuſcunque Familiæ Dominis, aut Communitatis alicujus Rectoribus, ut ſtatim ineant exactiſſimam Rationem earum omnium Perſonarum, quæ his ſaltem quaruordecim Menſibus proximè elapſis Domos ſuas frequentaverint, aut in eiſdem habitaverint, verſati fuerint, dormiverint, aut comederint, vel in Præſentia quidquam horum faciunt, aut in poſterum facturi ſunt, nempè cujus Nominis, Conditionis, & Qualitatis iſtiuſmodi Perſonæ ſint, in qua Parte natæ, ubi anteà converſatæ per integrum ſaltem Anni Spatium antequàm in Domum ſuam veniſſent, quomodò & undè ſe ſuſtentent, quid faciant, quænam Loca ſoleant frequentare, quibuſcum verſari, & ſi Temporibus debitis, & per Leges noſtras præſcriptis, Eccleſias adeant ad divina Officia debitè audienda.

" Univerſa hæc Examina cum Reſponſis in Libris particulatim referri præcipimus, hoſque Libros apud unumquemque Patremfamilias diligenter per Modum Regiſtri, aut Calendarij aſſervari volumus, ex quibus Commiſſarij noſtri, quando eis videbitur expedire, tùm Perſonarum, quæ in Suſpicionem venient, Conditiones, tùm Patrum etiam Familias Diligentiam Fidemque indè perſpiciant.

" Si quis autem minûs libenter ad hæc Examina reſpondere perſpectus fuerit, aut in Reſponſis dubius apparuerit, hujuſmodi ſtatim comprehendi volumus, & ad aliquem ex Commiſſarijs, qui ei Loco vicinior fuerit, cum Cuſtodia tranſmitti ;quod idem etiam fieri præcipimus de Patribusfamilias, Domorumque Rectoribus, qui in Examine hoc faciendo negligentes ſe, aut remiſſos præbuerint, ut à Commiſſarijs caſtigentur pro Qualitate Delicti : Si verò aliquis deprehenſus fuerit, qui Perſouas iſtiuſmodi ſuſpectas foverit, aut intrà Spatium viginti Dierum poſt hujus Edicti in Provincijs Publicationem, èaſdem Commiſſarijs non detexerit, hunc caſtigari volumus eâdem Pænâ, quâ Proditorum, ac Perduellum Complices, Fautores, & Coadjutores caſtigari ſolent, in quo firmiter omninò, & deterrminatè ſtatuimus nullum prorſus permittere Favorem, aut Mitigationem ob cujuſcumque Perſonæ Reſpectum, cujuſvis fuerint Dignitatis, aut Conditionis, immò nec ullam penitùs Excuſationem

" Negligentiæ

“ Negligentiæ, aut Omiſſionis admittere eorum, qui Proditores iſtos non detexerint, aut Examen jam
“ dictum ſtudioſè non facerint de Perſonis omnibus, quæ in Suſpicionem ullo Modo vocari poſſunt,
“ cùm hoc nullo Modo contrarium ſit, ſed conſonum omninò antiquiſſimis Regni noſtri Legibus, opti-
“ miſque ejuſdem Conſuetudinibus pro conſervanda Sudibitorum Obedientia, Nobis, ac Coronæ noſtræ
“ debitâ. Datum in Palatio noſtro Richmondiæ (*g*) Die 18 Octobris 1591, Regni vero noſtri trigeſi-
“ mo & tertio.”

VII. Vides, benigne Lector, atrox *Elizabethæ* adversùs omnes Ditionum ſuarum Catholilicos Edictum, Fraudibus plenum. Summi Pontificis Molimina, *Hiſpaniarum* Regis Inſidias, vicinarum Gentium Conſilia ſcrutatur. Minitantia undiquePericula ſimulatè proſpiciens, Circumſpectionem ſuam commendat, popularem Auram providi ſui Regiminis Jactantiâ Mulier ambitioſa aucupat. Porrò ſi omnia Edicti iſtius Fraudes, & Impoſturas ſigillatim delegere vellem, Dies profectò me deficeret, & aliunde eas retuliſſe ipſas refutaſſe eſt apud quampiam æquum Rerum Æſtimatorem, in Temporum illorum Hiſtorijs vel perfunctoriè verſatum. Hic Loci igitur oſtendam ſolummodò, *Elizabetham* in hoc fallere, quod perfrictâ Fronte in eo Edicto aſſerat, multiſque probare conetur Momentis, Neminem à ſe *propter Religionis Negotium damnari, neque Vitâ, neque Poſſeſſionibus, neque Bonis, neque Libertate plecti, ſed tantùm ut ſolvant Summam quandam pecuniariam tanquam Pænam pro Tempore, quo Eccleſias* (Proteſtantium) *frequentare recuſant.* Quæ ſanæ Verba ſibi contraria eſſe Nemo non videt. Enimvero ſi Catholici iſti Summas pecuniarias ſolvant in Pænam: Ergo plectuntur. Si Pecunijs mulctentur: Ergo Bonis diminuuntur. Si Carceribus teneantur, & Cuſtodijs: Ergô Libertate privantur.

Sed aliam adhuc Fraudem animadverte. Non exprimit *Elizabetha* quanta ſit *quædam* illa Pecuniæ Summa, quam quiſque ſolvere cogebatur, ſi Eccleſias *Proteſtantium* adire recuſarent. Nollet enim, crediderim, niſi invita hanc tantam Tyrannidem externis Hominibus cognitam eſſe. Nam neque *Turca*, opinor, neque *Perſa*, neque *Arabs*, *Maurus* aut *Scytha*, iſtiuſmodi unquàm Tributum à Subditis ſuis ob Religionis tantùm Diſcrimen exegit; unuſquiſque ſiquidem Catholicus, cujuſcunque fuerit Sexûs, Statûs, Conditionis, vel Ordinis, Nemine dempto, nullo excepto, ſi decimum ſextum Ætatis Annum exceſſerit, viginti *Libras Anglicanas*, quæ octoginta *Scuta Romana* ſuperant, ſolvere cogebatur in ſingulos Menſes, ob hoc tantum Delictum, quod *Proteſtantium* Eccleſias frequentare detrectaret (*h*). Quod ſi ſolvere nequiret Mulctam iſtam pænalem, incarcerabatur uſque ad integram Solutionem juxtà Statutum Parlamentarium, Anno 23 *Elizabethæ* (A. D. 1580) conditum, quod inferiùs datâ Operâ referam (*i*).

Præterea ſubticet *Elizabetha* hos ipſos, qui iſtas ſolvunt pecuniarias Summas, nullâ deindè aliâ in Re tutos eſſe, aut ſecuros, ut pro Conſcientia ſua Deum More Catholico colant. Quippè ſi poſtquàm recenſitam ſolverint Summam, Miſſam audierint, prima de ea Convictio Pænam habet centum *Marcarum* (*k*), ſecunda verò quadringentarum (quæ Mille *Scutorum Romanorum* Summam ſuperant), tertia demùm perpetui Carceris, & Amiſſionis omnium Bonorum Pænâ caſtigatur; item ſi Peccata ſua Sacerdoti confiteretur, Crimen foret læſæ Majeſtatis, & ſic de cæteris Religionis Articulis, quorum cuique Pæna ſua inſtituta eſt. Quo igitur Pudore aſſeverat exſcriptum *Elizabethæ* Edictum, *ob nullum omnino Religionis Articulum Catholicos in Regnis ſuis plecti?*

Ulterius Anno 27 Regni *Elizabethæ* (A. D. 1584) editum fuit Statutum Parlamentarium, quod veluti Fons fuit, & Origo omnium in Sacerdotes Perſecutionum, tàm ipſius *Elizabethæ*, quàm *Jacobi* I, & *Caroli* I, Regum. Quod Statutum tranſcripſit *Daniel* noſter *O-Daly*, aliàs *Dominicus de Roſario* (l), ex authentica quadam Relatione Perſecutionis in *Hibernia*, Typis vulgatâ Anno 1653. En porrò ejus Verba: “ Sacerdos ità captus, eſt ipſo Facto Perduellionis “ reus,

---

(*g*) *Richmondia* decem Milliaribus *Londino* diſtat.
(h) Adeas Cap. præſ. Num. xxxix. Sect. 31.
(i) Num. xxxix. Sect. 20.
(*k*) Conſulendum Cap. ix. §. i. Num. ix. Lit. z. Pag. 192.
(*l*) Pag. 229 Confer Cap. xvii. Num. ci.

“ reus, quarè in Patibulo pendendus, & ſemivivus dimittendus, tùm, Capite amputato, in “ Partes membratim ſecandus, Inteſtina extrahenda & comburenda; & Caput Palo affixum, “ publico Loco exponendum; Terra, & Bona illius confiſcanda. Hæc Sacerdotis Pæna. “ Pæna verò illius, qui Sacerdotem recepit, & fovet, eſt Terrarum, & Bonorum Confiſcatio, “ & Mors per Suſpendium ſine Spe Indulgentiæ.” Hinc, ut nihil dicam de innumeris ferme Martyrium in *Anglia* Tempore *Elizabethæ* paſſis, in *Hibernia* noſtra, ubi fortè amplior, inquit *O-Daly*, Meſſis extitit, ſolus Deus enarrare poterit Numerum Martyrum ſuorum, & Sanguinem Sanctorum, qui effuſus eſt. E quibus nonnullos, præſertim Antiſtites, nuper indigitabam (*m*), atque inter Laicos Equitem *Joannem de Burgo*, qui unicè propter admiſſum Miſſæ Sacrificium in Caſtro ſuo de *Brittas* Mortem ſubijt crudelem.

DEMUM Statutum quoddam poſt finita Comitia Parlamentaria Anno 23 *Elizabethæ* (A. D. 1580) Sontibus omnibus cujuſcunque Sceleris Indulgentiam conceſſit, præterquàm ob Religionem Catholicam detentis. En Exceptionis Verba (*n*): “ Cavetur autem ne hæc Conceſſio generalis “ Remiſſionis, & Veniæ, extendi poſſit ullo Modo in Favorem alicujus Perſonæ, quæ hoc ultimo Die præſentis Seſſionis Parlamentaris tenetur Carceribus, vel alia quacunque ſpeciali “ Cuſtodia detinetur ob Pertinaciam, quâ recuſant adire Eccleſias noſtras, ac divinis intereſſe “ Officijs, aut propter ullam aliam Rem, aut Cauſam, pertinentem ad dictam eorum obſtinatiſſimam Pertinaciam in Negotio Religionis, quæ jàm legitimè in hoc Regno ſtabilita eſt: Undè “ decernimus, ut ſingulæ iſtiuſmodi Perſonæ, quæ his de Cauſis Libertate privantur, intelligantur “ exceptæ ab omni Beneficio hujus univerſalis Gratiæ, Veniæ, & Remiſſionis, quamdiù in dicta “ ſua Pertinacia, & Inobedientia permanſerint.” Vides, candide Lector, hos omnes de Religione accuſatos, & detentos, à communi Gratia omnium Latronum, Homicidiarum, Raptorum, & cujuſcunque Sceleris Hominum excludi, & tamen in præinſerto Edicto, Annis undecim poſt Statutum hoc promulgato, aſſerere non erubuit *Elizabetha*, Neminem Catholicorum plecti *propter Religionis Negotium*.

VIII. PRO pleniori hujus Rei Confirmatioue, atque ulteriori Notitia, placet in Medium afferre *Elizabethicæ* Perſecutionis Formam, & Praxim. Quippè poſtquàm Regina apud ſe conſtituiſſet, promulgandum eſſe ſuprà exſcriptum contrà Catholicos Edictum, non ſatis fuiſſe exiſtimavit, ordinarijs Republicæ Judicibus, & Magiſtratibus, reliquiſque Regni Subditis Poteſtatem facere generalem in Catholicos inquirendi (quod ipſius Edicti Vi, Verbiſque manifeſtis conceſſum cernimus) ſed voluit inſuper, in ſingulis totius Regni Provincijs, & Comitatibus Viros ſtatui certos, cum Mandatis ampliſſimis, & Poteſtate extraordinaria, qui Edicti Executionem ubique promoverent, &, Operi imminentes, perpetuâ illud Solicitudine perurgerent. Iſtorum porrò Hominum animandorum, ac dirigendorum Cauſâ, ſequentes perſcriptæ fuerunt Inſtructiones, Regiâ Auctoritate munitæ, atque ad ſingulas Provincias, & Comitatus miſſæ (*o*).

Inſtructiones, & Mandata quædamſe cretiora Reginæ, & ſuorum Conſiliariorum; ad Commiſſarios, ſeù Inquiſitores, quibus tradita eſt Auctoritatas exequendi Edictum nuper promulgatum contrà Sacerdotes, & reliquos Catholicos in ſingulis Provincijs, & Comitatibus.

(Modus quo Commiſſarij convenire debent ad inquirendum contrà Catholicos.)

Primo qui ex Vobis hanc Reginæ Commiſſionem ſeù Mandatum pro exequendo Edicto primi receperint, ij continuo certiores faciant cæteros, quibus demandata eſt eadem Auctoritas, ut quamprimùm conveniant ad deliberandum de his, quæ neceſſario futura ſint ad Mandata regia exequenda, quorum Capita breviter deſcripta ad ſingulos tranſmittent. Et primo quidem Conventu, Loca quædam commodiora in qualibet Provincia deſignabitis, ad quæ certis, præſcriptiſque Temporibus in eundem Finem conveniatis. Et ut his Principijs ordinatiùs, & Majori cum Facilitate procedatur, non abs Re erit, pro Ratione cujuſque Provinciæ inter Voſmetipſos Onera partiri, & ſtatuere quam quiſque Provinciæ Partem curandam

---

(*m*) Cap. præf. Num. v. Pag. 500.

(*n*) Ex *Daniele O-Daly*, ſeù *Dominico de Roſario* Pag. 228.

(*o*) Ex eodem, Pag. 201, & ſeqq.

tandam ſuſcipiat; Socioſque etiam nonnullos, & Coadjutores, Vobis aſſumere expediet, qui Vobis abſentibus Rem proſequantur. Et quo frequentiùs his in unum conveneritis, eo meliùs, & commodiùs Res procedet, nec omittere debetis quin hujus primi ſaltem Anni Spatio quadrageſimo quoque Die conveniatis, ut collatis unà quas privatim quiſque geſſerit Rebus, omnes tertio quoque Menſe Reginam, & Senatum regium certiores faciatis, quæ à Vobis in Provincijs veſtris acta ſint.

(Undè Materia petenda eſt ad accuſandum.)

Secundo, exigetis ab Epiſcopo Diæceſis illius, in qua eſt quæque Provincia, ab ejuſque Cancellario, Proviſore, & Archidiacono, aliiſque ipſius Præpoſitis, & Curatoribus publicis; necnon à Procuratoribus Provinciarum, (p) *Secretarijs Comitiorum, Notarijs, aliiſque Miniſtris, & Officialibus Regni, & à cujuſlibet Urbis, Oppidi, aut Villæ Præfectis, & Magiſtratibus, Rationem, Numerum, Nomina, & Habitationem eorum omnium, qui ipſis fuerunt detecti, accuſati, vel ad ipſorum Tribunalia proximis his Annis præteritis delati ob Religionis Negotium, quod Eccleſias publicas adire recuſaverint, ſivè Viri ſint, ſivè Fæminæ, & quinam Proceſſus Juris, aut Cenſuræ, contrà ipſos ab alijs Judicibus hâc de Cauſa exierint. Efficietis præterea omni Diligentiâ, & Induſtriâ veſtrâ, & quibuſcunque fieri poteſt Medijs, ut quiſque Veſtrûm in Provinciæ Particula, quæ ſibi obtigeret, Notitiam habeant earum Perſonarum, quæ exiſtimantur Receptores eſſe, vel Fautores Sacerdotum, Seminariorum, Jeſuitarum, aliorumque Clericorum fugitivorum, aut transfugarum, qui ex Partibus ultramarinis in Angliam, aliaque Dominia noſtra venerint, aut de quibus Criminis hujus Suſpicio aliqua eſt, aut ullo Modo Complices, vel Acceſſorij eſtimari poſſint? Et quando hac Ratione, vel aliâ quâcunque iſtiuſmodi Hominum Nomina detecta habueritis, Rem penes Vos ſecreto omnino, & clàm retinebitis, quouſque commode comprehendi poterunt, & ad Vos ſecure perduci, & juxtà hæc noſtra ad Vos Mandata examinentur.*

(Quando, & de quibus examinandi Catholici.)

Tertio, in hujuſmodi Hominibus examinandis, obſervabitis deligenter, ut cogatur quiſque reſpondere ad Interrogata de Rebus, quæ ad Conſcientiam, & Religionem ſuam pertinent; num ſcilicet Templa frequentent, aut quibus de Cauſis illud facere recuſent; & ſi obſtinato Animo id renuere deprehendantur, tunc ulterius ea ab ipſis inquiretis, quæ ad Statum Reipublicæ & Fidelitatem ipſorum ergà Principem ſpectant. Quo nimirum Animo, & quâ Devotione ſint in Pontificem Maximum, & Hiſpaniarum Regem? Num Jeſuitas, Sacerdotes, aut Seminarios, aut alios Clericos, ad Reginæ Subditos ab Obedientia ſeducendos, ab ultramarinis Partibus miſſos, receperint, foverint, aluerint, & ſimilia.

(Forma interrogandi eos, qui examinantur.)

Quarto, ut ſciatis, quâ Ratione examinandi ſunt iſtiuſmodi Homines, qui Romano Pontifici, & Regi Hiſpanico adhærere putantur; utque appoſite reſponderent ad ea, quæ ab eis ſciri Operæ Prætium eſt, juxtà ſubjectas Quæſtiones, ſeu Interrogationes examinentur, quas partim eis ſub Juramento, partim ſine Jurejurando proponere poteritis.

An quis Vobis Auctor fuerit, aut Suaſor, ut Romano Pontifici, aut Hiſpaniarum Regi adhæreatis, & ipſorum Partes ſequamini, aut ullas eis feratis Suppetias, quando contigerit, quacunque eos de Cauſa Anglicanum Dominium Armis invadere, & quiſnam ille fuerit, qui hoc Vobis ſuaſerit? An fuerint aliquando Romæ, vel in Hiſpania, intrà proximos hos quinque Annos præteritos? Quando reverſi ſint, & in quem Finem? Ubi, & apud quos, à Reditu in Inſulam permanſerint? Quibus cum Perſonis locuti, aut verſati fuerint? Num qui examinatur Sacerdos ſit, aut Jeſuita, aut Eccleſiaſticus Romano More inſtitutus? Ubi & quando? & à quo Epiſcopo fuerit Sacerdotio initiatus? An vixerit in Seminario, vel Collegio aliquo Anglorum, Vallorum, aut Hibernorum Romæ, aut Rhemis, vel in Hiſpania, vel alibi? Quamdiu in aliquo hujuſmodi Collegio habitaverit? & quando inde proxime in Inſulam miſſus fuerit? & cujus Rei Gratiâ?

(p) Provincias & Comitatus Hiberniæ videre poteris Cap. i. Num. xi. Pag. 15.

(Quomodo Sacerdotum Fautores detegantur.)

Quintò, cùm recentiſſimo Reginæ Edicto de quo Vos Notitiam habere ſignificabitis, omnibus cujuſcunque Conditionis, & Gradûs Majeſtatis Suæ Subditis, tàm Eccleſiaſticis, quàm Laicis ſine omni Exceptione ſeverè præceptum ſit, ut quàm diligentiſſimè exquirant, quinam fuerint Hoſpitio, aut Domo excepti, vel ad ſe ventitaverint, comederint, aut dormierint, intrâ unius Anni Spatium jàm proximè elapſi, ante Promulgationem ejuſdem Edicti? Si Vobis ſignificatum fuerit, aliquam ejuſmodi Perſonam Hoſpitio, Domove exceptam, aut aliâ aliquâ Ratione ſublevatam & non detectam, contrà Mentem Suæ Majeſtatis, prout in eodem Edicto plenius habetur, tunc curabitis, ut qui Veritatem exploraturi mittuntur, Reſponſa in Scriptis referant, &, adhibito per Vos diligenti Examine, ſi quis deprehendetur ejuſmodi ſuſpectos Viros Domi ſuæ recepiſſe, cooperaſſe, foviſſe, aut Beneficio aliquo affeciſſe, curabitis eum in Manus veſtras tradendum, Carcerique mandandum, alijſque afficiendum Supplicijs, prout Vobis viſum fuerit.

(Quomodo comprehendendi, qui ad alienam Provinciam fugiunt.)

Sextò, quandoquidem par omninò Reginæ Mandatum, ſimileſque eidem annexæ Inſtructiones, & Interrogationes, in alias quoque omnes Regni Provincias miſſæ ſint ad Commiſſarios, qui hac ipſa de Cauſa ubique inſtituuntur; ſi contigerit Perſonam aliquam de Rebus prædictis ſuſpectam, aut ream, in aliam Provinciam tranſmigraſſe; tunc curabitis, ut illius Provinciæ Commiſſarij quàm ſecretiſſimè ejus Rei moneantur, eiſque Auctoritate, & Nomine regio præcipietis, ut ejuſmodi Perſonam ſuſpectam quàm citiſſimè, & diligentiſſimè comprehendant, examinent, & in Cuſtodiam mittant, ut deindè cum ea ulterius procedatur juxtà hujus Commiſſionis, ac Mandati regij Formam.

(Modus ſubdelegandi, & Catholicos illaqueandi.)

Poſtremò, honeſtos aliquot, & probatæ Fidei Viros ex eorum Numero, qui Reginæ in Rebus Religionis magis promptè obtemperant, ſeligetis in qualibet Provinciæ veſtræ Parte, præcipuè vero in Oppidis, Portubus, & amplioribus Parœcijs, quibus etiam Parochos, & Eccleſiarum Rectores, qui fideles ſunt, & Gregis ſui Curam, & Solicitudinem gerere cognoſcuntur, adjungere libebit, eiſque præcipietis, ut obſervent diligenter, an quiſquam obſtinatè recuſet Templa noſtra frequentare. Et quotiès aliquos iſtiuſmodi Vobis denunciaverint, eos continuò ad Vos accerſitos, prætermiſſo adeundæ Eccleſiæ Negotio (de quo per alias Pœnas ex Legum Præſcripto caſtigandi erunt) pro Arbitrio, & Prudentia veſtra interrogabitis de alijs Articulis, qui ad Rempublicam pertinent, & eos cogetis ad eas omnes Interrogationes reſpondere, quæ ſuprà commemoratæ ſunt, aut alias pro Qualitate, & Conditione Perſonæ, quæ examinatur, prout Vobis videbitur. Nam eo ipſo quod recuſant iſti pertinaciter Nobiſcum in Rebus, quæ ad Religionem pertinent, communicare, merito in Suſpicionem vocandi ſunt, tanquam Regiæ Majeſtati inobedientes, & Reipublicæ Statui parùm fideles, immo quod communibus Patriæ Hoſtibus, Papæ nimirùm, & Regi Hiſpaniæ, faveant.

IX. JAM Perſecutionis hujus Formam Praximque inſpicienti Luce meridianâ clariùs patebit, quàm aſtutè *Elizabethæ* conceptum Religionis Catholicæ Odium, & ſollicitum Primatûs Eccleſiæ Deſiderium, Providentiæ, & politici Regiminis Fuco velaverit. Sed, proh! Dolor, cujuſcumque fuerit Coloris hoc Velum, Pallium regale multorum Martyrum Sanguine purpuravit. Sanè fruſtrà celari contenditur, quod ab omnibus prædicatur in Tectis. Ex quo autem *Elizabetha* Primatum iſtum ſibi arripuit, ſemel in Sancta Sanctorum ingredi nonniſi cum multo Sanguine conſtituit. Suggeſtorem porrò ſibi adſcivit *Gulielmum Cecilium* (cujus Origo apud *Anglos* valdè dubia eſt, & incerta) quem per Tranſennam intueri non abs Re erit.

Is igitur obſcuræ Familiæ, ſed Fortunæ Filius, quorundam adjutus Auctoritate contulit ſe in Famulatum *Eduardi Seimeri*, Ducis *Somerſetani*, Regis *Eduardi* VI Avunculi (q), qui *Protectoris* Appellatione univerſis *Eduardi* Regis minorennis Ditionibus Poteſtate regiâ per id Tempus præerat. Huic cùm aliquandiù à Secretis inſerviſſet, & per eum in Conſilium etiam Regium

---

(q) Recolenda nuper dicta Cap. præſ. Num. i. Pag. 597.

um fuiſſet inductus, Permutationi Religionis Catholicæ, quæ eodem Tempore *Somerſetani* præſertim Ducis Auctoritate fiebat, magnoperè cooperatus eſt. Cùm verò Princeps *Maria* Regnum poſt *Eduardum* Fratrem adepta eſſet, Religionis Catholicæ devotiſſima Cultrix (*q*), ut hac Rerum Tempeſtate ſuum ad Commodum uteretur *Cecilius*, ſummum ejuſdem Religionis Catholicæ Zelum ſimulat, Eccleſias frequentat, Miſſarum Solemnijs quotidiè intereſt, Roſarium *Marianum* de Manibus nunquàm, aut rarò deponit, Globulos precarios diligenter verſat, Litanias ſuppliciter cum Sacerdote in Templis recitat, ad Contribules ſuos palàm declarat, ſe *Eduardi* Regis Tempore Errore quidem Juventutis lapſum, ſed modò Veritate perſpectâ reſipuiſſe, & Pænitentiâ ductum rediiſſe ultrà ad Eccleſiæ Catholicæ, ac *Romanæ* Gremium, hortarique ſe omnes ſeriò, ut idipſum faciant, ut qui fortè illum ſecuti ſunt Apoſtatam errantem, ſequantur nunc Pænitentiam agentem. Poſtmodùm verò, vertente per *Mariæ* Obitum Aleâ, cum *Elizabetha* relapſus verſipellis Homo, noviſſimus *Cecilius* factus eſt pejor priore. Hic quippè præcipuus Perſecutionis Auctor, atque Edictorum omnium Suggeſtor, & Scriba fuiſſe perhibetur, quod quidem eo vel maximè verum fuiſſe comprobatur, quod ſingulorum Edictorum Senſus, immò & Verba ipſa, in quodam Libro ſuo *de Juſtitia Britannica* reperiantur.

Hinc in primis Regni *Angliæ* ſub *Elizabetha* Comitijs, ut prætenſi Criminis Proditionis, & læſæ Majeſtatis majorem Fucum præpararet in poſterum contrà Catholicos, Lege ſanciendum curavit, ut omnes conceptis Verbis jurarent: *Reginam eſſe ſupremam in Cauſis Eccleſiaſticis Gubernatricem, ac Judicem, & omnia Jura, ac Poteſtatem Pontificis Romani pro Regnis ſuis in ipſam Comitiorum horum Auctoritate tranſlata eſſe.* Ex quo Fonte omnis illa manavit Multitudo *Proditionum, ac Criminum læſæ Majeſtatis,* quibus *Angliæ Hiberniæque* Catholici deinceps implicati ſunt. Cùm enim totius Negotij ad Religionem pertinentis Jus ad Civilem tranſlatum ſit Magiſtratum, cujus Decretis non obedire Rebellio quædam, ac Perduellio vulgò videtur, facilè effectum fuit, ut omnia fermè Religionis Catholicæ Capita, quæ in Ditionibus hiſce non admittebantur, læſæ Majeſtatis Crimina cenſerentur. Atque hoc *Cecilij* præ cæteris ſubdolâ, malitioſâ, ac planè *Julianâ* Aſtutiâ, ne Catholici propter Fidem afflicti, propter Fidem viderentur pati, quod honorificum eſſet, ſed ob Flagitia, ac Proditiones, odioſiſſimo nimirùm Nomine. Eccè quomodo inveterata antiquorum omnium Apoſtatarum, & Tyrannorum Fraus, ac Malitia in *Cecilio* revixit. Nonnè hoc idem fuit *Julianæ Apoſtatæ* Artificium, ut non Religionis Specie, ſed Facinoris alicujus Intuitu, Chriſtianos perſequeretur, Teſte *S. Gregorio Nazianzeno* in *Oratione contrà Julianum Imperatorem,* his Verbis verè opportunis: *Furebat adversùs Nos nefandus Imperator, ac ne Nos Honores, qui Martyribus haberi ſolent, conſequeremur (has enim Chriſtianis invidebat) primum illius Artificium hoc fuit, ut qui Chriſti Cauſâ patiebantur, tanquàm ſontes, & facinoroſi Cruciatu afficerentur.*

Ex his omnibus perſpicuè apparet, quam ineptè *Titulum Defenſoris Fidei*, à *Leone* X, Pontifice Maximo, *Henrico* VIII ob *Romanam* Fidem à ſe contrà *Lutherum* defenſam (*r*) aſſignatum, *Elizabetha* retinere, & uſurpare voluerit, dùm *Lutheri* Religionem, ab *Henrico* Patre impugnatam, propugnaret, Fidemque *Romanam*, quam ille defendebat, iſta planè demoliretur, ac quibuſcunque Medijs extinguere niteretur.

Ut autem funeſtæ huic de crudeli *Cecilio* Enarrationi Finem imponam, à multis *Hibernis* capiebantur Arma pro Religionis Jure. Hinc Religioſi diſperſi (*s*), Monaſteria, & Eccleſiæ combuſtæ, Sacraria prophanis Manibus direpta, Latifundia vel Laicis, vel Fiſco addicta, & omnia divina pariter & humana ſuſdeque ſubverſa. Quibus Procellis, atque Fluctibus quot propter Legem

---

(*q*) Confer Cap. præf. Num. ii. Pag. 597.

(*r*) Adeas Cap. i. Num. xxi. Pag. 10.

(*s*) Manuſcriptum in Archivo *S. Sixti* de Urbe aſſervatum, cui Titulus: *Compendioſa Notitia Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum ab Anno* 1600, refert quatuor duntaxât fuiſſe Fratres Prædicatores in *Hibernia* Anno 1602, eoſque impetraſſe à *Richardo de Burgo*, Comite *Clanrickardiæ* (inſimulque poſteà Comite *S. Albani* in *Anglia*) Domicilium in Loco, cui Nomen *Eſker*, propè *Athenriam*, quod Fratres noſtri *Athenrienſes* etiamnùm retinent.

gem Chriſti perierint, Superi norunt; & quidem durante longo quadraginta quinque Annorum Regno *Elizabethæ* Reginæ, quæ, ut obiter dicam, Artem quoque diſſimulandi apprimè calluit, quippè quæ plures *Europæ* Principes, ejus Nuptias ambientes, pro Rerum ſuarum Opportunitate inſecavit, ac Spe ineundi Matrimonij lactavit, ſed omnes eluſit Vafritie ſibi congenitâ, nullique nupſit. Obijt porrò Die 4 Aprilis 1603, Ætatis Anno 70. Quàm tecta igitur ſunt Conſilia Numinis! Quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles Viæ ejus! Fidem Catholicam, quæ, *Mariâ* regnante, fauſtis omnibus in hiſce Regnis refloreſcere incipiebat, penitùs extinxit *Elizabetha*, ad Hæreſes, & Novitates propenſiſſima, quodque magis dolendum eſt, patria Fides necdùm hìc reſtituta eſt, & Damna, Eccleſiæ optimæ Parenti per *Henricum*, *Eduardum*, & *Elizabetham* importata, hactenùs reſarciri non potuerunt.

X. *Elizabethâ*, Annis maturâ, & Sanguine ſatiatâ Catholicorum, quem crudeliter effuderat, Anno 1603, ut mox dictum eſt, mortuâ, regnare cæpit *Jacobus*, hujus Nominis *Scotiæ* Rex Sextus, *Angliæ* verò *Hiberniæque* Primus. Hic Principibus omnibus Catholicis Catholicus eſſe, & fore videbatur, utpote nuper (*t*) laudatæ *Mariæ Stuartæ* Reginæ, in Odium Catholicæ Fidei ultimo Supplicio affectæ Fiiius, qui in primis ab eo habitis Regni Comitijs palàm declaravit nimiùm ſeveras eſſe conditas ſub *Elizabetha* Leges adversùs Catholicos (*u*). Hinc ut pridem ajebam (*w*), *Hiberni*, in Spem erecti, Sacras Ædes concinnare, Religioſorum Cænobia reædificare, Cultum divinum priſtino Statui reſtituere non dubitarunt. Item Terra coli, Re ruſticæ Operam dari, Exules redire cæperunt, quando ecce accito ad Regni Gubernacula novo Principe, in Catholicos probè animato, licèt reapsè Heterodoxo, omnem adhibuit Conatum hæretica Induſtria ad *Hiberniæ* Fidem conterendam, & Catholicos extirpandos. Prodijt igitur Die 4 Julij 1605 ſequens Edictum (*x*).

“PER REGEM.

“ Cùm fuerit allatum Nobis, noſtros in Hiberniæ Regno Subditos ab Obitu dilectæ noſtræ Sororis (*y*) Elizabethæ Reginæ, falſo quodam Rumore inter eoſdem temerè divulgato, & diſſipato, ità deceptos eſſe, ut exiſtiment, Nos illius Opinionis, & Ingenij eſſe, ut eis Religionis Optionem faceremus, ſeù daremus Conſcientiæ Libertatem, ſcilicèt Libertatem Legibus, atque Statutis iſtius Regni, atque adeò Religionis Concordiæ, quam Nos conſtanter profeſſi ſumus, contrariam: Eoque effectum eſſe, ut non ſolùm Nos negligentiores, & minùs ſollici judicemur tàm Hibernicæ Eccleſiæ, quàm aliarum Eccleſiarum Adminiſtratione, quarum ſuprema Cura Nobis incumbit, ſed etiam complures Subditorum noſtrorum in iſto Regno jam firmiter Animo conſtituant, & conentur in hac ſuperſtitioſa Contumacia permanere; atqne Jeſuitæ, Seminariſtæ Sacerdotes, & Epiſcopi, alienâ Poteſtate inſtituti, qui per diverſas Regni Partes in Latebris hactenùs delituerunt, nunc autem audaciùs, & arrogantiùs emergentes, ſeque jactantes, Ritibus ſuis utantur; Nos autem, Religionemque noſtram, & Leges noſtras contemnunt. Propterea Nobis quidem viſum eſt omnibus dilectis noſtris in Hibernia Subditis patefacere, & ſignificare, nihil unquàm in poſterum admittere tale, quale (juſta Indignationis Cauſa) eo Rumore, ab ejuſdemque Rumoris Auctoribus circumfertur, vel quo poſſit aliquis Spem concipere, & habere toleratum iri aliam Religionem, qnàm quæ Verbo Dei eſt conſona, noſtrique Regni Legibus ſtabilita. Itàque præſentium Literarum Oraculo Animum noſtrum, atque Voluntatem omnibus noſtris in iſto Regno Subditis expandentes, ſtrictè præcipimus, & imperamus, ut poſthàc omnes, & ſinguli ſuas Parochiales Eccleſias, aut Capellas frequentent, & inibi Officia divina, Verbique Expoſitionem omnibus

---

(*t*) Cap. præſ. Num. ii. Lit. h. Pag. 597.

(*u*) Adeas Cap. præſ. Num. xxxiii.

(*w*) Cap. i. Num. xviii. Pag. 27.

(*x*) Ex *Daniele* noſter *O-Daly*, alias *Dominico de Roſario*, Pag. 232.

(*y*) *Gulielmo Cecil*, de quo nuper dictum eſt, Edictum hoc dictante, *Jacobus*, quaſi a Fonte Perſecutionis Originem ducturus, Obitum commemorat *Elizabethæ*, quam *dilectam Sororem* vocat, dilectam ſanè Sororem, quæ ipſiuſmet *Jacobi* Patrem in Lecto ſuo jugulandum in *Scotia*, & indè Matrem, Pollicitationibus multis accitam, deindè viginti propè Annos in Carcere detentam, ac tandem fictis Criminationibus oppreſſam, Capite plectendam curavit.

“ Dominicis, alijſque Feſtis Diebus auſcultent juxtà Regulam, & Mentem Legum, Sanctionumque noſtrarum, alioquin in Pœnas, & Coerciones, quæ dictis Statutis continentur, quaſque Rigore exequendas eſſe volumus, incidant.

“ Cùm ſit etiam Nobis exploratum, multos Jeſuitas, Seminariſtas Sacerdotes, alioſque Sacerdotes, Auctoritate alienâ inauguratos, per idem Regnum huc illuc divagantes, non ſolùm id intendere, ut Subditos noſtros ad ſuperſtitioſas ſuas Cæremonias amplectendas ſeducant, ſed etiàm malignè machinari, quomodo ab Officio eos avertant, ſtudentes tàm Religionem, quam civilem adminiſtrationem noſtram illis improbare, ſibique Litium, & Cauſarum Conciliationem adjudicantes tàm antè quàm poſt definitivas in noſtris Curijs latas Sententias. Ideò declaramus, ſancimus, atque promulgamus, Voluntatem noſtram regiam & Placitum eſſe, ut omnes Jeſuitæ, Seminariſtæ Sacerdotes, & alij Sacerdotes quicunque, creati, & initiati Auctoritate derivatâ, ſeù quomodocunque à Sede Romana, antè Diem decimum Decembris proximè ſequentis ex iſto noſtro Hiberniæ Regno diſcedant; nec in poſterum ab eodem decimo Decembris Die ulli Jeſuitæ, Seminariſtæ Sacerdotes, aut alij Sacerdotes, Auctoritate alienâ promoti ad Sacros Ordines, in memoratum noſtrum Regnum revertantur: Alioquin illis Indignationis, & Iræ noſtræ Pœnæ, aliæque Pœnæ, & Coerciones, quæ Legibus, & Statutis iſtius Regni poſſunt, & debent infligi, irrogentur. Inſuper eiſdem ſtrictè inhibemus omnibus, & ſingulis in iſto Regno Subditis recipere, aut fovere quoſcunque Jeſuitas, Seminariſtas Sacerdotes, & alios Sacerdotes, qui poſt dictum Diem decimum Decembris vel in iſto Regno permanſerint, vel in illud, aut in aliquam illius Partem denuò rediverint contrà Imperium præſentis noſtra Edicti.

“ Quin etiam ſi aliqui Jeſuitæ, Seminariſtæ Sacerdotes, aut alij Sacerdotes à dicto Die Decembris decimo ſponte in iſto Regno manſerint, aut ad illud, vel ad aliquam ejus Partem remeaverint, aut ſi aliqui ex dictis noſtris Subditis eoſdem Sacerdotes, aut Jeſuitas, in hujus noſtri Decreti Contemptum, exceperint, aut protexerint, expandimus, ſtabilimus, & jubemus, ut tunc omnes, & ſinguli noſtri Prætores, Præfecti, Judices, Lictores, Comiſtabiles, alijque fidi Subditi ſummâ Diligentiâ incumbant ad capiendum Corpora, vel Corpus omnium, & ſingulorum Jeſuitarum, Seminariſtarum Sacerdotum, & aliorum Sacerdotum, externâ Poteſtate inſignitorum, Corpora, vel Corpus deprehenſorum, eoſdem deprehenſos, & eorum ſingulos, in tutos, atque duros Carceres detrudant, donec noſter Prorex, vel ejus Munere fungens, è Sententia Conſiliariorum iſtius Regni, quam ipſis Prudentia præſcripſerit, in illos animadvertat.

“ Verùm enimverò ſi aliqui eorundem Jeſuitarum, Sacerdotum Seminariſtarum, aut quorumlibet Sacerdotum, poſt, vel antè dictum decimum Decembris Diem, apud Proregem, eumve, qui vicariam illius Operam præſtiterit, Gubernatorem, aut quemlibet Conſiliarium Summi iſthic noſtri Conſilij ſeſe dederint, atque adeò voluerunt Eccleſiam noſtram ritè frequentare ſecundùm Regulam, & Mentem noſtrarum Legum, ipſis, & ipſorum ſingulis Jeſuitis, Seminariſtis Sacerdotibus, & alijs Sacerdotibus qui ſeſe ità ſubjecerint, quique fuerint ità aſſenſi, quamdiù in hac Unanimitate permanſerint, liceat in iſto Regno manere, & morari, in illudque reverti, ac omnibus noſtrarum Legum, & regij Patrocinij Beneficijs frui tàm liberè, & abundanter, quàm alijs noſtris Subditis. Datum ex Regia noſtra Weſtmonaſterienſi (z) quarto Die Julij Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quinto, tertio verò noſtri Regni Britanniæ, Galliæ (a), & Hiberniæ, Scotiæ autem trigeſimo nono.

“ VIVAT REX.

“ *Dublinij excuſum à Joanne Frankione, Regiæ Majeſtatis Typographo.*

XI. Hoc

(z) *Weſtmonaſterium*, i. e. Occidentale Monaſterium, Ciuitas eſt *Angliæ*, olim *Londino* uno Milliari diſtans, nunc autem ob interjectas Fabricas eidem contigua. Confer Cap. iii. Num. xii. Lit. f. Pag. 63.

(a) Anno 1431 *Anglorum* Rex *Henricus* VI. in *Pariſienſi* Eccleſia, Beatiſſimæ Virgini *Mariæ* ſacrâ, coronatus fuit Rex *Franciæ*, ut ipſimet fatentur Hiſtorici *Galli*, & noviſſimè *Graveſonus* noſter Hiſt. Eccl. Tom. vi. Colloq. i. Pag. mihi 28. Hunc porrò *Regis Franciæ* Titulum ex eo Tempore Reges *Angliæ* retinent, neque omninò ſinè Re, adhuc enim Inſularum *Normanniæ* adjacentium, quæ vulgò nuncupantur *Jerſey*, & *Guernſey*, latinè *Cæſarea*, & *Sarnia*, pacificum habent Dominium. Confer Cap. præſ. Num. lxxxvi. Lit. g.

XI. Hoc Regis Edictum Executioni mandare properant fanatici Magiſtratus in *Hibernia*, in Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm cujuſvis Ordinis Regulares (quos *Sacerdotes Seminariſtas* Edictum vocat), eoſque potiſſimùm Nobiles, qui his Victum ſuppeditabant, non ſegniter debacchantes. Detonat Perſecutio, furitque in præcipuos quoſdam Regni Proceres, quo tamen Terriculamento cæteri Catholici à Religione orthodoxa palàm profitenda nihil moventur. Inter alia autem ſummoperè conati ſunt Magiſtratus ob omnibus cujuſcunque Statûs Catholicis Juramentum extorquere, ſub *Elizabetha* ſtatutum, haud ità pridem exſcriptum (*b*), cujus Juramenti Formulæ addita ſunt ſub Rege iſto *Jacobo* ſequentia Verba (*c*):

Item Ego A. B. promitto, me deinceps Fidem, & Obedientiam Regiæ Majeſtati, ejuſque Hæredibus, ac legitimis Succeſſoribus præſtiturum, & pro Virili mea adjuturum, & propugnaturum omnes Juriſdictiones, Privilegia, Præeminentias, & Auctoritates, Regiæ Majeſtati, Hæredibus ſuis, ac Succeſſoribus conceſſas, & debitas, ſivè Imperiali bujus Regni Coronæ unitas, & annexas. Sic me Deus adjuvet &c.

Dein Occaſione acceptâ ex Traditione, & Conjuratione, quâ, Domui Parlamentariæ *Londini* tormentariô Pulvere ſuppoſitô, in ipſam Regis Perſonam, & totius Regni *Angliæ* publicos Ordines, à quibuſdam occulto, & ſubdolo *Gulielmi Cecil (d)*, ut fertur, Artificio ad extirpandam omninò Religionem Catholicam permotis, conſpiratum eſt Die 5 Novembris memorati Anni 1605, novam ipſe *Jacobus*, aut ſi mavis *Cecilius*, cuſit Jurisjurandi Formulam, quam Lege, & Decreto publico ſancivit ab omnibus Subditis exigendam, & præſtandam, quamque in jamjam exſcribendis *Pauli* V Pontificis Maximi Literis Apoſtolicis inſertam videbis. Enimverò eâ de Re exortæ ſunt in *Anglia*, & *Hibernia*, inquit *Daniel* noſter *O-Daly (e)*, Diſſentiones variæ, & Opiniones diverſæ inter primores Catholicos, & Theologos, & Eccleſiaſticos, quibuſdam ſtrenuè Juramentum præſtare recuſantibus, alijs ſine Scrupulo Juramentum præſtare properantibus, illudque ad redimendam Vexationem licitum eſſe contendentibus, ſi cum ſola Intentione promittendi, & ſervandi Fidelitatem, & Obedientiam civilem Regiæ Majeſtati, fiat. Verùm Litem hanc diremit laudatus Summus Pontifex *Paulus* V, eo ipſo Anno 1605 electus, iniquum eſſe Jusjurandum declarans, per ſuas Literas in Forma Brevis Die 22 Septembris 1606 datas ad Catholicos *Angliæ*, & *Hiberniæ* in hunc Modum (*f*):

“BREVE PONTIFICIUM

“*Pauli Quinti ad Catholicos Angliæ, & Hiberniæ.*

“Dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“Magno Animi Mærore Nos ſemper affecerunt Tribulationes, & Calamitates, quas pro retinenda Catholica Fide jugiter ſuſtinuiſtis: Sed cùm intelligamus, omnia hoc Tempore magis exacerbari, Afflictio noſtra mirum in Modùm aucta eſt. Accepimus namque, compelli Vos, graviſſimis Pænis propoſitis, Templa Hæreticorum adire, Cætus eorum frequentare, Concionibus illorum intereſſe. Profectò credimus, proculdubiò eos, qui tantâ Conſtantiâ atrociſſimas Perſecutiones, infinitas propemodùm Miſerias hactenùs perpeſſi ſunt, ut immaculatè ambularent in Lege Domini numquàm commiſſuros eſſe, ut coinquinentur Communione Deſertorum divinæ Legis. Nihillominùs Zelo paſtoralis Officij noſtri impulſi, & pro paterna Sollicitudine, quâ de Salute Animarum veſtrarum aſſiduè laboramus, cogimur monere Vos, atque obteſtari, ut nullo Pacto ad Hæreticorum Templa accedatis, aut eorum Conciones audiatis, vel cum ipſis in Ritibus communicetis, ne Dei Iram incurratis.

“Non enim licet Vobis hæc facere ſine Detrimento divini Cultûs, ac veſtræ Salutis. Quemadmodùm etiam non poteſtis abſque evidentiſſima graviſſimaque divini Honoris Injuria obligare Vos Juramento,

---

(*b*) Cap. præſ. Num. iii. Pag: 599.

(*c*) Ex *Daniele O-Dalæo*, Pag. 248.

(*d*) De eo nonnihil Cap. præſ. Num. ix. Pag. 609.

(*e*) Pag. 254.

(*f*) Ex eodem *O-Dalæo*, Pag. 255, & ſeqq.

Cordis noſtri Dolore audivimus propoſitum Vobis fuiſſe præſtandum
" mento, quod ſimiliter maximo cum
" infraſcripti Tenoris, videlicet : *& declaro in Conſcientia mea, coràm*
" *Ego A. B. Verè & ſincerè agnoſco, profiteor, & teſtificor, & verus Rex iſtius*
" *Deo, & Mundo. quod Supremus Dominus noſter Rex Jacobus eſt legitimus, & quod Papa nec per ſeip-*
" *Regni, & omnium aliorum Majeſtatis Suæ Dominiorum, & Terrarum, vel per ulla Media, cum qui-*
" *ſum, nec per ullam aliam Auctoritatem Eccleſiæ, vel Sedis Romanæ, Regem deponendi, vel aliquorum*
" *buſcumque alijs, aliquam Poteſtatem, nec Auctoritatem habeat. vel alicui Principi extraneo ipſum dam-*
" *Majeſtatis Suæ Dominiorum, vel Regnorum diſponendi ; vel ullos Subditorum ſuorum ab eorum*
" *nificare. aut Terras ſuas invadere Auctoritatem concedendi ; aut ullis eorum Licentiam dare Arma con-*
" *Suæ Majeſtati Obedientia, & Subjectione exonerandi, aut Damnum Majeſtatis Suæ Per*
" *trà ipſum gerendi, Tumultus ſeminandi, aut aliquam Violentiam, Item juro ex Cor-*
" *ſonæ, Statui, Regimini, vel aliquibus ſuis Subditis infrà ſua Dominia offerendi. aut Deprivationis*
" *de, quod non obſtante aliquâ Declaratione, vel Sententiâ Excommunicationis, vel per quamcum-*
" *factâ, vel conceſſâ, aut faciendâ, vel concedendâ per Papam, vel Succeſſores ſuos, contrà dictum Regem,*
" *que Auctoritatem derivatam, vel derivari prætenſam ab illo, ſeù à Sede ſua, Subditorum ab eorum*
" *Hæredes ſuos, ac legitimos Succeſſores, vel quàmcumque Abſolutionem dictorum & legitimis Suc-*
" *Obedientia. Fidelitatem tamen, & veram Obedientiam Suæ Majeſtati, Hæredibus, Conſpirationes, & At-*
" *ceſſoribus ſuis præſtabo, ipſumque, & ipſos totis meis Viribus contrà omnes & Dignitatem Ra-*
" *tentata quæcumque, quæ contrà Perſonam illius, vel illorum, eorumque Coronam, omnemque Ope-*
" *tione, vel Colore alicuſus Sententiæ, Declarationis, aut aliàs factà fuerit, defendam, ſuis manifeſtare*
" *ram impendam revelare, & Majeſtati Suæ, Hæredibus, legitimis Succeſſoribus illorum ad Noti-*
" *omnes Proditiones, & proditorias Conſpirationes, quæ contrà illum, aut aliquos & hæreticam*
" *tiam meum pervenerint.*
" *Prætereà juro, quod ex Corde abhorreo, & deteſtor, & abjuro tanquàm impiam, vel deprivati poſſint*
" *hanc Doctrinam & Propoſitionem, quod Principes per Papam excommunicati, in Conſcientia mea*
" *per ſuos Subditos, vel alios quoſcumque deponi, & occidi. Et ulteriùs credo, & aut aliqua ejus*
" *reſolvor, quod nec Papa, nec alius quicunque Poteſtatem habet me ab hoc Juramento, legitime miniſ-*
" *Parte abſolvendi. Quod Juramentum agnoſco rectâ, & plenâ Auctoritate eſſe mihi Hæcque omnia planè,*
" *tratum, omnibuſque Indulgentijs, ac Diſpenſationibus in contrario renuntio. & communem*
" *ac ſinceré àgnoſco, & juro juxtà expreſſa Verba per me hic prolata, & juxtà planum, Evaſione, vel*
" *Senſum, & Intellectum eorundem Verborum, abſque ulla Æquivocatione, aut mentali cordialiter, volun-*
" *ſecreta Reſervatione quacunque. Hancque Recognitionem, & Agnitionem facio*
" *tarie, & vere, in vera Fide Chriſtiani Viri. Sic me Deus adjuvet.* Juramentum, ſal-
" Quæ cúm ità ſint, Vobis ex Verbis ipſis perſpicuum eſſe debet, quod hujuſmodi multa contineat, quæ
" vâ Fide Catholicâ, & Salute Auimarum veſtrarum, præſtari non poteſt, cúm atque ſimilibus Juramen-
" Fidei, & Saluti apertè adverſantur. Prepterea admonemus Vos, ut ab hoc, experti veſtræ Fidei
" tis præſtandis omninò caveatis, quod quidem eo acriùs exigimus à Vobis quia eſt, pro comper-
" Conſtantiam, quæ, tanquàm Aurum in Fornace, perpetuæ Tribulationis Igne probata ac Mortem denique
" to habemus, Vos alacri Animo ſubituros eſſe quæcunque atrociora Tormenta, Et Fiducia noſtra
" ipſam conſtanter appetituros, potiùs quàm Dei Majeſtatem ulla in Re lædatis. noviſſimis his Tem-
" confirmatur ex his, quæ non ſecùs ac in ECCLESIÆ PRIMORDIJS reſplendet
" poribus in MARTYRIBUS VESTRIS. Juſtitiæ, ſumentes Scutum
" State ergò ſuccincti Lumbos Veſtros in Veritate, & induite Loricam Ipſe au-
" Fidei : Confortamini in Domino, & in Potentia Virtutis ejus, nec quicquam Uos detineat : in Vobis cæpit,
" tem qui coronaturus Vos, Certamina veſtra in Cælo intuetur, bonum Opus, quod fidelis enim
" perficiet. Noſtis quia Diſcipulis ſuis promiſit ſe nunquâm relicturum illos Orphanos ; quidquid
" eſt, qui promiſit. Retinete igitur Diſciplinam ejus, hoc eſt, radicati, & fundati in Charitate, aut Hæſi-
" agitis, quidquid conamini, in Simplicitate Cordis, Unitate Spiritûs, ſine Murmuratione, ſi Di-
" ratione, unanimes facite. Siquidem in hoc cognoſcent omnes, quia Diſcipuli Chriſti ſumus, maximè
" lectionem ad invicem habuerimus. Quæ quidem Charitas cùm ſit omnibus Chriſtifidelibus Diabo-
" appetenda, Vobis certè, dilectiſſimi Filij, prorſùs neceſſaria eſt. Hac enim veſtrâ Charitate atque
" li Potentia infringitur, qui nunc adverſùs Vos tantoperè inſurgit, cùm ipſa Contentionibus,
" Diſſidijs noſtrorum Filiorum præcipuè nitatur. æternæ Mortis
" Hortamur itàque Vos per Viſcera Domini Jeſu Chriſti, cujus Charitate è Faucibus Vobis Præ-
" erepti ſumus, ut ante omnia mutuam inter Vos Charitatem habeatis. Præſcripſit ſanè

" cepta

cepta maximè utilia de fraterna Charitate viciſſim exercendâ felicis Recordationis Clemens Papa Octavus ſuis Literis in Forma Brevis ad dilectum Filium Magiſtrum Georgium Archipreſbyterum Regni Angliæ datis Die quinta Menſis Octobris 1603. Ea igitur diligenter exequimini, & ne ulla Difficultate aut Ambiguitate remoremini, præcipimus Vobis, ut illarum Literarum Verba adamuſſim ſervetis, & ſimpliciter, prout ſonant, & jacent, accipiatis, & intelligatis, ſublatâ omni Facultate aliter illa interpretandi. Interim Nos nunquàm ceſſabimus Deum Patrem Miſericordiarum precari, ut Afflictiones, & Labores veſtros clementer reſpiciat, ac Vos continuâ Protectione cuſtodiat, atque defendat, quibus Apoſtolicam Benedictionem noſtram clementer impertimur. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcatoris Decimo Kalendas Octobris MDCVI, Pontificatùs noſtri Anno Secundo.

XII. Quia verò nonnulli eo Tempore, ad Catholicos fortaſſe decipiendos, ne illâ Occaſione Juramentum recuſarent, Rumores in *Anglia* ſparſerunt, quibus Fidem Literarum illarum Apoſtolicarum ſuſpectam redderent, dicentes, Breve illud non ex Animi Sententiâ, propriâque Voluntate ipſius Pontificis, ſed aliorum potiùs Intuitu, atque Induſtriâ ſcriptum fuiſſe, idcircò laudatus *Paulus* Papa V Anno ſequenti Die item 22 Septembris ſecundas conſcripſit Literas, quibus priorum Veritas perſpicuiùs appareret. Earum porrò Tenor eſt, qui ſequitur (g):

“ *Secundum Breve Apoſtolicum Pauli Papæ Quinti.*

“ Dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Renunciatum eſt Nobis, reperiri nonnullos apud Vos, qui cùm ſatis declaraverimus per Literas noſtras Anno ſuperiori Decimo Kalendas Octobris in Forma Brevis datas, Vos tutâ Conſcientiâ præſtare non poſſe Juramentum, quod à Vobis tunc exigebatur, & prætereà ſtrictè præceperimus, ne ullo Modo illud præſtaretis, nunc dicere audent, hujuſmodi Literas de prohibitione Juramenti non ex Animi Sententia, noſtraque propria Voluntate ſcriptas fuiſſe, ſed potiùs aliorum Intuitu, atque Induſtria: Eaque de Cauſa ijſdem perſuadere nituntur, Mandata noſtra in dictis Literis non eſſe attendenda. Perturbavit ſanè Nos hit Nuntius, eòque magis quia experti Obedientiam veſtram, Filij noſtri unicè dilecti, qui ut huic Sanctæ Sedi obediretis, Opes, Facultates, Dignitatem, Libertatem, Vitam denique ipſam PIE AC GENEROSE NIHILI FECISTIS, nunquàm ſuſpicati eſſemus potuiſſe vocari apud Vos in Dubium Fidem Literarum noſtrarum Apoſtolicarum, ut hoc Prætextu Vos ex Mandatis noſtris eximeretis. Verum agnoſcimus Verſutiam & Fraudem Hoſtis humanæ Salutis, eique potiùs quàm veſtræ Voluntati tribuimus hanc Renitentiam. Eapropter iterùm ad Vos ſcribere decrevimus, ac denuò Vobis ſignificare, Literas noſtras Apoſtolicas Anno præterito Decimo Kalendas Octobris datas de Prohibitione Juramenti, non ſolùm Motu proprio, & certa noſtra Scientia, verùm etiam poſt longam, & gravem Deliberationem de omnibus, quæ in illis continentur, adhibitam, fuiſſe ſcriptas; & ob id teneri Vos illas omninò obſervare, omni Interpretatione ſecùs-ſuadente rejectâ. Hæc autem eſt mera, pura, integraque Voluntas noſtra, qui de veſtra Salute ſolliciti, ſemper cogitamus ea, quæ Vobis expediunt. Et ut Cogitationes, & Conſilia noſtra illuminet is â quo Chriſtiano Gregi cuſtodiendo noſtra fuit præpoſita Humilitas, indeſinenter oramus; quem etiam jugiter precamur, ut in Vobis, Filijs noſtrls ſummoperè dilectis, Fidem, Conſtantiam, mutuamque inter Vos Charitatem, & Pacem augeat. Quibus omnibus cum omni Charitatis Affectu peramanter benedicimus. Datum Romæ apud S. Marcum ſub Annulo Piſcaroris Decimo Kalendas Octobris MDCVII, Pontificatùs noſtri Anno Tertio.”

XIII. Porrò Literæ hæ Pontificiæ uſque adeo *Jacobum* Regem torſere, ut coactus fuerit Librum quendam Apologeticum in Jurisjurandi ſui Defenſionem ſcribere, in quo id ſibi Negotij incumbere profitetur, ut *Injuſtitias Romani Pontificis, interdicentis Subditis ſuis Obedientiam, toti Orbi*, ut ipſe ait, *proloquatur*; Et hac Ratione duo à ſe præſtanda proponit: *Primum* (inquit) *eſt, ut prabarem, in Sacramento Fidelitatis nihil aliud quâm Obedientiam merê civilem, & ſæcularem, Summis Principibus à Subditis debitam, contineri. Alterum, ut oſtenderem, hanc* in

---

(g) Ex eadem *O-Dalæo*, Pag. 262, & ſeqq.

in Reges Poteſtatem, à Pontificibus iniquê uſurpatam, cum Scripturis, Patribus, & Concilis pugnare. Cæterùm ſi doctiſſimam ea de Re Diſputationem, & *Jacobi* Regis Apologiam egregiè exagitatam videre aveas, adeas *P. Suarez* Lib. III & IV *Defenſionis Fidei Catholicæ adverſùs Anglicanæ Sectæ Errores.* Ipſe enim hic Loci Hiſtoricum duntaxàt ago.

INTENTO autem hiſce Lucubrationibus Rege *Jacobo*, Integrum fermè elapſum eſt Quadriennium ſine magno Perſecutionis Strepitu, nec tamen magnæ Quietis, aut Reſpirationis data eſt Catholicis Facultas, ſed Minis quibuſdam, & Murmure interjectis cum illis quandoque acriùs, quandoque mitiùs, agebatur: Atque communem Afflictionem, & perſequentium Furorem lucida quædam Intervalla ſedabant, donec ad Annum 1610 ventum eſt, tunc quippè Perſecutio in *Hibernia* denuò renovata eſt, fortiùſque urgebat. Hinc ſequens Proregis *Angli*, Equitis nempè *Arthuri Ciceſtrij*, vulgò *Chicheſter* (poſtmodùm Baronis *Belfáſtæ*, Comitum *Donegalæ* in *Hibernia* Progenitoris) atque Sanctioris Regni *Hiberniæ* Conſilij, promulgatum Edictum Die 10 Julij 1610 (*b*).

“ *Per Dominum Proregem, & Conſilium.*

“ ARTHURUS CHICHESTER (*i*).

“ Sereniſſima Majeſtas Regis Domini Noſtri (cujus diligens Studium in Utilitate ſuorum Subditorum procuranda ſemper vigilat) reputans præcipuum Subjectorum Officium, & Obſequium in eo conſiſtere, ut & Dominium ſuum ejuſque Principatum, & Patriam propriam charamque tueantur: Et ſuâ regiâ Providentiâ, Prudentiâque prævidens Ruinam univerſi hujus Regni Reipublicæ imminentem, his maximè Temporibus, quibus diverſi Alienigenæ, & Indigenæ perfidi (maximè ingrati) Regni Pacem Tranquillitatemque perturbare conantur, ad hæc Auſa moti Lue, atque Infectione, receptâ à Sacerdotibus, atque Seminariſtis hoc Regnum frequentantibus, & eo Titulo, quod Fidem, Doctrinamque doceant, Hominum Animos ab Obſervantia Regi Supremoque Domino debitâ, avertentibus, poſt longam Deliberationem utrumque, quoad fieri poteſt, antevertere ſtatuit, tùm Periculum Saluti Animarum, tùm Excidium Reipublicæ impendens, ſi his Sacerdotibus (ſeditioſis Nervis Papæ, Hoſtis regiæ Majeſtatis, & Ditionis ejus) Subditorum Conſcientias afficere Moleſtiâ, Fidelitatemque tentare, amovendo eos à Fide, & vero Dei Cultu, ut ſuperſtitioſi, & Idolatræ fiant. Cui quidem Malo eò citiùs oportet Curationem admovere, quod regij Subditi nimis licentioſè Regiones exteras petant, neque, cum diſcedunt, eundi Facultatem, aut Conſilium exorantes, neque, cùm revertuntur, reddentes Rationem ubinam fuerint, immò potiùs contrà, moniti à Parentibus ſuis, Religionis in Cauſa non ſatis æquis, interdùm eligant ſibi Seminaria, Eccleſiæ Romanæ Auctoritate condita, non aliam ob Cauſam. niſi ut ibi educentur in ea Fide, & Religione, quæ Regiæ Majeſtati obtemperandum non eſſe ſuadet, Rem planè contrariam Chriſtianæ Adminiſtrationi cujuſvis Regni Legibus benè conſtituti, & ex quo Occaſiones omnes inducturæ in Juventutis Animos quamlibet Religionem adverſam illi, quæ publicè obſervatur, omni Conatu debent extirpari, quamvis in aliquibus Caſibus cum ijs, qui ſecùs fecerint, clementer fuerit actum: Idcircò Regia Majeſtas compluribus Literis ſua regiâ Manu ſubſignatis, juſſit Nos Proregem, & Conſilium, ut Edicto publico Regiam ſuam Voluntatem hac in Re patefaceremus. Juxtà quod,

“ Nos Regiæ Majeſtatis Nomine, & ſpeciali, ac expreſſo Juſſu interdicimus omnibus, & ſingulis Regis Subjectis, in hoc Regno natis, cujuſcunque Conditionis, & Statûs ſint, præter Mercatores, & Nautas, eorumque Inſtitores, & Diſcipulos, ne unquàm in poſterum, niſi Poteſtate factâ priùs á Prorege, vel ab alio principali Præfecto Regni hujus, ab hoc Hiberniæ Regno in alia Regna, Terras, vel Ditiones cujuſcunque externi Regis, Principis, Reipublicæ, vel Dominationis proficiſcantur. Alioquin incurrant Pænam regiæ Indignationis, & alias, quæ Legibus, & Statutis hujus Regni ſimilibus Tranſgreſſoribus æquiſſimè poſſunt irrogari.

“ Prætera Regiæ Majeſtatis Nomine, & Imperio monemus, atque divulgamus, eum eſſe Regis manifeſtum Animum, ut nullus Hiberniæ Regni Vir illuſtris, aut nobilis, deinceps mittat, aut curet mittendos eſſe ſuos Filios, Conſanguineos, vel Amicos in aliquod Regnum, Ditionem, Dominationem externi Regis, Principis, Reipublicæ, vel Moderatoris, Prætextu viſendi Terras, Literis Operam

“ navandi,

(*b*) Ex eodem *O-Dalæo*, Pag. 267, & ſeqq.

(*i*) Confer Cap. i. Num. xiiii Lit. y. Pag. 19.

“ navandi, vel in Bello Stipendium faciendi, ſine Poteſtate clarè factâ à Prorege, vel ab alio ex principa-
“ libus Præfectis hujus Regni: Atque nunc etiam injungimus, & præcipimus omnibus Præfectis, & alijs
“ Officialibus, & Miniſtris ordinarijs Portuum, Locorumque maritimorum in hoc Regno, ut detineant,
“ & capiant omnes, & ſingulos, qui ad Portus dictos, Locaque maritima pervenerint Animo migrandi ex
“ hoc Regno contrà Mentem hujus Conſtitutionis, eoſdemque cònjectos in Carcerem cuſtodiant, donec
“ dent idoneos Vades ſiſtendi ſe ante Proregem, & Conſilium, ut Tranſgreſſionis ſuæ in hac Re Ratio-
“ nem reddant.

“ Inſuper Regia Majeſtas Vigore regiæ ſuæ Prærogativæ injungit, & imperat omnibus, atque ſingulis
“ Nobilibus, atque Mercatoribus hujus Regni, ut revocent, & reverti faciant in hoc Regnum, aut in
“ Angliam, omnes ſuos Filios, & Conſanguineos, qui erudiuntur, & Literis incumbunt in quocunque
“ Regno, Terrâve ſubdita cuicunque Regi, Principi, Reipublicæ, Dominationique alienis, ità ut dicti
“ Filij, Conſanguineique omnes, & eorum ſinguli intrà Annum unum ab hujus Decreti Sanctione redeant
“ in hoc, aut in Angliæ Regnum. Quod ſi aliquis eorum remeare noluerit ante hoc conſtitutum Tem-
“ pus, in eo Caſu Parentes, & Conſanguinei nihil ei ad Victum ſuppeditandum directè, vel indirectè
“ mittant ſub Pæna Indignationis Regiæ Majeſtatis, aliorumque Suppliciorum, quibus juſtiſſimè poſſunt
“ affligi Contemptores Regiæ Conſtitutionis, & Prærogativæ. Datum Dublinij in Arce Regia decimo
“ Die Julij Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimo

“ DEUS SERVET REGEM.

“ *Dublinij excuſum à Joanne Frankione Regiæ Majeſtatis Typographo in Hibernia Anno*
“ 1610.”

XIV. **Fanatici** per *Hiberniam* Magiſtratus Edictum hoc rigoroſæ mandabant Executioni, quando his longè horribilior, atque immanior ſupervenit Tyrannus, quidam nempè *Andreas Knox*, Natione *Scotus*, Acatholicus Epiſcopus *Orcadenſis*, ſivè *Orcadum* Inſularum, *Scotiæ* adjacientum, quem *Jacobus* Rex ad *Rapotenſem* in *Hibernia* Diæceſim Die 26 Junij 1611 inauſpicatò tranſtulit, eundem Supremum ſuum Epiſcopum vocans, unumque è Conſiliarijs Regni conſtituens. Nactus *Andreas* iſte *Knox* à Rege Poteſtatem radicitùs evellendi in *Hibernia* Orthodoxam Fidem, in ejuſque Locum heterodoxa inducendi Dògmata, nullum non movit Lapidem, ut omnia Sacroſanctæ Religionis Catholicæ deleret Veſtigia, omnemque ejus Memoriam funditùs obliteraret.

In *Hiberniam* igitur prælibato Anno appulſus tanti Sceleris Molitor, *Dublinij* Conſilij ſui, Legationiſque Rationem Proregi, Equiti nimirùm *Arthuro Ciceſtrio*, mox memorato, de More aperuit. Cui Prorex ait (*k*): *Rem arduam, atque difficilem, Knoxe Reverendiſſime, ſuſcepiſti. Noli exiſtimare Hibernos in ſua Papiſtica Lege, pari eſſe cum Scotis tuis, aut cum Anglis meis Animi Mobilitate, & Inconſtantiâ. Mihi quidem minimè videris eos à Papæ Partibus, Amicitiâ, Veneratione, & Legibus ſubducturus, quos Angli Septuaginta, & amplius, Annos ab hac Opinione fruſtrà avertere conati ſunt. Quo magis urgemus, eo tenaciores, atque firmiores illi ſe gerunt. Verùm quia Juriſdictio tibi Auctoritate Regiâ delegata eſt, feliciter Officio fungere. Quid valeas experiamur. Ego tibt non deero.* Ad hæc Epiſcopus iſte: *Finem, Excellentiſſime Prorex,* inquit, *forſitan laudabis. Ego ſciam Obſtinationem eorum egregiè excipere, & afficere. Dignis Pænis efficiam, ut nequiſſimi Papiſtæ ſemper memincrint mei, unoque Ore Papam, ejuſque Superſtitiones diris Imprecationibus proſequantur. Medicinam adhibebo longè acerbiorem ijs, quas hactenùs experti ſunt; quaſque cùm videris, priorcs fuiſſe blandiſſimas, atque ſuaviſſimas non inficiaberis.*

Mox Truculentiâ, quam Animo machinabatur, fretus, per totum Regnum Edicta promulgari fecit in hæc Verba ex anglico Sermone latinè reddita (*l*):

1. *Omnes Papiſtæ Religioſi, Sacerdoteſque illicò è Regno exeant, vel Morte puniantur* (*m*).

(*k*) Videſis *Porterum*, in *Compendio Annalium Ecclef. Hiberniæ*, Pag. 248.

(*l*) Videſis *O-Dalæum*, Pag. 280; & *Porterum*, Pag. 249.

(*m*) Confer Num. xxxix. Cap. præſ. Sect. 5.

2. *Nemo Filium, Propinquumve ſuum in transmarina Seminaria navatum Literis Operam deinceps mittat, & ſuos quiſque intrà Annum revocet, ſin minùs Bonorum Publicatione coerceatur* (*n*).

3. *Nullus Papiſtarum in toto Regno Magiſtri, Præceptoriſve Munere fungi, publicève legere, vel docere audeat* (*o*).

4. *Qui Eccleſiaſticum Papiſtam Domum, vel in Villam ſuam receperit, aut quocunque Modo foverit, Fiſco Bona ejus addicantur* (*p*).

5. *Omnes noſtris Sacrificijs, Cæremonijs, tque Concionibus Dominicis Diebus, reliquiſque Feſtis interſint.*

6. *Templa, Bello diruta, Papiſtarum Sumptibus Cultui Religionis noſtræ reædificentur.*

XV. Præterea, idem *Knox* Archiepiſcopos, & Epiſcopos Proteſtantes graviter reprehendit quod in Regia Secta, ejuſque Dogmatibus propagandis adhuc ſegnes fuerint, & ut impoſterùm vigilantiores ſint, Pænas pecuniarias irrogat. Quatuor autem Archiepiſcopi iſti, Damnis coerciti, Convitijſque correpti, *Dublinium* conveniunt, ubi celebrato Concilio Decreta faciunt, & ad ea exequenda, & ſervanda, atque ſuis reſpectivè Suffraganeis injungenda, ſe Jurisjurandi Religione adſtringunt. Decreta autem ſunt Tenoris ſequentis (*q*):

1. *Eccleſiaſtici Regij Præſules, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, in ſua quiſque Diæceſi, reſideant: Omnes ſuæ Jurisdictionis Eccleſias ſemel ſaltem in Anno per ſe viſitent, Regulas, atque Sanctiones, quæ ad Sectarum Propugnationem, Papiſtarumque Extirpationem conducere videantur, conſtituentes.*

2. *Nullus in Album Miniſtrorum* (*r*), *niſi qui Proregi probetur, & ab eodem Inſtrumentum publicum habeat, regio Signo corroboratum, adſcribatur.*

3. *Præſules, atque Miniſtri, Juramentum Regij Principatus* (*s*) *in Eccleſia Parochianis, & Subditis ſuis deferant.*

4. *Catalogus eorum, qui Juramentum hoc præſtare recuſaverint, qui noſtris Cæremonijs, & Eccleſijs non interfuerint, qui Sacerdotes Papiſtas protexerint, qui per alios, quàm per Miniſtros, Infantes ſuos baptizari, aut Mortuos ſepeliri fecerint, aliave, qnàm Miniſtrorum Auctoritate Matrimonia contraxerint, ad Proregem tertio quoque Menſe mittantur.*

5. *In Singulis Diæceſibus graviorum Literarum Studia, in minoribus vero Oppidis Rudimentorum Scholæ à Magiſtris Proteſtantibus habeantur. Templa Expenſis Recuſantium* (*t*) *concinnentur, & in illis Biblia in vulgarem Sermonem tranſlata eſto. Ità Religionis Anglicanæ Ritus inducantur.*

XVI. Post emanata hæc Decreta, quàm mæſtum, candide Lector, quàmque luctuoſum cerneres Spectaculum! Ubi fuerunt promulgata, Heterodoxi ea adamuſsìm exequi feſtinant, neque Prorex quidem defuit. Mareſcallos quippè, Lictores, Milites, Sicarios nequiſſimos, atque lutulentiſſimos, qui Orthodoxos Hæterodoxis Clericis obedire cogant, per Oppida, Villas, Agros diſtribuit, in Vijs, & Semitis conſtituit. Hi Catholicos ad Acatholica Templa frequentanda, auſcultanda Dogmata, *Proteſtantemque* Sectam amplectendam adſtringere ſtudent. Orthodoxi quod Scelera hæc admittere renuant, ad inſcitas rediguntur. Mulctis afflicti in Carcerem, & Vincula conjiciuntur, ſed Reorum tot Examinibus capiendis Carceres minimè ſufficiunt. In Semeſtribus Comitijs, aut Quaternis Seſſionibua (*u*) ſiſtuntur, indeque Duodecim Virorum Judicium ſubire coguntur. Quos inter alij Bonis ſpoliantur, alij in Exilium mittuntur, alij Capite plectuntur, uno Verbo, de omnibus, quàm acerbiſſimè, & crudeliſſimè decernitur. Leniſſimi, atque miſericordiſſimi *Proteſtantes* ſibi videntur, ſi Patresfamilias, quantumvis pauperes, dnobus Nummis argenteis, quos *Regales* (*w*) nominant, ſingulis Diebus Dominicis, & Feſtivis, quibus *proteſtantibus* non interfuerint Cæremonijs, puniant, nobiliores verò, & ditiores, Pænis majoribus damnent.

Imagi

(*n*) Confer Num. xxxix. Cap. præſ. Sect. 6, 45, & 56.

(*o*) Cònfer Num, xxxix. Cap. præſ. Sect. 45, & 46.

(*p*) Confer Num. xxxix. Cap. præſ. Sect; 9.

(*q*) Adeas, ſi libet, *Porterum*, Pag. 249, & ſeq.

(*r*) *Proteſtautes* Sacerdotes ſuos vocant *Miniſtros.*

(*s*) Id eſt, Juramentum *Suprematiæ* paulò antè exſcriptum Num. iii. Pag. 599.

(*t*) *Recuſantes* vocabantur qui Templa Acatholicorum adire renuebant, aut Juramenta præſtare. Adeas Num. xxix. Cap. præſ.

(*u*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*w*) Nunc vulgò nuncupantur *Coronæ* ejuſdem Valoris ac Scuta *Romana*.

IMAGINIBUS ſacris minimè parcunt, Sacerdotalia Veſtimenta, cæteraſque Res, ad Miſſarum Solemnia, divinumque Cultum dicatas, rapiunt. Catholicorum Domos diripientes, aureos, & argenteos Scyphos, Aulæaque pretioſa, ſub eo Prætextu, quod ſint Calices, Patenæ, ac Eccleſiarum Ornamenta, & id Genus alia, in Dei Honorem deſtinata, ſibi adjudicant. Sacerdotes tàm Sæculares, quàm Regulares, ut Neci tradant, quàm diligentiſſimè diſquirunt. *Hibernos* Præceptores, & Doctores Officio removent, & fugant. Literarum Studiſos Exitu ad tranſmarina Collegia, & Catholica Gymnaſia, prohibere ſummopere conantur.

Eò Impietatis proceditur, ut, Authore R. P. *Conneo* (*x*), quidam Regius Conſiliarius jactaverit, omnem ſuam Suppellectilem argenteam, & quidem ſplendidam, eſſe Calices, Patenas, Reliquiaria, & Vaſa, quæ orthodoxo divinarum Rerum Honori devota erant. Quidamque *Proteſtans* Epiſcopus, Religionem Catholicam, ejuſque Ritus, & Sacerdotum Ornamenta irridens, e Sacra Caſula, ſeù Planeta, Femoralia ſibi fecit, ſed inauſpicatò, *nam ea vix induit cum Igne concepto conflagrarunt, & Sacrilegus in multorum Conſpectu comburitur, Socijs eum Veſte fruſtra exueuntibus* (*y*). Ut nihil dicam de Imagine Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, quæ *Colranæ* apud Fratres Prædicatores miraculosè præſervata fuit haud obſtantibus impijs Conatibus *Bruti Babington*, Angli, Acatholici Epiſcopi *Derienſis*, qui indè Animam perdidit, ut alibi opportunè referebam (*z*).

XVII. DECRETIS iſtis, & Edictis emanatis, ac omnimodæ Executioni mandatis, & quidem omninò præter Leges, ſeù Acta *Parlamenti* (*a*), ut vocant, quod ab Anno 1586 (*b*) non ſederat, Senatores, ſeù Parlamentarij Catholici (*c*) enixè præſtolabantur novam *Parlamenti* Convocationem, quæ tandem aliquandò pro Die 18 Maij 1613 indicta fuit. Cùm autem intereà Temporis minimè compertum haberent Senatores Catholici, quibus de Rebus moliendæ forent Leges ab Heterodoxis, variè angebantur, intentiſſimâ Cogitatione diſtracti. Verùm poſt non minùs diligentem quàm longam Inveſtigationem, hoc invenerunt ab Heterodoxis excogitatum, ut in proximè futuris Comitijs reciperet Legis Vigorem. En autem ipſiſſima Verba ab Anglicano Idiomate in Latinum verſa (*d*).

“ 1. Cùm multi, qui ſe profitentur eſſe, ſeque appellant Archiepiſcopos, & Epiſcopos, Vicarios Generales, Decanos, Archidiaconos, Fratres, Jeſuitas, Preſbyteros, Seminariſtas, & alios Clericos, ac qui in tranſmarinis Locis Sacris Ordinibus initiati fuerunt, initianturque, ſecundùm Conſuetudinem, & Ritus Romanæ Synagogæ, paucis abhinc Annis in Hiberniæ Regnum, aliaſque Regiæ Suæ Majeſtatis Ditiones venerint, miſſique fuerint, & indiès plures veniant, atque mittantur, non aliò Conſilio (ſicut tùm ipſorum Examine, & Confeſſione, tùm alijs varijs, & Manifeſtis Vijs, atque Probationibus compertum eſt) quàm ut non ſolùm Subditorum Animos à Rege avertant cum ingenti ejus Periculo, ſed etiam ut Ruinam, & Excidium, ac Interitum univerſo Regno afferant, niſi hæc Mala tempeſtivè avertantur. Idcircò in Damni hujus Remedium, à Rege, Dignitatibus Eccleſiaſticis, & Laicis, in Parlamentum hoc convocatis, & ipſius Parlamenti Auctoritate cavetur, ut omnes, & ſinguli Archiepiſcopi, Epiſcopi, Vicarij Generales, Decani, Archidiaconi, Fratres, Jeſuitæ, Preſbyteri, Seminariſtæ, alijque Clerici quicunque, inaugurati alibi quam in Hibernia, alijſve in Ditionibus Regiæ Suæ Majeſtatis Regnis, & Ditionibus, Auctoritate aliquâ, & Poteſtate derivatâ, vel derivandâ à Sede Romana poſt Annum Vigeſimum ſeptimum (*e*) Regni noſtræ Supremæ Dominæ Elizabethæ Reginæ defunctæ, ab Hoc *Hiberniæ*, Regno, cæteriſque omnibus Regnis, & Ditionibus Regiæ Majeſtatis Suæ, antè Diem quadrageſimum poſt hoc Parlamentum diſcedant, dummodò Ventum, & Navigationem commodè nanciſcantur (*f*).

(*x*) Apud *Porterum*, Pag. 251.

(*y*) Verba ſunt *Porteri*, mox laudati, Pag. 252.

(*z*) Cap ix. §. xii. Num. v. Pag. 245.

(*a*) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*b*) *Waræus*, in *Annalibus Hiberniæ*, ad Annum 1586, & ſeqq.

(*c*) Tunc temporis Catholici Poteſtate legiſlativâ nondùm exuti fuerunt.

(*d*) Videſis *Porterum*, Pag. 253, & ſeqq.

(*e*) Id eſt, A. D. 1586, quo ultimum ſederat Parlamentum.

(*f*) Confer Num. xxxix. Cap. præſ. Sect. 5.

“ 2. Item dictâ eâdem Auctoritate ſancitur, ne alicui Archiepiſcopo, Epiſcopo, Vicario Generali, Decano, Archidiacono, Fratri, Jeſuitæ, Clerico, Seminariſtæ, vel ali, Clerico Religioſo, vel alicui Eccleſiaſtico, poſt dictum Annum vigeſimum ſeptimum Regni noſtræ Supremæ Dominæ *Elizabethæ* Reginæ defunctæ, ſacris Ordinibus inſignito, vel inſigniendo, Religionem profeſſuro, Auctoritate, & Poteſtate derivatâ, vel derivandâ à Sede Romana, cujuſcunque Nominis, Tituli, & Gradûs fuerit, liceat venire in aliquem locum hujus Regni, aut alterius cujuſcunque Ditionis Regiæ Suæ Majeſtatis, in illove agere, vel morari poſt Tempus dictorum quadraginta Dierum, præterquàm in Caſibus ſpecialibus, peculiari Causâ, & per Tempus in hoc Decreto definitum. Sique aliquis Archiepiſcopus, Epiſcopus, Vicarius Generalis, Decanus, Archidiaconus, Frater, Jeſuita, Preſbyter, Seminariſta, vel alius Clericus ex ſupradictis contravenerit, quoties in hoc incurrerit, toties læſæ Majeſtatis reus habeatur, tanquàm perfidus judicetur, puniatur, Bonorumque Publicatione carceretur. Et quicunque poſt Spatium horum quadraginta Dierum ſciens receperit, foverit, vel hoſpitatus fuerit aliquem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Vicarium Generalem, Decanum, Archidiaconum, Fratrem, Jeſuitam, Clericum, Seminariſtam, vel alium Clericum Religioſum, aut aliquem Eccleſiaſticum, primûm mulctetur quadraginta Nummis aureis *(g)*, Fiſco adjudicandis. Si verò ſecundò de hoc Crimine fuerit convictus, puniatur Pænis Legis, *Præmunire*, in Anglia latæ Anno Decimo-ſexto Regni Regis Richardi Secundi (*h*). Si denique tertiò Crimen hoc incurrerit, tunc flagitioſus judicatus, Morte, Bonorumque Publicatione plectatur tanquàm læſe Majeſtatis reus, Beneficio Doctrinæ (*i*) non opitulante.

“ 3. Præterea eâdem Authoritate jubetur, ut ſi ex Regi Subjectis aliquis, qui non ſit Archiepiſcopus, Epiſcopus, Vicarius Generalis, Decanus, Archidiaconus, Frater, Jeſuita, Clericus, Seminariſta, vel alius Clericus Religioſus, aut aliquis Eccleſiaſticus, fuerit Literis eruditus, vel erudiendus, in aliquo Jeſuitarum Collegio, vel Seminario, condito, vel condendo, in tranſmarinis Locis, aut agat in externis Regionibus, intrà ſex Menſes ab hoc Parlamento perfecto, & Pragmaticâ hac de Re promulgandâ in Urbe *Dublinienſi* ſub Magno *Hiberniæ* Sigillo, redeat in hoc Regnum, ſtatim intrà decem Dies coràm Epiſcopo Diæceſis, vel duobus Judicibus Pacis Loci, in quem appulerit, ſe Regiæ Suæ Majeſtati, ejuſque Legibus ſubmittat, juretque Juramentum Regij Principatus in Re tàm ſpirituali, quàm temporali *(k)*, juxrà Edictum ſancitum in hoc Regno, Anno Secundi Regni *Elizabethæ* Reginæ *(A.D.* 1559). Qui verò veniens, & rediens in hoc Regnum, vel in eo agens noluerit ſe ſubmittere, & jurare hoc Juramentum, perfidus judicetur, patiatur, & ejus Bona Fiſco adjudicentur ob Crimen læſæ Majeſtatis.

“ 4. Eadem denique Authoritate conſtituitur, ut quicunque ex Regis Subditis, dictis quadraginta Diebus præteritis, Commutatione, vel aliquâ aliâ Re, directè, vel indirectè, ſciens aliquid portaverit, dederit, miſerit, portarive, dari, mitti fecerit ad aliquem Literis Operam navantem in aliquo Jeſuitarum Collegio vel Seminario, perfidus judicetur, patiatur, Boniſque mulctetur tanquàm læſæ Majeſtatis convictus.”

XVIII. His annexa ſuut quædam Monita, Judicio Proregis, & Sanctioris Conſilij propoſita, ex quibus ea, quæ ad Perſecutionis Stylum pertinere videntur, exhibet *Daniel* noſter *O-Daly* (*l*), in hunc Modum:

1. *Caveatur, ut Sacerdotes in Exilium mittantur.*
2. *In Arce aliquot Loca, Portaque Nobilibus Viris, qui Cuſtodiæ mandantur, concinnentur.*
3. *Otioſis adimantur Arma.*
4. *De Connubijs inter* Hibernos, & Scotos (*m*).

5. Georgius

(g) Nunc vulgo vocantur *Guineæ*, quarum unâ Valoris eſt quatuor Scutorum Monetæ *Romanæ*.

(*h*) Hoc eſt, A. D. 1393. Porrò Legis *Præmunire* Pæna conſiſtit in perpetuo Exilio, & Confiſcatione omnium Bonorum, ut magis infrà explicabitur Cap. præſ. Num. xxxix. Sect. 12.

(i) Si convictus de quibuſdam Criminibus Capitalibus legeret coràm Ordinario Loci unum alterumve Bibliæ Latinæ Verſum, dicente Ordinario: *Legit ut Clerius*, Pænam Mortis evaderet juxtà Statutum apud *Anglos Hibernoſque* vigens ad promovendam Doctrinam, indèque nuncupatum *Beneficium Doctrinæ*, aliàs *Beneficium Cleri.*

(k) Formulam iſtius Juramenti nuper exhibebam Cap. præſ. Num. iii. Pag. 599.

(l) Pag. 291, & ſeq.

(*m*) Ut nempè inter *Hibernos*, & *Scotos* Matrimonia prohibeantur, ne duæ propinquæ Gentes, *Anglis* inimicæ, Affinitatis, & Amicitiæ Vinculis inter ſe conjungantur, ſed potiùs Amicitiæ vetuſtiſſimæ, mutuique Amoris Memoria prorsùs aboleatur. Sic Conjecturâ tradit *Porterus*, Pag. 257.

5. Georgius Hamilton, *&* Robertus Wartus, *Juramentum* Principatûs *recuſantes jurare, Regno relegentur.*

6. *Nobilium Filij in* Angliam *mittantur.*

7. *Immunitates Civibus, male eligentibus Magiſtratus, adimantur.*

8. *Omnes* Recuſantes (*n*) *ſolvant duos Regios Nummos Diebus Dominicis.*

9. *Excommunicationes* (*o*) *cautiùs, & rariùs ferantur, & moderatiùs agatur in illis Locis, quibus nondùm ſunt præpoſiti Paſtores.*

10. *Pecuniâ, quâ mulctantur, qui Eccleſias frequentare recuſantur, quomodò diſtribuenda.*

XIX. Detectis hiſce Inſidijs, quibus delendam fore Religionem Catholicam fundatè præmetuebant Parlamentarij Orthodoxi, ijs pro Virili etiam cum Diſcrimine Vitæ reſiſtere conſtituunt. Atque ad tanti Momenti Rem, quâ Religionis Catholicæ Cauſa, omniumque Catholicorum, præcipuè Eccleſiaſticorum, Salus verſabatur, Antiſtites & Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares, ex ſingulis Regni Partibus *Dubliniam* ſe conferunt, eòque ire contendunt multi, qui per *Hiſpaniam, Galliam, Luſitaniam, Belgiumque* in Cænobijs, & Collegijs, ſuiſvè ſumptibus, Literis dabant Operam, Senatorum noſtrorum Conſilium laudantes, & confirmantes.

Igitur Die Martis, 18 Maij 1613, anteà recenſitus Prorex, Eques *Arthurus Ciceſtrius*, Senatoribus tàm Superioris quam Inferioris Aulæ (*p*) comitatus, primam *Parlamenti* Seſſionem celebravit, non quidem in Curia *Parlamenti* præſtituta, ſed in Caſtro *Dublinienſi*, ad cujus Portam Janitor, alijque à Prorege conſtituti, Catholicos Senatores Enſes deponere Mandato Proregis jubent. Vix autem Senatores conſederunt cùm, diſpoſitis in Caſtro Tormentis bellicis, *Angli* Milites in Agmen inſtruuntur ad incutiendem Terrorem, ne ſcilicet Parlamentarij, ſeù Senatores, Orthodoxi Heterodoxis repugnare auderent, neve illis, ſi periclitarentur, Cives *Dublinienſes* Suppetias ferre valerent. Apertâ, ut Moris eſt, Seſſione per præmeditatam Orationem à Cancellario Regni habitam, jubentur Senatores Inferiores ex eâ Aulâ Proceribus aſſignatâ ſecedere in propriam, ibique antè omnia Prolocutorem, qui cæteris præeſt, creare.

Porro in *Superiori* Aula *Proteſtantes* erant numero ſuperiores, tùm quia plures eorum inter Proceres Regni noviter annumerati ſunt, pluresque *Catholici* Suffragiorum Jure privati. Tum quia in *Parlamentum* admiſſi non erant *Catholici* Antiſtites, & Abbates Mitrati, ut olim, ſed Antiſtites *Acatholici* Loco *Catholicorum* ſuffecti. In Aula verò *Inferiori* Senatores *Catholici* Numero plures erant, niſi illegitimi ex *Acatholicis* computentur.

Eo autem Die ſic ſe diſpoſuerunt in Aula *Inferiori* Senatores, ut Orthodoxi in una & Heterodoxi in altera Parte ſederent. Statim verò à majori Hæterodoxorum Numero propoſitus fuit pro Prolocutore Eques *Joannes Davis* (*q*), Anglus, Regis Attornatus, ut vocant (i. e. Procurator Cauſidicus) Generalis, Catholicorum Hoſtis acerrimus, quem Senatores Orthodoxi elatâ, & tumultuariâ Voce obteſtantur. Hinc in caſſum Clamores diffundunt Heterodoxi, fruſtraque ſuum clamitant Prolocutorem prælibatum Equitem *Joannem Daviſium*, qui tandem ſurgens, foràſque, exiens, dixit. *Omnes, qui à Regis Parte ſtant, me ſequantur.* Hinc in Aula ſoli manſerunt Catholici, quorum unus ità cæteros alloquitur (*r*):

Ecce iſta Colluvies abivit, & in malem Crucem, malumque Cruciatum abivit. Hinc Locum Nobis, quibus Jure debetur, reliquit. Hoc omnes optabamus, hocque unum à Deo poſtulabamus, ut omnia præclarè ageremus. Ergò quando quidem Voti compotes ſumus & tantum Beneficium â Deo inopinantes accepimus, ſupereſt, ut eidem Fidem ſolvamus, id eſt, Fidem Catholicam in hoc Loco tuamur, pro qua Sanguinem, ſi neceſſe ſit, diffundere debemus. Ad hoc Majorum invitamur Exemplo,

---

(*n*) Confer Cap. præſ. Num. xv. Lit. t. Pag. 618.

(*o*) Orthodoxi, ab Heterodoxis excommunicati, ab omni amoventur Præſidio Juris, ità ut provocari quidem, & in Judicio impeti poſſunt, nullum verò pro quacunque Re fas ipſis eſt Litem quampiam intendere.

(*p*) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*q*) Videſis Cap. i. Num. vii. Pag. 10.

(*r*) Ex *Portero*, Pag. 262.

emplo, qui hac in Re Gloriam, nulla Die interituram, tum in Cælo tranquillum, & beatum Viæ Statum ſibi compararunt. Neque enim innumeri noſtri Conſanguinei, pro Religione hac fortiter dimicantes, in Acie glorioſius, & ſanctius ceiderunt, quam Nos eandem in Judicio profitentes, atque defendentes, moriemur, ſi ſummo illi Rerum Conditori, qui Corporibus noſtris Animas infudit, ità placet, ut eas pro Lege ſua tuenda reddamus. Quâ certè Morte jam ex ancipiti lubricaque Rerum humanarum Via, ex tot Miſerijs, ex tantis Calamitatum Cumulis, ad æternam illam Quietem, Tranquillitatemque brevi perveniemus. Sin ſimnl Nobis eſt, & vivendum, & Religio defendenda, noſtris Majoribus Virtute quidem, & Meritis pares, ſed Felicitate, & Gloriâ ſuperiores erimus, & quæ à Nobis hactenus ſegniter, & inſcitè ſunt acta, reſarciemus. Neque timendum eſt, ut hoc Conatu Regis Majeſtatem lædamus, cum ipſe hoc potiſſimum magis curare debeat, nihilque ſit illi, aut magis neceſſarium ad Animæ Salutem aſſequendam, aut magis ſalubre ad Principatum ſuorum Regnorum tuendum. Quique contrarium conantur, non Regis moventur Utilitate, ſed inſanâ Cupiditate, ingentique Furore aguntur. Agite igitur, eam Religionem defendite, pro qua ſpecioſum eſt pugnare, pro qua ſublimius eſt viuci quàm contra illam vivere, pro qua mori eſt vivere, quam propugnare ſumma eſt Gloria. Prolocutorem Nobis, atque Ducem primum omnium præficiamus.

UNANIMI autem Calculo Eques *Joannes Everardus*, Vir Doctrinâ præſtans, Prolocutor *Inferioris* Aulæ creatur. Interea Prolocutor quoque creatur Eques *Joannes Daviſius* à Proteſtantibus, qui denuò in Aulam reverſi, videnteſque Equitem *Everardum* in Sella ſedentem, quid Rei ſit, quod in Præſidis Loco ſedeat? interrogant, adjicientes ſe *Daviſium* creaſſe, & oportere *Everardum* Locum illi concedere. Quibus *Everardus* reſpondit, ſe eum eſſe, qui Ptolocutor creari potuit, creatuſque fuit ab ijs, penès quos erat creandi Poteſtas, & ubi oportuit creari, id eſt, in Aula *Parlamentaria*; ab illis verò Prolocutorem nec in Aula fuiſſe electum, nec uſquàm eligi poſſe. Nihilominùs *Everardum* Sellâ detrahere moliuntur *Proteſtantes*, ſed *Catholici* defendere conantur. Detrahentium, atque Retinentium Conatu *Everardi* Toga laceratur, ipſeque humi proſternitur. Hinc Catholici, Juriſconſultorum ſuorum Conſilio impulſi, Sellam, & Aulam deſerunt, ex Vi, & Jujuria Occaſionem impediendi Parlamenti arripientes. Sicque primus Seſſionis Dies conſumptus fuit.

POSTERO Die utriuſque Aulæ Senatores *Acatholici* ad *Parlamentum* conveniunt, *Catholici* verò, qui non venerunt, accerſiti ſunt à Prorege per Militiæ Præfectum. Cui reſpondit *Everardus*, pridiè in *Parlamento* fuiſſe Rixam à malevolis Hominibus concitatam, ſe fuiſſe graviter ictum, *Parlamentarios* in Caſtrum detruſos, Militumque Agmine circumvallatos, ut inviti Sententiam dicere ab armatis cogerentur. Cùm tamen Majorum, exterarumque Gentium Inſtituto debeant Senatores Militibns imperare, non obedire; & Armorum Impetus Legum moderamine regi, non Legum Æquitas Armorum Furore turbari, ob idque ſe diù Militum Perfidiam vereri. Præterea ſe fuiſſe *Inferiori* Aulæ Præfectum ritè creatum, nec proindè aliter aditurum quàm comitantibus ſuis Senatoribus, Sceptroque præeunte, indignis penitùs excluſis.

TERTIO Die *Catholici* neque Proceres neque Communes, ut vocant, ad *Parlamentum* convenerunt (*s*); neque verò ſine illis aliquid decernendum exiſtimarunt *Acatholici*, neque eos in *Parlamentum* Vi cogere auſus eſt Prorex, namque Senatores ipſi, eorumque Amici, ac in Civitate tota Viri, Juvenes, & Pueri, qui ſpectatum venerant, ſeſe inſtruxerant Armis, proindè ac ſi ſtatim fuiſſent concerturi. Et ut major concitaretur Tumultus, non ſolùm Urbs, ſed & univerſum turbatur Regnum, ſi Prorex paulò magis urgeret (*t*).

XX. INSUPER *Parlamentarij* Catholici Injurias Regno illatas memorant, *Hibernoſque* nunquàm Fidem Catholicam deſerturos obteſtantur hoc Libello Supplici ex *Anglo* Sermone in *Latinum* accuratè verſo, quem, etſi longiuſculum, in Medium adduco, quia Rei noſtræ plurimam Lucem affert.

Obteſ-

(*s*) *Waræus*, in *Annal. Hiber.* ad Annum 1613.

(*t*) *Porterus*, Pag. 285, & ſeqq.

Obteſtatio in Parlamento edita.

Dubium Nemini videtur eſſe, qui Hibernorum Mores, & Educationem vel mediocriter cognoſcit, quin Gens hæc conſtanti firmoque Animo ſemper venerata fuerit, & exterioribus Documentis quàm apertiſſimè profeſſa ſolam illam Religionem, quam, pulſis quondàm Gentilitatis Tenebris, in primævo Chriſtianæ Lucis Exordio recepit. Ità ut, quamquàm Varietate Temporum, Fortunæque Viciſſitudine tempeſtuoſi infeſtique Fluctus Invaſores exterarum Gentium, ut Danorum, Norvegiorum, Normannorum, & aliorùm, hanc Inſulam infeſtaverint, noſtræ tamen hujus Sacræ Religionis cæleſtem Splendorem extinguere, divinumque Imbrem exſiccare haud valuerunt. Eſt (quippè quod Nos firmiter credimus) hæc Religio Patris æterni Imperio, Spiritûſque Sancti Conſilio conſtituta, noſtriſque Pectoribus inſita, ſummâ Chriſti Servatoris Providentiâ. Quamobrem nec Perſuaſionibus ullis, nec Vi unquàm potuimus deduci, ut ab illa vel latum Unguem diſcederemus. Ut autem vetuſtiſſimam hanc Majorum noſtrorum Conſuetudinem prætereamus, ad Remque proprius accedamus: Etiamſi ob Henrici Octavi Regis Hæretici Divortium (quod nulla, vel Temporis Diuturnitate, vel Hominum Oblivione obliterari poteſt) ingens Opinionum Altercatio circà graves Fidei Queſtiones exorta fuerit, nihilominùs tunc in tanta novorum Dogmatum Perturbatione, quantâ Sententiarum Repúgnantiâ Novitas Caput cæpit tollere, Monumentis Parlamenti tunc Temporis habiti in hac Urbe (Dublinienſi) memoratur. Quod quamquàm nonnihil Auxilij Patrocinijque Nobis afferat ad tuendam præſentis noſtræ Aſſeverationis Æquitatem, eo quoque ſuperſedebimus quod minùs ad Rem pertinere videatur.

Non tamen hic Loci involvemus Silentio Machinationes nonnullas mirâ Diligentiâ tentatas, nec minori Induſtriâ diù confirmatas, quæ Nos à priſtina Mente diverſuræ extinguebantur, vel Aſpectus Conſtitutionis, ab ultima Regina (Elizabethâ) latæ, ſufficiens videbatur, ut pleroſque Noſtrùm Inquiſitionis, Mulctæ, Carceriſque Horrore perterreret, atque conſternaret. At nullo Modo potuit Animos noſtros, quemadmodùm ſperabatur, à priſtino Senſu ſubducere. Ac ità quæ ſecundo ejuſdem Reginæ Regni Anno (1559) Edicta prodierunt ad incutiendum Catholicis Metum, Executioni minime mandata in Oblivionem abierunt. Denique ubi præſentis noſtri Regis (Jacobi) Dulcedine pacatæ Clementiæ, & Humanitatis frui ſperabamus, quandoquidem illum Chriſtianis omnibus Principibus conciliatum videamus, atque lætemur, cum noſtra tamen Religione non Fædus, ſed Bellum geri a Proteſtantibus Eccleſiaſticis dolemus. Hi enim, & alij haud infimi Præfecti, Juſtitiæque Miniſtri, Statuta, jamdudùm Oblivione ſopita, excitantes, Subditos novis Mandatis, Mulctis, Coercitionibus, magniſque Gravaminibus incredibiliter vexant, rediguntque ad ingentem Paupertatem, quibus tamen omnibus a Religione noſtra non disjungimur. Quocirca novi Afflictationum Cumulì contra Nos, Liberos noſtros, noſtramque Libertatem, Famam, atque Rem familiarem accreſcunt. Filijs noſtris Studium Literarum in externis Gymnaſijs interdicitur. Nationis noſtræ Nobilitas, & Claritudo, Exiſtimatione fædata, omnibus Reipublicæ hujus Honoribus abdicatur, quod uſque adeo verum eſt, ut ne quidem Juſtitiarij Pacis Nobis liceat eſſe, non aliam ob Cauſam, quam propter Fidem noſtram, quam deſerere non poſſumus. Civitatum, & Oppidorum Præfecturæ Civibus adimuntur, quod novis Dogmatibus aſſentiri nolint. Cauſidici Juriſque periti Munere dijiciuntur, quod ijs renuant aſſidere. Etiam Opifices, & Fabri crudelem Vindictam, Excommunicationem, Pænam, & alia ſexcenta Mala experti ſunt. Cæterum hæc omnia minimè Nos deterrent a Fide noſtra, quam, Deo Duce, ſemper a Nobis colendam devovemus, præſtituri tamen omne Obſequium Supremo noſtro Regi Jacobo debitum, ſine adulatione ulla, Fuco, Inſidiis, aut Conſpiratione contra ejus Coronam.

Itaque omnibus his Pænarum Inopiæ, Opprobrij, Carceris, Interitûs Cruciatibus nequaquam in Rebus Conſcientiæ inconſtansiores, aut infirniores ſumus. Verùm Opes, Facultateſque noſtræ nimiùm diminutæ ſunt. Propter conjugatos iſtos, atque proletarios Clericos, Præfectos, & Mintſtros ingens in Republica orta eſt Perturbatio; varia Incommoda in Rerum Commercio ſequuntur; humanæ Vitæ Societati magna infertur Moleſtia; Noſmetipſi abjectis, atque ſordidis Hominibus, qui Succum, & Dulcedinem noſtrorum Labiorum hauſerunt, Præda facti ſumus.

Quæ omnia Excellentiſſimo Proregi obſequentes proponimus, eidem ſupplicantes ut de illis certiorem faciat Regem Nomine noſtro, qui inſimul referimus, quam difficile ſit, ſeù potiùs fieri nequeat, ut Nos ab Opinione noſtra vetuſtiſſima dimoveamur; quam fixum, & deliberatum Nobis ſit retinere, & colere noſtram priſcam Fidem, & Religionem; quam vero ſimile ſit, in poſterum fore inutile, tam crudeliter Nobiſcum agere, neque enim tantus Rigor aliò tendit, niſi ut veteres Incolæ extinguantur, perdantur, eorum Facultates confiſcentur, frangantur Immunitates, Odium provocetur, pariatur Seditio, & Regno denique Excidium, & Interitus afferantur.

Qua

Qui quidem Effectus, ſeù potiùs Defectus, juſtis Legibus adverſantur. Namque ſi is verus, & proprius præclaræ Adminiſtrationis Fructus babeatur (ſicut reverà haberi debet) ut Reſpublica, Populuſque in Pace, Quiete, Tranquillitate, & Proſperitate ſuſtineatur, juxtà ſalubrium Legum Rectitudinem æqualem, babitâ Ratione ſervandæ Subditorum Salutis, à qua Principis etiam Salus, & Gloria pendent, atque bunc in Finem Regia Providentia roget, & abroget Leges, Rationi maximè conſentaneum videtur, itâ ut Populus non conſtituatur propter Leges conſervandas, ſed Leges condantur propter Salutem Populi defendendam, juxtà ingenioſam illam Regiæ Majeſtatis ſuæ Epigraphen, in eo optimo Nummiſmate, quod poſtquàm duo Angliæ & Scotiæ Regna, in ſe conciliata, Nomine gaudent Magnæ Britanniæ, *nuper excuſum eſt, inſcriptam:* Salus Populi ſuprema Lex eſto, *quâ ſignificatur, Pacis Conſervationem, & Populi Salutem, bonorum Regum Principium eſſe, & Finem. Ac Nos quidem congregati ſumus in* Parlamento *boc diverſæ Gentes. Alij ſumus* Hiberni *Ortu ſimul, & Genere; alij Ortu tantum, non Genere; alij è contra Genere, non Ortu; alij denique neutro, nec Genere, nec Ortu, ſed Habitatione. Duæ Differentiæ Generis, Ortûs, Habitationis, Morum, Ingenij, itâ ſaltem conveniunt, & conſentiunt omnes, ut uni Supremo Principi obediant, ſeque ſubmittant. Neque enim diffidendum eſt, poſſe indubitatam Obſervantiam, & Obedientiam conſiſtere cum Diverſitate Religionum, quantum ad noſtram vetuſtiſſimam attinet. Quemadmodum enim naturale Corpus multis beterogeneis, & diſſimilibus Partibus, Carne, Oſſibus, Cartilagine, Muſculis, Nerviſque compoſitum, unâ duntaxat perficitur, & gubernatur, Formâ naturali, animante ſcilicet Spiritu, Partibus omnibus imperante. Ita ſimiter politicum bujus Reipublicæ Corpus, diverſis conſtans Nationibus, in Religionis Ideæ, & Forma, bac Tempeſtate, diſcrepantibus, poteſt regiâ unâ Obedientiæ civilis minimè fictæ Formâ ſub uno Regij Diadematis Sceptro decoratum eſſe, & auctum. Et quoad Profeſſionem noſtram longè conſuetius eſſe videtur, ferre banc Religionum Varietatem abſque Inobedientiæ Periculo, donec idoneum Tempus fuerit oblatum, quo perturbatio ſedetur, & repugnantium Sectarum Aſſertores ad aliam Mentem reſtituantur, quam Conſtantiam noſtram, ſatis probatam, duriſſime verberare. Quæ quò magis oppugnata fuerit, eo illuſtrior, & firmior erga Deum, & Principem apparebit.*

Quæ cum ita ſint, ſeu Rerum adminiſtrandarum Rationem ſpectes, ſeu Regiæ Providentiæ Regulas contempleris, ſacrum (ni Nos quidem fallimur) Conſilium eſt, ut cum Subditis, qui, tamdiu tot temporalium Afflictionu Cuulis obruti, non potuerunt ad indebitam iſtam Concordiam flecti, deinceps ſuavius, & moderatius agatur, nec ijſdem diutius opprimantur Edictis quotidianornm Gravaminum odioſiſſimis. Qnâ tamen Mitigatione minime obſtante, ſatis vexabuntur Subſidio, & Obſequio, Regiæ Majeſtatis Benignitati in omni Occaſione ſatisfacere conantes, tum Debitum reddendarum grati Animi Significationum præbendo. Hunc Animi noſtri Senſum. bocque Conſilium pandere ſubacti ſumus bujus inclytæ Curiæ Privilegio, Libertate, quâ in ea de Rebus ſentire debemus. Ingentemque Spem rurſus amice babendi Parlamentum *cum cæteris Collegis, & Senatoribus concipimus* (*u*).

XXI. Quia verò hiſce Malis Prorex nullam admovit Curationem, Senatorcs *Catbolici*, qui Vim iſtam, atque recenſitas Injurias, inſcio Rege, ſibi inferri credebant, ad Examen Regium provocant, mittentes in *Angliam* cum Mandato Cauſam agendi nonnullos ex utraque Aula Senatores. Rege etiam accerſente, mittuntur *David de Rupe*, aliàs *Roche*, Vicecomes de *Fermoy*, *Jacobus Plunkettus*, Baro *Killinæ* (poſtmodùm Comes *Fingalliæ*), quatuor Aulæ Inferioris Senatores, aliquotque Juriſconſulti, quos *Richardus Nugent* (*w*), Baro *Delvinæ* (poſteà Comes *Midiæ Occidentalis*), Eques *Patritius Barnewall*, & alij ſequuntur. In Procutatorum iſtorum Commeatum *Hiberni* Catholici Animo libentiſſimo, & obvijs, ut ajunt, Manibus, magnam Pecuniæ Summam conferunt, quæ per Sacerdotes collecta, in in *Angliam* ad Oratores noſtros tran-

---

(*u*) Videſis *Porterum*, Pag. 264.

(*w*) Hic ad id ſuaſus fuit à P. Magiſtro *Daniele O-Creidegain*, Ordinis Prædicatorum, poſtmodùm Priore Provinciali, ut liquet ex Cap. xiv. Num. xi. Pag. 523.

tranſmittitur. Id reſciens Prorex, hunc Catholicorum Conatum reprimere fruſtrà conatus eſt. Quare ad mala Conſilia converſus, Die 9 Julij 1613 Edictum promulgat, quo in omnes cujuſcunque Conditionis Homines, quocunque Modo his Oratoribus opitulantes, & Collectores, ac Receptores ſeveriſſimis Pænis animadvertitur, ut hac nimirùm Arte impediret quominùs Proceres, & alij Catholicorum Procuratores in *Angliam* ſe conferrent, vel ibidem ſubſiſterent, Cauſam Fidei Catholicæ coràm Rege acturi. Variaſque in Edicto immiſcet Fictiones contrà Eccleſiaſticos, & alios Orthodoxos. En porrò Tenorem (*x*):

“EDICTUM.

“ *Per Dominum Proregem, & Conſilium.*

“ ARTHURUS CHICHESTER (*y*).

“QUONIAM è multis hujus Regni Locis intelleximus, Conſilio, Diligentiaque variorum Jeſuitarum, Sacerdotumque Papiſtarum, atque Monitis Juſſuque aliquorum *Recuſantium* (*z*) Membrorum, in Parlamentum nuper congregatorum, generalem Pecuniæ Exactionem factam eſſe inter omnes Regiæ Majeſtatis in hoc Regno Subditos Papiſtas *Recuſantes:* Varios quoque Collectores fuiſſe deſignatos ad colligendam ingentis Æris Summam: Et hoc Onus ab ijs impoſitum eſſe fido Regiæ Majeſtatis Populo Colore ſolvendi Sumptus, & Expenſas quibuſdam Optimatibus, & Nobilibus, nuper in *Angliam* profectis captatum Regis Benevolentiam (quemadmodùm dicti Sacerdotes, atque Collectores falsò divulgant), & initum Gratiam, quo magis liberè Religionem ſuam colere poſſint, cùm reverà fuerint in *Angliam* manifeſtiſſimo Regis Imperio accerſiti, ut rationem reddant, quamobrem a *Parlamento* ſpontè fuerint egreſſi, nec exeundi Poteſtate factâ, nec juſtâ Cauſâ interveniente, non verò ut de Religione agant, quamvis doloſè ſit hoc Excuſationis redditum, quò facilius Vulgo noceretur grandi Pecuniæ Summâ extortâ, cujus majorem Partem ijdem Sacerdotes, atque Collectores in proprios Uſus (ut videtur) ſunt converſuri: Quoniam etiam eſt Subditis inſolens, atque intollerabilis Arrogantia Tributum aliquod injuſſu exigere, ſeù colligere à Populo Regiæ Majeſtatis, cùm ne Rex quidem ipſe ullum Subſidium colligat ſine Senatuſconſulto, liberoque Conſenſu totius Reipublicæ Regni: Et quoniam jamdiù Regia Majeſtas varijs Edictis immediatam Subditorum Suorum in hoc Regno Tutelam ſibi ſuſcepit, Nos ejuſdem Regiæ Majeſtatis Prorex, & Conſilium ex noſtro Munere, & Officio Regiæ Majeſtati debito tenemur dictos ejus in hoc Regno Subditos protegere, & hoc graviſſimo, injuſtoque Onere, & Tributo, quo longè pauperiores fieri videntur, immunes reddere.

“ Quamobrem Regiæ Majeſtatis Nomine Subditis ejus omnibus, Populoque fideli declaramus, & expandimus hujuſmodi Exactionem, Extortionem, aut Diviſionem, atque Collectionem, dicto Prætextu factam, eſſe omninò injuſtam, & Diſtributores ob ſuam Arrogantiam dignis ſeveris Supplicijs affici. Quapropter Regiæ Majeſtatis Nomine vetamus, & interdicimus omnibus, & ſingulis ejus Subditis ſimili Exactioni, Extortioni, ſeù Diſtributioni aſſentiri, & aliquam Summam, aliquaſve Summas, quæ petantur hoc Nomine, ſeù Titulo, ſolvere.

“ Similiter Regiæ Majeſtatis Nomine arctè injungimus omnibus Perſonæ, vel Perſonis, conſtitutis, aut conſtituendis, Collectori, vel Collectoribus, Receptori, vel Receptoribus aliquarum talium Summarum, vel alicujus Summæ Pecuniæ, ut non ſolùm non ferant deinceps exigi, colligi, vel capi ſimile quidquam, ſed etiam intra decem Dies proximè ſequentes hujus Decreti Divulgationem reddant, aut reddi faciant ſinè Fraude, & Dolo omnes, & ſingulas ſimilis Æris Summas omnibus, & ſingulis Regiæ Majeſtatis Subditis, à quibus illæ, vel aliquæ illarum, Cauſâ memoratâ, vel Titulo, fuerunt collectæ, & receptæ: Alioquin ſi aliquis memoratorum Regiæ Majeſtatis Subditorum effuderit Querelas de dictis Collectoribus, & Receptoribus apud Nos, Dominum Proregem, & Conſilium, apud Judices Commiſſarios in eorum Juriſdictionibus, ſtatìm de Reſtitutione cuncti talis Æris illegitimè collecti (ſicut demonſtatum eſt), & dignâ noxiorum Hominum Animadverſione agetur.

(*x*) Ex *O-Sullivano*, in *Hiſt. Eccleſ. Hiberniæ*, Tom. iv. Lib. ii. Pag. 247, & ſeqq.

(*y*) Confer Cap. i. Num. xiii. Lit. y. Pag. 19.

(*z*) Adeas Cap. præſ. Num. xv. Lit. t. Pag. 618.

“ Ultimò, Regiæ Majeſtatis Auctoritate manifeſtè, & arctè injungimus, & imperamus tàm Prætori, & Proprætori, aut alij Præfecto Provinciarum *Momoniæ*, & *Conaciæ*, quàm omnibus Gubernatoribus, Præpoſitis, Urbanis Præſidibus, Judicibus Pacis, & alijs Officialibus, atque Miniſtris Regiæ Majeſtatis, ut diligenter inquiri faciant, quæ Perſona, Perſonæve jam fuerint, aut impoſterùm futuræ ſint Exactor, aut Exactores, Receptor, vel Receptores, Collector, ſeù Collectores alicujus ſimilis Summæ, aliquarumve ſimilium Summarum Nummi ſic diuiſi, & exacti, ut ſuperiùs eſt explicatum, & quantum Summæ, ſivè Summarum unuſquiſque Receptor, vel Collector collegerit, exegerit, aut receperit, deincepſque ſit collecturus, exacturus, aut accepturus intrà Provincias, Comitatus, Oppida, & Pagos hujus Regni, & cujus Imperio, & Præcepto: Deque eo Nos conveniente Celeritate faciant certiores, ut illi, & illorum ſinguli proprio Periculo pro ſe reſpondeant. Datum ex Regio Caſtello *Dubliniensi* Nono Die Julij Anno 1613.

“ VIVAT REX.

“ *Typis mandatum Dublinij a Joanne Frankione, Excellentiſſimæ Regiæ Majeſtatis Typographo, Anno* 1613.

XXII. Dum Edictum hoc in *Hibernia* promulgatur, Catholicorum Oratores in *Angliam* profectos Rex primùm magnâ Comitatis, & Amicitiæ Specie excipit, eorumque auditis Querelis, quatuor Acatholicos Judices per ſpeciale Mandatum, Die 27 Auguſti 1613 emanatum, in *Hiberniam* mittit, qui Rei Veritatem inquirant, & inveſtigent, cognitamque penitùs, & exploratam Cauſam ad ipſum deferant. Iſti malo pleni Animo in Fidem Orthodoxam, ejuſque Cultores, quos Odio pluſquàm vatiniano proſequebantur, omnia contrà Catholicos, cuncta Proregi faventia narrant. Eapropter Rex Proregem, ex *Hibernia* in *Angliam* evocatum, à quavis Injuſtitiæ Nota in *Hibernos* immunem, & abſolutum declarat Die 7 Februarij 1614 in hunc Modum (*a*):

“ REGIS SENTENTIA:

“ PER REGEM.

“ Querelas proximè Nobis effuſas à quibuſdam Viris illuſtribus, & alijs ex noſtro *Hiberniæ* Regno de Vitijs, & Abuſibus tàm *Parlamenti* poſtremò incepti, quàm Statûs Militarium & Civilium Rerum non modò inuſitatâ Miſericordiâ, & Gtatiâ excepimus (ſicut ſatis eſt perſpicuum) ſed etiam dignati ſumus Injurias per Nos unà cum ijs, qui querebantur, examinare: Poſteaque ad pleniorem Cauſæ Cognitionem quoſdam Delegatos, qui Rem penitùs indagarent, in *Hiberniam* mittere. Cujus Benevolentiæ noſtræ non alium Fructum ſperabamus, quàm ut hæc noſtra Regia Miſericordia grato Animo recoleretur, debituſque Honor, & Obedientia digna noſtræ Dignitati, & Juſtitiæ haberetur. Præter Expectationem verò noſtram comperimus, hac Clementiâ, & Humanitate noſtrâ effectum eſſe, ut aliqui ex ijs, qui querebantur, eò Audaciæ procedant, ut nihil Nobis pro Obedientia, & Obſervantia rependant præter Moleſtiam, & novarum Querelarum Exaggerationem in noſtram Majeſtatem, & præcipuè in noſtrum Proregem, quem Nobis moleſtum, & inviſum reddere cunctis Viribus (ut cognovimus) laborant contrà crebra noſtra Monita, ſeveraque Juſſa, qui ſingulis, cùm hìc coràm Nobis fuerunt, imperavimus, ut ſummo Honore Proregem venerarentur, quippè qui Perſonam noſtram refert. Quod ſi, aut tales ſe geſſiſſenr, quales eos eſſe decebat, aut coacti fuiſſent diſcedere à ſua Opinione, quemadmodùm coacti ſunt alij, qui à noſtris diſſentiebant, profectò nunc Opus Nobis non eſſet ſuſcipere Laborem reprehendendi eos.

“ Quamobrem, etſi propter aliquas Cauſas, ad Juſtitiam, & Regiam Dignitatem pertinentes, Tempus minimè ſit opportunum, ut feramus noſtram Sententiam definitivam de ſingulis Articulis Rerum *Hiberniæ*, quas per Nos audire libet, nihilominùs edocti à noſtris Delegatis (quos didicimus uſos eſſe magnâ Æquitate, Rectitudine, & Diligentiâ) par eſſe putavimus, ut Rem defineremus, quantum attinet ad noſtrum Proregem, quem conſtat Nobis fuiſſe Majeſtati noſtræ obedientem, Juſtitiæ Studio flagrantiſſimum, aptumque magnis Oneribus ſibi commiſſis. Idcircò ſicut non abſolvimus alios inferiores Miniſtros, ſed corrigendos, & puniendos juxtà ſua Delicta relinquimus, ità Veritati, & Juſtitiæ conſentaneum eſſe exiſtimamus, ut hunc, qui præclarè ſatisfecit Officio, Calumniâ liberemus. Ob

“ id

(*a*) Ex *O-Sullivano*, Tom. iv. Lib. ii. Pag. 249.

“ id ſi aliqui propter magnam Curam, & Diligentiam, quâ Nos ſumus uſi, multorum noſtrorum ex *Hibernia* Subditorum Queſtus audiendo, fuerint ducti. ut Juſtitiam noſtram, & Proregem contemnant, eos admonemus, à Nobis Cauſam hanc eſſe examinandam, illoſque ſeverè puniendos, tanquàm Seditionis Auctores, atque noſtræ Dignitatis Auctoritatiſque Contemptores. Datum in Regia noſtra *Weſtmonaſterienſi* (*b*) ſeptimo Die Februarij Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Decimo tertio (*c*), Undecimo vero Regni noſtri Britanniæ, Galliæ (*d*). & Hiberniæ, Scotiæ autem Quadrageſimo Sexto.”

XXIII. TANDEM ſtatuto Die accerſitos Oratores ad Comitia publica, ſeù *Parlamentum Angliæ*, ex Throno Majeſtatis adſpectans, in ipſos, totamque *Hiberniæ* Nationem, tanquàm Catholicæ Fidei tâm tenacem ſeveriſſimè invehitur ſequenti Sermone ad prælibatos Oratores *Hibernos*, quem illi ſubindè interrumpebant (*e*).

Regis Jacobi *Oratio habita in* Parlamento *contrà Catholicos* Hiberniæ *Die* 1 *Maij* 1614.

Equidem neſcio, quâ Audaciâ, quove Pudore, Hiberni *Oratores, apparetis in meo Conſpectu, cum Vos, atque Veſtrates omnes, ſitis non ſolùm leviſſimo Animo in Religionem meam, meque ipſum, ſed etiam obſtinatiſſimi* Papiſtæ, *nec* Papiſtæ *tantùm Religione* Romanâ *eſtis, ſed inſuper Vos Gentium omnium* Papiſtas, *atque* Romanos *longè maximè tenaces eſſe profiteamini, & gloriemini. Quod Hominum Genus minimè Vos latet, eſſe mihi inviſum, & ingratiſſimum magno mei Odio teneri, meique Principatûs Excidium cupere, & moliri. Ob quam & alias Cauſas Vos eſſe perfidos, ipſi falsò inficiamini, & non veros, nec integros Clientes, aut Subditos, ſed dimidios tantùm, neque dimidios quidem, Ego verè confirmabo. Namque cùm Homo Animâ, & Corpore conſtet, vel totam Animam, nobiliorem Partem,* Papæ *conſecratis, mihi conceditis Corpus, neque hoc integrum, inter me, & Regem* Hiſpaniæ *dividitis, illi armato Corpore ſervientes, mihi inerme, nudum, invalidum, inutile relinquentes.*

Hic Regem interpellat *Richardus Nugent*, Baro *Delvinæ*, flexis Genibus, ſic loquens : *Abſit, Potentiſſime Chariſſimeque Rex, ut Ego ſim perfidus, qui nunquam, neque fui, nec eſſe volui non obediens, atque fidiſſimus, in omnemque Occaſionem Regiæ Dignitati defendendæ paratus. Nuncque malo Poſſeſſionibus meis, & Bonis omnibus carere, quàm non haberi fidus, vel tibi, clariſſime Rex, vel ſummo illi Deo Creatori, & Redemptori meo, cujus Sacroſanctis Mandatis, atque Legibus quod obſequar, non ideo moleſtior, ſed longè gratior Majeſtati Tuæ eſſe debebo. Quod ſi fieri nequeat, ut ejus divino Numini, Tuæque Regiæ Celſitudini ſimul placeam, & obtemperem, Majeſtatem Tuam etiam atque etiam vehementer rogo, ut facias mihi Facultatem demigrandi cum Familia in alias Regiones, in quibus chriſtianè, & catholicè ſecundum Dei Leges agere poſſim, nec Perfidiæ Notâ inurer. Quo ingenti Beneficio donatus, omnibus Bonis libenter cedam, ea Regio Tuo Arbitrio permittens, nàm Rebus omnibus humanis Te antefero, unamque mihi dabis hanc Veniam, ut Tibi Deum anteponam.* Ad quem Rex : *Surge* (inquit), *Baro, Finemque fac orandi. Ego non tàm de te, quàm de alijs queror, etſi de te multi quoque queſti ad me ſunt Prælati, ſed quibus ut Fidem habeam vix poſſum adduci.*

Deindè inceptam Orationem proſequitut Rex : *Sed ut tam de Perfidia taceam, intollerabiles eſtis,* Hiberni, *qui in tanto Honore Papam habetis, in eoque veſtræ Salutis Præſidium poſitum exiſtimatis. Quæ poteſt excogitari Ratio, quare putetis Animarum Imperium eſſe* Papæ, *vel Epiſcopo* Romano, *a Deo permiſſum. Ego juro, & Deum obteſtor, ſi Studio meo ſummo, ſi quotidianâ Librorum Lectione, ſi frequenti Diſputatione, & Colloquio cum Viris doctiſſimis, ſi intentiſſimâ Mentis Cogitatione comperiſſem,* Papam *eſſe Chriſti Vicarium in Terris, illi, & ejus Anteceſſoribus promiſſam eſſe Auctoritatem illam, quam Chriſtus* Petro *delegavit, me non ſolùm fuiſſe ejus Religionem, atque Dogmata ſecuturum, ſed etiam Regem, (ſi alicujus Cliens eſſem)* Papiſticæ *Religioni adverſum interfecturum ſi à* Papa *juberer. Cæterùm tantùm abeſt, ut* Papa *valeat Auctoritate* Petro *demandatâ, ut habeat Jus imperandi, vel præcipiendi Regibus, ut nulla ſit major Inſcitia, & Stoliditas, quàm veſtra,* Hiberni, *qui Imperium hoc* Papæ *divinitùs conceſſum creditis. Quæ tanta, tamque immanis Opinio, certe nullo valido Fundamento fulta, ex ea obſtinatione proficiſcitur, quod nec Concionatores meos, Viros Doctrinâ, & Sanctitate claros, qui à Vobis Ignorantiæ Tenebras excuterent, audire, nec Libros, quibus vera Dogmata prodita ſunt, legere,*

(*b*) Videſis Cap. præſ. Num. x. Lit. z. Pag. 612.

(*c*) Stylo veteri, novo autem 1614. Conſulendum Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*d*) Adeas Cap. præſ. Num. x. Lit. a. Pag. 612.

(*e*) Ex *Portero*, Pag. 270.

nec Capellam, & Eccleſias meas ingredi vultis, obtemperantes ei Tridentini *Concilij Capiti, quod ijs, qui legunt Libros, vel auſcultant Conciones hæreticas contra Eccleſiam* Romanam, *Excommunicationem fruſtrà minatur: Cùm tamen Eccleſias meas frequentare, & Officijs Sacris in eis intereſſe minimè dedignentur* Itali, Germani, Belgæ, *alijque Externi. Quid verò rudius, & abſurdius, quàm ad Sanctos effundere Preces, quos noſtra Religio haud nominandos eſſe rectè tradit? Qui enim Deum alloqui poſſunt, ad ejus Miniſtros, & Servos ſupervacaneè Verba effutiunt. Quibus Erroribus,* Hiberni, *plus omnibus Nationibus impliciti, nullum non movetis Lapidem, ut me offendatis, meaque Regna perturbetis. Habetis Romæ* Petrum Lombardum *(f), quem vocatis Epiſcopum, & Doctorem, & in Hibernia* Holividum *Jeſuitam* (G), *qui Vobis perſuadent, ut Filios veſtros in transmarina Collegia educandos, atque Literis excolendos tranſmittatis, ut indè rurſus agminatim redeuntes, Regnum univerſum ad Motus concitent, Vos in priſtina Obſtinatione confirment, ad novas Conſpirationes, atque Rebelliones hortentur, ſumma, & ima promiſceant Decretis* Papæ *paſſim circumdatis. Quod novum, atque inauditum Sceleris Exemplum, etſi Ultore Ferro poſſem optimo Jure vindicare, quia tamen Crudelitatem, & Atrocitatem, quam in alijs Principibus ſemper condemnavi, nunquam in me poſſum probare, nec Clientum Sanguinem ſitio, ſed Pacem, atque Proſperitatem cupio, duxi Vos accerſendos, & monendos, veſtram Culpam, veſtra Delicta,* Hibernorumque *omnium, meumque Deliberatum Animum Vobis aperiendum, quo impero, ut omnes* Hiberni *obſervetis, atque cuſtodiatis Leges Anno Secundo* (1559) *Regni* Elizabethæ in Anglia *latas* (g), *cæteraſque, quæ neceſſariæ videantur ad* Papiſticam *Religionem enervandam, quam hactenus eſtis pertinaciter profeſſi, me fruſtrà renitente, & eaſdem recipiatis in* Parlamento, *in quo meus bonus Prorex, qui adeſt, & de quo falsò eſtis queſti, aut alij à me deſignandi, præſint.*

Hìc *Chriſtophorus Nugentius* (*h*), Eques Auratus, ait: *Nunquam, Chariſſime, & Potentiſſime Rex, Anteceſſores tui ſubegerunt* Hibernos *ſimilibus Legibus, neque* Elizabetha *quidem Regina ſuis adſtrinxit, etſi in* Anglia *receptæ fuerint. Quamobrem Majeſtatem Tuam ſupplex oro, ne nunc injuſta illis condat Jura, quæ anteà ſæpè recuſarunt, & in poſterum non recipere conſtituerunt. Quod ſi feceris, ubi ſperamus, totius Regni Tranquillitate florentiſſimâ gaudebis.*

XXIV. Tunc *Cookus*, Capitalis *Angliæ* Judex, Inſaniâ, & Furore actus, inquit: *Si, Summe Rex, audaciſſimæ Hominis hujus Petitioni annuis, utrumque Regnum,* Magnam Britanniam, *&* Hiberniam, *amittimus. Perdat potiùs Deus hanc nequiſſimam* Hibernorum *Gentem, qui efficiunt, ut in Regio tuo Capite Corona tremat, atque penè caſura.*

Sequitur Magnus *Angliæ* Cancellarius, Regem rogans, *ut Chriſtophorum perfidum, & Proditorem pronunciet, & in* Londini *Arcem detrudat, perpetuo Carceri addictum.*

In eandem Sententiam loquitur *Cantuarienſis* Archiepiſcopus Acatholicus, qui longiori Oratione in *Hibernos* Catholicos invectus, ſubdit; *multa Seminaria in* Hiſpania, Gallia, & Belgio *conſtituta eſſe Studioſis* Hibernis *erudiendis, qui Juſſu, & Auxilio Parentum ſuorum, Conſanguineorum, & Propinquorum in illa miſſi, ibidemque Literis imbuti, jam Preſbyteri, Fratres, & Jeſuitæ facti, in* Hiberniam *revertebantur, totam crebris Concionibus, &* Papiſticâ *Doctrinâ ad Motus, Tumultus, Perfidiam concitabant; & in* Belgio *ſub Signis Regis* Hiſpaniæ *Stipendium mereri tria Millia ampliuſve Militum* Hibernorum, *& inter eos, Viros claro Genere natos ampliùs Mille; & alios in* Hiſpania, *&* Romæ *eſſe, qui eò omnem intendebant Cogitationem, ut Vires Regis* Hiſpaniæ *augerent, ſui verò naturalis diminuerent.*

Eques *Arthurus Ciceſtrius*, Prorex *Hiberniæ*, qui ſecundum à Rege Locum obtinebat, pro *Chriſtophoro* Verba fecit, *illum eſſe Coronæ fidum, fidiſque, & nobilibus Parentibus ortum, plus ejus Adoleſcentiæ, quàm alijs condonandum.*

Cæteri

(f) Archiepiſcopum *Armacanum*, anteà Doctorem ac Profeſſorem *Lovanienſem*, in Magno Pretio habitum à *Clemente* VIII, & in Congregatione *de Auxilijs* inter primos Aſſeſſores delegatum, ejuſdemque deindè Congregationis Præſidem à *Paulo* V inſtitutum, Teſte *Jure Primatiali Armacano* Pag. 61. Obijt Romæ circà Annum 1625. Confer Cap. ii. Num. ix. Lit. w. Pag. 40.

(G) Scilicet P. *Chriſtophorum Hollywood*, dictum paſsìm *à Sacro Boſco*, duorum Librorum Polemicorum Auctorem, per Viginti trium Annorum Seriem Præfectum Societatis Jeſu in *Hibernia*, ubi Diem clauſit extremum Anno 1626.

(*g*) Confer Num. iii hujus Capitis, Pag. 598.

(*h*) Conſanguineus Baronis *Delvinæ*.

Cæteri autem *Hiberni* Oratores *Chriſtophori* Reſponſum confirmarunt dicentes ſe *ab Univerſa* Hiberniæ *Regno in Mandatis habere, ne unquàm à Catholica Fide, & Religione deſciſcant, ſeque pro illa Sanguinem, ſi Opus ſit, effuſuros, idemque facturos omnes* Hiberno *Genere natos* (i).

XXV. Invicta hæc *Hibernorum* Conſtantia movit Romanum Pontificem tunc regnantem *Paulum* V, nuper laudatum, ad expediri faciendum Literas Apoſtolicas verè aureas, Cedroque dignas, Tenoris ſequentis:

" Dilectis Filijs Clero, Nobilitati, & Populo Fideli Regni Hiberniæ,

"PAULUS PAPA V.

" Dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" Tribulationes Cordis noſtri multiplicatæ ſunr, quoniam audivimus Afflictiones, & Auguſtias, ad
" quas pro tuenda divini Nominis Gloria, & Catholicæ Religionis Conſervatione redacti eſtis, graviores
" effectas eſſe, & quandò Pacem expectabatis, majorem adveniſſe Tribulationem: Sed Deo Miſericordiarum
" Gratias agimus, qui conſolatur Vos VESTRA ADMIRABILI CONSTANTIA, QUÆ CUM
" SUMMA VESTRA NOMINIS LAUDE CELEBRATUR AB OMNIBUS IN ECCLESIA.
" Diligenter quidem cuncta de recenti Perſecutione, adversùs Vos concitatâ, Nobis renunciata fuerunt.
" Scimus Adverſarios Catholicæ Fidei omnia conari, nihil remittere, quæ Vos ab hujus Sanctæ Sedis
" Unitate disjungant. Non novus hic Labor Eccleſiæ eſt, quæ, divinâ Gratiâ cooperante, dùm
" humiliatur erigitur, & ex Uſu eſt maximè Chriſti Fidelibus; nam Perſecutio Viam facit Probationi,
" Probatiò autem Cauſa fit Meriti. Intuetur enim ſuorum fortiſſimorum Athletarum Agones Retributor
" magnorum Munerum, qui pollicitus eſt, ſe confeſſurum coram Patre ſuo Nomine confitentium ſe coram
" Hominibus; fidelis eſt, qui promiſit. Propterea, Filij dilectiſſimi, conſtantes eſtote, & inconcuſſam
" Fidem fixâ Animi Virtute ſervantes, Perſeverantiæ Laudem, in qua Salus continetur, præſumite:
" Nam ſi Vobis datum eſt, ut non ſolùm in Chriſtum credatis, ſed pro ejus vera Fide retinenda
" patiamini, exiſtimare quoque debetis, Vos ad Regna celeſtia per ejuſmodi Tormenta, ac Paſſiones vocatos
" eſſe. Hæc Via eſt, quæ ducit ad Cælos, arcta quidem, nam paucis patet Aditus, & probatis.
" Scitis quia Dominus dixit: *Qui vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & me ſequatur.* Diſciplina
" Chriſti non videtur eſſe Gaudij, ſed Mæroris. Noſtis dictum fuiſſe Diſcipulis: *Perſequentur, &*
" *in Synagogis flagellabunt Vos.* Nam quemadmodùm oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in Gloriam
" ſuam, ità & qui ad cæleſtia Regna per Chriſti Veſtigia contendere volunt, multa patiantur neceſſe eſt:
" Neque enim eſt Diſcipulus ſuprà Magiſtrum, neque Servus ſuprà Dominum. Et Nos hoc ipſum
" quotidiè Experimento comperimus, potiſſimùm verò in hoc veſtra Tribulatione, nam Corpore abſentes,
" adſumus tamen Vobis Spiritu, & Solicitudines, Calamitates, & Divexationes Vobiſcum ſuſtinemus,
" eòque proculdubiò graviores, atque moleſtiores, quod unuſquiſque Veſtrûm ſuâ tantùm Causâ laborat:
" Nos de omnibus Vobis Filijs noſtris chariſſimis laboramus. Vobis Periculum imminet ne terrenas
" Opes, aut caducam hanc Vitam amittatis, ſed tamen certa Spes proponitur aſſequendi cæleſtis
" cum ſempiterna Vitæ Beatitudine. Nos verò pretioſiſſimum Theſaurum, quem ineſtimabili Pretio
" Sanguinis Unigeniti Filij ſui acquiſitum, æternus Paterfamilias Fidei noſtræ credidit, Animas veſtras
" videlicet, in magno Diſcrimine verſari videmus, quarum Jacturam nihil eſt, quod reſarcire poſſit.
" Quarè ſicuti ſemper affligimur, ità nunquàm ceſſamus clamare ad Dominum, ut exurgat, atque reſpiciat
" ſuper Vos, & det Vobis Auxilium de Tribulatione: Quemadmodùm etiam hortamur Vos omni
" noſtri Cordis Affectu (utimur Verbis Apoſtoli) ut aſpicientes in Auctorem Fidei, & Conſummatorem
" Jeſum, qui propoſito ſibi Gaudio ſuſtinuit Crucem, Confuſione contemptâ, recogitetis eum, qui talia
" ſuſtinuit à Peccatoribus adversùs ſemetipſum Contradictionem, ne fatigemini Animis veſtris deficientes.
" VOS ELEGIT DOMINUS, UT NOVISSIMIS, ATQUE CALAMITOSIS HISCE TEMPORIBUS
" EXEMPLUM ORIENTIS JAM AB INITIO ECCLESIÆ SUÆ RENOVARETIS.
" Mementote igitur quanta Martyres paſſi ſunt, & quibus deindè Coronis coronavit eos Dominur in Die
" Solemnitatis, & Lætitiæ; & Fidem, Conſtantiam, Humilitatem, atque Patientiam illorum imitamini,

" Nemini

(i) Videſis *Porterum*, Pag. 270, & ſeqq.

“ Nemini dantes Offenſionem, ſupportantes in Charitate, jugiter orantes pro affligentibus, & perſequentibus Vos. Manſuetudo Chriſti confregit Diaboli Potentiam; domuit quippè Orbem non Ferro, ſed Ligno, acerbiſſimâ videlicèt Paſſione, quæ Genus humanum à Diaboli Servitute redemit. Confidite in Deo, ipſe enim, quandò Bonitati ejus placuerit, dabit, ut veſtrâ Patientiâ, veſtrâ Charitate aliquandò emolliatur Duritia ſævientium in Vos. Quis ſcit an hac Ratione convertantur à Via mala, & agnoſcant Deum? Quot legimus, non auditâ Prædicatione, ſed Martyrum tantùm Conſtantiâ inſpectâ, Chriſti Fidem ſuſcepiſſe, & lætos, ac alacres, ſtatìm Tormenta, ac Mortem ſubijſſe? Potens eſt Miſericordia Dei, ſi conſtantes manſeritis in Tribulatione, aliorum quoque Correctionem Mercedi veſtræ adſcribere. Inſiſtite bonis Operibus, vacate Orationibus, cavete diligenter ne in aliquo divinam Majeſtatem offendatis, nihil facientes, quod Catholicæ Religioni, & Integritati illius Fidei, quam Majores veſtri ab hac Sancta Sede acceperunt, adverſetur, & jugiter in Memoriam revocate, horribilius eſſe incidere in Manus Dei, quam in Manus Hominum. Vos, quemadmodùm accepimus, gloriamini, Majores veſtros tantâ in Deum Pietate fuiſſe, ut Hibernia meruerit hac de Cauſa appellari SANCTORUM INSULA. Igitur exhibite Vos dignam eorum Progeniem. Nos autem, præterquam quod in Orationibus noſtris ſemper memores Veſtri ſumus, quo magis inflammemus Vos ad retinendam ſalutarem Chriſti Diſciplinam, cùm intellexerimus varijs iſtius Regni Civitatibus, & Oppidis, haberi certis in Locis Congregationes utriuſque Sexûs Fidelium ſub Invocatione Beatiſſimæ ſemper Virginis” &c.

Hic deſinit Scriptor, à quo aurea iſta deſumo Verba, *Donatus* nempè *Roirk* (k), in Libro, cui Titulus =*Hibernia reſurgens*= impreſſo *Rothomagi* 1621. Ex Contextu tamen ſat clarè conſtat, laudatum Summum Pontificem *Paulum* V, ut ſuaviùs & fortiùs *Hibernorum* Mentibus imprimeret Majorum Suorum Imitationem, iſto Diplomate ijſdem Indulgentias ſatis uberes, certis Locis, & Temporibus lucrandas, benignè conceſſiſſe. Etſi autem neque Datam exhibeat Literarum Apoſtolicarum *Donatus*, èas nihilominùs circà Annum 1614 emanaſſe, Nemini Dubium eſſe poteſt. Cæterùm *Paulus* V ad Summi Pontificatûs Apicem evectus fuit Anno 1605, Viam verò univerſæ Carnis ingreſſus Anno 1621, quo prælibatus Liber Lucem aſpexit.

XXVI. Eodem Anno 1614 Catholici *Hiberniæ* hoc ultimo & exitiali Fulmine à Rege *Jacobo* percutiuntur (l).

Regis Jacobi Edictum exitiale contrà Catholicos Hiberniæ.

“ Quandoquidem pro comperto habeamus (poſt indictum à Nobis *Parlamentum* nuperrimè in Regno *Hiberniæ* celebrandum) nonnullos *Papiſtas* Titulo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos, Vicarios Generales, Jeſuitas, Fratres, Seminariſtas Sacerdotes, & alios Sacerdotes, Auctoritate aliena creatos, à varijs noſtrorum Subditorum iſthic exceptos, atque protectos, eò omnem Cogitationem, & Malitiam dirigere, ut eos, quos ad Superſtitionem *Romanam* amplectendam adduxerant, Obſtinatione munire, & confirmare valeant: Ut etiam *Parlamento* iſthic jamjam incepto, ejuſque Conſtitutionibus Obicem ponant, ac pariter hac Reſiſtentia quandam Religionis Libertatem Optionemve à Nobis impetrandam perſuaderent: Eoque effectum eſſe, ut audaciores effecti, quamplures ex noſtris Subditis, Nos, noſtramque Curiam *Parlamentalem* magnoperè ſpreverint, & alij ingentem Pecuniæ Summam his Hominibus in ſuis Auſis injuſtis ſuſtinendis contribuerint, quo iſtud Regnum noſtrum multò pauperius effectum eſt. Cùmque ità Res habeat, ut non modò conſtet apertiſſimè, Jeſuitas, Sacerdotes Seminariſtas, alioſque Fratres, & Sacerdotes, alienâ Poteſtate Ordinibus initiatos (qui ſuperiore noſtro Edicto, divulgato in iſto noſtro Regno Anni Regni noſtri in *Anglia*, *Gallia*, & *Hibernia* tertio, in *Scotia* verò trigeſſimo nono (m), ex prædicto Regno diſcedere, nec ampliùs comparere, redire, aut venire debebant) Inobedientiæ, & Contempûs, cujus modò Mentionem fecimus Actores extitiſſe, ſed ijdem veriſimiliter fore videantur majorum Scelerum Concinnatores, ſi poſſint in iſto Regno permanere. Propterea Nos hic declaramus, & promulgamus, Nobis eſſe deliberatum, atque fixum, nunquàm alicui Religioni Aſſenſum præbere, ulliuſve Religionis Ritus admittere, vel acceptare, præter illam, quæ Verbo Dei congruit, & eſt in iſto noſtro Regno Legibus ſancita. Quam quidem

---

(k) *Davidem Roth*, Epiſcopum *Oſſorienſem*, reipsè Auctorem fuiſſe iſtius Libri, affirmant *Uſſerus Armacanus*, in *Primordijs*, Pag. 737; & *Harriſius*, de *Script. Hiber.* Pag. 124.

(l) Ex *O-Dalæo* noſtro, Pag. 302, & ſeqq.

(m) Legere eſt Cap. præſ. Num. x. Pag. 611.

in Omnipotentis Dei Honorem, & Obſequium frequentari, & Executioni mandari palàm imperamus.

“ Pronunciamus etiam, & divulgamus, & expandimus, eſtque Voluntas noſtra Regia, & Decretum, ut omnes prædicti Titulo Archiepiſcopi, Epiſcopi, Decani, Vicarij Generales, Jeſuitæ, Fratres, Sacerdotes Seminariſtæ, & alij Sacerdotes in tranſmarinis Patribus educati, & Auctoritate aliquâ, â Sede *Romana* derivatâ, vel derivandâ inaugurati, antè Diem ultimum Menſis Septembris proximè futuri ex iſto noſtro Regno *Hiberniæ* proficiſcantur; & nulli, qui Archiepiſcopi, Epiſcopi, Decani, Vicarij Generales, Jeſuitæ, Fratres, Seminariſtæ Sacerdotes, aut alij Sacerdotes habeantur, alieno Imperio (quemadmodùm demonſtratum eſt) ad Sacros Ordines promoti, poſt hunc Diem ad iſtud noſtrum Regnum veniant, vel redeant, vel in eo compareant. Qui verò ſecùs fecerit, in Indignationis noſtræ Pœnas, & alias Coertiones, Legibus, & Inſtitutis iſtius Regionis juſtiſſimè irrogandas, incidant. Significamus quoque, patefacimus, & ſancimus, ut ſi aliquis, qui Archiepiſcopus, Epiſcopus, Decanus, Vicarius Generalis, Jeſuita, Frater, Seminariſta Sacerdos, aut alius Sacerdos habeatur, Auctoritate alienâ (ſicut eſt explicatum) conſecratus, poſt ſtatutum Diem Septembris ultimum in iſto noſtro Regno ſpontè manſerit, in illudve, ſeù in aliquam illius Partem reverſus fuerit, aut venerit, aut ſi aliquis noſtrorum Subditorum ullum eorundem, qui Archiepiſcopi, Epiſcopi, Decani, Vicarij Generales, Jeſuitæ, Fratres, Seminariſtæ Sacerdotes, aut alij Sacerdotes Dignitate nuncupentur, per alienam Inaugurationem (ut dictum eſt) Ordinibus inſignitum, contrà Mentem noſtræ præſentis Pragmaticæ receperit, aut foverit, tunc ſinguli noſtri Gubernatores, Executores, Judices, Vicorum Præfecti, Comiſtabiles, & alij noſtri fidi Subditi per iſtud noſtrum Regnum adhibitâ Diligentiâ conentur capere hujuſmodi Perſonas, nempè Archiepiſcopos, Epiſcopos, Decanos, Vicarios Generales, Jeſuitas, Fratres, Seminariſtas Sacerdotes, & alios Sacerdotes, alienâ Poteſtate effectos, & omnes, & ſingulos eorum in anguſtum munitumque Carcerem conjicere, ut noſter Prorex, aut alij quilibet Gubernatores, aut Gubernator, qui ejus Munere fungantur, poſſint cum Conſultatione noſtri iſthic Conſilij ſecundùm Juſtitiam, & Criminis Naturam in illos animadvertere. Verùm enimverò indulgetur, ut ſi aliquis dictorum Titulo Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Decanorum, Vicariorum Generalium, Jeſuitarum, Fratrum, Seminariſtarum Sacerdotum, vel aliorum Sacerdotum, alieno Juſſu (ſicut commemoratum eſt) inſtitutorum, apud noſtrum Proregem, aut ſummum iſtius Regni Adminiſtratorem, Præfectum alicujus Provinciæ, vel aliquem Conſiliarium Supremi Senatûs in iſto Regno antè ſtatutum Diem Septembris ultimum ſe ſiſtat, vel intrà alios novem Dies proximos in iſtud noſtrum *Hiberniæ* Regnum reverſus compareat, & noſtris Eccleſijs aſſideat, eaſque ritè frequentet juſtà noſtrarum Legum Normam: Tunc is, & omnes hujuſmodi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Decani, Vicarij Generales, Jeſuitæ, Fratres, Sacerdotes Seminariſtæ, & alij Sacerdotes vocati, dùm concordes permanſerint, valeant ſemper eſſe, & manere in iſto Regno, in illudque reverti, Beneficioque noſtrarum Legum, & Regio Patrocinio frui eâ Amplitudine, & Formâ, quâ cæteri noſtri fideles Snbditi gaudent. Datum in noſtra Regia *Weſt-Monaſterienſi* (*n*) ultimo Die Maij, Anno noſtri Regni in *Magna Britannia*, *Gallia* (*o*), & *Hibernia* duodecimo, in *Scotia* verò quadrageſimo ſeptimo.”

“ *Londini excuſum à Roberto Backero, Regio Typographo, Anno Domini decimo-quarto ſuprà milleſimum ſexcenteſimum.*”

XXVII. Edictum hoc legere eſt apud *Danielem* noſtrum *O-Daly*, aliàs *Dominicum de Roſario*, Loco mox laudato, ubi ſequentia ſubdit Memoratu digna: *Hic ceſſant Verba, & incipiunt Verbera. Tanta equidem fuit hoc Tempore Catholicorum Exacerbatio, & communis Populi, & Cleri Calamitas, ut ipſis utriuſque Nationis Magnatibus Regi fidiſſimis, & regalium Prærogativarum, ut loquuntur, Propugnatoribus, Horrrorem quendam, & Stuporem incuſſiſſe videretur. De illuſtriſſimo vero* Thoma Butlero, Ormondiæ *Comite* (*p*), *Memoriâ, & Relatione dignum aliquid refertur. Hic* Elizabethæ *Reginæ ex intimê affectis unus, non ſine rivalium Aulicorum Æmulatione, dilectus fuiſſe perhibetur, quo meliùs inexpectatam ſuæ Principis Amicitiam, quam ut præter Spem, ità & ſuprâ Modum acquiſivit, Officio, & complacentiâ foveret, ab antiqua Patrum Religione Catholica deſcivit. Verùm ſeneſcentibus Annis tantum Scelus, & Scandalum piâ Reconciliatione, & magnâ*

(*n*) Conſulendum Cap. præſ, Num. x. Lit. z. Pag. 612.

(*o*) Adeas Cap. præſ. Num. x. Lit, a. Pag. 612.

(*p*) Confer Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

magnâ Catholicorum Ædificatione expiavit, multiſque antè Diem extremum Annis ſoli Reſipiſcentiæ vacans, longæva Oculorum Caligine captus, obdormivit (q). Itaque in his ſub Rege Jacobo *infelicis Patriæ Anguſtijs, & medios inter Pœnitentiæ Singultus, duo inter alia ſibi præcipuè & Dedecori, & Salutis Præjudicio eſſe querebatur. Primum eſt, ſeipſum ab ineunte Ætate illam Viam inſecutum, unde tanta Gentilibus ſuis Ruina provenire, ſibique jam decrepito Ætatem, & Vires defuiſſe, quibus vel invito Rege ob avitam Religionem, & Patriæ Libertatem ab Ærumnis illis vindicare poſſet. Secundum, & quod Animum cruciare videbatur, eſt, nobiliſſimam illam* Deſmondiorum *Familiam* Geraldinam, *communis Inimici Hoſtem acerrimum, gentilitiæ Libertatis Propugnaculum, & Fidei Catholicæ Fulcrum, à ſe nuper extinctam fuiſſe (r).*

Verùm Anglorum *nec minùs Amicitia fretus, regijque Favoris Auſpicio non inferior, Corporis autem Valetudine, & Ætatis Vigore* Thomâ *præſtantior* Geraldus Geraldinus, Kildaræ *Comes,* Geraldinorum *Dynaſtarum Propago, & Stirps altera tunc ſola ſuperſtes, etſi tunc Religione non Catholicus* Romanus, *ſed Sectarius* Proteſtans *extitiſſe ſimulabat, ſed vel Religione forſan, vel Pietate motus communem Patriæ afflictionem curandam ſuſcepit. Proregem* Hiberniæ *eleganti Oratione aggreditur, Perſecutorum Injuſtitias recenſet, Populi Calamitates, & Miſerias exaggerat, Miniſtrorum regiæ Voluntatis Extorſiones, Homicidia, Prædas, & Bonorum Latrocinia Executionis Juſtitiæ Intuitu commemorat; declamat fortiter, conteſtatur audacter, proteſtatur animoſè, ſed certe dùm alijs Vitam, ſibi Mortem procuravit. Finitâ ſiquidem Oratione, Prorex Comitis Zelum, & Pietatem ergà Patriam commendat, & ſupra Modum extollit. Hominem jam ſuo Ardore repletum ad Palatium ſuum Conviam appellat, ubi primum Poculum Vini ſitibundus Comes exhauſerat, propinatum ſibi Venerum intellexit, Aulam furibundus, & Tumultum declinat, ad municipium ſuum de* Maynooth (s) *ſtatim ſe confert, Sacerdotem* Romanum *advocat, Confeſſione, & Lacrymis Peccata diluit, & Sacrâ Euchariſtiâ Mortis Viatico fretus, eâdem Nocte ante Diem Animam efflat" (t).* Hæc O-*Dalæus.*

XXVIII. Cæterum Eques *Ciceſtrius*, Die 27 Julij ejuſdem Anni 1614 (*u*) iterùm *Hiberniæ* Prorex conſtitutus, eò reverſus eſt, ſtatìmque ab Heterodoxis adhibitus erat Fucus ad decipiendum, Lenocinium ad alliciendum, Irritamentum ad ſollicitandum, Pænæ ad perterrendum, omnia tamen in Caſſum, neque enim Hilum profecerunt: Immò Orthodoxi illos ad ſe magis attrahebant, quàm attrahebantur ab ipſis. Quod quidem ſummam peperit Admirationem *Gulielmo Cecilio*, Regio in *Anglia* Miniſtro, jam anteà memorato (*w*), qui Stupore defixus, planèque attonitus, de Conſtantia *Hibernorum* exclamavit (*x*): " Omnem (*inquit*) Operam, & Oleum per-
" didi in *Hibernia* confœderanda Eccleſiæ *Britannicæ*, quandoquidem illi ipſi, qui in eum Finem
" mittebantur, Operarij adeò nihil iſta in Re promoverent, quin potiùs ipſi promoverentur ab
" *Hibernis* ad eandem cum ipſis colendam Fidem, ità ut impleatur Vaticinium illud (*y*): *Vene-*
" *runt Structores tui, deſtruentes te, & diſſipantes.*"

Sane ex divino Beneficio Noſtrates in Fide hac ità erant ſtabiles, ut quos admittebant Advenas alienæ Profeſſionis, in eandem Orthodoxæ Fidei Unionem coaleſcebant, quod uſque adeò perſuaſum fuit Regi *Jacobo*, tunc Temporis imperanti, non modò de Hominibus, ſed & de ipſis quodammodò Jumentis, ut cùm Prorex *Ciceſtrius* generoſiſſimum illi donaret Equum, ſciſcitatus ille an ex *Hibernia* eſſet, ubi reſcivit, protinùs ſubjunxerit, *Papiſtam* eſſe oportere, ſignificans omnibus *Hibernis* ingenitam eſſe Affectionem ad *Romanam* Fidem.

Ad

(*q*) Scilicet Die 22 Novembris 1614, in Choro *Kilkennienſis* Eccleſiæ *S. Canici* tumulatus, ut refert *Lodgæus* Vol. II. Pag. 25.

(*r*) De nobiliſſima *Geraldinorum* Gente Sermo fuit Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

(*s*) In Agro *Kildarenſi*, undecimo ab Urbe *Dublinienſi* Lapide.

(*t*) Ipſum obijſſe Die 11 Februarij 1612, refert *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 40.

(*u*) *Lodgæus*, Vol. IV. Pag. 219.

(*w*) Cap. præf. Num. ix. Pag. 609.

(*x*) Ex *Portero*, Pag 279.

(*y*) *Iſaiæ* Cap. 49. Verſ. 17.

Ad hanc Dexteræ Excelſi Mutationem ſic obſtupuere ipſimet Adverſarij, ut Prorex *Ciceſtrius* palàm dixerit, ſe neſciſſe, undè iſta provenerit Eccleſiæ *Romanæ* Tenacitas in *Hibernorum* Præcordijs, *niſi* (inquit) *vel infecta ſit Gleba, vel pollutus Aer, vel ipſum Clima Immunditijs conſtupratum, & Fecibus Fidei Pontificiæ, cui cætera omnia poſthabenda, & Fidelitatem erga Regem, & Obſervantiam ergâ ejus Miniſtros, & Curam Poſteritatis, totumque Statum ſuum ſummâ Pertinaciâ* (*Conſtantiâ* melius dixiſſet) decreverant (*z*). Ità Vir Acatholicus de Perverſione eorum deſperans.

XXIX. *Ciceſtrium* Officio defunctum, & in *Angliam* profectum ſecuti ſunt Catholici, ad plures contrà ipſum Querelas Regi exponendum, ſed irrito Conatu, negatâ ſcilicèt ipſis Audientiâ, inficiatoque Defenſionis Loco. Hinc novus Prorex Eques *Oliverius a Sancto Joanne* (vulgò *Saint John*) Die 30 Auguſti 1616 conſtitutus (*a*), cum Diplomate ſuo ſpecialia accepit Monita, & Mandata de perſequendis Catholicis, ad quod etiam ſuccenſus erat ex publico Regis Sermone, quem paulò antè cum magno habuit Apparatu, & Applauſu in Camera Stellata, Die nimirùm 20 Junij ejuſdem Anni 1616. Deſumpto quippè Themate ex Pſal. 71. *Deus Judicium tuum Regi da, & Juſtitiam tuum Filio Regis*, poſtquàm de Rebus alijs diſſeruiſſet, theologando primùm, philoſophando, inſtruendoque ſuos Judices, tandem ſe ad illos ſeriò convertens, in hæc Verba proloquitur (*b*):

> *Et quemadmodum Sermonem exorſus ſum implendo Proverbium*, a Jove Principium, *ità incipiam Curam, quam debetis dare Juſtitiarijs de Rebus Eccleſiaſticis, Deus enim omne Bonum cæptum eò magis provebet, quod ipſe ejuſque Eccleſia primo Loco ponantur. Quod jam dicturus ſum, pertinet ad* Recuſantes (*c*), & Papiſtas. *Nunquàm regreſſi eſtis ab illo Circuitu* (*d*), *quin ex Ratione per Vos mihi redditâ, & magnum Solatium, & magnum Dolorem conceperim. Solatium quidem, cùm intelligerem, Numerum* Recuſantium *in quibuſdam Circuitibus eſſe diminutum. Dolorem verò Cordis, & Animæ intimum, cùm audirem Numerum* Recuſantium *in alijs eſſe Circuitibus auctum. Proteſtor Vobis nibil eſſe in hoc Univerſo, quod æquè me cruciare queat, ac Defectio Hominum à Religione in Diebus meis: Neque aliud me adeo exhilarat ac Religionis ſub me Incrementum. Deus eſt mibi Teſtis, nibil loquor ex inani Gloria, ſed rursùs dico, Gor meum dolet, cùm audio* Recuſantes *creſcere. Itaque præcipio Vobis, Judices, ut quemadmodùm Ego, ità & Vos hoc Cordi ſumatis, & præveniatis, ut poteſtis, meque meis Subditis talem facite notum, qualis reverà ſum.*
>
> *Tria ſunt* Recuſantium *Genera. Primum eſt eorum, qui quoad ſeipſos nolunt eſſe* Recuſantes, *Uxores vero, & Familiæ ſunt: Et ipſi Eccleſias non adeunt niſi fortè ſemel, aut iterùm in Anno, idque coacti Motu Legis, aut pro Forma ſolummodò. Hi poſſunt eſſe formales quoad Legem, ſed quoad Deum perfidiores quàm alij.*
>
> *Secundum* Genus *eſt illorum, qui ſunt* Recuſantes, *& habent ſuas Conſcientias ſeductas, & renuunt adire Eccleſias, de cetero autem vivunt ut pacifici Subditi.*
>
> *Tertium genus eſt practicorum* Recuſantium. *Hi compellunt omnes ſuos Famulos ut cum ipſis ſint etiam* Recuſantes; *nec patientur ſuos Tenentes, quin fiant* Recuſantes; *& Vicini, ſi velint cum eis in Pace vivere, debent eſſe* Recuſantes. *Hos indagare poteſtis ut Vulpem ex tetro Odore, qui ſpargitur circà ipſius Foveam. Hæc magna Superbia, & Præſumptio eſt, quod bi, pro quorum Animabus debeo Ego Rationem Deo reddere, & qui potiuntur Vitâ, & Libertate ſub me, non ſolùm ipſi erunt* Recuſantes, *ſed etiam inficiunt, & poſt ſe alios pertrabunt. Ut jam dixeram in Domo Parlamenti, poſſum diligere Perſonam* Papiſtæ, *qui alioquin Vir bonus ſit, & boneſtè educatus, aliam Religionem nunquàm imbiberit, odi tamen Perſonam Apoſtatæ* Papiſtæ: *Et ſane quod attinet ad* polypragmaticos Papiſtas, *vellem excogitaretis pro ipſis ſeverum aliquod Supplicium, quippe qui non ſolùm in Cordibus ſuis Contagionem fovent, ſed etiam in alios bonos Subditos noſtros eandem infundunt.*
>
> *Et quod de* Recuſantibus *dico, idem etiam de* Preſbyteris *ſentio. Fateor me non libenter ſuſpendere* Preſbyterum *pro ſola Religione, aut Celebratione Miſſæ, ſed ſi recuſant Juramentum Fidelitatis, quod* (*quamvis* Papa, *& omnes Inferni Dæmones obſtrepant*) *tamen mere civile eſt, prout ex meo Libro, &*

(*z*) *Porterus*, Pag. 280.

(*a*) *Waræus*, in *Annal. Hiber.* ad Annum 1616.

(*b*) Ex *Analectis Sacris Hiberniæ*, Part. i. Pag. 51.

(*c*) Recolendum Cap. præſ. Num. xv. Lit. t. Pag. 618.

(*d*) Videſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

aliunde ſcire poteſtis ; qui ſic recuſant Juramentum, & ſunt polypragmatici Recuſantes, *hos relinquo Legi : Perſecutio non eſt, ſed bona Juſtitia. Et illi etiam* Preſbyteri, *qui ex mea Gratia, & Indulgentia permiſſi ſunt exire é Carcere, & proſcripti ſunt ſub Conditione ne ampliùs revertantur, nihil me de ipſis interrogetis ; auferte illos hinc in malam Rem, nec ampliùs quidquam de illis audiam. Et illis adjungo Effractores Carcerum, quos enim Carceres non poſſunt continere, clarum eſt, nullâ* Re *aliâ quàm Suſpendio contineri poſſe. Tales nullo Modo Martyres ſunt, qui refugiunt pro Conſcientia pati.* Paulus *tametſi Oſtia paterent, egredi tamen noluit : Et* Petrus *non ante egreſſus eſt é Carcere quàm ab Angelo Dei duceretur. Hi vero exire volunt etiam cum Angelo Tenebrarum. Injunxeram Archiepiſcopo* Cantuarienſi, *& Epiſcopo* Londinenſi *pro Diſtinctione facienda &c. Graduum* Preſbyterorum, *& quando mihi Rationem illi reddiderint, tunc aliud Vobis præcipiam circà ipſos &c.* Hucuſque ſunt Verba Regis *Jacobi*, fideliter ex *Anglico* Exemplari impreſſo in *Latinum* traducta.

XXX. Novus igitur Prorex *Oliverius à S. Joanne* prælibatus ſtatim poſt ſuum in *Hiberniam* Appulſum invehitur in immanem eorum, qui præierant, Socordiam, & Lenitatem, quod vehementiùs inſecuti non fuerint Catholicos Sacerdotes, eorumque Receptatores ; quòd graviùs non onerаſſent Catholicos Magiſtratus, eorumque Electores ; quod ſeveriùs non caſtigaſſent Juratos Quæſitores, ſivè Judices, ut vocant, Criminales, qui præſentare recuſarunt. *Circumtuli* (inquit) *Oculorum Aciem per omnem uſquequaque Partem, nec ullam invenio Cauſam, quarè Subditi ità ſuo obnitantur Principi, ejuſque imperata facere detractant. Circumferam jàm Aciem Poteſtatis meæ, quam in omnes diſtringam ſine Diſcrimine â ſummo uſque ad infimum, & ſinguli ſentient Regis Indignationem, & meam. Juſſi pareant Mandatis. Quidquid Leges tulerint, quidquid Prærogativa Regia, totum in iſtos exteram Refractarios, ut confundantur, & contundantur* (*e*).

Hunc in Effectum expediuntur armati Lictores, quærentes eminentiores, & opulentiores è Civibus *Dubliníenſibus* Catholicos, è quibus alij Fugam arripuere, hincque Damnum ad plures, Terror ad omnes pervenit. Atque Die 13 Octobris 1617 (*f*) promulgatum fuit *Dublinij* Edictum contrà Sacerdotes omnes Regulares, è Regno ſcilicèt ejiciendos, necnon commiſſa cuidam *Joanni Boyton* Facultas eoſdem perquirendi, à quo capti ſunt nonnulli, ac Nobiles Receptatores incarcerati. Inſuper *currebant per Oppida, Vicos, Campos Commiſſarij Delegati, inquirentes Hibernos in Cauſa Religionis, Minas, & Terrores circumferebant, Orthodoxorum tamen Numerus ſub omni Grandine crevit* (*g*).

XXXI. *David* autem *Rothæus*, Epiſcopus *Oſſorienſis*, in *Analectis de Rebus Catholicorum in Hibernia* (*h*), teſtatur, extare Codicillos Regis ad Proregem & Cancellarium de creando inveſtiendoque *Theobaldo de Burgo*, Barone de *Brittas* (*i*) eâ Lege, ut idoneam præſtet Cautionem de retinendo *Proteſtantiſmo* ſimul, & de Liberorum Æducatione in eadem Fidei Semita ; ſeque vidiſſe Literarum Antigraphum, quorum Exemplar exhibet in hunc Modum:

" *Copia Literarum Jacobi Regis ad Hiberniæ Proregem Oliverium S. Joan-*
" *nium, & Cancellarium Thomam Jones, in Favorem*
" *Theobaldi de Burgo.*

" Admodùm Fideles, & dilecti, Salutem.

" Moris erat apud illuſtres Majores noſtros, & Loca, & Titulos Honorum communicare ijs Perſonis
" è ſuis Subditis, quos obſervarunt benè de Republica meruiſſe in aliquo digno, & laudabili Officij Ge-
" nere. Quem Morem, & Inſtitutum ipſorum Nos ſemper probavimus, ſcientes Virtute ità remuneratâ,
" non ſolùm his, qui benè meriti ſunt, ſatisfieri, ſed alios etiam incitari ad Imitationem benè geſtorum,
" Spe

(*e*) *Porterus*, Pag. 281.

(*f*) *Waræus*, in *Annal. Hiber.* ad Annum 1617.

(*g*) Verba ſunt Auctoris Anonymi, verè autem *Davidis Rothæi*, Epiſcopi *Oſſorienſis*, in *Analectis Sacris*, Pag. 356. Confer Cap. hujus Num. xxxiii.

(*h*) Part. ii. Pag. 253.

(*i*) Confer Cap. ix. §. viii. Num. iv. Lit. e. Pag. 224.

" Spe ejuſmodi Remunerationis, & Favoris conſequendi. Habitâ igitur Ratione multorum, & fidelium Obſequiorum, quæ durantibus in illo Regno Tumultibus egregiè præſtitit fidelis, & dilectus Subditus noſter *Theobaldus de Burgo* de *Brittaſio*, de quibus amplum Teſtimonium accepimus, tàm eorum Intuitu, quàm ob nuperam ejus Conformitatem in Religione ſancita juxtà Eccleſiam Anglicanam, in qua fideliter Nobis promiſit, & ſe durante Vitâ permanſurum, & Proles ſuas educaturum, ac inſtructurum: Nobis gratiosè placuit ipſum ſublimare ad Statum, & Dignignitatem Baronis in illo Regno.

" Ac proindè per præſentes injungimus Vobis, adhibito Conſilio noſtrorum Advocatorum, & Juriſconſultorum illic, ut curetis confici noſtras Literas Patentes in Favorem dicti *Theobaldi de Burgo*, quibus Auctoritatem Vobis concedimus, ipſum inſtituendi, & creandi Dominum Baronem de *Brittaſio* in Comitatu *Limericenſi* illius noſtri Regni. Habendum, & tenendum dictum Titulum Honoris, & Dignitatis Domini *de Burgo*, *Baronis de Brittaſio*, ſibi & Hæredibus Maſculis è ſuo Corpore antehàc procreatis, vel in poſterùm procreandis, cum omnibus Juribus, Privilegijs, Præeminentijs, & Immunitatibus Baronis illius Regni, in tàm larga, & ampla Forma, atque alius aliquis Baro illius Regni illo potitur, & fruitur.

" Cautum verò, atque proviſum ſemper ſit, quod antè ejus Creationem, & Inveſtituram ità faciendam, procuretis ejuſmodi Securitatem, & Stipulationem accipiendam, ut judicaveritis idoneam pro ejus Continuatione in illa Religione, quam nunc profitetur, & propter quam præcipuè confertur ei iſta Dignitas, quam nunc percipit, ac viciſsìm pro Inſtitutione ſuarum Prolium in eadem.

" Et tametſi ex iſto Favoris noſtri Judicio perſpicietis quanti eum faciamus, ut nil Opus ſit ulteriùs eum commendare in iſto Genere, tamen ad ejus humilem Supplicationem inducti ſumus, ut hoc quoque faciamus, Vobiſque injungamus, ut in omni legitima Occaſione in veſtram Tutelam, & Patrocinium eum recipiatis: Cum hac tamen Cautione, ne veſtra in ipſum Gratia cedat in Præjudicium Nepotis ejus Edmundi de Burgo, Baronis de Caſtro-Conellio, ſivè in Honore, ſivè in Æquitate. Atque hæ noſtræ Literæ tàm Vobis Proregi, & Cancellario pro Tempore exiſtentibus in illo Regno, quàm cuicunque alteri Proregi, Primario Gubernatori, aut Gubernatoribus, Cancellario, vel Cuſtodi Magni Sigilli pro Tempore futuris, atque omnibus alijs Officiarijs, & Miniſtris noſtris, ad quos pertinuerit, pro ſufficiente erunt Documento, Auctoritate, & Exoneratione in ea Parte. Datum ſub noſtro Signeto apud Neoforum 28 Die Januarij, Anno decimo quinto Regni noſtri Angliæ, Franciæ *(k)*, & Hiberniæ, Scotiæ verò Anno quinquageſimo. (A. D. 1618.)

Notat hic Loci *Oſſorienſis* Præſul, *Theobaldum ex prava Æmulatione, & Rivalitate demerſiſſe ſe in hoc Barathrum*, ne ſcilicèt penitùs dejiceretur ex Ordine, & Gradu honoratorum Nobilium, quippè qui priùs Loco Nepotis Minorennis, &, ut malè exiſtimabat, illegitimè nati, inter Proceres Regni in *Parlamento* ſederat, iſtâ ſiquidem Inclinatione, & Conformiate aucupatus eſt novam Dignitatem, ne ephæbo Nepote adultus Patruus videretur multum inferior. *Cæterum*, ſubjungit, *in toto Conſeſſu Baronum, Vicecomitum, & Comitum, totius Regni (ſi de Indigenis, & Genuinis Hibernis loquamur) vix repertos alios duos per univerſum hujus Inſulæ Ambitum, qui tam vili Proſtitutione ſuarum Conſcientiarum voluerint ullis Honoribus, aut Præeminentijs velificari.*

Hisce ipſe addo, à præfato *Theobaldo de Burgo* oriundos Catholicæ Fidei fuiſſe Cultores, quos inter Filius ipſius *Gulielmus*, Militum Tribunus ſub *Carolo* Primo Rege, Capite plexus eſt *Carcagiæ* à *Cromuellianis* Anno 1653, hujuſque Filius *Theobaldus*, tertius *Brittaſij* Baro, militavit ſub Rege *Jacobo* II, in ejuſque ſedit Parlamento, *Dublinij* 1689 habito *(l)*, quas ob Cauſas omnibus ſpoliatus fuit Bonis, & exutus Honoribus Anno 1691, ſicut & Conſanguineus ipſius *Gulielmus de Burgo*, nonus *Caſtro-Conellij* Baro; quæ omnia ex Comentarijs hujus Regni certo certius conſtant.

XXXII. Anno 1618 Prorex *Oliverius à S. Joanne* de Sanctiori Conſilio Regni Inſtructionem ſcripſit ad Juſtitiarios itinerantes *(m)*, circà Modum exequendi Pænas pecuniarias ergà *Recuſantes*

(k) Videſis Cap. præſ. Num. x. Lit. a, Pag. 612.

(l) Confer Cap. vii. Num. x. Pag. 142. & Cap. xvi. Num. xx. Pag. 565.

(m) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

propter Abſentiam ab Eccleſia Proteſtantica (*n*). Hujuſce Inſtructionis Exemplar prodit *David Roth*, Epiſcopus *Oſſorienſis* (*o*), in hunc Modum:

" *Copia Literarum Proregis, & Conſilij Hiberniæ ad Juſtitiarios Itinerantes.*
Anno 1618.

" OLIVERIUS S. JOANNIUS (*p*)

" Cùm Illuſtriſſimi Domini Conſiliarij de Sanctiore Senatu Excellentiſſimæ Suæ Majeſtatis per Literas
" ſuas undecimo Junij proximè elapſi ſignificaverint Nobis Voluntatem Regis circà Modum procedendi,
" quem debemus exequi ergà *Recuſantes* hujus Regni, ſuper Statuto numerario propter Abſentiam ab
" Eccleſia. Quibus Literis ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationes explanant Mentem Regis non eſſe, ut cum
" Turba, ſeù Multitudine ſimul agatur, ſed ut deligantur quædam Perſonæ ſelectiores, quarum Reduc-
" tio, vel Punitio ex Tenore Legis ſerviat alijs in Exemplum, ſi velint ſe conformare, ſin minùs, in
" Terrorem. Et pro commodiori Proſecutione hujus Inſtituti, ut Perſonæ, contrà quas procedendum
" eſt, & quæ ex alijs ſeligendæ erunt, tàm ſint ex primarijs, & opulentioribus cujuſcunque Qualitatis, &
" Gradûs, in Pænam, & Terrorem, quàm etiam ex aliquibus magis indifferentibus, ſeù propenſioribus
" ad Obedientiam. Pro adimplenda autem hac Directione Suæ Majeſtatis ad Nos miſsâ, rogamus, &
" requirimus a Veſtris Dominationibus Perilluſtribus, ut in proximo veſtro Circuitu ineatis circà hoc
" illam Rationem, quæ maximè conducat ad exequendam Suæ Majeſtatis Voluntatem, juxtà Sapienti-
" am veſtram, & Judicium de Perſonis, quâ Viâ judicaveritis commodè pertrahi poſſe ipſam Multitu-
" dinem ad hunc Conformitatis Scopum. Et quia idem etiam Inſtitutum ſequendum eſt à Juſtitiarijs
" Pacis in ſuis trimeſtribus Conſeſſibus, hortamur Vos, ut harum Literarum Copiam tradatis Cuſtodi
" Rotulorum, aut Primario alicui Juſtitiario, in quolibet Comitatu, per totum Circuitum veſtræ Juriſ-
" dictionis, cum Onere, ut obſervent Tenorem dicti Mandati. Datum è Caſtro Suæ Majeſtatis Dubli-
" nij 16 Februarij, Anno Domini 1617. Stylo veteri (q).

" *Subſcripſerunt*

" Thom. Dubl. Cancel. (*r*). Brabazon (*s*). Mellifont (*t*). Henricus Docwra. Willelmus Jones.
" Oliverius Lambert."

XXXIII. Multiplitis ſic Catholicorum Ærumnis, viſum fuit multis Antiſtitibus Supplicationem adornare ad Orthodoxos *Europæ* Principes, ac potiſſimè ad Catholicum *Hiſpaniarum* Regem, *Philippum* III, qui Notitiâ noſtrorum Gravaminum acceptâ, ſuo Interventu inclinaret Regem noſtrum ad Lenitatem. Cujus Supplicationis Formam uti tunc pro Re nata concipiebatur, quia continet plura Querelarum Capita, non abs Re ſed planè opportunum erit his intexere, ut Statum Rerum noſtrarum Lector meliùs intelligat (*u*).

" *S. C. R. M* (*w*).

Recolentes Animis noſtris, quanto Zelo, & Beneficentiâ Catholica Majeſtas Veſtra pro ſuo avito, & hæreditario Jure promovere ſoleat, & propagare Fidem Catholicam, quamvis afflicti, & dejecti, erigimur tamen in Spem aliquam Solaminis, & Sublevationis, quoties intuemur in illud Sceptrum, & Diadema, unde & Nos ipſi experti ſumus, & Majores noſtri perceperunt Refrigerium in Æſtu Tribulationis, & fi-

dam

(*n*) Conſule Cap. præſ. Num. xxxix. Sect. 20.

(*o*) In *Analectis Sacris Hiberniæ*, Part. ii. Pag. 264.

(*p*) Legeſis Cap. i. Num. xiii. Lit. y. Pag. 19.

(*q*) Videſis Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*r*) Scilicet *Thomas Jones*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, Regni Cancellarius.

(*s*) *Eduardus* nempè *Brabazon*, Baro *de Atrio Dei*, vulgò *Atherdee*, ſeù *Ardee*, poſteà Comes *Midenſis*.

(*t*) Nimirùm *Eduardus Morus*, vernaculè *Moore*, Baro de *Mellifont*, poſteà Comes de *Drogheda*.

(*u*) Ex *Analectis Sacris Hiberniæ*, Part. i. Pag. 440.

(*w*) i. e. *Sacra Catholica Regia Majeſtas*.

dam in Tempeſtate Stationem. Inſurgit eheu! in noſtras Cervices oneroſior quàm hactenus Calamitas; conſurgit duplex Tribulatio ſolito durior, & efferacior.

Perſtant plerique Catholici in Profeſſione Fidei immoti, ſed non intrepidi; mulctantur plurimi Fortunis, non dico ſupervacuis, ſed penitus neceſſarijs ad Vitam ſuam ſuorumque ſuſtentandam. Orbantur nonnulli communi Libertate, qua nihil dulcius Hominibus dari, aut auferri contingit. Arcentur plerique à conſueta Sacrorum Communione, & nec clancularià Sacramentorum Uſurâ impune frui poſſunt. Parcitur utcunque fundendo Sanguini, ſed lento Facultatum Exuctu, & continuâ Virium Extenuatione ad miſerrimam Paupertatem, haud multo mitiorem ipſa Morte, contabeſcunt. Numerus Catholicorum vix dùm minuitur præter paucos molles, & ſubventaneos, quos Favor dominantium allexit, vel exſufflavit Turba Perſecutionis. Corpus ipſum ſi ſpectemus, adhuc integrum, & illæſum eſt, ſed Membra quædam ſterileſcunt: Vitis nondum ſuam Vitam amiſit, aſt Palmites in ea nonnulli exareſcunt.

Quod veremur eſt ne totus diffluat Humor vitalis a Radice, tot Ictibus vulneratâ, inciſo Cortice, reciſis Ramis, & abſorptâ Medullâ Honoris, Honeſtatis, congrui Proventûs, Alimoniæ, Subventionis ad Vitam mediocriter tolerandam, quâ funditus abſumptâ, quid proclivius quam ut ipſa, quæ etiamnum Integritatem ſuam retinere videtur, Catholicorum Societas, intereat, & diſſolvatur, aut certe in circumjectam Contagionem trahatur, prout eos valde periclitari cernimus, & imis Senſibus ingemiſcimus.

Idcirco ne ſubticendo Periculi Magnitudinem, argui mereamur, neque Silentio noſtro de Salute Animarum, ſive ſecuri, ſivé ſupini, parùmque providi in Redargutionem propheticam incidamus, quod venientem Gladium, vel Lupum in Gregem nobis commiſſum incurſantem non altiùs inclamaremus; pro noſtro Munere, & Solicitudine, quam gerimus, proteſtando denunciamus pio, propitio, & Catholico Regi Hiſpaniarum graviſſime laborari à Catholicis in hoc Regno Hiberniæ, ſuſtinendo Improperium, Contumeliam, Diſpendium Libertatis, & Facultatum, ne Jacturam patiantur Catholicæ Religionis.

Et hac Noſtra Denunciatione ſuppliciter petimus, ſe velit Sequeſtrum dare, & Deprecatorem pro noſtræ Innocentiæ, & Fidei Incolumitate, interponendo ſuam Auctoritatem apud Regem noſtrum Jacobum, quâ flecti ille valeat ad Manſuetudinem, & Lenitatem, ne Populo ſuo Hiberniæ Fraudi eſſe patiatur Diſparitatem Profeſſionis Fidei, quando illi ſeſe in alijs Vitæ Officijs, & debitæ Subjectionis Muneribus, probos, & inculpatos oſtendunt. Atque huic Petitioni adornandæ totius Cleri Nutu, & Nomine Comprecatores ſubſcripſerunt hi qui ſequuntur Antiſtites Hiberniæ. Hic deſinit Exemplar, in eo ſiquidem Antiſtitum Nomina deſiderantur.

PORRO demiſſas iſtas Cleri Majoris *Hiberniæ* Preces intentum habuiſſe Effectum pluſquam veriſmile eſt, ſiquidem *Henricus Carey*, Vicecomes de *Falkland*, novus Prorex, *Dublinium* appulit Die 8 Septembris 1622 (*x*) cum Poteſtate à Rege concedendi Catholicis *Hiberniæ* Libertatem Conſcientiæ. Aſt contrà Poteſtatis illius Exercitium ſtrenuè prædicante *Jacobo Uſſerio*, Acatholico Epiſcopo *Midenſi*, poſtmodùm Archipræſule *Armacano*, coràm ipſo Prorege, atque Regni Conſiliarijs, nihil ea in Re factum fuit. Quinimmò Die 21 Januarij 1623, novum promulgatum eſt Edictum, mandans, ut Sacerdotes omnes Orthodoxi, tàm Sæculares, quàm Regulares, intrà quadraginta Dies è Regno *Hiberniæ* diſcederent, atque Nemo cum illis poſt expletum prælibatum Tempus converſaretur. Anno autem ſequenti quandoquidem Sereniſſimus *Walliæ* Princeps *Carolus*, unicus Regis Filius tunc vivens (*y*), in *Hiſpaniarum* verſaretur Regno, hinc mitiùs ergà Catholicos procedebatur, ut pridem dicebam (*z*).

XXXIV. DENATO *Jacobo* Primo Rege Die 27 Martij 1625, eidem ſucceſſit Filius ipſius mox laudatus, *Carolus* hujus Nominis Primus, quem non immeritò plurimi Patriæ Patrem, Pacis, & Vaſſallorum Amatorem, appellabant. Cùm autem Die 13 Junij ptælibati Anni Matrimonium (Die 1 Maij antecedentis per Procuratorem contractum) cum *Henrietta-Maria*, Chriſtianiſſimi *Galliarum* Regis *Ludovici* XIII Sorore, *Cantuariæ* conſummaſſet, indè mitiſſimus Princeps, etſi Acatholicus, in Catholicos leniter ſe gerere voluit, in quorum tamen Clerum fanatici Magiſtratus ſævire non ceſſarunt. Aliqui nihiloſeciùs Regulares in Regnum remeari auſi, in Lacuum Inſulis, atque Sylvarum, & Salebrarum intimis Receſſibus Caſulas ædificarunt, in quibus

---

(*x*) *Waræus*, in *Annal. Hib.* ad Annum 1622.

(*y*) Rex *Jacobus* Primus præter hunc *Carolum*, duos habuit Filios, & quidem eô ſeniores, *Henricum* nempè, & *Robertum*, jam tunc defunctos.

(*z*) Cap. ix. §. i. Num. xv. Pag. 195.

quibus Juvenes Literis, & religioſis formabant Inſtitutis; eoſque ſic inſtructos, & profeſſos in exteras Regiones, *Hiſpaniam* maximè, & *Galliam*, ad Artium, & Theologiæ Studia mittebant.

EODEM autem Anno 1625 Rex legalem Catholicis concedere Tolerationem propoſuit, ſed Acatholici Epiſcopi contrà Propoſitum illud ſolemniter proteſtati ſunt (*a*). Hinc Perſecutiones in Clerum renovabantur; immò Die 1 Aprilis 1629 recens publicatum fuit *Dublinij* Edictum contrà Sacerdotes omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares, in univerſo Regno (*b*).

XXXV. IN calamitoſo hoc Statu perdurarunt Res ad Annum uſque 1637, quo jàm conflata occultè à *Puritanis*, ſeù *Preſbyterianis* (*c*), Calviniſtis ſcilicèt, *Angliæ*, & *Scotiæ*, Seditio in apertum proruperit Bellum adversùs Regem, quod in utroque memorato Regno vehementer exarſit. Enimverò Rex *Carolus* poſtquàm ex laudata Uxore Filios genuiſſet, & Filias, relictis in Pace Catholicis (quibus rarò in Materia Fidei notabiles intulit Moleſtias), de Modo reformandi Statum *Proteſtantiæ* Religionis, *Puritanorum* Rabie, & Ambitione fædatum, ac in varias Sectas diviſum, cogitare cæpit; voluit quippè bonus Rex, ut omnia tria Regna, ſuo ſubjecta Imperio, uniformi Acatholico Cultu Deum invocarent, inſtigante potiſſimùm *Gulielmo Laudo*, Acatholico Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, qui nimio Studio Sectæ *Epiſcopalium*, ſeù *Proteſtantium*, addictus, *Puritanos* ad *Epiſcopalium* Ritus portrahere cupiebat. Porrò ne videretur Rex Novitates aliquas incipere, aut incendiarijs *Puritanis* ad Turbas, & Seditiones concitandas juſtam præbere Anſam, mandavit ut juxtà Ritum à Regina *Elizabetha* inſtitutum, & à Genitore ſuo *Jacobo* Rege confirmatum, omnes per univerſa tria Regna Acatholici divina peragerent Officia. Ut verò hoc ſuum Decretum meliori Modo omnimodæ dare poſſet Executioni, juſſit prænominato Archipræſuli *Laudo*, quatenùs de aliorum Epiſcoporum, & Doctorum *Proteſtantium* Conſilio, Rituale, Directorium, & Liturgiam (quam Angli *Librum communium Precum* vocant) Prælo daret, & publicaret, quibus Prædicutij, ſeù Miniſtri, tàm in Clero, quàm in Foro, in Adminiſtratione divinorum Officiorum ſe conformare deberent.

ARCHIEPISCOPUS *Laudus*, juratus aliàs *Puritanorum* Hoſtis, in regijs exequendis Mandatis ſegnis non erat: Nam non ſolùm prælibatos imprimi fecit Libros, ſed etiam per *Angliam*, *Hiberniam*, *&* *Scotiam* Miniſtris omnibus, ſeù Prædicutijs, ſub graviſſimis Pænis mandavit, ut ad amuſſim juxtà eorundem Rubricas divina adminiſtrarent, ſicque *Puritanorum* Odia inflammavit. Qui ſubindè in *Anglia* nedum Regijs Decretis, & Epiſcoporum Mandatis ſe oppoſuerunt, verùm & palàm è Suggeſtu mentiri non dubitarunt coram Plebe, uxorium Regem Catholicæ Conjugis Amore, & Incantationibus obcæcatum, aliud non conari per novam illam in *Reformatos* (ſic ſe *Puritani* vocare affectant) motam Perſecutionem, quàm ut ſub quæſito illo Colore *Papiſmum* in *Angliam* reducat. *Laudus* hiſce *Puritanorum* Murmurationibus, & Minis nihil territus, deſperatos *Calviniſticæ* Infidelitatis Prædicutios, ſeù Miniſtros, Eccleſiaſticis per *Angliam* exuit Beneficijs, privavit Officijs, & ſubſtitutis eorum Locis *Proteſtanticæ* Zizaniæ Seminatoribus, *Puritanorum* Fautores partìm proſcripſit, partìm in Carceres conjecit, partìmque Ære etiam, & Corpore malè mulctavit. *Puritani*, ad omnia aliàs perpetranda Facinora impigri, & verſutiſſimi, ſtatim per omnes *Angliæ* Angulos clamitant, de Religione, & Libertate publica jam actum eſſe; Regem

---

(*a*) *Waræus*, in *Annal. Hiber.* ad Annum 1625.

(*b*) Idem Ibidem ad Annum 1629.

(*c*) Inter innumeras penè Sectas, quibus ſcatent *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* Regna, duæ ſunt præcipuæ, una nimirùm *Epiſcopalium*, qui quoſdam Eccleſiæ Catholicæ Ritus, ac nominatìm Ordinationem Epiſcoporum retinent. Altera *Preſbyterianorum*, qui nullam Epiſcoporum Juriſdictionem agnoſcunt, nullamque Ordinationem. Dicuntur etiam *Puritani*, quod aſſerant, ſe puram Hæreſiarchæ *Calvini* Doctrinam ſectari, non ſecùs ac *Waldenſes* Hæretici, qui Sæculo Eccleſiæ duodecimo in *Italia* erant, *Catharos*, id eſt, *Puros*, ſeſe appellabant. *Epiſcopales* etiam paſſim nuncupantur *Proteſtantes* ſine addito; *Puritani* verò ſe vocant *Proteſtantes Diſſentientes*; quia nimirùm aliorum Ritibus diſſentiunt, quibus Nominibus utraque Secta à Curialibus, & in Actis Parlamentarijs technicè dignoſcitur. Item prior Secta dicitur vulgò *Eccleſia Alta*, quia ſcilicet Campanas, Turreſque campanarias habet; poſterior verò dicitur *Eccleſia Baſſa* ob Rationem contrariam.

Papiſtarum, & deſperatiſſimorum *Jeſuitarum* Conſilio velle, extinctâ Evangelicâ Luce, proſcriptiſque illius Miniſtris, *Britannos* ad colenda *Papiſtarum* Idola compellere.

XXXVI. Dum hiſce, alijſque Impoſturis *Anglicanum* Populum ad Rebellionem concitarent *Puritani*, in *Scotiam* pervenit Edictum Regium in Materia Religionis, per *Angliam* jam Executioni mandatum. Quod cùm *Edinburgi*, capitalis *Scotiæ* Urbis, publicaretur præfato Anno 1637, & Epiſcopus *Proteſtanticus* Altaria, Organa, Cruces, aliosque Ritus in *Directorio* præſcriptos, juxtà Regij Decreti Tenorem, in deſertis, & profanatis *Edinburgenſibus* Eccleſijs erigere, & ordinare conatus eſſet, ſubitò in eum *Puritani Albionenſes*, ſeù *Scoti* (ferum profectò, & indomitum Hominum Genus) Impetum fecerunt, eoque ex Sacello Regio, non ſine evidenti Vitæ Periculo, extruſo, Altare ſubverterunt, Crucem conculcarunt, Mappas, & alias Veſtes, *Proteſtantium* More conſecratas, lacerarunt; atque *Lithurgiam* novam, tanquam ſi Idolum eſſet *Apollinis*, cum Triumpho in Forum uſque portarunt, ibique prævio ingenti Clamore, quo milliès *Papæ*, *Papiſticis Jeſuitis* omnibus, eorumque raucicis Cæremonijs maledixerunt, Vulcano conſecrarunt *Miſſaticam*, ut vocabant, *Lithurgiam*, quamvis nihil in ea ordinaretur, quàm quod *Elizabethâ* regnante à Proteſtantibus per *Angliam* obſervatum fuerat, & reapsè obſervant puriores *Lutherani* per totam *Germaniam*, maximè in *Saxonia*, ubi videre eſt Templa Altaribus, Organis, & Crucifixis ornata, & Pſeudo Lithurgos, ſeù Prædicutios, certo Veſtimentorum Genere indutos. Nec hoc contenti Facinore *Puritani Scoti*, ab Obſequio *Caroli* Regis defecerunt, Arma ſtatìm in eum ſumentes, Regimenque Civile, & Eccleſiaſtico-*Calviniſticum* juxtà ſuam diſpoſuere Amentiam.

Rex, ut Vim Vi repelleret, iniquos *Puritanos*, quos nec Monitis, nec mitioribus Remedijs flectere, & ad Obedientiam revocare poterat, armatà Manu aggredi decrevit. Stipatus itàque multis *Anglorum* Millibus, ad *Scotiæ* Confinia movit, quâ Expeditione territi *Puritani*, reſipiſcere, Armaque deponere, ac Regiæ ſe Clementiæ ſubmittere ſimularunt. Pacis Amator *Carolus* Rex Pacem cum doloſis *Puritanis* pepigit Die 18 Junij 1639, Exercituque exauctorato, *Londinum* reverſus eſt. *Puritani* autem *Scoti*, inito priùs Conſilio cum *Puritanis Anglis*, videntes quod à Signis diſceſſiſſet Volonum, ſeù Voluntariorum, ut vocant, Exercitus, in quo Flos nobilis Juventutis *Anglicanæ* ſummâ Fide Regi, cùm ad Confinia *Scotiæ* moverat, militabat, violatis Articulis, & Pactis, in quæ anteà jurarunt, unitis inopinatè Viribus, magno cum Exercitu, profligatis paucis, qui Fluminis *Tinæ* (anglicè *Tweede*) Tranſitum Regis Nomine prohibebant, in *Angliam* Impreſſionem faciunt. Ibi expugnato *Neo-Caſtello* (anglicè *New Caſtle*), varijſque alijs Oppidis, Regiam Majeſtatem, tanquàm Idolatricæ *Papiſtarum* Religioni addictam, multimodis proſcindunt Convitijs.

Thomas Wentworth, Comes *Straffordiæ*, & Prorex *Hiberniæ*, Vir magni Conſilij, & Auctoritatis, decem millia Catholicorum *Hibernorum* Milititum à multis antea Menſibus in Armis habuit in *Ultonia*, quæ ex *Hiberniæ* Provincijs finitima eſt *Scotiæ*. Hic a Rege monitus, in *Angliam*, relicto poſt ſe Exercitu, remeavit, ubi Regi obtulit, ſe velle, illo, quem in *Hibernia* habuit, Milite, *Puritanorum*, tàm *Anglorum*, quàm *Scotorum*, Perfidiam caſtigare, & Contumaciam opprimere. At bonus Rex, ſagaciſſimi *Straffordij* (qui omnia, quæ Regi poſtmodùm evenerunt, prædixit) neglecto Conſilio, Litem communi Ordinum Regni *Angliæ* Conſenſu dirimere voluit. Hinc pactis cum rebellibus *Scotis* Inducijs, Comitia indixit prælibati Regni, quorum Convocatio & Regi Vitam ademit, & barbaris *Puritanis* Viam ſtravit ad varia alia perpetranda Facinora, quæ pauciſſimis enarrabo Verbis, Sermonem quippè nimis excreſcere perſentio.

XXXVII. Tertio Novembris Anni 1640 incepit *Parlamentum*, vulgò dictum *longum*, ex quo Mala omnia, & Incendia, in tribus Regnis excitata, manarunt. Dictum porrò fuit *Parlamentum longum*, quia Anno ſequenti Rex annuit, ut *non abrogaretur ſine Conſenſu utriuſque Domûs Parlamentariæ*.

Die 12 Maij 1641 mox memoratus *Thomas Wentworth*, Comes *Straffordiæ*, Prorex *Hiberniæ*, Regi *Carolo* devotiſſimus, ejuſque Exercitus Præfectus Generalis, *Londini* Capite plectitur, Sententiâ à rebellibus *Parlamentarijs* in eum latâ, cui ipſemet ſubſcripſit Rex, uti nolens

abſoluta

abſolutâ Potentiâ in eo liberando, ſed tentatis alijs omnibus Remedijs, nominatim Literis propriâ Manu exaratis, & per *Carolum* Filium, tunc *Walliæ* Principem, poſteà Regem, Proceribus in Superiori Domo præſentatis, quibus interceſſit pro *Straffordio* (è cujus Vita Regiæ Familiæ Salutem pendere, prudentiores fundatè judicabant) ut ſaltem Executio Sententiæ, in eum latæ, remoraretur, ſed fruſtrà, ſtatìm namque Securi percuſſus obijt *Puritanorum* Terror *Straffordius*, etſi Heterodoxus, non autem Vir apprime Catholicus, ut ait *Antonius Arnaldus*, Doctor Sorbonicus, à *Graveſono*, Doctore item *Sorbonico*, laudatus (*d*). Inopinatus iſte Magni *Straffordij* Caſus, ex Apice Honoris decidentis, ità varios alios deterruit Proceres, qui publica in *Anglia* obibant Munia, ut ſeſe Officijs ſpontè abdicarent; immò ipſummet Regem uſque adeô exinanivit, ut nihil ſeditioſis poſteà denegaverit *Puritanis*, in Parlamento ſedentibus, per quod tamen haud ſatisfecit irregulatis eorum Deſiderijs. Experientiâ quippè probatum eſt, quò plus factioſis conceditur Popularibus, eò magis illorum acui inordinatum Appetitum ad majora, & minûs rationabilia petenda.

Mense Auguſto Anni 1642 Rex Labarum ſuum apud *Nottinghamum* explicuit; ejuſdemque Anni Menſe Octobri, & Anni 1643 Menſe Julio, duplici ſcilicet Certamine, rebelles *Parlamentarios* ſuperavit. At Menſe Junio ſequentis Anni 1644 *Parlamentarij* Exercitum Regis ſuperarunt.

Die 10 Januarij 1645 ſuprà nominatus *Gulielmus Laudus*, Acatholicus Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, eò quod Regi eſſet fidus, Capite plectitur, tametſi Regias exhiberet Literas omnem condonantes Offenſam.

Die 14 Junij ejuſdem Anni 1645 committitur Prælium *Naſebianum*, in quo rebelles *Parlamentarij*, Ductoribus Equite *Thomâ Fairfaxio*, & *Oliverio Cromuello*, Victores evadunt, exindeque Regia Poteſtas omnimodè deprimitur.

XXXVIII. Menſe Majo Anni 1646 *Carolus* Rex, creſcentibus indiès rebellium Viribus, fractuſque infelici tot Præliorum Exitu, *Oxoniâ* egreſſus, ad Caſtra *Scotorum*, qui illum invitaverant, eique ſuam obligarunt Fidem, tanquàm ad Azylum, ſe recepit. At *Scoti*, Auro deliniti, Regem ſuum infeſtiſſimis ejus Hoſtibus fædum in Modum tradidere. Varijs poſtmodùm in Locis detentus fuit Rex ut captivus, ſed tandem fugit in Inſulam, cui Nomen *Victus* (angliceè *Wight*), aſt à Præfecto illius Inſulæ captus, denuò incidit in Manus Hoſtium, præſertim *Cromuelli*, qui non jam per Cuniculos, ſed apertè in Vitam ejus graſſari cæpit. Hinc ejus Cauſæ in ſuprema *Londini* Curia Parlamentaria cognoſcendæ præficiendos curavit Judices, quos habebat devotos ſibi, ac penitùs addictos, quorum Præſes erat *Joannes Bradſhaw*. Auctoritatem Fori negavit Rex, adeòque Curiæ Poteſtati ſubjicere ſe omninò renuit. Nihilominùs (quod horret Calamus ſcribere) à *Parlamentarijs*, à ſuis Subditis, per ſummam, & à Sæculis inauditam Injuſtitiam, tanquàm Tyranus, Perduellis, Homicida, & malus Adminiſtrator Capite damnatus eſt, hâc in eum pronunciatâ Sententiâ: *Quoniam Carolus Stuartus à Populo poſtulatus Tyrannidis, Perduellionis, Homicidij, & Adminiſtrationis malè geſtæ, nec pro ſe quicquam reſponderit, Contumaciæ denuò juxta ac Objectorum Criminum reus, prædictus Carolus Stuartus Neci adjudicatur, Caput a Corpore ſejungendo.*

Ad Locum Supplicij præ Palatij Regij, *Albæ Aulæ* dicti, Foribus ſuper Contabulationem, hunc in Finem compaginatam, perductus Rex *Carolus* Die 30 Januarij 1648, Stylo veteri (*e*), Stylo verò novo, Die 9 Februarij 1649, Populum paucis adlocutus, & ad Pacem adhortatus, Cervicem porrexit, quam, Orbe Terrarum obſtupeſcente, abſcidit ei Carnifex, non quidem ordinarius, a tanta Impietate abhorrens, ſed Carnifex perſonatus, ſub Larva ſcilicèt latens, quem ſuſpicantur plures, impium fuiſſe *Cromuellum*, totius Iniquitatis Compendium

---

(*d*) Tom viii. *Hiſt. Eccles.* Colloq. i.

(*e*) Conſulendum Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

dium *(f)*. Sic funeſtâ Morte extinctus eſt *Carolus* Rex, hujus Nominis Primus, quam ſi, ejuratâ Hæreſi, pro Catholicæ Religionis Veritate oppetijſſet, Martyrij Palmam adeptus fuiſſet. Eum nihilominûs, ut obiter dicam, tanquàm Martyrem celebrant *Proteſtantes*, in eorum ſiquidem *Litburgia*, paſsìm dictâ *Libro Communium Precum*, hæc legere eſt ad Diem 30 Januarij : *Formula Precum Publicarum cum Jejunio, quotannis uſurpanda trigeſimo Januarij, qui eſt DIES MARTYRIJ CAROLI BEATI REGIS, ejus Nominis Primi, ad divinam Miſericordiam implorandam, ut à Nobis, aut Poſteris noſtris, Deus non repetat Pænas ſacri, & innocui Sanguinis, & aliorum Criminum, quibus ipſe infenſus, Nos, & Regem noſtrum tradidit in Manus crudelium, & malè feriatorum Hominum. Si Dies iſte inciderit in Dominicam aliquam, Officium hoc, unà cum Jejunio, ſequenti Die celebrabitur. Et Dominicâ proximâ antè præfatum Diem inter Matutinas, immediate poſt Symbolum Nicænum, oportet Monitionem dari, ut Dies iſte præfatus cum debita Obſervatione celebretur.* Cæterûm *Puritani* è contrà eum tanquàm Tyrannum, Proditorem, Homicidam, & publicum horum Regnorum Hoſtem etiamnùm habent, atque in Opprobrium Memoriæ ipſius Caput Vitelli Die 30 Januarij in Prandio manducare gèſtiunt.

His ità contrà omne Jus divinum humanumque geſtis, *Oliverius Cromuellus*, totius hujuſce Tragediæ Auctor, ſupremam Poteſtatem conſtituit in Plebe, & quidem juxtà Aphoriſmos, ex *Calvini* Sentina hauſtos. Nihilominus pulſo *(g)* poſt nonnulla Certamina *Carolo* II legitimo Rege, Tyrannidem arripuit, & poſtquâm cum *Batavis* Pacem pepigiſſet, *Angliæ*, *Scotiæ*, & *Hiberniæ* Regnorum Protector renunciatus eſt Die 16 Decembris 1653, anteà de Anno 1650 Rebellium Strategus, vulgò Capitaneus Generalis, declaratus. *Regis* autem Titulo inſigniri renuit, eò quod regium Nomen Populo jam inviſum reddidiſſet. Sub hoc tamen minùs ambitioſo *Protectoris* Nomine tria iſta Regna majori, quam ipſi Reges, Poteſtate gubernavit Vir ille verſutiſſimus, ſuoque docuit Exemplo, Tyrannos aliquot ſceleratiſſimos, ſaltem uſque ad Obitum, in hac Vita eſſe fortunatos. Quod & dudùm ajebat *Jeremias* Propheta *(h)* : *Quare Via impiorum proſperatur? Bene eſt omnibus, qui prævaricantur, & inique agunt (i).*

XXXIX. His ita ſuccinctè narratis, opportunum erit hic Loci exhibere Schema Numerale Legum omnium pænalium, quæ *Elizabethâ*, *Jacobo*, & *Carolo* regnantibus, contra Catholicos in *Anglia*, & *Hibernia* latæ ſunt, ex Libello Anglicano *Gulielmi Birchlei*, impreſſo *Londini* 1653, juxta Verſionem latinam, quam tradit *Daniel* noſter *O-Daly*, alias *Dominicus de Roſario (k)*.

“ 1. Secunda Recuſatio Juramenti Primatûs Regij, in Rebus etiam Eccleſiaſticis (l), puniatur ut
“ Suprema Perduellio. *Anno* 5 *Elizabethæ*, *Cap.* 1. *(m)*.

“ 2. Defenſare, vel extollere Auctoritatem Sedis Romanæ, pro ſecunda Vice ſumma Perduellio. 5.
“ *Elizabethæ*, 1.

“ 3, Obtinere ullam, aut uti Bullâ aliquâ *Romanâ*, ſumma Perduellio. 13 *Elizabethæ*, 2.

“ 4. Perſuadere, vel inducere aliquem reconciliari ad Religionem *Romanam*, ſumma Perduellio. 23
“ *Elizabethæ*, 1 ; & 3 *Jacobi*, 4.

“ 5. Viri Preſbyteri, & Religioſi, & Ritu *Romano* initiati, ſi veniant, vel maneant in ullo Regis Do-
“ minio, ſumma Perduellio. 27. *Elizabethæ*, 2.

“ 6. Item ſi prædicti remanſerint in ullo Seminario per ſex Menſes poſt Proclamationem prædicti Sta-
“ tuti, poſt Reditum ſummæ Perduellionis rei habentur. 27 *Elizabethæ*, 2.

“ 7. Qui celaverit Bullam aliquam, vel Inſtrumentum à Sede *Romana*, vel etiam Reconciliationem
“ ſibi propoſitam, aut oblatam, tanquâm Perduellionis reus punitur. 13 *Elizabethæ*, 2,

“ 8. Fovere, aut celare eos, qui inducunt, aut reconciliare cupiunt omnes ad Religionem *Romanam*,
“ ſumma Perduellio. 23 *Elizabethæ*, 1.

(*f*) Recolendum Cap. vi. Num. xi. Lit. k. Pag. 116.

(*g*) Confer inferiùs dicenda Num. lxxxii.

(*h*) Cap. xii. Verſ. 1.

(*i*) Alia de *Cromuello* videſis Cap. præſ. à Num. lxxxii.

(*k*) A Pag. 386.

(*l*) Adeas Cap. præſ. Num. iii. Pag. 598.

(*m*) Confer Sect. 12. hujus Num.

“ 9. Recipere apud ſe, fovere, vel adjuvare Hominem Eccleſiaſticum, ſciendo ipſum eſſe talem, Perduellio ſumma. 27 *Elizabethæ*, 2.

“ 10. Juſſus Regno exire Catholicus, ſi renuat, aut ſine Licentia reverſus fuerit, ſit reus Perduellionis. 35. *Elizabethæ*, 1. 2.

“ 11. Exire Regno ad ſerviendum extraneo Principi, niſi priûs ille qui exit, Juramentum Fidelitatis, & Primatûs Regij (*n*) præſtiterit, ſimulque voverit, necnon & Cautione vel Obligatione firmâ, & juridicâ ſpoponderit ſe nunquàm cum Religione *Romana* reconciliaturum, Crimen læſæ Majeſtatis. 3 *Jacobi*, 4.

“ 12. Prima *Recuſatio* Juramenti Primatus Regij in ſpiritualibus punitur tanquàm Caſus, qui in Lege Anglicana dicitur *Præmunire*, & importat Confiſcationem omnium Bonorum mobilium, & immobilium, Carcerem perpetuum, & Privationem à quocunque Beneficio Juris. 5 *Elizabethæ*, 1. (*o*).

“ 13. Proponere, vel defenſare ullam ſpiritualem Poteſtatem Sedis *Romanæ*, punitur ut Caſus *Præmunire*. 5 *Elizabethæ*, 1.

“ 14. Adferre, vel accipere Cruces, Imagines, vel *Agnos Dei*, vel *Româ*, vel aliundè Sacras Reliquias, punitur tanquàm Caſus *Præmunire*. 13 *Elizabethæ*, 2; *&* 23 *Elizabethæ*, 1.

“ 15. Adjuvare quoquomodo Perſonam ullam, Diplomate aliquo utentem, à Sede *Romana* conceſſo, eſt Caſus *Præmunire*. 13 *Elizabethæ*, 2; & 23 *Elizabethæ*, 1.

“ 16. Fovere, vel quoquomodo adjuvare aliquem degentem in Collegijs, vel Seminarijs extramarinis, eſt Caſus *Præmunire*. 27 *Elizabethæ*, 2.

“ 17. Secunda *Recuſatio* Juramenti Fidelitatis (*p*) eſt Caſus *Præmunire*. 3. *Jacobi*, 4; & 7 *Jacobi*, 6.

“ 18. Qui non præſentaverit, vel revelaverit, ſi quem cognoverit Eccleſiaſticum Virum in Locis extramarinis initiatum, incarceratur. 27 *Elizabethæ*, 2.

“ 19. Judicatus, vel ſuſpectus *Recuſans* (*q*) incarceratur. 29 *Elizabethæ*, 2.

“ 20. *Recuſans* adire Templa Proteſtantium, vel adeſſe Orationibus eorum, incarceratur, nec dimittitur Vadimonio. 35 *Elizabethæ*, 1.

“ 21. *Mulier* conjuncta *recuſans* Juramentum Fidelitatis incarceratur. 3 *Jacobi*, 4.

“ 22. Mulier conjuncta, de *Recuſatione* convicta, incarceratur donec Maritus ejus ſolverit decem Libras *Anglicanas* (*r*) per Menſem, vel tertiam Partem omnium Terrarum ejus. 7 *Jacobi*, 6.

“ 23. Catholici, qui non poſſunt ſolvere Mulctam pænalem, quam Fiſco Regio debent, incarcerantur uſque ad integram Solutionem. 23 *Elizabethæ*, 1.

“ 24. Hominis propter *Recuſationem* excommunicati Domus infringitur, ut capiatur. 7 *Jacobi*, 6.

“ 25. Qui à Frequentatione Templi Proteſtantium per Annum abſtinebit, Eutrapeliæ Obligationem, aut probæ Converſationis ſuæ Securitatem, & Vadimonium coram Rege præſentabit. 23 *Elizabethæ*, 1.

“ 26. Omnes *Recuſantes* ultrà quinque Milliaria per Circuitum à Domo ſua diſcedere prohibentur ſub Pæna Mortis. 23 *Elizabethæ*, 2.

“ 27. Decem Milliarium Spatio *Londinum* accedere non poſſunt. 3 *Jacobi*, 5.

“ 28. Domum, in qua Rex, vel Hæres ejus apparens exiſtit, introire non poſſunt. 3 *Jacobi*, 5.

“ 29. Pro Abſentia a Templo *Proteſtantium* quolibet Die Dominico ſolvit quis duodecim Denarios *Anglicanos* (*s*). 1 *Elizabethæ*, 2.

“ 30. Pro eadem Abſentia quolibet Die Feſto duodecim Denarij. 3 *Jacobi*, 4.

“ 31. Pro Abſentia ab Officijs, & Orationibus *Proteſtantium* quolibet Menſe, quilibet viginti Libras *Anglicanas* ſolvet Regio Fiſco. 23 *Elizabethæ*, 1; & 3 *Jacobi*, 4.

“ 32. Qui non ſolvit viginti dictas Libras *Anglicanas* pro quolibet Menſe, ejus Bona omnia, Terræ, ac Tenementa Regio Fiſco cedunt. 29 *Elizabethæ*, 6; & 3 *Jacobi*, 4.

“ 33. Stat ſub Arbitrio Regis accipere, vel recuſare viginti prædictas Libras Anglicanas per Menſem à quolibet *Recuſante*, vel ex tribus Partibus duas ſibi aſſumere ex Bonis omnibus immobilibus. 3 *Jacobi*, 4.

“ 34. Omnes

(*n*) Illius Formulam videre eſt Cap. præſ. Num. iii. Pag. 599.

(*o*) Confer Sectionem 1 Num. præſ. & Num. cxiii. Lit. l.

(*p*) Formulam Juramenti hujus Fidelitatis ſub Rege *Jacobo* legere eſt Cap. præſ. Num. xi. Pag 614.

(*q*) Conſulendus Num. xv. Cap. præſ. Lit. t.

(*r*) Hoc eſt, quadraginta Scuta Monetæ *Romanæ*.

(*s*) Hoc eſt duos *Julios Romanos*.

“ 34. Omnes Terræ, & Tenementa *Recuſantium* Regio, Titulo habita, Regi ipſi cedunt propter Recuſantiam. 25 *Elizabethæ*, 2.

“ 35. Omnes Pænalitates, & Mulctæ fiſcales propter *Recuſantiam*, quæ Prædeceſſori debentur, Hæredi incumbunt, ſi *Recuſans* eſt. 1 *Jacobi*, 4.

“ 36. *Recuſans* Sacramentorum Uſum juxtà Ritum *Anglicanum*, primo Anno viginti Librarum *Anglicarum*, ſecundo Anno quadraginta, tertio ſexaginta *Anglicarum* Librarum Mulcta, & ſic quolibet Anno deinceps plectendus. 3 *Jacobi*, 4.

“ 37. Qui præſentat, indicat, vel revelat Judici *Recuſantem*, duas Libras *Anglicanas* de Bonis *Recuſantis* accipit. 3 *Jacobi*, 4.

“ 38. Pro quolibet Homine commorante, vel Servo ſuo *Recuſante*, *Recuſans* decem Librarum *Anglicarum* Mulctâ plectitur pro quolibet Menſe. 3 *Jacobi*, 4.

“ 39. Ex tribus Partibus duæ ex Dote, vel Junctura Mulieris conjunctæ, cedunt Regio Fiſco, ſi *Recuſans eſt*. 3 *Jacobi*, 5.

“ 40. Pro quolibet Acceſſu ad Curiam centum Libræ *Anglicanæ* ſolvuntur à Catholicis. 3 *Jacobi*, 5.

Hoc Statutum, atque vigeſimum ſeptimum, & vigeſimum octavum, id videntur intendere, ut Catholicis tollatur Libertas ſuam agendi Cauſam in Curia. Verum quomodocunque accedant, ſivè ut ipſi Cauſam ſuam agant, ſivè vocati, ut pro ſe reſpondeant, pro ſua Præſentatione, & Apparentia ſolvunt Mulctam jàm dictam.

“ 41. Qui Filios ſuos non baptizant publicè juxtà Ritum *Anglicanum* infra Menſem poſt Nativitatem eorum, pro Mulcta ſolvunt centum Libras *Anglicanas*. 3 *Jacobi*, 5.

“ 42. Qui Uxorem ducit Miniſtro *Proteſtante* non præſente, ſolvit centum Libras *Anglicanas*. 3 *Jacobi*, 5.

“ 43. Pro Sepultura Corporis alibi quàm in Templo, vel Cæmeterio *Proteſtantium* ſolvuntur centum Libræ *Anglicanæ*.

“ 44. Qui tranſmittit Adoleſcentes in Loca extramarina ſine Licentia, ſolvit centum Libras Anglicanas.

“ 45. Qui nutrit, aut ſuſtentat pro Infantibus ſuis Pædagogum, vel Ludimagiſtrum, non frequentantem Templa *Proteſtantium*, nec habentem Permiſſionem docendi, pro quolibet Menſe ſolvit decem Libras *Anglicanas*. 23 *Elizabethæ*, 1; 29 *Elizabethæ*, 6.

“ 46. Item Ludimagiſter, vel Pædagogus ipſe *Recuſans*, & Catholicus eum retinens apud ſe, ſolvere debent pro quolibet Die duas Libras *Anglicanas*. 1 *Jacobi*, 4.

“ 47. Omnia Bona mobilia, vel immobilia Catholici tranſeuntis extra Fines præſcriptos durante ſuâ Vitâ cedunt Regio Fiſco. 23 *Elizabethæ*, 2; & 3 *Jacobi*, 5.

“ 48. Item omnia Bona tranſeuntis, vel mittentis Filium ſuum in Partes extramarinas ad Educationem ejus in Religione *Romana*, tàm mobilia, quàm immobilia, cedunt Regio Fiſco. 3 *Caroli*, 2.

“ 49. Catholicus reſidens intrà decem Milliaria *Anglicana* propè *Londinum*, centum Libris *Anglicanis* plectitur. 3 *Jacobi*, 5.

“ 50. Catholicus exercens aliquam Functionem ex his quæ Statuto 3 *Jacobi*, 5 referuntur, centum Libris *Anglicanis* plectitur. 3 *Jacobi*, 5.

“ *Functiones autem hujuſmodi, à quibus excipiuntur Catholici, ſunt quæ ſequenti continentur Statuto.*

“ 51. Catholici inhabiles declarantur ad Officia, vel Functiones, quibus mediocrem Vitam ducere poſſunt, videlicèt non poſſunt eſſe Advocati in Lege communi, vel civili, vel Diſpenſatores in Bonis alicujus, Procuratores, aut Promotores, aut Officiales in Curia; non poſſunt exercere Medicinam, aut Pharmacopeam; non poſſunt eſſe Officiales in Exercitibus pedeſtribus, vel equeſtribus; nec præeſſe Navibus, Caſtris, aut Præſidijs. 3 *Jacobi*, 5.

“ 52. Sunt inhabiles ad appellandum, vel reclamandum contrà Proceſſum, vel Sententiam, propter Defectum Formæ etiam Juris. 3 *Jacobi*, 4.

“ 53. Maritus Mulieris *Recuſantis* ſit inhabilis ad quæcunque Officia in Re, vel Adminiſtratione publica. 3 *Jacobi*, 5.

“ 54. Matrimonium contractum aliter quam ſecundùm Ritum *Anglicanum*, reddit Maritum inhabilem ad hoc ut ſit Inquilinus de Gratia, ſeù privilegiatus, & Mulierem reddit inhabilem ad habendam Dotem, vel Juncturam à Marito, aut ullam Portionem de Bonis Mariti. 3 *Jacobi*, 5.

“ 55. Similiter Catholicus fit inhabilis ad proſequendam Actionem, præſentanda Beneficia, nec poteſt
“ eſſe Executor, vel Adminiſtrator in Teſtamentis, vel Tutor. 3 *Jacobi*, 5.
“ 56. Infantes, & Juvenes educati in Locis extramarinis ſine Licentia, excluduntur, & inhabiles fiunt,
“ ne poſſent à Parentibus aliquo donari, vel per Chartam, aut Inſtrumentum, vel Beneficio Proſapiæ uti
“ in Participatione Bonorum. 1 *Jacobi*, 4; & 3 *Jacobi*, 5.
“ 57. Præter has omnes Pænalitates Catholici declarantur ſubjecti omnibus Cenſuris quaſi Eccleſiaſticis
“ *Proteſtantium*, Pæniſque exindè ſecutis de Jure Regni *Anglicani*. 23 *Elizabethæ*, 3; & 3
“ *Jacobi*, 4.”

XL. His omnibus gravius eſt Statutum Sequeſtrationis, & Confiſcationis duarum Partium omnium Bonorum mobilium, & immobilium, realium, & perſonalium, publicatum contrà *Recuſantes* Juramentum Abjurationis Fidei, Tenoris ſequentis (*t*):

“ *Statutum Parlamentare, factum in Anglia decimo nono Auguſti Anno* 1643 “ *contra recuſantes novum Juramenti Genus, circà Principia* “ *Fidei, & Religionis excogitatum.*

“ DECRETUM eſto, ſanctèque inſtitutum per Illuſtriſſimos Dominos, & Comitialem Populum hujus Parlamenti, ut quæcunque Perſona unius & viginti Annorum Ætatis, aut ſuprà, Juramentum inferiùs expreſſum præſtare, aut vovere recuſaverit (quod quidem Juramentum duo
“ vel tres aliqui Commiſſarij Sequeſtrationis in quolibet Comitatu, Civitate, aliove quovis Loco, vel duo
“ Juſtitiarij Pacis, aut Prætor, ſeù Major, Balivi, aut alij præcipui Officiales in qualibet Civitate, Pago, vel
“ Corporatione, omnibus, & ſingulis quibuſcunque Perſonis adminiſtrare poterunt) talis ſcilicèt Perſona
“ *recuſans* tanquàm *Papiſta*, & Prævaricator, & reus hujus, atque prioris Decreti, Reatum Amiſſionis,
“ & Confiſcationis, necnon & Sequeſtrationis binæ, vel duplicis tertiæ Partis omnium Bonorum,
“ mobilium, & immobilium, realium, & perſonalium, ſimul ac Prædiorum, & Proventûs eorundem incurrat.
“ Eademque duplicis tertiæ Partis Bonorum omnium Portio, ſic confiſcata, & ſequeſtrata, Reditus,
“ vel Proventus eorundem vendatur, locetur, & diſponatnr ſecundùm Modum, Proportionem, & Perſonas,
“ quo, vel quibus, & prout in Decreto Sequeſtrationis contrà Papiſtas præſcriptum, atque ordinatum
“ habetur.

“ Forma autem Juramenti eſt ut ſequitur.

“ *Ego A. B. Abjuro, reſpuo, rejicio Romani Pontificis Auctoritatem, aut Suprematum, tàm ſuper Eccleſiam*
“ *Catholicam in generali, quàm ſuper meipſum in particulari. Credo, & confiteor, nullam fieri Tranſubſtantiationem*
“ *in Sacramento Cænæ Domini, in Speciebus Panis aut Vini poſt Conſecrationem earundem*
“ *quocumque Modo, vel a quacunque Perſona fiat. Item credo, nullum eſſe Purgatorium, nec conſecratam*
“ *Hoſtiam; Crucifixi, vel quaſcunque alias Imagines ullo Modo adorandas, nec ullum eiſdem Adorationis*
“ *Cultum debitum eſſe. Similiter credo, Salutem Animæ nullatenus per Merita bonorum Operum*
“ *acquiri poſſe; omnemque Doctrinam in Affirmationem dictorum Articulorum abjuro, denego, deteſtor,*
“ *omni Æquivocatione, aut mentali Reſervatione, aut occultâ, vel ſecretâ Evaſione ſeclusâ, ſed Verba*
“ *ipſa, quæ profero, ſecundum communem, & uſitatum Senſum, & ſignificationem omnium Hominum, intelligendo.*
“ *Itâ me Deus adjuvet*” &c.

XLI. His ab *O-Dalæo* noſtro fideliter exſcriptis, ſequentia Memoratu digna proprio Marte ſubjungit:
“ Extractum eſt hoc Decretum cum ipſius Juramenti Forma, & ex *Anglico* traductum, ex Libello impreſſo
“ *Londini* in *Anglia* Anno 1653. Multa quidem dicenda forent circà hujus Decreti, necnon &
“ Juramenti Ineptias, ſi Apologeticum, vel Controverſiam inſtituere contingeret. *Gulielmus* autem
“ *Birchleus* illius Libelli (qui *Moderator Chriſtianus* in Lingua *Anglicana* dicitur), Author ſanè moderatus,
“ non auſus fortè in altum Diſputationum ducere propter imminentem Tempeſtatem, concinnè oſtendit
“ violentam Extorſionem hujus Juramenti cum Libertate Nationis *Anglicanæ*, immò & cum antiquis,
“ & noviſſimis Regni *Anglicani* Legibus repugnare. Et quidem meritò, ſiquidem hoc Decreto, &
“ Juramento mentita eſt Iniquitas ſibi, & in uno ſolo Triennio *Anglia* Fidem publicam Regni Perjuris
“ violare

(*t*) Ex *Daniele* noſtro *O-Daly*, ſeù *Dominico de Roſario*, Pag. 316.

“ violare non modò permiſit, ſed ordinavit. Anno namque Domini 1640 ex Motione totius Corporis Parlamentaris novem Viri Nobiliſſimi Domini Commiſſarij ex Æde Superiori (*u*) Regi *Carolo* Supplicem Libellum de præcipuis Regni Gravaminibus obtulere, in quo illud unum vel maximè moleſtum aſſerebant, quod tot Juramenti publici Innovationes, & Canones, vel Formæ, nuperrimè Clero Populoque impoſitæ, & adminiſtratæ, communem Libertatem abolere videntur. Undè factum eſt Statutum, ut in hujus Exactiones, jamque ſerpentis Mali Remedium, totius Parlamenti Decreto ſancitum eſſet, ut ſequitur:

“ *Nulla Perſona quâmcunque Auctoritate, vel Juriſdictione Eccleſiaſticâ, multò minùs temporali, præditus, ſivè ex Officio, ſivè ex Inſtantia, vel Suggeſtu alteriùs cujuſcunque Perſonæ, urgere, vel cogere Perſonam ullam (aut eidem proferre, vel adminiſtrare) audeat ad Votum, vel Juramentum aliquod, quo Perſona ipſa teneatur fateri aliquid contrà, vel accuſare ſeipſum de Crimine. vel Offenſa, Delicto, vel Negotio ullo, Ratione cujus Reatum alicujus Pænæ, vel Punitionis incurrere poſſit.*

“ Hoc tamen non obſtante in uno Triennio, Anno ſcilicèt 1643, Decretum de nova, & inuſitata pejerandi Forma ab ijſdem ipſis Perſonis, eodemque ipſo *Parlamento* emerſit.

“ Deindè in illo antiquo Bullario *Anglicano*, quod, quaſi *Mare Magnum*, omnia Privilegia Libertatis *Anglicanæ* continet, ac proindè *Magna Charta* vocatur, antiquæ Latinitatis Tenore ſic habetur: *Nullus Liber Homo capiatur, vel impriſonetur, aut diſſeſietur de* Libero *Tenemento ſuo, vel Libertatibus ſuis, vel liberis Conſuetudinibus ſuis, aut outlagetur* (id eſt, Juris Beneficio privetur), *vel exuletur, aut aliquo Modo deſtruatur, nec ſuper eum Mittimus* (id eſt, nec per Nos, nec per Commiſſarios noſtros Actionem facimus) *niſi per legale Judicium Parium ſuorum, vel per Legem Terræ.* Quæ Verba ex Juſtitiario *Cookæo*, ſecunda Parte Inſtitutionum, Fol. 45, intelligi debent de ſuſpectis in Materia capitali, vel in Caſibus extraordinarijs: Ecce tamen hoc Decreto duabus Tertijs Bonorum privantur *recuſantes* pejerare contrà Conſcientiam. Et in eadem Magna Charta: *Nullus Balivus poteſt exigere Juramentum ab aliquo de ſuo ſimplici Dicto, niſi fidelibus Teſtibus de eodem Dicto ad Judicium inducatur.* Et tamen hìc Juramentum exigitur de Cogitatione Cordis, Actu ſcilicet interiori Fidei.

“ Item in Statutis *Eduardi Tertij*, Anno ejus Regni 42, Cap. 3, ſic habetur: *Statutum pro bono Regimine communi, quod nullus ad reſpondendum cogatur, niſi priùs coràm Judice præſentetur, & regiſtratâ Cauſâ per debitum Proceſſum, & originale Scriptum ſecundùm antiquam Terræ Legem accuſetur.* Undè & in Lege data 29 *Eduardi* III dicitur, quod *Nemo tenetur prodere ſeipſum*; & tamen hìc ſtricto Perjurio Cogitationem ſuam prodere cogitur. Similiter in Statutis *Henrici Octavi*, 29. Cap. 14, ſic dicitur: *Non ſtat cum recto Ordine Juſtitiæ, vel Æquitatis, quod aliqua Perſona convincatur, aut judicetur ad Amiſſionem Vitæ, bonæ Famæ, vel Nominis, vel Bonorum, niſi per debitam Accuſationem, & Teſtes, vel Præſentationem*, &c. Et huic Fundamento innititur Statutum Anno 9 *Elizabethæ*, Cap. 1. ubi loquendo de Eccleſiaſtica Juriſdictione, vel Offenſa, dicitur: *In talibus Caſibus nullus judicabitur, vel reus declarabitur, ſine duobus, vel tribus Teſtibus, Facie ad Faciem adductis, maximè ſi Perſona ipſa, cujus intereſt, hoc exigat, vel requirat.* Et in hoc Decreto ex *Recuſatione* Juramenti proprij de Juriſdictione Eccleſiaſtica Pontificis, & actu interiori Fidei, qui eſt Offenſa Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & ſpiritualis, condemnatur aliquis, & plectitur. Tandem in ſecunda Parte *Inſtitutionum* Juſtitiarij *Cookæi* (cujus Opera ex Mandato hujus Parlamenti publicata ſunt) Fol. 65 ſic habetur: *Nulla Perſona Eccleſiaſtica, vel Temporalis, debet in Eccleſiaſtica Curia, multò minùs Temporali, examinari de Cogitationibus Cordis, ſeù quid cogitet in Mente, ſicut poſitum eſt in Uſu per Judices Parlamenti quarto Jacobi.* Et tamen hoc Decreto vide quid de Cogitationibus Cordis. Certè mirum fuiſſet, tot Legibus antiquis, & modernis contrarium hocce judiciale Genus excogitatum eſſe, niſi jamdiù comprobatum eſſet, in *Anglia* Legem nullam in Religionis Cauſa eſſe permanentem. Siquidem in Religionis Materia verè dixiſſet quidam (de his Parlamentarijs, non autem alijs illuſtrioris Notæ Perſonis) proprius ipſorum Propheta: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ Beſtiæ, Ventres pigri*, ad *Titum* 1, Verſ. 12.

XLII. “ Cæterùm ut præſentium Perſecutiones referam nudè, & ſimpliciter, ſine Fuco, & Faſtu, pauca de antiqua, & præſenti Conditione Regni *Hiberniæ* delibare oportet, ut conſtet Univerſo Mundo, quantùm ſibi conſtans Perſecutorum Iniquitas, vel meliùs dicam, quàm ſibi, ſuiſque Decretis,

---

(*u*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

ab æterno præſtitutis, ſecura Dei Providentia, quæ Peccata Parentum quandoque diſſimulat, ut eadem in Filijs viſitet Cujus ſanè Providentiæ Ordinatione Nos hodie Deo, & Hominibus Spectaculum facti ſumus, ut ex Nobis diſcant Nationes univerſæ, quàm horrendum ſit incidere in Manus Dei viventis, & qui ſtat, caveat ne cadat. Si enim gloriari oportèt, gloriabimur adhuc in infirmitatibus noſtris, quia aliquando

“ *Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorum.*

“ *Fuimus* aliquandò Regibus, & Principibus, & Magnatibus, Auro, Gemmis, & Oſtro ſplendidis glorioſi; Armis Terra Marique potentes, utpotè non Gentibus *Hibernis* modò, ſed vicinis Nationibus, Occidentalibus *Anglis*, & *Scotis*, & *Caledonio* Mari ad *Hæbudes*, & *Orcades* amæniſſimas Inſulas, & ultimam uſque *Thulen* imperitantes, Aquilonaribus *Danis*, & *Noruegis* Populis Hoſtes ſemper infenſi, Occiduis *Armoricis*, & *Britannicis Galliæ* Oris metuendi, magis quàm Hoſtes.

“ *Fuimus* fortiſſimis Propugnaculis, & Civitatibus, & Caſtellis, Lacunis, & Foſſis, ſuper & ſubtus Terra vallatis, & Hominibus, ex Rigoribus Hyemis, & Flatibus Aquilonis furibundis, & quaſi Leonum Catulis Sanguine lactatis, ab Uberibus attractandis, Armis aſſuefactis, inſtructi, atque muniti.

“ *Fuimus* Opibus indigenis, & extraneis abundantes, quibus Terra ipſa Argentum puriſſimum, Plumbum, Stannum, & Ferrum, Crocum, & Oſtrum, Frumenta ſine Prætio, Linum, & Lanuginem, Lac, Ceram, & Mella, Eſcas venaticas, & Volatilia, Piſces ſine Numero, & Conchilia Gemmis oppleta (*w*). *Barbariâ* Aurum, & Electrum, *Italiâ* Sericum, & Biſſum præſtabat. Vinum Clima non admittit, ſed robuſtiores nutrit Cerviſia quàm Temetum.

“ *Fuimus* Studijs Literarum ſuper omnes Nationes florentiſſimi, utpotè tales à quibus tanquàm ab Alveo omnium Scientiarum in exteras Nationes (quibus Univerſitates, & publicas Scholas inſtituentes, *Pariſienſem* in *Gallia*; & *Pavienſem* in *Italia*, *Carolo* Magno *Joannis*, & *Clementis*, *Albini*, & *Alcuini* Hibernorum Operâ utente, Teſte *S. Antonino*, 2. Part. Tit. 14 Cap. 15. §. 12, *Oxonienſem*, *Landiſfarnenſem*, *Malmeſborienſem* in *Anglia*, *Lafuldenſem*, *Sangalenſem*, *Herbipolenſem* in *Germania*, Teſte *Henrico Fitz-Simons*, Lib. 3 *Britonomachiæ*) Flumina profuſa currebant, habentes apud Nos tot Univerſitates celeberrimas, *Caſſelienſem*, undè *Petrus Hibernicus*, Divi *Thomæ* Magiſter in Philoſophia (*x*), *Liſmorenſem*, *Imelacenſem*, *Ardmachanam*, *Dunenſem*, undè Doctor Subditis *Scotus de Duns*, Teſte eodem *Fitz-Simons*, ad quas, tanquam ad Fontem, ſitibunda Scientiarum Zelo Studentium Agmina ex omni Orbis Parte recurrebant, ut fert *Camdenus* ipſe, Author *Anglus*, in Rei Fidem adducens illud antiquum Carmen in Vita *S. Sulgeni* (*y*):

“ *Exemplo Patrum, commotus Amore legendi,*
“ *Ivit ad Hibernos, Sophiâ mirabile claros.*

“ Per omnes enim *Europæ* Nationes diſperſos quondam Philoſophos, Cathedraticos, & Doctores ex *Hibernia*, non obſcurè indicat Epiſtola dedicatoria *Erici* Monachi *Antiſſiodorenſis* de Vita *S. Germani* ad *Carolum Magnum*, ubi Imperatoris Zelum in promovendis Literarum Studijs commendat; & inter alias Imperatoris Laudes, *Hibernos* turmatìm confluentes ad Studia promovenda, & à *Carolo* benignè acceptos, commemorat, ut habetur apud *Baronium* Tom. 10, ad Finem Anni 876, his Verbis: *Quid Hiberniam commemorem, contempto Pelagi Diſcrimine, penè totam cum Grege Philoſophorum ad Littora noſtra migrantem, quorum quiſque peritior eſt, ultrò ſibi indicit Exilium, ut Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad Votum.* Hæc ille apud *Baronium*.

“ *Fuimus* in Religionis Catholicæ Cultu, & Splendore, fortè non uni Nationi ſolùm, ſed toti Mundo æquales, utpote quorum Inſula (Teſte *Theodorico* in Vita *S. Rumoldi*) *ſicut omni Terrarum Glebâ fæcundior, itâ Sanctorum glorioſâ Simplicitate beatior*, ex qua (Teſte *Divo Bernardo* in Vita *S. Malachiæ*) *in exteras Nationes, quaſi Inundatione factâ, tot ſe Sanctorum Agmina effuderunt, ex quibus ad Gallicanas Oras Columbanus* &c (*z*), ut *Thebaidem*, & *Egyptum* Sanctorum Multitudine

“ Nos

(*w*) Adeas Cap. i. Num. vii. Pag. 10.

(*x*) De eo jam dictum Cap. xv. Num. iii. Pag. 534.

(*y*) Confer Cap. i. Num. xvi. Pag. 25.

(*z*) Confer Cap. i. Num. xiv. Pag. 21.

“ Nos ſuperiores fuiſſe gloriemur, quos Divus *Bernardus* ibidem *ubertim Sanctitate inebriatos, & multipliciter locupletatos* annuit, applicans Nobis illud Pſalmi 64: *Viſitaſti Terram, & inebriaſti eam, multiplicaſti locupletare eam.*

“ *Fuimus* antiquâ Nobilitate non tàm ſuperbi, quàm fulgentes, quippè quibus adhuc extant Familiæ eodem Nomine, iiſdemque Poſſeſſionibus gaudentes (quod paucis, aut ferè nullis Nationibus videmus conceſſum) à bis mille Annis Regibus, Principibus, & Dynaſtis adeò illuſtres, quamvis à priſtina Gloria declinaverint, nunquàm tamen deteriùs quàm in Marchiones, ſeù Comites abierint. Idque tàm mirum, atque Oſtentatione dignum judico quàm certum eſt, etſi Jure Naturæ ſolos Maſculos, tamen ab Ingreſſu *Anglorum* in *Hiberniam* (*a*) Maſculos, & Fæminas Hæreditate potiri. Uno jam Verbo concludo: *Imperium Oceano Famam finivimus Aſtris.*

“ Succinctè equidem, & verè jactatum audivimus, quales, & quantos Nos olìm fuiſſe gloriemur; jam quales hodie ſimus, paucis auſcultemur. Itàque his *Angliæ* Revolutionibus extremis, quibus diro, & longo Diſcrimine inter Regem, & *Parlamentum* diſceptatum, *Hiberni* Vices ſuas acturi, Religionis Catholicæ Cultum, & Patriæ Libertatem cum Regis Defenſione propugnandam ſuſcipiunt. Sed certè is Nobis ipſis, non modò renitentibus, ſed vel ipſi Deo Obſequia noſtra recuſanti fruſtrà militare contendentibus, a Regibus in *Anglia* incepit Schiſma, & Religionis Corruptio: Quidni & ab illis Auſpicium ſumpſiſſet Monarchiæ Deſtructio? Propter *Lucretiam* à *Sexto Tarquinio* Vi oppreſſam, ſingulare Caſtitatis Exemplar, *Romani* Reges abegerunt. Quidni & *Anglia* (Deo potiſſimùm impellente) propter oppreſſum, & corruptum Religionis, & Eccleſiæ Catholicæ, caſtiſſimæ Sponſæ Chriſti, Florem (etſi ignorans quid faceret) Reges profligaſſet? Hæreſis eſt quaſi Meretrix, Aqua profunda, & Puteus anguſtus. Reges illam ſpontè amplexi ſunt; ab illa tandem complexi, abſorpti ſunt. Invaluit ſiquidem furentis Populi Multitudo adversùs Regem, & Democratiæ Monarchia Locum ceſſit; hæc Nobis Malorum Initia fuere. Rege Capite plexo, in *Hiberniam* eadem Hæreticorum Multitudo refunditur, Laniones, & Macellarij, Balatrones, & Furnarij, Fullones, & Furciferi quique Homines Copias ducunt; Militiæ Ducatum, aut Præfecturam ullam Nobilibus conferre Diffidentia non permiſit. Hinc Arma, indè Peſtis, intùs Fames, obruunt, ut triplici Dei Flagello unà viſitemur. Peſte mori jucundùm fuit, quia, præter Ignominiam, occiſis Gladio melius fuit quàm conſumptis Fame, quia iſti extabuerunt præ Inopia. Quid plura commemorem? Præter communia Reipublicæ Mala, ut quod Civitates, & Oppida fuerint occupata, Nobiles extincti, Ædificia radicitùs deſtructa, Templa Solo corroſa, Altària polluta, Sacra omnia prophanis commutata, Familiæ integræ obliteratæ, depopulata Rura, Agricolarum Armenta in Manubias Militum converſa, & nulli quod ſuum eſt poſſiderent. Feliciores ſint, quibus nihil fuit, pro privari poſſint. Prœter hæc, inquam, communia Mala, totus, & omnis Furor in Eccleſiaſticos Homines converſus eſt; eòque tandem evectus, ut ex penetralibus, & cubilibus Domorum, à Speluncis, & Cavernis Terræ, ac Montibus, & Sylvis eruti, inermes, nudi, mutilati, cæſi, manci, perfoſſi, Lapidibus impetiti, ad Carceres, Cruces, & Patibula traherentur. Certè etſi ex omni Eccleſiaſticorum Hominum Ordine, & Statu, in hoc Defenſionis Genere, & Fidei Diſcrimine, quàm plures extremum Vitæ Spiritum effudiſſe (quorum vel Nomina, vel Res geſtas ad Manus habere nondùm contigit) tamen ex noſtro Fratrum Prædicatorum Albo innumeros Vitæ ſuæ prodigos, Æquanimitate, Alacritate, Conſtantia, in audiendis Periculis, movendis, & excitandis Hominum Animis, ad Libertatis, & Religionis Catholicæ Vindicias, Primas tenuiſſe, totius Nationis Acclamatione, & Applauſu comprobatum habemus. Ego Neminem ungo, Neminem pungo. Vox Populi Vox Dei. Verùm Ego non de omnibus noſtri Ordinis Fratribus extremo Fidei Agone, & Certamine peremptis, adhuc integram (quam nondúm accepi) Relationem facere conſtitui, ſed aliquorum illuſtrioris Notæ Interitum (cujus certam Fidem accepi) paucis recenſere Operæ Prætium duxi.” Hæc *O-Dalæus* noſter, qui poſtmodùm totus eſt in recenſendis illis Fratribus Prædicatoribus, extremo Fidei Agone, & Certamine peremptis, Numero viginti ſex, quos, cum multis alijs, alibi, ceù in proprio Loco, ipſe recenſebam (*b*).

XLIII. Longiusculis hiſce Verbis ex *Daniele* noſtro *O-Daly*, aliàs *Dominico de Roſario*, Auctore coævo, ſic tranſcriptis, regredi Opus eſt ad infelicia *Caroli* Regis Primi Tempora, quorum Infortunia nuper ſummatim libans, tametſi extra ſuſceptam a me Provinciam divagari viderer, nihilominùs benigno Lectori, Rem ſeriò perpendenti, luculenter conſtabit, ea Scitu neceſſaria eſſe, ut probè intelligatur, quo juſto Titulo iſta in Calamitate ad Arma concurrerint *Hiberniæ*

(*a*) Recolendum Cap. i. Num. xxi. Pag. 30.

(*b*) Cap. ſuperiori per totum.

berniæ Catholici indè gaudentes priſtinâ Religionis Catholicæ Libertate. Enimverò per quatuor Annos reſtitutus erat publicus Orthodoxæ Fidei Cultus, Ædes Sacræ recuperatæ, viduatis Eccleſijs præfecti Antiſtites, ac Parochijs proviſi Paſtores, Religioſique Ordines reflorentes, juxta ſua reſpectivè Inſtituta vivebant.

DOMINANTE igitur, ut præfertur, in *Angliæ* Comitijs *Puritanâ* Colluvie, ſtultam ſuam machinante Anarchiam, ſeù potiùs Oligarchiam, atque regio *Caroli* Primi Jugulo, & Catholicorum *Britannicæ* Monarchiæ Cervicibus inſidiante, Noſtrates *Hiberni* ſibi, ſuæque Orthodoxæ Fidei, metuentes, ſub Initium Menſis Maij 1642 apud *Kilkenniam* (*c*), mediterraneam *Lageniæ* Catholicam Urbem, ex omnibus Comitatibus, Civitatibus, & Oppidis inſignioribus Catholicis primarij aliqui Viri, ab ipſis deſtinati, unà cum Proceribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Regni per mutuas Literas monitis Prælatis, convenerunt, ut, communicatis inter ſe Conſilijs, concludere poſſent, qualiter, durante iſtâ *Puritanorum* Rebellione, Catholici ſe gererent. Ibi autem poſt maturam Deliberationem judicarunt (*d*), nullam aliam ſupereſſe Viam, quâ Fidei, Regis, & Patriæ (*e*) Libertates, & Immunitates, contra perduelles *Puritanos* propugnare poſſent, quâm ut Orthodoxi omnes, junctis ex Compoſito Viribus, Arma arriperent. Enimverò Anno ſuperiori 1641 in Manus Catholicorum inciderunt Literæ *Roberti D'Eureux*, Comitis

Eſſexiæ,

(*c*) De Urbe hac jam dictum eſt Cap. ix. §. iii. Num. i. Pag. 204.

(*d*) Prælati, & Doctores S. Theologiæ, qui Generali iſti Catholicorum Conventui intererant, de Juſtitia, & Æquitate inchoati illius Belli in *Hibernia* interrogati, in hæc reſponderunt Verba: *Cùm Bellum, quod ab* Hiberniæ *Catholicis contrà Sectarios, præſertim Puritanos, inchoatur, pro Catholicæ Religionis Defenſione, pro Supremi Regis noſtri Caroli, juſtarumque Prærogativarum, ac Jurium ejus Conſervatione, pro Sereniſſimæ noſtræ Reginæ Defenſione, pro Securitate Regiæ Sobolis, à Puritanis indigniſſime tractatæ, necnon pro Defenſione Vitæ, ac Fortunarum noſtrarum, juſtarumque, ac legitimarum noſtræ hujus Nationis Immunitatum, ac Libertatum, contrâ injuſtos Invaſores, ac Oppreſſores, maximè Puritanos, ſuſcipiatur, Nos illud ex Catholicorum Parte legitimum, ac juſtum eſſe ſentimus, ac declaramus: In quo tamen promovendo, ſi injuſtâ Avaritiæ, Odij, Vindictæ, aliâve id Genus quâcunque ſiniſtrâ Intentione, aut iniquo Conſilio, aut Fine procedant, Nos ejuſcemodi graviter offendere, adeoque Eccleſiaſticis Cenſuris caſtigandos, coercendos, ac puniendos judicamus, niſi moniti Intentionem mutent, ac Vitam emendent. Actum Kilkenniæ Die 12 Maij Anno Salutis* 1642. Ex *Bruodino*, Editionis *Romanæ* 1721 Pag. 70.

Tametſi porrò Comes *Clarendonus* in ſua *Hibernicæ Rebellionis Hiſtoria* Pag. 67, græcâ Fide aſſerere non erubuerit, *Hibernos* antè inceptam Anno 1641 Rebellionem, Re familiari, & Exercitio Catholicæ Religionis plenè potitos fuiſſe, id tamen tàm falſum eſſe quàm quod maximè, Luce meridianâ clariùs patet, partìm ex nuper à me narraris, ubi vidiſti Regem tàm *Jacobum*, quàm *Carolum*, voluiſſe aliquando Catholicis legalem concedere Tolerationem, ſeù Conſcientiæ Libertatem, ſe oppoluiſſe autem Regios in *Hibernia* Adminiſtros, inſuper Catholicos ſeverè mulctatos fuiſſe propter Abſentiam à *Proteſtantium* Templis, &c; partìm ex Aſſertione ipſiuſmet Regis *Caroli* in Libro, cui Titulus: *Eckion Baſilic*, ingenuè fatentis, *præpoſterum Rigorem* Parlamentariorum in *Anglia* ergà Catholicos, Cauſam fuiſſe cur *Hiberni* in *Deſperationem* acti, inſurgere coacti ſunt. Non quidem ob Defectionem à Rege, cui fideliſſimi erant, atque parati in *Angliam* mittere decem mille armatos Milites adverſùs rebelles Parlamentarios, ſed ob tyrannicam Proregum, ac aliorum Adminiſtrationem, & civilem, & eccleſiaſticam, nominatìm Comitis *Straffordij*, Viri multis aliàs Nominibus laudandi. Totum hoc, multoque plus ad Oculum oſtendit candidus quidam Scriptor *Proteſtanticus* Anonymus in Libro, cui Anglicè Titulus: *A brief Account from the moſt authentic Proteſtant Writers of the Cauſes, Motives and Miſchiefs of the Iriſh Rebellion on the 23d Day of October* 1641. Hoc eſt: *Brevis Relatio ex authenticiſſimis Scriptoribus Proteſtantibus Cauſarum, Incentivorum, & Malorum Hibernicæ Rebellionis Die 23 Octobris* 1641, impreſſo *Londini* 1747, & denuò *Dublinij* 1752. Ubi etiam datâ Operâ luculentiſſimè demonſtrat, multo plures Catholicos à Proteſtantibus quàm Proteſtantes à Catholicis peremptos fuiſſe, & ſanè cum lato hoc Diſcrimine, quod de infima Plebe Catholici contrà expreſſa Juſſa, & Conamina Præfectorum ſuorum perpetrarunt Malum, ſed è contrà Proteſtantes ab ipſiſmet Præfectis ſuis animati, atque mandati, in Catholicos crudeliter ſæviere.

(*e*) Catholicorum iſtorum Symbolum erat: *Pro Fide, Rege, & Patria.*

Eſſexiæ, rebellium *Parlamentariorum* in *Anglia* tunc Supremi Generalis, ad *Gulielmum Parſons*, Proregem *Hiberniæ*, rebellium *Parlamentariorum Angliæ* Morbo infectum, & nonnullorum aliorum ex primarijs *Angliæ* Rebellibus ad alios ſimilis Contagionis Proceres *Anglòs* in *Hibernia*, quibus ſcribebatur, quod ſuppreſsâ Regiâ Auctoritate in *Anglia*, *Scotia*, & *Hibernia*, alia Reipublicæ Facies eſſet introducenda: Atque ut nova Regiminis Forma firmiùs manuteneatur, *Papiſtæ* omnes, præſertìm *Hiberni*, ad abjurandam Fidem cogendi eſſent, aut ad *Indias Occidentales* tranſvehendi *(f)*, *quo nimirùm in viciniore Hibernia transferendis illuc novis ex Anglia Colonijs Locus fieret (g)*.

In eo igitur Conventu Generali Delegatis Catholicorum viſum eſt ordinare, ut certa Regiminis Forma, cui ſe Catholici omnes conformare deberent, inſtitueretur, atque, ut omnia cum Decore fierent, determinant Delegati Diem, quâ proxima Regni Comitia (*h*) inchoari deberent. Aſſignatâ autem Die, ſcilicet 14 Novembris ejuſdem Anni 1642, prima Catholicorum *Hiberniæ* Comitia *Kilkenniæ* habita ſunt, quorum Auctoritate ſelectiſſimi Viri, tàm Laici, quàm Eccleſiaſtici, Numero viginti quatuor, ſex nempè ex ſingulis quatuor *Hiberniæ* Nationibus delecti ſunt, qui Poteſtate abſolutâ omnes Catholicorum Res, uſque ad Comitia proximè ſequentia, moderarentur, data illis *Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij* Titulo, ijſque electo in Prædicatorem Ordinarium P. *Thomâ O-Cuirk*, *è* Cænobio *Traleienſi*, ad nonaginta circiter Milliaria eum in Effectum accerſito (*i*), Concionatore nimirùm omnibus Numeris abſoluto, qui, ut obiter dicam, nobilium, & ſapientum Catholicorum Spem non fefellit. Ad obviandum porrò ijs, qui ob privata Commoda, aut alio quovis quæſito Colore, ad *Calviniſtarum* rebellium Partes, poſtpoſitâ communi Cauſâ, deflectere poſſent, concluſum eſt, annuente etiam Clero, ut omnes per totum Regnum Catholici, Diſcretionis Annos attingentes, in Fædus jurarent (*k*), atque iſtis Senatoribus ſic nominatis (quorum Primipilus erat *Richardus Butlerus*, Vicecomes de *Mountgarret*, nobiliſſimæ ſuæ Familiæ Decus) Obedientiam, & Reverentiam exhiberent.

XLIV. Statim autem prælibatum *Supremum Fæderatorum Catholicorum Concilium* Enarrationem ſolemnem, quam vulgò *Manifeſtum* vocant, publicari fecit *Kilkenniæ*, quâ Orbi Chriſtiano perſpicuè demonſtratum eſt, Catholicos *Hiberniæ* nonniſi extremâ urgente Neceſſitate ad obviandum perduellium *Parlamentariorum* Inſidijs Arma *pro Fide*, *Rege*, *&* *Patria* ſumpſiſſe. Et quandoquidem in ſingulis quatuor Regni Nationibus Hoſtis eſſet ſuperandus, viſum eſt *Supremo Concilio*, Nationi cuilibet proprium aſſignare Strategum, ſeù Generalem. *Ultonienſibus* in Militiæ Principem præpoſitus eſt Eques *Felimus O-Neillus* (*l*), Heros nobiliſſimus, Virque magnæ Prudentiæ, ac in Re militari Experientiæ, cujus egregia hoc in Bello Facinora immenſas Laudes prome-

Oooo

(*f*) *Bruodinus*, Pag. 63.

(*g*) *Philopater Irenæus*, Lib. i *Vindiciarum atholicorum Hiberniæ*, Cap. i. Pag. 4.

(*h*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*i*) O-*Heynus*, Pag. 20, cujus Verba exſcripta bes Cap. ix. §. x. Num. vii. Pag. 240.

(*k*) Formula Juramenti Aſſociationis (ſic noſtris qui placuit) quod *Confæderati* omnes *Catholici* r univerſum Regnum jurabant, erat hæc: *Ego A. coram Omnipotenti Deo, Angeliſque, & Sanctis ejus juro me Fidei Catholicæ, Apoſtolicæ, ac manæ Libertatem, Sereniſſimi Regis noſtri Cali Perſonam, Hæredes, ac Jura, necnon legitis hujus Nationis Immunitates, ac Libertates, trà quoſlibet Uſurpatores, aut Invaſores, cum rtunarum omnium, ac ipſius etiam Vitæ Diſcrimine, defenſurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc cta Dei Evangelia.* Confer Num. lxviii. Lit. u. Cap. præſ.

(*l*) *Magnanimus iſte Princeps ab Hæreticis inſidiosè captus, & Dublinium miſſus Anno* 1652, *prævio aliquali Suſpendio, in quatuor diſſectus eſt Partes, quas, affixo Capite ad Clavum in Occidentali Porta, ad varia Regni Loca miſerunt rebelles Parlamentarij, ut, in Catholicorum Terrorem, in publicis ſuſpenderentur Vijs. Antequàm verò fortis Athletha paſſus eſſet, obtulerunt ei Hæretici Vitam, ac Bonorum Reſtitutionem, ſi, repudiatâ Catholicâ Eccleſiâ, Puritanorum ſubſcriberet Dogmatibus, ſed fruſtrà. Nam Re, & Nomine* Felix, *Felicitatem æternam, quam pro Defenſione Catholicæ Fidei certantes uſque ad Mortem conſequuntur, pro inſtabilis hujus Vitæ Commodis vendere noluit.* Verba ſunt *Antonij Bruodini* (qui Anno 1669 ſcripſit) in *Deſcriptione Regni Hiberniæ* &c, ſecundis Curis editâ Romæ 1721, Pag. 105.

promerentur. *Lagenienſes* iu Generalem Ducem ſortiti ſunt *Thomam Preſtonum*, è Vicecomitibus *de Gormanſtown*, qui non ità pridem in Patriæ Succurſum cum Armis, & Munitionibus ex *Belgio* (ubi per plures Annos non minùs fortunatum quàm fortem, pro Domo *Auſtriaca* pugnans, egit Chiliarcham) remeavit. *Momonienſibus* aſſignatus eſt in Generalem Ductorem *Jacobus Barrius*, è Comitibus de *Barrymore*, qui à Pueritia, inter Armorum Strepitus, per *Belgium*, *Germaniam*, & *Angliam* intrepidum ſe, & fortiſſimum oſtendit eſſe Militem. *Conacienſibus* denique præfixus eſt *Joannes de Burgo*, è Stirpe Comitum *Clanrickardiæ*, Miles Experientiâ longâ, & Brachiorum Fortitudine probatus in *Hiſpania*, & *Belgio* (*m*). Qui quatuor ſic nominati Generales *Supremo Fæderotorum Catholicorum Concilio* Obedientiam Jurejurando promiſerunt, & Reverentiam.

“ Horum jam quatuor nominatorum Generalium Ductu, inquit *Bruodinus* (*n*), Res Catholica mirabilem Anno 1642, 43, & 44 fecit Progreſſum. Nam præcipua omnia Regni Loca, ſi *Dublinium*, & paucas alias maritimas excipias Civitates, munitâ Vi occuparunt Catholici ; ab eiſque rotunda rebellantium *Parlamentariorum* Capita per omnes quatuor Regni Provincias contrita ſunt, & humiliata. Juſtum poſſet, qui haberet Media, & authentica, quæ Ego præ Manibus teneo, Inſtrumenta, de Bello hoc Catholicorum, cum Laude Nationis, ab Anno 1641, quo inceptum eſt, uſque ad 1646, ſcribere Volumen.” Hæc *Bruodinus*.

XLV. Romanus Pontifex *Urbanus* VIII, à Patre *Luca Waddingo*, Hiberno, Ordinis Minorum Alumno doctiſſimo, ac Annalium ejuſdem Ordinis Parente, *Romæ* tunc commorante, intelligens ea, quæ à Noſtratibus pro *Fide*, *Rege*, *&* *Patria* per duos Annos geſta erant, & quomodo, haud obſtante Rerum penè omnium ad Bellum neceſſariarum Inopia, ſenſim tamen ità Viribus, Conſilijs, & Armis creverint, ut Heterodoxos fermè omnes è Regni Meditullio expulerint, plureſque maritimas etiam Civitates, & Fortalitia, putà *Limericum*, *Galviam*, *Sligoam*, & *Duncannonam*, quod unum erat ex munitiſſimis omnium Oceani Maris Inſularum Propugnaculis (*o*), occupaverint, miſit in *Hiberniam* Anno 1644 Patrem *Petrum Scarampam*, Pedemontanum, Congregationis Oratorij *S. Philippi Nerij* Preſbyterum, Virum ſummâ Prudentiâ, & Doctrinâ præditum, Regno, & Regni Proceribus gratiſſimum. Prælibatum *Supremum Concilium* viciſsim miſit eodem Anno 1644 Dominum *Richardum Bellingum*, Juriſperitum, & ejuſdem Concilij Secretarium (*p*), ad Summum Pontificem *Innocentium* X, Die 15 Septembris memorati Anni electum, qui à priori per Literas, à poſteriori verò per Verba edoctus de felici Catholicorum in *Hibernia* Progreſſu, qualiterque, reſtauratis jam, & conſecratis per totum ferè Regnum Eccleſijs, & Altaribus, Acatholicorum Rabie à Tempore præſertìm *Elizabethæ* prophanatis, & conculcatis, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, aliaque Catholicæ Religionis Exercitia, publicè ab Eccleſiaſticis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, in ſuis reſpectivè Habitibus liberè incedentibus, celebrentur ; inenerabili exultans Lætitia ad *Hibernos* deſtinavit Anno 1645 Apoſtolicum Nuntium, Dominum *Joannem-Baptiſtam Rinuccinum*, Patritium *Florentinnm*, Archiepiſcopum & Principem *Firmanum*, cui etiam notabilem Pecuniæ Summam, inter Orthodoxos Milites diſtribuendam, conſignavit ; ac in Mandatis dedit, ut Catholicos ad fortiter pugnandum, prout inceperunt, animaret, eiſque, Sedis Apoſtolicæ Nomine, omnem poſſibilem promitteret Aſſiſtentiam, & Succurſum.

Per quinque Menſes moratus *Pariſijs* laudatus Nuntius Apoſtolicus, tandem Die 16 Octobris ejuſdem Anni 1645 apud *S. Margaritam* juxtà *Rupellam* (gallicè *La Rochelle*) Navim con-

---

(*m*) Confer Cap. hujus Num. liv. Lit. e.

(*n*) Pag. 74.

(*o*) Situm eſt ad Ripam Maris in *Wexfordienſi* Agro *Lageniæ*. Confer Cap. vii. Num. xii. Pag. 144.

(*p*) Hic, Natione *Hibernus*, de Agro *Dublinienſi*, perhibetur paſſim Auctor Opuſculi, ſæpiùs in hoc Capite à me laudati, cui Titulus: *Vindiciæ Catholicorum Hiberniæ, Auctore Philopatre Irenæo ad Alitophilum*, editi *Pariſijs* 1650.

conſcendit, jactâque in *Kenmare*, vulgò *Kilmare*, Agri *Kerrienſis* Flumine, Anchorâ, in *Hiberniam* pervenit Die 22 prælibati Menſis, *Kilkenniamque* cum ingenti Comitatu (in quo Viginti Duo erant *Itali*) feſtivè ingreſſus eſt Die 12 Novembris, tàm ab Epiſcopo Loci *Davide Roth*, quàm à *Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij* Senatoribus, alijſque Regni Proceribus, & Prælatis, atque effusâ Nobilium, Civiumque Multitudine, non ſine incredibili Catholicorum omnium Lætitia, exceptus. Statìm porrò expoſitâ ſæpè laudato *Supremo Concilio* Adventûs ſui Causâ, in hæc prorupit Verba :

" Non deerunt fortè, qui dicent, me in *Hiberniam* fuiſſe miſſum à Sanctiſſimo Patre, & Univerſalis Eccleſiæ Paſtore, *Innocentio* X, ut Catholicos hujus Regni Incolas in Sereniſſimum *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* Regem concitarem. Quod quàm alienum ſit à Veritate, Scrutator Cordium DEUS non ignorat. Proteſtor itàque, ac ter ſanctè juro, me nihil unquam moliturum contrà Sereniſſimi Regis *Caroli* Commoda. Immò Catholicis omnibus, tàm hic præſentibus, quàm abſentibus, ſignifico, Summo Pontifici nihil gratius poſſe accidere, quàm ut *Fæderati* in *Hibernia*, recuperatô plenô Fidei Catholicæ Exercitiô, debitam Subjectionem, Aſſiſtentiam, & Reverentiam Regi Sereniſſimo, quantumvis Acatholico, obſervent."

Prorex tunc *Hiberniæ* erat *Jacobus Butlerus*, Marchio (poſtmodùm Dux) *Ormondiæ*, qui ab Adoleſcentia, neglectâ avitâ Majorum ſuorum Religione, Heterodoxorum Dogmate imbutus fuerat : Vir alioquin magnæ Prudentiæ, & in Mundi hujus Politica Experientiæ, ſummæque inter *Hibernos* Auctoritatis, utpotè primarijs omnibus in Regno Proceribus Sanguine, vel Affinitate conjunctus, ſuæque ampliſſimæ Familiæ Princeps (*q*).

XLVI. Scias autem, quod dudùm antè Nuntij Apoſtolici in *Hiberniam* Appulſum, Rex *Carolus* Hibernicos componere volens Motus, Pacis ineundæ cum Catholicis *Hiberniæ* Conditiones mittit *Ormondio*, quæ quidem favebant omninò Orthodoxæ Religioni, atque Leges Pænales (*r*), in Catholicos olim latas, abrogabant (*s*). *Ormondius*, Tempori ſervire coactus, cum *Fæderatis Catholicis* Inducias in Annum duraturas paciſcitur Die 15 Septembris 1643, eâ Lege, ut Regiones ſuas ſingulæ Partes contendentes interìm pacificè poſſiderent. Atque Catholici Summam triginta Millium Octingentarum Librarum Sterlingarum, ſeù centum viginti trium millium Scutorum Romanorum, *Ormondio* numerarunt, ut Copias, & Suppetias in *Angliam*, ad Regis, à perduellibus *Parlamentarijs* infeſtati, Obſequium tranſmitteret. Iſtæ porrò Induciæ, cum *Ormondio* tunc concluſæ, omnibus Malis (multorum Judicio) quæ Catholicis poſtea evenerunt, Initium dedere. Nam ſi *Fæderati Catholici* Bellum continuaſſent, ut inceperant, facilè potuiſſent Hæreticos omnes rebelles, qui nullum planè ex *Anglia*, in ſe tunc divisâ, ſperare poterant Succurſum, coercere, atque hoc Pacto ſibi Fidem, & Libertatem, ac Regi Vitam, & Regnum conſervare.

Die 26 Julij 1644 Rex *Carolus* mandavit *Ormondio*, Proregi, ut prælibatas Indicias ad alium continuaret Annum (*t*), immò Pacem cum Vaſallis ſuis Catholicis Rex pacificus vehementer optabat, repetitis Vicibus *Ormondio* ſcribens, ſe nullam Conditionem reputaturum duram, ut ea concluderetur, eâque conclusâ, opportuniora ex *Hibernia* ſubſidia haberet. *Sed verſipellis Ormondius, Rei Catholicæ ſemper infeſtus, Moras Moris nectere, Tergiverſationeſque interponere non dubitabat, ne illi & Fidei, & Patriæ favorabiles aſſequerentur Conditiones* (*u*).

Eapropter *Fæderati Catholici*, haud refragante etiam *Ormondio* (ſic quippè per Inducias ſtipulatum fuerat) Septem ex *Supremo Concilio* Legatos mittunt *Oxoniam* in *Anglia*, ubi Rex *Carolus*, à Parlamentarijs *Londino* expulſus, morabatur, ut de Conditionibus Pacis ſe inter, & *Proteſtantes*

(*q*) Confer Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

(*r*) Eas legere poteris Cap. præſ. Num. xxxix. Pag. 641.

( ) *Porterus*, Pag. 287.

(*t*) *Lodgæus*, Vol. II, Pag 33 ; *Waræus*, ad Annum 1644.

(*u*) *Porterus*, Pag. 288.

in *Hibernia* ipſo coràm Rege agerent. Legati porrò erant *Donatus Mac-Carty*, Vicecomes *Muſkrienſis*, Regiæque ſuæ Familiæ ſingulare Ornamentum, *Alexander Mac-Donnell*, *Nicolaus Plunkettus*, Eques *Robertus Talbotus*, Baronettus, Colonellus *Dermitius O-Brien*, *Richardus Martin*, & a *Severinus Browne* (*w*). Rex Legatos gratiosè excipit Die 23 Martij 1645, Paciſque Conditiones ab eis oblatas laudat, approbatque, præter illam, in qua de Religionis Negotio agebatur, de qua tamen aliam ſe non habere Difficultatem poteſtatus eſt Rex, quàm quod timeret, quod ſi Catholicis publicè concederet (ſimul cum Facultate publicè Religionem Catholicam ubique per *Hiberniam* profitendi) Eccleſias omnes, & Fundos Eccleſiaſticos, quos jam poſſederant (hoc Legati urſerunt), *Proteſtantes* omnes, qui ejus Partes per omnia tria Regna contrà perduelles *Parlamentarios* ſequebantur, in ſe irritaret. Juſſit itaque Legatos ad propria redire, & in *Hibernia* de illa Conditione cum ſuo Prorege, vel cum alio, quem propedièm ad Catholicos deſtinaret, agere : Interim verò Catholicos omnes ſuos Populares, ad concludendam Pacem inclinare, atque ſic & ſibi conſulere, & Regi ſuccurrere poſſent (*x*). Obtulit & Comitis Titulum *Muſkrienſi*, quem ille modeſtè recuſavit, ne quâ in Re publica Patriæ Calamitate in ſuum Commodum uti videretur (*y*). Hæc porrò, ut obiter dicam, Regis Proteſtatio conſonat cum Verbis Summi Pontificis *Innocentij*, quibus, P. *Luca Waddingo* præſente, D. *Richardum Bellingum*, nuper recenſitum, allocutus eſt Die 27 Februarij 1645 : *Non mirum*, inquit, *ſi Rex veſter quas petitis Conditiones palam concedere minùs tutum Rebus ſuis judicet, ne Pars ipſi in Anglia adhærens eam ob Cauſam ab eo deficiat, undè & ejus Conniventia Vobis in præſentiarum ſufficere debet.* Ità refert ipſemet *Bellingus* in Annotationibus in *Joannem Poncium*, Pag. 182.

XLVII. Vix Legati reverſi Expeditionis ſibi commiſſæ Rationem *Concilio Supremo* expoſuerunt, cùm *Kilkenniam* miſſus fuerit à *Carolo* Rege *Eduardus Somerſet*, Comes de *Glamorgan*, Marchionis de *Worceſter* Filius, Natione *Anglus*, & Profeſſione, Majorum More, *Catholicus*, qui in ſecundam habuit Uxorem Nobiliſſimam Heroinam *Margaritam O-Brien*, *Henrici* Comitis *Thomondiæ* Filiam. Nobilis hic Vir, Confæderatis Catholicis gratiſſimus, pleniſſimam habuit Facultatem (z) à Rege omnia *Hibernis* Catholicis indulgendi, quæ Neceſſitas ſuaderet & cogeret, ſicque deſideratam Pacem cum ijs ſuo Nomine concludendi. Ille autem Auctoritate regiâ fultus, Pacem cum ijs reapsè concluſit Die 25 Auguſti 1645, & inter alias Conditiones conceſſit, *ut, ſimul cum pleno Catholicæ Religionis Exercitio, Catholicis manerent Eccleſiæ omnes, quas de Facto poſſederant, tàm Cathedrales, quàm Parochiales, & Regulares, necnon & Prædia ad Eccleſias illas ſpectantia.*

Subſcriptâ ex utraque Parte ſalutari hac Pace Die 25 Auguſti 1645, ut præfertur, à Comite ſcilicèt *Glamorgano* Nomine Regis, à *Richardo* verò *Butler*, Vicecomite de *Mountgarret*, *Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij* Præſide, atque *Donato Mac-Carty*, Vicecomite de *Muſkry*, *Alexandro Mac-Donnell*, & *Nicolao Plunkett*, Armigeris, Equite *Roberto Talbot*, Baronetto, *Dermitio O-Brien*, *Joanne Dillon*, *Patritio Darcy*, *Severino Browne*, Armigeris, Nomine *Fæderatorum Catholicorum* (*a*), dùm hi promiſſum *Glamorgano* Exercitum , in Regis Subſidium contrà rebelles Parlamentarios *Angliæ* mittendum, conſcriberent, Prorex *Ormondius* de Pace concluſa per ſuos Exploratores (*b*) informatus, *Glamorganum* Comitem ſub Specie Amicitiæ *Dublinium* ad ſe invitavit (*c*). Bonus Comes, nihil de Labyrinthio, in quem incidebat, cogitans, comparuit

---

(*w*) *Carte*, Vol. I. Pag. 499.

(*x*) *Bruodinus*, Pag. 82.

(*y*) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. ii. Pag. 11.

(*z*) Literas Credentiales legere eſt apud *Coxum*, Appendice xxvii. Pag. 111.

(*a*) Cox, in *Append.* xxvii. Pag. 115.

(*b*) *Bruodinus*, Pag. 76, aſſerit, *Ormondium* Rem hanc reſcijſſe ex Chatrarijs *Malachiæ Quælæi*, Archiepiſcopi *Tuamenſis*, qui haud procul à Caſtro *Sligoenſi* in Manus *Puritanorum* incidens, ab ijſdem, etiam poſt datam Fidem, abſciſſo priùs Brachio dextero, in minutas ſectus eſt Partes, Die 17 Octobris 1645. Videſis *Coxum*, Vol. II. Pag. 154.

(*c*) *Bruodinus*, Pag. 86.

comparuit coram Prorege, cujus Mandato ſtatim capitur, & in *Dublinienſi* Arce includitur. *Recenſita quippè Pax, ceù Orthodoxæ Fidei favens, Ormondio Bilem commovit, quarè ad ſolitas Artes converſus, Regem induxit, ut datam Glamorgano Facultatem revocaret, Pacemque reſcinderet.* Dein Prorex per Literas *Supremum* monet *Concilium*, ſibi à Rege tractandæ cum Catholicis Pacis Negotium eſſe commiſſum; venirent igitur *Fæderatorum Catholicorum* Nomine Legati *Dublinium.* Renuit *Supremum Concilium* quoſcunque mittere donec ex Cuſtodia emitteretur Comes *Glamorganus*, quod cùm factum eſſet, mittuntur ſtatim à *Concilio* ſub Titulo Legatorum præclari Heroes, Patriæque Tranquillitatis, ac Fidei Catholicæ Libertatis amantiſſimi, *Donatus Mac Carty*, Vicecomes *Muſkrienſis*, & Eques *Nicolaus Plunkett*, qui poſt longas plurium Septimanarum Diſputationes cum adverſa Parte, nullo Modo Proregem inclinare poterant, ut inter alias Pacis Conditiones, cum libero Exercitio Catholicæ Religionis ubiqne per Regnum, Cathedrales, Parochiales, & Regulares Eccleſias, quas cum ſuis Fundis Catholici jam poſſederant, Regio Nomine pro perpetuis futuris Temporibus eis concederet. Sed Prorex, *ferendarum Diſſentionum ſubtilis Auctor*, Unionem *Fæderatorum Catholicorum* non ferens, Pacem effinxit Laicis faventem, Eccleſiaſticis verò adverſam, quam propterea multi Laici amplexi ſunt, verùm Clerus, potiorque Laicorum Pars eandem abjecit.

XLVIII. DISPUTANTIBUS jam Catholicis in *Supremo Concilio* ſedentibus de Pace cum *Ormondio* concludendâ, appulit, ut præfertur, Nuntius Apoſtolicus *Rinuccinus*, qui cùm Pacis iſtius Articulos examinaſſet, monuit *Concilium*, ne in tàm indecoram Pacem, in qua haud ſatis Religionis Catholicæ Libertati, aut Eccleſiæ Splendori proſpectum ſit, conſentiret. Nihilominus *Supremum Concilium*, Proregis Artibus inclinatum, de Pace illa jam recipienda cogitabat, ſed fruſtrà, potior ſiquidem Catholicorum Pars, Nuntio Apoſtolico, & Clero magis addicta, de Pace iſta cum *Ormondio* concludenda nihil prorsùs audire volebat. Et meritò quidem. Nuntius quippè (ut palàm proteſtatus eſt) pro certo quaſi habuit, idque Catholicis ſibi adhærentibus perſuaſit, deſideratam Pacem, *Glamorganæ* conſimilem, inter Regias Partes præſtò ſtipulandam fore Mediatione Summi Pontificis, & Sereniſſimæ *Magnæ Britanniæ*, *Hiberniæque* Reginæ, quæ cum Principe Filio in *Gallia* tunc verſabatur, quæque, conſentiente etiam Rege *Carolo*, Equitem *Kenelmum Digby* ad Summum Pontificem ea ſuper Re miſerat. Qnapropter diſtrictè inhibuit Catholicis omnibus, ne tam infavorabilibus Pacis *Ormondianæ* Conditionibus ſubſcriberent, ullatenùſve conſentirent.

REBUS hoc Modo turbatis, atque diviſis in duas Factiones (quarum una *Ormondij*, altera verò *Nuntij*, vulgò dicebatur) à Catholicis, ad componendos Animos, Remque maturiùs, ut par erat, diſcutiendam, habitus fuit Menſe Januario ſequenti (1646) Conventus Generalis Regni, in quo imprimis datæ fuere ad Summum Pontificem Literæ Tenoris ſequentis (*d*).

Per Supremum Concilium Confæderatorum Catholicorum in Regno Hiberniæ,
ad Beatiſſimum Patrem Noſtrum Innocentium X. Papam.

BEATISSIME PATER,

Quod in ipſo Limine ſui Pontificatûs Rebus noſtris conſulere voluerit, & Illuſtriſſimum Virum, Archiepiſcopum Firmanum, Prælatum Veſtræ Sanctitatis Domeſticum, & Aſſiſtentem Sedis Apoſtolicæ, Extraordinarium Nuntium ad Nos miſerit, Gratias, quas poſſumus, humillimè reddimus. Illum, ſi non quâ decuit Magnificentiâ, certe inſuperabili Amore, & Gaudio recepimus. Illum etiam de Veſtræ Sanctitatis in Nos, noſtramque Cauſam Animi Affectu, & Sollicitudine diſcurrentem avidè audivimus, ſperamuſque, Nos, Apoſtolicâ Benedictione, quam Nobis Veſtræ Sanctitatis Nomine impertivit, ſuffultos, & Subſidijs ulterioribus, quæ tanto Bello neceſſaria duxerit Paterna Veſtræ Sanctitatis Cura, tanti etiam, & tâm prudentis Viri Adhortationibus, & Conſilijs,

---

(*d*) Ex *Carte*, Vol. I. Pag. 500.

ſilijs, cò Res noſtras promovere poſſe, ut de ſtabilita in Hibernia *Catholica Religione triumphare poſſet* Innocentius *Chriſtianiſſimus, quam, & Veſtræ Sanctitati, & Nobis Victoriam à Deo Exercituum humili, & confidenti Corde implorant, demiſſe Benedictionem obſecrantes.*

Kilkenniæ, 7 Januarij 1645 (*e*). *Veſtræ Sanctitatis ad Pedum Oſcula.*

XLIX. Porrò Conventus iſte Generalis perpendens ſigillatim Conditiones Pacis, magnoperè inclinabatur ad eas amplectendas, eò vel maximè, quia Prorex oblatus eſt Conditiones omnes temporales Catholicis faventes, immò & ſpirituales quoad liberum Catholicæ Religionis Exercitium, ijs duntaxàt deficientibus, quæ *Pompam, & Oſtentationem* præſeferebant. Eodemque Tempore *Ormondius* Mandatum accepit à Rege Die 19 prælibati Menſis Januarij ſcriptum, de concludenda quantociùs Pace cum *Fæderatis Catholicis*, ut ab ijs promiſſos Decem Millenos conſcriptos Milites contrà rebelles *Parlamentarios* quamprimùm habeat. Hinc à Conventu Generali, ſeù Comitijs, poſt ſeriam Deliberationem reſolutum fuit, Prælatis etiam conſentientibus, ut illicò concluderetur Pax, reſervando Articulum de Eccleſijs, ut præfertur, earumque Fundis, ad ſecretum Tractatum cum Rege peragendum.

Igitur Die 28 Martij 1648 ſubſcriptæ fuerunt utrinque Conditiones Pacis, Numero triginta, à Marchione quidem *Ormondio* pro Parte Regis, à Vicecomite verò *Muſkrio*, Equite *Roberto Talboto, Joanne Dillon, Patritio Darcy*, & *Severino Browne*, Armigeris, pro Parte *Fæderatorum Catholicorum*, præſente cum alijs *Ulico de Burgo*, Marchione *Clanrickardiæ*, apud quem depoſitum erat Inſtrumentum, deſuper confectum, uſque ad Executionem quarundam Conditionum, à *Fæderatis Catholicis* peragendarum, præſertim de Decem Millenis conſcriptis Militibus, ad Regem contra rebelles *Parlamentarios* mittendis. Dominus autem Nuntius prævidens, inanem fore quemcunque directum Conatum adversùs Pacem iſtam, ſic utrinque ſubſcriptam, Operam ſaltem indirectam adhibuit, ut Ratificatio illius, & Promulgatio impedirentur. Eo Conſilio Schedulam tradidit Generalibus Regni Comitijs Tenoris ſequentis (*f*).

“ Propoſitiones ab Illuſtriſſimo Domino Nuntio Generalibus Regni Comitijs “ pro diſſuadenda Pacis Publicatione, Anno “ Domini 1646 traditæ.

“ 1. QUOD Pax tractata non erat honeſta, eo quod Conditiones Eccleſiaſticæ debebant occultari:
Item nec ſecura, quia Dominus de *Glamorgan* non poteſt dare aliam Securitatem, quàm
“ Voluntatem Regis, & ideò Confirmatio Conceſſionum committebatur futuris, & incertis Eventibus,
“ nempè Tranſmiſſioni Militum. At in Pace Pontificia adeſt Honeſtas ob Rationem Perſonæ tractantis,
“ & ob Publicitatem Articulorum; & adeſt Securitas, quia illam tractat Princeps Maximus, & cum mutua
“ Compenſatione Pecuniæ.

“ 2. Quia Capitula ſunt uberiora, nam in primo adeſt omnimoda Reſtitutio publici Exercitij, & Eccleſiarum,
“ tàm Cathedralium, quàm Parochialium, cum ſuis Bonis: Nam de cæteris Monaſterijs, habeo
“ Ego Facultatem illa relaxandi quibuſcunque, qui illa à me petierint. In reliquis adeſt Communicatio
“ omnium Officiorum, & Magiſtratuum Catholicis, Retentio Fortalitiorum, & Parlamentum independens,
“ & Auctoritas mihi data addendi, & minuendi.

“ 3. Quia eſt utiliſſima Regi propter Auxilia ſubminiſtranda, etiam menſtrua; & utilis Anglis
“ Catholicis propter Exercitium Religionis, & ideò quiſque Catholicus, & Regi fidelis, debet illam
“ amplecti.

“ 4. Quia utilis eſt Domino Comiti (*de Glamorgan*), & nihil ei deperit, quia nihilominùs erit
“ Generalis in tranſmittendis Auxilijs, quia licèt Capitula loquantur de Generali *Hiberno*, Ego delebo,
“ & ponam Nomen Comitis. Inſuper liberatur à Solicitudine procurandæ Securitatis, cùm eam in

“ Summum

(*e*) Stylo Veteri, Stylo autem Novo 1646. Pro quorum Differentia legeſis Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*f*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. iv. Pag. 27.

“ Summum Pontificem refundat, & quod majus eſt, à Suſpicione apud omnes Principes, quod ipſe Vanitate ſua curaverit rejici Pacem Pontificiam.

“ 5. Quia non poteſt eſſe niſi grata Dublinienſibus, & Domino Marchioni (*Ormondiæ*), eo quod Dominus *Digbæus* per Dominum *Labornum* interrogavit me, an Pontifex daret Subſidia Regi; nam promittebat Conceſſionem Religionis in *Anglia*, & ideò non poteſt niſi cum Gaudio audire, quod jam factum ſit per illam Pacem.

“ 6. Dato aſſenſu huic Paci cum parva hac Dilatione reſtabit Bellum cum Parlamentarijs, quod ſi benè diſponatur, ſperamus feliciter eventurum, & Ego in Auxilium habeo quatuor Fregattas, quæ poſſunt conjungi cum alijs hujus Regni; habeo Arma ad armandum quatuor Millia, habeo tantam Pecuniam, ut poſſim aſſumere in me Onus Belli in aliqua Provincia; & ſi poſſim nuntiare grata Summo Pontifici, habeo etiam Spem certam uberioris Auxilij hoc Anno, quæ eſt potiſſima Cauſa, cur Ego tàm ferventer exoptem, non fieri ullam Injuriam Summo Pontifici per Pacis ipſius Rejectionem, ne avertatur à Regno, &, præter Negationem Auxilij, majora etiam indignantis Animi Senſa depromat.

“ Non obſtat quod circumfertur, quod Dominus Marchio (*Ormondius*) nolit concedere Inducias, nam erunt Partes meæ aſſecurare *Lageniam*, ne ullos ejus patiatur Inſultus. Quod ſine Pace Milites nolunt ire ad juvandum *Cheſtriam* (*g*), non eſt quod credatur, quia non eſt veriſimile, Regem, qui indiget illis, illos malè tractare. Item quia Dominus Comes (*Glamorganus*), qui ea cupit, liberat Comitia ab hac Sollicitudine.

“ Et hæc ſint dicta, dato quod Ventus, & Mare juxtà ſolitum impediunt Literas: Nam poteſt eſſe, quod Orator Reginæ, vel meæ Literæ adſint hìc propedièm, & quod Rex habeat nunc Notitiam Rei, & miſerit Beneplacitum, ex quo omnis noſtra Sollicitudo requieſceret. Ergò in Manu Comitiorum eſt, vel Damnum inevitabile ſibi parare rejiciendo Pacem Suæ Sanctitatis, avertendo illam à ſe, à Rege, & ab *Anglia*; vel Salutem perpetuam, aſſentiendo Patri Sanctiſſimo, adjuvando Regem in pignorando Sedem Apoſtolicam, & conciliando ſibi omnes Principes. Quod Deus concedat.”

“ Hæc Nuntius.

L. INTEREA porrò Exercitu, quem in Subſidium *Cheſtriæ*, à Rebellibus obſeſſæ, *Fœderati Catholici* promiſerant, Naves penès *Waterfordiam* (*h*) à Comite *Glamorgano* pollicitas fruſtrà expectante, Copiæ Catholicæ aliò deſtinantur, & *Cheſtria* paulo poſt Rebellibus deditur magno Regis Damno. Sub Initium verò Menſis Maij 1646 feliciter à Catholicorum Ducibus contrà Rebelles *Parlamentarios* varijs in Locis pugnatum eſt, horum Exercitu ubique profligato. Ac poſtmodùm, Die ſcilicèt 5 Junij prælibati Anni, Generalis *Audoenus O-Neillus*, (*i*) validas *Scotorum*, & *Anglorum* Copias *Benburbiæ* (vulgò *Benburb*) in *Tyronenſi* Agro *Ultoniæ*, Prædeceſſorum ſuorum Principatu, fudit, & ad Internecionem delevit. Hùc facit Epiſtola Nuntij ad Summum Pontificem *Innocentium* X, Italico Idiomate conſcripta, Tenoris ſequentis (*k*):

BEATISSIMO PADRE.

Quando maggiormente ſopraſtavano i Pericoli à queſto povero Regno, L'Armi, e li Ajuti di Voſtra Santità hanno ottenuto in Ultonia la Strage quaſi di tutto L'Eſercito Puritano. Jo non ſo contenermi frà i Giubili d'un tanto Trionſo di non comparire proſtrato ai Piedi di Voſtra Beatitudine, e d'abbaſſare al ſuo Soglio nella Maniera che poſſo quaranta Inſegne, e la Cornetta Generale degli Inimici di Chriſto. Permetta benignamente la Santità Voſtra che Jo mi glorij genufleſſo avanti di Lei d'eſſer ſtato Miniſtro, che nell ultimo Confine di Criſtianeſimo riſuoni con tanto Applauſo il Nome di Voſtra Beatitudine, e che Jo publichi l'ardentiſſimo mio Deſiderio, che ſiano anche maggiori i Trofei del ſuo Ponteficato nell'altro Eſtremo della Terra contra le Forze degli Ottomanni. E bacciando i Santiſſimi Piedi, prego la Bontà divina, che conſervi la Vita di Voſtra Santità à Proporzione degli

---

(*g*) Urbs eſt maritima Occidentalis *Angliæ*.

(*h*) Urbs eſt maritima *Momoniæ*, de qua Cap. ix. §. iv. Num. i. Pag. 207.

(*i*) Dictus paſſim à Colore Cæſariei *Rufus*. Fuit porrò Filius exauctorati Comitis *Tyroniæ*, & in *Hiberniam* redijt Anno 1642 ex *Hiſpania*, ubi Officialis erat Copiarum Regis Catholici.

(*k*) Ex *Bruodino*, Pag. 88.

degli Augurj, che nelle mie umiliſſime Preghiere vo del continuo facendo. Di Lymerick 16 *Giugno* 1646.

LI. Huc etiam facit ſequens *Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij* Epiſtola ad eundem Romanum Pontificem (l).

BEATISSIME PATER,

Non poſſumus, niſi ingrati, in nuper adeptæ Victoriæ Lætitia, Sanctiſſimi Patris, & Patroni obliviſci, & dum pro Inimicorum Caſtris direptis, & integrâ illorum Exercitûs Profligatione Preces Omnipotenti Deo fundimus, non humillimas Sanctitati Veſtræ Gratias agere, cujus Benedictione, & Pecunijs illam adepti ſumus. His noſtris in Borealibus Orbis Partibus hac noſtrâ forſan Ætate non erat Prælium eâ Partium Pertinaciâ commiſſum, quod per tot Horas duraverit, aut tantâ Clade finierit. Rem actam fuſiùs exprimet Admodùm R. P. Lucas Waddingus, cui ut Fides adhibeatur, & ut Nobis Benedictionem impertiri velit Sanctiſſimus Noſter Pater, humiliter poſtulamus. Limerici 19 *Junij* 1646.

LII. Hoc Modo triumphante Catholico Exercitu, *Ormondius* Menſe Julij novum accepit Mandatum a Rege, in *Scotiam* profugo (*m*), de promulganda omninò Pace, jam antè ſtipulatâ, & ſubſcriptâ. Quæ ſubindè mutuo utriuſque Partis contrahentis Conſenſu ſolemniſſimè, ac maxima cum Celebritate, publicata fuit *Dublinij*, Regni Metropolis, Die 1 Auguſti, & mox *Kilkenniæ*, Sedis *Concilij* Ordinariæ, & quidem â Rege Armorum, *Gulielmo Roberts*, ex Officio *Ulſter* nuncupato (*n*), qui *Dublinio* diſceſſurus Decem diſperſerat Feciales, vulgò *Heraldos*, ad eandem Pacem in reliquis Regni Civitatibus, Oppidiſque Sociatis conſueto More denunciandam.

Nuntius Apoſtolicus ſtatim ac de Publicatione Pacis audivit, univerſi Regni Clerum convocavit *Waterfordiam*, ad Nationalem ibi celebrandam Synodum, cujus Conſilio Pacem illam, *Dublinij*, *Kilkenniæ*, & alibi, ut præfertur, promulgatam, tanquàm iniquam, injuſtam, ac Rei Catholicæ pernicioſam, repudiavit ſequenti Decreto, quod anglicè apud *Coxum* legere eſt, latinè autem in Libro, cui anglicè Titulus : *The Unkind Deſerter of Loyal Men and true Friends*, i. e. Ingratus Deſertor fidelium Hominum, & fidorum Amicorum ; Anno 1676, Auctore S. E. edito (*o*).

“ Per Congregationem Eccleſiaſticam Utriuſque Cleri Hibernici, in Spiritu Sancto congregatam Waterfordiæ, coram Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Firmano, Nuntio Apoſtolico Extraordinario in Hibernia.

“ Super Quæſtione inter Nos ortâ, & per multos Dies exagitatâ, an perjuri declarandi eſſent, qui
“ Pacem contentam Triginta Articulis ad Nos a Supremo Concilio tranſmiſſis, acceptarent ; & ſucceſ-
“ ſivè, an tanquam perjuri forent excommunicandi ? Auditis priùs ſingulorum Sententijs, & Rationibus,
“ lectiſque aliquorum Sacræ Theologiæ Doctorum Scriptis, decretum eſt unanimi Conſenſu, & ſingulo-
“ rum Votis, Nemine contradicente, quod omnes, & ſinguli confæderati Catholici, qui ſimili Paci ad-
“ hærebunt, vel ejus Fautoribus conſentient, aut alio Modo illam amplectentur, perjuri abſolutè habendi
“ ſint, eâ præcipuè de Cauſâ, quod in ijs Articulis nulla facta eſt Mentio Catholicæ Religionis, ejuſque
“ Securitatis, nec ulla habita Ratio Conſervationis Privilegiorum Patriæ, ſicut Juramento (*p*) legitur
“ promiſſum, ſed potiùs omnia referantur ad Arbitrium Sereniſſimi Regis, a quo in præſenti Rerum
“ Statu nihil certi poteſt haberi, & interim ſubjiciantur Exercitus, Arma, & Munimenta, ipſumque
“ Supremum Concilium Confæderatorum Catholicorum, Auctoritati, & Dominio Concilij Statûs Suæ
“ Majeſtatis, & Officialium, a quibus ut ſecuri fieremus Juramentum illud ſuſcepimus. Ex quibus, &
“ ex

(l) Ex *Bruodino*, Pag. 89.

(*m*) Recolenda nuper dicta Num. xxxviii. Pag. 640.

(*n*) Adeas Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. i. Pag. 266.

(*o*) Pag. 68. Apud *Coxum* verò Append. xxx. Pag. 122.

(*p*) Formulam Juramenti habes Cap. præſ Num. xliii. Lit. k. Pag. 649.

“ ex pluribus alijs Cauſis, ſolâ noſtrâ Conſcientiâ Moti, ſolumque Deum præ Oculis habentes, ut no-
“ tum ſit univerſis & ſingulis, tùm Hibernis, tùm exteris, tali Paci Nos non dediſſe, nec daturos Con-
“ ſenſum, niſi pro Religione, Rege, & Patria, juxtâ noſtrum Juramentum, ſecuræ Conditiones appo-
“ nantur; & ut Greges noſtri, confæderatique omnes Catholici, qui in Generalibus Comitijs aliquando
“ in hoc Spirituali Negotio, velut ad Eccleſiaſticum Judicem unicè ſpectante, Sententiam noſtram ro-
“ gaverunt, certò ſciant quid à Nobis determinatum fuerit, ut in eum Senſum tanquàm pij & fideles
“ Catholici Paſtoribus ſuis obedientes concurrant, hoc Decretum ſcribi, & ubique Locorum anglicâ, vel
“ etiam hibernicâ Linguâ publicari juſſimus, & Manibus, ac Sigillis noſtris firmavimus. Alteram verò
“ Quæſtionem de Excommunicatione ad proximas Seſſiones reſervamus. Datum Waterfordiæ Die 12
“ Auguſti Anno 1646.”

“ JO. BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS
“ FIRMANUS, NUNTIUS APOSTO-
“ LICUS.
“ Fr. *Thomas* Archiepiſcopus *Dublinienſis*, Hi-
“ berniæ Primas *(q)*.
“ *Thomas* Archiepiſcopus *Caſſelienſis* (*r*).
“ Fr. *Boetius* Epiſcopus *Elphinenſis* (*s*).
“ Fr. *Patritius* Epiſcopus *Waterfordienſis*, &
“ *Liſmorenſis* (*t*).
“ Fr. *Joannes* Epiſcopus *Laonenſis.*
“ *Joannes Clonfertenſis* Epiſcopus.
“ Fr. *Edmundus* Epiſcopus *Leghlinenſis* (*u*).
“ *Richardus Ardfertenſis* & *Aghadoenſis* Epiſ-
“ copus (*w*).

“ *Franciſcus* Epiſcopus *Alladenſis* (*x*).
“ *Edmundus* Epiſcopus *Limericenſis* (*y*).
“ *Emerus* Epiſcopus *Clocherenſis* (*z*).
“ *Nicolaus Fernenſis* Epiſcopus *(a)*.
“ Fr. *Jacobus Conaldus*, Abbas *Benchora-*
“ *nus* (*b*).
“ Fr. *Patritius Plunkett*, Abbas *B. Mariæ*
“ *Dublinij* (*c*).
“ Fr. *Laurentius Fitz-Harris*, Abbas de
“ *Surio* (*d*).
“ Fr. *Joannes Cantwell*, Abbas de *S. Cruce* (*e*).
“ Fr. *Jacobus Tobin*, Abbas de *Kilcoole* (*f*).
“ *Robertus Barry*, Vicarius Apoſtolicus *Roſ-*
“ *ſenſis* (*g*).

Pppp “ *Donaldus*

(*q*) Hic fuit *Thomas Flemingus*, Ordinis Minorum Alumnus, ut videre eſt Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*r*) Cognomine *Valeſius*, anglicè *Walſh*, de quo ibidem.

(*s*) Cognomento *Mac-Egan*, Religione *Franciſcanus*, de quo ibidem.

(*t*) Cognomine *Comerford*, Religione *Auguſtinianus*, de quo ibidem.

(*u*) Cognomine *O-Dempſey*, Religione *Dominicanus*, de quo plura ibidem datâ Operâ ajebam.

(*w*) Cognomine *Conell*, de quo ibidem.

(*x*) Cognomine *Kirwan*, de quo ibidem.

(*y*) Cognomine *O-Duyer*, de quo ibidem.

(*z*) Cognomine *Matthæus*, anglicè *Matthews*, italicè *Mattei*, qui in Odium Fidei Catholicæ Laqueo ſtrangulatus fuit *Limerici*, id jubente *Iretonio*, *Cromuelli* Genero, ut ibidem dictum eſt.

(*a*) Iſte eſt *Nicolaus French*, qui *Elenchum* confecit *Epiſcoporum Hiberniæ*, Anno 1649 ſuis in Eccleſijs reſidentium, quem integrum videre eſt Loco ſæpiùs laudato, ubi etiam ad Lit. n. Pag. 490, plura legiſti de Illuſtriſſimo hoc *Nicolao.*

(*b*) Hibernicè *Benchor*, ſeù *Banchor* (id eſt, *Pulcher Chorus*) in *Dunenſi* Agro *Ultoniæ*, Ordinis Canonicorum Regularium. Confer Cap. i. Num. xiv. Lit. b. Pag. 21. Porrò ne miretur quiſpiam Voculam *Frater* præponi Nomini hujus, & aliorum Canonicorum Regularium, atque Monachorum, qui tamen præmittere ſolebant, ac ſolent Voculam *Domnus*, advertat oportet, Canonicos Regulares, & Monachos, immò & Equites *Melitenſes*, ſeù *S. Joannis Hieroſolymitani*, ſe ſcribere *Fratres*, ad quod comprobandum indigitare ſufficiat Illuſtriſſimum æqué ac Eruditiſſimum *Placidum Pezzancherium*, *Placentinum*, Ordinis *Ciſtercienſis* digniſſimum Alumnum, Epiſcopum *Tiburtinum*, qui in Approbationibus ſingulorum Tomorum noſtri *Bullarij Ordinis Prædicatorum*, ità ſe ſubſcribit: *Fr. Placidus indignus Caſæ-Marij Abbas, Epiſcopus Tiburtinus.* Et in *Notitijs Romanis*, Auctore *Chracas*, Magnus *Melitenſium* Magiſter ſic nominatur italicè: *Fr, D. Emanuele Pinto, Portogheſe, nato* 24 *Maggio* 1681, *eletto Gran Maeſtro* 18 *Genaro*, 1741.

(*c*) Fuit poſteà Epiſcopus *Ardachadenſis*, ut ex ibidem dictis conſtat, Pag 491.

(*d*) Vulgò *Inniſhannaght*, in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ*, Ordinis *Ciſtercienſis.*

(*e*) Anglicè *Holy-Croſs*, in prælibato *Tipperarienſi* Agro, *Caſſeliam* inter, & *Turleſiam*, Ordinis *Ciſtercienſis.*

(*f*) *Kilcoole*, aliàs *de Arvi Campo*, in memorato Agro *Tipperarienſi.*

(*g*) Hujus Diæceſis Epiſcopus poſtmodum fuit Fr. *Boetius Mac-Eganus* Junior, Franciſcanus, in Odium Fidei ex Arbore ſuſpenſus Habenis Equi ſui, ut ibidem narratum Pag. 490.

“ *Donaldus O-Gripha, Fenaborenſis* (*b*).
“ Fr. *Gregorius Ferral*, Prior Provincialis Ordinis Prædicatorum (*i*).
“ Fr. *Dionyſius O-Driſcol*, Prior Provincialis Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini.*
“ *Edmundus O-Theige*, Procurator Illuſtriſſimi D. *Armacani* (*k*).
“ *Gualterus Lynch*, Vicarius Apoſtolicus *Tuamenſis* (*l*).
“ *Gulielmus Burgat*, Vicarius Apoſtolicus *Imelacenſis* (*m*).
“ *Jacobus Dempſey*, Vicarius Generalis *Kildarenſis.*
“ *Cornelius Gafneus*, Vicarius Generalis *Achadenſis.*
“ *Oliverius Deſe*, Vicarius Generalis *Midenſis* (*n*).
“ *Dominicus Roche*, Vicarius Generalis *Corcagienſis.*
“ *Simon O-Connory*, Vicarius Generalis *Clonenſis.*
“ *Edmundus Geraldinus*, Vicarius Generalis *Clonmacnoiſenſis.*
“ *Carolus Coghlan*, Vicarius Generalis *L*—— (*o*).
“ *Robertus Nugent*, Superior Societatis Jeſu.
Fr. *Antonius Mac-Geoghegan*, Procurator Provincialis Fratrum Minorum (*p*).
Fr. *Barnabas Barnewall*, Commiſſarius Generalis Capucinorum.

LIII. DEINDE Nuntius Apoſtolicus, citatis Generali *Audoeno* (alijs *Eugenio*) *O-Neillo* ex *Ultonia*, & Generali *Preſtono* ex *Conacia*, qui præſtò aderant cum Exercitibus ſuis, relictâ *Waterfordiâ*, ſtipatis multis Millibus Catholicorum, *Kilkenniam* ad Ordinariam *Supremi Concilij* Sedem venit, & Primarios Pacis Fautores, quotquot obvios habuit (*q*), nominatìm verò *Donatum Mac-Carty*, Vicecomitem *Muſkrienſem*, tanquàm Religionis, & Patriæ Proditores, per Generalem *O-Neillum* capi, & in *Kilkennienſem* Arcem conjici curat (*r*). Porrò ne *Confœderati* Capite diù carerent, convocatis Regni Comitijs, novus eligitur Senatus, cujus Præſes Excellentiſſimus Dominus Nuntius aſſignatus eſt (*s*). Statimque ſequens fulminatur Excommunicationis Decretum, quod anglicè in *Coxo* (*t*) legere eſt :

“ Per Joannem-Baptiſtam Rinuccinum, Archiepiſcopum, & Principem Firmanum ; perque Eccleſiaſticam Congregationem utriuſque Cleri Regni Hiberniæ.

“ Decretum Excommunicationis contrà eos, qui nuperæ adhæſerunt Paci, aut ferunt Arma pro Hæreticis Hiberniæ, eiſve Auxilium, aut Favorem præſtant.

“ Non ſine Cauſa, inquit Oraculum Veritatis, Gladium portat Miniſter Chriſti, debet enim punire eum, qui operatur Malum, & remunerare illum, qui facit bonum. Hinc eſt, quod anteriori noſtro Decreto palàm fecimus Mundo Senſum noſtrum juſtamque Indignationem adversùs nuperam Pacem, *Dublinij* concluſam, & publicatam, ceù non ſolùm ſuaptè Naturâ Præjudicium, & Perniciem Religioni,

---

(*b*) Adde *Vicarius Apoſtolicus*, cujus Eccleſiæ fuit poſtmodûm Epiſcopus D. *Andreas Lynch*, ut ibidem. Pag. 491.

(*i*) De quo plura Cap. xiv. Num. xiv. Pag. 624.

(*k*) Scilicet Domini Archipræſulis *Hugonis O-Reilly*, de quo Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*l*) Hujus poſteà Eccleſiæ Archipræſul erat D. *Joannes de Burgo*, ut ibidem Pag. 490.

(*m*) Crediderim, mendosè hunc dici Vicarium *Apoſtolicum*, tunc quippè Temporis *Imelacenſem* regèbat Eccleſiam Vir planè Apoſtolicus, noſter ſcilicèt *Terentius Albertus O-Brien*, ut ex fusè de eo dictis Cap. xiii. Num. lxvi. Pag. 488, liquet. Hìnc *Gulielmus* iſte *Burgat* ſcribendus videtur Vicarius *Generalis*, Epiſcopum ſuum infirmum, aut aliâs legitimè impeditum repræſentans.

(*n*) De hoc fit Mentio in Decreto Illuſtriſſimi *Oliverij Plunketti*, Archiepiſcopi *Armachani*, Cap. vi. Num. xxii. Pag. 129.

(*o*) Sic habetur apud præfatum *Coxum*, qui nonniſi imperfectum aliquatenùs Autographum, aut Exemplar præ Manibus tenebat.

(*p*) *Antonius* iſte *Mac Geoghegan* fuit Epiſcopus poſteà *Clonmacnoiſenſis*, ac deindè *Midenſis*, ut liquet ex Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*q*) *Coxus*, Part. ii. Pag. 170, ait, omnes *Supremi Concilij* Senatores Carceri mancipatos fuiſſe, exceptis *Nicolao Plunkett*, & *Patritio Darcy*, Armigeris.

(*r*) *Bruodinus*, Pag. 90 ; *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. v. Pag. 35.

(*s*) Iidem ibidem.

(*t*) Append. xxxi. Pag 124.

“ oni, & Regno afferentem, ſed & Juramento Aſſociationis (*u*), atque ipſiuſmet Pacis Diuturnitati, & Stabilimento repugnantem: Conformiter ad quod Decretum, Gladio exempto ſpirituali, Nos (quibus Deus dedit Poteſtatem ligandi, & ſolvendi ſuper Terram) in Spiritu Sancto congregati, in hac Parte Veſtigijs inhærentes, Exemplaque ſequentes plurium Venerabilium, & Sanctorum Prælatorum, qui Nobis præiverant, & Auctoritate freti Sacrorum Canonum Sanctæ Eccleſiæ, Sacrâ Scripturâ innixorum, ut tollantur è Medio Noſtrum, qui hoc Opus faciunt, in Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti tradimus eos Satanæ (*w*), hoc eſt, excommunicamus, execramus, & anathematizamus omnes eos, qui poſt Publicationem hujus noſtri Decreti, ipſis ſeù privatim ſeù palàm intimati, defendent, ſectabuntur, vel approbabunt Juſtitiam dictæ Pacis; & maximè eos, qui Arma ferent, Bellumve facient, aut proſequentur pro Puritanis, alijſve Hæreticis Dublinij, Corcagiæ, Youghallæ, aliorumque hujus Regni Locorum; aut per ſe, vel per alium, deferent, tranſmittent, vel dabunt Suppetias, Auxilium, aut Favorem, Victualia, Arma, aliave bellica Inſtrumenta; aut Conſilio, vel aliter prælibatam Pacem, aut Bellum contrà Nos promovebunt. Omnes, & ſingulos iſtos Homines præſentis noſtri Decreti Tenore declaramus, & pronunciamus excommunicatos ipſo Facto, ut non circumveniamur à Satana, non enim ignoramus Cogitationes ejus (*x*).

“ Datum Kilkenniæ in Palatio noſtræ Reſidentiæ Die 5 Octobris 1646.

“ JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS, NUNTIUS
“ APOSTOLICUS.

“ De Mandato Illuſtriſſimi Domini Nuntij,
“ & Congregationis Eccleſiaſticæ Utriuſque
“ Cleri Regni Hiberniæ
“ *Nicolaus Fernenſis* (*y*), *Congregationis Cancellarius.*”

HINC porrò Generalis *Fæderatornm Catholicorum* Congregatio Die 7 Februarij ſequentis (1647) ibidem, *Kilkenniæ* ſcilicèt habita, invalidam, & nullius Roboris pronunciavit Pacem iſtam, declaravitque Nationem hanc nullas accepturam Conditiones Pacis, niſi incolumis, & ſalva reddatur Religio Catholica.

LIV. DISSENTIONES hæ Catholicorum, ex una Parte *Nuntio*, ex altera verò *Ormondio* adhærentium, nonniſi Ruinam *Hiberniæ* prognoſticare poterant, dicente Veritate (*z*): *Omne Regnum in ſe ipſum diviſum deſolabitur.* Nec proh dolor! vana erat Prognoſticatio, rebelles quippè *Parlamentarij*, Catholicorum Diſcordijs animati, mox dicto Anno 1647 varia magnæ Conſiderationis Loca rapuerunt ipſis, quos inſuper ſub Tributo ad Portas fermè *Limericenſes* poſuerunt, & quidem ſub Ductu *Mauri* (aliàs *Mortachi*, vulgò *Mcrrough*) *O Brien*, Baronis (poſteà *Comitis*) de *Inchiquin* (*a*), qui, ut obiter dicam, mortuis Genitoribus ſuis, utique Orthodoxis, *Dublinium* Anno Ætatis ſuæ octavo, Proregis Juſſu raptus fuerat ad *Curiam Tutelæ Pupillorum*, ubi novo, ab Hæterodoxis *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* excogitato Modo plantandi Apoſtatarum Zizania, Hæreſim cum Lacte quaſi ſuxerat; quique Vir, poſt plura patrata in Obſequium Regis *Caroli* Facinora, ob Injurias, ab ejuſdem Regis Adminiſtris ipſi illatas, ad *Parlamentariorum* Partes tranſiverat, ſperans *Anglica* Comitia Modum aliquem, aut Temperamentum, Monarchico Regimini adhibitura.

EODEM ulteriùs Anno Prorex *Ormondius*, Rege jam in Perduellium Poteſtate conſtituto (*b*), de Pace cum Catholicis deſperans, ijſdem poſtpoſitis Catholicis (qui omnia tentarunt Media,

---

(*u*) Hujus Jurisjurandi Formulam exſcriptam habes Cap. præſ. Num. xliii. Lit. k. Pag. 649.

(*w*) Verba ſunt Apoſtoli 1 ad *Corinth.* 5. Verſ. 5.

(*x*) Verba ſunt ejuſdem 2 ad *Corinth.* 2. Verſ. 11.

(*y*) Scilicet *Nicolaus French*, Epiſcopus *Fernenſis*, de quo pluries in hoc Capite.

(*z*) *Joan.* 11. Verſ. 17.

(*a*) Videſis Cap. ix. §. v. Num. ii. Lit. *n*, & *r*. Pag. 211.

(*b*) Recolendus Num. xxxviii. hujus Capitis. Pag 640.

ut in eorum Manus Loca, quæ defendere non poterat, traderet) Urbem, Arcemque *Dublinienſem*, *Pontanam*, *Dundalkam*, *Carlingfordiam*, *Neurium*, aliaque omnia Oppida, & Præſidia, quæ regio Nomine in *Lagenia* gubernabat, & *Ultonia*, rebellibus *Parlamentarijs*, capitalibus etſi Regis *Caroli* Inimicis, acceptâ ab eis magnâ Pecuniæ (*c*) Summâ, extradidit, in *Gallias* dein profectus. Nec in his Catholicorum inter ſe diſſentientium Miſeriæ Finem recenſito Anno habuerunt; nam Die 18 Menſis Auguſti ejuſdem Anni Colonellus *Michael Jones*, Civitatis *Dublinienſis* jam poſt Proregis Abitum Gubernator, in Generalem *Preſtonum* (qui cum forti Octo Mille Armatorum Manu *Trimmam*, Oppidum Lagenæ, obſedebat) movit cum valido *Scotorum*, & *Anglorum* perduellium Exercitu apud *Dunganum* Collem, anglicè *Dungan-Hill*, & poſt crudelem Occidionem, totum *Preſtoni* Peditatum delevit, ità ut ſex Millia Catholicorum, Teſte *Waræo* (*d*), in Prælio iſto occubuerint. Nec magis feliciter Die 13 ſequentis Menſis Novembris *Theobaldus* Vicecomes *Taaffe*, (poſteà Comes *Carlingfordiæ*) Catholici Exercitus in *Conacia* Generalis Dux (*e*), contrà Generalem *Inchiquinum* apud *Knocknoneſſam* propè *Malloam* in *Corcagienſi* Agro *Momoniæ* pugnavit; nàm cæſis tribus Catholicorum Millibus (*f*) in infauſto iſto Prælio, *Taaffus* ipſe vix Fugâ fortunati *O-Brieni* fortes evaſerat Ictus (*g*).

LV. His, varijſque alijs attriti, & oppreſſi Catholici Cladibus, de Pace tandem aliquandò unanimi Conſenſu concludendâ cogitarunt. Verùm cùm ad Sereniſſimum Regem, in *Vecti* Inſula à Rebellibus incluſum (*h*), nullus daretur Acceſſus, nec proindè cum eo de ſanioribus Pacis Conditionibus tractandi Modus, *Fæderati Catholici* Legatos ad Sereniſſimam *Magnæ Britanniæ*, *Hiberniæque* Reginam, & ad *Carolum* Principem *Walliæ*, præſumptum Regni Hæredem, in *Gallia* conſtitutos, deſtinarunt, *Randolphum* nempè *Mac-Donnell*, Marchionem de *Antrim*, *Donatum Mac-Carty*, Vicecomitem de *Muſkry*, *Severinum* (alijs *Galfridum*) *Browne*, Equitem Auratum, qui *Catholici Fæderis* Nomine rogarent, ut Nationis Paci conſulere dignarentur, idque quàm primùm, & certis quibuſdam Conditionibus, quarum una erat, ut Catholicum Proregem Regno præficere placeret (*i*). Alios etiam duos *Romam* ad Summum Pontificem *Innocentium* X legarunt, *Nicolaum* ſcilicet *French*, Epiſcopum *Fernenſem*, & *Nicolaum Plunkett*, tunc Concilij *Supremi* Secretarium (*k*), qui Sanctiſſimum Antiſtitem de periculoſo Statu, in quo *Catholicorum* Conditio in *Hibernia* verſabatur, veridicè informarent, ab eoque opportunum poſtularent Succurſum.

In *Galliam* deſtinati Legati, *Maclovium*, vulgò *S. Malo*, 14 Menſis Martij Anno 1648 appulſi, paulò poſt apud *S. Germanum* propè *Pariſios* coram Regina, & Principe comparuerunt, eoſque *Fæderatorum Catholicorum* Nomine, ut præfertur, ſuppliciter rogarunt, quatenùs Sereniſſimi Regis (ad quem nullus dabatur Acceſſus) Nomine Paci regios *Catholicos* inter, & *Proteſtantes* conſulere vellent, atque in Effectum illum ad eos Catholicorum deſtinare Proregem, cum quo de Pace (à qua & Regis Vita, & Regni Salus dependebant) agere poſſent. Principes reſponderunt, ſibi nihil

magis

(*c*) Ità refert *Bruodinus* Pag. 91. *Porterus* autem Pag. 288 aſſerit, *Ormondium* id feciſſe, *quia Catholicorum Proſperitati invidebat. Philopater* verò *Irenæus*, Lib. i. Pag. 45, in hunc Modum diſcurrit: *Mandatum hoc peſſimè habuit Marchionem* (Ormondium), *qui Comitialium Perfidiam probè noverat. Sed quid faceret in hoc Diſcrimine? Perſuaſum ipſi (Jure, an Injuria alij viderint) Nuntij Votum eſſe, ac Studium, Regnum in externum Principem transferre. Urgebat & Regis Imperium, cui repugnare non modò Reprehenſioni obnoxium, ſed & Periculi plenum, ne Comitiales, ſi non ſibi, ſed Catholicis Urbes dederet, Regem ipſum, tanquàm ejus Facti reum malè mulctarent.*

(*d*) In *Annalibus*, ad Annum 1647.

(*e*) Eo in Munere ſucceſſit *Joanni de Burgo*, cujus Cap. præſ. Num. xliv. Pag. 650, memineram.

(*f*) *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 270.

(*g*) *Bruodinus*, Pag. 92.

(*h*) Recolendus Num. xxxviii. Cap. præſ. Pag. 640.

(*i*) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. vii. Pag. 53.

(*k*) Succeſſit hoc in Munere *Richardo Belling*, qui reſignaverat, ac poſtmodùm ſuper iſtis Rebus Opuſculum edidit ſub adſcititio *Philopatris Irenæi* Nomine, ut paſsìm circumfertur, juxtà ſuperiùs dicta Cap. præſ. Num. xlv. Lit. p. Pag. 650.

magis Cordi eſſe, quàm ut inter Subditos deſiderata concludatur Pax, adeoque ſe propediè m in *Hiberniam* talem miſſuros Hominem (l), cum quo Catholici confidenter, & tutò de Pace tractare poſſent, quique Regis, ac ſuo Nomine, ea omnia Catholicis eſſet conceſſurus quæ à *Confœderatis*, ad Catholicam conſervandam Religionem, rationabiliter, ſtantibus Rebus ut ſunt, deſiderari poſſent. Legati etiam *Romam* deſtinati, feliciter in Urbem paulò poſt appulentes, Summo Pontifici afflictum *Hiberniæ* Statum expoſuerunt, ſed fruſtrà, Papa quippè componendis Principum *Italiæ* Diſcordijs occupatus, & Catholicorum *Hiberniæ* Diſſentionibus offenſus, reſpondit, ſe pro tunc non poſſe, prout vellet, *Confœderatorum* ſuccurrere Calamitatibus (*m*).

LVI. Hoc Modo in *Gallia*, & in Urbe laborantibus Legatis, prælibatus Baro *Inchiquinus*, Generalis Dux *Parlamentariorum* in *Momonia*, seriò perpendens, animadvertenſque, rebelles *Parlamentarios* iſtos, non Modum aliquem, aut Temperamentum (quod ſolum ab Initio ſibi Cordi eſſe præ ſe ferebat) Monarchico Regimini adhibere, ſed Regem ipſum, ac Monarchiam omninò extinguere decreviſſe, atque etiam Regni Pares, ſeù Proceres (vulgò *Lords*, hoc eſt, Dominos, appellant) omnibus Honorum Gradibus, & Titulis, Ducum nempè, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, & Baronum, omnique Auctoritate privare, ut ſic popularem Regiminis Normam ſtatuere poſſent, voluit tempeſtivè iniquis eorum Machinationibus obviare. Et ſicut Originem ipſe ab *Hiberniæ* quondam Monarchis traxerat (*n*), ſic pro Rege ſuo, & *Monarchico* Regimine contrà Antimonarchicos rebelles pugnare ſtatuit. Editâ itàque Declaratione Die 15 Januarij 1648, eâque in Fronte Exercitûs ſui lectâ, manifeſtat, ſe ab injuſtâ, & violentâ *Parlamenriorum* Poteſtate ad Regis ſui Obſequium redire, indèque quotquot ſui Exercitûs Duces nobili huic Reſolutioni adverſantes, Officijs privat, & in varijs includi fecit Carceribus. Tandem diſpoſitis ad Libitum Rebus per omnia ſua in *Momonia* Præſidia, Catholicos, quorum Vires, dum pro Parlamento contrà Regem ſtetiſſet, ſuprà Modum extenuavit, ſignificat, ſe pro Rege jam ſtare, ſubindèque ad Pacem, vel Inducias cum regijs Catholicorum Partibus, prout mallent, concludendas paratum eſſe.

SUPREMUS *Fœderatorum* Senatus, Catholicorum Afflictiones in omnibus fermè *Hiberniæ* Partibus diligentèr animadvertens, Occaſionemque hanc divinitùs datam ratus, illicò reſpondit, libenter ſe velle Inducias ad Tempus cum Barone concludere. Dum autem de Induciarum Modo, & Conditionibus cum Barone tractare inciperent, Nuntius Apoſtolicus miſsâ hac Epiſtolâ (*o*) Rem ſibi minùs probari ſignificat.

" *Illuſtriſſimi Nuntij ad Supremum Concilium Epiſtola* PRO DISSUADENDIS *Inducijs.*

" ET Muneris mei Ratio, & Obſequium ergà DD. VV. Illuſtriſſimas, inceſſanter requirit, ut in omnibus Concilij Supremi Deliberationibus, quàm maximè cupiam manifeſtari tàm Profectum Religionis Catholicæ, & Gloriam, & Famam Patriæ, quàm etiam Gaudium Sanctiſſimi Domini noſtri, hoc præſertim Tempore, quo Agentes e Regno Romam deſtinati, jam apud Sanctitatem Suam, ut ſperatur, incolumes pervenerunt.

" Quarè in Inducijs, quæ modò cum D. Barone de Inchiquin tractantur, niſi hæc tria concurrant, valdè dubitandum eſt, ne contrarius, quàm ſperatur, ſequatur Effectus, & Via ſternatur ad ulterius, & gravius Patriæ Detrimentum.

" Nam cùm proprium ſit Induciarum relinquere Statum Rerum, prout in præſenti eſt, & nullam fieri Alterationem Partium, omnes vident, quàm malè nunc habeatur Religio Catholica in Momonia poſt

" Sævitias.

(*l*) Nullus alius fuit miſſus præter Marchionem *Ormondium*, qui ex *Gallia* reverſus appulit *Corcagium* Die 29 Septembris ejuſdem Anni 1648, ut refert *Lodgæus*, Vol. I. Pag. 273; & Vol. II. Pag. 34.

(*m*) Ità *Bruodinus*, qui aſſerit, ſe fuiſſe tunc in Urbe, Rebus Theologicis Operam navantem.

(*n*) Conſulendum Cap. ix. §. v. Num. ii. Pag. 211.

(*o*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. viii. Pag. 60; & *Thoma Carve*, in *Annalibus Hiberniæ*, Pag. 334.

"Sævitias, & Direptiones autumnales, & hibernas, ab ipſo Barone inflictas, cum tot Sacerdotum Mulctis, Exilio, atque Eccleſiarum Vaſtationibus, quæ omnia remanere debent in Perniciem tot Animarum, eo præſertim Tempore, quo propter Exercitûs hoſtilis Imbecillitatem, ac debiles etiam Parlamentariorum Vires, ſperandum erat, Catholicos recuperaturos quidquid in Momonia deperditum eſt, & auſpicaturos pro Religione Annum inſignem, & acceptabilem. Et hinc ſequitur Reſpectus, qui debetur Famæ, & Gloriæ à Confæderatis Catholicis, jam enim publicum eſt apud omnem Europam, D. Baronem devaſtaſſe Civitatem Caſſeliæ, atque intrà Templum illud, Divo Patritio dicatum, horribili Sacrilegio tot Sacerdotes, & Fæminas ad Altare ipſum trucidaſſe, ac poſteà plures Comitatus ad Contributionem coegiſſe, deinùmque ad Muros ipſius Kilkenniæ Magiſtratui Supremo inſultaſſe. Quare Nemo exiſtimare poterit, Vires Catholicas eſſe adeò acciſas, ut velint Inducias Hoſti tàm infenſo offerre, poſt receptas ab eo tot Calamitates.

"Immò omnes exiſtimabunt, nullam majorem Gloriam poſſe Supremo Concilio accedere, quàm ſi, collecto Exercitu, juberet penetrari in Hoſtium Quarteria, ac ſimul Liberationem Contributionum, & Salutem Populorum procurari. Quis enim pati poſſit, ut Nummus, & alia Bona, quæ poſſunt ſuſtentare Milites Catholicos, miſerâ Commutatione inſerviant Hoſti, & cum contrà Nos reddant & fortiorem, & infenſiorem? Certè omnes Comitatus, ut ab hujuſmodi Genere liberentur, dare debent, ac dabunt lubentiùs Noſtris Facultates ſuas, quàm Hoſti, à quo ſemper majora Damna expectare poſſunt.

"Quod verò ad Sanctiſſimum Dominum, fateor, Domini Illuſtriſſimi, neſciere me, quâ Ratione poſſim illi hunc Nuntium offere, ut poſt tot Direptiones, & Damna, Hoſtis obtinuerit Inducias. Nàm præterquàm quod Sanctitas ſua à Ceſſationibus præteritis agnoſcit omnes Regni Jacturas accidiſſe, & nihil exiſtimat pernicioſiùs, quàm per Ceſſationes Hoſti prodeſſe. Quid erit in hoc Caſu, in quo non eſt Sanctitati ignotum, Hoſtem potiri imbecille Exercitu, & ſæpiùs Excurſiones ob Famem, & Penuriam feciſſe; quin neque expectari ab Anglia Subſidium, & Religioni Catholicæ graviſſimè præjudicaſſe, & tamen obtinuiſſe Judicias! Quàm rogo officere poterit hic Nuntius Oratoribus à DD. VV. Illuſtriſſimis deſtinatis, quibus Sua Sanctitas exprobabit Timorem hunc Confæderatorum, & juſte cenſebit, ſe ad ulteriora Auxilia tradenda meritò retrahi.

"E contrà, ſi generosè, & pro noſtra ſancta Religione reſtituenda in Momonia, Exercitus colligatur, & aliquis ad Mare Locus recuperetur, ſuperfluum eſt, ut repetam Dominis, quale Gaudium Sanctitati Suæ accederet, quive illius Animus eſſet ergà Confæderationem, cum ex D. Decano (*p*) ſatis intelligere potuerint, quid Sua Sanctitas præparaverat, tàm in Pecunia, quàm in publicis Honoribus, ſi Dublinium ad eorum Manus deveniſſet, prout impenſiſſimè optabat, ac etiamnùm optat.

"Ego certè, cùm jàm à Biennio nihil magis cupiam, quàm ſemel poſſe aliquid Sanctiſſimo nuntiare, quod illius Animum ad ulteriorem Benevolentiam ergà DD. VV. Illuſtriſſimas alliciat, ſciamque quid ſperari ab eo poſſit. In hoc Caſu occultum Dei Judicium exiſtimo eſſe, quod hucuſque nonniſi adverſa & malè ominantia ſcribere potuerim, nec minùs mirabile judicarem, ſi Confæderati non laborarent ſemel id præſtare, experturi in Re aliàs ſibi utili, an verum ſit, quod toties inculcandum mihi fuit, non ob aliud, quàm ad maximam Dominationum Veſtrarum Felicitatem, & dignum Religionis Catholicæ Profectum. Hoc ſcribenda antè meum Adventum duxi. Idem DD. VV. Illuſtriſſimis

"*Joannes Baptiſta Rinuccinus,*
"*Archiepiſcopus Firmanus.*

LVII. *Supremi Catholicorum Concilij ad præinſertam Domini Nuntij Epiſtolam Reſponſio* (*q*).

"QUANDOQUIDEM Illuſtriſſimæ D. V. pro eo, quo fungitur Munere, Deliberationis noſtræ, & Rerum noſtrarum Statum ſæpiùs indicavimus, & viciſſim omni cum Urbanitate liberè ſuum ſuper Re controversâ Senſum expoſuit, & jam de Inducijs cum Barone de Inchiquin contrahendis Illuſtriſſima D. V. Argumenta in negativam Partem ſcripſit, Noſque ipſas ineundas cenſemus. Has, quibus in illam Sententiam adducti tranſivimus, Rationes ad Illuſtriſſimam D. V. mittimus, ut communi Studio,

---

(*p*) *Dyoniſio* ſcilicet *Maſſario*, Decano *Firmano*, Illuſtriſſimi Nuntij Auditore.

(*q*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. viii. Pag. 64; & *Thomâ Carve*, Pag. 336.

“ Studio, & concordi Animo, afflictæ ſuccurramus Hiberniæ, ne Vlla ſternatur ad ulterius, & gravius Religionis, & Patriæ Detrimentum, pro quo haud dubiè Sua Sanctitas maximo afficeretur Dolore.

“ Primo, D. V. Illuſtriſſima Domini de Inchiquin (acerrimi Hoſtis) Direptiones, Sacerdotum Mulctas, & Exilia, vaſtatas enumerat Eccleſias, & omnes videre dicit, quàm male nunc habeatur Religio Catholica in Momonia poſt tot Sævitias; propriumque eſſe Induciarum, Rerum Statum relinquere, prout eſt in præſenti.

“ Eſtò, undique cogamus Exercitum, extrahamus ex alijs Provincijs Vires, quibus Hoſtem debellare poſſemus, ſi Campo ſe inferat, at ſi Baro de Inchequin ſe imparem ad confligendum ſenſerit, habet Oppida munita, quibus Copias tegat, cùm Nos, Frumenti, & omnis Generis Commeatús Indigentiâ laborantes, licèr Pecunias (quæ certè apud Nos paucæ ſunt) in Stipendia Militibus erogare poſſemus, ex his nullum Obſidione premere poterimus.

“ Quærendum tunc, ſi Parlamentarij iterùm quotquot in Lagenia, in Ultonia, in Conacia ſunt (quorum in unaquoque ex illis Provincijs ad juſtum Exercitum complendum ſufficiens eſt Numerus) ſtabunt ocioſi? Hi infenſiſſimi & Religioni Catholicæ, & Regi noſtro Hoſtes, Lageniam, & Conaciam percurrent, dùm Nos Dominum de Inchiquin, qui in maximis Majeſtatis Suæ Anguſtijs Regias Partes publicâ Declaratione amplectitur, perſequimur.

“ Quem Favorem, quas Pacis Conditiones à Sereniſſima Regina, & Walliæ Principe poſſunt Agentes noſtri expectare, aut quo Vultu petere, cùm Bellum, quod utrinque ſuſtinere nequimus, à Parlamentarijs ad ſe profitentes Regis Fautores transferimus, Inducias ultrò offerentes ſpernimus, quorum Vires duobus vix retrò Menſibus experti ſumus?

“ Quod Dominus de Inchiquin ſacra, & prophana miſcere, omnia ſus deque vertere, ac diripere ſtuduerit, Partes egit ſuas, quid enim aliud ab Hoſte expectandum! Jam verò ſi ea eſſet Induciarum Conditio, ut Eccleſias ab illo vaſtatas, & pollutas, iterùm ædificare, iterùm conſecrare nequiremus, nec Prædiorum Ruinæ iterùm reſarciri, nec Miſſa poſſet celebrari, nec Paſtor, aut Religioſus in toto illo Tractu, per quem inimicus Exercitus tranſijt, vivere valeret, certè eſſent, Rebus etiam deſperatis, Induciæ illæ rejiciendæ, ſed cùm per Inducias Terminis fortè anguſtioribus concluderetur Hoſtis, quid impedit, quominùs priſtinum Splendorem per maximam Momoniæ Partem recuperare poſſit Eccleſia, cùm, Inducijs ſtabilitis, qui anteâ fuerat, pro Tempore Hoſtis eſſe deſierit?

“ In illis etiam reſervandis illi Quarterijs, ſeù Limitibus, frequentior erit haud dubiè Sacrorum Uſus, cùm, publicâ Fide per Inducias datâ, nimùs timendus ipſe Hoſtis redditus fuerit. Jàm verò rejectis Inducijs, quid evenire poſſit Mente revolvamus.

“ Primò occurrit, eundem ipſum Hoſtem eo maximè irritandum, & ſi quid Malitiæ anteâ defuerat, hoc ſpretæ Reconciliationis Veſaniâ abundè ſuppleturum. Quid ſi miſeros ſub ſua Poteſtate Catholicos Ferro proſequatur, ac Flammâ, & Exercitu (qui ità diſpoſitus eſt, ut Bidui Spatio colligi poſſit), ex hibernis Stationibus educto, totam iterùm Momoniam percurrat, & primæ Devaſtationis Reliquias totaliter devoret.

“ Dicit Illuſtriſſima D. V., hoc non eſſe ſupponendum, cùm in noſtra Poteſtate ſit, Exercitum multò meliorem colligere. Fatemur certè, Nobis non deeſſe Viros, ſed Experientiâ notum eſt, cùm ad Muros Kilkenniæ, & Waterfordiæ Illuſtriſſimæ D. V. & Nobis inſultabundus Hoſtis irrupiſſet, quâm lentè educantur Milites, quandoquidem Ordine dato, & plùs decies repetito, Dominis Generalibus Preſtonio, O-Neillo, & Taaffo vix ad tria Millia antè Hoſtis Receſſum in hanc Urbem pervenerunt.

“ Quod ſi Baro de Inchiquin à noſtro Exercitu ad Anguſtias redactus, & Deſperatione coactus Parlamentarijs Angliæ Corcagiam, Yogheliam, Kinſaliam, & reliqua Fortalitia, & Portus maritimos dedere velit, non adeò illi infenſi ſunt Parlamentarij, licet modò Hoſtis ſir, ut magna ei dare, & majora promittere denegent.

“ Quid denique Detrimenti Nobis afferri poſſit per Colonellum Jones, qui Dublinium Parlamentariorum Nomine poſſidet, ex pluribus indè Nobis exortis Calamitatibus facile eſt judicare.

“ Juſſit Conventus Generalis (& ſolemni Suffragio Decretum illud firmatum eſt), Fædus, ſi fieri poſſit, contrahi cum Marchione Ormoniæ, eâ potiſſimùm de Cauſa, quod regijs adhæſiſſet Partibus: Dominus de Inchiquin idem profitetur, & difficilimis Temporibus ſuos in Regem exprimit Affectus, & cum illo paciſci pro Commodo noſtro Inducias denegabimus? Nos ex Comitiorum Generalium, & Concilij Supremi Decretis colligimus, ex omnibus Adverſarijs illos, qui Regem incolumem velint, eligendos eſſe, quibuſcum Armorum Ceſſationem ineamus, immò publico Manifeſto, Typis mandato, regios etiam Proteſtantes, Libertate Conſcientiæ datâ, Nobis inſervire invitamus. Et quis jam Fidelitatem ergà Regem noſtrum (quam ſæpiùs Hibernis Suæ Sanctitatis Nomine commendaverat Illuſtriſſima D. V., & multoties repetito Aſſociationis ſolemni Juramento ipſi aſſeruerunt) Nobis ineſſe exiſtimabit, qui nullas cum illo Inducias eſſe velimus, qui in regias tranſijt Partes, quandoquidem, collectis etiam Viribus, debellare Parlamentarios majus Opus ſit, quàm quod hoc perfici Anno poſſe ſperamus.

“ Prætereà conſiderandum eſt, Dominum de Inchiquin, quod ex regijs ſit, ſi Pax & Suæ Sanctitati, & Nobis grata concludatur, illi Paci obremperaturum, ità ut contrà Parlamentarios, tanquàm communes Hoſtes, & rebelles, Arma lubens capiat.

“ Illuſtriſſima D. V. Nos ad omnes Hoſtes unâ Expeditione debellandos, impares eſſe novit, & per Literas, primâ Die Martij ſuperioris ad Nos datas, cùm Rumor tantùm de Inducijs, cum Scotis Parlamentarijs concludendis, ſparſus eſſet, Illuſtriſſima D. V., quidquid id eſſet, Reipublicæ, & Regno valdè opportunum fore cenſuit, optavitque Religioni Catholicæ fore proficuum, Deumque precabatur, ut fortunaret inceptum, ex quo multas ſperari poterant Bona etiam in alijs Regnis.

“ Antè tres Septimanas D. Galfridus Baron ad Nos detulit, Senſum Illuſtriſſimæ D. V. tunc fuiſſe, quod ſi Res noſtræ tantis eſſent in Anguſtijs, Inducias faciendas eſſe cum ipſo Barone de Inchiquin, qui eas jam ultrò offert, & ab ipſo Tempore regias publicè profitetur Partes, & hoc in manifeſto Judicio comprobavit, cûm ex primarijs ſui Exercitûs Ducibus quoſdam (quod Regi adhærere nollent) in Carceres detruſerit.

“ Quod ad Famam, ad Gloriam Fæderatorum ſpectat, ubicunque publicabatur Caſſeliam captam à D. de Inchiquin, & horrendum illud Facinus in Templum, Divo Patritio dicatum, fuiſſe patratum, ibi etiam innoteſcet, Caſſeliam, & Cathedralem Eccleſiam, cum omnibus alijs illius Tractûs Eccleſijs, in Manus noſtras deventuras, & licèt Orbis Chriſtianus impiæ illius Stragis Auctores execretur, omnes tamen, quibus Rerum noſtrarum Status clarè, & fideliter referetur, prudenter, & ut Viros decuit, qui Deum tentare noluerunt, hoc in Re egiſſe Nos exiſtimabit.

“ Et verò quid Inducijs etiam inter Principes frequentius? Quoties eas cum Batavis, Subjectis ſuis, Rex Catholicus habuit, & jam tandem, ut Fama eſt, perpetuum pepigit Fædus? Reges Chriſtianiſſimi Carolus Nonus, & Henricus Tertius cum Hugnottis rebellibus in Gallijs Inducias ſæpiùs habuerunt. Meliori fortè Loco Res noſtræ, quam apud hos Principes erant ſuæ? Nequequam. Ab uno Fonte repetendæ ſunt omnes Induciarum Rationes: Conditiones, cæteroqui etiam infames, juſtas efficit Neceſſitas.

“ Hoſtium nonnunquam Arbitrio omnia relinquuntur, ſed utcunque ſunt Res noſtræ, nihil per Inducias concludimus, quod Eccleſiæ, Dei Gloriæ, & Fæderatorum Famæ poſſit officere.

“ Imbecillem dicit Illuſtriſſima D. V. hoſtilem Exercitum, & exiguas Parlamentariorum Vires. Certè aliud experti ſumus, nec omnia quæ ad D. V. deferuntur, adeo ſunt certa. At licèt nec Animis ceciderimus, nec fractæ ſint Vires noſtræ, Rerum tamen Eventus Nos docuit, nihil contrà Hoſtem improvidè, aut abruptè tendandum eſſe.

“ Conqueritur Illuſtriſſima D. V. quod Nummus, aliaque Bona, quæ ſuſtentare poſſent Exercitum noſtrum, miſerâ Commutatione Hoſti inſerviant: Hoc quis pati vellet, penès quem eſſet eligendi Poteſtas? An putat Illuſtriſſima D. V. quod non invitis Parlamentarijs etiam Nos multa abſtulimus, multa detinemus. Belli ut Eventus dubij, ita ejus Actiones ſunt variæ. Noſtrates nunc propè Dublinium Prædas agunt, & ab Agricolis Contributiones quaſdam exigunt.

“ Illuſtriſſima D. V. optimè novit, quanto Affectu Sanctitatem Suam, & Sedem Apoſtolicam proſequimur, & quanto Studio deſideramus, ut proſpera illi omnia, & læta eveniant. Neque certè deſperandum eſt Sanctitatem Suam his ipſis Inducijs conſolari poſſe, cum audierit, Nos humillimos Filios, utrumque Hoſtem unà debellare non valentes, aggredi voluiſſe Parlamentarios, qui obſtinatâ & in Regem, & in Religionem noſtram feruntur Malitiâ; neque magis gratum Sanctitati Suæ futurum exiſtimamus audire, quod in Occidente, quam quod in Oriente Fortalitia, & Loca maritima cepimus, aut quod Exercitus noſter profligaverit regios potiùs quam parlamentarios: Sed quid tendandum ſit proximâ Æſtate, & quibus Medijs coram proponemus. Et ſperamus, Illuſtriſſimam D. V., & Nos de aliqua Expeditione unanimi Conſenſu deliberaturos, quæ Suæ Sanctitati futura ſit grata. Interim precamur Illuſtriſſimam D. V. ut Sibi, & Nobis id Favoris exhibeat, ut quæ ſuper Rebus noſtris ad Suam Sanctitatem ſcribit, evidenter ſciat, & meliùs inveſtigari faciat, quæ ſint Hoſtium Vires, quæ Spes Subſidij ex Anglia, & quantos Belli Apparatus ſtruat Jones Dublinij; quæ Pecuniarum Summa Decreto Parlamentario in hoc Regnum deſtinata ſit, quot Naves, quot Fregattæ huc mittendæ, denique quam vacuum ſit Ærarium noſtrum, quomodò in alijs Subſidijs apud Illuſ-

“ triſſimam D. V. à Sua Sanctitate miſſis ad educendos Exercitus Spem ponimus, & Suppetias in Reditu Reverendiſſimi Fernenſis, & D. Plunketti, ad Progreſſum ulteriorem faciendum expectamus, & reliqua, quæ ſcribi poſſunt de Frumenti Penuria, & Rerum noſtrarum Anguſtijs, quibus à Sua Sanctitate conſideratis, tantùm abeſt ut Induciarum Fama noſtris Oratoribus Romæ officere poſſit, quinimmò illas approbabit haud dubiè Sua Sanctitas, & ulteriora Subſidia accelerabit. Hæc per Literas Illuſtriſſimæ D. V. communicaſſe ſufficiat, coràm fuſiùs agemus.

“ *Edmundus Limericenſis* (r).
“ *Athenry* (s).
“ *Robertus Lynch.*
“ *Richardus Belling.*
“ *Geraldus Fennell.*
“ *Patritius Brian.*
“ *Robertus Devereux.*”

LVIII. *Illuſtriſſimi Nuntij ad præmiſſam Epiſtolam Replica* (t).

“ VISA Reſponſione Illuſtriſſimarum DD. VV., atque auditis, quæ earum Nomine DD. Commiſſarij Generales ſuper Negotio Induciarum ad me retulerunt, adhuc videtur remanere Difficultas ſuper eadem Re niſi ad particulares Conditiones deſcendatur, quibus Tractatio concludenda ſit, ex quo pendebit verum de ijſdem Judicium faciendum.

“ Nàm licet veriſſimum ſit, quemadmodùm Illuſtriſſimæ DD. VV. dicunt, quod Induciæ paſsìm fieri ſolent etiam cum Inſidelibus, & quod ſummi Reges illas paſſim contrahunt, non minùs tamen certum eſt, quod ſolùm illæ laudantur, quæ fiunt ex Neceſſitate, ſeù ob Utilitatem, & è contra vituperantur illæ, quæ alterutro ex ijs carent.

“ Neceſſitas autem in Caſu noſtro ad id ſolùm reſtringitur, nempè quod Confæderati ſint impares utrique Bello, Lagenienſi. & Momonienſi, in qua Re, ne Judicium debeat fieri, ſine maxima Rerum Experientia, exiſtimarem Operæ Pretium eſſe, ut omnes Generales convocarentur, & ipſorum audirentur Sententiæ: Ad ipſos enim ſpectat ſtatuere, an ſufficientes ſint Vires Catholicorum utrique Expeditioni, &, poſito præſenti Statu inimicorum, diſquirere, quâ Ratione poſſint oppugnari, vel detineri, & quot Legionibus, & quibus Definitionibus Res confici poſſit, alioquin ij, qui ſunt extrà Militiam, facilè pronunciare poſſunt alterutrum, videlicet quod uterque Hoſtis ſit redactus in Anguſtias, quemadmodùm paſsìm auditur, & ideò non eſſe timendas eorum Vires, maximè in Bello pro Religione ſuſcepto, in quo eſt áliquid Deo committendum; vel è contrà, quod Vires hoſtiles non ſint adeò acciſæ, poſſint ab Anglia expectari auxilia, & ideò ſecurius eſſe cum altero Hoſtium paciſci: Quam Sententiarum Contrarietatem bellicum tantummodò Conſilium poterit explicare.

“ Sed quando non adeſſet Neceſſitas, videamus fortè ſi Utilitas adſit in his Inducijs. Et primò neceſſarium eſt mihi tollere Æquivocationem, quam video fortaſſe in meis Literis ad DD. VV. Illuſtriſſimas, non benè ſe exprimentibus, captam. Exiſtimo enim in Epiſtola, quam aſſerunt me ſcripſiſſe primâ Martij *(u)*, me nullo Modo laudaſſe Inducias cum Scotis. Et dato, quod hoc Verbum ibi legatur, fuit verè præter meam Intentionem, qui nec cum Scotis, nec cum ipſo Inchiquin, ſeù alijs alterius Religionis laudavi Inducias, ſed intellexi tantùm de Accommodatione aliqua, Confæderatione, vel ſimili aliquo Contractu. Et Ratio Diſcriminis eſt illa, quam Ego tetigi in prima meá Scriptura, videlicet, quod in Inducijs ſolent Res remanere, prout in præſenti Statu ſunt, ſine aliquo Profectu illius Tituli, pro quo aſſumitur Bellum. At Confæderatio, ſeù Accommodatio concludi non poſſet, quin adſit aliqua Utilitas Partium contrahentium: & cum Ego crediderim non poſſe cum Scotis ad id perveniri, niſi dato aliquo Augmento Religionis noſtræ in illis Partibus, ità etiam ſimilem Confæderationem cum tali Augmento contrahendam cum Domino Barone non ſolùm laudavi ſemper, ſed etiam optavi, prout Teſtes mihi eſſe poterunt plerique Dominorum ex Concilio Supremo. At ubicunque nulla talis Utilitas haberi poteſt, Animus mihi non fuit, quáſcunque Inducias, vel ſimile Interſtitium approbandi.

“ Hoc poſito, videndum eſt, quæ Utilitas Religionis, & Regis haberi poſſit in his Inducijs. Et quoad Religionem, ſi non deveniatur ad particularia, nihil huc uſque auditur, quod illam juvet, ideoque

---

(r) *Edmundus O-Duyer*, Epiſcopus *Limericenſis*.

(s) *Franciſcus Bermingham*, Baro de *Athunry*, ſeù *Athenry*. Ab eo rectâ Lineâ deſcendens nunc eſt Comes de *Louth*.

(t) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. viii. Pag. 73.

(u) Epiſtolæ illius Exemplar nuſquam videre potui, alioquin illud ſuo Loco infererem.

“ remaneut ut vera, quæ in mea prima Scriptura conſiderantur, videlicèt, quod Religionis Status in Momonia nuſquàm fuit infelicior, & anguſtior, & quod ij, qui Damnum tulerunt, reportabunt cum maximo noſtro Dedecore Præmium, & Commoditates, quandò Tempus erat Animis verè Catholicis contrà ſacrilegos inſurgere, & illos omni Conatu vel debellare, vel repellere.

“ Sed veniamus ad Regem, circà quem videntur DD. VV. Illuſtriſſimæ ſupponere, quod Sanctiſſimus Dominus noſter gratum habere debeat, Confæderationem eſſe Majeſtati Suæ devotam, & obſequentem, atque ideò benè egiſſe amplexando & ad Inducias provocando Dominum Baronem, pro ipſo Rege declaratum. Egò verò DD. VV. Illuſtriſſimis ſignifico, Sanctitatem Suam exiſtimaſſe, melius ſemper millies Conſilium eſſe Domino Regi, ſi in Manibus Catholicorum habeantur Arces, & Caſtra Momoniæ, quam in Manibus Domini Baronis, declarati pro Rege, immo nec poſſe meliorem præſtari Obſervantiam, neque arctius Obſequium Majeſtati Suæ, quàm per Catholicos, qui ſciunt ſervare Fidelitatem Deo. Cur enim Sanctitas Sua præteritis Annis tot Officia, & Monitiones per Reverendiſſimum Scarampium, & poſteà per me interpoſuit, ut Confæderatio oppugnaret Dublinium, quod erat in Manibus Marchionis Ormonij, non ſolùm declarati pro Rege, ſed etiam Proregis, fortè ut Majeſtati Suæ detraherentur Obſequia, immò ut melius Regi per Catholicos ſerviretur, quam per Proteſtantes, & ideò ſi perſuaſum ſibi habeat Sanctitas Sua, quod Induciæ cum Inchiquin factæ fuerint ſine evidenti Neceſſitate, & quando ſperari poterat Recuperatio ipſius Quarterij, credant pro certo, illum ægerrimè laturum, quod hoc factum fuerit eo Titulo, videlicèt Declarationis pro Rege, quinimmò coactus erit exiſtimare, neque Religioni, neque Majeſtati Suæ fuiſſe conſultum.

“ At verò quid ſi, Illuſtriſſimi Domini, hæc Declaratio, apud Principes exteros, & profundè omnia rimantes, tanquàm facta ab Homine, uſque adhuc Regi inimiciſſimo, & volubilis, atque artificioſiſſimæ Naturæ, tanquàm levis, & non attendenda reputetur, niſi certis primò, & ſecuriſſimis comprobetur Experimentis? Quid ſi Regina ipſa Sereniſſima, & Princeps, levem eandem pariter exiſtiment, & ſecuriùs ſibi fore credant, quod Confæderatio Catholica, potiùs quam D. Baro, habeat illa Quarteria? Quid ſi tandem Dominus de Inchiquin, qui unitus erat præteritis Menſibus cum D. Jones ad intercipiendum Confæderatos in Medio, nunc præmiſſâ ſuprà dictâ Declaratione, nihilominùs occultè cum ipſo conſentiat, & appropinquantibus Dublinium Confæderatis, ipſe etiam Jones declaret ſe pro Rege, & ſimul excludant ab omni Acquiſitione Confæderatos? Num poterit tunc diverſa Lex haberi cum Jones, quàm cum Inchiquin, & in quo Statu tunc erit Religio jam penè deperdita in Momonia, & ſine ullo Augmento in Lagenia? Quod enim hæc ſuccedere poſſint, ſufficit Exemplum D. Marchionis Ormoniæ, qui cùm obligatus eſſet Regi, nihilominùs, nullâ habitâ Ratione Majeſtatis Suæ, Dublinium Parlamentarijs conſignavit, & nunc iterùm, quaſi hæc Mutatio nullam habeat Inconvenientiam, ad Regem revertitur.

“ Hæ ſunt, quæ ſuſpirat Sanctiſſimus D. N., videt has Incertitudines, prævidet hæc Pericula, & gemit Jacturam Religionis, maximè ſi contingat Prætextu Obſequij in Regem, vel alterius Utilitatis, aut Quietis, quæ fruſtrà ſperanda ſunt, ſine Profectu Religionis, & plerumque evadunt falſa, ſicut ſæpiùs dictum eſt.

“ Quocircà dicebam DD. Commiſſarijs, hæc omnia potuiſſe magno cum Honore, & Prudentia tranſigi, immò & cum apparenti Satisfactione Principum exterorum, & præcipuè Sanctitatis Suæ, ſi dùm tractantur Induciæ, aliquis etiam Exercitus in Momoniam contrà D. Baronem dirigeretur, quo effici poſſit, ut ille jam redactus ad Anguſtias, & irreconciliabiliter offenſus Parlamento, vel veniret in Conditiones, DD. VV. Illuſtriſſimis, & toti Confæderationi proficuas, vel aliquâ Ditionis ſuæ Parte privaretur. Quod mihi viſum fuit eò magis proponere, cùm poſt Receſſum D. Baronis a Kilkennia ſcripſerim profusè Sanctiſſimo Domino quidquid mihi ferè ab omnibus, & præcipuè à D. Limericenſi, tunc ſignificabatur, videlicet, Confæderatos, Inſultatione illâ hoſtili excitatos, in ſtrictiorem Unionem veniſſe, ac decreviſſe, remotis Diſſentionibus, ac Æmulationibus, Exercitum contrà Baronem propediem committere, oſtendereque. quanti faciant & Religionem, & Patriam. Nunc verò deplorandum eſſet, & habendum pro maximo Infortunio, quod non ſolûm cogor ſcribere, ea omnia abijſſe in Fumum, ſed Baronem unicâ vocali Declaratione pro Rege mutaſſe omnia, & Confæderatos ad omnem illius Satisfactionem deſcendere, quæ, ut in prima Scriptura profusè deſcripſi, valdè ſuſpicor, ut Mentem Sanctitatis Suæ, eo maximè Tempore avertant, quo Agentes DD. VV. Illuſtriſſimarum eam maximè, & præſentialiter implorant, & Ego, prout etiam ſcripſi, videam me poſitum in illo moleſtiſſimo Statu, quo jâm tot Menſibus nequeam aliquo Lætitiæ Nuntio eandem Sanctitatem magis ac magis huic Patriæ conciliare.

“ Hæc tamen omnia ſint dicta ad Illuminationem potiùs Rei propediem concludendæ, cum ex Conventu ab Illuſtriſſimis DD. VV. intimato, & ex particularibus Induciarum Conditionibus multa poſſint conſiderari, quæ Rem magis aperient, & feliciùs definient. Interìm juſſi, ut ab omnibus Religioſis, & Sacerdotibus Preces fundantur per quindecim Dies continuos, ad quod DD. VV. Illuſtriſſimas, & omnes Laicos adhortor, ut Deus, ſi hæc Tractatio cedat in ipſius Gloriam, & Patriæ Bonum, dignetur illam unanimi Conſenſu promovere, ſin minùs impedire. Hæc indifferentia Animorum poterit impetrare à Deo quod petimus, & DD. VV. Illuſtriſſimas inſpirare, quibus Manus officiosè deoſculor 20 Aprilis 1648,

“ *Joan. Bapt. Rinuccinus.*

LIX.

Supremi Concilij ad Epiſtolam iſtam, Rationeſque in ea contentas Reſponſio (*w*).

“ Præſentis Diſputationis Statu ad hæc duo reducto, Neceſſitatem ſcilicet, & Utilitatem, tantùm abeſt, ut Induciæ, cum D. Inchiquin contrahendæ, utroque careant, ut nec alterutro contentæ, ambo complectantur, ſicut in primis Rationibus, ad Illuſtriſſimam D. V. miſſis, clarè patet, quibus & hæc addere commodum viſum eſt.

“ Quoad Neceſſitatem, Nos Neceſſitatum noſtrarum conſcij, præter Lagenienſe, & Momonienſe Bellum, etiam in Conacia ineundum eſſe ſcimus, ubi Æſtate præteritâ illius Provinciæ, & Ultonienſis Exercitus (quibus iſtius Belli Cura commiſſa fuerat) paucos contrà Hoſtem Progreſſus fecerant. Scotos etiam Parlamentarios in Ultonia habere Vires ad complendum juſtum Exercitum diximus, ità ut Neceſſitatum noſtrarum Campus latior ſit, quàm illum deſcribit Illuſtriſſima D. V. Quæ ſint ergò noſtræ in ijs Provincijs Vires inquirendum, ut ubique ſuperiores ſimus, vel pares. Fuſi Exercitûs Copiæ Tempus exigunt ut reficiantur, binos perdidimus Æſtate jàm præteritâ. Si Stipendia Militibus jàm erogare poſſemus (licèt ad hoc ipſum nullo Modo ſufficiant Vires) diximus in Momonia deeſſe Frumentum, & omnis Generis Commeatus, Hoſtem Oppida, & Caſtra habere munita, ubi, appropinquante noſtro Exercitu, omnia ad Victum neceſſaria undequaque rapiet, dùm in devaſtata Provincia Nos Militibus noſtris Alimenta fruſtrà quærimus.

“ Diximus, Dominum de Inchiquin Commoditate Oppidorum, in quibus hibernas habet Stationes, poſſe illum trium Dierum Spatio unire, & educere, & dùm diſperſos per Provincias Milites evocamus, & ſuper Negotio lentè diſcurrimus, totam, ut anteà, percurret Momoniam, & Provinciæ iterûm Tributum imponet: Octo ſolùm ſuperſunt Dies, quibus Conventione cum Comitatibus factâ ad hoc impeditur, his elapſis, eſt ſui Juris, & omnem poteſt Tyrannidem in Provinciam exercere. Hæc ſumma Nobis videtur Induciarum Neceſſitas, has, quoad ſcimus, nulli ex Generalibus improbant.

“ Jam de Utilitate, & primò in quantum ſcribit Illuſtriſſima D. V. ſe ſemper prætuliſſe Inducijs aliquam Confæderationem, aut Accommodationem contrahendam, aut cum Inchiquin, vel cum alio ex Hoſtibus, eâ potiſſimùm de Causâ, quod talis Accommodatio aliquam Partium contrahentium Utilitatem habitura eſſet, & Religionis Augmentum. Ad hoc reſponderi poteſt, licèt Dominus de Inchiquin tali Confæderationi aſſentiri vellet, Inducias tamen præire neceſſe eſt, ut Res tanta (cui neque Tempus Limites ponit, nec niſi ſemel ineunda ſit) perficeretur. Sed quæ ſit futura hæc Confæderatio, aut quid Emolumenti Religioni Catholicæ ex ea provenire poſſit diſquiramus.

“ Primò, cùm adverſæ Religionis Hominibus ſit ineunda, qui proculdubiò pari Vinculo Nos ad ſuam Sectam in Locis ſibi reſervatis conſervandam adſtringerent; & hoc fortè indecorum judicaretur. Deindè neſcimus, quanto talis Confæderatio Nobis Damno eſſe poſſit, qui uberiores pro Catholica Religione ſtabiliendâ Conditiones à Rege noſtro (ſi Pax concludenda eſſet) expectare non poſſemus, quàm quas privatâ illâ Confæderatione, cum Proteſtantibus initâ, ipſi ſtatuimus.

“ Prætereà, talis Confæderationis Natura requirit, ut nulla Pars in alteram Jus habeat, & ſic in Principatus, partìm Catholicos, partìm Proteſtantes, diviſa Hibernia, nec Bellum, nec Pacem habitura eſſet.

“ Redeamus ad Inducias, quas Religioni Catholicæ in Momonia utiles pro Tempore futuro, multis oſtendimus. Nihilne eſt, Cathedralem Caſſelienſem, & ad uſque Limites Comitatûs Corcagienſis Eccleſias prophanatas, & illius Tractûs Decimas noſtro Clero conſervaſſe incolumes ut (pro Induciarum Tempore) ſecurè Deo illìc inſervire poſſint omnes Catholici?

(*w*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. viii. Pag. 80.

“Scimus profectò, Sanctitatem Suam, pro Sua Prudentia, & in Religionem Catholicam, & Regem noſtrum Studio, exiſtimare melius utrique conſultum eſſe, ſi omnia Oppida, Fortalitia, Naves, Apparatuſque bellici, qui apud Hoſtes ſunt, in Manus Confæderatorum devinire poſſiut, & cui alteri incubuimus Curæ? Quid aliud tanto Noſtratum Cruore, Æſtate præteritâ effuſo, acquirere ſtuduimus?

“Sicut Sanctitatem Suam ægrè laturam Inducias cum Hoſte Proteſtante ſine Neceſſitate, ſine Utilitate contrahendas fore ſcimus, ità his datis, prout in primo Reſponſo clarè patet, non dubitamus, Sanctitatem Suam illas approbaturam, eo magis quod Regis Partes amplexantem Dominum de Inchiquin prætulerimus.

“Per Illuſtriſſimam D. V, ac Reverendum Scarampium ſæpiùs Suæ Sanctitatis Nomine ad Dublinium capiendum excitati ſumus, &, ſi hoc tunc fieri poſſet, nec Proregis Auctoritas, nec Obſequium in Regem, quod illâ certè Actione diminui non poterat, obſtitiſſent. Sed ſi Statum Hiberniæ, ut tunc erat, Memoriâ repetat Illuſtriſſima D. V, inveniet Nos (licèt Induciæ cum Marchione factæ illius Vires divertiſſent) reliquis tamen Hoſtibus vix pares. Quod dicit D. V. Illuſtriſſima, exteros Principes, & ipſam Reginam noſtram, & Sereniſſimum noſtrum Principem fortè exiſtimaturos Declarationem illam Domini de Inchiquin, Viri verſatilis, fictitiam, certè Nos illam tamen eſſe non exiſtimamus, eâ potiſſimum adducti Ratione, quod illius jurati Hoſtes Parlamentarij ſint, & Independentes: Sed ſi talis eſſet, Tempore tamen opportuno pro Catholicis facta eſt, qui ſub illa ſaltem Specie poſſunt Neceſſitatibus ſuis conſulere, & contrà Hoſtes noſtros, ſe profitentes Parlamentarios, Bellum unitis Viribus movere.

“Dicit etiam Illuſtriſſima D. V., ſi Jones, Exercitû noſtro Dublinium appropinquante, ad Regis Partes ſe tranſire finget, Inducias etiam cum illo eâdem Nos de Causâ facere debere. Ad hoc, licèt minimè ſperandum ſit, Colonellum Jonem, qui è Sorte humili ad hoc Dignitatis Culmen à Parlamento evectus eſt, alias Partes amplexaturum, Nos tamen non adeò ſumus ſtupidi, ut, pro Rerum noſtrarum Statu, hunc ficta, illum vera profiteri non aſſeramus: Nec obligamur eo ſolum Titulo Inducias cum unoquoque in Regis Partes tranſeunte facere, neque hoc diximus, has tamen præferendas & Conventus Generalis ſtatuit, & Nos cenſemus.

“Induciarum, ut verè dicit Illuſtriſſima D. V., meliores eſſent Conditiones, ſi, dum illæ tractantur, Exercitus in Momoniam poſſet mitti. Nos idem ſentimus, ſed undè, aut quo Tempore talis contrahendus ſit Exercitus? Quid de illo jam, ſæpiùs devaſtatâ, & Militum obnoxiâ Inſolentiæ Momoniâ, ſentiat inquirendum? Hoſtis paratus eſt, & intrà paucos Dies vel novum Tributum, vel novæ Clades, & Miſeriæ imminebunt illi Provinciæ.

“Dicit Illuſtriſſima D. V., ſe à pleriſque de Supremo Concilio, præſertìm ab Illuſtriſſimo Limericenſi, audiviſſe, Concilium in eam Sententiam deveniſſe, ut Exercitus mitteretur contrà Inchiquin: Quod hæc vera ſint, quæ ad Illuſtriſſimam D. V. deferebantur, Res ipſa confirmavit. Eductæ ſunt Equitum Turmæ ex Lagenia, tres Legiones Peditum ex Ultonienſi Exercitu, & una ex Lagenia, in illud Opus deſtinatæ ſunt: Equitatus etiam Momonienſis, & una Peditum Legio, adducti. Electi etiam è Supremo Concilio, qui in illa Expeditione Generalem comitarentur ad Caſſeliam, Exercitûs Præfecti, & Primarij Duces Concilium Bellicum de Rebus agendis inierunt, atque Inſtrumento communi, ab omnibus ſubſcripto, ad Nos miſſo, aſſeverarunt, Expeditionem illam adverſùs Hoſtem, Equitatu pollentem, & in Præſidijs propè poſitis reſidentem, Defectu Commeatûs, quem ad alendum Exercitum illum in Momonia procurare non poterant, eſſe temerariam, & ex illa poſſe Damnum aliquod grave eveniri Confæderatis Catholicis. Erant in hoc Concilio ex omni Provincia Duces, & hæc eorum Sententia, quapropter in hybernas Stationes Exercitus ille diſperſus fuit. Ex his patet, vera fuiſſe quæ Romam ſcripſerat Illuſtriſſima D. V. Et ſi hæ Rationes, hæc Conſulta Militum, Romam ſcribantur, ſatisfaciet Officio ſuo Illuſtriſſima D. V., in cujus Poteſtate, ſicut nec in noſtra, non erat omnia, ad illam Expeditionem neceſſaria, ſubminiſtrare. Hæc ad ulteriorem Illuſtriſſimæ D. V. Satisfactionem ſcripſiſſe ſufficiat.”

LX. Illuſtriſſimus Nuntius, receptâ hac Reſponſione, cùm perſenſiſſet, Ceſſationem à *Supremo Concilio* concludendam, à *Kilkennienſi* Urbe, ordinariâ Catholici Fæderis Sede, diſceſſit, ac per Epiſtolam, 7 Maij 1648 datam, Diſceſſûs ſui Cauſam reddit. Concilium, Re cognitâ, per Epiſtolam 11 ejuſdem Menſis de inopinato ejus Diſceſſu expoſtulat, quoſdam legat Ordinis ſui Homines, qui ipſum ad Reconciliationem, & Reditum, tâm traditis ipſius *Concilij* Literis, quam vivâ Voce invitent. Reſcribit ille *Concilio*, & ſimul quaſdam Conditiones Legatis Scriptô tradit, quibus conceſſis, tàm & ſeipſum, quàm Clerum ſibi adhærentem, *Audoenum* quoque *O-Neill*, Generalem, & *Ultonienſes* Copias in Unione permanſuros promittit, ut refert *Philopater Irenæus (x)*, ajens, id patere ex eadem ejus Epiſtola, penès ſeipſum extante. Illius porrò Exemplar nuſquàm inveni, aliàs illud lubens exſcriberem. Ejus tamen Fragmentum laudatus affert *Irenæus*, quo Nuntius, nonnulla de ſua in Partium Reconciliationem Propenſione præfatus, in hunc Modum ſubdit: *In eum Finem, auditis Commiſſarijs DD. VV. Illuſtriſſimarum curavi, ut ab Epiſcopis, qui ſunt hìc mecùm, & Domino ipſo Generali, aliquot Propoſitiones ſcriberentur, quæ ad Securitatem Cleri ſpectare poſſunt. In ijs, quantùm Ego capio, videntur Res ex utraque Parte concurrere ad Concordiam, cùm unaquæque aliquid de ſuo remittat, ut fieri ſolet, quas vehementiſſimè cupio à Dominationibus Veſtris Illuſtriſſimis recipi, & approbari.*

Conditiones, ac Remedia tàm Clero, quàm alijs ſibi adhærentibus
Pro ſua Securitate neceſſaria, ut Armorum Ceſſatio cum Domino
Barone de Inchiquin ſalvâ, ac tutà Conſcientiâ, concludi poſſit.

1. *Concilij Supremi Proceres Jurejurando ſe obſtringent, quod nec ipſi, nec alij quilibet eorum Impulſu, vel Auxilio, directè, vel indirectè, ullam aliam Pacem introducent, quàm illam, quæ ultimorum Generalium Comitiorum Suffragijs convenire declarata eſt, cujuſque obtinendæ Cura commiſſa eſt Oratoribus, tàm* Romam, *quàm in* Gallias, & Hiſpanias, *eo Fine profectis. Jurabunt iterum ſe interceſſuros omnibus, & ſingulis cujuſcunque Ordinis, & Conditionis Hominibus, qui contrarium quovis Modo, aut Prætextu attentabunt, ſuumque hoc Juramentum publicâ Declaratione confirmabunt.*

2. *Viros æquos de Confæderatorum Catholicorum Numero Exercitibus Lageniæ, & Momoniæ Provinciarum præficiendos curabunt.*

3. Ultonienſem *Exercitum ad aliquam idoneam Regni Expeditionem applicabunt; Stipendia ei, ſicut & alijs Exercitibus, pro Portione ſolvent; illique de Hybernis in Provincijs Regni habitatis in proximam Hyemem providebunt.*

4. *Legiones Domini Baronis de* Caſtelleonnell *(y)*, Richardi Butler, Davidis Roche, Moriarti O-Brien, & Donati Mac-Carthy *in Exercitu conſervabuntur, & Stipendia accipient.*

5. *Omnes, & ſinguli Militiæ Tribuni, alijque Exercitûs Duces, ſtricto, & expreſſo ſeſe Juramento obligabunt, quod nec directè, nec indirectè, nec clanculùm, nec manifeſtè, nec aliâ ullâ excogitandâ Viâ, quidquam deſiderabunt, ſollicitabunt, procurabunt, aut acceptabunt in Præjudicium Catholicæ Religionis, Profeſſorum ejus, aut Libertatis hujus* hibernicæ *Nationis, aut quod vergat, aut credi poſſet tendere in eorum Præjudicium, ſine expreſſa Cleri Licentia.*

6. *Caſtella in Poſſeſſione Fæderatorum Momoniæ Provinciæ Catholicorum, ac nominatìm Caſtellum de* Maino Fluvio, *ſitum cum ſuo Territorio in Comitatu* Kerryenſi, *ab omni Juriſdictione, & Contributione, Domino de Inchiquin, aliſſque omnibus Hoſtibus ſolvendâ, quoad hæc Ceſſatio duraverit, eximantur.*

7. *Clerus, & Nobiles Provinciæ* Momoniæ. *aliſque omnes cujuſcunque Conditionis, Clero adhærentes, ad exercenda publica Munia, præſertim Civilia, ex Condicto admittantur.*

LXI. *Supremi Concilij Fæderatorum Hiberniæ Catholicorum ad Propoſitiones, ſeù Conditiones Illuſtriſſimi D. Nuntij Reſponſa.*

" Ad primam reſpondetur, Rebus ſingulis in ea contentis jam à Nobis, tàm ipſo Aſſociationis
" noſtræ Juramento, quàm poſtremâ noſtrâ Declaratione (cujus annexum eſt Exemplar) abundè
" ſatisfactum eſſe.

" Ad

(x) Lib. i. Cap. vi. Pag. 107.

(y) Scilicet *Gulielmi de Burgo*, de cujus Progenie videſis Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 475.

“ Ad ſecundam reſpondetur, Nobis Curæ fore, ut Nemo cuiquam è noſtris Exercitibus præficiatur, quin ſit Vir bonus, moderatus, æquus, & Catholicæ Cauſæ fidelis Promotor, quique hujus Rei ſufficientia Argumenta non præbuerit, & quò cautiùs, & ſecuriùs in hoc Negotio procedamus, ſtatuimus, nonnulla hujus Ordinis Membra ad Exercitus legare, quorum Conſilio Præfecti Generales in Rebus majoris Momenti utentur, Noſque (ſi quæ ejus Rei ſufficiens Cauſa, aut Ratio innotuerit) quemlibet amovebimus ejuſcemodi Præfecturæ exercendæ minùs idoneum; acceptum habituri, ſi tempeſtiva Notitia detur ſubeſſe aliquam Exceptionis Cauſam adversùs quemquam eorum, qui à Nobis Exercitibus aut hactenus præfecti ſunt, aut in poſterum præficientur.

“ Ad tertiam reſpondetur, tantum, ac talem Provinciæ Ultoniæ Exercitum, quantum hic Ordo expedire judicaverit, idoneæ Expeditioni deſtinandum. Ejus porrò Exercitus Robur ex ſeptem Peditum Millibus, & octingentis Equitibus conſiſtet. Componetur verò ex Legionibus Peditum octo, videlicet Domini Vicecomitis de Iveagh (*Z*), Phelimi O-Neill, Alexandri Mac-Donnell, Rogerij Maguire, Philippi Machugh O-Reilly, Tribuni Mac-Mahoni, & de Tirconnell (*A*), & duabus Equeſtribus, una Henrici O-Neill, & altera Colonelli Ludovici O-Moore, & ſi quæ ſunt ſupernumerariæ Copiæ, exauctorabuntur. Hìc Mentionem non facimus ſub Præfecti Generalis Ferralli, quem ſupponimus Virium Provinciæ Conaciæ Legatum.

“ Quod ad Expeditionem attinet, ad quam hunc Exercitum deſtinare conveniat, præterita ejus Diſſidia effecerunt, ut minus tutum arbitremur, eum cum alijs Exercitibus jungere. Undè Nobis probatur, ut dúm alij Exercitus alia moliuntur, iſte quoque aliud ſibi peculiare aggrediatur, Trimmam videlicet, Dundalkam, Vadipontum, Newrium, Enniſchelinum, aut quamlibet aliam Munitionem, aut Propugnaculum hoſtile in iſtis Partibus.

“ Quod verò ad alendum hunc Exercitum ſpectat, Nobis placet (poſtquàm de Rebus ipſis earumque Securitate, Modo infer ùs explicando, conventum fuerit) ut D. V. Illuſtriſſima huic Exercitui ex Suppetijs à Sanctitate Sua ad Nos miſſis ſolvat quantum cum Ultoniæ Contributionibus, & proprijs Armentis pro eo inter æſtivas Expeditiones alendo ſatis erit: Hiberna autem, ſeú Præſidia, ipſi in proximam Hyemem, ſicut & alijs Catholicis Exercitibus, Regni Impenſis Æquitate Nos ſervatâ procurare ſtudebimus.

“ Porrò quemadmodum Bono Pacis, & conſervandæ Fæderatorum Catholicorum Unionis Causâ, ad Pacta hæc, & peculiares Conditiones deſcendere, eaſque concedere conſentaneum duximus, ità declaramus eâ Nos Lege poſtulatis aſſentiri, ut Securitas viciſsìm Nobis detur, Præfectum ipſum Generalem, alioſque hujus Exercitûs Duces, & Milites, ſtatis Temporibus, immò quoties juſſi fuerint, exactam, & promptam Obedientiam omnibus tam Generalium Comitiorum, quàm Supremi Concilij Mandatis præſtituros Juramentum Aſſociationis, quoad omnes ejus Partes ſervaturos: Denique eundem Præfectum Generalem, primoreſque Exercitûs illius Duces, quo ſuam ergà Nos, noſtraque Mandata Obſervantiam manifeſtent, antè, aut Die ipſa decima Junij proximè futuri coràm Nobis ſe præſentaturos, ubi Juramentum à Nobis ipſis proponendum, utique Juramento Aſſociationis conſonum, ejuſque confirmativum, præſtabunt.

“ Ad quartam reſpondetur, quod cùm jàm concluſæ ſint Induciæ, forte neceſſe erit, Exercitum Provinciæ Momoniæ ad minorem Militum Numerum, quàm quo hactenùs conſtitit, contrahere. Nos vero cum Provincialibus ejuſdem Provinciæ Comitijs de ejus Exercitûs Reductione, & Compoſitione Conſilium inibimus, in quo ſi fortè minùs æqui Judices apparuerint, noſtram Nos Auctoritatem, quâ ad Juſtitiæ Normam redigantur, interponemus.

“ Ad quintam reſpondetur, omnes Belli Duces Juramentum præſtaturos noſtræ ultimæ Proteſtationi conſonum, ejuſque confirmativum.

“ Ad ſextam reſpondetur, Caſtello, in Maino Flumine ſito, ità proviſum eſſe, ut in Cuſtodia illius, à quo nunc tenetur durante hac Ceſſatione, ſecurum ſit, quin & cætera Caſtella intrà Limites, Domino de Inchiquin aſſignatos, ſuis Poſſeſſoribus certa manebunt, ac ſecura.

“ Ad ſeptimam reſpondetur, Neminem à Nobis ad Civilia Momoniæ Provinciæ Munia nominatum eſſe, quin Juramentum Aſſociationis præſtiterit, atque adeò Jura Nobilium, & Cleri ejus Provinciæ, totiuſque Regni teneatur defendere.

“ Quod ſi quæ ſit Exceptio ergà Miniſtrorum illorum quemquam, aut moderatior quiſquam, aut aptior à D. V. Illuſtriſſima produci poſſit, aut indicari, Nos ea de Re deliberare, eamque pro ejus Mag-

“ nitudine,

(*Z*) Cognomine *Magenis*.

(*A*) Cognomine *O-Donnell*.

“nitudine; & Merito perpendere, & in omnibus, quantum fieri poterit, pro D. V. Illuſtriſſimæ Satiſfactione, procedere parati ſumus.”

LXII. Ex Reſponſione ad quartam Conditionem, mox exſcriptâ, liquet, jam concluſas fuiſſe Inducias, quæ Partis utriuſque Subſcriptionibus munitæ ſunt Die 20 Maij 1648, necnon impreſſæ, ac publicatæ *Kilkenniæ* Die 22 ejuſdem Menſis, & quidem *acceptis priùs Comitiorum Lageniæ. & Momoniæ Provinciarum (quorum maximè ejus Rei intererat) eum in Finem habitorum, concordibus pro eâ ineundâ Suffragijs,* inquit *Philopater Irenæus* (z).

Earum porrò ſecundum, & quartum Articulos, Latinitate fideliter donatos, exhibet memoratus *Philopater Irenæus* (*a*), alios ceù merè politicos, adeòque nihil ad Inſtitutum facientes, præteriens. En autem eos :

Secundus Induciarum Articulus.

Conventum eſt, & concluſum inter Partes, ut Nemo Fæderatorum Catholicorum, ſivè Clericorum, ſive Laicornm, Moleſtiam ullam, aut Impedimentum â dicto Domino Barone de Inchiquin, *aut â quoquam alio Partis ejus, uno, aut pluribus, in, aut propter liberum Religionis, aut Functionis Exercitium, durante dictâ Armorum Ceſſatione, patietur : Præſidijs, & Locis, jam nunc à dicto Domino Barone de* Inchiquin, *ejuſque Parte poſſeſſis, ſolùm exceptis.*

Quintus Induciarum Articulus.

Conventum eſt, ut actualis, ac præſens Bonorum utriuſque Partis, tâm Cleri, quâm Laicorum, Poſſeſſio eadem continuetur, ac perſeveret, quæ ab incboatæ hujus Ceſſationis Tractatione erat ; utque nec Clerus, nec Populus Partis alterutrius perturbetur, ullamve, dictâ Ceſſatione durante, Moleſtiam patiatur, in actuali Poſſeſſione, quam tunc habebat : Eâ duntaxàt Lege, ut qui ſe harum Induciarum Conditionibus ſubmiſſerint, ijſque conformiter vixerint, Tributa, Reditus, aliaque publica Onera ſolvere non detractent.

LXIII. Eadem Die 22 Maij 1648 publicatum fuit Kilkenniæ ſequens *Supremi Concilij* Edictum (*b*) :

“PER SUPREMUM CONCILIUM CONFÆDERATORUM “HIBERNIÆ CATHOLICORUM.

“Quia Nobis ſignificatum eſt, non deeſſe quoſdam, qui in Populi Animos Actorum, ac Proceſſuum noſtrorum Diſplicentiam eo Nomine infundere conantur, quaſi præcipuus concluſarum cum Domo Barone dè Inchiquin Induciarum Scopus eſſet, Pacem pridem rejectam (*c*) denuò introducere: Nos verò etſi perſpectum habeamus, quàm infructuoſa, & vana ſint hujuſmodi Hominum Molimina, quamque exiguam id Generis Aſperſionibus apud Confæderatos Catholicos Fidem ſibi pepererint ; ut tamen juſtæ Conſcientiarum noſtrarum Cauſæ patrocinemur, alioſque, ſi qui forte ſeduci poſſent, à Falſitate, & Errore avertamus, proteſtamur, ac publicè declaramus, quod neque Nos, neque ulli alij de noſtro Conſilio, aut Auxilio, directè, aut indirectè, ullam aliam Pacem introducemus, quàm quæ Generalium Comitiorum Præſcripto probata, noſtris Oratoribus, tàm Romam, quâm in Gallias, & Hiſpanias expeditis, procuranda in Mandatis commiſſa eſt, uſquedùm Generalia Confæderatorum Comitia aliter decreverint ; & quod Nos pro virili obſiſtemus omnibus, & ſingulis, qui quomodolibet aliam quamcunque Pacem introducere tentabunt, quàm quæ dictis Oratoribus noſtris à Confæderatis ſuo Nomine ſollicitanda præſcripta eſt, aut quam dicta Comitia amplexandum judicabunt. Datum Kilkenniæ 22 Maij Annò 1648.

“ *Impreſſum de Mandato*
“ *Supremi Concilij.*

(z) Lib. i. Cap. ix. Pag. 94.

(a) Lib. i. Cap. ix. Pag. 87.

(b) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. ii. Pag. 94.

(c) Confer Num. liii. hujus Capitis, Pag. 658.

LXIV. Paulò poſt, Die nempè 27 ejuſdem Menſis Maij 1648, idem *Supremum Concilium* ſubjectam hanc Declarationem Linguâ *Anglicanâ* editam emiſit (d).

“PER SUPREMUM FÆDERATORUM HIBERNIÆ CATHOLICORUM CONCILIUM.

“NOS Supremum Fæderatorum Hiberniæ Catholicorum Concilium, non ſine intimo Doloris Senſu ob Populi Calamitates, variaſque initas Regni hujus, jàm nimis afflicti, novis Miſerijs opprimendi Vias: Inter Curam, quam Fæderatorum omnium Catholicorum Salutis, & Proſperitatis habere tenemur, & Reverentiam, quæ à Nobis debebatur, & abundè ſemper exhibita fuit Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo Firmano, Sanctitatis Suæ in Hiberniæ Regno Nuntio Apoſtolico Extraordinario, quaſi ex æquo utrimque diſtracti, ac ſuſpenſi, diù vacillantes hæſimus. Verùm cùm Nobis demùm innotuerit, Dominationem Suam Illuſtriſſimam paucorum Hominum, privatis Rebus plus æquo addictorum, Subjectionis cujuſlibet impatientium, ac Præſidia omnia, quibus Pax, ac Tranquillitas, etiàm Religioni Catholicæ quantumlibet utilis, ac ſecura, acquiri poſſet, contemnentium, Suggeſtione, ijs inſiſtere Conſilijs, ex quibus evidens, & inevitabilis hujus Nationis Ruina ſequeretur; nec Rationum Momentis, nec ſerijs, ac ſollicitis Precibus ejuſcemodi Conſilia mutare, aut avertere poſſemus; compulſi tandem ſumus Fæderatos omnes Catholicos, quorum Vitæ, ac Fortunæ Sollicitudini noſtræ commiſſæ ſunt, monere, ne poſthàc illis, id Generis iniquis Prætextibus, aut Suggeſtionibus Aurem præbeant, aut Fidem illis, ulliſve ſuper illas fundatis Præceptis, aut Proceſſibus, ab ea, quam, Mandatis noſtris debent, Obedientia ullatenùs ſe abduci, aut diverti patiantur. Ne ſecùs facientes, & ſemetipſos in Confuſionem, & totum Regnum in fatalem tàm ipſi, quàm ſibi Diviſionem, ac Deſtructionem præcipitent.

“Exemplar nuperæ Declarationis contrà Armorum Inducias, pro communi Bono, & Incolumitate, noſtrâ Auctoritate factas, & â paucis Epiſcopis coram Dominatione Sua Illuſtriſſima congregatis (etſi contrà ſentientibus eorum quibuſdam ſpectandæ Vitæ, & eminentis Doctrinæ, licèt, quod Moris eſt, majori Numero eidem Declarationi ſubſcribendo obedierint) hodie de Mandato Illuſtriſſimi D. Nuntij, ac Dominorum Epiſcoporum Clogherenſis, Roſſenſis, & Corcagienſis affixum, & divulgatum; Nos demùm invitos compulit ad Regni Honorem hac publicâ Declaratione vindicandum, monendoſque tempeſtive Fæderatos Catholicos plurium Malorum, in quæ, niſi ſibi proſpiciant, ex hac Occaſione præcipites incident, quandoquidem nunc exploratum habeamus, quod Illuſtriſſimus D. Nuntius contrà piam, & paternam, ergà Nos Suæ Sanctitatis Propenſionem, qui Religionis Catholicæ Propagationi ſtudere, qui debitam Regiæ Majeſtati Obſervantiam præſtare, qui denique conſervandæ inter ipſos Fæderatos Catholicos Paci, & Concordiæ (hos enim Miſſionis ſuæ præſcriptos ſibi Fines & habet, & habere ſe toties profeſſus eſt) jugiter invigilare debuerat, is ipſe nullam non tentat Viam, qua Nos adversùs Noſmetipſos dividat, & in mutuam Perniciem animet; alioquin enim fieri non poſſet, ut prædictæ Declarationis publicandæ Neceſſitas, aut Uſus ullus nunc eſſe crederetur ad rejiciendas Inducias, cùm in ijs Nos concludendis libero Religionis, & Functionis noſtræ Exercitio, necnon etiam temporalibus Cleri Poſſeſſionibus quibuſdam merè temporalibus, ac omninò politicis, quas etiam ad Nos ſubmiſit Illuſtriſſimus D. Nuntius per Patritium Brien, & Galfridum Browne, quaſi hæ ſolæ Conditiones eſſent, quibus adhibitis, Induciæ illæ in Conſcientia tutæ, cæteroqui intutæ, habendæ eſſent, quibus Nos quàm abundè ſatisfacerimus, tàm ex ipſis, quàm ex ſubjunctis noſtris Reſponſionibus, utriſque Prælo mandatis, perſpicuum eſt. Quibus omnibus non obſtantibus, cùm Miſeriarum, quibus oppreſſus ingemiſcit Populus, nullus deinceps, niſi fortè reſiſtentibus Nobis, ſperandus videatur Modus, aut Finis, proteſtamur, nec poſſe Nos, nec velle commiſſam Nobis Regni Gubernationem dijiciendam, aut conculcandam tradere, aut ullo Modo permittere, ut Negotia omnia cujuſcunque tandem Naturæ ſint, & Conditionis, quaſi in Ordine ad Spiritualia, ad Eccleſiaſticum Tribunal devolvantur; quod tamen neceſſe eſt ut eveniat, ſi Nobis nonniſi obtentâ prius Veniâ liceat aut Inducias concludere, aut Exercitus ad Expeditiones deſtinare, aut Duces ijs præficere, aut Legatos mittere, aut publica Munia in Civili Regimine probatæ Integritatis Hominibus committere. Porrò Nos decrevimus præſentem noſtrum Statum Suæ Sanctitati exponere, eique (quod hac Declaratione faci-

---

(d) Ex *Philopatre Irenæ*, Lib. i. Cap. x. Pag 103.

“ mus) quàm humillimè ſupplicare, ut ejuſcemodi, quibus nunc implicamur, Malis mederi dignetur, Deciſionem Caſûs Conſcientiæ, qui his Armorum Inducijs adverſari prætenditur, ad Se, tanquàm ad potentiſſimum, naturaliſſimum, ac integerrimum Judicem evocando, ad cujus proindè ſacrum Tribunal Nomine Fæderatorum omnium hujus Regni Catholicorum appellamus. Eoſdem interìm Catholicos maturè, & ſalubriter præmonentes, nulla Molimina, aut Acta Illuſtriſſimi D. Nuntij, aut aliorum quorumlibet, in hac, aut ſimili Cauſa, Obedientiam, quam Vi Juramenti Aſſociationis, aut alio quovis Titulo, Mandatis noſtris debent, ullatenùs minuere poſſe, aut valere. Datum Kilkenniæ 27 Die Menſis Maij 1648, & ſubſcriptum.

“ *Mountgarret* (*e*).
“ *Athenry* (*f*).
“ *Alexander Mac-Donnell.*
“ *Lucas Dillon.*
“ *Robertus Lynch.*
“ *Phelimus O-Neillus.*
“ *Richardus Belling.*
“ *Geraldus Fennell.*
“ *Patritius Brien.*
“ *Robertus Devereux.*

LXV. Eodem Die 27 ejuſdem Menſis Maij 1648 Decretum Excommunicationis comminatorium per *Dionyſium Maſſarium*, Decanum *Firmanum*, Illuſtriſſimi Nuntij Auditorem, de Mandato ipſius, Eccleſiæ Cathedralis *Kilkennienſis* Valvis affixum eſt in Theologos, & Canoniſtas, qui Sententiâ ſuâ Armorum Inducias probarent, ut refert *Philopater Irenæus* (*g*). Eodemque Die prodit Decretum Excommunicationis latæ Sententiæ in Proceres *Concilij Supremi*, omneſque ipſis in Induciarum Negotio obſequentes, hujus Tenoris (*h*):

“ EXCOMMUNICATIONIS SENTENTIA.

“ NOS Joannes Baptiſta Rinuccinus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus, ac in Regno Hiberniæ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius.

“ Nos Epiſcopi ad Effectum, de quo infrà, ſpecialiter Delegati, & Subdelegati.

“ Cùm jàm compertum habeamus, Die vigeſimo ſecundo Maij inſtantis publicatam fuiſſe Armorum Ceſſationem inter Supremum Concilium Catholicorum Confæderatorum, & Dominum Baronem de Inchiquin, in qua multi ſunt Articuli, priùs ab omnibus Archiepiſcopis, & pluribus Epiſcopis hujus Regni, coràm Nobis Nuntio Apoſtolico congregatis, maturè, ac diligenter diſcuſſi, & tanquàm injuſti & iniqui per eoſdem Die 23 Aprilis (Nemine excepto) damnati, prout conſtat ex Declaratione per ſupradictos Prælatos eadem Die 23 Aprilis Supremo Concilio præſentatâ, ut Religionis Catholicæ Augmentum, Eccleſiæ Libertas, & Bonum hujus Regni, ad Dei Omnipotentis Gloriam, ac innocentis Populi Conſervationem, proſperentur. Nos Joannes Baptiſta Archiepiſcopus Firmanus, & in Regno Hiberniæ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius, Apoſtolicâ Auctoritate, & Nos eorundem Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Auctoritate Delegati, & in Defectum Delegatorum Subdelegati, ſub Pæna Excommunicationis latæ Sententiæ omnibus, & quibuſcunque, tàm Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus, in quacunque Dignitate, & Præeminentia conſtitutis, præcipimus, & mandamus, ne prædictam Ceſſationem quoquomodo, per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, Conſilio, Auxilio, vel Favore foveant, aut defendant: Necnon ſub eadem Pæna præcipimus omnibus, & ſingulis Generalibus, Colonellis, Ducibus, Officialibus, Militibus, & quibuſcunque alijs Catholicis, ne cum prædicto Domino Barone de Inchiquin, vel quocunque alio Hæretico, ſeſe jungere, aut quovis alio Modo ex ſuperiùs enarratis eidem, vel eiſdem adhærere præſumant, vel audeant Arma ſumere contrà Exercitum, ſivè Exercitus Catholicos, dictam iniquam Ceſſationem impugnaturos, cui etiam Pænæ eos omnes, & ſingulos ſubjacere volumus, & decernimus, qui prædictam Ceſſationem jam acceptarunt, etiamſi ſint de Corpore Supremi Concilij, ſi ipſam ulteriùs quovis Modo, ut ſuprà, ſectentur, aut pertinaciter defendant, niſi intra novem Dies à Notitia habita Præſentium, etiam per Viros Fide dignos, reſipuerint, quorum tres pro primo Termino, tres alios pro ſecundo, ac demùm tres ultimos pro peremptorio

---

(*e*) *Richardus Butler*, Vicecomes de *Mountgarret.*

(*f*) *Franciſcus Bermingham*, Baro *de Athenry.* Dynaſta ab eo deſcendens eſt Comes de *Louth.*

(*g*) Lib. i. Cap. ix. Pag. 90.

(*h*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. ix. Pag. 90; & *Thoma Carve*, Pag. 344.

“ rio Termino conſtituimus, & aſſignamus: Omnes verò Communitates, ſivè Urbium, ſivè Oppidorum,
“ Vicorum, aut Pagorum, ſi prædictam Ceſſationem acceptaverint; vel acceptam, ut ſuprà,
“ quovis Modo defenderint, niſi intrà novem pariter Dies, ut dictum eſt ſuperiùs, reſipuerint, Interdicti
“ Pænam, & Ceſſationis à Divinis incurrant, diſtrictè præcipiendo mandantes, ut omnes Religioſi
“ cujuſcunque Ordinis, etiam Societatis Jeſu, non obſtantibus quibuſcunque Privilegijs, etiam Miſſionariorum,
“ inviolabiliter prædictum Interdictum obſervent. Mandamus inſuper omnibus Vicarijs Generalibus,
“ & Capellanis Exercituum, ut his Literis viſis, ſivè impreſſis, ſivè habitâ earundem Copiâ,
“ Manu cujuſquam Epiſcopi, vel Notarij Apoſtolici ſubſcriptâ, eas ſtatìm ſub Pæna Excommunicationis
“ latæ Sententiæ, & alijs noſtro Arbitrio injungendis, in ipſo Exercitu publicent: Vicarijs autem, ſivè
“ Curatis, & quacunque Ratione Curam Animarum habentibus, ut ſub eadem Pæna, primâ Die feſtivâ,
“ inter Miſſarum Solemnia, Populo publicare, & in Foribus Eccleſiæ eas afficere teneantur. Si qui
“ verò contrà attentare præſumpſerint, Maledictionem æternam ſe noverint incurſuros. Datum Kilmenſi
“ (*i*) Die 27 Maij, Anno 1648.

“ *Joannes Baptiſta Archiepiſcopus*
“ *Firmanus, Nuntius Apoſtolicus.*
“ *Emerus Clogherenſis* (*k*).
“ *Fr. Boetius Roſſenſis* (*l*).
“ *Robertus Clonenſis, & Corcagienſis* (*m*).
“ *Fr. Arthurus Dunenſis, & Connorenſis* (*n*).
“ *Octavianus Corona, Cancellarius.*”

LXVI. Ex hac Excommunicationis Sententia perſpicuè apparet, emanaſſe Die 23 Aprilis 1648 contrà Inducias contrahendas Declarationem quandam Epiſcoporum, quos *Philopater Irenæus* (*o*) aſſerit fuiſſe Numero quatuordecim, eam tamen non exſcripſit, neque ullibi inveni. Contendit verò, Declarationem iſtam editam non fuiſſe contrà Induciarum Articulos, *ut Re ipſa concluſi ſunt, ſed contrâ quoddam eorum informe Tentamentum, priùs Prælatis illis oſtenſum*, ut probare nititur *ex hac quorundam eorundem ipſorum Prælatorum, qui Declarationi* 23 *Aprilis* 1648 *ſubſignaverant, poſteriore Declaratione* (*p*).

Quandoquiden juſtum ſit, & neceſſarium in hoc Rerum Conflictu Veritatem declarare: Nos infraſcripti per hæc teſtamur, ac Fidem facimus, quod Declaratio 23 *Aprilis* 1648 *à quibuſdam hujus Regni Epiſcopis ſubſcripta, neque eſt, neque unquàm fuit edita contra Ceſſationem Armorum, quæ poſteà inter Fæderatos Hiberniæ Catholicos, ac D. Baronem de Inchiquin concluſa fuit, & publicata* 22 *Maij Anno* 1648, *verùm contrà certos quoſdam Articulos ex ijs, qui exhibiti fuerant dicto Menſe Aprili, quique poſteà mutati, & emendati fuerant. Teſtamur quoque, nunquâm Nobis in Animo fuiſſe, Ceſſationem Armorum cum dicto Barone de Inchiquin factam improbare, aut ullo ei Nomine intercedere, cùm ex Suffragijs, & Sententijs congregatarum Momoniæ, & Lageniæ Provinciarum eum in Finem expreſſis, & exhibitis, illamque Ceſſationem cum dicto D. Barone iniri cupientium, ac flagitantium; evidenter Nobis innotuiſſet, eam Catholicis Partibus non utilem modò, ſed & neceſſariam fuiſſe, & verò innumera Damna, Calamitateſque propè infinitæ, quæ ob ejus Violationem ubique per univerſum Regnum emerſerunt, tantam ejus concludendæ ſervandæque Neceſſitatem extitiſſe liquidiſſimè commonſtrant. In cujus Veritatis Fidem ac Teſtimonium huic ſubſcripſimus Kilkenniæ* 23 *Januarij Anno* 1649.

Joannes (de Burgo) *Archiepiſcopus Tuamenſis.*
Franciſcus (Kirwan) *Epiſcopus Alladenſis.*
Edmundus (O-Duyer) *Epiſcopus Limericenſis*, &c.

LXVII. Sed quidquid ſit de poſteriori hac Declaratione, quam eo duntaxàt Nomine in Medium affero, ut nihil (inter ea, quæ mihi videre licuit) Rem hanc concernens, miſſum faciam;

(*i*) In Agro *Kilkennienſi.*

(*k*) Cognomine *Mattheus*, poſteà Martyrium paſſus, ut nuper ajebam Num. lii. hujus Capitis, ad Lit. z. Pag. 657.

(*l*) Cognomine *Mac-Egan*, Religione Franciſcanus, Martyrium quoque paſſus, ut patet ex Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 490.

(*m*) Cognomine *Barry.*

(*n*) Cognomine *Magennis*, Ordinis *S. Bernardi.*

(*o*) Lib. Cap. ix. Pag. 94.

(*p*) Ex eodem, ibidem; & *Thoma Carve*, Pag. 347.

ciam; *Supremum Concilium* à Nuntij Apoſtolici Sententia ad Summum Pontificem Appellationem interjecit Die 4 Junij 1648, tàm ſuo quam *Fæderatorum omnium Catholicorum*, ſibi in Ceſſationis Cauſa adhærentium, Nomine, quam tamen in ſua Hiſtoria apponere ſupervacaneum duxit *Philopater Irenæus*, utpotè quæ *Kilkenniæ* Prælo mandata cuilibet obvia erat, præterquam quod *tumultuario*, inquit (*q*), *hoc Scripto tàm Prolixitate ſua, quàm faſtidioſis Canonici Juris loquendi Formulis, ac Repetitionibus, quibus ſcatet, inſerta* (Appellatio) *Lectorem Tædio afficere poſſet.* Porrò Appellationem illam incunctanter admiſit Illuſtriſſimus Nuntius quoad *Effectum devolutivum* quidem, ut loquuntur Canoniſtæ, ſed non quoad *Effectum ſuſpenſivum.* Cæterùm *Supremum Concilium* ſubjectam edidit Epiſtolam (*r*).

“ *Ad Univerſos per totum Regnum Theologos.*

“ Reverendi Patres,

“ Quoniam comperimus, quod in magnum publicæ Quietis Detrimentum, communiſque Hoſtis Incrementum, Dominus Nuntius Excommunicationem emiſerit, eâque, quantùm potuit, Regnum diſtraxerit, Nationemque diviſerit, non obſtante Appellatione, quarto hujus Menſis ipſi à Nobis exhibitâ, quâ Dominationis ſuæ ulteriores Progreſſus de Jure ſuſpenduntur. Nihilominùs quia Officium à Nobis Regno debitum exigit, ut nihil prætermittamus, quo vel minimus quiſque Fæderato cuilibet Catholico eximatur Scrupulus, ne in manifeſtam Juramenti Aſſociationis Violationem, Auctoritatem Nobis commiſſam declinando incidat, expedire viſum, Vobis ſignificare, noſtram Voluntatem eſſe, ac proindè Nos præcipere, ut in hanc Civitatem Kilkennienſem ad 18 hujus Menſis commigretis, cùm Magnum Concilium, unà cum Spiritualibus, ac Temporalibus Regni Paribus hùc conventum ſit Die viceſimâ. Interim verò, itâ Vos tàm Lectione, quàm aliorum, quos ad id idoneos judicabitis, Theologorum Collationibus in controverſa Materia exercebitis, ut faciliùs incluſarum Quæſtionum Solutiones ad Nos referatis. Sic cum intimis Votis,

“ Amici Veſtri,
“ *Mountgarret*,
“ *Athenry*, &c.

“ Kilkenniæ, 2 Junij 1648.

Porrò Quæſtionum Theologis præpoſitarum, quæ Anglicè dicuntur *Queres*, ſeù *Queries*, hæc ſunt Capita:

1. *An, & quæ Ceſſationis Pars Catholicæ Religioni adverſetur, adeoque ſufficiens ſit Excommunicationis Materia?*

2. *An Appellatio, intrà præſcriptum à Lege Tempus interjecta, tàm monitoriam Excommunicationem, & Interdictum, quàm omnes ejus Effectus ſuſpendat?*

3. *An Propoſitionibus, quas D. Nuntius exhibuit tanquàm Conditiones* (*s*), *quibus appoſitis Ceſſatio tutâ Conſcientiâ concludi poſſet, per Reſponſa à Nobis reddita, ac Prælo mandata, ſatis ſit factum?*

4. *An qui Aſſociationis Sacramentum præſtiterunt, Ceſſationi repugnando perjuri fiant?*

5. *An demonſtrari poſſit, Excommunicationem illam, & Interdictum, Regni hujus Legibus, quæ Catholicis Temporibus vigebant, adverſari? Quaſque Leges univerſi hujus Nationis Prælati Vi Sacramenti Aſſociationis defendere teneantur? Et an poſſint contrà expreſſum Supremi Concilij Mandatum illi Excommunicationi, aut Interdicto favere?*

6. *An quiſquam Fæderatorum Catholicorum ab Obligatione Juramenti Aſſociationis eximi poſſit ſine Conſenſu Generalium Regni Comitiorum, à quibus Sacramentum illud, tanquàm Catholici hujus Regni Fæderationis Vinculum, ac Ligamen, conceptum, & editum eſt, quæque ejus Mutationem, aut Diſſolutionen ſibi ſoli reſervarunt?*

(*q*) Lib. i. Cap. x. Pag. 97.

(*r*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. ii. Pag. 122.

(*s*) Eas nuper exſcripſi, Num. ſcili et lx; ac Reſponſa Num. ſeq.

7. *An Fæderatorum aliquis, Specie præſentium D. Nuncij Actorum, Supremi Concilij Mandatis poſſit repugnare?*

LXVIII. Die antecedenti, 3 nempè Junij 1648, *Supremum Concilium* Declarationem edidit, quâ monuit Superiores omnes, tàm Sæculares, quàm Regulares, ne ullatenùs moleſtent ſuos reſpectivè Subditos, eo quia in ſua perſeverant Fidelitate, vel quia ejuſdem Intuitu nuperas comprobant Inducias, prælibatum *Supremum Concilium* inter, & Dominum Baronem *Inchiquinum* pactas. Cùm autem Monitio iſta deſideratum non haberet Effectum, idcircò Die 20 ejuſdem Menſis Junij congruenter ad pridem recenſitum (*t*) Aſſociationis Juramentum, aliam promulgarunt Jurisjurandi, à *Fæderatis Catholicis* præſtandi, Formulam (*u*). Eodemque Menſe Junio Generalis *Audoenus O-Neillus* Bellum contrà *Supremum* iſtud *Concilium*, ſeù *Senatum*, denunciavit.

Reſponſa porrò Theologorum ad ſuprà addicta ſeptem Quæſita nunquam inuenire potui. Refert autem *Richardus Bellingus* (*w*), anglicè conſcriptum fuiſſe à *Davide Roth*, Epiſcopo *Oſſorienſi*, aliiſque Theologis, Librum, impreſſum *Kilkenniæ* Anno 1648, præmiſsâ eidem ſequenti Cenſurâ, quam Hiſtoricum unicè agens exſcribo, utpote quæ ipſiuſmet Libri Scopum prodit:

“ *Cenſura, & Approbatio Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Thomæ Deaſe, Sacræ Theologiæ*
“ *in Facultate Pariſienſi Doctoris, & Epiſcopi Midenſis.*

“ Maturè perpenſis, & exactè diſcuſſis Davidis Oſſorienſis Epiſcopi, aliorumque Theologorum, ad
“ propoſitas Quæſtiones Reſponſis, ea digna duco, quæ Prælo dentur, quandoquidem nihil in Illis conti-
“ neatur contrà Deum, aut Cæſarem. Immò Reſpondentes, ſicut Ego ſentio, efficaciter probant, &
“ evidenter convincunt. Primò, Excommunicationem, aliaſque Domini Nuntij Cenſuras, etiam ex
“ Natura ſua, & antè Appellationem, fuiſſe irritas, & nullas; & ulteriùs luculenter demonſtrant, po-
“ ſito, quod Cenſuræ non eſſent ex Natura ſua irritæ, tamen Appellationem interpoſitam eas cum
“ Effec-

(*t*) Num. xliii. Cap. præf. Lit. k. Pag. 649.

(*u*) En porrò Formulam iſtam novam: *Ego A.B. coram omnipotente Deo, Angeliſque, & Sanctis ejus juro, & proteſtor, me pro virili obſervaturum Juramentum Aſſociationis, & defenſurum Auctoritatem Supremi Concilij, & Gubernij ſtabiliti per Conventum Generalem Fæderatorum hujus Regni, non obſtante præſenti Excommunicatione per Dominum Nuntium, & quatuor Epiſcopos, contra ejuſdem Auctores, Defenſores, & ejdem, atque Inducijs cum D. Barone* Inchiquino *concluſis adhærentes latâ, & non obſtante quacunque aliâ Excommunicatione, ut & ab eis, à quibus lata eſt, ad Sanctitatem Suam, ceù impartialem Judicem, appello. Juro inſuper, me pro virili ſuppreſſurum, & oppugnaturum omnes, & ſingulos, qui prælibatæ Aſſociationi armatâ Manu repugnabunt.*

Hanc Formulam legere eſt in *Vindicijs Catholicorum Hiberniæ*, Auctore *Philopatre Irenæo*, Lib. ii. Pag. 189, atque in *Hiſtoria Hibernicæ Rebellionis Anno* 1641 *cæptæ*, Pag. 148. Statim autem à *Supremo Concilio* ſequens emanavit Synopſis, quam ex laudato *Philopatre Irenæo* verbatim exſcribo.

“ Appendix ad præcedentem Juramenti Formulam,
“ ab ipſis, qui eam ediderunt, Proceribus addita.

Quo occupetur omnis Scrupulus, qui naſci poſſet ex Ramo Jurisjurandi, nuper à Nobis omnibus, & ſingulis Fæderatis propoſiti, videlicet, non obſtante præſenti Excommunicatione, à D. Nuntio, & quatuor Epiſcopis, contrà Auctores, ac Defenſores Ceſſationis Armorum cum D. Barone de Inchiquin concluſæ, eique adhærentes latâ, & non obſtante qualibet aliâ Excommunicatione, eandem ob Rem ferendâ. Quamquam ulteriorem Propoſiti, quam quæ ipſius Juramenti Verbis continetur, Explanationem edere ſupervacaneum judicemus, nihilominus tamen pro Satisfactione omnium, & quo nulla vel carpendis noſtris Actis Via, vel Juramentum ſubterfugere volentibus reliqua ſit Excuſatio, per hæc declaramus, Nos generali EXCOMMUNICATIONIS Vocabulo non aliam intelligere, quàm quæ jàm lata eſt, aut forte in poſterum per Dominum Nuntium & hujus Regni Clerum, *aut alterutrum propter dictam* Ceſſationem, *durante aut pendente noſtrâ Appellatione, feretur. Ex Arce Kilkennienſi 27 Junii* 1648.

(*w*) Pag 76 Opuſculi inſcripti: *Annotationes in Joannis Poncij Librum*, cui Titulus: *Vindiciæ everſæ*, editæ Pariſijs 1654. *Bellingus* porrò fuit de *Supremo Concilio*, ut liquet ex Num, lxiv.

“ Effectibus, Conſequentijs, & Juriſdictione Judicis, vel Judicum totaliter ſuſpendiſſe; vindicans etiam
“ doctè, & ſolidè Supremi Concilij Fidem, & Integritatem ab omni Culpa, in omnibus, quæ fecerant
“ circà Ceſſationem Armorum pactam cum D. Barone de Inchiquin, pullulantibus indiès malevolorum
“ Calumnijs, & Obtrectationibus nequicque obſtantibus. Secundò, Reſpondentes ſeductam, ignaram,
“ & ſcrupuloſam Plebem abundè inſtruunt dùm illam hortantur in Obedientia, ſupremæ Auctoritati
“ debitâ, remanere; eodem etiam Modo efficaciter refellunt refractariorum, & obſtinatorum Hominum
“ Oppoſitionem, qui ſtabilitam per Fæderatorum Comitia in Regno Auctoritatem, abjectam reddere, &
“ conculcare audent. Poſtremò, Reſpondentes obſequiosè, & fideliter ſincere ex Corde Subditos invitant
“ ad præſtandum Regi ſuo debitam Obedientiam, omnique ſupremo civili Magiſtratui, Regi ſubordinato,
“ & Principis ſupremam Auctoritatem præ ſe ferenti, ſecundúm Dei, Eccleſiæ, & Patriæ
“ Leges.

“ Data Kilkenniæ, 17 Auguſti 1648. “ *Thomas Midenſis.*”

LXIX. Huc etiam facere videtur Reſponſio octo Theologorum *Dublinij* ad Quæſtionem ipſis à Marchione *Ormondiæ*, Regni Prorege, propoſita, quam hiſce Terminis conceptam ex memorato *Richardo Bellingo* (x) exſcribo:

“ Hæc eſt Quæſtio à Marchione Ormondiæ propoſita.

“ *Poſito quod Conſilio, Conſenſu, Directione, vel Mandato Nuntij, & Cleri, eorum alterius,*
“ *vel utriuſque, Urbs hæc obſideatur, & oppugnetur, an tali Caſu hujus Regni Catholici Romani*
“ *obſidentibus, & oppugnantibus, Vitæ, & Bonorum cum Periculo reſiſtere teneantur necne?*

“ RESPONDEMUS.

“ Quod ſicut ex Corde, & de Conſcientia noſtra agnoſcimus Sereniſſimum Dominum noſtrum
“ Carolum hujus Urbis, totiuſque Regni, ſuorumque omnium Dominiorum verum & legitimum
“ Regem, ità Animi noſtri Sententia eſt, hujus Regni Catholicos Romanos (ſi Obſidione,
“ aut Oppugnatione Urbem Regi, aut ulli eam legitimâ Auctoritate in illius Uſum tenenti,
“ quiſquam eripere contenderit) in Conſcientia obligatos cum Vitæ, Fortunarumque ſuarum
“ Periculo reſiſtere.

“ *Fr. Marcus Rochfort, Fr. Petrus Darcy, Thomas Quin, Adrianus Cardon,*
“ *Gulielmus Browne, Richardus O-Byrne, Fr. Jacobus Fleming, Fr. Georgius Lawles.*

LXX. HUNC deplorabilem in Modum magis magiſque diviſis Catholicorum Rebus, Nuntius Apoſtolicus Diplomate *Galviæ* 13 Julij dato Nationalem indicit Synodum, *Galviæ* 15 Auguſti (y) habendam. Ea de Re monitum *Supremum Concilium*, diſſentire ſe ab ejuſcemodi Synodi Convocatione in præſens exponit, innuens & Cauſas, ſequenti Epiſtola (z):

“ Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine,

“ Cùm Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram noſtris & Precibus, & Rationibus adductam à convocanda
“ Synodo Nationali, Tempore, & Loco tàm incommodis, Rebus adeò diſtractis, deſtitiſſe arbitrabamur,
“ ad Nos defertur, illam brevi Galviæ convocandam: Quapropter, ne Muneri noſtro deeſſe
“ videamur, Nobis nullo Modo conſentientibus id fieri iterùm proteſtamur. Quid enim ex illa Boni Hiberniæ
“ evenire poterit, Illuſtriſſima Dominatione Veſtrâ præſidente, quæ Auctoritatem Regni, à Confæderatis
“ Catholicis in Nobis ſtabilitam, Injurijs laceſſit, & Conſilio, & Armis deſtruere nititur, quæ
“ Rebelles fovet, Viris à Conventu Generali proſcriptis favet, & implacabilem ſe ultrò oſtendit. Aut
“ quid libere Galviæ tractari poteſt, ubi undique circumſonant Arma, & indiès à Concionatoribus in Nos
“ armatis

(x) Pag. 85 Annotationum in *Joannem Poncium.*

(y) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. xii. P. 122; & *Coxus*, Part. ii. Pag. 201.

(z) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xii. Pag. 123.

“ armatis novi excitantur Tumultus, ubi Joannes Bourg, & illi ſimiles, Illuſtriſſimæ D. V. Nutu, ſi non
“ Imperio, conſcribunt Milites, Confæderatorum Ædes, & Caſtra capiunt, & Civitati Galvienſi, de
“ noſtra Cauſa optimè meritæ, inſidiantur. Si de Cenſuris injuſtis, & anteà tàm temerariè promulgatis,
“ illuc agi velit, & Viam inire, quæ vel Metu, vel Auctoritate, quâ fungitur, alios Prælatos in ſuam
“ Sententiam allicere poſſit, & Errorem, qui adhuc penès paucos eſt, in plures diffundere, Suæ Sancti-
“ tatis Reverendum in Terris Nomen interponimus, ad illius Thronum appellavimus, Judicem, qui Partes
“ agit, non admiſſuri, & cùm jam ad quartum Diem proximi Septembris Regno Ordinum Aſſemblæa,
“ quam penès eſt Summa Regni Poteſtas, indicta ſit, illam de Loco, & Tempore idoneis Synodo convo-
“ candæ conſulere expedit. Illuſtriſſimæ D. V. Manus deoſculamur.

“ Kilkenniæ, 26 Julij,
“ Anno 1648.

“ *Dunboyne* (*a*).
“ *Lucas Dillon.*
“ *Richardns Blake*, &c.

LXXI. CÆTERUM Synodum illam, ad quam revocandam flectere non potuit Nuntium ſuis Literis *Supremum Concilium*, reapsè impedivit per omnium ad *Galvienſe* Oppidum Adituum Intercluſionem. Immò uſque adeò circumſepta erat tunc *Galvia*, ut ipſemet Nuntius, qui eò anteà ſeceſſerat, exire haud valeret. Hinc paulò poſt, Die nempè 1 Auguſti, dum P. *Thomas Mac-Kiernan*, Ordinis Minorum Provincialis, à *Momonia* in *Conaciam* tranſiret, à *Clarenſibus* Præſidiarijs captus, Cuſtodiæ traditus fuit. De quo Grauamine Nuntius per ſubjectam expoſtulat Epiſtolam *(b)* cum *Ulico de Burgo*, Marchione *Clanrickardiæ*, Viro Optimo, & inculpato Catholico (*c*), qui, Teſte *Bruodino* (*d*), ab ipſomet Rerum harum Initio neutralem ſe habere voluit, etſi Conſanguineus ipſius, Familiæ ſuæ ſingulare Decus, *Thomas de Burgo*, Vicecomes de *Clanmorris*, Catholicorum Cauſam ad Mortem uſque fortiſſimè ſemper promoverit. En autem Epiſtolæ Tenorem:

“ Illuſtriſſime Domine,

“ Heri in Caſtro de Ballinclare captus fuit Pater Provincialis Franciſcanorum à præſidarijs Militibus,
“ qui ibi manebant, & licèt ijdem dixerint, ſe id feciſſe de Mandato Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ,
“ Ego tamen non poſſum in Animum inducere, Virum non minùs pium, quàm catholicum, juſſiſſe, ut
“ Manus in Hominem religioſum injicerentur, qui immediatè ſubditus eſt Apoſtolicæ Sedi, neque ullus
“ Laicus ſine Dei Offenſa, & citrà Incurſum plurium Excommunicationum, poteſt in illum Auctorita-
“ tem exercere. Quapropter debeo Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam meo Nomine rogare, ac No-
“ mine Suæ Sanctitatis requirere, ut mandet ijſdem Præſidarijs illum ſtatim dimittere, & mihi reſtituere,
“ qui ſi ipſe in aliquo deliquerit, paratus ſum Cauſam cognoſcere, &, ſi Opus fuerit, corrigere. Ex-
“ pecto ut Dominatio Veſtra Illuſtriſſima talem ſe gerat in hac Re Eccleſiaſtica, qualem ſemper exiſti-
“ mavi, eique interim Felicitatem precor, ac Manus deoſculor.

“ D. V. Illuſtriſſimæ

“ Addictus Servus

“ Galviæ, 2 Auguſti 1648.
“ *Joan Bapt. Archiep. Firmanus.*

LXXII. CUI Epiſtolæ laudatus Marchio hanc dedit latinè ſcriptam Reſponſionem (*e*).

“ Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine,

“ Epiſtolam tuam ſecundo currentis Auguſti datam accepi, in qua conqueri videtur de Captura Patris
“ Provincialis Franciſcanorum à Præſidiarijs Caſtri de Clare, ac eandem ſibi reſtitui petit, ac requirit.
“ Captus quidem fuit me inſcio, de Mandato tamen Supremi Concilij, cujus Juſſu etiam conducendus eſt

“ Kil-

(*a*) *Jacobus Butler*, Baro de *Dunboyne*.

(*b*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. ii. Pag. 152; & *Thoma Carve*, Pag. 341.

(*c*) Verba ſunt *Philopatris Irenæi*, Lib. ii. Pag. 152.

(*d*) Pag. 75.

(*e*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. ii. Pag. 193; & *Thomâ Carve*, Pag. 342.

“ Kilkenniam. Ad Concilium itaque poterit ſe applicare Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pro Libertate dicti Patris, cùm ejus Ordini contraire mihi non liceat. Perſonas Eccleſiaſticas veneror, nec in minimo vellem earum Immunitatem infringere, quamvis non ignorem Exemptiones, & Immunitates earundem ordinatas, & conceſſas fuiſſe in Decorem, & Reverentiam ſuæ Functionis, non autem ut impunè quæque admittant. Neſcit enim Eccleſia Sancta Patrocinium dare Criminibus, aut Deus Pacis Tutelam elargiri Seditioſis. Multa ſparguntur de dicto Patre, quod Author, & Inſtigator ſit multarum Actionum, quæ, à Laicis perpetratæ, certam Mortis Pænam inducerent. Quod ſi Prætextu, ſeù Titulo Immunitatis Eccleſiaſticæ hujuſmodi impunè præterire oporteat, actum erit de Republica, ac temporali Juriſdictione: Nec facile credo in alijs Catholicorum Principum Dominijs, maximè in Italia, ità permiſſum, aut Hiſtoriæ, & Relationes omninô mentiuntur. Meo enim Judicio tanta Violentia, tamque inaudita Innovatio Rerum, quæ Medullam utriuſque Salutis, & Fortunæ Hominum ſimul invadit, haud poterit Medium eſſe opportunum, aut apta Via ad ſtabiliendæ Catholicæ Matris Eccleſiæ Jura, & ad eam, quam profitetur Fidem, & Religionem, propagandam, quæ Sæculis anteactis, Manſuetudinem ſuadere, Concordiam prædicare, Charitatem fovere, Seditionem extinguere, Chriſtiani Populi Præſervationem curare, Poteſtatibus temporalibus non derogandum docere, ac Virtutem cunctam nutrire conſuevit. Hæc utinam infelix hoc Sæculum præſtaret, in quo (proh dolor!) ſub Specie Pietatis plurimi perfrictâ Fronte à trita Veterum Conſuetudine degenerare non verentur. Parcat Illuſtriſſima Dominatio Veſtra. Zelus, non Præſumptio, loquitur. Incluſa Schedula cum Dubiolis in ea contentis mihi porrecta fuit à quibuſdam, qui enixè cupiunt de ijſdem, tanquàm tranſcendentibus eorum Capacitatem (uti etiam fateor & meam) edoceri, ut cognoſcant, quid interſit inter eccleſiaſticam, & temporalem Auctoritatem, & ſic tandem quilibet, quod ſuum eſt, ſine Interruptione exercere valeat. Informor à Fide dignis, quod aliqui Prælati, ibidem cum Illuſtriſſima Dominatione Veſtra commorantes, & plures alij inferiores, è Suggeſtis licentiùs, ac falsò nimis de me, meiſque Actionibus obloquuntur, ut me odioſum, ac infamem redderent. Deus illis parcat, & Ego nunquàm Vindictam quæram de perpetratis in meam Perſonam. Eoſdem tamen, & cunctos alios admonitos vellem, ne in Regiam, & publicam Auctoritatem, quam gero, aliquid, eis non de Jure, aut laudabili Conſuetudine indultum, attentent, aliàs certò ſciant, me juſtam non prætermiſſurum Animadverſionem, ſed tali uſurum coercitivâ, & punitivâ, quali in Italia, Gallia, & Hiſpania, de Facto, & antè Suppreſſionem Religionis in hoc Regno, Miniſtri Principum, juxtà approbatas Leges, uti ſolebant. Agat, quæſo, Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ne exaſperer, dum ipſi utramque Felicitatem exopto, ac Manus reverenter deoſculor,

“ Veſtræ Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationis

“ Ex Campo apud Moate (f),
“ 8 Auguſti Anni 1648.

“ Addictus Servus
“ CLANRICKARDE.”

INCLUSA porrò Schedula cum Dubiolis in ea contentis, hujus eſt Tenoris:

Quædam Percontationes Reverendiſſimo Domino Nuntio à Clanrickardiæ Marchione propoſitæ.

1. *Quâ Poteſtate, vel Auctoritate Nuntius Regiæ Majeſtatis Subditos à Fide ſua, & Obedientia, Statuto Regni, Regnique Ordinibus debitâ, abducat?*

2. *Quâ Poteſtate, vel Auctoritate Tribunos, & Centuriones creet, Militemque conſcribat, qui nihil in communem Hoſtem molitus, Catholicorum, Regiæ Majeſtatis Subditorum, Caſtella paſſim expugnat, Prædas agat, omnia compilat?*

3. *Quâ Poteſtate, vel Ratione Hominibus perjuris faveat, eoſque contrà Rectores, univerſique Regni Ordines teneat, ac tueatur?*

4. *Quâ Poteſtate manifeſtos proſcriptos Perduelles in retinendis, & propugnandis validis Munitionibus contrà eos, qui Regni Clavum tenent, animet, & ſuſtentet?*

5. *Quâ*

(f) *Moate* Oppidulum eſt Agri Midenſis Occidentalis, ſex Milliaribus diſtans *Athlonâ*, quæ in *Lageniæ Conaciæque* Confinijs eſt ad *Shananum* Fluvium.

5. *Quâ Poteſtate Regiæ Majeſtatis Obſequium profeſſos, ejuſque in hoc Regno proindè Præfectis adherentes, quos poteſt, Excommunicatos Carceribus mancipet, alioſque omnes promiſcuè excommunicet?*

Nuntij ad Percontationes iſtas Reſponſa, quæ diligenter quæſivi, ſed non inveni, geſtirem profectò hic ſubnectere, nullus quippè dubito, quin ijs ſe probè defenderit, & ideò donec quiſquis illa addiſcat, debet omninò mehercle ſuam deſuper ſuſpendere Sententiam. Ea proculdubiò legere eſt in Hiſtoria, quam de Legatione Sua Nuntius ipſe lucubravit, quæque MS aſſervatur *Florentiæ* in Ædibus Illuſtriſſimi Marchionis *Rinuccini*, ut nuperis his Annis certior factus ſum. Quod ſi intellexiſſem dùm in ea verſarer Civitate Anno 1742, Hiſtoriam iſtam avidè perſcrutari haud dubitarem.

LXXIII. Sed quidquid ſit de hoc, Die 13 Auguſti 1648 prodit ſequens Illuſtriſſimi Domini Nuntij Diploma (*g*).

“ In Dei Nomine. Amen.

“ Cùm circà ultimam noſtram Deciſionem de Publicatione Ceſſationis à quibuſdam objectum eſſet, quod licèt, ad vitandam aliquam temporalium Bonorum Jacturam, Ceſſationem illam tutâ Conſcientiâ vulgare non poſſent, dubitatum tamen eſt ab ipſis, an id non liceret ad vitanda Homicidia, quæ ex factâ ipſi Oppoſitione ſequi poſſent: Nos Præſentium Tenore declaramus, eſſe Peccatum mortale contrà Legem Dei, & Eccleſiæ ejus, ac Perjurium contrà Juramentum Aſſociationis, Induciarum illarum Publicationem aut procurare, aut pati, atque adeò Homines Catholicos ad temporalium Bonorum, Libertatis, Charorum omnium, necnon Vitæ ipſius Jacturam ferendam teneri potius, quàm eam publicent, aut ei obediant. Hic etiam Senſus fuit noſtrorum illorum in præcedenti noſtro Decreto Verborum, *nullo Modo licet* &c. Et ſanè probè novimus, Homines non poſſe Bona ſua in hoc Diſſidio, ſine quorundam, aut fortè multorum, Cæde perdere. In cujus Rei Teſtimonium proprijs Manibus Præſenti ſubſcripſimus 13 Die Auguſti 1648,

“ *Joannes Baptiſta Rinuccinus.*
“ *Joannes* (*h*) *Raponenſis*, &c.

LXXIV. Præstituto jam Tempore, Die nimirùm 4 Septembris 1648, habita ſunt *Kilkenniæ* Generalia Regni Comitia, in quibus, ſedentibus univerſis penè Regni Proceribus, tàm Eccleſiaſticis (*i*), quàm Laicis, alijſque de More ad id Generis Conventus à Comitatibus, Urbibus, & Oppidis mitti ſolitis (*k*), omnia, quæ à *Supremo Concilio* in Induciarum Tractatione acta fuerant, confirmantur. Tùm in Proſecutione Appellationis à Cenſuris Illuſtriſſimi Nuntij ad Summum Pontificem per Concilium, ut præfertur, interjectæ, P. *Joannem Rowe*, Carmelitarum Diſcalceatorum in *Hibernia* Provincialem, ad *Innocentium* Papam X cum hac mittunt Epiſtola, a Prolocutore Comitiorum, *Richardo* nempè *Blake*, Equite Aurato, & celebri Juriſconſulto ſcriptâ, & ſubſignatâ (*l*)

“ *Generalium Regni Hiberniæ Catholicorum Comitiorum Epiſtola ad Innocentium Decimum Summum Pontificem.*

“ BEATISSIME PATER,

“ Inter tot, quibus premitur, Miſerias infelix Hibernia, nulla Nos magis affligit, quàm quod Septennio jam Catholicam Religionem, & Eccleſiæ Splendorem noſtro Sanguine propagantes, ab u tri ſi n

“ Domino

(*g*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xii. Pag. 122.

(*h*) *Joannes Culenanus*, Epiſcopus *Rapotenſis.*

(*i*) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. xv. Pag. 131.

(*k*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 131.

(*l*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xv. Pag. 140,

" Domino Nuntio, Archiepiſcopo Firmano, Telis, Apoſtolicæ Sedis Auctoritate fulminatis, patimur. Heu! quænam hæc Devaſtatio Patriæ, & tantarum Cladium Merces? Aut in quo peccavimus, quod quem Hiberniæ Patrem, & Tranquillitatis Angelum expectavimus, civilis Belli Caput, & Calamitatum omnium indè emanatarum Auctorem experimur? Scilicèt Supremo Concilio (cui Nos ſummam Regni Auctoritatem delegavimus) non licuit difficilimis Temporibus, Rebus maximè diſtractis, ſex Menſium Inducias utiles, & Neceſſarias, cum Barone de Inchiquin, utcunque Proteſtante, contrahere. At ſi illi (quibus omnium Noſtrûm Salus commiſſa eſt) oblatas denegaſſent Inducias, & temerario Auſu Patriam, & Religionem evidenti objeciſſent Periculo, proculdubiò in illos animadverſum fuiſſet. Hinc eſt, quod lectis Ceſſationis Articulis, & prolixâ inter Supremum Concilium, & dictum Illuſtriſſimum Dominum Nuntium ſuper illis Diſceptatione, omnibuſque perpenſis Rerum, & Temporum Circumſtantijs, Inducias illas, utpotè juſtas, commodas, & neceſſarias, unanimi Conſenſu approbavimus, & ratas habituri ſumus; ſuprà Modum afflicti, quod Illuſtriſſimus D. Nuntius, ſpretâ publicâ Regni Auctoritate, Partes rebellium fovere non deſtiterit, & Eugenio O-Neill adhærere elegerit, qui niſi coactus, aut noſtris, aut Supremi Concilij Mandatis nullatenùs obtemperavit. Quapropter enixè petimus, ut, cúm jam, tot ſuperatis Impedimentis, quæ Illuſtriſſimus D. Nuntius objecerat, Reverendus Admodum Pater Frater Joannes Rowe, Carmelitarum Diſcalceatorum in Hibernia Provincialis, ad Pedes Suæ Sanctitatis noſtro Nomine proſternitur, illum, Rerum noſtrarum Statum, & Injurias Nobis illatas, referentem, benignè audire dignetur, injuſtas revocare Cenſuras, & Benedictionem Nobis impertiri, quàm humillimè obſecramus.

" *Sanctitatis Veſtræ ad Pedum Oſcula*
" *provolutus, Richardus Blake, Prolocutor;*
" *Philippus O-Kearney, Generalium*
" *Comitiorum Clericus.*

" Kilkenniæ, 17 Die
" Septembris 1648.

" De Mandato Generalis Conventus Confœderatorum Catholicorum Hiberniæ."

ACCEPTIS Comitiorum Mandatis, Pater *Roweus*, poſt varios Caſus, variaque Diſcrimina Rerum, tandem aliquando *Romam* Die 16 Januarij 1649 pervenit, quò eum paulò poſt Patres *Joſephus*, Theatinus, Illuſtriſſimi Nuntij Confeſſarius, & *Richardus Ferrall*, Capucini Inſtituti Alumnus, ſecuti ſunt, à Nuntio miſſi (*m*).

LXXV. DIE 19 Octobris conſcripti Comitiorum Proceres Illuſtriſſimo Nuntio, *Galviæ* tunc conſtituto, denunciant, ut *Hiberniâ* diſcedat, *Romam* petat, ibique ſe ad intentatæ adversùm ſe Accuſationis Capita coràm Summo Pontifice reſponſurus ſiſtat, quò ſpectat expoſtulatoria hæc ſcripta ad eum Comitiorum Nomine Epiſtola (*n*).

Domini mi,

Præceptum mihi eſt ab hoc Generali Conventu, Dominationi Tuæ ſignificare, varias Oppreſſiones, Diviſiones, exorbitantia Crimina, & capitales Offenſas, quas à Dominatione Tua, à tribus Annis jàm pene elapſis, in hoc Regno commiſſas, & hoc ipſo Tempore in ineffabile Religionis Catholicæ Detrimentum, Nationiſque jàm tàm antiquæ, quàm catholicæ Ruinam, ac Subverſionem, Sediſque Apoſtolicæ Dedecus continuatas, ac perpetratas, Fœderati Hiberniæ Catholici ex ſua Officioſa, & filiali in Summum Pontificem Reverentiâ, nimiâ, & inauditâ apud ullam Nationem Patientiâ, hactenùs toleraverunt, & in hunc Diem tolerant, tandem compuliſſe hæc Generalia Comitia ad valida, & legitima ejus Præſidia recurre pro conſervandis Reliquijs majorum Regni Commodorum, jam ad proximum integræ Ruinæ Punctum Actibus tuis, pravâ Rerum Adminiſtratione redactorum. Quapropter Dominationem Tuam certiorem faciunt, Declarationem, ac Proteſtationem contrà Te paratam, & ad Suam Sanctitatem brevi mittendam eſſe cujus Argumenti Partem aliquam, quam Tibi placebit notare, incluſum Scriptum continet, ac deinde ad Iter, Romam versùs ſuſcipiendum, ibique Te contrà Accuſationem illam defendendam, quamprimùm parare. Ac interim Dominatio Tua, ſub Interminatione Pœnarum, cæteroqui tam divinarum

Ssss *quàm*

(*m*) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. xv. P. 144.

(*n*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xvi. Pag 148; ex *Thomâ Carve*, Pag. 348; & ex *Hiſtoria Rebellionis* &c. Pag. 248.

quàm humanarum Legum Vigore incurrendarum, cavebit, ne per ſe, aut per ullum aliud Inſtrumentum, direct. aut indirectè, ullis Regni hujus Rebus ſeſe immiſceat. Maneo,

Dominationis Tuæ Admodum Amicus.

Kilkenniæ, 19
Octobris 1648.

De Mandato Comitiorum Generalium
Richardus Blake, *Prolocutor.*

En porrò *incluſum Scriptum,* cujus præcedens Epiſtola meminit.

“COMPENDIUM.

“*Quorandum Capitum Accuſationum ad Innocentium X, Summum Pontificem, mittendarum contrâ Dominum Archiepiſcopum Firmanum, à Sua Sanctitate Nuntium Apoſtolicum in hoc Hiberniæ Regnum miſſum.*

“1. OBSERVETUR, quod Dominus Nuntius, cùm in hoc Regnum appulit Menſe Octobri Anni 1645, Fæderatos omnes Catholicos unanimes, ad Pacem honeſtis Conditionibus propenſos, eorum Regiones Rerum omnium Copiâ affluentes, demùm liberum ſacrarum Catholicæ Religionis Functionum Exercitium, ac Splendorem in pluſquàm tribus è quatuor Regni Partibus repererit.

“2. Quod in Generalibus Comitijs, Kilkenniæ habitis Menſibus Februario, ac Martio Annorum 1645, (*o*), & 1646, Suæ Sanctitatis Nomine Fæderatis Catholicis promiſerit quatuor actuarias, ſeù expeditas, armataſque in Bellum Naves (*p*), ac ſe inſuper, Summi Pontificis Nomine, faciendos in qualibet quatuor hujus Regni Provinciarum una Belli Sumptus, datis in eum Finem ſufficientibus numerati Æris Summis, ſoluturum, modò deſiderata tùm concluſæ Pacis Publicatio in primam Diem Menſis Maij proximè inſequentis differetur, quo Locus fieret pinguioribus, ut ajebat, Pacis Conditionibus, quas Suæ Sanctitatis Interceſſione obtentas, interìm Româ tranſmittendas, conceptis Verbis pollicitus eſt. In quorum omnium Violationem, ac unam quidem bellicam Navem in Catholicorum Uſum contulit, nullæ in hunc Diem ad Nos Româ miſſæ Pacis Conditiones, ac ex omnibus illis promiſſis Pecunijs, ac Subſidijs, Dominus Nuntius non ampliùs contulit in hujus Regni Uſum quam ſex circiter Millia Sterlingarum (*q*), quæ in Expeditione Conacienſi Anno 1646, ac quatuor circiter Millia, quæ in Expeditione Ultonienſi eodem Anno impenſæ fuerunt; etſi latorum ipſi ex publicis Regni Redditibus expenſorum, Mutuique nondùm Redditi, plurima eaque ingentia Nomina extent.

“3. Quod, à quo Tempore deſignatus eſt Hiberniæ Nuntius in hunc uſque Diem, nullam Rationem reddiderit: Immò ne Notitiam quidem, quantùm in ipſo fuit, dederit, aut obtulerit Generalibus Comitijs, aut Supremo Concilio, Pecuniarum, Armorum, aliorumque bellicorum Subſidiorum, ſibi, Decano ſuo, aut alijs, eo Nomine à ſe ſubſtitutis, à Sua Sanctitate, alijſve pijs Principibus, aut Prælatis, in hujus Regni Uſum commiſſorum, atque concreditorum.

“4. Quod in ijſdem Comitijs, memoratis Februario, ac Martio Menſibus, Dominus Nuntius Suæ Sanctitatis Nomine ſpoponderit, ſe Bullam Cardinalis Poli (*r*) confirmaturum, ejuſque Diſpenſationem circà Poſſeſſiones ſolutarum Abbatiarum, Prioratuum, & ſimilium Eccleſiaſticorum Bonorum (*s*), à Laicis retinendas, ſi qua in Re illa deficeret, emendaturum, ſeque eum in Finem amplâ Poteſtate à Summo Pontifice donatum, in ejus Fidei Violationem contrarias Bullas alias ipſe dedit, alias procuravit, ac quædam Reſcripta pro Fæderatis Catholicis, ex pluribus ſolutis Abbatijs, Prioratibus, atque ſimilibus Prædijs exturbandis, tradidit, pluribuſque, qui Eccleſiaſtica Prædia Vigore Bullarum, ab ipſis Summis Pontificibus conceſſarum, tenebant, eorundem Eccleſiaſticorum Prædiorum Poſſeſſiones priuatâ Auctoritate in earum Bullarum Contemptum abſtulit.

“5. Quod ſedentibus ijſdem Comitijs, quinquaginta, aut pluribus ſelectis Comitiorum Membris ad examinandas, eliquandaſque Res, mox in Generali Conventu decidendas, deputatis, Nomine Suæ Sanctitatis Fidem dederit, nullum Epiſcopatum, aliudve Eccleſiaſticum hujus Regni Beneficium,

“ Romæ,

(*o*) Stylo veteri, Stylo verò novo 1646. Recolendum Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*p*) Vulgò *Fregattas* vocant.

(*q*) Hoc eſt, viginti quatuor circiter Millia Scutorum *Romanorum*.

(*r*) Adeas Cap. præs. Num. ii. Pag. 597.

(*s*) *Soluta* Eccleſiaſtica Prædia nuncupantur ea, quæ jampridem in Laicorum Manus ab Eccleſiaſticorum Dominio, etiam interveniente Apoſtolicâ Diſpenſatione, tranſlata ſunt.

“ Romæ, aut alibi ullis alijs Perſonis alio quàm regio Jure nominatis, aut præſentatis à Supremo Magiſtratu, alijſve ſingulorum Beneficiorum legitimis Patronis, de cætero collatum iri. In cujus Promiſſionis, ut & alterius ejuſdem Conditionis, Nomine Urbani VIII ab ejus hic tùm reſidente Miniſtro (*t*), Supremo Concilio factæ Violationem, ille cùm Præſentationes à Concilio pro Epiſcopatibus Clonfertenſi, & Roſſenſi, convenientibus, & ſufficientibus Viris conferendis, acceptaſſet, Epiſcopatus tamen illos alijs procuravit, ſibique dehinc plenam, & abſolutam omnium hujus Regni Eccleſiaſticorum Beneficiorum Diſpenſationem, atque Collationem adrogavit contrà fundamentales Regni Leges, Catholicis, Temporibus omni retrò Ætate vigentes (*u*). Quo factum, ut Coronam exhæreditaverit, ac fideles Regiæ Majeſtatis Subditos legitimis ſuis Juribus, atque Commodis privaverit. Et verò in Diſtributione Beneficiorum illorum, inquietos Spiritus, omnique Nationis Tranquillitati, ac ſano Regimini repugnantes, cæteris omnibus præfert, quod quàm ſit verum, omnium penè ab illo promotorum præſente Experientiâ, & Exemplis evidentiſſimum eſt.

“ 6. Quod effecerit, ut Eugenius O-Neillus, Ultonienſis Exercitus nuper Præfectus Generalis, alijque complures Arma contrà ſtatutum Regimen converterint, magnaſque Copias circà Kilkenniam locarint, quibus poſtrema Generalia Comitia terrere voluerunt. Quin & idem O-Neillus plurima Comitiorum illorum Membra capere, &, ſi id ad Rem ſuam facturum videretur, occidere, hancque Civitatem diripere ſtatuerat; quæ omnia perpetrare non valens, quod potuit, præſtitit, plurima Fæderatorum Catholicorum Millia in omnibus Regni Partibus, Ferro, Flammâ, ac Fame exterminando confecit.

“ 7. Quod hoc ipſo 1648 Generalis Jubilæi Anno, quo D. Nuntio maximè congruebat Chriſti in hoc Regno Gregem ad pium Gratiarum illarum Uſum, Prece, Prædicatione, & Exemplo incitare, illegitimis, ac temerarijs Edictis, atque Excommunicationibus, divinorum Myſteriorum Celebratione, ac Præſentia, Clero, ac Populo interdixerit, Eccleſiarum Portas, non ſine Fortunarum Catholicæ Fæderationis Jactura, & Sanguinis Effuſione, nuper apertas contrà eoſdem, qui aperuerant, Catholicos claudi fecerit; necnon ob interjectam ad Suam Sanctitatem ab ijſdem Fæderatis legitimam Appellationem, majori (ſi quæ tamen priore major eſſe poterat) in eos Violentiâ, ac Furore deinceps ſævierit.

“ 8. Quod Menſe Aprili ultimo Ceſſationem Armorum approbaverit, conſulueritque cum Barone de Inchiquin, etſi Proteſtante, ineundam, quo adhuc Tempore Comitialium Angliæ perduellium Partibus ille adhærebat: Mox ubi idem Baro à perduellibus ad regias Partes ſe contulerit, Ceſſationem cum illo factam in Conſcientia intutam eſſe declaraverit, eoque Titulo ipſe, prætenſique Delegati, in eum Finem ab eo dilecti, proceſſerint ad publicandas Excommunicationes contrà omnes, qui Ceſſationi illi adhærerent, quod longè ſecùs quàm in ipſo, prætenſiſque illis Delegatis, ſperabat reliquus, qui delegaverat, Clerus, factum eſſe tandem innotuit.

“ 9. Quod earundem Cenſurarum fulminandarum Propoſito, Kilkenniâ clam, & inſalutato Supremo Concilio profectus, transfugerit ad Caſtra Eugenij O-Neilli, illumque cum multis alijs Millibus ad Arma contrà ſtatutum Regimen, ac Juramentum Aſſociationis, capienda impulerit, ac etiam oblato ingenti Pretio, quàm alijs Vijs efficere conatus eſt, ut Athlonienſis Regiæ Majeſtatis Arx in Manus ejuſdem Eugenij O-Neilli, tùm contrà Majeſtatem, ac Statutum Regimen in Rebellione extantis, dederetur.

“ 10. Quod per Miniſtros ſuos Dunkanani (*w*) hærentes corrumpere conatus fuerit Præfectum Arcis illius, à Fæderatis longâ, & ſumptuosâ Obſidione non adeò pridem expugnatæ, eòque reverà illum impulerit, ut contrà Aſſociationis Juramentum, collocatamque in ſe Fiduciam, Vir ille ſtatuto Regimini aliquandiù adverſatus fuerit. Quod per ſua ibidem Inſtrumenta, ac Miniſtros effecerit, ut idem Præfectus à matura Trajectione impedierit *R.* P. Joannem Roweum, Carmelitarum Diſcalceatorum hujus Regni Miniſtrum Provincialem, cui Appellationis ſuæ à Cenſuris Nuntij ad Sanctitatem Suam deferendæ Provincia à Regentibus commiſſa fuerit.

“ 11. Quod Menſibus Junio, Julio, & Auguſto præteritis, ut & ſemper deinceps, non obſtante etiam hujus Generalis Conventûs Seſſione, Rebelliones in Conaciæ Provincia, alijſque hujus Regni Partibus continuè excitaverit, ac etiamnùm conetur Galvienſem Urbem, aliaque magni Momenti Loca Perduellibus, ac Proditoribus tradere, quibus ipſe Pecunias, Arma, ac Pulverem tormentarium eum in

“ Finem

(*t*) *Petro Scarampa*, de quo Num. xlv. hujus Capitis, Pag. 650.

(*u*) Confer Cap. i. Num. xiii. Pag. 19.

(*w*) Vulgò *Duncanron*, quod Fortalitium munitiſſimum eſt, in *Wexfordienſi* Agro *Lageniæ*. Viceſis Cap. præc. Num. xcvi,

“ Finem ſubminiſtraverit. Quod Menſibus Junio, & Auguſto ultimis ſubſcripſerit Decretis, quibus Regiæ Majeſtatis Subditos Regimini obedientes, juſtæque, ac neceſſariæ illi Ceſſationi adhærentes, ſuis Bonis legitimè ſpoliari, diripi, & occidi poſſe declaraverit.

“ 12. Quod ad omnes Exercitus, ſtatuto Fæderatorum Catholicorum Regimini obtemperantes, Edicta ſua, atque Excommunicationes miſerit, illis ſub dictarum Cenſurarum Interminatione præcipiens, ne ſtabilito illi Regimini in poſterum obſequerentur, ſuiſque Artibus, atque Machinationibus adeò prævaluerit, ut Richardum Ferrallum, Conacienſis Exercitûs Legatum, ad Juramentum Aſſociationis, aliudque peculare datæ eidem Provinciæ Fidei Sacramentum violandum impulerit, eumque Eugenio O-Neillo, tunc & etiamnùm reipsâ perduelli, adhærere fecerit.

“ 13. Quod arbitrariam, & tyrannicam Poteſtatem, atque Juriſdictionem in Fortunas, Prædia, ac Vitas Fæderatorum Catholicorum uſurpaverit, ut evidenter patet, tùm ex ejus adversùs Jacobum Goagh, Centurionem, Edicto illo, quo ſub Pæna Excommunicationis illi præcepit, ut quædam Bona intrâ Biduum illi tradat; tùm ex alijs Bullis, ac Reſcriptis, quibus pro Arbitrio temporalia Bona, quibus voluit contulit. Quod Comitatuum, ac Provinciarum Profectos deſignaverit, ac nominaverit. Quod Duces,alioſque Militiæ Ductores rebellibus Exercitibus præfecerit; magnas, atque graves Pecuniæ Summas à pluribus Comitatibus, Civitatibus, privatiſque Civibus, Minis, & Artibus, Mutui Nomine, exegerit; quod Fidem pro tempeſtiva Summarum illarum Solutione datam fefellerit, licèt Summæ, quas ab illo jàm exactas innotuit, ad plura Sterlingarum Millia excreverint; quod illas penè omnes Pecunias perduellibus, ac Patriæ Hoſtibus erogaverit.

“ 14. Quod venerandum quendam Prælatum, reſidens Supremi Concilij Membrum, ad violandum Sacramentum, à Generalibus Comitijs impoſitum, ſibique revelanda Concilij Arcana, compellere tentaverit; quod datis pluribus Literis hujus Regni Prælatos ab his Generalibus Comitijs avertere molitus fuerit; quod eiſdem Prælatis, à Concilio nuper evocatis, ut ſibi in Cenſurarum Controverſiâ, cum illo habitâ, Sententiam ſuam dicerent, ſub Pæna Excommunicationis interdixerit, ne ad Concilium accederent, aut ſuam in Ceſſationis Negotio Mentem aperirent.

“ 15. Quod illegitimam uſurpaverit Auctoritatem præficiendi, quos vellet, tàm in Militia, quàm in Civili Fæderatorum Regimine, alioſque pro Arbitrio, ac Nutu ſuo, ex utroque Munere dejiciendi.

“ 16. Quod Edictis ſub Pæna Excommunicationis pluribus Regularium Ordinum Hominibus præceperit, ne ſuis quique Provincialibus, alijſque Præpoſitis, qui pro Regimine Sententiam dixerant, Obedientiam ducerent, quod quidem in Detrimentum Privilegiorum illorum Ordinum factum eſt. Quod ſi qui Regulares, quorum Provinciales Domini Nuntij Vias probaſſent, aliter quàm ſui illi Præpoſiti ſenſiſſent, his ille, ut contrà Conſcientias proprias Provincialium ſuorum Sententijs ſuffragarentur, ſub Excommunicationis Pæna injunxerit.

“ 17. Quod abſolutam, & ordinariam Juriſdictionem in Dignitarios, & Curatos hujus Regni, nullâ habitâ Ratione Archiepiſcoporum, ac Epiſcoporum, Cleri Ordinariorum, ſibi adrogaverit.

“ 18. Quod, cúm R. quidam Prælatus cum ipſo expoſtulaſſet, ejus Honori minùs conguere, Eugenio O-Neillo, ejuſque Parti favore contrà Viros totius Regni, Fide, Facultatibus, Morumque Probitate maximè conſpicuos, cúm alij illi, præterquam quod improbi, & peſſimi, Numero etiam, ac Fortunis longè ſint inferiores, ac ſi fortè prævaleant, multùm Fæderati Sanguinis ſint fuſuri, undè ipſe, quippè qui corruptiſſimos Homines melioribus præpoſuiſſe convinceretur, Infamiæ ſibi Notam inureret, quod, inquam, huic conceptis Verbis reſponderit, Victricem Partem maximè Catholicam Romæ æſtimatam iri.

“ 19. Quod nuperrimè, ſedentibus hìc ipſis Comitijs, cùm Regulares Carmelitæ, in Civitate Galvienſi viventes, Appellationis ab ejus Cenſuris ad Summum Pontificem factæ Beneficio uſi, ſuas, ut decebat, Functiones exercerent, de Motu, ac Mandato ejus in Carmelitarum illorum Capellam Noctu ſeditioſi quidam irruperint, ipſos etiam in Perſonis offenderint, Campanam, quâ celebrandi Sacri Signum dabant, abjecerint, eamque hactenùs detinuerint, duoſque ipſe Preſbyteros in Limine Capellæ conſtituendos præceperit, qui Catholicos ingredi cupientes violenter à Sacro arcerent, quod in magnum Religionis Catholicæ Scandalum ibi factum eſt, ubi plurimi ſunt Proteſtantes, qui meliori Exemplo ad Catholicam Religionem amplectendam converti potuiſſent.

“ 20. Quod tàm proprijs Artibus, quàm Miniſtrorum, ac Sociorum ſuorum Machinamentis molitus fuerit, Nationem hanc à ſua in Regiam Majeſtatem Fide abducere, fundamentales Regni Leges evertere, & Regimen totum ſubvertere, inque ejus Locum externam, arbitrariam, ac tyrannicam Adminiſtrationem ſubſtituere, quæ omnia ex ejus agendi, procedendique Rationibus adeò ſunt evidentia, ut ne quidem valeant negari. Ex quibus, alijsque ejus in hoc Regno Facinoribus effectum eſt, ut Baſilicarum, & Capellarúm Centenæ plurimæ, in quibus divinum Officium Catholico Ritu anteà celebrabatur, in Hoſtium Manus devenerint, plurimi Regularium Conven-

“ tuum-

“ tuum diſperſi ſint, integræ, magnæque Terrarum Regiones, ac Tractus, priùs à Catholicis inhabitati,
“ jàm ab ijs diſerti vacent, Fameſque, qualem præterita Sæcula nullam unquàm in hoc Regno memorant,
“ invecta ſit; quin & plena totius Nationis Deſolatio, ni citò præveniatur, ex perverſa ejus
“ Adminiſtratione imminet.”

LXXVI. HUCUSQUE Accuſationum Capita ſuprà exſcriptæ ad Nuntium Epiſtolæ incluſa. Sed & aliam dant Comitia Generalia Epiſtolam (ſeù Edictum) ad Magiſtratum, & Cives *Galvienſes*, quâ vetant, ne quibuſcunque, præſertìm *Galvienſibus*, Colloquium quodvis, Conſilium, aut Commercium cum Illuſtriſſimo Nuntio deinceps intercedat. Hujus eſt Tenoris (*x*).

Per Generalia Fæderatorum Hiberniæ Catholicorum Comitia.

Cùm Hiberniæ Regnum nimiâ, & inauditâ hactenùs Tolerantiâ ſuſtinuerit innumerabilia Gravamina, Diſtractiones, exorbitantia Crimina, capitaleſque Offenſas, à Joanne Domino Archiepiſcopo Firmano, in hoc Regnum à Sua Sanctitate Nomine Apoſtolici Nuntij miſſo, per tres continuos Annos, jam propè elapſos, ſine ulla Intermiſſione commiſſas, ac perpetratas, ejuſque id Generis continuata Molimina, jugeſque Conatus ad inevitabilem Catholicæ Religionis, Nationiſque, tàm antiquæ, quàm catholicæ, Extirpationem, ac Ruinam vergentes, juſtorum, ac legitimorum Præſidiorum pro Reliquijs Reipublicæ ab integra Ruina ſervandis præſens Remedium efflagitent. Hinc eſt, quod Nos ipſi Domino Nuntio præcipimus, ut ſe ad Reditum ſuum Romam quamprimùm paret, ubi ſe, ſi poſſit, defendat contrà prædicta Crimina, ibidem adversùs ipſum producenda, ac probanda. Interim verò ſub Interminatione Pænarum, quæ Vigore Legum, tàm divinarum, quàm Gentium, incurri poſſunt, eidem injungimus, ut ſe, ne per ſe, nec per quemquam Miniſtrorum ſuorum, directè, aut indirectè, ullis hujus Regni Negotijs immiſceat.

Porrò ſummorum illorum Criminum, capitaliumque Offenſarum, ab ipſo in hac Terra perpetratarum Compendium quoddam in impreſſa Declaratione, ab hoc publico Regni Conventu propediem adverſus ipſum edendâ, univerſis patebit. Quo igitur nec Galviæ Civitatis Prætor, nec quiſquam alius ejus Urbis, in qua modò reſidet dictus Dominus Archiepiſcopus Firmanus, Civis, nec alij ulli cujuſcunque Conditionis Homines Criminum illorum Ignorationem prætexendo, ullum cum eo, aut cum alio quoquam Hominum adhærentium ipſi, Commercium, aut Communicationem ullam in poſterum habeant: Hodiè concluſum, ſtatutum, ac declaratum eſt, & conſequenter Generalia Comitia, Regiæ Majeſtatis Nomine, ſtrictè injungunt, ac jubent Vobis omnibus infrà ſcriptis, veſtrûmque ſingulis, ſub violatæ Fidei, ac Perduellionis, indeque incurrendarum Pænarum, ac Mulctarum Interdicto, ut à recepto, viſo, cognito, aut publicato hoc Edicto, nullam habeatis, aut ſeruetis Communicationem cum dicto Domino Archiepiſcopo Firmano, nullo Modo ad eum accedatis, nullis aut ipſiuſmet, aut aliorum ipſi adhærentium Cenſuris, Decretis, aut Interdictis obediatis, aut faveatis, nec cuiquam jam ab ipſo profectarum, aut publicatarum in Cauſa Induciarum, ulliſve omninò Cenſuris, Decretis, aut Interdictis in alio quocunque Negotio, à dicto Domino Archiepiſcopo, aut adhærentibus ipſi, vel eorum quoquam, antehàc, aut in poſterum fulminandarum, aut publicandarum, deferatis.

Prætereà injungimus, ut nec dictum Dominum Archiepiſcopum, nec adhærentes ipſi, nec eorum quemquam, ſub Pænis, ac Mulctis jam dictis, foveatis, ſuſtineatis, aut defendatis.

Hucuſque extenſa eſt Declaratio Edicti, quod dirigitur “ *ad Prætorem, Notarium, annuos*
“ *Vicecomites, Principem Juventutis, omneſque, & ſingulos Galviæ Urbis Cives, ut & ad reliquos*
“ *Fæderatos Catholicos, alioſque omnes, quorum intereſt, per univerſum Hiberniæ Regnum.*

LXXVII. CIRCA idem Tempus Marchio *Ormondiæ*, qui Die 29 Septembris ejuſdem Anni 1648 ex *Gallia* in *Hiberniam* Prorex redierat, apud *Carrickam* (id eſt Rupem) ſuper *Suirum* (*y*) in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ* cum Comitiorum Generalium Commiſſarijs tractare incipit de

Pace

(*x*) Ex *Philopatre Iræneo*, Lib. i. Cap. xvii. Pag. 161.

(*y*) Anglicè *Carrick-on-Suire*, ſic dictam ad Differentiam *Carrickæ ſuper Shannanum*, anglicè *Carrick-on-Shannon*, in *Leitrimenſi* Agro *Conaciæ*, Pace iteratò concludenda. Atque Legatis ad Summum Pontificem ſuperiùs nominatis (*z*), *Nicolao* nempè *French*, Epiſcopo *Fernenſi*, & *Nicolao Plunketto*, à Pontifice Equite Aurato creato (*a*), circà vigeſimum Novembris *Waterfordiam* appulſis, indeque ad Comitia Generalia profectis, Pax tandem concluditur 17 Januarij 1649, ac triginta quinque Articulis ab utraque Parte ſignatis, & *Kilkenniæ* Prælo mandatis publicatur, quos etſi in plures jam Linguas transfuſos non ignoret *Philopater Irenæus* (*b*), ex Parte tamen, eâ nimirùm quâ Religionem vel indirectè ſpectare videntur, Compendio in hunc Modum recenſet (*c*).

“ Imprimis igitur Romano-Catholici Hiberni eximuntur à Juramento Primatûs Regis Angliæ in ſpiritualibus (*d*), ſimul & ab omnibus Pœnis, & Mulctis, ſibi Religionis Nomine antehàc impoſitis, omneſque pœnales Leges in liberis Regni Comitijs, primo quoque Tempore poſt factam Pacem habendis, abrogabuntur.

“ 2. Sicut Baſilicæ ipſæ, & Eccleſiaſtica Prædia, ac Juriſdictio per hos Articulos non conceduntur ipſis, conceptis Verbis, ità nec auferuntur: Immò quietæ Eccleſiarum, quas jam occupant, Profeſſionis retinendæ Securitas datur uſque dum Regia Voluntas ſuper ea in liberis Comitijs declarata fuerit.

“ 3. Intrà ſex Menſes à Pacis Concluſione celebrabuntur libera illa Comitia, aut ſi id propter Belli Diſtractiones fieri non poſſit, fiet primo quoque Tempore, quo expedire videbitur duodecim Catholicis Aſſeſſoribus, quorum omnium, aut Partis eorum majoris Conſenſus, Proregi neceſſarius erit pro Re qualibet in Catholicis Regionibus pertractanda, ac ſtatuenda.

“ 4. Acta omnia, Scita, ac Statuta, per utramque Anglicorum Comitiorum Cameram, contrà hujus Regni Catholicos hactenùs edita, irrita manebunt, & caſſa.

“ 5. Ante Indictionem Comitiorum illorum eximentur omninò, & liberabuntur Catholici ab omnibus Impedimentis, quibus antehàc à Jure Seſſionis in ejuſcemodi Generalibus Regni Comitijs in Religionis Odium arcebantur.

“ 6. Leges omnes, ac Statuta, quibus Indigenæ à gerendis in Republica quibuſlibet Muneribus diſtinebantur, contrario eorundem Comitiorum Statuto abrogabuntur.

“ 7. Licebit Catholicis unam, aut plures Academias, aut Studiorum Univerſitates erigere, ac in Catholicæ Juventutis Uſum poſſidere.

“ 8. Romano-Catholici ad univerſa publica in Regno tàm Belli quàm Pacis Munia exercenda pro cujuſlibet Sufficientia, ac Merito, non ſecùs quàm alij Regiæ Majeſtatis Subditi, admittentur.

“ 9. Exercitum 15000 Peditum, & 2500 Equitum Romano-Catholici proprijs Sumptibus uſque ad dicta Comitia ſuſtentabunt, quem armatorum Numerum minuere, & augere, prout Res poſtulaverit, licebit duodecim illis Catholicis Aſſeſſoribus Proregi in Partem Sollicitudinis aſſignatis.

“ 10. Ex Conſenſu utriuſque Cameræ dictorum Comitiorum declarabitur, hujus Regni Comitia ab Anglicæ Comitijs nullo Modo pendere, aliumque ea nullum, quàm Regem, Superiorem agnoſcere ſtatuetur.

“ 11. Statuta, quæ Vellerum, ac Lanarum Commercia Hibernis cum ullis alijs, quàm Anglis, & Scotis, Mercatoribus interdicunt, futurorum Comitiorum Decreto abrogabuntur.

“ 12. Monaſteria omnia, iiſque annexa Cæmeteria, Horti, aliaque, quibus præcinguntur, modò certùm Numerum Jugerum non excedant, monaſticæ, ſeù regularis Vitæ Hominibus jam nunc, & in poſterum, quietè poſſidenda relinquuntur.

“ 13. Urbium omnium, Arcium, ac Propugnaculorum, quibus nunc potiuntur, quietam, ac imperturbatam Poſſeſſionem ſervabunt Catholici, donec omnia in ſæpiùs nominatis Comitijs pleniùs, ac cumultiùs ordinata fuerint.”

CÆTERUM Pace ſic ſtabilitâ, Die ſequenti (16 Januarij 1649) coram Prorege *Ormondio* in *Kilkennienſi* ſuo Caſtro (quò, pro Rebus faciliùs componendis, Comitia eum invitaverant) omni cum Solemnitate comparuerunt Comitia Generalia, eique Articulos Pacis palàm porrexere per Manus Prolocutoris ſui, Equitis nimirùm *Richardi Blake*, nuper recenſiti, qui Comitiorum Nomine

---

(*z*) Cap. præf. Num. lv. Pag. 660.

(*a*) *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. xvii. Pag. 165.

(*b*) Pag. 166.

(*c*) Eoſdem quoque recenſet *Thomas Carve*, Pag. 349.

(*d*) Juramenti illius, quod vulgò *Supprematiæ* vocant, Formulam legere eſt Cap. præf. Num. iii. Pag. 599.

mine deſuper habuit Orationem ad Proregem, Eloquentiâ, & Fidelitate plenam. Tumque viciſſim Prorex Orationem habuit, ſeù Adlocutionem, ad Comitia More Parlamentario (*e*) incipientem : *Domini Mei & Gentil Homines* (*f*).

LXXVIII. Eis autem Comitijs novem interfuere Antiſtites, qui inſequenti Die (18 Januarij 1649) hanc dant ad ſuas reſpectivè Diæceſes Epiſtolam Encyclicam, ſeù, ut vocant, Circularem, quam ex anglico in latinum Sermonem ſic verto, demptis Subſignationibus, quæ in ipſomet Originali latinæ ſunt (*g*):

Domini,

Quemadmodùm Bellum, præcipuè Religionis Causâ ſuſceptum, dedit Nobis per univerſum quà latè patet Orbem Æſtimationem Gentis Catholicæ, ità & Pax, Regis Locum Tenentem inter & Nos nunc concluſa, denunciat Nos Nationem fideliſſimam, utpotè Majeſtati Suæ, extremis in Anguſtijs conſtitutæ, acquieſcentem. Tametſi in Cogitationibus noſtris, Occaſionibuſque ſeſe offerentibus durante hoc ſeptem Annorum Bello, hanc retinuerimus Fidelitatem, eamque ſæpenumerò palàm Jurejurando declaraverimus, Suſpicione nihilominùs multorum aſperſi eramus; præſens verò Conventio omnem id Genus Labem è Medio tollit. Confidimus, noſtrum ſuper Pace hac Senſum ſat eſſe, ut eam libenter, & hilariter admittatis, & recipiatis, ad quem Effectum Tenore Præſentium certiores Vos facimus, Nos per Pacem hanc, tàm ob Conceſſiones præſentes, quam ob ulteriorum benignorum Favorum à Majeſtate Sua Præſtolationes, rectam habere Satisfactionem de Stabilimento, & Incolumitate Religionis : Ipſaque ſane Res, quoad Conceſſiones pro Religione, plus valet quàm Sonus. Per temporales Articulos, Vitæ, Libertates & Bona Subditorum ſarta tecta ſervantur ; quapropter impræſentiarùm juſtam habetis Contentionem abſque vel minima Suſpicione. Enimverò nonniſi contra Sectarios, & Perduelles pro Deo, & Cæſare pugnatis, ſub quibus Vexillis Victoriam fiducialiter ſperare poteſtis. Per præſentes oramus, ut cum Gaudio, ingentique Felicitate viridem hanc Pacis Lauream geſtetis, ſicque manemus

Veſtri Patres, & Servi in Chriſto.

Joannes Archiepiſcopus *Tuamenſi* (*h*).
David Oſſorienſis (*i*).
Thomas Midenſis (*k*).
Franciſcus Alladenſis (*l*).
Eduardus (*m*) *Limericenſis.*
Nicolaus Fernenſis (*n*).
Fr. Hugo Duacenſis (*o*).
Patritius Dromorenſis.
Andreas Finwarenſis (*p*).

LXXIX. Ast paucos poſt Dies, 30 nimirùm ejuſdem Menſis Januarij 1649, perduelles *Parlamentarij* ex *Puritana* potiſſimùm Fæce, Regi ſuo *Carolo*, Barbarie pluſquàm Scythicâ, immani Auſu. in publico Supplicij Loco (quod Calamus horret ſcribere) Orbe Terrarum obſtupeſcente, Caput obtruncarunt, ut alibi jam dictum eſt (*q*). Hinc Nuntius Apoſtolicus *Rinuccinus*, poſt trium Annorum, quatuorque Menſium in hoc Regno Reſidentiam, ex eo diſceſſit, Liburnam ſuam, vulgò *Fregattam*, conſcendens *Galviæ* Die 23 Februarij 1649. Ad eum porrò in *Gallias* profectum Epiſcopus *French*, & Eques *Plunkettus*, jam anteà recenſiti, Nuntio ſemper addictiſſimi

---

(*e*) Conſulendum Cap. vii. Num. x. Pag. 142.

(*f*) Eam legere eſt apud *Cartæum*, Vol. ii. Pag. 120.

(*g*) Ex *Coxo*, Append. xliv. Pag. 166.

(*h*) Cui Nomen *Joannes de Burgo*, de quo nonnihil Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 499.

(*i*) Cognomine *Roth*, de quo ibidem, & Cap. præſ. Num. v, & lxviii. Pag. 600, & 676.

(*k*) Cognomine *Deaſe*, de quo Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*l*) Cognomine *Kirovanus*, vulgò *Kirwan*, de quo ibidem.

(*m*) Lege *Edmundus*, ut patet ex Loco citato, ubi nonnihil de eo. Ipſi porrò Cognomen *O-Duyer*.

(*n*) Cognomine *French*, de quo ibidem, & paſſim in hoc Capite.

(*o*) Cognomine *de Burgo*, Religione Minorita, de quo ibidem.

(*p*) Lege *Fenaborenſis*, Huic Præſuli Cognomen *Lynch*, de quo ibidem.

(*q*) Cap. vi. Num. xi, & Cap. præſ. Num. xxxviii. Pag. 116, & 640.

addictiſſimi (*r*), ſequentem dant Epiſtolam latinam, quam hìc Loci in Medium adduco, utpote huic Controverſiæ plurimam Lucem allaturam (*s*).

"Illuſtriſſime Domine,

"Nobis ad inviſendam Illuſtriſſimam D. V Galviam euntibus, & tertium versùs eam Lapidem attingentibus (Nomen Loci Oran) Die 23 Februarij circà Horam duodecimam, renunciatum eſt à duobus Capucinis Illuſtriſſimam D. V. ſolviſſe in Altum Horâ Octavâ matuatinâ ejuſdem Diei. Audito hoc Nuntio, Galviâ minimè viſâ, illicò Iter reflexìmus ad Caſtrum Illuſtriſſimi D. Rogeri O-Shaghnuſſy, cenſentes majus Infortunium Nobis accidere non poſſe. Statueramus antè veſtrum Diſceſſum Miſſionis Rationem in Curia Romana exponere, pro Honoribus à Sanctiſſimo Domino in Nos collatis Gratias referre, ſacras veſtras Manus deoſculari, Benedictionem Apoſtolicam accipere, multa de Eccleſia Dei utilia afferre, demùm peramanter valedicere, & Preces, ſi Opus eſſet, flexis Genibus fundere, ut vellet D. V. Illuſtriſſima Populo Hibernico, Sedi Apoſtolicæ obſervantiſſimo, Abſolutionem à Cenſuris hactenùs latis impertiri, ità enim relictà Genti veſtrâ Benedictione omnium Preces, & Vota Vos proſequerentur. Sed jacta eſt Alea, & Sors Nobis non favit. In hoc etiam Dolor noſter augebatur, quod certis Authoribus intelleximus, D. V. Illuſtriſſimam non obſcura offenſi in Nos Animi Argumenta oſtendiſſe dicendo, Beneficia, à Sede Apoſtolica in Nos prolixè cumulata, Oblivioni Nos tradidiſſe, quod Spatio trium Menſium non adiverimus D. V. Illuſtriſſimam ad Gratias pro tantis Sanctiſſimi Domini Muneribus, ac Dignitatibus agendas. Non potuit D. V. Illuſtriſſimæ excidere, Nos in ipſo noſtro ad Regnum Appulſu Literis ad Vos exaratis pro Beneficio Curiæ Romanæ in Nos gratos exhibuiſſe, alijs poſteà Literis Cunctationis, & Moræ noſtræ Cauſas graviſſimas intimaſſe. Certè, ut Ingratitudinis Labem averſari, ita Amicitiæ, atque optimorum Officiorum meminiſſe aſſuevimus. Moræ, atque Abſentiæ noſtræ ſemper eadem duravit Cauſa, nempè Cura, & Auxietas, ne periret Hibernia, Diſcordijs miſerè lacerata; quippè vidimus clare Unionem Regni penitus diſſolvendam, ſine qua non magis ſubſiſtere valuit Populus, quam Homo ſine Anima vivere. Planximus Controverſiam inter Illuſtriſſimam D. V. & Populum exortam (erat enim, erat inter Vos Chaos magnum), noluit D. V. Illuſtriſſima Populum abſolvere niſi humiliatum & Culpam in Controverſia agnoſcentem, talem autem Humiliationem, & Pænitentiam nullis impetrare Precibus potuimus, quia ſe innocentem æſtimavit. Teſtis eſt Deus, omnem Nos Operam, & Diligentiam in arduo hoc Negotio collocaſſe. In publicis Regni, quibus ſupervenimus, Comitijs Civitates, Oppida murata, duo Archiepiſcopi, Epiſcopi decem, tres Comites, Vicecomites duodecim, Barones ſeptem, Equites Aurati viginti, Armigeri, & Generoſi (*t*) ex tribus Lageniæ, Momoniæ, & Conaciæ Provincijs præcipui, ac de Ultoniæ Prrovincia Viris Nobiliſſimis nonnulli, demùm omnes Hominum Ordines propendebant ad Pacem cum Sereniſſimo D. Rege ineundam, illam in Malis, quæ patiebantur, graviſſimis Remedium unicum arbitrantes; nihil enim in Regno videre erat niſi Vaſtitatem, Orbitatem, Famem, Deſolationem; undè vel eo Tempore Pacem ferire, vel Hiberniam perdi neceſſe fuit, & ipſam Religionem periclitari. Certè ne omnia in paſſum irent, maluimus in Aſſemblæa ſtare, quam in Latebris Nos abdere, pro Patria pugnare, pro Pietate certare, omnia quantumvis difficilia, & adverſa tentando, ut Patriæ Menti, ac Religioni benè eſſet. Hæc anceps Pacis Diſſertatio fuit vera Cunctationis noſtræ Cauſa uſque ad 17 Diem Januarij, quo Tempore Pax fuit concluſa. A Pace contracta effluxit Menſis integer in ſcribendo Milite contra Hoſtem Patriæ, & Religionis, in Electione Tribunorum, & Ducum, eorumque, qui Præſidijs in Caſtris præfici debeant, in Pecunia, ad Bellum ſuſtinendum neceſſariâ, cogendâ. Hæc omnia ſpectabant ad Securitatem Religionis, Vitarum, Fortunarum, ac proindè abeſſe non, niſi reclamante Conſcientiâ, licuit. Abſoluti verò hiſce de Rebus, & ſtatutâ Reſolutione, continuò Iter arripuimus versùs D. V. Illuſtriſſimam, quæ Animo, & Studio teſtari poteſt inter alios Illuſtriſſimus Imelacenſis (*u*), Vitæ, ac Deſideriorum noſtrorum Socius. Quod ſi fortè itá ſit, ut non habeamus priſtinam Gratiam in Oculis veſtris, quia cum univerſo Regno in prædicta Pace conſenſimus, Pænam luimus ſine Culpa, nam ſi quidpiam Tempore, aut Amore Poteſtatis humanæ à Nobis perperam

" factum

(*r*) Id liquet vel ex Tenore ipſorum Epiſtolæ, eamque ob Cauſam ejus Operà effectum eſt, ut illi potius quàm alij ad ſummum Pontificem legarentur, ut refert *Philopater Irenæus*, Lib. i. Cap. xviii. Pag. 182.

(*s*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xviii. Pag. 178.

(*t*) Vulgò nuncupantur *Gentil-Homines*.

(*u*) Scilicet Fr. *Terentius-Albertus O-Brien*, Ordinis Prædicatorum, de quo Cap. xiii. Num. lxvi, & ſeq.

“ factum fuit, ſeverê nos plectat Poteſtas divina. Contendent fortaſsè aliqui in hac Pace Pietatem ex
“ Hibernia proſcriptam ? Longè aliter ſe Res habet, nàm tantùm abeſt ut proſcribatur, ut potius per
“ hanc Pacem, pro Temporum, ac Statûs noſtri Conditione, Religioni, ejuſque Splendori, & libero, tu-
“ toque Exercitio benè conſulatur. Quod autem favorabilior, & amplior non fuerit, Culpâ id noſtrâ
“ minimè accidit, ſed illorum, qui Hiberniæ Unionem, bonorum Virorum Conſtantiâ, Vigilantiâ, inde-
“ feſſis Laboribus Septennio integro conſervatam, minùs feliciter lacerarunt. Quod attinet ad Cenſuras
“ contrà Populum emiſſas (etſi eis nullatenùs Nos trangebamur), formidandas, & non ſpernendas duxi-
“ mus, diximuſque, quamquàm optavimus, aut nunquàm fulminatas fuiſſe, aut citò extinctas. Cùm
“ igitur, quam Deo, & Patriæ debuimus, Cura Nos tamdiù impediverit ab Humanitatis Officio, debi-
“ tâque Obſervantiâ Præſuli tàm eximio, ac Sedis Apoſtolicæ Nuntio : Obſecramus, rogamuſque, ut non
“ culpemur, damnerumve innocentes, ſed patiatur D. V. Illuſtriſſima, ut noſtram Cauſam dicat, agat-
“ qne Veritas, bonæ in Nobis Conſcientiæ Teſtis, quæ continuam D. V. Illuſtriſſimæ Benevolentiam, &
“ in Nos Amorem Jure vindicat. Cujus Rei indices Gratiæ Veſtræ Literas avidè videre exoptamus.
“ Interìm orare non ceſſabimus, ut Deus diù ſoſpitet D. V. Illuſtriſſimam, cui Sacras Manus deoſculantes,
“ Apoſtolicam Benedictionem humiliter flagitamus.

“ Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ
“ humillimi, addictiſſimique Servi
“ *Nicolaus Fernenſis.*
“ *Nicolaus Plunkett,*”

“ Kilkenniæ, ultimo Februarij
“ 1648, veteri Stylo (*w*).

LXXX. Quamvis porrò Illuſtriſſimus Nuntius in *Normanniam* appulerit Menſe Martio, *Romam* tamen nonniſi circà 8 Novembris ejuſdem Anni 1649 pervenit. Eapropter P. *Roweus*, Provincialis Carmelitarum Diſcalceatorum in Urbe, ut præfertur, exiſtens à Die 16 Januarij prælibati Anni, nihil adhuc efficere potuit, Nuntius quippè per Literas, & Amicos obtinuit, ut non decideretur Cauſa Appellationis antè Adventum PP. *Joſephi* Theatini, & *Ferralli* Capucini, qui rursùs impetrarunt, ut ipſemet expectaretur Nuntius, quod & conceſſum eſt, ne damnaretur fortè inauditus. Cæterùm uſque ad 4 Decembris ſæpè dicti Anni 1649 neque cæptam fuiſſe *Romæ* Cauſam Appellationis patet ex ſubjecta Epiſtola (*x*) Illuſtriſſimi Eminentiſſimorum Cardinalium, Congregationi *ſuper Rebus Hibernicis* à Sua Sanctitate præpoſitorum, Secretarij, D. *Franciſci Albitij*, qui & ipſe poſtmodùm, ut obiter dicam, Presbyter Cardinalis fuit *S. Mariæ in Via*, ab eodem tunc regnante Pontifice, *Innocentio* X, Die 2 Martij 1654 creatus, poſteaque ad Titulum tranſlatus *SS. Quatuor Coronatorum.*

“ Epiſtola D. Albitij ad Dionyſinm Maſſarium, Decanum Firmanum, ac Nuntiaturæ
“ Hibernicæ Illuſtriſſimi Firmani antehàc Auditorem Generalem.

Illuſtriſſime Domine,

Nec Pater Roa admiſſus hactenùs fuit ad Audientiam Sanctiſſimi Domini Noſtri Innocentij Papæ X, nec Appellatio Conſiliariorum Regni Hiberniæ, eorumque Literæ, quas ipſe detulit, acceptæ. Immò ab Eminentiſſimis DD. Cardinalibus, Negotijs Hibernicis à Sanctiſſimo præpoſitis, & a me, uti eorundem Negotiorum Secretario, rejectæ fuerunt. Propterea neſcio quo Pacto P. Roa tàm audacter ſcripſerit in Galliam, & Hiberniam ea, quæ mihi ſignificat D. V. Illuſtriſſima. Nihil aliud ille à me audivit, niſi quandoque Verba ſatis aſpera, quandoque leniora, & dulcia. Si quod ulteriùs ipſe profert, Mendacia ſunt, ſicut mendaciſſimum eſt, Libellum, cui Titulus QUÆRES (*y*) *fuiſſe Romæ magno cum Plauſu, & Laude receptum, cum uſque adhuc nec in Latinam verſus ſit Linguam, nec ad Manus Eminentiſſimorum DD. Cardinalium, neque ad meas pervenerit. Datum in Sancto Officio Die* 4 *Decembris* 1649.

Obſervantiſſimus Servus verus.
Franciſcus Albitius.

An

(*w*) Hoc eſt, 1649 Stylo novo. Recolendum Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*x*) Ex *Philopatre Irenæo*, Lib. i. Cap. xxv. Pag. 241, qui tamen exiſtimat eam non genuinam ſed ſuppoſitiam eſſe.

(*y*) Vide Num. lxvii. hujus Capitis, Pag. 675.

AN autem in Urbe poſtmodùm contrà Noſtratûm Accuſationes ſe defendens, Summo Pontifici *Innocentio* X ſatisfecerit, nec ne? Me prorsùs latet. Nihilominùs adduci non poſſum ut credam quod paſsìm fertur, quodque refert ſæpè nominata *Hiſtoria Hibernicæ Rebellionis Anno* 1641 (*z*), nempè Papam ei dixiſſe: *Temerariè te geſſiſti.* Si enim id verum eſſet, citò, & haud difficulter ab Anathemate iſto liberarentur Noſtrates, cujus tamen contrarium ex mox enarrandis clarebit.

LXXXI. ANNO 1656, P. Magiſter *Joannes Nolanus*, Kilkennienſis, Regens *Minervitanus* (*a*), & P. Magiſter *Richardus O-Kelly*, Rathbrannenſis, *Romæ* exiſtens pro Comitijs Generalibus, eo Anno celebrandis (*b*), ambo pro Abſolutione à Cenſura hujuſmodi obtinendâ apud S. Sedem Apoſtolicam ſtrenuè egerunt. Prælibatus Magiſter *O-Kelly* ab Urbe *Bononiam* profectus, ibi manſit pro Reſponſis ad illud, triaque alia Negotia, quæ ipſius Vice ſollicitabat P. Magiſter *Leonardus Hanſen*, Provincialis *Angliæ* (*c*), & Reverendiſſimi Patris Generalis pro *Germania*, aliiſque Provincijs Borealibus Socius. Hic tandem ſequentes dedit ad ipſum Literas, quarum Originales, in Arca Depoſiti Collegij noſtri *Lovanienſis* ad *S. Crucem* aſſervatas, mihi humaniſſime tranſcripſit Anno 1755 P. Magiſter *Carolus O-Kelly*, Roſcomanienſis, ibi Viſitatorem agens, Anno autem 1756 Theologus Collegij *Caſanatenſis* de Urbe, & Pro Provincia *Hiberniæ* Comitiorum Generalium Definitor, jampridem laudatus (*d*).

A Tergo:

Al Molto Reverendo Padre Frà Ricardo O-Kelly, Ibernese, de Prædicatori, S. Domenico, Bologna.

Intùs:

Admodùm Reverende Pater Magiſter Salutem. Quatuor veſtra Memorialia, aliquoties recopiata, Sanctiſſimo Domino Noſtro (*e*) *porrecta fuerunt per Cardinalem Carolum Barberinum, & ad primum de duobus Fratribus Hibernis Romæ ad Negotia Hiberniæ jugiter habendis, reſpondit Sanctiſſimus:* Conveniat ſuper hoc Orator cum Superioribus ſui Ordinis. *Ad ſecundum de Abſolutione ab Anathemate Nuntij Hiberniæ, dixit;* Conſiderabitur, *quod ajunt idem eſſe ac nihil. Reliqua duo remiſſa ſunt ad S. Congregationem. Utinam meliora, ac jucundiora haberem, quæ ſcriberem, at Dies mali ſunt, et Materia Patientiæ nunquàm deficit. Valeat curſim Romæ* 16 *Januarij* 1658.

Admodùm Reverendæ Paternitatis Veſtræ

Servus in Domino
Fr. Leonardus Hanſen, Provincialis Angliæ.

NIHILOMINUS tandem aliquando, Anno ſcilicèt 1665, idem *Alexander* VII Pontifex Maximus *Hibernos* ab ea Cenſura abſolvit, impoſitâ ipſis Pænitentiâ ſalutari, ut diſerte refert Eques *Waræus* in Annalibus ſuis ad prælibatum Annum 1665.

AD Calcem autem præmiſſarum Literarum hæc legitur Appendix:

“ Nota.

“ Scito Lector, præfatum Magiſtrum *O-Kelly* cum Magiſtro *Nolano* aſtitiſſe pro Provincia *Hiberniæ*
“ Capitulo Generali Anni 1656, & obſerva, quàm Zeloſi fuerint *Dominicani* ad obtinendam Abſolutio-
“ nem ab Anathemate, quod Nuntius Apoſtolicus fulminavit in *Hibernia*, quamvis ipſi *Dominicani*
“ Nuntio in *Hibernia* contra alios utriuſque Cleri, & primæ Nobilitatis conſtanter adhæſerint, ut ipſe
“ Nuntius Literis ſuis *Athloniæ* datis ad noſtrum Provincialem (*f*) teſtatus eſt (*g*). Et quamvis tunc

---

(*z*) Pag. 246.

(*a*) Adeas Cap. ix. §. iii. Num. vii. Pag. 207,

(*b*) Conſulendum Cap. vi. Num. xiv. Pag. 118.

(*c*) Confer Cap. v. Num. iii, & Cap. vi. Num. xviii. Pag. 92, & 126.

(*d*) Cap. xii. §. ii. Num. xii. Pag. 425.

(*e*) *Alexandro* VII.

(*f*) Patrem ſcilicet *Gregorium O-Ferrall*, Longofordienſem, de quo datâ Operâ Cap. xiv. Num. xiv. Pag. 524. Eum Decreto ejuſdem Nuntij ſubſcriptum nuper vidiſti Cap. præf. Num. lii. P. 655,

(*g*) Refert *O-Heynus* Pag. 30, Nuntium iſtis in Literis inter alia dixiſſe, quod *veluti congenitum eſt Dominicanis defendere Sanctam Sedem.* Idem teſtatur Pater Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis*, interlineari Notulâ ad prælibatum *O-Heyni* Locum, addens Literas illas extare in Depoſito Collegij noſtri *Lovanienſis* ad *S. Crucem.*

“ non obtinuerint Abſolutionem ab illo Anathemate, eam tandem (*circà Annum* 1698) ab *Innocentio* XII obtinuit (*b*) poſt diuturnam Sollicitationem Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus D. Fr. *Dominicus de Burgo*, Epiſcopus *Elphinenſis*, ex Ordine Prædicatorum aſſumptus, qui poſteà Exul obijt Lovanij Die primo Anni 1704 (*i*). Ità teſtatur, qui præfati Illuſtriſſimi tunc Secretarium egit,

“ *Fr. Edmundus de Burgo, S. Theologiæ Magiſter, Ordinis Prædicatorum*” (*k*)

LXXXII. Ut autem eò revertatur, undè digreſſus eſt, Sermo, Sereniſſimus *Walliæ* Princeps, *Caroli Primi*, atrociſſimo Facinore ſic obtruncati, Primogenitus, Rex proclamatus fuit ſub Nomine *Caroli Secundi* in omnibus Hiberniæ Civitatibus, & Oppidis, quæ *Ormondio*, aut *Fæderatis Catholicis* parebant. Dieque 8 Martij 1649 *Hagæ Comitis* in *Batavia* verſans, nuperam cum *Fæderatis Catholicis* Pacem confirmavit (*l*). Ejus verò Copiæ ſub *Ormondio*, & *Inchiquino* varijs in Locis contrà Parlamentarium Exercitum pugnantes, tandem profligatæ ſunt apud *Rathmineas* propè *Dublinium* Die 2 Auguſti 1649. Die 13 ejuſdem Menſis *Oliverius Cromuellus*, quà Parlamentariorum Militum in *Hibernia* Strategus, ſeù Supremus Generalis, cum Novem Millibus Peditum, Quatuorque Millibus Equitum, *Dublinium* ex *Anglia* appulit. Hinc Die 4 Decembris 1649 Viginti Antiſtites cum alijs Regni Prælatis Motu proprio congregati ſunt apud *Clonmacnoiſam* (*m*) in Agro Regis juxtà *Shananum* Fluvium, ut communicatis Conſilijs viderent, quid in calamitoſa iſta Tempeſtate foret agendum. Ipſemet verò Prorex Literas miſit ad Viginti Quatuor Epiſcopos, ut cum alijs Prælatis *Limerici* ſecum convenirent Die 8 Martij 1650. Quod cùm factum eſſet, ſed Prætor, & Urbs *Limericenſis* conſueta Proregi non exhiberent Obſequia, Conventum Cleri transferri fecit *Loughreagham* in Agro *Galvienſi*, ubi convocati ſunt Die 19 ejuſdem Menſis Martij, iterùmque Die 25 Aprilis, ut unitis Viribus Regia Jura tuerentur. Sed cum Neo-Rex eodem Anno ex *Batavia* in *Hiberniam*, ut ad Reginæ Matris urgentem Rogatum, Proregiſque ſupplicem Inſtantiam, ſemel iterumque ſtatuerat (*n*), non veniret, ſed proficiſceretur in *Scotiam*, ibique *Puritanorum* Impulſu, ut nunc creditur, Pacem cum *Fæderatis Catholicis* paulo antè, ut præfertur, à ſe confirmatam, abrogaret, eam in omnibus, & per omnia irritam, & inanem declarans (*o*), eapropter Epiſcopi Generalem habuere Convocationem Cleri Die 6 Auguſti ejuſdem Anni 1650 in Cænobio Fratrum Minorum *Villæ Jacobi*, anglicè *James Town*, in Agro *Leitrimenſi*, ubi & ipſi viciſſim declararunt, Catholicos *Hiberniæ* ab ea Pace obſervanda liberatos, & ad Confæderationem priorem (*p*) redire poſſe, nonnullaque adversùs Proregem, veluti Abrogationis iſtiuſmodi Auctorem, aut ſaltem Conſiliarium, ſemperque infenſiſſimum Catholicæ Religionis Hoſtem, decrevere, confecto deſuper Inſtrumento, cui Prælati, & Dignitarij omnes ſubſcripſerunt in hunc Modum (*q*).

(*b*) Id eſt, loquendo de Abſolutione omnimodè completa, Relaxatione ſcilicèt Pænitentiæ, quæ ab Anno 1665 peragebatur juxtà Præſcriptum *Alexandri* VII, ut mox ajebam. Iſta porrò Relaxatio ab *Innocentio* XII, ſollicitante Fratre noſtro *Dominico de Burgo*, Epiſcopo *Elphinenſi*, facta fuit Vigore Indulgentiarum, per triginta tres Bullas, ad totidem Hiberniæ Diæceſes datas, conceſſarum, ut pridem narratum eſt Cap. xiii. Num. lxxi. Pag. 498.

(*i*) De Præſule hoc clariſſimo fuſe dicebam Cap. xiii. Num. lxxi, & Cap. xv. Num. xxiv. Pag. 496, & 545.

(*k*) De egregio hoc Viro plura Cap. xv. Num. xxx. Pag. 548.

(*l*) *Waræus* ad Annum 1648 Stylo veteri.

(*m*) Sedes eſt Epiſcopalis *Lageniæ* ſub Archiepiſcopo *Armacano*, ut liquet ex Cap. i. Num. xii. Pag. 18.

(*n*) *Cartæus*, Vol. II. Pag. 128; *Coxus*, Part. ii. Pag. 20, ubi refert, Reginam Matrem eo Conſilio miſiſſe ad Regem Dominum *Byron* Die 10 Martij 1650; Regemque ſuis in Literis 15 Octobris ejuſdem Anni 1650 declaraſſe qualiter ipſum pænituerit, ſe in *Hiberniam* haud profectum.

(*o*) *Waræus* ad Annum 1650; *Cartæus* Vol. II. Pag. 129; Hiſtoria *Hibernicæ Rebellionis*, Pag. 328.

(*p*) Recolendus Num. xliii. hujus Capitis, Pag. 648.

(*q*) Ex *Coxo*, Part. ii. Append. xlviii. Pag. 178.

Hugo Ardmachanus (*r*).
Joannes Archiepiſcopus *Tuamenſis* (*s*).
Joannes Rapotenſis (*t*).
Eugenius Kilmorenſis (*u*).
Franciſcus Alladenſis (*w*).
Nicolaus Fernenſis (*x*), & Procurator *Dubliniensis* (*y*).
Fr. *Antonius Clonmacnoiſenſis* (z).
Walterus Clonfertenſis (*a*), & Procurator *Leighlinenſis* (*b*).
Fr. *Arturus Dunenſis*, & *Connorenſis*, & Procurator *Dromorenſis* (*c*).
Fr. *Hugo Duacenſis* (*d*).
Fr. *Gulielmns de Burgo*, Provincialis *Hiberniæ*, Ordinis Prædicatorum (*e*).
Jacobus Abbas de *Conga* (*f*), & Commiſſarius Canonicorum Regularium *S. Auguſtini*.
Fr. *Thomas Keran*, Abbas de *Buellio* (*g*).
Carolus Kelly, S. Theologiæ Doctor, & Decanus *Tuamenſis*.
Fr. *Bernardus Egan*, Procurator Rev. Adm. Patris Provincialis Fratrum Minorum.
Fr. *Ricardus O-Kelly*, Procurator Vicarij Generalis *Kildarenſis*, & Prior *Rathbrannenſis*, Ordinis Prædicatorum (*h*).
Thaddæus Eganus, S. Theologiæ Doctor, Præpoſitus *Tuamenſis*.
Lucas Plunkett, S. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Rector Gollegij de *Kellecu* (*i*), Exercitus *Lageniæ* (*k*) Capellanus Major.
Joannes Doulæus, Juris Doctor, Abbas de *Kilmanach* (l), & unus ex Procuratoribus Capituli, & Cleri *Tuamenſis*.
Gualterus Enos, S. Theologiæ Doctor, Protonotarius Apoſtolicus, Theſaurarius *Fernenſis*, & Procurator Præpoſiti Eccleſiæ Collegiatæ *Galvienſis* (*m*).

POSTEA alij *Galviæ* verſantes eidem ſubſignarunt Inſtrumento Die 23 ejuſdem Menſis in hunc Modum:

Thomas Caſſelienſis (*n*).
Thomas Laonenſis Epiſcopus (*o*).
Edmundus Limericenſis (p).
Norbertus Corcagienſis, & *Clonenſis* (*q*).
Fr. *Terentius Imelacenſis* (*r*).
Jacobus Fallonus, Vicarius Apoſtolicus *Achadenſis*.
Fr. *Petrus Tiernanus*, Procurator Miniſtri Provincialis Fratrum Minorum.

LXXXIII. Porrò eadem Congregatio Generalis Die 11 ejuſdem Menſis Auguſti 1650 Sex è Gremio ſuo Antiſtites delegavit Commiſſarios, nempè D. *Hugonem O-Reilly*, Archiepiſcopum *Armaca-*

(*r*) Scilicet *Hugo O-Reilly*, Archiepiſcopus *Armachanus*, de quo Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*s*) Cognomine *de Burgo*, de quo ibidem.

(*t*) Cognomine *Culenanus*, de quo ibidem.

(*u*) Cognomine *Swiny*, de quo ibidem,

(*w*) Cognomine *Kirwan*, de quo ibidem.

(*x*) Cognomine *French*, de quo ibidem, & paſsìm in hoc Capite.

(*y*) Scilicet *Thomæ Fleming*, Minoritæ, Archiepiſcopi *Dublinienſis*, de quo ibidem.

(*z*) Cognomine *Geoghegan*, poſteà Epiſcopus *Midenſis*, de quo ibidem.

(*a*) Cognomine *Lynch*, de quo ibidem.

(*b*) Scilicet Fr. *Edmundi O-Dempſy*, Ordinis Prædicatorum, de quo ibidem.

(*c*) Nempè *Arthurus Magenis*, Ordinis *S. Bernardi*, Epiſcopus *Dunenſis*, & *Connorenſis*, ac Procurator *Patritij* Epiſcopi *Dromorenſis*, de quo ibidem.

(*d*) Cognomine *de Burgo*, Religione Minoríta, de quo ibidem.

(*e*) De quo Cap. xiv. Num. xv. Pag. 524.

(*f*) In *Mayonenſi* Agro *Conaciæ*.

(*g*) In *Roſcomanienſi* Agro *Conaciæ*, Ordinis *Ciſtercienſis*.

(*h*) De quo Cap. præf. Num. lxxxi. Pag. 690.

(*i*) In Diæceſi *Midenſi*.

(*k*) Confer Num. xliv. Cap. præf. Pag. 649.

(*l*) Ordinis *Canonicorum Regularium*, in *Kilkennienſi* Agro *Lageniæ*.

(*m*) Videſis Cap. ix. §. xxxviii. Num. i. Pag. 323.

(*n*) Scilicet *Thomas Valeſius*, vulgò *Walſh*, Archiepiſcopus *Caſſelienſis*, de quo Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 489.

(*o*) Cognomine *O- Mollony*, de quo ibidem.

(*p*) Cognomine *O-Duyer*, de quo ibidem.

(*q*) Cognomine *Barry*, de quo ibidem.

(*r*) Cognomine *O-Brien*, Ordinis Prædicatorum, de quo plura Cap. xiii. Num. lxvi. Pag. 488.

Armacanum, *Totius Hiberniæ* Primatem ; Fr. *Thomam Flemingum*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopum *Dublinienſem*, *Hiberniæ* Primatem; D. *Joannem de Burgo*, Archiepiſcopnm *Tuamenſem* ; Fr. *Edmundum O Dempſey*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum *Leighlinenſem* ; Fr. *Antonium Geogheganum*, Ordinis Minorum, Epiſcopum *Clonmacnoiſenſem* ; & Fr. *Arthurum Magneſium* (vulgò *Magenis*) Ordinis *S. Bernardi*, Epiſcopum *Dunenſem*, & *Connorenſem* (*s*), cum Facultate ſubdelegandi alios, qui Auctoritatem haberent, & Poteſtatem ejuſdem Generalis Congregationis ad tractanda, diſponenda, expedienda, agendaque quæcumque Negotia, ad Catholicæ in hoc Regno Religionis, Regiorum Jurium, & Nationis hujus Conſervationem ſpectantia, & conducentia. Iſti autem ad Effectum illum reſidebant *Galviæ*, utpotè cum univerſa *Conacia* Regio Regimini ſubditæ, ſequenteſque dederunt Literas Procurationis D. *Nicolao French*, Epiſcopo *Fernenſi*, & D. *Hugoni de Rupeforti*, vulgò *Rochfort*, Sociati Oppidi *Wexfordienſis* Juriſconſulto, ſeù potiùs Judici Aſſeſſori, anglicè *Recorder* (*t*).

“ Nos Commiſſarij, deputati à Congregatione Cleri totius Regni Hiberniæ, habitâ in Oppido *James Town*, Die ſexto Auguſti, Anno Salutis 1650, cum Auctoritate, & Poteſtate ejuſdem Congregationis ad tractanda, diſponenda, expedienda, & agenda quæcunque Negotia ſpectantia, & conducentia ad Catholicæ in hoc Regno Religionis, Regiorum Jurium, & hujùs Nationis Conſervationem, prout conſtat ex Commiſſione Congregationis ſuper hoc datâ undecimo ejuſdem Auguſti 1650, reponentes ſpecialem, ac certam Fiduciam, & Confidentiam in Prudentia, Fidelitate, & Integritate Dilectorum Nobis Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi D. Nicolai French, Epiſcopi Fernenſis, Comitis, & Aſſiſtentis Sacræ Capellæ Pontificiæ, & D. Hugonis de Rupeforti, aliàs Rochfort, Armigeri, conſtituimus, nominamus, & authorizamus Procuratores noſtros dictos Dominos Nicolaum, & Hugonem, & quemlibet illorum, junctìm, & ſeparatìm, noſtro, & Catholicorum hujus Regni Nomine, ad proponendum, agendum, perficiendum, ac conveniendum cum quovis Catholico Principe, Statu, Republica, Perſona, aut Perſonis, quodcunque Negotium, aut Rem, quæ dictis Reverendiſſimo D. Nicolao, & D. Hugoni, Procuratoribus noſtris, aut cuivis illorum, junctìm, ac ſeparatim, videbitur, ſeù judicabitur neceſſaria, expediens, aut conducens ad Catholicæ inter Nos Religionis, & Nationis Conſervationem, & hiſce promittimus, & ſpondemus, ac in Nos ſuſcipimus noſtro, & Catholicorum Regni Nomine, quod teſtificabimur, approbabimus, confirmabimus, & præſtabimus quemcunque Actum, Pactum, aut Conventionem dicti Reverendiſſimus D. Nicolaus, &. D. Hugo, Procuratores noſtri, aut quilibet illorum aget, concludet, aut determinabit Virtute hujus noſtræ Commiſſionis. Datum Galviæ quinto Octobris Anno Domini 1650.

“ *Franciſcus Alladenſis* Epiſcopus, Procurator D. *Joannis* Archiepiſcopi *Tuamenſis*.
“ Fr. *Thomas* Archiepiſcopus *Dublinienſis*, & *Hiberniæ* Primas.
“ *Joannes Rapotenſis* Epiſcopus, Procurator Primatis *Ardmachani*.
“ *Walterus Clonfertenſis* Epiſcopus, Procurator *Leighlinenſis* Epiſcopi.
“ Fr. *Antonius* Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*.
“ Fr. *Arthurus Dunenſis*, & *Connorenſis*.”

LXXXIV. **Die** 12 Novembris ejuſdem Anni 1650 ad Proregis *Ormondij* Convocationem, urgentemque Inſtantiam, Prælati, Proceres, & Nobiles ad componendos Animos convenere *Loughreaghæ*, ibique ſequentem edidere Declarationem Die 7 Decembris 1650 (*u*).

“ *Per Conventum Generalem* Loughreagh *habitum* 15 *Novembris* 1650.

“ Cùm Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui hùc convenerant, ne Actionum ſuarum Suſpicionem quiſquam retinere poſſit, ſpontè, ac liberè declaraverint, & proteſtati ſint, ſe nihil aliud illâ Declaratione, & Excommunicatione Jacobopoli Menſe Auguſto latâ (*w*), intendiſſe, quàm Catholicæ Religionis, & Populi Conſervationem, nec ſe Regiam Auctoritatem invadere, aut Nationis Libertati derogare ulla-

“ tenùs

(*s*) Iſtos cum alijs Epiſcopis recenſebam jam Cap. xiii. Num. lxvii ; & Cap. præſ. Num. lii. Pag. 489, & 657.

(*t*) Eas legere eſt apud *Coxum*, Part. ii. Pag. 176.

(*u*) Ex *Richardo Bellingo*, Pag. 26 *Annotationum* in *Joannem Poncium*.

(*w*) Adeas Num. lxxxii. Cap. præſ. Pag. 691.

“ tenus voluiſſe, & hoc ſui Fori non eſſe agnoverint: Conſideratis ergò tàm eorum Declaratione, & Proteſtatione, quàm ijs, quæ ultra in hunc Senſum in Comitijs profeſſi ſunt. Conſideratis etiam Suæ Dominationis Literis 16 Novembris datis, quibus Nos ad Concordiam hortatur, quâ ſine ſalvi eſſe nequimus, & ad quam conciliandam hæc Comitia indixerat, NOS PRÆLATI, PROCERES, & NOBILES in hoc Conventu congregati, judicantes nullo Nos meliori, aut firmiori ad Concordiam Fundamento niti poſſe, quàm Regiæ Auctoritati abhærendo, & illi obediendo, cui debemus, & ex Delicto præſtare obligamur, omnem Obedientiam, & Obſequium, DECLARAMUS, & PROTESTAMUR, noſtram in Regiam Auctoritatem Fidelitatem talem eſſe, & tàm Nobis infixam, ut nequaquàm ab ea avelli poſſimus, neque ullam eſſe Poteſtatem, aut Auctoritatem, vel in Proceribus Eccleſiaſticis, aut Sæcularibus, Nobilibus, aut Plebe, Clero, aut Laicis hujus Regni, quâ Regia Auctoritas transferri, immutari, aut abſtrahi queat, præclariſſimam enim illam eſſe Diadematis Gemmam, & Libertatis Populi Fulcrum tenemus, & hoc hiſce Literis PROTESTAMUR, DECLARAMUS, & AGNOSCIMUS. Et prætereà Regiam Auctoritatem, & Obedientiam, illi Auctoritati à Nobis eſſentialiter, inviolabiliter, & juſtè debitam, præcipuum, & principale poſt Deum exiſtimamus Medium, quo uniri, & conſervari poſſumus. Et unanimiter Suam Dominationem (*x*) obteſtamur, pro magno illo Animi Affectu, quo Res Suæ Majeſtatis promovere ſtudet, proque ſua propenſiſſima Voluntate, quâ hanc Nationem, cui Conſanguinitatis, Affinitatis, & Fortunarum ſuarum Titulis eminenti Modo devincitur, conſervatam cupit, Regiam Auctoritatem alicui concredere, quem Regi fidelem, & Populo gratum judicaverit. Huic, cum Nobis notus fuerit, non ſolùm debitam Obedientiam exhibebimus, ſed inſuper omnia meliora, quæ Nobis Deus ſuggerere dignabitur, Media proponemus ad Regis Jura, Populi Res, Libertatemque conſervanda, conciliandamque ubique, & ab omnibus, promptam Regiæ Auctoritati Obedientiam. ET ULTERIUS DECLARAMUS, quod licèt poſtquàm Pontanam, Locaque hujus Regni omnia, quæ Tempore Pacis, Menſe Januarij, in Hoſtium Poteſtate fuerunt (Urbibus Dublinienſi, & Londinoderenſi exceptis) Dominatione Sua gubernante, ejuſque Ductu, per varia ſuæ Vitæ Pericula, Fortunæque ſuæ Jacturam, ſub Regis noſtri Imperio redacta fuerunt, Deo placuerit, & ipſe permiſerit Nos ad Statum, & Conditionem, in qua jam ſumus, detrudi, ſatis tamen ſuperque novimus, Suam Excellentiam fideli Inſtituto, & lubenti Animi Affectu, ad promovendum Suæ Majeſtatis hoc in Regno Intereſſe, & illi inſerviendum applicaſſe.

“ Ex Mandato Comitiorum
“ *Richardus Blake*

CLERUS porrò ſeorsìm rogavit omnìnô, ut *Ormondius* Regem pro aſſequendis Suppetijs perſonaliter adiret, utque Prorex Catholicus ipſi ſubſtitueretur. Et quamquàm utrumque ægerrimè ferret *Ormondius*, utrumque tamen præſtitum fuit ſub Finem ejuſdem Anni, deputato de *Caroli* Conſenſu Prorege *Ulilo de Burgo*, Marchione *Clanrickardiæ* in *Hibernia*, Comiteque *St. Albani* in *Anglia* (*y*), qui nonniſi Cleri Precibus devictus Generale Regni Gubernium tandem in ſe ſuſcepit (z).

INTEREA *Cromuellus*, qui in *Hiberniam* venerat Menſe Auguſto 1649, varia ad Deditionem coegit Fortalitia, putà *Pontanonſe*, vulgò *Droghedanum*, alijs *Tredaghanum*, & *Dundalkenſe*, in *Ultonia*; *Kilkennienſe*, & *Wexfordienſe*, in *Lagenia*; *Corcagienſe*, & *Clonmellenſe*, in *Momonia*; ac in *Angliam* poſtmodùm diſceſſit Die 29 Maij 1650 ad debellendos *Scotos*, jam Regiæ Proditionis pænitentes, pro *Caroloque* inſurgentes, Generum ſuum *Iretonum* relinquens poſt ſe ſupremum Copiarum Ductorem, qui poſt expugnatum *Limericum*, pluraque alia contrà *Hiberniæ* Catholicos, Regemque iniqua patrata Facinora, infelicem (*a*) obijt Mortem ibidem (*Limerici*) Die 26. Novembris 1651.

LXXXV. UT autem mox allati Procuratorij Mentem, & Senſum aſſequaris, benigne Lector, præmonearis oportet, Sereniſſimum *Lotharingiæ* Ducem *Carolum*, hujus Nominis *Tertium*, uſque adeò propenſi fuiſſe Animi ergà Regem noſtrum *Carolum Primum*, ut Anno 1645 in Obſequium ipſius præparaverit Decem Millia Hominum, prout ex Epiſtola *Henriettæ-Mariæ*, Re-

ginæ

(*x*) Marchionem *Ormondium*, Proregem.

(*y*) Recolendum Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 277.

(*z*) *Cartæus*, Vol. II. Pag. 140; & *Coxus*, Part. ii. Pag. 52, ubi Supplicationis Cleri Inſtrumentum Anglico Idiomate legere eſt.

(*a*) Adeas Cap. xiii. Num. lxvi. Pag. 489.

ginæ Conjugis, ad ipſum Regem, *Pariſijs* Die 27 Januarij 1646 datâ (*b*), liquidò patet, tametſi fatali Eventu impeditus fuerit Militum iſtorum in *Angliam* Trajectus. Clerus igitur *Hiberniæ* apud *Clonmacnoiſam*, ut præfertur, convocatus, indè, alijſque ex Momentis intelligens benevolum laudati Ducis ergà Regem, Reſque noſtras Animum, D. *Nicolaum French*, Epiſcopum *Fernenſem*, & P. Magiſtrum Fr. *Gulielmum de Burgo*, Athenrienſem, Priorem Provincialem Ordinis Prædicatorum (*c*), ad eundem Sereniſſimum Ducem pro Suppetijs nunquam magis neceſſarijs, ab eo impetrandis, legavit, qui viciſſim ad Proregem *Ormondium* legavit D. *Oliverium Synot*, Natione *Hibernum*, Copiarum ſuarum Chiliarcham, ſeù *Colonellum*, ut ex Prorege ipſiuſmet Regis Mentem deſuper exploraret. Eo in *Hiberniam* appulſo Die 29 Aprilis 1650, *Ormondius Theobaldum* Vicecomitem *Taaffe* (Comitem poſteà *Carlingfordienſem), Franciſcum Bermingham*, Baronem *Athenrienſem*, *Severinum Browne*, Juriſperitum Cauſidicum, nominavit, qui cum ipſo Tractatum inirent. Paulòque poſt, prælibati *Oliverij Synot* Intuitu, miſſus fuit laudatus Vicecomes *Taaffe*, tàm ab *Ormondio*, quàm à Catholicis, ad Regem in *Galliarum* Regno verſantem, quatenùs Rex ipſe ſupplex fieret apud Principes exteros pro feſtino Succurſu ad præcavendum totale Regiorum in *Hibernia* Jurium, & Subditorum Exterminium *(f)*.

LXXXVI. Rege in *Scotiam* perrecto antequàm in *Gallias* appuleret *Taaffius*, hic confeſtim ſe ſiſtit Reginæ Matri, quæ facultatem ineundi de Rebus *Hibernicis* Tractatum à Filio Rege habuerat. Ex quo, atque ex mox adducendis Literis tàm laudatæ Reginæ Matris, quàm ſecundi ejus Filij, Sereniſſimi *Jacobi* Ducis *Eboracenſis* (poſtmodùm Regis ſub Nomine *Jacobi II)* pellucidè conſtat, non à ſolis Catholicis *Hibernis* miſſum fuiſſe ad *Lotharingiæ* Ducem, & quidem ad Effectum transferendi in ipſum Regia Jura, ut nonnulli Scriptores Acatholici, nominatìm Comes *Clarendonus*, & Cancellarius *Coxus*, inſinuare vellent. Enimverò Die 25 Julij 1650 Dux *Eboracenſis* ea de Reſcripſit Epiſtolam gallicè ex Inſula *Cæſarea*, vulgò *Jerſey* (*g*), ad Ducem *Lotharingium* Tenoris ſequentis (*b*).

Mon Couſin,

Le My Lord Taaffe s'en allant Vous trouver de la Part du Viceroy d'Irlande, & de ceux du Conſeil Catholique, touchaut quelques Propoſitions, que Vous leurs avez fait; Je n'ay pas cru pouvoir prendre une meilleure Occaſion de Vous temoigner L'Amitié, & L'Eſtime que Je Vous porte toujours: Vous recommendant auſſi particulierement les Intereſts du Roy dans les Propoſitions que l'on Vous fera à L'Advantage de ſes Subjects d'Irlande, dont ce Porteur Vous entreiendra plus amplement. Je ſuis toujours avec Paſſion,

De Jerſey ce 25 de
Juillet, 1650.

Mon Couſin,
Votre tres affectionè Couſin,
JAQUES.

LXXXVII. Regina item Mater ſequentes ad eundem *Lotharingiæ* Ducem dedit Literas, *Pariſijs* Die 4 Octobris 1650 datas (*i*), de Vicecomite *Taaffio*, ejuſque Legatione, Sermonem facientes:

Mon Couſin,

Le My Lord Taaffe, Perſonne de Qualitté, & de grand Merite, ayant eté depeſche d'Irlande au Roy Monſieur mon Fils par le Marquis d' Ormond, & par tous les Catholiques de ce Royaume, & etan arrivé

(*b*) *Clanrickardi Notæ Memores*, vulgò *Memoirs*, ag 41.

(*c*) Confer Cap. xiv. Num. xv. Pag 524.

(*f*) *Clanrickardi Notæ memores*, in Diſſertatine, Pag. xxxviii.

(*g*) Sita eſt propè *Normanniam*, Juris tamen egis *Angliæ* ex quo *Normannorum* Gens in *Anglia* regnare cæpit Anno 1066. Idem eſt Judicium de Inſula *Garnia*, alijs *Sarnia*, vulgò *Guerneſey*, alijs *Garneſey*. Confer Cap. præſ. Num. x. Lit. a. Pag. 612.

(*b*) Ex *Clanrickardi Notis memoribus*, Pag. 41.

(*i*) Ex ijſdem, Pag. 40.

arrivé ici depuis le Parlement du Roy, mon Fils, en Ecoſſe : J'ay cru, qu'il etoit plus à Propos de l'arreſter quelque Temps juſqu' à ce que j'euſſe pu eſtre informée de la Maniere que ceux de ſa Religion ſeroient recus dans ce Pays la, & ai envoié une Partie de ſes Depeches par un autre, ce qu' il a jugé raiſonable de faire, & ne paſſera pas luy-meme, ſans que Nous en ayons des Nouvelles. Entre autre Choſes, il m'a communiqué une Negotiation, qui Vous regarde, & pour la quelle il Vous va trouver à preſent. Il en pourra ſortir grand Advantage aux Affaires du Roy Monſieur mon Fils ; & il me ſemble auſſi parce que j'en puis connoitre, qu' il y a Lieu de Vous donner la Satisfaction, qui à eté proposee par ceux, qui en ont parler de notre Part. Je me remet à My Lord Taaffe de Vous entretenir des Particularitez, & me contenteray de Vous recommender l'Affaire, & ſa Perſonne qui merite toutes les Civilitez que Vous lui pourriez faire. Vous le pourrez croire entierement, & dans les Aſſurances que Je l'ai prié particulierment de Vous rendre que Je ſuis,

Mon Couſin,
Votre bien Affectionne Couſine,
HENRIETTE MARIE, R,

LXXXVIII. DEMUM ſæpè laudata Regina Mater, *Taaffium* Vicecomitem ad *Lotharingium* Ducem mittens, eum iſtis aſſociari voluit Literis (*k*) Die 18 Novembris 1650.

Mon Couſin,

Le Porteur de celle cy, Mon Couſin le Viſcomte de Taaffe, ayant eté depeſché vers le Roy, Monſieur mon Fils, de la Part du Marquis d'Ormond, pour lui rendre Compte de l'Etat des Affaires d'Irlande a trouver Sujet, pour des Raiſons qui ont empeché ſon Voyage en Ecoſſe d' y envoyer ſes Lettres, & attendre lui meſme icy juſqu 'a preſent. Il eſt auſſi inſtruit de la Part des Catholiques, & a la Connoiſſance de leurs Sentiments, pour tout ce qui generalement regarde le bien de ce Royaume ; s'en allant Vous trouver il Vous communiquerà tout ce de quoy il eſt chargé, & particulierment Vous entretiendra d' une Negociation, qui a eté commence en Irlande par vos Ordres & Agens ; & de la quelle, ſi les Circonſtances à preſent en pouvoient permettre la Concluſion, il en pourroit ſortir, à mon Avis, grand Avantage, & Utilité aux Affaires du Roy, Monſieur mon Fils. Je Vous prie de vouloir regarde l'Affaire en cette Conſideration, comme auſſi tout ce qui Vous ſerà repreſenté au Regard de l'Irlande, ou il ſemble que les Choſes ne ſont pas ſi diſeſperés, qu elles ne pourroient eſtre remiſes, en Cas, que Nous fuſſions aſſiſtés de nos Amis. Je Vous conjure de Nous donner le Secours de vos Advis & Conſeils, & de Vous le pourrez croire entierement, & en faire Eſtime comme d'une Perſonne, d'un grand Merite, & qui a ſervir le feu Monſeigneur, & le Roy, Monſieur mon Fils, avec Affection, & Fidelité ſinguliere. Je me remets à luy pour le reſte que j'aurois à Vous dire, & pour Vous aſſurer, que Je ſuis, & ſeray tout ma Vie veritablement.

Mon Couſin,

La Reine au Duc de Lorraine par le My Lord Taaffe, Novembre 18, 1750.

HIS addere non pigeat, Ducem *Eboracenſem*, eodem Menſe Novembri *Bruxellis* conſtitutum, ſæpenumerò ſtimulaſſe *Lotharingium* Ducem ad mittendas, quas poſſet, Suppetias in *Hiberniam*; Equitemque *Henricum Vice*, Regis *Caroli* Reſidentem, ut vocant, apud Aulam *Bruxellenſem*, & Equitem *Georgium Ratcliffe*, Ducis *Eboracenſis* Gubernatorem, Rei hujus Progreſſum magnoperè urſiſſe (*l*).

LXXXIX. DUX *Lotharingiæ* ex iſtis omnibus, atque ex Colloquio, quod habuit cum Domino Vicecomite *Taaffe*, videns planè Catholicorum *Hibernorum* Poſtulata legitimè fundari, utpotè Regijs Juribus haud diſſona, ad eos legavit Primarium Ditionis Suæ Adminiſtrum, Reverendiſſimum ac Nobiliſſimum D. *Stephanum de Henin*, Abbatem S. *Catharinæ*. En porrò Literas Credentiales, verè aureas, Catholicoque Principe dignas (*m*).

“ CAROLUS Dei Gratia LotharingiæDux, Marchio, & Dux Calabriæ, Barri, & Gueldriæ, Marchio
“ Muſipontanus, & de Nomanny, Comes Provinciæ Vallimontis, Albimontis, Zutphaniæ, Salmi, Save-
“ redæ,

(*k*) Ex præfato *Clanrickardi* Opere, Pag. 42.
(*l*) Ex eodem in *Diſſertatione* prævia, Pag. xvi.
(*m*) Ex eodem, Pag. 5.

“ redæ, &c. Reverendiſſimo, ac Nobiliſſimo Stephano de Henin, Abbati a Sancta Catharina, Nobis à Conſilijs intimis, noſtroque ad Catholicos Hiberniæ Ordinis Legato, Salutem.

“ Cum noſtrorum Exempla Majorum inſecuti, nihil Chriſtiano Principi honorificentius, aut tanti Nominis Claritudine dignius unquàm duxerimus (idque etiam Facto ſæpiùs teſtati ſumus) quàm periculoſis Amicorum Temporibus ſubvenire, præſertìm in Cauſa propugnandæ Religionis, quæ Nobis ipſâ Vitâ charior ſemper fuit, & in poſterum (Deo dante) futura eſt; ejuſque Rei capeſſendæ præclara Nobis, licèt calamitoſa, ſeſe offerat Occaſio in præſenti Rerum *hibernicarum* Statu, Nos urgentiſſimis Catholicorum Ordinum, qui nunc in *Hibernici* Regni Procuratione legitimè verſantur, Petitionibus, per Illuſtriſſimum Dominum Vicecomitem Taaffe, delatis, annuentes: Id enimverò ſummâ Nobis Contentione enitendum ſtatuimus, ut & Armis, & Opibus, &, ſi Opus fuerit, propriâ Capitis noſtri Dimicatione, Nobiliſſimæ Gentis Saluti Defenſionique conſulamus: Quod ut ad felicem Exitum quantociùs (auſpicante Deo) perduci poſſit, Te prædictum Reverendiſſimum, & Nobiliſſimum Stephanum de Henin, Abbatem à Sancta Catharina, pro ea, quam in Te ſemper agnovimus ergà Nos Fide, perſpectâque in Rebus agendis Solertiâ, ac peculiari in Religionem Catholicam Addictione, Legatum hac in Parte noſtrum ad prædictos Ordines mittendum decrevimus; quemadmodum de Facto mittimus, & & deputamus; Tibique plenam, & omnimodam cum ijſdem Ordinibus agendi, tranſigendi, contrahendique, & quæcunque Pacta feriendi, Poteſtatem, Auctoritatemque conceſſimus, ac Vigore præſentium concedimus, de ijs omnibus, ac ſingulis, quæ ad præfati Regni Defenſionem, Securitatem, Salutem, Commodumque, ac noſtræ ſuper eo Voluntatis, quam notam tibi fecimus, Executionem pertinere judicaveris; ratum in poſterum habituri, immò jam nunc habentes, quicquid noſtro Nomine, ac Virtute præſentium, cum prænominatis Ordinibus egeris, tranſegeris, ac contraxeris, non aliter, ac ſi de omnibus, & ſingulis, quæ in Conventionem veniant, ſpeciatìm hic Mentio haberetur. In eumque Finem, & Effectum, noſtram, & Succeſſorum noſtrorum, Fidem, cum omnium Bonorum noſtrorum, præſentium, & futurorum, Obligatione, irrevocabiliter obſtringimus. Quorum in Teſtificationem præſentes Literas noſtrâ Manu ſubſcriptas, ſecretiore noſtro Sigillo muniendas curavimus, Datum Bruxellis 31 Decembris, Anno Milleſimo Sexcenteſſimo Quinquageſimo.

“ **D. C. CAROLUS**

L. S.

“ *J. G. Goets.*

XC. Die ſequenti, primo nimirùm Januarij 1651, Literas item aureas dedit per laudatum Legatum deferendas ad ipſoſmet Catholicos *Hiberniæ* Ordines, in Regni Adminiſtratione conſtitutos, non autem ad *Ormondium*, quiæ ex *Taaffio* intellexit, ipſum brevi ex *Hibernia* diſceſſurum, nihil tamen de *Clanrickardio* Prorege ſubſtituendo. En verò Literarum iſtarum Tenorem (*n*):

Excellentiſſimi, Reverendiſſimi, Illuſtriſſimique, Ampliſſimi, & Generoſi Domini.

Acceptis per Illuſtriſſimum Dominum Vicecomitem Taaffe Ordinum veſtrorum Poſtulatis, cognitâque indè Hibernici Regni Calamitate, ingemui quidem, non ſterili quodam aut otioſo Dolore perculſus, ſed commotus Vobis flagrantiſſimo opitulandi Deſiderio, & in id omnia, quæ in me ſita ſunt ſtudioſiſſimè impendendi; quem ad Conatum, ut multa me commovent, antiqua videlicèt Gratiæ Veſtræ Fama, Gentis Nobilitas, perſpècta varijs in Bellis Animi Magnitudo, probata toties adversùs Deum, Regemque Fides, cæteraque Regni clariſſimi illuſtria Facinora, aut Literis conſignata, aut recentibus Argumentis ad veſtri Nominis Celebritatem, ſtrenuiſſimè teſtata, tùm nihil vehementiùs impellit, quâm ipſa tuendæ, & in Libertatem vindicandæ Religionis Neceſſitas, cui omnia ſemper poſthabenda conſtitui, ſicut & me poſthabiturum veriſſimè judicatis. Quamobrem ut huic, quam de me concepiſtis, Opinioni, pari Animo reſponderem, Reverendiſſimum, ac Nobiliſſimum Stephanum de Henin, Abbatem à Sancta Catharina, à Conſilijs noſtris intimis, Legatumque hac in Parte meum, ad Vos continuò mittendum putavi, tùm qui meo Nomine Gratias Vobis agat eximias, tùm de ijs, quæ per prædictum Illuſtriſſimum Dominum Vicecomitem Mihi veſtro Juſſu propoſita ſunt, & à Vobis inſuper proponi poterant, ad ineundas conſervandi veſtri Rationes, alijſque quibuſcunque, ad Utilitatem Regni Hiberniæ ſpectantibus, cum legitima, quam

---

(*n*) Ex eodem, Pag. 3.

ei rite contuli, Auctoritate paciſcatur. Huic itàque ut plenam indubitatamque Fidem habeatis, necnon meæ ergà Vos propenſiſſimæ Voluntati, magnopere rogatos velim.

Datum Bruxellis primo Januarij Anni Milleſimi Sexcentiſſimi Quinquageſimi Primi.

Veſtri Amantiſſimus, ac Studioſiſſimus,
D. C. CAROLUS."

Excellentiſſimis, Reverendiſſimis, Illuſtriſſimis, Ampliſſimis, ac Generoſis Dominis, in Hibernici Regni Adminiſtratione conſtitutis.

XCI. Appulsus in *Hiberniam* Menſe Februario prælibati Anni 1651 *Lotharingiæ* Legatus, Patre *Georgio Dillono*, Vicecomitis *Dilloni* Fratre, Vicecomitique *Taaffi* Avunculo, omnimodè ſpectabili Ordinis Minorum Alumno ſociatus, ſtatìm reſcivit Marchionem *Clanrickardiæ* Proregem fuiſſe Deputatum Regni poſt *Ormondij* Diſceſſum, cui proptereà per laudatum ſuum in Itinere Comitem ſignificavit, ſe Literas Credentiales ipſi oſtenſurum Loco, & Tempore ab Excellentia Sua deſignandis. *Clanrickardius* confeſtìm ad Legatum miſit Quatuor è Catholicorum Commiſſarijs, *Franciſcum* nempè *Berminghamum*, Baronem *Athenrienſem*, Equitem *Nicolaum Plunkettum*, *Richardum Bellingum*, & *Severinum Browne*, Armigeros, qui dictas Literas Credentiales inſpicerent, earundem Rationem ipſi *Clanrickardio* reddituri, quod utique præſtiterunt, ut liquet ex ipſorum ad *Clanrickardium* Epiſtola Anglica, Die 27 Februarij 1651 (Stylo novo) datâ (*o*). Hinc Prorex *Clænrickardius* in Ædibus ſuis *Tyrellanis* propè *Galviam* Die 7 Martij (1651) primam Legato *Lotharingiæ* præbuit Audientiam, ut vocant, Dieque ſequenti prænominatus P. *Georgius Dillonus* Proregi, Nomine Legati, quoſdam propoſuit Tractatûs Articulos, quorum præcipui erant, ut Dux *Lotharingiæ* Protector foret Regni *Hiberniæ*, ejuſque poſtmodùm Hæredes, & Succeſſores, cum Subordinatione tamen ad Regem; utque oppignoranda eſſent *Limericenſe*, & *Galvienſe* Fortalitia pro exſolvendis Suppetiarum Expenſis.

XCII. Porro Die 12 ejuſdem Menſis Martij (1651) Prorex Literas dat ad D. Fr. *Thomam Flemingum*, & D. *Joannem de Burgo*, Archiepiſcopos *Dublinienſem*, & *Tuamenſem*, reliquoſque Prælatos, ac Catholicorum Commiſſarios, *Galviæ* reſidentes, earundem Tenore Facultatem (*p*) ipſis faciens, convocandi Generalem tàm Cleri, quàm Nobilitatis Congregationem, quando, & ubi ipſis videbitur expedire, ut ſuper Legationis iſtiuſmodi Negotijs ſeriò deliberent; inſimulque Quinque nominat Commiſſarios ad Tractatum cum Legato ineundum, Quatuor nimirùm mox allatos, quibus adjicit *Theobaldum* Vicecomitem *Dillonum*, Præſidem *Conaciæ*, quibuſque adjecit etiam Clerus D. Fr. *Antonium Magenis*, Ordinis *S. Bernardi*, & D. Fr. *Hugonem de Burgo*, Ordinis *S. Franciſci*, Epiſcopos *Dunenſem*, & *Duacenſem* (*q*); ad quos Die 18 ejuſdem ſæpè nominati Menſis Martij Inſtructiones mandat, ut ſcilicèt Legatum certiorem faciant de *Limericenſis*, *Galvienſis*, *Athlonenſis*, & *Sligoenſis* Fortalitiorum Oppignoratione pro Solutione Expenſarum, Duci *Lotharingiæ*, ejuſve Hæredibus faciendâ, dummodò momentoſas ferat Suppetias; ſed quoad Protectionem Regni, & Præfecturam Exercitûs, à Duce *Lotharingiæ* ſuſcipiendas, cùm neque per Organum Reginæ, Duciſve *Eboracenſis*, neque ullatenùs innoteſcat deſuper Mens ipſiuſmet Regis, idcircò Articulum illum reſervandum eſſe pro Tractatu *Bruxellis* ineundo, ad quem Effectum eò mittit ſelectos Viros, Vicecomiti *Taaffio* in memorata *Bruxellenſi* Civitate tunc verſanti, in Procuratione jungendos (*r*). Dieque ſequenti Commiſſarij recenſiti retulerunt Proregi, habitum fuiſſe præſcriptum ab Excellentia Sua Congreſſum cum *Lotharingio* Legato, huncque reſpondiſſe, ſe quidem libenter velle, quod Tractatus *Bruxellis* ultimatè concludatur, cui Rei adjutricem utique Manum apponet, non poſſe tamen Suppetias ferre in Vim Tractatûs non ulteriùs perducti, tametſi memoratorum fieret Fortalitiorum omnium Oppigneratio,

XCIII. Inte-

(*o*) Ex eodem, Pag. 1.

(*p*) Eas legere eſt ibidem, Pag. 17, idemque patet ex Epiſtola Archiepiſcopi *Tuamenſis* ad *Clanrickardium* Marchionem, Pag. 23.

(*q*) De Præſulibus iſtis nonnihil Cap. xiii. Num. lxvii. Pag 490.

(*r*) Ex eodem *Clanrickardi* Opere, Pag. 21.

XCIII. INTEREA Congregatio Generalis haberi cæpit *Galviæ* Die 18 præfati Menſis Martij, cujus Nomine Archiepiſcopus *Tuamenſis* Die 21 Martij per Epiſtolam (*s*) denunciat Proregi Opinionem ejuſdem eſſe, quod recenſiti acceptentur Articuli, à P. *Georgio Dillono* propoſiti, ad quam tamen Rem flecti nequit *Clanrickardius*, ut liquet ex Literis reſponſorijs, Die ſequenti ad Archipræſulem *Tuamenſem* datis, (*t*). Nihilominùs Prælatorum Precibus pulſus, tandemque devictus, inducitur Legatus ad ipſis tribuenda viginti Millia Librarum Sterlingarum (*u*) pro præſenti ſublevanda Neceſſitate, eâ tamen Lege, ut *Limericenſe*, & *Galvienſe* Fortalitia oppignentur, utque reliqui Tractatûs Articuli apud *Bruxellas*, ut præfertur, diſcutiantur. Cui Conventioni tàm Marchio *Clanrickardius* Nomine Regis, quàm Prætores, & Magiſtratas Civitatis *Limericenſis*, Oppidique *Galvienſis*, lubentiſſimi conſentiunt, factis deſuper Inſtrumentis opportunis, Die 7 Aprilis 1651 expeditis; intereàque Prælati, & Proceres, alijſque, quotquot ſunt, Viri Nobiles, & Equeſtres, Facultatem habent revertendi ad propria, Vigore ſcilicèt Literarum à *Clanrickardio* Prorege Die 28 Martij 1651 emanatarum (*w*).

XCIV. POSTMODUM Die 12 Aprilis (1651) Eques *Nicolaus Plunkett*, & Armiger *Severinus Browne*, Juriſconſulti Cauſidici, in Procuratione juncti *Taaffio* Vicecomiti, *Bruxellis* tunc conſtituto, Literas Procuratorias, & Inſtructiones, Epiſtolamque ad Reginam, Ducem *Eboracenſem*, Marchionem *Ormondium*, ipſumque Vicecomitem *Taaffium* recipiunt â Prorege, qui antecedenter, Die nimirùm 9 ejuſdem Menſis Aprilis Epiſtolam dedit latinam ad Ducem *Lotharingiæ* per ſæpe laudatum ipſius Legatum, Tenoris ſequentis (*x*):

Sereniſſime Princeps.

Celſitudinis Veſtræ Legatus, Reverendiſſimus, ac Nobiliſſimus Stephanus de Henin, Abbas de Sanctâ Catharina, eorum, quæ hic inter Nos peracta ſunt, Inſtrumentum fert meâ Manu ſignatum, & proprio meo Sigillo munitum. Illius in Rebus gerendis Solertiam expertus ſum, & eâ Humanitate præditum novi, ut non ſolùm omnium Animos, omnium Affectus Veſtræ Celſitudini conciliaverit, ſed & ſui Memoriam apud Nos reliquerit gratiſſimam. Illum ergò tàm fidelem, tàm perſpicacem tanti Principis Miniſtrum Celſitudini Veſtræ commendo, ut pro Merito Favores, quos illi impertiri dignatur Celſitudo Veſtra, indies augeantur. Celſitudinis Veſtræ Manus deoſculor,

Loughreaghæ, Aprilis
9, 1651.

Celſitudinis Veſtræ
Humilimus Servus
CLANRICKARDE.

XCV. QUANDOQUIDEM autem tres memorati Procuratores, ſeù Agentes, à ſolo Prorege *Clanrickardio* nominati fuerint, idcircò ut Rebus Eccleſiaſticis ſecuriùs conſuleretur, Commiſſarijs Cleri, *Galviæ* reſidentibus, viſum eſt Duos Procuratores, ſeù Agentes eodem in Negotio *Bruxellis* peragendo conſtituere Die 7 ejuſdem Menſis Aprilis, nempè Reverendiſſimum D. *Nicolaum French*, Epiſcopum *Fernenſem*, & Nobiliſſimum Virum *Jacobum Preſtonum*, è Vicecomitibus de *Gormanſton*, Equitem Auratum. Porrò, ut obiter dicam, Quinque tunc erant Commiſſarij, à nuperâ ſcilicèt Congregatione Generali, *Jacobopoli*, vulgò *James-Town*, ut præfertur habitâ, deputati, nempè D. *Hugo O-Reilly*, Archiepiſcopus *Armacanus*, Totius *Hiberniæ* Primas; Fr. *Thomas Flemingus*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, *Hiberniæ* Primas; Fr. *Edmundus O-Dempſey*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Leighlinenſis*; D. *Norbertus Barry*, Epiſcopus *Corcagienſis*, & *Clonenſis*; & D. *Franciſcus Kirovanus*, (vulgò *Kirwan*), Epiſcopus *Alladenſis* (*y*). En verò Procurationis Inſtrumentum (*z*):

(*s*) Ibidem, Pag. 23.

(*t*) Ibidem, Pag. 27.

(*u*) Ideſt octoginta Millia Scutorum *Romanorum*, quæ Summa tunc plus valebat, quàm nunc valet Quadruplo major.

(*w*) Ibidem Pag. 43, & in prævia *Diſſertatione*, Pag. L.

(*x*) Ibidem Pag. 68. Atque Pag. 83 legere eſt Ducis *Lotharingiæ* Epiſtolam Reſponſoriam, *Bruxellis* 20 Septembris 1651 datam, ex gallico in anglicum Idioma verſam, ut Num, xcvii. dicetur.

(*y*) Nonnihil de Præſulibus iſtis dictum eſt Cap. xiii. Num. lxvii. Pag. 490.

(*z*) Ex *Carto*, Part. ii. Append. xlvii. Pag. 177.

“ IN DEI NOMINE AMEN.

“ Memorandum, quod Anno Domini 1651, Die verò Menſis Aprilis ſeptimo, Nos infraſcripti, tàm noſtro, quàm omnium ferè Procerum, Nobilium, ac Popularium Catholicorum Regni Hiberniæ Nomine, & Nominibus (quorum Senſum in hac Parte, & Conſenſuum certam, & exploratam Notitiam habemus) nominavimus, conſtituimus, elegimus, & deputavimus, omnibus, quibus poſſumus, Modo, Viâ, Jure, ac Ratione, Procuratores, Agentes, & Negotiorum noſtrorum Geſtores, generales, & ſpeciales, ità ut Specialitas Generalitati non derogat, aut è contrà, conjunctim etiam, & diviſim, ſi ità Opus fuerit, in Caſu Mortis, aut alterius inevitabilis Neceſſitatis, Reverendiſſimum in Chriſto Patrem ac Dominum, D. Epiſcopum *Fernenſem*, & Clariſſimum, ac Nobiliſſimum Dominum, D. *Jacobum Preſtonum*, Equitem Auratum, ut ſuprà ad agendum, tractandum, conſulendum, ac firmiter concludendum cum Sereniſſimo Principe *Carolo*, Duce *Lotharingiæ* (quem in Regium Protectorem Regni Hiberniæ eligimus) noſtro omniumque præfatorum Nominibus ad agendum cum præfata Sua Celſitudine, tàm in, & ſuper Negotio Principalis Protectionis memoratæ, quàm in, & de alijs Articulis, Propoſitionibus, & Poſtulatis noſtris, conventis, & non conventis, tale Negotium quoquomodo concernentibus, cum omnibus annexis, connexis, emergentibus, dependentibus, & aliâ Ratione concernentibus, & generaliter omnia alia in præmiſſis agendi, & faciendi, ac ſi Nos ipſi præſentes eſſemus. Et quicquid in prædictis fecerint, concluſerint, tractaverint, conſenſerint, & convenerint cum præfato Sereniſſimo Duce *Lotharingiæ*, ſeù cum ejus Hæredibus, aut Aſſignatis ſuis, ſeù cum ejus, eorumque Agentibus, Legatis, Procuratoribus, ſeù alijs quibuſcunque, Mandatum, & Poteſtatem ad id ſpecialem habentibus, uno, vel pluribus, Nos ratum, gratum, & acceptum habituros promittimus per Præſentes. Et ad id Nos ipſos, & Succeſſores noſtros, alioſque, quos poſſumus, in perpetuum obligamus. Datum ſub Signis, & Sigillis noſtris Anno Dieque, quibus ſuprà, & in Præſentia Teſtium infraſcriptorum. *Galviæ* in Provincia *Conaciæ*, & Regno *Hiberniæ*, præſentis Manſionis noſtræ, ſeù Refugij Loco.

“ Fr. *Thomas* Archiepiſcopus *Dublinienſis*, *Hiberniæ* Primas.
“ *Norbertus Corcagienſis*, & *Clonenſis* Epiſcopus.
“ Fr. *Antonius Clonmacnoiſenſis* Epiſcopus, Procurator Primatis *Hiberniæ*.
“ *Walterus Clonfertenſis*, & Procurator *Leghlinenſis*.
“ *Franciſcus Alladenſis* Epiſcopus.

“ Et Nos Major, ſeù Prætor, *Galvienſis*, & Cives, confirmamus, & noſtris Suffragijs ratificamus prædictum Procuratorium, & Perſonas in eo nominatas noſtros etiam Procuratores, ut ſuprà, conſtituimus, Die, & Anno, quibus ſuprà, cum infraſcriptis de Conſilio noſtro.

Richardus Kirwan, Prætor.
Valentinus Blake.
Dominicus Browne.
Oliverius French.
Stephanus French.
Joannes Blake.
Thomas Lynch, Filius *Ambroſij*.

Joannes Blake, Record.
Thomas Lynch, Vic.
Petrus Browne, Dep. Vic.
Stephanus French.
Jacobus Lynch, Filius *Stephani*.

XCVI. Procuratores, ſeù Agentes, præfati, Navim conſcendunt *Galviæ* Die 23 Maij (1651) eâque deſcendunt *Amſtelodami*, in *Batavia*, Die 6 Junij. *Bruxellas* appulſi, Vicecomitem *Taaffium* congrediuntur, ſtatimque de Propoſitionibus, ſeù Articulis, à Congregatione Generali formatis, Reginæ, Duci *Eboracenſi*, & Marchioni *Ormondio* ſubjiciendis ab omnibus in Sententiam itum eſt, quod proindè fecerunt. Regina autem, de *Eboracenſis* Ducis, & *Ormondij* Marchionis Conſilio, iiſdem Mentem ſuam, & Senſum aperuit quantùm in Literis expedire videbatur, cautiſſimè enim ſcribebat quoad Articulos de Protectione Regni, & Præfecturâ Exercitûs concedendis Principi extero ad Effectum reſtaurandi in *Hibernia* Catholicam Religionem, nè fortè id reſcirent *Puritani Scotiæ*, qui Regi tum favere, & obſequi geſtiebant.

Procuratores tamen, ſeù Agentes, vel ex ſolo Literarum Reginæ Teſtimonio plenam habentes ad tractandum, concludendumque Poteſtatem, Fædus pangunt Die 2 Julij 1651 cum Duce

Lotharingiæ, quindecim conceptum Articulis (*a*), quorum præcipua ſummatim ſunt, ut Dux *Lotharingiæ* Regius ſit Protector Regni *Hiberniæ*, & poſt ipſum Hæredes ejus, ac Succeſſores; ut Fæderis Pactores, impetratâ Summi Pontificis Benedictione, proteſtantur, ſe perpetuò manſuros ſub Obedientia, & Fide Sedis Apoſtolicæ, & Sanctitatis Suæ; ut reſtauratis in *Hibernia* Religione Catholicâ, Regijſque Juribus, Dux *Lotharingiæ* reſignet Auctoritatem ſuam in Manibus Regis, habitâ priùs Satisfactione pro omnibus ab eo factis deſuper Expenſis; ut ipſe Præfecturam habeat Exercitûs, aut alius ab eo conſtitutus, qui tamen debet eſſe Cultor Orthodoxæ Religionis, ſicut & Protector ſub eo Regni; ut quoad Privilegia, & immunitates tàm Civitatum, & aliorum Regni Locorum, quàm ipſorum Incolarum ſubditorum, quàm etiam quoad Aminiſtrationem Juſtitiæ, nihil innovetur, ſed fundamentales Regni Leges ſartæ tectæ ſerventur; ut ultrà Viginti Librarum Sterlingarum Millia à Duce *Lotharingiæ* jàm data, Sua Celſitudo alias tribuat Pecuniarum Summas, atque Rerum bellicarum Quantitates, quæ Bello continuando ſufficient, neque tamen Ducis excedent Facultates; ut ad faciendam prædictarum Expenſarum Solutionem obſtricta erit univerſa *Hiberniæ* Natio, & pro Cautione Urbes *Galvienſis*, *Limericenſis*, *Sligoenſis*, & *Athlonenſis*, unà cum Regio *Duncannonenſi* (*b*) Fortalitio (ſi ex Inimicorum Poteſtate recuperetur) in Celſitudinis Suæ, ac Hæredum, & Succeſſorum ipſius Poteſtate erunt uſque ad condignam Expenſarum Solutionem; ut pro Expenſarum harumce Computu faciendo nominentur à Fæderis Pactoribus aliqui, qui tamen à Congregatione Generali mutari poterunt; tandem ut nec Celſitudo Sua Pacem, Induciaſve concludat abſque Proregis, & Congregationis Generalis Conſenſu, nec Vice verſâ.

XCVII. Die 20 Septembris 1651 Dux *Lotharingiæ* Epiſtolam miſit ad Proregem *Clanrickardium* per anteà nominatum (*c*) Chiliarcham *Oliverium Synot*, necnon & exiguam Rerum bellicarum Quantitatem, veluti promiſſarum Arrham. Jactâ porrò apud Inſulam in Littore *Conaciæ* dictam *Bophinam* Anchorâ, prælibatus *Synot* eâ de Re certiorem facit Marchionem *Clanrickardium*, ad ipſum inſimul tranſmittens ſuum Literarum Faſciculum, continentem imprimis præfatam Ducis ad Marchionem Epiſtolam, inſuperque aliam duorum Agentium *Plunketti*, & *Bruni*, ſeù *Browne*, Die 14 Septembris; atque Epiſtolam Reginæ ad ipſos Agentes, Die 1 July; ac Epiſtolas Regis, & *Ormondij* ad Vicecomitem *Taaffium*, Diebus 21 Januarij, & 13 Martij (*d*), eodem de Tractatu. Quibus ab eo perlectis, tanquàm firmiſſimum Murum ſe oppoſuit Fæderi *Lotharingio*, præcipuè quoad Articulos de Protectione Regni, & Præfecturâ Exercitûs, Principi extero tribuendis, eò vel maximè quia (ajebat) Procuratores, ſeù Agentes, neque à Rege, neque à ſeipſo, Regis Viceſgerente, Facultatem habuere ad concludendos Articulos iſtos, quos proindè irritos, & inanes declaravit (*e*). Hinc in Epiſtola ad ipſos, *Plunkettum* nempè, & *Brunum*, Die 20 Octobris 1651 data (*f*), minatur adverſùs eos Edicta ſevera, utpotè Poteſtate procuratoriâ infideliter abuſos.

Interea autem Generalem indixit tàm Cleri, quam Nobilitatis Congreſſum, ſeù Congregationem, in ſuprà recenſito Fratrum Minorum Cænobio apud *Jacobopolim*, ſeù *Villam Jacobi*, anglicè *James Town* (*g*), ſed an habita fuerit necne, mihi, ut candidè fatear, non conſtat. Sanè crediderim quod non, *Scotorum* quippè Exercitum, cui præerat Rex, commiſſo Prælio apud *Vigorniam*, vulgò *Worceſter*, in *Anglia*, Die 3 Septembris ejuſdem Anni 1651, omnino profligavit *Cromuellus*, aufugitque Rex *Carolus* in Veſte plebejâ ad Locum propè *Boſcum-Bellum*, vernaculè

(*a*) Eos in extenſum anglicè legere eſt in eodem *Clanrickardi* Opere, Pag. 78, ubi animadvertere poteris, nuper recenſitos *Nicolaum French*, Epiſcopum *Fernenſem*, & *Jacobum Preſtonum*, Equitem Auratum, non fuiſſe inter Fæderis Pactores, ſed ſolos pro Parte Catholicorum *Hiberniæ* Vicecomitem *Taaffe*, Equitem *Nicolaum Plunkett*, & Armigerum *Severinum Browne*.

(*b*) Adeas Cap. vii. Num. xii. & Cap. præſ. Num. lxxv. Lit. w. Pag. 144, & 683.

(*c*) Cap. præſ. Num. lxxxv. Pag. 695.

(*d*) Eas legere eſt in Operè *Clanrickardi* à Pag. 74.

(*e*) Ibidem in *Diſſertatione*, Pag. lvi.

(*f*) Ibidem, Pag. 85.

(*g*) Ibidem, Pag. 109.

vernaculè *Boſcabel*, ubi, ut obiter dicam, quinque Fratres, Fidei Catholicæ Cultores, Fidelitateque pleni, quibus Cognomen *Penderel*, eum de Nocte in ſuis Horreis, de Die verò in propinquis Sylvis, atque in permagnâ Quercu (*b*), ſollicitò ſolerterque per ſex Septimanas, jugi ſummâque, haud obſtante Perquiſitione, abſconderunt, donec multis in Itinere adverſis Caſibus jactatus, ac quandoque Veſte muliebri indutus, ſemper verò Mortis Metu Animis obverſante perculſus, tandem *Gallicum* Littus juxtà *Portum Gratiæ*, vulgò *Haure de Grace*, in *Normannia*, Die 30 Octobris ejuſdem Anni attigeret.

XCVIII. Sed quidquid ſit de hoc, ut ad Rem noſtram redeamus, Anno ſequenti (1652) Rex binas eadem de Re *Pariſijs* ſcripſit ad *Clanrickardium* Literas (*i*), quarum primæ Die 10 Februarij datæ ſunt, ibique magnoperè laudat *Clanrickardi* Fidelitatem, Conſtantiam, Zelum, Prudentiamque in reprobando dictos duos Fæderis Articulos, Grates propterea ipſi rependens, ſicut & in poſterioribus Literis, Die 23 Martij emanatis, ubi tamen blandè inhibet Proregem, ne in præfatos Procuratores, ſeù Agentes, per Edicta animadvertat, quatenùs (inquit) ſe purgaverint, oſtendentes, ſe ex ſola Deſperatione concluſiſſe Articulos iſtos, aliam nimirùm haud videntes Viam Suppetias magnoperè neceſſarias obtinendi.

Literas item *Pariſijs* dedit Rex ad Ducem *Lotbaringiæ* Die 6 ejuſdem Menſis Februarij (*k*), quibus declaravit, Fæderis Articulos, etſi ſub Initium Menſis Julij ſuperioris concluſos, ad Notitiam ſuam, aut Reginæ, aut Ducis *Eboracenſis*, autve Marchionis *Ormondij* nullatenùs perveniſſe, donec nuper à *Clanrickardio* ad *Ormondium* tranſmiſſi fuerint, ſummas tamen agens Gratias tàm pro Suppetijs recenſitis, quàm quod Celſitudo Sua acceptare renuerit Auctoritatem in Regnum, & Exercitum, ipſi à Procuratoribus, ſeù Agentibus, tributam, multò minus eam exercere, inconſulto Rege.

Ijsdem quoque in Literis Rex paratum ſe exhibet ad novum inchoandum, perficiendumque cum Duce Tractatum, eique Propoſito lubens aquieſcit Dux in Reſponſorijs, Die 23 ejuſdem Menſis Februarij ſcriptis (*l*), nihil tamen, quod ſciam, exindè factum eſt. Rebelles ſiquidem Parlamentarij, & Regicidæ, univerſam fermè *Hiberniam* intereà ſubjugarunt (*m*), pulſeruntque poſtmodùm è Regno ipſum *Clanrickardium*, expugnatâ Die 12 Maij 1652 *Galviâ* (*n*), quæ ultimum erat Momenti alicujus Oppidum, Regi, & *Fæderatis Catholicis* ſubditum. Tandemque Arx *Roſſenſis*, in Agri *Kerrienſis* Peninſula, ad Deditionem coacta eſt Die 27 Junij ejuſdem Anni, ſed non antequàm Generalis *Ludlow*, pridem dicto *Iretono* (*o*) ſuffectus, tranſvehi faceret Navim à Mari ſuprà excelſos Montes ad Lacum, *Lean* nuncupatum, in quo ſita eſt prælibata Peninſula (*p*).

XCIX. Cæterum non abs Re, ſed Opere Pretium erit in Medium adducere Articulos, per *Parlamentarios*, & *Regicidas*, dùm Rerum in *Hibernia* potiri inciperent, fabricatos, ad extirpandos penitùs *Hibernos*, ſeù Orthodoxos, & Regi fideles, adque ſic conceptum jampridem in eos Livoris, & Odij Virus evomendum (*q*).

1. *Ut nullus Scholaris Nationis* Hibernicæ *permittatur docere ſcribendi, loquendi, aut numerandi Artem.*

2. *Ut Nemo mittat Filios ſuos trans Mare ad ulla Seminaria, Studiorum, vel Scientiarum addiſcendarum Causâ, ſub Pœna Confiſcationis ſuorum Bonorum, & Inhabilitatis ad obtinendas Libertates Vaſſallorum in eadem* Hibernica *Natione.*

3. U

(*b*) Hac de Cauſa *Angli* dant Quercui Epitheton *Regiæ*, appellant quippè *Regiam Quercum*.

(*i*) In Opere *Clanrickardi*, Pag. 116, & 119.

(*k*) Ibidem Pag. 126.

(*l*) Ibidem, Pag. 126.

(*m*) Recolendus Num. lxxxiv. hujus Capitis, Pag. 694.

(*n*) *Waræus* ad Annum 1652.

(*o*) Cap. præſ. lxxxiv. Pag. 694.

(*p*) *Waræus* ad Annum 1652. Adhuc porrò exiſtit fortiſſima Arx iſta (ubi ipſemet fui Anno 1754) quæ quoad Dominium ſpectat ad D. *Thomam Browne*, Vicecomitem de *Kenmare*, Catholicâ Religione clarum, elocata tamen Regi pro annuo Proventu, ibique Tres Militum Centuriæ, ſeù Turmæ, Præſidium agitant. Videſis Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. i. Pag. 268.

(*q*) Ex *Portero*, Pag. 292.

3 *Ut nullus, cujus Parentes fuerunt in* Hibernia *nati, admittatur ad Tyrocinium ullius Artis, vel Profeſſionis, exercendum in ullo Oppido, vel Loco mercatorio.*

4. *Ut nullus Natione* Hibernus *admittatur, vel publicè, vel privatim, ad ullas Functiones, vel Officia.*

5. *Ut nulla Officia conferantur ullis* Hibernis, *ubi reperiri poterit* Anglus *ad eadem aptus, ſed permittatur, ut ſint duntaxàt Coloni, vel Opifices, & eorum Operibus imponatur certium Pretium, quod Naturæ ſuſtendandæ nudè ſufficiat, & non ad cumulandas Opes excreſcat, vel ad promovendos ſuos Filios conducat, ſed quod eos contineat intrà Lineam, & Conditionem Colonorum, & Vaſſalorum noſtrorum, ità ut omnem Spem, & Animum deſpondeant unquàm ampliùs reſpirandi, vel altiùs reſurgendi.*

6. *Ut Nobiles* Hiberni *recludantur in aliquo munito Diſtrictu, & Præſidijs bene inſtructo, & certis Limitibus circumdato, extrâ quos ſi inveniantur, Militibus liceat eoſdem Bonis, & Vitâ privare, tanquàm Rebelles, & Exleges.*

7. *Ut* Hibernici *Villici, & Coloni admittantur ad præſens vivere ſub noſtris Locatoribus ad tres ſolummodò Annos, graviſſimo illis Vectigali impoſito, ut non habeant niſi nudum Victum, & Amictum: Qui Modus cum illis agendi magna Reipublicæ pariet Emolumenta, & ipſos ad tantas rediget Anguſtias, & Miſerias, ut velut Servos Locatorum Obſequio ſe ſint mancipaturi.*

8. *Ut omnes Filij maſculi* Hiberni, *decimum quartum agentes Annum, Terra, Marique, noſtro mancipentur Obſequio, ut ſuo Sanquine luant Cruorem Anglicanum, per eorum Populares effuſum.*

9. *Ut qui alit, fovet, vel Hoſpitio recipit quemcunque Romanæ Sedis Auctoritate ſuffultum, vel ejus Doctrinæ adhærentem, habeatur reus læſæ Majeſtatis.*

10. *Ut Mulieres* Hibernæ, *nunc numeroſiores, adeoque Proſtitutioni obnoxiæ, vendantur Mercatoribus, tranſportentur in* Virginiam, Novam Angliam, Jamaicam, *vel alias Regiones, ut ibidem pro Victu laborent.*

11. *Ut Milites* Hiberni *exarmentur, & ſtrictè inhibeatur omnibus Ducibus, & Strategis, ut Neminem ex* Hibernica *Natione, ne quidem ut Peditem, militare ſinant.*

12. *Ut* Hiberni *Nobiles, quorum Patres non fuerunt* Angli, *jubeantur ſub Pæna* Capitis *in ſuis Galeris gerere Spiras flavas; & alij Homines inferioris Ordinis in Genis dextris portent nigram, & rotundam Teſſeram ad inſtar Nummi Sex Aſſium, quam ſi non portaverint, pro prima Vice inuratur eis in eodem Loco Stigma, in Forma Litteræ O, æquè magnum ac Nummus duodecim Aſſium, pro ſecunda Vice tanquàm Exploratores interficiantur.*

13. *Ut in Portubus maritimis valida collocentur Præſidia, in quibus nullus* Hibernus *ob Periculum, quod timeri poſſit, morari permittatur.*

14. *Ut Apothecis annonarijs Coloni ſuppeditent Grana, & Carnem bubulam, idque infimo Pretio.*

15. *Ut* Hiberni *Emphyteutæ, & Coloni, quàm longè fieri poteſt, removeantur à Præſidijs, meliora Prædia collocentur* Anglis, *infima* Hibernis, *ſed ſummo Pretio.*

16. *Ut ſinguli Coloni ex decem Jugeribus Grani Jugerum unum arent, ſeminentque Canabe, vel Lino, elaborandis pro Claſſe Navali per* Hibernos *in Ergaſtulis conſtitutos.*

17. *Ut ubi eſt Lignorum Penuria ſinguli Coloni per decem Annos præſervent ſingulis Annis ſex Arbores ex Malis, Pyris, Fraxinis.*

18. *Ut poſt tres Annos nullus cujuſcunque ſit Conditionis permittatur in* Hibernia *vivere niſi abjuret ſuam Fidem, & renunciet omni Dependentiæ ab Urbe* Roma, Romanæque *Doctrinæ, & omnes Pueri educantur in Religione* Proteſtantica, *& ità compellantur frequentare Cænam Domini* (*r*), *ut ſic ob tàm pium Opus, Deus proſperet Arma Reipublicæ, & ejus Thronum reddat invictum.*

19. *Ut Proceſſus non fiant in poſterum per Inquiſitionem duodenariam, ſed per Judices, & Cauſæ omnes Criminales formentur per ſupremum Juſtitiæ Tribunal in qualibet Provincia erectum, & ex Viginti Quatuor probis Hominibus compoſitum, ex quibus ſinguli Quaterni habebunt abſolutam Auctoritatem ferendi Sententiam Vitæ, & Mortis, quique quatuor Vicibus per Annum obibunt ſolitas Viſitationes in ſingulis Provincijs, uti & Irenarchæ in ſuis Quatuor Anni Seſſionibus* (*s*).

20. *Ut Nomina omnium* Hibernicarum *Familiarum in ſingulis Comitatibus per ſingulos Annos deſcribantur*

(*r*) Sic appellant *Proteſtantes* ſuum Euchariſtiæ Sacramentum.

(*s*) Conſulendum Cap. i. Num. xxij. Pag. 32.

deſcribantur in Regeſto, & Domini, ac Familiarum Capita teneantur reſpondere pro ſuis Famulis, & Inquilinis.

21. *Ut Pecora, Jumenta, & Bona alia quæcunque ablata ab* Anglis, *redintegrentur ex Bonis* Hibernorum *degentium in illa Baronia, ſeù Diſtrictu.*

22. *Ut Cædis, vel Mortis, cuicunque* Anglo *inflictæ, omnes* Hiberni *Incolæ illius Comitatûs, in quo Cædes fuit commiſſa, Caſu quo Homicida evadat, ſint rei, prout Commiſſarij Supremi Juſtitiæ Tribunalis, vel quatuor ex ipſis, aut Seſſionum Judices in ſuis Circuitibus (t) judicaverint, ac decreverint.*

Hactenus *Regicidæ*, & perduelles *Parlamentarij Angli* contrà *Hibernos*, quà Orthodoxos, & Regi fideles. Ubi habes, Chriſtiane Lector, impijſſimi *Pharaonis* Edicta, in Filios *Iſrael* olim ſtatuta, iterùm per iſtos Iniquitatis Filios ex Inferis revocata. Habes ea nefanda Decreta, quæ rabidi Furoris dictavit Ingenium. Habes execrandæ Perfidiæ, & Sævitiæ Partum, inauditam Crudelitatem, *Hiberniſque*, utpotè Eccleſiæ, & Regi fidelibus, nocendi diram Cupidinem, qui tamen quantò oppimebantur, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant, in Catholica Fide ſtabiles, in Perſecutionibus inconcuſſi, non minùs ac anteà ſub ejuſdem Sæculi Initium (*u*).

C. Subjuugata ſic *Hiberniâ*, Tyrannidemque exercente *Cromuello*, omnium Hominum inhumaniſſimo, quàm plurimi, etiàm Laici, crudelem Mortem ſubiere, atque nominatim inter Viros Nobiles boc Capite recenſitos, Eques *Felimus O-Neillus*, Fune ſuſpenſus, & Quatuor in Partes diſſectus *Dublinij*, Menſe Novembri 1652 (*w*), & *Theobaldus de Burgo*, Dominus Vicecomes *Mayonenſis*, Globis transfixus *Galviæ*, Die 15 Januarij 1653 (*x*). Ardeſcebat item Perſecutio in Clerum, tàm Sæcularem, quàm Regularem, poſt Hominum Memoriam acerbiſſima. Quod uſque adeò verum eſt, quod, ut advertit Teſtis oculatus, *Mauritius Moriſonus* (*y*), ſi præteritorum Sæculorum Chronica, ſi Principum, & Tyrannorum diras Perſecutiones à condito Mundo ad hæc uſque Tempora, prout in ſacris, ac prophanis Hiſtorijs traduntur, curioſâ Indagatione, ac diligenti Scrutinio examinaverimus, non inveniemus Iſraelitas à *Pharaone*, nec Innocent ab *Herode*, neque Chriſtianos à *Nerone*, alijſve Æthnicis Imperatoribus, aut Tyrannis, crudeliùs, injuſtiùs, aut immaniùs opprimi, quàm Catholici *Hiberni* tunc Dierum ab *Anglo-Calviniſti* Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ juratis Hoſtibus, affligebantur, ſupprimebantur, & exterminabantur.

Verum non ſatis fuit trucidare, cruciare, lapidare, aut quàvis Morte afficere quos caperent, ſed placuit quàm citiùs extorres agere quos capere non poſſent, ut ipſi nullum non moveant Lapidem in Ruinam totius Nationis, utque nulli adſint veri Eccleſiaſtici, qui Regimini, vel Religio *Anglicanæ* Obicem abjicere valeant. Hinc Conventu Acatholico ſuper hoc habito *Dublinij*, Commiſſarij Generales *Angliæ* in Regno *Hiberniæ* Proſcriptionem quandam Generalem omniu Eccleſiaſticorum Hominum, & varias capitales Pænas contrà Receptores, Fautoreſque eorundem, conſciſcunt ſequenti Edicto (*z*):

" HIBERNIA:

" *Per Commiſſarios Parlamenti Reipublicæ Angliæ pro Negotijs Hiberniæ.*

" CUM plurimorum Annorum Experientiâ deprehenſum ſit, quod Jeſuitæ, Seminariſtæ Sacerdote, ac Perſonæ in Hibernia Papiſticis Ordinibus initiati, teneant id ſui eſſe Officij, & hoc faci
" ſuum Opus, ut ſubtrahant Animos, & Affectiones Populi ab Obedientia debita Auctoritati, & Gu-
" bernio Reipublicæ Angliæ, & ſub Specie inſtruendi, ac docendi Populum in Papiſtica Religione, mo-
" ant, & excitent illum ad Seditionem, & Rebellionem, & ad amplectendam, & introducendam ext

" nea

(*t*) Confer ibidem.

(*u*) Adeas Cap. præſ. Num. xiv, & ſeqq. à Pag. 617.

(*w*) De eo recolendus Num. xliv. hujus Capitis, Pag. 649.

(*x*) De hoc ibidem.

(*y*) In *Threnodia Hibernico-Catholica*, Pag.

(*z*) Ex *Daniele* noſtro *O-Daly*, aliâs *Dominico* *Roſario*, Pag. 375. Confer brevi dicenda Num.

„ neam Poteſtatem, & Juriſdictionem ſuper hanc Nationem, undè prodierunt barbara, & crudelia Homicidia in Hibernia Anno 1641, ac deſtructivum Bellum indè ſecutum (*a*). Et cùm multi ex illis Perſonis Supplicatione ad dictos Commiſſarios factâ obtinuerint ſalvos Conductus pro ſua in ultramarinas Partes Tranſportatione, ac nihilominùs differant ſuum Deceſſum, & ſub prædicto Colore pergant trahere, & ſeducere ſuum Populum in ſupradicta pernicioſa ſua Principia, & Vias. Quarè ut dictæ Perſonæ non habeant Opportunitates ulteriùs ſeducendi Populum, & proſequendi rebelles ſuas Intentiones, a quibus nulla ordinaria Admonitio, aut benigna Juſtitiæ Via illos detinere poteſt, quamvis in illarum Proſecutione exponant Periculo Vitas ſuas, & integram Ruinam hujus miſeræ, & in extremum languentis Nationis. Dicti Commiſſarij ſtatuunt, ac mandant, ut omnes, & ſinguli Jeſuitæ, Seminariſtæ-Sacerdotes quicunque, initiati, & conſtituti per quamcunque Auctoritatem, Poteſtatem, aut Juriſdictionem, derivatam, vindicatam, aut prætenſam à Sede Romana, infrà viginti Dies ab hujus Edicti Publicatione intrà ſingulos reſpectivos Præcinctus in Hibernia, diſcedant ex hac Natione (ſi Ventus, Aura, & Tranſmigrationis Commoditas ſerviat) vel quamprimùm poſt viginti octo Dies Ventus, Aura, & Tranſmigrationis Commoditas ſerviet, & ut nulli Jeſuitæ, Seminariſtæ-Sacerdotes, aut alij Sacerdotes ſupradicti veniant, aut maneant, in ulla Parte hujus Nationis poſt Finem dictorum viginti Dierum, ſine ſpeciali Licentia in Scriptis à Parlamento Reipublicæ Angliæ, vel primario Gubernatore Exercitûs, aut alij Sacerdotes, ut ſuprà, non diſceſſerint, ut ſuprà dictum eſt, vel venerint in hanc Nationem, aut in ea fuerint, vel manſerint, ut ſupràdictum eſt, quod tunc illi, & ſinguli illorum erunt rei, & obnoxij Pænalitatibus, & Confiſcationibus contrà Jeſuitas, Seminariſtas-Sacerdotes, & alios Sacerdotes, qui non abierunt ex Anglia, aut venerint in Angliam, declaratis, & emiſſis in quodam Actu Anno 27 Reginæ Elizabethæ (*b*), quo mandatur ut omnes Sacerdotes abeant, & non revertantur &c. Et ulteriùs ſtatuitur, & mandatur, ut omnes, & ſingulæ Perſonæ, quæ poſt Finem dictorum viginti Dierum volenter recipient, conſolabuntur, juvabunt, aut fovebunt ullum talem Jeſuitam, Seminariſtam-Sacerdotem, aut alium Sacerdotem, Diaconum, aut Eccleſiaſticam Perſonam, initiatam, aut ordinatam, vindicatam, aut prætenſam à Sede Romana, habentem ſuam Libertatem, aut poſitam extrà Cuſtodiam, ſi ſciant illum eſſe Jeſuitam, Seminariſtam-Sacerdotem, aut alium Sacerdotem, Diaconum, aut Eccleſiaſticam Perſonam, ut ſuprà dictum, illæ Perſonæ erunt obnoxiæ Pænalitatibus in dicto Caſu expreſſis, & ſpecificatis ob Receptionem, Conſolationem, Auxilium, & Suſtentationem talium Jeſuitarum, Religioſorum, Sacerdotum, vel aliarum Eccleſiaſticarum Perſonarum, ut ſuprà. Et ulteriùs per hoc ſtatuitur, & declaratur, quod dictus Actus ſtatutus Anno 27 Regni Reginæ Elizabethæ deinceps mandabitur Executioni in hac Natione; & omnes Judices, & Juſtitiarij, & alij Commiſſarij pro Juſtitiæ Adminiſtratione, faciant, & poterunt facere, & per hoc authorizantur, & poſtulantur, ut curent dictum Actum pleno, & debito Modo Executioni mandari; & omnes Judices, Juſtitiarij, & omnes Officiales, ac Milites, & omnes alij de Populo hujus Nationis qui habent Auctoritatem civilem, aut militarem, curabunt debitam Inquiſitionem, & Indagationem fieri de talibus Sacerdotibus, Jeſuitis, Diaconis, & Eccleſiaſticis Perſonis, ut ſuprà, quæ inveniantur in hac Natione contrà hanc Declarationem, & faciant illos apprehendi, & mitti in Carcerem, nec indè dimitti, aut educi, donec debito Legis Curſu probentur. Et primarij Officiales Parlamenti, infrà ſingulos reſpectivos Præcinctus, per hoc requiruntur, ut cogant debitam hujus Edicti Publicationem ſtatìm fieri intrà ſuos reſpectivos Præcinctus, ac ſignificent dictis Commiſſarijs Parlamenti Tempus, & Locum Publicationis ejuſdem. Datum Dublinij 6 Januarij 1652 (*c*).

(Hic Chirographo ſuo præſignarunt)

“ Carolus Fleetwood, Edmundus Lullo, Milerus Corblet, Joannes Jones.

“ *Impreſſum Dublinij per Willielmum Bladen, Anno Domini* 1652. *Stylo Veteri*”

CI. Actum porrò ſtatutum Anno 27 Regni *Elizabethæ* (A. D. 1584), quod in Vim hujuſce Edicti Executioni in *Hibernia* mandatur, quodque Cauſa erat crudeliſſimæ Catholicorum omnis Generis Carnificinæ per integrum Biennium, hiſce concipitur Verbis, jam anteà ex authentico Loco exſcriptis (*d*): *Sacerdos ità captus, eſt ipſo Facto Perduellionis reus, quare in Patibulo pendendus, & ſemivivus dimittendus, tùm, Capite amputato, in Partes membratìm ſecandus, Inteſtina*

(*a*) Confer Cap. præſ. Num. xliii. Pag. 648.
(*b*) Anno Domini 1584.
(*c*) Stylo veteri, novo autem 1653.

(*d*) Cap. præſ. Num. vii. Pag. 606. Confer infrà referenda Num. cv.

tina extrahenda, & comburenda, & Caput Palo affixum, publico Loco exponendum; Terra, & Bona illius confiſcanda. Hæc Sacerdotis Pæna. Pæna verò illiûs, qui Sacerdotem recipit, & fovet, eſt Terrarum, & Bonorum Confiſcatio, & Mors per Suſpendium ſine Spe Indulgentiæ.

MAGISTRATUUM exindè, ſeù potiûs Militarium Ducum, & Tribunorum Sævitiâ pluſquam Scythicâ efferatorum, Edictis Lupi, & Religioſi iiſdem Armis, ac Venatoribus, eademque Mercede conquirebantur (*e*). Hinc, aliis ad exteras Regiones elabentibus, innumeri propemodùm Martyrii Palmam conſecuti ſunt, quorum aliquot ex *Hiberniæ Dominicanæ* Alumnis invenies in Capite ſuperiori à Pag. 566, immò & in Comitiorum Generalium Actis, ibidem laudatis, dùm reliqui ob Noſtratûm Mortem, Tranſmigrationem, vel Negligentiam in ſolo Libro Vitæ perquirendi erunt. Magnam nihilominùs eorum, qui pro Fide Catholica inmania pertulerunt Tormenta, Segetem, iſtis præſertìm Temporibus fæcundè maturam, Verbis verè aureis, pridem jam in Medium adductis *(f)*, Capituli Generalis Anno 1656 celebrati Acta graphicè depingunt.

CII. CRUDELISSIMA hæc Catholicorum Cædes, quaſi quotidiana rabidorum *Cromuellianorum* Refectio, per Biennium exarſit. Anno autem Domini 1654 Sanguine ipſorum jam exatiati, atque ut Carnificibus, & Lictoribus, continuo Exercitio fatigatis, aliqualem Quietem darent, & Refocillationem, aliud immanius excogitarunt Mortis Genus, ut reliquos, qui Manus Carnificum evaſerunt, Fame, Siti, Frigore, aliiſque corporalibus Inediis necarent, lentiori quidem, ſed ſæviori Martyrii Genere, juxtà illud *Jeremiæ* Prophetæ (*g*) : *Meliùs fuit occiſis Gladio, quàm interfectis Fame.* Hìnc Bona omnia immobilia Catholicorum, hoc eſt, Agros, Territoria, Domos, Pagos, Caſtra, Arces &c confiſcarunt, juxtà aliud ejuſdem Prophetæ (*h*) : *Manum ſuam miſit Hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Hinc etiam ſuperſtites Proceres, Magnates, ac Nobiles totius Regni in *Conaciam* relegarunt, ubi ex crebris tàm Catholicorum, quàm Acatholicorum Tempore Belli Excurſionibus tota Regio ità devaſtata fuit, ac Graminibus, Tribulis, & Virgultis repleta, ut ne Veſtigium quidem præteritæ Habitationis in Deſerto illo conſpici poſſet, præter pauca Tuguriola, ad ipſos Hæterodoxos ſpectantia, in quibuſdam Angulis diſſitis, ac ab invicem remotis. Recluſis itaque Catholicis in Eremo *Conaciæ*, tanquàm Carcere, ubi nec Victum habuere, nec Amictum, nec Domos, nec Tentoria, plurimi Fame perierunt; alii Penuriâ, & Fame compulſi, violentiſſimis Fluviis, Cautibus, Promontoriis, ac Voraginibus (quibus *Conacia* plerùmque obducta eſt) ſe commiſerunt, quorum aliqui Aquis abſorpti, & nonnulli Præcipitio fracti ſunt.

CIII. VERUM *Cromuelliani*, quamquàm Catholicorum Sanguine jamdudùm inebriati, adhuc tamen ſitibundi videbantur, ac propterea Legem ſanxerunt, ut, *ſi quis ex incluſis in Conacia inveniretur ullo Modo extrà Terminos ejuſdem Provinciæ, ipſo Facto, tanquàm convictus de Crimin læſæ Majeſtatis, Patibulo affigeretur, immo licitum eſſet omni invenienti talem, abſque ulteriori Examine, vel Proceſſu, aut trucidare, aut ſuſpendere pro Libitu* (*i*). Inaudita ſanè Crudelitas, ſæva Perſecutio! Miſeri Magnates Catholici, arctè obſeſſi, nullum habent Refugium, Azylum nullum. Fames repellit ad Mare, Mare ad Cautes, & Cautes ad cruentum Carnificis Gladium. Et ne quid Humanitatis, Pietatis, aut Miſericordiæ videretur latere in barbaris *Cromuellianorum* Statutis, & ne quid Crudelitatis deeſſet, alias ſanxerunt Leges contà Catholicos (*k*), nempè 1. *Omni Conventio, aut Convocatio, etiam quatuor Perſonarum, capitale declaratur Crimen*——2. *Portare, vel*

(*e*) Merces porrò, ſeù Pretium, erat Quinque Libræ Sterlingæ, ut colligitur ex protinus dicendis Num. cv. Confer Cap. i. Num. xix Pag. 28; & Cap. vi. Num. xi. Pag. 117, quibus obiter addidiſſe haud pigebit, Lupis omnibus eâ Tempeſtate peremptis, nullum exindè in *Hibernia* utpotè Inſula exiſtere. In ea tamen ſunt Canes Luparii miræ Magnitudinis, validæ Fortitudinis, & pulchræ Formæ, qui quâ rariſſimi ad remotiſſimas tranſvehuntur Orbis Partes, & tanquàm Munera pretioſa maximi Principibus donantur.

(f) Cap. xiv. Num. xi. Pag. 525.

(*g*) *Threnorum* iv. Verſ. 9.

(*h*) *Threnorum* i. Verſ. 10:

(*i*) Ex *Mauritio Moriſono*, in *Threnodia Hiberno-Catholica*, Pag. 19.

(*k*) Ex eodem, Pag. 20.

vel habere Domi aliquod Genus Armorum, capitale Crimen ſtatuitur——3. *Statuitur Crimen læſæ Majeſtatis loqui quidquam contrâ Protectorem* (ſic enim Archi-Tyrannum *Cromuellum* appellabant) *vel præſentem Gubernij Modellum.*

Nequibant igitur Catholici ſic oppreſſi de ulla Injuria ipſis illata conqueri, neque cum *Iſraelitis* vociferari ad *Pharaonem* (l): *Injuſte agitur contrà Populum tuum.* Quod ſi quis cum ſummo Vitæ Diſcrimine conqueſtus foret de inſupportabili Jugo ipſis impoſito, durius profectò haberet Reſponſum, quàm *Iſraelitæ* à *Pharaone*, quibus tantummodò dicebatur (m): *Opprimantur Operibus, & expleant ea.* Enimverò multò immanior, atque crudelior erat Majorum noſtrorum Servitus in *Hibernia*, quàm Filiorum *Iſraei* in *Egypto.* Ipſorum Infantes Maſculi tantùm jubebantur occidi: At noſtri non tantùm Infantes, ſed & Pueri, Adoleſcentes, Juvenes, Adulti, Senes, Puellæ, Virgines, Mulieres &c, æqualiter jubebantur interfici. Undè cum *Jeremia* (n) mæſtiſſimo Ejulatu plangere quiſpiam poterat: *Jacuerunt in Terra foris Puer, & Senex; Virgines meæ, & Juvenes mei ceciderunt in Gladio; interfeciſti in Die Furoris tui; percuſſiſti, nec miſertus es.* Opprimebantur porrò *Hebræi* Operibus, habebant tamen *Ollas Carnium, & Panem in Saturitate (o).* Catholici autem *Hiberni* Fame necabantur, & Gladio; illi cædebantur Flagellis, iſti Funibus in Patibulis ſuſpendebantur.

CIV. Relegatis ſic Proceribus, Magnatibus, ac Nobilibus in *Conaciam*, permiſſum eſt quibuſdam Mercatoribus, paucis Nobilibus, qui Bona immobilia non habuerunt, & omnibus Plebeis, vivere in alijs *Hiberniæ* Provincijs, *Lageniâ* videlicèt, *Momoniâ*, & *Ultoniâ*, non quidem in Civitatibus, Oppidis, aut Caſtris, ab ipſis, eorumque Prædeceſſoribus magnificè conſtructis, ſed Ruri in Tugurijs, ac Caſis, in Servitute autem pluſquàm *Ægyptiacâ*, contrà quos variæ ſancitæ, publicèque promulgatæ ſunt Leges (p). 1. *Ne quis eorum ſub Pæna Capitis audeat egredi ad unum Milliare, ſeù Mille Paſſus, extrà Parochiam, in qua habitat, abſque ſpeciali in Scriptis Licentia, vel Salvo Conductu.*——2. *Ut, ſi qui Sicarij, Graſſatores, aut Latrones, Vi, vel Furto, quidpiam arriperent Acatholicis, exigeretur in Triplo â Pauperculis Catholicis.* Cujus Legis Iniquitas quantùm ſit contrâ Jus Naturale, divinum, aut humanum, Nemo non videt. Tùm quia Latrones, aut Prædones æquè, ſi non magis, Inimici erunt Catholicis, ac Acatholicis, & tamen cogebantur eorum Latrocinium, aut Depredationem in Triplo compenſare. Tùm etiam quia Acatholici ipſi, arrepta ex iniquiſſimo hoc Statuto Occaſione, aut Noctù clàm furabantur, aut interdiù larvati graſſabantur, & arripiebant ſibi invicem, ut indè in Triplo augerentur, & multiplicarentur eorum Bona. Perluſtrentur (inquit audacter *Moriſonus* mox laudatus) & examinentur omnia Scrinia, & Archiva veterum Tyrannorum & nuſquam talis invenietur Crudelitas. Deindè Anno 1657 in Parlamento *Londinenſi* Lege fulcitum eſt, ut *omnes Liberi Catholicorum Indigenarum Momoniæ, Lageniæ, Midiæ* (q), *& Ultoniæ, ad duodecimum Ætatis Annum pervenientes, tranſportentur in Angliam, ibique educentur in Religione Proteſtantium, ut Religionis Catholicæ* (vel, ut eorum Verbis utar) *Idolatriæ Papiſticæ penitùs oblivifcantur.* Ecce quàm crudelis, tyrannica, & pluſqàm belluina Catholicorum Oppreſſio. Huc profectò facit, quod dudùm cecinit Regius Vates (r): *Super Populum tuum, Domine, malignaverunt Conſilium, & cogitaverunt adverſus Sanctos tuos. Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de Gente, & non memoretur Nomen Iſrael ultrà.*

CV. Tametsi Heterodoxi ubique Terrarum ad extirpandam Fidem Catholicam in hujus Vitæ Stadio totum Studium dirigant, & colliment, ac proptereà Sacram Paginam ſubvertere, Senſum ejus depravare, Sectas impijſſimi Erroris, & Satanicæ Doctrinæ inducere non deſiſtunt, nullibi tamen argutioribus Inventionibus, aut callidioribus uſi ſunt Medijs, quàm in noſtra *Hi-*

(l) *Exodi* v. Verſ. 16.
(m) *Exodi* v. Verſ. 9.
(n) *Threnorum* ii. Verſ. 21.
(o) *Exodi* xvi. Verſ. 3.

(p) *Mauritius Moriſonus*, in *Threnodia Hiberno-Catholica*, Pag. 22.
(q) Adeas Cap. i Num. x. Pag. 13.
(r) Pſal. lxxxii. Verſ. 4, & 5.

bernia, rati quod ubi major eſſet Reſiſtentia, major videretur eorum Victoria, & Gloria, ſi ſuperaſſent. Scientes igitur, quod percuſſis, aut diſperſis Paſtoribus, diſpergerentur Oves, Lupiſque facilis in Ovile daretur Aditus, contrà Clerum exijt de Anno 1652 crudeliſſimum Edictum, in Civitatibus omnibus, Oppidis, Pagis, & Parochijs totius Regni promulgatum (*s*), quo *omne Exercitium etiam privatum Catholicæ Religionis ſtatuitur, & declaratur capitale*; *& ut in omnibus Diſtrictibus totius Regni ſint Exploratores, qui Eccleſiaſticos, eorumque Fautores, ac Benefactores prodant, & pro ſingulis Sacerdotibus, quos ceperint, ſingulis Exploratoribus darentur quinque Libræ Anglicanæ* (*t*), *& etiam tertia Pars omnium Bonorum illius Catholici, in cujus Domo apprehenſus fuerit Sacerdos; ac præterea promoveantnr ad Dignitates, & Officia, tanquàm Homines de Republica benè meriti: Sacerdos verò, & Benefactor Morti tradantur* (*u*).

Anno autem 1657 innovatum fuit Edictum iſtud, novumque adhuc crudelius emanavit (*w*), quo ſtatuitur, *ut irremiſibiter, & indiſpenſabiliter, omnes Sacerdotum Fautores, Benefactore aut quomodolibet Suſtentatores, ſint ipſo Facto rei Mortis; & omnia eorundem Bona, mobilia, & immobilia, realia, & perſonalia, dividentur in tres Partes, quarum duæ Triades Fiſco cedant Reipublicæ, tertia Trias detur Proditori, vel Captori Sacerdotis; omnes ipſorum Hæredes, & tot Poſteritas ſit, ipſo Facto, Jure hæreditario privata.* Item, *ſi quis ſciviſſet, ubi lateret Sacerdo in Antris, Sylvis, Petrarumque Cavernis* (ſic enim qui ſuperſtites erant, latebant) *aut ſi Caſu Sacerdos occurreret ipſi in Via, & non ſtatim denunciaret proximo Magiſtratui, talis Homo tanquà perduellis, & inimicus Reipublicæ in Carcerem conjiceretur, per Plateas Civitatis publicè flagellaretur, poſteà Auriculæ ipſi abſcinderentur, & ſi appareat, quod cum Sacerdote habuerit Conſortiu vel Amicitiam, Morti traderetur, non minùs quàm Sacerdos.* Legem porrò hanc, quoad utramque ejus Partem, Executioni mandatam vidit ſæpè laudatus *Moriſonus*, ut ipſemet diſerte teſtatur (*x*).

CVI. Infinitis quaſi Medijs ad Catholicam Fidem omninò extinguendam inexplebili Tyrannorum Crudelitas ultimatum, & inſatiabilis Immanitatis completivum adjunxit eodem Ann 1657, monſtruoſum nempè, & peſtiferum Jusjurandum, quod *Juramentum Abjurationis* Hæretici *Regicidæ* appellabant, ab omnibus utriuſque Sexûs ad vigeſimum primum Ætatis Annum attingentibus præſtandum, hanc habens Normam Verborum (*y*):

Ego A. B. abhorreo, deteſtor, & abjuro Authoritatem Papæ ſuprà Eccleſiam in Univerſali, & ſuprà meipſum in particulari: Damno, & anathematizo Opinionem dicentem, deberi Præmium bon Operibus: Credo firmiter, & aſſero, nullam deberi Reverentiam Virgini Mariæ, aut alteri in Cæ Sancto, neque rogari, aut adorari poſſe, abſque Idolatria: Aſſero nullum eſſe Cultum, aut Reverenti debitam Sacramento Cœnæ Domini, vel Elementis Panis, & Vini, poſt Conſecrationem, à quacunq Perſona factam. Credo nullum dari Purgatorium, ſed eſſe Figmentum Papiſticum, ſicut & Papam p dare Indulgentias: Credo etiam firmiter, neque Papam, neque ullum alium Sacerdotem, poſſe remitt Peccata, ut inſaniunt Papiſtæ. Et hæc omnia, & ſingula Puncta voveo, juro, credo, & aſſero, cla & nudè, abſque ulla Evaſione, Equivocatione, aut mentali Reſervatione, vera eſſe.

Porro Lege ſancitum eſt *Londini* recenſito jam Anno 1657, ut in omnibus Parochijs toti Regni *Hiberniæ*, citatis coram Tribunali Indigenis, expeteretur execrabile Votum hoc, non ſolùm à Catholicis, verùm etiàm ab ijs, qui ſuſpecti eſſent catholicè, vel (ut loquuntur) *papiſ* affecti, vel Favorem aliquem, aut Amicitiam oſtenderet *Papiſtis*. Quiſquis verò ſacrilegum iſt Votum, ſeù Jusjurandum, præſtare renueret, ſequentibus indiſpenſabiliter plecteretur Pænis (

1. *Omnia Bona ejus, mobilia, & immobilia, immò & ipſa Corporis Veſtimenta, dividentur in t Partes, quarum duæ Triades Fiſco cedant Reipublicæ, & ſi iterùm negaverit idem Jusjurand tertia Trias, ipſi relicta, dividetur in alias tres Partes, quarum duæ Fiſco tradantur, & ſic iter*

quam

(*s*) Ex *Mauritio Moriſono*, Pag. 27.

(*t*) Hoc eſt, viginti Scuta Monetæ *Romanæ*.

(*u*) Confer nuper relatum Num. CI. Pag. 705.

(*w*) Ex *Mauritio Moriſono*, Pag. 28.

(*x*) Pag. 28, & ſeq.

(*y*) Ex eodem Pag. 31; & ex *Antonio Bruodin* impreſſo *Romæ* 1721, Pag. 95.

(*z*) Ex *Mauritio Moriſono*, Pag. 32.

quamdiù aliquid remanſerit—2. *Mancipabitur Carceribus, durante Beneplacito Magiſtratûs*—3. *Si in Dignitate conſtitutus, ipſo Facto exauctoratur cum perpetua Inhabilitate ad ullam Dignitatem, Promotionem, vel Officium in Republica.*

CVII. INSATIABILIS *Regicidarum* Avaritia, tùm ad augendum proprium Commodum, tùm ad Orthodoxam Fidem prorsùs eliminandam, aliud adhuc excogitavit Medium, utrique commodùm. Anno quippè 1658 Lege cautum eſt (*a*): *Ne quis Papiſta, quovis petito Prætextu, audeat ſe abſentare Diebus Dominicis à Concione Poteſtantica illius Parochiæ, in qua baditat ; & ſingulis abſentibus pro ſingulis Vicibus imponeretur Mulcta triginta Denariorum* (*b*). Sicque Pauperculus Mercenarius, qui Panem non habebat pro ſe, Uxore, aut Liberis, niſi quantum acquirebat ex ſtipendio diurno, deberet eandem ſolvere Mulctam ſingulis Diebus Dominicis indiſpenſabiliter, vel ſi ſolvendo non eſſet, certè venundaretur in Servum, ablegaretur in *Indias Occidentales*, ubi reliquum Vitæ in miſerabili duceret Servitute. O miſera Hibernia ! O Inſula Sanctorum ! Profectò, ut Verbis utar *Jeremiæ* Prophetæ (*c*): *Perſecutores tui apprehenderunt te inter Auguſtias.*

CVIII. VIDES igitur, benigne Lector, quàm innumeras Clades paſſa eſt Fides Orthodoxa ſub *Oliverio Cromuello*, qui, ut haud ità pridem ajebam (*d*) pulſo ex Anglia Rege *Carolo*, Tyrannidem arripuit, renunciatus poſtmodùm *Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ* Protector, quique Catholicos præſertim, ceù Regi plus omnibus fideles, Odio pluſquàm Vatiniano jugiter proſecutus eſt ad Mortem uſque, quam perduellis perfiduſque Homuncio obijt Die 3 Septembris 1658. Eò autem Vità functô, *Richardus*, Filius ejus primogenitus, trium Regnorum prælibatorum *Protector* ſtatìm acclamatus eſt. Verùm Ingenio, & Induſtrià Genitori ſuo longè diſſimilis, tantoque ſubindè Oneri ferendo impar, confeſtim ſuccubuit, ceſſitque Die 23 Aprilis 1659, ab *Anglis* ſuis jamjàm deponendus. Tum duarum Factionum Odijs tota conflagravit *Anglia*, unius Ductore *Lamberto*, qui *Anglicanis* Copijs Præfectus, & Regij Nominis Hoſtis infenſiſſimus, *Angliæ Protectoris* Dignitatem ſibi arrogare nitebatur ; alterius verò Ductore *Georgio Monko* (*e*), qui clam pro Rege *Carolo* ſtabat, eoque inſcio, Rem ipſius tacitus promovebat, tandemque aliquando *Parlamentariorum* Animis in Regem conciliatis, magnam illam Molitionem, maximo Viro dignam, Anno 1660 felici Exitu perfecit, *Anglos* inducens, ut ad *Carolum*, tunc *Bredæ* in *Belgio* verſantem, perhonorificam mitterent Legationem, eumque Regem acclamarent *Londini* Die 18 Maij. Eâ acceptâ Legatione, Rex *Carolus*, unà cum Fratribus ſuis, *Jacobo* nimirùm Duce *Eboraci*, vulgò *York*, & *Henrico* Duce *Gloverni*, vulgò *Glouceſter* (*f*), apud *Dubrim*, vulgò *Dover* in *Anglia*, Navi deſcendit, *Londinenſemque* Urbem magnifico Apparatu, feſtiviſque omnium Gratulationibus, ingreſſus eſt, ipſomet ſuo Natali, Die ſcilicèt 29 ejuſdem Menſis Maij, Anno Salutis 1660, Ætatis ſuæ 30.

CIX. EXTINCTA in hunc Modum Tyrannide, attritiſque Rebellibus, indèque irritis, & inanibus evadentibus omnibus ſub *Cromuello* ſancitis Legibus, priſtinam Auctoritatem Regiam ſuſcepit *Carolus*, in Gratiamque Religionis Catholicæ, quàm ſecretò coluerat, Libertatis Conſcientiæ Decretum promulgari juſſit. Quod ægrè admodùm ferens Regni Senatus, ſeù *Parlamentum*, palàm negavit ſe Regi ad Belli, quod *Batavis* indixerat, ſuſtinendum Pondus quidquam conceſſurum, niſi priùs latum iſtud Conſcientiæ Diploma reſcidiſſet ; quod ſubindè *Carolus*, jam exhauſto Regio Ærario, invitus etſi, reſcidit, eâque molliori Indulgentiâ Heterodoxos Ditionum ſuarum audaciores reddidit, & ad novas concitandas Turbas petulantiores. Hinc *Angli* Regem ſuum *Carolum* compulerunt, ut cum *Batavis* reconciliaretur, atque ut Catholicos Regi inviſos redderent, utque Ducem *Eboracenſem*, ceù Orthodoxæ Religionis Cultorem, à Jure Succeſſionis excluderent, Jeſuitas, alioſque in *Anglia* Catholicos, Die 13 Auguſti 1678 accuſarnnt, quod factâ Conſpiratione

---

(*a*) Ex eodem, Pag. 34.

(*b*) Hoc eſt, medij Scuti *Romani*.

(*c*) *Threnorum* i Verſ. 3.

(*d*) Cap. præſ. Num. xcvii. Pag. 701.

(*e*) Creatus fuit Dux *Albæ Marlæ*, vernaculè *Albemarle*, Die 7 Julij 1660, obijtque 3 Januarij 1669.

(*f*) Dux iſte *Glovernenſis* obijt *Londini* 13 Septembris 1660 ; *Eboracenſis* vero Dux evaſit Rex, ſub Nomine *Jacobi* II.

ſpiratione Regem *Carolum*, totumque Regnum perdere decreviſſent. Indè D. *Petrus Talbotus*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, carcerali Cuſtodiæ mancipatus fuit in Arce *Dublinienſi* Die 8 Septembris 1678 (*g*), quemadmodùm D. *Edmundus O Reilly*, Archipræſul *Armacanus*, in *Angliam* ductus fuerat Captivus Die 27 Septembris 1666, celebratâ priùs a Præſulibus *Hiberniæ* Synodo Nationali apud *Dublinium* Die 11 Junij memorati Anni 1666 (*h*).

CX. Istius porrò Calumniæ, ac fictæ Catholicorum in Regem *Carolum* Conjurationis Architectus erat *Antonius Aſbly-Cooper*, Comes *Shaftſburius*, Magnus *Angliæ* Cancellarius, Catholicorum omnium, ſubindèque & Ducis *Eboracenſis*, infenſiſſimus Hoſtis, qui ad Myſterium illud Iniquitatis, & Negotium perambulans in Tenebris exequendum, falſos ſubornavit Teſtes, præcipuè quendam *Titum Oates*, nequiſſimum, ac projectæ Conſcientiæ Virum, Calviniſtarum ad Catholicos, & à Catholicis ad Heterodoxos Transfugam. Hic perfrictâ Fronte Orthodoxos accuſare, & in Judicium vocare auſus eſt. Et quamquàm inſontes eſſent Catholici, in eos tamen, vanâ iſtius Conſpirationis in Regem Regnumque Suſpicione implicatos, & à conductis Teſtibus falſo convictos, Hæretici *Angli* Anno 1679 atrociter ſævierunt, ſuoque Furori, ſparſo ubique eorum Sanguine, litarunt (*i*).

In *Hibernia* etiam publicatum fuit Die 16 Octobris 1678 Edictum, mandans, ut Archiepiſcopi, Epiſcopi, alijque Juriſdictionem exercentes Eccleſiaſticam ſub Romano Pontifice, omneſque Jeſuitæ, ac alij Sacerdotes Regulares, diſcedant è Regno antè Diem 20 Novembris ejuſdem Anni (*k*). Ipſoque Die 20 Novembris aliud promulgatum fuit Edictum, vetans, ne Catholicus ullus ingrediatur Arcem *Dublinienſem*, jubenſque, ut Fora, ſeù Mercatus, *Waterfordiæ*, *Limerici*, *Carcagiæ*, *Galviæ*, *Pontanæ*, *Wexfordiæ*, & *Youghallæ*, non intrà, ſed extrà Muros habeantur (l).

Insuper Die 6 Novembris 1679 D. *Oliverius Plunkettus*, Archiepiſcopus *Armacanus*, immiſſus fuit in communem Carcerem *Dublinienſem*, ibique per integrum fermè Annum detentus, ac tandem tranſmiſſus *Londinum*, Capiteque plexus Die 1 Julij 1681, nt alibi lato Calamo referebam (*m*). Sub idem etiam Tempus D. *Petrus Talbotus*, Archipræſul *Dublinienſis*, mox laudatus, ab Hæreticis ex improviſo comprehenſus, ad prælibatum trahitur Carcerem, ubi Ærumnis, & Squalloribus confectus, Mortem glorioſam, quam Securis non attulit, in crudeli Satellitum Cuſtodia ſecurus invenit (*n*). Ut nihil dicam de Fr. *Dominico de Burgo*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo *Elphinenſi*, qui ab Heterodoxis eodem Tempore diù conquiſitus, veluti alter *Athanaſius*, ſe abſcondit, ut fuſiùs pridem narrabam (*o*).

CXI. Verum patuit paulò poſt, ipſoſmet Heterodoxos fictæ illius Conſpirationis in Regem, Catholicis Injuriâ adſcriptæ, Auctores fuiſſe. Anno ſiquidem 1682 perfidus jam memoratus *Shaftſburius*, juratus Catholicorum Hoſtis, *Carolum* Regem, ejuſque Fratrem *Jacobum* Ducem *Eboracenſem*, factâ Conſpiratione occidere decreverat; ſed deprehenſis à Catholicis *Angliæ* Conjuratorum malignis Artibus, *Shaftſburius*, Conjurationis Caput, in *Bataviam* præcipiti Fugâ ſeſe proripuit, ibidem defunctus Die 21 Januarij 1683. Diſſipatam illam Conjurationem Anno ſequenti renovarunt Hæretici *Angliæ*, & novis captandis Occaſionibus intenti, gemino Regis ejuſque Fratris Ducis *Eboracenſis* Parricidio ſe fedare conſtanter decrevere, dùm duo Regij Fratres prælibati a *Neo-Foro*, vulgò *New-Market*, in *Cantabrigiæ* & *Suffoliciæ* Agrorum Confinijs, Sexaginta Duobus Milliaribus *Londino* diſtante, reverti debebant Die 31 Menſis Martij 1683. Parricidium autem Executioni mandandum erat in Via juxtà Domum, anglicè *Rye-Houſe*, haud longè

(*g*) *Waræus*, ad Annum 1678.

(*h*) Idem, ad Annum 1666.

(*i*) Sceleratiſſimi iſtius Hominis Calumnias inter alios detexit, & Catholicorum ſuper hac fictâ in Regem *Carolum* Conſpiratione Innocentiam egregiè, ac invictis Momentis vindicavit *Antonius Arnoldus*, Doctor *Sorbonicus*, in Apologia, quam pro *Angliæ* Catholicis gallicè ſcripſit.

(*k*) *Waræus*, ad Annum 1678.

(l) Idem ibidem.

(*m*) Cap. vi. Num. xxiii. Pag. 130.

(*n*) Adeas Locum mox laudatum, ubi plura de eo.

(*o*) Ibidem.

longè ab Oppido *Hodſton* in *Hertfordienſi* Agro, *Londino* Octodecem Miliaribus diſtante. Verùm ob Conflagrationem, quæ apud *Neo-Forum* providè acciderat, Regij Fratres integro Octiduo antè ſtatutum Tempus reverſi ſunt. Dein improborum iſtorum Hominum unus concepti Parricidij Pænitentiâ ductus, Rem totam aperuit Regi, cujus Juſſu plures intercepti Conjurati Capite, aut Exilio mulctati ſunt, quos inter *Gulielmus Ruſſellus*, anglicè dictus *Lord Ruſſell*, Comitis *Bedfordiæ* Filius, & Hæres, Secundique Ducis *Bedfordiæ* Genitor *(p)*.

PAULO poſt Tempore quàm Conjurationem iſtam diſturbaverat Rex *Carolus*, in Morbum incidit, jàmque propediè moriturus Catholicam Religionem, quam ab Annis benè multis jàm ſecretò coluerat (*Q*) profeſſus eſt, & ab Hæreſi abſolutus, Sacroque Viatico refectus à P. *Joanne Huddleſton*, Monacho Benedictino *Anglo*, ſicut conſtat ex illius, & aliorum Teſtium, Fide dignorum, atque ex multis certiſſimis Actis, ac Monumentis, quæ D. *Philippus-Michael Ellis*, olìm Regis *Jacobi* II Capellanus, poſtmodùm Epiſcopus *Signienſis* (in *Compania Romana*) accuratè refert in Epiſtola, quam Die 25 Auguſti 1709 dedit ad *Dominicum Berninum*, quamque idem *Berninus* integram inſeruit *Hæreſum Hiſtoriæ* (*q*), Idiomate *Italico* deſcriptæ. Obijt autem *Carolus* II, *Magnæ Britanniæ*, *Hiberniæque* Rex, Die 15 Februarij 1685, Stylo novo (*r*).

EODEM Die, quo *Carolus* II e vivis exceſſit, ejus Frater ſæpè laudatus, *Jacobus* Dux *Eboracenſis*, ab univerſis Trium Regnorum Proceribus, ſinguliſque Ordinibus, eorundem Rex ſalutatus eſt, quamvis ſe Catholicum, & Sanctæ *Romanæ* Eccleſiæ addictum, palam profiteretur. Ipſos autem Catholicos, à tot Annis crudeli Jugo oppreſſos, in Libertatem aſſerere, eiſque Conſcientiæ Libertatem concedere voluit. Quæ Res Acatholicos *Angliæ* ità offendit, ut adverſùs optimum hunc Regem occultam excitarint Conjurationem, quæ poſteà in apertam prorupit. Infauſtam porro Rem hanc ab Ovo ad Mala, ut veteri Proloquio utar, integro Capite ſeptimo ex *Portero* fuſe narrabam, eâdem Operâ ſubnectens Articulos Civiles, & militares Urbis *Limericenſis*, Diè 3 Octobris 1691 concluſos, poſtmodùm, etſi firmatos Jurejurando, ad hæc uſque Tempora abrogatos. Ad quem Locum te remitto, benigne Lector, ne Acta agere videar.

CXII. Ex dictis igitur eò Loci (*s*) conſtat, *Gulielmum* Principem *Arauſicanum*, laudati *Jacobi* II Generum, atque ex Sorore Nepotem, regnaſſe in *Magna Britannia*, & *Hibernia*, unà cum Conjuge ſua Mariâ Heterodoxâ, ab Anno 1689 ad 1694, ipſum veró ſolum deinceps, poſt *Mariæ* ſcilicèt Obitum, ad Annum 1702. Sub eo autem hæc edita fuere Statuta Parlamentaria adverſùs Catholicæ Fidei Cultores, præcipué Sacerdotes, tàm Saculares, quàm Regulares, quæ Brevitatis Cauſâ ſummariè duntaxàt referam.

1. Anno 1689. *Papiſta, aut Rex, vel Regina, aut Matrimonium contrahens cum Papiſta, incapax eſt gaudendi Coronâ.* Anno 1. Gul. & Mar. Cap. 2. Sect. 9.

2. Anno 1692, & 1693. *Omnes ad quamcunque Dignitatem, vel Officium eccleſiaſticum civile, militare, juridicum, &c. promoti aut nominati, antequam ad Executionem admittantur, præſtare debent*

(*p*) *Laurentius Echardus*, in *Hiſtoria Angliæ*, impreſſa *Londini* 1720, Pag. 1027.

(*Q*) Anno 1656 *Coloniæ Agrippinæ* Rex *Carolus* II acceſſit ad Gremium Eccleſiæ Catholicæ Operâ *Petri Talboti*, poſtmodùm Archiepiſcopi *Dublinienſis* (de quo Cap. vi. Num. xxiii. Pag 131) quem ſecretò cum hujus Rei Notitia ad Aulam miſit *Matritenſem*, ut referunt *Cartæus* Vol. II. Pag. 172, & *Harriſius* de *Script. Hiber*. Pag. 191.

(*q*) Tom. iv. à Pag. 169 ad 197. Porrò laudatus *Philippus-Michael Ellis*, Natione *Anglus*, priùs *Aureliopolitanus* erat Epiſcopus Titularis, Anno autem 1708 ad *Signienſem* Diæceſim tranſlatus, denatus verò Anno 1726. Cæterúm, ut obiter dicam, Fratrem habuit Carnalem, *Welborum Ellis*, Epiſcopum Acatholicum *Kildarenſem* ab Anno 1705 ad 1731, dein *Midenſem* ad Annum 1733, quo obijt. Item duos alios Fratres Acatholicos, quorum unus, Eques nempè *Gulielmus Ellis*, Secretarius fuit Regis *Jacobi* II, defunctus *Romæ* Anno 1734; alter verò Secretarius Regis *Gulielmi* III.

(*r*) Videſis Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*s*) Cap. vii. Num. xvi. Pag. 147.

debent ſequenti Allegianciæ (id eſt, Fidelitatis), *Suprematiæ, & Abjurationis* (t) *Juramenta, eiſdemque ſubſcribere.* Anno 3, & 4 Gul. & Mar. Cap. 2,

Juramenta Allegianciæ, & Suprematiæ (u).

Ego A. B. ſincerè promitto, & ſolemniter declaro coram Deo, & Hominibus, quod fidus, & fidelis ero Regi Gulielmo, *& Reginæ* Mariæ.

Item ſolemniter profiteor, & declaro, quod ex Corde abhorreo, deteſtor, & repudio tanquàm hæreticam, & damnabilem Doctrinam, & Poſitionem, quod Principes excommunicati, aut exauctorati a Papa, aut quâvis Auctoritate Romanæ Sedis, poſſint deponi, aut interfici à ſuis Subditis, aut quibuſcunque alijs. Item declaro, quod Nemo externus Princeps, Status, aut Potentatus, habet, aut habere debet, ullam Poteſtatem, Juriſdictionem, Superioritatem, Præeminentiam, vel Auctoritatem eccleſiaſticam, aut ſpiritualem in hoc Regno.

Formula Juramenti Abjurationis ejuſdem Tenoris eſt (mutatis duntaxàt Nominibus) ac ea, quæ edita fuit Anno 1714 per *Parlamentum* ſub *Georgio* I, quam propterea commodiùs infrà exhibebo (*w*)

3. Anno 1696. *Qui vadit, aut mittit Filios in exteras Regiones, ut imbuantur Papiſmo, vel qui eum in Effectum Pecunias mandat pro illorum Suſtentatione, vel qui mittit Pecunias ad Domos Religioſas per Modum Eleemoſynæ,* ultrà plures, in quas incurrit, Inhabilitates, in Statuto hoc Parlamentario expreſſas, *ipſi omnia confiſcantur Bona, tàm mobilia, quàm immobilia, durante Vitâ.* Anno 7 Gul. III. Seſſ. 1. Cap. 4 (*x*).

4. Anno 1697. *Omnes Papales Archiepiſcopi, Epiſcopi, Vicarij Generales, Jeſuitæ, Monachi, & quorumcunque Ordinum Regulares, & omnes Papiſtæ exercentes Eccleſiaſticam quampiam Juriſdictionem, diſcedere tenentur ex hoc Regno ante Diem primam Maij* 1698. *Si autem poſt prælibatum Diem inveniantur in hoc Regno, tranſvehentur extrà Regis Ditiones. Quod ſi in Regnum hoc revertantur, eo ipſo rei cenſebuntur Criminis læſæ Majeſtatis* (*y*).

Nullus Papalis Archiepiſcopus, Epiſcopus, nulluſve ex mox recenſitis veniat in hoc Regnum poſt 29 Decembris 1697 ex tranſmarinis Partibus quibuſcunque ſub Pæna Carceris per integrum Annum, quo Tempore expleto tranſvehetur, nunquàm deinceps reverſurus, aliàs reus erit Criminis læſæ Majeſtatis.

Quicunque poſt Diem 1 Maij 1698 celaverit, aut Hoſpitio receperit, quemcunque Papalem Archiepiſcopum, aut quemvis ex recenſitis, mulctabitur Summâ viginti Librarum Sterlingarum (z) *pro prima Vice, quadraginta pro ſecunda Vice, tertiâ verò Vice Bonis omnibus, tàm mobilibus, quàm immobilibus, durantes Vitâ, privabitur, quorum Bonorum una medietas, non excedens tamen Valorem centum Librarum Sterlingarum, dabitur Delatori, reſidua autem Pars Regi, ſeù regio Fiſco cedet* (*a*).

Omnes Irenarchæ, vulgò Juſtitiarij Pacis (*b*), *tenebuntur, quoties Opus fuerit, Auctoritatem concedere capiendi, & Carceribus mancipandi, quoſcunque Papales Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliaſque Eccleſiaſticas Perſonas recenſitas, contrà Statuti hujuſce Parlamentarij Tenorem manentes in hoc Regno; atque ſupprimendi quævis Monaſteria Fratrum, vel Monialium Conventus, ac quaſcunque alias Sodalitates, ſeù Societates, Papales.*

Reddituri etiam ſunt Rationem Executionis Statuti hujus in Quaternis Seſſionibus (*c*) *ſuorum reſpectivè Comitatuum, in Archivo ibi regiſtrandam.*

Quod

(*t*) Duplex circumfertur apud Noſtrates *Abjuratio*, una Regis *Jacobi*, de qua impræſentiarùm, altera Fidei Catholicæ, de qua Sermo erit poſthac, ſcilicet Num. ſeq. Sect. 2.

(*u*) Confer Num. iii. & cxx. hujus Capitis.

(*w*) Num. cxiv. hujus Cap. Sect. 1.

(*x*) Confer Num. ſeq. Sect. 3.

(*y*) Videſis Num. iv. Cap. præſ. Pag. 599.

(*z*) Id eſt, octoginta *Scutorum Romanorum*.

(*a*) Confer Num. iv, & vii hujus Capitis. Pag. 599, & 606.

(*b*) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

(*c*) Legeſis Locum ultimò citatum.

Quod ſi quiſpiam *Irenarcha, Prætor, aliuſve Officialis civilis, in hoc negligens fuerit, pro qualibet Negligentia mulctabitur ſummâ centum Librarum Sterlingarum, quarum una Medietas Regi, altera Delatori cedet. Inſuperque perpetuam Inhabilitatem ad Munus illud incurret* (*d*). Anno 9 Gul. III. Seſs. 1. Cap. 26.

5. Anno 1701. *Princeps SOPHIA, Electrix & Duciſſa Vidua Hannoverana* (*e*), *ejuſque legitimi Hæredes Proteſtantes, declarantur proximiores ad Succeſſionem Coronæ, ſi Rex GULIELMUS, & Princeps ANNA* (poſtmodum Regina) *moriantur abſque Prole.* Anno 12 Gul. III. Cap. 2. Porrò Vigore hujus Statuti, omnes Succeſſores Sanguine proximi, modò Papiſtæ ſint, vel cum Papiſtis Nuptias contrahant (*f*), naturaliter mortui reputantur.

CXIII. Defuncto Principe *Arauſicano*, Rege *Gulielmo* Tertio nuncupato, Die 8 Martij 1702, Angli in Regio collocarunt Throno *Annam*, alteram *Jacobi* Secundi Regis Filiam Heterodoxam, Georgij Principis *Daniæ* Uxorem, quæ à prælibato Anno ad 1714 regnavit, ſub eaque iſta Acta, ſeù Statuta Parlamentaria, edita fuere adverſùs Catholicæ Fidei Cultores.

I. Anno 1703. *Nullus quà Proteſtans Commodum reportare poteſt, niſi præſtet Juramenta,* Anno 3, & 4 *Gulielmi, & Mariæ præſcripta* (*g*), *atque ſequens abjurationis* (*h*) *Juſjurandum:* Anno 2 Annæ, Seſs. 1. Cap. 6.

Ego *A.B. ſolemniter, & ſincerè, coram Deo, profiteor, teſtor, & declaro, quod credo, in Sacramento Cœnæ Domini non eſſe Tranſubſtantiationem aliquam Elementorum Panis, & Vini, in Corpus, & Sanguinem* Chriſti, *in aut poſt Conſecrationem eorundem, à quacunque Perſona factam; atque Invocationem, aut Cultum Virginis Mariæ, cujuſve alteriùs Sancti, necnon Sacrificium Miſſæ, prout nunc practicantur in Eccleſia Romana, eſſe ſuperſtitioſa, & idolica: Item ſolemniter, coram Deo, profiteor, teſtor, & declaro, me præſentem facere Declarationem, & quamlibet ejus Partem, in plano, & ordinario Senſu Verborum, mihi lectorum, ut communiter intelliguntur à Proteſtantibus, abſque ulla Evaſione, Equivocatione, aut mentali Reſervatione qualicunque; & abſque ulla Diſpenſatione mihi in hunc Effectum jam conceſſâ à Papa, aut ullâ aliâ Auctoritate, aut Perſona quacunque; aut abſque Spe Diſpenſationis, â quacunque Perſona, vel Auctoritate obtinendæ; aut non credens, me eximi, aut poſſe eximi corâm Deo, vel Hominibus, aut abſolvi ab hac Declaratione, ullàve ejus Parte, tametſi Papa, ullave alia Perſona, vel Perſouæ, aut Poteſtas quæcunque diſpenſaret deſuper, illudve annullaret, aut declararet illud irritum, & inane fuiſſe ab Initio.*

2. Juramentum verò *Abjurationis* (quam nunc paſſim *Declarationem* vocant) quod præſtare debent omnes promoti ad Dignitatem, vel Officium eccleſiaſticum, civile, militare, juridicum, &c, juxtà nuper dicta (*i*), eſt Tenoris ſequentis:

Ego *A. B. ſolemniter, & ſincerè, corâm Deo, profiteor, teſtificor, & declaro, quod credo, in Sacramento Cœnæ Domini non dari Tranſubſtantiationem Elementorum Panis, & Vini, in Corpus, & Sanguinem Chriſti, in, vel poſt Conſecrationem eorundem, à quncumque Perſona factam; atque Invocationem, aut Adorationem Virginis Mariæ, alteriuſve Sancti, ac Sacrificium Miſſæ, ut nunc practicantur in Eccleſia Romana, eſſe ſuperſtitioſa, & idolica: Item ſolemniter coram Deo profiteor, teſtificor, & declaro, quod hanc facio Declarationem, omnemque ejus Partem, in plano, & ordinario Senſu Verborum, mihi lectorum, prout communiter intelliguntur à Proteſtantibus, abſque ulla Evaſione, Equivocatione, ut mentali Reſervatione quacunque; & abſque ulla Diſpenſatione antecedenter mihi conceſſâ in hunc Finem à Papa, aut quavis aliâ Auctoritate, aut Perſona quacunque; aut abſque ulla Spe Diſpenſationis, à quacunque Perſona, vel Auctoritate obtinendæ; neque credo, me Actu aut poſſe liberari corâm Deo, vel Homine, ſeù abſolvi ab hac Declaratione, aut quavis ejus Parte, etſi Papa, aut quacunque alia Perſona, vel Perſonæ, aut Poteſtas qualiſcunque diſpenſaret in ea, vel annullaret eandem, autve declararet, eam irritam, & inanem fuiſſe ab Initio.*

3. Anno 1703. *Judices, aut Juſtitiarij Pacis poſſunt convocare Parentes, &c, ac ab eis requirere, ut Filius, à Regno abſens, corâm ipſis compareat intrà duos Menſes, quod ſi non præſtite-*

(*d*) Confer Cap. VIII. Num. II. Pag. 154.

(*e*) Adeas Cap VII. Num. XVI. Pag. 148.

(*f*) Recolenda Sect. 1. hujus Numeri. Pag. 711

(*g*) Quæ jám excripſi Cap. præs. Num. CXII. Sect. 2. Pag 711

(*h*) Recolantur nuper dicta Num. CXII. Lit. t, Pag. 712

(*i*) Num. ſuperiori Sect. 2. Pag. 711.

rint, nec probaverint, Filium iſtum eſſe in Anglia, aut Scotia, cenſebitur eo ipſo in exteris Regionibu conſtitutus, contrà Legem Anno ſeptimo Gulielmi ſtatutam (*k*).

Papiſticæ Matri, deſuncto Viro, non permittitur Prolis ſuæ Curom habere, aut Tutelam agere, ſed Cancellarius Regni aſſignare poteſt Guardianos Proteſtantes.

Si Filius Papiſta Dogmata Proteſtantium profiteatur, Patri eo ipſo adimitur Poteſtas diſponendi de Terris ſuis, poteſtque intereà Cancellarius Regni Filio congruam aſſignare Penſionem pro Suſtentatione juxtà Statum, & Conditionem Parentis.

Papiſtis adimitur Facultas emendi Terras, Prædia, &c, eave conducendi niſi ad triginta unum Annos.

Si aliquis corrumpat, aut ſeducat Proteſtantem ad Religionem Papiſticam, uterque ſubjaceat Pænæ dictæ PRÆMUNIRE (*l*). Anno 2 Annæ, Seſſ. 1. Cap. 6.

4. Anno 1703, innovatum fuit Statutum nuper recenſitum (*m*), Anno 1697 editum contrà Papales Epiſcopos, Dignitarios, & Regulares, additumque, ut *in Quaternis Seſſionibus ſingulorum Comitatuum, poſt Feſtum S. Joannis Baptiſtæ 1704 habendis, quilibet Sacerdos Papiſticus, in hoc Regno manens, teneatur ſuum reddere Nomen, Locum Domicilij, Ætatem, Parochiam, cujus prætendit ſe eſſe Parochum, item Locum, & Tempus ſuſcepti ab eo Preſbyteratûs, atque Nomen Epiſcopi Ordinatoris. Qui autem id non præſtiterit, Regularis erit reputandus, & tenebitur diſcedere ex hoc Regno antè Diem 20 Julij 1704, alioquin carcerali mancipabitur Cuſtodiæ, in alias Regiones tranſvehendus. Qui ſi deinceps rediverit, reus erit Criminis læſæ Majeſtatis.*

Nullus Sacerdos, etiamſi ſic Regiſtratus, poteſt Curatum, Aſſiſtentem, aut Coadjutorem habere ſub Pæna amittendi Regiſtrationis factæ Beneficium, in omneſque incurrendi Pænas, Papiſtæ Regulari inflictas.

Quicunque Sacerdotis Papiſtici Munere fungetur poſt 24 Junij 1705, niſi Sacerdos ſit Regiſtratus, ijſdem obnoxius erit Pænis, ac Papalis Archiepiſcopus, Epiſcopus, &c, aut Regularis, Vigore Statuti ſub Gulielmo III Anno Septimo (*n*). *Qni ſimiles Perſonas celabit, aut Hoſpicio recipiet; item Juſtitiarius Pacis, Prætor, aliuſve Officialis civilis, qui in Statuti hujus Executione negligens reperietur, mulctabitur juxtà ejuſdem Statuti Præſcriptum.* Anno 2 Annæ, Seſſ. 1. Cap. 2, & 7.

5. Anno 1709. *Singuli Papales Sacerdotes Regiſtrati, præſtent Juramentum Abjurationis* (*o*) *antè Diem 25 Martij 1710, in aliquo ex quatuor Tribunalibus Dublinij, aut in Quaternis Seſſionibus illius Comitatûs, in quo Regiſtrati fuere; quod ſi eorum quiſpiam id non præſtiterit, atqu poſt Diem 25 Martij 1710 Miſſam celebraverit, aliove Sacerdotali Munere functus fuerit, ijſdem obnoxius erit Pænis ac Sacerdos Regularis convictus.* Hoc quidem Statutum directè pugnat cum nona Pactione *Limericenſi*, ut ſuperiùs oſtendebam (*p*), ubi nonnihil aliud Obſervatu dignum legere poteris.

Nullus Sacerdos Papiſticus, etſi Regiſtratus, Sacerdotali Muneri fungi poteſt, niſi in Parochia, pro qua eſt Regiſtratus, ſub ijſdem Pænis.

Mortuus, amotuſve Parochus Papiſticus Succeſſorem Papiſticum habere non poteſt.

Quicunque detegerit quemvis Papalem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Vicarium Generalem, Jeſuitam, Monachum, Fratrem, aut cujuivis Ordinis Regularem Sacerdotem Papiſticum, aut quemvi alium Papiſtam exercentem Eccleſiaſticam Juriſdictionem, aut quemvis Sacerdotem Sæcularem, legitimè non Regiſtratum, ita ut talis captus fuerit, atque convictus, Delator in Præminm recipie Quinquaginta Libras Sterlingas (p) pro quolibet Archiepiſcopo, Epiſcopo, Vicario Generali, alio exercente Eccleſiaſticam Juriſdictionem (*r*); *atque Viginti Libras Sterlingas pro quolibet Sacerdot Regulari,*

(*k*) Quam videſis Num. ſuperiori, Sect. 3. Confer Num. iv, & xvi. Cap. præſ. Pag. 599, & 618.

(*l*) Hoc eſt, ut ſit extra Protectionem regiam, omnia amittat Bona, ſeù mobilia, ſeù immobilia, Carceri perpetuò mancipetur, Teſtimonium dicere nequeat, vel Actionem Juris proſequi, ut patet ex jampridem dictis Cap. præſ. Num. xxxix. Sect. 12. Pag. 642.

(*m*) Num. præced. Sect. 4. Pag. 712.

(*n*) Recolenda Sect. 4. Num. præced. Pag. 112.

(*o*) Illius Formulam exhibebo Num. ſeq. Sect

(*p*) Cap. viii. Num. iv. Pag. 157.

(*q*) Id eſt, bis Centum Scuta Monetæ *Romanæ*.

(*r*) Adeas Cap. viii. Num. ii. Lit. h. Pag. 155.

Regulari, aut Sacerdote Sæculari non Regiſtrato, quæ Pecunia exigetur â Papiſtis illius Comitatûs, in quo talis deliquerit,

Penſio Triginta Librarum Sterlingarum danda eſt Sacerdoti Papiſtico, qui amplectitur Religionem Proteſtanticam, Lege hac Vigorem habiturâ ad Septennium.

Papales Ludi Magiſtri, ſivè Præceptores, aut Subpræceptores, autve Tutores, ſivé in Scholis publicis, ſivé in Ædibus privatis, iiſdem ſubjiciuntur Pænis, ac Sacerdotes Regulares (s). Anno 8 Annæ, Cap. 3.

Hæc porrò ſub Regina *Anna* edita Statuta eleganter pro More expreſſit Clariſſimus *Petrus Pollidorus*, cujus perbella Verba jampridem exſcribebam (*t*).

CXIV. Ex ſæpiùs recenſito Loco (*u*) patet, Reginæ *Annæ*, Die 1 Auguſti 1714 defunctæ, ſucceſſiſſe *Georgium* Ducem *Hannoveranum* (poſthabitis Quinquaginta, & ultrà, Principibus Catholicis utriuſque Sexûs, Sanguinis Regij *Stuartorum* Jure gaudentibus), qui in *Magna Britannia, Hiberniaque* regnavit uſque ad Annum 1727. Ipſe autem, ut candidè fatendum, ad Clementiam ergà Catholicos pronus erat, utpotè eorundem Tolerationi legali in nativis ſuis Ditionibus *Germanicis* aſſuetus, ut alibi oſtendebam *(w)*. Hìnc plurima Decreta contrà Orthodoxos, præſertìm Sacerdotes, tàm Sæculares, quàm Regulares, in Parlamento condita, prorsùs repudiavit, quæ proindè Statutorum Vim non habent. Cæterùm

1. Anno 1714, Regni ſui primo, innovatum fuit Juramentum *Abjurationis* jam anteà Anno 1692, & 3, ut nuper dictum eſt (x), formatum, Tenoris ſequentis.

"*Ego A. B. verè, & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtor, & declaro, de mea Conſcientia, coràm Deo, & Hominibus noſtrum Supremum Dominum, Regem* Georgium, *eſſe juridicum, & legitimum Regem hujus Regni, omniumque aliorum Suæ Majeſtatis Dominiorum, & Terrarum iſtuc ſpectantium: Item ſolemniter, & ſincerè declaro, me Conſcientiâ meâ credere, quod Perſona prætenſus Walliæ Princeps, vivente nupero Rege Jacobo, & poſt ejus Mortem prætendens quod ſit, ſibique aſſumens Stylum, & Titulum Regis* Angliæ, & Hiberniæ *ſub Nomine* Jacobi Tertij, *vel* Scotiæ, *ſub Nomine* Jacobi Octavi, *vel Stylum, & Titulum Regis* Magnæ Britanniæ, *nullum Jus habeat, vel Titulum qualemcunque ad Coronam hujus Regni, vel aliorum Dominiorum illuc ſpectantium. Item renuncio, recuſo & abjuro quamcunque Allegianciam, & Obedientiam eidem: Et juro, quod exhibebo Fidelitatem, & veram Allegianciam Suæ Majeſtati Regi* Georgio, *illumque defendam pro extremis Viribus contrà omnes proditorias Conſpirationes, & Conatus qualeſcunque, qui fient contrà ejus Perſonam, Coronam, vel Dignitatem: Et quantum in me eſt conabor revelare, & notificare Suæ Majeſtati, & ejus Succeſſoribus, omnes Perduelliones, & proditorias Conſpirationes, contrà illum, vel illos, quæ ad meam Notitiam pervenient: Et fideliter promitto, quod pro meis Viribus propugnabo, ſuſtinebo, & defendam Succeſſionem Coronæ contrà dictum* Jacobum, *& omnes alias Perſonas qualeſcunque, quæ Succeſſio Statuto, cujus Titulus:* Pro ulteriori Limitationæ Coronæ, & meliori Securitate Jurium, & Libertatum Subditi, *limitatur, ſtatque limitata ad Principem* Sophiam, *Electricem, & Ducиſſam Viduam* Hannoveranam, *ejuſque legitimos Hæredes Proteſtantes. Et hæc omnia planè, & ſincere agnoſco, & juro juxtà expreſſa Verba, a me prolata, & juxtà planum, & communem Senſum, & Intellectum eorundem Verborum ſinè Æquivocatione, mentali Evaſione, vel ſecretâ Reſervatione qualicunque: Et facio hanc Recognitionem, Agnitionem, Abjurationem, Renunciationem, & Promiſſionem ex Animo, libenter, & verè, eâ Fide, quâ Chriſtianum decet. Sic me Deus adjuvet &c.*"

2. Anno 1715. *Quilibet Juſtitiarius Pacis poteſt porrigere Juramentum Abjurationis Papiſtis, aut Perſonis ſuſpectis.* Anno 2 Georgij I. Cap. 3.

3. Anno 1717. *Omnes Dignitarij, Præpoſitì, & Socij Collegiorum, Miniſtri, &c, debent ſequens præſtare Juramentum:* Anno 4 Georgij I. Cap. 3.

Ego A. B. declaro, & credo, quod non licet ſub quocunque Prætextu ſumere Arma adversùs Regem; & quod abhorreo proditoriam illam Poſitionem de ſumendis Armis ejus Authoritate adversùs ejus Perſonam, aut adversùs illos, qui ab eo Commiſſionem habeat."

(s) Recolenda Sectio 4 Num. cxii. Pag. 712. & conferendus Num. xiv. Cap. præſ. Pag. 617.

(t) Cap. viii. Num. vi. Pag. 158.

(u) Cap. vii. Num. xvi. Pag. 147.

(w) Cap. viii. Num. viii. 160.

(x) Cap. præſ. Num. cxii. Sect. 2. Pag. 711.

4. Anno 1720. *Filij Papiſtarum, à duodecimo Ætatis Anno Religione Proteſtanticâ imbuti, cenſeri debent Proteſtantes, dummodò poſt decimum octavum Ætatis Annum non compareant ad Matutinas, Veſperas, &c Eccleſiæ Romanæ, ſin minùs Papiſmo obnoxij ſunt.* Anno 6 Georgij I, Cap. 6.

5. Anno 1726. *Sacerdos Papiſticus, aut Sacerdos Poteſtans degradatus, non poteſt ſub Pœna Mortis Matrimonio conjungere duos Proteſtantes, vel Proteſtantem, & Papiſtam.* Anno 12 Georgij I, Cap. 3. Nonnulli porrò Sacerdotes, tàm Catholici, quàm Proteſtantes, ob violatum hoc Statutum Capite plexi fuere.

CXV. **Etsi** Perſecutiones exarſerint in Clerum, tàm Sæcularem, quàm Regularem, ſub Initium hujus Sæculi Eccleſiæ decimi octavi, ſub *Hannoveriano* tamen Principe, ſicut & Filio ipſius jam jam recenſendo, miteſcebant, tùm ob Tolerationem Catholicorum in *Germanicis* ſuis Ditionibus, tùm ob maximam, quâ laborat *Sacerdotis Captor*, Infamiam, ut pridem exponebam (*y*). Hìnc Magiſtratus, nedùm Compaſſione quâdam moti, ſed & Opprobrium veriti, noluerunt Leges in Clerum latas Executioni mandare. Quippè ſatis ipſis viſum eſt, Eccleſiaſticos habere in ſua Poteſtate, eoſque pro Libitu poſſe expellere, prævidentes, Laicorum ditiores, præſertim Nobiles, Latifundiorumque Dominos, intrà haud plurium Annorum Seriem, attentis nuper allatis Statutis Parlamentarijs, humanâque Fragilitate, ad Sectam *Proteſtanticam* omninò tranſituros, proindeque Rem Eccleſiaſticam quotidiè in pejus ruituram.

Hac qualicunque Magiſtratuum Clementiâ animati Regulares, ac ſi Pax, Eccleſiæ data, diù eſſet duratura, in Urbium, Oppidorumque Locis ſecretioribus, & minùs expoſitis, Domos excitare, vel conducere, Sacella ædificare, Juvenes bonæ Spei ad Habitum recipere, & Comitia Provincialia celebrare (z) cæperunt. Undè modò noſter Prædicatorum Ordo (ut de reliquis nihil impræſentiarum dicam) in Civitatibus *Dublinienſi*, *Limericenſi*, *Corcagienſi*, & *Caſſelienſi*, atque in Oppidis *Pontanenſi*, *Sligoenſi*, & *Galvienſi*, Hoſpitia habet ſatis commoda, & Sacella pro Rerum Conditionibus haud medriocriter ornata, in quibus Sacerdotes omnes quotidie Miſſas celebrant, confeſſiones excipiunt, & Diebus præſertim feſtivis Conciones, & Catechiſmos ad Populum habent, de Eleemoſynis ad Sacelli Portam erogatis, & inter Fideles collectis, honeſtum Victum, & Amictum procurantes.

Ruri etiam Conventus omnes, paucis duntaxât exceptis, unum alterumve conduxerunt Agrum, ubi Domum quidem lapideam, ſtramineo tamen ſub Tecto, & Sacellum excitarunt, ibique vicinam Plebem Catechiſmis, & Concionibus inſtruunt. Hùc haud rarò conveniunt omnes iſtius reſpectivè Cænobij Sodales, majori nihilominùs Anni Parte tres quatuorve Domi manent, cæteris vel Parochos adjuvantibus, vel apud ditiores Laicos Munus obeuntibus Capellanorum, vel inter Ruſticos Vitam ſatis auſteram ducentibus, Hordeum nempe, & Avenam, pro Domûs Suſtentatione, pro Solutione Penſionis annuæ Ædium, proque Amictu mediocri, colligentibus.

Moniales non tàm duram expertæ ſunt Sortem. Noſtræ ſiquidem *Galviæ*, *Dublinij*, & *Pontanæ*, ſatis ſplendida habent Sacella, & commodiſſimas Domos, nitidè, & religioſiſſimè vivunt, atque Alumnas, quas Fide, & Moribus optimè imbuunt, habent quamplurimas.

CXVI. *Georgio Primo*, in *Alemannia* Die 21 Junij 1727 denato, ſucceſſit Filius ejus dictus *Georgius Secundus*, qui ad Annum uſque 1760, quo obijt, in Magna *Britannia Hiberniaque* regnavit (*a*), Exemplo Genitoris ad Lenitatem ergà Catholicos pronus, plura ſubindè plurium Seſſionum *Parlamenti* Decreta, in Odium Cleri Populique Orthodoxi cuſa, repudians. Sequentia nihilominûs Regium, ut vocant, obtinuere Aſſenſum, ſicque in Statuta, ſeû Acta tranſiere.

1. Anno 1727. *Quicunque fungi deſiderat Munere Advocati, Clerici Curiæ Cancellariæ, Procuratoris, Agentis, &c, probare tenetur coram Magno Cancellario, & Curiarum Judicibus, aut ſaltem duobus illorum, ſe Proteſtantem fuiſſe antè duos Annos, debetque conſueta præſtare Juramenta.* Anno 1 Georgij II, Cap. 20.

2. Anno

(*y*) Cap. viii. Num. viii. Pag. 160,

(z) Videſis Cap. viii. Num. x. Pag. 162.

(*a*) Recolendum Cap. vii. Num xvi. Pag. 147.

2. Anno 1733. *Advocati, ſex Clerici Curiæ Cancellariæ, Procuratores, & Agentes Cauſidici, Nuptias ineuntes cum Papiſtis, ſed eas non convertentes ad Proteſtanticam Religionem intrà unum Annum, aut Prolem educari permittentes in Papiſmo, cenſebuntur eo ipſo Papiſtæ, neque Munera ſua ampliùs exercere valebunt.* Anno 7 Georgij II, Cap. 5.——De *Scholis Diplomaticis* recole ſuperiùs dicta Cap. *i.* Num. xix. Pag. 29.

3. Anno 1746. *Matrimonium inter Proteſtantem, & Papiſtam coram Sacerdote Papiſta, aut Proteſtante degradato contractum, eo ipſo nullum eſt.* Anno 19 Georgij II, Cap. 13.

CXVII. QUAMQUAM, ut pridem, nuperque, narrabam (*b*), miteſceret poſt Reginæ *Annæ* Dominationem Rigor Perſecutionis Acatholicorum in Clerum, nihiloſeciùs quandoque ſeù ex Rigore Magiſtratuum, ſeù alijs de Cauſis, præcipuè politicis, exardeſcebat in *particulares* Perſonas, Domoſque Religioſos. *Generalis* tamen Perſecutionis in univerſo Regno unicum fuit Exemplum ſub Initium Anni 1744, cujus Cauſam, Ortum, Progreſſum, & Effectum lato Calamo jam anteà referebam (*c*). Eâ porrò Occaſione emanavit a Sanctiori Concilio hujus Regni Edictum, Typis impreſſum, atque in conſuetis Locis tàm *Dublinij*, quàm univerſæ *Hiberniæ*, affixum, immò & in ipſiſmet Rerum Novarum Folijs, *Gazettis* paſſim nuncupatis, divulgatum, Tenoris ſequentis ex *Anglico* Idiomate :

“ Per Dominum Proregem, & Concilium Hiberniæ.

“ EDICTUM.

“ *Mandans omnibus Juſtitiarijs Pacis, alijſque Magiſtratibus, ut diſtrictè ab ijs Executioni mandentur ſingulæ Leges adversùs omnes Papales* (*d*) *Archiepiſcopos, Epiſcopos, aliaſque Eccleſiaſticas Perſonas Papiſticas, inibi recenſitas ; ac etiam pro Suppreſſione Monaſteriorum, & Conventuum, tàm Fratrum, quâm Monialium, aliarumque Papalium Sodalitatum, & Societatum ; & pro Exarmatione Papiſtarum ; atque Præmium pollicens pro Captione, & Proſecutione, ad Convictionem uſque, omnium talium Papalium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Vicariorum Generalium, aliarumque Perſonarum Papiſticarum, Eccleſiaſticam Juriſdictionem exercentium* (*e*) *; item adversùs Receptatores talium Papalium Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum.*

DEVONSHIRE (*f*).

“ Quandoquidem per Actum Parlamenti, Anno nono Regni nuperæ Majeſtatis Gulielmi Tertij, Glo- Glorioſæ Memoriæ, emanati, cui Titulus : *Actum pro Exilio omnium Papiſtarum exercentium Eccleſiaſticam Juriſdictionem, & omnium Regularium Cleri Papiſtici, extrà hoc Regnum,* inter alia ſtatutum ſit, *ut omnes, & ſinguli Juſtiarij Pacis teneantur frequenter expedire Mandata pro Captione, & Incarceratione omnium Papalium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Jeſuitarum, Fratrum, & quaruncunque aliarum Papalium Eccleſiaſticarum Perſonarum, in hoc Regno, contrà prælibati Acti Tenorem, & Senſum, manentium, & pro Suppreſſione omnium Monaſteriorum, Conventuum, tàm Fratrum, quàm Monialium, aut aliarum Papiſticarum Sodalitatum, vel Societatum ; utque omnes, & ſinguli Juſtitiarij Pacis in hoc Regno teneantur Scriptò Rationem reddere de Executione prælibati Acti in proximioribus Quaternis Seſſionibus Generalibus* (*g*) *ſuorum reſpective Comitatuum, in Archivo ibi conſcribendam, & regiſtrandam ; & quod, ſi quiſpiam Juſtitiarius Pacis, Prætor, aliuſve Officialis in hoc negligens fuerit, pro qualibet Negligentia puniendus ſit Mulctà centum Librarum*

(*b*) Cap. viii. Num. vii, & xxiii ; ac Cap. præſ. Num. præced. Pag. 159, 175 & 716.

(*c*) Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 175.

(*d*) Videſis Cap. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 154.

(*e*) Confer Cap. viii. Num. ii. Lit. h. Pag. 155.

(*f*) Scillicet *Gulielmus Cavendiſh*, Dux *Devoniæ*, vulgò *Devonſhire*, in *Anglia*, Prorex *Hiberniæ*. Nomina autem reliquorum Membrorum Sanctioris Concilij apponuntur in Calce, juxtà Morem in *Magna Britannia*, & *Hibernia* uſitatum.

(*g*) Legeſis Cap. i. Num. xxii. Pag. 32.

“ *brarum Sterlingarum (b), quarum una Medietas Regi, ſuiſque Hæredibus, & Succeſſioribus, altera Delatori cedet, perpetuam inſuper Inhabilitatem ad Juſtitiarij Pacis Munus incurſurus.*

“ Et quandoquidem ejuſdem Acti Vigore ſtatutum ſit, *quod quicunque poſt primum Diem Maij ſcienter receperit Hoſpitio, relevaverit, celaverit, aut ſuſtentaverit quemcunque talem Papalem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Vicarum Generalem, Decanum, Jeſuitam, Fratrem, aut quemcunque alium Papiſtam, exercentem Eccleſiaſticam aliquam Juriſdictionem, Legibus hujus Regni haud ſancitam, aut quemcunque Clericum Regularem Papiſticum, qui contrà Tenorem hujus Acti in Regnum hoc adveniet poſt Diem 29 Decembris 1697, mulctabitur Summà viginti Librarum Sterlingarum pro prima Offenſa, & Summà Duplo majori pro ſecunda Offenſa, quod ſi tertio offenderit, privabitur omnibus ſuis Terris, & Fundis, Feudis, aut Hæreditatibus, durante Vità, omnibuſque Bonis, ſeù mobilibus, ſeù immobilibus, quoram una Medietas, dummodo tamen centum Librarum Sterlingarum Valorem non excedat, dabitur Delatori. reſidua autem Pars Regi, ejuſque Hæredibus, & Succeſſoribus; Confiſcatione pro tertia illa Offenſa per Libellum, Querelam, Delationem, aut Actionem pro Debito, in quacunque ex Majeſtatis Suæ Curijs Dublinij, aut in Aſſiſis (i) in ſuis reſpectivè Comitatibus, evincendâ.*

“ Et quandoquidem ad Nos delatum ſit, quod haud obſtante recenſito Acto, Defectu debitæ Executionis illius plura ſint in hoc Regno Monaſteria Fratrum, & Monialium Conventus, aliæque Papales Sodalitates, & Societates, ingenſque Numerus Papalium Archiepiscoporum, Epiſcoporum, Jeſuitarum, Fratrum, & aliarum Perſonarum Eccleſiaſticarum Papalium, Functiones ſuas palàm exercere audentium, atque conantium abducere Majeſtatis Suæ Subditos á Fidelitate, ad quam per ſolemniſſima Ligamina adſtringuntur.

“ Et quandoquidem rationabiliter ſuſpicemur, Molimina impræſentiarùm fieri ad perturbandam Regiminis Majeſtatis Suæ Pacem, a ſimilibus Eccleſiaſticis Papalibus incitata, eapropter diſtrictè jubêmus, & mandamus omnibus Juſtitiarijs Pacis, Prætoribus, Supremis Magiſtratibus, omnibuſque alijs Majeſtatis Suæ Officialieus, & Miniſtris Juſtitiæ, ut in ſuis reſpectivè Stationibus quàm ſedulò inacumbant ad prælibatum Actum, omneſque alias Leges, & Statuta, adverſùs omnes ſimiles Eccleſiaſticos Papales, debitæ Executioni mandanda, adque fieri faciendam diligentem, & ſtrictam Perquiſitionem omnium Papalium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & omnium ſimilium Eccleſiaſticorum Papalium, & omnium, qui eos, aut eorum aliquos hoſpitatus fuerit, vel celaverit; atque ad ſupprimenda Monaſteria omnia Fratrum, & Monialium Conventus, aliaſque Papales Sodalitates, & Societates.

“ Et per Præſentes promittimus, & declaramus, quod quicunque Die primo, aut antè Diem primum Octobris 1745, ceperit, aut capi fecerit, & ad Convictionem uſque proſecutus fuerit quêmpiam Papalem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Vicàrium Generalem, aut quamcunque aliam Papiſticam Perſonam, exercentem, ut præfertur, Eccleſiaſticam Juriſdictionem, pro quolibet ſimili Archiepiſcopo, aut Epiſcopo, ſic convicto, in Præmium habebit, & recipiet Summam Centum, & Quinquaginta Librarum Sterlingarum (*k*), à Secretario Concilij, ejuſve Deputato, viſis ab eo Literis Certificatorijs de tali Convictione, ſolvendam, ultrà àlia Præmia per Actum Parlamenti jam conceſſa (*l*); & pro quolibet Vicario Generali, aliâve Papiſticâ Perſonâ, Eccleſiaſticam exercente Juriſdictionem, ſic convictâ, Summam Quinquaginta Librarum Sterlingarum, ultrà alia Præmia, per Actum Parlamenti jam conceſſa, & memorato Modo ſolvendam.

“ Et per Præſentes ulteriùs declaramus, quod quicunque primô detegerit, & ceperit intrà præſcriptum Tempus, & ad Convictionem uſque proſecutus fuerit quamcunque Perſonam habentem Terras, Funda, aut Locationum Jura, ad Valorem annuum Quingentarum Librarum Sterlingarum, aut ultrà, & ſcienter hoſpitantem, celantem, relevantem, vel ſuſtentantem quempiam Papalem Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, convictâ tali Perſonâ, ſcienter hoſpitante, celante, relevante, aut ſuſtentante ſimilem Papalem Archiepiſcopum, vel Epiſcopum, in Præmium recipiet Summam bis Centum Librarum Sterlingarum, à Secretario Concilij, ejuſve Deputato ſolvendam, ultrà Præmia per Actum Parlamenti jam conceſſa.

“ Et ad prævenienda Pericula, quæ in præſenti Rerum Statu à Papiſtis exoriri poſſent, atque præſervandam publicam Pacem, & Tranquilitatem hujus Regni, per Præſentes diſtrictè jubemus, mandamus, & rogamus omnes Juſtitiarios Pacis, alioſque Officiales, & Magiſtratus in hoc Regno, ut per-

“ quriant

(*b*) i. e. Quatuor Centum Scutorum Monetæ *Romanæ.*

(*i*) Recollendum Cap. I. Num. XXII.

(*k*) Hoc eſt, ſex centum Scutorum Monetæ *Romanæ.*

(*l*) Confer Num. CXIII. Cap. præs. Pag. 713

" quirant, capiant, & confiſcent omnia Arma, Armamenta, & Apparatum bellicum cujuſcunque Generis, quæ reperientur in Poſſeſſione cujuſque Papiſtæ, aut reputati Papiſtæ, aut in Poſſeſſione cujuſcunque Perſonæ, vel quarumcunque Perſonarum, cui, vel quibus, ea concredita ſunt à quocunque Papiſta vel reputato Papiſta; & ut veram, & ſpecialem reddant Rationem Secretario Concilij, ejuſve Deputato de ſimilibus Armis, Armamentis, & Apparatu bellico, quæ conſequenter ad Edictum hoc confiſcabunt, & de Nominibus Perſonarum, in quarum Cuſtodia, aut Poteſtate, ſimilia Arma, Armamenta, & Apparatum bellicum reperient.

" Quod ſi Papiſta aliquis, aut Papiſtæ, audeant ferre, aut tenere Arma, Armamenta, aut Apparatum bellicum, contrà Legis Tenorem, per Præſentes volumus, & rogamus omnes Juſtitiarios Pacis, alioſque Magiſtratus, ut in Jus vocent omnem ſimilem Delinquentem, vel Delinquentes, utque Leges debitæ Executioni mandent.

" Dummodò tamen tales Perquiſitiones non fiant niſi intrà Ortum, & Occaſum Solis (exceptis Civitatibus, & earum Suburbijs, Oppidis Sociatis, Emporijs, & Domibus eorundem, ſi id neceſſarium videatur, idque Mandata præſcribant, & ſtatuant) & ſi tales Juſtiarij, alijve Officiales, aut Magiſtratus, poſt ſimilem factam Perquiſitionem, Cauſam habeant ſuſpicandi, Arma aliqua, Armamenta, aut Apparatum bellicum, manere occultata, & non confiſcata, ut dictum eſt, per Præſentes jubentur, & rogantur, ut tales, quos ſuſpicantur, Occultatores coram ſeipſis comparere faciant, & de Re hac ſub Juramento examinari.

" Et per Præſentes denunciamus, & declaramus, quod ſtrictam exigemus Rationem ab omnibus Juſtitiarijs Pacis, Magiſtratibus, alijſque Officialibus, de paractis à ſe iſta in Re, & æquipenſabimus Fidelitatem eorum, ac Amorem ergà Majeſtatis Suæ Perſonam, & Regimen, atque Pacem, & Felicitatem hujus Regni, juxtà Promptitudinem, & Zelum, quæ reſpectivé hac Occaſione commonſtrabunt. Datum Dublinij in Camera Concilij Die 28 Februarij 1743 *(m)*.

" Joannes Armagh." i. e. *Joannes Hoadly*, *Archiepiſcopus Armacanus*, *Totius Hiberniæ Primas*.
" Newport, C." i. e. *Robertus Jocelyn*, Baro de Newport (poſtmodum Vicecomes *Jocelyn*) Cancellarius *Hiberniæ*.
" C: Dublin." i. e. *Carolus Cobbe*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, *Hiberniæ* Primas.
" Beſsborough." i. e. *Brabazonus Ponſonby*, Comes de *Beſsborough*.
" Moleſworth" i. e. *Richardus Moleſworth*, Vicecomes *Moleſworth* de *Swords*.
" Boyne" i, e. *Guſtavus Hamilton*, Vicecomes de *Boyne*.
" Ar: Meath." i. e. *Arthurus Price*, Epiſcopus *Midenſis*.
" Kingſale." i. e. *Geraldus Courcy*, Baro de *Kingſale*.
" Southwell." i. e. *Thomas Southwell*, Baro *Southwell* de *Caſtle-Mattraſs*.
" Henricus Boyle," *Prolocutor Domûs Communium* (*n*), *&* *Cancellarius Scaccarij*, Anno autem 1756 *creatus* Comes de *Shannon*.
" Thomas Marlay," *Capitalis Judex Banci Regis*.
" Thomas Carter," *Magiſter Rotulorum Curiæ Cancellariæ* (o).
" Henricus Singleton," *Capitalis Iudex Communicum Placitorum*.
" Joannes Bowes," *Capitalis Baro Scaccarij*, nunc Regni Cancellarius.
" Lucas Gardiner," *Vice-Theſaurarius-Deputatus*.

" VIVAT REX."

CXVIII. SEDATA paulatim hac Tempeſtate, ut alibi narrabam (*p*), nulla deinceps erupit Perſecutio *Generalis* in Clerum uſque ad *Annum* 1756. Sub ipſius quippè Initium, ſedente tunc *Parlamento*, introductus fuit in Superiorem ejuſdem Domum, dictam *Dominorum* (*q*), à *Jacobo Hamilton*, Vicecomite *Limericenſi*, nunc Comite *Clanbraſſilenſi*, Libellus (*Billam* vulgò vocant), & quidem Typis impreſſus (quem præ Manibus teneo) Capita complectens Acti, ſeù Statuti, condendi,

---

(*m*) Stylo veteri, Stylo autem novo 1744, pro quorum Differentia adeas Cap. vii. Num. iii. Lit. f. Pag. 138.

(*n*) Conſulendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(*o*) Videſis Cap. xiii. Num. xlvii. Lit. x. Pag. 477.

(*p*) Cap. viii. Num. xxiii. Pag. 176.

(*q*) Recolendum Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

condendi, nempè Primò : *Ut conformiter ad Actum Parlamenti Anno 2 Reginæ* Annæ (r) *novu fiat Regiſtrum Sacerdotum Papalium, unius ſcilicet pro unaquaque Parochia, juxtà Paræciaru Numerum, in anteriori Regiſtro, Anno 1705 facto, Typiſque vulgato, ſtabilitum.* Secundo : *Ut defuncto, vel amoto Sacerdote iſto Papali, ſic regiſtrato, Succeſſor ipſius nominandus ſit à Magn Inquiſitione* (anglicè *Grand-Jury*) *illius reſpectivè Comitatûs, & à Prorege cum Sanctiori Concili Regni approbandus.* Tertiò : *Ut quilibet Sacerdos Papalis, ſic Regiſtratus, detegore teneatu quempiam alium Sacerdotem Papalem, ſeù Sæcularem, ſeû Regularem, in Parochia ſua verſantem, ſub Pæna amittendi Regiſtrationis Beneficium.* Quartò : *Ut Sacerdos Papalis regiſtrandus ſi Sæcularis, Regulares ſiquidem magis adſtricti ſunt Papæ, & Prætendenti (s), utque Juramentu præſtet infrà ponendum.* Quintò : *Ut ſub Pæna amittendi Regiſtrationis Beneficium Sacerdos iſt Papalis regiſtratus non audeat recipere Proteſtantem quempiam ad Gremium Religionis Papiſticæ, aut ſeducere aliquem Majeſtatis Suæ Subditum ad militandum ſub Prætendente, aut quocunqu Principe extero.* Sextò : *Ut ſub eadem Pæna Munere Sacerdotali non fungatur extrà Parochiam, pro qua regiſtratus eſt.* Septimò : *Ut in ſingulis, quas celebrabit, Miſſis, Populum hortabitur anglicè, vel hibernicè ad orandum pro Rege* Georgio Secnndo, *ejuſque Hæredibus, & Succeſſoribus, nominando eos, & pro Univerſa Familia Regia, alioquin à Prorege amovendus.* Octavò : *Ut quicunque Sacerdos Papalis, ſeù Sæcularis, ſeû Regularis, præter ſic regiſtratos, manſerit in hoc Regno poſt Diem 1 Januarij 1757, in idve advenerit, omnibus, & ſingulis ſubjacebit Pænis, pe Acta Parlamentaria anceriora, præſertìm ſub Rege* Gulielmo Tertio, *& Regina* Anna, *contr ſimiles Sacerdotes Papiſticos ſtatutis (t).* Nonò : *Ut ſi quiſpiam poſt prælibatam Diem prima Januarij 1757 detegerit Sacerdotem aliquem Papalem, ſeù Regularem non regiſtratum, ità ut Sacerdos Papalis capi poſſit, & in Judicio convinci, Delator iſte in Præmium recipiet Centum Libra Sterlingas (u), à Papiſtis illius reſpectivé Comitatûs, Civitatis, vel Oppidi omninò exigendas.*

Regiſtrandus autem in publica Curia præſtabit Juramentum Allegianciæ (i, e. Fidelitatis) *bi Verbis*, anglicanis nempè, latinis verô :

“ Ego A. B, ſincere promitto, & juro, quod fidelis ero, & veram Allegianciam præſtabo Regi *Georgi*
“ *Secundo.* Sic me Deus adjuvet.”

Præſtabit quoque in publica Curia ſequens Juramentum, eidemque ſubſcribet.

“ Ego A. B. profireor, teſtor, & declaro coram Deo, quod ſum, & ero Subditus, fidus, & fidelis Su-
“ premo Domino Noſtro Regi *Georgio*, & quod eidem præſtabo Fidelitatem, & Allegianciam, prout bo-
“ nus Subditus præſtare debet.
“ Item profiteor, teſtor, & declaro coram Deo, quod exiſtimo me teneri in Conſcientia, omne Ob-
“ ſequium, & Allegianciam exhibere Supremo Domino Noſtro Regi *Georgio*, quæ juxtà Leges Dei, &
“ præſentes Conſtitutiones hujus Regni, nunc in Vigore permanentes, debetur Regi *Magnæ Britan-*
“ *niæ*, & *Hiberniæ*, in omnibus Materljs, & Rebus, ad Vitas, Libertates, & Proprietates Subditoru
hujus Terræ ſpectantibus.
“ Item promitto, & juro, quod nunquàm, directè, aut indirectè, Verbo, aut Facto, animabo, au
“ adjuvabo quamcunque Perſonam, aut quaſcunque Perſonas, in quocunque Molimine ad privandu
“ Supremum Dominum Noſtrum Regem *Georgium* Coronâ, aut Supremâ Aurhoritate, quâ nunc po-
“ titur intrà Regna *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ*, aut quodvis illorum, vel ad ſtatuendum Jus, ve
“ Titulum eorundem in quacunque alia Perſona ; & quod ſtatìm detegam quodcunque ſimile Molimen,
“ in meam perveniens Notitiam, ità ut eidem pro extremis Viribus meis occurri poſſit, poſſintque Promo-
“ tores ad Pænam redigi juxtà Leges, nunc intrà Regnum hoc in Vigore permanentes.
“ Item profiteor, & juro, me non credere, quod Papa, ſeù Epiſcopus *Romæ*, aut quodcunque Co
“ cilium, vel Cetus Epiſcoporum, aut Eccleſiaſticarum Perſonarum. habeat, vel habeant, in qu
“ cunque Caſu, legitimam aliquam Poteſtatem deponendi Reges, aut Principes, vel privandi eos ſu
“ Authoritate, aut aliquâ illius Parte, vel abſolvendi eorum Subditos à ſua Allegiancia (i. e. *Fidelitat*
neq

(r) Adeas Cap. præſ. Num. cxiii. Sect. 4. Pag. 714.

(s) Dicto *Jacobo* III, de quo Cap. viii. Num. xiv. Pag. 145.

(t) Recole Num. cxii, & cxiii hujus Capitis Pa 711, &c.

(u) Hoc eſt, quater Centum Scuta Monetæ R *manæ*.

“ neque credo, quod Papa, vel Concilium, Poteſtatem habeat me abſolvendi ab illa Allegiancia, quam
“ nunc juro Supremo Domino Noſtro Regi *Georgio*, aut diſpenſandi in quacunque Parte Juramenti,
“ quod nunc præſto; neque jam obtinui, aut unquàm acceptabo quamcunque ſimilem Diſpenſationem,
“ aut Abſolutionem.

“ Item promitto, & juro, quod nec directè, nec indirectè, nec Verbo, nec Facto, attentabo, aut
“ conabor impedire, vel immutare Succeſſionem Coronæ *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ*, ut nunc ſtat
“ limitata ad Hæredes Illuſtris *Sophiæ*, Electricis, & Ducisſæ Viduæ *Hannoveranæ* (*w*); ſed dictam
“ Succeſſionem pro Viribus ſuſtinebo, & defendam contrà Perſonas omnes quaſcunque, & præſertim con-
“ trà Perſonam prætendentem, vivente nupero Rege *Jacobo*, eſſe Principem *Walliæ*, &, poſt Mortem
“ ejus, prætendentem eſſe Regem *Angliæ*, *Hiberniæ*, aut *Magnæ Britanniæ*, ſub Nomine *Jacobi*
“ *Tertij*, vel *Scotiæ* ſub Nomine *Jacobi Octavi*: Et ſi unquam ſciam de quocunque Auſu, vel Conatu
“ ad reſcindendam, aut immutandam dictam Succeſſionem, illum adeò incunctanter detegam, ut pro
“ extremis Viribus meis talis Auſus, vel Conatus, inefficax reddatur, ejuſdemque Auctores, & Promo-
“ tores puniantur, juxtà Leges, nunc in Vigore permanentes.

“ Et hæc omnia ſincerè, & fideliter profiteor, promitto, & juro, juxtà ordinarium Senſum Verbo-
“ rum, mihi nunc lectorum, in Fide Chriſtiani, ſine ulla ſecreta Colluſione, Evaſione, Equivocatione,
“ aut mentali Reſervatione: Et ſimiliter, quod nunc juravi, omnemque ejus Partem, honeſté, & ſince-
“ ré, pro extremis Viribus explebo. Sic me Deus adjuvet.”

CXIX. Cùm autem, lecto in eadem *Domo Superiori*, primâ, & ſecundâ Vice, ut Moris eſt, recenſito Libello, (ſeù *Billà*) deprehenderet prælibatus Vicecomes *Limericenſis*, qui eundem introduxerat, Juramentum iſtud nimis atrox fuiſſe in Oculis omnium fermè Procerum, tàm Spiritualium, quàm Temporalium, idcircò iſtud modificari fecit, Libellô ſecundis Curis impreſſô (quem etiam præ Manibus teneo), in hunc Modum latinum ex anglico Idiomate.

“ Ego A. B. promitto, & juro, me præſtaturum veram Fidelitatem, & Allegianciam Majeſtati Suæ
“ Regi *Georgio Secundo*, Hæredibus ejus, & Succeſſoribus, juxtà quod Succeſſio Coronæ *Magnæ Bri-*
“ *tanniæ*, & *Hiberniæ* ſtat nunc limitata ad Hæredes nuperæ Illuſtris *Sophiæ*, Electricis, & Duciſſæ
“ Viduæ *Hannoveranæ*. Et quod patefaciam omnes Proditiones, proditorias Conſpirationes, aut Mac-
“ chinationes contrà ejus Perſonam, Coronam, & Dignitatem, ſi ad Notitiam meam pervenerint. Profi-
“ teor etiam, quod deteſtor, & abhorreo ex Corde tanquam impium, ſcandaloſum, & abominabile cre-
“ dere, quod licet interficere, aut deſtruere quamcunque Perſonam, vel quaſcunque Perſonas, ſub Præ-
“ textu Hæreſis: Item vile illud, & Pſeudo-Chriſtianum Principium, quod nulla Fides ſervanda eſt cum
“ Hæreticis, Declaro ulteriùs, non eſſe Articulum Fidei meæ, quod Perſona quæcunque Poteſtatem ha-
“ bet abſolvendi me ab Obligatione hujus Juramenti, vel quod Papa Poteſtatem habet deponendi Princi-
“ pes: Et propterea promitto, & juro, quod non docebo, prædicabo, tenebo, vindicabo, aut propugnabo
“ Doctrinas, vel Dogmata ſimilia. Et totum hoc promitto, & juro, in Fide Chriſtiani, & Sacerdotis, li-
“ berè, ſpontè, & voluntarié, in plano, & ordinario Senſu Verborum, mihi nunc lectorum, ſine ulla ſe-
“ creta Colluſione, Equivocatione, Evaſione, aut mentali Reſervatione quacunque. Sic me Deus adju-
“ vet.”

CXX. Tametſi porrò Juſjurandum hoc minùs atrox quàm præcedens videatur, hoc vel ſolo Nomine, quod expreſſè non abjuret, ut vulgò loquimur, Regem *Jacobum*, Crudelitate nihilominùs adhuc non vacat, ut plures Proceres Acatholici, tam Spirituales, quàm Temporales, animadvertebant in *Domo Dominorum* contrà illud diſceptantes, me etiam audiente, qui ſingulis illis Diebus occultus adfui. Enimverò, ut nihil dicam de Limitatione Coronæ ad Hæredes Duciſſæ *Sophiæ*, quà (& quamdiù) *Proteſtantes*, cum Excluſione nedùm Regiæ Familiæ *Stuartorum*, ſed & Principum omnium Catholicorum, hos Proximitate Sanguinis ſequentium, putà *Caroli-Emmanuelis*, Regis *Sardiniæ* (*x*); nihilque dicam de alijs ſævis ſæviſſimi Libelli Articulis, jam recenſitis, quos retuliſſe, ipſos refutaſſe eſt; nonne pluſquâm abſurdum foret, quod Sacerdos Catholicus, Catholico Populo Verbum Dei ſcriptum, & traditum Sermone, & Opere prædicans,

---

(*w*) Ex ſuperius dictis Cap. VII. Num. XVI, & Cap. præs. Num. CXII, Sect. 1, & 5, Pag. 711, & 713, conſtat, Limitationem iſtam factam fuiſſe Anno 1701 ad excludendos à Corona Principes omnes Catholicos, vel etiam Acatholicos, ſi Catholicas habeant Uxores.

(*x*) Recolendum Cap. VII. Num. XVI. Pag. 148.

eundemque Sacramentis Eccleſiæ paſcens, juret Fidelitatem Regi *Georgio*, quamdiù Cultor eſt Religionis Heterodoxæ, quamdiuque Uxorem non habet Orthodoxam, ſi verò Fidem amplectatur Orthodoxam (ut Anno ſuperiori ipſus fecit Gener, *Fredericus* nempè Princeps *Haſſiæ*, vulgo *Heſſe-Caſſel*) autve Uxorem ducat Orthodoxam, prout Reges *Carolus Primus*, & *Secundus* fecere, eo ipſo Sacerdos iſte Catholicus abjurare debet Regem (*y*), cui Fidelitatem antè juravit ? O Facinus pluſquàm indignum !

Iſtam itaque Juramenti Formulam, atque reliqua in ſæpè dicto Libello contenta, egregiè impugnarunt in ipſamet *Domo Dominorum* plures Proceres, tàm Spirituales, quàm Temporales, etſi Acatholici, nominatim Primates *Armacanus*, & *Dublinienſis*, Epiſcopi *Kildarenſis*, *Dunenſis*, & *Leghlinenſis*, atque Comes *Beſsburgenſis*, eundem propugnare conantibus Libellum Vicecomitibus de *Limerick*, & de *Powerſcourt*, necnon Epiſcopo *Elphinenſi*.

CXXI. Hinc tandem aliquandò, Die ſcilicet 29 ejuſdem Menſis Januarij 1756, in quo Libellus jàm tertiò legi debebat, poſt Diſceptationem quinque Horarum (quarum duas integras Primas *Armacanus* eleganti Argumento abſumpſit) ad Diviſionem, Numerationemque Suffragiorum pro more deventum eſt, inventumque, ex Triginta Quatuor (*z*) Proceribus, ſeù Spiritualibus, ſeù Temporalibus, qui eo Die interfuerant, Sexdecim ſuffragaſſe Libello, Octodecim verò refragaſſe. Sicque Libellus fuit ejectus, ſummâ Catholicorum omnium Lætitiâ, immò & quàm plurimorum Acatholicorum, Lenitati deditorum, qui, ſpeciali Dei Providentiâ, nunquàm deſunt. Inter Refragatores porrò erant Tres Archiepiſcopi (abſuit *Tuamenſis*), Novemque Epiſcopi ; inter Suffragatores verò Epiſcopi duntaxat Quatuor.

CXXII. Poſtquam qualemcunque hanc Hiſtoriolam abſolveram, in ſequenti Comitiorum Regni (ſeù *Parlamenti*) Seſſione, Die 11 Octobris 1757 inceptâ, præfatus *Jacobus Hamilton*, Comes de *Clanbraſſil*, Facultatem ſtatim a *Domo Dominorum* impetravit in eam alium introducendi Libellum (ſeù *Billam*) adverſùs Clerum Catholicum, quem ſubindè Typis mandavit, ſequentia complectentem Capita, quemque proindè mitiorem exiſtimari volebat altero, in Superiori Comitiorum Seſſione repudiato (*a*). Primò : *Quod conformiter ad Actum Parlamenti Anno Secundo Reginæ Annæ* (b), *novum fiet Regiſtrum Sacerdotum Papalium, unius ſcilicet pro unaquaque Parochia juxtà Paræciarum Numerum, in anteriori Regiſtro, Anno* 1709 *facto, Typiſque vulgato ſtabilitum.* Secundò : *Si Parochia aliqua ſit adeò extenſa, ut unus Sacerdos non ſufficiat, tunc alter, aut etiam plures regiſtrari poterunt, ità tamen ut omnes iſti ſupernumerarij Sacerdotes in toto Regno non excedant Numerum bis centenarium.* Tertiò : *Quod Optimates Catholici habere valeant Capellanos, Sacerdotes nempè Sæculares, qui tamen in Univerſo Regno Numerum non excedant quinquegenarium.* Quartò : *Quod omnes iſti Sacerdotes, ſicut & eorum Succeſſores, ſint ſpecialiter approbati â Prorege cum Sanctiori Concilio Regni Hiberniæ ; quodque Juramentum præſtent infrà ponendum, ſicut & Magnates illi Catholici, qui Capellanos habent.* Quintò : *Ut recenſitorum omnium Sacerdotum Succeſſores, huic ſubſcribant Declarationi :*" Ego A. B. ſolemniter declaro in Fide Chriſtiani & Sacerdotis, quod ſum Sacerdos Sæcularis, & non Regularis." Sextò : *Quod ſub Pæna amittendi Regiſtrationis Beneficium non ſeducat Proteſtantem quempiam ad apoſtatizandum a Religione Proteſtantica, aut ad militandum ſub Prætendente* (c), *aut quocunque Principe extero* : Septimò : *Quod ſub eadem Pæna Munere Sacerdotali non fungatur extrà Parochiam, aut Domum Catholici, pro qua reſpectivè eſt regiſtratus.* Octavò : *Quod in ſingulis, quas celebrabit, Miſſis Populum hortabitur anglicè, vel hibernicè ad orandum pro Rege* Georgio Secundo, *ejuſqu*

Hæredibus,

(*y*) Confer Cap. præs. Num. CXII. Sect. 1. Pag. 711.

(*z*) Proceres omnes, tam Spirituales, quam Temporales, Suffragij Jure in ſuperiori Domo Parlamenti *Hiberniæ* potientes, ſunt Centum & Quadraginta, ut liquet ex Cap. I. Num. XXII. Pag. 31.

(*a*) Confer Cap. præs. Num. CXVIII. Pag. 719.

(*b*) Adeas Cap. præs. Num. CXIII. Sect. 4. Pag. 712.

(*c*) Videſis Cap. præs. Num. CXVIII. Lit. s. Pag. 720.

Hæredibus, & Succeſſoribus, nominando eos, alioquin à Prorege amovendus. Nonò: *Quod quicunque Sacerdos Papalis, ſivè Sæcularis, ſivè Regularis. præter ſic regiſtratos, manſerit in hoc Regno poſt Diem* 1 *Januarij* 1759, *in idve advenerit, Carceribus mancipabitur per integrum Annum, quò expletô, tranſvehetur extrâ Majeſtatis Suæ Ditiones, numquam reverſurus ſub Pænà Carceris perpetui durante Vitâ.* Decimò: *Quod poſt Diem* 1. *Januarij* 1759 *nullus ſcienter audiat Miſſam Sacerdotis non regiſtrati, eumve Domi recipiet, alioquin mulctabitur Solutione Centum Librarum Sterlingarum* (d), *Delatori dandarum.* Undecimò: *Quod ſi quiſpiam poſt prælibatum Diem* 1. *Januarij* 1759 *detegerit Sacerdotem aliquem Papalem, ſivè Sæcularem, ſivè Regularem, non regiſtratum, ità ut Sacerdos ille Papalis capi poſſit, & in Judicio convinci, Delator iſte in Præmium recipiet Centum Libras Sterlingas, a Papiſtis illius reſpectivè Comitatûs, Civitatis, vel Oppidi, omninò exigendas.* Duodecimo: *Quod Actum hoc Vim habebit a Die* 1. *Januarij* 1759, *in ſuoque Robore dein permanebit per integrum Septennium, & uſque ad Finem Seſſionis Parlamenti illud proximè ſecuturæ.*"

En porrò Juramenti Formulam à Regiſtrandis omnibus præſtandi:

"Ego A. B. promitto, & juro, me præſtaturum veram Fidelitatem, & Allegianciam Majeſtati Suæ "Regi *Georgio* Secundo, Hæredibus ejus, & Succeſſoribus, juxtà quod Succeſſio Coronæ *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ* ſtat nunc per Legem limitata. Et quod patefaciam omnes Proditiones, proditorias Conſpirationes, aut Machinationes contrà ejus Perſonam, Coronam, & Dignitatem, ſi ad Notitiam meam pervenerint. Profiteor etiam, quod deteſtor, & abhorreo ex Corde tanquàm impium, ſcandaloſum, & abominabile credere, quod interficere licet, aut deſtruere quamcunque Perſonam, vel quaſcunque Perſonas, ſub Prætextu Hæreſis: Item vile illud, & Pſeudo-Chriſtianum Principium, quod nulla Fides ſervanda eſt cum Hæreticis. Declaro ulterius, non eſſe Articulum Fidei meæ, quod Perſona quæcunque Poteſtatem habet abſolvendi me ab Obligatione hujus Juramenti, vel quod Papa Poteſtatem habet deponendi Principes, & propterea promitto, & juro, quod non docebo, prædicabo, tenebo, vindicabo, aut propugnabo Doctrinas, vel Dogmata ſimilia. Et totum hoc promitto, & juro in Fide Chriſtiani, & Sacerdotis, liberè, ſpontè, & voluntariè, in plano, & ordinario Senſu Verborum, mihi nunc lectorum, ſine ulla ſecreta Colluſione, Equivocatione, Evaſione, aut mentali Reſervatione quacunque. Sic me Deus adjuvet."

CXXIII. Etsi autem in Jurisjurandi hujus Formula nonnihil explicitè prætermittatur, quod in ſuperiori Seſſione ſecundò exhibita fuit (*e*), illud nihilominùs implicitè continet, ut conferenti patebit. Hinc, poſt binam mox recenſitorum Libelli Capitum in *Domo Dominorum* Lectionem, prævidens Comes *Clanbraſſillenſis* Libellum ſuum, non ſecùs ac in ſuperiori Seſſione, ejiciendum, temperavit Juramenti Formulam, hanc Loco mox allatæ in iteratâ Libelli Editione ſubſtituens:

"Ego A. B. debitè perpendens ſacram Juramenti Naturam, & ſincerè deteſtans horrendum Crimen voluntarij, & deliberati Perjurij, promitto, & juro, quod fidelis ero, & præſtabo veram Allegianciam Majeſtati Suæ Regi *Georgio* Secundo, Hæredibus ejus, & Succeſſoribus, & quod patefaciam omnes proditorias Conjurationes, aut Machinationes contrà ejus Perſonam, Coronam, & Dignitatem, ſi ad Notitiam meam pervenerint. Et hoc promitto, & juro in Fide Chriſtiani, & Sacerdotis, in plano, & ordinario Senſu Verborum, nunc mihi lectorum, ſine ulla ſecretà Colluſione, Evaſione, aut mentali Reſervatione quacunque. Sic me Deus adjuvet."

CXXIV. Quamquam porrò mitiora dicantur hujuſmodi Libelli Capita, quàm alteriùs in Seſſione ſuperiori è *Domo Dominorum* ejecti, eorum tamen Crudelitatem Nemo non videt. Hinc ea pro virili impugnarunt Primates *Armacanus*, & *Dublinienſis*, Epiſcopus *Dunenſis*, & alij, alijs eâdem ſtrenuè propugnantibus, putà Comite *Clanbraſſillenſi*, Vicecomite de *Powers-Court*, Epiſcopis *Clocherenſi*, & *Elphinenſi*. Tandem Die 6 Decembris 1757 diſceptatum fuit an tertiò legi deberet Libellus in *Domo Dominorum*, & poſt plurium Horarum inter recenſitos Altercationem (in qua Primas *Armacanus* omnibus antecelluit) ad Diviſionem Domûs, pro More, Numerationemque Suffragiorum deventum eſt, inventumque, ex Quadraginta (*f*) Proceribus, ſeù Spiritualibus, ſeù Temporalibus, qui eo Die perſonaliter interfuerant, Novemdecim ſuffragaſſe Li-

---

(*d*) Hoc eſt, quater Centum Scutorum *Romanorum*.

(*e*) Confer Cap. præſ. Num. cxix. Pag. 721.

(*f*) Videſis Cap. præſ. Num. cxxi. Lit. z. Pag. 722.

bello, Viginti unum verò refragaſſe. Propterea tamen Libellus non fuit ejectus, Comes quippè *Clanbraſſillenſis* Procurationes produxit Sex Procerum abſentium, qui alijs Novemdecim adjuncti Numerum fecerunt Vigenarium-quinarium; Primas verò *Armacanus* pro Refragatoribus nonniſi duorum Procerum habuit Procurationes, qui reliquis adjuncti, Vigenarium-ternarium fecere Numerum, ſicque Libellus tertiâ Vice lectus fuit, indèque ad Sanctius Concilium Regni in Caſtro *Dublinienſi* miſſus, ut ibi approbatus *Londinum* pro propria Libelli Formatione, à Rege faciendâ, tranſmitteretur. Porrò inter Viginti unum Refragatores erant Quatuor Archiepiſcopi, Decemque Epiſcopi, inter Suffragatores autem nonniſi Quatuor Epiſcopi.

CXXV. Pro cujus Rei Intelligentia moneatur oportet extraneus Lector, in Legibus Nationis hujus haud probè verſatus, quod Anno 1494, *Henrico* VII Rege, ſub Equite *Eduardo Poynings*, Prorege Deputato, ſtatutum fuit, ut in Comitiorum hujus Regni Domo, ſivè Superiori, ſivè Inferiori (g), non formetur Libellus (ſeù *Billa*) pro Acto condendo, ſed Capita duntaxàt Libelli, quæ ſemel, bis, & ter ibi lecta, & approbata, mittantur ad Sanctioris Concilij *Hiberniæ* Senatores, qui niſi ea comprobent, irrita evadunt, & inania. Si verò ea comprobent, Opus eſt, ut ſub Sigillo Magno *Hiberniæ* Literas dent Teſtimoniales de Capitum illorum Idoneitate ad commune Bonum promovendum, ſicque *Londinum* ad Regem tranſmittantur. In Aula porrò Regis ex ijs formatur Libellus (ſeù *Billa*) in Modum, qui Regi placet, mittiturque ad Sanctius Concilium *Hiberniæ*, ex quo rurſus mittitur ad eandem Parlamenti Domum, ſeù Superiorem, ſeù Inferiorem, ubi Libelli Capita orta ſunt, ibique rejici poterit, vel acceptari, ſine ulla tamen Additione, vel Diminutione. Qui ſi acceptetur, ſtatim ad alteram mittitur Domum *Parlamenti*, pro ejuſdem Conſenſu, qui ſi accedat, Prorex, utrâque convocatâ Domo ſimul, eidem Libello Regium ut vocant, præbet Aſſenſum, indeque in Actum, ſeù Statutum Parlamentarium tranſit. Hoc, & & non alio Modo procedere valent Comitiales, ſeù Senatores hujus Regni, ad condendas Leges ex quo ſancitum eſt Actum illud ſub Prorege *Poynings*, quod propterea *Poynings-Act*, anglicè, i. e. *ActumPoyninganum*, paſſim nuncupatur. Indeque Poteſtas Legiſlativa eſt partim in Sanctiori Concilio *Hiberniæ*, non verò antè prælibatum Annum 1494, tunc enim propriè formabatur Libellus (ſeû *Billa*) in una Domo, & mittebatur in alteram, & reverſa cum hujus Conſenſu ad priorem, tranſmittebatur *Londinum* per Aſſenſu Regio impetrando, ſicuti etiamnùm in *Anglia* ad Leges condendas practitatur.

CXXVI. In Sanctiori igitur Concilio *Hiberniæ* apud Caſtrum *Dublinienſe*, ut Moris eſt, diſcuſſum fuit, & quidem pluribus ejuſdem Menſis Decembris 1757, & inſequentis Januarij 1758, Diebus, an Capita iſta Libelli proficua forent Bono Communi Regni *Hiberniæ*, proindeque in *Magnam Britanniam* pro Aſſenſu Regio tranſmittenda, necne? Et quamquàm, ut candidè fatear, omnimodè certam non habeam de Deliberationibus Sanctioris hujus Concilij Notitiam, Res quippè in eo peraguntur Januis clauſis, nihiloſecius mihi pro certo narratum fuit, qualiter, e quinque Juriſperitis, qui eidem intererant (duo nimirùm Cancellarij, treſque Capitales Curiarum Judices) plures, ſi non omnes, opinabantur, Capita iſta Libelli è *Domo Dominorum* reapsè ejecta fuiſſe à Viginti uno Senatoribus contrâ Novemdecim, Sex ſiquidem Suffragatores abſentes Jus non habebant ſuffragandi, utpotè qui in hac *Parlamenti* Seſſione, Die 11 Octobris 1757 jnchoatâ, nondùm præſentes fuere. Enimverò, ajebant, tametſi Senatores *Domûs Dominorum*, ad Differentiam *Domûs Communium*, valeant ſuffragari per alios Proceres Procuratores, ad ad hunc tamen Effectum Opus eſt, quod Seſſioni iſti priùs interfuerint. Sed quidquid ſit de hoc, tandem Die 18 Januarij 1758 deventum eſt ad Numerationem Suffragiorum, inventumque Quatuordecim fuiſſe contrà Libellum, Duodecim (h) autem pro eo, ſicque totum in *Domo Dominorum*

(g) Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

(h) *Sanctioris Concilii* Senatores ſunt Numero Sexaginta tres, omnium Ordinum Viri, quatuor nempe Archiepiſcopi, unuſque Epiſcopus, nonnulli Comites, Vicecomites, pauci Barones, Cancellarij, & Judices Capitales, Generales Exercitûs, Baronetti, Equites Aurati, Armigeri, quorum plures in *Anglia*, & alibi impræſentiarùm verſantur.

rum pro Libello iſto, ſeù, ut propriùs loquar, pro Capitibus iſtis Libelli, evaſit irritum, & inane.

CXXVII. Accepi, *Eduardum Morum*, anglicè *Moore*, Comitem *Drogbedanum*, qui Libello (ſeù *Billæ*) ſuffragatus fuerat in *Domo Dominorum*, eidem in *Sanctiori Concilio* refragaſſe, juxtà commune Proloquium, ipſimet Sacræ Paginæ conſonum: *Sapientis eſt mutare Conſilium.* Porrò ſi ſuffragatus fuiſſet Libello in *Sanctiori Concilio*, Partes eſſent æquales, tredecim ſcilicet Senatores hinc indè, quo in Caſu Prorex (*Joannes Ruſſell*, Dux *Bedfordij*) in Concilio tunc perſonaliter præſens, Suffragio ſuo Rem determinaſſet. Enimvero, ut obiter dicam, ſivè in *Sanctiori Concilio*, ſivè in *Parlamentariâ* Domo, ſeù Superiori, ſeù Infetiori, qui præeſt nunquam dare poteſt Suffragium, niſi, numeratis apertè Senatoribus, diviſi ſint in duas Partes omnino æquales.

Quæ cum ità ſint, fundatè ſperamus, nullum, benedicente Domino, Libellum pro Exterminatione, vel Exilio Cleri Catholici, ſivè Sæcularis, ſivè Regularis, in proximo futura Seſſione, aut exindè, moliendum fore, multo minùs in alterutram *Parlamenti* Domum admittendum, principales quippè iſtiuſmodi Tragediæ Actores, *Jacobus* nempè *Hamilton*, Comes *Clanbraſſillenſis*, *Robertuſque Clayton*, Epiſcopus *Clocherenſis*, paulò poſt, & quidem poſt breviſſimam Infirmitatem, defuncti ſunt, poſterior ſcilicèt Die 26 Februarij, prior verò Die 17 Martij, Divo *Patritio* ſacrâ, Anni 1758. Tandemque Epiſcopus *Elphinenſis* Die 29 Januarij 1762.

APPEN-

APPENDIX MONASTICA.

Exhibens Abbatias omnes, Conventus, aliaſque Religioſas Domos, in *Hibernia* ante *Henricum* VIII exiſtentes. (*a*) Ex *Waræo*, *Harriſio*, *Alemando*, & alijs.

§. I.

Abbatiæ, & Prioratus 231 Canonicorum Regularium *S. Auguſtini* (*b*)

IN NATIONE LAGENIÆ.

1. DUBLINIJ, Abbatia *S. Thomæ*, A. D. 1177 conſtructa de Mandato Regis *Henrici* II a *Gulielmo de Burgo*, Filio *Adelmi*, dicto propterea *Fitz Adelm*, Prorege Hiberniæ (*c*) qui primum poſuit Lapidem, præſentibus *Viviano Thomaſio*, Preſbytero Cardinali S. *Stephani* in *Monte Cælio*, Legato Apoſtolico, & S. *Laurentio O-Tool*, Archiepiſcopo *Dublinienſi*. Dicata porrò fuit Eccleſia S. *Thomæ Becket*, Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, Martyrium ſub eodem *Henrico* Rege antè ſex Annos paſſo. Abbati hujus Monaſterij competebat Juſpatronatûs propinquarum Parochiarum S. *Jacobi*, & S. *Catharinæ* in eadem Civitate, quod poſt Diſſolutionem Abbatiæ Comiti *Midenſi* conceſſum fuit (*d*).

2. DUBLINIJ, Prioratus *Omnium Sanctorum*, fundatus à *Dermitio* (Mac Morrough i. e. Filio Murchardi,) *O-Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, A. D. 1166 (*e*). Eò Loci nunc videre eſt Collegium SS. *Trinitatis*, de quo plura alibi (*f*). Adeas Cap. xii. Num. xiv. Lit. o. Pag. 439.

3. DUBLINIJ, Prioratus SS. *Trinitatis*, quem Canonicis Regularibus donavit S. *Laurentius O-Toole*, ejuſdem Ordinis Alumnus, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, A. D. 1166. Anteà Eccleſia erat Canonicorum Sæcularium, à *Sitrico* (Filio Amlavi) *Oſtmannorum Dublinij* Rege, & *Donato* Epiſcopo *Dublinienſi*, conſtructa A. D. 1038. Tandem verò Rex *Henricus* VIII Priorem & Conventum in Decanum & Capitulum mutavit A. D. 1541. Porrò hæc Ædes Sacra vulgò *Eccleſia Chriſti* dicitur (*g*).

4. Propè LUCAN, in Agro *Dublinienſi*, ad Ripam Fluminis *Liſſij* è Regione Saltûs Salmonum, Prioratus. S. *Catharinæ* fundatus à *Wariſio de Pech* A. 1219, annexus Abbatiæ *S. Thomæ* apud *Dublinium* A. 1327.

5. FINGLASS,

(*a*) Anglicè Typis vulgavi Appendicem hanc A. 1758, ut videre eſt Cap. xv. Num. xxxiv Pag. 554.

(*b*) In Superiori Domo Parlamenti ſedebant quà Proceres Spirituales Decem ſequentes Canonici Regulares hoc Ordine, Abbas S. Thomæ *Dublinij*; Abbas Ss. Petri & Pauli de *Ratboy*, in *Kerrienſi* Agro Momoniæ; Prior Ss. Trinitatis *Dublinij*; Prior Ss. Petri & Pauli apud *Villam novam* juxtà *Trimmam*, in *Midenſi* Agro *Lageniæ*; Prior B. Mariæ Virginis, & S. Davidis apud *Conal*, in *Kildarenſi* Agro *Lageniæ*; Prior B. Mariæ Virginis apud *Kells*, in *Kilkennienſi* Agro *Lageniæ*; Prior Omnium Sanctorum apud *Dublinium*; Prior S. Edmundi de *Athaſſel*, in *Tipperarienſi* Agro *Momoniæ*; Prior S. Crucis de *Killeigh*, in *Regis* Agro *Lageniæ*; Prior B. Mariæ Virginis de *Loutha*, in Agro ejuſdem Nominis *Lageniæ*. Adeas Cap. i. Num. xxii. Pag. 31.

Sequentes porrò Abbates *S. Thomæ* apud *Dublinium* fuere Magni *Hiberniæ* Cancellarij, nempè *Thomas Shurlock*, A. 1366; *Thomas Geraldinus*, A. 1448.

(*c*) Conſulendum Cap. ix. §. viii. Num. iv. Pag. 223.

(*d*) Confer Cap. ix. §. i. Num. xii. Lit. w. P. 195.

(*e*) Videſis Cap. ix. §. i. Num. viii. Lit. s. Pag. 191.

(*f*) Cap. ix. §. i. Num. viii. Pag. 190.

(*g*) Legeſis Cap. ix. §. i. Lit. l. Pag. 186

5. FINGLASS, duobus *Dublinio* Milliarijs, Abbatia valdè antiqua, fundata fortaſſis à S. *Patritio*, inquit *Harriſius*, Vol. II. Pag. 262.

6. IRELAND's-EYE, (i. e. *Oculus Hiberniæ*) Inſula juxtâ Agrum *Dublinienſem*, Abbatia fundatà à S. *Neſſano*, Sexto Eccleſiæ Sæculo.

7. SWORDS (latine *Surdum)* in Agro *Dublinienſi*, Abbatia fundata à S. *Columba* Abbate (cui poſtmodùm dicata fuit) ſexto Eccleſiæ Sæculo.

8. CLUAN-DOLCHAN, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Mochna*, primo illius Abbate, ſeptimo Eccleſiæ Sæculo.

9. LUSK, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Colga*, primo illius Abbate, circà A. 694.

10. TAULAGHT, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Molruano*, illius Abbate, octavo Eccleſiæ Sæculo.

11. TEGH-SACRA (i. e. *Sacra Domus*) in eodem Agro, Prioratus juxtà *Toulaght*, fundatus à S. *Moſſacro*, ſeptimo Eccleſiæ Sæculo.

12. HOLM-PATRICK (i. e. *Portus Patritij*, quia S. *Patritus* eò Loci Navi deſcendit A. 432) Inſula propè *Skerries*, in eodem Agro, Prioratus fundatus à *Sitrico* (Mac Morrough) O-*Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, duodecimo Eccleſiæ Sæculo. *Henricus* autem de *Londres*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, ad Locum commodiorem tranſtulit A. 1220.

13. CASTLE-KNOCK (i. e. *Caſtrum Rupis*) tertio ab Urbe *Dublinienſi* Lapide, Abbatia S. *Brigidæ* fundata à *Richardo Tyrell*, Sæculo Eccleſiæ xiii.

14. KILDARÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia fundata â S. *Aido*, illius Abbate, ſexto Eccleſiæ Sæculo.

15. CLUAIN-DAIHM, in eodem Agro, Abbatia fundata â S. *Ailbeo*, quinto Eccleſiæ Sæculo.

16. KIL-AUXILLE, in eodem Agro, Abbata S. *Auxilli* fundata â S. *Patritio*, Sæculo Eccleſiæ quinto.

17. GLASNAIDHEN, in eodem Agro, Abbatia fundata â S. *Mobbio Clairnech*, alias *Berchan*, illius Abbate, A. 544.

18. TULACH-FOBHAIR, in eodem Agro, Prioratus fundatus â S. *Fechino*, ſeptimo Eccleſiæ Sæculo.

19. KILRUSH, in eodem Agro, Abbatia *B. Mariæ Virginis*, fundata a *Gulielmo Marſhall* Seniore, Comite *Pembrochiæ*, Sæculo Eccleſiæ xii. Videſis Cap. ix. §. iii. Num. ii. Pag. 205.

20. Propè NAAS, in eodem Agro, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus a *Naſæ* Barone, Sæculo Eccleſiæ xii.

21. CONALL, in eodem Agro, ad *Liffium* Fluvium, Prioratus *B. Virginis Mariæ*, & S. *Davidis*, fundatus a *Milone Fitz-Henry*, Domino Juſtitiario *Hiberniæ*, ubi tumulatus eſt A. 1200. Patrem habuit *Henricum*, Filium Nothum *Henrici* Primi, Angliæ Regis.

22. SCALÆ CÆLI, in eodem Agro, ad dextram Ripam *Liffij* Fluvij, Prioratus S, *Wolſtani* fundatus à *Richardo*, primo illius Priore, & *Adamo de Heresford*, circà A. 1205.

23. GLANDALOCH (i. e. *Vallis duorum Stagnorum*) in Agro *Wickloenſi*, Abbatia SS. *Petri & Pauli*, fundata à S. *Coemgeno*, aliàs *Kevino*, ſexto Eccleſiæ Sæculo. Confer Cap. xiii. Num. li. Lit. m. Pag. 419.

24. GLANDALOCH item, Prioratus S. Salvatoris. Olim erat Diæceſis *Glandalacenſis*, ſed *Dublinienſi* poſtmodùm adjecta A. 1214, ut dictum eſt Cap. ix. §. i. Num. i. Lit. l. P. 186.

25. DRUIMH-CHAOIN-CELLAIGH, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Abbano*, ſexto Eccleſiæ Sæculo.

26. ACHAD-ABLÆ, in Agro *Wexfordienſi*, Abbatiâ fundata á S. *Finiano*, quinto Eccleſiæ Sæculo.

27. BEG-ERIN (i. e. *Parva-Inſula*) juxta eundem Agrum, Abbatia fundata â S. *Ibaro*, quinto Eccleſiæ Sæculo.

28. CAMROSS, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Abbano*, ſexto Eccleſiæ Sæculo.

29. **MAGHERE-NUIDHE**, in eodem Agro, Abbatia fundata a memorato Sancto, eodem Sæculo.

30. **FION MAGH** (. e. *Albus Campus*) in eodem Agro, Abbatia fundata ab eodem Sancto, eodem Sæculo.

31. **DISERT-CHENAN**, in eodem Agro, Abbatia fundata ab eodem Sancto, eodem Sæculo.

32. **ROSS-MAC-TREOM**, in eodem Agro, Abbatia fundata ab eodem Sancto, eodem Sæculo.

33. **TAGHMUN**, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Monnuo*, eodem Sæculo.

34. **CLUAIN-MOR**, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Edano*, eodem Sæculo.

35. **SEANBOTHÆ**, in eodem Agro, Abbatia fundata à *Colmano O-Fiachrah*, Sexto Sæculo.

36. **INEHER-DAGAN**, ad Mare, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Dagano*, eodem Sæculo.

37. **FERNÆ**, in eodem Agro, Abbata fundata à *S. Edano*, eodem Sæculo, dotata à *Brandubo*, Regulo de *Kinſellah*, ejuſdem Agri Parte,

38. **FERNÆ**, alia Abbatia *B. Virginis Mariæ*, fundata à *Dermitio* (Mac Murrough) *O Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, A. 1158. Sita eſt ad *Bannium* Fluviolum, qui ad tertium hinc Milliare *Slano* ſe committit.

39. **SELSKER**, propè *Wexfordiam*, in eodem Agro, Prioratus *SS. Petri & Pauli*, fundatus Sæculo Eccleſiæ XII, à Familia *de Rupe*, vulgo *Roche*, de qua videſis Cap. IX. §. XLII. Num. II. Lit. f. Pag. 334.

40. **DUNÆ**, in eodem Agro, ad *Derrihy* Amniculum, qui non procul hinc *Slano* conſociatur, Prioratus fundatus antè A. 1172.

41. **INNISCORTHY**, in eodem Agro, Prioratus *S. Joannis Evangeliſtæ*, fundatus à *Geraldo de Prendergaſt*, Domino Loci, & *Joanne de S. Joanne*, Epiſcopo *Fernenſi*, circà A. 1240.

42. **KLIKENNIÆ**, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus *S, Joannis Evangeliſtæ*, fundatus à *Gulielmo Marſhall*, Seniore, Comite *Pembrochiæ*, A. 1211. Adeas Cap. IX. §. III. Num. ii. Pag. 205.

43. **FEDH-DUIN**, alijs *Fiddowne*, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Meodoco*, ſexto Sæculo.

44. **KILMANAGH**, in eodem Agro, Abbata fundata à *S. Natali* Abbate, eodem Sæculo. Adeas §. præs. Num. 228.

45. **KELLS**, in eodem Agro, Prioratus *B. Virginis Mariæ*, fundatus a *Galfrido Fitz-Robert*, Seneſcallo *Lageniæ*, circà A. 1183.

46. **INISTIOCK**, in eodem Agro, Prioratus *S. Columbæ* fundatus à *Thomas Fitz-Anthony*, Seneſchallo *Lageniæ*, Suaſu *Hugonis Rufi*, aliàs *le Rous*, Canonici Regularis, Epiſcopi *Oſſorienſis*, circa A. 1206.

47. **FERTNEGERAH**, in eodem Agro, Prioratus *S. Kirani*, fundatus à Familia de *Blanchfield*, Sæculo XIII.

48. **LEIGHLIN**, in Agro *Carloenſi*, Abbatia fundata à *S. Gobbano*, ſexto Sæculo.

49. **LEIGHLIN** item, Prioratus *S. Stephani* fundatus à *Burchardo*, Norwego, *Gurmundi* Filio, Sæculo ix.

50. **AGHA-CAINID**, aliâs *Tegh-Moling*, anglicè *S. Mullins*, vulgó *Simulins*, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Molino* Abbate, ſexto Sæculo.

51. **SAIGER**, alijs **SEIR-KIRAN**, in Agro *Regis*, Prioratus *S. Kirani*, fundatus à *S. Kirano* Seniore, Diæceſis olim dictæ *Saigerenſis*, nunc *Oſſorienſis*, primo Epiſcopo, & Patrono, Sanctorumque *Hibernorum* primogenito, quinto Sæculo, ſeu, ut loquitur *Wareus*, in prima Eccleſiæ *Hiberniæ* Infantia. Vid. Cap. ix. §. iii. Num. i. & §. xxx. Num. i. Pag. 204, & 297.

52. **BIRRÆ**, in eodem Agro, Abbatia *S. Brandani*, Senioris, fundata ſexto Sæculo.

53. **DAIRMORE**, alis *Linalli*, in eodem Agro, Abbatia *S. Colmani*, fundata à *S. Colmano* Abbate, eodem Sæculo.

54. **CLONMACNOISÆ**, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Kirano*, Juniore, Abbate, A. 548.

55. **CLONFERT-MOLUA**, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Molua*, ſexto Sæculo.

56. **GALEN**, in eodem Agro, Prioratus fundatus à *S. Canoco*, ſeù *Mochenoco*, circà A. 492.

57. KILLEIGH, in eodem Agro, Prioratus *S. Crucis*, fundatus à S. *Sincello Mac-Cenenian*, Abbate, circà A. 548.

58. DURROCH, ſive *Dermagh*, in eodem Agro, Abbatia *B. Virginis*, fundata à *S. Columba*, Abbate, circà A. 550.

59. KIL-ABBAIN, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Abbano*, ſexto Sæculo.

60. LAITHMORE, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Pulcherio*, ſeptimo Sæculo.

61. AGHAVOÆ, in Agro *Reginæ*, Abbatia fundata à S. *Canico*, Abbate, ſexto Sæculo. Videſis Cap. ix. §. xxx. Pag. 295.

62. CLONENAGH, ſivè *Cluain-Ednagh*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Fintano*, Abbate, eodem Sæculo.

63. ANNATRIM, ſivè *Enach-Truim*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Colmano*, Abbate, eodem Sæculo.

64. AGHAD-ARDGLAIS, alijs *Achad-Finglaſs*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Fintano*, Abbate, eodem Sæculo.

65. ACHAD-UR, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Lactino*, eodem Sæculo.

66. CLUAIN-IMURCHIR, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Brecano*, ſeù *Brocano*, Abbate, eodem Sæculo.

67. ROSS-TUIRK, in eodem Agro, Abbatia fundata a mox laudato Sancto, eodem Sæculo.

68. GLEAN USSEN, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Comgano*, eodem Sæculo.

69. MENEDROCHAID, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Mancheno*, Abbate, ſeptimo Sæculo.

70. AGHA-MACART, in eodem Agro, Prioratus fundatus ab *O-Dempſæis*, Progenitoribus Dominorum Vicecomitum de *Clanmalier*. Confer Appendicis hujus §. viii. Num. 17.

71. TRIMMÆ, in Agro *Midenſi Orientali*, Abbatia *B. Virginis Mariæ*, fundata à *S. Lomano* (Nepote S. *Patritij*) quinto Sæculo, conſtructa à *Lacæis*, Progenitoribus *Hugonis de Lacy*, Junioris, Comitis *Ultoniæ*, duodecimo Sæculo. Confer Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275. & Num. 82. §. præs.

72. DULEEK, alias *Damliagh*, in eodem Agro, Prioratus S. *Cianani*, ab eodem fundatus Sancto, quinto Sæculo.

73. DULEEK item, Prioratus *B. Virginis Mariæ*, fundatus à quodam *O-Kelly*, diù ante *Anglorum* Adventum in *Hiberniam* A. 1172. Adeas Cap. IX. §. IX. Num. II. Lit. f. Pag. 235.

74. DULEEK item, Noſocomium pro Infirmis exiſtens A. 1403.

75. DOMNAC-PHADRAIG (i. e. *Eccleſia* S. *Patritij*) in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Patritio*, A. 433.

76. SLANÆ, in eodem Agro, ad *Boinum* Fluvium, Abbatia fundata á S. *Patritio*, quinto Sæculo.

77. CLONARDÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Finiano*, ſexto Sæculo.

78. CLONARDÆ item, Prioratus *S. Petri* fundatus duodecimo Eccleſiæ Sæculo á *Lacæis*, Fundatoribus quoque Abbatiæ *Trimmenſis*, ut nuper dictum Num. 71.

79. DISERT-MOHOLMOC, in eodem Agro, Abbatia *S. Colmani*, ab eodem fundata Sancto, ſexto Sæculo.

80. KIL-ABBAIN, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Abbano*, ſexto Sæculo, diſtincta ſanè Domus ab alia ejuſdem Nominis in Agro *Regis*, de qua Num. 59. hujus .

81. CLUAINFODÆ, nunc *Ecra-Tulach*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Libreno*, ſeptimo Sæculo.

82. COLPÆ, in eodem Agro, Prioratus fundatus ab *Hugone de Lacy*, Seniore, Domino *Midiæ*, circà A. 1182. Vid. Num. 71 hujus §.

83. NAVANÆ, in eodem Agro, Abbatia *B. Virginis Mariæ*, fundata Sæculo Eccleſiæ Duodecimo, á *Jocelino de Angulo*, vernaculè *Nangle*, Progenitore Baronum *Navanenſium*. Conſulendum Cap. ix. §. xviii. Num. iii. Lit. x. 264.

84. **NEWTOWN** (latinè *Villa Nova)* juxtà *Trimmam*, in eodem Agro, Prioratus *SS. Petri & Pauli*, fundatus à *Simone de Rupeforti*, vernaculè *Rochfort*, Epiſcopo *Midenſi*, circà A. 1206.

85. **BALLIBOGAN**, aliàs *de Laude Dei*, in eodem Agro, ad *Boinum* Fluvium, Prioratus *SS. Trinitatis*, fundatus, ut Fama tenet, Sæculo xiii.

86. Propè **RATOUTH**, in eodem Agro, Abbatia *S. Mariæ Magdalenæ*.

87. **MOLINGARÆ**, in Agro *Midenſi Occidentali*, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatus à *Radulpho Petit*, Epiſcopo *Midenſi*, circà Annum 1227. Adeas Pag. 264. Lit. x.

88. **RATH-AODRA**, ſeù *Rath-Edha*, iu eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Aido*, ſexto Sæculo.

89. **RATHENIN**, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Carthago*, eodem Sæculo.

90. **DRUMCUILIN**, prope *Rathenin*, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Barindeo*, ejuſdem Abbate, circa A. 590.

91. **FOURÆ**, alias *Favoriæ*, in eodem Agro, Prioratus SS. *Taurini & Fechini*, fundatus à S. *Fechino*, ſeptimo Sæculo. Confer §. vi. hujus Append. Num. 8.

92, **TIBRAID**, in eodem Agro, Abbatia fundata á laudato S. *Fechino*, eodem Sæculo.

93. **CLUAN-DACHRAN**, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Mochna Mac-Neill*, primo illius Abbate, eodem Sæculo.

94. **TRISTERNAGH**, in eodem Agro, Prioratus B. *Virginis Mariæ*, fundatus à *Galfrido Conſtantin*, Equite Aurato, circà A. 1200.

95. **TOBAR-CORMAC** (i. e. *Fons Cormaci*) in eodem Agro, Abbatia fundata .... Confer Cap. ix. §. xxxix. Num. ii. Pag. 327.

96. **ARDAGH**, in Agro *Longofordienſi*, Abbatia fundata à S. *Patritio*, aut S. *Mela*, quinto Sæculo.

97. **INISMORE** (i. e. *Inſula magna)* in Lacu *Gaun*, in eodem Agro, Prioratus fundatus S. *Columba*, Abbate, Sæculo ſexto.

98. **INIS-BO-FIN** (i. e. *Inſula Vaccæ Albæ*) in Lacu *Ree*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Riocho*, eodem Sæculo. Videſis aliam ejuſdem Nominis Abbatiam §. præs. Num. 208.

99. **INISCLOGHRAN**, in Lacu *Ree*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Dermitio*, eodem Sæculo.

100. **INISAINGIN**, in Inſula *omnium Sanctorum*, in eodem Agro, Prioratus fundatus à S. *Kirano*, Juniore, Abbate, A. 544.

101. **KILMODAIN**, in eodem Agro, Abbatia fundata fortaſſis à *Modano*, ejuſdem Abbate, ſexto Sæculo.

102. **DERG**, in eodem Agro, Prioratus S. *Petri*, fundatus à *Gormgallo O-Quin*, Sæculo xiii.

103. **LOUTHÆ**, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus B. *Virginis Mariæ*, fundatus à S. *Mocto*, quinto Sæculo.

104. **LOUTHÆ** item, Prioratus fundatus à S. *Donato O-Carroll*, Rege *Ergalliæ* (nunc dicto, quoad Partem, *Comitatu*, ſeù Agro, *Louthano*) & *Edano O-Kelly*, Epiſcopo *Clocherenſi*, A. 1148.

105. **KNOCK** propè *Loutham*, in eodem Agro, Abbatia SS. *Petri & Pauli* fundata à mox laudato *Donato O-Carroll*, Sæculo xii.

106. **DRUIM-INIS-GLUIN**, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Patritio*, quinto Sæculo

IN NATIONE ULTONIÆ.

107. **ARMACÆ**, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia SS. *Petri & Pauli*, fundata à S. *Patritio*, quinto Sæculo, reſtaurata àb *Imario O-Hedegan*, Sæculo xii.

108. **CLUAIN-FIACHUL**, in eodem Agro, Abbatia ſundata à S. *Lugadio*, ejuſdem Abbate, qui migravit e Vita A. 580.

109. **DUNI** (vernacule *Down*) in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus

datus à *Malachia* O-*Morgair*, A. 1138. Paſſim nuncupatus erat *Prioratus Hibernorum*, ut in hac dicetur Append. §. v Num. 4. Videſis §. vi. Num. i.

110. SAUL, in eodem Agro, Prioratus S. *Patritij*, fundatus à S. *Patritio*, A. 432, reſtauratus à *Malachia O-Morgair*, Sæculo xii.

111. MOVILLÆ, in eodem Agro, Abbatia S. *Finiani*, fundata à S. *Finiano*, circà A. 550.

112. BANÇHOR, vulgò *Bangor*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Congallo*, primo illius Abbate, A. 555, reſtaurata á *Malachia O Morgair*, A. 1120. Legeſis melliflua de Cænobio hoc S. *Bernardi* Verba Cap. i. Num. xiv. Pag. 21.

113. NENDRUM, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Cailano*, illius Abbate, quinto Sæculo.

114. DROMORÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Colmano*, Abbate, ſexto Sæculo.

115. MACHAIRE-LINN, in eodem Agro, Abbatia fundata à mox laudato Sancto, eodem Sæculo.

116. RATH-MUIGHE, in Agro *Antrimenſi*, Abbatia fundata á S. *Patritio*, quinto Sæculo.

117. MUCMORE, in eodem Agro, Prioratus *B. Virginis Mariæ*, & S. *Colmani-Elli*, ab eodem fundatus Sancto, circà A. 550.

118. RAGHLIN, Inſula ſeptentrionalis Littoris ejuſdem Agri, Abbatia fundata à *Lugaid-Laitbiro*, circà A. 591.

119. KILBOEDAN, alias *Kiloſcoba*, in eodem Agro, Abbatia fundata á S. *Boedano*, ſexto Sæculo.

120. ACHAD-DUBTHAIGH, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Goaro*, Seniore, ſeptimo Sæculo.

121. KELLS, ſeù *Diſert-Kellach*, in eodem Agro, Prioratus B. *Virginis Mariæ*, fundatus à *Kellacho*, Anachoretâ, antè A. 828,

122. DERRIÆ (vernaculè *Derry*, nunc *London-Derry*) in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia S. *Columbæ*, Abbatis, ab eodem fundata A. 545, vel 546.

123. COLRANÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata Sæculo quinto.

124. CAMBOS, ſeù *Camus*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Congallo*, Abbate, A. 580.

125. DUNGEVIN, in eodem Agro, Prioratus fundatus ab *O-Cabanis*, A. 1100.

126. INSULA S. DABOECI, in *Lacu Rubro*, vernaculè *Lough-Derg*, in Agro *Donegalenſi*, Prioratus fundatus a S. *Daboeco*, aut S. *Patritio*, Sæculo quinto: Paſſim appellatur *Purgatorium S. Patritij*, ut ſuperius dictum Cap. i. Num. iii. Lit. b. Pag. 4. Adeas Cap. xii. Num. xiv. Lit. o. Pag. 439.

127. CUODAIN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Conano*, illius Abbate, ſexto Sæculo.

128. CONGOAIL, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Fiacrio*, illius Abbate, eodem Sæculo.

129. DRUIM-TUOM, nunc *Drumhome*, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Ernano*, eodem Sæculo.

130. MAGBILÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Finiano*, eodem Sæculo.

131. FATHEN-MURA, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Muro*, ſexto, aut ſeptimo Sæculo.

132. BOTH-CONAIS, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Congallo* (non *Banchorenſi* Abbate, de quo §. præſ. Num. 112) Sæculo ſeptimo.

133. CLOGHER, in Agro *Tyronenſi*, Abbatia *B. Virginis Mariæ*, fundata à *S. Macartino*, quinto Sæculo.

134. DEVENISH, aliàs *Dam-Inis*, in eodem Agro, Prioratus B. *Virginis Mariæ*, fundatus S. *Macartino*, quinto Sæculo.

135. INIS-MUIGH-SAMH, Inſula Laci *Ernæ*, in Agro *Fermanacano*, Abbatia fundata à S. *Ninnidio*, Abbate, quinto Sæculo.

136. CLUAIN-INIS, alia Inſula Laci *Ernæ*, in eodem Agro, Abbatia fundata à *Sinello Mac-Mainacur*, Abbate.

137. LISGAVAILOR-LISGOOL, in eodem Agro, Prioratus fundatus A. 1106.

138. CLONES, ſeù *Cloniſh*, in Agro *Monacano*, Abbatia *SS. Petri & Pauli*, fundata à *S. Tigernaco*, qui ad Superos evolavit A. 550.

139. MUC-NAIMH, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Moeldodo*.

140. DRUMLAHAN, in Agro *Cavanenſi*, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatus à *S. Edano*, aliàs *Maidoco*, ſexto Sæculo.

141. KILACHAD, in eodem Agro, Abbatia fundata à *S. Tigernaco* (non de quo mox dictum Num. 138) Sæculo octavo.

IN NATIONE MOMONIÆ.

142. JUxtà WATERFORDIAM, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus *S Catharinæ*, confirmatus ab *Innocentio* III, Pontifice Maximo, A. 1210, dotatus ab *Elia Fitz-Norman*.

143. DISERT-NAIRBRE, in eodem Agro, Abbatia fundata a *S. Maidoco* de *Ferna*, quinto Sæculo.

144. DAR-INIS, Inſula prope eundem Agrum, Abbatia *S. Molanſidi*, ab eodem fundata Sancto, ſexto Sæculo. Præfuit ibi poſtea S. *Fachnanus*, nuncupatus *Mongach*, i. e. *Crinitus*, quia cum Cæſarie natus.

145. MOTHIL, in eodem Agro, Abbatia *SS. Coani*, & *Brogani*, a S. *Brogano* fundata, eodem Sæculo.

146. LISMORÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Carthago*, A. 630.

147. DUNGARVAN, ſivè *Achad-Garvan*, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Garvano*, ſeptimo Sæculo.

148. GLASMORÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Cronano*, eodem Sæculo.

149. ARDMORÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata a *S. Declano*, qui floruit quinto Sæculo,

150, CORCAGIÆ, vulgò *Corke*, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia S. *Barrij*, (olim hibernicè *Finbarry*) fundata a *Cormaco*, Rege *Deſmondiæ*, ſivè *Momoniæ Auſtralis*, A. 1134.

151. CLUAIN-ARD-MOBECOC, in eodem Agro, Abbatia S. *Becani*, alias *Mobecoci*. fundata a S. *Abbano*, ſexto Sæculo.

152. CLUAIN-FINGLASS, in eodem Agro, Abbatia fundata a mox memorato Sancto, eodem Sæculo.

153. KIL-ACHAD-CONCHEAN, Abbatia ab eodem fundata Sancto, eodem Sæculo.

154. ROSS-CARBRY, in eodem Agro, Prioratus fundatus a S. *Fanchano*, eodem Sæculo.

155. TULACHMIN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Molagga*, ſeptimo Sæculo.

156. BALLIBEG, in eodem Agro, Prioratus S. *Thomæ*, fundatus a *Gulielmo de Barry*, Progenitore Comitum de *Barrymore*, dotata a Filio ejus *Davide*, A. 1237. Vid. Cap. ix. §. vi. Num. ii. Lit. i. Pag. 215.

157. BALLINDROUGHED, apud Pontem *Fermoianum*, in eodem Agro, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatus ab *Alexandro* (Filio Hugonis) *de Rupe*, vulgò *Roche*, Progenitore Vicecomitum de *Fermoy*, Sæculo xiii. Legeſis Cap. ix. §. xlii. Num. ii. Lit. l. Pag. 334.

158. TULLALES, in eodem Agro, Prioratus fundatus a *Matthæo Fitz-Griffin*.

159. WEEMÆ, in eodem Agro, Abbatia S. *Joannis Evangeliſtæ*.

160. OBALVENÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata . . . . .

161. LIMERICI, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, & S. *Eduardi*, fundatus a *Simone Minor*, Cive *Limericenſi*, Sæculo xiii.

162. MUNGAIRER, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Patritio*, quinto Sæculo.

163. INISCATTÆ, Inſulæ in Fluvio *Shanano*, in eodem Agro, Prioratus S. *Senani*, ab eodem fundata Sancto, quinto Sæculo.

164. CLUAIN-CLAIDEC, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Edano*, Epiſcopo *Fernenſi*, ſexto Sæculo.

165. KILMALLOC, latinè *Killocia*, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Mochellocho*, ſeptimo Sæculo.

166. RATHKELÆ, in eodem Agro, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatus a quodam, cui Cognomen *Harvey*, circa A. 1200, dotata ab *Eleonora Purcell*, A. 1289. Videſis Cap. ix. §. xvii. Num. iii. Lit. x. Pag. 264.

167. KINNITHIN, in eodem Agro, Abbatia fundata antè A. 1300.

168. EMLIÆ, in Agro *Tipperarienſi*, Abbatia fundata a S. *Ailbo*, quinto Sæculo.

169. LORHOÆ, ſivè *Lothræ*, latinè *Lothoriæ*, in eodem Agro, Prioratus S. *Ruadani*, ab eodem fundatus Sancto, ſexto Sæculo.

170. ARDFINAN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Finiano*, ſexto Sæculo.

171. ROSCREÆ, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Cronano*, eodem Sæculo.

172. CLUAIN-COMIBRUIN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Abbano*, eodem Sæculo.

173. ENACH-MIDBRENIN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Aido*, eodem Sæculo.

174. INISLANNAUGHT, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Pulcherio*, eodem Sæculo.

175. INCHINEMEO, in eodem Agro, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, & S. *Hilarij*, fundatus a S. *Donano*, ſeptimo Sæculo.

176. THOMÆ, in eodem Agro, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatus a S. *Donano*, eodem Sæculo.

177. TIRDEGLASS, in eodem Agro, Abbatia fundata a *Colmano-Stellano*, Abbate, A. 624.

178. ATHASELÆ, in eodem Agro, Prioratus S. *Edmundi*, Regis, & Martyris, fundata A. 1200 a *Gulielmo* (Filio Adelmi) *de Burgo* (memorato in hoc §. Num. i. Pag. 726) defuncto A. 1206, & ibidem tumulato. Confer Cap. ix. §. v. Num. iv. Pag. 211.

179. NENAGHÆ, in eodem Agro, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus A. 1200 a *Theobaldo Walter*, poſtmodum cognominato *Butler*, de quo ejuſque Familia legeſis Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

180. CAHIR-DUNESK, in eodem Agro, Prioratus B. *Mariæ Virginis*, fundatus a *Galfrido* de *Camvil*, Sæculo xiii.

181. CARRICK-ON SUIR, latinè *Rupes ſuprà Surium*, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus a *Gulielmo de Cantelo*, ejuſque Uxore *Dioniſia*, eodem Sæculo.

182. INIS-FALLEN, in Lacu *Lean*, in Agro *Kerrienſi*, Prioratus fundatus a S. *Finiano*, ſexto Sæculo.

183. S. MICHAELIS MONS (olim hibernicè *Ballinne-Scelig*, quia in una ex Inſulis nuncupatis *Sceliges*, juxtà Littus) in eodem Agro, Abbatia fundata a *Flano Mac-Cellach*, Abbate, qui Diem clauſit extremum A. 885.

184. KILLAGHÆ, in eodem Agro, Prioratus B. *Mariæ Virginis* de *Bello Loco*, fundatus à *Galfrido de Mariſcis*, Sæculo xiii.

185. RATHOY, in eodem Agro, Prioratus SS. *Petri* & *Pauli*, fundatus à quodam *Gulielmo*, Canonico Regulari, eodem Sæculo.

186. CLARÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia (dicta etiam *Kilmoney*, & de *Forgio*, a Nomine Fluvij) SS. *Petri & Pauli*, fundata à *Donaldo* (ſeù *Daniele*) *O-Brien*, Rege *Limerici*, A. 1195. Videſis Cap. ix. §. v. Num. ii. Pag. 211.

187. INIS-LUÆ (Inſulæ *Shanani* Fluvij) in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Senano*, quinto Sæculo.

188. INIS-KEALTRÆ (Inſulæ item *Shânani*) in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Camino*, ſeptimo Sæculo

189. INIS-NEGANANAGH (i. e. *Inſula Canonum*, in Portu *Limericenſi*, ac Ore *Shanani*) in eodem Agro, Prioratus fundatus à *Donaldo O-Brien*, Rege *Limerici*, nuper laudato, Sæculo xiii.

IN NATIONE CONACIÆ.

190. TUAMÆ, in Agro *Galvienſi*, Abbatia fundata à S. *Jarlatho*, quinto Sæculo.

191. TUAMÆ item, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus a *Tirlacho O-Connor*, Rege *Hiberniæ*, circà A. 1140. Videſis Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

192. CLUAIN-FOIS, in eodem Agro, Abbatia ab eodem fundata S. *Jarlatho*, quinto Sæculo.

193. ARRANÆ, in magna Inſula *Arranenſi* propè eundem Agrum, Abbatia fundata à S. *Endeo*, A. 449. Confer §. xi. præs. Append. Num. 50.

194. KIL-CONAIL, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Conallo*, quinto Sæculo.

195. CLONFERTÆ, in eodem Agro, Prioratus B. *Mariæ Virginis*, fundatus â *S. Brandano*, A. 558.

196. KIL-MAC-DUACH, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Colmano Mac-Duach* (ſic cognominato quia *Duachi* Filio) primo Epiſcopo *Duacenſi*, vulgò *Kilmacduach*, ſexto Sæculo.

197. INIS-MAC-HUA-CUIN (Inſula Lacûs *Corrib*) in eodem Agro, Abbatia fundata â *S. Brandano de Clonferta*, eodem Sæculo.

198. RATHMAT, (propè Lacum *Corrib*) in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Furſæo*, Abbate, eodem Sæculo. Nunc ibi ſtat Eccleſia Parochialis dicta *Kil-Furſa* à laudato Sancto.

199. KIL-CUANNA, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Cuanna*, eodem Sæculo.

200. IMAIDH, ſeù *Immagh* (Inſula Littoris) in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Fechino*, eodem Sæculo.

201. ARDOILEN (alia Littoris Inſula) in eodem Agro, Abbatia à prælibato fundata Sancto, eodem Sæculo.

202. CLONTOUSKIRT-O-MANY, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Boadano*, illius Abbate, qui migravit in Cælum A. 809. Adeas §. præſ. Num. 218.

203. AGHRIM, in eodem Agro, Prioratus S. *Catharinæ* fundatus à *Theobaldo Walter*, poſtmodum *Butler* cognominato (de quo nuper Num. 179) Sæculo xiii.

204. MONASTER O-GORMAGAN, in eodem Agro, Abbatia B. *Mariæ Virginis* de *Via Nova*, à quodam fundata Familiæ *Gormaganæ*, memorato in Commentarijs publicis (anglicè *Records*) A. 1308.

205. ENACH-DUNÆ, in eodem Agro, Abbatia, S. *Mariæ de Portu Patrum*. Hanc adjudicat *Waræus* Canonicis *Præmonſtratenſibus*, conſule tamen Cap. xiv. Num. xiv. Pag. 439.

206. MAYO, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia S. *Colmani*, fundata à S. *Colmano*, Epiſcopo *Landisfarnenſi*, in *Anglia*, qui abdicato Epiſcopatu, in *Hiberniam* redijt A. 665, ubi, ut refert *Waræus*, in Monaſterio hoc a ſe conſtructo *Anglo Saxones* (inter quos fuit S. *Geraldus*) collocavit, unde Locus olim dicebatur hibernicè *Magiona-Saſſon*, i. eſ *Mayo Saxonum*. Adeas Cap. xii. Num. xiv. Lit. o. Pag. 439.

207 GONG, in eodem Agro, Abbatia fundata à *Donaldo*, Filio *Ædi*, ſivè *Hugonis*, Rege *Hiberniæ*, A. 624, Adeas Locum mox laudatum.

208. INIS-BO-FIN (vid. §. præſ. Num. 98.) in eodem Agro, Abbatia fundata à mox laudato S. *Colmano*, circà A. 665.

209. BALLINTOBBER, aut *de Fonte S. Patritij*, in eodem Agro, Abbatia SS. *Trinitatis*, fundata à *Cathaldo-O-Connor* (paſſim dicto hibernicè *Crovderg*, i. e. *Manûs rubræ*, ſeù *de Pugno rubro*) Rege *Conaciæ*, A. 1216.

210. *Sanctæ Crucis* (anglicè *Holy-Croſs*) in eodem Agro, Prioratus fundatus ab Abbatibus de *Ballintobber*, eiſque ſubditus.

211. ELITHERIA, in eodem Agro, Abbatia fundata à S. *Geraldo*, ſeptimo Sæculo.

212 ANNAGH, in eodem Agro, Prioratns fundatus Sæculo Eccleſiæ decimo-quinto à *Gualtero* (Filio Thomæ) *de Burgo*, Domino *Mac-William Oughter*, cujus Frater, *Edmundns* (agnominatus

minatus *Barbatus*, hibernicè *Ni Feſoig) de Burgo*, Progenitor fuit Vicecomitum de *Mayo*. Conſulendum Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 318.

213. ROSCOMANIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Abbatia S. *Comani*, ab eodem fundata Sancto, circá A. 550.

214. INCHMORÆ, (Inſulæ Lacûs *Ree)* in eodem Agro, Prioratus fundatus a S. *Liberio*, quinto Sæculo.

215. INCHMACNERIN, alias *Inchvicrinni*, antiquitùs *Easmac-Neire*, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Columba*, ſexto Sæculo.

216. EADARDRUIM, in eodem Agro, Prioratus fundatus a S. *Diradio*, eodem Sæculo.

217. CLONTOUSKIRT-NATIN, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Faithlaco.*

218. CLUAIN-CAIKPTHE, in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Beracho*, circa A. 600.

219. MONASTER-EVAN, (i. e. *Abbatia* S. *Evani)* Abbatia memorata in Inquiſitione facta Anno 28 Regni *Elizabethæ*.

220. LISDUFFE. in eodem Agro, Prioratus conceſſus *Dublinienſi* Collegio SS. *Trinitatis.*

221. DORHANÆ, in eodem Agro, Prioratus, cujus Patroni erant *O-Connori*, Reges *Conaciæ*. Adeas Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

222. KILMORÆ, in eodem Agro, Prioratus B. *Mariæ Virginis*, fundatus a *Conoſſio O-Flanagan*, A. D. 1232.

223. DRUIM-LIAS, in Agro *Sligoenſi*, Abbatia fundata a S. *Patritio*, quinto Sæculo.

224. ACHONRY, alias *Achad-Conair* (latinè *Achada*) in eodem Agro, Abbatia fundata a S. *Finiano* circa A. 530.

225. AKERAS, alias *Kilmalton*, in eodem Agro, Prioratus fundatus â S *Molaiſſo*, Abbate, ſeptimo Sæculo.

226. BALLI-ASSADARÆ, in eodem Agro, Abbatia *S. Fechini*, ob eodem fundata Sancto, qui ad ſuperos migravit A. 665.

227. BILÆ, in eodem Agro, Abbatia *S. Fechini*, ab eodem fundata Sancto, Sæculo ſeptimo

228. KIL-NA-MANAGH, (i. e. *Domus Monachorum*) in eodem Agro, Abbatia *S. Fechini*, ab eodem fundata Sancto, Sæculo eodem. Aliam nuper memoratam ejusdem fermê Nominis Abbatiam videſis Num. 44. Pag. 728.

229. DRUM-RATHÆ, in eodem Agro, Abbatia a mox laudato fundata Sancto, eodem Sæculo.

230. KIL-GHARBAN, in eodem Agro, Abbatia fundata ab eodem Sancto, eodem Sæculo.

231. MOYHIL, aliàs *Moethel*, in Agro *Leitrimenſi*, Prioratus *B. Mariæ Virginis*, fundatu à S. *Mancheno*, Abbate, ſeptimo Sæculo.

§. II.

Monaſteria 36 *Canoniſſarum* Ordinis *S. Auguſtini.*

1. DUBLINIJ, Monaſterium *S. Mariæ de Hoggis*, fundatum à *Dermitio* (Mac-Murrough, ſivè Filio *Murchardi) O-Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, circà A. 1146. In eo ſitum fuit Loco, ubi nunc viſitur Domus Viduarum pauperum, in *Hoggorum Colle*, *dicto* anglicè *Hogg-Hill*, propè Parochialem Eccleſiam rotundam S. *Andreæ*.

2. GRACE-DIEU, aliàs *de Gratia Dei*, in Agro *Dublinienſi* apud *Fingallos*, Monaſterium fundatum à *Joanne Comyn*, Archiepiſcopo *Dublinienſi*, circà A. 1190.

3. KILDARÆ, Monaſterium S. *Brigidæ*, ab eadem fundatum Sancta, circa A. 480

4. CLUAIN-BRONACH, in Agro *Longofordienſi*, Monaſterium fundatum a S. *Patritio*, Sæculo quinto.

5. DRUIMCHEO, in eodem Agro, Monaſterium ab eodem fundatum Sancto, eodem Sæculo.

6. KIL-LIADAIN, in Agro *Regis*, Monaſterium fundatum a S. *Kirano*, Seniore, Epiſcopo, pro Matre ſua *Liadana*, eodem Sæculo.

7. AR-

7. ARMACÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Monaſterium, paſſim nuncupatum *Templum Brigidæ*, fundatum a S. *Patritio*, eodem Sæculo.

8. ARMACÆ item, Monaſterium dictum hibernicè *Temple-na-Fearta* (i. e. *Templum Miraculorum*) ab eodem fundatum Sancto, eodem Sæculo.

9. KILSLEVÆ, in eodem Agro, Monaſterium fundatum a S. *Darerca* Virgine, Abbatiſſa, S. *Patritij* Sorore, eodem Sæculo.

10. ROSS-OIRTHIR, in Agro *Fermanacano*, Monaſterium fundatum a S. *Fanchea*, eodem Sæculo.

11. ROSS-BENCHUIR, in Agro *Clarenſi*, Monaſterium fundatum a S. *Conchea*, eodem Sæculo.

12. KILARACHT, in Agro *Roſcomanienſi*, Monaſterium fundatum a S. *Patritio*, pro Sorore ſua S. *Athbracta*, eodem Sæculo.

13. CLONMACNOISÆ, in *Regis* Agro, Monaſterium, ut fert Traditio, fundatum . : . : Ibi viſuntur Ruinæ Fornicis, quem ferunt Partem fuiſſe Capellæ *Riaghtalta Kailleach*, i. e. *Religioſarum Vetularum*, ſic enim Moniales hibernicè nuncupantur.

14. LINÆ, propè *Rupem-Ferguſiam*, vernaculè *Carrick-Fergus*, in Agro *Antrimenſi*, Monaſterium fundatum a S. *Darerca*, Abbatiſſa, S. *Patritij* Sorore, quinto Sæculo. Eidem præfuit S. *Conchenna*, Abbatiſſa, ſeptimo Sæculo.

15. CLUAIN-DUBHAIN, in Agro *Tyronenſi*, Monaſterium fundatum a S. *Patritio*, quinto Sæculo.

16. KIL-ARACHT, in Agro *Roſcomanienſi*, Monaſterium fundatum a *S. Patritio*, pro Sorore ſua *S. Athbracta*, Abbatiſſa, eodem Sæculo.

17. KIL-RIGNAIGH, in *Regis* Agro, Monaſterium fundatum a S. *Regnacia*, Abbatiſſa, ſexto Sæculo.

18. KIL-AILBE, in Agro *Midenſi Orientali*, Monaſterium fundatum a *S*, *Abbano*, eodem Sæculo. Poſtmodùm *Tegh-Sinchea* nuncupatum fuit a *S. Sincha*, illius Abbatiſſa.

19. CLUAN-CREDHAIL, in Agro *Limericenſi* Monaſterium fundatum a *S. Ita*, eodem Sæculo.

20 BORNECH, ſivè *Bally-Vorney*, in Agro *Corcagienſi*, Monaſterium *S. Gobnatæ*, fundatum a *S. Abbano*, eodem Sæculo.

21. KIL-KERE, ſivè *Kil-chre*, in *Clarenſi* Agro, Monaſterium fundatum a S. *Cera*, eodem Sæculo.

22. ENACH-DUNÆ, in Agro *Galvienſi*, Monaſterium B. *Virginis Mariæ*, fundatum a S. *Brandano*, eodem Sæculo.

23. FOCHARDÆ, in Agro *Louthano*, Monaſterium *S. Brigidæ*, fundatum a *S. Monenna*, vel, ut alij volunt, a S. *Darerca*, Sorore S. *Patritij*, A. 630.

24. MAYO, in Agro ejuſdem Nominis *Conaciæ*, Monaſterium fundatum a *S. Sigretia*, ſeptimo Sæculo.

25. DOIRE-MELLÆ, in Agro *Cavanenſi*, Monaſterium fundatum a *S. Tygernacho*, pro Matre ſua *S. Mella*, Abbatiſſa ejuſdem, octavo Sæculo.

26. KIL-CLEHIN, alias *de Bello Portu*, in Agro *Kilkennienſi*, Monaſterium fundatum á *Dermitio* (Mac-Murrough) *O-Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, A. 1151. Sedet ad *Surium* Fluvium e Regione Urbis *Waterfordienſis*.

27. ATHADIJ, in Agro *Carloenſi*, Monaſterium ab eodem fundatum Rege, circa idem Tempus.

28. CLONARDÆ, in Agro *Midenſi Orientali*, Monaſterium dotatum ab *O-Melaghlino* Regulo *Midiæ*, & confirmatum a *Cæleſtino* III, Pontifice Maximo, A. 1195.

29. TERMON-FECHIN, in Agro *Louthano*, Monaſterium B. *Mariæ Virginis*, fundatum a *Mac-Mahonis*, & confirmatum a laudato Summo Pontifice, eodem Anno. De *Mac-Mahonorum* præclara Gente videſis Cap. ix. §. xxxii. Num. iii. Lit. t. Pag. 306.

30

30. TIMOLIN-BEG, in Agro *Kildarienſi*, Monaſterium *B. Mariæ Virginis*, fundatum *Roberto* (Filio Richardi) Barone de *Norragh*, circà A. 1220. Confer §. xiii. Num. 11.

31. GRANEY, in Agro *Carloenſi* (non *Kildarenſi* ut habet *Waræus*) Monaſterium *B. Mariæ Virginis*, fundatum à *Gualtero de Riddlesford*, circà A. 1200.

32. KILLEIGHÆ, in Agro *Regis*, Monaſterium fundatum à Familia de *Warren* Sæculo xii.

33. ODDER, in Agro *Midenſi Orientali*, Monaſterium S. *Brigidæ*, fundatum à *Barnewallis*, Vicecomitum de *Kingſland*, & Baronum de *Trimleſton* Progenitoribus, & confirmatum à *Cæleſtino* iii, Pontifice Maximo, A. 1195.

34. LIMERICI, in Agro ejuſdem Nominis, Monaſterium fundatum à *Donaldo O-Brien*, Rege *Limerici*, Sæculo xii. Videſis Cap. ix. §. v. Num. ii. Pag. 210.

35. LISMULLEN, in Agro *Midenſi Orientali*, Monaſterium SS. *Trinitatis* fundatum ab *Avicia de la Corner*, Sorore *Richardi de la Corner*, Epiſcopi *Midenſis*, qui huic Domui conceſſit Maneria de *Dunſink*, & *Bally-Godman*.

36. MOYLAGH, in Agro *Tipperarienſi*, Monaſterium S. *Brigidæ*, fundatum à *Butleris* (de quibus vid. Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Pag. 265) Sæculo xiv.

§. III.

Abbatiæ & Prioratus 9 Canonicorum Regularium *Præmonſtratenſium* (a), Ordinis S. *Norberti*, ſub Regula S. *Auguſtini*.

1. TUAMÆ, in Agro *Galvienſi*, Abbatia SS. *Trinitatis*, fundata à Familia *de Burgo* (de qua vid. Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 275) Sæculo xiii.

2. ENACH-DUNÆ, in eodem Agro Abbatia S. *Mariæ de Portu Patrum*. Confer §. i. Num. 205. Pag. 734.

3. INSULÆ SS. TRINITATIS in Lacu-*Kea*, in Agro *Roſcomanienſi*, Abbatia SS. *Trinitatis*, fundata à *Claro Mac-Mailin*, Archidiacono *Elphinenſi*, circà A. 1215.

4. KILAMOY, aliàs *Atmoy*, in Agro *Sligoenſi*, Prioratus SS. *Trinitatis*, ab eodem fundatus Dignitario, circà A. 1233.

5. KILRASÆ, in eodem Agro, Prioratus SS. *Trinitatis*, ab eodem fundatus Dignitario, circà idem Tempus.

6. INSULÆ SS. *Trinitatis*, in Lacu *Oughter*, in Agro *Cavanenſi*, Abbatia SS. *Trinitatis* ab eodem fundata Dignitario, A. 1249.

7. GOODBORN, alias *Woodborn*, juxtà *Rupem Ferguſiam*, vulgò *Carrick-Fergus*, in Agro *Antrimenſi*, Prioratus S. *Crucis*, fundatus à quibuſdam *Scotis*, qui ea in Regione ſe fixerunt, Sæculo xiii.

8. BALLY-MORE LOUGH-SEUDI, alias *Plari*, in Agro *Midenſi Occidentali*, Abbatia B. *Virginis Mariæ* fundata à *Lacæis* (vid. Pag. 275. Lit. e.) & confirmata à Summo Pontifice Sæculo xii.

9. GALVIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Mariæ de Colle*, à Canonicis *Præmonſtratenſibus* derelictus, & Fratribus *Prædicatoribus* ab *Innocentio* Papa viii conceſſus, ut dictum eſt Cap. ix. §. xxxviii. Num. ii. Pag. 323.

(a) Sic appellantur à Loco ſolitario, cui Nomen *Præmonſtratus*, in *Picardia*, ubi Ordinem hunc A. 1120 fundavit S. *Norbertus*, poſteà Archiepiſcopus *Magdeburgenſis*, in *Germania*. Porrò *Joannes le Paige* in *Bibliotheca Ordinis Præmonſtratenſis* refert, novem mox recenſendas Domos in ſpecialem coaluiſſe Provinciam A. 1326.

§. IV.

Prioratus, & Præceptoriæ 22 Equitum S. *Joannis Jeroſolymitani* (b) Sub Regula S. *Auguſtini*, quarum major Pars ſpectabat olim ad Equites *Templarios*.

1. KILMAINHAM (c) juxtà *Dublinium*, ad *Liffium* Fluvium, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus à *Richardo de Clare*, paſſim agnominato *Strongbow*, Comite *Pembrochiæ*, circà A. 1174. Hic Prioratus erat etiam Hoſpitale, ſivè Xenodochium pro Peregrinis, & Hoſpitibus recipiendis. Prior hujus Loci erat Magnus Prior, ſeù *Proto Prior Hiberniæ* (d). Haud pauci aſſerunt Scriptores, celebrem *Brianum Boroveum*, Regem *Momoniæ*, Monarchamque *Hiberniæ* (de quo nonnihil Cap. i. Num. xvi. Pag 26) fuiſſe hic humatum juxtà Crucem lapideam, cujus Pars extat uſque in hodiernum Diem. Propè illam videre eſt Fontem cryſtallinum, dulci Aquâ exundantem, *Fontem S, Joannis Jeroſolymitani* paſſim nuncupatum.

2. CLONTARFÆ, ad Littus Maris, tertio ab Urbe *Dublinienſi* Lapide, Præceptoria S. *Congalli*, fundata ab *Henrico* Rege ii, Sæculo xii.

3. KILSARANÆ, in Agro *Louthano*, Præceptoria fundata à *Matilda de Lacy*, è Dominis *Midiæ*, eodem Sæculo. Vid. §. 1. Num. 82. Pag. 729.

4. KILBARRY, in Agro *Waterfordienſi*, Præceptoria eodem fundata Sæculo.

5. KILLURÆ, in eodem Agro, Præceptoria eodem fundata Sæculo.

6. CROOK, in eodem Agro, Præceptoria eodem fundata Sæculo.

7. RIN-CRIOGH, alias *Templum Michaelis*, in eodem Agro, Domus, ſeù Xenodochium, ut fert *Traditio*.

8. BALLYNEMONY, aliàs *Mornæ*, aut *Moræ*, in Agro *Corcagienſi*, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata ab *Alexandro de S. Helena*, Sæculo xiii.

9. CLONAUL, in Agro *Tipperarienſi*, Præceptoria eodem fundata Sæculo.

10. TEAGH-TEMPLE, in Agro *Sligoenſi*, Præceptoria eodem fundata Sæculo.

11. KILLERGY, in Agro *Carloenſi*, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata á *Gilberto de Borard*, eodem Sæculo.

12. WEXFORDIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, & *S. Brigidæ*, fundatus Sæculo xii, à *Gulielmo Marſhall*, Seniore, Comite *Pembrochiæ*, de quo nonnihil Cap. ix. §. iii. Num. ii. Pag. 205.

13. KILCLOGAN, in eodem Agro, Præceptoria fundata ab *O-Moris* (olim Regulis *Leiſæ*, vulgo *Leix*, nunc Partis Agri *Reginæ*) eodem Sæculo.

14. BALLY-HEWK, ſivè *Bally-Cauk*, in eodem Agro, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*.

15. KILBEGS, in Agro *Kildarenſi*, Præceptoria fundata.....

16. KIL-

(*b*) Sic nuncupantur quia prima eorum Domus fundata fuit *Jeroſolymis* ſub Titulo S. *Joannis Baptiſtæ*. Nunc autem paſſim vocantur *Equites Melitenſes* ob *Melitam* Inſulam, quam occupant. Hic Ordo crevit, & floruit in *Hibernia* præcipuè ex quo ei conceſſi fuere Prioratus & Præceptoriæ Equitum *Templariorum*, extinctorum à *Clemente* Papa v. in Concilio *Viennenſi*, A. 1311. Nam anteà nonniſi Prioratum *Wexfordienſem*, novemque Præceptorias habebat.

(*c*) Locus Nomen habet S. *Mainhamo*, alijs *Maignano*, Epiſcopo, qui vixit ſub Initium Sæculi Septimi, & ejus Feſtum celebratur 18 Decembris. Prior porrò *Kilmainhami*, & Prior *Wexfordienſis*, antè Tempus Suppreſſionis Cænobiorum ſub *Henrico* VIII, Loca Suffragiaque habuerunt inter Proceres in Comitijs *Parlamentarijs*.

(*d*) *Robertus Outlaw*, Proto-Prior, fuit Prorex *Hiberniæ*, ſub Titulo *Domini Juſtitiarij*, A. 1327, 1330, & 1340; ſicut & alter Proto-Prior, *Thomas Butler* (de quo Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 267) A. 1413. Inſuper ſequentes Proto-Priores fuere Magni *Hiberniæ* Cancellarij, nempè *Robertus Outlaw*, mox landatus, A. 1321, 1326, 1332, 1338. 1340; *Joannes le Archer*, A. 1341, 1344, 1349; *Thomas Burley*, A. 1357, 1359, 1368; *Gulielmus Tany*, A. 1372, 1374, 1387; *Richaraus White*, A. 1387; *Gulielmus Fitz-Thomas*, A. 1416, 1421, 1426; *Thomas Talbot*, A. 1448.

16. KILHEEL, in eodem Agro, Præceptoria fundata Sæculo xiii à *Mauritio Geraldino*, Progenitore Comitum *Kildaræ*, & *Deſmondiæ*, de quibus videſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

17. TULLY, in eodem Agro, Præceptoria fundata..:..

18. KILMAINHAM-BEG, in Agro *Midenſi Orientali*, propè *Nobirram*, Præceptoria fundata Sæculo xii. à *Gualtero de Lacy*, Domino *Midiæ*. Vid. §. i. Num. 82. Pag. 729.

19. KILMAINHAM-WOOD, in eodem Agro, Præceptoria fundata à *Preſtonis*, Progenitoribus Vicecomitum de *Gormanſton*, Sæculo xiii.

20. ARDES, Peninſula in Agro *Dunenſi*, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata ab *Hugone de Lacy*, Equite Aurato, Patre *Hugonis de Lacy*, Comitis *Ultoniæ*, Sæculo xii. Confer §. i. Num. 71. Pag. 729.

21. ANY, in Agro *Limericenſi*, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata à *Galfrido de Mariſcis*, Sæculo xiii.

22. KINALEKIN, in Agro *Galvienſi*, Præceptoria S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata ab *O-Flabertæis*, olim Regulis, ſeù Dynaſtis *Occidentalis Conaciæ*, vulgò *Eir-Connaugh* (Partis Agri *Galvienſis*) Sæculo xiii. De *O-Flabertæis* nonnihil legere eſt Cap. ix. §. xxxiii. Num. iii. Lit. h. Pag. 309.

§. V.

Prioratus, & Hoſpitalia 14 Cruciferorum, ſivè Trinitariorum, Ordinis Redemptionis Captivorum S. *Joannis de Matba*, ſub Regula S. *Auguſtini*.

1. DUBLINIJ (extra *Novam Portam* in Vico S. *Thomæ*) Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus A. 1188 ab *Aluredo le Palmer*, Natione *Dano*, primo ejuſdem Priore, ex qua Familia orti ſunt Comites de *Caſtlemain*. Hic Prioratus fuit etiam Hoſpitale Infirmorum, quod, regnante *Eduardo* iii, Infirmos & Pauperes 155 ſimul ſuſtentabat, *præter Capellanos & Converſos* (i. e. Fratres Laicos) ut ex Archivis liquet. Quandò autem Cruciferi ibi fuerunt locati, non eſt adeò certum. Cæterùm magnificæ iſtius Fabricæ ſola Campanaria Turris Œvi Damnis invicta manet.

2. KELLS, (latinè *Kinnanuſiæ*, alijs *Kenliſæ)* in Agro *Midenſi Orientali*, Prioratus, & Hoſpitale S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata à *Gualtero de Lacy*, Seniore, Domino *Midiæ*, Sæculo xii. Vid. §. i. Num. 82. Pag. 729.

3. DUNDALKÆ, in Agro *Loutbano*, Prioratus S. *Leonardi*, fundatus à *Bertramo de Vernon*, eodem Sæculo. Videſis Cap. xiii. Num. vii. Pag. 459.

4. DUNI (vernaculè *Down*) in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus eodem Sæculo ab Equite *Joanne de Courcy*, Comite *Ultoniæ*, Progenitore Baronum de *Kinſale*. Paſſim vocabatur *Prioratus Anglorum* ad Differentiam alterius Prioratus Canonicorum Regularium in eodem *Dunenſi* Oppido, qui dicebatur *Prioratus Hibernorum*, iſte ſiquidem ab *Hibernigenis*, ille verò ab *Angligenis* fundatus fuit. Confer §. i. Num. 109. Pag. 730.

5. KILKENNY-WEST (i. e. *Kilkenniæ Occidentalis*) in Agro *Midenſi Occidentali*, Prioratus & Hoſpitale S. *Joannis Baptiſtæ* fundata à Gente *Tyrella*, eodem Sæculo.

6. PONTANÆ (vernaculè *Drogbeda*) in Agro *Loutbano*, extrà Portam Occidentalem, Prioratus & Hoſpitale S. *Mariæ de Urſo*, fundata ab *Urſo de Samuele*, circà A. 1206. Domus hæc primò ſpectans ad Canonicos Regulares data fuit Cruciferis, inquit *Waræus*.

7. PONTANÆ item, in eodem Agro, Prioratus S. *Laurentij*, fundatus à Prætore, & Oppidanis *Pontanenſibus*.

8. PONTANÆ item, in Agro *Midenſi Orientali* (a), Prioratus & Hoſpitale S. *Joannes Baptiſtæ*, fundata à *Gualtero de Lacy*, Juniore, Domino *Midiæ*, Sæculo xiii.

(a) Appoſitè monet *Waræus*, *Drogbedam*, ſeù *Pontanum* (quam interfluit Amnis *Boinus*) partim in Agro *Loutbano* poſitam eſſe, partim in *Midenſi*, neutrius tamen cenſendam, quod ſit Comitatus diſtinctus, & per ſe incorporatus, ut liquet ex pridem dictis Cap. ix. §. ii. Num. viii. Pag. 203.

9. ATHERDEÆ (paſſim *Ardee*) latinè *de Atrio Dei*, in Agro *Louthano*, Prioratus S. *Joannis Baptiſtæ*, fundatus à *Rogero Pipard*, Loci Domino, circà A. 1207. Vid. §. xiii. Num. 5.

10. NEWTOWN (i. e. *Villa Nova*) juxtà *Trimmam*, in Agro *Midenſi Orientali*, Prioratus, & Hoſpitale S. *Joannis Baptiſtæ*, fundata vel dotata ab Epiſcopis *Midenſibus*, Sæculo xiii.

11. ATHYÆ, in Agro *Kildarenſi*, Prioratus S. *Joannis*, alijs S. *Thomæ*, fundatus à *Richardo* de S. *Michaele*, Domino *Rhebanæ*, eodem Sæculo.

12. CASTLE-DERMOT (i. e. *Caſtrum Dermitij*) in eodem Agro, Prioratus, & Hoſpitale fundata à *Gualtero de Riddlesford*, Loci Domino, eodem Sæculo.

13. RANDON, alias *Teachon*, vulgò *Johns Houſe* (i. e. *Joannis Domus*) in Agro *Roſcomanienſi*, ad Ripam Lacûs *Reenſis*, fundatus Juſſu Regis *Joannis*, Sæculo xiii. *Philippus* de *Angulo*, vernaculè *Nangle*, magnus fuit Benefactor ſub *Henrico* III Rege.

14. ADARÆ, in Agro *Limericenſi*, ad *Magium* Fluvium, Prioratus SS. *Trinitatis* fundatus à *Thoma Geraldino*, ſeptimo Barone *Ophaliæ*, Patre primi Comitis *Kildarenſis*, & primi Comitis *Deſmondani*, de quibus vide Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

§. VI.

Abbatia & Prioratus 9 (*b*) Ordinis S. *Benedicti*.

1. **DUNI**, vernacule *Down*, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Patritij*, fundatus ab Equite *Joanne de Courcey*, Comite *Ultoniæ*, A. 1183. Vid. §. præced. Num. 4. Pag. 739.

2. **ARDES**, Peninſula ejuſdem Agri, Prioratus S. *Andreæ*, fundatus ab *Hugone de Lacy*, Juniore, Comite *Ultoniæ*, circà A. 1218.

3. **ERYNACH**, ſivè *Carrig* propè *Erynach*, in eodem Agro, Abbatia S. *Mariæ*, fundata à *Magnello Makenleſſe*, A. 1127.

4. **NEDDRUM**, in eodem Agro, Prioratus fundatus ab Equite *Joanne de Courcey*, Comite *Ultoniæ*, A. 1179, vel 1183.

5. **KILCUMIIN**, in Agro *Tipperarienſi*, Prioratus SS. *Philippi & Jacobi*, fundatus à *Philippo* de *Wigornia*, anglice *Worceſter*, circà A. 1184.

6. **WATERFORDIÆ**, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Joannis Evangeliſtæ*, fundatus à *Joanne* Comite *Moretoniæ* (poſtmodum Rege *Joanne*) Sæculo xii.

7. **CORCAGIÆ**, in Agro ejuſdem Nominis, Prioratus S. *Joannis*, ab eodem fundatus, eodem Sæculo.

8. **FOURÆ**, in Agro *Midenſi Occidentali*, Prioratus SS. *Taurini & Fechini*, fundatus primò Canonicis Regularibus à S. *Fechino*, ſeptimo Sæculo, ut dictum eſt §. i. Num. 91. Pag. 730; poſtmodùm Monachis Benedictinis à *Gualtero de Lacy*, Domino *Midiæ*, A. 1218.

9. **GLASCARIG**, alias *de Viridi Rupe*, in Agro *Wexfordienſi*, ad Oram maritimam, Prioratus *S. Mariæ*, fundatus à *Griffino Condon*, *Davide de Rupe* (vulgò *Roche*), & alijs, Sæculo. xiv.

§. VII.

Monaſteria 5 Monialium *Benedictinarum*.

1. **KILCREUNATÆ**, alias *de Caſta Sylva*, in Agro *Galvienſi*, Monaſterium fundatum à *Cathaldo O-Connor*, dicto hibernicè *Crovderg*, i. e, *de Pugno rubro*, Rege *Conaciæ*, circà A. 1200.

2. **INCHMEANÆ**, in Agro *Mayonenſi*, Monaſterium fundatum. . . .

3. **ARDCARNÆ**, in Agro *Roſcomanienſi*, Monaſterium fundatum. . . .

4. COR-

(*b*) Plures hujus Ordinis Domus olim datæ fuêre alijs Ordinibus, præſertim *Ciſtercienſi*, undè Tempore Suppreſſionis Cænobiorum ſub *Henrico* VIII Novem duntaxat ſupererant. Porrò *Dunenſis* Prior Locum Suffragiumque inter Proceres habebat in Comitijs *Parlamentarijs*.

4. CORCAGIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, in Vico *S. Jacobi*, Monaſterium *S. Joannis Baptiſtæ*, fundatum à *Gulielmo de Barry*, Progenitore Comitum de *Barrymore*, A. 1300. Videſis Cap. IX. §. VI. Num. II. Lit. i. Pag. 215.

5. DUBLINIJ, in Magno *Navium* Vico, Monaſterium fundatum à Rege *Jacobo* II Die 6 Junij 1689.

Eodem Tempore aliud fuit erectum Monialium *Benedictinarnm* Monaſterium *Dublinij* in Viculo *Canonicorum*, anglicè *Channel-Row*, cujus Eccleſiam ſub Invocatione *S. Birgittæ* Viduæ conſecravit *D. Patritius Ruſſel*, Archiepiſcopus *Dublinienſis*, adſtante mox laudato Rege *Jacobo* II. Monaſterium autem hoc cum Eccleſia ſua, ſeù Capella, tenent Moniales *Dominicanæ* ab A. 1717, ut pridem dicebam Cap. XI. §. III. Num. I. Pag. 354.

§. VIII.

Abbatiæ *(c)* 42 *Ciſtercienſis* Ordinis *S. Bernardi* ſub Regula *S. Benedicti* *(d)*.

1. DUBLINIJ, Abbatia *S. Mariæ* fundata ab *Oſtmannis*, ſeû *Danis*, A. 948, pro Monachis *Benedictinis*, qui reformati ſunt in *Ceſtercienſes* A. 1139. Locus etiamnùm vocatur Anglicè *Marys-Abby*, i. e. *Mariæ Abbatiâ*.

2. MONKTOWN, (i. e. *Oppidum Monachorum*) nunc paſſim *Mountown*, proprè *Dunleary*, ad Oram maritimam, in Agro *Dublinienſi*, Abbatia fundata. . . .

3. MELLIFONTIS, in Agro *Louthano*, Abbatia fundata à *Donato O-Carroll*, Regulo *Ergalliæ*, ſivè *Urielis* (Partis moderni Agri *Louthani*) A. 1142. Monachis illam implevit *S. Bernardus* è Cænobio ſuo *Claravallenſi* (cui valdè aſſimilem ferunt) in *Gallia*, Abbate illis præpoſito *Chriſtiano O-Conarchy*, *Liſmorenſi* poſteá Epiſcopo, & Legato Apoſtolico, de quo nonnihil Cap. 1. Num. XIV. Pag. 16.

4. BECTIFFÆ, ſivê *de Beatitudine*, ad *Boinum* Fluvium, in Agro *Midenſi Orientali*, Abbatia *S. Mariæ* fundata à *Murchardo O-Melaghlin*, Rege *Midiæ* A. 1145, vel 1148, vel 1151, juxtà varias Opiniones.

5. BALTINGLASSSÆ, ad *Slanum* Fluvium, in Agro *Wickloenſi*, Abbatia *S Mariæ* de *Valle Salutis*, fundata à *Dermitio* (Mac-Murrough) *O-Cavanagh*, Rege *Lageniæ*, Anno 1148, vel 1151.

6. NENAY, aliàs de *Magio* (quia *Magio* Fluvio adſidet) in Agro *Limerienſi*, Abbatia *S. Mariæ*, fundata à *Turlocho O-Brien*, Rege *Limerici*, A. 1148, vel 1151.

7 ATHLONÆ, in Agro *Roſcomanienſi*, ad *Shananum* Fluvium (Agrum iſtum à *Midenſi Occidentali* ad Oppidum iſtud, quod interfluit, ſejungentem) Abbatia SS. *Petri & Benedicti*, fundata A. 1150.

8. SHROUL, in Agro *Longofordienſi*, Abbatia *S. Mariæ*, fundata ab *O-Ferrallis*, olim Regionis iſtius Regulis, ſeû Dynaſtis, ut liquet ex Cap. IX. §. XXXI. Num. II. Lit p. Pag. 301.

9. ODORNEY, aliàs *Kyrieleyſon* (propè Caſtrum de *Lixnaw*, in Agro *Kerrienſi*) Abbatia S. *Mariæ* fundata à *Fitz-Mauritijs*, poſteà Baronibus de *Lixnaw*, Progenitoribus Comitum *Kerriæ*, A. 1154. Hic ſepultus eſt A. 1186 inſignis ille *Chriſtianus O-Conarchy*, Epiſcopus *Liſmorenſis* (mox

---

(c) Domus *Ciſtercienſes* nullæ ſunt Priorales, ſed omnes Abbatiales.

(d) Duodecim hujus *Ciſtercienſis* Ordinis Abbates Loca Suffragiaque inter Proceres habebant in Comitijs *Parlamentarijs*, nempè Abbas B. M. V. *Dublinij*, Abbas B. M. V. de *Mellifonte*, in Agro *Louthano*; Abbas B. M. V. de *Beatitudine*, vulgò *Bectiffe*, in Agro *Midenſi Orientali*; Abbas B. M. V. de *Valle Salutis* apud *Baltinglaſs*, in Agro *Wickloenſi*; Abbas B. M. V. de *Nenay*, ſeù de *Magio*, in Agro *Limerienſi*; Abbas M. M. V. de *Roſea Valle* apud *Monaſter-Even*, in Agro *Kildarenſi*; Abbas B. M. V. de *Jeriponte*, in Agro *Kilkennienſi*; Abbas B. M. V. de *Dunbrody*, in Agro *Wexfordienſi*; Abbas *S. Crucis*, in Agro *Tipperarienſi*; Abbas B. M. V. de *Woney*, aliàs *Wethney*, in Agro *Limerienſi*; Abbas *S. Salvatoris* de *Valle Dei*, apud *Douſke*, alias *Graige-ne-Managh*, in Agro *Kilkennienſi*; & Abbas B. M. V. de *Albo Tractu* apud *Tracton*, in Agro *Corcagienſi*. Ità *Harriſius* Vol ii. Pag. 262, & 274.

(mox laudatus Num. 3) qui hinc ſe contulerat, cùm terrena adverſatus, aliquot antè Obitum Annis Epiſcopatu ſe abdicaſſet.

10. NEWRY, aliàs *de Viridi Ligno*, Abbatia *S. Mariæ*, & *S Patritij*, fundata a *Mauritjo Mac-Lauglin*, Rege *Hiberniæ*, A. 1157.

11. BOYLÆ, ad *Buellium* Fluvium, in Agro *Roſcomanienſi*, Abbatia *S. Mariæ* hûc tranſlata *Buinfinnâ* A. 1161. Primò autem fundata fuit *Grellechdinæ* A. 1148, dein tranſlata *Drumconaidam*, indeque *Buinfinnam*.

12. FERMOYÆ, ad *Aven-More* Fluvium, in Agro *Corcagienſi*, Abbata *S. Mariæ de Caſtri Dei*, fundata à nobili Gente *de Rupe*, vulgo *Roche*, Progenitrice Vicecomitum de *Fermoy*, de qua plura Cap. ix. §. xlii. Num. ii. Pag. 334.

13. KILLENNIÆ, in Agro *Kilkennienſi*, Abbatia *S. Mariæ de Valle Dei*, fundata à *Dermitio O-Ryan*, antè A. 1171.

14. HORÆ, propè *Caſſeliam*, in Agro *Tiperarienſi*, Abbatia fundata â *Davide Mac-Carwill*, Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, A. 1172.

15. MAURÆ, in Agro *Corcagienſi*, Abbatia *S. Mariæ de Fonte Vivo*, fundata à *Dermitio* (Filio *Cormaci*, hibernicè *Mac-Cormack*) *Mac-Carthy*, Rege *Deſmondiæ*, ſeù *Mononiæ Auſtralis*, A. 1172. Confer Num. 39. §. præs.

16. MONASTER-EVIN (i. e. *Abbatia Evini*) aliàs *Roſs-Glaſs*, âd *Baroum* Fluvium, in Agro *Kildarenſi*, Abbatia *SS. Mariæ & Benedicti, de Roſea Valle*, fundata A. 1178 ab *O-Dempſais* Principibus *Ophaliæ* (nunc Partis Agri *Kildarenſis*), Progenitotibus Vicecomitum de *Clanmalier*, ut jam dictum §. i. Num. 70. Pag. 729. Abbatia porrò Nomen habet à *S. Evino*, qui primò eam fundavit pro Ganonicis Regularibus ſub Initium Sæculi Eccleſiæ Septimi.

17. ASHROÆ, aliás *Eaſaruæ*, aliàs de *Samario* (quia ſedet non procul ab Oſtio *Erni Fluvij*, quem nonnulli *Samarium* vocant) in Agro *Donegallenſi*, Abbatia fundata à *Roderico O-Cananan*, Dynaſtâ *Tirconalliæ*, A. 1179, vel 1184,

18. CHORI, aliàs *de Choro S. Benedicti* (Oppidum nunc dicitur *Middleton*) in Agro *Corcagienſi*, Abbatia *S. Mariæ* fundata â *Barrijs*, Progenitoribus Comitum de *Barrymore*, de quibus Cap. ix. §. vi. Num. ii: Pag. 215.

19. JERIPONTIS, alijs *Geripontis*, in Agro *Kilkennienſi*, Abbatia fundata A. 1180 à *Donaldo*, Regulo *Oſſoriæ*, hic tumulato. Ibi etiam videre eſt Sepulchrum *Felicis O-Delanij*, Epiſcopi *Oſſorienſis*, qui Cathedram Epiſcopalem *Aghavoâ* tranſtulit *Kilkenniam* circà A. 1052, ut jampridem dictum eſt Cap. ix. §. iii. Num. i. Lit. i. Pag. 205.

20. INIS, (i. e Inſulæ) in Agro *Dunenſi*, Abbata *S. Mariæ* fundata ab Equite *Joanne de Courcey*, Comite *Ultoniæ*, A. 1180. vel 1188.

21. DUNBRODI, aliàs *de Portu S. Mariæ*, proprè Confluxum *Barri*, & *Suiri*, in Agro *Wexfordienſi*, Abbatia *S. Mariæ* fundata A. 1182, ab *Hervæo de Monte Moriſco*, Mareſcallo Regis *Henrici* II, Progenitore moderni *Hervæi Morres*, Baronis de *Mount-Morres*, in Agro *Kilkennienſi*.

22. SANTÆ CRUCIS, anglicè *Holy-Croſs*, ad *Surium* Fluvium, in Agro *Tipperarienſi*, Abbatia *S. Crucis*, fundata à *Donaldo O-Brien*, Rege *Limerici*, A. 1182. Abbas porrò Titulum habuit *Comitis S. Crucis* quatenùs Poſſeſſiones Cænobij Juribus gaudebant Comitatùs. Locus verò Nomen habet à *S. Cruce*, quia fertur ibi aſſerrvatam fuiſſe S. Crucis Particulam.

23. LEIXÆ, ſeù *Leaſiæ*, ad *Neorum* Fluvium, in Agro *Reginæ*, Abbatia S. *Mariæ de Lege Dei*, fundata à *Cochegerio O-Moro*, A. 1184. Porrò *O-Mori* Reguli erant illius Partis memorati Agri, quæ olim *Leaſia* appellabatur, ipſeque Locus, ſeù Pagus, *Abby-Leaſe* anglicè nuncupatur

24. INISLAUNACHTÆ, alias *de Surio* (quia ad *Surium* Fluvium ſedet) in Agro *Tipperarienſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata à *Donato O-Brien*, Rege *Thomondiæ*, ſeù *Momoniæ Septentrionalis*, circà A. 1184.

25. FEALÆ, in Agro *Kerrienſi*, Abbatia fundata A. 1188. Locus, ſeù Pagus, anglicè dicitur *Abby-Feal*.

26. KNOCK-MOY, in Agro *Galvienſi*, Abbatia S. *Mariæ de Colle Victoriæ*, A. 1189, vel 1190, à *Cathaldo O-Connor*, nuncupato paſſim *Crovderg*, latinè *de Pugno rubro*, fundata in Victoriæ Memoriam, quæ eò Loci feliciter ei ceſſit. Obijt 28 Maij 1224, in Cænobio hoc tumulatus, Habitu *Ciſtercienſis* Monachi prius ſuſcepto. Confer Cap. ix. §. viii. Num. viii. Lit. r. & §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 229, & 258.

27. WONEI, vel *Wethenei*, in Agro *Limericenſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata à *Theobalo Walter*, poſtmodùm Cognominato *Butler*, A. 1189. Adeas §. i. Num. 179. Pag. 733.

28. LEIGHÆ, in Agro *Dunenſi*, Abbatia S. *Mariæ de Jugo Dei* (vulgo dicta *Grey-Abby*) fundata ab *Africa*, Filia *Godredi* Regis *Manniæ*, & Uxore Equitis *Joannis de Courcey*, Comitis *Ultoniæ*, A. 1193.

29. HILFOTHUIRÆ, in Agro *Donegallenſi*, Abbatia fundata ab antiqua Gente *O-Dogherty*.

30. CORCUMROÆ, in Agro *Clarenſi*, Abbatia S. *Mariæ de Petra fertili*, fundata à *Donaldo O-Brien*, Rege *Limerici*, A. 1194, aut á Filio ejus *Donato O-Brien*, Rege *Thomondiæ*, A. 1200.

31. KILSHANÆ, ſeù *Kilſonnæ*, In Agro *Limericenſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata A. 1198.

32. COMERERÆ, alijs *Comberæ*, in Agro *Dunenſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata à Familia hibernicè dicta *Geale*, anglicè *White*, A. 1199. Videſis Cap. ix. §. xiv. Num. iii. Lit. p. Pag. 251.

33. TINTERNÆ, in Agro *Wexfordienſi*, Abbatia S. *Mariæ de Voto*, fundata A. 1200 à *Gulielmo Marſhall*, Seniore, Comite *Pembrochiæ*, qui cùm efferatam evaſiſſet Tempeſtatem, Cænobium hoc ex Voto conſtruxit ſinuoſo in Littore, Prædijs ditavit & Monachis implevit *Ciſtercienſibus* ex Cænobio *Tinternenſi* in *Wallia*, ad cujus Differentiam Locus hic *Minor Tinterna* appellatur.

34. KILBEGAIN, in Agro *Midenſi Occidentali*, Abbatia S. *Mariæ dè Flumine Dei*, fundata à *Daltonis*, Baronibus de *Rathcomire*, A. 1200. Confer Cap. ix §. xvii. Num. iii. Lit. x. Pag. 264.

35. KILCOUL, in Agro *Tipperarienſi*, Abbatia S. *Mariæ de Arvi Campo*, fundata á *Donato O-Brien*, Rege *Thomondiæ*, eodem Anno.

36. DOUSKÆ (vulgo *Graige-ne-Managh*) in Agro *Kilkennienſi*, Abbatia *de Valle S. Salvatoris* fundata à *Gulielmo Marſhall*, Seniore, Comite *Pembrochiæ*, A. 1207.

37. GRANARDÆ, ſeù *Lerhæ* juxtà *Granardam*, in Agro *Longofordienſi*, Abbatia S. *Mariæ*, fundata ab Equite *Richardo Tuit*, Loci Domino, circà A. 1210.

38. MOYCOSCAINÆ, in Agro *Derrienſi*, Abbatia S. *Mariæ de Claro Fonte*, fundata A. 1218, vel 1223.

39. TRACTONI, aliàs de *Albo Tractu*, in Agro *Corcagienſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata à *Mac-Chartæis*, Progenitoribus Comitum de *Clancarty*. Confer Num. 15. hujus §.

40. CLEARY, ſivè *Claræ Inſulæ*, in Agro *Mayonenſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata A. 1224.

41. BEAU-BEC, ſeù de *Bello Becco* (quia in amæna Terræ Extremitate, ubi Duo confluunt Flumina) in Agro *Midenſi Orientali*, propè *Pontanam*, Abbatia S. *Mariæ* fundata à *Gualtero de Lacy*, Domino *Midiæ*, Sæculo xiii.

42. INCH-RIE, in Agro *Corcagienſi*, Abbatia S. *Mariæ* fundata......

§. IX.

Monaſteria Duo Monialium *Ciſtercienſium*.

1. DUNI, in Agro ejuſdem Nomini, Monaſterium fundatum.....

2. DERIÆ, nunc *Londino-Deriæ*, in Agro ejuſdem Nominis, Monaſterium fundatum à *Turlocho* (Leinigh) *O-Neill*, à Regibus *Ultoniæ* oriundo, & Comitum *Tyronenſium* Progenitore, A. 1218.

§. X.

Cænobia 43 Ordinis Fratrum *Prædicatorum*.

Ea omnia in extenſum habes integro Capite nono per Quadraginta Tres Paragraphos à Pag. 184 ad 337; atque tria Extranationalia Collegia, unumque Monaſterium Monialium, integro Capite

Capite Duodecimo, à Pag. 365, ad 453. Quatuor autem Monaſteria Monialium in *Hibernia*, integro Capite Undecimo, á Pag. 347, ad 365. ad quæ Loca benignum Lectorem remitto ne Acta agere videar.

§. XI.

Cænobia 65 Ordinis Fratrum *Minorum* (*a*), & Quinque Extranationalia; atque Duo Extranationalia *Capucinorum*.

In LAGENIA.

1. DUBLINIJ, Cænobium S. *Franciſci* extructum A. 1236, Rem promovente *Henrico* III Rege, Aream vero Domus conferente *Radulpho le Porter*. Indè porrò Nomen habet *Vicus* S. *Franciſci* uſque in hodiernum Diem. Refert autem *Alemandus*, Pag. 243, Patrem *Thomam Geraldinum*, celebrem Prædicatorem, fuiſſe Tempore Suppreſſionis Conventûs hujus occiſum.

2. KILKENNIÆ, juxtà Ripam *Neori* Fluvij, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum á *Richardo Marſhall*, Comite *Pembrochiæ* (ibidem tumulato) A. 1234.

3. ATHLONÆ, ad Ripam Siniſtram *Shanani* Fluvij, in Agro *Midenſi Occidentali* (vid. Num. 7. §. viii. Pag. 741) Cænobium fundatum Anno 1240 ab Equite *Henrico Dillon*, de *Drumrany*, hic tumulato, Progenitore Comitum de *Roſcommon*, & Vicecomitum de *Coſtellogallen*.

4. MONTIS FERNANDI, vulgò *Multifernan*, in eodem Agro, Cænobium fundatum à *Gulielmo Delamar*, Sæculo xiii.

5. WICKLOÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum à Familijs *O-Byrne*, & *O-Toole*, quæ iſta in Regione pricis Temporibus dominabantur.

6. WEXFORDIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum Sæculo xiii.

7. KILDARÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum Anno 1260 á *Gulielmo de Veſey* (originaliter *de Burgo*) Prorege *Hiberniæ*, Progenitore Baronis de *Knapton*. Vid. §. xiii. Num. 7.

8. CLANÆ, in eodem Agro, ad *Liffium* Fluvium, Cænobium fundatum á *Geraldo* (Filio Mauritij) *Geraldino*, ſeptimo Barone *Ophaliæ*, Sæculo xiii. Videſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

9. ROSSÆ, ſeù *Roſs-Pontis*, ad *Baroi* Fluminis Ripam, in Agro *Wexfordienſi*, Cænobium S. *Salvatoris*, fundatum á *Joanne Devereux*, Equite Aurato, Sæculo xiii. Confer Cap. ix. §. xix. Num. i. Pag. 270.

10. DISERTÆ, in Agro *Midenſi Occidentali*, Cænobium fundatum . . . . . .

11. KILLEIGHÆ, in Agro *Regis*, Cænobium fundatum ab *O-Connoris-Faly*, Regulis, ſeù Dynaſtis *Ophaliæ*, Partis memorati moderni Agri. Adeas Cap. ix. §. xvi. Num. ii Lit. i. Pag. 258.

12. ENNISCORTHI, in Agro *Wexfordienſi*, Cænobium fundatum à *Donaldo* (Fuſco) *O-Cavanagh*, A. 1460. Confer §. ſeq. Num. 21.

13. TRIMMÆ, in Agro *Midenſi Orientali*, Cænobium fundatum Sæculo xiii, à Rege *Joanne*, vel, ut alij aſſerunt, à *Plunkettis*, Progenitoribus Baronum de *Killeen*, (nunc Comitum de *Fingall*) & Baronum de *Dunſany*, & *Louth*.

14. S. JOANNIS BAPTISTÆ, in Agro *Longofordienſi*, Cænobium *S. Joannis Baptiſtæ* fundatum. . . .

15. FEORIS

(*a*) Fratres Minores, quá Conventuales, quá Obſervantes, & quá Tertij Ordinis S. *Franciſci*, olim habebant ultrá Centum Cænobia in Provincia *Hiberniæ*. Hic tamen Loci ſolummodò indigitantur quæ præſenti Ævo Guardianos habent, in Comitijs Provincialibus inſtitutos, & quidem juxtà Ordinem Quatuor *Hiberniæ* Nationum, & uniuscujuſque Conventuum, prout in Comitiorum Actis conſcribuntur.

15. FEORIS (hibernicè *Monaſter-Feoris*) alias *Totmoy*, in Agro *Regis*, Cænobium fundatum ab Equite *Joanne de Bermingham*, Comite de *Louth*, & Barone de *Atrio Dei*, vulgò *Atherdee*, ſeù *Ardee*, A. 1325. Videſis Cap. ix. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 221.

In MOMONIA.

16. YOUGHALLÆ, in Agro *Corcagienſi*, Cænobium fundatum A. 1230 à *Mauritio Geraldino*, ſecundo Barone *Ophaliæ*, & Prorege *Hiberniæ*, qui primus accivit Fratres Prædicatores, & Minores in *Hiberniam*, ut oſtenſum eſt Cap. i. Num. xiii. Pag. 42. Obijt Anno 1257, Habitu Fratris Minoris ſuſcepto, & in Eccleſia hujus Cænobij tumulatus eſt. Iſte porrò fuit primus *Hiberniæ Franciſcanæ* Conventus, ut refert *Waddingus* jampridem laudatus Cap. ii. Num. xii. Pag. 42.

17. CORCAGIÆ, in eodem Agro, Cænobium fundatum à *Mac-Carthæis*, Progenitoribus Baronum de *Blarney*, poſteà Vicecomitum de *Muſkerry*, ac denique Comitum de *Clancarthy*, A. 1231.

18. WATERFORDIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum ab *Hugone Porcello*, Equite Aurato, circà A. 1240. Confer §. i. Num. 165. Pag. 733.

19. ENNIS, alias *Cluanruadæ*, ad *Forgium* Fluvium, in Agro *Clarenſi*, Cænobium fundatum circà A. 1240, à *Donato* (Carbreach) *O-Brien*, Rege *Thomondiæ*, de quo Cap. ix. §. v. Num. ii. Pag. 210.

20. LIMERICI, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium S. *Dominici* (juxtà *Waddingum*) fundatum Sæculo xiii, à *Gulielmo* (Fion, i. e. Pulchro) de *Burgo* (cujus Uxor erat *Ania*, Filia *Donaldi O Brien*, Regis *Limerici*) è Filio Nepote *Gulielmi* (Fitz Adelmi) de *Burgo*, necnon Compatruele *Gualteri de Burgo*, Comitis *Ultoniæ*, ac *Gulielmi* (Athankip) de *Burgo*, de quibus plura Cap. ix. §. viii. Num. iv. Pag. 223, & ſeq. Hic porrò humatus fuit laudatus *Gulielmus* (Fion) *de Burgo* A. 1287.

21. CASSELIÆ, in Agro *Tipperarienſi*, Cænobium fundatum à *Gulielmo Hackett*, Equite Aurato, Sæculo xiii.

22. CLONMELLÆ, in eodem Agro, Cænobium cujus Fundationem aliqui adſcribunt *Geraldinis*, alij *Butleris*, alij Oppidanis, alij demum *Othoni de Grandiſon*, A. 1269.

23. NENAGHÆ, in eodem Agro, Cænobium fundatum à Familia *O-Kennedy*, Sæculo xiii.

24. BUTTEVANT (olim *Kilnemallagh*) in Agro *Corcagienſi*, Cænobium fundatum à *Davide* (Oge, i. e. Juvene) *de Barry*, ſecundo Vicecomite de *Buttevant*, Progenitore Comitum de *Barrymore*, A. 1290. Legeſis Cap. ix. §. vi. Num. ii. Lit. i. Pag. 215.

25. TEMOLAGI, vulgo *Timologue*, alias *Temologh*, in eodem Agro, Cænobium fundatum a *Gulielmo de Barry*, Equite Aurato, Sæculo xiv.

26. CARRICK-ON-SUIR (i. e. Rupes ſuprà *Suirum* Fluvium) in ea Oppidi Parte (dicta hibernicè *Carrig-beg*) quæ eſt in Agro *Waterfordienſi*, Cænobium fundatum à *Jacobo Butlero*, Primo Comite *Ormondiæ* (vid. Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266) A. 1366. Primus hujus Domûs Guardianus erat celebris P. *Joannis Clynn*, Auctor *Annalium Hiberniæ*.

27. ASKETINÆ, in Agro *Limericenſi*, ad *Delum* Fluvium, Cænobium fundatum à *Jacobo Geraldino*, Septimo Comite *Deſmondiæ*, A. 1420. Conſulendum Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

28. QUINI (aliàs *Quinchy*, *Quint*, vel *Kint*) in Agro *Clarenſi*, Cænobium fundatum à *Maceno Mac-Namara*, A 1433.

29. IRILAGHÆ (aliàs *Irrialagh*) juxtà Lacum *Lean*, in Agro *Kerrienſi*, Cænobium fundatum a *Donaldo* (Filio Thaddæi) *Mac-Carthy*, A. 1440, & ab eodem reſtauratum 1468, ipſo nimùm Anno quo Mortem obijt. Confer Num. 17. huj. §.

30. BANTRY, in Agro *Corcagienſi*, Cænobium fundatum à *Dermitio O-Sullivan*, circà A. 1460.

31. **INISHIRCANÆ,** in eodem Agro, Cænobium fundatum á *Florentio O-Driſcol* A. 1460.

32. **ADARÆ,** ad *Magium* Fluvium, in Agro *Limericenſi*, Cænobium fundatum A. 1464, à *Thoma Geraldino*, Septimo Comite *Kildarenſi*, & Uxore ejus *Joanna*, cujus Pater erat *Jacobus Geraldinus*, Septimus Comes *Deſmondanus*, de quibus videſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237. *Joanna* porrò obijt A. 1488, hic tumulata. *Thomas* verò tumulatus fuit A. 1487 in Cænobio Omnium Sanctorum *Dublinij*, de quo §. i. Num. ii. Pag. 726. In Oppido hoc, nunc Oppidulo, duo alia extant Cænobia ut liquet ex §. v. Num. 14; & §. xii. Num. 22.

33. **KILCREÆ,** in Agro *Corcagienſi*, Cænobium fundatum à *Cormaco* (Filio Thaddæi) *Mac-Carthy*, A. 1465, ibidem tumulato A. 1494. Vid. §. præſ. Num. 17.

34. **ARDFERTÆ,** in Agro *Kerrienſi*, Cænobium fundatum A. 1252, á *Thoma* (Filio Mauritij) *Geraldino*, qui primus aſſumpſit Cognomen *Fitz-Maurice*, Progenitor Comitum de *Kerry*, & de *Shelburn*. Legeſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit. c. Pag. 237.

35. **LISLACTINÆ,** in eodem Agro, Cænobium fundatum à *Joanne O-Connor-Kerry*, Regionis iſtius Dynaſtâ, A. 1478. Adeas Cap. ix. §. xvi. Num. ii. Lit. i. Pag. 258.

36. **GALBALLY,** in Agro *Tipperarienſi* juxtâ tamen *Limericenſem*, Cænobium fundatum ab *O-Brienis*, de quibus plura Cap. ix. §. v Num. ii. Pag. 210.

37. **ROSCREÆ,** in eodem Agro, Cænobium fundatum à *Bibiana O-Dempſey* (vid. §. i. Num. 70; & §. viii. Num. 16, Pag. 729 & 742) Viduâ *Melronij O-Carroll*, A. 1490.

38. **CASTELIONIS,** (anglicè *Caſtle-Leban*, ſed paſſim *Caſtle-Lyons*) in Agro *Corcagienſi*, Cænobium fundatum à *Gulielmo de Barry*, tertio Vicecomite *de Buttevant*, A. 1307. Confer Cap. ix. §. xxvii. à Num. i, & Pag. 291.

In CONACIA.

39. **CLARÆ,** (vulgò *Clare-Galway*) in Agro *Galvienſi*, ad quartum à *Galvia* Lapidem, Cænobium fundatum à *Joanne de Cogan*, circà A. 1290.

40. **GALVIÆ,** in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum A. 1296 à *Gulielmo* (Leigh, i. e. Cano) *de Burgo*, Prorege *Hiberniæ*, hic tumulato A. 1324, ut pridem dictum Cap. ix. §. xxi. Num. ii. Lit. c. Pag. 276.

41. **KILGONNELI,** in eodem Agro, Cænobium fundatum A. 1414 à *Gulielmo O-Kelly*, de cujus Regali Progenie nonnihil Cap. ix. §. ix. Num. ii. Lit. f. Pag. 235.

42. **ELPHINÆ,** in Agro *Roſcomanienſi*, Cænobium *S. Patritij* fundatum à *Cornelio* Epiſcopo *Elphinenſi*, A. 1450,

43. **MOYNÆ,** ad *Moyum* Fluvium, in Agro *Mayonenſi*, Cænobium fundatum A. 1460 à *Thoma* (Oge, i. e. Juniore) *de Burgo*, Domino *Mac-William Oughter*, ut jam pridem oſtenſum Cap. ix. §. xxxvii. Num. ii. Lit. k. Pag. 318.

44. **ROSSRIELLIJ,** alijs *Roſſerellij*, in Agro *Galvienſi*, Cænobium fundatum à quodam *Gannard* A. 1498.

45. **MILICKÆ,** ad Ripam *Shanani* Fluvij, in eodem Agro, Cænobium fundatum ab *O-Maddeno*, Dynaſtâ Regionis *Longofordienſis*, nunc Baroniæ Agri ſeù Comitatûs *Galvienſis*, de quibus conſulendum Cap. ix. §. xxxii. Num. iii. Pag. 305.

46. **KINALECHINÆ,** in eodem Agro, Cænobium fundatum. . . .

47. **PETRÆ PATRITIJ** (alias *Crueleagh*, alias *Balli-Ruark*) in Agro *Leitrimenſi*, Cænobium fundatum à *Margarita*, Viduâ *Eugenij O-Ruark*, ſeù *O-Rourk*, A. 1509. *O-Ruarki* porrò Principes erant *Bræſiniæ Occidentalis*, nunc Agri *Leitrimenſis*, juxtá ſuperiùs dicta Cap. ix. §. xxv. Num. iii. Lit. k. Pag. 286.

48. **JACOBOPOLIS,** (anglicè *James Town*) in eodem Agro, Cænobium fundatum. . . . Videſis Cap. xvii. Num. lxxxii. Pag 691.

49. **BALLYMOTÆ,** in Agro *Sligoenſi*, Cænobium fundatum ab inclyta Gente *Mac-Donogh*, de qua Cap. ix §. xxxiv. Num ii. Lit. e. Pag. 310.

50. ARRANÆ, (Inſula eſt in Oceano jacens inter extremos *Conaciæ* & *Momoniæ* Fines, olim ad *Momoniam* ſpectans, nunc verò Pars Agri *Galvienſis)* Cænobium fundatum A. 1485.

51. MONTIS PIETATIS, in Agro *Mayonenſi*, Cænobium fundatum. . . .

In ULTONIA.

52. CARRICK FERGUS, (i. e. *Rupes Ferguſij)* in Agro *Antrimenſi*, Cænobium fundatum circâ A. 1232 ab Equite *Hugone de Lacy*, Juniore, Comite *Ultoniæ*, de quo nonnihil Cap. ix: §. xxi. Num. ii. Pag. 274.

53. PONTANÆ, vulgò *Drogheda*, juxtà Ripam Borealem Fluvij *Boini*, in Agro *Louthano*, Cænobium fundatum A. 1240 à *Plunkettis* (de quibus nuper dictum §. præſ. Num. 13) non autem à *Darcæis* de *Platten*, ut nonnulli volunt, hi ſiquidem Originem ducunt ab Equite *Joanne d'Arcie*, vulgò *Darcy*, Progenitore Comitum de *Holderneſſe*, in *Anglia*, qui in *Hiberniam* advenerat ejuſdem Prorex A. 1323. Hinc *Darcæi* Reſtauratores aut Benefactores potiùs fuere quam Fundatores. Adeas Cap. ix, §. xxi. Num. ii. Lit. e. Pag. 276.

54. DUNI, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum ab Equite *Hugone de Lacy*, Juniore, Comite *Ultoniæ*, mox laudato, circâ A. 1240.

55. ARMACÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum à *Patritio O-Scanlan*, Ordinis Prædicatorum, Archiepiſcopo *Armacano*, de quo Cap. xiii. Num. vii. Pag. 459. Conſulendum Cap. x. §. i. Pag. 338.

56. DUNDALKÆ, in Agro *Louthano*, Cænobium fundatum à *Joanne de Verdon*, Sæculo xiii.

57. CAVANÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum à *Gelaſio* (Rufo) *O-Reilly*, Principe *Breſiniæ Orientalis*, nunc Agri *Cavanenſis*, A. 1300. Adeas Cap. ix. §. xxv. Num. iii. Pag. 286.

58. DONEGALLIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum ab *Odone*, alijs *Hugone* (Rufo) *O-Donnell*, A. 1473: Legeſis Cap. ix. §. xxiii. Num. 3. iii. Lit. p. Pag. 282.

59. DERIÆ, nunc *Londino-Deriæ*, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum. . . .

60. DROMORÆ, in Agro *Dunenſi*, Cænobium fundatum. . . . .

61. DUNGANNONÆ, in Agro *Tyronenſi*, Cænobium fundatum à *Conoſſio O-Neill*, e Regibus *Ultoniæ*, Progenitore Comitum *Tyronæ*, Sæculo xv.

62. BONAVERGIJ, aliàs *Bonamargij*, in Agro *Antrimenſi*, Cænobium fundatum à *Sorleo* (Flavo) *Mac-Donnell*, Patre primi Comitis *Antrimenſis*, Sæculo xvi.

63. LISGOVELÆ, vulgô *Liſcool*, in Agro *Fermanacano*, Cænobium fundatum à nobili Gente *Maguire*, de qua Cap. ix. §. xli. Num iii. Lit. h Pag. 332.

64. MONACANÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum à *Felimo Mac-Mahon*, Dynaſtâ *Urielis*, ut videre eſt Cap. ix. §. xxxii. Num iii. Lit. t. Pag. 306.

65. STRABANÆ, in Agro *Tyronenſi*, Cænobium fundatum. . . .

Duo habent Monaſteria Monialium, unum *Galviæ*, alterum *Dublinij*.

Quinque Cænobia (ſeù Collegia) Extranationalia ſunt.

1. LOVANIJ, in *Belgio*, Cænobium S. *Antonij de Padua*, fundatum à *Philippo* III, *Hiſpaniarum* Rege, A. 1616, inſtante P. *Florentio Conry*, poſtmodum Archiepiſcopo *Tuamenſi*, cujus Sepulchrum eſt in ejuſdem Cænobij Eccleſia juxtà Aram Summam à Latere Evangelij eum ſequenti Epitaphio.

Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Florentius Conrius, Conacienſis,
Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ,
Archiepiſcopus Tuamenſis;
Provinciæ Hiberniæ quondam Miniſter:
Pietate, Prudentia, Doctrinâ
Maximus,
Æternæ Memoriæ

Digniſſimus:
Quo Sollicitante,
Pro reſtauranda in Hibernia Fide Orthodoxa
Hoc S. Antonij à Padua Collegium
Munificentiâ Philippi III. Hiſpaniarum Regis
Fundatum eſt
Anno Chriſti
1616.
Laboribus varijs Fidei & Patriæ ergò
Fractus
Piè obijt in Conventu S. Franciſci Matriti
1629.
XIV. Kal. Decembris, Ætatis LXIX, Archiepiſcopatus XXI.
Hujus Collegij P. P. Anno 1654.
Quo ejus Oſſa ex Hiſpania tranſlata,
Et hic Immortalitatis Præmium expectant,
Grati poſuere.

2. **ROMÆ,** Cænobium S. *Iſidori* fundatum ab *Urbano* viii, Pontifice Maximo, Rem agente P. *Luca Waddingo*, Annalium Minorum Parente, A. 1625. Hujus Sepulchrum videre eſt ad Cornu Altaris S. *Antonij* juxtà Aram Majorem cum ſequenti Epitaphio.

D. O. M.

R. A. P. F. Lucæ Waddingo, Hiberno,
Viro Erudito,
Virtutibus Ornato;
De Eccleſia, Religone, & Patria
Bene Merito,
Lectori Jubilato,
Totius Ordinis Minorum Chronologo,
Patri, ac Fundatori Optimo, & Ampliſſimo,
Collegium mærens poſuit
Ære D. Herculis Ranconij,
In Urbe Advocati,
Ejus verè Amici.
Obijt
XVIII Novembris, MDCLVII.
Ætatis LXX.

In eadem S. *Iſidori* Eccleſia viſitur Lapis ſepulchralis celebris Auctoris *Hugonis Mac-Cagbwell*, qui in Archiepiſcopatu *Armacano* ſucceſſit celebri quoque *Petro Lombardo*, jam anteà memorato Cap. xvii. Num. xxiv. Lit. f. Pag. 628. En porrò Inſcriptionem:

D. O. M.

Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino Fr. Hugoni Cavello,
Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ, Lectori Definitori Generali,
Archiepiſcopo Armacano, Primati Hiberniæ,
De Patria, Religione, Literis bene merito.
Cujus in Patriam Reditum Mors prævenit.
Excellentiſſimus Dominus Johannes O-Neill, Tironiæ Comes,
Hunc Lapidem poni fecit.
Obijt xxii *Septembris MDCXXVI. Ætatis LV.*

3. PRAGÆ, in *Bohemia*, Cænobium *Immaculatæ Conceptionis B. M. V.* fundatum a *Ferdinando* II Imperatore, ſollicitante P. *Malachiâ Fallon*, ejuſdem Ordinis Alumno, A. 1631.

4. CAP-

4. CAPRANICÆ, in *Patrimonio Divi Petri*, Viginti Octo *Romá* Milliarijs *Vitebium* verſùs, Cænobium *Immaculatæ Conceptionis* B. M. V. pro Novitijs recipiendis conceſſum ab *Alexandro* VII, Pontifice Maximo, ſupplicante P. *Luca Waddingo*, nuper laudato, qui ejuſdem adijt Poſſeſſionem Die 8 Maij 1656.

5. BOULAGIJ, vulgò *Boulay*, in *Lotharingia*, Cænobium S. *Mariæ* fundatum à *Leopoldo* Duce *Lotharingio*, agente P. *Bernardo Plunkett*, ejuſdem Ordinis Alumno, & urgenter ſollicitante *Franciſco Taaffe*, Comite *Carlingfordiæ*, A. 1688, qui Benefactor quoque erat munificentiſſimus. Videſis Cap. ix. §. xxxiv. Num. ii. Lit. e. Pag. 310.

Fratres *Capucini* non erant in *Hibernia* antè Diſſolutionem Domorum Religioſarum ſub *Henrico* VIII. Primò quippe advenerunt A. 1623, eorum Præſide P. *Edmundo Ling*, Caſſelienſi, ut jampridem dictum Cap. ix. §. i. Num. xv. Pag. 195. Capellas habent *Dublinij*, & *Kilkenniæ*. Verſantur quoque *Corcagiæ*, & alibi, Miſſionarios agentes. Habuerunt porro duos Conventus Extranationales, nempè apud *Carolopolim* (vulgò *Charleville*) & *Sedanum* (vulgò *Sedan*) in *Campania*, acquiſitos ad ſollicitam Inſtantiam P. *Franciſci Nugent*, ejuſdem Ordinis Alumni, ſed quia Cænobia iſta ſunt in Finibus Regni *Galliarum*, idcircò *Ludovicus* xiv Patres Capucinos noſtros, utpotè exteros, transferri fecit *Barium ſuper Abbulam* Fluvium (vulgò *Bar-ſur-Aube*) ubi Conventus S. *Bonaventuræ* ; & *Vaſſium* (vulgò *Vaſſie*) ubi Conventus B. *Mariæ Aſſumptæ*, in eadem *Campaniæ* Provincia.

§. XII.

Cænobia 26 (a) Ordinis Eremitarum S. *Auguſtini*, unumque Extranationale.

1. DUBLINIJ, ad Ripam Auſtralem Fluminis *Liffij*, Cænobium SS. *Trinitatis*, fundatum à *Talbotis* de *Temple-Oge* propè *Dublinium*, & de *Mount-Talbot* in Agro *Roſcomanienſi*, A. 1259. Celebre omnino erat, atque Studium Generale Fratrum hujus Ordinis, in eo ſitum Loco (nonnullis Ruderibus adhuc manentibus) ubi nunc Comædiæ peraguntur in Vico anglice dicto *Crow-Street*.

2. GALVIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum Sæculo xiii à nobili Gente *Berminghama*, ut aliqui affirmant, vel, juxta alios, à *Stephano Lynch*, ejuſque Conjuge *Margarita*, A. 1508.

3. CORCAGIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum Sæculo xiii, à *Courcæis*, Baronibus de *Kingſale*, pro quibus conſule §. v. Num. 4 ; & §. viii. Num. 20. Pag. 739, & 742.

4. LIMERICI, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium S. *Crucis*, fundatum ab *O-Brienis*, è Regibus *Limerici*, & *Thomondiæ* oriundis, Sæculo xiii, ut refert *Antonius Bruodinus*, Ordinis Minorum, Agri *Clarenſis* nativus, in *Hiſtoria Hiberniæ*, editâ *Pragæ* 1668, Pag. 968. Porrò *Dublinij* in *Regiſtro* Magnæ Curiæ *Cancellariæ* videre eſt Mandatum dictæ Curiæ cum Injunctione datâ 22 Junij 1691 in Cauſa (ſeù Motione) vertente *inter Patrem Brianum Kennedy, ac Conventum S. Auguſtini apud Limericum, Actores, & Gulielmum Lyſaght* (Progenitorem moderni Baronis de Liſle) *Defendentem.* Mandatum autem Domini Cancellarij (Equitis *Caroli Porter*) erat, "ut Defendens intra Sex Dies poſt viſas præſentes, aut debitam earum Notitiam, Libello Supplici reſpondeat ſuper Sancta Evangelia ; interea verò emanet ex hac Curia Injunctio ad quietandos Actores in pacifica Poſſeſſione dictæ Domus donec per Legem evincantur, aut uſque ad ulterius hujus Curiæ Mandatum." Cæterum laudatus *Brianus Kennedy* Prior tunc erat Conventus hujus *Limericenſis*, & poſtmodum Provincialis ſui Ordinis in Hibernia.

5. NASÆ.

(a) *Auguſtinus Lubinus* in Libro, cui Titulus: *Orbis Auguſtinianus*, ſexaginta unum recenſet Cænobia Ordinis hujus in *Hibernia*, qui ſuberant Provinciali *Angliæ* uſque ad Annum 1556, quo, perditis in *Anglia* Religioſis Domibus, *Hibernia* erecta fuit in peculiarem Ordinis Provinciam. Quidquid autem ſit de primo Conventuum Numero, impræſentiarum ſaltem viginti ſex duntaxàt ſunt Priores, qui Loca inter ſe tenent juxtà Seriem Conventuum hic delineatam, nihil tamen authenticè innoteſcit de eorundem Antiquitate, deſtructis ſcilicet Archivis.

5. NASÆ. in Agro *Kildarenſi*, Cænobium fundatum A. 1484, de quo nonnihil Cap. ix. §. xxviii. Num. iii. Pag. 294.

6. ARDANARIÆ, in Agro *Sligoenſi*, ad Pontem *Moij* Fluvij, dictum Agrum à *Mayonenſi* ſejungentis, Cænobium fundatum A. 1427.

7. TIPPERARIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum Sæculo xiii.

8. BALEHAUNESÆ, in Agro *Mayonenſi*, Cænobium S. *Mariæ* fundatum à nobili Familia *Mac-Coſtello*, originaliter *de Angulo*, anglicè *Nangle*, de qua Cap. ix. §. xxxv. Num. iii. Pag. 313.

9. SCRINÆ, in Agro *Midenſi Orientali*, Cænobium fundatum à *Franciſco Feipo*, Loci Domino, Sæculo xiv.

10. CALLANÆ, in Agro *Kilkennienſi*, Cænobium fundatum à *Jacobo Butler*, è Comitibus *Ormondiæ*, A. 1471, ibidem ſepulto A. 1487. Nonnulli Fundationem adſcribunt *Hugoni de Mapilton*, Epiſcopo *Oſſorienſi*, denato A. 1256.

11. ROSSÆ, alias *Roſs-Pontis*, in Agro *Wexfordienſi*, Cænobium fundatum Sæculo xiv. Conſulendum Cap. ix. §. xix. Num. 1. Pag. 270.

12. PONTANÆ, vulgo *Drogheda*, juxta Ripam Borealem Fluvij *Boini*, in Agro *Louthano*, Cænobium fundatum, aut certè reſtauratum à Gente *Brandon*, Sæculo xiii.

13. DUNMORÆ, in Agro *Galvienſi*, Cænobium fundatum A. 1425, à *Gualtero de Bermingham*, Nono Barone *Athenrienſi*, Progenitore moderni Comitis *Louthani*, de quibus Cap. ix. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 221.

14. DUNGARVANÆ, in Agro *Waterfordienſi*, Cænobium fundatum Sæculo xiii. à *Geraldinis*, Progenitoribus Comitum *Deſmondiæ*, qui ejuſdem fuere Patroni. Legeſis Cap. ix. §. x. Num. ii. Lit c. Pag. 237.

15. BALLINROBÆ, in Agro *Mayonenſi*, Cænobium fundatum, ut refert *Waræus*, laudans Regeſtum Cænobij Fratrum Prædicatorum *Athenriæ*, ad Annum 1337.

16. BENADÆ, in Agro *Sligoenſi*, Cænobium Sanctiſſimi *Corporis Chriſti*, fundatum à quodam Patre *Carolo*, A. 1423.

17. TULLOGHÆ, vulgò *Tullow*, aliàs *Tully-Felim*, ad Ripam *Slani* Fluvij, in Agro *Carloenſi*, Cænobium fundatum, à *Simone Lombard*, & *Hugone Talon*, A. 1314.

18. FIDERDÆ, vulgò *Fethard*, in Agro *Tipperarienſi*, Cænobium fundatum à *Gualtero Mulcot*, A. 1306.

19. MURISKÆ, in Agro *Mayonenſi*, ad Radicem *Montis S. Patritij* (hibernicè *Cruach-Patric)* Cænobium fundatum à quadam *O-Maly*, Dynaſtâ illius Partis memorati Agri, vulgò dictæ *Ouall-vi-Maly*, i. e. *Poma O-Malyorum*, quatenùs Territorij illius Montes ſunt Figuræ pomalis, juxtá ſuperius dicta Cap. ix. §. xxxvii. Num. 1, & iii. Pag. 317, & 321.

20. BORISCARRÆ, in eodem Agro, Cænobium conceſſum à *Joanne* xxiii, Pontifice Maximo, A. 1412.

21. CLOMINARUM, anglicè *Clomines*, in Agro *Wexfordienſi*, Cænobium fundatum ab *O Cavanaghis*, quondam Regibus *Lageniæ*, de quibus Cap. ix. §. i. Num. viii. Lit. s. Pag. 191. Confer Cap. x. §. iii. Num. ii. Pag. ~~314~~. 341

22. ADARÆ, alijs *Athdaræ*, vulgò *Adare*, in Agro *Limericenſi*, Cænobium fundatum à *Joanne Geraldino* primo Comite *Kildarenſi*, circà A. 1315. Vid. §. v. Num. 14, & §. xi. Num. 32. Pag. 740, & 746.

23. ANIJ, in Agro *Limericenſi*, Cænobium fundatum à *Joanne Fitz Robert*, & alijs, Sæculo xiv. Vid. §. i. Num. 45. Pag. 728.

24. KILLACHÆ, in Agro *Kerrienſi*, Cænobium fundatum . . . .

25. MUCKNÆ, propè Lacum ejuſdem Nominis in Agro *Monacano*, Cænobium fundatum. . .

26. INSULÆ OMNIUM SANCTORUM, in Lacu *Ree*, & Agro *Longofordienſi*, Cænobium fundatum. . . . .

Hic Ordo duo habet Monaſteria Monialium, primum *Galviæ*, ſecundum *Dublinij*, unumque

Cæno-

Cænobium, ſeù Colleguim, Extranationale, nempè S. *Matthæi* in Via *Merulana* Urbis, ipſi conceſſum à *Clemente* xii, Pontifice Maximo, ſollicitantibus Patribus Hibernigenis *Lucâ Geoghegan*, *Hilario Flood*, & *Thomâ Berrill*, S. Theologiæ Magiſtris, primuſque Prior fuit ultimò recenſitus *Thomas Berrill*, inmiſſus, me præſente, in memorati Cænobij Poſſeſſionem Nomine Provinciæ *Hiberniæ* Die 1 Aprilis 1739. Exemplar porrò authenticum Literarum Apoſtolicarum, ne perderentur, reliqui in Archivo Conventûs noſtri S. *Sixti* de Urbe. Iam anteà quidem, Sæculo ſcilicet ſuperiori, Juris erat Fratrum *Hibernorum*, ſed, his deficientibus ob Temporum Calamitates, *Itali* illud occuparunt. Prælibata Eccleſia eſt Titulus Preſbyteri Cardinalis, qui ultimò fuit Eminientiſſimus D. *Fortunatus Tamburinus*, Ordinis S. *Benedicti*, Congregationis *Caſſinenſis*, dudùm laudatus Cap. i. Num. xv. Pag. 23.

§. XIII.

Cænobia 25 (a) Ordinis B. Mariæ de *Monte Carmelo*.

1. **DUBLINIJ**, Cænobium S. *Mariæ*, fundatum A. 1274 à *Roberto Bagot*, Equite Aurato, qui Fundum comparavit a Monachis Ciſtercienſibus Cænobij *Baltinglaſſæ*, de quo §. viii. Num. 5. Pag. 741. Domus hæc, poſt ſuppreſſionem ejus, data fuit Equiti *Franciſco Aungier*, Baroni *Longofordiæ*, & Magiſtro Rotulorum, qui in ea reſidebat ad Mortem uſque, A. 1632 ſecutam, ſicut & ejus ex Filio Nepos, *Franciſcus* item *Aungier*, Comes *Longofordiæ*, uſque ad Annum 1700, demumque hujus Frater Comes *Ambroſius*, quo defuncto ſine Prole A. 1704, extinctus evaſit Titulus honorarius, Domuſque tandem cecidit. Eodem autem in Loco conſtructum fuit A. 1732 Theatrum Vici, dicti *Aungier-Street*, ab prædictos Satrapas cognominatos *Aungier*. Vicus etiam huic vicinus nuncupatur *Longford-Street*, aliuſque ei vicinus appellatur *White-Friers-Street*, i. e. *Alborum Fratrum Vicus*, ut pridem obſervatum Cap. ix. §. iv. Num. iii. Lit. p. Pag. 208.

2. BALLINSMALÆ, in Agro *Mayonenſi*, Cænobium *S. Mariæ*, fundatum à Familia *Prendergaſtorum*, Sæculo xiii. Videſis §. i. Num. 41. Pag. 728.

3. THURLESÆ, in Agro *Tipperarienſi*, Cænobium S. *Mariæ* fundatum eodem Sæculo à *Butleris*, de quibus Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

4. PONTANÆ, vulgò *Drogheda*, ad Ripam Auſtralem Fluvij *Boini*, in Agro *Midenſi Orientali*, Cænobium S. *Mariæ* fundatum ab Oppidanis eodem Sæculo.

5. Apud ATRIUM DEI, vulgò *Atherdee*, aliàs *Ardee*, in Agro *Louthano*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à *Radulpho Pipard*, eodem Sæculo. Videſis §. v. Num. 9. Pag. 740.

6. Juxta PONTEM LEIGLINÆ, ad orientalem *Baroi* Ripam, in Agro *Carloenſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à quodam *Carew*, eodem Sæculo.

7. KILDARÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à *Gulielmo de Veſey*, originaliter *de Burgo*, Progenitore Baronis de *Knapton*, A. 1290. Vid. §. xi. Num. 7. Pag. 744.

LOUGHREAGHÆ, in Agro *Galvienſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à *Richardo de Burgo*, Comite *Ultoniæ*, & Domino *Conaciæ*, circà A. 1300, ut pridem dictum Cap. ix. §. viii. Num. iv. Lit. b. Pag. 224. Hic Loci Patres Carmelitæ Diſcalceati *S. Thereſiæ* reſident.

9. CREVEBANÆ, in eodem Agro, Cænobium fundatum Sæculo xiv à Familia *de Burgo*, vulgò *Burke*, Progenitrice Comitum *Clanrickardiæ*, de quibus Cap. ix. §. xxi. Num ii. Lit e. Pag. 276.

10. HORTON-PARVÆ, in Agro *Wexfordienſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à Familia *Furlongorum*, eodem Sæculo.

(a) Nonnulli Scripores aſſerunt Ordinem hunc Triginta duo habuiſſe Cænobia in *Hibernia*, nunc tamen Viginti quinque duntaxàt vendicat.

11. KINSALÆ, in Agro *Corcagienſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum à *Roberto* (Filio Richard) *Balrain*, eodem Sæculo. Confer §. ii. Num. 30. Pag. 737.

12. KNOCMORÆ, in Agro *Sligoenſi*, Cænobium fundatum à ſpectabi Familia *O Gara*, eodem Sæculo. Conſulendum Cap. x. §. v. Pag. 344.

13. ARDNECRANÆ, in Agro *Midenſi Occidentali*, Cænobium fundatum à *Roberto Dillon*, Domino *Drumranij*, de qua Familia videſis §. xi. Num. 3. Pag. 744.

14. BALLINEGALLÆ, in Agro *Limericenſi*, Cænobium fundatum à Familia *de Rupe*, vulgò *Roche*, e Vicecomitibus de *Fermoy*, eodem Sæculo. In Literis porrò Patentibus, quibus Regina *Elizabetha* A. 1586 Latifundia Conventui huic annexa conceſſit Collegio *Dublinienſi* SS. Trinitatis, diſertis Verbis nuncupatur *Cænobium Carmelitanum*, ut jampridem narratum Cap. x. §. ii. Pag. 340.

15. ATHBOYÆ, in Agro *Midenſi Orientali*, Cænobium *S. Mariæ*, fundatum à *Gulielmo de Loundres*, Loci Domino, A. 1317.

16. CLONCURRIJ, in Agro *Kildarenſi*, Cænobium *S. Mariæ*, fundatum à *Joanne de Rupe*, A. 1347. Videſis Cap. ix. §. xlii. Num. ii. Lit. f. Pag. 334,

17. KNOCTOPHERÆ, in Agro *Kilkennienſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum A. 1356. à *Jacobo Butler*, ſecundo Comite *Ormondiæ*, de quo Cap. ix. §. xviii. Num. ii. Lit. k. Pag. 266.

18. BALLINEHINCHÆ, in Agro *Galvienſi*, Cænobium eodem Anno fundatum ab *O-Flabertæis*, ut jam anteà dictum Cap. ix. §. xxiii. Pag. 308, ubi nonnihil videbis de antiquiſſima Fundatoris Progenie.

19. Apud VILLAM MOLENDINI, vulgò *Ballywullan*, in Agro *Limericenſi*, Cænobium fundatum à *Nelano O-Molloy*.

20. KILCORMAC, (Latine potius *Cormacopolis*) nunc *Francofurti*, ad *Braſſinogum* Fluvium, in Agro *Regis*, Cænobium fundatum ab *Odone*, alijs *Hugone* (Filio Nelani) *O-Molloy*, in cujus Eccleſia ipſe ſepultus eſt A. 1454. Nuper porrò mutatum eſt Loci Nomen ab ejuſdem Domino, qui illum magnoperè ampliavit, ut obiter ajebam Cap. ix. §. xliii. Num i. Pag. 336.

21. RATHMULLIANÆ, in Agro *Donegallenſi*, Cænobium *S. Mariæ* fundatum a *Mac-Suineo Fanagh*.

22. KALTRGH-NE-PALLICE, in Agro *Galvienſi*, Cænobium *S. Mariæ*, fundatum à *Berminghamis*, Baronibus *Athenriæ*, moderni Comitis *Louthani* Progenitoribus, de quibus Cap. ix. §. viii. Num. ii. Lit. g. Pag. 221.

23. GALVIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum à Gente *de Burgo*, nuper memoratâ Num. 9. Hic Loci Patres Carmelitas Capellam habuiſſe A. 1648 liquet ex Cap. xvii. Num. lxxv. Sect. 19. Pag. 684.

24. CORCAGIÆ, in Agro ejuſdem Nominis, Cænobium fundatum. . . . .

25. CASTELIONIS (anglicè *Caſtle- Leban*, ſed paſſim *Caſtle-Lyons*) Cænobium fundatum à quodam *Barrio* è Vicecomitibus de *Buttevant*, Progenitoribus Comitum de *Barrymore*, de quibus Cap. ix. §. vi. Num. ii. Lit. i. Pag. 215.

Fratres Carmelitæ Diſcalceati, paſſim dicti *Thereſiani*, in *Hibernia* non fuere antè Diſſolutionem Cænobiorum & Monaſteriorum, à Tempore *Henrici* VIII factam, primò ſiquidem in Regnum hoc advenerunt A. 1626, eorum Præſide P. *Patritio Donovan*, Youghallenſi, ut dudum ajebam Cap. ix. §. i. Num. xv. Pag. 195. In Quadriennio autem, quo Religio Catholica, & Status Religioſus per *Hiberniam* refloruere, ab Anno nempè 1644, eorum Provincialis erat P. *Joannes Rowe*, ut videre eſt Cap. xvii. Num. lxxiv, lxxv, & lxxx. Pag. 680, 683, & 689. Capellam habent *Dublinij* ſicut alij Regulares, atque Patres alibi Miſſionarios agentes. Duo inſuper habent Monaſteria, primum *Loughreaghæ*, in Agro *Galvienſi*, cujus prima Monialis, ne dicam Fundatrix, erat *Eleonora de Burgo*, Amita mea; ſecundum *Dublinij*, a tribus fundatum Sororibus, quibus Cognomen *Bellew*. Sæculo Superiori Cænobium quoque habebant Extranationale ſub Invocatione *S. Placidi* apud *Lovanium* in *Brabantia*, ſed Defectu Alumnorum *Hibernorum* poſſeſſum fuit à *Belgis*.

MANTISSA.

MANTISSA.

Exhibens “ Decretum Sacræ Congregationis Particularis de Propaganda Fide ſuper Rebus Hiberniæ, habitæ Die 31 Auguſti, 1761.

“ CUM Occaſione cujuſdam Decreti, vel Edicti R. P. D. (*Richardi Lincoln*) Archiepiſcopi Dublinenſis, Hiberniæ Primatis, graves a Regularibus Querimoniæ ad S. Congregationem fuerint delatæ, tùm quoad circumſcriptam Facultatem excipiendi Confeſſiones, tùm quoad alia plura Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Capita, eadem S. Congregatio ad amputanda Diſſidia, quæ diutiùs producta Pacem illius Eccleſiæ labefactare poſſent, & latiùs propagata aliarum etiam Eccleſiarum Tranquillitatem conturbare, ſepoſitis omnibus, quæ ad peculiarem hanc Cauſam pertinent, ſequentia ex integro Decreta, ab Ordinarijs Locorum Hiberniæ, & à Regularibus in ea Regione degentibus omnino ſervanda, edere, & promulgare cenſuit.

“ 1. Liberum eſſe cuicunque Epiſcopo Regulares prævio Examine ad Confeſſiones audiendas admittere, vel ad Annum, vel ad aliud Tempus ſibi benè viſum; idque Locum habere etiam quoad eos Regulares, qui ab Anteceſſore ad illimitatum quoque Tempus probati jam fuerint. At Epiſcopum non poſſe Regularibus ſemel à ſe ipſo ſimpliciter, & indefinitè approbatis revocare Facultatem excipiendi Confeſſiones, niſi novâ ſuperveniente Cauſâ ad Formam Conſtitutionis CLEMENSIS X, Anno 1670, quæ incipit: *Superna.*

“ 2. Ne propter frequentiorem SSmi Sacramenti Expoſitionem, debita Veneratio ipſâ Aſſuetudine minuatur, à Regularibus Modum tènendum eſſe, ut Expoſitio tanti Myſterij ſtatis tantùm Diebus fiat, nempè in Die Nativitatis Domini, in Dominica Paſchatis, & Pentecoſtes, in Die Aſcenſionis Domini, in Feſto Corporis Chriſti, & in Dominica infrà Octavam, in quinque Feſtis ſolemnioribus B. Mariæ Virginis, in Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, in Feſto S. Fundatoris ſui Ordinis, & in Die, quâ celebratur Memoria S. Patritij, Hiberniæ Patroni, atque inſuper in una cujuſque Menſis Dominica, ut fit in Eccleſijs Parochialibus, ptæviâ tamen Licentiâ Epiſcopi, ſingulis Annis generaliter obtinendâ.

“ Alijs verò Diebus, ubi Feſtum occurat magni Concurſûs, aut extraordinariæ Devotionis, hujuſmodi Facultatem ſingulis Vicibus eſſe ab Ordinario ſpecialiter impretandam.

“ 3. Idem quoque ſervandum in Proceſſionibus, quæ fiunt cum Delatione SSmi Sacramenti, impetratâ nimirùm ſingulis Vicibus Ordinarij Facultate, exceptis tamen Proceſſionibus fieri ſolitis in una cujuſque Menſis Dominicâ, prout ſuprà in generali Licentiâ comprehenſâ, tùm etiam in Feſto Corporis Chriſti, aut Dominica infrà Octavam, & in Feria Quinta Majoris Hebdomadæ, pro quibus nulla requiritur Ordinarij Licentia. Cæteris etiam Proceſſionibus, quæ ſine Delatiore SSmi Sacramenti, & & intrà Ambitum Eccleſiæ, ſeù Capellæ ſui Ordinis fiunt, nullâ Ordinarij Licentiâ indigere declarat S. Congregatio, in quibus etiam liceat de More Confratribus aliqua Inſignia ſuæ Confraternitatis deferre, modeſtè tamen & ſobriè, nè nimirùm perſtringant Oculos Acatholicorum, atque etiam ne quæ ſtatutæ ſunt in Ædificationem vertantur in Ludibrium, hujuſmodi Proceſſionum Frequentiam morandum eadem S. Congregatio vehementer hortatur, & optat.

“ 4. Indulgentias Authoritate Apoſtolicâ in perpetuum conceſſas Ordinibus Regularium Favore Fidelium denunciari à Regularibus poſſe in ſuis Eccleſijs, ſivè Capellis, Feſto occurrente, ſine Licentia Epiſcopi. Sed quoniam Inconvenientia indè ſequi ſivè propter Exceſſum, ſivè propter Abuſum, poſſe, queruntur Epiſcopi, S. Congregatio præcipit Superioribus Ordinum, ut infrà Anni unius Spatium Catalogum eidem exhibeant Indulgentiarum hujuſmodi, deſcripto earum Numero, Qualitate, ac Die; Quod ſi intrà Annum neglexerint, Authoritate Apoſtolicâ ſuſpendendas ſciant.

“ 5. Confeſſiariorum, ſivè Sæcularium, ſivè Regularium, Conſilium, & Praxim S. Congregatio planè improbat, qui Pænitentes ab alijs Confeſſarijs adeundis avertunt, aut prohibent, eo præſertim quæſito Colore, quod ſuum Sodalitati alicui Nomen dederint, aut Tertiariorum Ordinem profiteantur. In quo quidem ejuſmodi Confeſſarios Officio ſuo minimè ſatisfacere, ſed graviter deeſſe S. Congregatio declarat.

“ 6. De Tertiarijs omninò ſervanda eſſe, quæ præſcribuntur in Conſtitutione LEONIS X in Concilio V *Lateranenſi*, neque ullo Modo licere Regularibus eas admittere ad Habitum, niſi ſervatis ſervandis,

“ & de Licentia Ordinarij; aliter admiſſas declaretur ab Epiſcopis, nec eſſe Tertiarias, nec ullis gaudere Privilegijs, aut Indulgentijs.

“ 7. Novas Sodalitates erigi non poſſe ſinè expreſſa Ordinarij Licentia; legitime verò erectas non licere quidem Ordinario ſupprimere, aut abolere, inconſultâ Sede Apoſtolicâ; poſſe tamen eaſdem liberè, quamvis in Eccleſiis, ſivè Capellis Regularium erectas, viſitare, corrigere, & emendare, utpote ſubjectas Moderationi, & Correctioni Epiſcopi, juxtà Conſtitutionem CLEMENTIS VIII, quæ incipit: *Quæcunque*, ac proindè tùm circâ ea, quæ reſpiciunt Manutentionem, Cultum, & Ornamenta Altaris, ſeù Capellæ, Onera Miſſatum, ac Divinorum Officiorum ibidem celebrandorum, tum circà ea, quæ ad Obligationem eorundem Confratrum Relationem habent, Ordinarium ſtatuere, ac decernere poſſe quidquid in Domino magis expedire judicaverit, juxtà toties iterata Decreta S. Congregationis Concilij.

“ In Viſitatione Sodalitatum Epiſcopi diſtrictè prohibeant, ne Pecuniæ & Reditus earundem, etiamſi in Eccleſiis Regularium ſint erectæ, & à Regularibus dirigantur, ab alio quopiam adminiſtrentur quàm ab ipſis Confratribus, qui quotannis Ordinario Loci Rationem reddere teneantur.

“ 8. Prohiberi non poſſe quominùs Regulares Eleemoſynam in Parochijs Ruralibus quotannis petant ad Oſtium Sacelli, adhibitis in adjutorium duobus principalioribus Parochianis. In cæteris cavendum omnino eſſe Regularibus, ne quid inſtituant, foveant, exerceant, etiam Pietatis Colore, quod Avaritiam, aut turpem Quæſtum redolere videatur, ne blaſphemetur ab ijs, qui ex adverſo ſunt, Verbum Dei.

“ 9. Denique cùm Occaſione Decreti, ſeù Edicti R. P. D. Archiepiſcopi Dublinienſis Scripta quædam exhibita fuerint, quæ neque Chriſtianam Charitatem, neque religioſam Modeſtiam, neque debitam Epiſcopali Dignitati Reverentiam præſeferant, quamquam ea potiùs liberiori Defenſorum Loquacitati tribuenda credantur, ſeriò monendos cenſet S. Congregatio Regulares omnes, ut Inſtituti ſui memores in omnibus Humilitatem, & Subjectionem, tanquàm ſuæ Vocationis Characterem, ac Notam, & Verbo, & Exemplo manifeſtent, & ſi quid nimis oneroſum, atque Privilegijs ſui Ordinis adverſum aliquandò patiantur, hoc S. Congregationi modeſtè, & quàm minimo Rumore fidenter aperiant: Epiſcopos quoque monendos ducit, ut Regulares, quos in eorum Adjutorium Deus vocavit, paternâ Charitate ſemper excipiant, foveant, confirment, ne Vineæ Domini aliquandò deficiant Operarij, qui ſunt Divitiæ Eccleſiæ Dei.

“ Quam S. Congregationis Sententiam, per R. P. D. Marium Mareſuſcum, ejuſdem S. Congregationis Secretarium, SSmo Dno Nro Papæ CLEMENTI XIII relatam in Audientia habita Die 20 Septembris Anni currentis, Sanctitas Sua in omnibus benignè approbavit, atque in poſterum omninò ſervari juſſit. Datum Romæ ex Œdibus dictæ S. Congregationis Die 21 Septembris Anni 1761.

JOSEPH CARDINALIS SPINELLUS, PRÆFECTUS.

Locus
✠
Sigilli.

Marius Mareſuſcus, Secretarius.

Pag. 113. ad Lit y. Adde, & corrige in hunc Modum: Huic in Munere Provincialis *Scotiæ* ſucceſſit alius Vir egregius, A. R. P. Magiſter Fr. *Thomas-Ignatius-Maria Natta*, Caſalenſis, Rmi Magiſtri Ordinis *Joannis Thomæ de Boxadors* Socius pro *Italia*, mihi dudùm notiſſimus, nuper, Die ſcilicet 4 Aprilis 1759, ad *Calaritanam* in *Sardiniæ* Inſula Archiepiſcopalem Sedem evectus, qui, ut obiter dicam, Fratrem habet Carnalem, ejuſdem Ordinis Noſtri Alumnum, Emum nempè & Rmum D. Fr. *Henrichettum-Virginium Natta*, à Die 22 Julij 1750 Epiſcopum *Albæ Pompeiæ* in Ditione *Montis Ferrati*, nuperimè verò, poſtquam ſuperiora ſcripſeram, S. R. E. Cardinalem, à feliciter regnante Summo Pontifice *Clemente* XIII creatum Die 24 Septembris 1761.

F I N I S.

I N D E X

Nominum, & Rerum Notabilium.

Figura indigitat Paginam. Lit. N indicat

Notam ſub eadem Pagina.

A.

ABBANUS (S) Hibernus. 727. 729. 732. 733. 736.
Abbates & Priores olim Proceres Parlamentarij. 726, N. 738, N. 740, N. 741, N.
Abbatiæ Canonic. Regul. S. Aug. 726. Præmonſtraten. 737. Benedictin. 740. Ciſtercien. 741.
Abbatiæ vulgò nuncupantur quæcunque Regularium Cænobia. 200, N. 220, N. 243.
Abdua, italicè D, Ada (Ferdinandus de) Cardinalis *S. Clementis*, anteà Archiep. *Amaſien.* & Nuntius Apoſtol. Londini. 136. 137. 408, N.
Aberdona, *Scotiæ* Civitas. 6.
Abhuinn-O-Gearna, Vicus *Momoniæ*. 213.
Abjurationis *Juramentum*. 157. 713. 715.
Aborigines *Hiberni* qui dicti ? 9.
Abraidis in *Subalpinis* Sodalitas *SS. Nominis Dei*. Ea de Re Decretum S. Congregationis. 179.
Abſidis in Baſilica *S. Clementis* de Urbe, ejuſque muſivi Operis Deſcriptio. 339.
Abbyville (Marchio de) Secretarius Regis *Jacobi* ii. 12.
Academia Dubliniensis. 31. 66. 85. 190. 726.
Academias *Hiberniæ* (ad) Britanni, Galli, & Germani turmatim properabant. 25.
Acca (S) Hibernus. 432. N.
Accadie, gallicum Novæ Scotiæ Nomen. 9.
Achadenſis (vulgò *Achonry*) Epiſcopatus in Hibernia. 19 Ejus Epiſcopi ex Ord. Præd. 248.
Acrea quid ſit ? 14, N. Acrearum *Hiberniæ* Numerus. 15.
Acta Parlamentaria edita *Dublinij* ſub Rege *Jacobo* ii. 143. Sub alijs Regibus contrà Catholicos. 641, & ſeqq. 711, & ſeqq.
Adair, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252, N.
Adalbertus (S) Hibernus. 432, N.
Adalgiſus (S) Hibernus. 432, N.
Adelm (Fitz, i. e. *Adelmi Filius*) Gulielmus de Burgo, primus *Burgorum* in Hibernia. 223, N.
Adrianus Papa reſtauravit Baſilicam S. Sixti. 373. Et S. Clementis. 408.
Aer temperatus in Hibernia. 10.
Affiliati in alienis Provincijs *Hiberno-Dominicani*, ſtatim ac aſſignati fuerint in aliquo *Hiberniæ* Conventu, cenſentur incorporati Provinciæ Hib. 112.
Affiliationes prohibitæ in Collegijs Extranationalibus *Hiberniæ Dominicanæ*. 165.
Aghadoen. Epiſcopatus in *Hibernia*. 18.
Aghavoa olim Sedes Epiſcopalis Oſſorien. 297. Aghavoen. Pagi Deſcriptio. Ibid. Cænobij Fundatio. Ibid.
Aghrim, Denominatio Familiæ *O-Kelliorum*. 235, N. Prælium ibi habitum. 144.
Agnani (S) Dux, Orator Regis Chriſtianiſſimi. 414.
Agnes Filia Regis Francorum, Mater *Gulielmi de Burgo*, in Hiberniam A. 1172 profecti. 223, N.
Agnomina Majorum Deſcendentibus, eodem luſtrali Nomine donatis, tribui ſolita. 229, N.
Aidus (S) Hibernus. 727. 730. 733.
Ailbeus (S) Hibernus. 727. S. Patritio coævus. 40, N.
Alamanzam (apud) Prælium celebre. 82, N.
Alba Aula. Vid. *Holbourn.*
Albain, Nomen Hibernicum *Scotiæ*. 5, N.
Albanach, Edmundus de Burgo. 225.
Albania, Vid. *Scotia.*
Albania (F. Sinlaus de) Epis. Liſmoren. in *Scotia*. 471.
Albani (S) Comes, *Richardus de Burgo*. 277, N.
Albani (S) Abbas quintæ Diei ſolvit Expenſas Cap. Gen. Ord. Præd. *Londini*. 46, N.
Albanus (Annibal) Card. *S. Clementis*, Baſilicam hanc decoravit. 410, & ſeq. Ibi haberi fecit Exequias pro Rege *Poloniæ*. 413.
Albanus (Joannes-Franciſcus) Card. *S. Clementis.* 414.
Alberonus (Julius) Card. Adminiſter *Hiſpaniarum*. 412, N.
Alberti Magni (B) Teſtimonium de *Antiquitate Hiberniæ*. 3. Gulielmum de S. Amore in publico Conſiſtorio vicit. 61.
Albidenſis (P. Jacobus) Sodalis *Lovanien*. 446.
Albigenſes Hæreticos debellavit *S. Dominicus*. 34. 389.
Aldermannus quis dicatur ? 189, N.
Aldetrudis (S) *Hiberna*. 433, N.
Aldrich, Nomen Loci in *Ang.* & Familiæ in *Hib*. 352, N. Aldrich (Gulielmus) Aldermannus Dublinien. Sacerdotum Perſecutor. 175.
Aldovrandus (Pompejus) Patriarcha *Jeroſolymitan*. poſteà Cardinalis. 414.

Alemandus edidit *Monaſticon Hibernicum*. 39.

Alexandri Papæ iv. Diploma ad *F. Patritium O-Scanlan*, Epiſc. *Rapoten.* (poſtea Archiep. *Armacan.*) ei duos concedens Socios. 48.

Alexander vi. Provin. *Romanam* reformavit. 78. Ejus Diploma promovens *F. Franciſcum de Corduba* ad Epiſcop. Glandelacen. 479.

Alexandri vii. Diploma de Collegio & Monaſterio Ulyſſiponen. 422. Abſolvit *Hibernos* a Cenſura Nuntij Apoſtolici. 690.

Alexander II. Rex *Scotiæ*, ſingularis FF. Prædic. Patronus. 44.

Alladen (vulgò *Kilalla*) Epiſcopatus. 19. Ejus ex Ord. Præd. Epiſcopi. 280.

Alleluja, Conventus Ord. Præd. in India. 74.

Allen, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252, N. Allen (Sor. Maria) Monialis *Dublinien.* 360.

Allocutio Benedicti Papa xiii in Conſiſtorio. 163.

Alloiſio (de S) Henrici Card. *S. Clementis* marmorea Effigies, & Sepulchrale Elogium. 400.

Alphonſus VI, *Hiſpaniæ* Rex. Vid. *Landora*.

Alphonſus Dux *Mutinæ*, Pater Reginæ *Angliæ*, Uxoris *Jacobi* ii. 137.

Alta Eccleſia quænam dicatur. 638, N.

Alterijs (Emilius de) Card. poſteà *Clemens* Papa x. 542.

Alternativa quatuor *Hiberniæ* Nationum quandoque vetita, quandoque ſtabilita. 119. 134. 154. 156. 161. 424. Ea prona Factionum Occaſio, atque unica & peſſima Radix Rixarum inter *omnis* Generis *Hibernos*. 135, N.

Alvarez (F. Joannes *de Toleto*) Archiepiſc. Compoſtellan. Card. *S. Sixti*. 390, N. Dein Card. *S. Clementis*. 391. 408.

Alumni Collegiorum Extranationalium præponendi Alumnis aliorum. 156.

Amatus (Cajetanus) Pro-Secret. Brevium. 426 &c.

Ambroſij (S) ad *Nemus* Fratres apud S. *Clementem* Urbis. 407.

America in quinque Provincias Ordinis diſtributa. 94. Earum prima antecedit *Hiberniam*, reliqua ſubſequuntur. Ibid. Vid. *Columbus*.

Amore (Gulielmus de S) Religioſorum Oſor iniquus, a *B. Alberto Magno* victus. 60. Erroneæ ejus Propoſitiones. Ibid. Decreto Pontificio plectitur. Ibid. Peſſimus ejus Liber à *S. Thoma* refutatus. Ibid. & 169.

Anaghkeen (Ulicus de) Scilicet *Gulielmus de Burgo*, Progenitor Clanrickardiorum. 276, N.

Analy (nunc *Longfordiæ*) Princeps *O-Ferrallus*. 14. 301, N.

Anaſtaſius (Philippus) Patriarcha Antiochen. 385.

Anaſtaſius Card. *S. Clementis* Cathedram Epiſcopalem fieri fecit. 299, N.

Andreæ (S) Eccleſia *Londini*. Vid. *Holbourn*.

Andreas (S) *Hibernus*, Archidiaconus *Feſulanus*. 4, N. Ejus Soror Brigida. Ibid.

Andreas Archidiaconus Armacanus. 200.

Andreas (F. Gulielmus) Epiſc. *Achaden.* poſteà *Miden.* 52. 60. 110. 465.

Angelica nuncupata *Hibernia Dominicanæ* Provincia. 134.

Angelica (Sor. Franciſca) Monialis *Bethlehemitana*. 453.

Angelicæ Hierarchiæ Pictura apud S. *Clementem* Urbis 402.

Angelis (Gulielmus de) Doctor Lovanien. 110.

Angelopolitana Provincia Ordinis. 96, N.

Angulo (de) idem ac *Nangle*. 313. Familia hujus Gentis dicta *Mac-Coſtello*. Ibid.

Angulo (Jocelinus de) 729.

Angulo (P. Petrus de) Præſentatus. 116.

Angulo (Philippus de) 740.

Angli Rationem formandi Literas acceperunt ab *Hibernis*. 25. Eos inter & *Hibernos* Bellum per quingentos Annos. Ibid. Plura indecora de *Hibernis* ſcripſere. 11.

Anglia a *Saxonibus* invaſa. 9. Indè *Anglo-Saxones* dicti. Ibid. Ejus Reges *Partem Generis ducunt* a *Gulielmo de Burgo*, Comite Ultoniæ. 278, N. Se inſcribunt *Reges Franciæ*. 149, N.

Angliæ Provincia à S. *P. Dominico* inſtituta. 45. 47. Ipſa *Hiberniæ Dominicanæ* Matrix. 45. Nonnihil de ea. Ibid.

Angliæ Provincialem *Titularem* inſtituere potuit Magiſter Ordinis. 93. Ei conceſſa Privilegia Provinciæ *Hiberniæ*. 81.

Anguis nullus in *Hibernia*. 10.

Animarum *Hiberniæ* Numerus. 15.

Annæ (S) Parochialis Eccleſia *Londini*, ubi olim Cænobium FF. Præd. 83. N.

Anna, regia Comitiſſa *Cantabrigiæ*. 83.

Anna Bolena illegitima Uxor Henrici VIII. 30.

Anna, Filia *Jacobi* ii. Regina *Angliæ*. 137, 147. 713. Ejus Filius *Gulielmus* Dux *Gloverniæ*. 147, N.

Annachini (P. Gulielmus Mac) 102. Vid. *S. Pius* v.

Annales *Hiberniæ Dominicanæ*. 38.

Annuæ Confeſſionis Præcepto ſatisfit deponendo Peccata apud Regulares. 169.

Anonymus (F) Scriptor. 535. Fortaſſe F. *Stephanus de Exonia*. Ibid.

Antiſtites quinque Ord. Præd. in *Hibernia* reſignarunt. 511.

Antonij (S) Eremitagium *Hiberno-Dominican.* 45.

Antonius (Thomas Fitz) Dominus *Thomapolis*. 336, N. Seneſcallus *Lageniæ*. 72S.

Antonius (D. Nicolaus) Fiſcalis *S. Cruciatæ*, &c. 372.

Antoninus (S) Archiep. Florentin. 565, N.

Antrimenſis Comitatus in *Ultonia*. 13, & ſeq.
Appleby, & Appleton, Nomina Locorum in *Ang.* & Familiarum in *Hibernia*. 252. N.
Apoſtoli verè fuerunt Regulares. 175.
Apum Multitudo in *Hibernia*. 10.
Aquinas (S Thomas) Doctor Angelicus. 34. 46.
Aragonia (F. Vincentius Maria de) Archiep. Conſentinus. 501.
Arauſio, vulgò *Orange*, Urbs Epiſcopalis *Galliæ*. 138, N.
Arauſicanus Princeps. Vid. *Gulielmus* iii.
Archdekin (Sor. Maria) Converſa *Betblehemitana*. 453.
Archer (Joannes) Proto Prior Hiberniæ, & Magnus Cancellarius. 738. N.
Archerus (F. Robertus) Archiep. *Armacan*. 59. 458.
Architectus *S. Sixti* à S. Dominico reſuſcitatus. 374.
Arcie Oppidum *Normanniæ*. 250, N.
Arcloenſis Emporij Deſcriptio. 265. Cænobij Fundatio. Ibid. Cæmeterium Catholicis unice nunc deſervit. 269.
Arcloæ Barones *Butleri*, inſimul *Ormondiæ* Comites. 267, N.
Ardagh, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252. N.
Ardachaden. Epiſcopatus in *Hibernia*. 18. Ejus Episcopi ex Ord. Præd. 465. 466. 468. 471. 491. 500.
Ardferten. Epiſcopatus in *Hibernia*. 18. Ejus ex Ord. Præd. Epiſcopi. 240.
Armaca dicitur Civitas in quibuſdam de ea Verſibus, 338, N. Ejus Deſcriptio. 338. Ibi olim Univerſitas. 646.
Armacanus Comitatus in *Ultonia*. 13.
Armacanus Archiepiſcopatus 18. An Primatialis? 16. 459, N. Ejus Archiepiſcopi Decem ex Ord. Præd. 203. 514.
Arnaldus (Jo. Baptiſta) ordinatus Preſbyter à *Bened.* xiii. ad *S. Sixtum*. 387.
Arran (Comes de) *Carolus Butler*. 268, N.
Arthur (P. Jacobus) celebri Virtutis Opinione clarus. 581,
Arthurus (P. Jacobus, alijs Didacus) Scriptor. 541.
Articuli per Parlamentarios & Regicidas fabricati ad extirpandos Hibernos, quà Catholicos, & Regi fideles. 702.
Articuli civiles & militares *Limericen*. 148.
Aſhly-Cooper (Antonius) Comes *Shaftsburius* falſos ſubornavit Teſtes contrà Catholicos. 710.
Aſſemannus (Joſeph) funebrem habuit Orationem ad *S. Clementem* Urbis. 414.
Aſſiſæ bis in Anno habentur. 32.
Aſſiſienſi in Cænobio Corpus *S. Franciſci*. 202, N.
Athankip (Gulielmus de Burgo) 224. 276, N.
Athaſelæ Monaſterium fundatum à *Burgorum* primo in Hibernia. 223, N. 275. 733.
Athenarum Archiep. Nuntius Pariſien. 168.
Athenriæ Oppidi Deſcriptio &c. 220. Cænobij Fundatio. 221. Ibi plura Familiarum Sepulchra. Ibid. Univerſitas erecta. 115. 233.
Athenrienſis Baro nunc Comes Louthanus. 223, N.
Athletanæ Caſtrum *Mac-Jordanorum*. 250,
Athracta (S) Soror *S. Patritij*. 736.
Athy, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252, N.
Athyæ Oppidi Deſcriptio &c. 254. Cænobij Fundatio. Ibid. Ibi habita Capitula quaſi Provincialia. 257.
Aubry (F. Joannes de) electus Epiſc. *Ardachaden*. 60. 465.
Audoenus (S) Archiep. Rotomagen. 189, N.
Audoeni (S) Arcus *Dublinij*. 189, N.
Audoeni Nomen diverſum ab Eugenio. 480, N,
Auguſtinus (S) Infallibilitatem Papæ in Rebus Fidei adſtruit. 167. Ejus Regulam ſectantur FF. Prædicatores. 35.
Auguſtinianorum Cænobia in *Hibernia*, 749.
Auguſtinus (S) in *Angliam* miſſus. 12.
Avenionenſe Schiſma extinctum. 95, N.
Avenmore, Amnis in *Momonia*. 333.
Aulay (Franciſcus Mac) Armiger. 336.
Aungier (Eques Franciſcus) Baro dein Comes Longofordiæ &c. 751.
Aurei Nummi vulgò *Guineæ*. 620, N.
Aurelianenſis Dux, Frater Regis Chriſtianiſſimi. 450. Aurelianenſis Puella cognominata *Darcia*. 491, N.
Auribelli (F. Martialis) Magiſter Ordinis. 73.
Auſtria (Ferdinandus de) Cardinalis. 541.
Antunes (Sor. Mar-Mich. & Agn.) Moniales *Betblehemitan*. 453.
Auxillus (S) *Hibernus*. 727.
Ayres (Sor. Catharina) Monialis *Waterfordien*. 365.

B.

Babynghe (F. Joannes) Archiep. *Tuamen*. 469. Duo ad eum Diplomata Pontificia. 469, 740.
Baccalaureus quis dicatur? 414, N.
Backerus (Robertus) Typographus *Londini*. 631.
Bœtica unde dicta. 96, N. Latius patet quàm *Andaluſia*. Ibid.
Bagot (P. Geraldus) publicâ Virtutis Opinione clarus. 209. 570. Bagot (Eques Robertus) Fundator &c. 751.
Baille-Atha-Cliath, hibernicum *Dublinij* Nomen. 185.
Baille-Candan, idem ac *Thomaſtown*. 336.
Balduinus II *(de Burgo)* tertius Jeroſolymorum Rex. 83.
Balfe (Sor. Maria) Monialis *Pontanen*. 361.
Ball (Robertus) miſſus *Pontanâ* ad Regem *Henricum* iv. 203.
Ballinegallæ Pagi Deſcriptio &c. 340. Dubium ibi Cænobium Ord. Præd. Ibid 285. Cænobium potiùs Ord. Carmel. Ibid. 752.

Ballindunenſis Cænobij Fundatio. 310.
Balrain (Robertus) Fundator &c. 752.
Ballyſhannon, Burgus Ultoniæ. 331.
Bamburien. (in Anglia) Eccleſiæ ex Proventibus Redditus conceſſus Monaſterio *S. Sixti*. 378.
Banchoren. Abbatia in *Ultonia*. 21. 241. 731. Ibi Laus perennis 21.
Bancus Regis, & Bancus Communium Placitorum. Vid. *Fora*.
Bandellus (F. Vincentius) Magiſter Ordinis. 52. 77.
Banna, Amnis limpidiſſimus *Ultoniæ*. 244.
Bannagher, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252, N.
Bannachara, Burgus *Lageniæ*. 210.
Bannina eadem ac *Colrana*. 244.
Barbarini (Carolus & Franciſcus) Card. 542. 690.
Barindeus (S) Abbas, *Hibernus*. 730.
Barkley, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hib*. 252, N.
Barnabas (S) Apoſtolus *Romam* profectus, à *S. Clemente* in paterna Domo (nunc Baſilica) exceptus. 390.
Barnard, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*. 252. N.
Barnewall Vicecomes de Kingſland. 31. Baro de Trimleſton. 32, N. 199. Catholicâ Religione clari.
Barnewall (F. Barnabas) Commiſſarius Generalis Capucinorum. 658.
Barnewall (P. Præs. Jacobus) Sodalis *Molingaren*. & Paſtor. 219.
Barnewall (P. Marcus) publicâ Virtutis Opinione clarus. 578.
Barnewall (Patritius) Eques Auratus. 624.
Barnewalli Fundatores Monaſterij. 737.
Barones 38 in *Hibernia*. 31.
Baronettorum *Ultoniæ* Ordo Egueſtris inſtitutus à *Jacobo* Rege i. 9, N. Baronettorum *Novæ Scotia* Ordo Equeſtris inſtitutus à Rege *Carolo* i. Ibid.
Baroniarum *Hiberniæ* Numerus. 15.
Baronij (Cæſaris) Card. Teſtimonium de *Hibernorum* Tenacitate in S. Fide. 26.
Barous, alijs Birgus, Amnis Lageniæ. 208.
Barrett (P. Dominicus) Sodalis *Bureſulen*. 322.
Barrett (P. Jacobus) publicâ Virtutis Opinione clarus. 587.
Barrett (P. Thomas) Sodalis *Rathbrannen*. 281.
Barrius (S) *Hibernus*. 732.
Barriorum Genealogia. 215, N.
Barry (P. Georgius) Sodalis *Glanoren*. 336.
Barry (P. Gulielmus) *Corcagien*. Vir egregius. 216.
Barrius (Jacobus) Dux *Momonienſium*. 650.
Barry (Norbertus, alijs Robertus) Epiſc. *Corcagien*. & *Clonen*. 490. 674. 692. 699.
Barry (P. Richardus) Gladio tranſverberatus. 563.
Barry (Richardus) Vic. Apoſt. *Roſſen*. 657.
Barrymore (Comes de) 292.
Barrij Fundatores &c. 335, N. 745. 746.
Bar-Sur-Aube (apud) Cænobium *Capucinorum*. 749.
Barton, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*. 252, N.
Bartholomæi (S) *Londini*, Prior. 63.
Bartholomæi Anglici Teſtimonium de Antiquitate & Salubritate *Hiberniæ*. 3.
Baſileenſe Conciliabulum. 71.
Baſilica quid ſit? 372, N.
Baſſa Eccleſia quænam dicatur? 638. N.
Baterleius (F. Joannes) Archiep. *Tuamen*. 472. Scriptor. 540.
Bath, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*. 252, N.
Bath, (P. Chriſtophorus) Vicarius *Lovanien*. 446, publicâ Virtutis Opinione clarus. 582.
Bath (Joannes) de Drumconragh, & Athcarne, 199, N.
Bath (Sor. Mariana) Monialis *Pontanen*. 361.
Bath Prætor *Pontanen*. 62.
Bauffremez (P. Joannes de) Hollandus, Vicarius in *Hibernia*. 77. 80. 518.
Baukz (Adrianus) Doctor *Lovanien*. 112.
Beacon (P. Patritius) Sodalis *Lovanien*. 288.
Becanus, alijs Moebocus (S) *Hibernus*. 732.
Beck (Antonius) Epiſc. *Dunelmen*. 462.
Becker (F. Bernardus) Converſus *Romæ*. 415.
Beckett (Matilda) S. Thomæ *Cantuarien*. Soror, primi *Butleri* Uxor. 266, N.
Beckett (S. Thomas) Archiep. *Cantuarien*. 31. 726.
Bedford, Nomen Loci in *Ang*. & Familia in *Hib*. 252.
Bedley (Joannes) Eques Auratus 192.
Belfaſtæ Baro, *Arthurus Chicheſter*, Hiberniæ Prorex. 616. Vid. *Chicheſter*.
Bellew (Sorores Maria, & Roſa) Moniales *Pontanen*. 361.
Bellew (Sorores tres) Moniales *S. Thereſiæ*. 752.
Bellew (P. Richardus) Prior *Rathbrannen*. 281.
Belling (Richardus) Juriſperitus, miſſus ad *Innocentiam* PP. x. 650. Secretarius Concilij Catholic. Hib. 660, N. 665. Commiſſarius. 698.
Belmer (F. Richardus) Epiſc. *Achaden*. 471. Ea de Re Diploma *Martini* V. 472.
Belvearienſis (in Gallia) Domus *Hiberno-Dominicana*. 106. 448.
Benedicti (S) Domus in *Hibernia*. 740.
Benedictinarum Monialium Monaſteria. 740.
Benedictus xiii. Ord. Præd. anteà F. Vincentius Maria *Urſinus*, Cardinalis *S. Sixti* &c. 162. 384. Ejus Elogia, & Electionis Pompa. Ibid. Oriundus à *Neapoleone* per *S. Dominicum* reſuſcitato 385. Plura præſtat Beneficia Eccleſiæ (a ſe conſecratæ) & Cænobio *S. Sixti* 162. 384. ad 390. Ibi habitavit Bacchanalium Tempore, Epiſcopos conſecravit, Clericos ordinavit. 387. Benefactor Collegij

legij Ludoviſani *Hibernorum* de Urbe. 163, N. Devotus ergà *S. Patritium*. Ibid. Concionem habuit *Beneventi* de *Purgatorio S. Patritij*. 5, N. 163, N. Benefactor item Cænobij *S. Clementis*. 409. Conſiſtorium ibi tenuit, Epiſcopumque conſecravit, 412. Concionem habuit, & SS. Reliquias tranſtulit. 397. 412. Tria ipſius Diplomata. 355. 413. 502.
Benedicti xiv. Teſtimonium de Sanctitate, Religione, & Pietate *Hibernorum*. 21. Epiſtola Paſtoralis ad *Hiberniæ* Antiſtites. Ibid. Quindecim ipſius Diplomata. 24. 177. 357. 358. 359. 362. 379. 381. 426. 507. 509. Vid. 83.
Beneficium Doctrinæ, ſeù Clericorum, quid? 620, N.
Beneficia Eccleſiaſtica. Vid. *Tractatus*.
Beneventi Civitas Ducalis & Archiepiſc. 162, N.
Benfiqua (de) Cænobium in *Luſitania*. 105.
Bennett (P. Mag. Philippus) Factiones *Pontanæ* ſedavit. 203.
Benſon, Nomen Loci in Anglia, & *Familiæ* in *Hibernia*. 252, N.
Berachus (S) *Hibernus*. 735.
Berford, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Berle (Edmundus) Prætor *Dublinien*. 192.
Berlo (Comes de) Epiſc. *Numurcen*. 584.
Bermingham, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Berminghamæ Proſapiæ Genealogia. 221, N:
Berminghami Fundatores Cænobiorum. 221. 745. 749. 750. 752.
Bermingham (Brigida) è Baronibus *Athenriæ*. 41.
Bermingham (Franciſcus) Baro *Athenriæ*, unus Concilij Catholicorum *Kilkenniæ*. 665.
Bermingham (Gulielmus) Archiep. *Tuamen*. 222.
Bermingham (Patritius) Propoſitus *Galvien*. 443, N.
Bermingham (P. Richardus) *Hiberniæ* Procurator 108. 431.
Bermingham (P. Thomas) publicâ Virtutis opinione clarus. 574.
Bern (P. Edmundus O) Martyrium paſſus. 572.
Bern (P. Mag. Joannes O) Regens *Lovanien*. 446. publicâ Virtutis Opinione clarus. 261.
Bern (P. Patritius O) Sodalis *Clonſhanvillen*. 296.
Bern (P. Patritius O) Sodalis *Lovanien*. 448.
Bernardi (S) Elogium de *Hibernia*. 7. Infallibilitatem Papæ in Rebus Fidei adſtruit. 167.
Berrill (P. Mag. Thomas) Ord. *S. Auguſtini*. 751.
Berrill (P. Vincentius) Mag. Studentium *Romæ*. 415.
Berry, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Berwici Dux, *Jacobus Fitz-James*. 82. 140. 144. 278, N. 285. Uxor ejus *Honoria de Burgo*. 278, N. Hujus Epitaphium. Ibid.
Bethlehemitanum *Hibernorum* Monaſt. 451, &c.
Bettinus (P. Mag. Angelus) Provincialis *Angliæ*, Socius Magiſtri Ordinis. 92.
Beverly, Nomen Loci in *Ang*. & Fami. in *Hib*. 252.
Beuſecum (Chriſtianus) Doctor *Lovanien*. 111.
Bibianæ (S) Eccleſia Monialibus S. Sixti data. 378.
Bicknor (Alexander de) Archiep. *Dublinien*. 66.
Bilbilitanum Hibernorum Hoſpitium. 449.
Billa. Vid. *Libellus*.
Bindon, & Bingham, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Biracca (P. Thaddæus Mac) publica Virtutis Opinione clarus. 582.
Birchlei (Gulielmi) Liber. 644.
Bis in Die celebrandi Facultas. 180.
Biſſextilis Annus cur ſic dictus? 138, N.
Biſtagnenſis Diæceſis. Vid. *Glandelach*.
Bitonti (in *Italia*) Prælium. 85, N.
Bacden (F. Jacobus) Epiſc. *Achaden*. dein *Bangorien*. 473. Diploma Pontificium Ibid.
Blackburne, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252. N.
Black Friers nuncupantur anglicè FF. Prædicatores. 206, 208, N.
Blake (Sor. Anaſtaſia) Monialis *Galvien*. 352.
Blake (Sor. Anna) Monialis *Dublinien*. 360.
Blake (Antonius) Archiep. *Armacan*. 361, N.
Blake (Sor) Barbara) Monialis *Galvien*. 352.
Blake (Joannes) Juriſconſultus *Galvien*. 700.
Blake (P. Joannes) Sodalis *Straden*. 254.
Blake (Sor. Marcella) Monialis *Galvien*. 352.
Blake (Richardus) Eques Auratus. 680 ad 686 694.
Blanchfield (Familia de) Fundatrix &c. 728.
Boadanus (S) Abbas, *Hibernus*. 734.
Bobienſe Monaſterium *S. Columbani*. 12.
Boccaſinus (F. Nicolaus) Mag. Ord. dein *B. Benedictus* xi. Pont. Max 48.
Bodechiſin fortaſſè Bodkin (P. Willelmus) 55, N.
Bodkin (P. Præd. Gen. Joannes) Sodalis *Galvien*. 326.
Bodkin (P. Præs. Marcus) Lector Prim. *Ulyſſiponen*. 429.
Bodkin (Sorores Anna, Elizabetha, Juliana, Maria, Monica) Moniales *Galvien*. 352.
Bodeanus (S) *Hibernus*. 731.
Boinus, alijs Boandus, Amnis *Hiberniæ*.
Bolton, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Bona FF. Præd. Hiber. quomodo dividenda? 106, 113.
Bonaventura (S) Hiberniam vocat *Scotiam*. 5.
Bonaventura (F) Ord. Min. Epiſ. *Dunen*. & *Connoren*. 109.
Bonaventura (Sebaſtianus Pompilius) Epiſ. *Montis Flaſconis*. 256.
Boncompagni (Hugo) Card. *S. Sixti*, poſteà *Gregorius* Papa xiii. 273, N.
Boncompagni (Philippus) Card. *S. Sixti*. 373.
Bonhome (Nicolaus-Franciſcus) Ep. *Carpatiæ*. 387.
Bonifacij Papæ ix. Diplomata Duodecim. 57. 58. 64. 201. 202. 466. 467 468.

Boni Succeſſûs *Hibernarum* Monaſterium. 156. 451.
Bononienſis (F. Martinus) Archiep. *Armacan*. 60. 464.
Booth, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Bophinæ Baro, *Joannes de Burgo*, 32, N. 278, N.
Boruma undè derivata? 26, N.
Borard (Gilbertus de) Fundator &c. 738.
Bornhemiæ *Anglorum* Cænobium. 216.
Boroveus (Brianus) Rex *Momoniæ*, Monarcha *Hiberniæ*, vicit *Danos*. 26. Progenitor *O-Brienorum*. 211, N. Sepultus *Dublinii*. 738.
Boſchum natale Oppidum *S. Pij* v. 497, N.
Boſij Elogium de *Hibernia*. 12.
Bourke Vid. *Burgo (de)*
Bourn, Bowe, Bowden, Bowers, Bowland, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*, 252, N.
Boxadors (F. Joannes-Thomas de) Mag. Ord. 183. 426. Literæ Ejus Patentes. 512.
Boyle (Henricus) Comes de *Shannon*. 719.
Boyle (Richardus) Comes *Corcagiæ*. 214. 273.
Boyton (P. Gaſpar) Virtute clarus. 571.
Bozzolaſco (F. Thomas) Vic. Gen. Ord. Præd. 53.
Brabazon (Eduardus) Baro de *Atrio Dei*. 636, N.
Brabazon (Joannes) Progenitor Com. *Miden*. 195, N.
Bradæus (F. Richardus) Ord. Min. Epiſ. *Kilmoren*. 602, N.
Bradley, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Bradſhaw (Joannes) Præſes Curiæ peſſimæ. 640.
Brady (F. Bernardus) Sodalis *Lovanien*. 448.
Bragantiæ Dux fit Rex *Luſitaniæ*. 493, N.
Branain (P. Thomas O) Virtute clarus. 207. 581.
Brancaccius (S. Arch) Epiſ. *Viterbien*. 179.
Brandanus (S) Abbas, *Hibernus*, 728. 734. 736.
Brandanus (S) de *Clonferta*. 734.
Brandoni Fundatores &c. 747. 752.
Brandubus Regulus de *Kinſellah*. 728.
Brangan (P. Præs.) Judex in *Lagenia*. 115.
Brannachi nunc *Walſhæi*. 270, N.
Bray, Nomen Loci, & Familiæ in *Hibernia*. 252, N.
Bray (P. Præd. Gen. Patritius) Sodalis *Waterfordien*. 209.
Brecanus, ſeù Brocanus (S) *Hibernus*. 729.
Breen (P. Præd. Gen. Vincen.) Sodalis *Caſſelien*. 236.
Brefinien. olim Diæceſis nunc *Kilmoren*. 465, N.
Bremond (F. Antoninus) Mag. Ord. 176. 183.
Brenan (P. Jacobus) Sodalis *Roſcomanien*. 261.
Brenan (P. Mag. Thomas) Sodalis *Roſcomanien*. 261.
Brett (F. Joannes) ex Prænitentiario Apoſtolico Epis. *Alladen*. dein *Elphinen*. 506. Diploma Pontificium. 507. Reſolutionem impetravit Dubij de Apoſtatis redeuntibus ad Gremium Eccleſiæ. 508.
Briani, & Bernardi Nomina diverſa. 211, N.
Brianus Boroveus. Vid. *Boroveus*.
Brian (Patritius) Senator Concilij *Kilkenniæ*. 665.
Brid (F. Thomas) Epiſ. *Waterford*. & *Liſmor*. 472.
Brien (F. Richardus Mac) Epiſ. *Elphinen*. 479.
Brienorum (O) Genealogia 211, N.
Brieni (O) Reges *Caſſeliæ*, *Limerici*, & *Thomondiæ*, Fundatores Cænobiorum. 83. 210. 211. 733. ad 745. 746. 749.
Brien (O) Comes de *Thomond*. 32, N. Comes de *Inchiquin*. 211, N. Vicecomes de *Clare* 32, N. 211, N. Comes *Liſmoræ*. 211, N.
Brien (P. Mag. Albertus O) Prior *Corcagien*. & Paſtor. 216.
Brien (Dermitius O) Senator Concilij *Kilken*. 652.
Brien (P. Donaldus O) Virtute clarus. 570.
Brien (Jacobus-Daniel O) Vid. *Carrigogonnel*.
Brien (Joannes O) Epiſc. *Clonen*. 216.
Brien (F. Joannes O) Provincialis *Hiberniæ*. 530.
Briènus (Mauritius O) Epiſ. *Fenaboren*. 212.
Brien (Moriartus O) Epiſ. *Imelacen*. 602, N.
Brien (Murtachus O) Baro de *Inchiquin*. 659. 660. 661. 671.
Brien (F. Terentius Albertus O) Præſentatus. 116. Magiſter. Ibid. Judex in *Momonia*. 115. Provincialis *Hiberniæ*. 114. 524. 563, N. Epiſc. *Imelacen*. 114. 488. 490. 688. 692. Martyr. 490. 567. Pulcharum de eo Elogium Cap. Gen. 488 Judicium Dei adverſus Perſecutorem *Irton*: 489.
Brigida (S) *Hiberniæ* Patrona. 22. 116. 299, N.
Brigida Soror *S. Andreæ* Feſulani. 4, N.
Briſtol, Nomen Loci in *Ang*: & Familiæ in *Hib*. 252.
Britannia *Major* cur dicta. 5, N.
Brito (Irena de) Comitiſſa de *Atalaya*, Fundatrix Monaſterij *Bethlehemitani*. 451.
Brittas (Baro de) *de Burgo*. 32, N. *Theobaldus de Burgo*. 224, N. 276, N.
Broganus (S) *Hibernus*. 732.
Broghill, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Bromford, & Bromley, Nomina Locorum in *Ang*. & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Browne (Sor. Brigida, Elizabetha, Margarita, Maria, & Thereſia) Moniales *Galvien*. 352, 362.
Brownorum (de Neal) Familia. 41, N.
Brown (Dominicus) Civis *Galvien*. 700.
Browne (Eques Galfridus, alijs Severinus) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ*. 652. 654. 668. 695. 698. 699.
Browne (Gulielmus) Theologus *Dublinien*. 677.
Browne (Joannes) Collonellus 148. 151.
Browne (P. Mag. Joannes) *Galvien*. Sodalis *Lovanien*. 446. Lector Artium. 447. Provincialis Hiberniæ, 527.
Browne (P. Mag. Joannes) *Glanoren*. Confeſſarius *Jacobi* & *Clementinæ*, 146, N. 164. 335.
Browne (PP. Joannes, & Robertus) Sodales *Galvien*. 326.
Browne (Petrus) Vicarius *Galvien*. 700.
Browne Vicecomes de *Kenmare*, 32, N. *Thomas* &

Valentinus Vicecomites 256. 268, N.
Brullaughan (P. Mag. Bernardus) Prior *Lovanien* 477.
Brullaughan (P. Mag. Dominicus) Scriptor. 550.
Brullaughan (P. Patritius) Epis. *Derien.* 511. Ceſſit. Ibid.
Brullaughan (P. Præs. Patritius) Theologus *Caſanaten.* 176.
Brunopolis, vulgò *Brunſwick*, in Germania. 148.
Brunus. Vid. *Browne.*
Brufati (Joannis Franciſci) Archiep. *Nicoſien.* Sepulchrale Elogium apud *S. Clementem.* 401.
Bruxellæ, Urbs Capitalis *Brabantiæ.* 435, N.
Bruton, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia.* 252. N.
Buchananus (Georgius) Nomina *Scotiæ*, & *Hiberniæ* expendit. 6.
Bullinbrook, Nomen Loci in *Angliæ*, & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Bureſulenſis Pagi Deſcriptio. 317. Cænobij Fundatio. Ibid.
Burford Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia.* 252, N.
Burgatt (Gulielmus) Vic. Apoſt. *Imelacen.* 658.
Burgatt (P. Mag. Henricus) Virtute clarus. 579.
Burges, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252, N.
Burghat (P. Henricus) Præſentatus. 118.
Burgundus (F. Petrus) Archiep. *Tuamen.* 478.
Burgus Corporatus quid ſit. 31, N.
Burgorum (vernacule *Bourk*, & *Burke*) Genealogia. 82. 223. 242. 251. 260. 275. N.
Burgorum *Mayonenſium* (vernaculè *Bourke*) Genealogia. 318, N.
Burgorum ingens Numerus in Comitatibus *Limericen.* & *Tipperarien.* 274. In *Conacia* dicti quandque *Mac-William*, & ſubdiviſi in plures Surculos. 252, N.
Burgorum variæ Familiæ apud *Athenrienſe* Cænobium tumulatæ. 222. Plurium Obitus recenſentur. 223.
Burgo (Balduinus ii. de) *Jeroſolymorum* Rex. 83.
Burgo (Gulielmus de, Filius *Adelmi*) dictus *Expugnator*, primus in *Hiberniam* cum *Henrico* ii advenit, primamque habuit Uxorem *Anglorum* Regis Filiam. 83. *Hiberniæ* Prorex, &c. 83, N. 212. 726. Fundator Cænobij *Athaſelæ.* 733.
Burgo (Hubertus de) Comes *Cantij*, Regis *Henrici* iii Guardianus, *Hiberniæ* Prorex perpetuus, F. F. Præd. *Londini* Benefactor. 45, N. 83, N. Conjugem habuit *Scotorum* Regis Filiam. 83.
Burgo (Richardus *Magnus* de) Dominus *Conaciæ*, Progenitor Comitum *Ultoniæ*, *Clanrickardiæ* &c. 224.
Burgo (Gualterus, Richardus, & Gulielmus de) Comites *Ultoniæ*, & Domini *Conaciæ.* 84. 224. 225. 227, N. 251. 274. 290. 751.
Burgo (Helena de) Regina *Scotiæ.* 276, N.
Burgo (Elizabetha de) Comitiſſa *Ultoniæ*, Progenitrix Regum *Angliæ.* 84.
Burgo (Honoriá de) Duciſſa *Berwica.* 82.
Burgo (Joanna de) Progenitrix Ducum *Ormondiæ*, Comitum *Kildaræ*, & *Darcæorum.* 267, N.
Burgo (Margarita de) Vicecomitiſſa de *Iveagh*, Progenitrix *Butlerorum* de Kilcaſh. 276, N.
Burgo (Margarita de) Progenitrix Vicecomitum de *Clare.* 211, N.
Burgo (Agnes de) Progenitrix Vicecomitum de *Nettirville.* 199, N.
Burgo (Ulicus de) Marchio *Clanrickardiæ*, Comes *S. Albani*, Vicecomes *Galviæ*, Baro *Imaniæ*, *Hiberniæque* Prorex. 227, N. Teſtis Pacis initæ apud *Kilkenniam.* 654. Ejus Epiſtola ad Nuntium Apoſtolicum. 678. 679; ad Ducem *Lotharingiæ.* 699. Binæ Epiſtolæ ad ipſum Regis *Caroli* ii. 702.
Burgo (Ulicus de) primus *Clanrickardiæ* Comes, & *Dunkellinæ* Baro. 227, N. 277, N. Hujus Succeſſores. Ibid.
Burgo Eques (Theobaldus de) Vicecomes *Mayonen.* Uſurpatore *Cromuello*, Globis transfixus *Galviæ.* 319, N. 704. Anteceſſores ejus & Succeſſores. 318.
Burgo (Thomas de) Vicecomes de *Clanmorris.* 678. Præambulum Diplomatis Regij. 278, N.
Burgo (Ulicus de) Vicecomes *Galviæ.* 32, 144.
Burgo (Joannes de) Baro de *Bophin.* 32, N. 278, N.
Burgo (Theobaldus de) primus Baro de *Brittas.* 224, N. Vid. 32, N. 635. Literæ Patentes Regis *Jacobi* i. 634.
Burgo (Joannes de) Eques de *Brittas*, Martyr. 565. 600.
Burgo (Gulielmus de) primus Baro de *Caſtro-Connell*, 32, N. 224, N.
Burgo (Joannes de) Baro de *Leitrim.* 277, N.
Burgo (Joannes de) *Conanenſium* Generalis. 650.
Burgo (Gualterus de) *Cremonam* defendit contra Principem *Egenium* de *Subaudia.* 316, N. 319, N.
Burgo (Eques Raymundus de) Baronettus de *Glinſk.* 139, N.
Burgorum alij Cænobiorum Fundatores, Benefactores, &c. 227. 242. 274. 280. 290. 317. 733. 734. 737. 745. 751. 752.
Burgo (Jacobo de) Opuſculum inſcripſit Doctor Angelicus. 223, N.
Burgo (Joannes de) Archiep. *Tuamen.* 490. 658, N. 674. 687. 692. 698.
Burgo (F. Dominicus de) Epiſc. *Elphinen.* 127. 131. 222, N. 496, &c 691. 710. Scriptor. 545 Epitaphium ejus. 498.
Burgo (Hubertus de) Can. Reg. Epiſc. *Limericen.* 211.
Burgo (F. Hugo de) Ord. Min. Epiſc. *Duacen*[illegible]90. 687. 692. 698.
Burgo (Milo de) Epiſc. *Duacen.* 509.
Burgo (Thomas de) Epiſc. *Clonferten.* 234. 342.

Burgo (F. Thomas de) Sodalis *Dublinien.* 197. Epiſc. *Oſſorien.* 511. Literæ Patentes Magiſtri Ordinis 512. Diploma Pontificium. 513. Hujus Hiſtoriæ Scriptor. 552. *Benedicto* Papæ xiii per decem Dies famulatus. 387. 388.
Burgo (Oliverius de) primus Cænobij *Lovanien.* Præfectus ſub Titulo *Rectoris.* 326. 431. Vic. Apoſt. *Duacen.* Ibid.
Burgo (P. Mag. Gulielmus de) Senior, Provincialis undecim Annis. 117 446. 524. 692. Legatus Cleri *Hiberniæ* ad Ducem *Lotharingiæ.* 525. 695.
Burgo (P. Mag. Gulielmus de) Junior, Regens Primarius *Lovanij.* 445. Provincialis per Octennium. 134. 445 527.
Burgo (P. Rolandus de) Provincialis per Septennium. 99. 52. De eo Elogium Cap. Gen. 522. Virtute clarus. 559.
Burgo (P. Theobaldus de) etſi Ord. Præd. factus Prior Can. Reg. à *Sixto* iv per Diploma, in quo refertur eum *de Regum Sanguine ex utroque Parente procreatum.* 82, & ſeq.
Burgo (P. Antonius de) Sodalis *Straden.* 254.
Burgo (P. Præs. Dominicus de) Sodalis *Athenrien.* 234.
Burgo (P. Dominicus) Sodalis *Ulyſſipinen.* 429.
Burgo (P. Mag. Edmundus) Theologus *Caſanaten:* 157. 166. 222, N. 691. Scriptor. 549.
Burgo (P. & F. Edmundus de) Virtute clari. 560. 576.
Burgo (P. Franciſcus de) Sodalis *Bureſulen.* 322.
Burgo (P. Gualterus de) Sodalis *Galvien.* 326.
Burgo (P. & F. Gulielmus de) Virtute clari. 575. 578.
Burgo (P. Præd. Gen. Martinus) Prior *Athenrien.* 234.
Burgo (P. Mag. Thomas de) *Limericen.* Vir magni Talenti. 116. 213.
Burgo (P. Thomas de) *Athenrien.* Senior, Virtute clarus. 583.
Burgo (P. Mag. Thomas de) *Athenrien.* Junior, Pænitentiarius Apoſtolicus. 134. 371. 583. N.
Burgo (P. Mag. Thomas de) Sodalis *Galvien.* 326.
Burgo (P. Præs. Thomas-Milo de) Exregens *Ulyſſiponen.* 429. Scriptor. 451. 551. Terræ Motu obrutus. 425.
Burgo (P. Ulicus de) Sodalis *Portumnen.* 307.
Burgo (Sor. Eleonora de) Virtute clara 565.
Burgo (Sor. Eleonora de) Monialis *S. Thereſiæ.* 752.
Burgo (Sor. Elizabetha de) è Vicecomitibus *Mayonen.* Prioriſſa *Dublinien.* 360.
Burgo (Sor. Honoria de) vixit 104 Annos. 520.
Burgo (Sor. Honoria de) Martyr. 572.
Burley (Thomas) Proto-Prior, & Magnus Cancellarius *Hiberniæ.* 738, N.
Bu[illegible]on, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia.* 252, N.
Burrus, Nomen Loci, & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Butigella (F. Paulus) Magiſter Ordinis. 94.
Butleri Cognomen undè inceptum. 264.
Butlerorum Genealogia. 266, N.
Butler, Comes de *Carrick.* 267, N.
Butler (Jacobus) primus *Ormondiæ* Comes. 745. Ejus Succeſſores. Ibid. Fundatores Cænobiorum. 137. 745. 750. 751. 752.
Butler (Jacobus) Marchio, dein Dux *Ormondiæ*, Prorex *Hiberniæ.* 651. Filius ejus *Thomas* Comes *Oſſoriæ.* Prorex *Hiberniæ.* 268, N. Hujus Filius *Jacobus* Dux *Ormondiæ*, &c. Ibid.
Butler (Humphrius) Comes de *Laneſborougb.* 268, N.
Butler (Richardus) Comes *Arranæ*, Prorex *Hiberniæ.* 195.
Butler (Richardus) Vicecomes de *Mountgarret*, Præſes Concilij *Kilkenniæ.* 649. 652.
Butler (Pierius) Vicecomes de *Galmoy.* 148. Vid. 32, N.
Butler (Thomas) Baro de *Cahier.* 267, N. Vid. 31.
Butler Baro de *Dunboyne.* 32, N. Thomas, Baronum de *Dunboyne* Progenitor. 192. 267, N.
Butler (Chriſtophorus) Archiep. *Caſſelien.* 268, N.
Butler (Nicolaus) Archiep. *Dublinien.* 267, N.
Butler (Thomas) Proto-Prior, & Prorex *Hiberniæ.* 267, N. 738, N.
Butler (Tobias) Eques Auratus. 148.
Buts, Platea *Kilkenniæ.* 205.
Buxton, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*, 252.
Byrne (O) Familia antiqua, Fundatrix &c. 744.
Byrne (P. Joannes O) Sodalis *Pontanen.* & Paſtor. 204.
Byrne (Sor. Marianna O) Monialis *Bethlehem.* 453.
Byrne (Richardus O) Theologus *Dublinien.* 677.
Byron (D) miſſus ad *Car.* II. á Regina Matre. 691, N.

C

Cabe (P. Præs. Patritius Mac) Lector Veſperarius *Ulyſſiponen.* Terræ Motu obrutus. 425. 429.
Cabillonius (Philippus) Princeps Arauſicanus. 139. N.
Caermarthen (P. Edmundus) unus è primis Doctoribus Academiæ *Dublinien.* 191. Epis. *Ardferten.* 60. 465.
Cæſarij (S) Monaſterium *S. Sixto* unitum. 378.
Caghwell (F. Hugo Mac) latinè *Cavellus*, Ord. Min. Archiep. *Armacan.* 748. Ejus Epitaphium. Ibid.
Cahani Fundatores Cænobij. 245. 731.
Cahan (P. Michael O) Sodalis *Roſcomanien.* 261.
Cahaſy (P. Thaddæus O) Virtute clarus. 571.
Cahil (P. Œneas-Ambroſius O) Martyr. 419. 567.
Cahil (P. Dionyſius O) Sodalis *Limericen.* 214.
Cahier. Vid. *Butler.*

Cajetanus (S) Fundator *Theatinorum*. 36.
Cajetanus (F. Thomas de Vio) Mag. Ord. Literas dedit de tribus in *Hibernia* Vicarijs. 519. Cardinalis S. Sixti. 390, N.
Cajetani-Pimentelli (Eleonora) Duciſſa. 372.
Cailanus (S) Abbas, *Hibernus*. 731.
Calanan (P. Mag. Hugo) Doctor Sorbonicus, Provincialis per Octennium. 451. 529.
Caledonia. Vid. *Scotia*.
Caliſti Papæ iii Diploma. 475.
Callaghan (P. Thaddæus) Præſentatus. 116.
Callen, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252, N.
Cambrenſis Teſtimonium de ſalubri Aere in *Hibernia* 3. Aliundè de *Hibernia* ſiniſtre loquitur. 11.
Camdenus (Gulielmus) malè ſcripſit de *Hibernis*. 11.
Camæil (Arthurus Mac) Epis. *Clonferten*. 471.
Caminus (S) *Hibernus*. 733.
Campegius Cardinalis. Vid. *Wolſæus*:
Campis (Sor. Scholaſtica Maria de) Monialis *Bethlehemitica*. 453.
Camvil (Galfridus de) Fundator &c. 733.
Cananan (Rodericus O) Dynaſta *Tirconalliæ*, Fundator &c. 742.
Cancellaria. Vid. *Fora*.
Candan (Thomas) Fund. *Burgi Thomapolis*: 336.
Candia capitalis *Cretæ* Civitas. 7.
Cani (P. Joannes) Præſentatus. 157.
Canicus (S) Abbas, Patronus *Canicopolis*, ſeù *Kilkenniæ*. 204. 296, N. 729. Feſtum ejus apud *Hibernos*. 23.
Canonica Portio. Vid. *Quarta funeralis*.
Canonicorum Regularium Domus in *Hibernia*. 726. Proceres *Parlamentarij*. Ibid. N,
Canoniſſarum Monaſteria. 735.
Cantabrigenſis Academia. 31: 50..
Cantelo (Gulielmus de) Fund. Cænob. 753.
Cantwell (Joannes) Archiep. *Caſſelien*. 235.
Cantwell (F. Joannes) Abbas de *S. Cruce*. 657.
Cantwell (F. Oliverius) Epiſ. *Oſſorien*. 478. Diploma Pontificium. Ibid.
Capiſucchi (Joannis-Antonij) Cardinalis *S. Clementis* Sepulcrale Elogium. 404.
Cappas non deferunt FF. S. Sixti in Choro ex Diſpenſatione Papæ. 387, N.
Capranica (Dominicus) Card. 68.
Caprara (Alexander) Auditor *S, Rotæ*. 137, N.
Capronius (P. Franciſcus) Doctor *Lovanien*. 111.
Captor Sacerdotum infamis. 716.
Capucinorum Adventus in *Hiberniam*. 195. Eorum Capellæ, & Cænobia extranationalia. 749.
Caracciolus (F. Nicolaus) Card. Judex. 52.
Caraja (Stephani) Epis. *Paduani* Epitaphium 405.
Carbury, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Cardiff, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*. Ibid.
Cardinales quinquaginta quatuor Ord. Præd. 34. 754.
Cardinales Preſbyteri qua Ratione promoti ad Epiſcopatus Provinciæ *Romanæ*. 384, N.
Cardon (Adrianus) Theologus *Dublinien*. 677.
Carey (Henricus) Vicecomes de *Falkland*, Prorex *Hiberniæ*. 637. Edictum ejus contrà Clerum. 638.
Carlingfordiæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio 289.
Carloenſis Comitatus in *Lagenia*.
Carmelitarum Cænobia in *Hibernia*. 751.
CarmelitarumExcalceatorumAdventus &c. 196. 752.
Carney (P. Stephanus O)Sodalis *Carlingfordien*. 290.
Carolus Magnus Imperator *Hibernos* benignè accepit ad Studia Literarum promovenda. 646.
Carolus V Romanorum Imperator. 597.
Carolus I. Rex *Angliæ*, &c. 116. N. 637. 638. 640. 641. 651. 652.
Carolus II. Rex *Angliæ*, &c. 84. 125. 691. 702. 709. 711.
Carolus-Eduardus *Stuartus*. 146.
Carolus VI, & VII. *Galliarum* Reges. 149, N.
Carolus-Emmanuel, *Sardiniæ Rex*. 148.
Carolus III *Lotharingiæ* Dux. 694 ad 697.
Carolus (P) Ord. S. Aug. Fund. Cænob. 750.
Carrick, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Carrick (Comitis de) Origo. 267, N.
Carrickæ duplex Oppidum. 210, N. 685, N.
Carrigogonnel, illuſtris *O-Brienorum* Ramus, ex quo Comes de *Liſmore*. 211, N.
Carroll (P. Mag. Antonius O) Virtute clarus. 587. Illius meminit *Clemens* Papa xi. Ibid.
Carrol (Sor. Catharina O) Monialis *Bethlehem*. 453.
Carroll (P. Dominicus O) Virtute clarus. 279.
Carroll (Donatus O)Rex *Ergalliæ*. 200,N. 730. 741.
Carroll (Melronius O) 746.
Carter (Thomas) Magiſter Rotulorum. 719.
Carthagus (S) *Hibernus*. 730. 732.
Carthy (Dermitius Mac) Rex *Deſmondiæ*. 742.
Carthy (Mac) Comes de *Clancarty*. 32, N.
Carthy (Donatus Mac) Vicecomes de *Muſkry*. 652. 654. de *Mount-Caſhell*. 32. N.
Carthy (Mac) Fund. Cænob. 743 ad 746.
Carthy (Sor. Eugenia Mac) Monialis *Bethlehem*. 453.
Carwil [David Mac] Archiep. *Caſſelien*. 742.
Caſanate [Hieronymus] Cardinalis, Fundator Collegij *Caſanatenſis* de Urbe. 548. Quinque hujus Theologi ex *Hibernia*: 176. 183. 509 531. 548.
Caſanova [F. Joannes] Card *S. Sixti*. 390, N.
Caſhell, & Caſhine, Nomina Locorum, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Caſſeliæ Urbis Deſcriptio. 235. Archidiœceſis. 18. Archiep. unus Ord. Præd. 236. 514. Cænobij Fundatio. 115. 235.
Caſſelienſis olim Academia. 648.
Caſtelionis Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 291. Prior. 292.
Caſtlemain [Rogerius Palmer, Comes de] Legatus Regis *Jac*. ii. ad *Innoc*, xi. 136. Vid. 739.

Caſtro [P. Mag. Alvarus de] Provincialis *Portugaliæ*. 419.
Caſtro-Connelli Baro [*de Burgo*] 32, N. 224. N. 276, N.
Cataldus [S] Epis. *Tarentin*. 23. Ejus Feſtum apud *Hibernos*. Ibid. Prophetia inventa. 229, N.
Catalogus Conventuum *Hiber*. *Dominic*. 38. 536.
Catalogus Provinciarum Ord. Præd. 94.
Catechiſmus Concilij *Tridentini*, vulgò dictus *Romanus*, a quibus compoſitus? 34. Ei ſoli detur Locus in *Hibernia*. 169.
Cathari Hæretici qui ſint? 638, N.
Catharina [S] Senenſis Cælitibus adſcripta. 202, N.
Catharina legitima Uxor *Henrici* viii. 30.
Catholicorum omnium Bona [A. 1654] confiſcata. 706. Magnatum & Populi Ærumnæ. Ibid. Acerbiſſimæ contrà eos Leges latæ Ibid. Immanior eorum Servitus quàm *Iſraelitarum* in *Ægypto*. 707. Abſentes [A. 1658] a Concione *Proteſtantica* mulctantur. 709. Falſo accuſati. Ibid. Catholicæ Religionis Cultus publicus in *Hibernia* ſub Rege *Jacobo* ii. 137. Catholici ab ulla ſervandi Moleſtia ob Religionem ſuam in Vim Conventionis *Limericen*. 149.
Catholici Proceres Jure ſuffragij privantur in Parlamento *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ*. 31. 32.
Catholici Principes quinquaginta & ultra Jus Sanguinis habentes ad Thronum *Angliæ*. 148. Excluſi tamen per *Actum Parlamentarium* ſub Rege *Gulielmo* iii. Ibid.
Catholicorum Numerus in *Hibernia*. 28.
Cavanagh [Dermituis *Mac-Murrough*, i. e. *Filius Murchardi*, O] Rex *Lageniæ*. 191. Cænobiorum plurium Fundator. 726 ad 741.
Cavanagh [Sitricus *Mac-Murrough* O] Rex *Lageniæ*, Fundator Cænobij. 727.
Cavanagh [Carolus O] Baro de *Ballyane*. 191, N.
Cavanagh [Donaldus *Fuſcus* O] Fund. Cæn. 744.
Cavanagh [N. O] Fundator Cænobij. 750.
Cavanagh [Eva O] Progenitrix Regis *Jacobi* i. 30.
Cavanagh [Mauritius O] Archidiac. *Leghlinen*. 485.
Cavanagh [P. Michael O] Sodalis *Ulſſiponen*. 29.
Cavanen. Comitatus in *Ultonia*. 13, & ſeqq.
Cavanen. Burgi Deſcriptio. 285. Cænobij Fundatio. 286.
Cavendiſh, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Cecilius [Gulielmus] *Angliæ* Adminiſter, Catholicorum Hoſtis. 609, & ſeqq. 632.
Celeſtini i [S. Papæ] Feſtum apud *Hibernos*. 22. 118.
Cellach [Flanus Mac] Abbas. 733.
Celſi [*S*] Archiep. *Armac*. Feſtum apud *Hibernos* 23.
Cera [S] *Hibernus*. 736.
Ceſſatio, Armorum cum Barone *Inchiquino*. 669.
Ceſtrio Campo [Comes de] Prorex *Hib*. 138, N.
Chæras, Morbus. Vid. Scrophula.
Charter-Schools, Vid. *Scholæ Diplomaticæ*.
Cheevers [N] de Mayſtown, vulgò *Mount-Leinſter*. 150. Vicecomes de *Mount-Leinſter*. Ibid. N. & 32, N. Cheevers [N] de *Mountown*, 199. N.
Cherballen [Gelaſius O] Epis. *Derien*. 39. 282.
Cheſter, Nomen Loci in *Ang*. & Familiæ in *Hib*. 252.
Cheſtria, Urbs maritima *Angliæ*. 655.
Cheſterfield. Vid. *Ceſtrio Campo* [de]
Chiani [F. Jacobus] Converſus *Romæ*. 415.
Chicheſter, Nomen Loci in *Anglia*, & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Chicheſter [Eques Arthurus] Baro *Belfaſtiæ*, Progenitor Comitum *Donegalæ*, Prorex *Hiberniæ*. 27. 616. 626. 268. 633. Duo ejus Edicta contrà Catholicos. 616. 626.
Chiurlia [F. Hyacinthus Cajetanus] Epis. *Juvenacen*. 386. 501.
Chonoe [F. Rogerus] Ord. Min. Scriptor. 63.
Chriſti Eccleſiæ *Dublinij*. 186, N. 137.
Chriſtianus [F] Epis. *Ardferten*. 59. 459.
Chriſtianus Epiſcopus *Fenaboren*. 212.
Ciacconi [P. Mag. Dominicus Antonius] Theologus *Caſanaten*. 552.
Ciananus [S] Hibernus. 729.
Ciborij in Eccleſia Nomen undè? 398, N.
Cillchuinne, Nomen hibernicum Urbis *Kilkenniæ*. 204.
Ciſtercienſium Abbatiæ. 741. Monaſteria. 743.
Ciſtercienſes *Dublinij* Domum FF. Præd. donarunt. 43. 187.
Civilis Hiberniæ Diviſio. 15.
Civitates non ſunt Sedes omnes Epiſcopales, immo nec Archiepiſcopales in *Hibernia*. 242, N.
Cladſworth [Thomas] Decanus *Dublinien*. 462.
Clancarty [Comes de] Vid. *Carthy* [Mac]
Clanboy [Vicecomes de] Jacobus Hamilton. 290.
Clanmalier [Vicomes de] Vid. *Dempſey* [O]
Clanmorris (Vicecomes de) Vid. *Burgo* (de).
Clanrickardiæ Regio in Septem diviſa Baronias. 225, N. *Clanrickardienſes* undè dicti. 276, *Clanrickardiæ* Marchio, & Comites. Vid. *Burgo* (de).
Clanwilliam, Baronia bipartita. 274.
Clara (Sor. Maria-Antonia de) Monialis *Bethlehemitana*. 453.
Clare [Gilbertus de] Comes *Gloverniæ*. 276, N.
Clare [Richardus de] Comes *Pembrochiæ*. 206. 738.
Claren. Comitatus olim in *Conacia* nunc in *Momonia*. 14.
Clare (Vicecomes de) Vid. *Brien* [O]
Clarke [Sor. Catharina] Monialis *Pontanen*. 361.
Clauſtrales Fratres quiniam in Ord. Præd. 79.
Clayton [Robertus] Epis. *Clocheren*. Acatholicus. 725.
Cleary, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Cleary [Sor. Maria] Converſa *Bethlehemitana*. 453.
Cleary, vel O-Cleary [P. Michael O] Martyr. 419.

Cleary, vel O-Cleary (P. Michael O) Virtute clarus. 570.
Cleary (P. Thomas) Sodalis *Caſſelien.* 236.
Clemens (S) Papa & Martyr. 390, N. Ejus Baſilica *Romæ* Titulus antiquus. 391. Brevi Tempore unitus cum Titulo *S. Pancratij.* Ibid. Quinque illius Cardinales in Summos Pontifices electi. Ibid. Plura Antiquitatis & Dignitatis ejus Monumenta. 390 ad 393. Deſcriptio ejus 393 ad 405. SS. Corpora & Reliquiæ in ea. 405. 406. De Baſilica & Cænobio 380 ad 414. Varij variorum Temporum Reſtauratores, Beneſactores, & Poſſeſſores 407 ad 412. Nunc Juris eſt Fratrum Prædicato- *Hibernorum.* 369. Vid. *Albanus* (Annibal) *Bened.* XIII. *Clem.* XI. *Fredericus Auguſtus.*
Clemens Papa V. 102, N.
Clemens VII olim Card. *S. Clementis.* 391.
Clementem VII Antipapam *Hiberni* repudiant. 51.
Clementis VIII tria Diplomata. 174. 373. 485.
Clemens IX olim Card. *S. Sixti.* 373, N. Duo ejus Diplomata. 123. 124.
Clementis X tria Diplomata. 126. 128. 132.
Clemens XI electus Papa in Feſto *S. Clementis.* 408. Hinc vocatus *Clemens*, aliàs foret *Alexander.* Ibid. N. Ejuſdem Baſilicam reſtauravit. 409. Tabula marmorea. Ibid. Diploma ejus ad Regem *Portugalliæ* pro Juvamine *Hibernorum.* 158.
Clementis XII duo Diplomata. 355. 442, N.
Clementis XIII tria Diplomata. 427. 428. 513.
Clifford Nomen Loci in *Anglia* & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Cloche (F. Antoninus) Magiſter Ordinis. 134. 161. Benefactor Cænobij *S. Sixti.* 382. Inſcriptio. Ibid.
Clogher, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Clogheren. ſeù Clocheren. Epiſcopatus. 18.
Clominarum Deſcriptio. 341. Dubium ibi Cænobium. Ibid. 750.
Clonarden. olim Diæceſis in *Hibernia.* 16. N.
Clonen. Diæceſis. 18. Epiſcopi ex Ord. Præd. 216.
Clonferten. Diæceſis. 19. Epiſcopi ex Ord. Præd. 307.
Clonmacnoiſen. Diæceſis. 18. Olim in Provincia *Tuamen.* nunc in *Armacana.* 18, N
Clonmacnoiſen. Epiſcopi ex Ord. Præd. 219.
Clonmacnoiſam (apud) Congregatio Cleri *Hiberniæ.* 691.
Clonmellæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 328.
295 Clonſhanvillæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio ~~327.~~
Clynn (P. Joannes) Scriptor Ord. Min. 745.
Coanus (S) *Hibernus.* 732.
Cobhe (Carolus) Archiep. *Dublinien.* & *Hiberniæ* Primas Acatholicus. 719. 722.
Coemgenus, aliàs Kevinus (S) *Hibernus.* 727.
Coffy (P. Vincentius) Sodalis *Trimmen.* 265.
Cogan (Joannes) Eques Auratus. 189.
Coghlan (Carolus) Vic. Gen, L. 658.
Cogly, ſeû Coigly (P. Eugenius) Virtute clarus. 578.
Cogly (P. Quintinus) Epis. *Dromoren.* 486.
Cognomina plura in *Hibernia* deſumpta à Nominibus Locorum in *Anglia*, & *Hibernia.* 252, N. Plura etiam à Colore, Arte, Officio &c, ut in Comitijs Regni Sanctitum. 251, N. Cognomina mutarunt plures *Hiberno-Anglicani.* 251.
Cogry (P. Henricus) Ord. Min. unus è primoribus Doctoribus Academiæ *Dublinien.* 66. 191.
Cole (Arthurus) Baro de *Ranelagh.* 260. 264.
Coleman (P. Joannes) *Sligoenſis.* 134. 371.
Colga (S) Abbas, *Hibernus.* 727.
Colgan (P. Clemens O) Virtute clarus. 584.
Collins (P. Joannes) Martyrium paſſus 561.
Collis Vicarij Cænobium dubium. 345.
Colmanus (S) Epiſcopus *Landisfarnen.* 734.
Colmanus (S) Abbas. 728 ad 730.
Colmanus-Duachus (S) Epiſc. *Duacen.* 734. Feſtum ejus 23.
Colmanus-Ellus (S) 731.
Colmanus-Stellanus, Abbas. 733.
Col anæ Deſcriptio, & Fundatio Cænobij. 34[illegible] Vid. 73. 115.
Colton (Joannes) Decanus *Dublinien.* & Magnus *Hiberniæ* Cancellarius. 215.
Columba (S) Abbas. 241, N. 729. Feſtum ejus. 22.
Columbus (Chriſtophorus) invenit *Americam.* 94.
Columna (F) Cardinalis. 179.
Comanus (S) *Hibernus.* 735.
Comatijs (F. Bartholomæus de) Mag. Ord. 72. 517.
Comerford (F. Patritius) Ord. *S. Aug.* Epis. *Water*[illegible]*dien.* & *Liſmoren.* 490. 657.
Comganus (S) *Hibernus.* 729.
Comites 42 in *Hibernia.* 31.
Comitatuum *Hiberniæ* Numerus, & Nomina. 15.
Comitia Generalia *Hiberniæ* apud *Kilkenniam.* 648 ad 687. Literæ ad *Innocentium* Papam X. 653. Vid. *Concilium*, & *Parlamentum.*
Conaciæ Provincia. 13, & ſeqq.
Conaldus (F. Jacobus) Abbas *Banchoran.* 657.
Conallus (S) *Hibernus.* 734.
Conanus (S) Abbas. *Hibernus.* 731.
Conarchy (Chriſtianus O) Abbas *Mellifontis*, dein Epis. *Liſmoren.* & Legatus Apoſt. 16. 200. 741.
Conceſſiones factæ *Hiberniæ Dominicanæ* in Actis quindecim Capitulorum Generalium. 106. 112. 114. 117. 118. 127. 134. 153. 156. 161. 164. 177. 183. 517.
Conchea (S) *Hibernus.* 736.
Conchenna (S) Abbatiſſa, *Hibernia.* 736.
Concilium Supremum Catholicorum apud *Kilkenniam* per Comitia Generalia Regni ſtabilitum. 206. 649, & ſeqq. Edictum ejus. 672. Variæ ejus Epiſtolæ ad Nuntium Apoſtolicum, & alios. 662. 667. 669. 671 ad 677.

Condon

Condon (Griffinus) Fund. Cænob. 740.
Cone (P. Lucas) Sodalis *Tombeolen.* 309.
Conell (P. Chriſtophorus) Præſentatus. 157.
Conell (Richardus) Epis. *Ardferten* & *Aghadoen.* 489. 657.
Conell (P. Terentius) Sodalis *Sligoen.* 248.
Coneſburg (Edmundus) Archiep. *Armacan.* 86, N.
Confeſſionis annuæ Præcepto ſatisfit deponendo Peccara apud Regulares. 169.
Confraternitas. Vid. *Sodalitas.*
Congallus (S) Abbas, Fundator Cænobij *Bancboren.* 21. 731. Feſtum ejus. 23.
Congallus (S) alter *Hibernus* 731
Congregationis (S) novem Decreta. 22. 23. 165. 172. 173. 179. 180. 508, 753.
Coningſby (Thomas) Prorex *Hiberniæ.* 148.
Connaghten (P. Præd. Gen. Petrus) Sodalis *Clonſbanvillen.* 296.
Connelan (P. Laurentius) Reg. Prim. *Lovanien.* 448.
Connor, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252. Diverſum ab *O-Connor.* Ibid.
Connoren. Diæceſis in *Hibernia.* 18. 475. N. Epiſcopi ejus ex Ord. Præd. 242.
Connororum (O) Genealogia. 258, N. Cognomen variè ſcriptum, 475. N.
Connori (O) Monarchæ *Hiberniæ*, Reges *Conaciæ*, & Fundatores Cænobiorum. 10. 30. 238. N. 258. 734. 743.
O-Connor-Faly, & O-Connor-Kerry, Fundatores Cænobiorum. 744. 746.
Connor (P. Mag. Amboroſius O) ex Procuratore *Matriten.* Provincialis *Hiberniæ* per Novennium. 529. Epis. *Ardacbaden.* deſignatus. 500. Scriptor 546.
Connor (P. Ambroſius O) Sodalis *Arcloen.* & Paſtor. 269.
Connor (P. Antonius O) S. T. Magiſter. 157.
Connor P. Dionyſius O) Mag. Stud. *Lovanij.* 448. 209. N.
Connor (P. Dominicus O) *Sligoen.* Ordinem progagavit in *Ultonia.* 129. Ibi Judex 115. Virtute clarus. 577.
Connor (P. Dominicus O) *Roſcomanien.* Virtute clarus. 586.
Connor (F. Donatus O) Epis. *Alladen* 475.
Connor (P. Mag. Felix O) Virtute clarus. 586. Penſionem aſſecutus pro Cænob. *Lovan.* Ibid.
Connor (P. Gulielmus O) Virtute clarus. 329. 569.
Connor P. Mag. Joannes O) Proc. Gen. *Hibern. Dom.* 122. 127. 128. Defin. Cap. Gen. 127. In Poſſeſſionem immiſſus SS. *Sixti & Clementis* de Urbe. 371 Ejus Elogia. 372. Tria Diplomata Pontificia. 123. 124. 128.
Connor (P. Joannes O) Sodalis *Dublinien.* 198.
Connor (F. Mauritius O) Epiſ. *Elphinen.* 59. 460.
Connory (Simon O) Vic. Gen. *Clonen.* 658.
Conocus, ſeù Monchenocus (S) *Hibernus.* 728.
Conolly (P. Gulielmus) Sodalis *Tralein.* 240.
Conqueſtoris Titulus cui attibutus? 223. N.
Conry (F. Florentius) Ord. Min. Archiep. *Tuamen.* 747. Epitaphium ejus. Ibid.
Conſecratio Epiſcopi ab uno duntaxat fit Epiſcopo ex Indulto Summi Pontificis. 510.
Conſervatores Privilegiorum FF Mendicantium. 87.
Conſtantinopolitana Sedes cur facta Patriarchalis? 17, N.
Conſtantin (Eques Galfridus) Fund. Cœn. 730.
Conſtitutiones FF. Præd. a *Præmonſtratenſibus* præcipuè acceptæ. 36.
Conventus Gen. Regni *Hiber.* Vid. *Comitia.*
Conventus 43. in *Hibernia Dominicana.* 286.
Converſus in Ord. Præd. quis? 193, N.
Conway, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Cookus Capitalis *Angliæ* Judex. 628
Coote (Carolus) Judex, Catholicorum Hoſtis. 490.
Corbally, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Corbler (Milerus) Commiſſ. *Cromuelli* 705.
Corcagien. Comitatus. 13. & ſeqq. *Corcagiæ* Urbis Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 214, & ſeqq. Corcagien. Diæceſis. 18. Epiſc. ejus ex Ord. Præd. 216.
Corbuba (F. Franciſcus de) Epiſ. *Glandelacen.* 479. Diploma Pontificium. Ibid.
Cormacus (S) *Hibernus.* 327, N. Ejus Fons. Ibid.
Cormacus (S) Mac-Cuillinan, Epiſc. & Rex 3.
Cormacus Rex *Deſmondiæ.* 732.
Cornelius Epis. *Elphinen.* Fund. Cæn. 746.
Corner (Richardus de la) Epis. Miden. 737. Soror ejus Avicia Fund. Cæn. Ibid.
Cornwall, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Cornyn (F. Dominicus) Sodalis *Lovanien.* 448.
Corona (Octavianus) Cancell. Nunt. Apoſt. 351. 674.
Corr (P. Petrus) Sodalis *Roſcomanien.* & Paſtor. 261.
Corran. Vid. *Taaffe.*
Corrib, Lacus in *Conacia.* 322.
Corſini (Nerius) Card. Protector *Hiberniæ.* &c. 512.
Coſcia (Nicolaus) Cardinalis. 414.
Coſtello, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Coſtello, (Mac) primitùs *Nangle*, latinè *de Angulo*, Dynaſta. 313. Ejus Genealogia. Ibid. Fund. Cænob. 313. 750.
Coſtello (P. Andreas Mac) Sodalis *Clonſbanvillen.* 296.
Coſtello (P. Petrus Mac) Virute clarus. 566.
Coſtello (P. Thomas Mac) Sodalis *Lovanien.* 447. Prior *Urlarien.* 314.
Coſtello-Gallen (Vicecomes de) Vid. *Dillon.*

Coventry, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Coventry (Comiſſa de) Maria Gunning. 320.
Coulon (Hubertus) Canonicus. 444, N.
Courcy (Geraldus) Baro de *Kinſale.* 719. Vid. *Curcius.*
Cowley, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Coyn, alijs *Quin* (P. Joannes) Vic. Prov. *Hib.* 518. 519. Vid. *Quinus.*
Craik (Alexander) Epis. *Kildaren.* Acatholicus 196.
Craith (P. Præs. Ambroſius Mac) Prior *Killocien.* 285.
Craith (P. Præd. Gen. Dominicus Mac) Sodalis *Corcagien.* 217.
Craith (P. Dominicus Mac) Prior *Tombeolen.* 309.
Craith (Matthæus Mac) Epis. *Enonen.* 212.
Cranly (Thomas) Archiep. *Dublinen.* 64. 192.
Crawly, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Crawly (P. Patritius) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.
Creaghus (Richardus) Archiep. *Armacan.* 601.
Creidegain (P. Daniel O) Provincialis *Hiberniæ.* 99. 430. 521.
Creidegain (P. Mag. Daniel O) Provincialis *Hiberniæ.* 522. 574. 624, N. Elogium de eo Cap. Gen. 522.
Creſciæ (Iſabellæ) Monumentum. 404.
Creta & Hibernia venenoſis Animalibus mortiferæ. 7.
Crivelli (Joſephus) Arch. *Cæſareæ*, Nuntius Apoſt. *Bruxellen.* 179 ad 181. Cardinalis. 179, N.
Crofton (Eduardus & Franciſcus) Armigeri. 311.
Croghan, Nomen Loci, & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Croghan (P. Mag. Eugenius Mac) Regens *Uliyſſiponen.* 429.
Croghan (Sor. Anna-Bernarda Mac) Monialis *Bethlehem.* 453.
Croly (P. Jacobus O) Virtute clarus. 578.
Cromuellus (Oliverius) Tyrannidem arripit. 641. 691. 694. Filius ejus Richardus. 709.
Cronanus (S) *Hibernus.* 732. 733.
Croſby, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Crucis (S) ſub Nuncupatione Septem Cænobia Ord. Præd. in *Hibernia.* 239. Indè ejuſdem Commem. in Compl. Ibid.
Cruce (P. Mag. Daniel de) Judex in *Conacia.* 115.
Cruce (Sor. Marià-Joſepha de) Converſa *Bethlehemit.* 453.
Cruce (P. Matthæus de) Sodalis *Ulyſſiponen.* 419.
Cruce (P. Mag. Rochus de) Vid. *Geoghegan.*
Cruciferorum, ſivè Trinitariorum, Domus. 739.
Cruice (P. Gulielmus) Sodalis *Trimmen.* 265.
Cruiſe (Sor. Catharina) Monialis *Dublinien.* 360.
Cuanna (S) *Hibernus.* 734.
Cuiffe, aliás *Keeffe* (P. Mag. Conſtantinus O) Prior Provincialis *Hiberniæ.* 127. 526.
Cuil (P. Carolus Mac) Virtute clarus. 571.
Cuillenain (Henricus O) Notar. Apoſt. 564.
Cuillin (P. Joannes Mac) Martyr. 572.
Cuillin (P. Petrus Mac) Scriptor. 548.
Cuirk (P. Thomas Mac] Concionator Ordinarius Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 240. 649.
Culenanus (Joannes) Epis. *Rapoten.* 490. 680. 692.
Cullen, Nomen Loci, & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Cummins (P. Thomas) Sodalis *Athyen.* 257. (P. Michael) Sodalis *Romanus*, & *Athyen.* 415, & 257, N.
Cunera, (S) *Hiberna.* 433, N.
Cunha (D. Rodericus) Arch. *Ulyſſiponen.* 419.
Curcius (Joannes) primus Comes *Ultoniæ.* 84, N. 740.
Curia *Vindicationum*, & Curia *Gratiæ*, habitæ *Dublinij* in Cænobio Ord. Præd. 196.
Currin (Simon O] Epis. *Fenaboren.* 212.
Curry, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Curtis (P. Thomas) Sodalis *Trimmen.* & Paſtor. 265.
Cuſack (Nicolaus) Colonellus. 14S.
Cuſack (Patritius) Epis *Miden.* & Magnus Eleemoſynarius Regis *Jacobi* II. 19. Nonnulla Synodica Decreta contrá Regulares caſſata, & moderata per S. *Cong.* 172. 173.
Cuſack (P. Robertus) Vic. in Natione *Hiberniæ.* 52.
Cuthbertus (S) Epis. *Landiſfarnen.* 23. Ejus Feſtum. Ibid.
Cyrilli & Methodij (SS) Corpora apud S. *Clementem* Urbis.

D.

Daboecus (S) *Hibernus.* 731.
Daciæ Provincia Ord. Præd. 95.
Daganus (S) *Hibernus.* 727.
Dalohendini dicti fuere *Scoti* ex *Hib.* egreſſi. 6.
Dalton, Nomen Loci in *Aug.* & Fam. in *Hib.* 252.
Dalton (P. Patritius) Lector Artium *Romæ.* 415.
Dalton (P. Thomas) Capellanus Monial. *Dublin.* 219.
Daly, ſeù Dalath (P. Daniel O) aliás *Dominicus de Roſario*, Rector *Ulyſſiponen.* 418. Confeſſarius Reginæ *Luſitaniæ*, Fundator Collegij *Ulyſſiponen.* & Monaſterij *Bethlehem.* Legatus plurium ad plures, deſignatus Archiep. primùm *Bracaren.* dein *Goen.* tandem electus Epis. *Conimbricen.* 492 ad 495. Scriptor. 544. Elogia. 419. Epitaphium. 421.
Daly (P. Mag. Dionyſius O) Procurator *Matriten.* 184, N.
Daly (F. Dominicus O) Epis. *Achaden.* 161. 504.
Daly (F. Jacobus O) Ord. *S. Aug.* Epis. *Fenaboren.* 510.
Daly (P. Joannes O) Prior, & Reg. Prim. *Lovanien.* 448.
Daly (Sor. Maria O) Monialis *Dublinien.* 360.
Daly (F. Nicolaus O) Epis. *Achaden.* 472.

Daly (P. Præd. Gen. O) Provincialis *Hiberniæ*. 527.
Danos, inter & Hibernos Bella diuturna. 25.
Darby, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Darcy, olim *D' Arcie*, Cognomen variè ſcriptum. 491. Illius plures Surculi. 276, N.
Darcia (Joanna) Puella *Aurelianen*. 149.
Darcy (Eques Joannes] Prorex *Hiberniæ*, Comitum de *Holderneſſe* in *Anglia*, & *Darciorum* in *Hibernia* Progenitor. 224, 267, N. 276, N. 747.
Darcy (Elizabetha) Comitiſſa *Ormondiæ*. 267, N.
Darcy (Sor. Margarita, Chriſtina, & Marcella) Moniales *Galvien*. 352.
Darcy (F. Oliverius) Epis. *Ardachaden*. dein *Dromoren*.. 116. 491.
Darcy (F. Oliverius) Ord. Min. Epis. *Dromoren*. 491.
Darcy (Patritius) Senator Concilij Catholicorum *Kilkenniæ*. 652. 654.
Dardis (F. Michael) Sodalis *Lovanien*. 448.
Daræ, & Deriæ Vocabulorum Affinitas. 484, N.
Daren. ſeù *Kildaren*. Diæceſis, 18. Hujus ex Ord. Præd. Epiſcopi. 294.
Darerca (S) Abbatiſſa, S. *Patritij* Soror. 736.
Datis (F. Leonardus de) Magiſter Ordinis. 51.
Daton, aliás Dalton (Gulielmus) Epis. *Oſſorien*. 505, N.
David (P. Mag) Provincialis *Hiberniæ*. 520.
Davidis (P. Joannes) Virtute clarus. 207. 563.
Daviſius (Eques Joannes) Teſtimonium dat de Dotibus *Hiberniæ*. 10. Prolocutor *Communium*. 621.
Davit (P. Joannes) Sodalis *Derien*. 283.
Davit (P. Patritius) Sodalis *Carlingfordien*. 290.
Davoc (P. Præs. Geraldus) Vicarius *Hiberniæ*. 436.
Davoc (F. Mag) Virtute clarus. 580.
Dean, Delamer, Derby, Derlington, Devonſhire, Nomina Locorum in *Anglia* & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Deaſe, aliàs *Deſe* (Oliverius) Vic. *Miden*. 658.
Deaſe (Thomas) Epis. *Miden*. 108. 589. 676. 687.
Decalidonium Mare. 12.
Decanus Acatholicus *Dublinien*. Eccleſiæ *S. Patritij* eligitur à Capitulo. 186, N.
Decani *Rurales*, ſeù Vicarij *Foranei*, qui? 155, N.
Decer (Joannes le) primus Prætor *Dublin*. 189.
Declanus (S) *Hibernus*. 732.
Decreta. Vid. *Congregationis* (S).
Delæ Principis Filij quinque *Hiberniam* A. M. 2503 in tot Partes diviſere. 9.
Delamant (Eugenius-Albertus) Epis. *Gandaven*, 490.
Delamer, ſeù Delamar [P. Dominicus] Mag. Studentium *Ulyſſipon*. 429. Rector. Ibid.
Deiany, vel *Dullany* [Felix O] *Ciſtercien*. Epis, *Oſſorien*. Cathedram *Kilkenniam* tranſtulit. 205. N. 742.
Delany [Gulielmus O] Fundator Cænobij. 744.
Delany [Malachias O] Epis. *Oſſorien*. 505, N.
Delphinus [P. Humbertus] Senior Iudex in *Conacia*. 115. 583, N. Vid. *Dolphin*.
Delphinus [P. Humbertus] Junior, Procurator *Matriten*. Virtute clarus. 583.
Dempſey [O] Vicecomes de *Clanmalier*. 32, N.
Dempſæi Fundatores *Cænobiorum*. 729. 742. 746.
Dempſy [F Edmundus O] Epis. *Leglinen*. 449. 490. 491. 657. 692. 693. 699.
Dempſy [Jacobus O] Vic. Gen. *Kildaren*. 658.
Denn, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Denny [Eques Thomas] Baronettus. 240.
Depingus [F. Joannes] Epis. *Waterford*. & *Liſm*. 60. 467.
Derien. Urbis Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 281. Vid. 37.
Derien. Diæceſis. 18. Ejus ex Ord. Præd. Epiſcopi. 213.
Dergæus Lacus *Conaciæ*. 210.
Derlington [F. Joannes] Archiep. *Dublinien*. & Legatus. 59. 461. Scriptor. 537.
Dermitius [S] *Hibernus*. 730.
Dermott [P. Mag. Ambroſius Mac.] Defin. Cap. Gen. 153. Ex Pænit. Apoſtol. Epiſc. *Elphinen*. 499. Captus *Londini*. 500.
Dermott [P. Ambroſius Mac] Sodalis *Roſcomanien*. 261.
Dermott [P. Præd. Gen. Bernardus Mac] Sodalis *Clonſhanvillen* & Paſtor. 589.
Dermott [P. Carolus Mac] Sodalis *Clonſhanvillen*. 296. 437.
Dermott [P. Dominicus Mac] de Carrig, quondam Baro *de Boyle*. 296. 346.
Dermott [P. Præd. Gen. Michael Mac] Prior *Dublinien*. 197.
Dermott [P. Michael Mac] Sodalis *Clonſhanvillen* 296.
Dermott [P. Patritius] *Clonſhanvillen*. 157. 296.
Dermottroe [Mac] Fundator Cænobij *Clonſhanvillen*. 295. Ejus Genealogia. Ibid N.
Deſmondia, i. e. *Momonia Auſtralis*.
Deſmondiæ Comitatus. 87, N.
Deſmondiæ Comes [Geraldus] occiſus. 14. Familia iſta eſt extincta. 632.
Deveniſh, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252.
Deveniſh [P. Thomas] Lector Artium *Ulyſſip* 429. Prior *Portumnen*. 307. Miſſionar. in *Amer*. Ibid.
Devereux, Cognomen olim D'Eureux.
Devereux [Eques Joannes] Fund. *Cæn*. 744.
Devereux [Robertus] Comes *Eſſexiæ*. 648.
Devereux [Robertus] Senator Conc. *Kilken*. 663.
Deutelmus, Filius *S. Vincentij*. 433. N.
Dexter, Cognomen, olim *de Exeter*. Vid. *Exonia*.
Diamond [P. Mag. Patritius] Sodalis *Colranen*. &c 246.

Dillonorum

Dillonorun de Stirpe Nonnihil. 314, N.
Dillon (Jacobus) Comes *Roſcomaniæ*, & Baro de *Kilkenny-Weſt*. 314, N. Vid. 31.
Dillon (Theobaldus) Vicecomes de *Coſtello-Gallen.* 188, N. 295. 314, N. 321. 698. Vid. 32, N. & 295.
Dillon (Henricus) de *Drumrany*. Fund. Cæn. 744.
Dillon (Robertus) Baro de *Drumrany*. 188, N. 752.
Dillon (Sor. Brigida) Monialis *Pontanen.* 361.
Dillon (P. Mag. Chriſtophorus) Virtute clarus. 587.
Dillon (P. Dominicus) Martyrium paſſus 566.
Dillon (P. Præd. Gen. Dominicus) Prior *Athyen.* & Paſtor. 257.
Dillon (P. Georgius) Ord. Min: 698.
Dillon (Geraldus) Colonellus. 148.
Dillon (P. Geraldus) Martyrium paſſus. 419.
Dillon (P. Geraldus) Virtute clarus. 566.
Dillon (P. Mag. Geraldus) Virtute clarus. 580.
Dillon (Jacobus) Eques Auratus. 288.
Dillon (Joannes) Senator Conc. *Kilken.* 652. 654.
Dillon (P. Mag. Joannes) Vir egregius. 219.
Dillon (P. Vincentius-Geraldus) Virtute clarus. 569.
Dillon (Sor. Sara) Monialis *Dublinien.* 360.
Dinny (Thomas) Eques Auratus. 240.
Diradius (S) *Hibernus*. 735.
Diragh (P. Patritius O) Virtute clarus. 578.
Divelin, priſcum *Dublinij* Nomen anglicum, indeque *Divelina* latinè. 185.
Diviſio civilis & eccleſiaſtica *Hiberniæ*. 15, & 18.
Doctores ſex Eccleſiæ fuere Regulares. 775.
Doewra (Henricus) Conciliarius *Hib*, 636.
Dodd (Sor. Maria) Converſa *Pontanen*. 361.
Dogan (Sor. Catharina.) 115.
Dogherty (PP. Dominicus, & Joannes O) Sodales *Derien*. 283. Dogherty (O) Fund. Cæn. 743.
Doignes (F. Auguſtinus) Converſus *Lovanien*. 448.
Dolphin (PP. Humbertus, & Joannes) Sodales *Athenrien*. 234. Vid. *Delphinus*.
Dominus *Hiberniæ* olim Rex *Angliæ*. 30.
Domini Titulus in magna Veneratione. 30, N.
Dominicus (S. P.) nobiliſſimus Hiſpanus, *Albigenſes* debellavit. 34. Fuit Canonicus Regularis. 35. Ordinem FF. Prædicatorum, Ordinem Monialium, tertiumque Ordinem inſtituit. 34. 342. Item Roſarium Marianum. 34. Inquiſitionis Munus exercuit. Ibid. Primus Magiſter S. Palatij. Ibid. Tres mortuos apud *S. Sixtum* ſuſcitavit. 374. An in *Hiberna* fuerit? 39. An ſcripſerit ad Principem *O-Donnellum?* 36. 37. & 40. An ad *Pierirum de Bermingham*, primum *Athenriæ* Baronem? 41.
Dominicani 9, cum 40 Monachis, Martyres. 109.
Dominici (S) Fonſ. 327, N. 335.
Dominici (B. Joannes) Card. *S. Sixti*. 390, N.
Dominico (P. Thomas à S) Prior *Tingitanus*. 125.
Domnocus, aliàs Dominicus. Vid. *Modomnocus*.
Domorum *Hiberniæ* Numerus. 15.
Donghadee, Vicus maritimus *Ultoniæ*. 13, N.
Donaldus Rex *Hibernæ* Fund. Cæn. 34.
Donanus (S) *Hibernus*. 733.
Donatus Epis. *Dublinien.* 196. 726.
Donatus (S) Epiſ. *Feſulanus*. 23. Feſtum ejus. Ibid. Verſus de *Hibernia*. 8.
Doncref (Mauritius) Benef. FF. *Dublin*. 192.
Dundalken. Diœceſis adjecta *Armacanæ*. 16, N.
Donegalen. Comitatus. 13, & ſeqq. Gomes. Vid. *Chicheſter*.
Donnell (Sorleus *Flavus* Mac) Pater primi Comitis *Antrimen*. Fund. Cæn. 747.
Donnell (Randolphus Mac) Marchio de *Antrim*. 660.
Donnell (Alexander Mac) Senator Conc. *Kilken.* 652. 654.
Donnell (P. Antonius Mac) Supprior *Bureſulen.* 322. Terræ Motu obrutus. 425.
Donnell (PP. Antonius, Dominicus, & Terentius Mac) Sodales *Ulyſſiponen*. 429.
Donnell (P. Daniel Mac) Virtute clarus. 586.
Donnell (Sor Eleonora Moc) Monialis *Bethlehem.* 453.
Donnell (P. Præd. Gen. Franciſcus Mac) Prior *Bureſulen*. 332.
Donnell (P. Joannes Mac) Sodalis *Urlarien.* 314.
Donnell (Sor. Maria Mac) Novitia *Bethlehem.* 453.
Donnell (P. Reginaldus-Thomas Mac) Virtue clarus. 582.
Donnell (Princeps O) 282. Vid. *Dominicus* (S).
Donnell (O) Comes de *Tyrconnell*. 32, N.
Donnell (F. Bernardus O) Sodalis *Lovanien.* 446.
Donnell (Odo, ſeù Hugo O) Fund. Cæn. 747.
Donnell (Magnus O) Chiliarcha. 332, N.
Donnell (P. Mag. Michael de Spiritn Sancto) Prior Pragenſis in *Bohemia*. 114.
Donnellan (Sor. Maria O) Monialis *Dublinien.* 360.
Donough Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252. Diverſum à *Mac-Donogh.* Ibid.
Donogh (Mac) Dynaſta *Tirerrilen*. Fund. Cæn. 310. 328. 746.
Donogh (P. Conſtantinus Mac) Vir inſignis. 249.
Donogh (P. Hugo Mac) Præſentatus. 157.
Donogh (F. Michael Mac) Epis. *Kilmoren.* 504. 553. Epitaphium ejus. 421.
Donogh (P. Michael) Duplex in eodem Cænobio. 562. Unus Diſciplinam dedit *Bened.* XIII.
Donogh (P. Patritius Mac) Virtute clarus. 586.
Donogh (P. Patritius Mac) Sodalis *Sligoen*. 249.
Donogh (F. Patritius Mac) Converſus *Molingaren.* 219.
Donoghoe (Dominus O) 335, N.
Donovan (P. Patritius) Præſes Carm. Diſc. 752.
Doran, ſeù Deoran (F. Mauritius O) alijs Baxanum, Epis *Leghlinen.* ſceleratiſſimè interfectus. 485.

Doran (Edmundus O) Epiſ. *Dunen.* & *Connoren.* 361, N. 512.
Dover, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Doulæus (Joannes) Abbas de *Kilmanach.* 692.
Dowdall (F. Hyacinthus) Virtute clarus. 204. 578.
Dowdall (Walterus) 203.
Dowellorum (Mac) Genealogia. 316, N.
Dowell (P. Præſ. Felix Mac) Virtute clarus. 134. N. 371. 586.
Downes, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Driſcol (F. Dionyſius O) Provincialis Ord. *S. Aug.* 658.
Driſcol (Florentius O) Fund. Cæn. 746.
Drogheda. Vid *Pontana.*
Dromoren. Diæceſis. 18. Epiſcopi Ord. Præd. 486. 491.
Drumgoole, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Drummanij Baro. Vid. *Dillon.*
Duacen. Diæceſis in *Hibernia* 19. Illius ex Ord. Præd. Epiſcopi. 468. 509. Quatuor illlius Epiſcopi *in* Cænob. *Athenrien.* humati. 223.
Duane (P. Antoninus O) Sodalis *Lovanien.* 448.
Duane (Cornelius O) Epiſ. *Dunen.* & *Connoren.* Martyrium paſſus. 602.
Duane (P. Joannes O) Sodalis *Killocien.* 285.
Duanus (P. Thadæus O) bis Provincialis *Hiberniæ.* 108. 430. 520. 521. Virtute clarus. 248. 559. Elogium Cap. Gen. 521.
Dubhlion hibernicé idem ac Aqua nigra latinè, inde que Nomen *Dublinij.* 185, N.
Dublinium in Charta Regis *Edgari* appellata *nobiliſſima Civitas Dublinia.* 186. Inter ampliſſimas Chriſtiani Orbis Civitates. 17. 175. Deſcriptio ejus & Elogia. 185. Palatium regium conſtruxit *Henricus* II. 30. Eò novas Colonias ex *Anglia* tranſmiſit Rex *Joannes.* 189., N. Ibi duæ Cathedrales Eccleſiæ, & quare? 186, N. Pons vetus extructus á FF. Prædicatoribus. 193.
Dublinien. Archidiæceſis. 18. An Primatialis? 16. Duo illius Archiep. Ord. Præd. 197. Septem aliorum Ordinium Regularium. Ibidem.
Dublinien. Comitatus, 13, & ſeqq.
Dublinien. Academia ad Inſtantiam FF. Mendicantium erecta. 66. 85. 193. Ejus Regulæ. 190. 194. Duos mittit Senatores ad *Parlamentum.* 31.
Dublinij octo Theologorum Reſponſio. 677.
Dublinen. Cænobium primum in *Hibernia Dominicana.* 38. 42. Plura de eo. Pag. 184 ad 198.
Dublinien. Monaſterium Monialium. 253 ad 360.
Dudley, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Duffy (P. Andreas) Prior *Urlarien.* 314.
Duffy (F. Jacobus) Novitius *Lovanien.* 448.
Duigenan (P. Hieronynus O) Prior *Clonſhanvillen.* 296.
Duleek, olim Epiſcopatus in *Hibernia.* 16, N.
Dunboyne (Baro de) Vid. *Butler.*
Dunen. Comitatus in *Ultonia.* 13, & ſeqq.
Dunen Diæceſis. 18. Epiſc. Ord. Præd. 243.
Duni olim Academia. 646. Ibi conditæ Reliquæ SS. Patritij, Brigidæ, & Columbæ. 242, N.
Dunkannani Fortalitium. 683.
Dunkellin (Baro de) Vid. *Burgo (de)*
Duune (Jacobus O) Epiſc. *Oſſorien.* 512. 513.
Dunne (Sor. Margarita O) Monialis *Waterford.* 365.
Durham, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Duvallius Doctor *Pariſien.* Suffragatur Infallibilitati Romani Pontificis 168.
Duyer, ſeû Dwyer (P. Andreas O) Sodalis *Ballindunen.* 311.
Dwyer (P. Antoninus O) Lector Artium *Lovanij.* 448.
Dwyer (Edmundus O) Epiſ. *Limericen.* 657. 665. 674. 687. 692.
Dwyer (P. Philippus O) Prior *Caſſelien.* 236.
Dympna (S) *Hibernia.* 433. Feſtum ejus. 22.
Dynaſta quis dicatur? 29.

E

Eano. Vid. *Heain (O).*
Earnus Lacus in *Ultonia.* 331.
Eaſt-Clan-William, Baronia. 274.
Eaton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Eblana, priſcum *Dublinij* Nomen. 186.
Eboracenſis Urbis Prætor. 189, N.
Eboracenſium, & Lancaſtriorum Odia. 84, N.
Eccleſiaſtica Diviſio *Hiberniæ.* 18.
Ecco (S) *Hibernus.* 432, N.
Edanus, alias Maidocus (S) *Hibernus.* 728. 732.
Edgari Regis *Angliæ* Charta. 186.
Edgarus Rex *Scotiæ.* 5.
Edgworth, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Edicta contra Catholicos *Hiberniæ.* 176. 616. 705. 708. 710. 717.
Edinburgus, Urbs capitalis *Scotiæ.* 31, N. Illius Præpoſitus. 189, N.
Edmundus Epiſ. *Dunen.* & *Conoren.* 109.
Eduardus (S) Rex *Angliæ,* dictus Confeſſor, S. Eduardi Regis & Martyris Nepos. 45, N. Ejus Scholæ apud *Oxoniam.* 44, N. *Eduardi* ſub Nomine Reges *Angliæ* variè numerantur. 45, N. Vid. *Scrophula.*
Eduardus I. Rex *Angliæ.* 276, N.
Eduardus VI. Rex *Angliæ,* & *Hiberniæ.* 597.
Egleſcliff (F. Joannes) Epiſ. *Connoren.* 60. 464.
Eighter (Mac William) Titulus *Burgorum.* 276, N.
Egan (F. Bernardus Mac) Proc. Prov. Ord. Min. 692.
Egan (F. Boetius Mac) Senior, Ord. Min. Epiſ. *Elphinen.* 109. 489.

Egan (F. Boetius Mac) Junior, Ord. Min. Epiſ. *Roſſen.* & Martyr. 109. 490. 657; N. 674.
Egan (F. Cormacus Mac) Converſus, Martyr. 563.
Egan (P. Dominicus Mac) Virtute clarus. 587.
Egan (P. Præd. Gen. Dominicus Mac) Sodalis *Derien.* 283.
Egan (P. Edmundus Mac) Virtute clarus. 584.
Egan (P. Jacobus Mac) Sodalis *Lovanien.* 44S.
Egan (P. Joannes Mac) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.
Egan (Sor. Maria Mac) Monialis *Dublinien.* 360.
Egan (P. Raymundus Mac) Miſſion Apoſt. 438.
Egan (F. Stephanus Mac) Provincialis *Hiberniæ.* 162. 530. Continuatus per Cap. Gen. 164. Epiſ. *Clonmacnoiſen.* 501. Literæ Patentes Mag. Ord. Ibid. Diploma Pontificium. 502. Inſimul Provincialis. 530. ad *Fernen.* Diæceſim transferendus fit Epiſ. *Miden.* 504.
Egan (Thaddæus) Præpoſitus *Tuamen.* 692.
Egan (P. Thomas Mac) Sodalis *Roſcomanien*, 261.
Elenchus Epiſcoporum *Hiberniæ* qui A. 1649 reſidebant in Eccleſiis ſuis. 489.
Elenora, Regina *Angliæ*, ſecundæ Diei exſolvit Expenſas Cap. Gen. *Londini.* 45, N.
Elizabetha, Regina *Angliæ* & *Hiberniæ*, primò Catholica. 598. Rigor in Clerum Populumque Catholicum. 599. 603. 606. 607. & ſeqq. Crudelitas ergà *Mariam* Reginam *Scotiæ*. 611.
Eloquius (S) *Hibernus.* 432, N.
Elphinen. Diæceſis. 19. Epiſcopi ex Ord. Præd. 216.
Elphinen. Epiſ. Acatholicus (*Eduardus Synge*) 725.
Emely. Vid. *Fairfaix*, & *Imelacen.*
Empſay (F. Joannes) Vic. in Prov. *Angliæ.* 52.
Emerix (Jacobus) Decanus Rotæ. 137, N.
Enachdun. Epiſcopatus *Tuamenſi* adjectus. 19. Abbatia. 734
Encyclica Epiſtola novem *Hiberniæ* Antiſtitum. 687.
Endeus (S) *Hibernus.* 734.
Engliſh (Nicolaus) Preſbyter *Dublinien.* 175.
Ennis, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Enos (Gualterus) Proc. Præpos. *Galv.* 692.
Eoga, alias *Keogius*, vulgò *Keogh* (F. Thaddæus Mac) Epiſ. *Clonferten.* 496.
Epiſcopus primus Ord. Præd fuit Natione Anglus. 45.
Epiſcopatus *Hiberniæ.* 18. Plures & pinguiores quàm in *Anglia.* 221, N. Vid. 31, N.
Epiſcopales Sectarij qui ſint? 638, N.
Epocham ſuorum Regum incipiunt *Angli* à Conquæſtu *Normannico.* 45. N.
Eri, Vernaculum *Hiberniæ* Nomen. 2. 9.
Erigena idem ac *Hibernigena.* 2.
Ernanus (S) *Hibernus.* 731.
Eſmond (Sor. Barbara) Monialis *Dublinien.* 360.
Eſmond (Gualterus) Eques Baronettus. 306, N.
Eſte (Maria Elenora Beatrix de) Regina *Angliæ.* 137.
Eſtrange (F. Petrus) Judex in *Momonia.* 115. Magiſter 116.
Evanus (S) *Hibernus.* 735. 742.
Evers-Town, Vicus *Momoniæ.* 213, N.
Everardus (Joannes) Eques Auratus. 622.
Eugenij Nomen diverſum ab *Audoeno.* 480, N.
Eugenius IV, olim Card. *S Clementis.* 391. Undecim ejus Diplomata. 68, 69. 253. 259. 302. 312. 342. 437.
Evily (P. Thomas Mac) Supprior *Rathbrannen.* 281.
Eureux, Urbs *Normanniæ.* 250, N.
Euſtace (Fitz) Familia deſcendit à S. *Euſtachio* Martyre. 293. Fund. Cæn. *Naſen.* Ibid.
Euſtace (P. Gulielmus) Prior *Naſen.* 294.
Euſtachij (Jacobi) Sacerdotis Epitaphium. 384.
Euſtace (Mauritius) de Yeomanſtown. 150.
Euſtorgij (S) Cænobium *Mediolanen.* 105, N.
Ex Cathedra loqui Rom. Pont. quid ſit? 166.
Excommunicatio apud Proteſtantes quid? 621, N.
Exeter (de) Cognomen nunc *Mac-Jordan.* 250.
Exonia, ſeu Exeter (Richardus de) Prorex *Hiberniæ.* 250.
Exonia (Jordanus de) Dominicus *Athletbanæ*, Fundator Cæobij *Straden.* 250.
Exonia (P. Stephanus de) Scriptor. 254. 536.
Exonia, ſeù Exeter, Oppidum *Angliæ.* 250.
Extinctis Provincijs haud annumerandæ *Angliæ*, aut *Hiberniæ.* 81.
Extranationales Conventus & Monaſterium *Hib. Dom.* ſubſint ejuſdem Provinciali. 164.
Eyrus, alijs Neorus, Flumen *Lageniæ.* 204, N. 208.
Eyrupolen. Diæceſis eadem ac *Oſſorien.* 205, N. 297, N.

F

Fabri (F. Sixtus) Magiſter Ordinis. 114.
Fabritius (Gulielmus) Doctor *Lovanien.* 111.
Fachnanus (S) Mongach, *Hibernus.* 732.
Fæderati Catholici. Vid. *Comitia*, & *Concilium.*
Fahy, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Fahy, ſeù Fadadh (P. Joannes O) Virtute clarus, 575.
Fairfax, Vicecomes de *Emely.* 31.
Faithlacus (S) *Hibernus* 735.
Fallon (Jacobus) Vic. Apoſ. *Achaden.* 692.
Fallon (P. Malachias) Ord. Min. 748.
Fanchanus (S) *Hibernus.* 732.
Fanchea (S) *Hibernus.* 736.
Fanning (Sor. Marianna-Thereſia) Supprioriſſa *Bethlebem.* 452.
Fanum Canici. Vid. *Kilkennia.*
Fanum Jovis, vulgò *Fanjoux*, in *Gallia.* 34S.
Farieaux (F. Jacobus) Converſus *Lovan.* 448.
Farn ham, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.

Faro (Sorores Thereſia-Rita, & Marianna-Franciſca) Moniales *Bethlehem*. 453.
Farrell (P. Joannes) Sodalis *Caſſelien*. 236. Vid. *Ferrall*.
Faunt (Gualterus) Eques Auratus. 189.
Fechinus [S] *Hibernus*. 727. 730. 734. 736. 740.
Feciales, vulgò Heraldi, Pacem promulgant. 656. Qui in *Anglia*, *Scotia*, & *Hibernia* ? 266, N.
Feipo [Franciſcus] Dominus *Scrinæ*, Fund. Cæn. 750.
Felain, ſeù Fullam [P. Jacobus O] Virtute clarus 585.
Felain [P. Michael O] Virtute clarus. 582.
Felix V Antipapa, anteà Dux *Subaudiæ*. 71.
Fenaboren. Diæceſis. 19. Epiſ. Ord. Præd 510.
Fenaboren. [Andreas] Epiſ. 687.
Fenario [F. Joannes de] Mag. Ord. 79. 91.
Fennell [Geraldus] Senator Conc. *Kilkenniæ*. 665.
Fergus [P. Bartholomæus] Sodalis *Sligoen*. 249.
Fermanacanus Comitatus *Ultoniæ*. 13.
Fermoy [Vicecomes de] Vid. *Rupe* [dè]
Fernandes [Aloyſius] Archiep. & Card. 429, N.
Fernen. Diæceſis. 18. Epiſ. Ord. Præd. 341.
Ferrallus [O] Princeps de *Analy*. 301, N.
Ferrallorum [O] Genealogia. Ibid.
Ferrall [P. Præd. Gen. Bernardus O] Martyr. 569.
Ferrall [Sor. Brigida O] Monialis *Bethlehem*. 453.
Ferrall [P. Chriſtophorus O] Virtute clarus. 575.
Ferrall [P. Chriſtophorus O] Sodalis *Lovan*. 447.
Ferrall [F. Cornelius O] Epiſ. *Ardacbaden*. 300. 471.
Ferrall [P. Dominicus O] Sodalis *Lovan*. 447.
Ferrall [P. Franciſcus) Sodalis *Longoford*. 303.
Ferrall [P. Gregorius O] Præſentatus. 116. Magiſter. 118. Provincialis. 524. 658.
Ferrall (P. Mag. Jacobus O] Provincialis *Romanus*. 303.
Ferrall [P. Jacobus O] Prior *Longoford*. 303.
Ferrall [P. Præſ. Laurentius O] Martyr. 569.
Ferrall [P. Lec. Laurentius O] Virtute clarus. 588.
Ferrall [P. Præd. Gen. Patritius O] Sodalis *Naſen*. 294.
Ferrall [P. Richardus O] Capucinus. 681.
Ferrall [Richardus O] Legatus Exercitûs. 689.
Ferrall [Sor. Roſa O] Monialis *Dublin*. 360.
Ferrall [F. Thaddæus O] Epiſ. *Clonferten*. 486.
Ferrarius [F. Thomas-Maria] Card. *S. Clementis*, ejuſdem Benefactor. 403. 406. 408. 409.
Ferrerus [F. Carolus Vincentius] Card. 412.
Ferrici [Petrus] Card. *S. Sixti*. 373.
Feſtorum Diminutio in *Hibernia*. 23.
Fiachrah [Colmanus O] 728.
Fiacrius [S.] Abbas, *Hibernus*. 731. Ejus Feſtum. 23.
Finbarry [S Barrius] *Hibernus*. 732.
Fingall [Comes de] Plunkett. 32, N.
Finglaſs, Nomen Loci & Fam. in *Hib*. 252, N.
Fini (Franciſcus-Antonius] Card. *S. Sixti*. 389.
Finianus [S] *Hibernus*. 727. 729. 730. 731. 733. 735.
Fintanus [S] Abbas *Hibernus*. 729. Ejus Feſtum. 23.
Firmini [S] Feſtum apud *Hibernos*. 23.
Fiſcus Regius. Vid. *Fora*.
Fitz, Vocula Cambrica, ſignificans Filium. 62, N. 298. N.
Fitz-Gerald [Eques Lucas] de *Tecroban*, 199. N. Vid. *Geraldinus*.
Fitz-James [Jacobus] Dux *Berwici*. 82.
Fitz-James [Jacobus-Franciſcus] ſecundus Dux *Berwici*, inſimulque *Liriæ*, & *Xericæ*. 82. Ejus Elogia. 85, N,
Fitz-Maurice [Patritius] Baro de *Lixnaw*. 335, N. Vid, *Geraldinus*.
Fitz-Patrick, Gens nobilis, Fundatrix Cænobij *Agbavoenſis*. 298. Ejus Genealogia. Ibid. N. Ex ea Comites, & Barones. 298. 299.
Fitz-Ralph. Vid. *Ralphſon*.
Fitz- Rery [F. Joannes] Vic. Gen. *Hib. Dom*. 234. 236.
Fitz-Rery [Eques Joannes] 189.
Fitz-Simons [Walterus] Archiep. *Dublinien*. 191.
Flaherty (O) Fundator Cænobij *Tombeolen*. 308. Ejus Genealogia. 309, N. Item Fundator Cænobij. 739. 752.
Flaherty [Finuola O] 319, N.
Flaherty [Sor. Joanna O] Monialis *Waterford*. 365.
Flaherty [Morganus O] 320, N.
Flaherty [Rodericus O] Auctor *Ogygiæ*. 3.
Flanagan [Conoſſius O] Fund. Cæn. 735.
Flanagan [F. Eugenius O] Epiſ. *Achaden*. 480. Sex Diplomata Ibid.
Flanagan [F. Nicolaus O] Epiſ. *Elphinen*. 475. Diploma. Ibid.
Flaverly [P. Jacobus-Joannes]. Martyr. 574.
Flavij Clementis (S) Corpus in Baſilica *S. Clementis*. 405
Flaviobrigen. Hoſpitium. 449.
Fleetwood (Carolus) Commiſſ. Gen. *Cromuelli*. 705.
Fleming, Baro de *Slane*. 32, N.
Fleming [F. Jacobus] Theologus *Dublinien*. 677.
Fleming [F. Michael] Sodalis *Lovanien*. 448.
Fleming [Nicolaus] Archiep. *Armacan*. 203.
Fleming [F. Thomas] Ord. Min. Archiep. *Dublinien*. 108. 489. 657. 692, N. 693. 698. 699.
Fleming [Thomas] de *Calragh*. 199. N.
Fleming [P. Walterus] Virtute clarus. 584.
Flin (Florentius Mac) Archiep. *Tuamen*. 230.
Flint, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Flood (P. Mag. Hilarius) Ord. S. Aug. 757.
Florenus Belgicus quantum valet ? 436, N.
Florus (Joannes) Subſtitutus. 25.

Flower, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Fluminum Opportunitas in *Hibernia.* 10.
Flyn (P. Jacobus) Sodalis *Yougbalien.* 274.
Flyn (F. Thomas) *Roſcomanien.* 134. 371.
Foaſter (Richardus) Abbas S. Thomæ *Dublinij.* 195.
Foillanus (S) *Hibernus.* 432, N.
Fons Cormaci in Diæceſi *Miden.* 75.
Fontium Amænitas in *Hibernia.* 10.
Fontana (P. Mag. Vincentius-Maria) hallucinatus de Tempore Erectionis *Hib. Dom.* in Provinciam. 74. 97. Item de *Trinacria* & *Portugallia.* 97, N. Immò pugnantia ſcribit. 98. Temporis Anguſtia preſſus Opus ſuum edidit. 101.
Fora judiciaria quatuor *Dublinij.* 32.
Forannuanus (S) *Hibernus.* 432, N.
Ford (Sor. Catharina) Monialis *Pontanen.* 361.
Forrerius (*F.* Franciſcus) primus Secret. Cong. Indicis. 165, N. Vid. *Catechiſmus, & Indicis.*
Foſſa Nova (Stephanus Card. de) 376. 378.
Fottrell (P. Chriſtophorus) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.
Fottrell (Sor. Eleonora) Converſa *Dublinien.* 360.
Fottrell (P. Mag. Joannes) Sodalis *Dublinien.* 197. Provincialis *Hiberniæ.* 530.
Fottrell (P. Thomas) Sodalis *Dublinien.* 198, *Romanus.* 415.
Foxius (*F.* David) Converſus, Martyr. 565.
Fox (Joannes) Armiger. 316.
Fox (Sor. Maria Magdalena) Monialis *Bethlem.* 453.
Foyle, Lacus in *Ultonia.* 281.
Fulham, Nomen Loci in *Ang.* & *Fam.* in *Hib.* 252.
Funcheon, *Fluvius* in *Momonia.* 333.
Furlong (N) *Fund.* Cænob. 751.
Furſæus (S) Abbas, *Hibernus.* 432, N 734. Ejus *Feſtum.* 23.
Fracheto (P. Geraldus de) Scriptor. 37.
Franciæ Regis Titulum habet Rex Angliæ. 612, N.
Franciſci (S) Corpus *Aſſiſij* aſſervatum. 202, N.
Franciſcanorum Fratrum Adventus in *Hib.* 42.
Franciſcus-Stephanus Impertor. 85, N.
Frankio (Joannes) Typographus *Dublinien.* 612. 626.
Frater, Vocula præponi ſolita Nominibus Regularium, & Equitum *Melitenſium.* 657, N.
Fraxineto, vulgò *du Freſnoy* (Fr. Gilbertus de) 44, N.
Fredegandus (S) *Hibernus.* 432, N.
Fredericus III, *Danorum* Rex. 137, N.
Fredericus V, Elector *Palatinus*, &c. 148.
Frederici Auguſti II Regis *Poloniæ* Exequiæ. 413.
French (Sor. Anna, & Marcella) Moniales *Galvien.* 352.
French (P. Mag. Chiſtophorus) Scriptor. 157. 546.
French (P. Gregorius) Virtute clarus, 350. 574.
French (Sor. Maria) Monialis *Bethlehem.* 453.
French (Sor. Maria) Monialis *Dublinien.* 360.
French (Nicolaus) Epiſ. *Fernen.* 490. 657. 686. 687. 688. 692. 693. 695. 699. Epitaphium ejus. 490, N.
French (Oliverius & Stephanus) Cives *Galviæ.* 700.
French [F. Patritius] Ord. Min. Epis. *Elphinen.* 506.
French [F. Petrus] Scriptor. 545.
Freſnoy [du] Vid. *Fraxineto*
Frigidiani [S] Feſtum apud *Hibernos.* 22.
Fructus primi Anni non exigendi a Parochis per Ecopos *Hiberniæ.* 180.

G

Gabaret [D] Navim conſcendit Rex *Jac.* II. 142.
Gaetæ Expugnatio. 85, N.
Gafney, Nomen Loci & *Familiæ* in *Hib.* 252.
Gafneus [Cornelius] Vic. Gen. *Achaden.* 658.
Galbally, Nomen Loci & *Familiæ* in *Hib.* 252.
Galchor, aliàs Gallagher [*F.* Daniel-Bonaventura O] Ord. Min. Epiſ. *Rapoten.* 231, N.
Galchor (Jacobus O] Epiſ. *Daren.* 511.
Galchor (Laurentius O) Epiſ. *Rapoten.* 231. N.
Galchor (Redmundus O) Epiſ. *Derien.* & Martyr, 602, N.
Gâleatius Archiep. *Corinthi.* 133.
Galfridi, ſeù Severini Nomen. 474, N.
Gallagh, Domus O-Kelliorum. 235, N.
Gallan (Galfridus) Prætor *Dublinien.* 19[illegible]
Galli (S.) Abbatis Feſtum apud *Hibernos.* 22.
Gallicana Eccleſia adſtruit Papæ Infallibilitatem. 168.
Gallovidia Scotiæ Provinciâ. 241.
Galmoy (Vicecomes de) Pierius Butler. 148. 199, N. Vid 32, N.
Galvedius Preſbyter *Dublinien.* revixit. 189, N.
Galviæ Oppidi Deſcriptio. 322. Cænobij Fundatio. 323. Galviæ Vicecomes Ulicus de Burgo. 32, N. 277, N. 323. Dein Gulielmus Moncton. 323.
Galviam (apud) convocati Epiſcopi. 17, N. Congregatio Generalis Cleri *Hiberniæ.* 699.
Galvienſe Monaſterium Monialium. 349. 351. 352.
Galvienſis Wardianatus. Vid. *Wardianatus.*
Galway, ſeù Galwey, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252, N. 276, N.
Gamant (F. Thomas) Converſus *Lovanien.* 448.
Gannard (N) Fund. Cænob. 746.
Gara (Bernardus O) Archiep. *Tuamen.* 442, N.
Gara (N. O] Fundator Cæn. *Knockmoren.* 345.
Garavain (P. Petrus) Vir egregius. 216.
Gardiner (Lucas) Vice Theſaurarius. 717.
Garvan (P. Mag. Ludovicus O) 157.
Garvanus (S) *Hibernus.* 732.
Garvey (Antonius O) Epiſ. *Dromoren.* 361, N.
Garzia, Judæus *Luſitanus*, Sacerdotum Captor. 160.
Gaven (F. Edmundus) Sodalis *Lovanien.* 448.
Gaulenſis Pagi Deſcriptio. 231. Cænobij Fundatio. Ibid.

Geale, Familia hibernica, anglice dicta *White*. 743.
Gearna, Fluvius *Momoniæ*. 213.
Geeſe (F. Joannes) Ord. Carm. Epiſ. *Liſmoren.* & *Waterfordien.* 471.
Generalia Eccleſiæ Concilia Papæ Infallibilitatem adſtipulantur. 167.
Generaliſſimum Capitulum Ord. Præd. quid? 114.
Genevil (F. Galfridus de) Trimmenſis Cænobij Fundator. 263. Ab eo *Angliæ* Reges deſcendunt. Ibid.
Genory (F. Joannes) Judex. 115.
Gentili (Antonius-Xaverius) Card. 506.
Gentili (F. Julius-Vincentius) Archiep. *Januen.* 497.
Geoghegan (F. Antonius Mac) Provincialis *Hiberniæ* Ord. Min. poſteà Epiſ. *Clonmacnoiſen.* dein *Miden.* 489. 658, N. 692. 693.
Geoghegan (P. Arthurus Mac) Martyr. 419. 559.
Geoghegan (P. Cornelius Mac) Prior *Molingaren.* 437.
Geoghegan (P. Mag. Lucas) Ord. *S. Aug.* 751.
Geoghegan (F. Rochus Mac) alias *de Cruce*, Provincialis *Hiberniæ*, dein Epiſ. *Daren.* 98. 106. 108. 431. 487. 561. Egregium de eo Elogium Capituli Generalis. 487.
Geoghegan (P. Thomas Mac) Sodalis *Galvien.* 326.
Georgius (S) Cappadox, ab A. 1350. Regni *Angliæ* Protector. 12. Ejus *Canalis*, ſeù *Mare Hibernicum*. Ibid.
Georgius I, II, III, Duces *Hannoverani*, & Reges *Angliæ*. 148. 715. 716.
Georgius-Gulielmus, Dux *Luneburgi*. 148, N.
Geraldus (S) *Hibernus*. 734.
Gerald (Fitz) latinè Geraldinus (P. Thomas) *Corcagien.* Vir Egregius. 216.
Geraldinæ (vernaculè *Fitz-Gerald*) nobiliſſimæ Gentis Stemma. 237, N.
Geraldini, Benefactores inſignes FF. Præd. 43. Fundatores Cænobiorum. 237. 247. 272. 284. 745. 746. 750.
Geraldinus, Baro de *Burnchurch*. 264, N.
Geraldini, Barones *Ophaliæ*. 43. 238, N. 247.
Geraldinus [Joannes] primus Comes *Kildaræ*. 238, N. Alij *Kildaræ* Comites. 276, N. 632.
Geraldinus (Mauritius] primus Comes *Deſmondiæ*, & Dynaſta Palatinus *Kerriæ*. 238, N. 276, N. 284. Alij Comites *Deſmondiæ*. 88. 192. 199. 211. 213. 334, N.
Geraldini, tres Equites, nempè *Albus*, *Niger*, & de *Glyn*. 284, N. Item Geraldinus (Gibbon) Ibid.
Geraldinus (P. Ambroſius) Procurator *Londinen.* Virtute clarus. 583.
Geraldina (Sor. Brigida] Monialis *Galvien.* 352.
Geraldinus (Edmundus) Vic. Gen. *Clonmacnoiſen.* 658.
Geraldinus (P. Edmundus) Prior *Sligoen.* 249.
Geraldinus (P. Mag. Eduardus] Procurator *Matriten.* 184, N.
Geraldinus (Geraldus) Filius Mauritij, Fund. Cænob. 744.
Geraldinus (F. Geraldus) Martyr. 565.
Geraldinus (F. Geraldus) Virtute clarus. 570.
Geraldinus (F. Gulielmus) Virtute clarus. 570.
Geraldinus (P. Mag. Jacobus) Vir egregius. 219.
Geraldinus (Joannes) Epiſ. *Corcagien.* & *Clonen.* ac Subconſervator Privilegiorum FF. Mendic. 87.
Geraldinus (Joannes) Preſb. *Miden.* 176.
Geraldinus (F. Joannes) Virtute clarus. 570.
Geraldinus (P. Præd. Gen. Laurentius) Prior *Molingaren.* 219.
Geraldinus (Maurus) Archiep. *Caſſelien.* Conſervator Privileg. FF. Mendic. 87.
Geraldinus (F. Michael) Converſus *Ulyſſiponen.* 429.
Geraldinus (Thomas) dictus *Simiacus*, Progenitor Comitum &c. 272.
Geraldinus (Thomas) Can. Reg. Abbas S. Thomæ *Dublinij*, Magnus *Hiberniæ* Cancellarius. 726, N.
Gerebernus (S) *Hibernus*. 432, N.
Germani (S) Palatium Reg. *Jac.* II. 140.
Germaniæ Super. & Infer. Provinciæ. 96, N.
Gerſonij (Joannis) Conſilium prudentiſſimum. 172.
Geſhill, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Ghinuccius (Hieronymus) Card. *S. Clementis*. 402. Sepulchralis Tabula. Ibid.
Ghiolla-Chuinne (P. Bernardus) Provincialis *Hiberniæ* Ord. Min. 577.
Giant's Cauſway, i. e. *Trames-Gigantum*. 13, N.
Gibbon (P. Geraldus Fitz) Martyr. 581.
Gibbonus (Mauritius) Archiep. *Caſſelien.* 601, N.
Gibbon (P. Mauritius Fitz) Prior *Glanoren.* 336.
Gibſon (P. Joannes) Confeſſarius Regis *Scotiæ*. 73
Gigantes qui ſint? 9.
Gilgan (P. Ambroſius) Sodalis *Sligoen.* 249.
Gill, Vox hibernica, i. e. Famulus. 298, N.
Gill-Patrick, nunc *Fitz-Patrick*. 298, N.
Gillaboy (P. Joannes) Virtute clarus. 565.
Gillingham, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Ginkle (Baro de) creatus Comes de *Athlone*, & Baro de *Aughrim*. 148, N.
Gitly, Flumen *Sligoæ*. 247.
Glamorgan (Comes de) Vid. *Somerſet*.
Glandalacen. Diæceſis *Dublinienſi* adjecta. 16, N. 186, N. 479, N.
Glanoren. Pagi Deſcriptio. 333. Cænobij Fundatio. 344.
Glin, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Goarus, Gobanus, Gobnata (SS) *Hiberni*. 728. 731. 736.
Goddard (Eques Franciſcus) Aud. Nunc *Brux.* 443.
Godofridi Nomen. 474, N.

Godofridus (F) Scriptor. 533.
Godredus, Rex *Manniæ*. 742.
Goets (I. G) Secretarius *Lotharingius*. 697.
Gioillius (P. Hugo Mac) Martyr. 574.
Golber (P. Richardus) *Athenrien*. 231.
Goldæus (Præd Gen. Jacobus) 116. 118,
Golding (P. Joannes) Sodalis *Kilkennien*. 207.
Gonzaga, Vid. *Valenti-Gonzaga*.
Gorey, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia*. 252.
Gormagan (N) Fundator Abbatiæ. 734.
Gormain (F. Gulielmus O) Virtute clarus. 575.
Gormanſton (Vicecomes de) Jenicus Preſton, Baro *Naſæ*. 293. Vid. 32, N.
Gottus (F. Vincentius-Ludovicus) Card. *S. Sixti*, & Patriarcha *Hieroſolymitan*. 22. 389. Pontificiam Infallibilitatem expendit. 168. Epitaphium ejus. 389.
Gowran (Baro de) Fitz-Patritius. 299, N.
Grace (P. Præſ. Hyacinthus) 157.
Gracæorum Genealogia. 270, N.
Gracæi & Walſhæi Fund. Cæn. *Roſbercan*. 270.
Græciæ Provincia Ord. Præd. 95.
Grandiſon (Otho de) Fundator Cœnobij. 745.
Gratianus Lucius, ſeû *Joannes Lyncæus*, omnem hiſtoricam Fidem Cambrenſi derogat. 11.
Graverſius (Joannes) Doctor Theologus, Martyr. 600.
Graves, & Gray, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Graveſon (P. Mag. Hyacinthus Amat de) Auctor Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. 85
Gregorius (S) Magnus, de Baſilicis *S. Sixti*, & *S. Clementis* optimè meritus. 373. 392.
Gregorius Papa XI. 51.
Gregorius Papa XIII olim Card. *S. Sixti*. 373. Kalendarium reformavit, de quo plura. 138, N.
Gregorius Card. *S. Clementis*. 411. Ejus ſacri Doni Monumentum. Ibid.
Gregorius Archiep. *Dublinien*. 186, N.
Grey (Leonardus D) Prorex *Hiberniæ*. 191, N. 242.
Gribbin (P. Præd. Gen. Joannes) Prior *Villanovanus*. 243.
Griffin (Matthæus Fitz) Fund. Cæn. 732.
Griffin (P. Jacobus) Ord. Min. Præſes. 82.
Gripha (Donaldus O) Vic. Apoſ. *Fenaboren*. 658.
Grollier (F. Joannes-Baptiſta) Converſus *Romæ*. 415.
Guadagni (F. Joan. Ant.) Ord. Carm. Diſc. Card. Urbis Vicarius &c. 22.
Gualtieri in *Italia* idem Cognomen ac *Walters* in *Anglia*, nunc *Butler* in *Hibernia*. 265. 266, N.
Guagthagonus (S) *Hibernus*. 432, N.
Gubernium antiquum *Hiberniæ*. 29. Modernum *Mag. Brit.* & *Hib.* non eſt merè monarchicum. 31.
Guerniey, latinè *Sarnia*, Inſula. 612, N.
Guiden, Major Officialis, creatus Eques Romanus. 256.
Guidonis (F. Bernardus) Epiſ. *Luteven*. 38.
Guilford, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Guinea, Nomen Monetæ *Anglicanæ*. 620, N.
Gulielmus *Scotorum* Rex. 84
Gulielmus Princeps *Arauſicanus*, poſteà Gulielmus III Rex *Magnæ Britanniæ*, & *Hiberniæ*. 138. 139. 140. 144. 147. 148. 711.
Gulielmus de S. Amore. Vid. *Amore*.
Gunning (Brianus] Maritus *Brigidæ de Burgo*, e quibus Duciſſa de *Hamilton*, & Comitiſſa de *Coventry*. 320, N.
Guſman (Joannes Emmanuel Perez de) Dux *Medinæ Sidoniæ*. 420, N.
Guſman (Lucia de) Regina *Portugalliæ*, Fundatrix Collegij *Ulyſſiponen*. 420.

H

Habel, ſeù Abel (S) *Hibernus*. 432, N.
Habitus FF. Præd. confectus ad Formam Can. Reg. *Præmonſtraten*. 36, N.
Habitum Ord. Præd. portantes ex Devotione, quid? 116.
Hackett (Eques Gulielmus) Fund. Cæn. 745.
Hacquetus (P. Mag-Joan. Bapt.) Scriptor. 116. 542.
Hackett (Petrus) Archiep. *Caſſelien*. 64.
Hackett (P. Præd. Gen. Petrus) 116.
Hadrianij Junij Verſus de *Hibernia*. 7.
Hæreſes priorum Eccleſiæ Sæculorum ſolus Romanus Pontifex proſcripſit. 167,
Haire (Henricus) Baro *Colranæ*. 244.
Hall, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Hall (P. Jacobus) Sodalis *Pontanen*. 204.
Hallurain (P. Nicolaus O) Virtute clarus. 576.
Hamilton (Duciſſa de) Elizabetha Gunning. 320, N.
Hamilton, Vicecomes de *Boyne*. 243.
Hamilton, Vicecomes de *Strabane*. 243.
Hamilton (Guſtavus) Vicecomes de *Boyne*. 719.
Hamilton (Jacobus) Vicecomes de *Claneboy*. 243. 290.
Hamilton (Jacobus) Vicecomes *Limericen.* dein Comes *Clanbraſſilen*. 243. 719. ad 725.
Handitus. Vid. *Hardite*.
Hanly, (P. Dominicus) Sodalis *Roſcomanien*. 261,
Hanly (P. Gulielmus) Sodalis *Lovanien*. 448.
Hannoveræ Civitas. 148.
Hannoveranus Dux, Rex *Angliæ*, &c. 148.
Hannoveræ Eccleſia Cathedralis Juris eſt Catholicorum. 161, N. Ibi reſidet Vicarius Apoſt. Ibid.
Hanſen. (P. Mag. Leonardus) titularis Provincialis *Angliæ*, Socius Mag. Ord. 92. 126. 370. 690. Ejus Epiſtola. Ibid.
Hara (Jacobus O) Baro de *Tirawly*. 251.

Hardite

Hardite (F. Gulielmus) primus Academiæ *Dublinien.* Doctor. 66. 191.
Harlai (Franciſcus de) Archiep. *Rotomagen.* &c. 491.
Harley, Harlow, Haſtings, Harrington, Hatfield, Hayes, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Harris (F. Laurentius Fitz) Abbas de *Surio*. 657.
Hart (P. Dominicus O) Sodalis *Ballindunen.* 311.
Hart (F. Eugenius O) Epiſ. *Achaden.* 486. Interfuit, & Subſcripſit Concilio *Tridentino*. Ibid.
Hart (P. Mag. Joannes O) Provincialis *Hiberniæ* per Novennium. 129. 437. 525. Carceri mancipatus pro Primatu Romani Pontificis. 526.
Hart (F. Michael O) Sodalis *Sligoen.* 249.
Hart (F. Richardus O) Vicarius Provinciæ *Hiberniæ*. 518. 519. Elogium de eo Cap. Gen. 521.
Hathern (Alanus O) Epiſ. *Ardferten.* 465.
Harvey (N) Fundator Cænobij. 732.
Heain (P. Mag. Richardus O) *Bureſulen.* 134. 371. Renunciatus Archiep. *Armacan.* Dignitatem recuſavit. 499.
Healy (P. Dominicus) Sodalis *Bureſulen.* 322.
Heath, Henly, Hertford, Heyden, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252.
Heber, Vid. *Mileſius*.
Hedegan (Imarius O) Fund. Cæn. 730.
Hegarty (P. Patritius O) Virtute clarus. 585.
Heir (P. Raymundus O) Virtute clarus. 563.
Helena (Alexander de S) Fund. Cæn. 738.
Helius (F. Patritius O) Ord. Min. Epiſ. *Mayoæ*, Martyr. 600.
Henegan (P. Ambroſius O) Magiſter Studij &c. 437.
Henegan (P. Antonius O) Lector *Lovanij*. 446.
Henin (Stephanus de) Adminiſter *Lotharingius*. 696. 699.
Henneſy (Richardus) Decanus *Limerican.* 443, N.
Henricus II, Angliæ Rex, *Hiberniam* invadit, dictuſque *Dominus Hiberniæ*. 30. 207.
Henricus III, Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*. 44, N. 45, N. 195, N. 744.
Henricus V, Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, fuperat *Gallos*, & declaratur *Franciæ* Hæres & Rector. 149, N. Ejus Oratores Præcedentiam habuere in Conc. *Conſtantien.* ob *Hiberniæ* Antiquitatem. 3.
Henricus VI, Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, coronatus *Pariſijs* Rex *Franciæ*. 612, N.
Henricus VII, Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*. 84, N. 482.
Henricus VIII, Rex *Angliæ*, Dominus *Hiberniæ*, ejuſdem Rex declaratus. 30. 77, N. Plura de eo quà Catholico & quà Acatholico. 30. 81. 195. 597.
Henricus-Benedictus, Card. *Eboracen.* 147.
Henricus Archiep. *Burdigalen.* 170.
Henricus (F) Archiep. *Armacan.* &c. ac Sedis Apoſtolicæ Legatus. 59. 200. 458.
Henricus (F) Epiſ. *Clonmacnoiſen.* 60. 465.
Henrietta-Maria, Regina *Angliæ*, Soror *Ludovici* XIII, Conjux *Caroli* I. 141, N. 560, N. Ejus Epiſtolæ. 695. 696.
Henrietta-Maria, Filia *Caroli* I, Avia Regis *Sardiniæ*, Proavia Regum *Galliæ*, & *Hiſpaniæ*. 85, N. 148.
Henry (Milo Fitz) Juſtitiarius *Hiberniæ*. 727.
Henry (P. Mag. Bernardus Mac) bis Provincialis *Hiberniæ*. 530. 531. Ejus Libellus Supplex ſuper Decreto S. Congregationis. 181.
Henry (P. Patritius Mac) Sodalis *Colranen.* &c 246. 429.
Heraldi. Vid. *Feciales*.
Herbipolen. Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.
Hereford (F. Galfridus) Epiſ. *Daren.* 473.
Heremon. Vid. *Mileſius*.
Herlily (Thomas O) Epiſ. *Roſſen.* interfuit Concilio *Tridentino*. 104, N. 602, N.
Herre (F. Richardus) Definitor pro *Hibernia* A. 1491 in Cap. Gen. *Cenomanen.* 75. 100.
Heſnequenius de *Scotiæ* Nomine diſceptat. 5.
Heynorum (O) Familia de *Kilowiragh*. 222.
Heyn (P. Mag. Cornelius O) Virtute clarus. 579.
Heyne (P. Jacobus O] Sodalis *Roſbercanen.* 271.
Heynes (P. Jacobus) Sodalis *Urlarien.* 314.
Heyn (F. Joannes O) Ord. Min. Epiſ. *Clonferten.* apud FF. Præd. *Athenrien.* tumultatus. 222.
Heynus (P. Mag. Joannes O) *Limericen.* 213.
Heyn (P. Mag. Joannes O) *Athenrien.* Scriptor. 37. 157. 574.
Heynus (P. Baccalaureus Quienatius, ſeu Quintinus) Vicarius pro Coadjutore Provincialis *Hiberniæ*. 520.
Heyne (P. Vincentius O) Regens *Romæ*. 415.
Hiar hibernié *Occaſum* ſignificat. 2.
Hibernia Olim *Scotia Major*. 6. Varia ejus Nomenclatura. 2. *Inſula Sanctorum* nuncupata. 6. 121. 630. Literarum Studijs florentiſſima. 646. A *Græcis* dicta *Inſula Sacra* multis antè Chriſtum Annis ob beatum Soli *Genium*, in quo nullum venenoſum Animal. 9. Ejus Clima temperatiſſimum, Terra fertiliſſima, & Flumina feraciſſima, aliaque ſingulorum Elogia. 10. Modicus ibi Exceſſus in Frigore, vel Calore. 3. Dimenſio ejus, Figura, Situs, atque ab alijs Regionibus Diſtantia. 12. Parva ejus Diſtantia à *Cambria*, minor à *Scotia*. 12. Ejus Antiquitas. 3. Gentis Origo. 9. Ducentis Annis Cultore caruit. Ibid. Diviſio Civilis & Eccleſiaſtica. 15. 16. Antiquum Gubernium, & Reges. 10. 29. In Anglorum devenit Poteſtatem. 30. Diſtinctum nihilominus Regnum, ſuum habens Parlamentum. 31, N. Prorex pluſquam quivis alius ad Dignitatem accedit Regis. 32. Fidei Catholicæ

tenax permanſit ſub Regibus Acatholicis. 93. Antiquus ejus & modernus Status diſpares. 645. & ſeqq.
Hibernorum Doctrina & Eruditio per quatuor integra Sæcula. 25. Eximiam eorum Sanctitatem teſtantur S. *Bernardus*, & *Benedictus* XIV. 21. Hibernorum Sanctorum Copia. 646. Ab ijs Fides Catholica in varias Regiones invecta. 21. Eorum Conſtantia in Fide Catholica. 26. 27. 629. In Perſecutionibus frequens eorum ad Apoſtolicam Sedem Recurſus. 26.
Hibernia-Dominicana Senior Franciſcana. 42. In Provinciam Ordinis Anno 1484 erecta. 73. 517. Anno 1518 evaſit Congregatio reformata. 519. Iterum, Anno 1536, Provincia Ordinis. 96. 519. Ad Differentiam *Angliæ* & *Scotiæ* nunquam annumerata inter extinctas, aut deſolatas Provincias. 93. *Angelica Provincia* appellata. 134.
Hiberno-Dominicani completis Studijs ſtatim in Provinciam pro Miſſionibus redeant. 127. Gratis & benignè in omnibus Ordinis Conventibus recipiantur. 119. 122.
Hibernicum Mare Nautis vulgò *Canalis S. Georgij*. 12.
Hibernicus (F. Joannes) Scriptor. 540.
Hibernicus (F. Malachias) Scriptor. 540.
Hibernicus (F. Petrus) Scriptor, Angelici Doctoris Præceptor. 60. 534. 646.
Hibernicus (F. Thomas) duplex, Dominicanus unus, Franciſcanus alter. 535. Vid. *Palmeranus*.
Hierarchia Eccleſiaſtica extincta in *Anglia*, & *Scotia*, non verò in *Hibernia*. 81. 183, N.
Hieroſolymitanus Patriarcha, Thomas Cervinus. 22. 23. Vid. *Gottus*, & *Miranda*.
Higgins (P. Ambroſius) Sodalis *Molingaren*. & Paſtor 219.
Higgin (F. Bernardus O) Epiſ. *Elphinen*. 486.
Higgin (P. Matthæus O) Sodalis *Straden*. 254.
Higgin (P. Petrus O) Prior *Naſenſis*, Martyr. 561.
Higgin (P. Petrus) *Dublinien*. Martyr. 561.
Higgin (P. Thomas O) *Clonmellen*. Martyr. 569.
Hillon (P. Jacobus) Sodalis *Villanovan*. 243.
Himelinus (S) *Hibernus*. 432, N.
Hiſpalis, Urbs *Hiſpaniæ*, undè dicta? 186, N.
Hiſpania dicta *Heſperia* ab occidentali Situ. 2.
Hiſpaniæ Provincia Ord. Præd. 94. Cur prima? 47.
Hoadly (Joannes) Archiep. *Armacan*. Acatholicus. 719.
Hoare (P. Mag. Michael) Prior *Limericen*. 214. Bis Provincialis *Hiberniæ*. 513. Interfuit Capitulo Generali. 176.
Hoare (P. Thomas) Procurator FF. Mendicantium Anno 1443. contrà *Philippum Norriſium*. 68, N.
Hogain (Matthæus O) Epiſ. *Laonen*. 212.
Hogan (P. Bernardus) Prior *Roſbercanen*. 271.
Hogeſon [F. Willelmus] Epiſ. *Derien*. 484. Diploma. Ibid.
Hoggorum Collis *Dublinij*. 735.
Holderneſſe [Comes de] è *Darcæorum* Progenie. 276.
Holividiu, aliàs *Holywood*, aliàs à *S. Boſco* [Christophorus] Soc. Jeſu. 628.
Hollandiæ Congregatio in Ord. Præd. 77, N.
Holland, Holm, Holt, Hope, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Honorius Papa III Diſpoſitionem exhibuit Diæceſum *Hiberniæ*. 16. Ordinem Prædicatorum confirmavit. 34.
Hope [P. Mag. Thomas] Sodalis *Mollingaren*. & Paſtor. 219.
Horan [P. Martinus] Confeſſarius Monaſt. *Bethlehem*. 429.
Hore, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252.
Hore [Joannes] Armiger. 273.
Horiſh [Sor. Margarita] Converſa *Dublinien*. 360.
Horunca [*Garcias*] 105.
Hothum [F. Gulielmus de] Archiep. *Dublinien*. & Legatus. 59. 60. 462. Scriptor. 537.
Hovedon [F. Richardus] Martyr. 570.
Houlaghan [P. Dominicus] Sodalis *Youghallen*. 274.
Howardus [F. Philippus-Thomas] de *Norfolcia*, Cardinalis. 542, 543, 544. Novitatum peregit ad *S. Sixtum*. 382. Fratribus ſuis *Anglis* Cœnobium acquiſivit SS. *Joannis* & *Pauli*. 369, N.
Hoyne [Joannes] Parochus de *Gowran*. 506.
Hugo [F] Epiſ. *Oſſorien*. 59. 206. 460.
Humbertus [B] Magiſter Ordinis. 36.
Hunte, alijs *Suine* [Edmundus]. 71.
Hurleus [Dermitius] Archiep. *Caſſelien*. & Martyr. 600. Sepultus *Dublinij* apud S. *Kevanum*, ubi Miracula. Ibid. N.
Hurley [F. Jacobus O] Provincialis. 523. Epiſ. *Imelacen*. 487.
Hurley [P. Patritius] Sodalis *Glanoren*. 336.
Huſſianæ Familiæ Genealogia. 264, N.
Huſſey [Eduardus] Conjux Duciſſæ de *Mancheſter*. 264. [Nunc Baro]
Huſſey [Matthæus] de *Galtrim*. 264.
Huſſey [F. Richardus] Virtute clarus. 576.
Huſſey [P. Thomas] Sodalis *Trimmen*. & Paſtor. 265.
Hyde [Henricus] Comes *Clarendonus*, &c. 137.

I

Jacobus I Rex *Angliæ* &c inſtituit Ordinem Equeſtrem Baronettorum *Ultoniæ*. 9, N. ejus Edictum, & Sermo contrà Catholicos. 627, 630, 633.
Jacobus II etſi Catholicus conſcendit Thronum *Angliæ*. 136. 711. Varia ejus Fortuna. 142. 144. 208. ad eum Epiſtola *Innocentij* XI. 140. Multiplex ejus ex utraque Uxore Proles. 132, N. Dum Dux eſſet *Eboracenſis* creatus Comes *Ultoniæ*. 84, N. Ejus Epiſtola ad Ducem *Lotharingiæ*. 695. In *Hibernia* verſatus per ſexdecim Menſes. 144.

144. Comitia Generalia habuit *Dublinij*. 142. Ejus Adlocutio. Ibid. Diploma ejus ad Epiſcopum *Miden.* nominans Sacerdotes ad Parochias. 19. *Dublinij* adſtitit Conſecrationi Eccleſiæ *S. Birgittæ*. 744.
Jacobi II Filius, dictus Jacobus III, 137. 145. 146. 147.
Jacobus Abbas de *Conga*. 692.
Jacobina [Sor. Catharina] Prioriſſa *S. Sixti*. 378.
Jacobini vocantur in Gallia FF. Præd. 44, N.
Jacobopolim, vulgo James-Town [apud] Conventus Cleri *Hiberniæ* habitus. 691.
Jacopini [F. Laurentius Petri] Epiſ. *Achad.* 470.
Janſenius [Cornelius] Epiſ. *Ipren.* Pontificiæ Infallibilitati ſuffragatur. 168.
Janſenianis, Orrhodoxæ *Hiberniæ* nocere conantibus, occurrit *Clemens* XI. 159.
Jarlathus [S] *Hibernus*. 734.
Ibarus [S] *Hibernus* 727.
Ibercan, Baronia Agri *Kilkennien.* 270.
Iberia, priſcum *Hiſpaniæ* Nomen. 9.
Ibernoe, Vox Phenicia, à qua dicta *Hibernia*. 3.
Jcomaid [Joannes] Epiſ. *Duacen.* 223.
Jerna, priſcum *Hiberniæ* Nomen. 2.
Jeron [S] *Hibernus*. 432, N.
Jeroſolymitani [S. Joannis] Equitum Prioratus & Præceptoriæ in *Hibernia*. 738.
Jerſey, latinè *Cæſarea*, Inſula *Normanniæ*, Juris *Anglorum*. 612, N.
Jeſu [Sor. Thereſia de] Monialis *Bethlehem*. 453.
Jeſuitæ ſunt Clerici Regulares, & Mendicantes. 36.
Jgnatij [S] Epiſcopi & Martyris Corpus in Baſilica S. *Clementis* de Urbe. 405.
Jkerin [Vicecomes de] nunc Comes de *Carrick*. 267, N.
Jleyan [Mauritius] Epiſ. *Duacen.* 223.
Jleyan [F. Nicolaus] Epiſ. *Duacen.* 60. 223. 468.
Jmago devota B. Virg. in Cæn. *Youghallen.* 773. Item apud *Kilcorbainam*. 344.
Jmelacen. Diæceſis in *Hibernia*. 19. 448, N. Epiſcopi ex Ord. Præd. 236. Univerſitas olim. 646.
Jmola Urbs Epiſcopalis *Æmiliæ*. 524, N.
Imperiali [Joſeph-Renatus] Cardinalis, *Hiberniæ* Protector. 387.
Inch, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252, N.
Indiarum Provincia in Ord. Præd. 74. 96.
Indicis [S. Congregationis] Secretarij ſunt Ord. Præd. 34. 165, N. Decretum damnans & prohibens Librum *Philalethis*. 165.
Indiciæ Catholicos inter & *Inchiquinum*. 671.
Ines [D] Hiſtoricus *Scotus*. 44.
Infallibilitas Pontificia propugnatur. 166, &c.
Innocentius III reſtauravit Baſilicam *S. Sixti*. 372. Eam *S. Dominico* conceſſit. 375.
Innocentij IV Diploma. 200.
Innocentij VI Diplomata duo. 63.
Innocentij VIII Diplomata quatuor. 75. 323. 440, N. 478.
Innocentius X damnat Hæreſim *Janſenianam*. 168. Nuntium miſit in *Hiberniam*. 650. Diploma. 170.
Innocentij XI Literæ ad Ludovicum XIV, & Jacobum II. 140. 141.
Innocentius XII relaxavit Pænitentiam *Hibernis* injunctam ob Cenſuram Nuntij. 691. Diploma. 408.
Inquiſitionis Munus cum Ord. Præd. cæptum. 34.
Inſulæ Omnium Sanctorum Annales. 473.
Inſula-Killena, Burgus *Ultoniæ*. 331. Ejus Baro D. Maguire. 32, N.
Joannes II olim Card. *S. Clementis*. 391.
Joannis XXI Diploma. 188.
Joannis XXII Diploma. 64.
Joannis XXIII Electio & Abdicatio 470, N. Tria Diplomata. 247. 269. 469.
Joannes Rex Hiberniæ declaratus ab *Henrico* II in Parlamento, *Oxoniæ* habito Auctoritate *Alexandri* Papa III. 218, N. In *Hiberniam* venit. 208. Primus *Hiberniæ* Comitatus diviſit. 13.
Joannis III Regis Poloniæ Elogia. 145.
Joannes IV Rex *Luſitaniæ*. 419. 493.
Joannes V Rex *Luſitaniæ* Catholicos *Hiberniæ* juvat. 158.
Joannes [S] de Matha. 739.
Joannes Epiſ. *Clonferten.* dein Archiep. *Beneventatanus*. 226, N.
Joannes Epiſ. *Rapoten.* 693.
Joannis Chryſoſtomi [S] Corpus olim in Baſilica *S. Clementis* de Urbe. 406.
Joannis & Pauli [SS] Cænobium *Anglorum* 369, N.
Joanne [Eques Oliverius à S.] Prorex *Hiberniæ*. 633. 634. 636.
Joanne [Joannes de S.] Epiſ. *Fernen.* 728.
Jocelyn [Robertus] Baro de *Newport* [poſtmodum Vicecomes *Jocelyn*] Magnus *Hiberniæ* Cancellarius. 719.
Joiſius, ſeu *Jorz*, & *Joyce* (Fr. Gualterus) Archiep. *Armacan.* 60. 463. Reſignavit Ibid. Scriptor. 539. Ipſe & ſex ejus Fratres Ordinis Prædicatorum Alumni. 464.
Joiſius (F. Rolandus) Archiep. *Armacan.* 60. 464. Reſignavit. 464. 511, N.
Joiſius (F. Thomas) Cardinalis. 45. 60.
Joiſij tres Germani Fratres Benefactores Conventus *Lovanien.* 439 446.
Jolly (Sor. Elenora) Monialis *Pontanen.* 361.
Jones (P. Georgius) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.
Jones (Gulielmus) Conſiliarius *Hiberniæ*. 636.
Jones (Joannes) Commiſſ. Gen. *Cromuelli*. 705.
Jones (Michael) Generalis Exercitûs. 660.
Jones (Thomas) Archiep. *Dublinien.* Acatholicus. & Regni Cancellarius. 634. 636.
Jonge (P. Bernardus) Auctor *Belgij Dominicani*. 99.

Jordanus (B) Secundus Magiſter Ord'nis. 114. 533.

Jordanus de Exonia, Dominus *Athlethanæ*, Fundator Cænobij *Straden.* 250. Ab eo Cognomen *Mac-Jordan.* 251.

Jordan (P. Dominicus Mac) Sodalis *Urlarien.* 514.

Jordan (P. Michael Mac) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.

Joſephus (P) Confeſſarius Nuntij. 681. 689.

Joyce. Vid. *Joiſius.*

Joyce (D. Gregorius) Can. Reg. Abbas *Enachdunen.* & Wardianus *Galvien.* 439.

Joyce (P. Gregorius) Sodalis *Galvien.* 326.

Joyce (Sor. Maria, & Monica) Moniales *Galvien.* 352.

Irenarchæ qui ſint? 32.

Ireland, Irlanda, Irlande, Nomen Anglicum, Italicum, & Gallicum *Hiberniæ.* 9.

Irton, Gener *Cromuelli.* 489.

Irus, & Ithus Vid. *Mileſius.*

Iſabella-Clara-Eugenia Infans *Hiſpaniarum,* &c 431. Ejus Literæ. 435.

Ita (S) *Hibernus.* 736.

Iveagh (Vicecomes de) Magenis. 32, N. Vid. *Magenis.*

Iver (P. Præſentatus Mac) 448.

Jugerum quid ſit? 14. Quot in *Hibernia.* 15.

Julij II Diplomata octo. 77. 480 ad 484.

Julianum Kalendarium 138, N.

Juramenta præſtanda ſub *Elizabetha* Regina. 599. ſub Jacobo I, ſed á Paulo Papa V. prohibitum. 614.

Juramentum à *Recuſantibus* præſtandum. 644.

Juramentum Aſſociationis inter *Fæderatos Catbolicos.* 649.

Juramenta Allegianciæ, & Supprematiæ ſub Gulielmo III editâ. 712. ſub Regina *Anna.* 713. ſub *Georgio* I. 715.

Juramentum Allegianciæ præſtandum à Catholicis ſub *Gulielmo* III. 149. Neque aliud. 151.

Juramenta præſtanda à Sacerdotibus regiſtrandis. 720. 721. 723.

Juramentum Abjurationis à Catholicis omnibus præſtandum. 708.

K.

Kalendarium Julianum & Gregorianum. 138, N.

Karmardin, aliâs Kermerdyn (F. Edmundus de) unus è primis Doctoribus *Dublinien.* Academiæ 66. 191.

Kavanagh. Vid. *Cavanagh.*

Keaghry (P. Hyacinthus) Sodalis *Athenrien.* 234.

Kearney (P. Joannes O) Sodalis *Roſcomanien.* 261.

Kearney (P. Patritius O) Baccalaureus. 116. Magiſter. 118.

Keating (Sor. Eleonora) Prioriſſa *Dublinien.* 360.

Keating (P. Jacobus) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.

Keeffe (Cornelius O) Epiſ. *Limericen.* 442, N. Vid. *Cuiſſe.*

Keely (F. Patritius) Sodalis *Lovanien.* 448.

Keetly (P. Joannes) Sodalis *Roſcomanien.* 261.

Kellachus, Anachoreta Fund. Cæn. 731.

Kelly (Mac, vel O) antiquiſſima Familia, pluſquam quævis alia diffuſa. 235, N. Principaliores Rami. Ibid.

Kelly (O) Fundator Prioratûs de *Duleek.* 729.

Kelly (Sor. Alicia, Catharina, Elizabetha, Maria, & Sara O) Moniales *Dublinien.* 360.

Kelly (P. Antonius O) Sodalis *Roſcomanien.* 261.

Kelly (F. Bernardus O) Martyr. 573.

Kelly (Sor. Cæcilia O) Monialis *Galvien.* 352.

Kelly (Carolus O) Decanus *Tuamen.* 692.

Kelly (P. Mag. Carolus O) Definitor Capituli Generalis. 183. Theologus *Caſanaten.* 420. 548. 690. Hiſtoriam hanc promovit. 420. Nonniſi vulneratus evaſit ex Terræmotu *Ulyſſiponen.* 425. Plura molitus pro ejuſdem Reſtauratione. 425 ad 428.

Kelly (F. Daniel O) Sodalis *Lovanien.* 448.

Kelly (F. David Mac) Epiſ. *Clonen.* dein Archiep. *Caſſelien.* & Cænobij *Caſſelien.* Fundator. 59. 235. 457.

Kelly (P. Præd. Gen. Dominicus O) Prior *Lovanien.* dein Provincialis *Hiberniæ.* 445. 526.

Kelly (P. Præd. Gen. Dominicus O) Sodalis *Lovanien.* 447.

Kelly (P. Præſentatus Dominicus O) Sodalis *Athenrien.* & Paſtor. 234.

Kelly (P. Dominicus O) Confeſſarius Monial. *Dublin.* 175. 261.

Kelly (Edanus O) Epiſ. *Clocheren.* 730.

Kelly (Gulielmus O) Fund. Cæn. 746.

Kelly (D. Henricus O) Can. Reg. Abbas S. Thomæ *Dublinij.* 440, N.

Kelly (P. Joannes O) Sodalis *Lovanien.* 448.

Kelly (Malachias) Archiep. *Tuamen.* 275, N.

Kelly (Sor. Maria O) Monialis *Pontanen.* 361.

Kelly (Mauritius O) Archiep. *Tuamen.* 469.

Kelly (P. Mag. Richardus O) 690. 692.

Kelly (Sor Roſa O) Monialis *Galvien.* 352.

Kelly (F. Thomas O) Archiep. *Tuamen.* 473.

Kelly (Thomas O) Epiſ. *Clonferten.* 223. 226.

Kelly (Thomas O) Abbas *Mayonen.* &c. 439, N.

Kelly (P. Thomas O) Prior *Youghallen.* 274.

Kelly (P. Thomas O) Supprior *Athenrien.* 234.

Kelly (P. Præſentatus Thomas-Vincentius O) Prior & Regens *SS. Sixti & Clementis* de Urbe. 552.

Kendal, & Kent, Nomina Locorum in *Anglia,* & Familiarum in *Hibernia.* 252, N.

Kenmare (Vicecomes de) Vid *Browne.*

Kennedy (O) Fund. Cæn. 745.

Kennedy (P. Ambroſius O) Doctor *Pictavien.* Virtute clarus. 585.

Kennedy (P. Brianus) Ord. S. Aug. Provincialis *Hiberniæ*. 749.
Kennedy (P. Mag. Dominicus) Definitor Cap. Gen. 176. Sodalis *Ulyſſiponen*. 429.
Kennedy (Donaldus O) Epiſ. *Laonen*. 212.
Kennedy (Sor. Anna-Joachina, & Marianna-Roſa O) Moniales *Bethlehem*. 453.
Kennedy (P. Hyacinthus O) Sodalis *Lothorien*. dein Miſſionarius in *America*. 279.
Kennedy (P. Patritius O) Sodalis *Roſcomanien*. & Paſtor. 261.
Kennedy (P. Terentius O) Doctor *Pariſien*. 279.
Kennedy (P. Thomas O) Præſentatus. 157.
Kenny Nomen Anglicum *Canici*. 204.
Kenny (P. Marcus) Sodalis *Lovanien*. 437.
Kenny (D. Marcus) Abbas *Congen*. 440, N.
Keogh (F. Michael) Ord. Min. 82.
Keogh (F. Raymundus) Converſus, Martyr. 563.
Keoghy (P. Raymundus) Martyr. 572.
Keoghy (F. Raymundus) Martyr. 562.
Keogius alijs Mac Eoga (F. Thaddæus) Epiſ. *Clonferten*. 496.
Keon (P. Mag. Petrus Mac) Rector *Ulyſſiponen*. 428.
Keran (F. Thomas) Abbas de *Buellio*. 692.
Kerry Nomen Loci & Fam. in *Hib*. 252, N.
Kerrien. Comitatus in *Momonia*. 13.
Kiernan (P. Domiuicus Mac) Sodalis *Cavanen*. 288.
Kil, Vox hibernica ſignificans Cellam, vel Eccleſiam. 64, N.
Kilalla Vid. *Alladen*.
Kilcorbaniæ Pagi Deſcriptio &c. 342. An Cænobium ibi Ord. Præd? 234. 342. Ibi Capella SS. Roſarij, & devotiſſima Imago. 344.
Kilcornan, Caſtrum Allodiale *Burgorum*. 277, N.
Kildaræ Oppidi Etymologia. 64, N.
Kildaren. Comitatus *Lageniæ*. 13. Vid. *Daren*.
Kilfenora. Vid. *Fenaboren*.
Kilianus (S) *Hibernus*. 4. 432, N. Ejus Feſtum. 23.
Kilkelly (ſeù Killikelly) Kilkenny, Killin, Nomina Locorum & Familiarum iu *Hibernia*. 252.
Killikelly (F. Petrus) Ex Theologo *Caſanaten*. Provincialis. 531. Epiſc. *Duacen*. 509. Diploma. Ibid. Adminiſtrator *Fenaboren*. 510.
Kilkenniæ Comitatus in *Lagenia*. 13.
Kilkenniæ Urbis Deſcriptio &c. 204. Aer totius *Hiberniæ* ſaluberrimus. Ibid. Arcem conſtruxit tertius *Ormondiæ* Comes. 205. 267, N. Ibi Conventus Generalis Catholicorum. 648.
Kilkenny-Weſt (Baro de) Vid. *Dillon*.
Killaloe. Vid. *Laona*.
Killadarmyrbolga, Vicaria Parochialis. 342.
Killociæ (vulgò *Kilmalloc*) Burgi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio, &c. 284.
Kilmacduac. Vid. *Duacen*.
Kilmalloc (Vicecomes de) *Sarsfield*. 32, N.
Kilmoren. Diæceſis. 18. Epiſcopi ex Ord. Præd. 288.
Kilwarbius (F. Robertus) Cardinalis, Archiep. *Cantuarien*. & Legatus à Latere. 45.
King (Jacobus) Armiger. 333.
Kingſland (Vicecomes de) Vid. *Barnewall*.
Kingſton, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Kiranus (S) Senior, Sanctorum *Hiberniæ* primogenitus, primus Epiſ. & Patronus *Oſſorien*. 296, N. 297, N. 728.
Kiranus (S) Junior, Abbas, & Patronus *Clonmacnoiſen*. 297. N. 728. 730.
Kirby, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Kirwan (P. Andreas) Virtute clarus. 587.
Kirwan (Sor. Bridiga) Monialis *Galvien*. 352.
Kirwan (Franciſcus) Epiſ. *Alladen*. 490. 657. 674. 687. 992. 693. 699.
Kirwan (Sor. Maria) Monialis *Dublinen*. 360.
Kirwan (Sor. Maria) Monialis *Pontanen*. 361
Kirwan (P. Præſ. Patritius) Prior, & Regens *Romæ*. 415 N.
Kirwan (Richardus) Prœtor *Galvien*. 700.
Kirwan (P. Præd. Gen. Stephanus) Sodalis *Galvien*. 326.
Knapton (Baro de) *Veſey*. 744.
Knareſborough, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Knocmoræ & Knockvicariæ Deſcriptio, ac dubia Cænobia. 344. 345.
Knox (Andreas) Epiſc. Acatholicus *Rapoten*. Catholicorum Flagellum. 27. 617, &c.
Knox (Joannes) Armiger.
Kyrieleyſon, Abbatia. 741.

L

Lactinus (S) *Hibernus*. 729.
Lacus Ruber. Vid. *Purgatorium S. Patritij*.
Lacy (Gualterus de) Dominus *Midiæ*. 743.
Lacy (Hugo de) ſeù Lacæus, Epiſ. *Limerican*. 602.
Lacy (P. Mag. Simon) Vic. Prov. *Ang*. in *Hib*. 80. 519.
Lacy, ſeù Lacæi, Fundatores Cænobiorum. 729. 738. 739. 740. 743. 747.
Lafulden. Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.
Lageniæ Provincia. 13, &c.
Laighin (P. Joannes O) Martyr. 574.
Lambert (Oliverius) Conſiliarius *Hiberniæ*. 636.
Lancaſtriorum & Elboracenſium Odia. 84, N.
Landisfarnen. Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.
Landorra (F. Berengarius de) Magiſter Ordinis, habuit Cap. Gen. *Londini*, 46. Ejus Ordinationes pro *Hibernia*. 49. 58. Poſteà Archiep. *Compoſtellan*. & Legatus Apoſtolicus 49.
Landricus Filius *S. Vincentij*. 433, N.
Langenwalter (P. Mag. Emericus) Provincialis *Daciæ*, & Socius Mag. Ord. 95, N.

Langley

Langley, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Langſton, Nomen Loci & Fam. in *Hibernia.* 252.
Langton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Langton (P. Mag. Joannes) 116.
Langton (Stephanus) Card. & Archiep. *Cantuarien.* FF. Præd. Fautor, & Benefactor. 44, N.
Languinus cum Patre *Partbolano* in *Hiberniam* ex *Scythia* profectus. 9.
Lantu (Edmundus de) Benef. Ord. Præd. 75.
Laona, vulgò *Killaloe*, Sedes Epiſcopalis. 19. 115. 210.
Lapides Milliaria indicantes in *Hibernia.* 12, N.
Lateranen. Baſilica in Urbe. 175.
Lateranen. Canonici undè dicti? 439, N.
Laudus (Gulielmus) Archiep. *Cantuarien.* Acatholicus. 638. Capite plexus. 640.
Laughlin (Mauritius Mac) Rex *Hiberniæ.* 742.
Laughlin (P. Malachias O) Virtute clarus 577.
Laurentius (S) Martyr fuit Archidiaconu *S. Sixti* Papæ & Martyris. 373, N.
Laurentius (S) Archiep. *Dublinien.* 22. Ejus Elogia ex *Bened.* XIV. 21. Feſtum. 22. 116.
Lauretana Sacra Domus. 137.
Laus perennis in Monaſterio *Banchoren*, 21.
Lawles (F. Georgius) Theologus *Dublin.* 677.
Lea, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Leaſa, nunc Comitatus *Reginæ.* 336.
Lechus (Joannes) Archiep. *Dublinien.* 191.
Lee, Nomen Fluvij & Familiæ in *Hib.* 214. 252.
Leghlin. Diæceſis. 18. Epiſ. ex Ord Præd. 468. 485. 489. Urbs olim florens. 469.
Leges ſeveriſſimæ adverſùs Catholicos *Hiberniæ.* 28. Earum Schema numerale. 641.
Leinbeer (F. Albertus) Converſus *Levan.* 448.
Leitrimen. Comitatus. 12, &c.
Leitrim (Baro de) Vid. *Burgo (de)*
Lemmichen (P. Mag. Conſtantinus) Socius Magiſtri Ordinis. 501.
Lenham, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Lennon (F. Eugenius) Prior *Pontanen.* 204.
Leodegario (Antonius à S) Vid. *White.*
Leonellus *Clarentiæ* Dux, *Ultoniæ* Comes. 83. 251.
Lercari (Nicolaus) Archiep. *Rhodi* &c. 508.
Leurus (Thomas) Epiſ. *Kildaren.* 602, N.
Lewis, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Leyceſter. ſeù Leſter, & Lyſter, Nomen Loci in *Anglia* & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Leyceſtria (F. Joannes de) 52.
Leynagh (P. Joannes) Centenarius, Virtute clarus. 588.
Liadana, Mater *S. Kirani* Sen. 735.
Libellus Supplex Catholic. Hiberniæ. 623.
Libellus (vulgò *Billa*) Anno 1756, & 1757 in ſuperiorem *Parlamenti* Domum introductus contrà Clerum Catholicum. 719. ad 725.
Liberius (S) *Hibernus.* 735.
Libra Sterlinga, Moneta Anglicana. 248.
Librenus (S) *Hibernus.* 729.
Liffeus, Amnis *Dublinium* interfluens. 187.
Limerick, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
Limericen. Comitatus. 13, &c.
Limericen. Diæceſis. 19. Epiſ. ex Ord. Præd. 213.
Limericen. Urbis Deſcriptio. 144. 152, N. 209. Cænobij Fundatio &c. 115. 210, &c.
Limericenſe Monaſterium. 115.
Limericenſes Articuli. 148.
Lincæus, vernaculè *Lynch* (P. Mag. Dominicus) Scriptor. 545. Vid. *Lynch.*
Lincæus (P. Lec. Dominicus) Virtute clarus. 588.
Lincæus (P. Dominicus) Virtute clarus. 580.
Lincæus (Joannes) alias *Gratianus Lucius.* Archidiac. *Tuamen.* & Scriptor. 11. 30, N.
Lincæus (P. Mag. Joannes Baptiſta) Pænitentiarius Apoſtolicus. 553.
Lincæus (P. Lazarus) Virtute clarus. 585.
Lincæus (P. Mag. Nicolaus) Provincialis. 113. 419. 522. Interfuit Capitulo Generali. 112. 522.
Lincæus (P. Mag. Thomas) 116. 118.
Lincoln, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Lincoln (Richardus) Archiep. *Dublinien.* 753.
Linegar (Joannes) Archiep. *Dublin.* 505. 509. 511. 553.
Ling (P. Edmundus) Capucinus. 196. 749.
Lipnan (P. Milo) Sodalis *Ballindunen.* 311.
Liria (Dux de) 81.
Liſmore (Comes de) Jacobus-Daniel O Brien. 214.
Liſmoren. Diæceſis. 19. Epiſ. ex Ord. Præd. 209.
Liſmoren. olim Univerſitas. 646.
Literas formandi Rationem *Angli* ab *Hibernis* acceperunt. 25.
Livinus (S) Epiſ. *Dublinien.* 432, N. Ejus Feſtum. 23.
Loayſa (F. Garzias) Mag. Ord. 80. 519.
Locus Priorum *Hib. Dom.* 115.
Lodge (Joannes) Pro-Magiſter Rotulorum, &c politiſſimus hujus Ævi Scriptor. 43. Ejus Opera, Ibid. Omnes perluſtravit publicos Regni Commentarios. 247.
Loftus (Adamus) *Hib.* Cancell. & Prorex. 601.
Logan (Joannes) Interfector. 224.
Logerius Rex *Hiberniæ.* 10.
Logher (Patritius) Sacerdos, Martyr. 602.
Loghlin (P. Bernardus O) Prior *Lothorien.* 279 (P. Michael O) Sodalis *Limericen.* 214. Vid. *Laughlin.*
Loix (P. Mag. Joannes de) Provincialis *Germaniæ Inferioris.* 106. 431.
Lomanus (S) Nepos *S. Patritij.* 729.

Lombard (Simon) Fund. Cæn. 750.
Lombardiæ Provincia diviſa, & reunita. 96.
Lombardus (Petrus) Archiep. *Armacan.* 40, N. 628. 750.
Lomely (Richardus) Vicecomes *Waterford.* in *Hib.* Comes *Scarburgi* in *Ang.* 208.
Londinenſis Urbis Nomenclatura varia. 37, N. Ibi quatuor habita Comitia Generalia Ord. Præd. 45. Interfuit Doctor Angelicus. 37. Epiſcopus tertiæ Diei exolvit Expenſas. 45, N. Archidiaconus Conſervator Privilegiorum FF. Mendicantium. 64.
Londinenſi in Conventu duos Studentes liberè habere poterat *Hib. Dom.* 50.
Londino-Deria, novum Nomen Urbis *Derien.* 13. 245. 281. 283.
Londres (Henricus de) Archiep. *Dublin.* 727.
Longobardus (P. Franciſcus) Ord. Min. 508.
Longfield, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
Longofordien Comitatus. 14 Burgi Deſcriptio. 300. Cænobij Fundatio &c. Ibid.. Baronia in Agro *Galvien.* & Pagus in *Anglia* ejuſdem Nominis. Ibid.
Lord-Mayor, i. e. Dominus Prætor, Titulus quibus datus ? 189, N.
Lothoriæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio &c. 274.
Lovanien. Urbis Deſcriptio, & Cænobij Fundatio &c. 430 ad 448.
Lovanien. Acadamiæ Epiſtola, & Judicia Favore *Hibernorum.* 110. 111. 432.
Lough-Derg, ſeu Purgatorium S. Patritij, in Inſula S. *Daboeci.* 4, N. 731.
Loughreagham (apud) Conventus Generalis Cleri & Nobilitatis *Hiberniæ* 691. 693.
Lovidia, ſeù Loutha, in *Ultonia.* 199.
Loundres (Gulielmus de) Dominus *Athboiæ*, Fund. Cænobij. 752.
Louthanus Comitatus. 14. 76. 199. 289. Comes (Joannes de Bermingham) 221, N. 276, N. (Thomas de Bermingham) 221, N. Baro (Plunkett) 32, N.
Loyd, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
Luanus Monachus *Banchoren.* 21.
Lucan (Comes de) Patritius Sarsfield. 32, N. 148. 151. 278. Ejus Conjux *Honoria de Burgo*, poſteà Ducíſſa *Berwica.* 278, N.
Lucia Regina *Portugalliæ.* 419.
Lucini (F. Aloyſius Maria) Card. *S. Sixti.* 35, N. 379. Epitaphium ejus. 389.
Ludovicus VII. Francorum Rex. 223, N. Ludovicus XIII. 141, N. Ludovicus XIV. 141. 142. 144. 419.
Lugadius (S) Abbas, *Hibernus.* 730.
Lugaid-Laithirus, Fund. Abbatiæ. 731.
Lugano (F. Petrus Martyr de) Vic. Gen. 92.
Luglius, & Luglianus (SS) *Hiberni.* 432, N.
Lullo (Edmundus) Commiſſ. *Cromuelli.* 705.
Luneburgi Ducatus in *Germania.* 148, N.
Lupi & Religioſi Capita eodem Pretio vendita. 28. 117.
Luſitaniæ, ſeù Portugalliæ, Provincia. 95.
Luſitani defecerunt ab Hiſpanis. 419. 493, N.
Lutterell (Simon) Colonellus. 150.
Luxovien. Monaſterium à SS. *Columbano* & *Gallo* extructum. 12.
Lycet (Sor. Agnes-Antonia, & Anna-Roſa) Moniaales *Bethlehemitanæ.* 453.
Lynch, latinè *Lincæus* (Andreas) Epiſ. *Fenaboren.* 491. 658, N. Vid. *Lincæus.*
Lynch (Sor. Anaſtaſia, Catharina, Elizabetha, & duplex Maria) Moniales *Galvien.* 352.
Lynch (Gualterus) Vic. Apoſ. *Tuamen.* 658.
Lynch (P. Gulielmus) Martyr. 569.
Lynch (Jacobus, & Thomas) Cives *Galvien.* 700.
Lynch (Robertus) Conſiliar. *Kilkenn.* 665.
Lynch (Thomas) Vic. *Galvien.* 700.
Lynch (F. Thomas) Sodalis *Lovanien.* 445.
Lynch (Walterus) Epiſ. *Clonferten.* 490. 692. 693.
Lynham (P. Patritius) Sodalis *Trimmen.* & Paſtor. 264.
Lyons (F. Adamus) Epiſ. *Ardachaden.* 60. 458. Diploma Pontificium. Ibid.
Lyſaght (Gulielmus) Progen. Bar. de *Liſle.* 749.

M.

Mac, Vocula hibernica ſignificans Filium. 62, N.
Macartinus (S) *Hibernus.* 731.
Maccay (H) Teſtis 151.
Macdonchard, fortè Mac-Donogh (Eugenius) 75.
Macghee (P. Mag. Joannes) 157.
Macgirum (Mauritius) Abbas de *Maggio.* 104, N.
Machay (Willelmus) Canonic. *Enachdun.* 323.
Mackelsfeldius (F. Gulielmus) Cardinalis. 45.
Maclovius (S) *Hibernus.* Indè Urbs *S. Maclovij*, vulgò *S. Malo*, in *Gallia.* 585, N.
Maculanus (F. Vincentius) Card. *S. Clem.* 408.
Madelberta (S) *Hiberna.* 433, N.
Maddenus, ſeû Maddinus (O) Dynaſta. 304.
Maddenus (O) Fund. Cæn. de *Milick.* 476.
Maddin (P. Richardus O) Virtute clarus. 581.
Magaen (Sor Honoria) Martyr. 572.
Magauran (Edmundus) Archiep. *Armac.* 602, N.
Magenis (Vicecomes de *Iveagh*) 32, N. Brianus Vicecomes. 268. Terentius Vicecomes. 278, N.
Magenis, ſeù Magneſius (F. Arthurus) Ord. S. Ber. Epiſ. *Dunen.* & *Connoren.* 490. 674. 692. 693. 698.
Magenis (P. Domiuicus) Magiſter. 157.
Magenis (P. Dominicus) Proc. Gen. *Pariſijs.* 290.
Magenis (P. *Hiberus*) Supprior *Villanov.* 243.
Magenis (P. Præd. Gen. Petrus) Prior *Kilken.* 07.

Magiſtri

Magiſtri Sacri Palatij ſunt FF. Præd. 34.
Magiſter Rotulorum quis? 477, N.
Magiſtrorum S. T. & Præſentatorum, ſeù Baccalaureorum, Numerus in *Hib. Dom.* 113. 120. 157. 177.
Magiſtratus Supremi in *Hibernia.* 229, N.
Magnanapoli, accuratè *Balnea Pauli*, in Urbe, ubi Monaſterium Ord. Præd. olim ad S. *Sixtum.* 348. 379.
Magnaville (Richardus dè) Occiſor. 224.
Magnus, prius Magnoaldus (S) *Hibernus.* 331, N.
Magrath (P. Dionyſius) Sodalis *Romæ.* 415.
Magrath (P. Milo, ſeù Milerus) aliàs Michael de Roſario, Martyr. 419. 566.
Maguiræorum Genealogia. 332, N.
Maguire (P. Mag. Antoninus) Provincialis *Hiberniæ.* 157. 161. 529.
Maguire (P. Antoninus) Sodalis *Gaulen.* 333.
Maguire (Brianus) Baro de *Inniſkillen.* 32, N. 332.
Maguire (F. Dominicus) Archiep. *Armac.* 131. 439.
Maguire (P. Euſtachius) Virtute clarus. 576.
Maguire (P. Mag. Joannes) Prior *Gaulen.* 333.
Maguire (F. Joannes Baptiſta) 134. 371.
Maguire (Sor. Maria) Converſa *Dublinien.* 360.
Maguire (N) Fund. Cæn. 747.
Mahon (P. Cornelius Mac) Virtute clarus. 576.
Mahon (P. Dominicus Mac) Sodalis *Pontanen.* 204.
Mahon (P. Dominicus Mac) Sodalis *Ulyſſiponen.* 429.
Mahon (Felimus Mac) Dynaſta *Urielis*, Fund. Cæn. 747. Vid. 736.
Mahon (P. Mag. Gelaſius Mac) Provincialis *Hiberniæ.* 279. 528.
Mahon (P. Jacobus Mac) Sodalis *Carlingfordien.* 290.
Mahon (P. Præſ. Petrus Mac) Sodalis *Limericen.* 214.
Mahon (P. Thomas Mac) Virtute clarus. 578.
Mahony (P. Præſ. Joannes-Philippus O) 448.
Maidocus, aliàs Edanus, (S) *Hibernus.* 732.
Maidocus (S) de Ferna, *Hibernus.* 732.
Maidalchinus (Franciſcus) Card. Abbas Commend. S. *Clementis.* 407.
Mailin (Clarus Mac) Archidiconus. *Elphin.* Fundator Cænobiorum. 737.
Mainhamus (S) Epiſcopus *Hibernus.* 738.
Major Scotia eſt *Hibernia.* 6.
Makenleſte (Magnellus) Fund. Cæn. 740.
Malachias (S) Archiep. *Armac.* 289, N. Ejus Feſtum. 22 Elogia. 21.
Mallæ (S) Eccleſia juxtà *Kilkenniam.* 47S
Mallow Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
Malmeſborien. Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.
Malpas, Mansfield, Martin, Mayfield, Nomina Locorum in *Ang.* & Familiarum in *Hib.* 252.
Malus-Clericus, vulgò *Mauclerk* (F. Gualterus) primus Epiſ. Ord. Præd. 45.
Maly [N O] Fund. Cæn. 750.
Maly [Sabina, & Griſella O] 318, N. 319, N.
Maly [D. Joannes O] Abbas *Enachd* &c. 439, N.
Maly [Nicolaus] Eques Auratus. 302.
Manchenus [S] Abbas, *Hibernus.* 729. 735.
Mangan [P. Barnabus] Sindicus *Romæ.* 415.
Manifeſtum Concil. Catholic. *Kilken.* 649.
Mannin [P. Jacobus) Sodalis *Straden.* 254.
Mannin [P. Joannes O) Virtute clarus. 560.
Manoel [Joſeph] de Atalaya, Cardinalis, & Patriarcha *Ulyſſiponen.* 451. 551.
Manſuetis [F. Leonardus de] Magiſter Ordinis. 73. Ejus Regeſta. 78.
Manus [Mac] Familiæ Genealogia. 331.
Manus [P. Joannes Mac] Lector *Lovanij.* 448.
Mapilton [Hugo de] Epiſ. *Offorien.* 59. 460.
Marana, Rivus juxtà *S. Sixtum* de Urbe. 374.
Marca, Moneta Anglicana. 192, N.
Marcellinus [S] *Hibernus.* 432, N.
Marcus [F] Scriptor. 538.
Marci [S] Congregatio. 97, N.
Marcheſi [F. Dominicus] Converſus *Romæ.* 415.
Margarita Fil. Hen. VII. Regina *Scotiæ.* 84, N.
Margarita Duciſſa *Mantuana.* 419.
Maria Stuarta Regina *Scotiæ.* 30, N. 598, N.
Maria I Regina *Angliæ*, &c. 597. 598. 603, N.
Maria II Regina *Angliæ.* 140. 147. 711.
Maria-Roſa [Sor.] Converſa *Bethlehem.* 453.
Mariæ Burgus, Oppidum. 14.
Marinis [F. Dominicus de] Archiep. *Avenionen.* 543.
Marinis [F. Joannes Baptiſta de] Magiſter Ordinis. 117 ad 125. 368. 423. 438.
Marinis [Leonardus de] Archiep. *Lancian.* 35.
Mariſcis [Galfridus de] Fund. Cæn. 733.
Marlay [Thomas] Cap. Jud. Banci Regis. 719.
Marſhall [Gulielmus Senior] Comes *Pembrochiæ.* 727. 728. 738. 743. [Gulielmus Junior] Fund. Cæn. *Kilken.* Ord. Præd. 205. [Richardus] Fund. Cæn. *Kilken.* Ord. Min. 744.
Marſhall [F. Patritius] Provincialis. 528.
Martinet [Jacobus de] Eques S. Joan. Jeroſol. 108. 431.
Martinez Cognomini *Joyce* adjunctum. 446.
Martinus Papa III, paſſim dictus V, in Conc. *Conſtan.* electus. 51, N. Septem ejus Diplomata. 231. 301. 304. 306. 470. 472.
Martini [S] olim Eccleſia *Dublinij.* 189, N.
Martin [P. Hugo Mac] Sodalis *Sligoen.* 248.
Martinus Navarrus Roſarium B. V. nuncupavit *Patrionium Ord. Præd.* 34.
Martinus [P. Petrus] Magiſter. 116.
Martin [P. Petrus] Virtute clarus. 326.

Martin

Martin [Richardus] de Dangan. 309.
Marward, Baro de Skrene. 264, N.
Maſacci, Pictor celebris. 405.
Maſſarius [Dionyſius] Auditor Nuntij Apoſ. 689.
Maſterſon [P. Thomas] Prior *Kilken.* 207.
Matritenſis Domus in Spe. 450.
Matritenſis Procurator à Provincia *Hiberniæ* inſtituendus. 184. Sex recenſentur Procuratores. 184, N, 434, N. 500.
Matthæus [Emerus] Epiſ. *Clocheren.* 490. 657. 674.
Matthew [P. Franciſus] Ord. Min. Scriptor. 111.
Mauclerk. Vid. *Malus Clericus.*
Maurice [Fitz] Cognomen unde? 746. Ex eo Comites de *Kerry*, & de *Shelburn.* Ibid, & 328. Item Fundatores Cænobiorum. 741.
Mauritius [P. Mag.] Vid. *Moral.*
Mayer [F. Joannes] Converſus *Romæ.* 415.
Mayonen. Comitatus. 13. Epiſcopatus *Tuamenſi* adjectus. 19
Mazzonuchi (Nicolaus) Not. Apoſt. 510.
Meadocus (S) *Hibernus.* 728.
Mean (Sor. Maria) Monialis *Waterford.* 365.
Meany (P. Lec. Vincentius) Sodalis *Pontanen.* 204.
Meara (Gulielmus O) Epiſ. *Laonen.* 362, N.
Mearadh, ſeu Meara (P. Joannes O) Virtute clarus 207. 581.
Mela [S] *Hibernus.* 730.
Melaghlin [Murchardus O] Rex *Midiæ.* 741.
Melitenſium Equitum Domus. 738.
Melton, Milton, Montgomery, Nomina Locorum in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252, N.
Medina Cæli [Dux de] in *Hiſpania.* 119.
Menapiæ Civitas in *Hibernia.* 207.
Mendicantes FF. Coadjutores Epiſcoporum. 175.
Mendozza [Alvarus de] Cardinalis. 428, N.
Mercerus [Gulielmus] Doct. *Lovan.* 110. 111.
Mercurius [Joannes] Card. *S. Clementis*, poſteà Joannes Papa II. 391, N.
Metallorum Venæ in *Hibernia.* 11.
Methildis [Sor. Maria] Monialis *Bethlehem.* 453.
Michaele [de S] Richardus, Dominus *Rhebanæ.* 740.
Michani [S] Eccleſia *Dublinij.* 327.
Middleton, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252, N.
Middleton [Vicecomes de] Georgius Broderick. 335.
Midiæ Regnum in *Hibernia.* 13. 86, N.
Midenſis Comitatus bipartitus. 13. 76. 217. 262.
Midenſis Diæceſis. 16. 297. Ejus Parochiæ. 20.
Midenſis Epiſcopus reliquos Provinciæ *Armacanæ* præcedit. 18, N. 86, N. Epiſc. Ord. Præd. 264.
Mileſiani in *Hibernia.* 10.
Militia Jeſu Chriſti. 343.
Milliarium Hiberniæ Numerus. 12 ad 15.
Minervitani FF. veniunt ad *S. Sixtum.* 373, N.
Minor [Simon] Civis *Limericen.* 732.
Minorum FF. Cænobia. 744.
Miranda [F. Thomas de] Archiep. *Meſſanen.* & Patriarcha *Hieroſolym.* 388, N.
Miſſam audiendi Præcepto ſatisfit in Eccleſijs Regularium. 173.
Miſſet [*M*ajor Officialis] 256.
Mobbius [S] Clairnech, alias Berchan. 727.
Mochallochus [S] *Hibernus.* 732.
Mochna [S] Abbas, *Hibernus.* 727.
Mochna [S] *Mac-Neill.* 730.
Modanus [S] Abbas, *Hibernus.* 730.
Modomnocus alias Domnocus, ſeù Dominicus [S] Epis. *Oſſorien.* 40, N.
Moebocus, aliàs Becanus [S] *Hibernus.* 732.
Moeldodus [S] *Hibernus.* 732.
Moghanorum Familia. 222.
Molagga [S] *Hibernus.* 732.
Molaiſſus [S] Abbas, *Hibernus.* 735.
Molanfidus (S) *Hibernus.* 732.
*M*olesworth (Richardus) Vicecomes &c. 719.
*M*olinus (S) Abbas, *Hibernus.* 728.
*M*olingaren. Oppidi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 217. 218.
*M*ollony (Thomas O) Epiſ. *Laonen.* 489. 692.
*M*olloy (P. Antonius) Proc. Gen. *Bilbilitan.* Virtute clarus. 577.
*M*olloy (Hugo O) Fund. Cæn. 752.
*M*olloy (Nelanus O) Fund. Cæn. 752.
*M*olloy (Patritius) Presb. *Oſſorien.* 512.
*M*olruanus (S) Abbas, *Hibernus.* 727.
*M*olua (S) *Hibernus.* 728.
*M*olyneux, Vicecomes de *Maryborough.* 31.
*M*ombolus (S) *Hibernus.* 432, N.
*M*omoniæ Provincia in *Hibernia.* 13.
*M*omonia Auſtralis, aliàs *Deſmondia.* 732, Septentrionalis, aliàs *Thomondia.* 742.
*M*ona, ſeù *Monavia*, Inſula. 241.
*M*onachi quadraginta cum novem Dominicanis in Odium Fidei ſubmerſi. 105. 559.
*M*onaghan, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
*M*onaghanus Comitatus in *Ultonia.* 13.
*M*onarchæ Hiberni. 29.
*M*onenna (S) *Hiberna.* 736.
*M*onialium Inſtitutio &c. 347. 348. 374. 378. 716.
*M*onkus (Georgius) Dux *Albæ Marlæ.* 709.
*M*onnuus (S) *Hibernus.* 728.
*M*ono (S) *Hibernus.* 432, N.
*M*onroy (F. Antonius de) *M*ag. Ord. 133, & 369.
*M*onſpelium, alias *Mons Puellarum.* 6.
Montgomery (Hugo) Vicecomes de *Ardes.* 243. Comes *Montis Alexandri.* Ibid.
Monte *Mariſco* (Hervæus de) Vid. *M*orres.
Montis Regalis Epiſcopus olim S. *P*ius V. 173.
Montium Card. Epiſ. *Cremonen.* 543.
Moore Anglis idem Cognomen ac *O-More* Hibernis. 483.

Moral (P. Mag. Mauritius) primus Prior Provincialis Hib. Dom. 73. 517. 518.
Moran (P. Gulielmus) Vic. in Cap. Urlar. 437.
Moran (F. Jacobus] Converſus, Martyr. 570.
Moretoniæ Comes, poſtea Rex Joannes. 740.
Morgair (Malachias O) 731.
Moriarty (P. Hugo)) Præſentatus. 118.
Moriarty (P. Mag. Moriartus) Scriptor. 541.
Moriarty (P. Mag. Thaddæus) Judex in *Momonia*. 115. Martyr. 419. 573.
Moriarty (P. Thomas) Virtute clarus. 573.
Morilly (P. Brianus) Terræmotu *Ulyſſiponenſi* obrutus. 425. 429.
Morilly (P. Gualterus) Sodalis *Pontanen*. 204.
Morilly (P. Hugo) Supprior *Urlarien*. 314.
Morilly (P. Præd. Gen. Jacobus) Prior *Arcloen*. 269.
Mornia, aliàs Mora, Nomen apud *Hib*. 227, N.
Morree (P. Joannes) Præſentatus. 157.
Morres (Hervæus) Baro de Mount-Morres. 742.
Morris (P. Dominicus) Præſentatus. 157.
Morrogh, aliàs Morraghuadh (P. Joannes) Virtute clarus. 584.
Morrogh (P. Mag. Dominicus) Sodalis *Corcagien*. & Vic. Prov. *Momoniæ*. 216.
Morrogh (Sor. Thereſia) Monialis *Bethlehem*. 453.
Morrough (Mac) i. e. Filius Murchardi Regis *Lageniæ*, Cognomen datum Hæredi *O-Cavanaghorum*. 191, N.
Morrough (Dermitius Mac) O-Cavanagh, Rex *Lageniæ*. 726.
Morrough, latinè Murcertachus, alijs Maurus. 211.
Morus (Gochegerius O) Fund. Cæn. 742.
Morus (F. Dionyſius) Epiſ. *Clonferten*. 483. Octo Diplomata. 483, &c.
Morus (Eduardus) Comes *Pontanæ*. 199. 636, N. 725.
Morus, ſeù Morradh (P. Raymundus) Virtute clarus. 575.
Mori (O) Reguli *Leiſæ*. 738.
Mortimerus (Edmundus) Comes *Merchiæ*, & *Ultoniæ* &c, à quo Eduardus IV Rex *Angliæ*. 215.
Moſſacrus (S) *Hibernus*. 727.
Mountcaſhell (Vicecomes de) Mac Carty. 32, N.
Mountgarrett (Vicecomitum de) Origo. 267, N.
Mulcot (Gualterus) Fund. Cæn. 750.
Mullady (P. Præd. Gen. Thomas) Prior *Roſcoman*. 261.
Mullagh, Demominatio Familiæ *O-Kelliorum*. 235.
Mullarchlyn (Willelmus) Can. *Enachdun*. 323.
Mulrian [P. Petrus O] egregius Vir. 236.
Mulrian [Thaddæus O] Major Generalis, Benefactor FF. *S. Sixti*. 386. 387. Quindecim callebat Idiomata. 387.
Multifernani Annales. 254. 536.
Multon [Joannes] Baro de *Egremont*. 276, N.
Municipium quid ſit? 31, N.
Murien [F. Dominicus] Converſus *Loman*. 448.
Murphy [P. Hubertus] Prior *Galvien*. 326.
Murphy [P. Joannes] Sodalis *Romæ*. 415.
Murrée, aliàs Murry, aut Murray [P. Joannes] Vic. Gen. *Scotiæ*. 73.
Murty [Donatus O] Can. Reg. Archiep. *Tuam*. 440.
Murray [P. Præſ. Jacobus] Sodalis *Dublinien*. 197. *Derien*. 283.
Murus [S] *Hibernus*. 731.
Muſcovia nondum adoptavit Kalend. Gregor. 138.
Muſkry [Vicecomes de] Donatus Mac-Carty. 652. 654. 660.

N

Naghten (F. Donaldus O) Martyr. 566.
Namara (*Maconus* Mac) Fund. Cæn. 745.
Nagle, Surculus Familiæ *de Angulo*, vulgò *Nangle*. 313, N.
Nagle (Eques Richardus) Prolocutor Domus Communium &c. Ibid.
Nangle, Baro de *Navan*. 264, N.
Nangle (P. Georgius) Prior *Romæ*. 134, N. 372.
Naſæ Deſcriptio, & Cœnobij Fundatio. 293.
Naſæ Baro, Vid. Preſton.
Naſæ Baro Fundator Abbatiæ. 727.
Naſh, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Naſſovia, vulgò *Naſſau*, in *Germania*. 139, N.
Natalis (S) Abbas, *Hibernus*. 728.
Natalis (F. Hervæus) Mag. Ord. 62.
Nationum Hiberniæ quadrifida Diverſitas Rixarum Cauſa. 134. 597.
Natta (F. Henrichettus-Virginius) Cardinalis, & Episc. *Albæ Pompeiæ*. 754.
Natta (F. Thomas-Ignatius-Maria) Archiep. *Calaritanus*. Ibid
Neagh, Lacus pergrandis *Ultoniæ*. 244.
Neapoleo à S. Dominico Vitæ reſtitutus. 374. 376.
Neapolis olim dicta *Parthenope*. 95, N.
Needham, Newton, Neyland, Nomina Locorum in *Ang*. & Familiarum in *Hib*. 252.
Neillus *Magnus* Rex *Hiberniæ*. 10.
Neillus (Audoenus, alijs Eugenius, O) Generalis Exercitus. 332, N. 655. 676. 683.
Neill (Conoſſius O) Fund. Cæn. 747.
Neill (Sor. Eleonora O) Monialis *Pontanen*. 361.
Neillus (Eques Felimus O) Generalis Exercitus. 649. Carnificinam ſubijt. 704.
Neill (Gordianus O) Chiliarcha. 332, N.
Neill (Joannes O) *Tironiæ* Comes. 32, N. 748.
Neill (duplex P. Joannes) Sodalis *Romæ*, 415.
Neill (Turlochus Leinigh O) Fund. Cæn. 743.
Nelly (P. Nicolaus Mac) Sodalis *Athenrien*. 234.
Neorus, Flumen *Lageniæ*. 208.
Neſſanus (S) *Hibernus*. 727.
Nettirvillæorum Genealogia, 199, N. Vicecomites *Nettirville*. Ibid.

Nettirville (Eques Formalis) Ibid.
Nettirville (P. Mag. Joannes-Franciſcus) Sodalis *Dublinien*. 198, N. Prior & Regens Prim. *Romæ*. 415.
Nettirville (Lucas) Archiep. *Armacan*. 200.
Nettirville (P. Mag. Thomas) Sodalis *Pontanen*. 204.
Nevel, Baro de *Abergavenny*. 221, N.
Newtona, Vid. *Villanova*.
Nicænum Concilium. 138, N.
Nicholas (P. Thomas Mac) Sodalis *Straden*. 254.
Nicolai (S) Porta, & duplex Parochia *Dublinij*. 186, N.
Nicolai IV. & V Diplomata duo. 71. 474.
Niger (F. Dominicus, ſeù Donatus) Martyr. 570.
Nigri Fratres nuncpantur FF. Prædicatores, 206. 208. Vicus *Londini*. 45, N.
Ninnidius (S) Abbas, *Hibernus*. 731.
Noailles (Ludovicus-Antonius de) Archiep. *Pariſien*. Cardinalis *S. Sixti*. 388.
Nobiles qui dicantur? 226, N.
Nobilis, Moneta anglicana. 192, N.
Nolan (Sor. Catharina) Monialis *Galvien*. 352.
Nolanus (F. Daniel) Sodalis *Lovan*. 446.
Nolanus (P. Mag. Joannes) Regens *Minervitanus*, & Defin. Cap. Gen. 114. 118. 207. 330. 690.
Nolan (P. Thomas) Sodalis *Gaulen*. 175. 333.
Nominis Jeſu (SS) Sodalitas. 177. 178.
Nony. (F. Henricus) Capellanus Pontificis, Epiſ. *Ardach*. 60. Diploma. 466.
Noragh (Baro de). Robertus Filius Richardi. 737. Benef. Ord. 35.
Norbertus (S) Fundator *Præmonſtraten*. 35. 737. Collegium in Urbe. 506.
Norman (Elias Fitz) Benef. Cæn. 732.
Normannia undè dicta? 2.
Norris, Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252.
Norriſius (F. Henricus) Ord. *S. Aug*. Cardinalis doctiſſimus. 67, N.
Norriſius (Philippus) Decanus *Dublinien*. Regularium Hoſtis. 67. Inſanæ ejus. Propoſitiones. 68. Damnatæ ab *Eugenio* IV. Ibid. & ſeq. Contumax damnatur à *Nicolao* V. 71.
Nortebe (P. Thomas) Vic. Gen. *Angliæ*. 55.
Norton, Nottingham, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252, N.
Nottingham (Robertus) Prætor *Dublin*. 189.
Nova Scotia. 9. Vid. *Baronetti*.
Novitiatus Generalis ad *S. Sixtum*. 383.
Novitatus congruenter peragendus in *Hibernia*. 181.
Nugentiorum Genealogia. 218, N.
Nugent, Baro de Riverſton. 32. N.
Nugent (Eques Chriſtiphorus) 628.
Nugent (P. Mag. Dominicus) Rector *Lovanij*. 219. Judex in *Lagenia*. 115.
Nugent (P. Franciſcus) Capucinus. 749.
Nugent (P. Galfridus) Novitius *Lovan*. 448.
Nugent (Sor. Maria) Monialis *Dublin*. 360.
Nugent (Richardus) Baro *Delvinæ*, poſteà Comes *Midiæ Occidentalis*. 624. 627.
Nugent [Robertus] Superior Societ. Jeſu. 658.
Nuntius Apoſtolicus *Bruxellenſis* præeſt Miſſionibus *Hiberniæ*. 179.
Nuntius Apoſtolicus (Joan. Bap. Rinuccinus, Archiep. Firman.) ad *Hibernos* miſſus. 650. Duo ejus Diplomata. 349. 351. Variæ ejus Epiſtolæ, & Decreta, pluraque de ipſo à Pag. 650 ad 690.

O.

O, Vocula hibernica. Vid. *Fitz*.
Oats (Sor. Marianna) Converſa *Bethlehem*. 453.
Oates (Titus) Teſtis iniquus. 710.
Obitus Magiſtri Ordinis. 92.
Obitus plurium *Burgorum*. 223.
Obodinus (S) *Hibernus*. 432, N.
Obruchayn (Sergallus) Can. *Tuam*. 82.
Oda (S) *Hiberna*. 433, N.
Ogle, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Ogygia, unum ex priſcis *Hiberniæ* Nominibus. 3. Titulus Libri. Ibid.
Oliverius (Fabius) Cardinalis. 445, N.
Oluinus (PP. Donatus, & Guilielmus) Martyres. 559.
Ophalia, nunc Comitatus *Regis*. 336.
Orange, Vid. *Arauſio*.
Ordo Prædicatorum eſt Canonicus. 35. Ordo Frat. & Sor. de Pænitentia S. Dominici. 34.
Ormondiæ Comitum, Marchionum, & Ducum Genealogia. 266, N. Marchio, Hiberniæ Prorex. 662. 685. 687.
Orſi [P. Joſeph-Auguſtinus] Card. *S. Sixti*, Scriptor celeberrimus. 35, N. 390.
Offoriæ Regionis Diviſio. 297, N. Offoriæ Comes *Butlerus*, Offoriæ verò Superioris Comes *Fitz-Patritius*. Ibid.
Offorienſium Comitum Origo. 267, N. Offorienſis Comes *Thomas Butlerus*. 268, N.
Offorienſis Diæceſis olim *Saigerenſis*, dein *Eyrupolenſis*. 18. 297. Epiſcopi Ord. Præd. 206. Recenſentur Epiſcopi Sex. 505.
Oſtmanni qui ſint? 25, N. Eos inter & Hibernos Bella diuturna. 25. Oſtmannorum Burgus juxtà *Dublinium*. 192.
Olygnyn (Patritius) Can. *Tuam*. 82.
Othgerus (S) *Hibernus*. 432, N.
Othonyr (Joannes) Can. *Tuam*. 82.
Ottobonus (Petrus) Cardinalis. 407, N.
Oual-vi-Mhaly, Territorium *Conaciæ*. 321.
Overllaith, alias O-Herily [Thomas] Epiſ. *Roſſen*. Concilio *Tridentino* ſubſcripſit. 104, N.
Oveton [P. Richardus] Martyr. 566.

Ougani, & Boiſoles, Fundatores Cænobij *Athyen.* 255. Ougana Gens Originem duxit *Româ* & *Florentiâ.* 256.

Outlaw [Robertus] Proto-Prior *Hiberniæ* &c. 738.

Owen anglicè idem ac Ouen gallice, ac Audoenus latiné. 189, N.

Oxonienſis Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646. Oxoniæ habita Comitia Generalia Ord. Præd. 45. Oxonienſi in Conventu duos Studentes habere poterant Hiberni. 50.

P.

Pænitentia [de] tertius Ordo *S Dominici.* 343.

Paep [Cornelius de] Doctor *Lovan.* 112.

Palatinus Comes quis? 239, N.

Palatio [Octavianus de] Archiep. *Armac.* 86. Verſus ejus de *Armaca.* 339, N.

Palladius [S] Cardinalis, in *Hiberniam* A. D. 431 miſſus. 12.

Pallavicinus [Opitius] Card. Epiſ. *Auxim.* 546.

Pallia quatuor totidem *Hiberniæ* Archiepiſcopis A. D. 1152 data. 16.

Palmer [Alruedus de] Fund. Cæn. 739.

Palmer [Rogerius] Comes de Caſtlemain, Legatus *Jacobi* II ad *Innocentium* XI. 136.

Palmeranus [P. Thomas] Scriptor. 60. 534.

Paludanus [Joannes] Doctor *Lovan.* 111.

Paludanus [Michael] Doctor *Lovan.* Ibid.

Paludanus [F. Petrus] Patriarcha *Jeroſolym.* Scriptor. 62.

Paludes in *Hibernia* exſiccantur. 11, N.

Palus Anglicanus quid ſit? 13, N. 76.

Pane deficiente ad *S. Sixtum*, fit Miraculum à S. *Dominico.* 374. 377.

Panti [P. Arthurus] Virtute clarus. 575.

Paparo [Joannes] Cardinalis Synodum convocavit Nationalem in *Hibernia.* 16. 86, N.

Papiſtarum, ſeù Papalium Nomine intelligunt ur Romano-Catholici. 154, N. Eorum Numerus in *Hibernia.* 28.

Parker [Joannes] Armiger. 271.

Pariſienſis Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.

Pariſk [P. Joannes] Vicarius *Angliæ.* 52.

Parlamentum *Angliæ*, & *Hiberniæ* quid ſit? 31. Plura de eo. 45, N. 639.

Parochias habere poſſunt FF. Præd. 35. Tres habent 11 Urbe. Ibid. Parochiæ nimis extenſæ in *Hibernia* per Epiſcopos dividendæ. 180.

Parochi non cenſentur etiam apud *Proteſtantes* exercere Juridiſdictionem Eccleſiaſticam. 155, N.

Parſons [Gulielmus] Prorex *Hiberniæ.* 649.

Parthenope, priſcum *Neapolis* Nomen. 65, N.

Partholanus ex *Scythia* in *Hiberniam* profectus. 9.

Paſchalis Communionis Præceptum quo Tempore in *Hibernia* adimplendum? 171, N.

Paſchalis Papa II, anteà Cardinalis *S. Clementis.* 391. In hac Baſilica electus. 393.

Paſſionæus [Dominicus] Cardinalis. 25. 178.

Paſtoris [S] Eccleſia adjuncta Monaſt. *S. Clem.* 407.

Patritius [S] Hibernorum Apoſtolus, in *Hiberniam*, A D. 432 miſſus. 12. Antiſtes primùm *Armacanus*, dein *Dunen.* 16. Canonicus Regularis. 181, N. Trecentos quinquaginta in *Hibernia* Epiſcopos conſeravit. 16. Plurium Abbatiarum Fundator. 727, & ſeqq. Nova ejus Eccleſia Cathedralis *Dublinij.* 186, N. Eccleſia magnifica *Armacæ.* 339. Purgatorium ejus ſic dictum. 4. Vid. *Bened.* XIII.

Patrick [P. Dominicus Fitz] Prior *Galvien.* 326, N. Vid. *Fitz-Patrick.*

Pavienſis Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.

Pauletus [Albertus] Cancellar. Nuntij Apoſt. 350.

Paulus Papa III *Hiberniam Dominicanam* ſeparavit à Provincia *Angliæ.* 91.

Paulus IV olim Cardinalis *S. Clementis.* 391.

Pauli V Elogium de *Hibernis.* 27. Duo ad eos Brevia. 613. 615. Quoddam ipſis prohibet Juramentum. Ibid. Quatuor Diplomata. 105. 171, N. 416. 629.

Pax promulgata *Dublinij*, *Kilkenniæ*, &c. 656.

Payn [F. Thomas, ſed potius Joannes] *Hibernus* licèt *Angliæ* Provincialis. 477. Epiſ. *Miden.* & Magiſter Rotulorum. 86. 195. 477.

Pearſe [Richardus] Epiſ. *Waterford.* 362.

Peaton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.

Pech [Warinus de] Fund. Cæn. 726.

Pelles [Martinus] Armiger. 257.

Penderel, quinque Fratres Catholici Regem *Carolum* II fideliter abſcondunt. 702.

Penna, aliás Bermingham [P. Richardus de la] Præſentatus. 114.

Pentarchia erat olim *Hiberniæ.* 13.

Pepinus [F. Paulus] Doctor *Lovan.* 111.

Pereira [P. Mag. Emmanuel] Provincialis *Terræ Sanctæ*, & Socius Mag. Ord. 424.

Perrotus [Joannes] *Hiberniæ* Prorex. 14.

Perſecutio Generalis in Clerum Catholicum. 154. 175. 704. 717.

Petri Jacopini [F. Laurentius] Epiſ. *Achad.* 470.

Petri Martyris [S] Provincia undè dicta? 96, N. Ejus Corpus *Mediolani.* Ibid

Petro Martyre [F. Mauritus de S] Præſentatus. 110. Magiſter, & Regens Prim. *Ulyſſipon.* 118.

Pettit, Baro *Molingaræ.* 218. 264, N.

Pettit [Radulphus] Epiſ. *Miden.* 218. 730.

Pettit [F. Stephanus] duplex, Martyr. 562. 570.

Phelan [Jacobus] Epiſ. *Oſſorien.* 142. 505, N.

Philalethis Liber damnatus. 165. Illius Analyſis. 166. ad 174.

Philbin [P. Dominicus] Miſſion. Apoſt. 437.

Philippinus [P. Dominicus Mac] Prior *Burreſuien.* Virtute clarus. 584.

Philbin (P. Dominicus Mac] Sodalis *Rathbran*. 281.
Philbinus (P. Thomas Mac) Virtute clarus. 571.
Philbin (P. Thomas) Prior *Bureſilen*. 437.
Philippus III, Rex *Hiſpaniarum*. 493. N. 747. Ad ipſum datus Libellus Supplex Antiſtitum *Hiberniæ*. 636.
Philippus IV favet *Hibernis* per Literas. 434. Penſionem aſſignat Conventui *Lovan*. 436.
Philippi Burgus in *Lagenia*. 13.
Philippus Princeps *Arauſicanus*. 139, N.
Philippus (F) Provincialis *Terræ Sanctæ*. 533. 534.
Phillips (P. Thomas) Sodalis *Urlarien*. 314.
Pickering, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Pictinia *Scotiæ* Provincia. 6.
Piercy (P. Petrus Martyr) Sodalis *Ulyſſipon*. 419.
Pilkington (Sor. Maria) Monialis *Waterford*. 362.
Pillane, i. e. Viculus Pali, *Dublinij*. 187.
Pilsworth (Gulielmus) Epiſ. *Kildar*. Acath. 196.
Pincernarum, ſeù Butleorum Genealogia. 266, N.
Pipard (Rogerus) Fund. Cæn. 740.
Pipia (F. Auguſtinus) Magiſter Ordinis, poſtea Cardinalis *S. Sixti*. 81. 161. 163. 164. 388.
Piſcium ingens Copia in *Hibernia*. 10.
Pius V (S) Pont. Max. Ord. Præd. 70, N. 165. 379. Tria Diplomata. 102. 173. 475.
Plantagenet (Georgius) Dux *Clarentiæ*, & Prorex *Hiberniæ*, Frater Regis *Eduardi* IV. 199. 597.
Plantagenet (Henricus) Comes *Lancaſtriæ*. 276, N.
Plechelmus (S) *Hibernus* 432, N.
Plunkett Baro de *Louth*. 32, N. Baro de *Dunſany*. Ibid. Comes de *Fingall*. Ibid.
Plunketti Comites & Barones. 744. Fundatores Cœnobiorum. 747.
Plunkett (Sor. Catharina) primaPrioriſſa *Pontan*. 361.
Plunkettus (Jacobus) Baro *Killinæ*, dein Comes *Fingalliæ*. 624.
Plunkett (Sor. Joſepha) Prioriſſa *Bethlehem*. 452.
Plunkett (Lucas) Rector de *Kellecu* &c. 692.
Plunkett (Sor. Maria) Monialis *Pontan*. 361.
Plunkett (Nicolaus) Secretar. Conc. *Kilken*. 652. 660. Legatus Catholic. *Hib*. ad Summum Pontif. 686. Ab eo Eques creatus. 687. Epiſtola ipſius ad Nuntium. 688. Commiſſarius Catholic. *Hib*. 698. 699.
Plunkett (Oliverius) Archiep. *Armacan*. 497. 499. Vita ejus & glorioſa Mors. 130. 710. Caput apud Moniales *Pontanen*. aſſervatum. 131. 361.
Plunkett (F. Patritius) Ord. *S. Bern*. Abbas B. M. *Dublinii*. 657. Epiſ. *Ardachaden*. 491.
Plunkett (P. Mag. Patritius) Doctor *Sorbon*. & Theologus *Caſanaten*. 548. Definitor trium Comitiorum Generalium. 156. 161. 164.
Plunkett [P. Mag. Thomas) Regens Primarius & Prior *Lovan*. dein Provincialis *Hib*. 262. 448. 531.
Poer [Euſtachius le] Benef. Cæn. *Dub*. 188.
Poetius [P. Thomas] Virtute clarus. 563.
Poliaco [Joannes de] Religioſorum Oſor acerrimus. 62. Propoſitiones ejus damnatæ. 65, N. 170.
Polignac [Melchior de] Card. Archiep. *Auxit*. 388.
Pollidorus [Petrus] politiſſimus Scriptor. 158. 159.
Poloniæ Regis Exequiæ ad *S. Clementem*. 414.
Poloniæ Provincia Ord. Præd. 95.
Polus [Reginaldus] regio Sanguine clarus, Cardinalis Legatus à Latere in *Anglia*. 597. Bulla circà Poſſeſſiones ſolutarum Abbatiarum à Laicis retinendas. 682.
Pomeroy Nomen Loci & Familiæ in *Hib*. 252.
Ponſonby [Brabazonus] Comes de *Beſborough*. 719.
Pontanæ Oppidi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio &c. 60. 73, N. 198 ad 204.
Pontanæ Synodus Provincialis. 86. Ibi olim Academia. 198. Monaſterij Fundatio &c. 360.
Ponti [D. de] Strategus *Gallus*. 142.
Porcellus [Hugo] Eques Auratus Fund. Cæn. 745.
Porter [Eques Carolus] Cancellarius, & Juſtitiarius *Hib*. 148. 749.
Porter [Radulphus le] Benefactor FF. Præd. & Min. 195. 744.
Portiuncula [de] Indulgentia. 201.
Portland [Comes] *Angliæ* Theſaurar. 200, N.
Portugalliæ Provincia Ord. Præd. 95.
Portumnæ, ſivè Portumpriæ Vici Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 303.
Portocarrero [Joachim-Ferdinandus] Cardinalis. 23.
Portuen. Epiſ. Suffraganeus Papæ. 162, N.
Portugalliæ Provincia Ord Præd. 95.
Portugallo [P. Joannes de] Fund. Cæn. *Ulyſſip*. 105.
Portus-San-Mariana Domus. 120. 450.
Portus S. Patritij in *Scotia*. 13, N.
Power idem Cognomen ac *le Poer*. 188, N.
Power [Petrus) Epiſ. *Fernen*. 602, N.
Prædicatorum Fratrum Ordo cur ſic dictus ? 35. A S. Dominico inſtitutus, ab Innocentio III approbatus, & ab Honorio III A. 1216. confirmatus, Ibid. In *Hibernia* A. 1224 plantatus. 44.
Prædicatores Fratres in Anglia nuncupati *Nigri Fratres* 45, N. In Gallia *Jacobini*. 44, N. Sunt veri Canonici Regulares. 35.
Præmonſtratenſes ſunt verè Canonici Regulares. 35. Eorum Cænobia in *Hibernia*. 737.
Præmunire, Lex quædam quid ? 620. 642. 714.
Præſentationes pro Epiſcopatibus, aliſque Eccleſiaſticis Beneficijs *Hiberniæ*. 19. 682.
Prendergaſt [Geraldus de] Dom. de *Inniscorthy*. 728. Gulielmus & Mauritius. 226. Eques Thomas. 505.
Preſbyteriani qui ſint ? 29. 638.
Preſton, Nomen Loci in *Ang*. & Fam. in *Hib*. 252.
Preſton [Eques Jacobus] *Hibernorum* Procurator. 609 ad 671.

Preſton (Jenicus) Vicecomes *Gormanſtonæ*, & Baro *Naſæ*. 293.
Preſtonus (Thomas) Generalis *Lagenienſium*. 650.
Price (Arthurus) Epiſ. *Miden.* Acatholicus. 719.
Prieſt-Catcher, latinè Sacerdotis Captor, ſummâ laborat Infamiâ. 160.
Primas *Hiberniæ* quis? 17. Primas reapſe talis in *Polonia* non verò in *Hibernia*. 17, N.
Primus Ordo S. Dominici eſt Fratrum. 34.
Priorem inter & Rectorum Differentia. 423, N. 436.
Priores in *Hibernia* ſuis gaudent Privilegijs etſi non adſit Numerus Fratrum alibi requiſitus. 154.
Proby (Thomas) Clericus. 387.
Proceres Spirituales *Can. Reg.* 726, N. Ord. *S. Ben.* 740, N. *Ciſtercien.* 741, N.
Proceres omnes A. 1756 in *Hibernia*. 31.
Procurator *Hib. Dom.* mitti poteſt *Romam* á Priore Provinciali. 113.
Promoti ad Gradus ultrà Numerum taxatum, non gaudeant Privilegijs donec poſtulati fuerint à Capitulo Provinciali. 116.
Propaganda Fide (S. Congregatio de) Penſionem dat annuam Conv. *Lovan.* 436. Decreta pro Clero Regulari *Hiberniæ*. 179. Item pro Clero Sæculari. 180. Libellus Supplex pro priorum Revocatione. 181. Aliud Decretum. 753.
Proprius Sacerdos quis? 169. Proprijſſimus Sacerdos eſt Romanus Pontifex. 170.
Proteſtantium Numerus in *Hibernia*. 28.
Proteſtantes bifariam diviſi. 638, N.
Proto-Prior *Hiberniæ*. 738.
Proteſtatio Auctoris circá Conſtitutionis *Urbanæ* Obſervantiam. 588.
Provinciarum & Conventuum *Hiberniæ* Syllabus. 15. Provinciæ vocari ſolent quatuor *Hiberniæ* Nationes. 40, N.
Provinciarum Ord. Præd. Catalogus. 94.
Provincia Provinciæ Ord. Præd. 47.
Provinciarum aliarum Superiores hortati ut Juvenes *Hibernos* ad Habitum, &c. admittant. 113. 117. 119. 127.
Provinciarum aliarum unus vel duo Conventus reſigandi Fratribus *Hibernis*. 121.
Provinciales ab A. 1484 habuit *Hibernia Dominicana*. 517.
Provincialis *Hib. Dom.* ſtatim electus regit Provinciam ſub Titulo *Provincialis*. 115.
Prullianum Monaſterium Ord. Præd. primum. 348.
Pucelle d'Orleans. Vid. *Darcia*.
Pulcherius (S) *Hibernus*. 729. 733.
Pulpitum *S. Dominici* apud *S. Sixtum*. 377.
Purcell, Baro de *Loughmoe*. 264, N.
Purcell (Eleonora) Dotatrix Cænobij. 733.
Purcell (Sor. Joanna) Monialis *Dublin*. 360.
Purcell (Nicolaus) Colonellus. 148.
Puritani Sectarij qui ſint? 137. N. 638, N. Quid egerint contra *Carolum* I. 369.

Q

Quadrifida Regionum *Hiberniæ* Diverſitas. Vid. *Alternativa*.
Quarta funeralis, 86. 89.
Quaternæ Seſſiones quæ ſint? 32.
Quigly. Vid. *Coigly*.
Quilin Vid. *Cuillin*.
Quin, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252.
Quin (Gormgallus) Fund Cæn. 730.
Quinus, ſeu Coynus (F. Joannes) Epiſ. *Limericen.* 484. Spontè abdicavit. 485. 511, N.
Quin (Thomas) Theologus *Dublin*. 677.
Quinquennium à *Tridentino* præſcriptum. 182, N.

R

Rageid (P. Dominicus O) Virtute clarus. 207. 581.
Rainerius, Monachus *Caſſinen.* Card. *S. Clementis*, in ejus Baſilica electus Papa *Paſchalis* II. 393.
Raleigh (Gualterus) Eques Auratus. 273.
Ralphſon, aliàs Fitz-Ralph, aliàs Radulphus, (Richardus) Archiep. *Armacan.* Religioſorum Oſor. 62, & ſeqq.
Rampen (Henricus) Doctor *Lovan.* 110. 111.
Ramſay, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Ranconius (Hercules) Advocatus. 748.
Rapoten. Diæceſis in *Hibernia*. 18.
Raritates in Agro *Kerrien.* 11, N.
Ratcliffe (Georgius) Gubern. Ducis *Eborac.* 696.
Ratcliffe (Thomas) *Suſſexiæ* Comes, *Hib.* Prorex. 13.
Rathbrannen. Pagi Deſcriptio. 279. Cænobij Fundatio, &c. 280.
Rathlurien. Diæceſis *Derienſi* adjecta. 16, N.
Rathmineas (apud) Prælium. 691.
Raymundus (F) Archiep. *Armacan.* 59. 462.
Raymundus Comes *Provinciæ* 45, N.
Raymundi (F. Elias) Mag. Ord. 51.
Raynoldus. Vid. *Reginaldus*.
Read (F. Robertus) Epiſ. *Liſmor.* & *Waterford*, dein *Carloen.* & *Ciceſtrien.* 60. 466. Diploma Bonif. IX. 467.
Reading, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Recipiendus quo Pacto in *Hib. Dom.* 112, N.
Reclamare contra Profeſſionem quomodo valent Regulares? 182, N.
Rectorem inter & Priorem Diſcrimen. 423, N. 436.
Recuſantes qui ſint? 618, N. 633. 644.
Redford, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Redmundus idem ac Remigius. 225, N.
Redoutey (Jacob. Ant.) Not. Publ. Apoſt. 371.
Reformatio intenta in Ord. Præd. 78.

Reformatio in *Hib. Dom.* 73. 76. 80.
Reformatio in Ord. Præd. quid? 79.
Regales Angli nunc dicti Coronæ. 618, N.
Regan (P. Joannes) egregius Vir. 216.
Reges Provinciarum *Hiberniæ* qui? 29.
Regeſtum Mag. Ord. *Turriani*. 74.
Reginaldus (F) Archiep. *Armacan.* 37. 41. 59. 458. 533.
Reginæ Comitatus in *Lagenia*. 13. 575.
Regis Hiberniæ Titulum confirmavit *Paulus* IV. 30, N.
Regis Comitatus in *Lagenia*. 13.
Regiſtrati Sacerdotes. 155. 157. Liber eos exhibens A. 1704 editus. 156.
Regnacia (S) Abbatiſſa, *Hiberna*. 736.
Regni Provincia Ord Præd. 95, N.
Regulares plures Summi Pontifices, Cardinales, & Antiſtites. 175. Epiſcopi tenentur Habitum geſtare ſui Ordinis. 479. Regularium Operâ in varias Orbis Plagas, nominatim in *Magnam Britaniam & Hiberniam*, Doctrina Chriſti tranſlata. 175. In eorum Eccleſijs ſatisfit Præcepto audiendi Miſſam. 173. Idonei generaliter reperti generaliter approbandi ad excipiendas Confeſſiones. 170. Privilegijs ſuis cedere nequeunt. 175. Ipſis fas eſt reverti ad Loca, ubi olim habuere Conventus, ab Heterodoxis diſperſos, abſque nova Ordinariorum Admiſſione, 111. Circà A. 1624 Sacella & Domos ſibi fecere *Dublinij*. 195. Item per totam *Hiberniam* regnante *Georgio* I. 716. A quarta Funerali ſolvenda immunes. 90.
Reguli Ditionum *Hiberniæ*. 29.
Reighus Lacus *Conaciæ*. 210.
Reij (Joannes-Baptiſta) Teſtis. 510.
Reillyorum (O) Stemma. 286, N.
Reilly (Sor. Catharina O) Monialis *Dublin.* 360.
Reilly (Edmundus O) Archiep. *Armacan.* 130. 499. 710.
Reilly (P. Mag. Edmundus O) Sodalis *Dublin.* Græcè, & hebraicè peritus. 197.
Reilly (Sor. Franciſca O) Monialis *Pontan.* 361.
Reilly (Gealſius Rufus O) Fund. Cæn. 286. 747.
Reilly (Hugo O) Archiep. *Armacan.* 109. 130. 489. 692. 699.
Reilly (P. Jacobus O) duplex, Martyr. 566. 574.
Reilly (P. Joannes O) Sodalis *Naſen.* 294.
Reilly (Sor. Margarita, & Maria) Mon. *Dub.* 360.
Reilly (Sor. Maria O) Monialis *Pontan.* 361.
Reilly (Phiippus O) Epiſ. *Rapoten.* 361, N.
Reilly (P. Philippus O) Sodalis *Trimmen.* 265.
Reilly (F. Phil. Raym.) Sodalis *Lovan.* 448.
Reilly (P. Mag. Terentius O) Sodalis *Dublin.* 197.
Reinerius. Vid. *Reginaldus.*
Religioſi & Lupi eadem Mercede conquiſiti. 28. 706.
Reliquiæ in Baſilica *S. Clementis* de Urbe. 406.
Renatus Comes *Naſſoviæ*. 139, N.
Repton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Requitani (Nicolaus) Teſtis. 508. 510.
Rery (P. Joannes Fitz) Vic. Gen. *Hib. Dom.* 342.
Reſidere monentur Epiſcopi *Hiberniæ*. 180.
Reſtitutionis Etymologia expenditur. 98.
Revocare poteſt Provincialis *Hiberniæ* omnes Fratres *Hibernos* ubivis exiſtentes. 115.
Reynolds (P. Hugo) Prior *Naſen.* 294.
Reynolds (P. Michael) Prior *Ballindun.* 311.
Rheuda Dux *Hibernorum*. 6.
Rian (P. Fabianus) Magiſter. 118. Vid. *Ryan*.
Rian, vel Ryan (P. Henricus O) Scriptor. 541.
Ricchini (P. Thomas-Auguſtinus) S. Palatij Magiſter. 53, N.
Ricci (Sor. Maria-Hieronyma) Converſa *Bethlehem.* 453.
Riccius (Franciſcus) Card. Abbas *S. Clem.* 408, N.
Rice (Sor. Aliſia) Monialis *Dublin.* 360.
Richardus II *Angliæ* Rex. 267, N.
Richardus, & Rickardus, diſtincta Nomina. 225, N.
Richardſon (F. Laurentius) Epiſ. *Kilmoren.* 510. Scriptor. 550.
Richford (F. Gulielmus) Provincialis *Angliæ*. 517.
Riddlesford (Gualterus) Fund. Cæn. 737. 740.
Ridulphus (F. Aloyſius-Nicolaus) Secretarius S. Congregationis Indicis. 165.
Ridulphus (F. Nicolaus) Mag. Ord. 112. 382. 419.
Riganti (J. B.) Officialis Deputatus. 508. 510.
Rinelli (Philippus) Notar. Apoſt. 508. 514.
Rinuccinus (Joan. Bapt.) Archiep. *Firmanus* Nuntius Apoſtolicus ad *Hibernos*. 650. & ſeqq.
Rinuccinus (Marchio) Florentinus. 680.
Riochus (S) *Hibernus*. 730.
Ripoll (F. Thomas) Mag. Ord. 81. 164. 379. 501.
Rivers, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Riverſton (Baro de) Nugent. 32, N.
Rita (Sor. Thomaſia) Monialis *Bethlehem*. 453.
Rituum (S. Congregationis) Decreta. 22. 23.
Roba, vulgò Ballinrobe, Cænob. *S. Aug.* 224.
Robert (Galfridus Fitz) Seneſchallus *Lageniæ*. 728.
Robert (Joannes Fitz) Fund. Cæn. 750.
Roccaberti (F. Joannes-Thomas) Mag. Ord. 127. 133. 369.
Roche, ſeù de Rupe, Vicecomes de *Fermoy*. 32, N. Gentis hujus Nobilis Stemma. 334, N.
Rochæus (P. David) Virtute clarus. 571.
Roche (Dominicus) Vic. Gen. *Corcag.* 658.
Roche (P. Joannes) Præſentatus. 157.
Roche (P. Theobaldus) Mag. Stud. *Lovanij*. 446.
Roche (P. Thomas) Sodalis *Straden.* 254.
Rochford, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Rochfort. Vid. *Rupeforti* (de)
Rochfort (F. Marcus) Theol. *Dublin.* 677.
Rocomb (F. Richardus) Epiſ. *Leighlin.* 60. 468. Reſignavit. 469. 511, N.

Rodiart (Gulielmus) Decanus *Dublin.* primus in Jure Canonico Doctor Acad. *Dublin.* 191.
Rodulphus, alijs Rollo, *Norwagen.* 25, N.
Roirk (Donatus) Vid. *Roth (David)*
Rolandus, Progenitor Regis *Balduini* II. 83.
Romana Provincia Ord. Præd. 37. 78. 94.
Romana Gemina Cænobia *Hibernorum.* 369. Literæ Patentes Mag. Ord. Ibid.
Romanis (B Humbertus de) Mag. Ord. 36. 46.
Romans Oppidum in *Gallia.* 36, N.
Romanus Pontifex loquens *ex Cathedra* eſt infallibilis in Rebus Fidei & Morum judicandis. 166. &c. Solus Hæreſes proſcripſit. 167.
Romani Pontifices quatuor Dominicani. 34.
Romano, ſeú Tridentino Catechiſmo ſolus detur Locus in *Hibernia.* 169.
Romanus (F] Sodalis *Lovan.* 445. 447.
Romæus (F. Franciſcus) Mag. Ord. 92.
Rondininus (Philippus) Scripſit Hiſtoriam Baſilicæ *S. Clementis* de Urbe. 390.
Rory (P. Antonius Mac) Sodalis *Derien.* 283.
Roſa (Sor. Thomaſina de S) Monialis *Bethlehem.* 453.
Roſarum Albæ & Rubræ Emblemata. 84, N.
Roſarium B. V. à S. Dominico inſtitutum, dictum *Patrimonium Ord. Præd.* 34. Illius Proceſſio peragitur apud S. *Clementem* Urbis Dom. 2. Octobris. 413. Indulgentia à *Ben.* XIII conceſſa. Ibid.
Roſario (F. Dominicus de) Vid. *Daly* (F Daniel O) & *Vimioſo.*
Roſario (P. Michael a) Martyr. 566.
Roſbercanæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 270.
Roſcomanien. Comitatus in *Conacia.* 13.
Roſcomaniæ Burgi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 157. Hujus Benefactor Ulicus de Burgo, Baronettus. 260. Iſtius Genealogia. Ibid. N. Ibi habita Capitula Provincialia. 259.
Roſcomaniam (apud) Monaſt. Can. Reg. 82.
Roſcomaniæ Comes, *Dillon,* 31. 188. N. 314. N.
Roſcreenſis Diæceſis Laonenſi adjecta. 16, N.
Roſelli (F. Nicolaus) Cardinalis *S. Sixti.* 300, N.
Roſpiglioſi (Julius) Cardinalis *S. Sixti,* poſteà Clemens Papa IX. 373, N.
Roſs, Nomen Loci & Familiæ in *Hibernia.* 252.
Roſſà multiplex in *Hibernia.* 270.
Roſſen. Diæceſis in *Hibernia.* 19.
Roſſenſis Arx. ibid. 702.
Roth (P. Antonius) Virtute clarus. 583.
Roth (David) Epiſ. *Oſſorien.* 489. 505, N. 687. Quinque ejus Succeſſores. 505, N. Scriptor. 630. 634. 676.
Roth (P. Petrus) Virtute clarus. 207. 582.
Rothat (Bernardus) Teſtis. 444, N.
Roto (F. Humbertus de) Archiep. *Armac.* 476.
Rotuli Cancellariæ, & Magiſter. 477, N.
Roverella (Bartholomæus) Card. *S. Clementis,* ejuſque ſepulchralis Inſcriptio, 400.
Rourk (Tigernacus O) Regulus *Breſniæ Occidentalis.* 237, N. 746.
Rourk (Margarita O) Fund. Cæn. 746.
Rous (Hugo le) Can. Reg. Epiſ. *Oſſorien.* 728.
Rowe (P. Joannes) Provincialis Carmelitarum Diſcalc. 680. 681. 683. 689. 752.
Ruadanus (S) *Hibernus.* 733.
Ruain (F. Joannes O) Poeta. 541.
Ruarchius (P. Cornelius O) Ord. Min. Martyr. 600.
Ruddock (Jacobus) Armiger. 279.
Ruffinellus (Joannes-Angelus) Sacellum in Baſilica *S. Clementis* extruxit. 403.
Ruffus (F. Thomas-Maria) Proc. Gen. Ord. dein Archiep. *Baren.* FF. *Hibernorum* Inductor. 133. 371.
Rumoldi (S) Feſtum apud *Hibernos.* 22. 433, N.
Rupe (de, vernaculè *Roche*) Familiæ Genealogia. 334, N. Fundatrix Cænobiorum. 337. 752. Ex ea Vicecomes de *Fermoy.* 32, N.
Rupe (P. Alexander de) Soc. Jeſu. 163, N.
Rupe [David de) Vicecomes de *Fermoy.* 624.
Rupe (F. David de) Virtute clarus. 561. 571.
Rupe (David de) Fund. Cæn. 740.
Rupe (P. Nicolaus de) Virtute clarus. 581.
Rupibus (Petrus de) Epiſ. *Wintonien.* 44, N.
Rupeforti (Hugo de) Proc. Cleri *Hib.* 693.
Rupeforti (P. Marcus de) Magiſter. 116.
Rupeforti (F. Richardus de) Epiſ. *Dunen.* & *Connoren.* 475.
Rupes S. Patritij in *Momonia.* 563, N.
Ruperti (S) Feſtum apud *Hibernos.* 23.
Ruſh, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Ruſhock (F. Thomas) Epiſ. *Landaven.* dein *Triburien.* nunc *Kilmoren.* 60. 465.
Ruſſel (Patritius) Archiepiſ. *Dublin.* 741.
Ruſſellus (Gulielmus) Capite plexus. 711.
Rutlidgè (P. Joannes) Sodalis *Roſcoman.* 261.
Ryan (Dermitius O) Fund. Cæn. 742.
Ryan (P. Præd. Gen. Joannes) Prior *Dublin.* 197.
Ryan (P. Joannes) Sodalis *Caſſelien.* 236.
Ryan (P. Thomas) Sodalis *Romæ.* 415.
Ryedymer (F. Gulielmus) Sodalis *Athenrien.* 231.

S

Sabinæ (S) Cænobium in Urbe. 374. 377. Illius Fratres Officia & Miſſas celebrabant ad *S. Sixtum.* 381.
Sabinæ (S) Congregatio Ord. Præd. 78, N.
Sacerdotis Captor ſummâ laborat Infamiâ. 160. Sacerdotes Seculares inter & Regulares nullum quoad Leges Acatholicorum poſt A. 1710 Diſcrimen. 157.
Sacramentum Euchariſtiæ per integrum Anni Circulum in Urbe exponitur. 147.

Sacro Boſco (à) Vid. *Holividius.*
Safar (Athanaſius) Epiſ. *Mardiçhen.* 406, N.
Saigeren. Diæceſis. Vid. *Oſſorien.*
Saint-Ruth, Strategus Gallus in *Hibernia.* 144.
Saliqua Lex quid? Et ubi viget? 30, N. 148, N.
Sall (P. Mag. Antoninus) Virtute clarus. 209. 588.
Salopia. Vid. *Talbot.*
Salvati (Petri-Antonij) Epitaphium. 404.
Samuele (Urſus de) Fund. Cæn. 739.
Sanctimoniales in *Hib.* inſtituere, ſatagunt Puellas Doctrinâ Chriſtianâ, & honeſtis Moribus. 181.
Sancti Patres fermè omnes fuere Regulares. 175.
Sanctuarium Eccleſiæ quid? 398, N.
Sangalen. Univerſitas ab *Hibernis* inſtituta. 646.
Sanſonius (Jacobus) Profeſſor. *Lovan.* 111.
Santvoet (Jacobus) Doctor & Prof. *Lovan.* 112.
Saoli (F. Alexander-Pius) Commiſſ. S. Officij. 381.
Sardiniæ *Rex*, Carolus-Emmaunel. 148.
Sarsfield, Comes de Lucan. 32, N.
Sarsfield, Vicecomes de *Kilmallock.* 32, N.
Sarsfield (Patritius) Comes de *Lucan.* 144. 148. 151.
Saſſanagh idem ac Anglus, aut Acatholicus. 9, N.
Savageorum Familia opulenta in *Ultonia.* 242.
Savage (Sor. Margarita) Monialis *Pontan.* 361.
Saunford (Joannes de) Archiep. *Dublin.* 462.
Saxones invaſerunt *Angliam.* 9, N.
Saxoniæ Provincia Ord. Præd. 95.
Scaccarium. Vid. *Fora.*
Scalia (F. Deſiderius) Card. *S. Clementis.* 408.
Scanlan (F. Patritius O) Epis *Rapoten.* dein Archiep. *Armac.* 59. 200. 459. 747. An Primas? 459.
Scarampa (P. Petrus) in *Hiberniam* miſſus. 650.
Scenicos ad Ludus in Collegijs Urbis peractos miſit Juvenes FF. S. Sixti *Benedictus* XIII. 388.
Scholas FF. Præd. & Min. canonizandas duxit Alexander de Bicknor Archiep. *Dublin.* 190.
Scomberg, Generalis Exercitûs. 144.
Scinkelius (Joannes) Doct. & Prof. *Lovan.* 110.
Scoba (F. Carbracus O) Epiſ. *Rapoten.* interfuit Concilio Generali *Lugdunen.* II. 59. 461.
Scombergo (F. Nicolaus de) Archiep. *Capuanus*, Cardinalis *S. Sixti.* 390, N.
Scotia dicta *Albania* ab albis *R*upibus, & *Caledonia* a Caledonijs Incolis. 5, N. Scotiæ Nomen accepit ab Hibernia olim nuncupa *Scotiâ*, indeque orta Differentia Scotiæ *Majoris*, & *Minoris.* 5. Ab A. 424 ad 1602 proprios habuit *R*eges. 72. Idioma vernaculum eſt *hibernicum.* 5. Eam ex *Hibernia* quiſpiam clarè videt. 241.
Scotiæ Provincia Ord. Præd. 73. 96. Ejus Cura Commiſſa Provinciali *Hiberniæ.* 113.
Scoti Fundatores Cænobij de *Goadborn.* 737.
Scotus de Duns, Doctor *S*ubtilis, *Hibernus.* 646.
Scravenmore, ſubſcripſit Pactionibus *Limeric.* 151.
Scriptores cur pauci *Hib. Dom.* 533.
Scripturæ Sacræ, & Controverſiarum Fidei Lector Locum habet poſt Baccalaureum. 156.
Scrophulam, ſeú Strumam, ſivè Chæradim, curandi Gratiam habent *R*eges *Angliæ.* 45, N.
Scurlock (F. N.) Prior *Dublin.* 437.
Scurlock (Sor. Elizabetha-Baptiſta) Monialis *Bethlehem.* 453.
Seannuidh, alias Sinnicke (P. Ludovicus) Vir egregius. 216.
Secretarius Vid. *Indicis.*
Secundus Ordo *S. Dominici* eſt Sororum. 34.
Sedaghan (David O) Epiſ. *Duacen.* 223.
Seimera (Jana) Mater *Eduardi* VI. 597.
Selbi, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Selleri (F. Gregorius) Cardinalis. 35, N. 390.
Seminariſtæ *S*acerdotes dicuntur *R*egulares. 613.
Senanus (S) *Hibernus.* 732. 733.
Senatores in *Domo Communium.* 32.
Sepeliri decet ubi defunctus elegit. 89.
Sepeliri prodeſt apud *R*egulares. 89.
Sepulturarum Invaſio prohibita. 101.
Sepulturarum Causâ Injurias paſſi FF. Mendicantes in *Hibernia.* 101. 192.
Septem Eccleſiæ, Locus in Agro *Wickloen.* 18, N. Vid. *Clonmacnoiſen.*
Septiformes Litaniæ, earumque Ordo. 392.
Septum marmoreum *S. Clementis* de Urbe. 397.
Servuli (S) Corpus in Baſilica *S. Clementis.* 406. Ibi de eo Officium. Ibid.
Severeni, ſeu Galfridi, Nomen. 474, N.
Sexton (P. Præſ. Jacobus) Prior *Waterfordien.* Filius Conventûs *Dublinien.* 209.
Shaghnuſſy (F. Colmanus O) Epiſ. *Oſſorien.* 505. Anteà Provincialis. 530. Epitaphium. 506.
Shaghnuſſy (Eques Dermodus O) de Gort. 318.
Shaghnuſſy [Gulielmus O] Tribunus. 505. Pater ipſius *R*ogerius. Ibid.
Shaghnuſſy [Joanna O] Mater VI. & VII. Comitum *Clanriskardiæ.* 277, N.
Shaghnuſſy [Joſeph O] Jura urget contrà Equitem *Thomam Prendergaſt.* 505.
Shaghnuſſy [*R*ogerij O] Caſtrum. 688.
Shanly [P. Præſ. Michael] Sodalis *Dublin.* 197. Provincialis *Hiberniæ.* 531.
Shannon, Nomen Fluvij & Fam. in *Hib.* 252. Fluvij illius Origo, Curſus, & *R*eceptaculum. 209.
Sharp [Joannes] Preſbyter ordinatus à *Bened.* XIII. ad *S. Sixtum.* 387.
Shee [Patritius] Epiſ. *Oſſorien.* 505, N.
Sheffield, Shenly, Sherburn, Shipton, Nomina Locorum in *Ang.* & Familiarum in *Hib.* 252
Shelburn [Comes de] Fitz-Maurice-Petty. 328.
Sheridan [P. Lec. & Præd. Gen. Patritius] Sodalis *Cavanen.* 288.
Sheriff quis dicatur? 13.

Sherman (Kenelbreck) Prætor *Dublin.* Benefactor FF. Præd. 192. 195.
Shelty (P. Jacobus) Sodalis *Waterford.* 209.
Shirburnium, Oppidum *Angliæ.* 139.
Shirwood (Gulielmus) Epiſ. *Miden.* & Prorex *Hiberniæ* Deputatus. 195.
Shrewſbury. Vid. *Talbot.*
Shurlock (Thomas) Can. Reg. Abbas *Dublinij*, Magnus *Hiberniæ* Cancellarius. 726, N.
Siccus (F. Seraphinus) Mag. Ord. 79. 105. 106. 382.
Siciliæ Regnum duplex. 95, N.
Sigretia (S) *Hiberna.* 736.
Simiacus (Thomas Geraldinus) *Momoniæ* Princeps, *Hiberniæ* Prorex &c. 238, N. 272.
Simon (F) Epiſ. *Connoren.* 475. Diploma. Ibid.
Simons (P. Præd. Gen. Thomas Fitz) Prior *Cavan.* 288. Vid. *Fitz-Simons.*
Sincha (S) Abbatiſſa, *Hiberna.* 736.
Sinellus (S) Mac-Cenenian, *Hibernus.* 729.
Singleton (Henricus) Capitalis Judex. 719.
Sitricus, Oſtmannus, *Dublinij Rex.* 726.
Six-Mile-Bridge in *Momonia.* 213.
Sixti (S) Secundi, Papæ, & Martyris Elogium; ac de Baſilica ejus & Cænobio in Urbe. 372 ad 390.
Sixti (S) Monaſterium Monialium à S. Dominico inſtitutum. 348. Ad alıud tranſlatum dictum de *Magnanapoli.* Ibid.
Sixti (S) in Eccleſia S. Dominicus Ordinem Prædicatorum & *R*oſarium inſtituit. 374. 375. 377. Eam ab *Innoc.* III. accepit ante confirmatum Ordinem. 376. Ibi Monaſterium Monialium ab eo inſtitutum, & ad alium Locum in Urbe tranſlatum, dictum *Magnanapoli.* 348 374. 377 ad 381. In Baſilica Corpora Sanctorum humata. 383. Miracula ibi patrata. 373, &c. Cardinalis Titularis nihil ex *R*edditibus exigere poteſt. 379. Eam cum Cænobio à ſe reſtauratam conſecravit *Bened.* XIII ac Altaria ejus. 385. 386. Ibi habitavit. 387. Juris eſt FF. Præd. *Hibern.* ſicut & Cænobium *S. Clementis.* 134. 369. Obſervantia regularis ſtrictè ſervanda. 154. Non verò Alternativa quatuor Nationum. 134. Æconomia *R*ei literariæ. 414.
Sixti IV tria Diplomata. 82. 193. 477.
Sixtus V lateralem aperuit Portam S. *Clem.* 395.
Skeffington, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Skerrett (Marcus) Archiep. *Tuamen.* 440, N.
Skerrettus (Nicolaus) Archiep. *Tuamen.* 601, N.
Slane, Nomen Loci & Fam. in *Hib.* 252, N.
Slane (Baro de) Fleming. 32, N.
Slane (F. Philippus de) Epiſ. *Corcag.* Legatus *Eduardi* II ad *Joannem* XXII. 60. 464.
Slanius, Vid. *Delæ.*
Slattery (P. Lec. Paulus) Sodalis *Killocien.* 285.
Sligoenſis Burgi Deſcriptio. 246. Cænobij Fundatio. 130. 247.
Slingſby, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Slyne (Joan. Baptiſt.) Epis. *Corcag.* 158.
Smith (P. Præd. Gen. Joannes) Sodalis *Kilkennienſis* 207.
Smith (P. Joannes) Sodalis *Roſcomun.* 261.
Smithfield, Platea Urbis *Londinen.* 63, N.
Sneburg (Ricardus) Proc. Provincialis *Angliæ* 53.
Sobieſki (Maria-Clementina) pijſſima Conjux Jacobi, Filij Jacobi II *R*egis Angliæ 145. Ejus Elogia & Filij. 146. 147. 256.
Societatis Jeſu Hiſtoria Teſtimonium fert, & Elogia de *Hibernia.* 26.
Somerſet (Eduardus) Comes de *Glamorgan.* 652.
Somerſetanus Dux Regis Eduari VI Avunculus. 609.
Sophia, Filia Elizabethæ, Sororis *Caroli* I. 148.
Sophia-Dorothea, Mater Georgij I. 148, N.
Sottomajor (Franciſcus de) Epiſ. *Lamecen.* primum poſuit Lapidem Collegij *Ulyſſiponen.* 420.
Souſa (P. Ludovicus de) Hiſtoriographus. 97.
Southwell, Nomen Loci in *Anglia*, & Fam. in *Hibernia* 252.
Southwell (Thomas) Baro Southwell &c. 719.
Spada (Philippus) Epiſ. *Piſauren.* Urbis Viceſgerens. 553.
Sparkford (Thomas) Epiſ. *Waterford.* &c. 468.
Spendler (Marianna è Comitibus de) Uxor Nicolai Taaffe, Domini Vicecomitis *Taaffe* de *Corran* &c. 310, N. Vid. *Taaffe.*
Spina (F. Bartholomæus) Magiſter S. Palatij. 287.
Spinula (Hieronymus) Nuntius *Hiſpaniarum*, poſteà Cardinalis. 428.
Spiritu Sancto (P. Michael de) Prior *Pragenſis*, Magiſter. 113.
Spork (Joannes-Radulphus de) Epiſ. *Amati.* 387.
Springler (Sor. Maria-Barbara) Monialis *Bethlehemitica.* 453.
Stabiliminis Acta reciſſa ſub *Jacobo* II. 143.
Stack (P. Præd Gen. Edmundus) Prior *Traleien.* 240.
Stack (F. Mauritius) Sodalis *Lovan.* 448
Stafford, Stanton, Stanhope, Stanley, Stapleton, Nomina Locorum in *Anglia* & Familiarum in *Hibernia.* 252.
Stanhope (Philippus) Comes de *Cheſterfield*, Prorex *Hiberniæ.* 138. 268, N.
Stanihurſti Teſtimonium de *Hibernia.* 11.
Stapletonus (F. Joannes) Sodalis *Lovan.* 447.
Stokes, Stone, Stow, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252.
Stoll (F. Petrus) Epiſc. *Daren.* 485. Diploma Pontificium. Ibid.
Stone (Georgius) Archiep. *Armacanus* Acatholicus. 722, &c.

Stradenſis Pagi Deſcriptio. & Cænobij Fundatio. 249. 250,
Strafford, Nomen Loci *in Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Straffordiæ Comes, Hiberniæ Prorex. 639. Capite plexus à Parlamentarijs in Anglia. 640.
Strickland (Gulielmus) electus Epiſ. *Liſmoren.* & *Waterfordien.* 466.
Strongbow (Richardus le Clare) Comes *Pembrochiæ.* 208. 237, N.
Strongus (Thomas) Epiſ. *Oſſorien.* Archiepiſcopi *Compoſtellani* Suffraganeus. 602, N.
Struma. Vid. *Scrophula.*
Stuarta (Maria) Regina *Scotiæ.* 84, N. Burgorum è Progenie exorta. 275, N. Vid. *Maria.*
Studia Generalia quinque in *Hib. Dom.* 115.
Styli veteris & novi Diſcrimen. 138, N.
Styphen (F. Gualterus) Prior *Straden.* 437.
Suine. Vid. *Hunte.*
Suineus Fanagh (N. Mac) Fund. Cæn. 752.
Suirus, Flumen. *Hiberniæ.* 208.
Sulgenus (S) Amore legendi ivit in *Hiberniam.* 25.
Sullivan (F. Alanus O) Epiſ. *Clonen.* dein *Liſmoren.* 59. 458.
Sullivan (Dermitius O) Fund. Cæn. 745.
Sullivan (P. Dominicus O) Sodalis *Ulyſſipon.* 429.
Summerhill (Baro de) Richardus de Burgo. 277, N.
Superpelliceum, ſivè Rochetum non geſtant FF. Prædicatores. 36.
Supplementum Breviarij continens Officia propria SS. *Hiberniæ.* 23, N.
Supremi Fæderatorum Catholicorum Concilij Epiſtola ad *Innocentium* X. 656.
Sutton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Swaynus (Joannes) Archiep. *Armac.* 471.
Swiny (Eugenius) Epiſ. *Kilmoren.* 489. 692.
Swiny (P. Petrus Mac) Sodalis *Lovan.* 448.
Swithbertus (S) *Hibernus.* 433, N.
Swords, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Sylveſter (S) Papa ædificavit Baſilicam *S. Sixti* de Urbe. 372.
Symbolum Catholicorum *Hiberniæ.* 648, N.
Symcock (Gulielmus) Prætor *Pontan.* 203.
Synot (Oliverius) Legatus *Lotharingius.* 695. 701.
Sywart (F. Gulielmus) Vicarius in Prov. *Angliæ.* 52.

T

Taaffe. Vicecomes *Taaffe* de *Corran*, &c. 31.
Taaffe (Franciſcus) Comes *Carlingfordiæ.* 749.
Taaffe (Gulielmus) Genitor primi Vicecomitis *Taaffe.* 248. 295.
Taaffe (Nicolaus) Vicecomes *Taaffe* de *Corran*, Baro de *Ballymote*, inſimulque Comes S. R. J. 310, N.
Taaffe (Theobaldus) Vicecomes *Taaffe*, poſtea Comes *Carlingfordiæ.* 695.
Taaffe (Sor. Brigida) Prioriſſa *Pontan.* 361.
Taiſius. Vid. *Dynaſta.*
Talbot (Alethea) Comitis *Salopiæ* Filia, Cardinalis *Howardi* Avia. 543.
Talbot, Baro de *Furnival*, poſtmodûm Comes Salopiæ, vulgo *Shrewſbury*, &c. 192, N.
Talbot, Comes Salopiæ in *Anglia*, ac Waterfordiæ, & Wexfordiæ in *Hibernia.* 31.
Talbot, Dux de *Tyrconnell.* 32, N.
Talbotus (Georgius) Comes Salopiæ, &c. 208.
Talbotus (Gilbertus) Comes Salopiæ, &c. 267, N.
Talbota (Maria) Uxor Comitis *Clanrickardiæ.* 278.
Talbotus (Petrus) Archiep. *Dublin.* 137. 710. Librum edidit pro *Primatu Dublinienſi.* 16. Ejus Operâ ad Gremium Eccleſiæ acceſſit Rex *Carolus* II. 711, N. Mors ejus glorioſa. 131.
Talbotus (Richardus) Archiep. *Dublin.* Prorex *Hiberniæ*, ac Magnus Cancellarius. 69, N.
Talbotus (Richardus) Dux *Tyrconnalliæ*, & Prorex *Hiberniæ.* 137. 151, N. Ejus Elogia. 141.
Talbotus (Richardus) Muros excitavit Urbis *Kilkennienſis.* 205.
Talbotus (Richardus) quadruplex Sacerdos ſimul *Dublinij.* 562.
Talbotus (Eques Robertus) Senator Concilij *Kilken.* 652.
Talbotus (Thomas) Filius Baronis de *Furnival.* 192.
Talboti Fundatores Cænob. 749.
Talmaſh (T) ſubſcripſit Pact. *Limeric.* 151.
Talon (Hugo) Fund. Cæn. 750.
Tamburinus (D. Fortunatus) Cardinalis Ord. S. Benedicti. 23. 751.
Tangier. Vid. *Tingi.*
Tannerus (Edmundus) Epiſ. *Corcag.* & *Clon.* 602, N.
Tany (Gulielmus) Proto-Prior *Hiberniæ*, & Magnus Cancellarius. 738, N.
Temple (Dominus) 141.
Templarij Equites extincti. 738, N.
Termor, Vox anglica explicatur. 233, N. 295, N.
Terra fertilis in *Hibernia.* 10.
Terræ Sanctæ Provincia Ord. Præd. 95.
Tertius Ordo S. Dominici. 34. 343.
Tertius Ordo S. Franciſci. 343.
Teſſe (de) Generalis Exercitus. 148.
Teutonicus [B. Joannes] Mag. Ord. anteà Epiſ. *Boſnen.* 46. Comitia habuit Generalia *Londini.* Ibid.
Thaddæus [F] Ord. Min Epiſ. *Dromor.* 486.
Thanus. Vid. *Dynaſta.*
Theatinorum Ordo. 36.
Theige (Edmundus O) Proc. *Armac.* 658.
Theodori (F. Auguſtinus) Doctor *Lovan.* 111.
Thickpenny (Joannes) Armiger. 273.
Thomapolitani (vernaculè *Thomaſtown*) Burgi Deſcriptio. 336. Cænobij Fundatio. 337.

Thomas (S) Archiep. *Cantuarien.* & Martyr. 31.
Thomas (S) Doctor Angelicus interfuit Comitijs Generalibus *Londini.* 37. Opuſculum edidit *contrâ Impugnantes Religionem.* 169.
Thomas Patriarcha *Hereſolym.* 23.
Thoma (F. Balthaſſar à S) Sodalis *Lovan.* 447.
Thoma (P. Thaddæus à S) Regens *Ulyſſiponen.* Præſentatus. 118.
Thomas (P. Dominicus) Prior *Carlingford.* 290.
Thomas (Gulielmus Fitz) Proto-Prior *Hiberniæ*, & Magnus Cancellarius. 738, N.
Thomas (Sor. Maria) Monialis *Bethlehem.* 453.
Thomaſius (F. Jacobus) Ord. Min. Card. *S. Clementis*, & Benefactor. 399.
Thomaſius (Vivianus) Card. Legatus ad *Hibernos.* 242, N. 726.
Thomondia, Tractus Momoniæ. 210, N. 742.
Thomond (Comes de) O-Brien. 32, N.
Thornback, Domus Novitiorum *Kilken.* 206.
Thornbury, & Thorpe, Nomina Locorum in *Ang.* & Familiarum in *Hib.* 252.
Thurles (Vicecomitum de) Origo. 267, N.
Tiernan (F. Edmundus) Converſus *Athenrien.* 234.
Tiernanus (F. Petrus) Proc. Prov. Minor. 692.
Tigernacus (S) *Hibernus.* 732. 736.
Timony (Pierius O) Benef. Cæn. *Sligoen.* 247.
Tingiæ (vulgò *Tangier*) Deſcriptio, & Cænobij Fundatio, ac Derelictio. 125. 127. 185. 450.
Tinmouth, Locus *Angliæ.* 82, N.
Tipperarienſis Comitatus in *Momonia.* 13.
Tipperariæ Comites Palatini. 267, N.
Tirell (P. Mag. Mauritius) Def. Cap. Gen. 117. 219. Vid. *Tyrell.*
Tituli Nomen undè ortum? 391.
Titulares tantûm Epiſcopi in *Anglia*, & *Scotia*, non verò in *Hibernia.* 81.
Tobin (F. Jacobus) Abbas de *Kilcoole.* 657.
Toletum, Urbs *Hiſpaniæ.* 573, N. Ejus Archiep. Executor Literarum Apoſtolicarum. 124.
Toloſana Provincia Ord. Præd. 47, N. 97.
Tombeolenſis Villæ Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 307.
Toole (O) Familia antiqua Fund. Cæn. 744.
Toole (S. Laurentius O) Archiep. *Dublin.* 186, N. 726.
Toole (O) Capitaneus creatus Eques *Rom.* 256.
Torrington, Townley, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252, N.
Tractatus inter Gregorium XI, & Eduardum III de Beneficijs Eccleſiaſticis 19.
Traleienſis Oppidi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 237.
Tranſtyberinæ Moniales Tranſlatæ à S. Dominico ad S. Sixtum. 374.
Travers (Jacobus, & Joannes) Armigeri. 267. 294.
Travers (P. Nicolaus) Sodalis *Longoford.* 303.
Tribunalia. Vid. *Fora.*
Tridentinum Concilium. 89. 93.
Trimelſton (Baro de) Barnewall. 32, N.
Trimmenſis Oppidi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 262. 263. Ibi Conventus Generalis Cleri *Hiberniæ.* 264.
Trimmæ Dynaſta Palatinus. 264, N.
Trinacriæ Provincia Ord. Præd. 95.
Trincenariarum Dynaſtæ. 29.
Trinitarij. Vid. *Cruciferi.*
Trivet, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Trivet (F. Nicolaus) Scriptor. 44, N.
Tuamen. Archidiæceſis. 19. Archiep. Ord. Præd. 234. 514.
Tuamy (Sor. Jrena-Victoria) Magiſtra Novitiarum *Bethlehem.* 453.
Tudor (Margarita) Regina *Scotiæ.* 598, N.
Tugam (F. Eugenius Mac) Provincialis. 520.
Tuite (Sor. Margarita) Monialis *Bethlehem.* 453.
Tuite (Richardus) Eques Auratus. 218. 743.
Tullogh (Vicecomes de) Butlerus. 268, N.
Tully (P. Joannes Mac) Sodalis *Tombeol.* 309.
Tully (P. Præſ. Thomas) Virtute clarus. 576.
Tulſkenſis Pagi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 315. Tulſkenſis Prior a Provinciali inſtituendus. 154. 286.
Tumonæ Caſtri Deſcriptio, & dubia Cænobij Fundatio. 346.
Tunbridge (Vicecomes de) de Burgo. 277, N.
Tuohy (P. Thaddæus) Prior *Straden.* 254.
Turcæ Terram Sanctam occupaut. 145, N.
Turcus (F. Thomas) Mag. Ord. 93. 114. 196.
Turrecremata (F. Joannes de) Card. *S. Sixti.* 390, N.
Turrianus (F. Joachimus) Mag. Ord. 48. 74. Regeſtum ejus. Ibid.
Turvey, Nomen Loci & Familiæ in *Hib.* 252.
Tuſciæ olim Provincia Ord. Præd. 37, N.
Tweda, Fluvius *Angliæ.* 82. N.
Tyaquinæ Baro Ulicus de Burgo. 277, N.
Tyghe, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Typographiæ Artis Initium, &c. 533.
Tyrconnel (Comes de) O-Donnell. 32, N. (Dux de) Talbotus, Prorex *Hiberniæ.* 278, N.
Tyrellus (Richardus) Fund. Cæn. 727. Vid. *Tirell.*
Tyrella Gens Fundatrix Cæn. 739.
Tyronenſis Comitatus in *Ultonia.* 13.
Tyronenſis Comes O-Neill. 32, N.

V

Vadipontium, ſeù Pontana. 198.
Vaena (P. Mag. Antonius) Def. Cap. Gen. 119.
Valenti-Gonzaga (Silvius) Archiep *Neocæſarien.* & Nuntius *Bruxellen.* dein Cardinalis, 27. 169. 172. 442, N. 508.

Valeſius, vulgò Walſh (Thomas) Archiep. *Caſſelien*. 400. 692. Vid. *Walſh*.
Valle (Stephanus de) Epiſ. *Miden*. 465.
Vancemain (F. Hugo de) Mag. Ord. 46.
Vanden-Dyck (P. Mag. Pius) Theol. *Caſanaten*. 553.
Van-Henſdem (A) Not. Publicus. 447.
Vander-Perre (Michael) Doctor *Lovan*. 110. 112.
Van-Seſtich (Joannes) Doctor *Lovan*. 110. 112.
Vaſconnellus (P. Mag. Joannes) Luſitanus. 419.
Vaudimont (Principiſſa de) Gub. *Mediol*. 585.
Vaughan (Sor. Elizabetha) Monialis *Galvien*. 352.
Vaulx (Andreas de) Doct. *Lovan*. 110. 112.
Veldonus. Vid. *Weldon*.
Venenoſa Animantia non ſunt in *Hibernia*, ſed in eam allata ſtatim intereunt. 7.
Venerij [Antonij-Jacobi] Cardinalis *S. Clementis* Monumentum. & Sepulchralis Inſcriptio. 403.
Vercellis [F. Joannes de] Mag. Ord. 46.
Verdon [Joannes de] Fund. Cæn. 747.
Vernon [Bertramus de] Fund. Cæn. 739.
Vernulæus [Nicolaus] Scriptor. 432, N.
Verſpilt [Joannes Baptiſta] Prot. Apoſ. 444, N. 504.
Veſey, originaliter de Burgo [Gulielmus de] *Hiberniæ* Prorex, Fund. Cæn. 744. 751.
Veſey (Domina) apud *Galviam*. 325.
Vetus Scotia eſt Hibernia. 6.
Ughi (Cavaglier) Florentinus. 256.
Via (Joannes-Antonius de) Card. 165.
Viaticum largitur S. Congregatio de Propaganda Fide Miſſionarijs *Anglis*, & *Scotis*, non verò *Hibernis*. 183. Vid. *Propaganda*.
Vicarius olim *Hib. Dom.* quomodo inſtitutus? 48.
Vicarij tres ſimul in *Hib. Dom.* 80.
Vicarij Foranei qui ſint? 155, N.
Vice (Henricus) Reſid. Reg. *Car.* apud *Brux.* 696.
Vicecomitum Diverſitas. 13, N.
Vicecomites (DD) 45 in *Hibernia*. 31.
Viduæ Filius Miraculo *S. Dominici* apud *S. Sixtum* Urbis revixit. 374.
Villam Jacobi (apud) Conventus Cleri *Hiberniæ* habitus. 691.
Villæ Novæ, aliàs Newtonæ, Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 241. 242.
Villeneufve de'Avignon in *Gallia*. 241, N.
Vimioſo (Comes de) Fund. Coll. *Ulyſſip*. 105.
Vincentius (S) *Hibernus*. 433, N.
Vineis (F. Raymundus de) Mag. Ord. 51.
Vio (F. Thomas de) Card. *S. Sixti*. 80.
Virgilius (S) *Hibernus*, Epiſ. *Saliſburgen*. 22, N.
Virgivium Mare *Morwerdith* dictum. 12.
Viterbio (F. Matthias de) Vic. Gen. 78.
Ulici Nomen undè derivatum? 225. N.
Ulſter Nomen Officij Regis Armorum *Hib*. 656.
Ultanus (S) *Hibernus*. 433, N.
Ultimum Vale. 109.
Ultoniæ Provincia. 13, &c.
Ultoniæ Comitis Titulus olim in *Lacæorum* & *Burgorum* Familijs. 275. Nunc Ducibus *Eboracenſibus* donari ſolitus. 84, N.
Ultramarina Collegia *Hib. Dom.* ſubſunt ejus Priori Provinciali. 161.
Ulyſſiponenſis Urbis Deſcriptio. 415, N. Terræmotus, & Conflagratio. 424. Collegij Fundatio &c. 105. 416 ad 429.
Unigenitus (Bullæ) Verba momentoſa. 160.
Univerſitates quinque in *Hib. Dom.* 115.
Vogler (F. Matthias) Converſus *Romæ*. 415.
Volſi (F. Richardus) Epiſ. *Dunen.* & *Connoren*. 474. Diploma. Ibid.
Voragine (F. Jacobus de) Archiep. *Januen*. 539.
Volucrum ingens Copia in *Hibernia*. 10.
Upton, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib*. 252.
Urbano VI legitimo Pontifici adhærebant *Hiberni*. 51.
Urbanus VIII Pro-Nuntium miſit in *Hiberniam*. 650. Ejus Diploma. 432.
Urielis Regio in *Ultonia*. 199.
Urlarienſis Pagi Deſcriptio, & Cænobij Fundatio. 312. Ibi olim Novitiatus Generalis. 313.
Urlarienſis Capituli Provincialis Epiſtola ad Magiſtrum Ordinis. 437.
Urſinus (F. Vincentius-Maria) Cardinalis, poſteà Benedictus XIII. 373, N. 543. Vid. *Benedictus* XIII.
Urſinus (Virginius) Cardinalis. 542.
Uſſerius (Jacobus) Archiep. *Armacanus* Acatholicus. 637.
Uſſoon (de) Supremus Generalis. 148.
Uſuſmaris (F. Stephanus) Mag. Ord. 92.
Vugſnulphus (S) *Hibernus*. 433, N.
Vulganius (S) *Hibernus*. 433, N.
Uxor, etiam vivente Viro, eligere poteſt ſibi Sepulturam. 88.

W

Waddingus (P. Lucas) Ord. Min. celebris & candidus Scriptor. 42. 748. 749. De Regno Hiberniæ bene meritus. 650. Epitaphium ejus. 748.
Wade, Waldron, Ward, Ware, Warren, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia*. 252.
Waldenſes Hæretici qui ſint? 638.
Wall (F. Petrus) Epiſ. *Clonen*. 486.
Wall (P. Richardus) Baccalaureus. 116.
Wall (P. Vincentius) Præſentatus. 116.
Walſhæorum Genealogia. 270. Vid. *Gracæi*.
Walſh (F. Chriſtophorus) Miſſion. Apoſt. 438.
Walſh (Gulielmus) Epiſ. *Miden*. 602, N.
Walſh (Gulielmus) Armiger. 273.
Walſh (P. Joannes) Sodalis *Glanoren*. 336.
Walſh (P. Præd. Gen. Ludovicus) Sodalis *Corcagien*. 217.

Walſh (P. Nicolaus) Paſtor. 217.
Walſh (Richardus) Epiſ. *Corcagien.* 216.
Walſh (Thomas) Archiep. *Caſſelien.* 400. 657. 692.
Walters (Hubertus) Archiep. *Cantuarien.* Frater primi *Butleri.* 266, N.
Walters, aliàs *Butler* (Theobaldus) Fund. Cæn. 266.
Waldetrudis (S) *Hiberna.* 433, N.
Walthami Abbas ſextæ Diei ſolvit Expenſas Capituli Generalis Ord. Præd. *Londini* 46, N.
Ward (F. Michael) Sodalis *Romæ.* 415.
Wardianatus, ſeú Diſtrictus *Galvien.* 323. 440, N.
Waræus (Eques Jacobus) Scriptor 11. 282.
Waterfordien. Comitatus in *Momonia.* 13, &c. Diæceſis. 19. Epiſcopi Ord. Præd. 209. Urbis Deſcriptio. 207. Cænobij Fundatio. 208. Monaſterij Fundatio. 362. Diploma *Benedicti* XIV. Ibid.
Waterfordien. & Liſmoren. Diæceſes unitæ. 209
Waterfordiam (apud) Convocatio Cleri *Hiberniæ* ſub Nuntio Apoſtolico. 656.
Waterfordien. & Wexfordien. Comes *Talbot.* 31.
Waterfordia (F. Gotofridus de) Scriptor. 60. 209. 538.
Weaver, Weldon, Wentworth, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252.
Weldon (P. Geraldus) Sodalis *Romæ.* 164. 406, N.
Windelius (S) *Hibernus.* 453, N.
Werburgæ (S) Eccleſia Parochialis *Dublinij*, & Cathedralis *Ceſtriæ.* 189, N.
Werenfridus (S) *Hibernus.* 433, N.
Weſſenberch (F. Henricus de) Ord. Min. Epiſ. *Daren.* 64.
Weſt, Vox anglica Occidentem ſignificat. 63, N.
Weſt-Clan-William, Baronia. 274.
Weſt-Monaſterium, Civitas *Londino* olim propinqua, nunc verò contigua. 63, N. 612, N.
Weſt Monaſterij Abbas quartæ Diei exſolvit Expenſas Capituli Generalis Ord. Præd. *Londini.* 45, N. Conſervator Privilegiorum FF. Mendicantium in *Anglia.* 63.
Wexfordien. Comitatus in *Lagenia.* 13. &c.
Weymes (Stephanus) Doctor *Lovan.* 110. 112.
Whitby, Whitney, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252.
White (Familia) anglicè, idem ac *le Blanc* gallicè, & *Bianchi* italicè. 73, N. Vid. *Woite.*
White (Jacobus) Armiger, Latifundia Conventûs *Waterfordien.* aſſignavit Equiti Antonio â S. Leodegario, vernaculè *Saint-Leger.* 208.
White (Richardus) Proto-Prior *Hiberniæ*, & Magnus Cancellarius. 738, N.
White (Rolandus) Capitaneus. 150.
White-Hall, i. e. Alba Aula. Palatium regium *Londini.* 84, N.
White-Friers nuncupantur anglicè Fratres Carmelitæ. 208, N. 751.
Wickloenſis Comitatus in *Lagenia.* 13. 76, N.
Wigbertus (S) *Hibernus.* 433, N.
Wight, Winchelſey, Windſor, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252.
Wigornia (Philippus de) Fund. Cæn. 740.
Williams (P. Jacobus) Prior *Aghavoen.* 299.
Willeicus & Willibordus (SS) *Hiberni.* 433, N.
Winchelſæus (F. Richardus) Epiſ. *Oſſorien.* 476. ad Beneficia Ordinis ab ejuſdem Magiſtro acceptatus. Ibid. Scriptor. 540.
Winterburn (Gualterus de) Cardinalis. 45.
Wiro (S) Hibernus. 433, N.
Wogan (Carolus) Colonellus, Eques Romanus. 256. Vid. *Ougan.*
Wogan (Joannes) Armiger. 256.
Woite, ſivè White (F. Dionyſius) Vic. *Arcloen.* 73.
Wolfæus (P. Jacobus) Prædicator Generalis 116. 118. Martyr. 568.
Wolfæus (P. Philippus) Vir egregius. 213.
Wolſæus Cardinalis, & Archiep. *Eboracen* 45, N.
Wolſæus & Campegius Cardinales Cognitionem Cauſæ *Henricum* VIII inter, & Reginam *Catharinam* ſuſcepere in Cænobio FF. Prædicatorum *Londini.* 83, N.
Wolſtanus (S) *Hibernus.* 727.
Woolet, Wotton, Wulſton, Nomina Locorum in *Anglia*, & Familiarum in *Hibernia.* 252.
Worceſter (Marchio de) Somerſet. 652.
Wynne (P. Præd. Gen. Michael) Sodalis *Trimmen.* 265.
Wyſe Sor. Anaſtaſia, Antonia, & Charlotta Moniales *Waterfordienſes.* 362. 365.

X

Xavierre (F. Hieronymus) Magiſter Ordinis, dein Cardinalis *S. Sixti.* 374. 382. 390, N.
Xerea (F. Andreas) Epis. *Elphinen.* 486.
Xerica, Locus in *Hiſpania.* 82, N.

Y

York, Nomen Loci in *Ang.* & Fam. in *Hib.* 252.
Youghallæ Deſcriptiò, & Cænobij Fundatio. 271. Ibi devotiſſima Imago B. V. 115.
Youghallæ Cænobium primum in *Hibernia Franciſcana.* 42.
Yrland, Nomen germanicum *Hiberniæ.* 9.

Z

Zeller (Sor Maria-Magdalena Van) Monialis *Bethlebemitica.* 453.
Zoeſius (Henricus) Doctor *Lovan.* 112.
Zoſimus (S) Papa Synodum celebravit contrà *Cæleſtium* in Baſilica *S. Clementis* de Urbe. 391.
Zuanelli (F. Joannes-Benedictus) Magiſter Sacri Palatij. 553.

FINIS.

MUSEUM
BRITANNICUM

SUPPLEMENTUM

HIBERNIÆ DOMINICANÆ,

Varia Virorum Generum complectens

ADDITAMENTA,

Juxtà memorati Operis Seriem

DISPOSITA,

Per eundem Auctorem

P. THOMAM DE BURGO, O. P.

Epiſcopem Oſſerenſem.

Anno Domini MDCCLXXII.

50

MUSEUM BRITANNICUM

Præfatio.

SANE lucubranti Mihi quantulamcunque Hiſtoriunculam ſub Titulo *Hiberniæ Dominicanæ*, Anno 1762 Typis vulgatam, atque ſuprà Spem, & Meritum benigniùs (abſit Verbo Vanitas) exceptam, magnoperè diſplicuit, quod aſſequi haud poteram Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. *Joannis Baptiſtæ Rinuccini*, Archiepiſcopi & Principis *Firmani*, ac in hoc *Hiberniæ* Regno Nuntij Apoſtolici Extraordinarij Reſponſa ad Illuſtriſſimi D. *Ulici de Burgo*, Marchionis *Clanrickardiæ*, & ejuſdem Regni Proregis Deputati Percontationes, Pag. 679 tranſcriptas; necnon laudati Nuntij Defenſionem contrà Capita Accuſationum à *Supremo Confæderatorum Catholicorum Concilio* ad Summum Pontificem *Innocentium* X miſſa, Pag. 682. & ſeqq. in extenſum producta, alioquin tàm Reſponſa, quàm Defenſionem memoratis in Locis proculdubiò ſubnecterem prout verè dignum & juſtum erat, quæ proindè haud ſubnectiſſe vehementer pigebat, ut ibidem expreſſis Verbis cordatè declaravi. Autumabam planè (& quidem rectè ut Rei probavit Eventus) deſiderata illa Momenta reperire eſſe in *Legationis* iſtius *Hibernicæ* Hiſtoria, quæ *Florentiæ* aſſervatur in Ædibus Illuſtriſſimi D. Marchionis *Rinuccini*, & proptereà candidum rogavi Lectorem, ut, donec ea perlegeret, ſuam ſuper Controverſia illa ſuſpenderet Sententiam. Huic quippè Malo aliter tunc Dierum mederi non valui, adeòque patienter ferendum fuit.

VERUM tandem aliquandò *Romam* proficiſcens Anno 1769 ad viſitanda ſacra Apoſtolorum Limina, & in Via *Etruriam* pertranſiens, Iter conſultò ad prælibatam deflexi Urbem *Florentinam*, ibique quæ ardenter diù deſideraveram ſuper Aurum & Lapidem pretioſum multum, feliciter inveni, in ſatis ampla nimirùm & perbella Bibliotheca *Rinucciniana*, ſelectiſſimis Libris in omni prorſùs Artium ac Scientiarum Genere refertâ. Ea porrò impræſentiarùm accuratè pro Viribus Tibi, Lector optime, exhibeo in Opuſculo hoc, quod lubentiſſimus in apertam profero Lucem, eô potiſſimùm Conſiliô, ut tanti Viri de Eccleſia Catholica optimè meriti Defenſio, ſeù Vindiciæ, ut ajunt, notæ ſint omnibus, cunctiſque ubique pateant, ad ſeram uſque in Urbe & Orbe Poſteritatem tranſmittendæ.

ET quandoquidem varia variorum Generum utcunque complectatur præfata mea Opella, idcircò hanc nactus Occaſionem, atque Precibus interpellatus Amicorum, quibus ut Aures præberem Ratio Morum neceſſaria poſtulabat, non ſolùm ea quæ ad Libri Complementum deficiebant, ſed etiam multa alia, quæ *Romæ*, *Ulyſſipone*, *Lovanij*, & alibi Gentium, Mihi indaganter, & omnibus Veſtigijs, juxtà vetus Proverbium, perquirenti occurrerunt Additamenta, cum acervatis eadem in Hiſtoriola Rebus Affinitatem habentia & Connexionem, intrà Silentij Siparium haud relinquere ſtatui, ſed eâdem Operâ farraginarias, ut ità loquar, multiplicis Materiei Schedas ſummô quô potui Studiô & Diligentiâ in hoc *Supplemento* congerere, congeſtas diſponere, & diſpoſitas in perſpicuo Ordine collocare adlaboravi, ſervatâ Serie Capitum, & Paginarum in prima Opella (*A*), ut ſic etiam eandem meam Spartam quadantenùs adornarem, & locupletarem.

SUPEREST, ut quæ ſcripſi (ſeù potiùs quæ exſcripſi) Sacroſanctæ *Romanæ* Eccleſiæ, univerſarum Orbis Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ, Summique Pontificis, Librorum omnium Supremi, & infallibilis Judicis Examini, & Correctioni, Summâ, ut par eſt, Animi Demiſſione ſubjiciam. Vale.

(*A*) Hac de Cauſa Illuſtriſſimi D. Nuntij Defenſio, tametſi potiſſimùm intenta, non incipit uſque ad Num. CIII. Pag. 896.

S U M M A R I U M.

I. *Antiquitas Regni* Hiberniæ *conſtat ex Concilio* Conſtantienſi *A.* 1416, *haud obſtante quod Verba Concilij non legantur in Actis ejuſdem impreſſis. Eandem adſtruunt Nuncupatio* Ogygiæ, *longiſſima Regum Succeſſio abſque ullo externo Dominationis Jugo, Origo* Scotorum, *Fortitudo bellica,* & *Appellatio* Inſulæ Sacræ, *à vetuſtiſſimis Scriptoribus aſſertæ. Notæ de* Hiberniæ *Etymologiâ,* & *Climate temperatiſſimo, de* Orcadibus *Inſulis, deque* Danis *tàm in* Anglia *quàm in* Hibernia; *item de Incolarum Deſcriptione, Arte muſica, Animalis venenoſi Nullitate,* & *pergrandi Sanctorum Numero.* Pag. 807.

II. *D. Fr.* Vincentius Maria *Cardinalis* Urſinus, *poſtmodùm* Benedictus *Papa XIII, Concionem habens de Purgatorio* S. Patritij, *pro eo laudat Scriptores.* — —— — Pag. 811.

III. S. Patritium *Synodum habuiſſe in* Hibernia *A.* 440, *refert* Benedictus *XIV. Obiter de Longævitate ipſius ac pretioſa Morte, poſtquàm tres viderat in* Armacana *Sede Succeſſores.* —— Pag. 811.

IV. *In Concilio* Tridentino *nullus habitus Reſpectus ad Prælatorum* Primatiales *Dignitates, Ex* Benedicto *XIV.* —— —— —— —— Pag. 811.

V. *Tractatus circà Reſervationes Beneficiorum à Parlamento* Angliæ & Hiberniæ *roboratus.* Pag. 812.

VI. *Epiſtola S. Congregationis* Concilij *ad. D.* Jacobum O-Fallon, *Epiſcopum* Elphinenſem, *de Imminutione Dierum Feſtorum, inſerens Diploma* Clementis *XIV ad Archiepiſcopum* Moguntinum *eadem, de Re A.* 1770. (*Idem Indultum conceſſum alijs* Hiberniæ *Antiſtitibus, pro eo ſingulatim ſupplicantibus,* ut dicetur Num. CXXX.) —— —— —— —— Pag. 812.

VII. *Diploma* Clementis VIII. *A.* 1598 *pro* Hibernia *de Eſu Carnium Feriâ quartâ,* & *Lacticiniorum Feriâ ſextâ,* & *Sabbatô, ac in Quadrageſima, inibi anteà illicitô. Declaratio ea de Re Synodi Provincialis* Kilkennienſis *A.* 1614, & *Synodi Diæceſanæ* Dublinienſis *A.* 1689. *Eſus Ovorum vetitus Feriâ ſextâ incidente in Vigilias, aut Quatuor Tempora;* & *Lacticiniorum Feriâ quartâ Cinerum, Feriâ quartâ majoris Hebdomadæ,* & *in Die Paraſceves. Nonnihil de Synodo Provinciali* Dublinienſi *A.* 1685. *Notæ plures opportunæ.* —— —— —— —— Pag. 814.

VIII. *Cænobium* Pariſienſe *à B.* Laurentio Anglo *fundatum A.* 1235. —— Pag. 815.

IX. Clementis *IV Diploma* S. Thomæ Aquinati *inſcriptum in Favorem Epiſcopi* Gabulenſis. Pag. 816.

X. Benedicti *XIV Doctrina de Confirmationis* & *Extremæ Unctionis Adminiſtratione.* — Pag 816.

XI. *Tres Vicarij Apoſtolici in* Anglia *conſtituti ab* Innocentio *XI. A.* 1688. —— Pag. 816.

XII. *Provincia* Saxoniæ *inſtaurata ſub Titulo ipſiuſmet* Saxoniæ, *non verò* Germaniæ Superioris. —— —— —— —— Pag. 816.

XIII. Hibernia *in Provinciam Ordinis Prædicatorum erecta Decreto Capituli Generalis* Romæ 1484. —— —— —— —— Pag. 817.

XIV. *Series Archiepiſcoporum* Dublinienſium *ab Anno* 1529. — — — Pag. 817.

XV. *Nonnihil de Vicario Generali Diæceſis tàm Capitulari quàm non Capitulari.* — Pag. 818.

XVI. *Orthodoxæ D.* Chriſtophori Butler, *Archiepiſcopi* Caſſelienſis *Literæ ad* Clementem *Papam XI de celebri Bulla* Unigenitus, *A.* 1719. *Nota de Proſapia fermè regia* Butlerorum, *de ipſoque* Chriſtophoro *Archipræſule, ejuſque ex Fratre Nepote* Gualtero, *nunc laudatæ Proſapiæ Primipilo. Nota item de memorata Bulla* Unigenitus. —— —— —— Pag. 818.

XVII. *Plura de* Benedicto Papa *XIII ex Synodo* Tuſculana, *Capitulo Generali* Romano, *atque Magiſtro* Graveſono. —— —— —— —— Pag. 823.

XVIII. *De Confeſſarijs Regularibus ergà Sæculares ægrotos, Ex* Benedicto *XIV.* — Pag. 824.

XIX. *De Synodis Diæceſana, Provinciali,* & *Generali, deque Epiſcopi Poteſtate, Ex* Benedicto *XIV.* —— —— —— —— —— Pag. 824.

XX. Benedicti *XIV Doctrina de Miſſa* Parochiali. *Obiter de Epiſcopo* Midenſi *reprehenſo.* Pag. 825.

XXI. *Antè* Henricum *VIII Regem,* Cantuarienſis, & *ſex alij* Angliæ *Antiſtites, ex Ordine* Benedictino *ab ipſiſmet Monachis electi, Ex* Benedicto *XIV.* —— —— Pag. 825.

XXII. *Decretum S. Congregationis* Indicis *contrà Enchiridion quoddam Precum* &c. (*quoad Appendicem*) anglico *Idiomate Typis vulgatum,* 26 *Martij* 1770. —— —— Pag. 825.

XXIII. *D.* Thomæ-Mariæ Ghilini, *Archiepiſcopi* Rhodienſis, *necnon Nuntij Apoſtolici* Bruxellenſis, *Epiſtola ad quutuor* Hiberniæ *Metropolitanos eadem de Re,* 29 *Junij* 1770. —— Pag. 826.

XXIV. *Confraternitas Sacroſancti Roſarij tàm* SS. Nominis Jeſu, *ſeù* Nominis Dei, *quàm* Beatiſſimæ Deiparæ, *propagata per univerſum* Hiberniæ *Regnum à Fratribus Prædicatoribus, ſignanter* Dublinij, *ubi præclara iſta Devotio jugiter practicatur, Concionibus* & *Libris magnoperè commendata,* & *celebrata. Nota de diſtinctis Nominibus* Jeſu, & Dei. *Nota item de Hæreticorum* Albigenſium *Origine, Erroribus,* & *Everſione.* —— —— —— —— Pag. 827

XXV. *De Sacerdotibus tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, ad ſacras Miſſiones mandatis, haud obſtan-*

te

te juvenili *Ætate. Opportunum* Vincentij Contenſoni *Monitum.* Clementis *Papæ XIV Indultum pro recipiendis Novitijs Ordinis S.* Auguſtini *in* Hibernia. Pag. 828.

XXVI. *De Coadjutorijs cum futura Succeſſione, & Reſignationibus. Iſtæ non admittendæ in Curia* Romana *abſque prævia Ordinarij Relatione, Ex* Benedicto *XIV. Sine eadem haud conferendæ* Romæ *Dignitates, aut Beneficia* Hibernorum, *Ex Literis D.* Sylvij *Cardinalis* Valenti, *Secretarij Statûs eidem* Benedicto *XIV, ad D.* Michaelem O-Gara, *Archiepiſcopum* Tuamenſem, *A.* 1742. Pag. 829.

XXVII. *Parochus Regularis vel ab Epiſcopo, vel Superiore ſuo Regulari removendus. Ex* Benedicto *XIV.* Pag. 830.

XXVIII. *Literæ Apoſtolicæ* Benedicti *XIV. de Reſidentia Antiſtitum* Hiberniæ *A.* 1741. Pag. 830.

XXIX. *De Examinatoribus in Synodo, & extrà, electis; deque Concurſu Parochiarum; necnon de novo Examine Parochorum, antè approbatorum, Ex* Benedicto *XIV.* Pag. 832.

XXX. *Eleemoſyna Miſſæ à quo taxanda? In* Hibernia *eſt unus Solidus* Anglicanus. Pag. 832.

XXXI. *S.* Patritius *innumera ſui Ordinis Canonicorum Regularium fundavit Monaſteria in* Hibernia. *Bis centum triginta unum recenſet* Hibernia Dominicana. Pag. 832.

XXXII. *Regulares tenentur ad Dies feſtos ab Epiſcopo præſcriptos, non verò ad Jejunia, Ex* Benedicto *XIV.* Pag. 832.

XXXIII. *Allocutio* Benedicti *XIV in Comitijs Generalibus Ordinis Prædicatorum A.* 1756. *Grates Sanctitati Suæ à P. Procuratore Generali repenſæ.* Pag. 832.

XXXIV. *Alia anterior ejuſdem Pontificis Allocutio in Conſiſtorio A.* 1752 *de pretioſa Morte D. Fr.* Franciſci Serrani, *Ordinis Prædicatorum, Epiſcopi* Tipaſitani, *Vicarij Apoſtolici Provinciæ* Fokienſis *in Regno* Sinenſi; *item* Joachim Royo, Joannis Alcober, & Franciſci Diaz, *ejuſdem Ordinis. Nota de D.* Joanne Fiſher, *Epiſcopo* Roſenſi, *& Cardinale; ac Equite* Thoma Moro, *Regni* Angliæ *Cancellario, pro Primatu* Romani *Pontificis decollatis.* Pag. 835.

XXXV. *Antiquitas & Etymologia Urbis* Dublinienſis. *Obiter de SS.* Patritio, Kevano, & Garbano. Pag. 837.

XXXVI. *Prophetia* S. Cathaldi, *Epiſcopi* Tarentini, *inventa, ut fertur, A.* 1492. Pag. 838.

XXXVII. S. Brigidæ *Virginis Caput in Pago de* Lumiar *propè* Ulyſſiponem *aſſervatum. Ea de Re monumentatis Inſcriptio facta A.* 1283. Pag. 838.

XXXVIII. *D.* Raymundus Roche, *Vicecomes de* Fermoy, *tumulatus* Dertonæ, *cujus fuerat Gubernator, A.* 1762. *Epitaphium ejus.* Pag. 839.

XXXIX. *Qui ſemel in Hebdomada confiteri ſolet, lucratur Indulgencias abſque prævia Confeſſione, modò conſcius non ſit Culpæ lethalis, exceptis Indulgentijs Jubilæi, Ex* Clemente *XIII. A.* 1763. Pag. 839.

XL. *D. Fr.* Vincentius Maria *Cardinalis* Urſinus *(poſtmodum* Benedictus *Papa XIII) Habitu Ordinis induit Fr.* Andream Brown *apud S.* Sixtum, *A.* 1676. *Ibidem Habitu indutus Fr.* Patritius O-Flyn, *A.* 1678. Pag. 840.

XLI. Benedictus *XIII quatuor Aquæ Uncias, quintâ ſuperadditâ, reſtituit Conventui S.* Sixti. *Ea de Re Chirographum. Lis deſuper orta contrà Conventum, ſed irrito Conatu. A.* 1728. Pag. 840.

XLII. *Feneſtra magna valdè, Choro S.* Sixti *ſupereminens, cecidit, Fratribus undequaque illæſis. A.* 1720. Pag. 844.

XLIII. *Solemnes Exequiæ apud S.* Sixtum *factæ à D. Fr.* Auguſtino *Cardinale* Pipia, *pro Anima* Mariæ-Scholaſticæ Orſini, *Monialis Dominicanæ, Sororis Germanæ* Benedicti *XIII, A.* 1728. *Nota de D.* Dominico *Cardinale* Urſino, *ejuſque (ac dictorum) Progenitore* Neapoleone, *Vitæ reſtituto apud S.* Sixtum *Miraculô* S. Dominici, *coram tribus Cardinalibus, quorum unus evaſit* Gregorius *Papa IX, qui poſtea S.* Dominicum *laudatum canonizavit.* Pag. 844.

XLIV. Benedictus *XIII jejunus à media Nocte Vigiliæ Natalis Domini ad Meridiem Feſti, duas ſolemnes, & unam privatam celebrabat Miſſas, Teſte* Benedicto *XIV. Obiter de Privilegio ter celebrandi eo Die ubique Terrarum, ac in Die Animarum apud* Hiſpanos, & Luſitanos. Pag. 845.

XLV. *D. Fr.* Joſephus-Auguſtinus Urſius, *Cardinalis* S. Sixti, *ibidem humatus A.* 1761. *Epitaphium ejus. Poſt ipſum Titulares S.* Sixti, *Domini Cardinales* de Lancæis, & Molino Pag. 845.

XLVI. *Nonnihil de D.* Vincentio Laureo, *Cardinale S.* Clementis, *olim S.* Pij *V. Nuntio ad* Mariam Stuartam, *Reginam* Scotiæ; *pluraque obiter de ipſamet æternæ Memoriæ Regina, Juſſu* Elizabethæ *Reginæ* Angliæ *decollatâ A.* 1587. Pag. 845.

XLVII. *Decretum S. Congregationis* Rituum *de Miſſa & Officio in Tranſlatione S.* Ignatij *Epiſcopi, & Martyris, apud S.* Clementem *Urbis, A.* 1769. *Nota prodens Nomina Artificum, qui novem fecerunt Picturas pulchras in media Navi Baſilicæ S.* Clementis, *A.* 1715. Pag. 846.

XLVIII. *Ibidem ſub altari S.* Dominici *Urna marmorea continens, ut exiſtimatur, Reliquias SS.* Cyrilli & Methodij, *de quibus Conventus iſte Officium, & Miſſam celebrat. Nota de Loco Sepulturæ Fratrum, pro D. Fr.* Thoma-Maria *Cardinale* Ferrario, *& D.* Athanaſio *Epiſcopo* Safar, *primitùs deſignato.* Pag. 847.

XLIX.

XLIX. *Lectiones II, & III Nocturni in Feſto S.* Servuli, *cum Decreto S. Congregationis* Rituum *pro Conventu S.* Clementis *de Urbe. A.* 1702. ——— ——— ——— Pag. 848.

L. *Diploma* Clementis *XIII, concedens Fratribus S.* Clementis *Penſionem annuam quinquaginta Scutorum ex Fructibus Abbatiarum unitarum SS.* Clementis & Pancratij, *A.* 1767. ——— Pag. 849

LI. *Reditus Cænobij S.* Clementis *imminutus ob Fabricam Eccleſiæ à* Clemente *Papa XI factam A.* 1715. ——— ——— ——— ——— Pag. 852.

LII. *Martyrologij* Romani *Teſtimonium de Tranſlatione S.* Flavij-Clementis *Martyris. Ejus Corpus in Baſilica S.* Clementis *à* Benedicto *XIII reconditum 22 Junij* 1727. *De ea Conventus iſte Officium & Miſſam celebrat.* ——— ——— ——— ——— Pag. 853.

LIII. *Tres percenſentur Cardinales* S. Clementis *ab A.* 1760, Joannes-Franciſcus Albanus *nimirùm,* Coſmus Imperialis, & Carolus Rezzonicus. ——— ——— Pag. 853.

LIV. *Secundus Lector Theologus apud SS.* Sixtum & Clementem *Urbis* Baccalaureus *propriè nuncupatus.* ——— ——— ——— ——— Pag. 853.

LV. *Nonnihil de Fabrica novi Collegij* Ulyſſiponenſis. *Auctor novam benedixit Eccleſiam &c. Epiſcopum egit Aſſiſtentem* Ulyſſipone *in Conſecratione trium Antiſtitum, A.* 1770. *Nota longiuſcula de feliciter regnante Pontifice* Clemente *XIV (olim Auctori amiciſſimô) ac ipſius Nuntio Apoſtolico ad Aulam* Ulyſſiponenſem, *deque hujus præclariſſimæ Familiæ* Conti *quatuor Summis Pontificibus. Notæ inſuper de Titulo* Excellentiſſimi, *deque Titulo* Eminentiſſimi, *necnon de triplici Genere* Suffraganei. — Pag. 853.

LVI. Urbani *VIII Diploma pro Altari privilegiato in Eccleſia* Lovanienſi *A.* 1626. — Pag. 855.

LVII. *Plura de Penſione annua eidem conceſſâ à S. Congregatione* de Propaganda Fide *A.* 1648. *Ea de Re Atteſtatio Rectoris Univerſitatis* Lovanienſis *A.* 1762. *Nota longiuſcula exhibens multiplicem Conventûs Statum, & annuam Eleemoſynarum Collectionem* ——— ——— Pag. 855.

LVIII. *Licentia P.* Seraphini Sicci, *Magiſtri Generalis, recipiendi Novitios in memorato Conventu* Lovanienſi *A.* 1627. ——— ——— ——— ——— Pag. 858.

LIX. *P.* Thomas Turcus, *Magiſter Generalis, Conventum iſtum perſonaliter viſitavit, & Facultàtem tribuit Habitum dandi Converſis A.* 1648. ——— ——— Pag. 858.

LX. *P. Magiſtri* Gulielmi de Burgo, *Prioris Provincialis* Hiberniæ, *Libellus Supplex S. Congregationi* de Propaganda Fide *pro Conventu eodem* Lovanienſi *circà A.* 1650. ——— Pag. 859.

LXI. *Epiſtola perbella P.* Joannis Baptiſtæ de Marinis, *Magiſtri Generalis, ad Univerſitatem* Lovanienſem, *ei commendans Fratres ſuos* Hibernos, *à Domo S.* Joannis Baptiſtæ *ad Cænobium S* Crucis *tranſlatos, A* 1656. *Nota de Alternativa quatuor* Hiberniæ *Nationum, peſſimâ Radice Rixarum inter omnis Generis* Hibernos. ——— ——— ——— ——— Pag. 859.

LXII. *Literæ teſtimoniales D.* Andreæ *Archiepiſcopi* Mechlinenſis *de quibuſdam ſacris Reliquijs A.* 1658. ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 860.

LXIII. *Eccleſia S.* Crucis, *& tria ejus Altaria à D.* Nicolao French, *Epiſcopo* Fernenſi, *conſecrata A.* 1668. ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 861.

LXIV. *In Conventu iſto* Lovanienſi *Studium florens, haud obſtante Penuriâ Annonæ, A* 1698. Pag. 861.

LXV. *Literæ teſtimoniales, & commendatitiæ Univerſitatis* Lovanienſis *in Favorem Collegij S.* Crucis *A.* 1710. ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 862.

LXVI. *Obiter de Ordinibus ab Auctore collatis in* Lovanienſi *Eccleſia S.* Crucis *A.* 1769. *Ibi tres Lapides Sepulchrales* Caroli O-Brien, *Dynaſtæ de* Clare, Joannis O-Carroll, & Danielis O- Connor-Sligoe. Pag 862.

LXVII. (mendosè LXVI.) *Diploma* Joannis *IV, Regis* Luſitaniæ, *pro Fundatione Monaſterij Monialium* Hibernarum *Ordinis S.* Dominici *in Civitate* Liſbonæ, *aut in Finibus ejus.* ——— Pag. 863.

LXVIII. Lucæ á S. Catharina *Narratio de dono cæleſti Imaginis B. Virginis, deque novæ Eccleſiæ Eundatione, ac Fundatrice, A.* 1639. *Nota de Oppido* Bethlehemitico, *& Flumine* Tago. ——— Pag. 864.

LXIX. *Epitaphium D.* Iriæ de Brito, *Comitiſſæ de* Atalaya, *Fundatricis. Epitaphium item Filij ipſius D.* Nuni Manoel. ——— ——— ——— ——— Pag. 865.

LXX. *Primus duarum Monialium Ingreſſus,* Eleonoræ *nimirùm* de Burgo, & Urſulæ de Burgo, *A.* 1640. *Primus Lapis Eccleſiæ poſitus A.* 1645. *Moderna ipſius Deſcriptio.* ——— ——— Pag. 865.

LXXI. Joannes Corcagienſis, *Ordinis Prædicatorum, inter Archiepiſcopos* Colonienſes *annumeratus, pro Anno* 1461, *à* Vernerio Teſchenmacher *in Annalibus* Cliviæ &c. ——— ——— Pag. 866.

LXXII. *A.* 1763 *bini Pontes* Kilkennienſes *per Aquarum Inundationum everſi. Quatuordecim Perſonæ Undis abſorptæ. Alia Damna ſecuta. Novi Pontes, haud tribus interjectis Annis, erecti.* ——— Pag. 866.

LXXIII. *Epiſcopus Regularis tenetur Officium* privatim *recitare* privatìmque *celebrare Miſſam juxtà Ritum ſui Ordinis. Ea de Re Epiſtola D. Fr.* Joſephi-Aloyſij de Andujar, *Epiſcopi* Dertonenſis, *A.* 1769. *Nota de Rubricis, à quocunque Epiſcopo celebrante obſervandis, Ex S.* Thoma & Benedicto *XIII.* — Pag 866.

LXXIV. (mendosè LXXIII.) *A.* 1631 *Epiſcopis* Hiberniæ *à S. Sede Apoſtolica indultum, ut ſingulis Decennijs ſemel duntaxàt ad Sacrorum Liminum Viſitationem teneantur, Ex* Benedicto *XIV. Poſſunt, ad evitanda Pericula, excommunicare ſine Scriptis. Si captivi ſint, & cum Diæceſanis per Literas agere valeant, non eſt ſuſpenſa eorum Juriſdictio, Ex eodem, Nota opportuna ex* Corpore Juris. ——— Pag. 867.

LXXV.

LXXV. *Series Epiſcoporum* Oſſorienſium *ab A.* 1487. *Propoſitiones factæ in Conſiſtorijs à D.* Nicolao *Cardinali* de Pelluno, *& D.* Fabritio *Cardinali* Verallo, *Protectoribus Regni* Hiberniæ, *in Favorem* Thomæ Strong *A.* 1582, *&* Davidis Roth *A.* 1618, *ad Sedem iſtam promovendorum, Ex Archivo* Vaticano. Pag. 869.

LXXVI. *D. Fr.* Michael-Petrus Mac-Mahon, *Epiſcopus* Laonenſis, *A.* 1765. — Pag. 870.

LXXVII. *Corollarium Cap. XIII* Hiberniæ Dominicanæ *locupletatum.* ——— Pag. 870.

LXXVIII. *Additamentum de D. Fr.* Ambroſio O Connor, *electo Epiſcopo* Aidachadenſi, *A.* 1711. Pag. 870.

LXXIX. *Fr.* Thomas Nettirville, Pontanenſis, *Prior Provincialis* Hiberniæ, 1765. — Pag. 870.

LXXX. *Fr.* Joannes-Franciſcus Nettirville, Dublinienſis, *Prior Provincialis* Hiberniæ, *A.* 1769. Pag. 871.

LXXXI. *Actum authenticum de Profeſſione Fr.* Thomæ Howard, *Natione* Angli, *in Cœnobio S.* Sixti *de Urbe, pro Conventu* Cremonenſi *(ubi Habitu indutus fuerat) A.* 1646, *poſtmodùm S. R. E. Cardinalis A.* 1675. *Nota de tribus Archiepiſcopis* Avenionenſibus *Ordinis Prædicatorum ſibi immediate ſuccedentibus,* Stephano *nempè* Dulcio, Dominico de Marinis, & Hyacintho Libello. ——— ——— Pag. 871.

LXXXII. *Actus mellitæ Pietatis à P. Magiſtro* Edmundo de Burgo *quotidié eliciti.* — Pag. 871.

LXXXIII. *Epiſtola D.* Ptolomæi *Cardinalis* Gallij, *nuncupati* Novocomenſis, *ad D.* Jacobum Geraldinum, *Filium* Mauritij, *è Comitibus* Deſmondiæ, *A.* 1579. *Nota de* Novocomo, *ac* Novocomenſi *Cardinale, deque Diviſione Patriarchatûs* Aquilejenſis *in Archiepiſcopatus* Goritianum, & Utinenſem. *Alia Nota de ipſomet* Jacobo Geraldino, *miſſo* Romam, *& reverſo* in Hiberniam, *dein in Prælio occiſo, & Iliadem malorum perpeſſo.* — ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 872.

LXXXIV. *Diploma* Pauli *Papæ III ad Principem* Conoſſium O Neill *A.* 1541. *Epitaphium* Hugonis O-Neill, *Baronis* Dunganonæ, *apud S.* Petrum in Monte Aureo *Urbis A.* 1641. ——— Pag 873.

LXXXV. *Diploma* Urbani *Papæ VIII, Titulum* Miſſionis *pro* Hibernis *ad Sacros ſuſcipiendos Ordines ſtatuens, aliaque concedens Privilegia, A.* 1623. ——— ——— ——— Pag. 874.

LXXXVI. *Expenditur à* Benedicto *XIV Ritus Matrimonij* Carolum *I, Regem* Angliæ *inter &* Henriettam-Mariam, *Sororem* Ludovici *XIII, Regis Galliarum, A.* 1625. *Epiſcopus diſpenſare nequit, ut contrahantur Nuptiæ inter Partes Catholicam, & Acatholicam, Ex eodem. Baptizati à* Calviniſtis, Proteſtantibus, *vel* Preſbyterianis, *non ſunt rebaptizandi, Ex eodem.* ——— ——— ——— Pag. 875.

LXXXVII. Richardus Belling *non fuit Auctor Opuſculi* (Romæ *damnati) cui Titulus:* Vindiciæ Catholicorum Hiberniæ, *ſed* Joannes Mac-Callaghan; *ſicut & alterius Opuſculi inſcripti:* Annotationes in Joannis Poncij Librum, cui Titulus: Vindiciæ everſæ. *Nonnihil obiter de ipſomet* Joanne Poncio. — Pag. 875.

LXXXVIII. *Literæ commendatitiæ Supremi* Confæderatorum Catholicorum *Concilij ad* Urbanum *VIII in Favorem P.* Lucæ Waddingi, *Ordinis Minorum, ut Cardinalium Collegio cooptaretur, A.* 1644, *miſſæ per D.* Edmundum O-Dwyer, *Poſteà Epiſcopum* Limericenſem. *Nota de illarum Eventu.* ——— Pag. 876.

LXXXIX. *Capitula ab Urbe miſſa ad D. Nuntium Apoſtolicum* Rinuccinum, *in* Hibernia *exequenda, cum Facultate addendi, vel adimendi, &c.* 30 *Novembris* 1645. ——— ——— Pag. 877.

XC. *Epiſtola in Forma Brevis* Innocentij *X ad Supremum* Confæderatorum Catholicorum *Concilium,* 19 *Octobris* 1646. ——— ——— ——— ——— Pag. 878.

XCI. *Catalogus Nobilium & Gentil-Hominum* Hibernorum, *qui repudiantes Pacem* Ormonicam, *aſſociantur Eccleſiaſticis. Congregatio Eccleſiaſtica utriuſque Cleri apud* Waterfordiam *ſupplicat Summo Pontifici pro D. Nuntij Promotione ad Purpuram,* 28 *Auguſti* 1646. ——— ——— ——— Pag. 879.

XCII. *Solemnis Proteſtatio* Fidei *ergà Deum,* & Fidelitatis *ergà Regem, facta per Congregationem Eccleſiaſticam utruiſque Cleri coràm D. Nuntio,* Waterfordiæ 10 *Septembris* 1646 ——— Pag. 880.

XCIII. *Novum* Supremum Concilium, *multique Adminiſtri per Congregationem Eccleſiaſticam conſtituti uſque ad* Aſſemblæam, *ſeù Congregationem Generalem,* Kilkenniæ 26 *Septembris* 1746. — Pag. 881.

XCIV. *Reſponſio octo Theologorum* Dublinij *ad Quæſtionem ab* Ormondio *Prorege ipſis propoſitam. Ea de Re eorundem Apologia ad Congregationem Eccleſiaſticam miſſa,* Dublinij 9 *Octobris* 1646. — Pag. 881.

XCV. *Novum* Aſſociationis *Juramentum ab omnibus* Confæderatis Catholicis *Præſtandum, ex Præſcripto Congregationis Generalis,* Kilkenniæ 10 *Januarij* 1646 (*Stylo novo* 1647.) ——— Pag. 882.

XCVI. *Edictum Congregationis Generalis eadem de Re. Nonnihil de Factione* Ormonica *ſuppreſſâ & reſuſcitatâ.* ——— ——— ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 885.

XCVII. *Inſtrumentum Concordiæ Congregationum Provincialium* Lageniæ & Momoniæ *de Ceſſatione Armorum cum D. Barone* Inchiquino *ineundâ,* 24, *&* 27 *Aprilis* 1648. ——— ——— Pag. 886.

XCVIII. *Ratificatio memoratæ Ceſſationis, ab alio facta Supremo* Confæderatorum Catholicorum *Concilio,* 22 *Maij* 1648. ——— ——— ——— ——— ——— Pag. 887.

XCIX. *Exhibentur ipſimet Ceſſationis Articuli ab utraque Parte ſubſcripti* 20 *Maij* 1648. Pag. 887.

C. *Declaratio quatuordecim Epiſcoporum* 27 *Aprilis* 1648, *prævia ad Excommunicationis Sententiam, à D. Nuntio fulminatam. Nota de Loco Seſſionum tàm Comitiorum quàm Concilij, Caſtrô nimirùm* Kilkennienſi. Pag. 889.

CI. *Appellatio Supremi* Confæderatorum Catholicorum *Concilij à D. Nuntij Sententia Excommunicationis ad Summum Pontificem,* Innocentium X, 31 *Maij* 1648. *Nota de* Richardo Lawleſs, *Procuratore, ejuſque Poſteris.* ——— ——— ——— ——— ——— Pag 890.

CII. *Varias dedit Literas* Supremum Concilium *ad varios Regni Prælatos, Theologos, Officiales Militares, &c. ſuper Excommunicationis Sententia, & Appellatione. Indixit Die* 4 *Junij Comitia Generalia Regni habenda* Kilkenniæ *Die* 20 *ejuſdem Menſis Junij* 1648. ——— ——— ——— ——— Pag. 895.

CIII. *D. Nuntius* Supremo Concilio *appellanti, & petenti* Apoſtolos, *non alios dedit quàm* Refutatorios *(qui in Medium adducuntar), manentibus in ſuo Robore Cenſuris.* Romæ *rejecta fuit Appellatio tanquàm frivola, Teſte* Alexandro *VII.* ——— ——— ——— ——— Pag. 896.

CIV. *Epiſtola D. Fr.* Thomæ Fleming, *Ordinis Minorum, Archiepiſcopi* Dublinienſis, *ad D.* Davidem Roth, *Epiſcopum* Oſſorienſem, *de Obedientia, Cenſuris D. Nuntij præſtandâ,* Dublinij 10 *Junij* 1648. *Epiſtolæ hujus* *invenire non eſt Reſponſum. Nota exhibens Nomina Prælatorum,* & *Eccleſiarum, quæ Pag.* 855 *deſiderantur.* — — — — Pag. 897.

CV. *Epiſtola* Supremi Concilij *ad D. Fr.* Patritium Comerford, *Ordinis Eremitarum S.* Auguſtini, *Epiſcopum* Waterfordienſem, & Liſmorenſem, *ut deſiſtat ab Obedientia, Cenſuris D. Nuntij præſtitâ,* Kilkenniæ 12 *Junij* 1648. — — — — — Pag. 897.

CVI. *Reſponſum laudati Antiſtitis,* Waterfordiæ 14 *Junij* 1648. — — Pag. 898.

CVII. *Apologia, ſeù* Manifeſtum, *ut vocant, nominatiſſimi D.* Eugenij O-Neill, *Præfecti Generalis* Confæderatorum Catholicorum, *ſubſcriptum tàm ab ipſo, quàm à primarijs ejus Officialibus,* & *publicatum in Acie Campi Exercitus* Ultonienſis, 11 *Junij* 1648. — — — Pag. 899.

CVIII. Dionyſius Maſſarius, *Decanus* Firmanus, *D. Nuntij Hiſtoricus Defenſor. Epiſtola D. Marchionis* Clanrickardij, *Proregis Deputati* Hiberniæ *ad D. Nuntium, Ex Campo de* Moate, 8 *Auguſti* 1648. *Septem ejus Percontationes Nuntio propoſitæ.* — — — — Pag. 900.

CIX. *Animadverſio Hiſtorici Defenſoris in præmiſſam Epiſtolam. Ejuſdem Reſponſa ad Percontationes* Pag. 902.

CX. *Compendium alicujus Partis eorum, quorum accuſatur D. Nuntius.* — — Pag. 904.

CXI. *Accuſationes iſtæ per totidem Refutationes ab Hiſtorico Defenſore ſigillatìm refelluntur. Nota de Optimatibus* Hiberniæ *Regio Titulo gaudentibus etiam poſt* Anglorum *Invaſionem.* — — Pag. 907.

CXII. *Redarguitur ab eodem Comitiorum Generalium Edictum contrà D. Nuntium ad Municipium* Galvienſe *miſſum, quod promulgare renuit. Plura de D. Nuntio* Galviâ *diſceſſuro. Fragmenta quintuplicis Epiſtolæ, Ciphris* Romam *ſcriptæ D. Cardinali Secretario Statûs. Nota obiter de duobus DD. Cardinalibus* Pallottis. Pag. 913.

CXIII. *D. Nuntij poſt Diſceſſum ex* Hibernia *in Itinere verſantis Epiſtola ad P.* Vincentium Carafa, *Præpoſitum Generalem* Societatis Jeſu, *querens de ſuis in* Hibernia *Subditis,* 19 *Maij* 1649. *Nota de Præpoſito iſto Generali, ejuſque Succeſſore P.* Franciſco Piccolomineo. — — — Pag. 914.

CXIV. *Animadverſio Hiſtorici Defenſoris in Epiſtolam* D. Nicolai French, *Epiſcopi* Fernenſis, & *Equitis* Nicolai Plunkett, *ad D. Nuntium, datam* Kilkenniæ *ultimo Februarij* 1648, *Stylo veteri.* — Pag. 916.

CXV. *Apologia ejuſdem Epiſcopi* Fernenſis. *Nota de Libris ab eo editis contrà* Ormoniſtas, & *contrà ipſummet* Ormonium. — — — — — Pag. 917.

CXVI. *Bulla* Alexandri *VII, abſolvens* Hibernos *à Cenſuris D. Nuntij, Anno* 1665. *Appellatio quippè* Concilij *tanquàm frivola fuit rejecta ab* Innocentio *X. Nota de Diœceſibus quatuor Prælatorum, ab* Alexandro *Papa pro Abſolutione deputatorum*; & *de tribus* Hiberniæ *Epiſcopis, qui Concilio* Tridentino *interfuere.* Pag. 919.

CXVII. *D. Nuntij Elogium,* & *Epitaphium. Abijt è vivis A. D.* 1653. *Ætatis* 61. *Præſulatûs* 28. Pag. 920.

CXVIII. *Libellus Supplex Congregationis Eccleſiaſticæ utriuſque Cleri apud* Waterfordiam *A.* 1646. *ad* Innocentium *X. pro Elevatione D. Nuntij ad S. Purpuram.* — — — Pag. 921.

CXIX. *Stemma nobiliſſimæ Domûs* Taaffe. *Nonnihil de* Galvia, *ejuſque Tribubus. Aliquot de illis Diſticha. Actum* Parlamentarium, *Anglicè* Gavel-Act, *ſtatuens Diviſionem Bonorum inter Hæredes* Papiſtas, *ſed privans ipſos, ſi Primogenitus evadat* Proteſtans. — — — Pag. 921.

CXX. Innocentij *XII Diploma ad conſolandos* Hiberniæ *Catholicos A.* 1698. *Aliud ejuſdem eadem de Re Diploma ad Archiepiſcopos, Epiſcopos,* &c. Italiæ, & *Inſularum adjacentium, A.* 1699. — — Pag. 923.

CXXI. D. Thomæ Mariæ Ghilini, *Archiepiſcopi* Rhodienſis, *ac Nuntij Apoſtolici* Bruxellenſis, *Epiſtola ad quatuor* Hiberniæ *Archipræſules contra Juramenta quædam,* 14 *Octobris* 1768. *Notæ exhibentes Juramentorum Formulas.* — — — — — Pag. 925.

CXXII. *Duplex Inſtantia, prima P Provincialis* Hiberniæ *Ordinis Eremitarum* S. Auguſtini; *ſecunda P. Procuratoris Generalis ejuſdem Ordinis, apud S. Congregationem* de Propaganda Fide, *pro Conceſſione Monaſterij* Limericenſis *Ordinis Canonicorum Regularium. Decretum Conceſſionis ad iteratam Procuratoris Generalis Inſtantiam. Bulla* Urbani VIII *Conceſſionem hanc confirmans ſub certis quibuſdam Conditionibus, A.* 1632. Pag. 928.

CXXIII. *Diploma D. Nuntij Apoſtolici* Rinuccini *Poteſtatem faciens Canonicis Regularibus erigendi Capellam in Oppido* Galvienſi, & *nonnulla ſtatuens circà Abbates,* & *Priores, tàm Commendatarios, quàm Titulares, in Favorem* D. Jacobi Lynch, *Abbatis de* Conga, & *Commiſſarij Generalis prælibati Ordinis in* Hibernia, *A.* 1648. — — — — — Pag. 929.

CXXIV. *Epiſtola D. Nuntij ad D.* Thomam Deaſe, *Epiſcopum* Midenſem, *ſuper Prioratu de* Triſternagh, *in Favorem* D. Andreæ Nugent, *Canonici Regularis, A.* 1646. — — Pag. 930.

CXXV. *S Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit,* Dunenſi *Epiſcopo, D. Fr.* Bonaventuræ Magenis, *Ordinis Minorum, conferendum Proratum de* Killinſhon, *Ordinis* S. Joannis Hieroſolymitani, & *Prioratum* S. Congalli, *Canonicorum Regularium, cum ſolita Clauſula, A.* 1635. — — Pag. 930.

CXXVI. *In* Lovanienſi *Eccleſia* S. Antonij de Padua *Lapides Sepulchrales* Roſæ O-Dogharty, & Dominici Lynch. *Eorum Epitaphia, A.* 1660, & 1747. — — — — Pag. 931.

CXXVII. Clementis *XIII poſt Concilium* Lateranenſe Quintum *Hortamen de Conſervatione Privilegiorum Regularium, A.* 1769. — — — — Pag. 931.

CXXVIII. *Series Cardinalium Protectorum Regni* Hiberniæ, ab *A.* 1582. — — Pag. 931.

CXXIX. Clementis *XIV feliciter regnantis Epiſtola Encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos,* & *Epiſcopos univerſæ Eccleſiæ Catholicæ, A.* 1769. — — Pag. 932.

CXXX. *Laudatus Pontifex A.* 1772 *Indultum de Dierum Feſtorum Imminutione, Num. VI.* (*Pag.* 812) *exſcriptum, ad* Hiberniæ *Diœceſes extendit. Eorum ſpecialis,* & *ſpecifica Mentio.* — Pag. 935.

CXXXI. *Conceſſit eodem Anno Facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria in Articulo Mortis. Benedictionis iſtius Modus.* — — — Pag. 936.

CXXXII. *Conceſſit item eodem Anno Indulgentias elicientibus Actus Fidei, Spei,* & *Charitatis. Formulæ talium Actuum cum Oratione prævia.* — — — Pag. 937.

CXXXIII. *Conceſſit deníque eodem Anno Indulgentiam Plenariam in Feſto SS. Apoſtolorum* Petri & Pauli, & *infrà Octavam.* — — — — — — Pag. 938.

SUPPLEMENTUM

HIBERNIÆ DOMINICANÆ.

I. PAG. 3, Sub Finem, lege & adde in hunc Modum—Profectò Antiquitas Regni *Hiberniæ* ſat clarè conſtat ex Altercatione, in Concilio Generali *Conſtantienſi* Anno 1416 ortâ inter Anglorum *Henrici* V, & Francorum *Caroli* VI, Regum Oratores, de Prœcedentia contendentes. Vicerant quippè Oratores *Henrici* propter Antiquitatem Regni, non *Angliæ*, ſed *Hiberniæ*, Auctoritate freti *Beati Alberti Magni*, & *Bartholomæi Anglici*, ut *Soldenus* (*a*), & *Uſſerius*, Acatholicus Archiprœſul *Armacanus* (*b*), diſertè referunt. Verba Actorum Concilij, ut conſpiciuntur in *Cottoniana* Bibliotheca *Londini*, & apud *Soldenum*, & *Uſſerium* prælibatos, ſunt Tenoris ſequentis (*c*): “ Satis conſtat ſecundùm *Albertum Magnum*, & *Bartholomæum*, de Proprie- “ tatibus Rerum, quod totô Mundô in tres Partes diviſô, ſcilicet in Europam, Aſiam, & Africam “ (*d*), Europa in quatuor dividitur Regna, primum *Romanum*, ſecundum *Conſtantinopolitanum*, “ tertium REGNUM HIBERNIÆ, quod jam tranſlatum eſt ad *Anglicos*, & quartum Reg- “ num *Hiſpaniæ*. Ex quo patet, quod Rex *Angliæ*, & Regnum ſuum ſunt de eminentioribus, “ & antiquioribus Regibus, & Regnis totius *Europæ*, quam Prærogativam Regnum *Franciæ* “ non fertur obtinere.” Sicque Oratores *Angliæ* Præcedentiam ex Regni *Hiberniæ* Jure vindicarunt, inquiunt recenſiti Scriptores, quos laudat, & ſequitur *Rodericus O'Flaherty*, accuratiſſimus Ævi ſuperioris Scriptor (*e*).

Nec obſtat quod verba mox exſcripta non legantur in Actis impreſſis Concilij memorati *Conſtantienſis*, ſiquidem neque *Martini* Papæ V Extravagans, *ad evitanda*, reperitur ullatenùs in Actis ejuſdem Concilij *Conſtantienſis*, ſeù impreſſis, ſeù non impreſſis, & tamen firma manet ex Auctoritate *S. Antonini*, Archiepiſcopi *Florentini*, ut refert *Benedictus* Papa XIV, in Tractatu *de Synodo Diœceſana*, Lib. XII. Cap. V. Num. IV.

Præscriptam autem Regni *Hiberniæ* Antiquitatem adſtruere videtur Teſtimonium *Plutarchi* (*f*), qui Inſulam noſtram nominat *Ogygiam*, cujus Appellationis Rationem *Gulielmus Camdenus*, Natione *Anglus* (*g*), in hunc Modum expendit: “ Non immeritò hæc Inſula *Ogygia*, “ ideſt, perantiqua, à *Plutarcho* dicta fuit. A profundiſſima enim Antiquitatis Memoria Hiſtorias “ ſuas auſpicantur, adeò ut præ illis omnium Gentium Antiquitas ſit Novitas, & quodammodò “ Infantia.” Porrò *Ogygiam* appellant Poetæ Rem veterem, & quidem ab *Ogyge*, Rege *Thebarum* vetuſtiſſimo, qui floruit Anno Mundi 2125. Atque ea de Cauſa *Ægyptus* etiam *Ogygia* nuncupatur. Enimverò *Ægyptij* Populorum omnium antiquiſſimi efferuntur, Diſciplinarumque complurimi Inventores, à quibus *Græci* eas mutuati ſunt. Hinc Terrarum Parens, necnon Artium Mater dicta eſt *Ægyptus*, ut *Rodericus O'Flaherty*, jam laudatus, rectè advertit, (*h*) obſervans inſimul, poſt *Dudleium Loftus*, Juris utriuſque Doctorem, multiplici veterum Linguarum Cog-

---

(*a*) *Tit. Honor.* Part. I. Cap. VIII. Num. XI.

(*b*) Tract. *de Religione Veterum Hibernorum*, Cap ult.

(*c*) Seſs. XXVIII.

(*d*) *America* tunc Temporis erat Terra incognita.

(*e*) In ſua *Ogygia*, ſeù *Rerum Hibernicarum Chronologia*, Pag. 37.

(*f*) Lib. *de Facie in Orbe Lunæ*.

(*g*) In *Deſcriptione Hiberniæ*, in ſua *Britannia*.

(*h*) In ſua *Ogygia*, Pag. 22.

nitione prædítum, hanc Vocem *Agus*, quæ apud Noſtrates *Hibernos* ſignificat *Atque*, eundem referre Senſum Linguâ *Copticâ* (ſeù *Ægyptiorum*) ſic dictâ à vetuſtiſſimo *Coptica* Populo *Thebaidis* in *Ægypto*.

Eapropter *Slaytyr*, Poeta *Anglicus*, Genealogiam *Angliæ* Regis *Jacobi Primi*, ſub quo floruit, ab *Hibernorum* Gente deducens, *Ogygiam* pro *Hibernia* uſurpat his Verſibus:

At quoniam Arctoo Scotico *Rex noſter ab Orbe*,
Nec minùs occiduis, perhibent, Scotus *ortus* Hibernis,
Qui Britonum *parent Sceptris, mihi pauca recenſens*
Muſa age, et OGYGIOS Iernes *reſarato Colonos.*
Inſula Vergivio *circumundique cincta profunda*,
Quæ fuerat Graijs *olim glacialis* (*i*) Ierne.

ANGLICE.

But ſince our King from Northern *Scotia* came,
Nor leſs the *Scots*, if we may credit Fame,
Alike ſubmiſs to *Britain*'s Throne, derive
Their Lineage from *Hibernia*'s Weſtern Hive:
Proceed my Muſe, and in immortal Verſe
Ierne's famed OGYGIAN Tribes rehearſe,
An Iſle which Ocean hoarſe reſounding lave's
On ev'ry Side with bleak *Virgivian* Waves,
The *Grecian* Bards record her in their Strains,
Frozen *Ierne*, bound in icy Chains.

HAUD me latet, nonnullos opinari *Hiberniam* non eſſe Plutarchi *Ogygiam*, quia, inquiunt, tanta non eſt *Hiberniæ* quanta iſtius *Ogygiæ* Diſtantia à *Britannia*. Verùm *Plutarchus* in Diſtantia potiùs errare cenſendus eſt, quàm in ipſa Inſula, cujus Situs, ab eo deſcriptus ad *Britanniæ* Occaſum, ſatis evidenter ſuadet, *Hiberniam* eam eſſe *Ogygiam*, de qua *Plutarchus* loquitur, ut ſcitè obſervat *O'Flabertius*, mox laudatus, qui propterea ſuam Rerum Hibernicarum Chronologiam inſcripſit *Ogygiam*. Præterea Diſtantia, quam aſſignat *Plutarchus*, deſumitur ex quinque Dierum Navigatione, quæ planè nequaquàm officit. Tùm quia *Plutarchi* Temporibus Ars navigatoria adeò perfecta non erat ac nunc. Tùm etiam, quia ut legitur in Hiſtoria *Florentij* de *Wigornia*, anglicè *Worceſter*, ad annum 892, (octo nimirùm effluxis Sæculis poſt

Plutarchi

(*i*) Nonnullorum erat Opinio *Hiberniæ* Nomen indè deductum fuiſſe, quod *byberno* Tempore Aquæ congelatæ diutiùs condenſatæ perdurent, ſed malè fundata. Quippè ſic nominatur tùm ab *Iberia*, & *Heſperia*, hodiè *Hiſpania*, ex qua Coloni in Inſulam noſtram immigrarunt: Tùm à Voce hibernica *Hiar*, quæ Occaſum ſignificat; occidentales enim Partes *Hiſpaniæ*, & *Hiberniæ* in eodem dignoſcuntur Longitudinis Gradu. Conſulenda *Hibernia Dominicana* Pag. 2, & 10.

Aliundè Inſula noſtra Aerem habet uſque adeò temperatum, ut liceat multos Annos in *Hibernia*, hybernare abſque tanto Auræ rigidioris Incommodo. Siquidem *Giraldo Barry*, Natione *Anglo*, à Patria paſſim agnominato *Cambrenſi*, *Joannis* Regis Præceptore Teſte (Diſt. I. Cap. XXV.) *Eſt Terra Terrarum omnium temperatiſſima. Non Cancri Calor æſtuans compellit ad Umbras; non ad Focos Capricorni Rigor urgentèr invitat.* Succinit *Bartholomæus Anglicus* præfatus (Lib. XV. Cap. LXXX.) *Quantùm ad Salubritatem Cæli eſt Hibernia Regio valdè temperata, modicus eſt ibi Exceſſus, vel nullus, in Frigore, vel Calore.* Præiverat Venerabilis *Beda*, Natione quoque *Anglus* (Eccles. Hiſt. *Gentis Anglorum* Lib. I. Cap. I.) *Hibernia*, inquit, & *Latitudine ſui Statûs, & Salubritate, ac Serenitate Aerûm, multùm Britanniæ præſtat, ità ut raro ibi Nix pluſquàm triduana* (Ego vix triduanam vidi) *remaneat. Nemo propter Hyemem aut Fæna ſecet Æſtate, aut Stabula fabricet Jumentis.* Et ſanè, ut paucis concludam, multò plus Frigoris in *Italia*, & *Gallia*, quàm in *Hibernia*, ipſe expertus ſum. Nec mirum, ut enim rectè obſervant Geographi Noſtrates, continuus Maris, & Fluviorum, Fluxus, & Refluxus, benignum ſecum affert Vaporem, qui naturalem Aeris corrigit, & modificat Aſperitatem.

Plutarchi Ævum) tres *Hiberni,* quos *Duſlanum, Macbethum,* & *Magulmenum* vocat, ſeptem inſumpſere Dies navigando ex *Hibernia* in *Cornubiam,* vernaculè *Cornwall,* Comitatum *Angliæ* auſtro-africum: Neque inopinatò quidem (inquit memoratus Scriptor) juxtà Sæculi iſtius Dictamen, deportarunt quippè ſecum Proviſionem Cibariorum pro Octiduo. Tùm demùm, quia hâcce immò Tempeſtate haud rarò vidimus, quinque abſumi Dies à noſtratibus Nautis, tametſi expertiſſimis, Mare trajicientibus ex *Hibernia* in *Angliam,* Ventô ſcilicet ſerenô, aut tenui, aut diſcorde.

Haud parùm inſuper corroborat Regni *Hiberniæ* Antiquitatem, quod ab *Hiſpanorum* Immigratione, Anno antè Chriſtum natum 1263 in *Hiberniam* factâ (*k*), uſque ad Invaſionem *Anglorum* Anno Chriſti 1172 (*l*), *Roderico O'Connor* tunc in *Hibernia* regnante, effectam, inter Centum & Octoginta novem *Hiberniæ* Reges nullus eorum externo Jugo anteà ſuccubuit. Id imprimis conteſtantur duo *Anglici* Scriptores, nempè *Giraldus Cambrenſis* prælibatus (*m*): *Eſt,* inquit, *Numerus Regum, qui à primo hujus Gentis Rege Herimone uſque ad hunc ultimum Rodericum rexerunt, Centum & Octoginta novem. Gens igitur Hibernica à primo Adventûs ſui Tempore, & primo illius Herimonis Regno, uſque ad Garmundi, & Turgeſij Tempora (quibus & turbata Quies, & interrupta aliquamdiù fuit ejus Tranquillitas) iterumque ab eorum Obitu uſque ad hæc noſtra Tempora* (A. D. 1169) *ab omni alienarum Gentium Incurſu libera permanſit, & inconcuſſa.* Item *Gulielmus Neubrigenſis* (*n*) ait: *Hibernia Romanis, etiam Orcadum* (*o*) *Inſularum Dominium tenentibus, inacceſſa, nunquàm externæ ſubjacuit Ditioni.* Suffragatur *Pollydorus Virgilius,* alijs *Vergilius,* Natione *Italus,* Patriâ *Urbinas,* Romani Pontificis in *Anglia* Quæſtor, & *Wellenſis* in *Anglia* Diæceſis Archidiaconus, in *Hiſtoriâ Anglicanâ,* Regi *Henrico* VIII Anno 1533 dicatâ, enarrans: *Henricus* (Secundus) *Rex deſtinavit Animo domare Hiberniam, tùm quia Angliæ proxima eſt, tùm quia Gallis indè adminiſtrata ſæpè Auxilia intelligebat; ideoque è Re ſua maximè fore ducebat, ſi Inſulam, nunquàm ferè anteà externis Armis vexatam, ſubigeret.* Quapropter *Nicolaus Vernulæus,* Catholicæ ac Cæſareæ Majeſtatis Hiſtoriographus, in ſuo Opuſculo *de Propagatione Fidei Catholicæ in Belgio per Sanctos ex Hibernia Viros,* unô verbô concludit: *Hibernia nec Francorum, nec ullum externum Imperium, nunquàm eſt paſſa (p).*

Neque abs Re erit pro *Hiberniæ* Regni Antiquitate adſtruendâ annotare, quod ex eo Originem traxerunt *Scoti,* ut haud obſcurè innuit *Slaytyrus* Poeta nuper laudatus, utque clariſſimè in *Hibernia Dominicana (q)* oſtendi ex Venerabili *Beda, Giraldo Cambrenſi, Joanne Majore,* Natione *Scoto,* & alijs, ipſarumque Linguarum Communitas *(r)* id evincit, inquit Eques *Jacobus Waræus (s).* Hinc primus *Scotorum* Rex, Nomine *Ferguſius* (vernaculè *Fergus)* Filius erat *Ferquardi* Regis *Hiberniæ,* qui *Ferguſius* regnare cæpit Annis 330 antè Chriſti Nativitatem.

(*k*) Adeas *Hiberniam Dominicanam* Cap. I. Num. VI. Pag. 10.

(*l*) Videſis *Hibern. Dom.* Cap. I. Num. XXI. Pag. 30.

(*m*) In *Topographia Hiberniæ* Diſt. 3. Cap. 45, & 46.

(*n*) Lib. II. *Rerum Anglicarum,* Cap. XXVI.

(*o*) *Orcades* Inſulæ, anglicè *Orkney-Iſlands,* ad *Scotiæ* Septentrionem ſitæ, multò magis appropinquant Polo *Arctico* quam *Hibernia,* ſunt enim in 60 Gradu Latitudinis, dùm Pars magis ſeptentrionalis *Hiberniæ* eſt in 55 Gradu, Pars verò auſtralis in 51.

(*p*) *Dani* quidem *Hiberniam* diù infeſtarunt, quoad Oras præſertim maritimas, poſt Annum Domini 794, non tamen quà imperantes, aut ullatenùs dominantes, ſed tanquàm Prædones, & Viarum Graſſatores, quales hâcce Tempeſtate alibi Gentium ſunt *Barbari,* & *Mauri.* Non ſic autem in *Anglia,* ubi *Dani* poſt tot Invaſiones, & tot Prælia Terrâ Marique ab Anno 787, tandem eam ſubjugarunt, in eaque regnarunt per 26 Annorum Seriem, ab Anno nimirùm 1017 ad 1042, tres ſcilicet Reges *Canutus* I, *Haroldus,* & *Canutus* II. Eâ porrò Tempeſtate plurimæ *Danorum* Familiæ *Anglo-Saxonibus* (ac poſteà *Normannicis*) immixtæ, in varijs *Magnæ Britanniæ* Partibus ſtabilitæ ſunt, quarum aliquot, & quidem ſpectabiles valdè, ſuâ eniteſcentes Virtute, in *Hiberniam* ſub *Henrico* II, & *Joanne,* Regibus *Anglorum,* immigrarunt, nedùm Caſtra allodialia, & ampliſſima Prædia conſecutæ, ſed & primarijs hujus Regni Proſapijs conjunctæ Nuptijs, atque ſublimioribus tàm eccleſiaſticis quàm civilibus Dignitatibus, ac Honoribus fulgentes, priſtina ſua nunquàm non retinentes Nomina gentilitia, putà *Plunkett, Dowdall, Cruiſe, Coppinger,* &c. Hæc obiter.

(*q*) Cap. I. à Num. III. Pag. 4.

(*r*) In *Septentrionali Britannia,* paſſim dicta *Scotia,* Idioma vernaculum eſt *hibernicum.*

(*s*) De *antiquitatibus hibernicis* Cap. I.

Undè Catalogus Regum *Scotiæ* ab *Hectore Boetio*, & *Georgio Buchannano*, Natione *Scotis*, editus, ſic incipit: “ *I. Ferguſius*, primus *Scotorum* Rex, Filius *Ferquardi* Regis *Hiberniæ*, regnare “ cœpit Anno antè Chriſti Servatoris in Carnem Adventum trecenteſimo trigeſimo. Regnavit “ Annis viginti quinque, & Naufragiô perijt ad Scopulum Ferguſij, *Carrickfergus (t)* vernaculè, “ in Mari *Hiberniæ*.”

Nec alienum à Re noſtra eſt, quod *Cornelius Tacitus* in Vita *Julij Agricolæ* aſſerat *Hiberniæ* magis quàm *Angliæ* Portus maritimos ſuo Tempore notos fuiſſe Nautis & Mercatoribus. En ejus Verba: *Solum, Cælumque, & Ingenia, Cultuſque Hominum, haud multùm a Britannia differunt; meliùs Aditus, Portuſque per Commercia, & Negotiatores cogniti.* Et *Julius Solinus*, memorato *Cornelio Tacito* coævus, qui Annò Æræ Chriſtianæ octogeſimo primo ſcipſit, *Hibernos* celebrat ceù Gentem bellicoſam, his Verbis: *Puerpera, ſi quando Marem edidit, primos Cibos Gladio imponit Mariti, inque Os Parvuli ſummo Mucrone Auſpicium Alimentorum leviter infert, & gentilibus Votis optat, ut non aliter quàm in Bello, & inter Arma Mortem oppetat.* Rurſùs etiam de *Hibernis* aſſerit: *Præcipua Viris Gloria eſt Armorum Tutela (u).*

Adde tandem, neque addiſſe pigebit, pro *Hiberniæ* ſtabilienda Antiquitate, quod ob beatum Soli Ingenium, ut loquitur *O'Flahertius* (*w*), in quo nullum vitale eſt venenoſum Animal (*x*), meruerit, multis anté Incarnationem Dominicam Sæculis, *Sacra Inſula* à Græcis nominari (*y*), ſignantèr ab *Orpheo Crotoniano* (z), qui *Athenis* floruit Anno Mundi 3390, *Ariſtotile* (*a*) Anno Mundi 3620; & *Ruſo Feſto Avieno*, Anno Chriſti 285, vel, ut alij volunt, 482, qui Librum ſuum,

de

(*t*) *Carrickfergus*, latinè *Rupisferguſia*, eſt oppidum Privilegia habens Comitatûs in *Antrim enſi* Agro *Ultoniæ*, de quo *Hib. Dom.* Cap. IX. §. II. Num. I. Pag. 199.

(*u*) Succinit *Joannes Speed*, natione *Anglus* (in ſua *Angliæ Hiſtoria*, Interprete *Philemone Hollando*) de *Hibernis* ſic narrans: *Hibernica Gens Corpore valida, & robuſta, audax Naturâ, Ingenio acri & bellicoſo, agilis, Animo forti, & elato, Vitæ prodiga, Gloriæ avida, Hoſpitibus perbenigna, amore conſtans, Credulitate levis, Contumeliæ, & Injuriæ impatiens.* Confer Num. XXXV hujus *Supplementi*.

Liceat Occaſione hac in Medium adducere quæ alter Nationis ejuſdem Scriptor, identidem memoratus, *Giraldus* nempè *Barrius*, *Cambrenſis*, Regis *Joannis* Præceptor, de *Hiberniæ* Incolis refert (in *Topographia Hiberniæ* Cap. XI) nimirùm: *In Muſicis ſolùm præ omni Natione quam vidimus, incomparabilitèr eſt inſtructa Gens hæc.* Et *Pollydorus Virgilius*, jam laudatus ait: *Hiberni ſunt Muſicæ peritiſſimi.* Sed redeat Cambrenſis ſuperaddens: *Hibernia quidem tantùm duobus utitur Inſtrumentis, Cytharâ ſcilicet* (quam ipſe poſtmodùm vocat *Lyram Davidicam) & Timpanô.*

(*w*) Pag. 22. *Ogygiæ*.

(*x*) Venerabilis *Beda* (Lib. I. Hiſtoriæ Anglorum Cap I.) de *Hibernia* ait: *Nullum ibi Reptile videri ſolet, nullus vivere Serpens valet. Nam ſæpè illò de Britannia allati Serpentes, mox ut proximante Terris Navigiô, Odorem Aeris illius attracti fuerint, intereant. Quin potiùs omnia penè, quæ de eadem Inſula ſunt, contrà Venenum valent. Denique vidimus, quibuſdam à Serpentibus percuſſis, raſa Folia Codicum, qui de Hibernia fuerunt, & ipſam Raſuram aquæ immiſſam, ac Potui datam, talibus protinùs totam Vim Veneni graſſantis, totum inflati Corporis abſumpſiſſe, ac ſedaſſe Tumorem.*

(*y*) Nominabatur etiam olim *Inſula Sanctorum*, ut fusè oſtendi in *Hibernia Dominicana* (Cap. I. Num. XIV. Pag. 21) ex graviſſimis Auctoribus. Sed hic Loci inſtar omnium ſit *S. Bernardus* in Tract. *de Vita & Rebus geſtis S. Malachiæ* Archiepiſcopi *Armacani*, ubi de *Hibernia*, natali ipſius Solo, ait: *Locus verè ſanctus, ſæcunduſque Sanctorum, copioſiſſimè fructificans Deo ..... nec in præfatas, ſed in exteras etiam Nationes, quaſi Inundatione factâ, illa Se SANCTORUM EXAMINA effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas Partes S. Columbanus aſcendens, Luxovienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in Gentem magnam. Ajunt tàm magnum fuiſſe, ut ſuccedentibus ſibi invicem Choris, continuarentur Solemnia divinorum, ità ut ne Momentum quidem Diei, aut Noctis, vacaret à Laudibus.* Mellifluì Doctoris Verba egregiè expendit *Benedictus* Papa XIV, in *Supplemento* hoc Num. XXVIII videndus.

(*z*) *Orphēus* iſte, paſſim dictus *Crotonianus* à Patria ſua *Crotone* (quæ Urbs eſt *Magnæ Græciæ*, ad Sinum *Tarentinum* Maris *Adriatici*, in hodierna Regni *Neapolitani* Provincia *Hidruntina*, italicè *Otranto*) fuit Poeta inſignis, *Homero* vetuſtior, & Auctor Carminis de *Argonautica* Expeditione, ubi *Hiberniam* noſtram, in Expeditione illa memoratam, celebrat, quod Anſam præbuit *Uſſerio* prælaudato (de *Britannicis Eccleſijs* Pag. 724) dicendi: *Cujuſmodi Antiquitatis, nec ipſe quidem Populus Romanus Nominis ſui Teſtem proferre poterit Auctorem.*

(*a*) Lib. de *Mundo* ad *Alexandrum*.

de Oris maritimis inſcriptum, ex vetuſtiſſimis Geographis *Hecatio, Mileſio, Hellanico, Leſbio, Phileâ Athenienſi, Caryandæo, Pauſimacho, Samio, Damaſto, Euctemone,* & alijs compoſuit, ubi agens de Inſulis *Oſtrimidianis* (anglicè nunc appellatis *Scilly,* juxta Promontorium *Finis Terræ* in *Anglia* auſtro-africa) hos de *Hibernia* cecinit Verſus:

Aſt hinc duobus in Sacram *ſic* Inſulam
Dixere Priſci, Solibus Curſus rati eſt:
Hæc inter Undas multum Ceſpitem jacit;
Eamque latè Gens Hibernorum *colit.*
Propinqua rurſùs Inſula Albionum *patet.*

ANGLICE.

Hence to the *Holy Iſle,* her ancient Name,
Two Suns will waft You through the briny Stream;
Wide Tracts of goodly Glebe She rears between
Her Waters, cloath'd with ever living Green:
O'er ſpacious Wilds the roving *Iriſh* ſpread:
Next neighb'ring *Albion* ſhew's her lofty Head.

Cæterum, hæc omnia de natali meo Regno dicta ſint, benigne Lector, non aſſentandi palpandique Studio, à quo ſemper magnoperè abhorrui, ſed ut aliqua ſaltem indigitare conarer Momentorum illorum, quibus haud dubiè OratoresRegis *Angliæ* in Concilio *Conſtantienſi,* ut præmittitur, permoti, & Auctoritate inſimul freti *Beati Alberti Magni,* & *Bartholomæi Anglici,* pro Præcedentia certarunt contrà Oratores Regis *Galliæ,* Victoriamque reportarunt. Enimverò, ut *Bodinus* (*b*) benè advertit: *Inter Principes quædam Dignitatis Prærogativa antiquioribus Principibus, ac Rebuſpublicis deberi videtur, tametſi Opibus, & Potentiâ inferiores ſint.*

II. Pag. 5. Lit. b. (ubi agitur de Purgatorio *S. Patritij,* ſivè de Inſula quadam hujuſce Sanctiſſimi Præſulis Habitatione, & Miraculis conſecratâ, præclarumque Auſteritatis primorum Eccleſiæ Sæculorum præbente Exemplar) lege, & adde in hunc Modum.—Hinc nullô Negotiô conjicere poteris, benigne Lector, cur Locus iſte, luendis Peccatorum Pœnis deſtinatus, *Purgatorium* dicatur, non quidem poſthumum, ſed viale, ſeù viatorium, in præſenti Vita. Atque *Purgatorij* iſtius *S. Patritij* inſignem Auſteritatem uſque adeò approbabat ſeveriſſimus ſui Corporis Caſtigator *Benedictus* noſter XIII, ut dum Cardinalis eſſet Archiepiſcopus *Beneventanus,* de eo Sermonem habuerit é Suggeſtu ad Populum, hoc incipientem Themate ex *Matthæi* Evangelio (*c*): *Eructabo abſcondita à Conſtitutione Mundi.* Eum porrò Sermonem legere eſt Tom. III ſuorum Operum in Folio (*d*), ubi laudat *S. Antoninum,* Part IV. Tit. XV. Cap. X; *Dionyſium Carthuſianum* de *quatuor Noviſſimis,* Art. 48; & S. *Catharinam Senenſem,* Epiſt. 61 ad *Joannem* Monachum Carthuſianum *Romæ.*

III. Pag. 16. Num. XII. ſub Initium (ubi ex *Jocelino* narratur *S. Patritium* Trecentos quinquaginta in *Hiberniâ* Epiſcopos Manu propriâ conſecraſſe) adde—Eundem autem *S. Patritium* in *Hiberniam* miſſum â *S. Cæliſtino* Papa *Primo* A. D. 432, Synodum habuiſſe circà Annum 440, refert *Benedictus* XIV in Tractatu *de Synodo Dioceſana,* Lib. XI. Cap. IX. Num. III. Tandem verò, ut obiter dicam, laudatus, & nunquàm ſatis pro meritis laudandus, omni Laude ſuperior, *S Patritius,* inquam, Annis & Meritis plenus, placidâ Morte quievit in Canonicorum Regularium Cænobio, à ſe pridem fundato apud *Saballum,* vulgö *Saul,* propè *Dunum* in *Ultonia* (*e*) Die 17. Martij Anno Salutis 493, Ætatis 122, Apoſtolatûs 60; & quidem poſtquam tres viderat in Sede ſua *Armacana* Succeſſores, *S. Benignum* nempè, *Jarlatum,* & *Cormacum,* ut liquet ex Equite *Jacobo Waræo (f),* alijſque Scriptoribus. Confer *Hiberniam Dominicanam* Pag. 242. Lit. i.

IV. Pag. 18. Lit. a (ubi agitur de Præcedentia Archiepiſcoporum *Hiberniæ*) poſt illa Verba.—Integrum porrò Inſtrumentum præ Oculis habebis Cap. XVII. Num. LXXXIII, adde—Adeas

Cap.

(*b*) Lib. I. de Republicis Cap. IX.

(*c*) Cap. XIII. Verſ. 35.

(*d*) Pag. 36. Editionis *Ravennæ* Anno 1728.

(*e*) Videſis *Appendicem* noſtram *Monaſticam* Pag. 731.

(*f*) In Serie chronologica Antiſtitum *Armacanorum.*

Cap. XIII. Num. VII. Lit. *w.* Porrò in Sacroſancta Æcumenica *Tridentina* Synodo nullius habitus fuit Reſpectus ad Prælatorum *Primatiales* Dignitates, ſed Archiepiſcopi Ordinatione anteriores præcedebant, ut refert *Benedictus* Papa XIV, Tract. *de Synodo Diœceſana*, Lib. III. Cap. X. Num. IX. Verba ejus ſunt: “In Concilij Tridentini Reſumptione, Summus Pontifex Pius IV ut eas
“ Controverſias de Medio tolleret, quæ ex peculiaribus diverſarum Eccleſiarum Privilegijs, &
“ Prærogativis oriri poterant, Præſules omnes, ad illius Celebrationem congregatos, in tres tantummodò
“ Claſſes diſtribuit, Patriarcharum nempè, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, inter
“ quos juſſit Patriachas primum Locum tenere, Archiepiſcopos ſecundum, Epiſcopos verò tertium;
“ in ſingulis autem Claſſibus digniorem Seſſionis Locum ab illis occupari, qui Ordinatione anteriores
“ eſſent, nullô Reſpectu habitô ad eorum Primatiales Dignitates, ſivé veras, ſivé prætenſas,
“ quas proindé ſingulis in ſuo Statu illæſas præſervavit.”

V. Pag. 19. Num. XIII, lege, & adde ut ſequitur——Quia hùc flectit Oratio, non abs Re erit in Medium afferre Tractatum, quem de Reſervationibus Beneficiorum habuere *Gregorius* XI, Pontifex Maximus, & *Eduardus* III, *Anglorum* Rex, *Hibernorumque* Dominus, apud *Bituricas*(g) Anno 1374, quemque *Thomas Walſinghamus* (h), & *David Wilkins* (i) memorant his Verbis: “ Circá Principium Menſis Auguſti (1374) fuit Tractatus apud *Bourges* ſuper diverſis
“ Articulis inter Papam (*Gregorium* XI) & Regem Anglorum (*Eduardum* III) pendentibus,
“ qui videlicèt Tractatus duravit ferè duobus Annis. Tandem concordatum eſt inter eos,
“ quod Papa de cætero Reſervationibus Beneficiorum minimé uteretur, & quod Rex Beneficia
“ per Literas: *Quare impedit*, non conferret (k).”

Subinde in *Parlamento* proximé ſequenti ſtatutum, & mandatum fuit Subditis univerſis, ne ſub Reatu læſæ Majeſtatis, & Mortis Pænâ, quiſpiam eorum ejuſmodi Reſervationibus, Auctoritate Papali, in poſterum uti præſumat. Quod in *Dublinenſi* pariter *Parlamento*, ſub ijsdem Pænis ſtatutum eſt Anno 1467. Itá refert Eques *Jacobus Warœus* in Annalibus Regis *Eduardi* IV ad memoratum Annum, & ad Annos 1468, & 1475. Confer Num. XXVI hujus *Supplementi.*

VI. Pag. 25. Lin. 9. Poſt Diploma *Benedicti* Papæ XIV, Anno 1755 datum, Dies Feſtos in Hibernia imminuens quoad Obligationem vacandi ab Operibus ſervilibus, non veró quoad Obligationem audiendi Miſſam, adde—Hùc faciunt Literæ Sacræ Congretationis Concilij *Tridentini* Interpretis ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum *Jacobum O-Fallon*, Epiſcopum *Elphinenſem*, Anno 1770 datæ, hujuſce Tenoris:

“ Perilluſtris & Reverendiſſime Domine, uti Frater.

“ Literæ ab Amplitudine tua de Elphinenſis Eccleſiæ Statu, ritè accuratéque præſcriptæ...... Quod
“ doles eſſe non paucos ex divitibus Catholicis, qui obtendentes adverſæ Valetudinis Cauſam,
“ inconſultô Medicô, Diebus, qui Jejunio conſecrati ſunt, Carnibus veſci non verentur, ea quidem Patribus
“ ſatis juſta Querela viſa eſt, qui proptereá etiam atque etiam hortantur Amplitudinem tuam, ut
“ eorum Licentiam Edictis, Monitis, & quâcunque aliâ Ratione potes, coercere & evellere non ceſſet.

“ De Feſtis autem Diebus quod poſtulaſti, pro ſua paterna Benignitate Pontifex Maximus (*Clemens*
“ XIV.) idipſum concedit Tibi quod alijs Epiſcopis Germanis conceſſit eo Brevi, cujus Exemplum cum
“ his accipies. Hoc autem Brevis Exemplum, quùm & meô & R. P. D. Congregationis Secretarij
“ Subſcriptione munitum ſit, apud Te eandem Vim, atque Auctoritatem obtinebit, ac ſi Autographum eſſet.

“ *Venerabili Fratri Emerico-Joſepho, Archiepiſcopo Moguntino,*
“ *& Epiſcopo Wormatienſi, S. R. I. Principi Electori.*

“ *Clemens Papa XIV.*

“ *Venerabilis Frater, Salutem.*

“ *APOSTOLICI Miniſterij, quod, Deo volente, ſuſtinemus, à Nobis poſtulat Solicitudo, ut paternâ*
“ *Charitate, quâ Chriſtifideles omnes in Domino complectimur, eorundem etiam temporalium Commodorum*
“ *Rationem tùm maximè habeamus, cùm majori Alacritate ad ſpiritualia conſequenda poſſint excitari.*

Quapropter

(g) Vulgò *Bourges* in *Galliarum* Regno. Adeas Cap. II. *Hib. Dom.* Num. XVI. Lit. i. Pag. 45.

(h) In *Hiſtoriâ Angliæ* ab *Eduardo* I ad *Henricum V* perductâ Pag. 184.

(i) *Concilia Magnæ Britanniæ & Hiberniæ*, Vol. III. Pag. 97, ubi laudat nedùm *Thomam Walſinghamum*, ſed & *W. Thorn.* In Chron. C. 2187.

(k) Videſis *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. LXXV. Sect. 5.

“ *Quapropter, propenſi ſemper ſumus ad illa Venerabilium Fratrum excipienda Poſtulata, quæ cùm ſint ad divinum Cultum, Animarumque Salutem converſa, in hoc potiſſimùm verſantur, ut opportuniora ad eum Finem, ſublatis etiam, ſi qua forte ſint, Periculis, Adjumenta ac Præſida, per Apoſtlicæ Sedis Gratiam comparentur. Ex quo facilè intelligere potes, Venerabilis Frater, quo Animo acceperimus tuas Literas, quæ & eximijs ergà hanc Sanctam Sedem Devotionis, & Obſervantiæ Significationibus ſunt refertæ, & paſtoralem Curam, & Solicitudinem, ac Vigilantiam tuam maximè præ ſe ferunt. In ijs enim dilgenter exponis non mediocria, quæ à Dierum feſtorum Numero in commiſſum Tibi Populum emanant Incommoda. Capere exindè grave Damnum Fideles cum Acatholicis commixtos ais, atque in id magis etiam eos incidere, qui Operâ, ac Labore in colendis præſertim Agris Vitam ægrè ſuſtentant, diſtantia enim plerumque Loca ſunt, ad quæ, ut interſint Sacro, accedere neceſſe eſt, aſperæ ac difficiles Viæ, ac vix ferenda per magnam Anni Partem inſtabilis, ac ſævi Aeris Inclementia. Quare hujuſmodi permotus ipſius Gregis Incommodis, poſtulas a Nobis (quod alii etiam nonnulli Germaniæ Epiſcopi, ſimilibus inducti Cauſis, fecerunt) ut commiſſo Tibi Populo opportuna Dierum feſtorum Imminutione ex Apoſtolica Benignitate conſulamus. Nos itâque Poſtulationibus tuis, Rationumque Æquitate permoti, & commiſſi Tibi Gregis Utilitatibus abſque æternæ ſalutis ſuæ Diſpendio conſulere volentes, Fraternitati tuæ per præſentes Literas committimus, ut habitâ Rerum, quas expoſuiſti, Ratione, omnibus utriuſque ſexûs Fidelbus in Diæceſi tua exiſtentibus, exceptis omnibus Diebus Dominicis, Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ſequente Sancti Stephani, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, & ſequente, Aſcenſionis, Pentecoſtes, & ſequente, Sanctiſſimæ Trinitatis; itidem Diebus Corporis Chriſti, Sancti Joſeph, Sancti Johannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Commemorationis omnium Sanctorum, prætereà quinque dicatis Beatæ Virgini Mariæ, ſcilicet Purificationis, Annunciationis, Aſſumptionis, Nativitatis, & Conceptionis, necnon Sancti Patroni, aut Tutelaris cujuſlibet Loci duntaxàt, in quibus integra maneat Præcepti Obligatio. in reliquis Diebus feſtis ſivè per hanc Sanctam Sedem, ſivè per Diæceſanas Conſtitutiones, ſivè quacunque alia de Cauſa præceptis, tùm ſervilium Operum Exercitium permittere, tùm ab Onere audiendi Sacrum, diſpenſare, ſi & quatenùs neceſſarium duxeris (ſuper quibus Conſcientiam tuam oneramus) Auctoritate Apoſlolicâ poſſis & valeas.*

“ *Quia tamen vehementer optamus, ut ij, qui hoc paternæ noſtræ Benignitatis Beneficium ſunt conſecuturi, aliquo ſtudeant externo Pietatis Opere compenſare quid quid itá fuerit ab externa itidem Celebritate imminutum, committimus idcircò Fraternitati tuæ, ut ijſdem vel aliquot Preces, vel aliud quodpiam externum pium Exercitium injungas, cui vacare debeant ijs Diebus, quibus imminuta Feſta occurrunt. Cæterùm per hanc Feſtorum Dierum Imminutionem non intendimus aliquid innovari circà Ritum, & Servitium Chori, circà Celebrationem divinorum Officiorum, & circà Obligationem Jejunij in Ferijs, quæ præcedunt Feſta eorum Sanctorum, qui peculiari hâc Cultûs Prærogativá potiuntur. Quod ſi alicubi opportunum duxeris, ad fovendam Pietatem, & Devotionem Fidelium, externam Solemnitatem, ſivè Feſtum, quod Fori nuncupatur, ad ſubſequentem, vel alium Dominicum Diem transferre, ut id per Te fiat libenter annuimus. Cupimus autem, ac in Domino magnoperè hortamur, ut Fraternitas tua Populos Tibi commiſſos quàm ſæpiſſimè edocendos curet, quæ ad juſtam legitimamque Dierumfeſtorum Celebrationem pertinent, quô Ardore, quâque Humilitate Spiritûs adſtare Sanctiſſimo Altaris Sacrificio, quô Studiô, quâ Frequentiâ divinis Officijs, ſacris Concionibus, & Chriſtianæ Doctrinæ Inſtitutionibus intereſſe debeant, & ne per eos Dies Chriſtifidelium Corda graventur Crapulâ, & Ebrietate, & ſæcularibus Cogitationibus, quàm diligentiſſimam Operam dare debebis, ut profana quæque ludicra, vel minùs religioſa à publicis Locis amoveantur. Contrà veró in Conſpectu illa ſint, abundeque ſuppetant quæ ad fovendam Devotionem, Pietatemque plurimùm prodeſſe poſſint. Quæ quidem cuncta à perſpectâ paſtorali Vigilantiâ tuâ Nobis maximè pollicentes, in pontificiæ Chariatis Pignus Apoſtolicam Benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, tuæque Fidei commiſſo Populo peramanter impertimur. Datum Romæ Die 7 Februarij* MDCCLXX. *Pontificatûs noſtri Anno primo.*

“ Hæc ſunt, quæ Patres Eminentiſſimi ad Te Reſponſa mandarunt. Ego profectó ſemper oſtendam, ubi ſe ferat Occaſio, quàm ſim ex Animo tuus.

“ Amplitudinis tuæ

“ Romæ 1ª Auguſti, 1770.

“ Epiſcopo Elphinenſi.

“ Uti Frater ſtudioſus,

“ FERDINANDUS MARIA Cardinalis de RUBEIS Præfectus.

“ *Franciſcus-Xaverius* (de Zelada) *Archiepiſcopus Petrenſis Secretarius..*”

VII. Pag. 25, antè Num. XVI hæc interjicienda ſunt—Operæ Pretium erit hic Loci exſcribere Literas Apoſtolicas in Forma Brevis *Clementis* Papæ VIII de Eſu Carnium Feriâ quartâ (*l*), & Ovorum, ac Lacticiniorum Feriâ ſextâ, ac Sabbatô, necnon de Eſu Lacticiniorum in Quadrageſima; per totum *Hiberniæ* Regnum olim prohibitô.

“ Venerabilibus Fratribus Epiſcopis per univerſam Hiberniam conſtitutis.

“ Clemens Papa VIII.

“ Venerabiles Frates, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ ACCEPIMUS aliàs piam & antiquam inter Catholicos iſtius Regni Hiberniæ hactenùs Conſuetudinem viguiſſe, Feriâ quartâ à Carnibus, Feriâ verò ſextâ, & nonnullis in Locis etiam Sabbatô, ab Ovorum, & Lacticiniorum Eſu abſtinendi. Verùm poſtquàm Hæreſis (quod non ſine Dolore reminiſcimur) in eodem Regno invaleſcere cæperit, & penès Hæreticos Imperij Poteſtas ſit, pleroſque ipſorum Catholicorum, Metu Hæreticorum eorundem, Carnibus Feriâ quartâ & Ovis ac Lacticinijs Feriâ ſextâ, ac Sabbatô, ac nonnullis in Locis, ubi Piſces commodé comparari non poſſunt, in Quadrageſima etiam Ovis, & Lacticinijs hujuſmodi quandòque ex Neceſſitate veſci ſolere, quod Vos tutâ Conſcientiâ ab ipſis Chriſtifidelibus fieri poſſe ſummoperè cuperetis, & ideò nobis humiliter ſupplicaſtis, ut in præmiſſes opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur piorum Catholicorum Conſcientiæ Securitati providere volentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati; Vobis & cuilibet Veſtrûm, & a Vobs delegatis per totam Hiberniam, ut piam illam abſtinendi à Carnibus Feriâ quartâ, & Feriâ ſextâ ac Sabbatô à Lacticinijs & Ovis extrà Quadrageſinam, in Quadrageſima verò à Lacticiniorum tantùm (niſi aliud vobis Epiſcopis videatur) Eſu, Conſuetudinem in alia Pietatis Opera gratis omninò commutare liberè & licité valeatis, Auctoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium Facultatem impertimur. Volumus autem, ut præſentium Tranſumptis, etiam impreſſis, & Manu alicujus Notarij Publici ſubſcriptis, ac Sigillô alicujus Perſonæ, in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, munitis, eadem, quæ præſentibur ipſis Fides adlibeatur. Datum Romœ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die 13 Martij MDXCVIII. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

DIPLOMA hoc Pontificium excripſi ex Actis Synodûs Provincialis Provinciæ *Dublinienſis*, habitæ in Urbe *Kilkennienſi*, ſub D. *Eugenio Matthews* Archiepiſcopo, *Dublinienſi*, (*m*) à Die 22 ad 27 Menſis Junij Anno Domini 1614 (*n*), ubi § *De Jejumiorum, & Abſtinentiarum Obſervatione* hæc legere eſt: “ Quamvis gratioſum hoc Sedis Apoſtolicæ Indultum ab aliquibus bonæ Memoriæ Reverendiſſimis Dominis Epiſcopis, qui in hoc Regno ſuperioribus Annis Gregi Dominico præfuerunt, pro Conſcientiarum Quiete, & Securitate, acceptatum, & Executioni demandatum ſit, & nonnulli pij, ac probi Sacerdotes ad Commutationem circà Lacticionorum Eſum faciendam, ab ijſdem ſpecialiter & nominatim delegati fuerint, tamen quia non omnes eundem conformem Modum in hac Commutatione facienda obſervabant, ut ex ea Praxis Varietate nonnulla Incommoda orta eſſe intellexerimus; ut de cætero uniformis Regula, & ad omnes quietandas Conſcientais idonea præſcribatur . . . . liceat omnibus per totam Provinciam Dublinienſem veſci Lacticinijs (inter quæ Caſeus, ſivè recens ſivè antiquus, connumerari poteſt) omnibus Diebus Quadrageſimæ, ac omnibus ſextis Ferijs per Annum, ac Sabbatis (ſiccubi contraria fuerit Conſuetudo) exceptis Feriâ quartâ Cinerum, Feriâ quartâ majoris Hebdomadæ, & Feriâ ſextâ in Paraſceve, itâ tamen ut ſingulis Diebus, quibus hujus Indulti Beneficio uti voluerint. recitent pro Statu univerſalis Eccleſiæ, Fideique Catholicæ in his Regnis Angliæ, Hiberniæ, & Scotiæ Reſtitu-

“ tione,

(*l*) *Veteres et primitivi Chriſtiani, non modò Feriâ Sextâ, et Sabbatô abſtinebant à Carnibus, ſed etiam Feriâ quartâ, ut docet Victor Antiochenus ad Cap.* XIV. *Marci; quam abſtinentiam retinet adhuc Hibernia,* inquit *Petrus Redanus* Societatis Jeſu, Commentar. *in Macchab.* Pag 464.

(*m*) Archiprœſulem hunc 2 Maij 1611 creatum, ejuſque Prædeceſſorem immediatum, atque Succeſſorem, & quidem utrumque Franciſcanum, protinùs videbis in hoc *Supplemento,* Num. XIV, ex *Archivo Vaticano.*

(*n*) Exemplar quoddam exhibet annum 1624, ſed mendoſè, Archiepiſcopus quippé *Eugenius Matthæus* è vivis abierat antè Annum 1624, ut vel ex eo luculentiſſimè conſtat, quod ipſius Succeſſor *Thomas Flemingus* creatus fuerit 23 Octobris 1623 juxtà *Archivum Vaticanum* brevi laudandum in hoc *Supplemento,* Num. XIV. Prætereà eidem *Thomæ Flemingo,* quà Electò *Dublinienſi,* inſcribitur Bulla *Urbani* Papæ VIII data 22 Decembris (undecimo Kalendas Januarij) 1623, videnda in hoc eodem *Supplemento,* Num. LXXXIV.

“ tione, Catholicorum Libertate, Peccatorum Converſione, bonôque Reipublicæ Regimine; quinque
“ *Pater* & *Ave*; vel (ſi ipſi maluerint) ſinguli dent Ordinario Loci duodecim Denarios Anglicos, in pios
“ Uſus convertendos. Qui verò opulentiores fuerint, non præfigitur certus Terminus eorum Liberalitati,
“ ac Devotioni, cùm ipſis conſultius ſit, Intuitu talis Commutationis ad hujuſmodi pios Uſus, juxtá ſuas
“ Facultates paulò liberiús ergà Pauperes ſe exhibere.”

Quia huc flectit Oratio, placet ſequentia in Medium adducere ex Actis Synodûs Diæceſanæ habitæ *Dublinij* 24 Aprilis 1689, ſub D. *Patritio Ruſſell*, Archiepiſcopo *Dublinienſi (o)*, nempé:

“ Declaratum eſt Romæ à Sacra Congregatione de Propaganda Fide, quod non ſit licitum veſci Ovis
“ Ferijs ſextis incidentibus in Vigilias, aut quatuor Tempora.

“ Commutationem ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Eugenio Matthæo piæ Memoriæ Archiepiſcopo
“ Dublinienſi circà Uſum Lacticiniorum, Vi Bullæ Clementis Papæ VIII in quinquies *Pater* & *Ave*, ſivè
“ Solutionem Solidi (*p*), factam, commutamus in Recitationem unius Roſarij, conſtantis ex quinque vel
“ ſex Decadibus, ſemel ſingulis Septimanis per Quadrageſimam faciendam, donec Româ habeatur Diſ-
“ penſatio abſoluta tollendi Obligationem abſtinendi à Lacticinijs in Quadrageſima. Et declaramus,
“ Nos non intendere ullos obligare ad Recitationem Roſarij niſi ſub Peccato veniali.”

Cæterum ut, Occaſionem hanc nactus, obiter referam, laudatus Archipræſul *Ruſſel* Synodum Provincialem habuit *Dublinij* 24 *Julij* 1685, regnante *Jacobô ſecundô*, cujus *Acta* præ Manibus impræſentiarùm teneo cum Subſignationibus Prælatorum, & Secretarij, in hunc Modum:

Patritius Russell, Arhiepiscopus Dubliniensis, Hiberniæ Primas (*q*).
Jacobus Phelan, Episcopus Ossoriensis (*r*).
Lucas Waddingus, Episcopus Fernensis (*s*).
Eduardus Wesley, Episcopus Kildariensis, & Administrator Leghlinensis.

Eduardus Murphy Secretarius (t).

Quibus adſtiterunt tanquàm Theologi Deputati Capitulorum (inquiunt Acta) ſed non ſubſcripſerunt (*u*) *Edmundus Dunn* pro Capitulo *Dublinienſi—Gulielmus Daton (w)*, Decanus *Oſſorienſis*, pro Capitulo *Oſſorienſi—Michael Roſſiter*, Vicarius Generalis *Fernenſis*, pro Capitulo *Fernenſi—Jacobus Ruſſell*, Decanus *Dublinienſis*, & Protonotarius Apoſtolicus, pro Capitulo *Kildarienſi—Morganus Cavanagh* pro Capitulo *Leghlinenſi*.

VIII. Pag. 46 Lin. 8. lege, & adde——Hæc obiter de Provincia noſtra Matrice (ſcilicet *Angliæ*) quibus addidiſſe haud pigebit, *Beatum Laurentium*, Habitu Ordinis noſtri Manibus Sanctiſſimi Patriarchæ *Dominici* ſuſceptô apud *Toloſam*, ab eodem pro Ordinis Propagatione *Lutetiam Pa-*

(*o*) Memoratô in *Hibernia Dominicana* Cap. XI. Num. I; & in *Appendice Monaſtica* §. VII. Pag. 354, & 741. Porrò inter mox laudatum *Thomam Fleming*, & hunc *Patricium Ruſſel*, fuit ab Anno 1669 ad 1680 *Dublinienſis* Archiepiſcopus *Petrus Talbot*, Libri de *Primatu Dublinienſi* tractantis, in *Hib. Dom.* Cap. I. Num. XII. Pag. 16. recenſiti Auctor, in eadem *Hib. Dom.* identidem laudatus, ſignanter Cap. VI. Num. XXIII. Pag. 131. ubi glorioſa ipſius Mors deſcribitur.

(*p*) Sciant Exteri, *Solidum* apud *Anglos* valere duodecim *Denarios*, à Synodo Provinciali *Kilkennienſi* 1614 præſcriptos.

(*q*) Memoratus in *Hibernia Dominicana* Pag. 354, & 741.

(*r*) Fuit quadraginta Annis Epiſcopus *Oſſorienſis*, memoratus in *Hib. Dom.* Cap. VII. Num. X, & Cap. XIII. Num. LXXVIII. Lit. r. Pag. 142 & 505.

(*s*) Alter à *Luca Waddingo*, de quo in *Hib. Dom.* identidem ut patet ex Indice Alphabetico; & in hoc *Supplemento* Num. LXXXVIII. Cœterùm *Lucas* Epiſcopus *Waddingus* obijt Anno 1687, Annoque 1709 ejus obijt Suceſſor *Michael Roſſiter*.

(*t*) Poſtmodùm fuit Epiſcopus *Kildarienſis*, dein Archiepiſcopus *Dublinienſis* ab Anno 1724 ad 1729.

(*u*) Conſulendus *Supplementi* hujus Num. XIX.

(*w*) Epiſcopus fuit *Oſſorienſis* immediatè poſt prælibatum *Jacobum Phelan*, Exilium perpeſſus ab Anno 1698 cum reliquis *Hiberniæ* Antiſtitibus ut in *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. CXII. Pag. 712 refertur. Diem clauſit extremum in Urbe *Cenomanenſi*, gallicé *Mans*, Anno 1711.

riſiorum miſſum fuiſſe, ubi Conventum fundavit *S. Jacobi*, in ampliſſima illa Urbe primorem, denatus Anno 1235, ut diſertis Verbis refert P. Magiſter Fr. *Dominicus Ponſi*, Exprovincialis *Romanus*, et Reverendiſſimi Magiſtri Generalis *Thomæ Ripoll* pro *Italia* Socius, Mihi notiſſimus, in *Sacro Diario Dominicano* (ad Diem 17 Januarij) italicè vulgato *Romæ* Typis *Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* 1728. Laudatus Scriptor vivere deſijt *Romæ* ad *Minervam* 1740. Ejus Nomen videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XI. Num VII. Pag. 357.

IX. Pag. 49, ſub Finem Num. III. Poſt Literas Apoſtolicas *Alexandri* Papæ IV, concedentes Fr. *Patritio O-Scanlan*, Epiſcopo *Rapotenſi*, ut duos habeat Socios ex ſuo Ordine Prædicatorum, adde——Similes Literas Apoſtolicas exſcripſi *Romæ* Anno 1770 ex *Archivo Vaticano*, nimirùm in Regeſto *Clementis* Papæ IV, Anno III. Tom. IV. Epiſt. 350, quas in Medium affero Venerationis Cauſâ ergà Angelicum noſtrum Doctorem, Tenoris hujusmodi.

“ Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei: Dilecto Filio Thomæ de Aquino, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cùm ſit bonum pariter & jucundum habitare Fratres in unum, & omne Animal ſibi ſimile diligat,
“ Nos Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Gabulenſis (*l*) Conceptum, quo ad ſui Ordinis Fratres affici-
“ tur, quorum cupit Conſortio recreari, Favore benevolo proſequentes, Diſcretioni tuæ per Apoſtolica
“ Scripta præcipiendo mandamus, quatenùs duos Fratres tui Ordinis, unum ſcilicet Clericum, & alterum
“ Laicum eidem aſſignes, qui eum aſſocient, ſalvâ Majorum ſuorum in Ordine Obedientiâ, eidem obe-
“ diant, & intendant. Datum Viterbij Secundo Julij, Pontificatûs noſtri Anno Tertio (i. e. A. D. 1267.)”

X. Pag. 81. Lin. 23, ubi obiter fit Sermo de Sacramento Confirmationis, hanc appone Notam. —*Benedictus* Papa XIV Tract *de Synodo Diæceſana*. Lib. XIII. Cap. XIX. Num. XVI, & XVII docet, Confirmationem, & Extremam Unctionem fieri non debere Penicillô intinctô; atque Extenſionem Manuum Epiſcopi non eſſe neceſſariam in Confirmatione.

XI. Eadem Pag. 81. Lit. o, lege, & adde in hunc Modum——Adeas Cap. XIII. Num LXXXII. Hùc faciunt Verba *Benedicti* XIV Tract *de Synod. Diæces*. Lib. IX. Cap. XVI. Num. VIII. ajentis:
“ Notæ ſunt Anglicanæ Eccleſiæ Calamitates poſt illius Regni Separationem à catholica Unitate, &
“ Fide; & ſatis compertum eſt, quantâ Curarum, & Solicitudinum Mole Apoſtolica Sedes Operam de-
“ derit, ut pauci Catholici, qui ibidem relicti ſunt, in Sanctæ Religionis Integritate permanerent, & quot in
“ eum Finem Eccleſiaſtici Regiminis Formas, atque Rationes excogitare debuerit, donec Venerabilis
“ Servus Dei Innocentius Papa XI per ſuas Literas in Forma Brevis Anno 1688 editas, id tandem
“ conſtituit, ut tres Vicarij Apoſtolici, Epiſcopali Charactere inſigniti, cum Titulo Eccleſiarum, in
“ Infidelium Partibus exiſtentium, per diverſas illius Regni Regiones, opportunè diviſas, conſtitueren-
“ tur, qui Catholicorum in ijs degentium ſpirituale Regimen gererent.”

XII. Pag. 96 Lit. k, lege, & adde in hunc Modum——*Echardus* Tom. II. Pag. XVIII. Loco XLIX apponit Provinciam *Superioris Germaniæ*, quam dicit Anno 1709 à *Teutonia* avulſam, & in novam Provinciam erectam, eamque quatuordecim complecti Domos Conventuales, & quindecim Sororum Monaſteria. At nihil prorſùs de Provincia hac, ſeù in *Bullario Ordinis*, ſeù in Capitulorum Generalium quatuor, ab Anno 1709 celebratorum Actis invenire potui. Tandem autem verſans *Coloniæ Agrippinæ*, & *Auguſtæ Vindelicorum* Anno 1769, accepi Provinciam iſtam *Germaniæ Superioris* aliam non eſſe quàm Provinciam *Saxoniæ* inſtauratam, aut vix non ſuſcitatam. Enimverò cùm fermè deſtructa eſſet à *Lutheranis*, ut ajebam in *Hibernia Dominicana* (*m*), idcircò ex Decreto Reverendiſſimi *Clocbe* Anno 1709 quatuordecim Domus Conventuales Fratrum, & quindecim Monaſteria Sororum avulſa ſunt ex Provincia *Teutoniæ*, & adjecta Provinciæ *Saxoniæ*. Et ſanè hùc facit Confirmatio in proximè ſequentibus Comitijs Generalibus Anno 1721 ſub Reverendiſſimo *Pipia*, Tit. *Pro Provincia Saxoniæ*, Pag. 32, hiſce concepta Verbis: “ Confirmamus noſtram Provinciam Saxoniæ cum Titulo, Loco, & Privilegijs Provin-
“ ciæ Saxoniæ juxtà Decretum Reverendiſſimi Patris Magiſtri Generalis Antonini Cloche piæ
“ Recordationis. Huic Provinciæ eandem impertimur Gratiam, quæ Provinciæ Hungariæ con-
“ ceſſa eſt, videlicet quod gaudeat omnibus Privilegijs Provinciæ Teutoniæ, quia & hæc Pro-
“ vincia, ſicut Hungariæ Provincia, fuit anteà Provinciæ Teutoniæ unitâ.” Porrò Conventus
Colonienſis

(*l*) Diæceſis *Gabulenſis* eſt in Partibus *Syriæ* ſub Patriarcha *Antiocheno*.

Cap (*m*) V. Num. V. Lit. x. Pag. 95.

Colonienſis, ut obiter dicam, primarius eſt Provinciæ *Teutoniæ*, & Conventus *Auguſtanus* primarius eſt Provinciæ *Saxoniæ*, ac in utroque, ut nuper vidi, regularis Obſervantia, necnon Literarum Studia magnoperè florent, atque etiam in *Bulganenſi* (vulgò *Bolſano)* Cænobio contiguæ Provinciæ *Hungariæ*.

XIII. Pag. 101. Lin. 13 adde——Poſtquàm hæc omnia Typis edideram, ***Româ*** ad me miſſa fuit Denunciatio VIII Capituli Generalis *Bononienſis* Anno 1484, ſub Reverendiſſimo *Bartholomæo de Comatijs* (cui Capitulo ipſemet interfuit Prior Provincialis *Angliæ*, P. Magiſter *Gulielmus Richford*) his Verbis concepta, quœ Magiſtrum *Fontanam* proſternit: “ Maximis & rationabilibus Cauſis, in præſenti Capi-
“ tulo allegatis, de UNANIMI Voto Reverendorum Provincialium & Diffinitorum præſentis Capituli,
“ Nationem Hiberniæ Provinciam facimus, quam Provinciam per ſe volumus a Provincia Angliæ diſ-
“ tinctam & ſeparatam eſſe, & appellari, & eandem Provinciam Hiberniæ cum ſuis Conventibus, Pri-
“ vilegijs omnibus, Gratijs, & Libertatibus Ordinis, quemadmodùm cæteræ Provinciæ dehinc anteà,
“ gaudere debere, ac Locum inter alias Provincias in noſtris Generalibus Capitulis, ut Moris eſt, obti-
“ nere. Etne dicta Provincia idoneo careat Capite pro Tempore Reverendiſſimus Magiſter Ordinis
“ Fratrem Mauritium Moral, Theologiæ Magiſtrum, in Priorem Provincialem prædictæ Provinciæ
“ inſtituit, & creavit, dando ei Auctoritatem ſuper dictam Provinciam in ſpiritualibus & temporalibus,
“ & Fratribus Provinciæ, ac omnia, & ſingula, quæ cæteris Provincijs conceduntur.”

XIV. Pag. 109. Num. III. affertur Judicium *Thomæ Fleming* Archiepiſcopi Dublinienſis, ad cujus Calcem ſequens apponenda eſt Nota——Hic, ex Familia Baronum de *Slane* oriundus, ac Ætatis 31 Annorum, dum eſſet *Ordinis Minorum de Obſervantia, & S. Theologiæ Profeſſor in Univerſitate Lovanienſi, creatus fuit Archiepiſcopus Dublinienſis* 23 *Octobris* 1623 *(n)*, ut totidem diſertis Verbis annotatur in *Archivo Vaticano(o)*, ut vidi Anno 1769, *Romæ* tunc Temporis verſans. Fatis ceſſit Anno 1666, & quidem antè Annum 1667 ut ex *Hibernia Dominicana (p)* Sole meridianô clariùs patet. Ei autem præiverat, quà *Dublinienſis* Archipræſul, *Eugenius Matthæus*, anglicè *Matthew*, italicè *Mattei*, tranſlatus à Diæceſi *Clocherenſi (q)*, 2 Maij 1611 *(r)*. Huic verò præiverat *Matthæus de Oviedo*, Natione *Hiſpanus*, è *Segovia (s)* oriundus, Ordinis Minorum de Obſervantia, renunciatus Archiepiſcopus Dublinienſis 5 Maij 1600 *(t)*. Anteà porrò Eccleſia *Dublinienſis* triginta tribus Annis (apud Catholicos) viduata erat Paſtore ob ſæviſſimas Temporum illorum Perſecutiones ſub *Elizabetha* Regina, in *Hibernia Dominicana* (*u*) plenè narratas. Proviſiones iſtas Apoſtolicas, ut jacent, ex *Archivo Vaticano*, quâ eſt Humanitate Mihi exſcribere dignatus eſt Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. *Joſephus Garampi*, Sanctiſſimo Domino Noſtro *Clementi* XIV à Secretis *Ciphræ*, ejuſdemque *Archivi* Cuſtos, Doctrinâ, & Eruditione fulgens.

Porrò immediatè antè laudatum *Matthæum de Oviedo*, Minoritam *Hiſpanum*, Archiepiſcopus *Dublinienſis* erat *Hugo Corren*, aliàs *Curwin*, Natione *Anglus*, creatus 21 Junij 1555 *(w)*. Anno autem 1567 Valetudinis Cauſâ ad *Oxonienſem* in *Anglia* Diæceſim ſe tranſferri curavit (*x*), à quo Tempore ad annum uſque 1600 *Dublinienſis* vacavit Sedes, ut mox dictum eſt. *Hugoni Curwin* præiverat *Joannes Alanus*, vernaculè *Allen*, Natione quoque *Anglus*, creatus Archiepiſcopus *Dublinienſis* à *Clemente* Papa VII. 3 Septembris 1529 (*y*), inſimulque erat Magnus *Hiberniæ* Cancellarius. Iſti duo Archipræſules, ſicut & eorum Prædeceſſores erant ante Religionem *Proteſtanticam*, proindeque videndi apud Equitem ***Waræum*** in Commentario *de Præſulibus Hiberniæ*.

(n) Literas Apoſtolicas, quas ab *Urbano* VIII ſtatim impetravit, ſtabilientes *Titulum Miſſionis in Hibernia* pro Sacris ſuſcipiendis Ordinibus, legere erit in hoc *Supplemento* Num. LXXXIV.

(*o*) Ex *Actis Conſiſtorialibus*.

(*p*) Cap. XIII. Num. LXVII. Pag. 489.

(q) Creatus fuerat ex Preſbytero *Clocherenſi* Epiſcopus *Clocherenſis* in Provincia *Armacana*, ut ex Actis Conſiſtorialibus liquet, 31 Auguſti 1609.

(r) Ex *Actis Conſiſtorialibus*.

(*s*) *Segovia*, vulgò *Segobia*, Urbs eſt Epiſcopalis in Provincia *Toletana*, & Regno *Caſtellæ*.

(t) Ex *Actis Conſiſtorialibus*.

(u) Cap. XVII. à Num. IV. Pag. 599.

(*w*) Ex *Actis Conſiſtorialibus*, & *Bullario Pauli IV*.

(*x*) Eques *Jacobus Waræus*, de *Præſulibus Hiberniæ* Pag. 120.

(*y*) Ex *Actis Conſiſtorialibus*.

CÆTERUM *Thomæ Fleming* prædicto ſucceſſit *Petrus Talbot* (z), Frater *Richardi Talbot*, Comitis (dein Ducis) *Tirconnalliæ*, poſtmodùm Proregis *Hiberniæ*, creatus 2 Maij 1669 (*a*); huic *Patritius Ruſſell* (*b*), electus 2 Auguſti 1683 (*c*); & huic *Petrus Creagh*, tranſlatus à Diæceſi *Corcagienſi*, 9 Martij 1693 (*d*); & huic *Edmundus Byrne* 31 Martij 1707 (*e*); & huic *Eduardus Murphy*, à Diæceſi *Kildarienſi* tranſlatus Anno 1724; & huic *Lucâs Fagan*, tranſlatus à Diæceſi *Midenſi* Anno 1729; & huic *Joannes Linegar*, Anno 1734; & huic per Coadjutoriam (anteà per Biennium Epiſcopus *Arathienſis* in Partibus) *Richardus Lincoln*, Anno 1757; & huic *Patritius Fitz Simons*, Anno 1763; & huic *Joannes Carpenter*, Anno 1770.

XV. Pag. 155. Lit. h. lege, & adde, ut ſequitur— Parochi non cenſentur, etiam apud *Proteſtantes*, exercere *Juriſdictionem Eccleſiaſticam*, id eſt, in Foro contentioſo, niſi ſint Vicarij Genrales, aut ſaltem Vicarij Foranei, qui etiam, ut obiter dicam, *Decani Rurales* paſſim appellantur, quia Territorio *Decem*, ut plurimùm, Parochiarum præeſſe ſolent.

A fortiori porrò *Juriſdictionem Eccleſiaſticam* exercere cenſetur Vicarius Generalis, qui Diæceſi præeſt, Sede vacante, qui tamen, ut iterùm obiter dicam, Literas Dimiſſorias pro Ordinibus ſuſcipiendis infrà Annum à Die Vacationis concedere nequit. Si ſecùs fiat, Vicarius Generalis, ſeù *Capitularis*, Eccleſiaſtico ſubjacet Interdicto, promoti verô ſunt ipſô Factô ſuſpenſi, ut *Tridentina* Sydonus decrevit Seſſ. VII. Cap. X. *de Reform.* Et tametſi prælibata Sancta Synodus de Capitulo loquatur, nihilominùs de Vicario Capitulari eſt intelligenda. Capitularis quippè Vicarius non cumulativè, ſed privativé quoad Capitulum acceptam Juriſdictionem exercet juxtà Sacram Congregationem 17 Septembris 1655, ut monet Synodus *Tuſculana*, Anno 1763 celebrata, Pag. 786.

E quia hùc flectit Oratio, Vicarius Generalis, quamquàm non Capitularis, immediaté poſt Epiſcopum præcedit alios in Synodo, & extrà, tametſi poſſit ab Epiſcopo pro ſuo Libito, & ſine Cauſa removeri, ut docet *Benedictus* Papa XIV. Tract. *de Synodo Diæceſana*, Lib. II. Cap. IX. Num. IV. & Lib. III. Cap. X. Num. II.

XVI. Pag. 160 (ubi Sermo eſt de celebri Conſtitutione *Unigenitus*) antè Num. VIII adde—— Anno 1719 laudatus Summus Pontifex *Clemens* XI, per Organum Excellentiſſimi & Reverendiſſimi D. *Vincentij Santini*, Abbatis S. *Joannis Baptiſtæ*, ac Internuntij Apoſtolici *Bruxellenſis* (*m*), ſignificavit *Hiberniæ* Epiſcopis, libentèr ſe viſurum Teſtimonium aliquod Pietatis & Obſervantiæ ipſorum ſuper memorata ſua Conſtitutione *Unigenitus*. Singuli, ut par erat, id incunctanter præſtitere, aſt nullius Literarum Exemplar invenire potui niſi ſolius Archiepiſcopi *Caſſelienſis*, Domini nimirùm *Chriſtophori Butler*, de quo honorabilem facit Mentionem *Hibernia Dominicana*, in nobiliſſimæ, ne dicam regiæ (*n*) Domûs ſuæ Stemmate, Cap. IX. § XVIII. Num. II. Pag. 266. Neque etiam illud ullatenùs fortaſſè vidiſſem niſi Typis vulgatum fuiſſet ad Calcem *Orationis* de eo *funebris*, anglicô Sermone eleganter elaboratæ per P. *Richardum-Joannem Hogan*, Ordinis Minorum, Miſſionarium Apoſtolicum, & Provinciæ *Hiberniæ* Definitorem. Is porrò, ut obiter dicam, *Romæ* verſans, ex Preſbytero *Oſſorienſi* (*o*) à prælibato Sanctiſſimo Domino

Clemente

(z) Memoratus nuper in hoc *Supplemento* Num. VII. Lit. o. Pag. 815.

(*a*) Ex Archivo S. Congregationis *de Propaganda Fide*.

(*b*) Memoratus in hoc *Supplemento* Num. VII. Pag. 814.

(*c*) Ex Archivo S. Cong. *de Propaganda Fide*.

(*d*) Ex *Actis Conſiſtorialibus*.

(*e*) Ex Archivo S. Congregationis *de Propaganda Fide*. Ab hoc digniſſimo Antiſtite Sacramentum Confirmationis recepi, quem proindè & omnes ejus Succeſſores perſonaliter novi.

(*m*) Fuit poſteà Archiepiſcopus *Trapezuntis*, italicè *Trabiſonda*, in *Cappadocia*, & Nuntius Apoſtolicus in Regno *Poloniæ* Anno 1728.

(*n*) Primus *Ormondiæ* Comes à quo rectà deſcendit Archipræſul noſter, Uxorem habuit *Eleonoram*, Regis *Eduardi* Primi *Anglorum* ex Filia *Elizabetha* Neptem. Inſuper *Eduardi* Regis Conjux, Materque *Elizabethæ*, alia erat *Eleonora*, Filia Beati *Ferdinandi Tertij*, Regis *Caſtellæ* & *Legionis*, Cognomentô *Sancti*, cujus Feſtivitas ſub Ritu Duplici celebratur quotannis in Catholici Regis *Hiſpaniarum* Ditionibus Die 30 Maij.

(*o*) Natus eſt 18 Januarij 1673 in Paterno ſuo Domicilio de *Garryricken*, in Agro *Kilkennienſi*, & Diæceſi *Oſſorienſi*, atque pro eadem Diæceſi ordinatus Sacerdos, ut ab ejus Succeſſore digniſſimo *D. Jacobo Butler*, moderno Archiepiſcopo *Caſſelienſi*, accepi. Obijt porrò apud *Aulam Occidentalem*, anglicè *Weſt-Court*, in memoratis Agro & Diæceſi, *Clemente* XI electus fuit, & ibidem ab Eminentiſſimo D. *Ferdinando de Abdua*, italicè *D'Adda*, Mediolanenſi, Preſbytero Cardinali *S. Clementis*, dein Epiſcopo *Albanenſi* (*p*), conſecratus Die 18 Octobris 1712 recenſitæ Archidiæceſis Metropolitanus, in Locum D. *Eduardi Comerford*, ultimi, dum viveret, Archiepiſcopi. Eidem Archidiæceſi laudatus *Chriſtophorus* per Quadraginta quinque Annorum Seriem, Doctrinâ ſanâ, & Vitâ verè exemplari præfuit, & profuit, Humilitatis, Manſuetudinis, cæterarumque Virtutum, quæ ſunt veluti quoddam perpetuum prædicandi Genus, Supellectili inſignis. Epiſcopis proindè in aureis Eccleſiæ Sæculis Jure meritô comparandus. En autem ipſius ad Summum Pontificem Literas, longiuſculas ſanè, orthodoxiores nihiloſeciùs, & utiliores, quàm ut in Medium non afferantur, & quidem de Verbo ad Verbum (*P*).

" BEATISSIME PATER

" Significavit Parvitati meæ Literis humaniſſimis Clariſſimus & Reverendiſſimus Bruxellenſis Internuntius,
" SANCTITATEM SUAM, pro egregio ſuo in Religionem Studio omninò cupere Hibernorum Epiſcoporum
" in Conſtitutionem, cujus Initium eſt UNIGENITUS, Pietatis atque Obſervantiœ Teſtimonium
" aliquod, Monumentumque videre. Cui tám juſto SUÆ SANCTITATIS Deſiderio, eos omnes, &
" ſingulos, pro Debito ſuo in ſanctiſſimam *Petri* Sedem, & in ea tam glorioſè regnantem SANCTITATEM
" SUAM Obſequio ſedulò & alacriter facturos, ſatis pro comperto habeo, Nemineinque inter illos
" repertum iri, qui præfatæ ſapientiſſimæ Conſtitutioni, abſque ulla Tergiverſatione, aut Expoſitione,
" vel Reſtrictione, non ſit ſubſcripturus. Etſi enim pauperes ſint in hoc Mundo, ſunt tamen in Fide divites;
" ſi Menſam amiſerint Epiſcopalem, non perdiderunt, quam Præpoſitis ſuis debent, Obedientiam
" ſpiritualem; ſi hoſtili Tyrannide, & Perſecutionis Gladiô ſcindantur, nullum in Chriſti Corpore Schiſma
" facient, aut quantùm in illis eſt, fieri patientur; ſi Membra ſint deſpecta, attrita, & malè cooperta,
" ſemper erunt *ſollicti ſervare* cum Capite ſuo, quod VOS eſtis, *Unitatem Spiritûs in Vinculo Pacis.*
" Denique, quantumvis, *egentes, anguſtiati, afflicti*, Pagos circumeant, manet tamen in illis, uſque hodiè,
" ergá Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram, fervens Amor, ac Veneratio, tuendorumque
" divinorum illius Jurium ſtudioſus Ardor, qui plus Tredecim abhinc Sæculis, á glorioſo illorum
" Apoſtolo S. PATRITIO per *S. Cæleſtinum Primum*, Summum Pontificem, hùc miſſo, inter Majores
" eorum

---

4 Septembris 1757, in Majorum ſuorum Tumulo apud *Kilcaſh* humatus. Hujus ex Fratre *Joanne Butler* de *Garryricken* Nepos, *Gualterus Butler*, Primpilus eſt nobiliſſimæ iſtius Familiæ, nunc Dierum habitans More ſplendido Proavorum *Ormondiæ* in Caſtro *Kilkennienſi*, nuper magnoperè decorato.

(*p*) Olim Archiepiſcopo *Amaſiæ* in *Cappadocia*, & Nuntio Apoſtolico *Londinenſi*, ut videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. VII. Num. I. Pag. 136. Porrò *Abdua* eſt Nomen Fluminis in *Gallia*, ut refert *Plinius*.

(*P*) Pro Literarum harum faciliori Intelligentia ſciat benignus Lector, in Rebus hiſce Theologicis forſan haud verſatus, *Clementem* Papam XI duas celebres edidiſſe Conſtitutiones, quarum prima data 5 Julij 1705, & incipiens: *Vineam Domini Sabaoth*, prœcipit non ſolúm externam, ſed etiam internam Obedientiam præſtandam ab ijs, qui damnatarum quinque Propoſitionum *Janſenij* Formulario ſubſcribunt, juxta Decreta Summorum Pontificum *Innocentij* X, & *Alexandri* VII. Altera data 8 Septembris 1713, & incipiens: *Unigenitus*, proſcribit Centum & unam Propoſitiones *Queſnelli*, quarum aliquot, ad Gratiam attinentes, damnat in Senſu *Janſenij* (qui Gratiam *neceſſitantem*, ut vocant Theologi, invexit) integrâ ac prorſús illæſâ permanente Doctrinâ de Gratia *ſeipſà* efficaci, & Prædeſtinatione gratuitâ, quam Schola Thomiſtica, Duces Sanctos *Auguſtinum*, & *Thomam*, Doctorem Angelicum, ſecuta, ſemper docuit, & etiamnúm conſtanter propugnat. Quapropter laudatus *Clemens* diſertè declaravit, huic Doctrinæ, ſicut & alijs Sententijs quæ in Catholicis Scholis docentur, nullam Erroris Notam in ea Conſtitutione, quæ incipit *Unigenitus*, ſe affigere voluiſſe, id, inquam, declaravit in ſuis Literis, quas *ad Univerſos Chriſti Fideles*, 1. Septembris 1718, direxit, incipientes: *Paſtoralis Officij*, ubi loquens de his, qui à ſuſcipienda laudata Conſtitutione *Unigenitus* ſe retardari affirmabant, eo quòd ſuſpicarentur per illam damnari Sententias, atque Doctrinas, quas inſignes Catholicorum Scholæ abſque ulla Cenſura hactenús tenuerunt, ac tradiderunt, hæc habet notandiſſima nec minùs aurea Verba: *Cæterùm in hoc ipſo præpoſtero Judicio conſuetum calumniandi Morem non derelinquunt; niſi enim excæcaret eos Malitia eorum, ac niſi diligerent magis Tenebras, quàm Lucem, ignorare non deberent, Sententias illas, ac Doctrinas, quas ipſi cum Erroribus per Nos damnatis confundunt, PALAM & LIBERE, in Catholicis Scholis, etiàm poſt editam à Nobis memoratam Conſtitutionem, ſub Oculis noſtris doceri, atque defendi, illaſque propterea MINIME per eam fuiſſe proſcriptas.* Poſt declarationem igitur iſtam Anno 1718 factam, voluit Vigilantiſſimus Pontifex Anno ſequenti 1719 ab Epiſcopis *Hiberniæ* Teſtimonium Pietatis, & Obſervantiæ ergá ſæpe laudatam Bullam *Unigenitus*.

“ eorum ſeminatus eſt, & propagatus. Gloriamurque Jure meritò nullum deprehendi inter Prædeceſſores noſtros Antiſtites, totâ Traditionis ſerie inſpectâ, qui cuivis Conſtitutioni, Decreto, aut Reſcripto, Diplomatique Apoſtolico, in Negotio Fidei, auſus ſit contradicere vel refragari. Etſi ampliùs oportuerit gloriari, amplam habemus gloriandi Segetem in eo, quod nec á Nobis, nec á Clero, & Populo Nobis ſubdito, unquàm uſurpentur in Contemptum legitimæ Auctoritatis, profanæ iſtæ Vocum Novitates *Silentij religioſi, & Obſequioſi*; ſive *Quæſtionum Juris & Facti*; & quod vix de nomine cognoſcantur, á multò majori Parte Noſtrûm, famoſi illi Codices, & Auctores, qui tantas in Regnis Catholicis, & Chriſtianiſſimis generant Lites, tot fera Bella, & Tumultus excitarunt.

“ Arcuit longè á Finibus noſtris, & profligavit novas has, & priſcis Sæculis incognitas Merces, quæ intimis omnium Noſtrûm Medullis inſita eſt ergà Romanum Pontificem, omnium Gentium Paſtorem, & Doctorem, Reverentia, Amor, & Obſequium, cujus ut primùm Vox ſonat in Auribus noſtris, illam *ut Signaculum ponimus ſuper Os noſtrum, ut Signaculum ſuper Os, & Brachia noſtra*, ut nihil cogitemus, loquamur, aut operemur, quod non ſit huic Voci conſonum in omnibus, & ad Amuſſim concordans. Inſtructi quippè Documentis Apoſtolicis, & omnium retrò Sæculorum non interruptâ Traditione formati, didicimus, BEATISSIME PATER, veſtrum eſſe commiſſum Vobis Gregem Univerſi contrà Luporum Incurſus ſalvare, & munire, ad ſalutares Paſcuas ducere, & reducere, & á nocentibus, & venenatis prohibere, ſicut hâc noviſſimâ veſtrâ Conſtitutione egregiè præſtitiſtis, *confirmando* nempè *Fratres tuos*, quos *Unigenitus, qui in Sinu Patris eſt*, voluit á Vobis edoceri Regulas tuendæ Unitatis, ſicut cæteros voluit Apoſtolos á Beato *Petro* ſuo Principe ediſcere ſuæ Myſterium Divinitatis. Credimus proindè *non Carnem, aut Sanguinem, ſed Patrem, qui in Cælis eſt*, revelaſſe quæ in præfata Conſtitutione proponuntur Fidelibus vitanda, aut facienda. Novimus enim, BEATISSIME PATER, illius VOS Vicarium agere in Terris, *qui oravit, & ſemper exauditus eſt pro ſua Reverentia*, & illius VOS Sedem occupare, pro quo *oravit, ut nunquam deficiat Fides ejus*. Novimus quantus ſit, qui juſſerit *ſervare, & facere quæcunque dixerint, qui in Cathedra Moyſis SEDENT*, undè conſequentèr didicimus cum B Cypriano, *non aliundè Hæreſes obortas, aut nata Schiſmata, quàm indè quod Sacerdoti Dei non obtemperetur*. Cum B. Hieronymo pronunciamus, quod *quicunque TECUM non colligit, diſpergit*. Cum B. Auguſtino aſſerimus: *In ROMANA Eccleſia Apoſtolicæ Cathedræ ſemper vigere Principatum*. Et quod eximius ille Doctorum Sol dixerat de Hæreſi Pelagiana, nempè, *poſt Reſcripta APOSTOLICA Cauſam fuiſſe finitam*, ſic Nos de modernis Novatorum Hæreſibus, & Contentionibus dicimus eſſe per ſanctiſſimas, & ſapientiſſimas SANCTITATIS SUÆ, & Prædeceſſorum ſuorum Conſtitutiones, & Reſcripta, totaliter, & ultimatè terminatas, nec ulterioris Examinis in quocunque Tribunali egere Diſquiſitione. Nam (ſicut B. Chryſologus monuit Eutichen, ut faceret) *obedientèr attendimus his, quæ à Beatiſſimo Papa ROMANÆ Civitatis ſcripta ſunt, quoniam B. Petrus, qui in propria Sede vivit, & præſidet, præſtat quærentibus Fidei Veritatem*. Enimverò ſi *Paulus*, Preco Veritatis, Vas Electionis, & Tuba S. Spiritûs, ad magnum *Petrum* accurrit, ut ijs, qui Antiochiæ de Inſtitutis legalibus contendebant, afferret Solutionem, multò magis Nos, qui abjecti ſumus, ac puſilli, in omni Re dubiâ, & Controverſiâ ad apoſtolicam VESTRAM Sedem confugiamus, & in illius Judicio, & Beneplacito penitùs acquieſcamus.

“ Hujus tàm inclytæ Sedis divina planè Authoritas, abſque Ope Conciliorum Æcumenicorum, repreſſit, delevit, extinxit quotquot tribus primis Eccleſiæ Sæculis ortæ ſunt Hæreſes & Schiſmata; & illam parùm idoneam, & valentem nùnc putabimus, quæ confundat, ac diſſipet hujuſce noſtri Sæculi Novatores paucos, & puſillos? Nos certé, non ità, ſed veriùs, & ſaniùs cum univerſis Galliæ Epiſcopis in ſua ad S. *Leonem Magnum* Epiſtolà ſentimus, ac dicimus: *Apoſtolatûs veſtri Scripta, ità ut Symbolum Fidei, quiſquis Redemptionis Sacramenta non negligit, Tabulis Cordis adſcribit.* Prætereà, BEATISSME PATER, ut nullus ſuperſit de Puritate, & Integritate noſtræ Fidei dubitandi Locus, aſſentimur ex Animo ſapientiſſimis Documentis, ac Regulis, quas decem circiter abhinc Annis declaravit Comitijs Cleri Gallicani SANCTITAS SUA in præclara ſua, & præeleganti ad eos Epiſtola. Etenim in confeſſo eſt apud Nos, quod inibi tàm appoſité ex B. *Gelaſio*, & Concilio *Pontigonenſi* utatur, videlicet, quod *Sedes B. Petri Apoſtoli de omni Eccleſia Jus habeat judicandi, neque cuiquam liceat de ejus Judicio judicare, ad eam ſiquidem ab omni per Mundum Eccleſia Canones appellare jubent, ab eo autem Nemo unquam ſit appellare permiſſus*. Hæc Patrum Fides, hæc Majorum Traditio, hæc Epiſcoporum Hiberniæ, ſicut cæterarum totius Chriſtiani Orbis Eccleſiarum Regula, à quibus inſigniter devios ſeſe oſtendunt, qui SANCTITATIS SUÆ ſaluberrimæ, ac opportuniſſimæ Conſtitutioni, cujus Initium eſt UNIGENITUS, ſubſcribere detrectant; qui temerariô Auſu Expoſitiones poſtulant; quique contrà omne Jus, & Fas, & non ſine magno Infirmorum Scandalo, ad futurum Concilium Æcumenicum, aut Pontificem meliùs inſtructum, more hæreticô, provocare non dubitant. Inveniri autem ex eorum Numero Viros præcellenti Dignitate, & primis Cathedris, non

“ minùs

“ minùs quàm Doctrinâ, & Pietate conſpicuos, vehementèr & doleo & ſtupeo, eoque magis, quòd pro hac ſua inſolita agendi Ratione, Conſcientiam, & Religionem in medium adducant, & tàm venerandô prætexent Nomine Culpam. Quaſi verò, Conſcientiæ, & Religioni valedixiſſent tot alij per Orbem univerſum Præſules ſpectatiſſimi, Academiæ eruditiſſimæ, Ordines religioſiſſimi, Paſtores, & Doctores graviſſimi, atque ipſe imprimis, ſuprà omnes, Summus Legiſlator, Doctor & Pontifex? Aut quod illi, cum puſillo ſequacium Grege, oculatiores ſint, & ad dignoſcendam Veritatem argutiores illis omnibus, qui nullô Partium Studiô, nullâ præjudicatâ Opinione, nullô prorſùs temporali Motivô, ſed ſolô veritatis Amore adducti ſunt, ut Paſtoris ſui Voci tàm *rationabile præſtarent Obſequium.* Profectò ſi de Re dubia Quæſtio eſt, majori ſe Periculo errandi objiciunt, qui à tanta Nube Teſtium, tamquè fundata Authoritate ſe ſegregant, aut in privata Conventicula abeant; nam ſicuti probabiliùs, ità & tutiùs eſt credere ut credunt multi, etſi conſultiùs ſit vivere ut vivunt pauci.

“ MEA quod attinet, BEATISSIME PATER, fateor, malle me cum multis his, qui præſatam Conſtitutionem ambabus Ulnis amplexantur (ſi poſſibile eſſet) errare, quàm cum paucis illis, qui obnituntur benè ſentire. Enimverò alté Animô perſuaſum habeo, talem, in quem pro Bono Pacis, & ad vitanda Scandala, conſentiretur Errorem, nunquàm Mihi, cùm ad Tribunal Chriſti ſtetero, ad Culpam imputandum, quippè qui Judici meo clementiſſimo illud *Richardi à S. Victore* fidentèr opponere valeam: *Domine, Domine, ſi Error eſt quem credidi, a Te deceptus ſum. Tu enim Ore tuô ſanctô, & benedictô, declaraſti habendum velut Ethnicum, & Publicanum, qui Eccleſiam tuam non audierit. Tu per Moyſen Famulum tuum Spiritu Sanctô afflatum præcepiſti, ut fierent quæcunque dixerint, qui præſunt Loco, quem elegerit Dominus, qui autem, ſuperbierit, nolens obediere Sacerdotis Imperio, ut Morte moriatur. Tu per Apoſtolum tuum Gentium Doctorem mandaſti, ut Præpoſitis meis obedirem, & ſubjacerem. Obedivi, parui, obtemperavi, ut Filius Parenti in omnibus, ut Ovis Paſtori, ut Subditus ſublimiori Poteſtati.* Apage ergò vanos Scrupulos, apage Trepidationes Timoris ubi non eſt Timor, niſi inobedientibus, & negligentibus Diſciplinam, extrà quam quicunque ſunt, non Filij ſed *Adulteri* ab Apoſtolo nuncupantur. Confidimus autem de Fratribus noſtris devijs meliora, ſperamuſque non ſic offendiſſe ut caderent, qui ùt labentes erigerent potiùs ac ſuſcitarent, *in Partem Sollicitudinis,* non *in Plenitudinem Poteſtatis,* à Summo Paſtore vocati ſunt.

“ NON me latet, BEATISSIME PATER, quibus Argumentis, quibuſque fucatis Rationibus, hanc ſuam Tergiverſationem, & Pervicaciam tueantur, ac defendant. Diſcuſſi ſingula, &, ne viderer inauditos judicaſſe, in Pondere Sanctuarij trutinavi. Et quamvis plura, & graviora forent, ſolâ contradicentis Eccleſiæ authoritate evaneſcerent, & in Fumos abirent. Hæc enim formoſiſſima Chriſti Sponſa, quam *Spiritus Sanctus docet omnem Veritatem,* in ſublimi ſuo Capite, & in nobiliſſimis Membris, ubique Terrarum apertè contradicit, & nihil aliud eſſe, quæ opponunt Filij contumaces, niſi mera Somnia, & *ad excuſandas Excuſationes in Peccatis,* Subterfugia ſolemniter declarat Sic unâ Voce dicunt Pontifices, & Doctores Itali, ſic Germani, ſic Hiſpani, Luſitani, & Belgæ, ac omnes ferè Gallorum Epiſcopi: Sic Nos Hiberni, & quotquot ſunt in Magna Britannia orthodoxi: Sic dicit Eminentiſſimus Cardinalium Senatus, poſt Rem maturè diſcuſſam, & ſtrictioris Examinis Bilance crebrò trutinatam: Sic denique PETRUS per CLEMENTEM XI loquutus eſt: Et quis eſt qui juſtificet quos *ſtans ille in Synagoga Deorum* Vocis ſuæ Oraculô condemnat?

“ Poſt hæc jactent quantùm libuerit, & phaleratis Sermonibus prædicent, Codicem, ex quo damnatæ Propoſitiones excerptæ ſunt, per quadraginta, & ampliùs Annos Summô Plauſu, mirâ cum Ædificatione, & inoffenſô Pede, fuiſſe à ſapientibus, & inſipientibus lectum, ac relectum; fuiſſe Summorum Præſulum Approbationibus, Ore, & Calamis celebratum; eſſe illum de Numero Librorum, in quo non Fidei Dogmata, ad ſcholaſticam Limam accuraté concinnata, ſed Regula Pietatis, & Morum informandorum Principia quæri debuiſſent. Præteréa inveniri nonnullas ex Propoſitionibus damnatis, quæ in Sanctorum Patrum Operibus, ijsdem plané Terminis, de Verbo ad Verbum leguntur. Objiciant denique, non Amore Veritatis, ſed Deſideriô opprimendæ, ac denigrandæ certæ cujuſdam ſibi odioſæ, & in magno Honoris Culmine poſitæ Poteſtatis, ad Sanctam Sedem, ab omnibus invidis fuiſſe delatum. Nihil me iſta movent, vana enim ſunt, Figmenta ſunt, & comparata cum Pondere aliud ſentientis Eccleſiæ, levia prorſùs ſunt, & inania Hoc ſibi facilè perſuadebit quiſquis crediderit, uti credere oportet, & ut ego, BEATISSIME PATER, firmiſſimè credo, ſcilicet Eccleſiam accepiſſe a Chriſto Auctoritatem judicandi de Senſu, & Doctrina Librorum, & Propoſitionum, & Fideles ad ſuam ſubſcribendam Sententiam compellendi; tenerique eos in Conſcientia, internâ Mentis & Judicij Adhæſione acquieſcere, nec ſufficere ſolum, ut vocant, *religioſum* Silentium. Hâc Ego ſanâ & ſalutari Doctrinâ imbutus ſum, BEATISSIME PATER, in celeberrima & antiquiſſima Schola Theologiæ *Sorbonicâ* Pariſienſi, cujus non erubeſco profiteri me Doctorem, & Alumnum, licèt immeritum. Hæc eadam crevit, & altas poſtmodùm in me egit Radices, frequenti Sacræ Scripturæ,

“ Sanctorum Patrum, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Lectione, & Meditatione, cum quibus Nemo tàm modicam
“ Familiaritatem contraxerit, qui non apprimè perſpiciat, Eccleſiam Uſu conſtanti, & perpotuô
“ de Senſu & Doctrina Librorum ſuſpectorum decretoriè pronuciaſſe, junctâ ſimul *Facti & Juris*
“ Quæſtione, ſuoque Judicio ſubſcribi voluiſſe à Fidelibus; atque renuentes, velut Hæreticos, aut
“ Hæreſûm Fautores, Anathemate percuſſiſſe. Sic, qui olim patrocinabantur Perſonæ, & Scriptis *Origenis*,
“ compulſi ſunt ad ſubſcribendam de utriſque Eccleſiæ Sententiam. Et vel eô ipſô Errorum
“ *Origenis* ſuſpecti malè audierunt, quia tameſti Errores illos á ſeipſis rejicerent, ab illis purgare *Origenem*
“ contrá Judicium Eccleſiæ præſumebant. Sic Arij Fautores, *Euſebius Nicomedienſis*, & *Theognis*
“ *Nicænus*, non ſolùm Definitioni Fidei, ſed *Facti* in Damnatione *Arij* ſubſcribere coacti ſunt, antequám
“ in Gratiam Eccleſiæ redirent, aut ab Exilio revocarentur. Sic qui Erroris *Pelagiani* ſuſpecti
“ erant, vel ab ipſo converſi redibant ad Eccleſiam, coacti ſunt ſubſcribere Damnationi, non Erroris
“ tantùm, ſed & Auctorum ipſius, videlicet *Pelagij*, & *Celeſtij*. Sic *Joannes Antiochenus*, & alij *Neſtorij*
“ Sequaces, & Patroni, quamquám ſe ab omni Suſpicione Erroris per apertam Fidei *Epheſinæ*
“ Profeſſionem purgaſſent, non priùs tamen ad Pacem, & Communionem Eccleſiæ admiſſi fuere, quám
“ *Neſtorij*, & impiorum ejus Dogmatum Damnationi ſubſcriberent. Sic qui olim venerant in Suſpicionem
“ *Eutichianæ* Hæreſeos, etſi conteſtati fuiſſent, ſe in omnibus Eccleſiæ Catholicæ conſentire, omneſque
“ averſari Hæreſes non ſatis illud judicatum eſt, ſed adacti ſunt, ut nominatim damnarent
“ *Eutichen:* Cùm verò illi Moras necterent, & premerentur, conſenſere quidem Hominem damnare
“ ſub Conditione; ſed cùm nulla talis admitteretur Conditio, & adhuc tergiverſarentur, & dicerent,
“ aliud ab ijs exigi non debere, quám Profeſſionem Fidei orthodoxam, hâc quoque Teſtificatione
“ omninò rejectâ, coacti ſunt purè & ſimplicitèr ſubſcribere, atque Hæreticum *Eutichen* nominatim
“ anathematizare. Sicque in celebri de *Tribus Capitulis* Controverſia, ubi tota Quæſtio erat de
“ *Facto*, ut ajunt, *doctrinali*, ſeú de Senſu Scriptorum *Theodori*, *Theodoreti*, & *Ibæ*, Eccleſia, poſt accuratam,
“ & prolixam Scriptorum illorum Diſquiſitionem, deprehenſô ac notatô perverſô eorum
“ Senſu, ea damnavit, & ab omnibus damnari voluit ſub gravi Pæna Anathematis, impoſitâ etiam Lege,
“ ut ſuo ſubſcriberetur Judicio.

“ Infinitus ſorem, qui jam Tædio fui, ſi omnia hic congerere vellem ex Sacris Annalibus, & nova,
“ & vetera, quæ huic aſſertioni adſtipulantur, Monumenta, & Authoritates, quæ ſi attentô animô, &
“ Corde purgatô expenderent, qui tàm ſervidos ſe profitentur Antiquitatis Amatores, aliud profectò
“ Zeli Epiſcopalis digniùs excogitarent Argumentum, quàm B. *Petri* Sedis Poteſtatem attenuare, vel
“ Manus Eccleſiæ, priſcis Sæculis tàm ſolutas, ligare velle, & intrà certos ſibi fictos Limites circumſcribere.
“ Et quorſùm hæc? Quô Fine? Non aliô certè, niſi ut ne unus e millibus Liber erroneus
“ appareat; aut potiús ne quam olim in unius Commendationem tulerunt præcipitem, ac temerariam
“ Sententiam, jam cum ſuo Dedecore, ut Sibi ſomniant (cùm nihil illis honorificentiùs coram Deo, &
“ Hominibus probis, accidere valeat) retractare videantur. Idcircò ab ijs circuitur Mare, & Aridum,
“ Fundamenta Montium Sanctorum circumvelluntur, & omnia ſuſque deque in Eccleſiæ Scrinijs vertuntur.
“ Parces clementer, BEATISSIME PATER, huic tàm prolixæ Evagationi meæ: Coegit me
“ Charitas, & continuus Dolor Cordis mei pro Fratribus meis, qui ſunt Cognati mei in Vocatione, &
“ ſecundùm eandem Miniſterij Sortem, quorum Inobedientia magnum excitavit Jubilum in *Caſtris Incircumciſorum*,
“ &, Nobis plorantibus, & flentibus, annunciatur in *Geth*, & in *Compitis Aſcalonis.*
“ Atque utinam pauliſper ſaperent, & attenderent ad Verſutias, & Altitudines Satanæ. Cernerent, ut
“ opinor, quod Mihi, Vicem illorum lugenti, ſæpiùs occurrit, ſcilicet, quod Serpens ille antiquus nihil
“ in Moribus eorum, aut Vitæ totius Tenore reprehenſibile inveniens, cùm expellere eos non potuiſſet
“ ex Caſtris Pietatis, titubare fecit in Arce Fidei, & Unitatis, dejecturus penitùs, niſi quantociùs à
“ Laqueis illius recipiſcant, & tanquàm Filij pænitentes è Regione longinquâ, & famelicâ ad Patrem
“ ſuum Clementem, & Munificum revertantur. Quod ut Deus Optimus Maximus pro Multitudine
“ Miſericordiarum ſuarum, & ad lætificandum non modicè dilectiſſimi Filij ſui afflictiſſimam Sponſam,
“ largiri dignetur, Majeſtatem ejus enixè, & ſupplicitèr precamur, & obteſtamur.

“ Hæc ſunt, BEATISSIME PATER, quæ Tenuitati meæ occurrere dicenda, ut Juſſis SANCTITATIS
“ SUÆ quàm velociſſimè & humillime Morem gererem. Rudia quidem ſunt, parùm digeſta, & prorſùs indigna,
“ quæ VESTRÆ MAJESTATIS Conſpectibus offerentur. Aſt cùm vera ſint, ſincera, & orthodoxa, ſpero
“ fore, ut non modo Fidem meam apud SANCTITATEM SUAM liberent, ſed quod etiam pro nimiâ
“ Fiduciâ, Prolixitate, & cæteris Erratis mèis Veniam impetrabunt. Prædicent alij, qui politiori ſunt
“ Eloquiô, egregias SANCTITATIS SUÆ Virtutes, & inclyta Facta, quæ tantis ubique Terrarum
“ Præconijs efferuntur: Aſt Nobis, qui puſilli ſumus, & exigui, hoc erit ſempèr Laudum ſuarum
“ Thema ſpeciale, & ad ingeminandas noſtras ad Deum Optimum Maximum Preces pro diuturna ſua
“ Incolumitate, longiſſimô, ac florentiſſimo in Terris Regnô, & glorioſô tandem in Cælis Triumphô,
“ continuum Incitamentum Hoc pro omnibus & ſingulis afflictiſſimæ hujus Inſulæ Catholicis, SANCTITATIS
“ SUÆ devotiſſimis Filijs, fidentèr polliceor. Hoc pro meipſo, qui tot ſum arctiſſimis

“ Vinculis,

“ Vinculis, omnibus SUÆ SANCTITATIS Nutibus adſtrictus, totque inſignibus ſuis Beneficijs, durante
“ meâ in Almâ Urbe vèſtrâ Commoratione, cumulatus, ſpondeo, ac voveo, qui ad SANCTITATIS
“ SUÆ Pedes venerabundus, Apoſtolicam ſupplicitèr peto Benedictionem, & ſum cum profundiſſimo
“ Obſequio, & ad ultimum Vitæ Halitum permanſurus

“ Beatiſſime Pater,

“ SANCTITATIS SUÆ

“ Apud Caſtrum
“ de *Kilcaſh*,
“ 25 Aprilis 1719.

“ Humillimus, devotiſſimus,
“ ac devinctiſſimus Famulus,
“ *Chriſtophorus Archiepiſcopus Caſſelienſis.*”

XVII. Pag. 162. Lit. u, ubi Sermo eſt de *Benedicto* Papa XIII, quà olim Epiſcopo *Tuſculano*, (italicè *Fraſcati)* &c. ſub Finem iſtius Notæ adde.——Placet hìc Loci ſubnectere quæ de tanto Viro refert Syodus *Tuſculana*, Anno 1763 habita, in Appendice, Tit. *Series Chronologica Tuſculanorum Antiſtitum* Num XCVIII, Pag 209, longiuſculis quidem Verbis, ſed præclaris, nec minùs opportunis:

“ PETRUS-Franciſcus Urſinus, mox Frater Vincentius Maria, Ferdinandi Urſini Gravinæ Ducis,
“ & Joannæ Franciſcæ Frangipani de Tolfa Filius, adhuc Puer, licèt eſſet opulentiſſimæ Familiæ
“ Primogenitus, religioſam Vitam aggredi ſtatuit, ac Ordinem S. Dominici delegit, in quo illam profiteretur.
“ Verùm cùm Ordinis illius in Regno Neapolitano Moderatores Ducíſſæ Matris Indignationem
“ pertimeſcerent, quæ jam nobiliſſimas Filio Nuptias paraverat, adeoque Petri Votis annuere recuſarent,
“ is Repulſam ægrô Animô ferens, Venetias ſe contulit, ac Die 12 Auguſti 1667 Dominicanæ
“ Familiæ Nomen dedit. Acceptô hujus Rei Nunciô, Mater, ceterique Conſanguinei obſtrepuere, atque
“ ad eorum Preces Apoſtolicus Venetiarum Nuncius, pluresque Senatores, omnem, ſed fruſtrà, moverunt
“ Lapidem, ut à Propoſito ſuo illum retraherent. Evocatus à Clemente IX Romam venit, &
“ ad ejus Pedes provolutus, tàm diſertè intrepidèque Cauſam ſuam peroravit, ut ejus Propoſitum Pontifex
“ laudaverit, ac prætereà Poteſtatem ei fecerit, ut ſextô ſuæ Probationis Menſe ſolemnia religioſa
“ Vota nuncuparet, ut contigit 13 Februarij 1668, cùm jam Gravinæ Ducatum, ditiſſimamque paternam
“ Hæreditatem in Fratrem ſuum Natu minorem tranſtuliſſet. Romæ Vincentius (hoc enim ſibi
“ Nomen aſſumpſerat) Sacerdotiô fuit inſignitus à Cardinali *Æmilio Alterio*, qui cùm ad Romanum
“ poſtmodùm Pontificatum ſub Nomine Clementis X fuiſſet evectus, 22 Februarij 1672 Vincentium S.
“ R. E. Preſbyterum Cardinalem Titulo S. Sixti renunciavit. Dignitatem hanc ſibi oblatam accipere
“ diù detrectavit Vincentius, donec eum Magiſter Generalis totius Ordinis, Romani Pontificis Literis,
“ ac Præceptó coactus admiſit. Anno 1675 creatus Archiepiſcopus Sipontinus, totô Quinquenniô, quô
“ eam rexit Eccleſiam, de ea benemerei nunquàm deſtitit. Synodum coegit Diæceſanam, quam duobus
“ Voluminibus comprehenſam Typis edidit. Epiſcopium refecit, & Templum Metropolitanum,
“ quod mox conſecravit, & annuô Cenſu Ducatorum centum ad ejuſdem Conſervationem locupletavit.
“ Seminarium erexit, ac Præbendam Theologalem inſtituit. Anno 1680 Innocentius XI Vincentium
“ tranſtulit ad Cæſenatenſem Epiſcopatum, cujus etiam Cathedralem Eccleſiam dedicavit, annuiſque
“ Reditibus auxit. At inſalubrem expertus Aerem, ab eodem Pontifice 18 Martij 1686 Beneventanæ
“ Sedi præficitur. In hac verò regenda Diæceſi egregium Virtutum omnium Exemplar ſe præbuit,
“ omneſque paſtoralis Sollicitudinis, & paternæ Charitatis Nervos intendit. Plures habuit Diæceſanas
“ Synodos, ac duo Concilia Provincialia, in quorum primo quatuordecim Samnij Provinciæ Epiſcopi
“ Suffraganei interfuere. Diæceſim lucubrabat aſſiduè, Sacramenta adminiſtrabat, ac ſæpiſſimè è Suggeſtu
“ Concionem, præſertim de Laudibus Deiparæ, quam uti Filius amantiſſimus unicè diligebat,
“ habebat ad Populum. In Templo, ac Epiſcopio, in Compitis, Pueros, ac rudes, cùm per alios,
“ tùm per ſe, ipſe prima noſtræ Religionis Rudimenta edocebat. Xenodochia conſtituit, Cæmeteria
“ extruxit, Templa, ac præſertim Metropolitanum, aut inſtauravit, aut à Fundamentis erexit, Pluſquàm
“ ducenta Millia Ducatorum in pijs ſacriſque Ædibus, aut conſtruendis, aut reparandis impendit.
“ Eccleſiaſticam Immunitatem ſtrenuè ſemper propugnavit impavidus, divinum Cultum aſſiduè promovit,
“ totiſque Viribus ampliare curavit. Ejus Liberalitas quotidiè profundebatur in Pauperes. Sui
“ Contemptor eximius nonniſi Dei Gloriam, atque Animarum Salutem ſummâ Curâ Studiôque procurabat.
“ Quod ſanè Apoſtolicæ Vitæ Genus ad Obitum uſque conſtantèr retinuit. A Clemente XI Die

“ 3 Januarij 1701 Tuſculanus renunciatus Epiſcopus, Tuſculi Diæceſanam Synodum coegit, ac Typis
“ edidit. Pluribus Sanctorum Reliquijs, multâque Sacrâ Supellectili Cathedralem locupletavit Eccle-
“ ſiam, in qua Epiſcopalem Cathedram ex nobili Materia, multâque elaboratam Arte, collocavit,
“ aliaque plura Beneficentiæ ſuæ Monumenta reliquit. Ab eodem Pontifice Clemente ad Portuenſem
“ tranſlatus Eccleſiam Die 8 Martij 1715, ſanctiſſimè illam rexit, donec 29 Maij 1724 in Romanum
“ Pontificem ſub Nomine Benedicti XIII, chriſtianâ plaudente Republicâ, electus fuit. Obijt Romæ
“ Die 21 Februarij 1730, Ætatis ſuæ 81. Ejus verò Corpus Anno 1733 (Dominicâ primâ Quadra-
“ geſimæ 22 Februarij) â *Vaticana* Baſilica ad Templum S. Mariæ ſuper Minervam ſolemni Pompâ
“ tranſlatum, in Sacello S. Dominici honorificè conditum requieſcit.” Hæc Synodus *Tuſculana.*

Præiverant Comitia Generalia Ordinis Prædicatorum *Romæ* 1748, quæ Pag. 99 inter *Elogia nonnullorum Fratrum & Sororum, qui ab ultimo Capitulo Generali* (1725) *aliquâ Opinione, & Famâ Virtutum in Domino obierunt*, hoc habent Elogium perbreve, & perbellum de laudato Sanctiſſimo Pontifice, Verbis planè aureis conceptum:

“ BENEDICTUS XIII, Pontifex Maximus, anteà Fr. Vincentius Maria Urſinus, nobiliſſimæ Gravi-
“ næ Ducum Familiæ Primogenitus, poſthabitô ampliſſimô Principatu, Venetijs in Conventu S. Dominici
“ Ordini Nomen dedit, ibique ſacris Votis obſtrictus eſt. Annum agens vigeſimum tertium Philoſophiæ
“ Lector Brixiæ deſignatus, ac Bononiæ agens, S. R. E. Cardinalis â Clemente X ſe renunciatum intel-
“ ligens, Lacrymis, Precibus, Fugâ Eminentiſſimum Honoris Gradum a ſe deprecatus eſt. At interpo-
“ ſitô Generalis Magiſtri Ordinis Præceptô humilitèr paruit, ac Romam profectus Ceſenæ Epiſcopus,
“ mox Sipontinæ ac demùm Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus deſignatus, regularis Vitæ Conſue-
“ tudinem cum ampliſſima dignitate ità conjunxit, ut Legum noſtrarum Obſervationem ad Mortem
“ uſque conſtantiſſimè retinuerit. Anno 1724 effûſâ Catholici Orbis Gratulatione ad Apoſtolicæ Sedis
“ Faſtigium evectus, Partes omnes implevit Pontificis Sanctiſſimi, & cum veteribus facilé comparandi.
“ Nihil in eo non eximium, non religioſum, non ſanctum, quod vel ipſi admirarentur Hæretici, ac ſum-
“ mis ubique Laudibus prædicarent. Humilitate tamen eximia, & Charitate incomparabili Virtutes
“ cæteras, quibus omnium Oculos in ſe converterat, vicit prorùs, ac ſuperavit. Ad immortalem Vitam,
“ quam ſibi innocentiſſimis Moribus comparaverat, evocatus eſt IX Kalendas Martij Anno 1730, Ætatis
“ ſuæ 82. Ejus Sânctitatis Fama per Omnium Ora latiſſimè pervagata eſt, ac plurimis Signis ità decla-
“ rata, ut ſuper ejuſdem Vita, ac Virtutibus jam parentur Eccleſiæ Ritu, Inſtitutôque Proceſſus, ingenti
“ ſané ſpe Sanctorum Ordinis Faſtos ipſius Nomine augendos, qui dùm viveret eidem Ordini Decus ad-
“ didit Sempiternum.”

Præiverat quoque non minùs appoſité quâm elegantèr Scriptor coævus, Magiſter *Graveſon* in Hiſt. Eccles. Tom. VIII. Colloq. II. Graphicis hiſce Verbis: “ Hæc ardua paſtoralis Dignitatis Officia,
“ quæ per plures Annos in tot Epiſcopalibus Sedibus tantâ Charitate, Virtutum omnium Reginâ, exercuit
“ Cardinalis Urſinus, Præludia fuerunt ad graviores Labores, & ad primam totius Orbis Chriſtiani
“ Sedem, ad quam illum cælitùs fuiſſe deſtinatum Deus ipſe demonſtare voluit evidenti Miraculô, quô
“ dum elapſô proximè Sæculô Beneventanam Civitatem ingens Terræmotus inopinatò concuſſiſſet, So-
“ loque æquaſſet, hunc Sanctum Cardinalem collabentis Palatij ſui Epiſcopalis Laquearibus, Cæmentis,
“ ac Ruderibus ſepultum, ſed Sancti Philippi Nerij Icone tectum, dignatus eſt medijs in Ruinis ſoſpitem,
“ & incolumem ſervare, ut per eum Hominibus Salutem, Orbi Terrarum Felicitatem, & Eccleſiæ,
“ quam acquiſivit Sanguine ſuo, Pacem, ac ſempiternam Gloriam conciliaret.”

XVIII. Pag. 170 ſub Finem Num. XIX adde——Hùc facere poterit, quod docet *Benedictus* Papa XIV Tract. *de Synodo Diæceſana*, Lib. IX. Cap. XVI. Num. IX. poſt Sacram Congregationem Concilij *Tridentini* Interpretem, ab eo laudatam, nempè Regulares, ab Epiſcopis approbatos, adire poſſe Domos Sæculariam ægrotantium pro eorum Confeſſionibus inibi excipiendis abſque Licentia Parochi.

XIX. Pag. 172, Lin. 13, hanc appone Notam——Epiſcopus non requirit in Synodo *Diæceſana* Conſenſum Capituli, ſed Conſilium, quod tamen ſequi non tenetur, ipſeque ſolus ſubſcribit Synodalibus Conſtitutionibus ad Differentiam Concilij *Provincialis*, cui Epiſcopi Suffraganei ſubſcribunt, eorumque, aut majoris Partis Sententia prævalet Sententiæ Metropolitani, ut docet *Benedictus* XIV Tract. *de Syn. Diæceſ.* Lib. IV. Cap. V. Num. V. & Lib. XIII. Cap. II. Num. I. & IV. Obiterque adverte, ſi placet, cum laudato Summo Pontifice (Lib. XII. Cap. V. Num. I. & II.) Synodum nec *Diæceſanam*, nec *Provincialem* ſtatuere poſſe Impedimentum Sponſalium, multò minùs Matrimonij. Inter eas porrò id verſatur Diſcriminis, quod Synodus *Provincialis*, non

verò

verò *Diæceſana*, mittenda eſt *Romam* pro Confirmatione, inquit Lib. XIII. Cap. III. Num. VII. Cæterùm Epiſcopi Statutum extrà Synodum non expirat Morte vel Tranſlatione Epiſcopi, juxtà eundem præclariſſimum Scriptorem, Lib. XIII. Cap. V. Num. I. Item Epiſcopus poteſt eximere aliquem à Conſtitutione Synodali abſque Conſenſu vel Conſilio Capituli, ut ait Cap eodem Num. VII. Rationem autem aſſignat Diſparitatis (Lib. XIII. Cap. II. Num. II. & IV) *Diæceſanam* Synodum inter & *Provincialem*, quod in Synodo *Diæceſana* Canonici & alij ſunt meri *Conſiliarij* Epiſcopi, quapropter non debent Synodo ſubſcribere, ne videantur ſibi uſurpare *cenſoriam*, & *judiciariam* Poteſtatem. In Synodo autem *Provinciali* Epiſcopi adſunt tanquam *Judices*, ità ut eorundem, aut majoris Partis eorum Sententia prævaleat Sententiæ Metropolitani, adeoque Synodi Decretis omnes ſubſcribunt.

“ Ex eo porrò (ut acutè pro More monet doctiſſimus ac juxtà ſagaciſſimus Pontifex Num. III) quod
“ Epiſcopi in Concilio *Generali* ſint veri *Judices*, cave, ne inferas, teneri Romanum Pontificem in ferenda
“ Sententia majorem Partem Judicum ſequi, eorundemque Doctrinam approbare: Etenim, uti ratiocina-
“ tur *Melchior Canus* de Locis Theologicis (Lib. V. Cap V. Quæſt. II.) quamvis omnes Epiſcopi ſint ve
“ ri Judices, ſupremum tamen Judicium eſt à Chriſto Domino ſuo in Terris Vicario commiſſum, eidem-
“ que Munus demandatum, quotquot in Errorem deflexerunt, ſivè pauciores, ſivè plures Numerò fue-
“ rint, ad veram Fidem revocandi, juxtà illud, quod Petro dixit Chriſtus Lucæ 22: *Rogavi pro te, ut*
“ *non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus*, non unum & item alterum, ſed ſivè paucos, ſivè mul-
“ tos *confirma Fratres tuos*.” Hæc Benedictus XIV. Recolenda anteà dicta in *Hibernia Dominicana*
Cap. VIII. Num. XVII. Pag. 167.

XX. Pag. 174, immediatè antè Num. XXII, adde—Neque prætermittere fas eſt, quæ de Præcepto audiendi Miſſam docet ſæpè laudatus, & nunquàm ſine Laude nominandus Pontifex, omni Laude ſuperior, *Benedictus* XIV, Tract. de *Syn. Diæc.* Lib. XI. Cap. XIV. Num. X, ubi pluribus ea de Re luculentèr præmiſſis, tandem ſubdit:

“ Sed quæ hactenùs diximus, ſolam adſtruunt Libertatem, Rem divinam quâlibet Anni Die audiendi
“ in Eccleſijs Regularium Quid autem dicendum quoad alias Eccleſias, nullô Privilegiô hac in Re à
“ Sede Apoſtolica donatas? Integrum hodiè omnibus eſſe in qualibet Eccleſia, modò non ſit Capella, aut
“ Oratorium privatum, Sacris Myſterijs intereſſe, quia contrariâ Conſuetudine, in toto Chriſtiano Or-
“ be receptâ, derogatum eſt Præcepto audiendi Miſſam Parochialem, docent Sylveſter Verbo *Miſſa* 2.
“ Quæſt. 5. Navarrus *Manual.* Cap. 21. Num. 5, Trullench, in *Præcept Decalog.* Tom. 1. Lib. 3. Cap.
“ 5. Dub, 6. Num. 5. pluribuſque allegatis, Barboſa, in *Collectan. ad Trid. Seſſ. 22. de Obſervandis &*
“ *evitandis in Celebratione Miſſæ N. 21. de Officio & Poteſtate Parochi, Cap. 11. N. 14. & ſeq.* Adden-
“ tes inſuper, non poſſe hodiè Epiſcopum præcipere ſuis Subditis, ut ſe ſiſtant Miſſæ Parochiali, quia
“ non poteſt delere Conſuetudinem, quæ cùm vigeat in toto Orbe, jam induit Naturam Juris com-
munis.” Quid formalius? Quid luculentius deſiderari poteſt? Non egent Ponderatione, vel Commentariô ſplendidiora ſole meridianô Verba.

Deindè nonnullis interjectis de Synodalibus Conſtitutionibus S. *Caroli Borromæi*, Archiepiſcopi *Mediolanenſis*; Venerabilis Dei Servi *Joannis Ribiera*, Archiepiſcopi *Valentini*; necnon *S. Toribij*, Archiepiſcopi *Limani*, tandem ſubjungit: “ Si iſtorum Veſtigijs inhæſiſſet Epiſcopus Midenſis *(Patritius Cuſack,)*
“ ſuamque Conſtitutionem Verbis formaſſet tantùm horatorijs, nulli fuiſſet Reprehenſioni obnoxius: Sed
“ quia Præceptum adjecit, hoc fuit expungendum; quemadmodùm, jubente eadem Sacrâ Congregatione,
“ ſæpiùs anteà expunctum fuerat in alijs ſimilibus Synodalibus Statutis, ut videre eſt apud Azorium,
“ *Cap. 6. Quæſt. 6. in Fin.* Paſqualigum, *de Sacrific. nov. Leg. Quæſt.* 1258; Barboſam, Loc. cit;
“ atque in Declarationibus ejuſdem Sacræ Congregationis, impreſſis Lugduni Anno 1642. Num. 11.”
Hæc *Benedictus* Papa XIV.

XXI. Pag. 175. Lit. q, lege, & addè in hunc Modum——Obſervandum porrò quod antè Regem *Henricum* VIII ſoli Monachi *Benedictini* ab ipſiſmet eligebantur Monachis ad Archiepiſcopalem Sedem *Cantuarienſem*, & ſex alias in *Anglia*, ut laudatus refert *Benedictus* XIV, Tract de *Synodo Diæceſana*, Lib. XIII. Cap. VII. Num. XIV.

XXII. Pag. eâdem 175, immediatè antè Num. XXIII, adde——Loci hujus Opportunitas invitat planè ad exſcribendum ejuſdem Sacræ Congregationis *Indicis* Decretum, Anno 1770 emanatum, & quidem adverſùs Enchiridion quoddam Precum, *anglicô* Idiomate pridem Typis vulgatum, laudabile ſanè quoad Preces, Hymnos, Meditationes, &c, ſed cui nuper annexa fuit Appendix omninò prava. En igitur

“ Decretum.

“ Feriâ Secundâ, Die 26 Martij 1770.

“ *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum, & Reverendiſſimorum Dominorum S. R. E. Cardinalium, à SS. DOMINO NOSTRO CLEMENTE PAPA XIV, Sanctâque Sede Apoſtolicâ, ad Indicem Librorum pravæ Doctrinæ, eorundemque Prohibitionem, Expurgationem, & Permiſſionem, in Univerſa Chriſtiana Republica deputatorum,*

“ Habita in Palatio Apoſtolico Quirinali, damnavit, & damnat, proſcripſit proſcribitque ; aut aliás damnata, atque proſcripta, in Indicem prohibitorum Librorum referri, mandavitque, & mandat quæ ſequuntur Opera

(Decretum porrò recenſet ſingulatim Viginti Quatuor Libros, tot numeris comprehenſos, quos inter Liber ſub Num. 22, eſt ut ſequitur)

“ *The Catholick-Chriſtians new Univerſal Manual, being a true ſpiritual Guide for thoſe, who ardently aſpire to Salvation. Containing, amongſt other Requiſites, ſome elevated Hymns, and neceſſary Devotions, never publiſhed before in this Kingdom, being abſolutely neceſſary for all Roman-Catholicks in general. Permiſſu Superiorum. London, Printed in the Year* 1767. Id eſt: *Novum Univerſale Chriſtianorum Catholicorum Manuale, quô tanquàm à ſpirituali Ductore manuducuntur, qui ad Salutem ardenter aſpirant. Continet inter alia neceſſaria Hymnos nonnullos ſublimes, & neceſſarias Preces, anteà in hoc Regno nunquâm publicatas, quibus generatim indiget omninô quilibet Catholicus Romanus. Permiſſu Superiorum. Londini impreſſum Anno* 1767.

“ Itáque Nemo cujuſcunque Gradûs & Conditionis prædicta Opera, ut ſuprà damnata, atque proſcripta, quocunque Loco, aut quocunque Idiomate, aut impoſterúm edere, aut jam edita legere, vel retinere audeat, ſed Locorum Ordinarijs, aut hæreticæ Pravitatis Inquiſitoribus ea tradere teneatur, ſub Pænis, in Indice Librorum prohibitorum indictis.

“ Quibus per Me infraſcriptum Secretarium Sanctiſſimo DOMINO NOSTRO CLEMENTI PAPÆ XIV relatis, SANCTITAS SUA probavit, & Decretum promulgari præcepit.

“ In quorum pleniorem Fidem hoc idem Decretum Manu Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Benedicti Cardinalis Veterani, Sacræ Congregationis Præfecti, ſubſcriptum fuit, ac Sigillo munitum.

“ Benedictus Cardinalis Veterani Præfectus.

Locus ✠ Sigilli

Fr. Pius-Thomas Schiara, Ordinis Prædicatorum,
Sacræ Congregationis Secretarius.”

“ *Die* 29 *Martij* 1770. *Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Baſilicæ Principis Apoſtolorum, S. Mariæ Suprà Minervam, Palatij S. Officij, Curiæ Innocentianæ, & in alijs Locis ſolitis Urbis per Me Franciſcum Romolatium, SS. Inquiſitionis Curſorem.*

“ Ex Typographiæ Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ. 1770.”

XXIII. Ut autem Lectori innoteſcat, quam ob Cauſam Libellus iſte, alioquin ſub ſpecioſo Devotionis Titulo, veluti ſub Larva Pietatis, Typis impreſſus (ementito Prælo *Londini*, reverà autem *Dublinij*) adeòque in omnium fermè Catholicorum Manibus verſatus, per recenſitum Decretum damnatus fuerit, & prohibitus, Opus eſt exſcribere inſuper Literas deſuper Excellentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Nuntij Apoſtolici *Bruxellenſis*, D. *Thomæ-Mariæ Ghilini*, Archiepiſcopi *Rhodienſis*, Nobilitate, Doctrinâ, & Pietate clari, ad Quatuor *Hiberniæ* Metropolitanos datas. Illæ porrò, quas recepit Archipræſul *Dublinienſis*, ſunt hujuſce Tenoris :

“ Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine,

“ CUM Sanctæ Sedi denunciatus fuerit Libellus, anglicâ Linguâ exaratus, cui Titulus eſt : *Univerſale Catholicorum Manuale, quô tanquàm à Ductore ſpirituali manuducuntur Fideles, devotè aſpirantes ad Salutem æternam. Londini* 1767. Fuit is quoque maturiori Sedulitate, ac Diligentiâ examinatus. Ex hoc autem Examine deprehenſum fuit, Librum hunc uſque ad Pàginam 252 non continere niſi Doctrinas, & Preces, quæ promovent Pietatem, ac Devotionem. Verùm Paginæ 253 addita fuit Appendix, in qua continentur multæ Expreſſiones, ac Propoſitiones temerariæ, ſcandaloſæ, & tendentes ad deſtruendam in Animis Fidelium Submiſſionem illam, ac Venerationem, quam debent, & ſemper profeſſi ſunt ergá Sanctam Sedem, & Viſibile Eccleſiæ Caput ſummô eorum ſpirituali Progreſſu ac

“ Fructu,

“ Fructu. (*m*). Hinc Sanctitas ſua mandavit, ut Fidelibus Lectio hujus Appendicis prohibeatur, ſi-
“ mulque referatur in Indicem Librorum prohibitorum. Mandatum hoc Sanctiſſimi Domini Noſtri ſine
“ Mora ſignifico Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Dominationi Veſtræ, ut unà cum Epiſcopis ſuæ Provinciæ
“ omnem adhibeat Operam ad arcendos Fideles à Lectione hujus Appendicis, atque cauté, ac diligentèr
“ conetur, quoad fieri poterit, ut Exemplaria, quæ fuerint divulgata, ad Se referantur. Quod faciendo
“ & ſuo Muneri pleniſſimé ſatisfaciet, & Sanctiſſimo Domino noſtro ſui ergà S. Sedem Zeli, ac paſtora-
“ lis Vigilantiæ Teſtimonium non indubium exhibebit. Nos interim ſingulari ſubſcribimur Cultu
“ Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ
“ Bruxellis 29 Junij 1770.
“ Archiepiſcopo Dublinien. “ Obſervantiſſimus Famulus
“ Thomas-Maria Archiepiſcopus Rhodienſis, Nuntius Apoſtolicus.”

XXIV. Pag. 177. Lin. 23, ad ly *propagatam*, hanc appone Notam.—Per univerſum planè *Hiberniæ* Regnum (ut ad Regionem noſtram aggrediamur) propagata fuit tàm Confraternitas Sanctiſſimi Nominis *Jeſu*, ſeù Nominis *Die* (N), quàm Confraternitas Sanctiſſimi Roſarij *B. Mariæ Virginis*. Et meritó quidem, ſaluberrimum quippè, facilemque Modum precandi Deum in Honorem Beatiſſimæ Deiparæ, *Sanctiſſimi Roſarij* Nomine nuncupari ſolitum (quô per Quindecim Salutationis Angelicæ Decades, interjectâ ſingulis Oratione Dominicâ, Quindecim præcipua Redemptionis humanæ Myſteria per Meditationes percenſentur) à Sanctiſſimo Patre Noſtro *Dominico* contrà *Albigenſium* (n) Hæreticorum Impietatem inſtitutum (ut oſtendit *Hibernia Dominicana*

(*m*) Confer anterioris Nuntij Apoſtolici *Bruxellenſis* præclara Verba, Cap. VIII. Num. XVIII. Pag. 169. *Hiberniæ Dominicanæ*.

(N) Nomen *Jeſu*, & Nomen *Dei*, cum Particula disjunctiva *Seù*, conſultò apponuntur in Literis Apoſtolicis, ſignantèr *Benedicti* XIV (ut videre eſt in *Hibernia Dominicana* Pag. 178) non quod idem omninò ſit Nomen *Jeſu*, & Nomen *Dei*, ſed quia eadem eſt omninò Confraternitas Sànctiſſimi *Nominis Jeſu*, ac *Nominis Dei*, utpotè militans adverſus Peccata Blaſphemiæ &c, quæ contrà utrumque Sanctiſſimum Nomen committuntur. Cæterùm, ut obiter dicam, verè diſtincta ſunt Nomina *Jeſu*, & *Dei*. Nomen quippè *Dei* convenit ſingulis Perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis Ratione Subſiſtentiæ abſolutæ (ut loquuntur Theologi) quæ communis eſt tribus Perſonis, Nomen verò *Jeſu* peculiare eſt Secundæ Perſonæ, quá Homini, ei nempè impoſitum in Die Circumciſionis. Conſulendus *S. Thomas* 3. p. q. 3. Art. 3. & q. 37. art. 2. Necnon Eminentiſſimus *Gotti* in *Theologia Scholaſtico-Dogmatica* Tract. VII Quæſt. IV. Dub. II. §. II. ac *Contenſonus* in *Theologia Mentis & Cordis* Lib. III. Diſſert. III. Cap. II. Spec. II.

(n) *Albigenſes* Hæretici ab *Albigenſi* Territorio (Gallicè *Albigeois*, ubi aliquandò verſabar) juxtá *Toloſam* in *Gallia Narbonenſi*, ſuum traxere Nomen. Primum Hæreſeos Dogma erat, quod duos conſtituerent Creatores, *inviſibilium* ſcilicet, quem vocabant *benignum Deum*, & *viſibilium* quem *malignum Deum* appellabant——2. Novum Teſtamentum *benigno Deo*, vetus verò *maligno* attribuebant, hoc omninò repudiantes: Undè affirmabant damnatos eſſe omnes veteris Teſtamenti Patres, & *Joannem Baptiſtam* aſſerebant unum eſſe è majoribus Dæmonibus—3. Reſurrectionem Carnis negabant—4. Stultè fingebant, Animas noſtras eſſe Spiritus illos Apoſtatas, qui Superbiâ è Cælo ceciderunt: Et animarum de Corpore in Corpus Tranſmigrationem cum *Pytagora* tenebant—5. Non peccare graviús eum, qui cum Matre, & Sorore concumbit, quám cum alia, effutiebant—6. Sacrarum Imaginum Uſum, ac Venerationem Idolatriam eſſe aſſerebant, ac propterea deformes pingebant Sanctorum Effigies, ut earum Intuitu Devotio ſimplicis Populi chriſtiani in Tædium verteretur: Et Campanas *Tubas Dæmonum* nuncupabant—7. Romanam Eccleſiam Speluncam Latronum, & Meretricem *Apocalypſis* vocabant: Immò Beatiſſimam Dei Genitricem *Mariam*, proh Scelus! Meretricem impudorato Ore inclamabant. Hiſce recenſendis conſultiús ſuperſedere duco Erroribus, quos retuliſſe abundé refutaſſe eſt.

Spiritualibus & temporalibus Armis adverſùs Hæreticos iſtos dimicatum eſt. Verúm ſicut admirabilis Providentia divina, quæ cuilibet Malo ſuum deſtinat Remedium, ſicut alios alijs Temporibus Sanctos Viros, ità *Albigenſibus* objecit S. *Dominicum*, cui Hæreſeos iſtius Confutatio, & Hæreticorum Converſio reſervata fuit. Deô enim Optimô Maximô Eloquia caſta per Ignem probante, *S. Dominicus*, Manum mittens ad fortia, catholicæ Fidei Veritatem inſigni confirmavit Miraculô, quod ex graviſſimis Auctoribus legere eſt in *Hibernia Dominicana* Pag. 347. Dein evertendis ipſis Hæreticis ſeptem devovit Annos, plurimis eorum ad veram Fidem *cana* Pag. 34) quàm maximé Fratres ſui Ordinis decet, ut omni Operâ Contentioneque indiès propagare conentur. Idemque dicendum de *Roſario Sanctiſſimi Nominis Jeſu*, ſeù *Nominis Dei*, contrà Blaſphemias, Perjuria, & illicita Juramenta militante, quod à Fratribus Prædicatoribus inſtitutum, ab eiſque excultum, per univerſum Terrarum Orbem propagatum fuit, ut ex *Benedicto* Papa XIV ajebam in *Hibernia Dominicana* Pag. 177.

PORRO *Dublinij*, Regni *Hiberniæ* Metropolis, in Eccleſia, ſeù Capella (ut vocant) *Dominicana*, Prædicatores utramque hanc Devotionem in Concionibus ſuis Fidelium Mentibus aſſiduè ingerunt, eamque jugitèr explicant. Inſuper, omnibus Diebus Dominicis, & Feſtivis, atque ſingulis Quadrageſimæ ferialibus Diebus ſub Horis promeridianis; necnon univerſis Diebus ferialibus per integrum Annum poſt primam Miſſam, Horâ Sextâ inchoatam, cum Populo recitat Sacerdos, ſeù Patrum unus, Roſarium *Marianum*. Recitat inſuper Roſarium Sanctiſſimi Nominis *Jeſu*, ſeù Nominis *Dei*; ſiquidem verè dignum & juſtum eſt, ut quæ præclara Devotio cum orandi Formula ad Vitium Blaſphemiæ &c convellendum delecta fuit, ea ad id valeat, ut Animi Hominum ad utrumque ſanctiſſimum Nomen, quâ par eſt, Religione colendum reverendumque excitentur.

SANE inter *Dominicanæ* Capellæ *Dublinienſis* Concionatores (quorum ipſe per Decem Annorum Seriem minimus fui) duo memorantur florentiſſimi in *Hibernia Dominicana* (o) ad Inſulas aſſumpti, *Stephanus* nempè *Mac-Egan* Midenſis, & *Laurentius Richardſon* Kilmorenſis, Epiſcopi, qui (ut ibidem expreſſè narratur) *utrumque Sacroſanctum Roſarium indeſinentèr propagarunt*. Idque vulgatis præterea quibuſdam deſuper Opuſculis feliciter præſtitit *Kilmorenſis* (p). Noviſſimè autem uberiori Calamo R. P. Prædicator Generalis Fr. *Joannes O'Connor*, ejuſdem Conventûs *Dublinienſis* Prior (q), & Protonotarius Apoſtolicus, hiſce de Rebus aſceticis elabenti Anno 1772 eleganter elaboravit Librum juſtæ Molis, Doctrinâ ſanâ, & mellitâ Pietate plenum, omnibuſque Numeris abſolutum, cui anglicé Titulus: *An Eſſay on the Roſary & Sodality of the moſt holy name of Jeſus. Wherein the profound Reſpect, due to this adorable Name is aſcertained; the execrable Vices of Blaſpheming, Curſing, & profane Swearing are inveighed againſt; & efficacious Remedies are preſcribed. Together with an account of the Riſe & Progreſs of the ſaid Roſary, & Sodality; their Excellence, Privileges, Indulgences &c. Thereunto are ſubjoined the Roſaries of the Name of Jeſus, & of the B. Virgin, with their reſpective Myſteries, Meditations, & Collects, correctly ſet forth.* Hoc eſt: *Tractatus de Roſario & Confraternitate Sanctiſſimi Nominis Jeſu. In quo profunda Veneratio, adorabili huic Nomina debita, aſſeveratur; Vitia execrabilia Blaſphemandi, Maledicendi, & prophanè Jurandi declamantur; atque Remedia efficacia præſcribuntur. Accedit Relatio de Ortu, & Progreſſu memoratorum Roſarij & Confraternitatis; eorumque Excellentia, Privilegijs, Indulgentijs &c. Quibus ſubjunguntur Roſaria Nominis Jeſu, & B. Virginis, cum illorum reſpective Myſterijs, Meditationibus, & Collectis, accuratè exhibitis.*

XXV. Pag. 179. Lin. ult. Hæc apponenda eſt Nota tàm demiſſè quàm reverentèr——Regulares abſolutô Studiorum tàm Philoſophiæ quàm Theologiæ Curriculô, in Literis & Moribus ſtrictè examinati, & approbati, mittuntur in *Hiberniam* pro catholica Fide propugnanda & propaganda (niſi tamen in ſuis detineantur Collegijs pro Muneribus Scholæ, aut domeſticis Officijs, uſque ad ulteriora Tempora ſubeundis) haud obſtante juvenili Ætate, & dummodò Sacrô Preſbyteratûs Ordine inſigniti ſint; idemque videmus non minùs ſapientér quàm jugitèr practicari per longiſſimam Annorum Seriem à Neo-Sacerdotibus Sæcularibus *Romæ* in Collegio Urbano de *Propaganda Fide*, & in Collegio *Ludoviſiano Hibernorum*, ut de *Anglorum* & *Scotorum* Collegijs ibidem nihil dicamus. Sanè hùc facere videntur *Vincentij* noſtri *Contenſoni* in ſua *Theologia Mentis*

Fidem adductis. Sed nullum efficacius Remedium Impietati *Albigenſium* opponi potuit, quâm ab eodem inſtitutum Sacroſanctum Roſarium B. Virginis Deiparæ, quæ cunctas Hæreſes interemit, & cujus Juſſu *S. Dominicus* illud vulgavit, ut illibatam ejus tueretur Puritatem contrá Hæreticos illos, qui multa impia ſacrilegô Ore adverſús eam obgarriebant.

(o) Cap. XIII. Num LXXV, & LXXXI. Pag. 500, & 510.

(p) Conſulendum Cap. XV. Num. XXXII. Pag. 550.

(q) Inter Sodales Conventûs *Dublinienſis* memoratus in *Hibernia Dominicana* Cap IX. §. I. Num. XXI. Pag. 198.

& Cordis (Lib. X. Diſſert. III. Cap. II. Spec. I. in Reflexione) elegantiſſima pro More Verba, nimirùm: *Audiant obſecro Prædicatores, qui, ut loquitur Theodoretus,* Sermonem divinum cauponantur, *& exiguâ Sapientiæ & Pietatis Supellectile inſtructi, Prædicationi, Miniſteriorum omnium præſtantiſſimo, deſtinantur, vel ſeſe ingerunt, & intrudunt, quia vel Linguæ Volubilitatem experiuntur, vel quâdam Felicitate Memoriæ aliorum Libros, vel Codices retinent, & eructant, alienis Pedibus ambulantes, alienis Oculis agnoſcentes, alienis Opibus ſuperbi, non Conchæ, ſed Canales. Eligantur ergò ad id Munus Homines, eſto ÆTATE JUVENES, ſed canô Senſu, & incorruptâ Morum Integritate: Nec ſint Titulô vel Pileô tenùs Doctores (quæ Larva frequentèr decipit) ſed ſint probatæ Doctrinæ & Vitæ, Experimentis pluribus teſtatæ, & quos in Pectore benè nummoſos quoad Rem literariam eſſe non ſit ambiguum.* Hæc *Contenſonus.*

Pag. 180. Lin. 6, ubi prohibentur Superiores Regulares admittere quempiam ad Habitum Religioſum in Regno *Hiberniæ*; ſubjunge ſequens Sanctiſſimi Domini noſtri *Clementis* Papæ XIV feliciter regnantis (quem Deus diù incolumem ſervet) Indultum per Organum Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi D. Secretarij S. Congregationis *de Propaganda Fide.*

Ex Audientia Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS Papæ XIV

“ habitâ Die 4 Auguſti 1771.

“ ATTENTIS peculiaribus Circumſtantijs, in Supplici Libello expoſitis, Sanctiſſimus, Me infraſcriptô
“ S. Congregationis de Propaganda Fide Secretariô referente, benignè indulſit, pro unica Vice, Patri
“ Provinciali Ordinis S. Auguſtini Regni Hiberniæ (Q) Facultatem admittendi ad Habitum religioſum
“ duodecim Juvenes iſtius Regni, non obſtante Decretô editô ab eadem S. Congregatione Annô 1750,
“ dummodò tamen id non tranſeat in Exemplum, & idem Pater Provincialis deſignet Domum, vel Do-
“ mus de Licentia Ordinarij (cujus Licentiæ authenticum Documentum priús ad S. Congregationem
“ tranſmittat) in qua, vel quibus Novitij per integrum Annum ſub Directione alicujus Religioſi probatæ
“ Vitæ liberé & quieté degant, ac pijs Operibus, & ſpiritualibus vacent Exercitijs. Datum Romæ Die
“ & Anno quibus ſuprá.

Locus † Sigilli. “ *Stephanus Borgia Secretarius.*”

XXVI. Pag. eâdem 180. Lin. 25, ad ly *Coadjutores,* hanc appone Notam——Coadjutoriæ cum futura Succeſſione admittendæ ſunt nedùm quod Epiſcopatus, & Abbatias, ſed etiam quoad Parochias, Canonicatus, &c, ut docet *Benedictus* Papa XIV Tract. *de Syn. Diæceſ.* Lib. XIII. Cap. X. à Num. XXI. Requiritur tamen Conſenſus Coadjuti, Num. XXVI. ——Item Reſignationes non ſunt admittendæ quoad Parochiales, Dignitates, & reliqua Beneficia, etſi nullô Reſidentiæ Onere gravata, ſine prævia Ordinarij Relatione, Num. XX.——Inſuper Parochiam vacantem per Reſignationem non poteſt Epiſcopus ſuo, vel Reſignantis Conſanguineo, Affini, vel Familiari conferre, benè tamen ſi vacet per Obitum, aut ſi fiat Permutatio, eôdem Lib. XIII. Cap. XXIV. Num. VI, & IX.

HUC facere videtur Epiſtola Eminentiſſimi & Reverendiſſimi D. *Silvij* Cardinalis *Valenti-Gonzaga,* Secretarij Statûs *Benedicto* Papa XIV, dein S. R. E. Camerarij, necnon S. Congregationis *de Propaganda Fide* Præfecti (R), ad D. *Michaelem O-Gara,* Archiepiſcopum *Tuamenſem,* junctimque ad D. *Petrum O-Donnelan,* Epiſcopum *Clonfertenſem,* & D. *Thaddæum O-Rourke,* Epiſcopum *Alladenſem,* hiſce notandiſſimis, nec minùs elegantibus, concepta Verbis. Ex authentico Exemplari, quod præ Manibus teneo.

“ Illuſtriſſime

(Q) *Petro Butler,* S. Theologiæ Magiſtro, Religionis Zelô, & ſingulari Pietate conſpicuo, inter Concionatores natalis ſuæ Civitatis *Dublinienſis* per longam Annorum Seriem nulli ſecundo.

(*R*) Olim Archiepiſcopi *Nicæni,* & Nuntij Apoſtolici *Bruxellenſis,* poſtmodùm *Matritenſis,* quem laudat *Hibernia Dominicana* pluribus in Locis, ſignantèr Cap. I. Num. XVII. Pag. 27; Cap. VIII. Num. XVIII. Pag. 169, & Num. XXI. Pag. 172; Cap. XII. Num. XIV. Pag. 442; & Cap. XIII Num. LXXIX. Pag. 508. Epiſcopus *Sabinenſis* Viam univerſæ Carnis ingreſſus eſt *Viterbij* 28 Auguſti 1756, tumulatus *Romæ* in Sepulchro, quod vivens ſibi conſtrui fecerat in Eccleſia *S. Bonaventuræ* ad *Pulverieram,* ut vocant, in Monte *Pàlatino,* Ordinis Fratrum Minorum Reformatorum.

“ Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine,

“ Quod Clonfertenſis, & Alladenſis Epiſcoporum Comprovincialium junctis Nominibus, atque Officijs, de Hiberniæ Beneficijs poſtulaviſti, tám æquum Pontifex Maximus eſſe cenſet quám quod æquiſſimum, atque ipſum More Majorum, Inſtitutique Romanæ Curiæ comprobatum. Mandavit itáque Pontificijs Miniſtris, caveant, provideantque in poſterum diligenter, ne Beneficia, Dignitateſque, præſertim Clericis Veſtris, Romana in Curia petentibus, conferantur niſi probatis á Vobis, Literarumque veſtrarum Teſtimoniô in hoc publicé commendatis. Vobis intereá, religioſé, atque ſtrenuè in Vinea Domini laborantibus, Apoſtolicam Benedictionem Pontifex ex Animo, & peramantér impertitur. Ego omnia fauſta precor a Deo. Romæ 31 Octobris 1742,

“ Dominationis tuæ

“ Ad Officia paratiſſimus,

“ D. Archiepiſcopo Tuamenſi.

“ S. Cardinalis Valenti.”

XXVII. Eâdem Pag. 180. Lin. 29, ad ly *præbuerint*, hanc appone Notam--------*Benedictus* XIV, mox laudatus, in Conſtitutione, *Firmandis*, A. D. 1744, ſtatuit poſt Sacram Congregationem Concilij *Tridentini* Interpretem, quod ſi Regularem Parochum, ſivè Epiſcopus, ſivé Prælatus Regularis, ab Exercitio Curæ removendum eſſe judicaverit, valida æquô Jure erit Remotio, quin alterius Conſenſus requiratur, aut ejuſmodi Judicij Cauſæ alteri ſint aperiendæ, multò minùs probandæ, ac verificandæ. Conſtitutionem porrò hanc recenſet, atque in extenſum exhibet Synodus *Tuſculana* (italicè *Fraſcati*) habita A. D. 1763, in *Appendice*, Pag. 289. Recolenda pridem dicta in *Hibernia Dominicana*, Cap. II. Num. III. Pag. 35.

XXVIII. Eâdem Pag. 180. Lin. 33 (ubi Sermo eſt de Literis Apoſtolicis *Benedicti* XIV, ſuper Reſidentia Antiſtitûm *Hiberniæ*) ad Lit. m, lege, & adde in hunc Modum————Fragmentum illarum habes (in *Hiberniæ Dominicana*) Cap. I. Num. XIV. Pag. 21. En autem ipſaſmet Literas, pulcherrimas ſané, & nullâ Oblivione delendas:

“ Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis Regni Hiberniæ,

BENEDICTUS PAPA XIV.

“ Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ GRAVE, & permoleſtum Nobis accidit compertum habere, nonnullos Hiberniæ Epiſcopos adeò Muneris ſui & Animarum Curæ ſibi commiſſarum eſſe oblitos, ut alter, ex quo jampridem Epiſcopale Regimen ſuſceperat, nunquám hactenùs in Diæceſi reſederit; alter, tranſactô vix cum Ovibus ſuis Menſe, Angliam, deindè Galliam, Belgium, Germaniamque peregraverit; nonnulli verò ſemel in Anno, æſtivô Tempore, paucis quidem Diebus, quaſi relaxandi Animi Cauſâ, ad Eccleſiam ſibi traditam accedere conſueverint. Hoc autem quantô Nos Dolore confecerit, Verbis explicare ſatis non poſſumus. Quid enim aliud ex tám abſurda Epiſcoporum Abſentia cogitare poſſumus ni certam Populorum Calamitatem, æternamque Animarum Perniciem? Experientiâ quippé didicimus, & Oculis quoque noſtris vidimus, in ipſa Italia, Eccleſiaſticam Diſciplinam, Pietatem, & Mores in deterius ire, ſi quandò Epiſcopum à Sede Sua diutiús abeſſe contigerit, quamquàm in Italia certè non deſint & Parochi vigilantes, & Eccleſiaſtici plurimi docti, ac probi, tàm Sæculares, quàm Regulares, immò & Vicarius Probitate Vitæ, Scientiâ, Uſuque Eccleſiaſticarum Rerum valdè peritus, qui abſentis Epiſcopi Partes pro Viribus expleat. Quid verò ſperandum, aut quid Mali non metuendum, ubi ſumma Eccleſiaſticorum Paucitas, ubi Catholici inter Heterodoxos verſari debent, & ab ipſis Magiſtratibus ſæpé Religionis Cauſâ vexari ſolent.

“ NON eſt autem cur Nos in præſens novas Leges, aut Pænas, ad coercendam ejuſmodi Licentiam, ſtatuamus, cùm dubitare minimè poſſimus, Vos ignorare qúam graviter ſtrictèque per Sacros Canones, & Apoſtolicas Conſtitutiones, tùm maximè per Concilium Tridentinum Epiſcopis injungatur in Eccleſijs ſuis reſidere, & Oves ſibi creditas nullo unquàm Tempore extrà ſummam Neceſſitatem deſerere. Quâ de Re, etiam Nomine Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, Negotijs Propagandæ Fidei Præpoſitorum, nonnullos ex Vobis admonitos fuiſſe cèrtò ſcimus. Cui ſané reſidendi Debito ſatis nequaquàm faciunt, qui per alium à ſubſtitutum, ſivé Vicarium, Eccleſiam regunt, niſi fortè ad breve Tempus, & gravi de Cauſa id fieret: Neque verò Opus eſſe cenſemus Viros doctos, & Sacrarum Literarum apprimè callentes, quales Vos eſtis, docere de Differentia reſidendi, quam materialem, & for-

“ malem

“ malem vocant. Quis enim Veſtrûm, Venerabiles Fratres, ignorat tunc Epiſcopum materiali Modô in Eccleſia ſua reſidere, cùm neque Verbum Dei Voce, & Exemplô diſſeminat, neque à Semita Juſtitiæ deflectentes revocat, neque periclantibus Opem, & Auxilium defert, neque Domum adverſùs Lupos rapaces, qui in Veſtimentis Ovium ſæpiùs intrant Ovile, ut rapiant, & mactent, ſedulò invigilat, fortiterque ſe opponit, in qua ſanè Vigilantia, ac paſtorali Solicitudine potiſſimùm ſita eſt vera & formalis Ratio reſidendi. Alloquimur Viros Theologos, humanarum divinarumque Rerum ſcientiſſimos, qui probè intelligitis Curam, & Salutem Animarum Opus eſſe divinum, & Onus angelicis, ut ajunt, Humeris formidandum, Oves dominicas paſcere, quarum de Manibus veſtris Sanguinem Summus Paſtor aliquandò requiret, ſi quæ, forté, Vitiô, aut Negligentiâ veſtrâ perierit. Neque enim quiſquam Se Excuſatione tuebitur, quod illæ, ſe inſciô, aut abſente, Subſtituti alicujus, aut Vicarij Oſcitantiâ aberraverint. Unicuique enim Vèſtrûm ſingulatim ab Oraculô divino diſtrictè denunciatur: *Attendite Vobis, & univerſo Gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo* (r). *Vobis* igitur, non *alteri* paſcendi Oves Præceptum datum eſt. *Vobiſmetipſis* ſpiritualis Animarum Salus innititur, & *Vos* illam ſuſcepiſtis, de ipſis Rationem reddituri. Proindé *Vobis* non immeritò tribuitur Inopia Verbi Dei, Sacramentorum Neglectus, Corruptela Morum, & omnis eorum, qui ignorant, & errant, miſeranda Pernicies. Nos itàque hæc omnia non ſine Lacrymis conſiderantes, hortamur Vos, & per amantiſſima JESU CHRISTI Viſcera, cujus Vices in Terris, licèt immerentes gerimus, obſecramus, ut Animarum veſtrarum, non minùs quam earum, quæ Fidei veſtræ traditæ ſunt, Miſeratione moti, Malis hiſce tempeſtivè occurratis, habentes præ Oculis Judicium illud duriſſimum, quod Princeps Paſtorum faciet ijs, qui Eccleſiæ præſunt, & Populum ſuum ſalvum non faciunt. Ponite Vobis antè Oculos clariſſima, & quidem dòmeſtica, tot Sanctorum Epiſcoporum Exempla, qui Charitate pleni, & de Animarum Salute ultrà quâm dici poſſit ſolliciti, Hiberniam Catholicæ Fidei Zelô illuſtrarunt, eamque Pietate & Religione florentiſſimam effecerunt. Memoriâ recolite S. Patritium, Hiberniæ Apoſtolum nuncupatum, quem S. Cæleſtinus, Prædeceſſor noſter, ad Vos miſit, cujus Apoſtolicæ Legationis, & Prædicationis uberrimus Fructus is extitit, ut Hibernia, anteà Idolorum Cultrix, mox Sanctorum Inſula diceretur, & eſſet, Recolite S. Malachiam, Archiepiſcopum Armachanum, & Legatum Apoſtolicum per Univerſam Hiberniam, ab Innocentio Secundo, Prædeceſſore noſtro conſtitutum, cujus ingens Animarum Studiùm à S. Bernardo quaſi Coloribus expreſſum legimus. *Stetit Paſtor intrepidus omnimodis argumentoſus, quomodò faceret Oves de Lupis, monere communiter; ſecretò arguere, flere per ſingulos, nunc aſperê, nunc lenitèr convenîre, prout cuique expedire videbat. Circumiens Civitatem perquirebat anhelus, quem Chriſto acquireret. Sed & foris Rura, & Oppida nihilominùs ſæpê percurrebat, ibat, & erogabat, vel ingratis cæleſtis Tritici Menſuram. Nec vehebatur Equô, ſed Pedes ibat, & in hoc ſe Virum Apoſtolicum probans.* Hæc S. Bernardus. Sed & ſinceriora percurrite S. Laurentij, Archiepiſcopi Dublinienſis, quem Regio Sanguine ortum, Legatum Apoſtolicum in Hiberniam Alexander Tertius, Prædeceſſor noſter, in Concilio Lateranenſi Tertio ſelegit, eique poſteà Honorius Tertius, pariter Prædeceſſor noſter, ſolemni Ritu Sanctorum Honores decrevit, atque inde facilé intelligetis quæ, quantaque pro Grege ſuo Vir Apoſtolicus fecerit, atque pertulerit. Quod ſi recenſere voluerimus Sanctiſſimos Viros Columbanum, Kilianum, Virgilium, Rumoldum, Gallum, alioſque plures, qui ex Hibernia in alias Provincias, Catholicam Fidem invexerunt, aut illam per Martyrium, effuſô Sanguine, colluſtrarunt, plus nimis Epiſtolæ Modum excederemus. Satis ſit eos breviter indicaſſe, quô faciliùs in Memoriam revocetis, quæ fuerit Majorum veſtrorum Religio, ac Pietas, quæ quantaque Epiſcopalis Dignitatis Sollicitudo, quæ quidem illos glorioſos, ac beatos effecit. Horum ſané Veſtigijs, ut Vos, quantùm fieri poteſt, inſiſtatis, iterùm in Domino rogamus, & obteſtamur. Confidimus autem plurimum, ut Vos non tàm paternæ hujus Admonitionis Officiô, quám Conſcientiæ veſtræ Stimulis excitati, in Diæceſibus veſtris imposterùm reſideatis, & graviſſimum paſcendi Oves Debitum ſeriò accuritèque pervolvatis. Quod ſi Veſtrûm quiſpiam, vel Ratone provectioris Ætatis, aut ægræ Valetudinis Impedimentô Se paſtorali Muneri reverá imparem ſentiat, is Coadjutorem ſibi dari á Nobis petat, Nobiſque ſimul indicet quem ipſe idoneum ad illud Munus fore judicaverit. Nam ſtatim ac erimus de ejus Pietate, Doctrinâ, alijſque ad Epiſcopatum neceſſarijs ſatis inſtructi, Coadjutorem haberi indulgebimus. Apoſtolicam interim Benedictionem noſtram paternô Affectu Vobis impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Die 1 Auguſti 1741. Pontificatùs noſtri Anno Primo.”

“ DOMINICUS CARDINALIS PASSIONÆUS.”

(r) Verba ſunt Apoſtoli *Act.* Cap. XX. Verſ. 28.

XXIX. Pag. eâdem 180. Lin. 43, ad ly *judicaverint*, hanc appone Notam——Ab Epiſcopo quidem deputari poſſunt Examinatores pro Confeſſionibus, vel Ordinibus. Examinatores verò pro Concurſu Parochiarum eligendi ſunt in Synodo, ut docet *Benedictus* XIV Tract. *de Synodo Diœceſana* Lib. IV. Cap. VII. Num. II. Quapropter ſi Concurſus Parochiarum fiant ab Examinatoribus in Synodo non electis nullus eſt Concurſus, & Collationes ſunt nullæ, ut laudatus declarat Pontifex Num. IX. Qui ulteriùs docet (Cap. VIII. Num. III) Concurrentes examinandos eſſe ab Examinatoribus nedùm in Literis, ſed etiàm in Moribus, Prudentiâ, &c. In talium porrò Examinatorum Judicio nullæ ſunt Partes Epiſcopi, vel Vicarij Generalis (in ejus Abſentia), niſi fortè Examinatorum Vota ſint paria (*s*). Solus tamen Epiſcopus ex approbatis eligit quem magis idoneum judicaverit, ut ibidem Loci aſſerit Num. V. & VI. Item Epiſcopus intrà & extrà Viſitationem, ſecluſâ omni Formâ Judicij, poterit Parochos, etſi anteà Tempore Proviſionum Parochialium approbatos, denuò examinare, ſuperveniente rationabili Cauſâ, putà Suſpicione vehementi de eorum Imperitiâ ob neceſſarium Studij Exercitium omninò relictum, ut poſt Sacram Congregationem *Concilij* affirmat Lib. XIII. Cap. IX. Num. XXI. Hæc obiter.

XXX. Pag. eâdem 180, poſt Lin. ult, iſtam lege Notam——Eleemoſyna Miſſæ vel à Synodo, vel extrà Synodum ab Epiſcopo taxanda eſt, ut docet *Benedictus* Papa XIV in Tract. *de Syn. Diœceſes.* Lib. V. Cap. VIII. Num. XI. declarans (Cap. IX. Num II.) quòd Epiſcopus imponere poteſt Pænam accipientibus minorem Eleemoſynam. Dudùm porrò Eleemoſyna taxata à Synodo Nationali *Hiberniæ* eſt Solidus *Anglicanus*, valens duos Julios *Romanos*. Cæterùm Valorem *Solidi* in diverſis Nationibus, diverſiſque Temporibus, expendit laudatus Summus Pontifex Lib. V. Cap VII. Num. I.

XXXI. Pag. 181. Lit. o, lege, & adde in hunc Modum.——*S. Patritius* Epiſcopus, *Hibernorum* Apoſtolus, fuit Canonicus Regularis, adeòque & inter Sanctos annumeratus, de quibus Canonici Regulares *Lateranenſes* Officia propria recitant. Utque plantatam ab eo in *Hibernia* Religionem Catholicam propagaret, & propagatam confirmaret, innumera propemodùm ſui Ordinis Monaſteria in univerſo Regno fundari curavit, per Sexaginta Annos Eccleſiam *Hibernicam* ſapienter regens (*t*). Porrò eorum bis Centum & triginta unum videre eſt in *Hibernia Dominicana* poſt Cap. XVII. in *Appendice Monaſtica* §. I, à Pag. 726.

Huc facit Officium proprium laudati *S. Patritij*, à S. Sede Apoſtolica approbatum, quod legunt Canonici Regulares memorati, ubi in Lectione ſecunda ſecundi Nocturni hæc habentur Verba: “ Ædificatis in ea (*Hibernia*) Eccleſijs tercentis ſexaginta quinque, totidemque Epiſcopis “ ad illas regendas ordinatis, in quibus Eccleſijs Clericos, communitèr ſecundùm B. Auguſtini Regulam viventes, illum conſtituiſſe, conſtans illius Gentis eſt Tradito.” Porrò inter ſexdecim Sanctos Ordinis Canonicorum Regularium Beatum Patritium recenſet *S. Pius* V in Bulla: *Licèt Eccleſia Dei Sponſa*, 18 Decembris 1570.

XXXII. Pag. 183. Lin. 12. lege hanc Notam——Uſquè adeò Regulares ſuis ſubſunt reſpectivè Superioribus, non verò Epiſcopis, ut quamquàm teneantur ad Dies Feſtos, ab Epiſcopis præſcriptos, non tamen ad Jejunia, ut delarat *Benedictus* Papa XIV, Tract. *de Synodo Diæceſana*, Lib. XIII. Cap. IV. Num. VI.

XXXIII. Pag. eâdem 183 Lin. 32, ad ly *Angelici Doctoris*, adde——En autem ipſam Orationem verè auream, Credrôque dignam, ex Actis impreſſis ipſiuſmet Cap. Gen. Pag. 7.

“ Sanctiſſimi Domini Noſtri Benedicti Papæ XIV

“ ALLOCUTIO

“ habita in Comitijs Generalibus Ordinis Fratrum Prædicatorum, in “ Conventu S. Mariæ Super Minervam celebratis, V. Nonas Julij MDCCLVI.

“ MAGNA

(*s*) Confer Cap. XVII. *Hiberniæ Dominicanæ*, Num. CXXVII. 725.

(*t*) Videſis Num. III. hujus *Supplementi* Pag. 811.

“MAGNA Res agitur in hoc Coventu, Dilecti Filij, cui hodiernâ Die præſidemus, nec modò pro Familiæ Veſtræ Rationibus graviſſima, ſed etiam pro totius Eccleſiæ Statu non leve Pondus habitura: Cui præficiendæ incredibili cum Gaudio Nos intereſſe profitemur, ut omnibus manifeſtum faciamus gratum, memoremque Animum noſtrum ergà Ordinem veſtrum, quem ſummô ipſius Meritô jamdudùm & amamus, & colimus.

“VERUM quanta ſit agendæ Rei Magnitudo Silentiô prætermittemus, cùm Nemo Veſtrûm ignoret, cujus Momenti ſit, Magiſtrum Generalem Ordinis Veſtri deligere, cui ſemel delatum Regimen, perpetuum, dùm vixerit, futurum erit; cùmque unuſquiſque ex eo ſplendoris Loco, quem Dominicana Familia in Eccleſia Chriſti obtinet, facilè intelligat, illius Rectoris Electionem non ad ſolam ejuſdem Familiæ Utilitatem, & Adminiſtrationem referri, ſed etiam ad univerſam Chriſtianam Rempublicam Ratione aliquâ pertinere. Itaque Sermonem noſtrum redigemus ad ea, quæ Nos Ordini veſtro debere cognoſcimus, quæque Nos ita jampridem affecerunt, ut eundem & amare & colere ſemper profeſſi ſimus, & adhuc profiteamur: eâque de Cauſâ præſentem Diem feliciſſimum Nobis exiſtimemus, & inter paucos illos adnumerandum, quos Sexdecim hiſce calamitoſi Pontificatûs noſtri Annis cum aliqua Animi Voluptate tranſegimus.

“Et ſanè poſt abſoluta leviorum Artium Studia cùm Sacræ Theologiæ Operam dederimus, non magnos in ea Progreſſus Nos quidem feciſſe intelligimus; ſed, ſi quid profecimus, id omne acceptum referre debemus bonæ Memoriæ Cardinali Thomæ Ferrario, clariſſimo Ordinis veſtro Theologo (u), qui rectam Nobis nobliſſimæ Diſciplinæ Viam aperuit, ſuâque Inſtitutione, atque Operâ, ad incæptum Iter proſequendum adjuvit; immò cùm Palatij Apoſtolici Magiſteriô fungeretur, Theologicæ Laureæ Honorem ipſe Nobis detulit, eâque Occaſione Monumentum Scriptô exaratum reliquit, quô de propenſa noſtra ergà ſanctiores Diſcipinas Voluntate honorificè teſtabatur, majoraque de Nobis expectari declarabat, ſi, quemadmodùm animati tunc videbamur, in inſtituto Curriculo perſiſteremus.

“AMPLAM hanc Aulam (*BibliothecamCaſanatenſem*), in qua nunc conſidemus, Nos ipſi à Fundamentis excitari olim vidimus, mox omnigenâ litterariâ Supellectile ornari, ità ut inter inſigniores univerſi Orbis Bibliothecas meritò accenſeatur; eandemque pòſtqúam ſtudioſorum Commodo patefieri conſpeximus, cum primis adire certavimus, & frequentare nunquàm deſtitimus, donec impoſitæ Nobis alterius Generis Curæ Nos aliò avocarunt.

“LONGIORI autem Vitæ noſtræ Curſu, quem, paucis detractis Annis, in Urbe egimus, Nemo ex Sodalibus veſtris fuit vel Dignitate, vel Sapientiâ, & Doctrinâ excellens (fuerunt autem excellentes permulti) qui Nos omni Officiorum Genere, & præcipuâ quâdam Amicitiæ Neceſſitudine complexus non fuerit: Sed reliqua multa omittentes, hoc unum commemorabimus, ſublimem Cardinalatûs Dignitatem, quam immerentes adepti fuimus, eximiæ ergà Nos Liberalitati SanctæMemoriæ Benedicti XIII, Pontificis Maximi, & Ordinis veſtri olim Alumni, unicè á Nobis deberi.

“REGRESSI deindè Bononiam Patriam noſtram, vigentem in ea invenimus Memoriam Rerum a Sancto Dominico Patriarcha veſtro in ea geſtarum, tùm ſcilicet inſignium Peccatorum, qui aſſiduis illius Concionibus permoti á Semita Iniquitatis ad Viam Salutis revocati fuerunt (a); tum Virorum Doctrinâ & Sanctitate illuſtrium, qui in ea Urbe Sodalitati veſtræ Nomen dederunt (b); tùm etiám Generalium Comitiorum, quæ prima omnium Ordinis veſtri ibidem habita fuerunt, in quibus ipſius Ordinis Præfectura eidem Sancto Dominico Fundatori communibus Suffragijs delata fuit (c); denique Cives noſtros cum incredibili Animi noſtri Lætitia perpetuo vidimus Obſequijs & Votis celebrare Sepulchrum Patriarchæ Veſtri, qui Bononiæ ex hac Vita decedens (d), pretioſum ei Civitati reliquit Corporis ſui Theſaurum, quod quidem auguſtô Mauſoleô conditum ibidem ſumma cum Religione aſſervatur. In ipſa verò Adminiſtratione Archiepiſcopalis Officij, quod ibi pluribus Annis geſſimus, Oculos ſæpe convertimus ad præclara Geſta Jacobi Boncambij, qui ex ordine veſtro ad Bononienſem Eccleſiam regendem aſſumptus, tantâ in Verbi Dei Prædicatione Famæ Celebritate floruit, ut finitimarum Civitatum Populi, quemadmodùm Hiſtoriæ noſtræ teſtantur (e), ad illum audiendum, percipiendamque ex illius Ore Salutis Scientiam certatim confluxerint.

(u) Hunc immortalis Memoriæ Purpuratum videſis in *Hibernia Dominicana* Pag. 403, 406, 408, & 409; & in hoc *Supplemento* Num. XLVIII. Lit. n, & Num. XLIX.

(a) *Flaminius* in Vita *S. Dominici* Lib. 2. Fol. 47. & Tom. 1. Annalium Odinis Prædicatorum ad Annum 1219. Num. 37.

(b) *Fr. Jordanus* in Vita *S. Dominici* Num. 35. *Flaminius* Loc. cit. *Malvenda* in Annalibus Sacri Ordinis Prædicatorum ad Annum 1219. Atque eod. Tom. 1. Annal. Ord. Præd. Locô citatô.

(c) Die XVII. Maij MCCXX. cit. Tom. 1. Annal. Ord. Præd. ad Annum 1220. Num. 39.

(d) Die VI. Auguſti MCCXXI. cit. Tom. 1 Annal. Præd. ad Annum 1221. Num. 25 in Fine.

(e) *Sigonius* Lib. 2. de *Epiſcopis Bonomienſibus* ad Annum 1244.

"POSTQUAM verò, nihil tale promeriti, ad ſupremum Pontificatûs Apicem devenimus, propenſa noſtra ergà Dominicanam Familiam Affectio, ſuprà quàm dici poteſt, excrevit. Apoſtolicam enim Beati Petri Cathedram Trophæis ſuis exornant Tredecim ex Alumnis veſtris, qui à Romanis Pontificibus, poſt accuratiſſimum Rerum omnium Examen, in Sanctorum Numerum relati fuerunt, quos inter Sanctus Pius V, Prædeceſſor noſter, pro cujus Canonizatione, dùm in Minoribus conſtituti Advocati Conſiſtorialis Munere fungeremur, Operam, Laboreſque noſtros impendiſſe gloriamur; & Sanctæ Catharinæ de Riccijs, quam Noſmetipſi Sanctarum Virginium Catalogo adſcripſimus (*f*). Prætereà novemdecim e veſtris Sodalibus ejuſdem Apoſtolicæ Sedis Decretô, in Beatorum Numerum ritè cooptatos invenimus: Ex his verò decem, vel Nobis, dùm Promotoris Fidei Munus ſuſtineremus, Studia noſtra conferentibus, vel Nobis ipſis è Pontificio Throno decernentibus, is Honor delatus fuit. Hunc ipſum Apoſtolicum Thronum quatuor ex Ordine veſtro Pontifices antè Nos tenuerunt, videlicet, Innocentius V, quem Sanctus Antoninus inſigni Laudis Præconiô commendavit (*g*), Benedictus XI, ex Beatorum, quem innuimus, & Pius V, ex Sanctorum, de quibus diximus, Numero, ac denique Benedictus XIII, cujus Virtutum, & rectè Factorum Teſtes Nos ipſi fuimus. Quòd ſi fortè reliqua Familiæ Veſtræ Ornamenta, & in Eccleſiam Catholicam Promerita ex Animo noſtro excidere unquàm potuiſſent, hoc tamen profitemur, nullô unquam Tempore envire potuiſſe, ut è Memoria noſtra dilaberetur Theologorum Princeps, Scholarum Angelus, Eccleſiæ Doctor, præclarum Ordinis veſtri Sydus, Sanctus Thomas Aquinas, cujus Doctrina complures Romani Pontifices ces, Prædeceſſores noſtri, perhonorifica dederunt Teſtimonia (*h*); quemadmodùm etiam Nos ipſi in Libris, quos de varijs Argumentis conſcripſimus, poſtquàm Angelici Doctoris Sententiam diligentèr ſcrutando percepimus, atque ſuſpeximus, admirabundi ſemper, atque lubentes eidem adhæſimus atque ſuſcripſimus; candidè profitentes, ſi quid boni in ijſdem Libris reperitur, id minimè Nobis, ſed tanto Præceptori totum eſſe adſcribendum.

HACTENUS, dilecti Filij, de hodierni Operis, cui præfuturi ſumus Gravitate, ac de Paterna prorſùs Benevolentiâ, & ſingulari Exiſtimatione, quâ Ordinem veſtrum juſtiſſimas ob Cauſas ſuperiùs expreſſas, aliaſque his facilè adjiciendas, proſequimur. Reliquum eſt, ut de ipſa Re, quam hìc peracturi conveniſtis, id eſt, de Electione Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis veſtri, aliqua attingamus. Verùm quid unquàm afferre poterimus, quod jam probè non teneatis, quodque unuſquiſque veſtrûm ab inclyto, quem proxime laudavimus, Præceptore Thomâ Aquinate non didicerit? Si dicemus, hujuſmodi Magiſterium ei deferendum eſſe, qui omnium optimus inter Vos habeatur; ſi dicemus non eum eſſe omnium optimum, qui ſolâ Vitæ Sanctimoniâ cæteris antecellat, ſed qui præter Morum Probitatem, quæ quidem neceſſaria eſt, alijs quoque Virtutibus, atque Animi Dotibus, ad rectè regendam Familiam idoneis, inſtructus comperiatur; nihil porrò dicemus, quod in Operibus Angelici Doctoris egregiè conſtabilitum, & à Vobis jampridem lectum, atque animadverſum non fuerit (i). Si dicemus, Suffragia veſtra, ſepoſitis peculiaribus Affectionibus, & propriæ Utilitatis Reſpectu, nil aliud intueri debere, quàm eorum Virtutes, & Merita, quorum Electio Vobis Animo obverſatur; nihil dicemus, quod non egregius veſter Præceptor tradiderit (k). Itaque nil aliud Nobis dicendum ſupereſt, niſi, ut id agatis, quod Vos Præceptor ille veſter agendum docuit, utque tales Vos exhibeatis, quales, dum alias Electiones ab alijs celebrari audiſtis, eos ſe præſtare oportere dicebatis, qui in eis Suffragium laturi erant. Quibus maximè Rebus Ordo veſter indigeat, Vobis potiſſimùm debet compertum eſſe. Quis huic ſuſtinendo Muneri idoneus, qui ſuprà cæteros ad id aptus, & benè regendi capax videatur, cognoſcere Vos arbitramur. Ne autem in Errorem Vos labi fortè contingat, ſupplices iterùm, ut anteà Vos ſæpè feciſſe putamus, ad Deum Patrem Luminum Preces effundite, ac Patrocinium, & Opem Sancti Dominici Patriarchæ Veſtri, aliorumque Sodalium veſtrorum cum Chriſto regnantium, quique inter Beatos, vel Sanctos ab Eccleſia coluntur, Vobis depoſcite: Dûm Nos intereà, qui veſtris hiſce Comitijs non alio Fine interſumus, quàm ut veſtram in ferendis Suffragijs Libertatem ſalvam, & incolumem præſtemus, novi Magiſtri Generalis Electionem, à Vobis jamjàm perficiendàm, Apoſtolicâ Benedictione noſtrâ proſequimur, & in anteceſſum amantiſſimè complectimur."

HANC Humanitatis, Amoriſque plenam Orationem gratiſſimô, ut decuit, Animô exceperunt Patres univerſi; atque in hanc Sententiam omnium Nomine, peractâ Electione, Gratias Summo Pontifici egit Reverendiſſimus Pater Procurator Generalis.

GRATIAS

(*f*) Die XXIX. Junij MDCCXLVI.

(*g*) 3. Part Chronicor. Tit. 20. Cap. 3.

(*h*) Tom. 8. *Bullarij Ordinis FF. Prædicatorum,* in Tract. *de Conſenſu Bullarum.* Tit. 6, Quæſt. 2. per tot.

(*i*) *S. Thomas,* quodlib. 8. art. 6. & quodlib. 4. art. 23 ad 12; & quodlib. 6. art. 9; & quodlib. 4. art. 15; & 2. 2. quæſt. 63. art. 2. in corp.

(*k*) Locis citatis.

Gratias *acturus maximas Sanctitati Veſtræ, Beatiſſime Pater, pro ampliſſimo, atque immortali Beneficio, quô univerſus Ordo Prædicatorum hodiernâ Die â Sanctitate Veſtra honeſtatus eſt, etiamſi nullam exiſtere tantum poſſe ingenij Ubertatem, tantamque dicendi Copiam, aut tàm incredibile dicendi Genus, intelligo, quô quiſquam poſſit ſumma Tua, Beatiſſime Pater, in Nos promerita non modò orando complecti, ſed percenſere numerando: Hoc tamen unum tanti eſſe ſentio, ut nihil aut majus, aut liberalius excogitari poſſe videatur. Equæ enim aut noſtra, aut Ordinis noſtri tanta fuit Dignitas, ut Comitia noſtra Pontificiæ Majeſtatis Adventu, ac Præſentiâ, hoc etiam tam ſplendidô, ac nobili Comitatu, illuſtrarentur? Ac quòd Sanctitas Veſtra Pontifices Maximos Prædeceſſores ſuos, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ Cardinales ex Ordine Prædicatorum ad ampliſſimos illos Honorum Gradus evectos, ipſumque Ordinem, ejuſque Alumons, præſertim verò Angelici Magiſtri noſtri Sancti Thomæ Aquinatis Doctrinam tot, tàmque inſignibus Laudibus extulerit; Nos quidem omnès non ſolùm incredibili Voluptatis Fructu, tantâ iſtæ Benevolentiæ Significatione, complevit; ſed traduxit etiam in maximam Admirationem Sapientiæ, Doctrinæ, atque Eruditionis Sanctitatis Veſtræ incredibilis, ac planè ſingularis. Quamobrem quæ Nobis anteâ Familiæ noſtræ Ornamenta jucunda ſemper fuerunt ipſa per ſe, erunt profectò deinceps propter inſigne Sanctitatis Veſtræ Præconium, & Laudationem, multo jucundiora; horumque adeô Comitiorum, hujuſque & Dei, & Loci Memoria, nulla unquam Oblivione delebitur, ſed vigebit ſemper ad Prædicationem totius Ordinis ſempiternam. Intereâ Deum Optimum Maximum, cujus ſcilicet Voluntati fauſtam, fortunatamque hujus Diei Lætitiam acceptam referimus, oramus obteſtamurque, ut Sanctitatem Veſtram ad communem totius Chriſtianorum Republicæ, atque ad ſingularem noſtri Ordinis Felicitatem, ſoſpitem quamdiutiſſimè, atque incolumem conſervet.*

XXXIV. Poſt *Benedictinam* iſtam Allocutionem facilè adducor ad aliam excribendam ejuſdem Sapientiſſimi Pontificis Allocutionem, non minùs præclaram, eòque faciliùs quia tota eſt de Miſſionarijs, Cauſâ Fidei Catholicæ necatis, quatuor nempè *Hiſpanis*, Ordinis Prædicatorum Alumnis. Ex Actis impreſſis Capituli Generalis *Romæ* 1756. Pag. 24.

" ALLOCUTIO

" Sanctiſſimi Domini Noſtri BENEDICTI PAPÆ XIV habita in Conſiſtorio
" Secreto Feriâ Secundâ Die 24 Januarij 1752, de pretioſa Morte FRANCISCI
" SERRANI, ex Ordine Prædicatorum, Epiſcopi Tipaſitani, Vicarij Apoſtolici Provinciæ
" Fokienſis in Regno Sinenſi, JOACHIM ROYO, JOANNIS ALCOBER, & FRANCISCI
" DIAZ, ejuſdem Ordinis Dominicani Sacerdotum.

" VENERABILES FRATRES,

" Tertius jám Annus eſt, ex quo Nos hoc ipſo in Loco pretioſam Mortem (*l*) Petri Martyris Dominicanæ Familiæ, Mauricaſtrenſis Epiſcopi, & Apoſtolici Provinciæ Fokienſis in Imperio Sinarum Vicarij, Vobis expoſuimus; quô quidem Tempore certiores Vos etiam facere non prætermiſimus, quatuor alios Dominicanæ ejuſdem Familiæ Religioſos Viros eſſe, qui in Carcere detinebantur, quique non longè ab eo erant, ut eandem Damnationis Sententiam ſubirent, & pro Chriſtiana Religione Vitam amitterent. Ibi autem cùm Nos antiquam Eccleſiaſticam loquendi Rationem ſecuti, illos *Martyres diſignatos* nominaverimus, nunc Mortis eorundem, & feralis Executionis atrocis Sententiæ Nunciô acceptô, *Martyres conſummatos* eoſdem appellandos judicamus, quô etiam Nomine Mauricaſtrenſis Epiſcopus á Nobis fuerat appellatus: Illud Succeſſoribus noſtris integrum reſervantes, ut *Martyres vindicatos* illos pronuncient, poſtquám Probationum Examen inſtitutum, atque peractum fuerit, & quæ de illorum Geſtis relata huc tranſmiſſa ſunt, á veridicis licèt Fontibus profecta, authenticis Documentis fuerint comprobata; & poſtquam Dei Optimi Maximi Benignitas Signis ac Miraculis manifeſtare dignata fuerit, quantoperè horum Servorum ſuorum Holocauſtum Divinæ Majeſtati Suæ fuerit acceptum: Cùm Sanctæ huic Apoſtolicæ Sedi hoc in More poſitum, & conſtanti Lege firmatum ſit (*m*), ut ad veri Martyris Approbationem minimè procedat, niſi Supernaturalia Signa, atque Prodigia pariter acceſſerint.

" Horum, qui nuperrimè pretioſam Mortem obierunt, Nomina ſunt: Franciſcus Serranus, Joachim " Royo,

---

(*l*) In Allocutione habita in Conſiſtorio ſecreto Die 16. Septembris 1748.

(*m*) In Opere, quatuor Libros *in Foilo* complectente, quod *Benedictus* ipſe XIV, dùm Cardinalis eſſet, lucubravit, Libro ſcilicet 3. Cap. 27. Num. 8. & Cap. 29. á Num 6. ad ultimum.

“ Royo, Joannes Alcober, & Franciſcus Diaz. Etſi autem probé Nobis compertum illud eſt (n), *Martyrem non facere Pænam, ſed Cauſam*; minimè tamen plura Nobis hoc Loco perſequenda exiſtimamus, ut Vobis enarremus, illud ex ijs, quæ hùc ad Nos pervenerunt, Monumentis colligi, quatuor hoſce Sacerdotes necatos Tyranni Juſſu fuiſſe, propter infenſum Animum, quem ipſe contrá Chriſtianam Fidem gerebat, in cujus Prædicatione ipſi Sacerdotes aſſiduâ, atque indefeſſâ Curâ ſe exercebant, atque ab ipſis Mortem chriſtianâ Æquanimitate, ac Fortitudine acceptam fuiſſe, ejuſdem Sanctæ Religionis Cauſâ, cujus aſſerendæ mirô Amore flagrabant; cùm de hac Re abhinc ſuprá Triennium pluribus Nos egerimus, cum ex hoc ipſo Loco Mauricaſtrenſis Epiſcopi Mortem Vobis annunciavimus. Perſecutio enim, quæ in Fidei Odium contrà Mauricaſtrenſem Epiſcopum excitata fuit; & tám illius, quàm horum, Cauſa communis eſt. Illud hìc Nobis adjungendum eſt, Religioſos hoſce Viros non modò Jubenti Animo Mortem ſubijſſe, immaneſque Cruciatus, qui a Tyranno ipſi Morti additi ſunt, toleraſſe, verùm & antè graviſſimis Ærumnis, atrocibuſque Contumelijs in ipſo Carcere duorum ferè Annorum Spatiô conflictatos fuiſſe, ut ſatis appoſitè de illis dici poſſit, quod (o) *in omnibus exhibuerunt ſemetipſos ſicut Dei Miniſtros, in multa Patientia, in Tribulationibus, in Neceſſitatibus, in Anguſtijs, in Plagis, in Carceribus, in Seditionibus, in Laboribus, in Vigilijs, in Jejunijs.*

“ NOSTRAE huic Allocutioni Finem hìc ponere propoſitum Nobis fuerat. Verùm, cùm in percurrendis Schedis, per Viros Fide dignos Nobis traditis, atque tranſmiſſis, inſigniora quædam, ac præcipua deprehenderimus: Minimè grave Vobis eſſe cupimus, ſi in ijſdem exponendis paululùm Vos etiam detineamus.

“ PATER Franciſcus Serranus Ætatis Annum agebat quinquageſimum ſecundum, Annos autem novemdecim in Sancta Sinenſi Miſſione impenderat. Pater Joachim Royo Ætatis erat Annorum ſex & quinquaginta, quorum tres ſuprà triginta Apoſtolicum Munus in Sinenſi item Miſſione exercuerat. Pater Joannes Alcober Annos habebat quadraginta duos, horum verò duodeviginti in obeunda Sancta eadem Miſſione exegerat. Pater Franciſcus Diaz tertium ſuprà trigeſimum numerabat Annum, Spatiô autem Annorum novem divini Verbi Præco ibidem fuerat. De Laboribus eorum, de ferventi aſſerendæ Chriſtianæ Religionis Studio, ipſarumque Miſſionum Fructu in Tabularijs Congregationis, Propagandæ Fidei Negotijs præpoſitæ, plurima extant Monumenta, quorum opportunô Tempore erit ut debita Ratio habeatur: Quoniam, licét pro Martyrio ſatis ſit Mors in Chriſtianæ Fidei Odium illata, eademque pro Chriſti ipſius Amore ſanctè obita, ac tolerata; non inficiandum tamen eſt diuturnam chriſtianarum (p) Virtutum Seriem, anteacto Vitæ Curſu heroicè exercitarum, ad veram Martyrij Declarationem permultùm conferre.

“ NEMINEM autem, niſi Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ admodùm imperitum, ignorare arbitramur, Tyrannorum Morem fuiſſe, ut enormis cujuſpiàm Delicti Notâ Martyres infamarent, ad Odium contrà ipſos concitandum, ut ſcilicèt illam, quæ indè redundabat, Invidiam effugerent, quod propter ſolum Chriſtianæ Religionis Exercitium, ac Profeſſionem, eoſdem interficiendos mandarent (q).

“ IDEM etiám in quatuor horum Sacerdotum Martyrio eveniſſe comperimus, eo tamen Diſcrimine, quod cum alij Tyranni in eorum Calumnia obſtinaté uſque perſtiterint, eâdemque fulti Mortis Sententiam pronunciaverint; hìc contrà Ethnici Judices, & Idolatræ minimè veriti ſunt Sacerdotes noſtros innocentes declarare, quoad ea pertinebat, quæ de enormibus Vitijs falſô ipſis objecta fuerant; quibus Rebus Tyrannus minimè deterritus, & contrà Chriſti Fidem infenſior effectus, Laqueô eoſdem interimendos crudeliter mandavit.

“ CUM inter Sententiæ Pronunciationem, ejuſdemque Executionem, aliquod Temporis Spatium interceſſiſſet, ex quo Sinenſis Imperator illam ſuſpendi mandaverat; Fama non inanis percrebuit, & quæ ad piorum uſque Sacerdotum, qui in Vinculis detinebantur, Aures pervenit, fore ut capitalis Pæna in Exilium á Regni Finibus commutaretur. Magna autem in hoc Nuncio Vis inerat, ut de eorum Animo, ac Propoſito verè dijudicari poſſet. Nam, ſi ipſi hujuſmodi Nuncio lætati forent, id quodammodò minoris Roboris, ac Fortitudinis Indicium eſſe potuiſſet, & cujuſdam Affectionis, quâ temporali Vitæ adhærerent; quæ omnia heroicæ Martyris Fortitudini oppoſita ſunt: Contrá verô ſi contriſtati eſſent, Suſpicio quædam exoriri indè poterat vanæ cujuſdam Gloriæ, quam in Morte fortiter oppetenda ijdem ſibi propoſuiſſent; quâ vanâ profectò Gloriâ Pſeudo-Martyrum hæreticorum Mortes inquinatæ

(n) Ex *S. Auguſtino* Epiſt. 204. Num. 4.

(o) Verba ſunt Apoſtoli Epiſt. II. *ad Corinthios* Cap. VI. Verſ. IV. & V.

(p) Vedeſis laudati Operis Librum I. Cap. 27. Num. 2. & Cap. 29 Num. I. & 2.

(q) Conſulendus Lib. 3. Cap. 13. Num. 7. & ſeq. & Num. 12.

“ quinatæ ſunt (*r*). Verúm eorundem Acta deſcripta, atque húc tranſmiſſa dum leguntur, heroica in quatuor hiſce Religioſis Viris ad divinam Voluntatem Conformatis eluceſcit, paratus æqué ac promptus ſivé ad Exilium, ſivé ad Mortem Animus, prout divinæ Voluntati complacitum foret, cui Vitam ſuam, Mortemque pariter conſecraverant.

“ POSTREMO autem Nemo Veſtrûm procul Dubio eſt, cui illa ignota ſint, quæ celebri Fiſcherio Roſenſi Eiſcopo (*s*) acciderunt. Hic Henrici VIII Angliæ Regis Juſſu in anguſto Carcere cúm detineretur, quod Legi illi adhærere recuſaſſet, quâ Rex Supremum ſe Anglicanæ Eccleſiæ Caput conſtituerat, purpureus eidem Galerus á Pontifice Paulo III per idem Tempus tranſmiſſus fuit. Nos Patrem Franciſcum Serranum, jam Carcere in Odium Chriſtianæ Religionis concluſum, datis Apoſtolicis Literis, Epiſcopum Tipaſitanum conſtituimus, & Provinciæ Fokienſis Apoſtolicum Vicarium deſignavimus, additâ Declaratione Coadjutoris cum futura Succeſſione in Locum Antiſtitis Mauricaſtrenſis. Pontifici Paulo III Roſenſis Vincula nota erant: Ignotum verò Nobis erat, Serranum item vinctum teneri. Hoc duntaxát Diſcriminis inter unum, atque alium intercedit. Cæterúm utriuſque idem Finis fuit; cúm, quemadmodúm Cardinalitia Inſignia nihil aliud Roſenſi tribuerunt, niſi ut profundæ Humilitatis Actum exerceret, & præclarum Teſtimonium acciperet, quanta Virtutis illius Ratio apud Pontificem eſſet; ſic ex noſtris Apoſtolicis Literis nihil aliud Serrano tributum eſt, niſi Argumentum, quanti etiam Nos illum meritò faceremus; quæ quidem noſtra de illo Æſtimatio præclaris Humilitatis præcipuæ Teſtimonijs aucta eſt, & obſequioſæ Obedientiæ ſuæ, quam Nobis per idem Tempus exhibuit. Et quemadmodum Cardinalitius Galerus, á Paulo III Roſenſi tranſmiſſus, Vitam illi incolumem minimè præſtitit, quam idem paulò poſt pro Sancta Religione libenter devovit; ſic neque Epiſcopalis, ac Vicariatûs Apoſtolici Dignitas Serrano á Nobis collata glorioſæ eundem Martyrij Palmæ expertem fecit.

“ HÆC unt præcipua, Venerabiles Fratres, quæ de ſtrenuis hiſce quatuor Jeſu Chriſti Athletis Vobis exponenda eſſe cenſuimus. Cæterúm eam Nos Quæſtionem in Medio relinquendam exiſtimamus, uter duorum Ordinum, Dominicanus, an Franciſcanus, primus fuerit, qui ſanctas in Sinenſi Imperio Miſſiones perageret. Illud quidem certè affirmabimus, ad hæc uſque Tempora decem ex Dominicana Familia Viros numerari (*t*), qui in Sinenſi Miſſione Mortem pro Chriſti Fide per inaudita Tormenta appetierunt; quorum quidem Cauſæ in Sacrorum Rituum Congregatione aliæ jam introductæ, aliæ verò proximæ ſunt, ut introducantur. Quamobrem, Venerabiles Fratres, quoniam Nemini Veſtrûm ignotus eſt infelix Status, quô propter atroces Perſecutiones ſancta illa Miſſio in præſens redacta eſt, reſtat jam, ut ferventes pro illa conjunctis Votis divinæ Majeſtati Preces porrigamus, magnâ Spe freti ut eadem de excelſo Gloriæ ſuæ Solio Nobis benignè annuat; quoniam Abrahamo interroganti (*u*): *Quid, ſi inventi ibi ſuerint decem?* Reſpondit: *Non delebo propter Decem.*

XXXV. Pag. 186. Lit. e. Ubi agitur de Urbe *Dublinienſi*, ſubjunge——Inſuper Antiquitas ejus haud obſcurè colligitur ex *Libro Nigro* Eccleſiæ *Chriſti* mox recenſendæ, ubi hæc legere eſt: *Fornices fundati fuere à Danis antè Adventum S. Patritij in Hiberniam, quô Tempore Eccleſia Chriſti in ea non erat Forma, qualem nunc exhibet; quarè S. Patritius Miſſam celebravit in uno ex Fornicibus, qui* Fornix S. Patritij *nuncupatur uſque in hodiernum Diem. Ipſeque S. Patritius prophetavit, Eccleſiam Chriſti eo in Loco ædificatum iri futuris Temporibus.* Succinit *Jacobus Uſſerius*, Archiepiſcopus *Armacanus* Acatholicus, *de Britannicarum Eccleſiarum Antiquitatibus*, Pag. 459. Porrò *S. Patritius* in *Hiberniam* advenit Anno Æræ Chriſtianæ 433, ibique glorioſam efflavit Animam Anno 493, Ætatisſuæ 120, Apoſtolatûs 60. Quod ſi objiciat quiſpiam, *Danos* haud fuiſſe *Dublinij* uſque ad Annum 795, ut ex genuinis conſtat Hiſtorijs: Facilè reſpondebitur dicendo, id verum eſſe de *Danis* quâ Prædonibus & Expugnatoribus, non verò de *Danis* quà Mercatoribus, & Piſcatoribus, hi quippè in maritima iſta *Lagenienſium* Plaga verſabantur ab Initio Sæculi Eccleſiæ Quarti, ijſdem ut ex Hiſtorijs luculentiſſimè patet. Cæterùm longè antè Tempora iſta extabat *Dublinium*, Nuncupatum *Eblana Civitas* à *Ptolomeo*, inſigni Geographo, qui floruit Anno Chriſti 140.

QUOD

(*r*) Item Lib. 3. Cap. 20. Num. 12. & ſeq.

(*s*) Is fuit *Joannes Fiſher*, Epiſcopus *Roſenſis*, vulgò *Rocheſter*, necnon S. R. E. Cardinalis, qui ſub *Henrico* VIII pro Primatu *Romani* Pontificis Capite plexus eſt *Londini* 22 Junij 1535, ſicut & Eques *Thomas Morus*, Regni Cancellarius.

(*t*) Sex memorantur in laudata ejuſdem Summi Pontificis Allocutione, habitâ Die 16 Septembris 1748: Quatuor alij ſunt, qui in hac Allocutione recenſentur.

(*u*) *Geneſis* Cap. XVIII. Verſ. XXXII.

Quod ſi recentioris Nomenclaturæ Etymologiam percipere aveas, ſcias oportet quod *Dubh-lien* hibernicè idem eſt ac *Nigræ Thermæ* latiné, ut diſertè expendit Author Vitæ *S. Coemgeni*, vulgò dicti *Kevani*, alijs *Kevini*, tranſcriptæ ex Codice *Kilkennienſi* M. S. Cap. 30 his Verbis: *Et ipſe S. Garbanus propè Civitatem* Atha-Cliath *habitabat, quæ eſt in in Aquilonali Lagenienſium Plaga ſuper Fretum Maris poſita, & illud Scoticè dicitur* Dubh-lien, *quod ſonat latinè* Nigræ Thermæ: *Et ipſa Civitas potens & belligera eſt, in qua ſemper habitant Viri aſperrimi in Prælijs, & peritiſſimi in Claſſibus.* Porrò *S. Garbanus* Heremita erat, coævus & Amicus laudati *S. Coemgeni*, ſeù *Kevani*, alijs *Kevini*, primùm Abbatis, poſtmodùm Epiſcopi *Glandelacenſis*, qui natus fuit A. D. 498, denatus verò Anno 608, Ætatis ſuæ Anno Centeſimo Decimo, cujus meminit *Hibernia* noſtra *Dominicana* Cap. I. Num. XII. Lit. c. Pag. 18. Confer Num. I hujus *Supplementi* Lit. u. Pag. 810.

XXXVI. Pag. 229. Lit. r. ſub Finem, ubi refertur, inventam fuiſſe apud *Tarentum* Anno 1492 *S. Cathaldi* Prophetiam, Tabulis plumbeis inſculptam, pro qua laudatur *Alexander ab Alexandro, Dierum Genialium* Lib. III. Cap. XV, adde.

Hujus porrò Rei (ut obiter dicam) meminit Eques *Waræus*, in *Annalibus Hiberniæ*, ad Annum
1492, ajens: “ Hoc Tempore Prophetia *S. Cathaldi Hiberni*, Epiſcopi primúm *Rathanenſis* in *Momo-*
“ *mia*, quæ Provincia eſt Auſtralis *Hiberniæ*, deinde *Tarentini* in *Italia*, plumbeis Laminis inſcripta,
“ *Tarenti* inventa fuiſſe dicitur, & *Ferdinando Primo* Regi *Arragoniæ* & *Utriuſque Siciliæ* oſtenſa.
“ Mira, quæ tam de Prophetia ipſa, quám de Inventione ejuſdem traduntur, petas ex *Alexandro ab*
“ *Alexandro*, qui tunc vixit, in *Genialium Dierum* Lib. 3. Cap. 15. De Monumentis públicis, & Li-
“ bris olim plumbeis, vide etiam *Hermannum Hugonem* de *prima Scribendi Origine* Cap. 10.

Immo prælibatus Eques *Waræus* Lib. I. de *Scriptoribus Hiberniæ* Cap. I, ipſamet *Alexandri* Verba
in Medium adducit, in hunc Modum enarrans: “ Exitu Sæculi Quinti claruiſſe dicitur *Sanctus Cathal-*
“ *dus*, Patriâ *Momonienſis*, in bonis Literis Liſmoræ educatus, factus poſteá Epiſcopus *Rathanenſis*
“ cùm Sedem ſuam per aliquot Annos laudabiliter rexiſſet, Peregrinationem *Hieroſolymam* uſque
“ ſuſcepit. Deindé, ut ferunt, divinitùs admonitus, in *Italiam* profectus eſt, ubi *Tarentinus* evaſit
“ Epiſcopus. *Genevæ* porrò *apud Lacum Lemanum, Cathaldum, ut Urbis Præſulem, ac Profeſſorem*
“ *adoratùm*, aſſerit *Raphael Volaterranus*, Commentariorum Urbanorum Lib. 3. De eo etiam ità *Alex-*
“ *ander ab Alexadro*, Genialium Dierum Lib. 3. Cap. 15, qui vixit Anno 1500: *Quùm florente For-*
“ *tunâ* Ferdinandi Primi *Regis* Arragonij, *Urbs* Neapolitana, *& Regnum nullis adhuc Belli Calamita-*
“ *tibus premeretur, ſatis conſtat* Cathaldum, *Sanctum Virum, qui abhinc Annis Mille Pontifex Urbi*
“ Tarentinæ *præfuit, quemque Patronum* Tarentini *Cives venerantur, & colunt, Nocte intempeſtâ Mi-*
“ *niſtro Sacrorum cuipiam, tunc Sacris initiato, & in caſta Religione educato, ſemel atque iterùm in*
“ *ſomnis apparuiſſe, ac monuiſſe, ut Libellum à ſe conſcriptum quem in abdito Loco vivens abdiderat, in*
“ *quo divina Arcana ſcripta erant, effodere, & protinùs ad Regem deferri curaret, qui quùm parùm*
“ *Fidei Somnio dediſſet, eâdem ſibi per Quietem ſæpiùs obverſatâ Specie, quúm primô Diluculô ſolus mora-*
“ *retur in Templo, ipſum* Cathaldum, *qualis erat olim dùm in Vita ageret, Pontificiâ Veſte, & Infulâ*
“ *amictum, eidem Miniſtro planè vigilanti apparuiſſe, & prædixiſſe, ut poſterâ Luce quùm primùm*
“ *poſſet, Libellum à ſe conſcriptum, in abdito Loco, quem in Somnis prædixerat, conditum effodere, &*
“ *Regi deferre ne cunctaretur, Pænam, niſi fieret, graviter comminatus. Poſterâ Luce ſolemni Pompâ*
“ *Miniſtrum cum Populi Comitatu ad Latebram, in qua longiſſimô Ævô Libellus latuerat, proceſſiſſe,*
“ *eumque plumbeis Tabellis obſignatum, & Clavis obſeratum inveniſſe ſatis conſtat. In eo certum eſt, fu-*
“ *turum Regni Excidium, Miſerias, Calamitates, & luctuoſa Tempora, atque inſtantia Mala, quæ*
“ *poſteà ſecuta ſunt, Regi prædixiſſe. Et quod Experimentô docti, magnâ Mercede perſolutum vidimus.*
“ *Siquidem tanta Vis divinæ Prædictionis fuit, ut haud multò poſt, ipſum* Ferdinandum, *ſeù Deûm Irâ,*
“ *ſeù Factô inſuperabili, quod vitari non potuit, in primo Belli Apparatu è Vita conſtet exceſſiſſe*, Caro-
“ lum*que* Gallorum *Regem, ingenti coactâ Manu, innumeris Copijs* Neapolitanum *Regnum invaſiſſe,*
“ Alphonſum*que* Ferdinandi *Primogenitum, poſt Patris Obitum vix Regno aſſumptum, Regnô orbatum,*
“ *turpi Fugâ velut in Exilio Diem ſuum obijſſe.* Hæc ille.”

XXXVII. Pag. 299 Lit. a. Ubi Sermo eſt de *S. Brigida* Virgine, *Hiberniæ* Patronâ, ſub Finem iſtius Notæ addendum.

Cranium hujus S. Virginis vidi A. D. 1770, Die 11 Octobris, in Capella ejuſdem Sanctæ *Brigidæ*, (diverſum omninò á *Birgitta* Nomen) unâ ex tribus Capellis Eccleſiæ Prioralis *S Joannis Bapiſtæ*, in Pago, cui Nomen *Lumiar*, qui unâ Leucâ a Metropoli *Ulyſſiponenſi* diſtat. Dixi *Prioralis*, quia neque Collegiata eſt, neque Parochialis, neque Conventualis, ſed in ea Miſſam celebrat Sacerdos Sæcularis, ſub Titulo *Prioris*, cui tres ſubſunt alij Preſbyteri, Beneficijs Simplicibus gaudentes. De *S. Brigida* noſtra Officium & Miſſam celebrant quotannis Die primâ Februarij, quibus aſſiſtunt Conſodales Confraternitatis in Honorem *S. Brigidæ*, inibi dudùm erectæ, eòque in prælibata Feſtivitate pro Benedictione adducuntur Jumenta, Oves, & Boves, univerſa inſuper Pecora Campi. Favet porrò Traditio haud interrupta à Tempore immemorabili, cui ſuffragatur antiquiſſimus Lapis Index extrà & juxtà Portam Eccleſiæ in Muro cum hac Inſcriptione, Verbis *Luſitanicis* conceptâ.

Aqui neſtas tres Sepulturas jazem enterados os tres Cavalheiros
Hibernicos, que trouxeraon A Cabeſa da Bemaventurada Santa Brigida
Vergem, Natural de Hibernia, cuja Reliquia eſta neſta Capella. Pella
Memoria do qual hos Officiaes da Meza da Bemaventurada Santa
Mandaraon fazer eſto em Janiro 1283.

LATINE

In tribus hiſce Sepulchris humati jacent tres Magnates Hiberni, qui
deportarunt Caput Glorioſæ Sanctæ Brigidæ Virginis, in Hibernia ortæ,
cujus Reliquiæ in Capella hac aſſervantur. In iſtius Rei Memoriam
Conſodalitas glorioſæ Sanctæ Monumentum fieri fecit Menſe
Januariò 1283.

XXXVIII. Pag. 335. ſub Finem Lit. f. ubi agitur de Familia *Roche*, ac ſpecialis fit Mentio Domini *Roche* de *Ballyndangan*, adde—Sed quidquid ſit de hoc, Epitaphium laudati Domini *Roche* de *Ballyndangan*, in Eccleſia *S. Marciani* Fratrum Prædicatorum apud *Dertonam* (italicè *Tortona*) in Ducatu *Mediolanenſi* (Priſcis *Inſubriâ*) ac Ditione Regis *Sardiniæ*, vidi Die 26 Auguſti 1769, hiſce Verbis in Marmore ſcalptum.

Dominus Raymundus
Lord de Roche,
Vicecomes de Fermoy,
Dominus Ballyndangan, Ballinlogh, Carrickdownan,
Balliglegnan, Ballyclogh, Glanworth, Bally-moch,
Bally-Hidon, Creg, Caſtletown-Roche, Kilworth, &c, &c,
Regni Hiberniæ
Par,
Ordinis Militaris SS. Mauritij, & Lazari
Commendatarius,
Peditum S. R. M. Regis Sardiniæ
Generalis Locum Tenens,
Dertonæ, & annexarum Ditionum
Gubernator,
Mortuus quintô Kalendas Junij MDCCLXII,
Fidelium Orationes implorat.

XXXIX. Pag. 359 antè Verba Num. XIV. *Notandum decimò*, lege—Aſt Litem hanc nuper diremit *Clemens* Papa XIII, Die 9 Decembris 1763, ut legere eſt in Synodo *Tuſculana*, Pag. 693, his Verbis:

“Sacra Congregatio, Indulgentijs præpoſita, Decretum edidit 31 Martij 1759, approbatum à *Clemente* Papa XIII, 19 Maij 1759, quo declaravit Clauſulam illam, in Indulgentiarum Brevibus inſeri ſolitam, *qui verè pænitentes, & confeſſi, ac Sacrâ Communione refecti Eccleſiam viſitaverint*, itâ intelligendam eſſe, *ut ab ijs etiam, qui Sibi lethalis Peccati conſcij non ſunt, ad Indulgentiam conſequendam Sacramentalis Confeſſio peragenda omninò ſit*; *eadem verò ſuffragari etiam poſſit, ſi in Vigilia Feſtivitatis expleatur*. Cùm autem mox quamplures ſupplices Libelli tùm Regularium Communitatum, ac præſertim Monialium, tùm etiam Parochorum, & nonnullorum Epiſcoporum pro ſuis Diæceſibus, eidem Sacræ Congregationi porrecti fuiſſent, quibus maxima exponebatur Difficultas, quæ perſæpè

“ incidit pro Sacramentali Confeſſione, ſivè in Feſto, ſivè etiàm in Pervigilio peragenda ; his permotus Precibus, ex Conſilio, & Voto ejuſdem Sacræ Congregationis, prælibatus Clemens XIII, 9 Decembris 1763, *Indultum conceſſit omnibus Chriſti fidelibus, qui frequenti Peccatorum Confeſſione Animam expiare ſtudentes, ſemel ſaltem in Hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitimè impediantur, conſueverunt, & nullius lethalis Culpæ à Se poſt peractam ultimam Confeſſionem commiſſæ ſibi conſcij ſunt, ut omnes, & quaſcunque Indulgentias conſequi poſſint, etiam ſine actuali Confeſſione, quæ cæteroquin juxtà præfati Decreti Definitionem ad eas lucrandas neceſſaria eſſet : Nihil tamen innovando circá Indulgentias Jubilæi tàm ordinarij, quàm extraordinarij, aliaſque inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſequendis, ſicut & alia Opera injuncta, ità & Sacramentalis Confeſſio, Tempore in earum Conceſſione præſcripto, peragatur.*”

XL. Pag. 371. Num. III, ubi Sermo de immiſſis Fratribus *Hibernis* in Poſſeſſionem geminati Cœnobij *SS. Sixti & Clementis* de Urbe A. D. 1677, ſub Finem dicti Num. III, hanc lege Notam:

NON abs Re erit in Medium afferre duo Acta ſcripta in *Regiſtro Novitiatûs*, unum Annô antecedenti, alterum Annô ſubſequenti, in hunc Modum:

“ Die 18 Octobris Annô Domini 1676. Horâ 23.

“ EMINENTISSIMUS D. Fr. Vincentius Maria Cardinalis Urſinus, Titularis S. Sixti (*a*) in Eccleſia ejuſdem Sancti Pontificis, adſtantibus Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus Alteriô, Ordinis Protectore, & Howardô (*b*) ex Ordine noſtro aſſumptô, ac Reverendiſſimô Patre Generali Magiſtrô Fr. Joanne-Thoma de Roccaberti, & quàm plurimis tùm Religioſis, tùm Sæcularibus, Dominum Adamum Brown, Natione Scotum, Ætatis Anno 23, induit Habitu Clericali, eumque juſſit vocari Fratrem Andream-Adamum.

“ Ita eſt *Fr. Andreas Tronus Prior.*”

“ Die 17 Martij 1678.

“ EGO infraſcriptus Supprior, & Magiſter Novitiorum SS. Sixti & Clementis de Urbe teſtor, quod coràm toto Conventu poſt Primam in Choro S. Sixti Horâ 12 indutus fuit à Patre Magiſtro Thomâ Craffi, aliàs Coffoi (*c*), de Licentia Speciali A. R. P. Magiſtri Vicarij Generalis Provinciæ Hiberniæ (*d*), Habitu Clericali Novitiorum Chriſtophorus O'Flin, Hibernus, Ætatis 23 circiter Annorum, cui Nomen impoſitum fuit Fr. Patritius (*e*). Cùm priùs examinatus & approbatus fuerit tàm in Literis, quàm in Moribus, ab Examinatoribus hujus Conventûs, & Patribus de Conſilio, in Camera Patris Prioris.

“ Itá eſt *Fr. Joannes Colmanus Supprior & Magiſter Novitiorum.*”

XLI. Pag. 374 Lin. 30, ad ly *Marrana* hæc apponenda eſt Nota, & quidem longiuſcula. Quamquàm à Tempore illo *Clementis* Papa VIII Fratres (ſicut & anteà Moniales ſub præcedentibus Summis Pontificibus per 355 Annorum Seriem) quatuor Aquarum Uncijs (ut vocant) fruerentur, poſtmodùm tamen *Innocentius* Papa XIII eas Anno 1723 Fratribus ſubtraxit, ob Siccitatem illius Anni, & Aquæ Penuriam in Molendinis. Verùm, ceſſante hâc Cauſâ, *Benedictus* XIII, proximus *Innocentij* Succeſſor, Fratres in priſtinam Facultatem dictarum quatuor Aquæ *Unciarum*, quintâ ſuperadditâ, benignè reſtituit Anno 1726. Utque Gratia iſta Fratribus perpetuâ conſervaretur Firmitate, Eminentiſſimo D. Cardinali *S. Clementis*, *Annibali Albano*, quà S. R. E. Camerario

---

(*a*) Evaſit poſtmodùm *Benedictus* Papa XIII, identidem memoratus in *Hibernia Dominicana*, ut ex Indice Alphabetico liquet. Fuit porrò ejuſdem Cœnobij Inſtaurator.

(*b*) De eo, qui in hoc ipſo *S. Sixti* Cœnobio Novitiatum peregerat, crebra fit Mentio in *Hibernia Dominicana*, de ipſoque Sermo redibit in hoc *Supplemento* Num. LXXXI.

(*c*) Apud Noſtrates paſſim ſcribitur *Coffy*. Iſte porrò primus fuit ex *Hibernis* Prior geminati hujus Cœnobij, *Urbinô* acceſſitus.

(*d*) *Joannis* nempè *O'Connor*, de quo ſæpeſæpiùs quà Procuratore Generali Provinciæ *Hiberniæ*, Definitore Capituli Generalis Anno 1670, &c, loquitur *Hibernia Dominicana*, ut ex Indice Alphabetico liquet.

(*e*) Fortaſſe quia Habitu indutus, ut præfertur, Die 17 Martij, Sancto *Patritio* ſacrâ.

Camerario, mandavit, ut hujuſmodi perpetuæ Conceſſionis Chirographum, à Sanctitate Sua 31 Decembris 1727 Manu propriâ ſubſcriptum, Executioni confeſtim mandaretur, prout factum eſt 8 Januarij 1728. Inſtrumentum deſuper à *Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* Secretario, Cancellario, atque Notario Publico confectum totius Rei Seriem ab Ovo, ut ajunt, integrè enarrans, aſſervatur in Archivo *S. Sixti* de Urbe, ut dudùm nupérque vidi Anno 1770.

POSTMODUM autem (ut in anteceſſum, ſed commodè, hìc Loci referam) Reverendiſſimum Capitulum *Lateranenſe* Conventum noſtrum citari fecit corám duobus Illuſtriſſimis Prælatis, *Lateranenſis* ejuſdem Baſilicæ Canonicis, prælibati *Marranæ* Fluvij Guardianis, ad reddendam Rationem de quinque recenſitis Aquarum *Uncijs*. Quippè Fluvij iſtius *Camerlengus*, ut loquuntur Itali, à laudato Reverendiſſimo Capitulo inſtitutus, prætendebat, Conventui noſtro Fas non eſſe dandi hujuſmodi Aquam Colonis, ſeû *Affictuarijs*, ut vocant, Horti majoris. Aſt auditis utrinque Contendentium Momentis, præfati Illuſtriſſimi Domini decreverunt, noſtris Fratribus liberum eſſe, prædictas quinque *Uncias* in quoſcunque applicare Uſus, prout fuſiùs refertur in Libro *Cataſtico*, ut ajunt, Conventûs *S. Sixti*, Fol. 117. Pag. 2. Inſtrumentum autem prælibatum eſt hujus Tenoris:

“ *In Nomine Domini. Amen.*

“ PRÆSENTI *Publico Inſtrumento cunctis ubique pateat evidenter, & ſit notum, quod Anno â ſalu-*
“ *tifera Nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti Milleſimo Septingenteſimo Vigeſimo Octavo, Indictione VI,*
“ *Die verò VIII Januarij, Pontificatûs autem Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini noſtri*
“ *Benedicti divinâ Providentiâ Papæ XIII, Anno IV.*

“ ESSENDO ſtate dalle ſante Memorie d'Onorio III, Siſto V, e Clemente VIII, Sommi Pontefici con-
“ cedute per Servizio, et Uſo del Monaſtero di S. Siſto, oggi detto S. Siſto Vecchio, di queſta Città,
“ Oncie quattro dell' Acqua del Foſſo della Marrana, alla Miſura dell' Acqua di Trevi, conforme da
“ Brevi dé ſudetti Pontefici, et in Specie del detto Clemente VIII, ſoprà la Diſmembrazione, et Appli-
“ cazione del detto Monaſtero, et anneſſi, col Jus di dett' Acqua à Favore de Reverendi Padri Domeni-
“ cani ſpedito in Data del Di 19 Gennaro 1602, qual Acqua in detta Quantità avendo goduta conti-
“ nuamente ſino all' Anno 1723, nel qual Tempo per la notoria Siccitá, e Scarſezza dell' Acque, che
“ in detta Staggione correva, gle foſſe levata per accreſcere L' Acqui alle Mole á Grano, che macina
“ detta Marrana. Per il che eſſendo ricorſi li ſudetti Padri del detto Convento alla Santità di Noſtro
“ Signore Papa BENEDETTO XIII, quale ordinaſſe al Reverendiſſimo Capitlo di S. Giovanni
“ Laterano, mediante Monſignor Illuſtriſſimo e Reverendiſſimo Camillo Paolucci, Arciveſcovo d'
“ Iconia (*f*), uno dè Canonici, che non ſolo reſtituiſſero á detti Padri le ſudette Oncie quattro di dett'
“ Acqua, che precedentemente godevano per via delle ſudette benefiche Conceſſioni, ma inoltre quella
“ gliel' augmentaſſero per un altra Oncia, e coſi in tutto doveſſero godere per L' avenire Oncie cinque
“ della dett' Acqua, alla detta Miſura dell' Acqua di Trevi. Ed eſſendo moſtrati pronti li ſudetti Rever-
“ endiſſimi Canonici d' obedire L' ordini della Santitá Sua ſin dal di 31 Luglio 1726, reſtituiſſero alli ſu-
“ detti Reverendi Padri del detto Convento le ſudette Oncie quattro della dett' Acqua, ed in oltre
“ quella gliel' ampliaſſero, et augmentaſſero ſino ad Oncie cinque della detta Miſura dell' Acqua di
“ Trevi, con eſſerne ſtata appoſta la Fiſtola nel detto Foſſo della Marrana, conforme più diffuſamente
“ ſi eſprime nell' Iſtromento ſoprá ciò ſtipolato per gl' Atti del Sfaſciamonti, Notaro dell' Eminentiſſimo
“ Vicario, al quale &c——E perche della detta Reſtitutione delle dette Oncie quattro d' Acqua, e reſ-
“ pettivamente Conceſſione, ed Augmento dell' altra quinta Oncia fattali fare dalla Santità Sua, non
“ ne appariſce alcuna Cautela, li ſudetti Reverendi Padri Domenicani ſiano ricorſi alla detta Santità di
“ Noſtro Signore per L'approvazione delle Sudette Reſtituzione, nova Conceſſione, ed atti ſudetti, e la
“ Santitá Sua ſotto il Di 2 Decembre proſſimo paſſato commetteſſe all' Eminentiſſimo e Reverendiſſimo
“ Signor Cardinal Camerlengo L' Eſtenſione del Chrografo á Tenore della Domanda, che eſſi Padri fa-
“ cevano, conforme dal Reſcritto á Tergo del Memoriale data alla Santità Sua del Tenore ſequente, cioé.

“ BEATISSIMO PADRE—*Li P. P. Domenicani Iberneſi del Convento di S. Siſto Vecchio di Roma,*
“ *umiliſſimi Oratori di Voſtra Santità divotamente L'eſpongono, come eſſendo compiacuta la Somma Bontà di*
“ *Voſtra Santità benignamente riconcederli quattro Oncie d' Acqua della Foſſa della Marrana, ſecondo la*
“ *Miſura dell' Acqua di Trevi, prima conceſſeli dalli S S. Pontefici Onorio III, Siſto V, e Clemente VIII,*

(*f*) *Camillus* iſte *Paulutius* (olim *Merlinus*) creatus fuit S. R, E. Preſbyter Cardinalis Tit. *S S. Joannis & Pauli* á *Benedicto* XIV 9 Septembris 1743, denatus Epiſcopus *Portuenſis*, & *S. Rufinæ*, 11 Junij 1763.

“ *e tolteli nel Ponteficato d'Innocenzo XIII. E di più avendo la Voſtra Santità ſopragiunto un'altra Oncia della ſopradetta Miſura, co'l Conſenſo, ed Intervento del Venerabile Capitolo dè Signori Canonici di S. Giovanni Laterano, come Conſervatori della detta Marrana, fu meſſa una Fiſtola delle dette cinque Oncie d'Acqua nel Muro contiguo alla detta Foſſa, che corriſponde all' Orto degl' Oratori per lor Servizio, come ſi vede per gl' Atti del Sfaſciamonti, Notaro dell' Eminentiſſimo Cardinal Vicario. Per tanto ricorrono adeſſo alla Somma Bontà di Voſtra Santità acciò ſi degni ordinare, o che L'Eminentiſſimo Cardinal Camerlengo, o Monſignor Teſoriere gli faccia un Chirografo per dette cinque Oncie d' Acqua, e particolarmente, che ſia confermativo del Breve di Clemente VIII. Che della Grazia &c—* Fuori—*Alla Santità di Noſtro Signore BENEDETTO XIII Papa, per li Padri Domenicani Iberneſi di S Siſto di Roma*—Reſcriptum.

“ Ex Audientia Sanctiſſimi Die 2 Menſis Decembris 1727—Sanctiſſimus annuit juxtá Petita, & ad Dominum Cardinalem Camerarium pro Expeditione Chirographi, quibuſcunque in contrarium non obſtantibus—NICOLAUS CARDINALIS COSCIA. Loco ✠ Sigilli.

“ In Eſecuzione del qual Reſcritto avendo la Santitá Sua il Di 31 Decembre proſſimo paſſato ſegnato ſpecial Chirografo ſopra la detta Approvazione, e reſpettivamenta nuova Conceſſione di dett' Acqua diretto al detto Eminentiſſimo Signor Cardinal Camerlengo, quale originalmente ſi inſeriſce nel preſente Iſtromento del Tenore come ſiegue.

“ Reverendissimo Cardinal Camerlengo. Eſſendoci ſtato rappreſentato ſin dal Principio dell' Anno 1726 dalli Padri Domenicani del Monaſtero, o ſia Convento, di S. Siſto, detti di S. Siſto Vecchio, di queſta noſtra Cittá, che eſſendo ſtate da Onorio III, Siſto V, e Clemente VIII, noſtri Predeceſſori, conceduto per Servizio del detto loro Convento quattro Oncie dell' Acqua del Foſſo della Marrana alla Miſura dell' Acqua di Trevi, conforme appariſce da Brevi de' ſudetti Pontefici, ed in Specie dal Breve del detto Clemente VIII ſoprà la Diſmembrazione ed Applicazione del detto Monaſtero, ed anneſſi, e reſpettivamente *Jus* di dett, Acqua, ſpedito *ſub Datum Romæ apud S. Petrum ſub Annulo Piſcatoris Die* 19 *Januarij* 1602, qual' Acqua in detta Quantitá avendo goduta continuamente, e pacificamente fin' all' Anno 1723, nel qual Tempo per la notoria Siccitá, e Scarſezza dell' Acque, che in detta Staggione correva, gli foſſe levata per accreſcere L' Acqua alle Mole â Grano, che macina detta Marrana; onde ricorſero da Noi, affinche voleſſimo provedere alle gravi Anguſtie, nelle quali ſi ritrovavano per la Deficienza della dett' Acqua. Noi dunque non ſapendo con che altro Remedio ſoccorerli, ordinaſſimo â Monſignor Camillo Paolucci, Arciveſcovo d' Iconia, che rappreſentaſſe al Capitolo e Canonici della noſtra Baſilica di S. Giovanni Laterano, come Conſervatori della dett' Acqua della Marrana, che era noſtra Intenzione, che non ſolo reſtituiſſero alli detti Padri del ſudetto Convento le ſudette Oncie quattro della dett' Acqua, che godevano per benefiche Conceſſioni de' ſudetti noſtri Predeceſſori, mà inoltre quella gliel' accreſceſſero ſino ad Oncie cinque della ſteſſa Miſura dell' Acqua di Trevi. Ed avendo ciò detto Monſignor Arciveſcovo d' Iconia riferito al detto Capitolo, li ſudetti Canonici ſi moſtraſſero pronti d' obbedire alli noſtri Ordini, ed in Eſecuzione di ciò ſin dal Di 31 Luglio 1726, con L' Aſſiſtenza di Monſignor Caffarelli, uno de' Canonici deputato dal detto Capitolo, preſente anche L' Architetto de Romanis, foſſero non ſolo reſtituite alli detti P. P. del detto Convento le ſudette Oncie quattro della dett' Acqua concedutali, come ſi è detto, da detti noſtri Predeceſſori, ma anche un' altr' Oncia di piu, da Noi ordinata á Bocca, ſicche in tutto di cinque Oncie della detta Miſura di Trevi, con eſſerne ſtata appoſta la Fiſtola nel detto Foſſo della Marrana nello Stipite di Travertino, a Mano dritta, dove ſono la Caditora, e l' Incaſtro in Cima al Vicolo, che và alla Mola di S. Siſto, che reſta nel Capo Croce della Strada incontro il Cantone del Muro dell' Orto del Convento, conforme più diffuſamente appariſce dall' Iſtromento ſopra ciò ſtipolato per L' Atti del Sfaſciamonti, uno de' Notari del Reverendiſſimo noſtro Vicario, al quale in tutto e per tutto S' abbia Relazione. E perche della detta Reſtituzione, e reſpettivamente nuova Conceſſione d' Acqua, non ne appriſce alcuna Cautela, e Giuſtificazione á Favore di detto Convento, fuori che detta Appoſizione di Fiſtola; pericò ci hanno ſupplicato eſſi Padri á volergli confermare le ſudette Conceſſioni antiche fatteli di dett' Acqua da noſtri Predeceſſori, e Reſtituzione, e nuova Conceſſione reſpettivamente della detta quinta Oncia fattagliene da Noi aſſieme con le Riſoluzioni, ed ogn' altro Atto ſopra ciò fatto dal detto Capitolo, e Canonici.

“ Onde Noi conſiderando L'Iſtanza ſudetta eſſer ragionevole, abbiamo ſtabilito compiacerli nella loro Domanda, come in appreſſo. Quindi è, che col preſente noſtro Chirografo, in cui vogliamo, ſi abbiano per expreſſe, e di Parola in Parola, inſerte le Conceſſioni delle ſudette Oncie quattro della dett' Acqua, fatte in qualunque Modo à Favore del detto Convento e Padri di S. Siſto dalli ſudetti noſtri Predeceſſori Onorio III, Siſto V, e Clemente VIII; gl' Ordini come ſopra da Noi dati a Bocca, non ſolo per la Reſtitutzione delle dette Oncie quatro, mà anche dell' Augmento ſino alla quinta Oncia; le Riſo-

“ luzioni ſopra ciò preſe dal detto Capitolo, e Canonici di eſſa Baſilica ; L' iſtromento dell' Appoſizione
“ della detta Fiſtola, come ſopra ſtipolato per detti atti del Sfaſciamonti ; ed ogni, e qualunque altra
“ Coſa, quantoſivoglia neceſſaria ad exprimerſi : Di noſtro Moto proprio, certa Scienza, e Pienezza
“ della noſtra Poteſtá aſſoluta, ordiniamo à Voi, che per Cautela, e perpetua Giuſtificazione del detto
“ Convento, e Padri di S. Siſto, in Nome noſtro, e della noſtra Sede Apoſtolica, confermiate à Favore
“ de' medeſimi, a quando faccia di Biſogno *Jura Juribus addendo*, e non altrimente &c, di nuovo conce-
“ diate, e doniate, ſiccome Noi confermiamo, e di nuovo concediamo, e doniamo, anche per Via di
“ Donazione gratuita, et irrevocabile, che ſi dice fare fra' vivi, et in ogni altro Modo megliore non
“ ſolo le Conceſſioni antiche delle ſudette Oncie quattro della dett' Acqua della Marrana, ſuttagliene dai
“ ſudetti noſtri Predeceſſori, ma' anche l' altra quinta Oncia di noſtro Ordine (come ſi è detto) fatagli
“ augmentare, come pure confermiate, et approviate, ſiccome Noi confermiamo, et approviamo, le
“ Riſoluzioni ſopra ciò in qualſivoglia Modo, preſe dal detto Capitolo, e Canonici della detta Baſilica ;
“ L'appoſizione di detta Fiſtola ; et ogni, e qualunque altro Atto á tal Effetto, con ſtipolargliene anche
“ publico Iſtromento, et in eſſo obligare all' Oſſervanza di ciò, che prometterete il Foſſo della detta
“ Marrana, et il detto Capitolo, e Canonici della detta noſtra Baſilica, e loro Beni, et Effetti nella più
“ ampla Forma della Reverenda Camera Apoſtolica, con le ſolite Clauſole, è farete tutt' altro, che per
“ L' effetto ſudetto ſtimarete neceſſario, et opportuno, perche coſi e la Mente, e Volontà noſtra expreſ-
“ ſa : Volendo, e decretando, che il preſente noſtro Chirografo, benche non ammeſſo, ne regiſtrato in
“ Camera, e ne ſuoi Libri, à Tenore della Bolla di Pio IV, noſtro Predeceſſore *de regiſtrandis* ; vaglia,
“ et abbia ſempre, et in ogni futuro Tempo, il ſuo pieno Effetto, Eſecuzione, e Vigore con la noſtra ſem-
“ plice Sottoſcrizione, ne ſegli poſſa mai opporre di Subrezzione, Obrezzione, ne di verun' altro Vizio,
“ o Difetto della noſtra Volontà et Intenzione, et ancorche non vi ſiano ſtati chiamati, citati, ne ſentiti
“ preventivamente il ſudetto Capitolo, e Canonici di detta Baſilica, et altre qualſiſiano Perſone, che vi
“ aveſſero, ò pretendeſſero avervi qualunque Intereſſe, non oſtanti le Bolle di Simmaco, Paolo II, Paolo
“ IV, e del detto Pio IV *de Rebus & Bonis Eccleſiæ non alienandis* ; l'altra del detto Pio IV *de regiſtran-*
“ *dis* ; la Regola della noſtra Cancellaria *de Jure quæſito non tollendo*, li Brevi, Moti proprj, Chiro-
“ grafi, e Conſtituzioni di qualſivoglia Pontefice noſtro Predeceſſore, circa la Sopraintendenza, Cuſto-
“ dia, Cura, e qualunqne altro *Jus*, dato à detti Capitolo, e Canonici ſoprá la dett' Acqua della Mar-
“ rana ; e qualſivoglia altre Conſtituzioni, et Ordinazioni Apoſtoliche noſtre, e de' noſtri Predeceſ-
“ ſori, Leggi, Statuti, Riforme, Editti, e Riſoluzioni, anche della Congregazione particolare deputata
“ ſopra le dette, et altre Acque da qualſivoglia noſtro Predeceſſore ; Uſi, Stili, e Conſuetudini, et ogn'
“ altra Coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole, avendono il lor Tenore
“ qui per expreſſo, e di Parola in Parola inſerto, e ſupplendo Noi con la Pienezza della noſtra Poteſtà,
“ et aſſoluta Auttorita' ad ogni Vizio, e Difetto, benche ſoſtanziale, e formale, che nelle Premeſſe in
“ qualùnque Modo poteſſe intervenire, per queſta Volta ſola, et all' Effetto ſudetto, ſpecialmente, ed
“ expreſſamente deroghiamo. Dato dal noſtro Palazzo Apoſtolico Vaticano queſto Di' 31 Decembre
“ 1727.

“ BENEDICTUS PP. XIII.

“ E volendo ora detto Eminentiſſimo e Reverendiſſimo Signore Annibale del Titolo di S. Clemente
“ Prete Cardinale Albani, della Santa Romana Chieſa Camerlengo (*G*), dare Eſecuzione al ſudetto pre-
“ inſerto Chirografo: Percio ſpontaneamente, et in ogn' altro Modo migliore &c in Nome della Santita' di
“ Noſtro Signore, e della Santa Sede Apoſtolica, per Cautela, e Giuſtificazione de ſudetti Reverendi
“ Padri Domenicani del Convento dis. Siſto Vecchio, conferma à Favore de medeſimi, non ſolo le Con-
“ ceſſioni antiche, fatte da ſudetti Sommi Pontefici delle ſudette Oncie quattro della dett' Acqua del Foſſo
“ della Marrana, mà anche dell' altra quinta Oncia della ſteſſa Miſura dell' Acqua di Trevi, fattagli
“ augmentare à Bocca della Santitá ſua, & quando faccia di Biſogno *Jura Juribus Addendo*, e non al-
“ trimente &c, di nuovo dèlle medeſime cinque Oncie d'Acqua, ne fa al ſudetto Venerabile Convento, e
“ Reverendi Padri, ma per eſſi preſente, et accettante gratuita Donazione irrevocabile, che approva la
“ Riſoluzione, ſopra cio preſe dalli Reverendiſſimi Capitolo, e Canonici della detta Sacroſanta Baſilica
“ di S. Giovanni Laterano ; L' appoſizione della detta Fiſtola, come ſopra fattagliene ; & ogni, e qualun-
“ que

(*G*) De Eminentiſſimo hoc S. R. E. Camerario, D. *Annibale Albano*, Cardinale *S. Clementis* paſſim nuncupato, non minùs grata, quàm crebra fit mentio in *Hibernia Dominicana* á Pag. 410 ad 413. Is primùm Preſbyter Cardinalis *S. Clementis* poſtmodùm evaſit Epiſcopus *Sabinenſis*, dein *Portuenſis*, inſimul autem Titularis Baſilicæ *S. Clementis* Commendatarius. Fatis ceſſit 21 Octobris 1751.

“ que altro atto, á tal’ Effetto fatto, liberamente, &c. perche coſi &c, et in tutto, e per tutto a Tenor
“ del ſudetto preinſerto Chirografo di Noſtro Signore, al quales’ abbia Relazione.

“ *Quæ omnia &c, alia &c, de quibus &c, quod &c. pro quibus &c. dictus Eminentiſſimus Dominus*
“ *Cardinalis Camerarius Vigore dicti præinſerti Chirographi Sanctiſſimi dictam Foveam Marranæ,*
“ *necnon prædictum Reverendiſſimum Capitulum, & Reverendiſſimos Dominos Canonicos, eorumque Bona*
“ *&c, Jura et effectus, &c, in ampliori Forma Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ cum ſolitis Clauſulis &c,*
“ *citra, &c. obligavit, &c. renunciavit, &c conſentient &c, unica &c. Sicque tactâ Sacrâ Purpurâ*
“ *More &c, juravit &c. Super quibus omnibus & ſingulis petitum fuit à Me Secretario, Cancellario, ac*
“ *Notario Publico infraſcripto, ut unum, ſeù plura, publicum, ſivê publica Inſtrumentum, & Inſtrumenta*
“ *conficerem, atque traderem, prout Opus fuerit, & requiſitus ero. Actum Romæ in Palatio dicti Eminen-*
“ *tiſſimi D. Cardinalis Camerarij ad Quatuor Fontes, præſentibus, audientibus, & intelligentibus Peril-*
“ *luſtre D. Abbate Dominico Baldigara, Filio qoandàm Hieronymi, Piſaurenſe, & D. Franciſco Baccio, Fi-*
“ *lio quondàm Joannis-Dominici, Urbevetano, Teſtibus ad prædicta omnia & ſingula vocatis, habitis ſpeci-*
“ *aliter, atque rogatis.*

Locus “ *Et quia de ſupraſcripto Inſtrumento rogatus fuit D. Dominicus Antonius*
✠ “ *Galoſius, Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ Secretarius, & Cancellarius : Ideò Ego*
Sigilli “ *Antonius-Cajetanus Froſius, Conſecretarius, id præſens Inſtrumentum ſubſcripſi, &*
“ *publicavi rôgatus.*”

SUPRASCRIPTAM Copiam cum Autographo, in Archivo S. Sixti aſſervato, diligenter collatam, in omnibus concordare affirmo. Romæ ad S. Clementem Die 3 Decembris 1769.

Fr. Joannes-Thomas Troy, Ordinis Prædicatorum,
S. Theologiæ Baccalaureus (b)

XLII. Pag. 384, immediatè antè Num. XVI, adde——Memoratu ſanè dignum eſt, quod Die Dominicà, 15 Decembris 1720, dùm Fratres Veſperas perſolverent in Choro hujus *S. Sixti* Eccleſiæ, cantantibus illis Canticum *Magnificat*, unica Choro ſupereminens Feneſtra unicô Impetu integrè cecidit in Medium ejuſdem Chori, Fatribus undequaque illæſis, & intactis, utpotè in Stallis ſuis hinc & indè, ut Moris eſt, ſtantibus, Deo ſic diſponente Precibus, ut creditur, S. Patris *Dominici*. Quippè ſi paulò antè, vel poſt, cecidiſſet Feneſtra, illi in Medio verſarentur Chori, utpote pſallentes, aut Antiphonam antè, vel poſt memoratum Canticum decantantes, ſubindèque eorum aliquot planè occiſi eſſent, aut certè graviter vulnerati, & vix non interempti, ſiquidem magna valdè magnique Ponderis eſt memorata Feneſtra, ut intuentibus patet. Confer *Hiberniam Dominicanam* Cap. XII. § I. Num. XIX. Pag. 386.

XLIII. Pag. 386, poſt Num. XIX, adde,——Die Veneris 14 Menſis Maij 1728, Eminentiſſimus D. Fr. *Auguſtinus* Cardinalis *Pipia*, pro *Maria-Scholaſtica Orſini*, Moniali *Dominicanâ* in Monaſterio *Sapientiæ* (H) de *Neapoli*, Sorore Germanâ *Benedicti* Papæ XIII, nuper defunctâ ſolemnes

---

(b) Baccàlaureo iſti *Trojo*, non minùs religioſo quàm docto, nunc Dierum ibidem Studiorum Regenti, omnibus numeris abſoluto, necnon S. Theologiæ Præſentato, magnoperé devinctus ſum pro tot Schedis momentoſis in *Supplemento* hoc exſcriptis. Eundem *Trojum*, quà Juvenem, videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XII. § I. Num. XLIV. Lit. u Pag. 415.

(H) Hujus Sanctimonialis, ac Monaſterij Nomina accurata exſcribo ex Scheda, quam Manu propriâ Mihi præſenti ſcribere dignatus eſt in ſuo apud Plateam *Farneſiam* Urbis Palatio, 14 Februarij 1770, Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Princeps *D. Dominicus* Cardinalis *Urſinus*, italicè *Orſini*, Dux *Gravinæ*, San. Mém. *Benedicti* Papæ XIII ex Fratre Pronepos, quem Honoris & Gratitudinis Cauſâ nomino. Hanc porrò nactus Occaſionem, Silentiô præterire haud poſſum, Eminentiſſimi iſtius Principis *Dominici* Progenitorem, *Neapoleonem* nempè *Urſinum*, Miraculô S. *Dominici* in Cænobio *S. Sixti* de Urbe Anno 1219 revixiſſe, rogante & (cum duobus alijs Cadinalibus, quorum unus, ut refert *Chronicon Magiſtrorum Generalium* Cap. III, erat *Hugolinus Conti*, poſtmodùm *Gregorius* IX, qui laudatum Patriarcham *Dominicum* Sanctorum Faſtis ſolemni Ritu adſcripſit Anno 1233) adſtante *Neapoleonis* Avunculo, *Stephano de Ceccano*, S. R. E. Cardinale Camerario, paſſim nuncupato *de Foſſa Nova*, quia olim Abbate Monaſterij *Foſſæ Novæ* (propè *Terracinam*, priſcis *Anxur*, in *Campania Romana*, priſcis *Latiô*) Ordinis *Ciſtercienſis*, in quo Doctor Angelicus Sanctam efflavit Animam Anno 1274. Hæc obiter.

Cæterùm prælibatum *Neapoleonem* Progenitorem fuiſſe præclariſſimæ hujus *Urſinorum* Domûs ipſe audivi á *Benedicto* XIII laudato, in memorati Cænobij *S. Sixti* Domo Capitulari coram Imagine Miraculi, idque refert *Bullarium Ordinis Prædicatorum* Tom. I. Pag. 8, ut nihil dicam de *Hibernia Dominicana*, Cap. XII. §. I. Num. XVII. Pag. 385.

ſolemnes celebravit Exequias in Titulari ſua Baſilica *S. Sixti.* Porrò Patres Fratreſque *Minervitani*, & noſtri ejuſdem Conventùs *S. Sixti*, integrum Officium Defunctorum in Choro decantarunt. Præter laudatum Eminentiſſimum Titularem aderant (Teſtis oculatus loquor) Reverendiſſimus Magiſter Generalis Ordinis, Fr. *Thomas Ripoll*, cum quinque ſuis Patribus Magiſtris Socijs; Reverendiſſimus Magiſter Sacri Palatij Apoſtolici, Fr. *Joannes-Benedictus Zuanelli (i)*; Reverendiſſimus Sacræ Congregationis *Judicis* Secretarius, Fr. *Nicolaus-Aloyſius Ridolphi (K)*; necnon A. R. P. Magiſter Provincialis *Romanus*, Fr. *Vincentius-Maria Ferretti (k)*. Officiô autem Defunctorum completè peractô, Miſſam de *Requiem* cantavit memoratus Eminentiſſimus Purpuratus, Diaconum, & Subdiaconum agentibus *Minervæ*, & *S. Sixti* Prioribus Conventualibus, nimirùm P. Magiſtrô Exprovinciali *Romanæ* Provinciæ, Fr. *Raymundô Pecchioli (l)*, & P. *Patritiô O-Dugan.*

XLIV. Pag. 387, immediatè antè Num. XXI, hæc apponenda eſt Nota——Porrò *Benedictum* noſtrum XIII jejunum à Media Nocte Vigiliæ Nativitatis Domini ad Meridiem Feſtivitatis Jejunium protraxiſſe, duaſque intereâ ſolemnes, & unam privatam celebraſſe Miſſas, teſtatur *Benedictus* XIV Tract *de Synodo Diœceſana* Lib. VI. Cap. VIII. Num. XV. Dixi, *à media Nocte Vigiliæ Navitatis Domini*, quia, ut obiter obſervem, ubi Privilegium habetur celebrandi in Nocte Natalis Domini antè mediam Noctem (ut in Capella Papali) Sacerdos debet eſſe jejunus à media Nocte antecedenti; adeòque in Miſſa Vigiliæ non debet ſumere Purificationem, ut laudatus docet Pontifex ibidem, Num. XXI. Excipitur Pontificia Capella prælibata ex tacita Diſpenſatione Summi Pontificis, ut declarat ibidem Num. XVI, & XVII. Et quia hùc flectit Oratio, non abs Re erit advertere, quod nedùm in Natali Domini, ut ubique Terrarum, ſed etiam in Die Animarum, fas eſt in *Hiſpania*, & *Luſitania* tres celebrare Miſſas, ut refert ſæpè laudatus *Benedictus* XIV, eodem in Tractatu, Lib. VI. Cap. VIII. Num. XXII. Iſtòque Privilegiô locali ipſe uſus ſum *Ulyſſipone* verſans Anno 1770.

XLV. Pag. 390, poſt Lin. 8, adde.——Modernus (inquiebam Anno 1760) Titularis *S. Sixti* eſt Eminentiſſimus D. Fr. *Joſephus-Auguſtinus Urſius*, italicè *Orſi.* Aſt abijt è Vivis Die 12 Junij 1761, humatus in Baſilica ſua titulari præfata *(S. Sixti)* juxtà & poſt Eminentiſſimum D. Fr. *Aloyſium-Mariam Lucini*, ubi hocce Epitaphium:

D. O. M.
Joſeph-Auguſtinus Urſius,
Florentinus,
Ordinis Prædicatorum,
S. R. E. Preſbyter Cardinalis Tituli S. Sixti,
Integritate Morum conſpicuus,
Et editis Scriptis præclarus,
Hic requieſcit in Pace.
Vixit Annos LXIX. Menſem I. Dies III.
Obijt Idibus Junij A. D. MDCCLXI.

HUIC porrò ſucceſſit quà Titularis Eminentiſſimus *D. Carolus-Victor-Amadæus de Lancæis*, vernaculè *de le Lanze*, Patriâ *Taurinenſis*, Regis *Sardiniæ* Magnus Eleemoſynarius, mihi nuperrime notus; huic autem ab Anno 1769 Eminentiſſimus *D. Joannes Molino*, Patriâ *Venetus*, Epiſcopus *Breſcienſis.*

XLVI. Pag. 396. Lin. 10, ubi Sermo eſt de *Vincentio Laureo*, Preſbytero Cardinale *S. Clementis*, cujus marmoream ſepulchralem Tabulam, Ære circumornatam, cum Stemmate pariter æneo, & Epitaphio, videre eſt in Pavimentò Baſilicæ ejuſdem *S. Clementis*, ſequens apponenda eſt Nota—*Vincentius* iſte *Laureus*, Natione *Calaber*, dùm Archiepiſcopus eſſet *Montis Regalis*, in Inſula *Siciliæ*, pricis *Trinacriæ*, miſſus fuit a Sancto *Pio Quinto* Nuntius Apoſtolicus in *Scotiam*

(i) Ipſius eo in Munere Prædeceſſor, Eminentiſſimus D. Fr. *Gregorius Selleri*, paucis anteà Diebus, 30 nempè Aprilis, Sacrâ Purpurâ ornatus fuerat, de quo *Hib. Dom.* Pag. 35, & 390.

(K) Hic fuit poſtmodùm Magiſter Sacri Palatij.

(k) Fuit poſteà Procurator Generalis, & bis Vicarius item Generalis totius Ordinis, atque Præſes duorum Comitiorum Generalium 1748, & 1756.

(l) Creatus fuit Epiſcopus *Burgi S. Sepulchri (priſcis Biturgiæ)* in Provincia *Florentina*, Die 20 Septembris ejuſdem Anni 1728.

tiam, ut Sereniſſimæ *Mariæ Stuartæ*, Reginæ *Scotorum*, in Catholica Fide conſtantiſſimæ, & ab *Angliæ* Regina *Elizabetha* (ad quam à perduellibus *Scotis* confugerat) in carcerem conjectæ, Conſilijs ſuis adeſſet, afferens ad illam Literas, quas Manu propriâ ſcripſit Sanctus Pontifex, cum Viginti Millibus Aureorum ad ſubveniendum ejus Neceſſitatibus, plura daturus cùm ferret Occaſio. Verùm Nuntius *Vincentius*, poſt longam in *Gallijs* Moram, cùm *Scotiæ* Aditum ſibi per Acatholicorum, & ſeditioſorum Turbas clauſum penitùs videret, Reginam per Epiſtolas ad Conſtantiam ſæpé cohortatus, in *Italiam* remigravit, poſtmodùm à *Gregorio* Papa XIII, *S. Pij* V Succeſſore, Preſbyter Cardinalis *S. Clementis* creatus.

Cæterum, ut obiter dicam, laudatam *Mariam Stuartam*, ab Incunabulis, octavô ſcilicet Ætatis Die, per Obitum Genitoris *Jacobi* V Reginam *Scotiæ*, eximiâ in Deum Pietate, invictâ Animi Magnitudine, Prudentiâ ſuprà Sexum, Formâ præſtantiſſimâ præditam *Elizabetha* Regina *Angliæ*, nullâ Juris Gentium, nullâque Fidei publicæ habitâ Ratione, decollari fecit Die 18 Februarij Anno Domini 1587, Ætatis 45, Captivitatis 19, in Caſtro de *Fotheringay* Agri *Northamptonenſis* in *Anglia*. Tumulata autem fuit in propinqua Eccleſia Cathedrali *Petropolitana*, ſeù *Petriburgenſi*, anglicè *Peterburg*, & quidem juxtà *Angliæ* Reginam *Catharinam* (Filiam *Ferdinandi* Secundi, *Arragoniæ* Regis) primam ex ſex Conjugibus Regis *Henrici* VIII, ab eo repudiatam, cujus tamen Filia, *Maria Tudor*, in *Anglia* regnavit antè *Elizabetham*, juxtà ſupremam Genitoris Voluntatem, ut legere eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. II. Pag. 597. Videſis *Gulielmum Camdenum*, Scriptorem Acatholicum *Anglum*, in Vita *Elizabethæ* Reginæ, ubi pluribus agit de Cauſa, Oppreſſione, Damnatione, & trumphali Morte *Mariæ Stuartæ*, Reginæ *Scotiæ*; item *Natalem Alexandrum* in Hiſt. Eccles. Sæc. XV, & XVI. Part. II. Cap. VIII. Art. VI; & *Obertum Barneſtapolium* in Epiſtola ad *Joannem Barneſtapolium* Germanum, quam Anno poſt hujus *Mariæ* Reginæ Decollationem, *Gulielmo* Tituli *S. Martini* in Montibus Cardinali *Alano* (Natione *Anglo* à *Sixto* Papa V creato) dicatam, in Lucem emiſit, hoc præfixô Titulô: *Maria Stuarta, Regina Scotiæ, Dotaria Franciæ, Hæres Angliæ, & Hibernæ, Martyr Eccleſiæ, innocens à Cæde Darleana.* Erat porrò unica *Jacobi* V Regis *Scotiæ* Proles, cujus Avia, *Margarita Tudor*, Filia erat primogenita *Henrici* VII, Regis *Angliæ*. Ipſa verò *Maria Stuarta*, Regis *Galliarum Franciſci* II Vidua, nupſit *Henrico Stuarto*, Dynaſtæ de *Darnley*, è Comitibus de *Lenox*, cui peperit *Jacobum* Sextum *Scotiæ*, Primum verò hujus Nominis *Angliæ* & *Hiberniæ* Regem, Patrem *Caroli* Primi, ſimiliter Capite plexi, ſicque Progenitrix evaſit reliquorum omnium *Magnæ Britanniæ* & *Hiberniæ* Regum uſque in hodiernum Diem. Confer *Hib. Dom.* Cap. I. Num. XXI. Lit. g. Pag. 30, & Cap. XVII. Num. II Lit. h. Pag. 598.

XLVII. Pag. 405. Num. XXXV, laudatur *Martyrologium Romanum* ad Diem 17 Decembris, ubi ſequentia leguntur: *Tranſlatio S. Ignatij Epiſcopi & Martyris, qui tertius poſt Beatum Petrum Apoſtolum Antiochenam rexit Eccleſiam; cujus Corpus ab Urbe Roma, ubi ipſe ſub Trajano paſſus fuerat, Antiochiam delatum, extrà Portam Daphniticam in Cæmeterio Eccleſiæ poſitum fuit; in qua Celebritate Sanctus Joannes Chryſoſtomus Concionem ad Populum habuit. Poſtmodùm verò ejus Reliquiæ rurſùs Romam tranſlatæ ſunt, & in Eccleſia S. Clementis unà cum Corpore ejuſdem Beatiſſimi Papæ, & Martyris, ſummâ Veneratione reconditæ*—Ibi porrò hæc adjicienda eſt Nota:

Fratres hujus Conventus (*S. Clementis* de Urbe) quotannis celebrant Miſſam, & Officium ipſiuſmet Tranſlationis *S. Ignatij* ad prælibatum Diem 17 Decembris ſub Ritu Duplici, & quidem in Vim Decreti Sacræ Congregationis *Rituum* Tenoris ſequentis:

“ORATIO.

“ Deus, cujus Nutu per diverſa Terrarum Loca, ipſa quoque Sanctorum Corpora diſponuntur:
“ Tribue, quæſumus, ut qui Beati Ignatij Martyris tui, atque Pontificis Tranſlationem colimus, ipſi
“ etiam à Pravitate noſtra ad piè vivendi Rectitudinem transferamur. Per Dominum.

“IN SECUNDO NOCTURNO.

“ Lectiones *deſumendæ ſunt ex Feſto principali, quod celebratur Die primâ Februarij, additis*
“ *poſtremæ Lectioni ejuſdem Nocturni ſequentibus Verbis*—Poſtmodùm verò ejus Reliquiæ rurſùs Romam

“ tranſlatæ ſunt, & in Eccleſiâ S. Clementis, unâ cum Corpore ejuſdem Beatiſſimi Papæ & Martyris
“ ſummâ Veneratione reconditæ (*m*). Tu autem &c.”

URBIS

“ Ad *humillimas Preces Patris Prioris, & Fratrum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Hiberniæ, SS.*
“ *Sixti & Clementis de Urbe, Sacræ Rituum Congregationi porrectas, Sacra eadem Congregatio ad Relationem*
“ *Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini Cardinalis Rezzonico* (N) *Ponentis, audito etiam R. P.*
“ *D. Carolo-Alexio Piſani, Fidei Promotore, Officium cum Miſſa de Communi unius Martyris, in Feſto*
“ *Tranſlationis Corporis Sancti Ignatij Epiſcopi & Martyris cum ſupraſcriptis Oratione, & Additione*
“ *Verborum in Fine ſextæ Lectionis ſecundi Nocturni, prout in Feſto principali, adprobavit, eaſque in*
“ *Die Tranſlationis Corporis præfati Sancti Martyris ab Oratoribus decimâ Septimâ Decembris, ſingulis*
“ *Annis, ſub Ritu Duplicis minoris recitari poſſe benignè indulſit. Die 15 Julij 1769.*

Locus
✠
Sigilli.

FLAVIUS CARDINALIS CHISIUS PRÆFECTUS.
Vincentius Macedonias Sac. Rit. Cong. Secretarius.

XLVIII. Pag. eâdem 405. Lin 37, lege, & adde in hunc Mòdum—Præterea in hac Baſilica *S S. Cyrilli & Methodij*, Fratrum, Corpora requieſcere ſcribit Eminentiſſimus Annalium Parens, *Cæſar* Cardinalis *Baronius*, in Notationibus Martyrologio *Romano* ad Diem 9 Martij, ubi de illis hæc habet: *In Baſilica S. Clementis etiam ijdem, Romæ morientes, Miraculis clari, ſepulti ſunt, quorum ſacras Reliquias nuper ſub Altari in ejuſdem Baſilicæ Sacello prevetuſto repertas eſſe accepi.* Hùcque facit *Franciſci de Sodo* M. S. Vaticanus Codex, qui *S. Cyrilli* Sacellum, a dextero Latere Baſilicam ingredientium ſuâ Ætate erectum fuiſſe, ibique Corpus ejus requieſcere tradit. Idemque memorant *Ugonius*, & *Pancirolus*; necnon *Joannes Dubravius* de Obitu *S S. Cyrilli & Methodij Romæ* meminit in Lib. II. *Hiſtoriæ Bohemicæ*. Altare autem illud idipſum eſſe quod hodie *Divo Dominico* ſacrum conſpicitur, cuicunque Baſilicam *S. Clementis* ingredienti patere poteſt.

Porro intrà prælibatum *Divi Dominici* Altre (*n*), per Cratem æneam rotundam, veluti Loco Antipendij, videre eſt Urnam marmoream albam juſtæ Molis cum ſuo Operculo, in qua credi-

---

(*m*) Verba ſimilis Tenoris habet Breviarium Ordinis Prædicatorum, dudùm impreſſum, in Feſto principali *S. Ignatij*.

Porrò Amicorum Rogatu hìc Loci prodo Nomina inſignium Artificum illorum, qui novem pergrandes & perbellas depinxerunt Picturas, mediæ ampliori Navi Baſilicæ *S. Clementis* ſupereminentes, á *Clemente* Papa XI fieri factas Anno 1715, ut refert *Hibern. Dominic.* Cap. XII. §. I. Num. XXVIII. Pag. 395.

Pictura itàque in Medio Laquearis repræſentans *S. Clementem*, dum in Gloriam aſcendit cæleſtem, depicta fuit á *Joſepho Chiari*. Quæ verò repræſentat *S. Flaviam Domitillam*, Sacrum Velamen à *S. Clemente* recipientem, facta fuit à *Sebaſtiano Conca*. Quæ repræſentat *S. Clementem*, dum ſcaturiri fecit Aquam de Petra ſub Pede Agri, Opus eſt *Antonij Cercolani*. Quæ eundem repræſentat Sanctum, habentem Anchoram ad Collum appenſam, Opus eſt *Joannis Odazi*. Tranſlatio ejuſdem Sancti depicta fuit á *Thoma Chiari*, qui inſuper depinxit Mortem *S. Servuli*, de cujus Officio mox dicetur. *S. Ignatium* in Amphitheatro (ob magnum illic Coloſſum vulgò dicto *Coloſſeo*) poſitum depinxit *Petrus-Leo Ghezzi*, Eques Auratus. Eundem Sanctum in actuali Martyrio, Leonibus ipſum devorantibus, depinxit *Piaſtrini*. Quæ demùm repræſentat Beatiſſimam Deiparam, & *S. Servulum*, depicta fuit á *Raſini*. Novem igitur ſunt, una nimirùm in Medio Laquearis, & octo collaterales intermixtæ, ut itâ loquar, ſex Baſilicæ Feneſtris magnis valdè.

(N) Nomine *Caroli* (ad Differentiam ipſius Fratris junioris, non tunc, ſed nunc, Cardinalis quoque, *Joannis Baptiſtæ* ſcilicet Rezzonico) Preſbyteri Cardinalis Tituli *S. Clementis*, S. R. E. Camerarij, *Clementis* Papæ XIII é Fratre Nepotis.

(*n*) Sub Altari hoc Eminentiſſimus D. Fr. *Thomas Maria Ferrari*, Ordinis Prædicatorum, Preſbyter Cardinalis *S. Clementis* (identidem laudatus in *Hibernia Dominicana* præcipuè à Pag. 403 ad 409) pro Se, & Illuſtriſſimo *D. Athanaſio Safar*, Maronitâ, Epiſcopo *Mardichenſi* in Partibus, Conventûs hujus Benefactore (memorato Pag. 406. Lit g.) Sepulturæ Locum fieri fecit. Verùm uterque, mutatô poſtmodùm Conſiliô, alibi Sepulturam elegit. Ab Anno autem Jubilæi 1750 inibi humantur Fratres Conventûs, primuſque fuit P. Magiſter *Jacobus Geraldinus*, de quo *Hibernia Dominicana* Cap. IX. §. VII. Num. VI. Pag. 219.

derim landatas ſacras *Sanctorum Cyrilli & Mathodij*, Fratrum, aſſervari Reliquias. Cæterùm de memoratis Sanctis iſtis recitatur Officium in hoc Conventu (*S. Clementis* de Urbe) Die 9 Martij, deſumptis Collectâ & Lectionibus Secundi Nocturni ex Proprio Diæceſis *Olomnienſis*, in *Pragenſi* Provincia *Bohemiæ*, ſub Ritu Duplici Majori, & quidem Vigore Decreti Sacræ Congregationis Rituum Anno 1706 emanati, quo declaratur, Officium celebrari poſſe de Sanctis in Martyrologio *Romano* recenſitis, quorum Corpora in Eccleſijs noſtris aſſervantur, ut de *S. Flavio Clemente* poſthàc dicetur in *Supplemento* hoc Num. LII. Pag. 853.

XLIX. Pag 406. Lit. c, ſub Finem adde——En antem Rei integræ Tenorem.

“ Die XXIII Decembris.
“ In Feſto Sancti Servuli Confeſſoris. Duplex.
“ *Omnia de Communi Confeſſoris non Pontificis præter ea, quæ ſequuntur.*
“ *In Secundo Nocturno.*
“ De Homilia S. Gregorij Papæ.
“ *Homil.* 15. *in Evang.*

“LECTIO IV.

“ In ea Porticu, quæ euntibus ad Eccleſiam Beati Clementis eſt pervia, fuit quidam Servulus Nomine,
“ Rebus pauper, Meritis dives, quem longa Ægritudo diſſolverat. Nam â primæva Ætate uſque ad
“ Finem Vitæ Paraliticus jacebat. Quid dicam, quia ſtare non potuerat, qui nunquám in Lecto ſuo
“ ſurgere, vel ad ſedendum valebat ? Nunquàm Manum ſuam ad Os ducere ? Nunquám ſe potuit in
“ Latus aliúd declinare ? Huic ad ſerviendum Mater cum Fratre aderat, & quicquid ex Eleemoſyna
“ potuiſſet accipere, hoc eorum Manibus Pauperibus erogabat. Nequaquàm Literas noverat, ſed
“ Scripturæ Sacræ ſibimet Codices emerat, & Religioſos quoſque in Hoſpitalitatem ſuſcipiens, hos co-
“ râm ſe legere ſine Intermiſſione faciebat. Factumque eſt, ut quantúm ad Menſuram propriam attinet,
“ plenè Sacram Scripturam diſceret, cúm, ſicut dixi, Literas funditùs ignoraret.

LECTIO V.

“ Studebat in Dolore ſemper Gratias agere, Hymnis Deo, & Laudibus, Diebus ac Noctibus
“ vacare. Sed cúm jam Tempuseſſet, ut tanta ejus Patientia remunerari debuiſſet, Membrorum Dolor
“ ad Vitalia redijt. Cûmque ſe jam Morti proximum agnovit, Peregrinos Viros, atque in Hoſpitalita-
“ tem ſuſceptos admonuit, ut ſurgerent, & cum eo Pſalmos pro Expectatione Exitûs ſui decantarent.
“ Cúmque cum eis & ipſe moriens pſalleret, Voces pſallentium repentè compeſcuit cum Terrore magni
“ Clamoris dicens: Tacete. Nunquid non auditis quantæ reſonant Laudes in Cælo ? Cùmque ad eaſdem
“ Laudes, quas intùs audierat, Aurem Cordis intenderet, ſancta illa Anima à Carne ſoluta eſt. Sed
“ exeunte illâ, tanta illic Fragrantia Odoris aſperſa eſt, ut omnes illi qui aderant, inæſtimabili Suavi-
“ tate replerentur; ità ut per hoc patentèr agnoſcerent, quòd eam Laudes, quas audierat, in Cælo
“ ſuſcepiſſent.

LECTIO VI.

“ Ecce quo Fine ex hac Vita migravit, qui in hac Vita æquanimitér Flagella toleravit. Juxtà Vo-
“ cem ergò Dominicam bona Terra Fructum per Patientiam reddidit, quæ exaratâ Diſciplinâ vomere
“ ad Remunerationis Segetem pervenit. Sed Vos rogo, Fratres chariſſimi, attendite, quod Excuſatio-
“ nis Argumentum in illo diſtricto Judicio habituri ſumus Nos, qui á bono Opere torpentes, & Res, &
“ Manus accipimus, ſi Præcepta Dominica egenus, & ſine Manibus potuit implere ? Non contrà Nos
“ Dominus tunc Apoſtolos oſtendat, qui ad Regnum ſecum Turbas Fidelium prædicando traxerunt.
“ Non contrá Nos Martyres exhibeat, qui ad cæleſtem Patriam Sanguinem fundendo pervenerunt. Quid
“ tunc dicturi ſumus, cùm hunc, de quo locuti ſumus, Servulum viderimus, cui longus Languor Bra-
“ chia tenuit, ſed tamen hæc á bono Opere non ligavit ? Hæc Vobiſcum, Fratres, agite, ſic Vos ad
“ Studium boni Operis inſtigate, ut cúm bonos Vobis ad imitandum proponitis, eorum conſortes tunc
“ eſſe valeamus, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto” (o).

“ In

(o) Confer *Hib. Dom.* Cap. XII. §. I. Num. XXXIX. Pag. 410.

“ *In Tertio Nocturno.*

“ Lectio S. Evangelij ſecundùm Lucam. *Cap.* 10.

LECTIO VII.

“ In illo Tempore: Dixit Jeſus Phariſæis; Homo quidam erat Dives, qui induebatur Purpurâ & Byſſô, & epulabatur quotidiè ſplendidè. Et reliqua.

“ Homilia S. Petri Chryſologi.

“ *Ex Sermone* 124.

“ Quoties Nobis à Deo Dives ingeritur purpuratus, quoties vulneratus Pauper apponitur, toties
“ Nobis Stadium Pietatis aperitur, ut de Spectaculo cæleſti poſſimus attendere, quàm brevi quantùmvis
“ Pauper ad Palmam, Dives pervenit ad Ruinam. Induebatur Dives Purpurâ, Pauper Livore, Dives
“ Byſſô, Pauper Squallore. Exſatiatus Dives projiciebat Panes, Micas Pauper eſuriens non habebat.
“ Ac ne plurimis ad Divitem Bona omnia, ad Pauperem Mala omnia perlegimus proveniſſe; neque
“ tamen Pauperem fregerunt adverſa, aut Diviti omnia ſecunda profuerunt; immò Pauperem provexit
“ ad Virtutem Dolor, Contemptus àd Patientiam, Egeſtas ad Regnum, & Divitem ſic extulit Purpura
“ ad Superbiam, Byſſus ad Luxum, Sublimitas ad Ruinam.

LECTIO VIII.

“ Ergo neque proſpera ignavos erigunt, neque fortes adverſa proſternunt, quia neque Divitiæ, neque
“ Paupertates, ſed animus aut ducit gratos ad Præmium, aut ad Pænam deducit ingratos. Januæ
“ Divitis Pauper ſe apponit Ulceribus plenus, at fit hoc non humanô Caſu, Judiciô fit divinô, ut Divitis
“ & Pauperis Conflictus eſſet in Terra, Spectaculum maneret in Cælo. Ob hoc enim egerat Deus,
“ ut Dives Pauperis, Pauper Divitis in Oculis ſemper eſſent, quatenùs viciſſim ſibi ambo Curam de vario
“ Languore præſtarent. Ægrotabat Pauper Corpore. Mente Dives; hinc eſt, quod differebatur
“ Cura Pauperis, Dives ut ſumeret de Vulnere Medicinam, de Gemitu Compunctionem, de Patientia
“ Exemplum, de Fama Miſericordiam. Ad Summum cæleſte de terrena Compaſſione Conſortium;
“ certé ut tantis Dives bonis fultus Deo gratus eſſet, quandò gratus Deo Pauper in Malis omnibus,
“ vidente Divite, permanebat.

LECTIO IX.

“ Merito ergò portabatur ab Angelis qui jacebat, qui lugebat. Abrahæ conſolatur in Gremio:
“ & vivit Deo ſemper, qui ſibi vivere nec ſcivit in Mundo. Factum eſt, inquit, ut moreretur Pauper,
“ & portaretur ab Angelis in Sinum Abrahæ, mortuus eſt autem & Dives, & ſepultus eſt Inferno. Miſer
“ Dives accepit antè Animæ quam Corporis Sepulturam, ut vivat Pænæ ſemper, cúm ſit ſemel mortuus
“ Vitæ. Immutatio quanta Rerum! Quò decendit Dives? Quò Pauper aſcendit. Reſpicit ibi ſurſúm,
“ quem deſpexerat hic deorſùm. Sed ſi eſt aſcendendi Poſſibilitas ad ſuperna, ſi eſt Facultas vivendi in
“ cæleſtibus, ſi eſt Abrahæ Sinus bonis omnibus ob Requiem præparatus, quarè non Cælo mutamus
“ Terram? Quarè non caducis emimus æterna? Quaré non perituris manentia comparamus?

“ Suprascriptas *Lectiones pro ſecundo & tertio Nocturno Officij Sancti Servuli Confeſſoris, ab*
“ *Eminentiſſimo & Reverendiſſimo Domino Cardinale Sancti Clementis* (P) *reviſas, & relatas, ſacra Rituum*
“ *Congregatio approbavit, & a Religioſis Hybernenſibus Conventûs Sanctorum Clementis & Sixti*
“ *de Urbe in Officio Sancti Servuli prædicti Die XXIII Decembris, ſingulis Annis recitari, necnon imprimi*
“ *poſſe, benigné indulſit, atque conceſſit. Die* 9 *Decembris* 1702.

Locus ✠ Sigilli.

“ GASPAR CARDINALIS CARPINEUS.

“ *Benedictus Inghirami Sac. Rit. Congr Secretarius.*”

L. Pag. 408, ſub Finem Notæ ad Lit. p, adde.

(P) Silicet Fr. *Thomæ Mariæ Ferrariò*, Ordinis Prædicatorum, de quo ſæpenumerò loquitur *Hibernia Dominicana* præſertim á Pag. 403. ad Pag. 409; & in hoc *Supplemento* Num. XXXIII. Pag. 833, ex Ore *Benedicti* Papæ XIV.

Tandem Anno 1767 denatô Eminentiſſimô D. *Joſephô Màriâ Feroni*, noviſſimô Abbate Commendatariô, Prior & Fratres ſupplìcarunt *Clementi* Papæ XIII, tunc regnanti, exponentes clarè, nedùm prælibata Onera Miſſarum (nempè ter Centum circiter privatarum, & Quadraginta ſolemnium) Reparationis Cænobij, ac Viarum publicarum, &c, ſed etiam Decrementum, ne dicam Extinctionem, Reddituum Cænobij *S. Clementis* in Summa Scutorum circiter Sexaginta annuorum, ob Fabricam contiguæ Baſilicæ ejuſdem *S. Clementis*, à *Clemente* Papa XI factam, ut jamjàm in hoc *Supplemento* Num. ſeq. ad Oculum demonſtrabitur. Hinc Commiſeratione inductus *Clemens* XIII laudatus ex Fructibus Abbatiarum invicem unitarum *SS. Clementis & Pancratij* (quas tunc in Commendam contulit Eminentiſſimo *D. Xaverio Canali)* conceſſit Die 17 Decembris prælibati Anni 1767, Fratribus ejuſdem Conventûs Penſionem annuam perpetuam Quinquaginta Scutorum *Romanorum*, & quidem (ut creditur) ad reſarciendum præfatum Cænobij Redditum. Quapropter Fratribus ſperare liceat, ut aliâ alterius Vacationis Occaſione pinguior ipſis aſſignari poterit Penſio pro ſublevandis gravibus Oneribus recenſitis. Optarem planè, ut primâ Vacationis Occaſione integri Abbatiæ *S. Clementis* Fructus ex miſericordiſſima Pietate Pontificia impenderentur ad inſtaurandum ipſummet *S. Clementis* Cænobium, Vetuſtate paulatim fatiſcens, & jam jam dilapſurum, ut nuper vidi, cum ſummo & imminenti Fratrum Periculo, En autem Diploma *Clementinum* ex Archivo *S. Sixti* de Urbe, ubi Autographum.

“ CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

“ Ad perpetuam Rei Memoriam.

“ Ad Supremum Apoſtolatûs Regimen, imperſcrutabili Conſiliô Altiſſimi, Meritis licè imparibus,
“ evocati, circà Statum Regularium Ordinum, in Eccleſia Dei militantium, & Perſonarum in eis Reli-
“ gionis Votô adſcriptarum, proſperè dirigendum, Mentis Noſtræ Aciem libenter intendimus. Et ſi ali-
“ quam Ordinum hujuſmodi Eccleſiam Bonorum Inopiâ laborare, aliam verò pluſquàm congruis ditatam eſſe
“ Redditibus comperimus, tunc Facultate Eccleſiaſtica Bona diſpenſandi fungentes, unius Eccleſiæ In-
“ digentijs, per Injunctionem Oneris ſuper alterius Eccleſiæ Fructibus occurrere non dubitamus, prout
“ conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Hinc eſt, quod Nos, qui hodiè Eccleſias, ſeù Capellas,
“ aut Abbatias, invicem perpetuò canonicè unitas, Sanctorum Clementis & Pancratij, olim Ordinis
“ Fratrum Sanctorum Barnabæ & Ambroſij ad Nemus nuncupatorum Regulares, nunc verò Ordine præ-
“ dicto, omnique Statu, & Eſſentiâ regularibus in eis, Apoſtolicâ Auctoritate, perpetuò ſuppreſſis, &
“ extinctis, & ad Sæcularem Statum redactis, Sæculares *(q)*, propé & extrá Mænia Urbis, quas bonæ
“ Memoriæ Joſeph-Maria, dum viveret, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Feroni nuncupatus, in Com-
“ mendam ad ſui Vitam ex Conceſſione & Diſpenſatione Apoſtolicis, etiam dum viveret, obtinebat,
“ Commendâ hujuſmodi per Obitum dicti Joſephi-Mariæ Cardinalis *(r)*, illius, etiam dùm viveret, ulti-
“ mi Poſſeſſoris Commendatarij, qui nuper apud Sanctam Sedem Apoſtolicam Debitum Naturæ perſol-
“ vit, ceſſante, adhuc eô quô antè Commendam ipſam vacabant Modô vacantes, dilecto Filio noſtro
“ Xaverio Sanctæ Mariæ de Scala nuncupato, prædictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Canali nun-
“ cupato, per eum, quoad vixerit, ſub certis Modo & Forma, etiam tunc expreſſis, tenendas, Apoſtolicâ
“ Auctoritate commendavimus, Curam, Regimen, & Adminiſtrationem dictarum Eccleſiarum, ſeù Ca-
“ pellarum, ei in ſpiritualibus, ac temporalibus, plenariè committendo: Nos dilectis Filijs Priori, & Fra-
“ tribus Ordinis S. Dominici, Prædicatorum nuncupatorum, Conventûs prædictæ Eccleſiæ S. Clementis,
“ ut eorum, ac ejuſdem Eccleſiæ Indigentijs faciliùs occurrere valeant, de alicujus Subventionis Aux-
“ ilio providere, eiſdemque Priori, & Fratribus ſpecialem Gratiam facere volentes, ipſoſque á quibuſvis
“ Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, ſi
“ quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum præſentium tantùm conſequendum, hárum Seriè
“ abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, Motu propriô, non ad eorum, vel alterius pro eis, Nobis ſu-
“ per hoc oblatæ Petitionis Inſtantiam, ſed ex certa Scientia, meraque Liberalitate noſtris, deque Apoſ-
“ tolicæ Poteſtatis Pleanitudine, eiſdem modernis, ac pro Tempore exiſtentibus dicti Conventûs S. Cle-
“ mentis Priori, & Fratribus, Penſionem annuam, perpetuis futuris Temporibus duraturam, ab omnibus,
“ & quibuſcunque Decimis, & Oneribus, ac Gravaminibus, etiam pro Reparatione, & Fabrica Baſilicæ
“ Principis Apoſtolorum de Urbe, dictarumque Eccleſiarum, ſeù Capellarum, aut Abbatiarum, ac
“ Manutentione Claſſis Triremium, Cruciatâ Sanctâ, Expeditione contrá Turcas, Infideles, Hæreticos,
“ alioſque orthodoxæ Fidei Hoſtes, ac quibuſcunque alijs dictæ Sedis apoſtolicæ Neceſſiatibus nunc im-
poſitis

(q) Confer *Hibern. Domin.* Pag. 407. Lit. k.

(r) Vivere deſijt Romæ 15 Novembris 1767.

“ poſitis, ac pro Tempore quomodolibet imponendis, etiam ſi in Impoſitionibus hujusmodi caveatur expreſſè quod Penſionarij quicunque pro Rata Penſionum ſuarum, quantumvis exemptarum, præmiſſis omnibus contribuere teneantur, ac Peſte, Fame, Bellô, Sterilitate, Siccitate, Alluvione, Inundatione, Incurſu Militum, Depopulatione, Agrorum Devaſtatione, Fructuum etiam omnium Amiſſione, ſeu eorum ex quacunque Cauſa non Recollectione: Utque Penſio per preſentes reſervanda hujuſmodi, ſemper integré, & abſque ulla etiam minima Diminiutione, ac etiàm Titulo Donationis puræ, & irrevocabilis, quæ dicitur fieri inter vivos, debeatur, nec ex præmiſſis, aut alijs quibuſvis de Cauſis, annullari, invalidari, retardari, in Jus, & Controverſiam revocari, aut alias' ad minorem Summam reduci queat, ac aliá in omnibus, & per omnia, aut omninò quoad omnia, liberam, immunem, & exemptam, quinquaginta Scutorum Monetæ Romanæ, de Julijs decem pro quolibet hujuſmodi, ſuper omnibus, & ſingulis dictarum Eccleſiarum, ſeù Capellarum, aut Abbatiarum hujuſmodi, proportionabiliter reſpectivè Fructibus, Redditibus, ac Proventibus, Juribus, Obventionibus, ac Emolumentis univerſis, certis & incertis, ſuper quibus Nos etiam hodiè alteram Penſionem annuam, certis Modo & Formâ tunc expreſſis, liberam, immunem, & exemptam, quadringentorum Scutorum Monetæ prædictæ, pro Perſona, ſeù Perſonis, per Nos, ſeù Romanum Pontificem pro Tempore exiſtentem, quandocunque nominandâ, ſeú nominandis, reſervari conceſſimus, etiamſi ſuper illis aliæ Penſiones annuæ antiquæ alijs Perſonis reſervatæ exiſtunt, quas præſentibus haberi volumus pro expreſsis, eiſdem modernis, ac pro Tempore exiſtentibus dicti Conventùs S. Clementis Priori, & Fratribus, vel eorum Procuratori legitimo, perdictum Xaverium Cardinalem, cujus ad hoc, & infraſcripta omnia expreſſus accedit Aſſenſus, ac Succeſſores ſuos, Eccleſias ſeu Capellas, aut Abbatiâs prædictas, pro Tempore obtinentes, Annis ſinguhis, duabus æqualibus Solutionibus, pro una videlicet in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis à proxime ventura incipiente, & altera Medietatibus Penſionis per præſentes reſervandæ hujuſmodi in Nativitatis ejuſdem Beatæ Mariæ Virginis immediate ſequente Feſtivitatibus, & ſic ſucceſſivè de Anno in Annum, ac Termino in Terminum, etiam hiſce præſentibus, præfato Xaverio Cardinali, ac Succeſſoribus prædictis, minimè intimatis, ac Poſſeſſione per dictum Xaverium Cardinalem, ac Succeſſores prædictos, habitâ, vel non habitâ, ac Lite quâcunque deſuper motâ, vel movendâ, dicti Xaverij Cardinalis, ac Succeſſorum prædictorum, Sumptibus, & Expenſis, omninò proſequendâ, ac quoqunque aliô Impedimentô legitimô, ac etiam de Facto, nunc, & pro Tempore, quomodilibet præſtitô, non obſtante, Vigore tamen earundem præſentium nec alias', alioquin præſens nulla ſit eo ipſo, integrè hic Romæ perſolvendum, apoſtolicâ Auctoritate prædicta, ipſarum Tenore præſentium, reſervamus, conſtituimus & aſſignamus; decernentes eundem Xaverium Cardinalem, ac Succeſſores prædictos, ad integram Solutionem Penſionis per Præſentes reſervandæ hujuſmodi, eiſdem modernis, ac pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus, illorumque Succeſſoribus, perpetuis futuris Temporibus, ut præfertur, faciendam, juxtà Reſervationis, Conſtitutionis, & Aſſignationis prædictarum Tenorem, fore efficaciter obligatos; ac volentes, & eadem Auctoritate ſtatuentes, quod ille ex Xaverio Cardinale, ac Succeſſoribus prædictis, qui in dictis Feſtivitatibus, vel ſaltem infrà triginta Dies illarum ſingulas immediatè ſequentes, Penſionem per præſentes reſervatam, per eum Modernis, ac pro Tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus, prædictis, tunc debitam, non perſolverit cum effectu, lapſis Diebus eiſdem, Xaverio Cardinali videlicet Ingreſſus Eccleſiæ interdictus exiſtat, Succeſſores verò prædicti Sententiam Excommunicationis incurrant, a qua, donec eiſdem Moderno, & pro tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus, vel eorem Procuratori prædicto, de Penſione per preſentes reſervatâ hujuſmodi tunc debitâ integrè ſatisfactum, aut alias' cum eiſdem modernis, ac pro Tempore exiſtentibus Priore & Fratribus, vel eorum Procuratore prædicto, ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquàm in Mortis Articulo conſtitutus, interdictus videlicet Interdicti Relaxationem, excommunicatus verò ab hujuſmodi Excommunicationis Sententia Abſolutionis Beneficium nequeat obtinere. Si verò per Sex Menſes, dictos triginta Dies immediatè ſequentes, interdictus videlicet ſub hujuſmodi Interdicto permanſerit, excommunicatus verò Sententiam Excommunicationis hujuſmodi Animô, quod abſit, ſuſtinuerit induratô, ex tunc effluxis Menſibus eiſdem, dictis Eccleſiis, ſeù Capellis & Abbatijs, perpetuò privati exiſtant, illâque etiam Commendâ prædicta ceſſante, vacare conſeantur eô ipſô.

“ Quocircà dilectis ſimiliter Filijs Magiſtris Franciſco Mariæ Morelli, & Franciſco Mariæ Cioja, ac Tiberio Soderini, in utraque Signatura noſtra Referendarijs, Motu ſimili per apoſtolica Scripta mandamus, quatenùs ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel per alium, ſeù alios, faciant Auctoritate noſtrâ Penſionem per præſentes reſervatam prædictam, eiſdem modernis, ac pro Tempore exiſtentibus Priori, & Fratribus, illorumque Succeſſoribùs, vel eorum Procuratori prædicto, perpetuis futuris Temporibus prædictis, juxtà ~~Reſervationis, Conſtitutionis, & Aſſignationis prædictarum~~, ac Decreti hujuſmodi Continentiam, & Tenorem, integrè perſolvi: Et nihilominùs quemlibet ex Xaverio Cardinale, ac Succeſſoribus prædictis, quem Interdicti, & Excommunicationis hujuſmodi reſpective Sententias incurriſſe eis conſtiterit, quoties ſuper hoc, pro Parte modernorum, ac pro Tempore exiſtentinum, dicti Conventùs Prioris, & Fratrum, eorumque Succeſſorum, fuerint requiſiti, tamdiù Dominicis, & alijs feſtivis Die-

bus

“ bus, in Eccleſiijs, dùm major inibi Populi Multitudo ad divina convenerit, Interdictum, & Excommunicationem reſpectivè publicè nuncient, & faciant ab alijs nunciari, & excommunicatum ipſum ab omnibus arctiùs evitari, donec eiſdem modernis, ac pro tempore exiſtentibus, Priori, & Fratribus, eorumque Succeſſoribus, de Penſione per præſentes reſervatâ, prædictâ, tunc debitâ, fuerit integre ſatisfactum, ipſeque, interdictus videlicet Interdicti Relaxationem, excommunicatus verò ab hujuſmodi Excommunicationis Sententia Abſolutionis Beneficium, per Satisfactionem condignam, meruerit, obtinere; Contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, Appellatione poſtpoſitâ compeſcendo. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Univerſalibuſque Concilijs editis, vel edendis, Privilegijs quoque, Indultis, Literis Apoſtolicis, eiſdem Eccleſijs, ſeù Capellis, aut Abbatijs hujuſmodi, illarumque Superioribus, & Perſonis, ſub quibuſcunque Tenoribus, & Formis, quomodolibet conceſſis, approbatis, confirmatis, & innovatis, quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi de illis, eorumque totis Tenoribus, ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & individua, non autem per Clauſules generales, idem importantes, Mentio, ſeù alia quævis Expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita Forma ad hoc ſervanda foret, eorum Tenores, ac ſi de Verbo ad Verbum, nihil penitùs omiſſô, & Formâ in illis traditâ obſervatâ, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro expreſſis habentes, illis alia's in ſuo Robore permanſuris, latiſſimè, & pleniſſimè, ac ſpecialiter, & expreſſè hac Vice duntaxa't, harum quoque Serie, Motu pari, derogamus, contrarijs quibuſcunque. Aut ſi Xaverio Cardinali, & Succeſſoribus prædictis, vel quibuſcunque alijs, communiter, aut diviſim, ab eâdem ſit Sede indultum, quod ad ad Præſtationem, ſeu Solutionem Penſionis alicujus minimè teneantur, & ad id compelli, aut quoad interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per Literas apoſtolicas, nou facientes plenam, & expreſſam, ac de Verbo ad Verbum, de Indulto hujuſmodi, Mentionem.

“ VOLUMUS autem, quod perpetuis futuris Temporibus præfatis, Collegia Officialium Cancellariæ apoſtolicæ de Annatis participan. Quindennia, Ratione Penſionis per præſentes reſervatæ hujuſmodi, à prædictis modernis, & pro Tempore exiſtentibus, Priore, Fratribus Conventûs prædicti, eorumque Succeſſoribus, prætendere nequeant, nec per dictas Eccleſias, ſeù Capellas, aut Abbatias, pro Tempore obtinentes, ulla earundem Eccleſiarum, ſeù Capellarum, aut Abbatiarum, Fructuum Reductio ab eiſdem Collegijs, Ratione primodictæ Penſionis, peti, ſeù obtineri poſſit.

“ NULLI ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Abſolutionis, Reſervationis, Conſtitutionis, Aſſignationis, Decreti, Statuti, Mandati, Derogationis, vel Voluntatis, infringere, vel ei Auſu temerariô contraire: Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Septingenteſimo Sexageſimo Septimo, Sextodecimo Kalendas Januarij, Pontificatûs noſtri Anno decimo.

Loco ✠ Plumbi—*Th. Antognettus*—*J. B. Quartor*—*J. A. Cuccomos*—*J. Caraffa Cap.*— *H. Merlini*—Omiſſis alijs—

(A Tergo dictæ Bullæ)

ANNO *Incarnationis Dominicæ* 1767 *Die verò* 17 *Decembris, retroſcriptus Eminentiſſimus D. Xaverius Cardinalis Canale præſens, retroſcriptæ Aſſignationi Penſionis, ac Literarum Expeditioni conſenſit, juravit, &c.*

Ludovicus Godin Subſtitutus.

PRÆINSERTAM Copiam Literarum apoſtolicarum fideliter exſcripſi ex Bulla originali in Charta Pergamena ſcripta, & aſſervata in Archivo S. Sixti de Urbe, Provinciæ Hiberniæ Ordinis Prædicatorum. In Fidem &c Die 7. Novembris 1769.

Fr. Joannes Thomas Troy, Ord. Præd.
S. Theologiæ Baccalaureus (s)

LI. Pag. 409. Lin. 24, immediatè poſt exſcriptam Tabulam marmoream, in qua refertur, Eccleſiam *S. Clementis* inſtauratam, & ornatam à *Clemente* Papa XI. A. D. 1715, adde—

NON abs Re, ſed, ob præinſertas Literas Apoſtolicas, planè dignum & juſtum erit animadvertere, Reditum annuum Cænobij *S. Clementis* ob Fabricam Baſilicæ ad Sexaginta circiter Scuta Romana decreviſſe, ne dicam prorſùs extinctum. Enimvero, ut laudatus Pontifex Clauſtrum *S.*

Clementis

(s) Confer Num. XLI hujus *Supplementi* Lit. h. Pag. 844.

Clementis in Formam perfectè quadratam redigeret, dejecit Fænile Magnum, olim ſitum ubi nunc conſpicimus Aulam tunc Temporis erectam pro Bibliotheca Fratrum Prædicatorum *Hibernorum* (ut dictum eſt in *Hibernia Dominicana* Pag. 395. Lin. 2) quam ab Anno 1732 Conſodales Sanctiſſimi Roſarij occupant, in eaque erexerunt Altare & Oratorirum abſque Prioris & Fratrum Licentia obtentâ, nec etiàm petitâ, ut notat *Liber Conſiliorum* Conventus hujus ad Diem 5 Septembris 1733. Fol. 85. Deſtruxit pariter aliud Fænile parvum, præcedenti contiguum, cujus Porta erat in Via conſtrata, quæ ab Amphitheatro *Flavij* ducit ad Baſilicam *Lateranenſem*. Juxtà Fænile iſtud erat Hortulus, ſivè Pullarium, annexas habens Cameram, Cryptam, &c. Erat inſuper parva Domus cum Officina, quæ omnia ad memoratum Finem, inſuperque ut Platea, & prælibata Via magis decoræ evaderent, Solo æquata fuere. Deſtructus denique fuit Chorus antiquus, & novus (nunc in Uſu) formatus ex Horreo, ſivé Granario, quod Choro priſtino adjunctum fuerat.

Verum quidem eſt, ut cordaté fatear, quod benigniſſimus Pontifex ex Horreo deformi venuſtum fecit Chorum, ex Prato rudi Clauſtrum formoſum, ex vetuſtis Domunculis pulchram Plateam; aſt! quandoquidem in hac Vita (ubi nihil ex omni Parte beatum) ad Differentiam futuræ melioris, commodis incommoda permixta ſint, ex recenſita Alteratione commodiore hoc experti ſunt Incommodum Fratres, quod exindè unum ultrà ſexaginta Scuta *Romana* annua deperdidere; quippè ex Fænili majori annuatim anteà perceperant Scuta duodecim, ex Fænili minori Scuta ſex, ex Pullario Scuta quindecim, ex parva Domo, ſivé Officina, Scuta octo, ex Horreo tandem Scuta viginti. Ità conſtat ex Libro *Cataſtico*, ut vocant, ejuſdem Conventûs.

LII. Pag. 412. Lin 18, adde—Subindè in *Martyrologio Romano*, Juſſu *Benedicti* Papæ XIV noviſſimè edito, hæc legere eſt Verba ad Diem 22 Junij: *Romæ Tranſlatio S. Flavij Clementis, Viri Conſularis, & Martyris à Domitiano Imperatore pro Chriſti Fide interempti, cujus Corpus in Baſilica S. Clementis Papæ & Martyris inventum, ibidem ſolemni Pompâ* (à Benedicto XIII) *reconditum eſt.* Hinc Feſtum laudati *S. Flavij Clementis* celebratur à Fratribus hujus Conventûs Die prælibatâ, Vigore ſcilicet Decreti S. Congregationis *Rituum*, ut de *SS. Cyrillo & Methodis* nuper ajebam in hoc *Supplemento* Num XLVIII. Pag. 847.

LIII. Pag. 414. Lin. 18, adde—Modernus (inquiebam Anno 1760) Preſbyter Cardinalis *S. Clementis* eſt ſæpè laudati Cardinalis *Annibalis* ex Fratre Nepos, Eminentiſſimus D. *Joannes-Franciſcus Albanus*, Sacrâ Purpurâ ornatus à *Benedicto* XIV Die 10 Aprilis 1747. Poſtmodum verò huic, ad Suburbicarium Epiſcopatum *Sabinenſem* promoto, ſucceſſit quà Titularis Eminentiſſimus D. *Coſmus Imperialis*, Patriâ *Januenſis*; cui 13 Octobris 1763 denato, ſuccedit Eminentiſſimus Princeps *Carolus Rezzonicus*, Patriâ *Venetus*, tunc regnantis Summi Pontificis *Clementis* XIII ex Fratre Nepos, S. R. E. Camerarius.

LIV. Eâdem Pag 414. Lit. l, lege & adde—Crediderim aptiùs fore, quòd ſecundus S. Theologiæ Profeſſor in Studio hoc Generali *SS. Sixti & Clementis* de Urbe nuncuparetur Baccalaureus More *Italorum* (ut *Teutonicos, Saxones, Hungaros*, alioſque Brevitatis ergò taceam) ſicut in *Ulyſſiponenſi* noſtro Collegio vocatur *Lector Veſperarius* More *Luſitanorum*, & in *Lovanienſi* Studio Generali *Regens Secundarius* More *Belgarum*. Confer Cap. XIV. *Hiberniæ Dominicanæ* Num. III.. Lit. e Pag. 520.

Porro Intuitu Animadverſionis hujus in *Hibernia* noſtra *Dominicana*, Locó mox allatô, placuit Reverendiſſimo Magiſtro Generali *P. Joanni-Thomæ de Boxadors* inſtituere Anno 1763 R. P. *Joannem Murphy*, Secundum S. Theologiæ Lectorem ſub Titulo *Baccalaurei*, exindeque idem ſervatur Mos in prælibato Studio Generali *SS. Sixti & Clementis* de Urbe.

LV. Pag. 421, poſt Lin. 38. ad Calcem duorum Epitaphiorum ex Lapidibus Sepulchralibus in Eccleſia *Ulyſſiponenſi* Fratrum Prædicatorum Hibernorum, ſubjunge——Res ità erant ad fatalem uſque Diem primam Novembris Anno 1755, quandò tàm Eccleſia quàm Collegium deleta fuere per Terræmotum, & ſubſecutum Incendium, de quibus nonnihil habet *Hibernia Dominicana* Pag. 424. Eaproptér neque Sepulchrales iſtos Lapides, neque vel minimum eorum Fragmentum, ut ità dicam, vel Veſtigium, videre eſt. Attamen *Liſbonæ* verſans Anno 1770 *(t)* lætabundus

---

(t) Româ diſceſſeram *Liſbonam* petens Menſe Martij memoratô Annô 1770, ad exequendum Summi Pontificis, felicitér regnantis, *Clementis* XIV (mihi olim in Urbe amiciſſimi, quá Patris Magiſtri *Laurentij* dus conſpexi novam ac pulchram Eccleſiæ & Collegij Fabricam notabiliter perductam, necdùm tamen completam. Ea porrò Inſula eſt, nulli utpotè alteri Fabricæ quoquomodò contigua, & ſanè in eadem primitiva *Corporis Sancti*, ut ajunt, Platea, juxtà ſpatioſum & ſpecioſum Flumen *Tagum*, tametſi eundem undequaque non occupet Situm cum veteri Fabrica, ob ſolam autem Differentiam paucorum Paſſuum, ne dicam Pedum, ut ſcilicet Fratres ædificantes adamuſſim ſe conformarent Exemplari Vicorum & Platearum Civitatis, ab Architectis regijs delineatô, regiâque præſcriptô Auctoritate.

CÆTERUM Tempore Fabricæ decem circiter Sodales habitabant in Domo, pro Rerum Conditionibus ſat commodâ, regijs Expenſis munificè conductâ, apud exiguam Eccleſiam Beatiſſimæ Deiparæ ſacram, tria complectentem Altaria, in qua adminiſtrabant, & quidem in Vico, cui vernaculum Nomen *Rua formoſa*. Tandem verò Die Sabbati 13 Octobris Anni prælibati 1770, ſolemni Ritu novam benedixi Eccleſiam; Dieque ſequenti, Horis promeridianis, Manibus geſtavi in ſolemni paritèr & numeroſiſſima Proceſſione Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum â præfata *Vici formoſi* Eccleſia perampliſſimam Urbem illam *Ulyſſiponenſem* ad recenſitam novam *SS. Roſarij B. Mariæ Virginis* Eccleſiam in Platea *Corporis Sancti* ultrà Mille Paſſus diſtantem, exindeque ibidem Loci Patres Miſſas celebrant, aliaque peragunt Sacra.

ATQUE, ut obiter dicam, Mane iſtius Diei 14 Octobris, quæ Dominica erat, Epiſcopum egeram Aſſiſtentem Eminentiſſimo & Reverendiſſimo D. *Franciſco* Cardinali *de Saldanha*, Patriarchæ *Liſbonenſi*, dum in perbella & ſatis ampla Palatij ſui Capella tres conſecraret Antiſtites, nempè Excellentiſſimum (u) & Reverendiſſimum *Lacedæmoniæ* (priſcis *Spartæ*, in *Peleponneſo*, vulgò *Moreâ*) Archiepiſcopum

---

Laurentij Ganganelli, Regentis Studiorum in Collegio *S. Bonaventuræ* apud *Sanctos Duodecim Apoſtolos* Urbis) Mandatum, ſalutandi nimirúm quàm reverentér, ut par eſt, Nomine Sanctitatis Suæ Fideliſſimum *Luſitaniæ* Regem D. *Joſephum* Primum, & Fideliſſimam Reginam D. *Mariam-Annam-Victoriam*, Infantem *Hiſpaniarum*, & quidem poſt decem Annorum interruptam Curias *Romanam* inter & *Ulyſſiponenſem* Communicationem: Dùm intereá prolixum Terrâ conficeret Iter Excellentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus *D. Innocentius de Comitibus*, italicé *Conti*, Archiepiſcopus *Tyri* in *Phœnicia*, Sacræ Romanæ Rotæ Duodecimvir doctiſſimus, Prudentiâ & Pietate clarus, ex Fratre Pronepos San Mem. *Innocentij* Papæ XIII, quondam, anté Cardinalitiam nempé Dignitatem, ibidem, regnante *Petrô* Secundô, Nuntij Apoſtolici, cujus de præclaris Laudibus Ætas nulla conticeſcet. Quæ ſanè antiquiſſima & juxtà illuſtriſſima Principum *de Comitibus* Familia, inter plures Romanos Pontifices, quos dedit Eccleſiæ, tres potiſſimùm (ultrà Innocentium XIII memoratum) enumerat, omni Laude ſuperiores, *Innocentium* nempè III, *Gregorium* IX, & *Alexandrum* IV, quorum primus S. Patri *Dominico* conceſſit Eccleſiam *S. Sixti* de Urbe, primam à Sancto Patriarcha poſſeſſam, in qua ſuum ipſe *Religionis Ordinem inſtituit, & prima ejuſdem jecit Fundamenta*, ut Verbis utar *Clementis* Papæ VIII, exſcriptis in *Hibernia Dominicana* Cap. XII. § I. Num. IX, Pag. 373. Eundemque *S. Dominici* Ordinem glorioſô *Prædicatorum* Nomine decoravit, ut fuſè oſtenderam eadem in Hiſtoriuncula Cap. II. Num. III. Pag. 35. Alter, ſeú *Gregorius* IX, laudatum Patriarcham *Dominicum* Sanctorum Faſtis ſolemni Ritu adſcripſit. Confer nuper dicta in *Supplemento* hoc Num. XLIII. ad Lit. H. Pag. 844. Poſtremus, ſeù *Alexander* IV, naſcentem Prædicatorum Ordinem à quibuſdam æmulis Obtrectatoribus, quorum Agmen ducebat *Gulielmus à Sancto Amore*, gravitèr impetitum, Auctoritate Apoſtolicâ egregié vindicavit, ut eadem refert Opella Cap. III. Num. X. Pag. 60; & Cap VIII Num. XIX. Pag. 169.

(*u*) In Ditionibus Regis Fideliſſimi Patriarcha, Archiepiſcopi, & Epiſcopi omnes dicuntur *Excellentiſſimi & Reverendiſſimi* (niſi Cardinales ſint) ad Differentiam Canonicorum Patriarchalis Eccleſiæ *Liſbonenſis*, qui *Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi* denominantur. Dixi, *niſi Cardinales ſint*, quippè nedùm Patriarcha jam laudatus Cardinalis eſt, & quidem à *Benedicto* XIV creatus Die 5 Aprilis 1756, ſed etiám modernus Archiepiſcopus *Eborenſis*, Eminentiſſimus nempè & Reverendiſſimus *D. Joannes-Coſmus de Cunha*, Canonicus Regularis *S. Auguſtini*, eſt Cardinalis, creatus (dum *Liſbonæ* verſarer) à felicitèr regnante Summo Pontifice *Clemente* XIV Die 6 Auguſti 1770. Titulus porrò *Eminentiſſimi* nulli tribui poteſt niſi S. R. E. Cardinalibus, & tribus Imperij *Romani* Electoribus Eccleſiaſticis, Magnoque Ordinis *S. Joannis Jeroſolymitani* Magiſtro, ex ſpeciali *Urbani* Papæ VIII Decreto Anni 1630, quo vetitum eſt Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Prælatis ſub Pæna Anathematis Titulum illum aſſumere.

chiepiſcopum D. *Antonium-Bonifacium Coello*, Suffraganeum (*w*) & Vicarium Generalem *Liſbonenſem*; Excellentiſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum *Portalegrenſem*, in ipſamet *Liſbonenſi* Provincia, *D. Hieronymum-Rogatum de Carvalhal & Sylva*; necnon Excellentiſſimum & Reverendiſſimum Epiſcopum *Viſeenſem*, in Provincia *Bracarenſi*, D. *Franciſcum Mendo Trigozo.* Antiſtes autem mecum Aſſiſtens erat Excellentiſſimus & Reverendiſſimus D. *Bartholomæus-Emanuel Mendes dos Reyes*, Epiſcopus *Macaoenſis*, in Provincia *Goana*, & *Sinarum* Imperio, in Ditione tamen Regis *Luſitaniæ*.

PAULO poſt, dùm Itineri me accingerem ad Diæceſim propriam reverſurus, duo alij conſecrandi erant, utpotè à Fideliſſima Sua Majeſtate ad Infulas nominati, nondùm verò Apoſtolicis Diplomatibus muniti, adeòque reapſè haud conſecrati uſque ad ſubſequentem Annum 1771, & quidem ambo Ordinis Prædicatorum Alumni, nimirùm Admodùm Reverendus & Eximius Pater S. Theologiæ Magiſter, & Prior Provincialis Provinciæ *Portugalliæ*, aliuſque Admodùm Reverendus & Eximius Pater S. Theologiæ Magiſter, ejuſdem Provinciæ Alumnus meritiſſimus, Nomine *Ludovicus* (*x*).

LVI. Pag. 432. Lit. r, ubi Sermo eſt de Bulla quadam *Urbani* Papæ VIII, Eccleſiæ *Lovanienſi* Fratrum Prædicatorum *Hibernorum* conceſſâ, quæ deſiderabatur, adde—Tandem *Lovanij* verſans Anno 1769, dùm *Romam* pergerem ad viſitanda Sacra Apoſtolorum Limina, Autographum inveni in Depoſito memorati Conventus hujuſce Tenoris:

“ URBANUS PP. VIII.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ OMNIUM Saluti paternâ Charitate intenti, ſacra interdùm Loca ſpiritualibus Indulgentiarum Muneribus decoramus, ut indè Fidelium defunctorum Animæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, ejuſque Sanctorum Suffragia Meritorum conſequi, & illis adjutæ ex Purgatorij Pœnis ad æternam Salutem per Dei Miſericordiam perduci valeant. Volentes igitur Eccleſiam Domûs Ordinis Fratrum S. Dominici Nationis Hybernorum, Oppidi Lovanienſis, Mechlinienſis Diæceſis, ſimili hucuſque Privilegio, ut accipimus, minimè decoratum, dummodò in ea Decem Miſſæ quotidiè celebrentur, & in ea ſit Altare S. Joannis Baptiſtæ hoc ſpeciali Donô illuſtratum, de Omnipotentis Dei Miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, quandocumque Sacerdos aliquis ejuſdem Eccleſiæ duntaxàt Miſſam Defunctorum in Die Commemorationis Defunctorum, & ſingulis Diebus infrà illius Octavam, ac ſecundâ Feriâ cujuſlibet Hebdomadæ pro Anima cujuſcunque Fidelis, quæ Deo in Charitate conjuncta ab hac Luce migraverat, ad prædictum Altare celebrabit, Anima ipſa de Theſauris Eccleſiæ per Modum Suffragij Indulgentiam conſequatur, ita ut ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, Sanctorumque omnium Meritis ſibi ſuffragantibus, à Purgatorij Pœnis liberetur, concedimùs, & indulgemus. In contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Præſentibus ad Septennium tantùm valituris. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 26 Junij MDCXXVI. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.”

LVII. Pag. 436. Lin. 8 (ubi fit Mentio de Penſione Conventui *Lovanienſi* conceſſâ ex Ærario *Bruxellenſi*) lege, & adde in hunc Modum——Impetrarunt inſuper, ut obiter dicam, Anno 1648 Patres

---

(*w*) Suffraganeus juxtà ſtrictiorem Nominis Significationem eſt Epiſcopus ille, qui in Provincia Metropolitana Archiepiſcopo ſubeſt, quam Vocem à *Suffragio*, ſivè Voto, quod Epiſcopus in Metropolitani Electione ferebat, derivatam ait *Magri* in *Vocabulario Eccleſiaſtico* Verbo *Suffraganeus*. At Suffraganeus & ille dicitur, qui Epiſcopus eſt Auxiliaris, utpotè alterius Diæceſim adminiſtrans, in eaque præſtans quæ Ordinis ſunt & Juriſdictionis. *Suffraganeus denique juxtà vigentem hiſce Temporibus loquendi Morem, dicitur etiam ille Epiſcopus Titularis, qui ea duntaxàt, quæ ſunt Ordinis, exercet in aliqua Diæceſi, in qua Epiſcopus non reſidet, vel ſi reſideat, nequit, ob ingraveſcentem Ætatem, aut malè affectam Valetudinem, vel ob Diæceſis Amplitudinem, Ordinationes habere, Confirmationis Sacramentum adminiſtrare, aliaque Epiſcopalis Ordinis Munera peragere.* Verba ſunt *Benedicti* Papæ XIV Tract de *Synodo Diæceſana* Lib. XIII. Cap. XIV. Num. IV.

(*x*) Pro *Hibernorum* Monaſterio *Liſbonenſi*, ſeu potiùs *Bethlehemitano* propè *Liſbonam*, adeas *Supplementi* hujus Num. LXVII, & ſeqq.

1648 Patres noſtri *Lovanienſes* à Sacra Congregatione *De Propaganda Fide (y)* Penſionem annuam Centum & Viginti Scutorum *Romanorum* uſque ad Triennium. Atque ſingulis Triennijs ad noſtra uſque Tempora eandem continuavit Penſionem laudata S. Congregatio eâ Lege, ut Miſſionarij Apoſtolici, in Schola Conventûs iſtius edocti, in *Hiberniam* regrediantur pro Fide Catholica propugnanda & propaganda, quatuor ſcilicet quôlibet Sexenniô. Et quamquàm ſub Initium haud potuerit alere Conventus niſi Duodecim Fratres, Proceſſu tamen Temporis ad Triginta & Triginta duos, atque Triginta quatuor aſcendit, mittendo indeſinentèr ad Miſſiones *Hiberniæ* quatuor ſingulis Sexennijs, immò haud paucos mittebat in *Angliam*, & *Scotiam*, atque etiam in *Americam*, prout Neceſſitas, vel Utilitas poſtulaverant.

VERUM Anno 1756 excitatum fuit Dubium in eadem S. Congregatione, an Alumni iſti ſe obligent Juramentô ad laborandam Vineam Domini in *Hibernia?* Sed reſpondit Conventus *Lovanienſis*, quòd quandoquidem omnes & ſinguli Conventûs iſtius Alumni Vocationis & Profeſſionis ſuæ Vigore tenerentur ad Miſſiones *Hiberniæ* peragendas, idcircò inutile porſùs foret tale Juramentum, immò & fortaſſis pernicioſum. Quippé haud facilé invenirentur Sodales, qui ulteriori hac Obligatione ſe reſtringerent, videntes nimirùm reliquos omnes ab ea immunes, quinimmò iſti reliqui exindè colligerent Se haud ſtrictè ad Sacras teneri Miſſiones. Prætereà cùm ex advenientibus nulli ſcirent, quinam ſpecialitér debent recenſitum præſtare Juramentum, pauciores ſe offerent Juvenes pro Admiſſione in hunc Conventum. Ultraquamquod, cùm Subſidium 120 Scutorum annuorum non ſufficiat niſi pro duorum Religioſorum ad ſummum Suſtentatione, & Præparatione neceſſaria ad Iter conficiendum in *Hiberniam*, hinc fruſtraretur pium S. Congregationis Deſiderium mittendi quatuor Miſſionarios in *Hiberniam* ſingulis Sexennijs.

QUAPROPTER Excellentiſſimus D. *Joannes-Carolus Molinari*, Archiepiſcopus *Damaſcenus*, ac Nuntius Apoſtolicus *Bruxellenſis*, Re bené examinatâ, deprehendit plures quàm quatuor ſingulis Sexennijs pergere ad Miſſiones *Hiberniæ*, immò unum ſingulis Annis, idipſumque pro Informatione ſcripſit Sacræ Congregationi. Interceſſit inſuper Eminentiſſimus *D. Philippus-Thomas* Cardinalis *de Alſatia de Buſſu de Chymai*, Archiepiſcopus *Mechlinienſis*, plura exponens de indefeſſa & fructuoſa Operâ literaria, deque regulari Vita & Paupertate Sodalium hujus Conventûs, in Epiſtola ad Eminentiſſimum *D. Joſephum* Cardinalem *Spinellum*, ejuſdem S. Congregationis Præfectum. Hiſce de Cauſis prædictæ Penſionis Conceſſio innovata fuit Anno 1758, ſed poſtmodùm retractata Anno 1761. Exindè autem prodijt Libellus Supplex Conventûs multa producens Momenta pro Penſionis Recuperatione, & inter alia quod Conventus iſte Seminarium fuit perpetuum Miſſionariorum non ſolùm pro *Hibernia*, ſed & pro *Anglia*, ac *Scotia*, atque etiam *America*. Acceſſit ulterius ſequens Atteſtatio tunc Rectoris Almæ Univerſitatis *Lovanienſis*, quem eximium Doctorem, ac egregium Virum ipſe novi ibidem Anno 1769.

“ Nos Chriſtianus-Franciſcus Terſwack, S. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Æthices, Collegij Alti-
“ collenſis Præſes, necnon Almæ Univerſitatis Lovanienſis pro Tempore Rector.

“ ANNUERE cupientes Precibus R. P. Prioris Conventûs S. Crucis RR. Patrum Dominicanorum
“ Hibernorum, in Univerſitate noſtra præſenti Sæculo erecti, ſupplicantis publicum Teſtimonium de
“ Statu, & Conditione dicti Conventûs; prævié ſuper hoc Negotio expreſſe audivimus Viros aliquos
“ Fide digniſſimos, & de Statu hujus Conventûs optimè inſtructos; inſtituimus etiam Viſitationem in
“ eodem Conventu, ubi inter alia examinavimus Computus ejuſdem à ſua Erectione ad hæc uſque
“ Tempora (z.)

“ Ex

(y) Operâ P. Magiſtri *Felicis O'Connor*, de quo præclaro Viro datâ Operâ agit *Hibernia Dominicana* Cap. XVI. Num. LXXXIII. Pag. 580.

(z) *Diverſi Status Collegij & Conventûs Patrum Prædicatorum* Hibernorum *à Tempore quò primùm* Lovanium *venerunt uſque ad hodiernum Diem* 16 *Aprilis* 1762, *Priore R. P. Fr.* Joanne O-Daly, *Regente Primatiô (nunc* 1772 *S. Theologiæ Magiſtrô & Miſſionariô Apoſtolicô* Dublinij) *extracti ex Libris antiquis, alijſque Monumentis in Depoſito ejuſdem Conventûs modò repertis, corùm Eximo Domino* Chriſtiano-Franciſco Terſwack, *S. Theologiæ Doctore, & Profeſſore Æthices,* Collegij Alticollenſis *Præſide, necnon Almæ Univerſitatis* Lovanienſis *pro Tempore Rectore.*

Invenimus primò, ineunte Sæculô præteritô poſt atroces Perſecutiones, & Edicta ſanguinolenta, quibus

Elizabetha

“ Ex quibus intelleximus, Conventum S. Crucis RR. PP. Dominicanorum verum eſſe Miſſionis
“ Hiberniæ Seminarium, regulari Diſciplinâ Studiôque commendabile, â quo nominati Religioſi, abſo-
“ lutis

Elizabetha Angliæ *Regina, Catholicæ Religionis Exercitium inhibuit, Hæreſimque in Regnis* Angliæ, *& Hiberniæ ſtabilivit, aliquos ex Patribus noſtris* Lovanij *Refugium quæſiviſſe, atque Ope, & Favore Primorum hujus Patriæ Domicilium propè* Caſtrum Cæſaris *fixiſſe, & ibidem paulò poſt Collegium Miſſionariorum Beato Joanni Baptiſtæ dicatum, erexiſſe.*

Invenimus deindè, illos tunc Temporis nullos Redditus poſſediſſe praeter Penſionem annuam Mille ducentorum Florenorum, quæ ipſis in Erectione Collegij fuerat conceſſa à Curia Hiſpanica, cujus Imperio hæc Patria tunc fuerat ſubjecta. Ex hac ergò Penſione, cujus Centum Floreni ſingulis Menſibus propter eorum Indigentiam fuerunt ſoluti; & ex quotidianis Sacris, Eleemoſynis, ſimilibusque pijs Oblatis ſuſtentati fuerant, prout conſtat ex Libro Receptorum Anni 1627. *Vide Pag.* 13, *& ſequentes uſque ad* 23 *Vide etiam Pag.* 47 *ejuſdem Libri.*

Invenimus deinceps, circà Annum 1655 *ejuſdem Sæculi præfatos Patres, derelictô Habitaculô quod propè* Caſtrum Cæſaris *primò fixerunt, perveniſſe ad Plateam* Bruxellenſem, *in qua propè Templum Divi Jacobi charitativâ Munificientiâ Ampliſſimi Domini* Joyce, ss. Michaelis & Gudulæ Bruxellis *Canonici, Eccleſiam aedificarunt, & Domum cum Horto ipſi contiguo emerunt, quam poſteà auctam Ope præfati Domini in Conventum S. Cruci dicatum erexerunt, in quo Modo habitant.*

Invenimus item, poſt Erectionem hujus Conventûs Penſioni præfatæ Mille ducentorum Florenorum à Curià Hiſpanica conceſſæ, Sacram Congregationem Cardinalium de Propaganda Fide *adjeciſſe Penſionem annuam Centum viginti Scutorum* Romanorum, *quæ conficiunt Trecentos circiter Florenos Monetæ* Brabanticæ, *eâ Conditione, ut indè alerentur tres Studioſi, qui expletis ſuis Studijs ad Miſſionem forent deſtinati.*

Ab illo Tempore, quo Nobis conceſſa fuit præfata Penſio Cardinalitia uſque ad præſentem Diem, notati ſunt in Magiſtrali, ſeù Libro Reddituum noſtri Conventûs omnes Cenſus, ſeù Bona immobilia, quæ acquiſita fuerunt, quæque conficiunt Summam Octoginta quatuor Florenorum prout videre eſt in præfato Libro Pag. 1, 2 & 3.

Circà Fundationem, ſeù Penſionem Regiam 1200 *Florenorum, Nobis in Erectione Collegij conceſſam, notanda ſunt ſequentia.*

Præfata Summa, quæ ſub Titulo Penſionis annuæ fuit conceſſa, uſque ad aſſem perpetuò debebat ſolvi juxtà Mandata Regum Hiſpaniæ Caroli II. & Philippi IV, ut conſtat ex Libro Receptorum Anni 1700 *Pag.* 40. *Verùm circà Annum* (1730) *trigeſimum præſentis Sæculi motae fuerunt Difficultates in Curia* Bruxellenſi *circu ulteriorem ejus Solutionem uſque dùm exortô ultimô Bello in hac Patria* (A. 1743.) *ipſius Solutio fuerat prorſùs ſuſpenſa per aliquot Annos. Pace vero initâ* (A. 1748.) *& poſt plures Supplicationes factas, omiſſis illis Annis quibns Solutio fuit ſuſpenſa, emanavit Decretum ex prædicta Curià* Bruxellenſi, *quo præfata Summa* 1200 *Florenorum redacta eſt ad* 400 *Florenos, prout conſtat ex ipſomet Decreto, & ex Libro Receptorum Anni* 1749. *Pag.* 199; *& etiam ex moderno Libro Receptorum, quæ Summa* 400 *Florenorum ſub Titulô Eleemoſynæ tantùm Nobis conceſſa eſt, & pro qua debet ſingulis Annis porrigi Libellus Supplex cum Expenſis Procuratori noſtro* Bruxellenſi, *& cujus etiam Solutio, Favore Amicorum* Bruxellis *durante Bellô praeſenti continuatur.*

Notandnm eſt, quod inter Cenſus à Tempore Conceſſionis Penſionis Cardinalitiæ à Conventu acquiſitos, & in Magriſtrali, ſeù Libro Reddituum ejuſdem Conventûs notatos, omnes illi Cenſus Cruceſignati fuerunt extincti, & inter Cenſus, qui ſubſiſtunt, ſunt aliqui ex Cenſuarijs, qui ad Paupertatem redacti Redditus ſuos annuos vix ſolvunt. Hinc computatis omnibus Redditibus, quos Conventus acquiſivit à Tempore quo Nobis conceſſa fuit Penſio Cardinalitia, ſi ex ijs defalcati ſint Octinginta Floreni, qui ex Penſione regia à Curia Bruxellenſi *fuerunt detracti, & omnes Cenſus Cruceſignati; valdè modicum erit Augmentum Reddituum illorum, prout cuique conſideranti patebit.*

Notandum inſuper, quod Anno Milleſimo Septingeſimo Vigeſimo ſexto præſentis Saeculi, prout conſtat ex Libro Receptorum ejuſdem Anni Pag. 195, *hic Conventus fuerit Debitis gravatus uſque ad Summam Decem Millium quinquaginta novem Florenorum ità ut Creditores pro ſuis reſpective Debitis recuperandis illum Venditioni deſtinaverint, donec Eximius Pater Magiſter Fr.* Joannes Macghee, *tunc Prior, commendatitijs Literis tùm hujus Almae Univerſitatis, tùm Eccellentiſſimi Domini Nuntij* Bruxellenſis (Joſephi Spinelli Archiepiſcopi Corinthiorum, poſtea S. R. E. Cardinalis) *& aliorum, inſtructus, illum ex Eleemoſynis per totam* Germaniam Inferiorem *undequaque collectis redemerit. Creſcente verò poſteà Religioſorum Numerô, & deficiente Fabricâ, Succeſſores Eximij Patris Magiſtri præfati, ipſius Exemplo inducti, Libellos Supplices Illuſtriſſimis Dominis hujus Patriæ Epiſcopis obtulerunt, exponentes Statum Conventûs, Redditibus & Fundationibus, pro ſuſtentatione requiſitis, deſtituti. Hiſce Supplicationibus laudati Illuſtriſſimi Praeſules fovorabiliter inclinati, & hoc Miſſionariorum Refugium pro afflicta Domini Vinea fovendi & amplificandi charitativô Zelo permoti, ſingulis Annis alternatim per ſuas reſpective Daeceſes, Elleemoſynas colligendi Facultatem benignè conceſſerunt, quam Facultatem hucuſque continuare dignati ſunt. In hiſce Eleemoſynis colligendis debet bimeſtre Spatium occupari, Menſes vide licet Novembris & Decembris, quibns vacant Studia, quae alijs Temporibus per totum Annum, etiam Tempore Vacantiarum hujus Almae noſtrae Univerſitatis, vigent. Ab hac Collecta facienda nullus etiam ex Lectoribus eximitur, exceptis Priore, Novitijs ſimplicibus, & duobus Sacerdotibus, qui debent manere Domi pro Functione Munerum Choralium, & duobus Fratribus Laicis ad inſerviendum. Illuſtriſſimi Praeſules, qui hanc Facultatem conceſſerunt, ſunt ſequentes.*

Pro uno Anno.

Eminentiſſimus D. Archiepiſcopus Mechlinienſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Autuerpienſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Gandavenſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Brugenſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Namurcenſis.

Pro altero Anno.

Sereniſſimus & Eminentiſſimus D. Epiſcopus Leodienſis.
Sereniſſimus & Excellentiſſimus D. Archiepiſcopus Cameracenſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Tornacenſis.
Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Iprenſis.

Praeter has Eleemoſynas non mediocria percipit Con-

“ lutis Studijs, ad Patriam revertuntur, in Vinea Domini ibidem laboraturi. Deindè ex ijſdem certâ Scientiâ cognovimus, Conventum iſtum modicis gaudere Proventibus, & nonniſi piorum Fidelium Subſidijs undequaque collectis ſubſiſtere, quorum tamen Continuatio à ſolo Epiſcoporum Beneplacito, ac Fidelium Charitate dependet.

“ Quare hunc Conventum eôdem, quô unquâm gaviſus eſt, Favore indigere, ac dignum eſſe judicamus, ac propterea commendamus omnibus ejus Benefactoribus, ut Subſidia, quibus hunc unquàm dignati ſunt, adhuc benevolè continuent. Datum Lovanij ſub Sigillo noſtro Rectorali, & Secretarij noſtri Signaturâ Anno 1762 Menſis Aprilis Die 16.

Locus
✠
Sigilli.

“ De Mandato Magnifici Domini Rectoris,
“ G. A. Hendweckx Secretarius.”

LVIII. Pag. eâdem 436, immediatè antè Num. VIII, lege.—

Anno 1627 erectus fuit ibidem (in Conventu *Lovanienſi*) Novitiatus in Vim harum Literarum Patentium, quarum Originales vidi in Archivo ejuſdem Conventûs A. D. 1769, Tenoris ut ſequitur:

“ Nos Fr. Seraphinus Siccus Papienſis, S. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis & ſervus.

“ Cum A. R. P. Præſentatus Fr. Rochus à Cruce (t) noſtræ Provinciæ Hiberniæ Prior Provincialis, miſſô ad Nos R. P. Fr. Michaele á Spiritu Sancto, Nobis exponi fecerit, ſe in Urbe Lovanij Domum Clauſtralem S. Joannis conduxiſſe, in qua modò Fratres noſtri Hiberni, ad Numerum quatuordecim, Pietati, ac Literis juxtâ Inſtitutum noſtrum Operam dantes, religioſè degunt: Reparationi autem prædictæ Provinciæ ultiſſimum fore, ſi aliquot Adoleſcentes Hiberni, ex his, qui ſeſe Religioni noſtræ addicere cupient, in eadem Domo ad Habitum noſtrum recipiantur, qui deindè Scientiâ, & Virtutibus inſtructi, pro tuenda, & amplificanda Fide Catholica in Hiberniam remitti poſſent. Nos, attentâ hujuſmodi Expoſitione, Supplicationibus deſuper Nobis porrectis libenter inclinati, harum Serie, quantùm ad Nos attinet, concedimus R. P. Vicario, ſeù Præſidenti pro Tempore memoratæ Domûs S. Joannis, ut de Licentia expreſſa ſui A. R. Patris Provincialis nominatim pro quolibet recipiendo, aliquos, ut ſuprâ, Hibernos Adoleſcentes, qui omnibus Requiſitis juxtâ Leges noſtras, & Apoſtolica Decreta ſint ſuffulti, ad Habitum Ordinis noſtri recipere poſſit: Dummodò eadem itâ ſit conſtructa, & in ſpiritualibus ac temporalibus adeò diſpoſita, ut in ea quatuor ſaltem Novitij arctiori Diſciplinâ, ad Normam noſtrarum Conſtitutionum, valeant educari. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen. In quorum Fidem his noſtrô Sigillô munitis Manu propriâ ſubſcripſimus. Datum Romæ Die 9 Februarij 1627.

“ FR. SERAPHINUS SICCUS
“ MAGISTER ORDINIS

Locus
✠
Sigilli

“ Regiſtr. Fol 148.
“ *Fr. Joannes Vincentius de Valentia,*
“ *Magiſter & Socius.*”

LIX. Pag. eâdem 436. Lin. 22, lege, & adde in hunc Modum——Porrò laudati Magiſtri Ordinis

---

ventus charitativa Subſidia ex Quæſtu Fratris noſtri Laici Alberti Lynheer, *Natione Hollandi, qui de Tempore in Tempus Quaeſtum in ſua Patria facit, & qui exindè notabiles Eleemoſynas exportat, prout videre eſt in Libro Receptorum Anni* 1756. *Conſule Pag.* 17 *inter Recepta Menſis Septembris, Conſule etiam Librum Receptorum Anni* 1734. *Pag.* 70, 162, 188, 192, 212, 236. *Porrò memoratus Frater* Albertus *planè incipit aeficere in notabile Conventûs hujus Damnum.*

Totus praecedens Status hujus Conventus S. Crucis Lovanij tùm antiquus quàm modernus fuit ſubjectus Judicio & Examini Eximij Domini Chriſtiani-Franciſci Terſwack, *Sacrae Theologiae Doctoris,* & *Profeſſoris Æthices, Collegij* Alticollenſis *Praeſidis, necnon Almae Univerſitatis Lovanienſis pro Tempore Rectoris, ſuper quem Statum Teſtimonium authenticum exhibuit Sigillo ſuo Rectorali, munitum Signatura ſui Secretarij Anno* 1762, *Menſe Aprilis Die* 16.

De Mandato Magnifici Domini Rectoris.
G. A. Hendweckx Secretarius.

(t) Nomine Gentilitio *Mac-Geoghegan*, qui poſtmodùm fuit Epiſcopus *Darenſis*, vulgò *Kildare*, in Provincia *Dublinienſi*, ut videre eſt in *Hibernia Dominicana* Pag. 487, & 522.

Ordinis Succeſſor famigeratiſſimus, Reverendiſſimus nempé *Thomas Turcus, Cremonenſis,* Collegium hoc *(Lovanij)* perſonaliter viſitavit circà Annum 1647. Poſtmodùm ſequentes dedit Literas Patentes, quas Anno 1769 vidi in Depoſito Conventûs *Lovanienſis S. Crucis.*

“ Nos Fr. Thomas Turcus, S. Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Servus.

“ Harum Serie, noſtrique Authoritate Officij, Facultatem concedimus R. P. Priori, ſeú Præſidenti noſtri Collegij Hibernorum S. Joannis Baptiſtæ Lovanij, ut ſervatis omnibus ſervandis, poſſit dare Habitum Converſis (*u*). Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Super Minervam Die 8. Septembris 1648.

Locus ✠ Sigilli.

“ FR. THOMAS TURCUS
“ MAGISTER ORDINIS

Regiſtr. Fol. 53.
Fr. Bernardinus de Venelij
Secretarius, Loco Socij

LX. Antequâm deliberarent Fratres *Lovanienſes* de Tranſlatione, ſeù Tranſmigratione à Cænobio *S. Joannis Baptiſtæ* ad Cænobium *S. Crucis,* P. Magiſter *Gulielmus de Burgo,* Prior Provincialis *Hiberniæ,* ſequentem porrigi fecit Libellum Supplicem Sacræ Congregationi *de Propaganda Fide* circà Annum 1650, cujus Exemplar vidi apud *Lovanium* in Archivo prælibati Conventus Anno 1769.

“ Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini,

“ Hiberniæ Provincialis Ordinis Prædicatorum humiliter exponit Eminentijs Veſtris, qualiter Favore Illuſtriſſimi Ordinis Dominorum Equitum Melitenſium, Religioſi Dominicani Hibernicæ Nationis Lovanij à pluribus Annis precariò inhabitant quandam Domum Commendæ ipſorum, cum Uſu adjuncti Hortuli, ac Templi S. Joannis Baptiſtæ nuncupati, cumque Onere tùm Miſſarum, in dicto Templo fundatarum, tùm certæ Pecuniæ annuæ pro Fabricæ Reparatione Commendatori perſolvendæ, quæ cùm pro Reparatione longè non ſufficiat, paulatim univerſa Structura fatiſcit. Cúm verò prædicta Domus eidem Militari Ordini nec Emolumentum adferre, nec proprio Uſui eſſe queat, é contrà verò Dominicanis Hibernis (qui Patriâ nunc extorres, vix habent ubi Caput reclinent) eadem percommoda ſit ad collegialiter illic vivendum, ſuaque cum Cultu divino Studia, ut hactenùs, proſequenda, ideò ſupplicat præfatus Provincialis Eminentijs Veſtris, ut dignentur, pro ſuo Fidei propagandæ Zelo, interponere ſublimem Auctoritatem ſuam apud prænominatum Militarem Ordinem, ejuſque Romæ Excellentiſſimum Dominum Oratorem, quatenús liberali Donatione cedat Fundum ſupradictum cum Templo, Domo, & Hortulo, ejſdem Fratribus Hibernis Ordinis Prædicatorum in propriam, ſtabilem, & perpetuam Manſionem cum prædicto Miſſarum fundatarum Onere, atque Fabricæ reparandæ Obligatione, ipſique Religioſi Illuſtriſſimum prædictum Ordinem tanquàm Patronum, & Fundatorem agnoſcentes, Deo commendare non ceſſabunt, atque pro Eminentijs Veſtris orabunt.”

LXI. Poſtquâm ijdem Fratres noſtri *Lovanienſes* tranſlati ſunt à Collegio *S. Joannis Baptiſtæ* ad Conventum *S. Crucis,* Reverendiſſimus nunquàm delendæ Memoriæ Magiſter Ordinis, *P. Joannes Baptiſta de Marinis,* haſce dedit Literas commendatitias ad Almam Univerſitatem *Lovanienſem,* præclaras ſanè, & Lacte ac Melle manantes, quas A. D. 1769 ibidem verſans inveni in ejuſdem Archivo.

“ Magnifice Domine Rector,

“ Cæterique inclytæ Lovanienſis Univerſitatis Commendatores Primores, Viri Eximij, Spectabiles, S. P.

“ Inter luculenta illa, & numeroſa Beneficia, quibus celebre veſtrum Athenæum perpetuò ſibi devincire pergit Ordinem noſtrum, iſtud peculialiter æſtimo, teneriùſque deoſculor, quò hactenús Fratrum noſtrorum Hybernorum inops Collegium veſtro potiſſimùm Favori, & propenſæ Humanitati innixum ſubſiſtit, utpotè cujus non ſolúm Studia, Literarumque Conatus, pia Univerſitas ſemper honoravit, fovit, protexit, ſed & Pauperiem, Reique domeſticæ Anguſtias crebrô Succurſu, atque Eleemoſynarum Procuratione ſolata eſt: Undè & nunc mihi creſcit Fiducia per ſe rogandi Magnificas

“ Dominationes

(*u*) In Ordine Prædicatorum Fratres Laici paſſim vocantur *Converſi,* & itá nuncupantur á *S. Thoma* in Sup. 3. p. q. 40. art. 1. ad 2.

“ Dominationes Veſtras, quatenús de hac veſtra generoſa Magnificentia nihil remittant, nunc vel maximé dúm ijdem noſtri Religioſi fermè bis Exules, mutatô veteri Domiciliô, novum ſibi adaptare moliuntur, Animô utique majori quàm Viribus, quod quidem Provinciali ac Priori ipſorum indulſi, ſalvis, ac invariatis primæ Fundationis Legibus (nec aliud ipſi voluerunt) nempé quod Locus ſolo divino Cultui, & ſcholaſticis dicatus Exercitijs, itâ noſtrorum Hybernorum ſit Receptaculum proprium, ut commune eſſe non diſinat univerſæ Hybernicæ Nationi, nullô ſibi unquâm Gentilitiarum Provinciarum Diſcrimine admiſſô, vel admittendô, prout latiús idem P. Provincialis (*u*) exponet corâm, neque aliud ſeù Mihi, ſeù illi in Mentem venit, quidquid ſortaſſe pauculis inquietioris Genij libuit ſuſpicioſè conjecturare, aut etiam liberiús effutire (*w*). Itáque dúm in hac locali Tranſmigratione nihil priſtini Collegij, aut Fundationis mutatur præter unicam Superficiem Loci, ſecurus confido antiquam inclytæ Univerſitatis ergâ meos Hibernos Beneficentiam, ac Tutelam, itâ migrantibus fore individuam Comitem, ut in ſuo Gradu, & Conſtantia experiamur immotam. Sentiant, obſecro, ſupradicti Provincialis & Prior (quos hìc novi Operi intentos enixè Veſtris Magnificentijs commendo) jam olim propitiam Univerſitatis Manum, non tùm Locum elegiſſe, cui benefaceret, quâm Perſonas, & has quidem omni Commiſeratione, Præſidiô, Subſidiô dignas, utpotè notoriè egenas, pro Fide extorres, ſubque Sanctorum Auguſtini & Thomæ Magiſterio, Religioni propagandæ militantes. Omitto pro talibus (nempè Martyrij Candidatis) rogare prolixiús ne injurius ſim Veſtrarum Dominationum Pietati, quam ut Deus cumulatiſſimé hìc & in Æternitate remuneret, Ego cum ijs precari non deſiſtam. Romæ Die 26 Auguſti 1656.

“ Veſtris Magnificis & Eximijs Dominationibus

“ Ad omnia paratiſſimus,

“ Fr. Joannes Baptista de Marinis,

“ Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum.”

LXII. Ordine chronologico (quoad Cænobium hoc *S. Crucis*) iſtis Magiſtri Ordinis Literis commendatitijs ſubnectere placet Literas teſtimoniales Archiepiſcopi *Mechlinienſis* (quas vidi in Archivo ejuſdem Conventûs *S. Crucis*) de quibuſdam Reliquijs Fidem facientes, Tenoris ſequentis.

“ Andreas Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus Mechlinienſis, &c. Omnibus has Literas viſuris Salutem in Domino ſempiternam.

“ Notum facimus, Nos, plenâ Informatione præhabitâ de Veritate contentorum in Literis Illmi & Rmi Domini Epiſcopi Jopponenſis (*x*), quibus præſentes noſtræ transfiguntur; prævióque maturô Examine, ac ſervatis ijs, quæ juxtâ Formam â Concilio Tridentino præſcriptam, ſervanda ſunt, recognoviſſe, & approbaſſe Quatuor Particulas de Ligno Sanctæ Crucis Domini noſtri JESU CHRISTI in Cruce argentea, clauſa, & ſigillata, á Nobis reconditas. Item Os Tibiæ Coxendicis, & Radium Brachij ſiniſtri verſûs Homoplatam de Societate S. Urſulæ Undecim Millium Virginum atque Martyrum,

---

(*u*) Nempè P. Magiſter *Gulielmus de Burgo*, Senior, de quo datâ Operâ in *Hibernia Dominicana*, Pag. 524.

(*w*) Præclariſſimus Magiſter Generalis Ordinis Calamum acuit contrà Alternativam quatuor *Hiberniæ* Nationum, & quidem ſibi conſtans. Enimveró duobus anteâ Menſibus, nimirùm Die 4 Junij ejuſdem Anni 1656, Decretum edidit nervoſum in Comitijs Generalibus, quod legere eſt in eorundem Actis, *Romæ* impreſſis prælibatô Annô 1656, Tenoris ſequentis: *Porrò & tunc & modò, in omnibus Electionibus, Functionibus, Officiorum Proviſionibus, Aſſignationibus, & cujuſcunque demùm Nominis ſeù Promotionibus, ſeù Deputationibus, nec palàm, nec privatim, ullam Rationem, ſeù Reſpectum haberi volumus Diverſitatis quatuor Regionum, ſeù Nationum,* Hiberniæ, *ſed ſemper, & ubique ex toto Genere indiſcriminatim, ac promiſcuè admittantur, eligantur, aſſumantur, &c, magis idonei, itâ ut omnis Diviſio, & prona Factionum Occaſio proſcribatur. Quicumque verò ex quadrifico Regionum* Hibernicarum *Titulo, aut quovis alio Nomine, Jus aliquod Alternativæ, vel circularis Succeſſionis inter Nationales aut prætenderint, aut quoquomodò per ſe, vel per alios, directè, vel indirectè, uſpiàm invehere, procurare, admittere tentaverint, ipſô Factô in Pænam ſint, ac declarentur, perpetuò inhabiles ad quemumque Gradum, vel Officium, in Ordine tenendum, vel aſſequendum.* Hac de Re plura alia videre eſt in *Hibernia Dominicana* varijs in Locis, quæ facilè perquiri poterunt, habitâ attentione ad Indicem Alphabeticum Verbo *Alternativa*.

(*x*) *In Partibus*, ut vocant, ſub Patriarcha *Jeroſolymitano*.

“ rum, ex Typſanothecis Eccleſiæ Fratrum Prædicatorum Conventûs Colonienſis, de Licentia Superio-
“ rum deſumpta, & Reverendo Patri Fr. Gulielmo de Burgo, Magiſtro Provinciali Hyberniæ, ejuſdem
“ Ordinis Prædicatorum, Lovanij reſidenti donata, ac Sigillô noſtrô Archiepiſcopali in Tribus Locis
“ obſignata, eaque omnia, & ſingula, ut veras, & indubitatas Reliquias publicæ Chriſtifidelium Vene-
“ rationi exponendas decreviſſe, prout Tenore præſentium Auctoritate noſtrâ ordinariâ decernimus.
“ Concedentes omnibus, & ſingulis, prædictas Reliquias devotè viſitantibus, & apud eaſdem in Spiritu
“ Humilitatis Preces fundentibus, ac pro Sanctæ Matris Eccleſiæ Exaltatione, Principum Chriſtianorum
“ Concordia, Hæreſeon Extirpatione, & Malorum Patriæ imminentium, in Feſto S. Urſulæ, & So-
“ ciarum, ante Reliquas de Societate ejuſdem Sanctæ, in hoc Inſtrumento reſpectivè declaratas, Quadra-
“ ginta Dierum Indulgentias in Forma Eccleſiæ conſueta. In quorum Fidem præſentes Chirographô
“ & Sigillô noſtris communitas, dedimus Bruxellis Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quinquageſimo
“ Octavo, Menſis Octobris Die Decimâ Octavâ.”

Locus ✠ Sigilli. “ ANDREAS ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS.”

LXIII. Pag. 447. Lin. 29, lege, & adde in hunc Modum.—Nihil ſivè quoad Cænobium hoc (*Lovanienſe*) ſivè quoad Provinciam *Hiberniæ*, à Patribus Conventûs illius, etſi rogatis, recipere potui.

Ibi tamem perſonaliter verſans ut nuper ajebam A. D. 1769, præter hucuſque à Num. LVI hujus *Supplementi* adducta (& quod videbis Num. CXIX.) Sequentia quoque ibidem inveni, in Archivo nimirùm ejuſdem Conventùs S. *Crucis*, quæ hic Loci de Verbo ad Verbum exſcribo:

“MEMORANDUM.

“ Nona Septembris, quæ in Dominicam incidit, A. D. 1668, Illmus Fernenſis Epiſcopus *(y)* de
“ Licentia Vicarij Generalis, & Capituli Mechlinienſis, conſecravit ſolemni Ritu Eccleſiam noſtram, &
“ tria Altaria in Honorem S. Crucis, Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & S. Dominici Patris Noſtri, & SS.
“ Undecim Millium Virginum & Martyrum, ut in Charta membranea, incluſa in Sepulchro Reliquia-
“ rum ſub quolibet Altari habetur in ſequenti Forma.”

MDCLXVIII. *Die nonâ Menſis Septembris Ego Nicolaus Epiſcopus Fernenſis conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in Honorem S. Crucis, & Reliquas SS. Martyrum Cyrilli, Victoris, & Undecim Millium Virginum in eo incluſi; ſingulis Chriſtifidelibus hodiè unum Annum, & in Die Anniverſario Conſecrationis hujuſmodi ipſam viſitantibus Quadraginta Dies de vera Indulgentia in Forma Eccleſiæ conſueta conceſſi.*

Nicolaus Fernensis.

“ In Altari B. Virginis dicitur ſic:

Ego Nicolaus Epiſcopus Fernenſis conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in Honorem B. Virginis Mariæ, & incluſi in eo Reliquias SS. Martyrum Cyrilli, Victoris, &c.

“ In Altari S. Dominici ſic dicitur:

Ego Nicolaus Epiſcopus Fernenſis conſecravi Eccleſiam, & Altare hoc in Honorem S. Dominici, & incluſi in eo Reliquas SS. Martyrum Cyrilli, Victoris, &c.

“ Hæc Conſecratio (ſicut & Benedictio Eccleſiæ 19 Februarij proximé elapſi) facta fuit Tempore
“ Prioratûs R. P. Fr. *Dominici O-Kelly*, Roſcomanienſis, qui hæc ſcripſit *(z)*. Requieſcat in Pace.”

LXIV. Inveni ulteriùs in Libro Scholæ hujus Studij Generalis *S. Crucis* ſequentia Verba:
“ Nota, quód A. D. 1698, ob Penuriam Annonæ in hac Regione diſſolutum fuerit Studium Ma-
“ joris Conventûs Lovanij (*in Provincia Germaniæ Inferioris*) de Mandato ſui Patris Provincialis,
“ hincque Juvenes, & Studentes Menſe Decembri ad ſuos nativos Conventus dimiſſi ſunt. Nobis
“ tamen ſic Deus benedixit illo Anno, quod Studia floruerint, & infrà ſequentem Octavam S. Tho-
“ mæ Aquinatis fuerint apud Nos quatuor Diſputationes publicæ.”

LXV. Inveni

(y) *Nicolaus* nempè *French*, de quo identidem fit Sermo in *Hibernia Dominicana*, ut ex ejuſdem *Indice Alphabetico* liquet. Epitaphium ipſius legere eſt Cap. XIII. Num. LXVII. Lit. n. Pag. 490. De eo redibit Sermo in hoc *Supplemento* Num. CXIV, & CXV.

(z) Hujus Nomen ſubſcriptum videre poteris in *Hibernia Dominicana*, Cap. XII. § III. Num. XV. Pag. 447.

LXV. Inveni præterea in Archivo hujus Conventûs *S. Crucis* Exemplar Literarum teſtimonialium, & commendatitiarum Almæ Univerſitatis *Lovanienſis*, Luce ſplendidiorum, Tenoris ut ſequitur:

“ Nos Rector & Univerſitas Studij Generalis Oppidi Lovanienſis Fidem facimus, & atteſtamur, quod Patres Dominicani Hiberni in Oppido Lovanienſi Ordinis ſui Collegium, ſeù Conventum, habeant, in quo Religioſi ejuſdem Gentis, & Ordinis, Pietati, & bonis Literis ſtrenuè incumbunt, cum in Finem, ut, bené ſolideque eruditi, Religionem Catholicam Romanam prædicent, ac tueantur. Quod quidem Propoſitum, & Inſtitutum, ut per ſe valdé pium, & ſanctum, & Eccleſiæ multùm utile eſt, ita quoque dignum omni Favore, atque Subſidiô. Quamobrem dictorum Reverendorum Patrum Nomine enixè rogamus omnes Chriſtifideles, haſce viſuros, & præcipuè Sereniſſimos, Illuſtriſſimos, Ampliſſimos, Reverendiſſimos, Reverendos Admodùm Dominos, Principes, Archiepiſconos, Epiſcopos, Abbates, & Eccleſiæ Ordinarios, ut præfatis Religioſis, propter Fidem orthodoxam propriâ Patriâ extorribus, & nullibi in Belgio habentibus ubi collegialiter degere queant, præterquam in hac Univerſitate, ubi propter Belli Calamitates, & numeroſam Exulum Confratrum Multitudinem, eò indies ex Hybernia confluentem, ſubſiſtere, & Studia proſequi non poſſunt) dignentur Eleemoſynas impertiri, cum Facultate eaſdem colligendi ab omnibus Chriſtifidelibus ſibi ſubjectis. In quorum Fidem Firmitatemque juſſimus haſce per Notarium noſtrum ſignari, & Sigillô noſtrô ordinariô muniri. Lovanij Die 31 Julij 1710.” (*A*)

LXVI. Tandem deprehendi tria ſequentia Epitaphia in Lapidibus Sepulchralibus iſtius Eccleſiæ *S. Crucis*, poſtquam, ut obiter dicam, Octodecim in ea ſolemni Ritu ordinaveram quà Sacerdotes, quà Diaconos, quà Subdiaconos & Minoriſtas, Die nimirùm 2 Julij, quæ in Dominicam incidit, A. D. 1769, de ſpeciali, & expreſſa Licentia Excellentiſſimi, & Reverendiſſimi D. *Joannis-Henrici* Comitis à *Franckenberg*, Archiepiſcopi *Mechlinienſis*, & *Belgij* Primatis, quem Honoris Gratiâ nomino.

D. O. M.
Hic jacet
Illmus D. D. Carolus O-Brien
Ex ſtirpe Regum Hiberniæ,
Par, Comes de Clare, & Maigh-airty, &c.
Campi Mariſchallus,
Legionis Hibernicæ Colonellus,
Qui plurimis heroicis
Pro Deo, Rege, & Patria
Peractis Facinoribus,
In Prælio Ramilienſi
XXIII Maij MDCCVI vulnêratus,
Triduô poſt Bruxellis obijt,
Ætatis ſuæ XXXVI.
R. I. P.
Poſuit pia ejus Conjux
Illma Dom. Carola Bulkeley.

D. O. M.
Hic, ubi voluit, jacet,
Prænobilis Dominus
D. Joannes O-Carroll,
Major Hibernicæ Legionis
De Clare,
Vulneratus in Ramilie
XXIII Maij MDCCVI.
Obijt Lovanij XXVI ejuſdem.
R. I. P.

D O M

(*A*) *Aliam præclaram laudatæ Univerſitatis Epiſtolam videre eſt in* Hibernia Dominicana *Pag.* 432

D O M.
Hic jacet
Illmus D. D. Daniel O-Connor Sligoe,
In Exercitu Auſtriaco LôcumTenens Generalis,
Et antiquiſſimæ apud Hibernos Gentis Caput,
Qui mox apud ſuos Centurio ſub Jacobo II,
In Gallijs ſub Ludovico XIV,
Dein ſub Leopoldo Lotharingiæ Duce,
Ac demùm ſub invicta Auſtriâ, eorum Aquilâ
Annis XLVIII
Stipendia emeritus,
Fide ubique, & Virtute patriâ
Suô apud omnes Deſideriô relictô,
Deceſſit planè, ut vixerat,
Chriſtiani Militis Exemplum.
Obijt Bruxellis VII Februarij MDCCLVI.
Ætatis XCII.
R. I. P.

LXVI. Pag. 451. Lin. 4. ubi agitur de *Bethlehemitano* Monaſterio *B. Mariæ* Virginis *Boni Succeſſûs,* propè *Liſbonam,* Moniliaum *Hibernarum,* adde.

Lucas de S. Catharina, Chronologiſta Ordinis Prædicatorum pro Provincia *Portugalliæ,* atque Academiæ Regiæ Academicus, in Hiſtoria memoratæ Provinciæ editâ *Liſbonæ Occidentalis* A. D. 1733. Part IV. Lib. IV. Cap. XIX hoc exhibet Diploma regium (*Joannis* IV) Verbis *Luſitanicis* conceptum.

“ Eu el Rey faço ſaber aos que eſte alvará virem, que por quanto Fr. Domingos de Roſario, da
“ Ordem de S. Domingos, Qualificador de Santo Officio de Inquiçaò, Commiſſario General da Miſſaò
“ de Irlanda, Me repreſentou, que he tanta a Perſequiçaó, qua padece o dito Reyno de muitos Annos a
“ eſta Parte por Razoó de noſſa Santa Fè Catholica, ſem por iſſo haver afrouxado hum ponto nella,
“ que em Nome do dito Regno, recorria a Mim Protector della, para que foſſe ſervido de aſſentar, e
“ favorecer os Catholicos da quelle Reyno, no que houver Lugar pedindome que por quanto naò
“ ſe lhe permette, que nelle haja Convento algun, por cuja Cauſa padecem muita Neceſſidade, e Deſ-
“ commodidade as Peſſoas Nobres, que naó tem Dote, nem Poſſibilidade para caſar ſuas Filhas, com
“ que ficaò toda a Vida ſem eſtado, lhe faça merce dar Licença par que na Cidade de Liſboa, ou ſou
“ Termo, poſſa fondar hum Moſteiro de Freiras da meſma Ordem de S. Domingos, pois he taó grande
“ Serviço de Deos, e Conſolaáo de quellaChriſtandada, concedendos lhe, que poſſaò ace tar quaeſquer
“ Doaçoens, e Eſmolas, que ſe lhe derem para a dita Fundaçaò. E tendo en Conſidederaçaò ao Fim re-
“ ferido, e por autros juſtos Reſpeitos, hey por bem, e me praz conceder Licença, ao dito Fr.
“ Domingos do Roſario, para fumdar hum Convento de Irlandezes na Cidade de Liſboa, ou ſou
“ Termo, no qual podera haver Numero de Cincoenta Religioſas, a ter de Renda atè, Cino Mil Cru-
“ zados, em juros, ou pelo menos, ametade e o mais em Bems de Raiz; e da Permiſſaó deſta Fundaçaò ſe
“ pagou de mea Annata ſeis Ducados, e pelo que mais tocar a mea Annata, da Renda, e Calidade della,
“ ſe deu Fiança de pagar o que ſe dever; pelo que mando a todos, e queſquer Miniſtros, Officiaes, e Peſ-
“ ſoas de qualquer Calidad, Eſtado, ou Condiçaò que ſejaò, a que o Conhacimento deſta pertencer, que
“ a cumpraò, e guardem, e façao cumprir, e guardar, como nella ſe contem, ſem Embargo de quaeſquer
“ Leys, que em contrario haja, que todas por eſta Vez hey por expreſſas, e derrogadas, ainda que ſe
“ jaò de Calidade, que dellas ſe deve fazer expreſſa Mençaò; e valera, poſto, que eu Effeito haja ſe durar
“ mais de hum Anno, ſem Embargo da Ordenaçô do Livro ſegundo, Titulo 40.
“ *Martin de Figuieredo Sarmento a fez em Madrid, aos 21 Dias do Mez de Março de 1639*
“ *Annos.*

“ *Diogos Soarez a fez eſcrever.*”

R E Y.”

In Gratiam Lectoris luſitanicè haud perriti ſuprà adductum Diploma Regium latinè ſic reddo:

“ EGO *Rex notum facio omnibus, ad quos præſens Diploma pervenerit, qualiter pro Parte Fr. Dominici de Roſario* (a), *Ordinis S. Dominici, Qualificatoris Inquiſitionis S. Officij, Commiſſarij Generalis Miſſionis Hiberniæ, Mihi expoſitum fuit, quod ob Perſecutionem, quam tantoperè paſſum eſt memoratum Regnum Cauſâ noſtræ Sanctæ Fidei Catholicæ, à qua tamen nullatenùs receſſit, Nomine ejuſdem Regni ad Me, veluti laudatæ Fidei Protectorem, recurrit, ut Catholicos iſtius Regni exaudire, eiſque favere dignarer. Supplicat porrò, ut quandoquidem eo in Regno non ſit Monaſterium ullum, quod in notabile vergit Damnum Fæminarum nobilium, quæ ob Defectum Dotis Nuptias inire nequeunt, manentque toto ſuæ Vitæ Tempore ſine Proviſione ulla, idcircò Facultatem concedam fundandi Monaſterium Monialium S. Dominici in Civitate Liſbonæ, aut in Finibus ejus, ad conſolandum Populum iſtum orthodoxum, dando illis Licentiam acceptandi quaſcunque Donationes, aut Eleemoſynas, eis exhibendas pro memorata Fundatione. Igitur ob recenſitum Finem, alijſque juſtis de Cauſis, Mihi æquum & placitum eſt Facultatem concedere præfato Fr. Dominico de Roſario fundandi Monaſterium Hibernarum in Civitate Liſbonæ, aut in Finibus ejus, ubi poterit eſſe Numerus Quinquaginta Monialium, Redditus habentium uſque ad Summam Quinque Millia Annua Cruzadorum* (b) *in Cenſu, aut ad minùs quoad Medietatem in Cenſu, & alteram Medietatem in Fundo Quàpropter mandamus univerſis, & ſingulis Miniſtris, Officialibus, & Perſonis cujuſcunque ſint Statûs, Gradûs, vel Conditionis, quorum hujuſmodi Notitia intereſt, ut adimpleant & exqeuantur, aut adimplere, & exequi faciant, quæ in hoc præſcribuntur Diplomate. Non obſtantibus quibuſcunque in contrarium Legibus, quas omnes pro expreſſis & derogatis hac Vice habeo, etiamſi talis eſſent Vigoris, ut de illarum Tenore expreſſa & ſpecifica Mentio fieri deberet. Præſentibus omninò valituris, dummodò per Annum & ultrà habuerint Effectum, haud obſtante Ordinatione Libri Secundi Titulo* 40.

Actum per Martinum de Figuiredo Sarmento -
Matriti Die 21 Menſis Martij Anno 1639.
Scriptum per Didacum Soarez.

REX.

LXVIII. Pag. 452. Lin. 3. ſubjunge ſequentia:

“ NEQUE addidiſſe pigebit Verba laudati *Lucæ de S. Catharina*, Part IV. Lib. IV. Cap. XXI, ex Idiomate *luſitanico* in hunc Modum *latinum*: Dùm Comitiſſa *de Atalaya* deliberaret de fundando hoc Monaſterio, ad ipſius Ædes delata fuit Imago Beatiſſimæ Virginis, tanquàm de Cælo ab Angelo ſub Specie Peregrini, quam donavit novæ Eccleſiæ ſub Nomine Beatæ Mariæ *Boni Succeſſûs*, eamque videre eſt in Altari majori.” Eam porrò ipſe vidi A. D. 1770.

TANDEM poſt diuturnam Deliberationem determinatum fuit pro Monaſterij novi Conſtructione Oppidum *Belem* (*c*), quo in Oppido olim à Rege *Emmanuele* (qui regnavit ab Anno 1497 ad 1523) erectum fuerat Cænobium Monachorum *S. Hieronymi*. Noſtrum porrò Monaſterium fundavit laudata Domina *Jria de Brito*, Comitiſſa *de Atalaya*, Filia Domini *Joannis de Brito*, & Dominæ *Antoniæ de Ataida*, nobiliſſimorum Conjugum, ut ibidem oſtendit prælibatus *Lucas de S. Catharina*, qui inſuper refert, quod cum eſſet Quatuordecim duntaxàt Annorum, unica evaſit Familiæ ſuæ Hæres per Obitum Fratrum ſuorum *Chriſtophori*, & *Lopi*, quorum prior in *Africa* cum

---

(*a*) De egregio hoc Viro (primitùs *Daniele O-Daly*,) quà Fundatore tàm hujus Monaſterij *Boni Succeſſûs*, quàm Collegij *Corporis Sancti*; & quá Epiſcopo *Conimbricenſi* Electo; necnon quá Scriptore, creba fit Mentio in *Hibernia Dominicana*. Ejus Epitaphium legere eſt Cap. XII. §. II. Num. V. Pag. 421. Datâ Operâ verò de ipſo agitur Cap. XIII Num. LXIX. á Pag. 492.

(*b*) *Cruzadum* eſt medium Scutum *Romanum*, ſivè octava Pars unius Libræ *Sterlingæ*.

(*c*) *Belem*, latinè *Bethlehem*, Arx eſt, cum contiguo Oppido, *Liſbonâ* tribus diſtans Milliarijs Occaſum verſûs, ſita ad Ripam ſeptentrionalem magni & nominatiſſimi Fluminis *Tagi*, quod, ut obiter dicam, de Montibus *Molinæ* ad *Arragoniæ* Fines ortum, Curſum facit per *Caſtellam novam*, & *Extremaduram* (Provinciam *Hiſpaniæ*,) interfluens *Aranjuezum*, *Toletum*, & *Alcantaram*; dein per *Portugalliam*, alluitque ſubindè tàm *Liſbonenſem* Metropolim memoratam, quàm *Bethlehemiticum* hoc Caſtrum, ac tandem poſt Quindecim abhinc Milliaria in *Athlanticum* Oceanum ſe exonerat. Immò Arx ipſa prælibata, ut vidi, accedente & recedente Rheumate, bis quotidie, inſtar Inſulæ, Fluminis circumvolvitur Undis, & bis renudato Littore contigna Terræ cernitur. De *Ulyſſipone* autem, ſeù *Liſbonâ*, nonnihil dicebam præs. Cap. XII. §. II. Num. I. Lit. a. Pag. 415.

cum Rege *Sebaſtiano*, alter verò in Prælio de *Alcantara* propè *Liſbonam* cum Principe *Antonio*, occiſi ſunt. Ipſamet autem Hæres, Domina *Iria de Brito*, nupſit Domino *Jacobo Forjaz Pereira*, Comiti de *Feira*; atque, brevi Tempore Vidua, ad ſecundas tranſivit Nuptias cum Domino *Franciſco Manoel*, qui primus fuit Comes de *Atalaya*. Utrique Conjugi peperit Filium, ſed antè Pupertatis Annos denatum. Idcircò ſub Finem Vitæ Bona ſua, tàm realia, quàm perſonalia, reliquit Filiabus *S. Dominici*, Quibus Monaſterium ſundavit 12 Novembris 1639, tranſivitque ad meliorem, ut ſperatur, Vitam, Præmium receptura, 26 Januarij 1640. Hæc *Lucas de S. Catharina*.

LXIX. Cæterùm juxtà Aram Principem ad Partem Evangelij, adeſt in Muro Epitaphium ejus, cujus Verba luſitanica, prout jacent, quâ potui Accuratione exſcripſi A. D. 1770.

Aqui deſcançaò os Oſſos de Dona Jria de Brito
Condeſſa, que foy da Feira, e Viuva, ſegunda Vez
Do primeiro Conde de Atalaya, Don Franciſco Manoel,
De cada Conde deſtes, lhe levon De os hum Filho, e
Em ſu Lugar lhe deu toda a Nobreza de Reyno de
Irlanda por Filhas; para ellas fundou èſte Convento
E deu ſua Fazenda com larga Maò. Nomeou N.
Senhora do Bom Succeſſo por Padroeira; em 13
De Novembro de 1639. Se diſſe a primeira
Miſſa e em 26 de Janeiro do Anno de 1640
A levon de os com todos os Sacramentos a gozar
Os Premios de ſua Devoçao.
Pater Noſter.

Ad Latus Epiſtolæ juxtà eandem Aram majorem in Muro legere eſt hocce Epitaphium è Regione alterius, mox exſcripti.

A qui neſta dura Pedra deſcancaò os Oſſos de Don
Nuno Manoel, de treize Annos, unico Filho dos
Primeiros Condes de Atalaya D. Fanciſco Manoel,
E D. Iria de Brito, ſua Eſperaza de Poſteridade,
E mas amado por ſuas Partes, que pela Succeſſaò,
Que delle eſparavaò, de que â Morte os defenganon.
No Anno de 1599.
Pater Noſter.

LXX. Menſe Novembri 1640 (inquit *Lucas de S. Catharina*) ingreſſæ ſunt Monaſterium duæ primæ *Hibernæ*, & quidem (ait) præclaræ Nobilitatis, nimirùm *D. Eleonora de Burgo* (d), quæ appellata fuit Soror *Catharina de Roſario*, & *D. Urſula de Burgo*, quæ nuncupata fuit Soror *Urſula Baptiſta*.

Anno autem 1645 (proſequitur memoratus *Lucas*) indeterminatâ Die jacta fuit prima Eccleſiæ Petra â pridem nominato Adm. Rev. P. Magiſtro Fr. *Dominico de Roſario*, Viceſgerente in hac Parte Illuſtriſſimi Epiſcopi *Targæ* in Partibus (*E*) ad Cæremoniam hanc peragendam expreſſè invitati, ſed tunc Temporis legitimè impediti. Qua in Petra hæ ſcalptæ ſunt Literæ initiales S. M. M. S. P. N. Id eſt: *Stella Maria Maris, ſuccurre pijſſima Nobis.*

Sane Eccleſia rotunda eſt, et pulchra valdè, ſex complectens Aras ex nobile Materia multaque Arte eleganter planè eleboratas, ut ipſe vidi ſæpè dicto Anno 1770.

(*d*) Datâ Operâ de iſta Sermonem habuimus Sanctimoniali in *Hibernia Dominicana* Cap. XVI. Num. XX. Pag. 365.

(*E*) D. *Fanciſci de Sottomajor*, poſtmodùm Epiſcopi *Lamegi*, in Provincia *Bracarenſi*, cujus meminit *Hibernia Dominicana* Cap. XII. §. II. Num. IV. Pag. 420.

LXXI. Pag. 476, poſt Lin. 5, adde——*Venerius Teſchenmacher* in Annalibus *Cliviæ* &c, loquens de Archiepiſcopatu *Colonienſi*, hæc habet: “ Tandem Archiepiſcopô Theodoricô Anno “ 1461 in Schiſmate remotô, Adolpho, Ducis Joannis Fratri, Archiepiſcopatus oblatus eſt; ſed “ cùm recuſaret, Joannes Corcagienſis, Ordinis Prædicatorum, eum adeptus eſt.”

Memoratum porrò Librum vidi Die 2 Junij 1769 in Cænobio *S. Pauli*, Fratrum Prædicatorum, apud *Brugas*, in *Flandria*, penès P. Magiſtrum Exprovincialem Fr. *Antoninum de Magiſtro*, vernaculè *de Maeſtre*, prælibati Conventûs Priorem, qui recenſita in eo Verba, quâ eſt Humanitate, mihi indicavit. Atque, ut obiter dicam, ab eodem tunc primùm maximâ cum Lætitiâ audivi (*Romam* proficiſcens ad viſitanda Sacra Apoſtolorum Limina) de Electione feliciter factâ 19 Maij Eminentiſſimi Domini Fr. *Laurentij Ganganelli* in Summum Pontificem (*Clementem* XIV) cui dudùm notiſſimus eram, dum Magiſter Regens eſſet Studiorum in Collegio *S. Bonaventuræ* apud *Sanctos Duodecim Apoſtolos* Urbis, ut nuper ajebam hoc in *Supplemento* Num. LV. Lit. t. Pag. 853.

LXXII. Pag. 478, ſub Finem, lege, & adde in hunc Modum—De *Oliverio* noſtro *Cantwell* (Epiſcopo *Oſſorienſi* Ordinis Prædicatorum, qui floruit Anno 1447) *Waræus* hæc habet: *In Reparatione Ædium Epiſcopalium tàm apud* Aghor, *quàm apud* Frenſton, *multum inſumpſit Pecuniæ. Pontem majorem* Kilkenniæ, Aquarum Inundatione fractum, reſtauravit.

Ceterum Die Dominicâ 2 Octobris 1763, Horâ quartâ promeridianâ, idem Pons, necnon Pons alter ejuſdem Civitatis, inopinatò everſi fuere per Aquarum Inundationem, poſt Hominum Memoriam maximam, ex copioſa, & haud interrupta Viginti Horarum Pluvia provenientem. Porrò tunc Temporis in Ponte majori, qui Eccleſiæ Cathedrali propinquior eſt & Epiſcopio, nullus Dei Providentiâ aderat; verùm altero in Ponte, *S. Joannis* nuncupato, Quatuordecim, quà Viri quà Fæminæ, ad intuendam pluſquàm formidabilem Fluminis *Neori* Exuberantiam manſerant, qui ſubindè omnes rapidiſſimis Undis illicò abſorpti ſunt. Pauciſſimis autem anteà Minutis in eo ultra Centum ſteterant, aſpicientes nempè memorati Amnis Tumorem pariter & Furorem, ſed, Deô ſic diſponente, deſcenderunt turmatim ad Cratonem, ut quoddam viderent Tugurium rurale, Vi redundantis Fluvij abreptum, ac ſuper aquas Curſu natans velociſſimô. Exindè per duos integros Dies interrupta fuit Communicatio omnis inter binam Urbis Partem, haud valentibus Cymbis Flumen trajicere, immò Plateæ & Vici Civitatis affluebant Aquis uſque ad undecim Pedes Altitudinis quibuſdam in Locis, in alijs ultrà quindecim, ità ut nedum inferiores Domorum quàm plurium Manſiones, ſed & ſuperiores haud paucarum Aquis, per Portas & Feneſtras ingreſſis, eſſent repletæ, cum notabili Incolarum Detrimento, non præſenti duntaxàt ſed & ſubſecutô, ut mærens, & lugens videbam. Actutùm verò Excellentiſſimus *Hiberniæ* Prorex, Dominus ſcilicet *Hugo Smithſon-Percy*, Comes (nunc Dux) *Northumbriæ*, pro Comitijs biennalibus Regni *Dublinij* tunc conſtitutus, Pontes ligneos, ſuper Naviculas fluctuantes, humaniſſimè fieri fecit pro interim, donec nimirùm Pontes lapidei fabricarentur, prout reapſè antè tres Annos, Sumptibus Regni, ex Ærario ſcilicet regio, eleganti Structurâ ex nigro Marmore (quô abundat *Kilkennia*) perpolitô, ambo Pontes affabrè excitati ſunt, & quidem Munificentiâ Rege, & Prorege dignâ.

LXXIII. Pag. 479, poſt Lin. 13, adde in hunc Modum.—Planè hùc facit Epiſtola Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Fr. *Joſephi-Aloyſij de Andujar*, Ordinis Prædicatorum, Magni Nominis Viri, Acumine Ingenij, profundâ Doctrinâ, & reconditâ Eruditione, nec minori Pietate conſpicui, quem *Romæ* novi Theologum *Benedicti* noſtri XIII, dein, poſt hujus Deceſſum, Inquiſitorem *Bononienſem*, ſubindè verò Epiſcopum *Bobienſem*, in Provincia *Genuenſi* Anno 1737, tandemque ab Anno 1743 Epiſcopum *Dertonenſem* (vulgo *Tortona*) in Provincia *Mediolanenſi* (*e*), qui ab

alio

(*e*) De clariſſimo iſto Præſule Reverendiſſimus noſter *Bremond* Tom. VII. Pag. 534 *Bullarij Ordinis Prædicatorum.* Typis impreſſi Anno 1740, hæc habet: “ Fr. Joſephus-Aloyſius ſeù Ludovicus de “ Andujar, Alumnus Comenſis Cænobij S. Joannis, “ Provinciæ Lombardiæ, Epiſcopus Bobienſis, *Bobbio*, in Ducatu Mediolanenſi, ſub Archiepiſcopo “ Genuenſi. Illuſtriſſimum Præſulem novi, & exi-

“ mias

alio Epiſcopo Regulari italicé conſultus, an uti deberet Breviariô & Miſſali *Romanis*, an verò proprijs ſui Ordinis, ſine ſpeciali Summi Pontificis Licentia? Reſpondit eodem in Idiomate in hunc modum, Epiſtolâ ſcilicet, quam præ manibus teneo, latinè ſic redditâ;

" ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE.

" LITERAS gratulanter recepi Dominationis Veſtræ Illmæ & Rmæ, quibus quærit an neceſſaria ſit Diſpenſatio Apoſtolica, ut Epiſcopus Regularis *privatim* Miſſam celebret, *privatim*que Officium recitet divinum juxtà Ritum ſui Ordinis?

" PORRO Vice Reſponſi mei ad Dubium hoc, Reſponſum potiùs refero, quod San. Mem. *Benedictus.* Papa XIII, Sacrorum Rituum inſignis nedùm Servator & Cuſtos, ſed & Inſtaurator (*F*), jugiter dabat Neo Epiſcopo Regulari, recenſitam petenti Facultatem, nempè: EXTRA PETIS QUOD INTUS HABES. *Nedum* (addebat Summus Pontifex laudatus) *poteris tuum ſervare Ritum, ſed ad id teneris, Quippè* (ſubjungebat) *Regularis factus Epiſcopus tenetur ad omnia, quæ præſcripta ſunt in ſua Regula, niſi tamen obſint Muneri Epiſcopali. Hìnc tenetur portare Habitum ſuæ Religionis quoad Colorem, licèt diverſimode aliquantulùm formatum, teneturque Religionis ſuæ Tonſuram deferre. Hincque tametſi celebrans in Pontificalibus, & Horas recitans canonicas in Choro Eccleſiæ ſuæ, Ritum teneatur ſervare ſui Capituli, nihilominùs Miſſam legens privatim recitanſque privatim Horas, Ritum ſui Ordinis ſervare tenetur, taliter quod ſi ſuus recitat cum ipſo Capellanus, hic, Sacerdos quantumvis Sæcularis, Obligationi legendi Horas canonicas ſatisfacit.*

" HOC, ut ajebam, ipſiſſimum eſt Reſponſum plenum, quod San. Mem. *Benedictus* XIII conſtanter dabat Epiſcopis Regularibus, quibus ut Exemplum præberet, quamquàm quà Summus Pontifex non teneretur nec ad Habitum Ordinis, neque ad Officium, nec Miſſam Dominicanam, ſemper tamen Officium legebat juxtà Ritum Dominicanum, ſicut & Miſſam *privatam*, nedùm in Capella ſua, ſed etiam in Eccleſijs publicis, immò cum Solemnitate publica, ſignanter in ipſiſmet Seſſionibus Concilij *Romani*, in Baſilica Lateranenſi celebrati Anno Jubilæi 1725.

" EGO inſuper à Magno illo Rubricarum Magiſtro inſtructus, ex quo indigné ſum Epiſcopus, Oraculum ipſius, & Exemplum hac in Re adamuſſim ſecutus ſum (*f*)

" OPTAREM ardentiſſimè Dominationi Veſtræ Illmæ & Rmæ quibuſcunque in Occaſionibus meum præſtare Obſequium..... Vale

" Devotiſſimus, & addictiſſimus Famulus.

" Dertonæ, 2 Novembris 1769.

" Fr. Joſephus Aloyſius Epiſcopus Dertonenſis."

LXXIII. Pag 503. in Medium adducitur Juramentum emittendum in Conſecratione D. Fr. *Stephani Mac Egan*, electi Epiſcopi *Clonmacnoiſenſis* Anno 1725, ubi Lin. 39 hac habentur Verba: *Apoſtolorum Limina ſingulis Qadriennijs perſonaliter per Meipſum viſitabo.....* Eò autem Loci ſequens apponenda eſt Nota.———Anno iſto 1725 in Scrinijs, & Codicibus Sacræ Congregationis latebat ejuſdem Idultum, Die 19 Maij 1631 Epiſcopis *Hiberniæ*, annuente *Urbano* Papa VIII, conceſſum, ut ſingulis *Decennijs* ſemel duntaxàt Viſitationem Sacrorum Liminum explere teneantur. Quod Indultum Luci tandem aliquandò reddidit Sanctiſſimus ac

---

" mias, quibus præſtat, Animi Dotes ſæpiús hoc in Opere, Occaſione datâ, deſcripſi. Peruſinus Epiſcopus deſignatus fuerat Anno MDCCXXX, Die XIV Februarij. Bononienſis deindè Quæſitor Fidei conſtitutus eſt Die XX Septembris MDCCXXX. Ac tandem Bobienſis Epiſcopus renunciatus Die VI Maij MDCCXXXVII, Romæ, in Eccleſiæ Minervitani Conventûs Sacellô, D. Thomæ Aquinati ſacrô, conſecratus eſt ab Eminentiſſimo S. R. E. Cardinale *Georgio Spinola*, cui affuerunt Illuſtriſſimi Præſules *Nicolaus-Zaverius Albini*, Archiepiſcopus Athenienſis, & *Nicolaus de Simoni*, Epiſcopus Marcianenſis."

(*F*) Hiſce de Rebus laudatus Summus Pontifex, Re & Nomine *Benedictus*, uberi Calamo viginti elaboravit præclara Opuſcula, Typis edita uno in Volumine magnæ Molis in quarto *Romæ* 1726, quod præ Manibus teneo.

(*f*) Cæterùm Epiſcopus, tametſi Regularis, privatìm celebrans Miſſam, Locô primi *Dominus Vobiſcum* (ſi Hymnus Angelicus, ſeù *Gloria in Excelſis*, lectus fuerit) dicit *Pax Vobis* juxtà *Pontificalis Romani* Præſcriptum, idque memorat *S. Thomas* 3. p q 83. art. 5. ad 6. Item in Fine Miſſæ etiam pricatæ (niſi ſit de *Requiem*) dare debet Benedictonem more Pontificali, ut docet mox laudatus *Benedictus* XIII. Opuſculo IX. §. XVII. Pag. 158.

ac juxtâ Doctiſſimus Pontifex *Benedictus* XIV in ſuo Tractatu *de Synodo Diæceſana* Lib. XIII. Cap. VI. Num. IV. notandiſſimis hiſce Verbis:——" Cùm in Sixtina Conſtitutione inter eos,
" qui ſingulis Decennijs ad Sacrorum Liminum Viſitationem adiguntur, non alij recenſeantur quam
" Epiſcopi Aſiatici, & in novis Terris orientalibus, meridionalibus, occidentalibus, & ſeptentrionalibus
" exiſtunt: Epiſcopi Hiberniæ olim poſtularunt, ut eorum Paupertatis Ratione habitâ,
" ipſis concederetur, ſingulis pariter Decennijs ſemel duntaxât eandem Viſitationem explere;
" quod ijs, ob allegatam Paupertatis Rationem, à Sacra Congregatione, annuente Pontifice, indultum
" fuit Die 10 Maij 1631, ut adnotatum reperitur *Lib.* 14. *Decretor. Pag.* 422. quantumvis
" de ijs nominatim ſtatutum fuiſſet, ut quartô quoque Annô ad id teneantur."——Impoſterùm igitur *Hiberniæ* Antiſtites, jam jam conſecrandi, in Forma Juramenti legere non debent Verba iſta: *Apoſtolorum Limina ſingulis Quadriennijs*, &c. ſed hæc: *Apoſtolorum Limina ſingulis Decennijs perſonaliter viſitabo* &c.

Septem poſt Annos ſequens emanavit a Sacra Congregatione *de Propaganda Fide* Decretum ad Inſtantiam & Relationem Eminentiſſimi *D. Joannis Baptiſtæ Pamphilij*, Preſbyteri Cardinalis Tituli *S. Euſebij*, Regni *Hiberniæ* (ut accepi) Protectoris, poſtmodùm *Innocentij* Papæ X, hujuſce Tenoris:

" *DECRETUM*

" *Sacræ Congregationis de Propaganda Fide*

" *Habitæ* 30 *Januarij* 1638.

" **Referente** Eminentiſſimô Cardinale Pamphiliô, Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit,
" concedendam eſſe Facultatem Archiepiſcopis, & Epiſcopis Hiberniæ, ut poſſint, ſine Scriptis, coram
" tamen duobus Teſtibus, proferre Sententiam Excommunicationis contra contumaces, & inobedientes,
" ſi Periculum ſit, ne ab eis apud Magiſtratus Sæculares accuſentur.

" **Eodem** Die Sanctiſſimus Dominus Noſter (*Urbanus* VIII) Decretum Sacræ Congregationis approbavit
" cum hac Conditione, ut prædicti Prælati Probationes contra Reos penès ſe retineant, & conſervent.

" ANTONIUS CARDINALIS BARBERINUS PRÆFECTUS (*G*).

" *Franciſcus Ingolus Secretarius.*"

Decretum iſtud exſcripſi ex copioſo Manuſcripto *D. Jacobi Phelan*, Epiſcopi *Oſſorienſis* (*g*), ſicut & quæ ſequuntur peracta regnante *Innocentio* Papa XI.

" **Quæritur**: An Caſu, quo Epiſcopus ab Hæreticis detineatur, non itâ tamen arctè cuſtoditus,
" ut ipſi ejuſque Diæceſanis facile non ſit, ſaltem per Literas, inter ſe agere, ejuſdem Epiſcopi Juriſdictio
" intelligatur ſuſpenſa, & ad Capitulum Eccleſiæ Cathedralis devoluta? (*h*).

" Die

(*G*) Cardinalis iſte, *Urbani* VIII ex Fratre Nepos, fuit (ut accepi) Protector Regni *Hiberniæ* poſtqâm *Joannes Baptiſta Cardinalis Pamphilius* evaſerat *Innocentius* Papa X, ut mox dictum eſt. Epiſcopus *Præneſtinus* obijt *Romæ* Anno 1671.

(*g*) De eo mox dicitur Num. ſeq.

(*h*) Ratio dubitandi erat, quia Cap. *Epiſcopus* Tit. *de ſupplenda Negligentia Prælatorum*, in Sexto, cautum eſt á *Bonifacio* Papa VIII, quod ſi Epiſcopus fiat captivus à Paganis, vel Schiſmaticis, non Archiepiſcopus, ſed Capitulum miniſtrare debebit, ac ſi Sedes per Obitum vacaret, donec Summus Pontifex, quamprimum conſultus provideat.

Pro plenori hujus Rei Intelligentia, placet ipſummet ſubjicere Caſum, qui iſtæ Decretali Cauſam dedit, ut refertur in *Corpore Juris*, Loco citato, ad Lit. o. *Epiſcopus Pictavienſis fuit captus à Paganis, & ſic fuit effectus eorum Servus; vel fuit captus à Schiſmaticis, id eſt, diviſis ab Unione Eccleſiæ, putà quià duo gerebant ſe pro Romano Pontifice. Quæritur, quis adminiſtrabit in Epiſcopatu Pictavienſi, utrùm Archiepiſcopus Burdegalenſis, vel Capitulum ipſius Eccleſiæ Pictavienſis? Reſpondet Romanus Pontifex, quod cum Epiſcopus ipſe captus ab Infidelibus, vel Schiſmaticis, cenſeatur mortuus, Capitulum adminiſtrabit, ac ſi eſſet mortuus naturaliter.*

« Die 7 Auguſti 1683,

« Sacra Congregatio Eminentiſſimorum S. R. E. Cardinalium, Concilij Tridentini Interpretum, re-
« ſpondit Juriſdictionem non eſſe ſuſpenſam.

« FERDINANDUS CARDINALIS COLUMNA PRÆFECTUS.

« *A Monitus S. Congregationis Secretarius.*"

QUÆSITUM, & Reſponſum hujuſmodi totidem Verbis recenſet, & expendit *Benedictus* Papa XIV Tract. *de Synodo Diæceſana*, Lib. XIII. Cap. XVI. Num. XI.

LXXV. Pag. 595. Lit. r. ubi obiter fit Sermo de Epiſcopis *Oſſorienſibus*, lege, & adde in hunc Modum.——Cæterùm *Colmano O-Shaghnuſſy* Ordinis Prædicatorum in *Oſſorienſi* præiverat Diæceſi *Patritius Shee*, huic autem *Malachias O-Delany* Ordinis Capuccinorum, huic autem *Gulielmus Daton*, alijs *Dalton (i)*, huic autem *Jacobus Phelan (k)*, atque huic *David Roth*, anteà Vicarius Generalis *Armacanus (l)*, huic verò *Thomas Strong*, & huic *Joannes O-Thonery*, huic *Milo Baron*, alias' *Fitz-Gerald* (*m*), latinè *Geraldinus*, *(n)* Ordinis Canonicorum Regularium, huic autem *Oliverius Cantwell*, Ordinis Prædicatorum, de quo datâ Operâ Sermonem facit Hibernia Dominicana *(o)*. Cæterùm *Oliverius* iſte *Cantwell* creatus Anno 1487, denatus Anno 1526, omneſque ejus Prædeceſſores fuere anté Religionem *Proteſtanticam*, proindeque videndi apud Equitem *Jacobum Waræum* in Commentario *de Præſulibus Hiberniæ*.

PORRO Additamentum hoc hiſtoricum accepi Anno 1770 in Palatio Apoſtolico *Quirinali* ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. *Joſepho Garampi*, Sanctiſſimi D. Noſtri *Clementis* XIV Prælato Domeſtico, & Secretario *Ciphræ*, necnon Archiviſtâ *Vaticanô*, nunquàm ſine Laude nominandô, qui mihi deſuper Schedam dare dignatus eſt, ex *Archivo Vaticano* exaratam, quam præ Manibus teneo.

IN qua quidem diſtincte ac præclarô Ordine refertur, in Conſiſtorio 29 Martij 1582, ſedente *Gregoriô* Papâ XIII, proponente verò *Nicalaô de Pelluno*, Cardinale *Senonenſi* (*p*,) Regni *Hiberniæ* Protectore, fuiſſe ad Eccleſiam *Oſſorienſem in Provincia Dublinienſi, â pluribus Annis vacantem per Obitum Joannis O-Thonery, in dicta Diæceſi defuncti, promotum Thomam Strong, Preſbyterum Waterfordienſem, Doctorem Theologum, in Curia Romanæ præſentem.* Atque ſub Finem Propoſitonis hæc leguntur Verba: *Emiſit Profeſſionem Fidei in Manibus meis. Petitur Expeditio gratis, attentâ Exiguitate Fructuum, & Quâlitate Perſonæ promovendæ More hibernico*——Item in Conſiſtorio Octobris 1618, ſedente *Paulo* V, Pontifice Maximo. proponente verò *Fabritiô* Cardinali *Verallô*, Regni *Hiberniæ* Protectore, fuiſſe ad prælibatam *Oſſorienſem Eccleſiam ſub Invocatione Sancti Canici Abbatis, & Confeſſoris, vacantem per Obitum Thomæ Strong, à pluribus Annis in Hiſpania defunctum in Munere Suffraganei tunc exiſtentis Archiepiſcopi Compoſtellani, quò aufugerat Cauſâ Perſecutionis Hereticorum (q), promotum Davidem Roth, Preſbyterum Oſſorienſem, Ætatis quadraginta quinque Annorum, Magiſtrum in Theologia, Protonotarium Apoſtolicum, Vicarium Generalem Armacanum, in quo Munere ſe à pluribus Annis benè geſſit, atque dignus eſt ut in Epiſcopum præficiatur.* Sub Finem autem Propoſitionis ſequentia legere eſt: *Quæ omnia conſtant ex Proceſſu eorum Me formatô, & per Reverendiſſimos Dominos DD. Capita Ordinum, & Me ſubſcriptô: Supplicatur pro Expeditione gratis prout eſt ſolitum fieri pro Hibernis. Cum Decreto emittendi Profeſſionem & Juramentum Fidelitatis præſtandi (r).*

LXXVI.

(i) De quo *Supplementum* hoc Num. VIII. Lit. w. Pag. 815.

(k) De quo *Hibernia Dominicana* Cap. VII. Num. x. Pag. 142, & *Supplementum* hoc Num. VIII. Lit. r. Pag. 815.

(l) De eo *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. XXXI. & LXVIII. Pag. 364, & 676; ac *Supplem.* hoc Num. CIV.

(*m*) De quo *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. VI. Lit. x. Pag. 602.

(*n*) Hujus *Geraldinorum* Familiæ quidam inſignitus fuit Titulo *Baronis Palatini* de *Burnchurch*, ut oſtendit, & explicat *Hib. Dom.* Cap. IX. §. XVII. Num. III. Lit. w. Pag. 264. Eapropter Familiæ ejuſdem Gentilibus adhæſit Cognomen *Baron*, latinè *Baro*.

(o) Cap. XIII. Num. XLIX. Pag. 478.

(p) Sic nuncupato quia Archiepiſcopus erat *Senonenſis* in *Galliarum* Regno. Porrò ex Libellorum Supplicum Magiſtro creatus fuerat Cardinalis à *S. Pio V.*

(*q*) Ibi Diem clauſit extremum Anno 1601, ut videre eſt in *Hib Dom.* Cap. XVII. Num. VI. Lit. x. Pag. 602.

(*r*) Videſis *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num. LXVII. Pag. 489.

LXXVI. Pag. 514, immediaté anté Num. LXXXIII, adde——

FR. MICHAEL-PETRUS MAC-MAHON, S. Theologiæ Magiſter, inter Conventûs *Limericenſis* (ubi ad Habitum Ordinis receptus, ſolemnem emiſit Profeſſionem) Patres dudùm memoratus (*s*), peractis laudabiliter Studijs in *Ulyſiponenſi* noſtro Collegio, reverſus in Patriam, Miſſionarij Apoſtolici Minus per longam Annorum Seriem fructuoſè exercuit, Prioremque haud ſemel egit in prælibato ſuo Conventu, factus intereà Prædicator Generalis, ac S. Theologiæ Præſentatus, atque demùm Magiſter. Definitor inſuper fuit Comitiorum Provincialium Anno 1761. Tandem à *Clemente* XIII, Pontifice Maximo, renunciatus Epiſcopus *Laonenſis*, vernacule *Killaloe*, in Provincia *Caſſelienſi*, Locô D. *Gulielmi O-Mara*, pridem laudati (*t*), conſecratus fuit *Thurleſiæ*, Agri *Tipperarienſis* Oppidi, in Parochiali ejuſdem Capella, Die quartâ Auguſti, Sancto Patriarchæ *Dominico* ſacrâ, quæ etiam Dominica ſuit, A. D. 1765, à *Caſſelienſi* Archipræſule *D. Jocobo Butler*, aſſiſtentibus D. Fr. *Thomâ de Burgo* (Opellæ hujus Auctore) Oſſorienſi, & D. *Daniele O-Kearney*, Limerienſi Epiſcopis (*u*).

LXXVII. Deinde ſubjunge Corrolarium Cap. XIII, quod eſt in *Hibernia Dominicana* Num. LXXXIII. Pag. 514. Subjunge, inquam, in hunc Modum.

Ex his omnibus, præſenti in Capite narratis, perſpicuè apparet, Ordinis Prædicatorum Decem fuiſſe Archiepiſcopos *Armacanos*, Quatuor *Tuamenſes*, Duos *Dublinienſes*, unumque *Caſſellienſem*, & quidem primum *Antiſtitem* ex *Hibernia Dominicana* aſſumptum, *Davidem* nempè *Mac-Kelly*; Epiſcopos quoque ex eodem Ordine adfuiſſe ſingularum Viginti Novem Diæceſûm, hiſce Temporibus nominatarum, ſolâ exceptâ *Clocherenſi* in Provincia *Armacana*. Diæceſûm porrò *Hiberniæ* Elenchum alibi conſcriptum habes (*w*).

LXXVIII. Pag. 529, Lin. 22, adde———Neque Silentiô prætereunda ſunt, quæ de eodem (*Ambroſio O-Connor*) refert alter ipſi coævus P. Magiſter *Edmundus de Burgo*, Theologus *Caſanatenſis*, in ſuo M. S. identidem laudato, nimirùm:

> " EPISCOPIS omnibus, & Regularibus expulſis ex *Hibernia* Anno 1698 (*x*), Reverendiſſimus Magiſter Generalis *Antoninus Cloche* inſtituit Priorem Provincialem *Hibernia* P. Magiſtrum *Ambroſium O-Connor*, Sligoenſem, Provinciæ noſtræ apud *Matritum* Procuratorem, qui venit *Lovanium*, ibique ſuum viſitavit Collegium. Indé navigavit in *Hiberniam*, ſecum quoſdam ducens Religioſos, & ex illis inſtituit Priores titulares, qui privatùm Juvenes ad ordinem receperunt ex Directione Eminentiſſimi Cardinalis D. Fr. *Thomæ-Mariæ Ferrarij* (*y*), & laudati Reverendiſſimi *Cloche*, & quidem *ne una Tribus*
> " (*Hiberniæ*) *deleatur ex Iſrael* Dominicano. Redux in Belgium, Libellum Supplicem cum Notis
> " opportunis *Roman* miſit Typis impreſſum in Bonum Miſſionis. Continuatus in Officio per Octennium,
> " Laboribus fractus ſupplicavit eidem Reverendiſſimo Generali, ut alium inſtitueret Provincialem, quod
> " factum eſt Anno 1709. Dein renunciatus Epiſepus *Ardachadenſis* & *Clonmaenoiſenſis*, vulgò *Septem*
> " *Eccleſiarum*, antequàm reciperet Diploma Pontificum obijt *Londini*, lentâ Tabe conſumptus, 20 Fe-
> " bruarij 1711."

LXXIX. Pag. 531, poſt Lin. 26, adde—

FR. THOMAS NETTIRVILLE, S. Theologiæ Magiſter, inter Conventûs *Pontanenſis* Alumnos ſuô Locô (*n*) memoratus, *Romæ* Habitu Ordinis indutus fuit Manibus Reverendiſſimi P. Magiſtri Generalis Fr. *Thomæ Ripoll*, in Baſilica *S. Clementis*, ibidemque ſolemnem emiſit Profeſſionem Anno 1738. Poſt laudabiliter expleta Studia tàm Philoſophica, quàm Theologica, partìm in ejuſdem Baſilicæ Cænobio, ac unito Cænobio *S. Sixti*, atque in *Florentino* Cænobio

S. Mariæ

(*s*) Cap. IX. §. V. Num. IX. Pag. 214.

(*t*) Cap. XI. §. V. Num. II. Pag. 362.

(*u*) Tám Archipræſum Conſecratorem, quàm duos Epiſcopos Aſſiſtentes videre poteris in *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num. LXXXIII. Pag. 513, & 514. Ceterùm Conſecrati Præſulis ſpectabilem Familiam habes Cap. IX. §. XXXII. Num. III. Lit. t. Pag. 306

(*w*) Cap. I. *Hib. Dom.* Num. XII. Pag. 18.

(*x*) Adeas Cap. XVII. *Hib. Dom.* Num. CIXI. Pag. 712.

(*y*) De eo *Hib. Dom.* Cap. XII. §. I. Num. XXXIII ad XXXVIII; & in hoc *Supplemento* Num. XXXIII, & XLIX.

(*n*) Cap. IX. §. II. Num. XII. Pag. 204.

S. Mariæ Novellæ, partìmque in Conventu majori *Pariſienſi* ad *S. Jacobum*, regreſſus in Patriam Concionatoris Munere per longam Annorum Serim impigrè egregièque functus eſt, Prior Conventualis intereá Fratrum *Pontanenſium*. Tandem Prior Provincialis electus fuit Dublinij 29 Junij 1765 (*o*).

LXXX. Fr. JOANNES-FRANCISCUS NETTIRVILLE, S. Theologiæ Magiſter, inter Sodales Conventûs *Dublinienſis* ſuô Locô (*p*) recenſitus, ad Habitum Ordinis in Baſilica *S. Clementis* de Urbe admiſſus, Vota ſolemnia in Manibus meis nuncupavit eadem in Baſilica Anno 1740. Peractis in geminato *SS. Sixti & Clementis* Conventu egregié conſuetis Literarum Studijs, percurſiſque cum Laude ſingulis Scholæ Muneribus, Doctorali Laureà donatus fuit à Reverendiſſimo Magiſtro Ordinis P. *Joanne-Thomâ de Boxadors*, inſimulque erat eò Loci Prior Conventualis. Tandem reverſus *Dublinium*, Vineam Domini excoluit cum Fructu, & excolere pergit. Dùm autem Conventûs ſui *Dublinienſis* ſecundò eſſet Prior, electus fuit Prior Provincialis 17 Junij 1769, præviè habitâ laudati Magiſtri Generalis Diſpenſatione, ipſum habilitante, ut Fratri ſuo Germano ſuccedere valeret.

LXXXI. (Ubi agitur de D. Fr. *Philippo-Thomâ Howardo*, S.R.E. Cardinali ab Anno 1675) Lin. 32, hæc apponenda eſt Nota—Profectò huc faciunt magis appoſitè, magiſque authenticè Verba Libri in Archivo *S. Sixti* de Urbe, cui Titulus: *Regiſtrur: Novitiatûs S. Sixti, ſub Venerabili Patre Fr. Nicolao Rodulphio, totius Ordinis Prædicatorum digniſſimo Generali Magiſtro, erecti Die primâ Januarij A. D. MDCXXXVII*; nempe: “Die 18 Menſis Octobris 1646 fuerunt factæ Proteſtationes Fratri Thomæ Houardo, Natione Anglo, Novitio, ab Adm. Rev. P. Magiſtro Fr. Gregorio Ariſta, Hiſpano, Socio Reverendiſſimi P. Fr. Dominici de Marinis, Vicarij Generalis totius Ordinis Prædicatorum (*q*), de Mandato ejuſdem Patris Reverendiſſimi. Die verò ſequenti, decimâ nonâ ejuſdem Menſis Octobris 1646, Horâ circiter decimâ ſeptimâ, idem Fr. Thomas Houardus, Natione Anglus, fecit Profeſſionem Solemnem in Manibus ejuſdem Reverendiſſimi P. Fr. Dominici de Marinis, Vicarij Generalis Ordinis, in Conventu S. Clementis de Urbe, præſentibus infraſcriptis, pro Conventu Cremonenſi (*R*).”

Ego Fr. Thomas Houardus feci Profeſſionem ut ſuprà
Fr. Thomas Bernardino, Præſentatus, Natione Hibernus.
Fr. Seraphinus à S. Bartholomæo.
Fr. Jordanus Preſkoni, Procurator Provinciæ Ruſſiæ.
Fr. Hyacinthus à S. Marco, Natione Italus.
Fr. Anthurus Darcæus, Novitius Profeſſus.

Ex his porrò, ut obiter obſervem, luculentiſſimè conſtat geminatum fuiſſe tunc Dierum (1646) ut nunc Conventum *S. Sixti & S. Clementis*, abſque tamen Conceſſione Apoſtolicâ. Confer *Hibern. Dom.* Cap. XII. §. I. Num. XXXVI. Pag. 407.

LXXXII. Pag. 549 (ubi Sermo eſt de P. Magiſtro *Edmundo de Burgo*, Theologo *Caſanatenſi*) Lin. 13, adde—Vir devotus quotidiè eliciebat ſuaves Pietatis Actus, Lacte manantes, quorum proindè religioſas Formulas, dulciores ſuper Mel & Favum, Amicorum Rogatu, in Rem devoti pariter Lectoris, hìc Loci exhibeo.

(*o*) Nobile ipſius Stemma videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. IX. §. II. Num. II. Lit. p. Pag. 199.

(*p*) Cap. IX. §. I. Num. XXI. Lit. l. Pag 198.

(*q*) Tunc Temporis Magiſter Generalis, celebris nempè *Thomas Turcus*, Cremonenſis, erat in actuali Ordinis Viſitatione, ut vel legere eſt Num. LIX. hujus *Supplementi* Pag. 858. Cæterùm *Dominicus* iſte *de Marinis* fuit poſteà Archiepiſcopus *Avenionenſis*. Et ſanè obſervatu dignum eſt, tám Prædeceſſorem illius in *Avenionenſi* Archidiæceſi, *Stephanum* ſcilicet *Dulcium*, quàm Succeſſorem, nempè *Hyacinthum Libellum*, fuiſſe Ordinis Prædicatorum Alumnos. Videſis Magiſtrum *Graveſonom*, Hiſt. Eccles. Tom. VIII. Colloq. V. Pag. mihi 191.

(*R*) In inſigni iſto *Cremonenſi* Conventu *S. Dominici* (modernis Temporibus pulchrè, ut nuper vidi, inſtauratô, & decoratô) Habitu Ordinis indutus fuerat Fr. *Thomas* iſte *Houardus*, ut fuſe narrat *Hibern. Dom.* Cap. XV. Num. XX. Pag 542. Recolendus Num. XL hujus *Supplementi* Pag. 840.

Credo, Domine, ſed credam *firmiùs*; ſpero, Domine, ſed ſperem *ſecuriùs*; amo, Domine, ſed amem *ardentiùs*; doleo, Domine, ſed doleam *vehementiùs*.

Adoro Te, ut *primum* Principium; deſidero Te, ut Finem *ultimum*; magnifico Te, ut Benefactorem *perpetuum*; invoco Te, ut Defenſorem *propitium*.

Offero Tibi cogitanda, ut ſint *ad* Te; dicenda, ut ſint *de* Te; facienda, ut ſint *ſecundùm* Te; ferenda, ut ſint *propter* Te.

Volo *quidquid* vis, volo *quia* vis, volo *quomodò* vis, volo *quamdiù* vis.

Tua me Sapientiâ *dirige*, Juſtitiâ *contine*, Potentiâ *protege*, Clementiâ ſolare.

Da mihi Amorem *Tui*, Odium *mei*, Zelum *Proximi*, Contemptum *Mundi*.

Cupiam habere Innocentiam *interiorem*, Modeſtiam *exteriorem*, Converſationem *exemplarem*, Vitam *regularem*.

Vincam Voluptatem *Auſteritate*, Avaritiam *Largitate*, Iracundiam *Lenitate*, Teporem *Pietate*.

Studeam Superioribus *obedire*, Inferioribus *ſubvenire*, Amicis *conſulere*, Inimicis *parcere*.

Defleam præteritas Iniquitates, *repellam* futuras Tentationes, *aboleam* vitioſas Propenſiones, *excolam* idoneas Virtutes.

Assidue invigilem Naturæ *domandæ*, Gratiæ *fovendæ*, Legi *ſervandæ* Saluti *operandæ*.

Sim in Oratione *attentus*, in Epulo *ſobrius*, in Munere *ſedulus*. in Propoſito *firmus*.

Redde me *prudentem* in Conſilijs, *conſtantem* in Periculis, *humilem* in Proſperis, *patientem* in Adverſis.

Intellectum *illumina*, Voluntatem *inflamma*, Corpus *emunda*, animam *ſantifica*.

Capiam quàm *tenue* ſit quod Terrenum, quàm *grande* quod Divinum, quàm *breve* quoad Temporaneum, quàm *durabile* quod Æternum.

Fac Mortem *præveniam*, Judicium *pertimeam*, Infernum *effugiam*, Paradiſum *obtineam*. Amen.

LXXXIII. Pag. 602, poſt Lin. 5, addendum—Sequentis Epiſtolæ Exemplar quâ eſt Humanitate mihi dedit *Romæ* in Palatio Apoſtolico *Quirinali*, Die 12 Februarij 1770, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. *Joſephus Garampi*, Archivi *Vaticani* Præfectus, necnon Sanctiſſimi D. N. *Clementis* Papæ XIV, feliciter regnantis, Prælatus Domeſticus, & Secretarius *Ciphræ*, Doctrinâ & Eruditione clarus, jàm anteâ laudatus.

Ex Epiſtolis Cardinalis *Ptolomæi Gallij*, Novocomenſis (*r*) nuncupati,
Secretarij Statûs San Mem. *Gregorij* Papæ XIII.
(Ex Lib. 28. Pag. 2281. Plut. 44 Archivi *Vaticani*)

" D. Jacobo Geraldino (*rr*).

" Illustris

(*r*) *Novocomum*, vulgò *Como*, Urbs eſt Epiſcopalis *Inſubriæ*, ſeù Ducatûs *Mediolanenſis*, olim ſub Patriarcha *Aquilejæ*, nunc Dierum verò (poſt Diviſionem Patriarchalis iſtius Provinciæ in Archidiæceſes *Goritianam*, & *Utinenſem*, Anno 1752 á *Benedicto* Papa XIV factam) ſub Metropolitano *Goritiæ* (priſcis *Norejæ*,) in *Carniola*, ſub *Auſtriacis*, dùm Metropolitanus *Utini*, in *Foro Julio*, ſeù Regione *Carnorum* (italicé *Friuli*) ſubeſt *Venetis*. Cæterùm Cardinalis iſte *Novcomenſis*, Vir pius, acrique Ingenio, ac ſingulari Induſtriâ præditus, fuit poſtmodúm Epiſcopus *Oſtienſis*, ac Sacri Purpuratorum Collegij Decanus. Hæc obiter.

(*rr*) Is Filius fuit *Mauritij Geraldini*, cujus Pater erat *Joannes Geraldinus*, Comes *Deſmondiæ* XIV. *Jacobus* autem iſtè a Patruele ſuo *Geraldo Geraldino*, Comite XVI, miſſus fuit Orator ad *Gregorium* XIII, Pontificem Maximum, pro Suppetijs ad proſequendum Bellum contrá *Angliæ* Reginam *Elizabetham* Anno 1577, & ab eo honorificé receptus, ſubindèque perſonaliter notus Aulæ *Romanæ*. Et quidem *Vir Animi Corporiſque Dotibus egregius, gravis, affabilis, prudens, doctus, & pius, Ingenij profundi, Linguæ volubilis, & Geſtûs, Gratiam apud omnes facilè conciliaturi.* Verba ſunt P. Magiſtri *Dominici de Roſario*, alias *Danielis O-Daly*, in *Relatione Geraldinorum* Cap. XXII. Pag. 91. Tandem verò A. D. 1579 (eo ipſo Anno, quo iſtam ad ipſum dedit Epiſtolam *Ptolomæus* Cardinalis *Gallius*) idem *Jacobus Geraldinus*, Filius *Mauritij*, in *Prælio, Hoſte profligato, lethali ſe Vulnere perfoſſum ſentiens, ſenſimque langueſcens, ſe cautè ſubtrahit, accerſit Capellanum ſuum, & ex Equo deſcendens medio in Campo inter Hoſtium Cadavera ſe vulneratum ait, & infrà unius Horæ Spatium, Peccatis priùs ritè*

expiatis,

“ Illustris Domine tanquàm Frater. Novit Dominatio tua quantoperè ſolicitus ſit Sanctiſſimus Dominus Noſter de Rebus Hiberniæ, ijs præſertim, quæ ad conſervandas Fidei Catholicæ Reliquias, & Animarum Salutem in eo Regno procurandam, pertinent. Dùm autem Sanctitas Sua in eam Cogitationem incumbit, exiſtimatque hoc Tempore maximè neceſſarium eſſe, idoneos providere Paſtores Eccleſijs illis, quæ jam diù deſtitutæ ſunt, & in quibus, vel Populis cupientibus, vel etiam conſentibus Dominis temporalibus, ubi ſunt, facilè Catholica Religio reparari, & ſuſtentari poſſit; nihil tamen hac de Re decernere voluit, antequàm Judicium Dominationis tuæ, & Epiſcoporum Corcagienſis, & Roſſenſis, quorum Fidei, ac Pietati meritò confidit, tùm de Eccleſijs præfatis, túm etiam de illis Perſonis, qui ad eas regendas idonei reperiantur, ſivè in Inſula, ſivè extrà eam. Tua igitur Dominatio quamprimùm & diligenter reſcribet Senſum & Opinionem ſuam, quod ut meliùs facere poſſit, mittimus Catalogum nonnullorum, qui Sanctitati Suæ propoſiti ſunt. Prætereá curabit Literas prædictis Corcagienſi, & Roſſenſi Epiſcopis, quas adjungi hiſce juſſimus, fideliter reddendas, & poſteà Reſponſum ad Nos tranſmittendum. Reliquis de Rebus non eſt quod addam, niſi Deum à Nobis indeſinenter orari pro veſtra omnium Quiete, ac Salute. Bené valeat Dominatio tua, cui Me ex Animo commendo. Romæ Die 6 Aprilis 1579.”

LXXXIV. Ut nihil prorſùs à S. Sede Apoſtolica de *Hibernorum* Laudibus emanatum prætermittam, placet hìc Loci exſcribere Diploma *Pauli* III, Pontificis Maximi, ad Excellentiſſimum D. *Conoſſium O-Neill*, Principem *Ultoniæ*, quod videre eſt apud *Odoricum Raynaldum*, Natione *Italum*, in Annalibus ſuis Eccleſiaſticis Tom. XXI. Part. I. Num. XLI. Tenoris ejuſcemodi.

“ Dilecto Filio Nobili Viro Conoſſio O-Neillo,
“ Principi Hibernorum in Ultonia.
“ PAULUS PAPA III.
“ Dilecte Fili, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Litteras Nobilitatis tuæ recepimus, in Vigilia Feſti omnium Sanctorum datas, quas Filius Raymundus tuus attulit, eſtque ipſe uberiori ſuo Sermone proſequutus, ex quibus noſter Animus variè affectus eſt, nam iſtam Inſulam nunc á moderno Rege (*Henrico VIII*) ad tantam Impietatem deduci, tantâ Crudelitate vaſtari, Honoremque Dei Omnipotentis tantâ illius Sævitiâ, ac Feritate conculcari quo debuimus Dolore intelleximus. At contrà cùm tuis Litteris, & dicti Raymundi Sermone edocebamur te ſimul Honoris Dei, ac Romanæ Eccleſiæ, ac Catholicæ Religionis Propugnatorem exiſtere, paternæ Charitatis Affectu, & Lætitiâ exultavimus. Te igitur, Fili dilecte, proindè ac meritus es, & laudamus, & commendamus in Deo Domino, eique tùm Gratias agimus, quòd te tali Virtute, ac Pietate inſignem hoc Tempore ad Conſervationem illius Inſulæ Nobis conceſſerit; tùm Preces offerimus ut eundem te Nobis diú conſervet, ac proſperet. Nos autem de te, ac cæteris Fidei Catholicæ propugnatoribus eam Curam ſuſcepimus quam debuimus, tuque à Nobis petijſti. Quamobrem exhortamur in Domino ipſam Nobilitatem tuam, & cunctos Hiberniæ Populos, Authoritatem, & Pietatem tuam ſequentes, ut in Catholica Religione, quam à Patribus accepiſtis, & ad hæc Tempora conſtantiſſimè conſervaſtis, perſeverare velitis, ſicut Vobis, ac veris Chriſtifidelibus dignum eſt. Nos enim, qui iſtam Inſulam ſingulari Charitate complectimur, & in vetuſto ſanctæ Fidei Cultu conſervatam cupimus, nunquàm tuæ Nobilitati, & cæteris Sectatoribus Pietatis tuæ deerimus, ſicut hæc omnia ex Joanne (*nempè Codario*) & Alphonſo (*ſcilicet Salmeron, Divi Ignatij Socijs*) Nuntijs noſtris, & Raymundo tuo pleniùs intelliges. Datum Romæ XXIV Aprilis MDXLI. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.”

---

expiatis, Teſtamentum condit, ac denique Spiritum, non ſine multis acerbiſque Capellani, aliorumque, qui aderant, Lachrymis, Creatori ſuo emiſit. Corpus verò, cùm honorificè, ut par erat, ſepeliri non vacaret, ſub antiqua Quercu abſconditum fuit, ubi non longê poſt à Venatore inventum, Killoſiam (anglicè *Kilmalloc*) *allatum, Patibulô ſuſpenſum, & Glandibus ſclopetarijs eſt petitum ab Hæreticis, mortuo nimirùm inſultantibus, quem vivum contrà intueri trepidaſſent.* Hæc *O-Dalæus*, qui (Cap. XXIII) aſſerit, *Genitorem ſuum omnibus Prælijs illis interfuiſſe, interfectosque Geraldinos ſuis vidiſſe Oculis.* De ipſomet autem *O-Dalæo* plura habes in *Hibernia Dominicana* Cap. XIII. Num. LXIX. á Pag. 492. De nobiliſſima verò Progenie *Geraldinorum*, tam *Deſmondiæ*, quám *Kildaræ* Comitum, haud pauca ſummatim libabam Cap. IX. §. X. Num. II. Lit. c. Pag. 237, & ſeq.

Huc facit Epitaphium Illuſtriſſimi *D. Hugonis O-Neill*, á laudato Principe *Conoſſio* (O) oriundi, quod *Romæ* vidi in Conventu *S. Petri* Fratrum Minorum in *Monte Aureo*, Marmori inciſum.

D. O. M.
Hugoni Baroni de Dunganon.
Hugonis Magni, Principis & Comitis Tyroniæ, Filio primogenito,
Patrem, & Rodericum (P) *Comitem Tyrconalliæ, Avunculum,*
Pro Fide Catholica,
Quam multos Annos contrà Hæreticos in Hibernia fortiter defenderant,
Relictis Statibus ſuis, ſpontè exulantes,
Ad commune Catholicorum Aſylum, Urbem Romam,
Pro ſua ſingulari in Deum, & Parentes Pietate ſecuto,
Cujus immatura Mors
Spem de reſtauranda aliquandò in illis Partibus Catholica Religione,
Ob ejus inſignes Animi & Corpores Dotes,
Ab omnibus conceptam, abſtulit,
Ac dicto Roderico Avunculo, Fatô ſimili abſumpto (Q), *conjunxit.*
Occidit, tàm ſuis quàm toti Curiæ flebilis,
IX Kalendas Octobris MDCXLI.
Ætatis Anno XXIV.

LXXXV. Pag. 637, immediatè antè Num. XXXIV addendum—

Reverendissimus D. Fr. *Thomas Flemingus*, Ordinis Minorum, in *Hibernia Dominicana* ſæpenumerò laudatus, ut ex ejuſdem Indice alphabetico liquet, electus Archiepiſcopus *Dublinienſis* ab *Urbano* Papa VIII, priuſquàm conſecratus eſſet, ſequentes ab eodem Pontifice impetravit Literas Apoſtolicas, *Titulum Miſſionis in Hibernia* pro ſacris ſuſcipiendis Ordinibus ſtabilientes, aliaque concedentes Privilegia.

(Ex Archivo *S. Sixti* de Urbe, ubi Exemplar authenticum)

“ Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

“ Pijs Chriſtifidelium quorumlibet, præſertim ob eorum Merita ad Eccleſiarum Metropolitanarum Reginina, & à ſuis Eccleſijs Cauſâ Fidei Catholicæ exulantium, & ad dictæ Fidei Conſervationem, & Propagationem permanentium, Votis libenter annuimus, illaque, ut ſuum optatum conſequantur Effectum, Favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro Parte dilecti Filij Thomæ (*Fleming, Ordinis Minorum*) Electi Dublinienſis Petitio continebat, quod cùm in Galliarum & Hiſpaniarum Regnis, ac Provincijs Flandriæ, jamjám plurima Nationis Hiberniæ Seminaria, Deo adjuvante, erecta ſint, & plura indiès erigi ſperentur, in quibus Adoleſcentes, abſolutis ſuis Studijs, Preſbyteri effecti, ad ſuum Talentum in Vinea Domini expendendum, Patriam deſolatam repetunt, ac uberes, quos poſſunt, in eadem Vinea Fructus facere contendunt: Ac propterea, ut quantocitiùs ſuum pium hujuſmodi Propoſitum adimplere valeant, pro Parte ejuſdem Thomæ Electi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenùs ipſis, ut infrà, indulgere, & opportunè providere de Benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ejuſdem Fidei Catholicæ Propagationem ubique, & maximè in Partibus per Hareticos dominatis, vigere ſinceris deſideramus affectibus, ipſorum Seminariorum Alumnos ſpecialis Gratiæ Favore proſequi volentes, eoſdem, ac eorundem Seminariorum Alumnorum ſingulares Perſonas á quibuſvis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Inderdicti, alijſque eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, á Jure, vel ab Homine, quavis Occaſione, vel Cauſâ latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad Effectum præſentium duntaxàt conſequendum, harum Serie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes, hujuſmodi Supplicationibus inclinati, eorundem Collegiorum præ-

“ dictæ

(O) Plures *Conoſſij* hujus Poſteros præclaros videre poteris in *Hibernia Dominicana* ex Indice Aphabetico, Verbo *Neillus*.

(P) Cognomine gentilitio *O-Donnell*. cujus nobiliſſimum Stemma legere eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. IX. §. XXIII. Num. III. Lit. p. Pag. 282.

(Q) *Rodericus* iſte *O-Donnell*, Comes *Tyrconalliæ*, à Rege *Jacobo* I creatus Anno 1603, vivere deſijt *Romæ* Anno 1617.

“ dictæ Nationis in prædictis Regnis, ac Provincijs, ac aliàs ubicunque Locorum ſundatorum Alumnis, nunc & pro Tempore exiſtentibus, ut cum Literis teſtimonialibus Rectorum ipſorum Seminariorum, in quibus ſtudent, dictorum alumnorum Vitam, Probitatem, & Mores commendantibus, à quibuſcunque maluerint Catholicis Antiſtitibus, Gratiam, & Communionem Sedis Apoſtolicæ habentibus, & in propria Diæceſi exiſtentibus, vel in alienis, de Diæceſanorum Locorum Licentia, Pontificalia inibi exercentibus, per eos eligendis, unicâ duntaxát Die, ſeù Quatuor quibuſcunque feriatis, vel non feriatis, etiam continuis, vel interpolatis, ad ſacros Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Preſbyteratûs Ordines, abſque aliquo Titulo Beneficij eccleſiaſtici, vel Patrimonij, ſed ad TITULUM MISSIONIS IN HIBERNIA tantùm, etiám extrà Tempora, ad id à Jure ſtatuta, ac intrà Annum, Annique Curriculô minimè expectatô, minúſque ſervatis ad id á Concilio Tridentino deſignatis Interſtitijs, dummodò tamen dicti Scholares pro Tempore promovendi ad id reperiantur idonei, ac donec Regnum Hiberniæ ad Gremium S. Romanæ Eccleſiæ redierit duntaxát, promoveri & promoti in illo, etiam in Altaris Miniſterio, miniſtrare liberè, & licité valeat, Authoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium de ſpeciali Gratia indulgemus, necnon Antiſtitibus, & Alumnis prædictis, nunc & pro Tempore exiſtentibus, Licentiam, & Facultatem deſuper impertimur, non obſtantibus quod ipſi Alumni, antequàm de uno Ordine ad alium promoveantur, ſe in alijs antè ſuſceptis Ordinibus minimè execuerint, & quibuſcunque Conſtitutionibus, & Ordinationibus apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc Paginam noſtræ Abſolutionis, Diſpenſationis, & Impartitionis infringere, vel ei Auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Sexcenteſimo Vigeſimo Tertio, Undecimo Kalendas Januarij, Pontificatûs noſtri Anno Primo.

Gratis de mandato Sanctiſſimi. Rentius.

(A Tergo) *Regiſtrata in Secretaria Apoſtolica.* Rentius.

LXXXVI. Eâdem Pag. 637 ſub Finem, ubi Sermo fit de Matrimonio Regem *Carolum Primum* inter, & *Henriettam Mariam*, Regis *Ludovici* XIII Sororem Die 1 Maij 1625, ad Verba illa, *Cantuariæ conſummaſſet*, hæc ſubjungenda eſt Nota—Ritum hujus Matrimonij inter Acatholicum, & Catholicam ex Diſpenſatione *Urbani* VIII ſcitè expendit *Benedictus* XIV Tract. de *Synodo Diæceſana*, Lib. VI. Cap. V. Num. V. Obiter autem animadverte, Epiſcopum non poſſe diſpenſare, ut Matrimonium contrahatur inter Partes Catholicam, & Acatholicam, ut docet laudatus Pontifex ibidem Lib. IX. Cap. III. Num. II.—Pag. 638. Lit. c. ad Finem Notæ iſtius adde—Hic obiter obſervandum cum *Benedicto* Papa XIV (Tract de *Synodo Diæceſana* Lib. VIII. Cap. VI. Num. IX.) baptizatos à *Calviniſtis* non eſſe rebaptizandos nec ſub Conditione, neque proindè baptizatos á *Proteſtantibus*, aut *Preſbyterianis*.

LXXXVII. Pag. 650. Lit. p. ſub Finem Notæ illius adde.——Hæc porrò dicta ſint juxta Opinionem *Harriſij* de *Scriptoribus Hiberniæ* Lib. I. Pag. 165. Compertâ autem nuper Veritate, ipſe aſſevero, indubium Opuſculi, cui Titulus, *Vindiciæ Catholicorum Hiberniæ (R)* Auctorem fuiſſe non Juriſperitum *Richardum Bellingum*, ſed Sacerdotem *Joannem Mac-Callaghanum*, qui à *Supremo Confæderatorum Catholicorum Concilio* præſentatus fuerat ad Epiſcopatum *Corcagienſem*, ſed Nuntij Apoſtolici Operâ non promotus, ut liquidô conſtabit ex infrà dicendis in hoc *Supplemento* Num. CXI, Sect. 15. Idipſum etiam affirmat Scriptor coævus, & multorum Librorum Auctor, *Petrus*, inquam, *Walſh*, Ordinis Minorum, in Præfatione ad Hiſtoriam *Hibernicæ Remonſtrantiæ*, ut vocant, Anno 1661. Pag. 47 (*s*).

IDEM eſto Judicium (ſaltem ſatis probabile) de altero Opuſculo inſcripto: *Annotationes in Joannis Poncij Librum, cui Titulus Vindiciæ everſæ*, de quo *Hibernia Dominicana* Pag. 676. Lit. w. Fuit autem *Joannes Poncius* (anglicè *Ponce*) egregius Ordinis Minorum Alumnus, pluribus editis Operibus

---

(*R*) Damnatum fuit *Romæ* ut liquebit ex infrà dicendis in hoc *Supplemento* Num. CXIV. Sect. 9.

(*s*) *Joannes* iſte *Mac Callaghanus*, Doctor utique *Sorbonicus*, Librum edidit *Pariſiijs* Anno 1652 ſuper *Janſeniſmo*, cui gallicè Titulus: *Lettre a un Docteur de Sorbonne touchant les principales Impoſtures du Pere Briſacier Jeſuit.* Dein alium edidit Librum contrà Reſponſum Patris *Briſacier* ſic inſcriptum: *L'Innocence et la Veritè defendue contre Pere Briſacier.*

Operibus tàm Philoſophicis quàam Theologicis clarus, olim Collegij *Ludoviſiani* Clericorum Sæcularium *Hibernorum* in Urbe Rector, dein Collegij Fratrum Minorum *Hibernorum* apud *S. Iſidorum* eadem in Urbe Guardianus. Hæc obiter.

LXXXVIII. Pag. 650. Num. XLV, hæc leguntur Verba: Romanus Pontifex *Urbanus* VIII, à Patre *Luca Waddingo*, Hiberno, Ordinis Minorum Alumno doctiſſimo, ac Annalium ejuſdem Ordinis Parente, *Romæ* tunc commorante, intelligens ea, quæ á Noſtratibus *pro Fide, Rege, & Patria* per duos Annos geſta erant......

Ibi porrò hanc appone Notam.——*Supremum Confæderatorum Catholicorum Concilium* Literas dedit ſupplices, & commendatitias ad laudatum Summum Pontificem *Urbanum* VIII in Favorem prælibati præclariſſimi Patris *Lucæ Waddingi*, ut Eminentiſſimo Cardinalium Collegio adſcriberetur. En Tenorem ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, ubi Autographum—A Tergo: *Sanctiſſimo Domino noſtro Urbano VIII.*——Intùs verò.

Beatissime Pater,

“ Satis ſuperque chriſtiano Orbi innoteſcit quàm invictâ hactenùs Patientiâ Hæreticorum Inſolentiam, Proſcriptiones, Bonorum Jacturam, Mortemque ipſam, catholicæ Fidei Cauſâ contempſerint Hiberni, ac pertulerint quám alacriter, conſtanterque, inermes licet, in Aciem irruerint, Sacrum Bellum ſuſceperint, ſuſtinuerintque, quò Succeſſu Bellatoribus ſuis divina indulſerit Clementia cùm apoſtolicæ Sedis jurati Hoſtes de catholica Fide radicitùs evellenda nefarium & impium Conſilium injiſſent. Jam Deus Optimus Maximus catholicô Ritu palàm colitur dum Cathedrales pleræque ſuis Antiſtibus, Parochiales Parochis, Religioſorum multa Cænobia proprijs gaudent Alumnis. Et hæc tanta Omnipotentis Dei in noſtram Gentem Beneficia in Veſtri, Beatiſſime Pater, Pontificatûs Tempora ſunt reſervata; cujus Auſpicijs Religio catholica in hac Inſula jamjudùm jacens, & afflicta, glorioſè Caput erigit, ſeque Varietatibus circumdatam, & ornatam, Sponſo ſuo Chriſto viſendam exhibet; cujus Favoribus animata, & promota Gens noſtra, Patientiæ, & Fortudinis Lauream ſperat ſe tandem reportaturam. Cúm verò catholicæ Fidei ſplendidiús excitandæ præcipua Nobis ſuperſit Ambitio, ſupplices petimus, ut Sanctiſſimus Pater dignetur condeſcendere adſcribendum Sacro Cardinalium Collegio Patrem Lucam Waddingum, Natione Hibernum, nobili oriundum Familiâ, cujus aliæ Commendationes, & Merita Apoſtolicæ Sedi non ſunt incognita. Magnum quidem & rarum eſt quod petimus, ſed & ſcimus á quo Pontifice illud petamus; ab illo certé, qui apoſtolico, paterno Nos noſtramque Gentem ſemper hactenús fovit affectu, ſumma in Nos Beneficia conferendo, & præſentes noſtros Conatus ſingulariter promovendo. Hujus noſtræ Supplicationis gratioſa Acceptatio, & Votorum Obtentio, reliqua Sanctitatis Veſtræ in Nos Beneficia abundé cumulabit, & Hiberniam Urbani Octavi, Pontificis Maximi, æternúm memorem, illique obſequioſam, & devotam ſervabit. Hanc noſtram ut promoveret Supplicationem ad Sanctitatem Veſtram miſimus Reverendum Admodùm Dominum Edmundum O-Duire, Sacræ Theologiæ Doctorem *(T)*, Rerum noſtrarum oculatum Teſtem. Nos veró Nobis ipſis, & reliquis Hiberniæ Confæderatis Catholicis, Regnoque univerſo Apoſtolicam Veſtram Benedictionem demiſſé petimus. Sanctitatis Veſtræ ad Pedum Oſcula provoluti.

“ Kilkenniæ

(T) Dùm in longo eſſet Itinere *Romam* verſus, mortuus eſt *Urbanus* (poſt expletos in Pontificatu Annos 21, Menſes 11, Dies 22) 29 Julij ejuſdem Anni 1644, eique in Apoſtolica ſede ſucceſſit *Innocentius* X, Die 15 Septembris. Crediderim planè modeſtum *Waddingum* (cujus de Laudibus Ætas nulla conticeſſet) iſtas ſuppreſſiſſe Literas, eas quippè ipſiſſimas vidi Anno 1770, non in Scrinijs Apoſtolicis ſed in Archivo *S. Iſidori* de Urbe, magnô munitas *Confæderatorum Catholicorum* Sigillô, in quo hoc inciſum Lemma: *Pro Deo, Rege, & Patria, Hibernia unanimis.* Cæterùm memoratus *Edmundus O-Duire*, fuit pauló poſt Epiſcopus *Limericenſis*, ut liquet ex *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LI. Pag. 657.

“ Kilkenniæ 14 Junij 1644.

“ MOUNTGARRET (t).
“ *Thomas* Archiepiſcopus *Caſſelienſis* (u).
“ Fr. *Thomas Dublinienſis* (w).
“ *Malachias* Archiepiſcopus *Tuamenſis* (x).
“ *Caſtlehaven* (y).
“ *Fermoy* (z).
“ *Nettirvill* (a).
“ *Emerus Dunenſis & Connorenſis* (B).
“ *Edmundus Morice.*
“ *Richardus Belling.*
“ *Thomas Fleming* (b).
“ *Geraldus Fennell.*
“ *Patritius Darcy.*
“ *Georgius Commyn.*

LXXXIX. Pag. 653. Lin. 30, ſubjungenda eſt Nota——Non abs Re ſed planè opportunum erit hic Loci in Medium afferre Inſtructiones *Româ* miſſas ad D. Nuntium Apoſtolicum, in *Hibernia* jam conſtitutum, depromptas ex Hiſtoria inferiùs laudandâ de *Legatione Hibernica*, quæ aſſervatur *Florentiæ* in Bibliotheca D. Marchionis *Rinuccini*. Eſt autem Tenor hujuſmodi:

“ Capitula, quæ mittuntur ad Illuſtriſſimum D. Rinuccinum, exequenda
“ in Hibernia, cum Facultate addendi, vel adimendi ſecundùm Rerum
“ præſentium Statum, & Exigentias, in illis Partibus melius cognoſcendas.

“ 1°. UT Rex Magnæ Britanniæ reipſâ Regno Hiberniæ liberum & publicum Religionis catholicæ
“ romanæ Uſum concedat, permittens, ut Hierarchiâ eccleſiaſticâ, cum omnibus Eccleſiijs & Bonis, re-
“ ſtituatur Catholicis ſecundùm Ritum ejuſdem Religionis. Et quod ad Monaſteria pertinet, quæ
“ prætenduntur fuiſſe Proteſtantibus relaxata à Cardinali Polo, Reginæ Mariæ Diebus Legato (c), con-
“ ſulatur liberum Hiberniæ Parlamentum circà id, quod fieri poteſt, & debet in illo Negotio, ſicut &
“ de tribus Epiſcopatibus, Dublinienſi, & alijs duobus, qui ſunt penès Hæreticos Proteſtantes, ſub Re-
“ gis Imperio,

“ 2°. UT abroget, & revocet omnes Leges pænales, & alias quaſcunque latas in præfatos Catholicos
“ in Odium Religionis, ab Exordio Defectionis Henrici Octavi uſque in hodienum Diem.

“ 3°. UT in majus Stabilimen liberi & publici Exercitij Religionis catholicæ, & in ulteriorem Fir-
“ mitatem, ac Securitatem Antiquationis dictarum Legum, concedatur à Rege Parliamentum liberum
“ in Hibernia independens ab Anglicano.

“ 4°. UT Regni Hiberniæ Moderamen, & Officia Magis principalia, in Catholicorum Manus tradan-
“ tur, & Catholici ſint Officiorum, Dignatum, atque Honorum Regni perindè capaces & æqué promo-
“ veantur atque hactenùs fuerunt Proteſtantes.

“ 5°. UT Catholicos Hiberniæ, vel ſaltem (ſupremo Hiberniæ Concilio conſentiente) Angliæ Ca-
“ tholicos mittat in Urbis Dublinienſis, aliorumque Locorum, quæ ipſi in Hibernia Morem gerunt,
“ Poſſeſſionem.

“ 6°. UT ſuas conjungat Vires cum Copijs hibernicis ad deturbandos Hiberniâ Scotos Parlamen-
tarios.

“ 7°. HOC, cum eo prætereà, quod in Hibernia ab Illuſtriſſimo D. Rinuccino hiſce Capitulis adjec-
“ tum, vel detractum fuerit, a Rege peracto, Sua Sanctitas contenta eſt ſolvere Reginæ Magnæ Britan-
“ niæ Centum Millia Scutorum Monetæ Romanæ.

“ 8°. UT idem Rex Leges omnes in Angliæ Catholicos latas, & nominatim duo Suppreматûs, & Fi-
“ delitatis Juramenta (D) itá refigat, ut poſſint gaudere Bonis Honoribus, Immunitatibus, & Prærога-

“ tivis,

(t) *Richardus Butler*, Vicecomes de *Mountgarrett*, Supremi Concilij Præſes.

(u) *Thomas Walſh*, Archiepiſcopus *Caſſelienſis.*

(w) Fr. *Thomas Flemingus*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopus *Dublinienſis.*

(x) *Malachias Quæleus* (vernaculè *Keely*) Archiepiſcopus *Tuamenſis*, Hic, ut obiter dicam, Anno ſequenti 1645, in Pago, cui Nomen *Clare*, non procul à Caſtro Oppidi de *Sligo*, incidit in Manus *Preſbyteraniorum*, qui *poſt datam Fidèm, eum, abſciſſo priùs Brachio dextro, in minutas ſecuerunt Partes*, inquit *Bruodinus* Pag. 76.

(y) *Thomas Touchet*, Comes de *Caſtlehaven* in *Hibernia*, & Baro de *Audley* in *Anglia.*

(z) *Maurituis de Rupe* (vernaculè *Roche*) Vicecomes de *Fermoy.*

(a) *Nicolaus Nettirvill*, Vicecomes de *Nettirvill.*

(B) *Emerus O-Mahony*, Epiſcopus *Dunenſis*, & *Connorenſis.*

(b) Domini Vicecomitis de *Nettirvill* Gener.

(c) Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. II. Pag. 597, & *Supplementum* hoc Num CX. Sect. 2.

(D) Adeas *Hiberniam Dominicanam* Cap. XVII. Num XI. Pag. 644.

“ tivis, quibus cæteri Regni Proceres lætantur, nullumque, quod Catholici ſint, Præjudicij Genus ha-
“ beant ; & in primo Parlamento, vel in alio Rerum Anglicarum Stabilimento, teneatur Sua Majeſtas
“ confirmare, & approbare prædictam Abolitionem, & intereâ de Facto non ſint deterioris Conditionis
“ quâm Proteſtantes.

“ 9°. Ut conveniat Regi cum Supremo Hiberniæ Concilio de conducendo in Angliam Corpore Ex-
ercitûs, duodenis Peditum Millibus, ſub Ducibus, & Officialibus Hibernis, quibus adjungantur Equites
“ Anglicani tria Millia, vel certe duo Millia, & quingenti ſub Imperatoribus catholicis, idque ijs Legi-
“ bus, quibus ex æquo proceſſerint inter Se circâ Exercitûs Imperium, Excenſionis Portûs, & Refugij
“ Loca, ſicut Juſtitiæ conſonum, & conveniens eſſe judicaverint *(d)*.

“ X°. Ubi dictæ Vires in Angliam intraverint, & alicubi in unum Corpus coaluerint, Sanctitas Sua
“ primo Anno pendet Scutorum Centum Millia Monetæ Romanæ, omni Menſe pro Rata, ad proſequen-
“ dum deinde ſecundo, vel alias tertio Anno, ſicut Vires ipſi ſuppetierint ,& ſecundum Progreſſum, quem
“ præfatæ ſecerint Copiæ.

“ XI°. Denique cum ſex prima Capitula ſubitò Executiom Mandari poſſint, ſua Sanctitas Sex Men-
“ ſes â die his appoſitâ eorum Executionem expectabit. Et pro octavo, & nono, quæ Tempus forſan
“ longius poſtulant, poſt ſex illos Menſes expectabit alios quaternos. Ultrà quos non vult teneri ad præ-
“ ſentem Pollicitationem. Romæ 30 Novembris 1645.

Locus ✠ Sigilli.

“ CAMILLUS CARDINALIS PAMPHILIUS. (*E*).

“ Istius Inſtrumenti Autographum Digbæo (*e*) traditum fuit, ejuſque unum, atque alterum Exem-
“ plar, utrumque Cyphrijs (ne in Parlamenti Manus incideret) exaratum, Nuntio tranſmiſſum, illud qui-
“ dem quintô Novembris, alterum verò undecimô Decembris ejuſdem Anni, cum hoc Diſcrimine, quod
“ primum Ectypum anteâ fuerit tranſmiſſum quâm Cardinalis Pamphilius Manum, & Sigillum appoſuit,
“ & caruerit undecimo Capitulo, quod eſt ultimum, poſtea ſecundo Inſtrumento (ſicut vides) adjectum.
“ Primum Exemplar Nuntius in Hibernia recepit ad exeuntem Januarium 1646 ; ſecundum ad Diem
“ ſequentis Februarij duodevigeſimam.” Ita Hiſtoria.

XC. Pag. 656, poſt Epiſtolam *Supremi Confæderatorum Catholicorum Concilij* datam *Limerici* 19 Junij 1646 ad Summum Pontificem *Innocentium* X, de Victoria a Catholicis reportata apud *Benburbiam* in *Tyronenſi* Agro *Ultoniæ*, adde.

Laudatus Summus Pontifex dignatus eſt ſequentem viciſſim dare Epiſtolam in Forma Brevis ad idem *Supremum Concilium (f)*.

“ Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis Filijs Supremi
“ Concilij Catholicorum iu Hiberniæ Regno deputatis.

“ INNOCENTIUS PAPA X.

“ Venerabiles Fratres, & dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Mirifica Nos effecere Lætitiâ Literæ veſtræ, quibus partam nuper veſtris Armis de Catholicæ Fi-
“ dei Hoſtibus Victoriam renunciatam Nobis eſſe voluiſtis. Et ſane haud leviter gaudendum Nobis eſt,
“ adproſperari Vos continenter á Domino, cujûs Bella ſtrenuè præliantes (*g*), ejuſne Cauſa apud Vos
“ periclitetur,

(*d*) Hinc perſpicue apparet, Nuntium Apoſtolicum miſſum non fuiſſe à Summo Pontifice ad promovendam, vel fovendam Rebellionem contrà Regem, ut Scriptores Acatholici paſſim aſſerere non dubitant, ſed e contrà ad defendendum Regem contrà rebelles Parlamentarios. Videſis Declarationem ipſiusmet Nuntij in *Hibern. Dom.* Cap. XVII. Num. XLV. Pag. 651 ; & Jusjurandum in hoc *Supplemento* Num. XCVI.

(*E*) *Innocentij* Papæ X ex Fratre Nepos.

(*e*) *Kenelmo* nimirum *Digbæo*, Equiti Aurato, quem *Henrietta Maria*, Regina *Angliæ*, conſentiente Rege *Carolo*, ad *Innocentium* Papam X miſerat, ut videre eſt in *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. XLVIII. Pag. 653.

(*f*) Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. VIII. Fol 582.

(*g*) I. *Reg.* XVIII, verſ. 17.

“ periclitetur, impavide Pectora objeciſtis. Ipſe nimirùm Omnipotens, ad quem jamdiù Fortitudinem veſtram cuſtoditis (*h*) dimicavit in Fortibus (*i*), revocavitque Vos in Victoria ſua, & in Liberatione veſtra (*k*). Quamobrem dum Vobis Hæreticorum Importunitate, atque Injuria tutandis in Dies magis, ac ſolvendis præſtò eſt Die Manus, adſtringi Vos, & penitùs hærere Deo viciſſim addecet, ut qui de Cælo Fortitudinem eſſe veſtram (*l*) intelligitis, Cæli Beneficia jugiter compenſetis, perenni Animorum Conſtantiâ, Corporumque fortiſſimorum Oppoſitu, pro Pietate, pro Religione, pro Fide. Jam verò dùm exertis feliciter pro Deo Galdijs, Spolia tuliſtis Impiorum, decantate alacres Nomen ſanctum ejus, & victricem Manus ejus laudate (*m*), cujus eſt Magnificentia, & Potentia, & Gloria, atque Victoria (*n*). Habebitis illum quidem Proſperitatis Sponſorem (*o*), qui non ſecundùm Armorum Potentiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis Victoriam (*p*). Et profectò dignos Vos ritè efficiet probatus iſte Catholicæ Parenti Eccleſiæ Cultus, quæ Filiorum Securitatem divino firmáns Oraculo, fidenter inclamat: Væ Genti inſurgenti ſuper Genus meum; Dominus enim omnipotens vindicabit in eis (*q*). A quo & Nos Incolumitatem Vobis apprecamur, & Benedictionem ex Animo impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 19 Octobris MDCXLVI. Pontificatûs noſtri Anno Tertio.

“ GASPAR DE SIMEONIBUS.”

XCI. Pag. 658, poſt Decretum Congregationis Eccleſiaſticæ apud *Waterfordiam* 12 Auguſti 1646, coram Illuſtriſſimo D. Nuntio, contra Pacem *Ormonicam*, adde (*r*):

“ Catalogus Nobilium & Gentil-hominum Hibernorum, qui repudiantes
“ Pacem Ormonicam, aſſociantur cum Eccleſiaſticis.

“ In PROVINCIA ULTONIÆ. Tota integra Provincia Nemine exceptô.

“ In PROVINCIA MOMONIÆ. D. Mauritius Roche, Vicecomes de *Fermoy*, cum ſua Familia. D. Gulielmus de Burgo, Baro de *Caſtle-Connel*. D. Dermitius O-Brien. D. Donatus O-Brien, aliàs *Mac i Brien*, cum tota ſua Familia. D. Colonellus Moriartus O-Brien. D. Donaldus O-Sullivane, Caput ſuæ Nationis, & Familiæ D. Eugenius O-Sullivane-*More*, cum ſua Familia, & Natione. D. Donaldus Mac-Carthy-*More*, Caput ſua Familiæ. D. Mac Carthy-*Riagh*, Caput ſuæ Familiæ. D. Dermitius Mac-Carthy, aliàs *Mac-Donagh* (*s*), Caput ſuæ Familiæ. D. Joannes Condon, cum ſua Familia. D. Colonellus Philippus O-Sullivane. D. Colonellus Oliverius Stephenſon. D. Terentius O Brien. D. Dionyſius Mac-Namara, cum ſua Familia. D. Antonius O-Dwyer, cum ſua Familia. D. Philippus O-Dwyer, cum ſua Familia. D. Joannes Lacy, cum ſua Familia. Civitas *Limerici*. Civitas *Waterfordiæ*. Civitas *Clonmeliæ*. Fortalitium *Dungarvan*.

“ In PROVINCIA CONACIÆ. Civitas Galviæ, cum alijs duodecim Nobilibus, & Gentil-Hominibus, cum ſuis Familijs——In Comitatu de *Leitrim*. D. Comes (*t*) O-Rourk, cum ſuis. D. Bernardus Magranel, Capitaneus, cum ſuis. D. Caherius Magranel cum ſuis. D. Corradus Magranel, cum ſuis. D. Cornelius Magranel, cum ſuis.

“ In PROVINCIA LAGENIÆ. In Comitatu Regis. D. Ludovicus O-Dempſey, Vicecomes de *Clanmalier*, cum tota ſua Familia. D. Arthurus Molloy, cum ſua Familia. D. Morgorus Molloy, cum tribus Capitaneis ex ſua Familia. D. Terentius Coghlanus, cum ſuis. D. Joannes Coghlanus, cum ſua Familia. D. Thaddæus O-Connor, & alius Capitaneus, cum ſuis Familijs.—In Comitatu Reginæ. D. Rodericus O-Morus, cum tota ſua Familia, D. Liteus O-Morus, cum ſuis Militibus, & tota Familia. D. Jacobus Mac-Donnel, cum ſuis. D. Joannes Duiggin, cum ſuis. D. Eduardus O-Dune, cum ſua Familia. D. Albertus O-Dune, Capitaneus, cum ſuis—In Comitatu Weſtmediæ-Richardus Nugent, Comes *Weſtmediæ*, cum ſuis Germanis, & Familia. D. Capitaneus Tyrellus cum tota ſua Familia, cum Armis, & Expenſis. D Gluerus Mac-Geoghegan, cum alio Capitaneo ex ſua Familia. D Jacobus Mac-Geoghegan, cum ſuis. D. Nicolaus Mac-Geoghegan cum ſuis Sequacibus.

(*h*) *Pſal.* LVIII. verſ. 10.
(*i*) *Judicum* V. verſ. 13.
(*k*) *Judith* XIII. verſ. 20.
(*l*) I. *Machab.* III. verſ. 19.
(*m*) *Sap.* X. verſ. 20.
(*n*) I. *Paralip* XXIX. verſ. 11.
(*o*) II. *Machab.* X. verſ. 28.
(*p*) II. *Machab*, XV. verſ. 21,

(*q*) *Judith* XVI. Verſ. 20.

(*r*) Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe Armario V. Num. VIII. Fol. 686.

(*s*) *Mac Donagh*, i. e. Filius *Donati*.

(*t*) Comes non erat ut nunc loquimur, ſed olim dicebatur *Princeps Breſiniæ Occidentalis*, ut videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. IX. §. XXV. Num. III. Lit. k. Pag. 286.

“ D. Morganus O-Melaghlin, cum tota ſua Familia. D. Capitaneus Hope, cum ſuis Sequacibus, &
“ Militibus—In Comitatu *Longofordiæ*. D. Robertus Nugentius cum tota ſua Familia. D. Franciſcus
“ O-Ferrall, cum tota ſua Familia. D. Jacobus O-Ferrall cum ſuis. D. Colonellus Richardus O-Ferrall,
“ cum ſua Familia, Legione, & Sequacibus. D. Aurelius O-Ferrall, cum ſuis. D. Richardus
“ O-Ferrall, cum ſua Familia. D. Thomas Geraldinus, cum ſuis. D. Oliverius Geraldinus, cum ſuis.
“ D. Jacobus Dillon. D. Liceus O-Ferrall, cum tota ſua Familia, & Sequacibus. D. Gerardus O-Ferrall,
“ cum ſuis Cognatis, & Sequacibus. Domini Barones *Longofordienſes* (*u*), cum omnibus ſuis—
“ D. Oliverius Plunkett, Baro de *Louth*—Civitas *Wexfordiæ*—Civitas *Roſſæ Pontis*. Fortalitium
“ *Duncannon*. In Lagenia item ſunt multi ex *Butleris*, qui aſſociantur.

“ TOTUS integer Exercitus *Ultonienſis* ſub D. Eugenio O-Neill—Duæ Legiones integræ Exercitûs
“ *Momonienſis* ſub D. Donato Mac-Carthy, Vicecomite *Muſkriæ*.——D. Generalis Thomas Preſtonus
“ cum Medietate ſui Exercitûs.”

DIE 28 Auguſti 1646 Congregatio utriuſque Cleri apud *Waterfordiam* Supplices dederunt Literas ad Summum Pontificem *Innocentium* X pro Promotione D. Nuntij ad S. Purpuram, commodius exſcribendas Num. CXVIII.

XCII. In eodem *S. Iſidori* de Urbe Archivo, Armario V. Num. VIII. Fol. 519, legere eſt Manuſcriptum authenticum *anglicanum* Tenoris ſequentis.

“ Per Congregationem Eccleſiaſticam utriuſque Cleri, Sæcularis, &
“ Regularis Regni Hiberniæ, Nomine tàm ipſorum, quám aliorum
“ Sibi Adhærentium Confæderatorum Catholicorum.
“ Solemnis Proteſtatio Fidei ergà Deum, & Fidelitatis ergá Regem.

OPPORTUNIUS duxi longiuſculam hanc Scripturam hìc Loci ſummatìm ſic perſtringere. Quamplurima dicit Congregatio Eccleſiaſtica de ſtrenuis ſuis Conatibus, & immenſis Sumptibus per integrum Triennium ad Unionem faciendam ipſos inter & *Proteſtantes* hujus Regni, eô Conſiliô ut Arma & Corda conjungere valerent pro Liberatione Sereniſſimi Regis a Servitute & Tyrannide perduellium Subditorum ejus. Luctuoſè loquitur de inſigni *Eduardo Somerſet*, Comite *Glamorgano*, qui Authoritate Regiâ Pacem *Kilkenniæ* concluſit cum *Confæderatis Catholicis*, 25 Auguſti 1645, & inter alias Conditiones conceſſit, *ut, ſimul cum pleno Catholicæ Religionis Exercitio, Catholicis manerent Eccleſiæ omnes, quas de Facto poſſederant, tàm Cathedrales, quàm Parochiales, & Regulares, necnon & Prædia ad Eccleſias iſtas ſpectantia*. Qua de Cauſa captus fuit Comes de Mandato Proregis *Ormonij*, & in Arce *Dublinienſi* incluſus (*w*). Et cùm totum hoc reapſè vergat in Detrimentum Sereniſſimi Regis, idcircò appoſité uſurpat Congregatio Verba Regij Vatis Pſal. 19. *Mittat ei Dominus, in cujus Manu Cor Regis eſt, Auxilium de Sancto, & de Sion tueatur eum*. Deindè pro Aris & Focis declarat contra novam adverſam Pacem, tàm Catholicæ Religioni quám ipſomet Regi pernicioſam. Poſteá innovat Jusjurandum præcedens (*x*) *Aſſociationis*, & deteſtatur odioſam Antipathiam, & execrabilem Diviſionem *Hibernos* antiquos inter & *Anglos* antiquos, & recentiores; item Cives ac Oppidanos inter, & Rurales. Denique in Memoriam revocat, promittitque, jurat, ac vovet obſervare Verba Chriſti Domini *Matthæi* 22. v. 21. *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*.

“ Datum Waterfordiæ 10 Septembris 1746—Proteſtatio hæc Typis mandanda eſt,
“ & in Parochialibus Eccleſijs publicanda.
“ De Mandato Illuſtriſſimi D. Nuntij, & Congregationis Eccleſiaſticæ
“ utriuſque Cleri Regni Hiberniæ,
Nicolaus Fernenſis Epiſcopus, Congregationis Cancellarius.”

XCIII. Eodem

(*u*) Adeas *Hiberniam Dominicanam* Cap. IX. §. XXXI. Num. II. Lit. p. Pag. 301.

(*w*) Rem totam narrat *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. XLVII. Pag. 652.

(*x*) Illud habes in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. XLIII. Lit. k. Pag. 649.

XCIII. Eodem in Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. VIII. Fol. 543, aſſervatur Tranſumptum authenticum, anglicè Typis impreſſum *Kilkenniæ* Anno 1646, quod in hunc Modum latinè reddo:

“ Nos Nuntius Apoſtolicus, & Congregatio utriuſque Cleri Regni Hiberniæ, auxiliantibus Præſentiâ ſuâ, Auctoritate, & Conſiliô, Domino Generali Lageniæ, & Domino Generali Ultoniæ (*y*), ſeriò perpendentes multimoda Mala in Dies & in Horas ſubſequi ex Defectu regularis Gubernij ſeù Regiminis: Neſcit enim quiſpiam, quò recurrendum eſt pro ſupprimendis Oppreſſionibus, quæ quotidiè accumulantur: Neſcit quoque Exercitus à quo juberi debet, aut ſuſtentari. Hinc omninò neceſſarium eſt præſentiſſimum Remedium, quippè ſi expectandum foret uſque ad Aſſemblæam, ſeù Congregationem Generalem, eſſet Periculum in Mora vergens in Detrimentum, immò & Ruinam inſtantem Regni. Ad præcavenda igitur ulteriora Damna, & præſervandum Regnum ab Exitio, viſum eſt, donec celebretur Congregatio Generalis, & aliter diſponat, ſequentes nominare Perſonas pro varijs Regni Miniſterijs. Imprimis, Septemdecim ſint de *Supremo Concilio*, videlicet D. Nuntius tanquàm ejuſdem Præſes, D. Archiepiſcopus Caſſelienſis (*z*), D. Epiſcopus Clonfertenſis (*a*), D. Epiſcopus Clocherenſis (*b*), D. Epiſcopus Fernenſis (*c*), D. Comes de Glamorgan (*d*), D. Vicecomes Roche (*e*), DD. Generales Lageniæ, & Ultoniæ (*f*), D. Baro de Louth (*g*), Alexander Mac Donnel, Armiger, Phelimus O-Neill, Eques Auratus, Nicolaus Plunkett, Armiger, Robocus Lynch Baronèttus, Daniel O Sullevane *Bear*, Armiger, Dermitius O-Shaghnuſſy, Armiger, Pierius Butler, Armiger, quorum Septem ad minùs neceſſarij erunt ad conſedendum, & Quinque ad ſubſcribendum. Hi porrò eâdem potientur Poteſtate quâ potiti ſunt anteriores Conſiliarij de *Supremo Concilio*, eiſque Domini Generales, cæterique *Confæderati Catholici* obſequi tenebuntur. Ulteriús, ut majorem Vim habitura ſint *Supremi Concilij* Mandata, eidem aggreganda erit Congregatio utriuſque Cleri quoties Sermo erit de diſponendis Rebus Stabilimen Regni concernentibus. Quandò autem agetur de Rebus bellicoſis, ad Concilium militare propriè ſpectantibus, tunc, abſentibus Dominis Generalibus, accerſendus erit ad *Supremum Concilium* Thomas Eſmond Baronettus. Item Philippus Kearney, qui fuit Comitiorum Generalium Clericus, conſtituitur Clericus *Supremi* hujus *Concilij* pro Literis *anglicis*, pro Literis verò *latinis* Robertus Bagot, olim Munere Secretarij functus. Item Gulielmus Hoare, & Patritius Bryan, Armigeri, ea omnia præſtabunt quæ antea præſtabant Arbitrûm Conſeſſus (anglicè *Comitee*) Lageniæ. Item Galfridus Baron, Jacobus Cuſack. Gulielmus Hoare, & Joannes Bermingham, Armigeri, manebunt in Munere Commiſſariorum ſuper Reditibus Regni; & donec Galfridus Baron ex Gallia revertatur, alius Vice ipſius nominandus erit à Provincia Momoniæ. Cum ijſdem etiam in anteriori Munere manebit Joannes Hope, deque alijs olim Officialibus in eodem Munere Ratio habenda erit. Item Patritius Darcy, Armiger, Hugo Rochefort, Armiger, & Gulielmus Hoare, nuper de Corcagia, Armiger, Judices erunt in Curijs forenſibus, ubi ſedebunt, & judicabunt tàm de Litibus pendentibus coram præcedentibus Judicibus, quàm de alijs Litibus còrám Se ventilandis, non ſecùs ac corám Judicibus per Comitia Generalia conſtitutis. Demúm jubemus ut omnes recenſiti ſuis reſpectivè Muneribus fungantur ad Normam Regiminis. Datum Kilkenniæ 26 Septembris 1646.

“ JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS, NUNTIUS
“ APOSTOLICUS.

“ De Mandato Illuſtriſſimi D. Joannis Baptiſtæ Rinuccini, Archiepiſcopi
“ & Principis Firmani, Nuntij Apoſtolici Extraordinarij in Hibernia, & Congregationis
“ Utriuſque Cleri Regni Hiberniæ,
“ *Nicolaus Fernenſis Epiſcopus, Congregatiônis Cancellarius,*”

XCIV. Hic, veluti in proprio Loco, in Medium adducitur quod habes in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXIX. Pag. 677, nimirùm Reſponſio Octo Theologorum *Dublinij* ad Quæſtionem, ipſis a D. Marchione *Ormondiæ*, Regni Prorege, propoſitam.

(*y*) DD. *Thomâ Preſton*, & *Eugenio O-Neill*, videndis identidem in *Hibernia Dominicana*, ſignanter Cap. XVII. Num. XLIV, & L. Pag. 650, & 655.

(*z*) *Thomas Walſh.*

(*a*) *Joannes de Burgo*, poſtmodùm Archiepiſcopus *Tuamenſis.*

(*b*) *Emerus Matthews.*

(*c*) *Nicolaus French.*

(*d*) *Eduardus Somerſet*, Primogenitus Marchionis de *Worceſter*, in *Anglia.*

(*e*) *Mauritius Roche*, Vicecomes de *Fermoy.*

(*f*) *Thomas Preſton*, & *Eugenius O-Neill* prælibati.

(*g*) *Oliverius Plunkett.*

“ Hæc eſt Quæſtio à Marchione Ormondiæ propoſita.

“ *Poſitô, quod Conſilio, Conſenſu, Directione, vel Mandato Nuntij & Cleri, eorum alterius, vel utrique, Urbs hæc obſideatur, & oppugnetur, an tali Caſu hujus Regni Catholici Romani obſidentibus, & oppugnantibus, Vitæ & Bonorum cum Periculo reſiſtere teneantur necne?*

“RESPONDEMUS.

“ Quod ſicut ex Corde, & de Conſcientia noſtra agnoſcimus Sereniſſimum Dominum noſtrum Carolum hujus Urbis, totiuſque Regni, ſuorumque omnium Dominiorum verum & legitimum Regem, ità animi noſtri Sententia eſt, hujus Regni Catholicos Romanos (ſi Obſidione, aut Oppugnatione, Urbem Regi, aut ulli eam legitimâ Auctoritate in illius Uſum tenenti, quiſquam eripere contenderit) in Conſcientia obligatos cum Vitæ, Fortunarumque ſuarum Periculo reſiſtere.

“ *Fr. Marcus Rochfort, Fr. Petrus Darcy, Thomas Quin, Adrianus Cardon, Gulielmus Browne,*
“ *Richardus O-Byrne, Fr. Jacobus Fleming, Fr. Georgius Lawles.*”

In Archivo autem *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. VIII. Fol. 572, hanc videre eſt eorundem Theologorum Apologiam, per Latorem expreſſum ad *Supremum Concilium* miſſam.

“ In harum Latore Os noſtrum patebit ad Vos. Ei Fidem in omnibus adhibere dignemini. Referet ille, quomodo poſt Supplices Preces, ne cogeremur ad Quæſtioni propoſitæ reſpondendum, coacti ſumus Periculô, non tàm noſtrô (quod in poſtremis habuimus) quàm tot Millium innocentium, qui niſi cautè reſpondiſſemus, proſcripti Nobiſcum, & Bonis omnibus exuti, Sedibus Ædibuſque pulſi in Exilium fuiſſent miſerimè relegati. Cæterùm ſperamus Reſponſiones noſtras in eam Sententiam á Vobis interpretandas, quam noſter Senſus, & ipſa (ſi attentè expendantur) Verba præſeferunt. Nos certè in ijs id unicè ſpectavimus, ne Fidelitatis noſtræ Studium (quod explorabatur) Decretis veſtris Auctoritatem abrogare videretur. Quod ſi minùs quàm Nobis propoſitum erat Nos conſequutos cenſeatis, in Mentem Nobis veniat, obſecramus, quænam Vos ipſi Reſponſa fuiſſetis daturi, ſi noſtrô hìc Locô, in tali Articulo, talibuſque Anguſtijs eſſetis conſtituti: Quod non eo ſuggerimus, quô noſtra cum Viris, vel in Sagacitate, Prudentia, vel in Soliditate Doctrinæ præſumamus conferre, ſed ut Charitas quæ hoc Senſu, ſi quô aliô, rectè dicitur incipere á ſeipſa, mitiorem in Partem Verba noſtra dum ſua expendit, accipere & interpretari facilius poſſit. Agimus hìc inter Minas, Terrores, & Pericula perpetua. Quænam porrò, vel Quæſtiones ſolvendæ, vel Pericula Nobis adeunda, cum neſciamus, Conſilium in eam Rem veſtrum, & Orationum veſtrarum Subſidium enixe flagitamus. Dublinij 9 Octobris 1646.”

XCV. In ſæpè memorato *S. Iſidori* de Urbe Archivo, Armario V. Num. VIII. Fol. 98, aliud aſſervatur Tranſumptum authenticum, Sermone *anglicano* Typis impreſſum *Kilkenniæ* Anno 1646 (Stylo novo 1647) quod latinè ſic reddo.

“ Per Congregationem Generalem *Confæderatorum Catholicorum Hiberniæ*
“ convocatam Kilkenniæ Die 10 Januarij 1646 (*Stylo novo* 1647)

“ Mandatur, quod Jusjurandum Aſſociationis, cum Additamento ejuſdem per hanc Congregationem facto juxtà Modum infraſcriptum, de novo (*b*) præſtetur, & juretur ab hujus Congregationis Membris, omnibuſque alijs Confæderatis Catholicis.

“ Ex. *Per Philippum O-Kearney, Gen. Com.*
“ *Hiberniæ Clericum.*

“ Ego A. B. promitto, juro, & proteſtor coràm Deo, ejuſque Angelis, & Sanctis, Me, dum vixero, præſtiturum veram Fidelitatem, & Allegianciam Supremo meo Domino Carolo, Dei Gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, ejuſque Hæredibus, & legitimis Succeſſoribus; Meque pro virili, dum vixero, defenſurum, ſuſtentaturum, & propugnaturam omnes ejus, eorumque juſtas Prærogativas, Ditiones, & Jura, Poteſtatem, & Privilegia Parlamenti hujus Regni, fundamentales

“ Leges

(*b*) Prioris Juramenti Formulam videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. XLIII. lit. k. Pag. 649.

“ Leges Hiberniæ, liberum Exercitium Romano-Catholicæ Fidei, & Religionis per hoc Regnum, necnon Vitas, juſtas Libertates, Poſſeſſiones, Fortunas, ac Jura illorum omnium, qui Juſjurandum hoc jurarunt, aut jurabunt, idque adimplebunt: Item, Me ſervaturum, & defenſurum Mandata omnia, & Decreta, edita, aut edenda, à Supremo Concilio Confæderatorum Catholicorum hujus Regni circà eandem Cauſam publicam; Meque haud impetraturum, aut acceptaturum, directè, vel indirectè, Condonationem, aut Protectionem, pro quacunque Actione facta vel facienda, ad juvandam generalem hanc Cauſam, abſque Conſenſu majoris Partis præfati Concilij: Item, Me, nec directè, nec indirectè, facturum quodcunque Actum, vel Acta, in Præjudicium dictæ Cauſæ, ſed è contrà Me eandem promoturum, proſecuturum, & propugnaturum, cum Diſcrimine Vitæ, & Fortunæ. Ulteriùs, juro item Me non acceptaturum, aut ſervaturum quamcunque Pacem initam, vel ineundam, cum memoratis Confæderatis Catholicis, ſine Conſenſu & Approbatione Comitiorum Generalium dictorum Confæderatorum Catholicorum: Item, ad præſervandam, & corroborandam Regni hujus Aſſociationem, & Unionem, Me ſuper quacunque Pace, vel Accommodatione faciendâ, vel concludendâ, ut præfertur, cum recenſitis Confæderatis Catholicis, pro Viribus intereà ſtrenuè aſſerturum, & defenſurum ſequentes Propoſitiones, donec Pax, ut præfertur, reapſè ineatur, & omnia in ejuſdem Articulis contenta per Parlamentum ſanciantur, & confirmentur. Sic Me Deus adjuvet, & ſancta ejus Evangelia.

“ Propoſitiones memoratæ in præſcripta Juramenti Formula.
(*Ex eodem, ibidem, Fol.* 99)

“ 1. Ut Romano-Catholici, tàm Eccleſiaſtici, quàm Laici, in ſuis reſpectivè Statibus, habeant liberum, & publicum Exercitium Romano-Catholicæ Religionis, & Ritûs, per univerſum Regnum, cum eodem Decore, & Splendore, ac fuit ſivè in Hibernia, ſivè in Anglia, regnante Henrico Septimo, aut quibuſcunque Catholicis Regibus, ejus Prædeceſſoribus, Regibus nimirùm Angliæ, & Dominis Hiberniæ.

“ 2. Ut Clerus-Sæcularis Hiberniæ, ſcilicet Primates (*i*), Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, Decani, Decani & Capitula, Archidiaconi, Cancellarij, Theſaurarij, Præcentores, Præpoſiti, Wardiani (*k*) Eccleſiarum Collegiatarum, & alij Dignitarij, Præbendarij, Parochi, Vicarij, alijque Paſtores Romano-Catholici Cleri Sæcularis, eorumque reſpectivè Succeſſores, omnibus potiantur & gaudeant Juriſdictionibus, Privilegijs, & Immunitatibus, in tam pleno & amplo Modo ac Romano-Catholici Cleri Sæcularis ijſdem potiebantur & gaudebant intrà Regnum hoc quòcunque Tempore Regni quondam Henrici Septimi, Regis Angliæ, & Domini Hiberniæ: Legibus, Statutis, Poteſtate, vel Auctoritate in contrarium non obſtantibus quibuſcunque.

“ 3. Ut Leges, & Statuta omnia, poſt vigeſimum Annum Regni Henrici Octavi (*A. D.* 1529) ſancita de Inhibitionibus, Pænalitatibus, alijſque Reſtrictionibus quibuſcunque contrà quoſcunque Romano-Catholicos, ſivè Eccleſiaſticos, ſivè Laicos, pro tali libero Exercitio Romano-Catholicæ Religionis, ac ſingularum ejuſdem Functionum, Juriſdictionum, & Privilegiorum, abrogentur, ac irrita & inania declarentur in proximo Parlamento per unum, vel plura Acta parlamentaria inibi ferenda.

“ 4. Ut Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Ordinarij, Decani, Decani & Capitula, Archidiaconi, Cancellarij, Theſaurarij, Præcentores, Præpoſiti, Wardiani Eccleſiarum Collegiatarum, & alij Dignitarij, Præbendarij, Parochi, Vicarij, alijque Paſtores Romano-Catholici Cleri Sæcularis, eorumque reſpectivè Succeſſores, potiantur, gaudeant, & fruantur Eccleſijs, & Beneficijs in tam pleno ac amplo Modo ac Clerus Proteſtanticus ijſdem reſpective potiebatur Die primâ Octobris Anno Domini 1641, cum omnibus inſuper Fructibus, Emolumentis, Obventionibus, Libertatibus, alijſque Juribus, in ſuis reſpective Diæceſibus, & Eccleſijs, non ſolùm in Locis per Confæderatos Catholicos nunc poſſeſſis, ſed etiam in omnibus alijs Locis intrà Regnum hoc per eoſdem Confæderatos Catholicos ab abverſa Parte recuperandis, ſalvis Juribus reſpectivè Laicorum Romano-Catholicorum ſecundùm Leges hujus Regni.

“ Ex. *Per Philippum O-Kearney, Generalium*
Comitiorum Hiberniæ Clericum.”

“ Nomina

(*i*) Adeas *Hib. Dom.* Cap. I. Num. XII. Lit. n. Pag. 17.

(*k*) Videſis *Hiberniam Dominicanam* Cap. IX. § XXXVIII. Num. I. Pag. 223; & Cap. XII. §. II. Num. XIV. Lit. p. Pag. 440.

“ Nomina Comitialium, qui recenſitæ Juramenti Formulæ ſubſcripſerunt.
(Ex eodem, ibidem, Fol. 101, *&* *ſeqq.)*

“ PROCERES SPIRITUALES.

“ **Hugo O-Riely**, Archiepiſcopus Armacanus—Thomas Walſh, Archiepiſcopus Caſſelienſis—Patritius Comerford, Ordinis S. Auguſtini, Epiſcopus Waterfordienſis, & Liſmorenſis—Joannes de Burgo, Epiſcopus Clonfertenſis—Joannes O-Mollony, Epiſcopus Laonenſis—Richardus Conell, Epiſcopus Ardfertenſis—Emerus Matthews, Epiſcopus Clocherenſis—Nicolaus French, Epiſcopus Fernenſis—Edmundus O-Dempſey, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Leghlinenſis—Edmundus O-Duyer, Epiſcopus Limericenſis—Arthurus Magenis, Ordinis S. Bernardi, Epiſcopus Dunenſis, & Connerenſis.

“ PROCERES TEMPORALES.

“ **Alexander Mac Donnell**, Comes de *Antrim*—Chriſtophorus Plunket, Comes de *Fingall*—Mauritius Roche, Vicecomes de *Fermoy*—Richardus Butler, Vicecomes de *Mountgarret*—Theobaldus Dillon, Vicecomes de *Coſtellogallen*—Joannes Nettirville, Vicecomes *Netterville*—Donatus Mac-Carthy, Vicecomes de *Muſkery*—Pierius Butler, Vicecomes de *Ikerrin*—Ludovicus O-Dempſey, Vicecomes de *Clanmalier*— Eduardus Butler, Vicecomes de *Galmoy*—Franciſcus Bermingham, Baro de *Athenry*—Brianus Fitz-Patrick, Baro de *Upper-Oſſory*—Oliverius Plunkett, Baro de *Louth*—Gulielmus de Burgo, Baro de *Caſtle-Connell.*

“ Nomina aliorum, veluti Comitialium in Domo Communium (*z*), Ordine alphabetico.

“ **Alexander Warren**, de *Churcheſtown.* Antonius Colclough, de *Rathelin.* Arthurus Magenis, de *Ballynefearney.* Arthurus Cheevers, de *Balliſeſkin.* Antonius Martin, de *Galway.* Alexander Hope de *Ballymacfearagh.* Allanus Donell, de *Montagh.* Andreas Cowley, de *Kilkenny.*

“ **Barnabus Dempsey**, de *Cloneborck.* Bartholomæus Stacpole, de *Limerick.* Brianus Birne, de *Rodine.* Brianus Birne, de *Ballynecorr.*

“ **Carolus Mac Carthy**-*Riagh.* Carolus Heneſſy, de *Catergyn.* Carolus Reynolde, de *Jameſtown.* Callaghanus O-Callaghane, de *Caſtle Mac-Anliff.* Chriſtophorus Geraldinus, de *Coynelunan.* Chriſtophorus Bermingham, de *Corballis.* Chriſtophorus de S. Laurentio, de *Crucetone.* Connorus O-Brien, de *Ballyinac-Coody.* Connellus Carve, de *Allobarnayre.* Chriſtophorus Holywood, de *Tartaine.* Chriſtophorus French, de *Galway.* Clemens Aſhe, de *Elliſtown.* Conlius Mac-Geoghegan, de *Donowre.* Carolus Gilmore. Connellus Magenis, de *Liſſnatierny.* Carolus Mac-Geoghegan, de *Dromore.*

“ **Daniel Magenis**, de *Glaſca.* Daniel O-Kavanagh, de *Cloynemulbin.* Daniel O-Ferrall, de *Iniſcorthy.* Daniel Higgins, de *Limerick.* Daniel Keeffe, de *Dromagh.* Daniel O-Kelly, de *Colengeere.* Daniel O-Connor, de *Quelleane.* David Roche, de *Glanore.* David Power, de *Clonemore.* Daniel Mac-Nemara, de *Downe.* Dionyſius Lalor, de *Ballywoy.* Dominicus Bodkin, de *Galway.* Dermitius O-Brien, de *Drommore.* Donatus O-Callaghane, de *Clonmeene.* Dermitius Mac-Carthy, de *Keantwirck.* Dermitius O-Shagnuſſy, de *Gort.* Daniel O-Sullevane, de *Culmagort.*

“ **Edmundus Geraldinus**, de *Brownsford.* Edmundus Geraldinus, de *Ballymartyr.* Edmundus Dillon, de *Streamſtown.* Edmundus Fitz-Maurice, de *Tyoburry.* Edmundus Kealy, de *Gowran.* Edmundus Butler, de *Idough.* Eduardus Comerford, de *Callan.* Eduardus Mac-Geoghegan, de *Tyrotorine.* Eduardus Rice, de *Dingle.* Eduardus O-Dowde, de *Porterſtown.* Eduardus Shee, de *Kilkenny.* Eduardus Bermingham, de *Curraghton.* Eduardus Browne, de *Galway.* Edmundus Warren, nuper de *Dublin.* Enœas Kinſly, de *Ballynecarrigie.* Everus Magenis, de *Caſtlevellan.*

“ **Fiacrius Flin**, de *Ballinlagha.* Fargutius O-Ferrall, de *Bleanvohir.* Franciſcus Wolverſton, de *Newtown.* Franciſcus Blake, de *Galway.* Franciſcus O-Ronane, de *Kilkenny.* Franciſcus O-Ferrall, de *Moate.* Florentius Fitz-Patrick, de *Liſtdunvearney.*

“ **Galfridus Baro** (*a*) de *Clonmel.* Galfridus Browne, de *Galway.* Georgius Ruſſell, de *Rathmolin.* Georgius Barnewall, de *Kingſtown.* Georgius Comin, de *Limerick.* Galfridus Fanning,

“ de

(*z*) Legenda *Hibernia Dominicana* Cap. I. Num. XXII. Pag. 31.

(*a*) Baro iſte non erat inter Dynaſtas Comitiales in Domo Dominorum, aliàs inter eos ſuperiùs ſubſignaret, ſed erat Baro *Palitinus*, pro quo adeas *Hib. Dom.* Cap. IX. §. XVII. Num. III. Lit. x. Pag. 264. Vel Cognomen anglicum erat *Baron.*

de *Gleanagall.* Gerardus Fenell, de *Balligriffin.* Gerardus Barry, de *Liſsgriffin.* Geraldus Geraldinus, de *Cloynad.* Geraldus Geraldinus, de *Timoge.* Geraldus Fitz-maurice, de *Goby.*

“ HENRICUS GERALDINUS, de *Ticroghan.* Henricus Barnewall, de *Caſtle-Rickard.* Henricus O-Neill, de *Kilbeg.* Hugo Mac-Cartan, de *Lorgline.* Hugo de Rupeforti, de *Tagonan.* Hugo Brin, de *Corrinon.* Hugo O-Rourk, de *Coonarenea.* Hugo Magenis, de *Illanimoyle.* Hugo O-Donell, de *Rumalton.*

“ JACOBUS FRENCH, de *Galway.* Jacobus Preſton, de *Gormanſtown.* Jacobus Mac-Donnell, de *Muff.* Jacobus Prendergaſt, de *Tullovellaine.* Jacobus Dillon, de *Clonegaſſell.* Jacobus Doyle, de *Carrig.* Jacobus O-Kearney, de *Ballyloiſkie.* Jacobus Cuſack, de *Kilkenny.* Jacobus Birne, de *Ballyaccide.* Jacobus Weldon, de *Newry.* Jacobus Barnewall. Jacobus Butler, de *Swyneone.* Joannes de Rupeforti, de *Kilbride.* Joannes White, de *Clonmell.* Joannes Branan, de *Cloyne-Finlogh.* Joannes Haly, de *Limerico.* Joannes Bellew, de *Liffranny.* Joannes Hadſor, de *Keppett.* Joannes Hope, de *Martinſtown.* Joannes de Burgo, de *Caſtlecaroe.* Joannes Walſh, de *Waterfordia.* Joannes Goold, de *Corcagia.* Joannes Dillon, de *Streamſtown.* Joannes Power, de *Kilmacdan.* Joannes Butler, de *Foulſtertown.* Joannes Walſh, de *Ballybechayne.* Joannes Bagot, de *Bagotſtown.* Joannes Bermingham, de *Galvia.* Joannes Roche, de *Caſtletown.* Joannes Garvey, de *Lebons.* Joannes Birne, de *Ballyglan.* Joannes O-Kelly, de *Corbeg.* Joannes Finglas, de *Walſpelſtown.* Joannes Macnamara, de *Moyriorſk.* Joannes Lacy, de *Bruff.* Joannes Allen, de *Allenſcourt.*

“ LAURENTIUS DOWDALL, de *Athlomny.* Lucas Dillon, de *Loughglinn.* Lucas Geraldinus, de *Ticroghan.* Marcus Fitz-Harris, de *Cloghinotfoy.* Marcus Furlong, de *Wexfordia.* Martinus Lynch, de *Galvia,* Mauritius Geraldinus, de *Allone.* Mauritius Hurley, de *Kilduffe.* Matthæus Hore, de *Dungarvan.* Matthæus Geraldinus, de *Gobinſtown.* Michael Dormer, de *Roſſa.* Mortachus O'Kavanagh, de *Garryhill.*

“ NICOLAUS PLUNKETT, de *Belrath.* Nicolaus Sankey, de *Ballytarken.* Nicolaus Mac-Alpin, de *Moy.* Nicolaus Geraldinus, de *Marmayne.* Nicolaus Hay, de *Wexfordia.* Nicolaus Lynch, de *Galvia.* Nicolaus Haly, de *Towryne.* Nicolaus Wogan, de *Rathcoffy.* Nicolaus Dèvereux, de *Ballymagir.* Nicolaus Fitz-Harris, de *Roſſa.*

“ O'Sullevan-More, de *Downekyerane.*

“ PATRITIUS BRYAN, de *Lyſſmayne.* Patritius Nettirville, de *Bellegart.* Patritius Duffe, de *Roſs-Patrick.* Patritius Darcy, de *Galvia.* Patritius Archer, de *Kilkennia.* Patritius Fanning, de *Limerico.* Patritius Babe, de *Dromſkyne.* Patritius Kirwan, de *Galvia.* Patritius Gough, de *Kilmanihine.* Patritius O'Komelti, de *Dungannon.* Petrus Bath, de *Kilkennia.* Petrus Clynton, de *Doliſton.* Petrus Bath (Fitz-Robert) naper de *Dublinio.* Pierius Butler, de *Barramount.* Pierius Geraldinus, de *Ballyſhannon.* Pierius Butler, de *Cahir.* Pierius Nugent, de *Ballynecurr.* Pierius Butler, de *Baneſeagh.* Phelimus O'Neill, de *Morly.* Philippus O'Dwyer, de *Dundrome.* Philippus Flattiſbery, de *Dremanſtown.*

“ REDMUNDUS ROCHE, de *Cahirdowgan.* Richardus Belling, de *Tyrrelſtown.* Richardus Wadding, de *Ballycogly.* Richardus Strange, de *Rockswell-Caſtle.* Richardus Mac Geoghegan, de *Mog-Caſhel.* Richardus Everard, de *Everardſcaſtle.* Richardus de Burgo, de *Dromruiſk.* Richardus de Burgo, de *Killewly.* Richardus Stafford (Fitz Richard) de *Wexfordia.* Richardus Nettirville. Robertus Purcell, de *Curry.* Robertus Bath, de *Clyntuirick.* Robertus Devereux, de *Ballyſhannon.* Robertus Shee (Fitz-William) de *Kilkennia.* Robertus Bath, nuper de *Dublinio.* Robertus Hartpole. Robertus Preſton, de *Gormanſtown.* Robertus Talbot, de *Caſtle-Talbot.* Robuccus Lynch, de *Galvia.* Rogerus Morus, de *Ballinakill.* Rogerus Nangle, de *Glynmore.*

“ Stephanus Fallon, de *Athlone.* Sylveſter Brown, dè *Dublinio.*

“ TERENTIUS DOYNE, de *Kilkenan.* Thaddæus Mac Carthy, de *Kilfallywy.* Thaddæus O'Connor-*Sligo.* Thaddæus O'Connor-*Roe,* de *Ballinafad.* Thaddæus O'Hanly, de *Colerana.* Thaddæus O'Body. Thaddæus O'Dowde, de *Roſburr.* Theobaldus de Burgo, de *Buolly-Bourke.* Therlachus O'Neill, de *Ardgonell.* Terlachus O'Boyle, de *Ballymore.* Thomas Preſton. Thomas Fleming, de *Cabragh.* Thomas Tyrell, de *Kilbride.* Thomas Wadding, de *Waterfordia.* Thomas Henes, de *Feathard.* Thomas Butler, de *Ballinakill.* Thomas O'Ryan, de Doone. Thomas Geraldinus, de *Bonnesford.*

“ ULICUS de BURGO, de *Glinſk.* Walterus Butler, de *Paulſtown.* Walterus Cruiſe, de *Arlonan.* Walterus Shee, de *Trim.* Walterus Archer, de *Kilkennia.* Waltèrus Bagnall, de *Doneleekny.* Walterus Dougan, de *Caſtletown.* Willielmus Langton, de *Kilkennia.* Willielmus Kealy, de *Gowran.* Willielmus Warren, de *Caſheltown.* Willielmus Bermingham, de *Parſonſtown.* Willielmus Hoare, de *Harryſtown.* Willielmus Sutton, de *Ballcroge.* Willielmus Hoare, de *Corcagia.* Willielmus Fallon, de *Milltowu.* Willielmus de Burgo, de *Pollardſtown.* Willielmus Yonge, de *Caſhel.*

XCVI. Die 10 Martij 1646. (Stylo novo 1647)

EDICTUM Congregationis Generalis *Confœderatorum Catholicorum Hiberniæ* publicatum fuit

Kilkenniæ

Kilkenniæ Anglico Idiomate, mandans omnibus & Singulis *Confæderatis Catholicis* intrà Regnum *Hiberniæ*, cujuſcunque Statûs & Conditionis, tàm militaribus quàm non militaribus; item omnibus & ſingulis Eccleſiaſticis, tàm Sæcularibus quàm Regularibus, ut novum præſtent Aſſociationis Juramentum, & quidem pro Defenſione Regis, & regalium ejus Jurium & Prærogativarum, contrá malignam Factionem Parlamentariam *Angliæ*, *Hiberniæ*, & *Scotiæ*; necnon pro Præſervatione Religionis, Vitarum, Libertatum, Fortunarum, & Jurium *Confederatorum Catholicorum Hiberniæ*. Hinc quicunque recuſaverit tale præſtare Juramentum, reputabitur eo ipſo Traditor Dei, Regis, & Patriæ, & uti talis ſtrictiſſimè punietur.

“ Datum *Kilkenniæ* Die 8 Martij 1646.

“ Ex. *Per Philippum O-Kearney,*
Gen. Com. Hiberniæ Clericum.”

(Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. VIII. Fol. 103)

UT porrò candidus Lector claré intelligat antecedentia & ſubſequentia, rectéque inter ea diſcernat, non abs Re ſed planè opportunum erit hic Loci memorare quæ ex *Antonio Bruodino*, Scriptore coœvo, & alijs, habet *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LIII. Pag. 658, nempè D. Nuntium, accerſitis D. Generali *Eugenio O-Neillo* ex *Ultonia*, & D. Generali *Thomâ Preſtono* ex *Conacia* (qui præſtó aderant) Menſe Septembri ~~1746~~ *Waterfordiâ* rediſſe *Kilkenniam*, ordinariam *Supremi Concilij* Sedem, ubi primarios Pacis *Ormonicæ* Fautores, quot quòt obvios habuit,
1646 per Generalem *O-Neillum* capi, & in *Kilkennienſi* Arce cuſtodiri curavit, tanquàm Religionis & Patriæ Proditores, omnes præſertim *Supremi Concilij* Senatores, *Nicolao Plunkett*, & *Patritio Darcy*, Armigeris, duntaxàt exceptis. Succinit Hiſtoria *Legationis* hujuſce *Hibernicæ* per *Dionyſium Maſſarium*, D. Nuntij Auditorem, atque individuum Comitem, Verbis infrá recenſendis in hoc *Supplemento*, Num. CXI. Sect. 1. & 31, nimirùm:- “ Anno 1646 proſcriptâ Pace *Ormonicâ*, exauctoratô Conciliô Supremô, & Côngregatione Eccleſiaſticâ compactâ, Nuntius in
“ hujus mixti Magiſtratûs Præſidem cooptatus, cum alijs ex Congregatione & Concilio, Operam
“ dedit, ut nequiſſimæ illius Factionis *Ormonicæ* Impetus, Eccleſiæ exitialis, cohiberetur, nec
“ cæptis defuit Deus, qui Menſibus Auguſtô & Septembri, ità ejus & Partis ſinceroe Conatus
“ ſecundavit, ut Conſiliarijs, qui *Ormonio* ſtuderent, exauctoratis, atque in Carcerem conjectis,
“ Paceque iniquâ proſcripta (ut præfertur) Clerus atque ejus Partes triumpharunt, & uſque ad
“ Finem, ut credere par eſt, triumphaſſent, niſi Nuntius, ab *Ormoniſtis* deceptus, Mente opti-
“ mâ, ſed improvidâ, permiſiſſet, Concordiæ inter Partes reintegrandæ Studiô, ut Comitia Ge-
“ neralia ad ineuntem Annum 1647 celebrarentur, donatis Libertate illis Conſiliarijs, qui ſuam ite-
“ rùm Factionem ex Funere redivivam, in Regni Ruinam, reſuſcitarunt.” Hæc *Maſſarius.*

XCVII. Pag. 671. Lit. z. poſt illa Verba. Lib. I. Cap. XI. Pag. 94, adde——Porrò Congretio Provincialis *Lageniæ* ſuum Suffragiorum Concordiæ (circà Armiſtitium *Inchiquinanum*) Inſtrumentum dedit 24 Aprilis 1648 ſic ſubſcriptum (Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, *Armario V. Num. IX. Fol.* 424.)

“ *Mountgarret (g).*
“ *Dillon (h).*
“ *Clanmalier (i).*
“ *Upper-Oſſory (k).*
“ *Patritius Nettirville.*
“ *Pierius Butler.*
“ *Joannes Dongan.*
“ *Laurentius Dowdall.*
“ *Gulielmus Hore.*
“ *Thomas Geraldinus.*
“ *Thomas Tyrrell.*
“ *Brianus Birne.*
“ *Robertus Shee.*
“ *Marcus Cheevers.*
“ *Franciſcus Dormer.*
“ *Brianus Ferrall.*
“ *Joannes Doyle.*
“ *Edmundus Ferrall.*
“ *Terentius Doyne.*

CONGREGATIO

(g) *Richardus Butler*, Vicecomes de *Mountgarret.*

(h) *Theobaldus Dillon*, Vicecomes *Dillon*, de *Coſtello-Gallen.*

(i) *Ludovicus O-Dempſey*, Vicecomes de *Clanmalier.*

(k) *Brianus Fitz-Patrick*, Baro *Oſſoriæ Superioris.*

Congregatio etiam Provincialis *Momoniæ* ſuum Suffragiorum Concordiæ pariter Inſtrumentum dedit 27 Aprilis 1648 ſic ſubſcriptum (Ex prælibato Archivo, *ibidem Fol.* 426).

“ *Ikerrin* (*l*).
“ *Kilmallock* (*m*).
“ *Dunboyne* (*n*).
“ *Daniel O-Brien.*
“ *Gulielmus de Burgo.*
“ *Richardus Butler.*
“ *Thomas Butler.*
“ *Eduardus Fitz-Harris.*
“ *Thomas Ryan.*
“ *Georgius Commyn.*
“ *Joannes Haly.*
“ *Richardus Strange.*
“ *Petrus Sherlock.*
“ *Joannes Geraldinus.*
“ *Petrus Dobyn.*
“ *Edmundus Bryan.*
“ *Pierius Creagh.*
“ *Michael White.*
“ *Gulielmus Young.*
“ *Mauritius Bagot.*
“ *Joannes Walſh.*
“ *Bartholomæus Stackpole.*
“ *Joannes Goold.*
“ *Gulielmus Creagh.*
“ *Joannes Grace.*
“ *Gulielmus Hore.*

XCVIII. Ratificatio Ceſſationis Armorum cum Domino Barone de *Inchiquin* (*o*).

“PER SUPREMUM CONCILIUM CONFÆDERATORUM
“HIBERNIÆ CATHOLICORUM.

“ Quandoquidem Richardus Everardus, Eques Auratus, Patritius Goughe, & Joannes Walſh, “ Armigeri, Virtute noſtræ Commiſſionis ſub Data Die 20 Aprilis elapſi, concluſerint Armiſtitium, Ceſ“ſationem ab omni Invaſione hoſtili, & liberum, tàm Mari, quàm Terrâ, Commercium cum Domino “ Barone de Inchiquin, & ſuis Confæderatis in Provincia Momoniæ, uſque ad primam Diem Novembris “ proximè futuri, ut ex annexa Articulorum Copia conſtabit: Nos per Præſentes præfatam Ceſſationem “ ratificamus, & approbamus, mandantes omnibus & ſingulis Generalibus, Colonellis, Officialibus, Ma“giſtratibus, Commiſſarijs bellicis, & civilibus, & reliquis quibuſlibet Confæderatis Catholicis, ut hu“jus noſtræ Reſolutionis Notitiam habentes, eandem fideliter obſervent; & Præfectis omnibus, & pub“licis Officialibus, ad quos ſpectat, ut prædictam Ceſſationem, & hanc noſtram Determinationem, op“portunè faciant publicari. Datum Kilkenniæ 22 Maij 1648.

“ *Mountgarret* (*p*).
“ *Athenry* (*q*).
“ *Lucas Dillon.*
“ *Robertus Lynch.*
“ *Phelimus O-Neill.*
“ *Richardus Belling.*
“ *Geraldus Fennell.*
“ *Robertus Devereux.*
“ *Patritius Bryan.*

XCIX. *Articuli Concordiæ, quos Verè Honorabilis Dominus Maurus Baro de “ Inchiquin, Generalis Copiarum Proteſtantium in Momonia, ex una Parte, & “ Richardus Everardus, Eques Auratus, Patritius Gough, & Joannes Walſh, Armigeri, “ ex altera, concluſerunt, & determinarunt, qui ad id deputati ſunt Commiſſarij, “ cum Plenitudine Authoritatis, & Poteſtatis, à Vice Comite de Mountgarret, Barone “ de Athenry, & cæteris Supremi Concilij Confæderatorum Catholicorum Regni Hiberniæ.*

“ *Datum* 20 *Maij* 1648.

“ Imprimis fiat Armiſtitium, & Suſpenſio ab omni Actione hoſtili, ex utraque Parte, a Die Datæ “ hujus uſque ad primam ſequentis Novembris, quæ Ceſſatio extendenda eſt tàm ad Eccleſiaſticos, quàm “ ad Sæculares.

“ 2. Quod

(*l*) *Pierius Butler*, Vicecomes de *Ikerrin*. Dynaſta ab eo deſcendens eſt Comes de *Carrick*.

(*m*) *Gulielmus Sarsfield*, Vicecomes de *Kilmallock*.

(*n*) *Jacobus Butler*, Baro de *Dunboyne*.

(*o*) Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, armario V. Num. IX. Fol. 430.

(*p*) *Richardus Butler*, Vicecomus de *Mountgarret*.

(*q*) *Franciſcus Bermingham*, Baro de *Athenry*. Dynaſta ab eo deſcendens eſt Comes de *Louth*.

“ 2. Quod nullus Confœderatorum Catholicorum, ſivè Eccleſiaſticus, ſivè Sæcularis, vexari, aut moleſtari debeat per prædictum Baronem, aut ullum ex ſuis Adhærentibus, quominùs liberè exercere poſſint Functiones Religionis Catholicæ, durante prædictâ Ceſſatione Armorum, exceptis tantùm Fortalitijs, & Locis munitis, per prædictum Dominum occupatis.

“ 3. Quod, durante hac Armorum Ceſſatione, utraque Pars mutuam ſibi teneatur præſtare Aſſiſtentiam in omni Occaſione, ad promovenda Suæ Majeſtatis Obſequia, & opponendum Se ſingulis, qui vel Armis, vel ullâ aliâ Actione hoſtili, prædictam Ceſſationem violare tentaverint.

“ 4. Quod omnes Captivi utriuſque Partis, de quibus nondùm ulla facta eſt Compoſitio, ſtatim ab hujus Publicatione Libertate donentur.

“ 5. Quod Loca, & Poſſeſſiones, quas de Facto retinent Eccleſiaſtici, & Sæculares, utriuſque Partis, in eo Statu remanere debeant, in quo, antequam hæc Tractatio incepiſſet, extiterunt. Item quod Eccleſiaſtici, & Sæculares, utriuſque Partis, nullo Modo vexari, aut moleſtari debeant alijs Taxationibus, aut Gravaminibus, durante hac Armorum Suſpenſione, quàm ſolis illis Contributionibus, & Redditibus, Uſui publico ſolvendis, quibus erunt ſubjecti quotquot ſe conformaverint Articulis hujus Ceſſationis.

“ 6. Quod ſingulæ Contributiones, & Taxationes publicæ nondùm in alterutra Parte ſolutæ, infrà quindecim Dies à Publicatione hujus Ceſſationis colligantur, & ſolvantur (modò id fuerit requiſitum) per illius Partis Incolas, in quorum Diſtrictu hujuſmodi Contributiones adhuc debentur. Vel utraque Pars alteri permittat, prædictas Contributiones exigere in illis Locis, in quibus aliâs erant ſolvendæ, tàm in Lagenia, quàm in Momonia, omnibus Modis, & Vijs, quibus meliùs videbitur expedire.

“ 7. Quod nullus Militum Numerus alterutrius Partis, ſuprà Viginti, tranſire poſſit ad Quarterias alterius Partis, abſque Licentia Supremi Officialis illius Partis, ad quam fiet Tranſitus.

“ 8. Quod utrinque per univerſum Dominium utriuſque Partis, tàm Terrâ, quàm Mari, & Fluminibus, Mechanicæ Artes, & Commercia, inter quoſcunque liberè poſſint exerceri. Naves etiam utriuſque Partis ad Portus alterius confugientes, mutuam habeant Protectionem, & Tutelam, contrà quaſcunque alias Naves hoſtiles. Neque prædictus Baro, nec ullus ex ſuis Confœderatis, poterit confiſcare Naves, aut ullas Merces, ullo Modo ſpectantes ad Confœderatos Catholicos: Neque viciſſim Catholici ullam Navem, aut Merces ſpectantes ad prædictum Baronem de Inchiquin. Caſu autem quô prædictus Baro velit inire Capitulationem, aut Tractationem aliquam cum ulla Navi, tenebitur Catholicorum Naves indemnes conſervare, ſicut proprias.

“ 9. Præfatus Baro dè Inchiquin pro Suſtentatione ſui Exercitûs habebit integros ſequentes Comitatus, videlicet Corcagienſem (z), Waterfordienſem, & de Kerry; Caſtellum de Cahirr cum Territorio annexo intrà Limites Comitatûs Tipperarienſis: Eâ Conditione, quod nec ipſe, nec ullus ſuorum Confœderatorum poſſit extorquere, aut exigere ullum Genus Contributionum in Baronatu ſeù Dominio vulgo *Galltyre* & *Glanabyrie*, in dicto Comitatu Waterfordienſi, aut in Oppido, aut Villis Dominij, ſeù Diſtrictûs Locorum de *Dingle* & *Traley* in dicto Comitatu de Kerry. Confœderati tamen Catholici ex hujuſmodi Locis, ſibi relictis, tantùm ſolvere debent prædicto Baroni, quantùm alij prædictorum Comitatuum Incolæ, juxtà Portionem Jugerum (s) Terræ ſupradictorum Comitatuum, idque præfixis & ſtatutis Temporibus, quibus Taxationes, & Contributiones à cæteris Incolis præfatorum Comitatuum fuerint ſolvendæ: Ità tamen quod Exactores, ſeù Collectores Contributionum præmonere teneantur Incolas Oppidorum, & Villarum de Tempore Solutionis. Neque Tractus Terræ in Comitatu Waterfordienſi, & de Kerry, teneantur ſolvere niſi juxtà Proportionem Taxationis Comitatûs Corcagienſis.

“ 10. Officiales, Milites, & quicunque alij utriuſque Partis, ad alteram ob quæcunque Crimina confugientes capiantur, & ad ſuos remittantur, cùm fuerit requiſitum.

“ 11. Confœderati Catholici non ſolùm permittant prædicto Baroni, tantam Pecuniæ Summam in ſuis Diſtrictibus mutuare, quantam judicaverit neceſſariam pro Suſtentatione ſui Exercitûs, verùm etiam teneantur omnem Favorem, & Aſſiſtentiam ipſi præſtare ad procurandam talem Pecuniæ Summam.

“ 12. Licitum ſit prædicto Baroni, & alijs quibuſlibet utriuſque Partis, impignorare ſuas Poſſeſſiones ad Effectum procurandi Pecunias neceſſarias ad promovenda Obſequia Suæ Majeſtatis contrà quoſcunque Adverſarios: Ità ut prædictæ Impignorationes ratæ, ac validæ ſint tàm contrà præfatum Baronem, & ſuos Adhærentes, quàm contrá Confœderatos Catholicos, eâ Lege, ut Poſſeſſiones impignoratæ ſubjectæ ſint conſuetis Taxationibus ſolvendis Uſui publico (uſque ad ulteriorem Diſpoſitionem)

“ juxtà

(z) Civilem Regni *Hiberniæ* Diviſionem in triginta duos *Comitatus* exhibet *Hibernia Dominicana* Cap. I. Num. XI. Pag. 15.

(s) Quid ſit *Jugerum* videre poteris ibidem Lit. i. Pag. 14.

" juxtà Proportionem, & Æqualitatem aliarum Poſſeſſionum, & Terrarum illorum Comitatuum, in quibus exiſtunt. Statuitur etiam, quod, durante hac Ceſſatione, per hujuſmodi Impignorationes non diminuatur ex Redditibus, Uſui publico deputatis, in Terris Proteſtantium impignoratis pluſquàm ducentæ quinquaginta Libræ Anglicanæ.

" 13. Si qui, unius, aut alterius Partis, in Quarterijs alterius, à prima Die hujus Menſis Maij uſque ad Finem hujus Ceſſationis, ullam Pecuniæ Summam collegerint, teneantur eam reſtituere illi Parti, ad quam in Diviſione facta ſpectat Locus, in quo Summa illa collecta fuerit. Milites item unius Partis, exiſtentes in Quarterijs alterius, ſtatim revocentur ad proprias.

" 14. **Singuli** utriuſque Partis adhærentes prædicto Baroni, quàm Confæderatis Catholicis, qui ſe declaraverint pro Sua Majeſtate, aut eidem ſe ſubmiſerint, & obſervaverint Contenta in his Articulis, gaudebunt Beneficio Ceſſationis ad Vota utriuſque Partis.

" 15. **Pierius Smith**, Eques Auratus, & Joannes Power de Duneyle, Armiger, deputentur Commiſſarij pro Comitatu Waterfordienſi; Donatus O-Callaghane de Clonmeene, Armiger, Locumtenens Colonellus, Gulielmus Ryves, Gubernator de Moyalloe *(t)*, pro Comitatu Corcagienſi; & Colonellus Joannes Trenchard, & Capitaneus Gerardus Fitz-Maurice, pro Comitatu de Kerry; cum Plenitudine Poteſtatis, & Authoritatis, ad audiendas, decidendas, & componendas quaſcunque Controverſias, tendentes in Præjudicium hujus Ceſſationis, á quovis tentandas, intrá Fines prædictorum Comitatuum reſpectivè, ad eaſdem obviandas, & condignas Pænas infligendas Tranſgreſſoribus, ut videbitur ipſis ſecundùm Juſtitiam convenire. In quorum omnium Fidem ambæ Partes hiſce ſubſcripſerunt, & ſua Signa apponi curaverunt, die, & Anno prænominatis.

T

" *Inchiquin.*
(*Nempè Maurus*, ſeu *Murtachus*, *O-Brien*,
Baro de *Inchiquin*, poſteá Comes de
Inchiquin, creatus á *Carolo* II. A. D. ~~1760~~)

" *Richardus Everard.*
" *Patritius Gough.*
" *Joannes Walſh.*"

1660

C. Pag. 674. ad Num. LXVI, lege, & adde ut ſequitur—Ex hac Excommunicationis Sententia liquidò conſtat, emanaſſe Die 23 (ſeù potius 27) Aprilis 1648 contrà Inducias contrahendas Declarationem quandam Epiſcoporum, quos *Philopater Irenæus* aſſerit fuiſſe Numero quatuordecim, eos tamen non prodit, neque ullibi inveni.

Verum tandem aliquandò inveni eam *Florentiæ* Anno 1770 in venuſta Bibliotheca D. Marchionis *Rinuccini*, & quidem in Hiſtoria M. S. *Legationis Hibernicæ*, quinque Voluminibus permagnæ Molis in Folio comprehenſâ, in qua uberi Calamo omnia Legationem iſtam quoquomodò attinentia, Ordine chronologicô, clarè diſtincteque pertractantur *(u)*. Ibi porrò legere eſt recenſitam Epiſcoporum Declarationem, non tamen Die 23 Aprilis ut ex *Philopatre* exſcripſeram, ſed Die 27 ejuſdem Menſis datam. Quinimmò hanc Declarationis Datam videre eſt in *Excommunicationis Sententia* ipſamet, ut jacet in præclibata Hiſtoria M. S. Neque quidquam prorſùs actum eſt per Nuntium, aut Epiſcopos Die 23 Aprilis, ut ex eadem Hiſtoria Sole meridiano clariùs patet *(w)*. En igitur Declarationem à quatuordecim ſubſcriptam Antiſtitibus *(x)*.

6 B 2 " Per

(t) Nunc paſſim nuncupatur *Mallow*.

(u) Inter alia refertur, Seſſiones tam *Comitiorum Generalium*, quàm *Supremi Confæderatorum Catholicorum Concilij*, habitas fuiſſe in Caſtro *Kilkennienſi*, quod, ut candidè fatear, pro certo haud ſciebam quando *Hiberniam Dominicanam* edidi; Idque patebit ex brevi dicendis Num. CX. Sect. 2. Idipſum etiam diſertè refert D. Nuntius in Epiſtola ad Cardinalem Secretarium Statûs (quam Hiſtoria iſta exhibet), ubi inſuper deſcribit Modum cæremonialem, quô à Senatoribus in prælibato Caſtro honorificè receptus fuit, nominatìm ab eorum Præſide, *Richardo Butler* Vicecomite de *Mountgarret*, nuper memorato, de quo dicebam in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. XLIII. Pag. 649.

(w) In Archivo *S. Iſidori* de Urbe eandem vidi Declarationem cum Appoſitione Datæ 27 Aprilis 1648.

(x) Horum tamen tres, *Tuamenſis* nimirùm, *Alladenſis*, & *Limericenſis* (ob Diſcrimen inter Inſtrumenta Articulorum Ceſſationis) alienæ poſtmodùm ſubſignarunt Declarationi 23 Januarij 1649, quam videſis in *Hibernia Dominicana* Pag. 674. Sed tandem iſti etiam tres, cum reliquis omnibus, Pacem repudiarunt 6 Auguſti 1650, poſtquàm ſcilicet eandem abrogaverat Rex *Carolus Secundus*, illam in omnibus, & per omnia irritam declarans, & inanem, ut legere eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXXXII. Pag. 691, & ſeq.

“ Per Archiepiſcopos & Epiſcopos Regni Hiberniæ, congregatos coram
“ Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino D. Joanne Baptiſta Rinuccino, Archiepiſcopo,
“ & Principe Firmano, ac in eodem Regno Nuntio Apoſtolico Extraordinario.

“ Nos videntes ab Illuſtriſſimis Dominis Supremi Concilij tractari de Armorum Ceſſatione cum Domino
“ Barone de Inchiquin concludendâ, exiſtimavimus Officij noſtri eſſe, & Curæ, quam de Religionis
“ Catholicæ Incrementis, & Animarum Nobis commiſſarum Salute promovendis, & conſervandis habere
“ debemus, ut illius Ceſſationis Momenta attentè ponderaremus, & ſtudioſè conſideraremus. Diſcuſſis
“ igitur enucleatè Rerum, & Temporum præſentium Circumſtantijs, & Rationibus, ad id pertinentibus,
“ invenimus prædictam Ceſſationem omninò tendere ad Ruinam Catholicæ Religionis, Cultorumque ejus,
“ in hoc Regno: Ac propterea Conſcientiâ moti eandem Ceſſationem periculoſam ſanè & iniquam eſſe
“ daclaramus, ac nulli tutum in Conſcientia illam amplecti. In quorum omnium & ſingulorum Fidem &
“ Robur, Declarationem hanc deſcribi fecimus, & ſcriptæ ſubſcripſimus. Datum Kilkenniæ Die 27
“ Aprilis Anno 1648.

“ *Hugo Ardmachanus* (*k*).
“ *Fr. Thomas Dublinienſis* (*l*).
“ *Thomas Caſſelienſis* (*m*).
“ *Joannes Tuamenſis Electus* (*n*).
“ *Franciſcus Alladenſis* (*o*).
“ *Fr. Patritius Waterfordienſis, & Liſmorenſis* (*p*).
“ *Edmundus Limericenſis* (*q*).
“ *Emerus Clocherenſis* (*r*).
“ *Fr. Boetius Roſſenſis* (*s*).
“ *Robertus Corcagienſis, & Clonenſis* (*t*).
“ *Fr Antonius Clonmacnoiſenſis* (*u*).
“ *Fr. Terentius Imelacenſis* (*w*).
“ *Andreas Fenaborenſis* (*x*).
“ *Fr. Arthurus Dunenſis, & Connorenſis* (*y*).”

CI. Pag. 675. Num. LXVII deſideratur Appellatio *Supremi Concilij* à D. Nuntij Apoſtolici Sententia Excommunicationis. En autem eam ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, ubi Exemplar, Typis impreſſum *Kilkenniæ*, Anno Domini 1648.

“ Appellatio Supremi Concilij *Confæderatorum Catholicorum* Regni
“ Hiberniæ interpoſita coram Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D.
“ D. Nuntio, atque ad Summum Pontificem facta.
“ Kilkenniæ A. D. 1648.

“ In Nomine Domini Amen.

“ Nos Richardus Vicecomes de Mountgarret, Franciſcus Dominus Baro de Athenry, Lucas Dillon,
“ Eques Auratus, Robertus Lynch, Baronettus, Phelimus O-Neill, Eques Auratus, Richardus Belling,
“ Geraldus Fennell, Patritius Bryan, & Robertus Devereux, Armigeri, cæterique de Numero Supremi
“ Concilij Confæderatorum Catholicorum Regni *Hiberniæ*, non ſolàm reſidentis, verum etiam abſentis,
“ & non præſentis, nec reſidentis: Necnon Richardus Everard, Miles Baronettus, Patritius Gough,
“ & Joannes Walſh, Armigeri, Commiſſarij ex Parte Concilij prædicti Deputati, pro Inducijs, Treguâ,
“ ſivè Ceſſatione Armorum tractandâ, & concludendâ inter Confæderatos Catholicos dicti Regni, &
“ Dominum *Baronem de Inchiquin*, ejuſque Exercitum, & Partem, Animo appellandi, & provocandi,
“ deque

(*k*) *Hugo O-Reilly*, Archiepiſcopus *Armachanus.*

(*l*) Fr. *Thomas Fleming*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopus *Dublinienſis.*

(*m*) *Thomas Walſh*, Archiepiſcopus *Caſſelienſis.*

(*n*) *Joannes de Burgo*, Archiepiſcopus *Tuamenſis.* Electus in Locum ſcilicet *Malachiæ Quælei*, aliàs *Keely*, nuper laudati. Fuit anteà Epiſcopus *Clonfertenſis* ut in hoc *Supplem.* Num. XCV. Pag. 884.

(*o*) *Franciſcus Kirwan*, Epiſcopus *Alladenſis.*

(*p*) Fr. *Patritius Comerford*, Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, Epiſcopus *Waterfordienſis*, & *Liſmorenſis.*

(*q*) *Edmundus O-Dwyer*, Epiſcopus *Limericenſis.*

(*r*) *Emerus Matthews*, Epiſcopus *Clocherenſis.*

(*s*) Fr. *Boetius Mac-Egan*, Ordinis Minorum, Epiſcopus *Roſſenſis.*

(*t*) *Robertus Barry*, Epiſcopus *Corcagienſis*, & *Clonenſis.*

(*u*) Fr. *Antonius Mac-Geoghegan*, Ordinis Minorum, Epiſcopus *Clonmacnoiſenſis*, *poſteà Midenſis.*

(*w*) Fr. *Terentius O-Brien*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Imelacenſis.*

(*x*) *Andreas Lynch*, Epiſcopus *Fenaborenſis.*

(*y*) Fr. *Arthurus Magenis*, Ciſtercienſis Ordinis *S. Bernardi*, Epiſcopus *Dunenſis*, & *Connorenſis.*

deque Nullitate, & Iniquitate Gravaminum infraſcriptorum, omnium, & ſingulorum, æquè principaliter querelandi. Conſiderantes Remedium Appellationis, & Provocationis, ideò eſſe â Jure inventum, & introductum, ut aggravatorum, & oppreſſorum Status conſervetur integer, & illæſus, & quod per Inferiores Judices illegitimè, inconſideratè, injurioſé, aut injuſtè actum, geſtum, pronunciatum, atque definitum ſit, id ſano Superioris Moderamine, & Judicio reformetur. Inde eſt, quod Nos hoc Fundamento ſubnixi, ſentientes Noſipſos, & per noſtra Latera univerſos Confæderatos Regni *Hiberniæ* Fidei Catholicæ Cultores, & Propugnatores, per infrà ſpecificata enormiter in Honore, Officio, Æſtimatione, & Perſonis lædi, ad hoc Refugium, & Juris Beneficium, tanquam ad Sacram Anchoram recurrimus.

“ Et licèt nullo unquam (quoad ſciamus) & præcipué Eccleſiaſtico, vel Regulari Occaſionem dederimus, vel aliquis Noſtrum dederit, ob quam offendi, denigrari, vel incapaces ad Officium, ſivè Munus noſtrum in Adminiſtratione Reipublicæ reddi debeamus, maximè per Prælatos, & alios in Dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos, quibus utique omnem Obedientiam, Honorem, & Reverentiam, & quibuſcunque licitis, & honeſtis detulimus, prout ſemper deferimus, & exhibemus; licétque in publicis Comitijs Confæderatorum Catholicorum Regni *Hiberniæ* prædicti, habitis Kilkenniæ, & inceptis 12 Die Menſis Novembris Anno Dominicæ Incarnationis 1642 (z) rité, & legitimè tàm per Prælatos Regni, quám Laicos, Votum in dictis Comitijs habentes, electi-ſimus ad regendum, & gubernandum in hac lacerata Republica, & hujus Intuitu Nos (maximè quibus perſonalis Reſidentia eſt injuncta) Aciem Oculorum ad dilaniatam nunc *Momoniæ* Provinciam, nuper florentiſſimam, convertentes, & cum maximo Doloris Senſu, eandem in ultimo quaſi Diſcrimine poſitam, per tot Clades, & Exercituum Profligationes unâ Æſtate (Deo ſic permittente) paſſam, dictæque Provinciæ Æraria exhauſta, & exſiccata, Agriculturam in eadem intermiſſam, Milite ab Armis, & alijs bellicis Neceſſarijs prorsùs imparatos, Incolas ad extremam Paupertatem redactos, & ſuos Agros, Fundos, & Prædia deſerentes, Agricultores, & Firmarios prorſùs Mendicos effectos, & Comitatus reſpectivé de Waterford, Tipperary, Limerick, & Kerry, Ferro Flammaque abſumptos, Præſidia, & Propugnacula Militiæ Catholicæ Manibus Confæderatorum per hoſtilem Exercitum erepta, atque extorta, Civitatem Caſſelienſem, Oppida de Dungarvan, & Callan, miſeré cæſa, & Rebus omnibus ſpoliata, ipſoſque Cives, & Oppidanos per Faciem Terræ diſperſos, totamque Provinciam, & ferè ad Januam Civitatis Kilkenniæ in *Lagenia* deprædatam per liberos, & continuos Incurſus Inimicorum, & ſub Vectigalibus, Impoſitionibus, & Contributionibus præfati *Baronis de Inchiquin*, ejuſque Exercitûs redactam, afflictos undique Inhabitantes Annonæ Caritate, & ipſâ Fame laborantes, multaſque alias Partes reliquarum Provinciarum dicti Regni, ultrá eas, quas Inimici apertâ Vi occuparunt, Copijs Parlamentariorum funditùs everſas, & deprædatas eſſe, ſic quod Nos undique preſſi, & anguſtiati, impares Inimicorum Viribus, neque defenſivum multò miniùs offenſivum Bellum cum omnibus ſimul & ſemel gerere nequiverimus, perſpicientes inſuper, & pro certo habentes, quod plerique Incolæ totius ferè Provinciæ *Momoniæ* prædictæ, parati eſſent ad ſubmittendum ſe Arbitrio dicti *Baronis*, ejuſque Conditiones ſuſcipere cum ſeſe imparatos animadvertiſſent, nec ſeipſos ad reſiſtendum Potentiæ Adverſariorum, nec perferre ulteriores Sumptus magni alicujus Exercitûs Confæderatorum, aliundè invitati ad ſe tutandum, perſpexiſſent: Cùmque jam Finis particularium Conventionum per prædictos Comitatus in *Momonia*, ultimo Anno factarum cum dicto *Barone de Inchiquin* uſque ad Kalendas præſentis Menſis Maij inſtaret, timendumque eſſet, ne iterùm multiplicaret Contributiones, aliàs ab eo impoſitas, gravioreſve imponeret Conditiones, quám priùs impoſuiſſet, cùm haberet Poteſtatem Exercituum ad Manum, & conſequenter ſubjugatum iri totam Provinciam prædictam, cum aperto Periculo Amiſſionis omnium Eccleſiarum dictæ Provinciæ, Exilij totius Cleri, & Extinctionis Fidei Catholicæ in eadem.

“ Nos his Malis omnibus ociùs occurrere ſtatuentes, nihil conſultiùs in tot & tantis Anguſtijs viſum eſt, per inevitabilem, & extremam Neceſſitatem ad id excitati, quàm de Ceſſatione Armorum hoſtilium, & potiùs cum dicto *Barone de Inchiquin* Communicationem habere, qui pro Parte Sereniſſimi Domini Regis ſeipſum apertè declaravit, renunciando Parlamentarijs, Inimicis noſtris capitalibus, quàm cum alio Hoſte, Regi, & Nobis infenſiſſimis, & eo Nomine per Commiſſarios noſtros, Viros prudentes, quibus Religio Catholica, & Salus Populi Cordi fuit, Tractatum circà Ceſſationem Armorum cum dicto Domino *Barone de Inchiquin* inſtituimus: Et Re tandem ad quandam Maturitatem perlatâ, licèt de Plenitudine Poteſtatis noſtræ, abſque aliorum Conſenſu, Nobis fas eſſet, dictam Communicationem, & Armorum hoſtilium Ceſſationem abſolvere, prout Prædeceſſoribus noſtris,

“ Supremis

(z) Non autem Anno 1647, ut ex Negligentia Typographi habet Exemplar impreſſum. Confer *Hiberniam Dominicanam* Cap. XVII. Num. XLIII. Pag. 649.

“ Supremis Conſiliarijs cum eodem ipſo Hoſte uſitatum fuit, quò magis verò votivum conſequeretur Effectum, & ne hujuſmodi Ceſſatio aliquibus Exceptionibus exponeretur, convocavimus *Prælatos, Proceres, Barones, Milites Comitatuum, Cives, & Burgenſes* dictæ Provinciæ *Momoniæ*, ut Moris eſt, ad Aſſembleam, ſivé Conventum Provincialem tenendum *Kilkenniæ* certâ Die ipſis in ea Parte præfixâ, potiſſimùm pro eo quod Conventus Provincialis *Lagenienſis* tunc & ibidem ſedebat, quandoquidem iſta etiam Provincia ingentia ſuſtinuit Damna per Copias dicti *Baronis:* Quibus hìc convocatis, & ſedentibus, propoſitum, & interrogatum fuit ex Parte noſtra, an expediret *Confædaratis* (conſiderando in qua Conditione ſteterint) Treguam, ſivè Armorum Ceſſationem, cum præfato *Barone de Inchiquin*, tunc Partes Sereniſſimi Regis noſtri (ut præfertur) ſuſcipiente, & pro eo profitente, ad aliquod Tempus inire, & Re ultrà citròque diutiùs deliberatâ, & conſideratâ, tandem utraque Provincia Votum ſuum pronunciavit (idque in Scriptis, ſuiſque Manibus ſubſcriptis) de Ceſſatione prædictâ habendâ, promovenda, & concludendâ cum dicto *Barone*, & ad tantum Temporis quantum Nobis *Concilio* prædicto viſum foret expedire.

“ INTERIM Illuſtriſſimus Dominus Nuntius, cum quibuſdam Prælatis, coram ſua Illuſtriſſima Dominatione conventis (quibus, ad eorum Inſtantiam, exhibuimus Inſtructiones, priùs traditas prædictis noſtris Commiſſarijs pro dicta Ceſſatione concludendâ) habitâ Conſultatione, tranſmiſerunt ad Nos quoddam Inſtrumentum, in Scriptis conceptum, Manibuſque quatuordecim Prælatorum ſignatum (quorum nunnulli probatæ Vitæ, & eminentis Doctrinæ contradixerunt, licèt de More ſubſcripſerint Sententiæ majoris Numeri) in quo declaraverunt, Ceſſationem prædictam tendere ad Ruinam Catholicæ Religionis, & ſalvâ Conſcientiâ admitti, aut amplecti non poſſe. Quæ quidem prætenſa Declaratio ſic incipet: *Per Archiepiſcopos, & Epiſcopos* &c. Et ſic terminatur: *Datum Kilkenniæ* 27 *Aprilis* 1648 (*a*).

“ UNDE Nos Reſidentes de *Concilio* prædicto, cum Aſſiſtentia, & Conſenſu multorum aliorum de eodem *Supremo Concilio*, ſtudentes pro Viribus Quieti, & Tranquillitati Cleri, & Populi Catholici, accuratiùs dedimus noſtris Commiſſarijs prædictis in Mandatis, quatenùs Articulos circà omnem Poſſeſſionem Eccleſiaſticorum, & Laicorum, & circà liberum Exercitium Religionis, & Functionis pro Eccleſiaſticis, & Laicis, intrà Fines, & Diſtrictus tàm antiquos, quàm additionales, aſſignatos pro Alimonia, ſivè Suſtentatione Exercitûs dicti *Baronis* (qui quidem Articuli in Scriptis a Nobis concepti extiterunt) coram dicto Barone proponerent, ijſque inſiſterent. Et præfati Commiſſarij Fines Mandati noſtri ſervantes, dictos Articulos ſolicité exhibuerunt, & multo Labore, & Importunitate obtinuerunt, ità ut Illuſtriſſimo Domino Nuntio, & cæteris Prælatis, ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationi aſſiſtentibus, per omnia, in ſuis Difficultatibus, & Exceptionibus, quoad Religionem ſpectantibus, ſatiſfactum eſſe exiſtimavimus.

“ HIS tamen omnibus non obſtantibus, ſed veris exiſtentibus, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus, *D. Joannes Baptiſta Rinuccinus*, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Archiepiſcopus *Firmanus*, & in Regno *Hiberniæ Nuntius* Apoſtolicus Extraordinarius, poſt Receſſum dictorum Prælatorum dictæ Provinciæ *Momoniæ*, & aliorum, cum ijs Caſu aſſiſtentium in dicta Declaratione, licèt antedicti Prælati non fuerint ullatenùs legitimè convocati Nomine alicujus Synodi, aut Congregationis Nationalis, aut etiam Provincialis, ſed ut eorum Vota redderent, tanquàm ſingulares Perſonæ, in Cauſa merè temporali, ſine Mandato, aut aliâ Authoritate reliquorum Prælatorum (de quo, vel quibus adhuc conſtitit) dictam prætenſam Declarationem publicari, & palám affigi mandavit, ſivè curavit, 27 Die hujus inſtantis Maij, in maximum Pacis, & Tranquillitatis hujus Regni Præjudicium, & Detrimentum, aſſociando Suæ Dominationi Illuſtriſſimæ in Mandato dictæ Publicationis Reverendiſſimos Dominos *Clogherenſem, Roſſenſem, & Corcagienſem* Epiſcopos (*b*) (quaſi conſtituti fuiſſent pro Delegatis ex Parte dictorum Prælatorum) cùm reverá alij, & non proximè nominati Domini Epiſcopi, de Facto, licèt non de Jure, aſſignati fuiſſent.

“ ET licèt Nos Reſidentes de *Supremo Concilio* prædicto, timentes magnum oriri Scandalum, & Pericula Diviſionis, & Alienationis Animorum inter *Confæderatos Catholicos* Regni *Hiberniæ* in omnibus ejus Partibus, & Vilipendum, atque Contemptum publicæ Authoritatis, ſtabilitæ per *Confæderatos*, ex hujuſmodi Proceſſu Prælatorum, eoque Nomine ut Unio, & Catholicorum Religio conſervetur, ut Regnum ab inteſtino, & civili Bello, necnon mutuâ Sanguinis Effuſione abſtineat, enixè rogaverimus præfatum Illuſtriſſimum Dominum Nuntium, ut Vicera Miſericordiæ commoverentur in eo, ut paternam Charitatem extenderet ergá omnes Regni Partes æqualiter, utque Pacem, quam Prælati

“ Verbo

(*a*) Idipſum eſt Inſtrumentum, quod exſcriptum habes in Supplemento hoc Num. ſuperiori. Pag. 890.

(*b*) Confer *Hiberniæ Dominicanæ* Cap. XVII. Num. LXIV. Pag. 672.

“ Verbo prædicant, reipſá promoverent, ac Sua Illuſtriſſima Dominatio promoveri faceret; tamen præmiſſis non contentus Gravaminibus, ſed plura pluribus cumulando (Honore ſuo ſemper ſalvô) non ſolùm Ceſſationem, Patriæ afflictæ tàm neceſſaram, omninò oppoſuit ab Initio, & durante Tractatu ejuſdem, licèt duratura ſit duntaxát ad Kalendas Novembris proximi, ad maximum Commodum Reipublicæ,& Religionis Catholicæ, & quò melius,efficaciùs, & validiùs,reliquos noſtros Hoſtes perſequi valemus, ſed potiús vehementior factus, Unionem noſtram diſſolvere niſus eſt, atque etiamnùm nititur (Dignitate, & Honore ſuis ſemper ſalvis) &, quod periculoſiùs eſt, Turbas excitare in Populo, & inter Milites, indiès conatur, comminando Excommunicationis latæ Sententiæ Pænam contrá Defenſores, Fautores, aut Promotores dictæ Ceſſationis: Et hìc non moratus, per quendam *Dionyſium Maſſarium*, gerentem ſe pro Decano *Firmano*, quoddam Scriptum (minùs tamen authenticum) proponi curavit ſub Nomine Edicti, idque publicè affigi in Civitate Kilkenniæ fecit, per quod idem Decanus Nomine Illuſtriſſimi Domini Nuntij, & tanquám Delegatus Suæ Illuſtriſſimæ Dominationis præcepit omnibus, & ſingulis Perſonis cujuſcunque Dignitatis, Gradûs, Statûs, Officij, Conditionis, ſeù Religionis, ne, quôvis quæſitô Prætextu, quidquam Verbô, aut Scriptô, publicé, aut privatìm, proferre, tradere, ſeú publicare contrá Declarationem Dominorum Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum prædictorum præſumant,ſub Pæna Excommunicationis latæ Sententiæ, cujus abſolutionem reſervavit ipſi Domino Nuntio, quod quidem Scriptum gerit *Datum Kilkenniæ Die 27 inſtantis Maij* (*c*).

“ Eᴛ licèt dictus Decanus per dictum Scriptum, ſeú Schedulam, nominet Se Delegatum Illuſtriſſimi Domini Nuntij &c, cui non eſt ullatenús obediendum (prout Delegatus) niſi quatenús de Mandato delegatorio doceat ad plenum, cúm nullam habeat Juriſdictionem in hoc Regno, in Jure fundatam, idem nihilominús fulminare Excommunicationis Pænam, & etiam latæ Sententiæ non dubitavit, afferendo duntaxát Illuſtriſſimum Dominum Nuntium miſiſſe ad ipſum ſuas Facultates, & Ordinem, ut ſuper hac Re ad Tempus poſſet providere. ſub Datum Kilmenſij (*d*) Die 26 Maij 1648, in omnibus minús juſté, & contrá Juris canonici Dictamen: Verúm ipſe Illuſtriſſimus Dominus Nuntius, afflictionem addendo afflictis, ulteriús progreſſus,cum Aſſiſtentia Illuſtriſſimorum DD. Epiſcoporum de *Clogher*, *Roſs*, *Cork*, & *Downe* (quâ tamen Authoritate neſcitur) licét Excommunicatio ſit Mucro Eccleſiæ, & ad ejus Fulminationem ſit plumbeis Pedibus procedendum, ſervatis etiam debitis Interſtitijs, & præmiſſâ trinâ Monitione, vel unâ peremptoriâ, Vires ac Vices trinæ Monitionis cum requiſitis Intervallis obtinente; his omnibus, & Juris Ordine non ſervato,neque Nobis, vel alio quocunque (quoad ſciamus) ſpecificé citatis, neque de aliquo eccleſiaſtico Crimine convictis, aut confeſſis, nec in aliqua manifeſtâ Contumaciâ exiſtentibus, elato Velo, & maximâ Feſtinatione, 27 Maij, quandam Excommunicationis Sententiam, ſeú Schedulam pronunciavit, & pronunciaverunt prædicti quatuor Epiſcopi, tanquám Delegati, ſivé Subdelegati Prælatorum ſuperiús ſpecificatorum (licet Delegationis Inſtrumentum, aut Actum, ejuſvé Tenorem, nullatenús ſpecificaverint, aut nobis intimaverint, vel exhibuerint) contrá omnes Fautores, Defenſores, vel Promotores dictæ Ceſſationis; ulterius Præcipiendo univerſis & ſingulis *Generalibus*, *Colonellis*, *Ducibus*, *Officiarijs*, *Militibus*, & quibuſcunque alijs Catholicis, ne cum dicto *Barone de Inchiquin*, vel quocunque alio Hæretico, ſeſe jungere, vel eidem, aut ijſdem adherere præſumant, vel audeant Arma ſumere contá Exercitum, ſivé Exercitus catholicos dictam Ceſſationem impugnaturos, ſubjiciendo hujuſmodi Pænis eos, qui prædictam Ceſſationem jam acceptaverunt, quamvis de Corpore *Supremi Concilij* ſint: Et licèt Loca ſpecialia nullatenús præmonita extiterint, per dictam tamen Chartam omnes Civitates, Comitatus, Oppida, Villæ, & Pagi ſunt Interdicto ſuppoſita.

“ Eᴛ licét denique nulla perſona ſingularis in hujuſmodi Excommunicatione, Interdicto, Edicto, vel alijs Comminationibus ſpecificetur, itá ut Nemo teneatur neceſſariò ab ijſdem provocare, aut appellare, maximé pro eo, quod minús ritè, aut legitimé proceſſum ſit in hoc Negotio, per totum Progreſſum ejuſdem, & potiús ad privatos, & periculoſos Fines, quám ad Propagationem, ſivé Conſervationem Religionis inſtitutum (ſalvô ſemper Honore, & Reverentiâ debitâ dictis Prælatis) cúm vergat tamen ad Subverſionem, & Perniciem Reipublicæ, & Religionis; Nos ad ſatisfaciendum Conſcientijs, fortaſſé turbatis, aut timoratis, tám ex Parte noſtra, & reliquorum *Supremi Concilij*, quám ex Parte

“ *Generalium*,

(*c*) Adeas *Hiberniam Dominicanam* Cap. XVII. Num. LXV. Pag. 673.

(*d*) Propé *Mariæ-Burgum* in Agro *Reginæ* (non verò in Agro *Kilkennienſi*, ut mendoſé dicitur in *Hibernia Dominicana*) ubi per aliquod Tempus verſabatur Nuntius, donec ſcilicet *Galviam* pergeret. Ibi porrò etiamnúm viſitur Locus Capellæ ſuæ Domeſticæ. *Kilmenſium* diſtat *Kilkenniâ* viginti quinque Milliarijs.

“ *Generalium, Præfectorum, Colonellorum* Exercituum noſtrorum, omniumque *Ductorum, Officialium,*
“ *Militum, Peditum,* & *Equitum,* omnium prætereá *Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Dignitariorum,*
“ *Dominorum ſpiritualium, & temporalium, Abbatum, Priorum, Rectorum, Superiorum,* aliorumque
“ quorumcunque *Religioſorum, & Clericorum Sæcularium,* necnon *Magiſtratuum Civilium, Comitatuum,*
“ *Collegiorum, Monaſteriorum, Conventuum, Eccleſiarum, & Sacellorum, Societatum, Civium, & Confæderatorum*
“ quorumcunque *Catholicorum* ſub noſtro Regimine & Poteſtate conſtitutorum, & dictam
“ Ceſſationem approbantium, ſivè amplectentium, dicimus, proponimus, & allegamus (Animo tantùm
“ allegandi & provocandi) Nos omnes, & ſingulos eſſe enormiter læſos, aggravatos, & injuriatos ex prærecitatis
“ Gravaminibus, Nullitatibus, Iniquitatibus, Injuſtitijs, & Injurijs, alijſque ex prætenſo Proceſſu
“ prædicto commodè proponendis, & colligibilibus omnibus, & ſingulis, Nobis, & *Confæderatis*
“ *Catholicis* (ut præfertur) illatis, & inflictis: Et allegamus, dictam Ceſſationem cum magno Commodo,
“ & Relevamine *Catholicorum* hujus Regni eſſe factam, & initam ad Bonum, & Utilitatem Eccleſiæ
“ Catholicæ, & *Confæderatorum Catholicorum* hujus Regni, & non ad eorum Deſtructionem, Præjudicium,
“ aut Læſionem, ac proindè eandem non eſſe Materiam Excommunicationis, nec alterius Cenſuræ
“ Eccleſiaſticæ, ideoque dictas Cenſuras illegitimé latas fuiſſe, earumque Latores Falcem ſuam in
“ alienam Meſſem immittere, & ſeſe intromittere Rebus omnibus Sæcularibus, etiamſi Eccleſiaſtica
“ Juriſdictio ſit certis Limitibus circumſcripta, & diſtincta á Juriſdictione Laicali, prout ex Locis Juris,
“ & omnium Temporum Hiſtorijs pleniús conſtat.

“ Ex his igitur Cauſis, & alijs plurimis, in noſtris Remonſtrationibus ſpecificatis, & in poſterum ſpecificandis,
“ ab omni Proceſſu prædicto incepto per dictum Illuſtriſſimum D. *Nuntium,* & quatuordecim
“ Prælatos, ſuæ Illuſtriſſimæ Dominationi aſſiſtentes, proſecutô per prætenſos Delegatos, ſivè Subdelegatos,
“ & Decanum *Firmanum* prædictum, & nunc conſummatô per ipſum D. *Nuntium,* atque Reverendiſſimos
“ *Clogherenſem, Roſſenſem, Corcagienſem, & Dunenſem* Epiſcopos ſub Prætextu Delegationis,
“ ſivè Subdelegationis, tanquam Judicibus Nobis ſuſpectis, infenſis, incompetentibus, & minùs indifferentibus
“ in hac Cauſa, Statum Regni, & *Confæderatorum* Præſervationem concernente, & imprimis ab
“ eorum Declaratione, ejuſdem Publicatione, & Decreto Publicationis, ab Edicto prætenſo prædicto,
“ necnon ab eorum Excommunicationibus, Interdictis, Suſpenſionibus, Fulminationibus, Comminationibus,
“ Aggravationibus, & alijs quibuſcunque Cenſuris, & Pænis, earumque annexis, connexis, concomitantibus,
“ ſequentibus, & Effectibus, nulliter, & iniquè latis, pronunciatis, publicatis, ſivé inflictis,
“ per eoſdem conjunctim, ſivé diviſim (ſalvô Honore, Dignitate, & Reverentiâ eorundem) quatenùs
“ aliquem Juris Effectum habere reperiantur, ad Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & *Dominum Noſtrum*
“ *Innocentium* divinâ Providentiâ Sacroſanctæ Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ *Summum Pontificem,*
“ & ad Sanctam Sedem Apoſtolicam, pro Nobis, & univerſis *Confæderatis* prædictis, in his Scriptis provocamus,
“ & ſolemniter appellamus, Apoſtoloſque petimus, ſemel, bis, ter, inſtanter, inſtantius, &
“ inſtantiſſimé. Qui quidem Apoſtoli, ſi Nobis denegati, aut plus juſto prorogati, aut Loco minús congruo
“ aſſignati fuerint, iterúm provocamus, & appellamus in his Scriptis, & Apoſtolos petimus, ut ſuprá,
“ ſubmittendo Nos & hanc noſtram Cauſam Tuitioni, Protectioni, & Judicio dicti Sanctiſſimi *Pontificis*
“ *Maximi.*

“ Protestantes ulteriús, quod per Nos non ſtabit, quo minús hanc noſtram Appellationem, &
“ Provocationem debité proſequamur, & quod intrá fatalia Juris eandem interpoſuerimus; & ſimiliter
“ quod in Relevamen oppreſſorum, aggravatorum, & atrociter injuriatorum, fas ſit ab Illuſtriſſimo *D.*
“ *Nuntio,* & a Prælatis antedictis, eorumque Delegatis, & Subdelegatis, ad Suam *Sanctitatem* appellare;
“ & quod non ſit idem Tribunal, in omnibus, & per omnia, *Domini Nuntij,* & *Summi Pontificis,* cúm
“ is in Partem Sollicitudinis, & non in Plenitudinem Poteſtatis, ſit aſſumptus, majoremque Authoritatem
“ ſemper Sua *Sanctitas* retineat, quam cum Legatis etiam *de Latere,* aut *Nuntijs* communicat. Proteſtantes,
“ quod Articuli Ceſſationis (prout nunc concluſi ſunt cum *D. Barone de Inchiquin*) non ijdem
“ ſed differentes, & multò utiliores pro Intereſſe, & Juribus Cleri *Catholici,* quám fuerint Inſtructiones,
“ ſivè putativi Articuli inſpecti á Prælatis, ſuper quibus fundaverunt dictam ſuam Declarationem (*e*),
“ cúm principali Exceptio fuerit, quod (ut aſſerunt) ijſdem Prælatis non fuerit ſufficienter proviſum
“ pro Poſſeſſionibus pertinentibus ad *Clerum Catholicum* intrá Limites, ſivé Quarterias aſſignatas dicto
“ *Baroni de Inchiquin,* quibus tamen nunc ſufficienter proſpectum, & conſultum eſt per Articulos Ceſſationis:
“ Reſervantes inſuper Nobis dictis Appellantibus Poteſtatem addendi, diminuendi, corrigendi,
“ vel mutandi hanc noſtram Appellationem, ſivé Provocationem, ſi, quatenus, & quoties Opus fuerit.

“ Et prætereá Tenore præſentium nominamus, ordinamus, facimus, & conſtituimus dilectum Nobis

“ in

(*e*) Confer Cap. XVII. *Hib. Dom.* Num. LXVI. Pag. 674.

“ in Chriſto D. *Richardum Lawleſs*, de Civitate *Kilkennienſi*, Armigerum, *(F)* Procuratorem noſtrum,
“ & Syndicum indubitatum, cum quibuſcunque Clauſulis neceſſarijs, utilibus, requiſitis Styli & Fori,
“ Nomine noſtrô, & *Confæderatorum* prædictorum, ad exhibendum hanc Appellationem, & Provoca-
“ tionem noſtram coram dicto Illuſtriſſimo D. Archiepiſcopo *Firmano*, & *Nuntio*, necnon coram dictis
“ Dominis Epiſcopis ſignantibus dictam Excommunicationem, eorumque Delegatis, ſivè Subdelegatis,
“ conjunctim, ſivè diviſim, ſi eorum Copia, aut Præſentia, de facili haberi poterit, vel tutus ſit ad eos
“ Acceſſus, ſin minùs coram aliquo Notario publico, ſivè Perſonâ authenticâ, ijſque commodè non ha-
“ bitis, coram Teſtibus Fide dignis, & ad Apoſtolos cum Inſtantia petendum, extrahendum, & obti-
“ nendum, dictamque Appellationem effectualiter proſequendum: Et promittimus, Nos ratum, gratum,
“ & firmum habituros totum, & quidquid dictus noſter Procurator fecerit, ſivè fieri procuraverit in præ-
“ miſſis, ſivè eorum aliquo, ſub Hypotheca Bonorum noſtrorum. In quorum omnium præmiſſorum Fidem,
“ præſentibus Sigillum *Confæderatorum Catholicorum* dicti Regni *Hiberniæ*, quo ad majora utimur, affigi
“ fecimus, & curavimus. Datum ultimâ Die Menſis Maij Anno Domini 1648. Pariterque Nos infra-
“ ſcripti proprijs Manibus Subſcripſimus Die, Menſe, & Anno ſuprâ ſpecificatis.

“ *Mountgarret.*	“ *Richardus Belling.*
“ *Athenry.*	“ *Geraldus Fennell.*
“ *Lucas Dillon.*	“ *Patritius Brien.*
“ *Robertus Lynch.*	“ *Robertus Devereux.*
“ *Phelimus O-Neill.*	

CII. Eodem Die quo D. Nuntius, *Kilmenſij*, ut præfertur, verſans, fulminavit Excommunicationis Cenſuram contrà *Supremum Concilium*, ſcilicet 27 Maij 1648, ipſummet *Supremum Concilium* Literas dedit *Kilkenniæ* ad D. *Thomam Walſh*, Archiepiſcopum *Caſſelienſem*; D. *Joannem de Burgo*, Archiepiſcopum *Tuamenſem*; D. *Franciſcum Kirwan*, Epiſcopum *Alladenſem*; D Fr. *Boetium Mac-Egan*, Ordinis Minorum, Epiſcopum *Eplinenſem*; D. *Gualterum Lynch*, Epiſcopum *Clonfertenſem*; D. Fr. *Patritium Comerford*, Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, Epiſcopum *Waterfordienſem*, *&* *Liſmorenſem*; D. *Joannem O-Mollony*, Epiſcopum *Laonenſem*; necnon D. Fr. *Oliverium de Burgo*, Ordinis Prædicatorum, Vicarium Apoſtolicum *Duacenſem*—Eodemque Die Declarationem, ſeù Edictum, promulgari fecit de *Ceſſatione Armorum*—Scripſit item D. *Nicolao French*, Epiſcopo *Fernenſi*, & *Nicolao Plunkett*, Equiti aurato; item Generali *Audoeno* (ſeù *Eugenio*) *O-Neill*, ſed hic Epiſtolam *Supremi Concilij* projecit in Ignem, ut ejuſdem Lator, *Kilkenniam* reverſus, ſub Juramento depoſuit *(G)* Dein poſt publicatam Excommunicationis Sententiam, & interpoſitam per *Supremum Concilium* ſupraſcriptam Appellationem ad Summum Pontificem, indixit Die 4 Junij 1648 Comitia Generalia Regni habenda *Kilkenniæ* Die 20 ejuſdem Menſis Junij.—Ulteriùs memorato Die 4 Junij ſcripſit P. *Lucæ Waddingo*, Ordinis Minorum, ſuperiùs laudato, *Romæ* apud *S. Iſidorum* conſtituto; atque Tribunis, ſeù Collonellis, *Hugoni O-Reilly*, & *Rorio Maguire*, alijſque primarijs Officialibus Exercitûs *Ultonienſis*; item D. Fr. *Thomæ Flemingo*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopo *Dublinienſi*; D. *Thomæ Deaſe*, Epiſcopo *Midenſi*; D. *Davidi Roth*, Epiſcopo *Oſſorienſi*; D. Fr. *Oliverio Darcy*, Ordinis Minorum, Epiſcopo *Dromorenſi*; & D. Fr. *Patritio Plunkett*, Ordinis Ciſtercienſis *S. Bernardi*, Epiſcopo *Ardachadenſi*; varijs inſuper Provinciarum *Lageniæ*, & *Momoniæ* Theologis, eos ad prælibata Comitia Generalia convocans. Harum porrô Literarum omnium Exemplaria extant in Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Curâ, & Induſtriâ Præclariſſimi Patris *Waddingi* laudati, nunquam ſine Laude nominandi, collecta, & exſcripta. Sed quandoquidem nihil contineant niſi quæ jam habemus de *Ceſſatione Armorum*, de *Sententia Excommunicationis*, & de *Appellatione* ad Summum Pontificem, idcircò ſufficiat ea ſic indicaſſe.

(*F*) Hujus Filius *Gualterus Lawleſs*, de *Talbots-Inch* (ut vulgò loquimur) propé *Kilkenniam*, Armiger, fuit Vicecomes (anglicé *High-Sheriff*) Comitatûs *Kilkennienſis*. Ex *Anna* porrò *Bryan*, Sorore *Jacobi Bryan*, de *Jenkinſtown*, in Agro *Kilkennienſi* (Senatoris pro Civitate *Kilkennienſi* in Comitijs Generalibus Regni, *Dublinij* habitis A. D. 1689) ſuſcepit *Patritium Lawleſs*, qui Officialis militaris magni Nominis in Exercitu Regis Catholici, & Eques *S. Jacobi*, fuit noſtris Temporibus Prorex (ſeú Gubernator) Inſulæ Balearis *Majoris*, vulgò *Majorca*, ſivé *Mallorca*, in Ditionibus memorati Regis *Hiſpaniarum*.

(*G*) Videſis ipſius Apologiam, ſeù *Manifeſtum*, in hoc *Supplemento* Num. CVII. Pag. 899.

CIII. Die 4 Junij 1648 D. Nuntio apud *Kilcolgan (f)* in Agro, ſeù Comitatu, *Regis*, exhibita fuit Appellatio *Supremi Concilij*, atque incunctanter dedit *Apoſtolos*, ſed non alios quam *Refutatorios*, ut loquuntur Juriſtæ, Appellationem admittens quoad *Effectum devolutivum*, ſed non quoad *Effectum ſuſpenſivum*, & quidem in Literis ſcriptis Termino *ad quem* Appellationis, ut par eſt, ſcilicet Summo Pontifici, Tenoris ſequentis:

“ Beatissime Pater,

“ Post Sacrorum Pedum Oſcula—— Accepimus hodie quandam Formam Appellationis in Pergamena
“ ſcriptam à quibuſdam Dominis Conſiliarijs Supremis Regni hujus Hiberniæ contrà Nos, noſtramque
“ Sententiam Excommunicationis, quâ omnes iniquiſſimæ Treguæ cum *Inchiquin* Barone nuper conclusæ
“ adhærentes innodavimus, interpoſitam, quæ incipit: *In Dei Nomine. Amen. Nos Richardus Vicecomes*
“ *de Mountgarrett.* Datamque gerit ultimo Die Maij Anni 1648. Cujus Appellationis Tenorem
“ hìc inſerere, tùm ob Prolixitatem ejuſdem, tùm ob Locorum & Temporum, quibus nunc premimur,
“ Anguſtias, omninò non poſſumus.

“ Quod ad Nos porrò attinet, Pater Beatiſſime, licèt Appellationem prædictam ineptam eſſe, frivolam,
“ fruſtatoriam, nulloque Juris Fulchro munitam, falſa item permulta, & nobis, & alijs Epiſcopis injurioſa
“ continere dignoſcamus, ac proindè nec acceptandam, nec eidem deferendam cenſuimus, aut cenſemus,
“ nec eidem deferimus, aut acceptamus legitimam, tùm propter prædicta ſuperiùs, tum quia talis
“ Acceptatio, & Delatio in Præjudicium maximum, & inevitabile vergerent Fidei Catholicæ Romanæ
“ Periculum; nihilominùs ob Reverentiam Veſtram, Beatiſſime Pater, Veſtræque Sedis Apoſtolicæ,
“ & Curiæ Romanæ, atque ut Famam noſtram adverſús præfatos calumniantes in toto Proceſſu & Sententia
“ prædictis apud Sanctitatem Suam conſervemus illæſam, hos ijſdem Apoſtolos refutatorios, & quoad
“ Effectum Sententiæ noſtræ devolutivum, non ſuſpenſivum, ad Spatium ſex Menſium integrorum
“ à præſentium Data valituros, concedere decrevimus, & concedimus per præſentes, quibus quidem, &
“ quô Temporis Intervallô, prædicti Appellantes ſub ulterioribus Pænis, & Cenſuris, impoſterùm à Nobis
“ infligendis, & Mandatô noſtrô ſtrictiſſimô, falſa ſua, & prætenſa Gravamina, cum hoc Scripto
“ noſtro, coram Sanctitate Sua præſentare, &, ſi poſſint (ut omninò non poterunt) comprobare teneantur:
“ Interim (non obſtantibus quibuſcunque) declarantes, & manifeſtantes priſtinam Sententiam noſtram
“ Excommunicationis, Sententias, & Cenſuras, quoad omnes ſuos Effectus, in ſuo Robore permanſuras,
“ nec eaſdem, nec earum aliquam, irritæ & inutilis Appellationis ejuſmodi Intuitu, aut Prætextu,
“ ab ijſdem, aut alijs quibuſcunque, violari, temerari, aut infringi poſſe, vel debere: Eaſdemque
“ noſtras de novo ratificamus, & confirmamus Sententias, omneſque eiſdem hactenùs contravenientes,
“ & contraventuros impoſterùm, Excommunicationem majorem latæ Sententiæ incurriſſe, incurſuroſque
“ (ac ſi talis nunquàm fuiſſet interpoſita Appellatio) iterùm decernimus, & declaramus, omnemque
“ ulteriorem (ſi quam fortè interpoſuerint Appellationem) caſſamus, irritamus, & annullamus per
“ præſentes. Hoc porrò noſtrum præſens Decretum, Acta, Scripta, Geſta, & Proceſſus noſtros univerſos,
“ in prædictis, alijſque omnibus, Sanctitatis Suæ Cenſuræ omni quâ decet Humilitate & Reverentiâ,
“ ſubmittentes, offerimus. Datum in Loco præſentis noſtræ Miſſionis & Refugij, Kil-Colgan in Comitatu
“ Regis Die 4 Junij 1648.

“ Sanctitatis Veſtræ
“ Humillimi & Fideliſſimi Servi
Joannes Baptista Archiepiscopus Firmanus Nuntius Apostolicus.

“ Et Nos Archiepiſcoporum Subdelegati,
“ *Walterus Enos, Preſbyter, Secretarius.*
“ *Fr. Boetius Epiſcopus Roſſenſis.*
“ *Robertus Epiſcopus Corcagienſis & Clonenſis.*
“ Copia Vera, *Robertus Bagot.*
“ *Fr. Antonius Epiſcopus Clonmacnoiſenſis.* (g)”

Juxta Sacrorum Canonum Præſcriptum dati ſunt Apoſtoli iſti *Refutatorij*, proindeque Cenſuræ à D. Nuntio fulminatæ in ſuo Robore permanſere: Enimverò Appellatio *Supremi Concilij* rejecta fuit tanquàm frivola ab eodem *Innocentio* Papa X, ut teſtatur *Alexander* VII in Bulla Abſolutionis inferiùs exſcribendâ Num. CXVI.

CIV.

(f) Triginta diſtat Milliaribus *Kilmenſiô* mox memorato, verſùs *Athloniam* ad *Shananum* Fluvium, & ad *Lageniæ* & *Conaciæ* Collimitia, in Via ad *Galvienſem* Civitatem, ſeù Oppidum

(g) Pro hiſce Prælatis Adeas Num. C. Præſentis *Supplementi*. Pag. 889.

CIV. Pag. 677, antè Num. LXIX, interjice ſequentia —— Ad memoratum D. *Davidem Roth*, Epiſcopum *Oſſorienſem* (*h*) jam anteà Epiſtolam dederat D. Fr. *Thomas Fleming*, Ordinis Minorum, Archiepiſcopus *Dublinienſis* (*i*), de Obedientia, Cenſuris D. Nuntij præſtandâ, hujuſce Tenoris (*k*):

“ Reverendiſſime Domine,

“ INEXPLICABILI meo Dolore Intellexi, Reverendiſſimam Dominationem Veſtram facere Difficultatem
“ in obediendo Mandatis Apoſtolicis Illuſtriſſimi Domini Nuntij circá Obſervationem Interdicti, &
“ Ceſſationis à Divinis, in magnum Eccleſiaſticæ Poteſtatis, & Juriſdictionis Præjudicium. Quis enim ex
“ Prælatis poteſt expectare Obedientiam in hoc Regno, ſi Mandata D. Nuntij negligantur á Prælato,
“ qui ſpecialem Obedientiam juravit Sedi Apoſtolicæ? Ideò tanquàm Metropolitanus veſter,
“ pro mea Dignitate, & Authoritate, Dominationem Veſtram Reverendiſſimam moneo, hortor, ac ei,
“ quantùm in Me eſt, præcipio, ut pro majori Dei Gloria, pro Honore Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ejuſque
“ Nuntij, & pro Salute Animarum innocentis Populi, faciat Interdictum, & Ceſſationem, tám in
“ ſua Cathedrali Eccleſia, quàm in alijs ejus Civitatis & Diœceſis, punctualiter obſervari juxta Tenorem
“ prædictæ Sententiæ, & ultimi Decreti in *Apoſtolis Refutatorijs* (*l*) Appellationis, quibus me refero.
“ Quod ſi ſecùs fecerit, Ego hiſce exonero meam Conſcientiam, & veſtram relinquo divino Judicio, &
“ Sedis Apoſtolicæ Cenſuræ. Dublinij ex meo Cubiculo in Conventu S. Franciſci Die 10 Junij 1648.

“ Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ Servus
“ *Fr. Thomas Dublinienſis.*”

RESPONSUM Epiſtolæ iſtius invenire non eſt in prædicto Archivo *S. Iſidori* de Urbe (*m*).

CV. Eo in Archivo, Armario V. Num. IX. Fol. 569. extat Exemplar Epiſtolæ *Supremi Confæderatorum Catholicorum Concilij* ad Dominum Epiſcopum *Waterfordienſem* (*n*) Tenoris hujuſmodi.

“ Optime Domine Noſter,

“ CUM hodiè intellexerimus, quod Dominatio Veſtra, non obſtante Appellatione noſtrâ ad S. Sedem,
“ contrá injuſtam, & invalidam comminatoriam Excommunicationem, & Interdictum, emanatum á
“ Domino Nuntio, & quatuor Epiſcopis, contrà adhærentes Ceſſationi concluſæ noſtrâ Authoritate cum
“ Domino Barone de Inchiquin, ſecerit claudi Eccleſiarum Januas, & denegari Populis Solamen illius
“ Sacrificij, quod Septenni Bellô, & Amiſſione Sanguinis, & Subſtantiæ, Stabiliverunt in illis ſacris Locis,
“ exædificatis per eorum Anteceſſores, & liberatis per eoſdem ab illis profanis Manibus, in quibus
“ Centum & viginti Annis remanebant pollutæ: Admiramur, quod Dominatio Veſtra tàm facilé privaverit
“ Gregem ſuô ſpirituali Pabulô, aut quod tàm citò oblita fuerit Zeli, quo in Tempore Perſecuti-

---

(*h*) Memoratum nempè in hoc *Supplemento* Num. LXXV. Pag. 869, & identidem in *Hibernia Dominicana*, ut patet ex Indice alphabetico Verbo *Roth* (*David*).

(*i*) De quo Sermo in hoc *Supplemento* Num. XIV. & LXXXV. Ipſius etiam ſæpenumerò meminit *Hibernia Dominicana*, ut liquet ex Indice Alphabetico Verbo *Fleming* (*Thomas*).

(*k*) Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. IX. Fol. 565.

(*l*) Quos habes in *Supplemento* hoc, Num. ſuperiori, Pag. 896.

(*m*) Pag. 855 hujus *Supplementi*, Lin. 8, lege in hunc Modum.—Paulò poſt, dum Itineri me accingerem, ad Diæceſim propriam reverſurus, duo alij conſecrandi erant, utpotè à Fideliſſima Sua Majeſtate ad Inſulas nominati, nondùm verò Apoſtolicis Diplomatibus muniti, adeoque reapſè haud conſecrati uſque ad ſubſequentem Annum 1771, & quidem ambo Ordinis Prædicatorum Alumni, nimirùm Excellentiſſimus & Reverendiſſimus D. Fr. *Joſephus de Jeſu & Maria Guetano*, S. Theologiæ Magiſter, actualis & diù Prior Provincialis *Portugalliæ*, primus Epiſcopus *Albi Caſtelli*, vernaculé *Caſtel Branco* (Diæceſis recenter erectæ à feliciter regnante Summo Pontifice *Clemente XIV*) in *Eborenſi* Provincia *Luſitaniæ*; necnon Excellentiſſimus & Reverendiſſimus D. Fr. *Ludovicus Sanctiſſimæ Annunciationis Azevedo*, S. Theologiæ Magiſter, Epiſcopus *Angolæ* in *Africa*, Ditionis *Luſitanicæ*. Nomina porrò iſta & Prælatorum & Eccleſiarum nonniſi nudiuſtertiùs accepi.

(*n*) D. Fr. *Patritium Comerford*, Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, Epiſcopum *Waterfordienſem* ſimul & *Liſmorenſem*, de quo *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num, LXVII. Pag. 490.

“ onis adſtiterit Dominationi Veſtræ. Reverendi & docti Epiſcopi Oſſorienſis (*o*) Diæceſani non magis obligaverant eum, quàm Dominationem Veſtram Civitas Waterfordiæ. Et tamen Venerabilis ille Senex non eſt tam ſine Charitate, quod privet ſuos Acceſſu ad Eccleſias. Et in Caſu hoc Dominatio Veſtra eò magis admirationis eſt, quod, comparente cum Domino Archiepiſcopo Caſſelienſi (*p*) ad hanc Menſam, & ſignificatis ei omnibus Succeſſibus, inſinuavit ſe diſcediſſe ſatisfactum, & reſolviſſe, noſtram Appellationem tranſtuliſſe Cauſam, & ſuſpendiſſe Cenſuram, & Interdictum. Undè oriatur veſtra Alteratio neſcimus, niſi fortaſſis adducta fuerit in Favorem Ambitionis Generalis O-Neill (*q*), cui ſavet Dominus Nuntius Perſuaſione Epiſcopi Clocherenſis (*r*), attentare quicquam, quod diſtraheret hoc Regnum, & introduceret arbitrarium Regem, captivando Conſcientias, & Libertatem Catholicorum Confæderatorum. Rogamus Dominationem Veſtram, ut deſiſtat ab his violentis Actionibus, & permittat Populum, ut anteà, accedere ad illas Eccleſias, quæ erant pollutæ, donec eas abluerent Sanguine Suô; aliter non poſſumus, juxtà noſtrum Juramentum, & Obligationem Regno, non accipere veſtras Temporalitates, & procedere juxtá Leges, quas juravimus obſervare, ut erant obſervatæ Temporibus maximè Catholicis. His expectamus veſtrum Reſponſum: Et ſic manemus

“ Ex Caſtello Kilkennienſi, “ Dominationis Veſtræ Amici,
“ 12 Junij 1648.

“ *Lucas Dillon.*
“ *Robertus Lynch.*
“ *Richardus Belling.*
“ *Geraldus Fennell.*
“ *Joannes Walſh.*
“ *Patritius Brien.*”

CVI. Epiſtolæ iſtius Reſpoſum. *Ex Archivo S. Iſidori de Urbe Arm. V. Num IX. Fol.* 570.

“ Illuſtriſſimi Domini,

“ VESTRAS datas 12 hujus recepi, quibus Me reprehenditis ob Obſervationem Interdicti, & Ceſſationis à Divinis in hac Civitate, rogantes, ut deſiſtam, aliter quòd meas Temporalitates in Manus veſtras reciperetis. Dominationes Veſtræ dignentur intelligere, quod receptis Cenſuris & Apoſtolis (*s*) Illuſtriſſimi Domini Nuntij, convocaverim doctiſſimos Cleri Sæcularis & Regularis hujus Civitatis, & poſt maturam, ac ſeriam Conſiderationem, Nemine deſcrepante, invenimus Nos obligatos in Conſcientia, etiam ſub graviſſimis Cenſuris incurrendis, obſervare Interdictum, & Ceſſationem à Divinis. Et certè non ex aliqua Inclinatione favendi ulli Parti diſtrahenti Regnum, aut introducendi Regem arbitrarium, quæ procul diſtant à noſtris Cogitationibus; ſed ex Certitudine Conſcientiæ, & mera Obedientia proceſſimus. Et quando aliqua dicta ſunt ibi coram Illuſtriſſimis Dominationibus Veſtris de Appellatione, fateor, me dixiſſe tunc, Viâ Diſcurſûs, quod Cenſura ſuſpenditur per interpoſitam legitimam Appellationem, & hoc quantùm tunc mea me adjuvabat Memoria. Et quantúm ad Exemplum Domini Epiſcopi Oſſorienſis, conſideravimus ſufficienter tám Merita illius, quàm Merita Exemplorum aliorum Prælatorum, non minús doctorum, ac charitativorum. Et licèt, ut ſpero, ſim ſatis memor Obligationis meæ huic Civitati, in quantùm concernit Paſtorem, ac Nativum ejuſdem, tamen Extenſio alterius Obligationis non poteſt Mihi multùm objici. Quantùm verò ad mea Temporalia, quæ vultis in Manus Veſtras reſumere; dico, quòd Inimicus Vos prævenerit, qui Majorem Partem illorum in ſuas Manus accepit, & quòd quidam Nobiles noſtrorum Confæderatorum Catholicorum detineant majorem Partem reliquorum, ut notum feci Veſtris Dominationibus in Libro Reddituum meæ Diæceſis, quem ad Vos miſi. Sed licét per fas aut nefas privarer omnibus, quæ Mundus dare Mihi poteſt ob Actum Obedientiæ Decretis Sanctæ Eccleſiæ, ſemper tamen obtemperabo, & continuò orabo pro veſtro felici ac commodo Regimine Confæderatorum Catholicorum hujus Regni, quod ardenter exopto.

“ Dominationum Veſtrarum affectionatiſſimus,

“ Waterfordiæ 14 Junij 1648.

“ *Fr. Patritius Waterfordienſis, & Liſmorenſis.*

“ POST

(*o*) Ad quem præcedens Epiſtola.

(*p*) D. *Thoma Walſh*, de quo *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num. LXVII. Pag. 489.

(*q*) *Eugenij O-Neill*, de quo *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. L. Pag. 655; & *Supplementum* hoc Num. XCIII, Pag. 881. & Num. CVII. Pag. 899.

(*r*) *Emeri Matthews*, de quo *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num. LXVII. Pag. 490.

(*s*) Confer Num. CIII. hujus *Supplem.* Pag. 896.

“Post hujus Scriptionem intellexi, Prætorem hujus Civitatis publicè in Aula Curiæ coram omnibus legiſſe veſtram Epiſtolam: Quâ Intentione aut cujus Directione, ipſemet meliùs novit.”

CVII. Scriptum apologeticum, quod *Manifeſtum* vocant, nominatiſſimi *Eugenij O-Neill* (*T*), Præfecti Generalis *Confœderatorum Catholicorum*, publicatum in Acie Campi

Exercitûs *Ultonienſis* Die 11 Junij 1648.

(*Ex Archivo S. Iſidori de Urbe, Armario V. Num. IX. Fol.* 567.)

“Nostri videremur prodigi Honoris, & Anſam daremus Suſpicionis de noſtra ergà Regem noſtrum Fidelitate in tanta Calumniarum Multitudine, & Impoſturarum, quæ contrà Nos publicantur, ſi negligeremus Apologiam facere pro noſtra Integritate. Pleno & libero Conſenſu, ſine ulla Repugnantia, in Conſpectu totius Mundi, ſuſcepimus Juramentum Aſſociationis, per Comitia Generalia hujus Regni aſſignatum, ut omnes Catholici illo ſeſe adſtringerent. In quo ergà Deum noſtram declaravimus Religionem, & ergà Regem ſecuram reddidimus Fidelitatem. Iteravimus hoc Juramentum tàm frequenter, tàmque liberè, quàm ulli alij ex confæderatis Socijs hujus Regni. Agnovimus etiam ſolemnem illam Proteſtationem à Catholico Clero ejuſdem Confæderationis factam, proteſtando dare Cæſari quæ Cæſaris ſunt, & Deo quæ Dei ſunt. Uti nunquàm intendimus hoc Juramentum aut Proteſtationem violare, ità nunc firmiter reſolvimus nunquàm adhærere ulli, qui conatus eſt, vel conabitur unum aut alterum ſupprimere. Qui ſummoperè jactant de ſua Fidelitate (licet Infidelitatis ſint maximè conſcij) in hac Ceſſatione dederunt jurato Regis Inimico in Momonia duos Comitatus integros, qui erant in Poſſeſſione Confæderatorum Catholicorum abſque eo quod haberent ullam Securitatem ſivè Fidelitatis, ſivè Reſtitutionis illorum Comitatuum, finitâ Ceſſatione. Diſpoſuerunt (quaſi haberent plenum, & perfectum Dominium in Bona Subditorum) tàm Bona ſpiritualia, quàm temporalia, ſine Conſenſu Subditorum, idque in Uſum & Suſtentationem Inimicorum Regis. Kilkenniam, & alia Loca Confæderatorum Catholicorum, jam actualiter dederunt illi magnæ Perſonæ (*Marchioni Ormondiæ*) quam in Conſcientia noverunt totaliter diſpoſitam ad proditoriè tradendum Parlamento totum Regnum. Huic magnæ Perſonæ adhærent, non obſtantibus horribilibus Proditionibus in tradendis Dublinienſi Caſtro, Pontana, Trimmâ, Dundalkâ, cæteriſque ſuarum Quarteriarum Præſidijs (*U*) Parlamento Angliæ. Utuntur omni Arte & Induſtriâ, ut pro eadem Perſona habeant ingentem Pecuniæ Summam, etiam in Quarterijs Confæderatorum Catholicorum, Viâ Commodati, vel Impignorati, & alijs Modis, ut undecimus & duodecimus Articulus illegitimæ Ceſſationis abundè inſinuant (V). Hi tamen videri volunt fideles Subditi, & alij qui ſe ſe opponunt illorum ſiniſtris Machinationibus (quamvis ad id Juramento obligati) haberi debent Infideles. Si tamen liberè tamque frequenter ac ulli noſtri Socij Catholici, noſtras ligavimus Animas Fidelitatis Ligamine, cur de Infidelitate ſumus ſuſpecti pluſquàm alij? Si nullo Infidelitatis enormi Crimine accuſari poſſimus, uti accuſantur ij alij, qui fideliſſimi haberi volunt, cur illi tractantur ut Fideles, Nos verò ſuſpecti ut Infideles? Provocamus illos coram toto Mundo, ut Nobis objiciant vel minimum Infidelitatis Actum per Nos commiſſum ab Initio harum Commotionum, niſi depravatô ſuô Judiciô (ut Turpitudinem ſuorum Criminum tegant) vellent Nos accuſare Infidelitatis, quòd cum chriſtiana Reſolutione defendamus catholicam Religionem, Prærogativas noſtri Regis, & Libertatem noſtræ liberæ Nationis, quibus Juramentô obligati ſumus, & per Sedem Apoſtolicam iteratis Vicibus exhortamur. Quæ ut noſtros ſecundaret Conatus, frequentia miſit Subſidia ad Confæderatos Catholicos, tantùm abeſt à Veritate quod Sua Sanctitas, aut Nos, ſimus contrà Fidelitatem debitam à Subditis ſuo Regi. Alij, qui magis reſpiciunt Politiam quàm Religionem, nec diutiùs remanent fideles Subditi quàm Temporis Conditio permittit, non diutiùs adhæſerunt ſuo Regi quàm neceſſitarentur. Neceſſitate ſublatâ, Regis inimico Parlamento adhæſerunt; iterùm Neceſſitate diſſimulaverunt adhærere. Væ duplici Corde! Talibus non poſſumus niſi turpiter adhærere, & violatô Juramentô, abſque aliqua eorum Fidelitatis Securitate ergà Regem, & ſine Præjudico Catholicæ Religionis: Ob quæ duo Puncta ultima Ceſſatio facta à maligna Parte Supremi Concilij contrà Reſolutionem conſiderabilis Partis ejuſdem Concilij, & contrà Votum totius Cleri, non ità ſatis providit Religioni, Fidelitati ſupradictæ, & Patriæ, ut optaremus. Quæ maligna Pars Supremi Concilij ob ſuos malos Fines conantur promovere eandem Ceſſationem maculando noſtram Integritatem, & ſic conantes Nobis procurare Indignationem eorum, qui aut apparenter, aut realiter ſunt pro Rege noſtro; cùm flectere nequeant Superos ad ſuos malos

---

(*T*) Identidem memorati in *Hibernia Dominicana* ſignanter Cap. XVII. Num L. Pag. 655.

(*U*) Confer *Hib. Dom.* Num. LIV. Pag. 659.

(*V*) Videndi in hoc *Supplem.* Num. XCIX. Pag. 837.

“ malos Fines, conantur Acheronta movere. Illis, qui realiter adhærent ſuæ Regiæ Majeſtati ſine
“ Præjudicio noſtræ Religionis, Nos adhæremus, & ſemper adhærebimus. Alijs verò, qui ſolùm fingunt
“ adhærere, ut Vires Confæderatorum Catholicorum evitent, non adhæremus; & hac Reſolutione ſuppoſitâ
“ non ſolùm Nos, ſed omnes Confæderati Catholici, ſimul cum Civitatibus, quæ ſimili chriſtianâ Religione
“ Obligationem obſervandi prædicta duo Puncta Juramenti aſſociationis profitentur, recuſamus præſtare
“ Obedientiam tam illegali, & præjudiciali Ceſſationi. Quarè ſumimus Arma ad defendendum Noſipſos
“ contrà eos, qui, ſine ulla Provocatione à Nobis exhibitâ innumerabiles Nobis intulerunt Injurias, & alijs
“ exulibus Catholicis, á Nobis dependentibus, quám contrá alios quoſcunque, qui actualiter declararunt
“ Se contrá Suam Majeſtatem, & qui noſcuntur realiter permanere in eadem Reſolutione: Rogantes
“ Omnipotentem Deum, Dominum Exercituum, qui penetrat Secreta Cordium noſtrorum, ut nunquàm
“ diutiùs benedicat Conatus noſtros, quám intendamus realiter, & non fictè, & abſque Reſpectu ad
“ noſtros privatos Fines, obſervare illud Salvatoris noſtri Mandatum; *Date Cæſari quæ Cæſaris ſunt,*
“ *& Deo quæ ſunt Dei.* Quod ut præſtemus, conjuramus omnes Confæderatos Catholicos, omneſque
“ alios fideles Subditos cujuſcunque Religionis, qui non fictè adhærent ſuæ Majeſtati, ut Nobis ſeſe con-
“ jungant, contrá omnes parliamentarios Rebelles, ac Factionarios, qui ob ſuos Fines privatos adhærent
“ ijſdem Parlamentarijs in Violationem ſui Juramenti Aſſociationis, Præjudicium Suæ Majeſtatis, & Rui-
“ nam hujus afflictæ Nationis.

“ *Eugenius O-Neill.*
“ *Eugenius Maguire.*
“ *Conoſſius O-Neill.*
“ *Henricus O-Neill.*
“ *Liſaghus O-More.*
“ *Brianus O-Neill.*

“ *Philippus O-Neill.*
“ *Jacobus Mac-Donnell.*
“ *Arthurus Fox.*
“ *Milo Mac Swiny.*
“ *Felimus O-Neill.*
“ *Eugenius O-Dogharty.*

“ DEUS SALVET REGEM.”

CVIII. Pag. 680. Lin. 3, lege, & adde ſequentia.——D. Nuntij ad Percontationes iſtas (D. Marchionis *Clanrickardiæ* in Epiſtola ipſius ad D. Nuntium incluſas) Reſponſa, quæ diligenter quæſivi, ſed non inveni, geſtirem profectò hìc Loci ſubnectere, nullus quippe dubito, quin ijs ſe probè defenderit, & ideo donec quiſquis illa addiſcat, debet omnino meherclè ſuam deſuper ſuſpendere Sententiam. Ea proculdubiò legere eſt in Hiſtoria, quam de Legatione ſua Nuntius ipſe lucubravit, quæque M. S. aſſervatur *Florentiæ* in Ædibus Illuſtriſſimi D. Marchionis *Rinuccini*, ut nuperis his Annis certior factus ſum. Quod ſi intellexiſſem dum in ea verſarer Civitate Anno 1742, Hiſtoriam iſtam avidè perſcrutari haud dubitaſſem. Hæc *Hibernia Dominicana.*

VERUM tandem aliquandò iterùm verſans *Florentiæ* Anno 1770, prælibatam maxima cum jucunditate inveni Hiſtoriam, non quidem ab ipſomet lucubratam Nuntio, ſed à *Dionyſio Maſſario*, Decano *Firmano*, ac Nuntiaturæ *Hibernicæ* Auditore, Nuntijque individuo Comite, in *Hibernia Dominicana* (*t*) laudato, ut accepi ab Ampliſſimo Domino *Ferdinando* Præpoſito *Foſſi*, S. Theologiæ, & Utriuſque Juris Doctore, perbellæ Bibliothecæ D. Marchionis *Rinuccini* Cuſtode, qui ibidem Mihi humaniſſimum ſe exhibuit, ſicut & Coadjutor ipſius R. D. *Carolus Petrai*, quos Gratitudinis Causâ nomino.

PRIUSQUAM autem Reſponſa ad Percontationes D. *Ulici de Burgo*, Marchionis *Clanrickardiæ* in Medium adducam, videamus Animadverſionem Hiſtorici Defenſoris in Marchionis ejuſdem Epiſtolam, Percontationes illas recenſentem, & includentem, ut in prælibata Hiſtoria M. S. *de Legatione Hibernica* jacet. Immò pro Commodo benigni Lectoris præmitto ipſammet Marchionis Epiſtolam ut in eadem jacet Hiſtoria, atque in *Hibernia Dominicana* (*u*).

“ Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine,

“ EPISTOLAM tuam ſecundò currentis Auguſti datam accepi, in qua conqueri videtur de Captura
“ Patris Provincialis Franciſcanorum á Præſidiarijs Caſtri de Clare, ac eundem Sibi reſtitui petit, ac
“ requirit.

(*t*) Cap. XVII Num. LXXV. Pag. 682. Sect. 3; & Num. LXXX. Pag. 689; & in hoc *Supplemento* Num. CX. Sect. 3.

(*u*) Cap. XVII. Num. LXXII. Pag. 678.

“ requirit. Captus quidem fuit me inſciô, de Mandato tamen Supremi Concilij,cujus Juſſu etiam conducendus
“ eſt Kilkenniam. Ad Concilium itáque poterit Se applicare Illuſtriſſima Dominatio Veſtra
“ pro Libertate dicti Patris, cùm ejus Ordini contraire Mihi non liceat. Perſonas Eccleſiaſticas veneror,
“ nec in minimo vellem earum Immunitatem infringere, quamvis non ignorem Exemptiones, & Immunitates
“ earundem ordinatas, & conceſſas fuiſſe in Decorem, & Reverentiam ſuæ Functionis, non autem
“ ut impunè quæque committant. Neſcit enim Eccleſia Sancta Patrocinium dare Criminibus, aut Deus
“ Pacis Tutelam elargiri ſeditioſis. Multa ſparguntur de dicto Patre, quod Auctor, & Inſtigator ſit
“ multarum Actionum, quæ á Laicis perpetratæ, certam Mortis Pænam inducerent. Quod ſi Prætextu,
“ aut Titulo Immunitatis Eccleſiaſticæ hujuſmodi impunè præterire oporteat, actum erit de Republica,
“ & temporali Juriſdictione: Nec facilè credo in alijs Catholicorum Principum Dominijs, maximè in
“ Italia, itâ permiſſum, aut Hiſtoriæ, & Relationes omninò mentiuntur. Meô enim Judiciô tanta Violentia,
“ tamque inaudita Innovatio Rerum, quæ Medullam utriuſque Salutis, & Fortunæ Hominum
“ ſimul invadit, haud poterit Medium eſſe opportunum, aut apta Via ad ſtabilienda Catholicæ Matris
“ Eccleſiæ Jura, & ad eam, quam profitetur, Fidem, & Religionem propagandam, quæ, Sæculis
“ anteactis, Manſuetudinem ſuadere, Concordiam prædicare, Charitatem ſovere, Seditionem extinguere,
“ Chriſtiani Populi Præſervationem curare, Poteſtatibus temporalibus non derogandum docere, ac Virtutem
“ cunctam nutrire conſuevit. Hæc utinam infelix hoc Sæculum præſtaret, in quo (proh dolor!)
“ ſub ſpecie Pietatis plurimi perfrictâ Fronte á trita Veterum Conſuetudine degenerare non verentur.
“ Parcat Illuſtriſſima Dominatio Veſtra, Zelus, non Præſumptio, loquitur. Incluſa Schedula cum
“ Dubiolis in ea contentis Mihi porrecta fuit á quibuſdam, qui enixè cupiunt de ijſdem, tanquám tranſcendentibus
“ eorum Capacitatem (uti etiam fateor & meam) edoceri, ut cognoſcant, quid interſit
“ inter eccleſiaſticam, & temporalem Auctoritatem, & ſic tandem quilibet, quod ſuum eſt ſine Interruptione
“ excerçere valeat. Informor á Fide dignis, quod aliqui Prælati, ibidem cum Illuſtriſſima
“ Dominatione Veſtra commorantes, & Plures alij inferiores, è Suggeſtis licentiùs, & falſô nimis de Me,
“ meiſque Actionibus obloquuntur, ut me odioſum, ac infamem redderent. Deus illis parcat, & Ego
“ nunquam Vindictam quæram de perpetratis in meam Perſonam. Eoſdem tamen, & cunctos alios
“ admonitos vellem, ne in regiam, & publicam Auctoritatem, quam gero (*w*), aliquid, eis non de
“ Jure,aut laudabili Conſuetudine indultum,attentent, aliás certô ſciant, me juſtam non prætermiſſurum
“ Animadverſionem, ſed tali uſurum coercitivâ, & punitivâ, quali in Italia, Gallia, & Hiſpania, de
“ Facto, & antè Suppreſſionem Religionis in hoc Regno, Miniſtri Principum, juxtá approbatas Leges, uti
“ ſolebant. Agat, quæſo, Illuſtriſſima Dominatio Veſtra ne exaſperer, dum ipſi utramque Felicitatem
“ exopto, ac Manus reverenter deoſculor,

“ Veſtræ Illuſtriſſimæ, ac Reverendiſſimæ Dominationis

“ Ex Campo apud Moate (*W*)
“ 8 Auguſti Anni 1648.

“ Addictus Servus
“ CLANRICKARDE.”

INCLUSA porrò Schedula, cum Dubiolis in ea contentis, hujus eſt Tenoris:

“ *Quædam Percontationes Reverendiſſimo Domino Nuntio à*
“ *Clanrickardiæ Marchione propoſitæ.*

1. *Quâ Poteſtate, vel Auctoritate Nuntius Regiæ Majeſtatis Subditos à Fide ſua, & Obedientiâ, Statuto Regni, Regnique Ordinibus debitâ, abducat?*
2. *Quâ Poteſtate, vel Auctoritate Tribunos, & Centuriones creet, Militemque conſcribat, qui nihil in communem Hoſtem molitus, Catholicorum Regiæ Majeſtatis Subditorum Caſtella paſſim expugnet, Prædas agat, omnia compilet?*
3. *Quâ Poteſtate, vel Ratione Hominibus perjuris faveat, eoſque contrà Rectores, univerſique Regni Ordines teneat, ac tueatur?*
4. *Quâ Poteſtate manifeſtos proſcriptos Perduelles in retinendis, & propugnandis validis Munitionibus contrà eos, qui Regni Clavum tenent, animet, & ſuſtentet?*
5. *Quâ Poteſtate Regiæ Majeſtatis Obſequium profeſſos, ejuſque in hoc Regno proindè Præfectis adherentes, quos poteſt, Excommunicatos Carceribus mancipet, alioſque omnes promiſcue excommunicet?*

(*w*) Tunc Temporis erat *Hiberniæ* Prorex Deputatus.

(*W*) *Moate* Oppidum eſt Agri *Midenſis Occidentalis*, Sex Milliarijs *Athlonia* diſtans in Meditullio Regni *Hiberniæ*.

CIX. Animadverſio Hiſtorici Defenſoris in præmiſſam Epiſtolam (*x*).

“ Risu autem & Fletu ſimul dignum eſt, quod *Clanricardius* ſuâ illâ nugatoriâ Epiſtolâ ad Nuntium ſcribit: *Ad Concilium* (inquit) *poterit ſe applicare Illuſtriſſima Dominatio Veſtra pro Libertate dicti Patris, cum ejus Ordini Mihi contraire non liceat.* O præclaram Obedientiam, anteá nunquám, ſed nunc *Concilio* á *Clanricardio* debitam! Ab hujus Belli Initio, & in Progreſſu, *Clanricardius* ſemper, nunc Hoſtis apertus, nunc neutralis, nec Cleri Hibernici, nec Miniſtrorum Apoſtolicorum, nec Comitiorum Generalium, nec Conciliorum Supremorum Monitis, & Hortationibus, aut Mandatis Morem geſſerat, ſed ſceleratiſſimis Hæreticis Opem ferebat cúm poſſet, favebat cùm ſubvenire non poſſet, licèt haud ignoraret Bellum á Catholicis Fidei Cauſâ Suſceptum, ab Urbano VIII, & Innocentio X uſque adeò fuiſſe approbatum, ut ſtupendum ſit, quo Pacto Homo Catholicus vel Fidei Nuntium non remiſerit, vel eam cum Catholicis propagare non contenderit. Quot in Facies Se *Confæderati* converterunt, ut hunc Hominem ab hac Cordis Duritia dimoverent, ſed ille in ſua Animi Pertinacia obſtinatiſſimè perſtitit. Jám vero huic *Concilio Supremo*, immò non *Concilio Supremo*, ſed Septem Conſiliarijs (*y*), in Senſum reprobum traditis, Cauſæ Catholicæ Proditoribus, *Ormonij*, & *Inchequinij* Mancipijs, itá toto Pectore obtemperat, ut ad ejus Nutum Franciſcanorum in Hibernia Provincialem Nuntio Apoſtolico deneget ſed Cuſtodiæ mancipet, & reſpondet Sibi non licere ejuſdem Pſeudo-Concilij Præſcriptis, vel (ut ipſius Verbo utar) Ordini contraire. Deindè ut hujus Septemviratûs, longè profligatiſſimi, Mandata exequatur, Exercitum ex Catholicis, vel ipſo Jure millies excommunicatis, & Hæreticis *Inchequinianis*, Catholicorum Carnificibus, pari Ratione magis excommunicatis, contrahit, & cum hac nefaria Prædonum abominabilium Manu Clerum, parteſque catholicas Clero adhærentes, adeò invadit, ut non ſolùm Laicorum Catholicorum Sanguine *Hiberniam* cruentet, & eorum Facultates ſuis Latronibus in Tyrannidis Mercedem decernat, ſed etiam nec Eccleſijs, nec Eccleſiaſticis Reverentiam exhibeat. Quorſùm hæc Mutatio Dexteræ Excelſi? Nempé nunc mutata eſt Belli & *Concilij* Facies, Mens, & Meta. Ab Initio enim, & in Progreſſu, Hæreſi & Hæreticis Bellum indicebatur. Nunc verò Pſeudo-Concilium ad Hæreticorum iniquiſſimos deſcivit, ut *Ormonium* in Proregem revocaret, poſt cujus Diſceſſum ex *Hibernia* (*z*) itá *Clanricardius* Luctum profeſſus eſt, ut Barbam neglexerit, nec radendam ſtatuerit, donec *Ormonius* in Regnum redijſſet, ſicut Mihi pauló poſt *Pariſijs* retulit quidam Natione *Gallus*, tunc *Ormoniſtis* in *Hibernia* familiaris. Denique *Inchequinus*, atque ejus Exercitus cum Pſeudo-Concilio in hunc, alioſque Fines, Eccleſiæ, & Nationi *Hiberniæ* exitiales, conſpirarunt, & *Clanricardius* jam fatetur Sibi non licere ejuſdem Concilij *Ordini contraire*. Hæc Catholicorum juſta Pæna eſt, qui Dei & Fidei Cauſam á Septennio anteriori enerviter tractarunt, ut hunc Serpentem hactenùs in Sinu foverent. Cæterùm retundenda eſt Calumnia, quâ *Clanricardius* R. P. *Thomam Mac-Kiernan* in præfata ſua Epiſtola traducit. *Multa* (inquit) *ſparguntur de dicto Patre, quod Auctor, & Inſtigator ſit multarum Actionum, quæ à Laicis perpetratæ certam Mortis Pænam inducerent.* Hœc *Clanricardius*. Qui ejus Locus de Conatu, & Opera, á *P. Thoma* ob Cauſam Catholicam magno Zelo promovendam adhibitâ, intelligendus eſt, ſicut vel ex *Philopatre* (*a*), Ormoniſtarum omnium Advocato, liquet. Sed hæc magna *Thomæ* Virtus, multis & præclaris alijs Virtutibus aſſociata, in *Clanricardij* Statera Peccatum fuit, & tantum Delictum, ut *à Laicis perpetratum certam Mortis Pænam induceret*. Sed *mendaces Filij Hominum in Stateris* (*b*).

Reſponſa Hiſtorici Defenſoris ad Percontationes præmiſſas, (ſeù Dubia) Reverendiſſimo Domino Nuntio à *Clanrickardiæ* Marchione propoſitas (*c*).

“ Hæc Dubia Mihi nonniſi apud *Philopatrem* occurrunt. (*d*) Quaré *Philopatrem* ea, pro ſolita mala

“ Fide

(*x*) Ex Hiſtoria *de Legatione Hibernica* in Bibliotheca *Rinucciniana*.

(*y*) Eos ſubſcriptos videre poteris in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LVII. Pag. 665.

(*z*) Videſis *Hiberniam Dominicanam*, Cap. XVII. Num. LV, & LVI. Pag. 660, & ſeq.

(*a*) Recolendus Num. LXXXVII, hujus *Supplementi*, Pag. 875.

(*b*) Verba Sunt Regij Vatis Pſal. 61. Verſ. 10.

(*c*) Ex Hiſtoria *de Legatione Hibernica* in Bibliotheca *Rinucciniana*.

(*d*) Hinc haud obſcure colligendum videtur, Schedulam memoratam, Percontationes iſtas continentem, non fuiſſe in Marchionis *Clanrickardiæ* Epiſtola reaplè incluſam, nec proindè genuinam *Clanrickardij* Epiſtolam Schedulæ illius feciſſe Mentionem, ac propterea conſarcinatas fuiſſe Percontationes per *Philopatrem*, Partium Studió deditum. Si enim Schedulam illam cum Epiſtola recepiſſet Nuntius, nonné vidiſſet eam Hiſtoricus Defenſor, Decanus inquam *Firmanus*, individuus Nuntij Comes? Memorandus Num. ſeq. Sect. 3.

“ Fide, hauddeteriora effeciſſe non juraverim. Ut ut ſit, *Clanricardij* Genium, & Ingenium ſpirant, eaque, & Epiſtola jam dicta, quot Verba tot propè continent Ineptias, falſis Fundamentis nixas, quæ etiam ipſe *Clanricardius* falſa fuiſſe vix ignorarit, cùm (ut ſuperiùs ex ipſius Epiſtola demonſtravimus) nunquàm *Concilio,* Perjurij Maculis notatiſſimo, militare cæperit, niſi cognito ſceleratiſſimas Inducias, non Inducias, ſed Conjurationem, fuiſſe inter *Ormoniſtas* & Hæreticos *Inchiquinianos,* atque alios trium Regnorum *Puritanos* maligniſſimè coitam, ut à Comitiorum Generalium, præſertim ultimorum (*e*), Statutis ſaluberrimis, & Juramento Fæderis, Arte, & Marte reſiliretur, & *Ormonius* in Proregem revocaretur, Paceque cum eo iniquiſſimâ initâ, & *Confœderatione catholicâ* diſſutâ, Hæreſis, & Hæretici gradatìm poſtliminiò reſtituerentur, immò Fide, & Clerô, ac Fautoribus propè exterminatis, fierent noviſſima pejora prioribus. Quod totum itá ſucceſſit, ut ſingulariter ineptierit *Clanricardius,* præfatas Abſurditates Nuntio ſcribens, quales impius *Henricus* Secundus, Angliæ Rex *S. Thomæ* Cantuarienſi, *Boleſlaus* Poloniæ Rex *S. Staniſlao,* immo *Henricus* Octavus (*f*) Martyribus á ſe contrucidatis, ejuſque profligatiſſima Filia *Elizabetha* Sanctiſſimis Prælatis, atque alijs Eccleſiaſticis, ad ipſius Præſcripta Martyriô deletis, & cæteri omnes Eccleſiæ Perſecutores Clero, Partique Clero adhærenti, ſuis Temporibus òbjecerunt. Denique *Clanricardiæ* Comiti, hujus *Clanricardiæ* Marchionis Patri, ab immaniſſima Regina *Elizabetha* in *Hiberniæ* Catholicos impiè ſtanti, & huic ipſi *Clanricardiæ* Marchioni, ab hujus Belli Initio patriſſanti, alijſque omnibus Eccleſiæ Hoſtibus, hujuſmodi falſæ Recriminationes ſemper fuere familiares, ut ſuam Impietatem aliquô Juſtitiæ Tegumentô palliarent, juſtô Judice in majorem Peccatorum ab ipſis patratorum Pænam permittente, ut Culpas humili & ſincerâ Penitentiâ non abluerent, ſed falſis Sui Purgationibus, & innocentium Adverſariorum Accuſationibus, atque adeò gravioribus Peccatis tegerent. Porró quô Spiritu hujuſmodi Statiſtæ ducantur, & quô Pactô Viris Eccleſiaſticis cum ipſis agendum ſit, delineatum legimus in zeloſiſſimo Propheta *Elia,* & ſceleratiſſimo Rege *Achab,* qui cum vidiſſet Prophetam ait (3-Reg. 18): *Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael?* Et ille ait: *Non Ego turbavi Iſrael, ſed Tu, & Domus Patris tui, qui dereliquiſti Mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim.*

“ Ad *Clanricardij* autem Quæſtiones non eſt cur reſpondeatur, cùm certiſſimum ſit, Septem Conſiliarijs non Obedientiam, ſed Furcam fuiſſe millies debitam, eoſque, qui in ipſos, & Hæreticos, atque inſignem Hæreticorum Fautorem *Clanricardium,* inſurrexerint, ſimiles fuiſſe *Mathathiæ,* & Filijs *Machabæorum,* de quibus in conſimili Caſu legimus (1. Machab. 2): *Reſpondit Mathathias, & dixit magnâ Voce: Etſi omnes Gentes Regi Antiocho obediunt, ut diſcedat unuſquiſque à Servitute Legis Patrum noſtrorum. Propitius ſit Nobis Deus: Non eſt Nobis utile relinquere Legem, & Juſtitias Dei. Non audiemus Verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes Legis noſtræ Mandata, ut eamus alterâ Viâ.* Sic ille.

“ *Concilium* autem, *Clanricardius,* & *Ormoniſtæ* omnes comparandi ſunt illis, de quibus ſcriptum eſt (1. Machab. 1): *In Diebus illis exierunt ex Iſrael Filij iniqui, & ſuaſerunt multis dicentes: eamus, & diſponamus Teſtamentum cum Gentibus, quæ circà Nos ſunt; quia ex quo receſſimus ab eis, invenerunt Nos multa Mala. Et bonus viſus eſt Sermo in Oculis eorum. Et receſſerunt à Teſtamento ſancto, & juncti ſunt Nationibus, & venundati ſunt, ut facerent Malum.*

“ Quod autem *Clanricardius* Nuntio objicit, eum ſcilicet Tribunos, & Centuriones creaſſe, Militemque conſcripſiſſe, Ineptiarum Cumulus eſt. Nam aliud eſt Tribunis, & Centurionibus, Militibus, Dei, atque Eccleſiæ Cauſam defenſantibus, ſtudere, aliud creare, & conſcribere. Horum primum Nuntius, plurimos, & maximos Eccleſiæ Sanctos imitatus, præſtitit, ſed à ſecundo abſtinuit. Quinimmò Arma ejus uſque adeò ſpiritualia fuere, ut inter hoc Bellum civile, ab Ormoniſtis iniquiſſimè concitatum, inſomnis, & genuflexus *Galviæ* Noctes, inter Lachrymas, & devotiſſimos Rugitus, tranſigere ſoleret, Deum, & *S. Patritium Hiberniæ* Apoſtolum, omneſque Sanctos Precibus fatigans, & rogans, ut *Ormoniſtæ* ab ipſorum Inſania, & Perfidia reſipiſcerent, & Eccleſiæ Cauſa Hæreſi, atque Hæreticis, per eorum Ignaviam non ſuccumberet. Ipſeque in *Italiam* poſteà regreſſus, & hac ſuâ Spe ob *Ormoniſtarum* Peccata, & Duritiam Cordis fruſtratus, cuidam *Capucino Hiberno* (*G*) apud eum magno, hæc confidenter aperuit, addens Deum ſibi tantam in *S. Patritij* Interceſſione, inter illas ſacras Vigilias & Humiliationes, Spem infudiſſe, ut poſteà miratus ſit, quorſum *S. Patritius* Triumphum non conceſſerit, quare identidem de *S. Patritio* ſanctè conquerens, repetebat, ſe exiſtimaſſe nunquam futurum, ut *S. Patritius* ſuæ Cauſæ deceſſet.”

(*e*) Conſulendus Num. LIII. Cap. XVII. *Hiberniæ Dominicanæ* Pag. 658.

(*f*) Videſis *Hiberniam Dominicanam* Cap. I. Num. XXI. Pag. 31.

(*G*) P. *Richardo O-Ferrall,* memorato in *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. LXXIV. Pag. 681.

CX. Pag. 682 *Hiberniæ Dominicanæ* legitur *Compendium quorundam Capitum Accuſationum ad* Innocentium X, *Summum Pontificem, mittendarum contrà Dominum Archiepiſcopum* Firmanum, *à Sua Sanctitate Nuntium Apoſtolicum in hoc* Hiberniæ *Regnum miſſum*; & quidem ex *Philopatre Irenæo* tranſcriptum. Quas Accuſationes hìc Loci ex identidem memoratâ de *Legatione Hibernica* Hiſtoria refellere erit, ſeù redarguere, ut cum Hiſtorico Defenſore loquar. Hiſtoria autem ipſa in Bibliotheca *Rinucciniana* exhibet Redargutiones quadraginta tres, indèque exiſtimavi tot quoque fuiſſe Accuſationum Capita, quamquàm in *Hibernia Dominicana* ex *Philopatre Irenæo*, ut prœfertur, nonniſi viginti videantur, in tot nimirùm Sectiones diſtributa. Verùm poſt diligentem Perſcrutationem inventæ non ſunt in Hiſtoria iſta niſi viginti Sectiones, complectentes nihilominùs minutatìm (ut actutùm videbis) quadraginta tria Accuſationum Capita, totidem intermixtis Numeris diſtincta *(g)*. En igitur Capita Accuſationum ut jacent in ſæpedictâ Hiſtoria.

“ COMPENDIUM

“ *Alicujus Partis eorum, quorum accuſatur Illuſtriſſimus Dominus Archiepiſcopus*
“ Firmanus, *in Nuntium Apoſtolicum à Sua Sanctitate*
“ *in hoc Regnum* Hiberniæ *allegatus.*

“ 1. SUAM Illuſtriſſimam Dominationem ad Appulſum in hoc Regnum Menſe Octobris 1645 reperiſſe *Confæderatos Catholicos* (1) omnes unanimes, & ad Pacem honorificis Conditionibus ineundam pronos, & eorum Regiones magnâ Rerum Copiâ abundantes, idque adeò ut Catholica Religio in tribus ampliùs ex hujus Regni quatuor Partibus cum Splendore (2) exerceretur.

“ 2. SUAM Illmam Domnem in Generalibus Comitijs, apud Caſtrum *Kilkennienſe* Menſibus Februario & Martio 1646 celebratis, Suæ Sanctitatis Nomine *Confæderatis* quatuor Fregatas bellicas (3) promiſiſſe, inque Se recepiſſe, futurum ut in quavis ex quatuor Provincijs Bellum Suæ Sanctitatis Impenſis, & valdè magnis Pecuniæ Summis, in eum Finem tunc numerandis (4) ſuſtineret. Quâ Lege Sua Illma Dtio rogavit, ut Pax, tunc concludenda, uſquè ad Kalendas Majas tùm proximè futuras differretur, & meliores Conditiones Suæ Sanctitatis Interventu in id Tempus concedendas ſpopondit. In cujus Promiſſionis Violationem Sua Illma Dominatio in *Confæderatorum* Uſum (5) nullam Fregatam contulit, nullæque adhuc Conditiones (6) *Româ* miſſæ ſunt, & ex omnibus illis Pecunijs, ac Subſidijs promiſſis Sua Illma Dtio harum non plus in hujus Regni contulit Uſum (7) quâm Sex circiter Librarum Sterlingarum *(h)* Millia, quæ in Expeditione *Conacienſi* inter Anni 1646 Æſtatem, & èadem Æſtate quatuor circiter Librarum Sterlingarum Millia, quæ in Expeditione *Ultonienſi* collocata fuere; etſi Pecuniæ, quæ ex publicis Vectigalibus eſſent, & Æris Mutuô accepti, necdùm repenſi, multarum & magnarum aliarum Summarum, velut à ſe ſolutarum, Apochas receperit.

“ 3. SUAM Illmam Dnem ex quo in Nuntium ſe induerat uſque in Diem hunc nullam (8) unquàm Comitijs Generalibus, aut Supremo Concilio, rediđiſſe, aut obtuliſſe Rationem, aut Notitiam Pecuniarum, Armorum, Apparatûs bellici, vel Fregatarum, quæ ipſi, vel ſuo Decano (*i*) aut alijs ab ipſo Delegatis, Sua Sanctitas, aut alij pij Principes, Prælati, vel Perſonæ ſuppeditaverant.

“ 4. SUAM Illmam Dnem inter eadem Comitia ijſdem Menſibus Februario & Martio Suæ Sanctitatis Nomine (9) promiſiſſe, Se Cardinalis *Poli* (*k*) Bullam, & Diſpenſationem circà diſſolutarum Abbatiarum, Prioratuum, & ſimilium Poſſeſſiones, ſi qua in Re illa deficeret, confirmaturum, Seque ad id agendum Auctoritate fuiſſe munitum. In cujus Promiſſi Violationem Sua Illma Dtio Bullas dedit, & procuravit, & Reſcripta tradidit, quo *Confæderati Catholici* plurium diſſolutarum Abbatiarum, Prioratuum, & ſimilium Poſſeſſione (10) exturbarentur. A multis etiam, qui Bona eccleſiaſtica per Bullas ab ipſo Summo Pontifice (11) tenebant, ijſdem Bullis poſthabitis, ſuâ ipſius Auctoritate Poſſeſſiones tranſtulit.

“ 5. SUAM Illmam Dnem, dum eadem Comitia ſederent, Suæ Sanctitatis Nomine, Inſtructionum Comiſſarijs quinquaginta vel pluribus ſelectis, eorundem Comitiorum Membris, ſpopondiſſe (12) nullum

“ Epiſcopatum,

(*g*) Lector ſedulò attendere debet Numeris illis, ut perſpicuè intelligat Redargutiones, parilibus Numeris ordinatè congeſtas.

(*h*) Hoc eſt, Viginti quatuor circiter Millia Scutorum *Romanorum.*

(*i*) *Decanus* iſte *Firmanus,* nempè *Dionyſius Maſſarius,* ipſiſſimus Auctor eſt Hiſtoriæ *de Legatione Hibernica,* nuperrimè laudatus Num. CVIII. Pag. 900.

(*k*) Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. II. Pag. 597.

“ Epiſcopatum, aut aliud in hoc Regno Beneficium Eccleſiaſticum *Romæ*, vel ſecùs, conferendum, præ-
“ terquàm ijs ſolis, quos Suæ Majeſtatis Jure Regimen (13), vel alij reſpectivè Patroni (14), nomina-
“ rent, aut præſentarent. In cujus, & alterius ſimilis Concilio Supremo, *Urbani* VIII Nomine, ab ejus
“ tunc Miniſtro (*l*) factæ Sponſionis Temerationem, Sua Illma Dtio, acceptis à Concilio circà idoneos,
“ & dignos Viros, ad *Clonfertæ* (15) & *Roſſæ* Epiſcopatus promovendos, Præſentationibus, procuravit,
“ ut alij duo ad eoſdem Epiſcopatus promoverentur. Sua etiam Illma Dtio plenam Sibi & abſolutam
“ omnium Beneficiorum Eccleſiaſticorum in hoc Regno Diſpoſitionem aſſumpſit contrà (16) fundamen-
“ tales Regni Leges, omni Ætate Catholicis Temporibus uſitatas (*m*), adeò ut Coronam (17), & fideles
“ Suæ Majeſtatis Subditos, legitimis ſuis Juribus accommodatis abdicaverit. In illis quoque Beneficijs
“ diſtribuendis Sua Illma Dtio Ingenia ut plurimùm deligit inquieta (18), & omni Rationis Tranquilli-
“ tati, ac Regimini adverſantia, ſicut plurimis Argumentis exhibendis demonſtrari poteſt.
“ 6. SUAM Illmam Dnem impuliſſe & faviſſe nupero Præfecto Generali *Eugenio O-Neillo*, multiſque
“ alijs, ut armati in Regem inſurgerent, ultimaque Comitia Generalia concuſſuri, magnas Vires, ac
“ *Kilkenniam* diſponerent: Quin nuperus Copiarum Imperator multa eorundem Comitiorum Membra
“ in Carcerem compingere, & (ſi in Rem ſuam Opus foret) occidere, necnon hanc Civitatem (19)
“ diripere ſtatuerat, & ſemper ab illo Tempore cum ſuo Exercitu in omnibus hujus Regni Partibus, ex
“ prædictis *Confæderatis Catholicis* Millia Ferro, Flamma, & Fame (20) delevit.
“ 7. SUAM Illmam Dnem hôc præſente Jubilæi Annô 1648, quô ipſi maximè congruebat, ut Preci-
“ bus, Prædicatione, & Exemplô chriſtianum in hoc Regno Gregem ad dictum Jubilæum utiliter am-
“ plectendum exhortaretur, ſuis illegitimis, & (21) temerarijs Edictis, ac Cenſuris, Sacrorum Celebra-
“ tionem prohibuiſſe, & Eccleſiarum Valvas, quas *Confæderati* ſui Sanguinis, Fortunarumque Jacturâ
“ reſeraverant, ijſdem occludendas curaſſe, & interpoſitâ à *Confæderatis* ad Suam Sanctitatem legitimâ
“ Appellatione, Suam Illmam Dnem majore quàm anteà (ſi major eſſe poſſet) Violentiâ proceſſiſſe.
“ 8. SUAM Illmam Dnem ultimô Menſe Aprili Inducias cum D. Barone *Inchiquino*, licèt Proteſtan-
“ te, eo Tempore quo à Parlamento (22) ſtaret ineundas approbaſſe, & conſuluiſſe: Mox autem atque
“ idem Baro ad Suæ Majeſtatis Partes palàm tranſijt, Suam Illmam Dnem Inducias, quas Concilium
“ cum ipſo celebravit, Conſcientiâ intutas declaraſſe, eoque Titulo cum prætenſis Delegatis, ad ſuam
“ Animi Sententiam delectis, proceſſiſſe ad Excommunicationes in eos omnes, qui ijſdem Inducijs inſiſte-
“ rent promulgandas, præter Spem, in Sua Illma Domne & prætenſis Delegatis, a reliquo Clero, à quo
“ delegati erant, collocatam.
“ 9. SUAM Illmam Dnem eâ Mente, inſalutatô Conciliô, *Kilkenniâ* abruptè diſceſſiſſe, Se ad *Eugeni-*
“ *um O-Neillum* contuliſſe, eum multaque aliorum Millia, contrà ipſorum Juramentum Fæderis, ad
“ Arma in Regimen capienda impuliſſe, & tàm oblatis magnis Præmijs, quám alijs Vijs, ſagaciter Ope-
“ ram dediſſe, ut Suæ Majeſtatis (23) Arx *Athlonienſis* (*n*) prædicti *Eugenij O-Neilli*, tunc Suæ Ma-
“ jeſtaris & Regiminis Imperium detrectantis, Poteſtati permitteretur.
“ 10. SUAM Illmam Dnem per ſuos Miniſtros, *Duncanoniæ* (*o*) Se tenentes, elaboraſſe, ut *Dunca-*
“ *noniæ* Propugnaculi, à *Confæderatis Càtholicis* poſt longam & ſumptuoſam Obſidionem expugnati,
“ Præfectum (24) corrumperet, eumque eò impuliſſe, ut contrà ejus Juramentum Aſſociationis, & re-
“ poſitam in Se Fiduciam, Regimini adverſatus fuerit, & per ſua Inſtrumenta, & Miniſtros effeciſſe, ut
“ idem Præfectus R. P. *Joannem Roweum*, Carmelitarum Diſcalceatorum in hoc Regno Provincialem,
“ cui Magiſtratus ſuæ ab ipſius Nuntij Cenſuris Appellationis, ad Suam Sanctitatem deferendæ, Provin-
“ ciam commiſerat, Transfretatione intercluſerit.
“ 11. SUAM Illmam Dnem Menſibus Juniô, Juliô, & Auguſtô ultimis, exindeque ſemper, & nunc,
“ ſedentibus hiſce Comitijs, in *Conaciæ* Provincia, alijſque hujus Regni Partibus, Rebelliones (25) ex-
“ citaſſe, & continuò in id incumbere, ut Urbs (26) Galvia (*p*) aliaque magni Momenti Loca, Rebel-
“ libus, & Proditoribus tradantur, eiſque eum in Finem Arma, & Pecunias, & Apparatum bellicum
“ ſubminiſtraſſe: Menſibus quoque Juniô & Auguſtô præteritis ſubſcripſiſſe Decretis, quibus licere de-
“ claravit, Suæ Majeſtatis Subditos Regimini Morem gerentes, & præfatæ Armorum Ceſſationi juſtæ
“ legitimæque adherentes, occidere, diripere, ſuiſque Bonis ſpoliare.

(*l*) *Petrô* nimirùm *Scarampâ*, de quo *Hibern. Dominic.* Cap XVII. Num. XLV. Pag. 650.

(*m*) Confer Cap. I. *Hib. Dom.* Num. XIII. Pag. 19.

(*n*) *Athlonia* Oppidum eſt partim in *Lagenia* partimque in *Conacia*, interfluente *Shannanô* diviſum.

(*o*) Vulgò *Duncannon*, quod munitiſſimum eſt Propugnaculum in *Wexfordienſi* Agro *Lageniæ*, de quo nonnihil in *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. XCVI. Pag. 701.

(*p*) De *Galvia* videſis plura in *Hib. Dom.* Cap. IX. §. XXXVIII. Pag. 322.

“ 12. SUAM Illmam Dnem ad omnes Exercitus, prædicto *Confæderatorum Catholicorum* Regimini obſequentes, ſuæ Edicta, & Excommunicationes (27) direxiſſe, & ſub earundem Interminatione ab illis requiſiviſſe, ne ulteriùs eidem Regimini Obſequium præſtarent; ſuâque Operâ & Molitionibus procuraſſe, ut Præfectus Generalis *O-Ferrallus* (q) ſuum Aſſociationis Juramentum, & quo Provinciæ *Conaciæ* Fidem pollicitus erat peculiare Sacramentum (28) prophanarit, & *Eugenio O-Neillo*, tunc juxtà & nunc perduelli adhæſerit.

“ 13. SUAM Illmam Dnem in *Confæderatorum* Vitas, Poſſeſſiones, & Fortunas (29) uſurpaſſe tyrannicam, atque arbitrariam Poteſtatem, ac Juriſdictionem, ſicut conſtat ex ejus Edicto ad *Jacobum Gougbum* Capitaneum datô, quatenùs ſub Excommunicationis Pæna in ſuos Uſus certa Bona traderet; ex Bullis & Reſcriptis, quibus Prædia laica (30) frequenter tranſcripſit; ex ejus Nominatione & Deſignatione (31) Gubernatorum in Comitatibus, & Præfectorum Generalium, atque aliorum Ducum in Copijs rebellibus; ex ejus Exactione magnarum & gravium Summarum, Mutuò acceptarum, Minis & Dolis (32) à diverſis Comitatibus, Municipijs, & privatis Perſonis; ex ſua Fidei publicæ, quâ Se eaſdem tempeſtivè ſoluturum caverat, Violatione, cùm tamen Summæ, quas Modo jam dicto acceperat, ad multa Librarum Sterlingarum Millia (de quibus jam conſtat) excreverint; ac denique ex earum Pecuniarum omnium, vel majoris Partis, Diſtributione in Rebelles (33), ac Proditores.

“ 14. SUAM Illmam Dnem contendiſſe, ut Rmum quendam (34) Prælatum, & reſidens Supremi Concilij Membrum compelleret ad arctiſſimi Secreti Juramentum, quod à Comitijs Generalibus impoſitum fuerat, violandum, & ad Concilij Arcana ſibi revelanda; per ſuas quoque plures Literas ab hujus Regni Prælatis flagitaſſe, ne huic Conventui Generali (35) aſſiſterent, vel comparerent; & ijſdem Prælatis ſub Pæna Excommunicationis præcepiſſe, ne ad Concilium accederent, nullamque in Induciarum Cauſa Opinionem dicerent, ubi Concilium Regni Prælatos evocaſſet, quatenùs in Controverſia Sibi cum Nuntio intercedente eos conſuleret.

“ 15. SUAM Illmam Dnem uſurpaſſe illegitimam Auctoritatem adſcribendi militari & civili eorundem *Confæderatorum* Albo eos, qui ipſi (36) ad imperandum idonei viderentur, & eos utrôque Albô expungendi quos expungendos duceret, ut ſuos Fines aſſequeretur.

“ 16. SUAM Illmam Dnem Edictis, ad multos diverſorum Ordinum Religioſos directis, ſub Pæna Excommunicationis præſcripſiſſe, ne (quod eorundem Ordinum Privilegijs (37) adverſatur) ſuis quique Provincialibus, qui ſuas in Regiminis Favorem Sententias protulerant, obtemperarent. Si qui autem Religioſi à Suæ Illmæ Dnis Senſu Opinionibus diſſenſiſſent, eorumque reſpectivè Provinciales ejus Vias probaſſent, tunc Sua Illma Dtio ab his à Se diſſentientibus Religioſis ſub Pæna jam dicta flagitaſſe, ut ijſdem ſuis Provincialibus obedirent.

“ 17. SUAM Illmam Dnem in hujus Regni Dignitarios, Parochos, & Curiones, abſolutam, atque ordinariam Sibi aſſumpſiſſe Juriſdictonem, nullâ Archiepiſcopis, vel Epiſcopis, in quorum Diæceſibus ſunt, datâ Notitiâ, vel eorum habitâ Ratione.

“ 18. QUENDAM Rmum & Religioſum Prælatum cum Sua Illma Done expoſtulaſſe, quod ejus Honori non congrueret, *Eugenio O-Neillo* (38), ejuſque Partibus ſtudere adverſùm Viros in Regno fidos, opulentos, & conſpicuos, qui ſi prævalituri eſſent, Suæ Illmæ Dni haud mediocriter nocerent, adeò utintereà Temporis *Confæderatorum* Sanguis effunderetur, huic autem Suam Illmam Dnem reſpondiſſe, Partes prævalituras *Romæ* habendas maximè catholicas.

“ 19. NUPERRIME ſedentibus hiſce Comitijs (r), dùm Carmelitarum (39) Ordo Religioſus in Urbe *Galvienſi*, Appellationis à dictis Suæ Illmæ Dnis Cenſuris ad Suam Sanctitatem interpoſitæ Beneficiô utens, ſuas (ut ipſos decebat) Functiones exerceret, quoſdam, Suâ Illmâ Dominatione (40) procurante, & dirigente, in eorundem Carmelitarum Sacellum Galvienſe Noctu inſilijſſe, ipſorum Perſonas (41) offendiſſe, eorumque Campanam, quâ celebrandi Sacri Signum dabant, dejeciſſe, eamque hactenùs detinere, duobus Preſbyteris ad dictæ Capellæ Januam conſtitutis, qui Catholicos violenter à Miſſa arcebant, in magnum Religionis Opprobrium, in Tractu ubi multi ſunt *Proteſtantes*, bonô Exemplô ad Fidem Orthodoxam convertendi.

“ 20. SUAM Illmam Dnem per Se, & continuas ſuas Molitiones, Miniſtros, ac Complices, elaboraſſe ut hanc Nationem à ſua in Regem (42) Fide abduceret, fundamentales Regni Leges, & Regimen ſubverteret, inque eorum Locum externam, arbitrariam, & tyrannicam Gubernationem introduceret, quæ ex Illmæ Dnis Suæ Modo procedendi adeò evidenter probanda ſunt, ut negari nequeant.

“ Quibus

(q) *Richardus* nempé *O-Ferrallus*, Præfectus Generalis Exercitûs *Conacienſis*.

(r) Videſis *Hiberniam Dominicanam*, Cap. XVII. Num. LXXIV. Pag. 680.

“ Quibus omnibus atque alijs Illmæ Dnis Suæ in hoc Regno procedendi Modis, atque Actionibus, factum
“ eſt, ut Sacrarum Baſilicarum, & Sacellorum (43) Centuriæ multæ, in quibus Res Catholica
“ publicè celebrabatur, in Hoſtium Manus devenerint, magni Religioſorum Conventuum Greges diſperſi
“ ſint, integra, vaſtaque Territoria, in quibus *Confæderati* habitabant, jam deſerta, & inculta vacent,
“ & Famis generalis, qualem nulla retrò Ætas in hoc Regno pepererat, invecta fuerit, veroque ſimile
“ ſit univerſalem Deſolationem ſecuturam, niſi citiùs occurratur.

“ Ex. *per Philippum O-Kearneum*
“ *Generalium Comitiorum Clericum.*”

HÆC ſunt Viginti Accuſationum Capita cum viginti tribus Sub-Capitibus, ut ità loquar, fideliter ſcripta ut jacent in Hiſtoria *de Legatione Hibernica*, quæ ejuſdem planè ſunt Tenoris, diverſis licèt Verbis concepti, cum ijs, quæ ex *Philopatre Irenæo* leguntur in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXXV. Pag. 682, & ſeqq. Id ſolummodò verſatur Diſcriminis, quod ibi non interjiciantur Numeri quadraginta tres ſicuti hìc Loci. Nunc ſequuntur Redargutiones quadraginta item tres, & quidem in totidem Sectiones ſingulatìm diſtributæ, pro quarum clariori Intelligentia Lector præ Oculis habere debet eoſdem pariles Numeros Accuſationum mox exſcriptarum.

CXI. Redeat igitur Hiſtoricus *Defenſor* in Hiſtoria ſua *de Legatione Hibernica*, Rerum omnium in ea geſtarum oculatus Teſtis, præmiſſas quadraginta tres Accuſationes totidem Sectionibus ſigillatim redarguens ſequentibus Verbis.

“ JAM reſtat, ut huic Mendaciorum, & Calumniarum Farragini, quas polliciti ſumus, Redargutiones
“ ſubnectamus.
“ 1. NUNTIUM, Anno 1645 appulſum, *Confæderatos Catholicos* reperiſſe unanimes, adeò falſum eſt,
“ ut tametſi antegreſſis Belli Annis iniquiſſima *Ormonij* Factio per inauditas Machinationes in Comitijs,
“ Concilio Generali, alijſque Magiſtratibus prævaluerit, ſed non ità quin Clerus, Aborigines (*s*), &
“ omnes Cleri Partes ad *Ormoniſtas* etiam Bellô civili aggrediendos paratæ fuerint potiùs quàm ad permittendum,
“ ut ſuam nefariam Mentem aſſequerentur (*t*). Quaré, Cleri Partes per occultas Proteſtationes
“ Se ad iniquam Pacem impediendam accinxiſſe, colligendum eſt ex Comitiorum Generalium,
“ tribus circiter Menſibus anté Nuntij Appulſum celebratorum Actô, 4 Julij 1645 *Kilkenniæ* datô &
“ per univerſum Regnum promulgatô, quo *Ormoniſtæ* illis Proteſtationibus obviare ſatagerunt. Eadem
“ Partium Studia conſtant ex Suggeſtionibus ſcriptis, Nuntio ad Appulſum datis, ut ſuô Locô ex Parte
“ poſitis, & ex ipſius Nuntij Relatione Kal. Martij Anno 1646 Cardinali *Pamphilio* ſcriptâ, ſed 3°.
“ Maij miſſâ, & ſuperiùs poſitâ (*u*), quâ Regni tunc Statum adumbravit. Denique idipſum colligere
“ eſt ex multis alijs Rerum ſuperius tractatarum Locis, quæ hìc vel citare prolixum foret. Nuntius
“ ergò Operam quidem dedit, ut nequiſſimæ illius Factionis *Ormonicæ* Impetus, Eccleſiæ exitialis, cohiberetur.
“ Nec cæptis defuit Deus, qui Anno 1646 Menſibus Auguſtô, & Septembri, ità ejus, &
“ Partis ſinceræ Conatus ſecundavit, ut Conſiliarijs, qui *Ormonio* ſtuderent, exauctoratis, atque in
“ Carcerem conjectis, Paceque iniquâ proſcriptâ, Clerus atque ejus Partes triumpharunt (*w*), & uſque
“ ad Finem (ut credere par eſt) triumphaſſent, niſi Nuntius ab *Ormoniſtis* deceptus, Mente optimâ, ſed
“ improvidâ, permiſiſſet, Concordiæ inter Partes reintegrandæ Studiô, ut Comitia Generalia ad ineuntem
“ Annum 1647 celebrarentur, donatis Libertate illis Conſiliarijs, qui ſuam iterum Factionem ex Funere
“ redivivam, in Regni Ruinam, reſuſcitarunt.
“ 2. SI Catholica Religio in tribus amplius ex Regni quatuor Partibus ad Nuntij Appulſum cum Splendore
“ exercebatur, Nuntius ſuô Zelô & Prudentiâ, necnon Subſidijs Pontificijs, id, Deô auſpice, effecit
“ ut

(*s*) Conſulenda *Hibernia Dominicana* Cap. I. Num. 6. Pag. 9.

(*t*) Infeliciter Diviſos inter Se ſuiſſe *Confæderatos Catholicos* antè Nuntij Appulſum, diſertè aſſerit Scriptor coævus, *Antonius* nempè *Bruodinus* in ſua Hiſtoria Pag. mihi 84; idque luculentiſſimè patet ex *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. XLVII. Pag. 652, & ſeq.

(*u*) Non hìc Loci, ſed in alia anteriori Parte ſuæ Hiſtoriæ, quæ ſanè nimis prolixa eſt quàm ut impræſentiarùm exſcribatur.

(*w*) Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. à Num. L. Pag, 655; & hujus *Supplementi* Num. XCVI. Pag. 885.

“ ut per inſignes Victorias, Anno 1646 reportatas, Splendor ille maximoperè anctus fuerit. Quarè ex ipſorum hìc *Ormoniſtarum* Confeſſione, Religio Catholica tunc facili Negotiô planè plenèque Triumphum revixiſſet, niſi pernicioſiſſima illa Factio ſuis Diſcordijs & Conjurationibus Triumphorum Curſum non præpediſſet, undè hìc Nuntium accuſantes, ſuô ſe injugulant Gladiô.

“ 3. NUNTIUS quàm bonâ Fide Fregatas illas in *Confæderatorum* Obſequium obtulerit, conſtat ex Epiſtola ad Se 24 Septembris 1645 datâ ab *Juvernitio*, quam, aliaque hùc ſpectantia ſuis Locis tetigimus (*x*).

“ 4. NUNTIUS Decretum habuit Anno 1646, Pecunias pontificias in Exercitûs *Ultonienſis* Sumptus impendere. Sed *Ormoniſtarum* Fraudibus factum, ut majorem Partem in *Preſtoni* (*y*), quàm *Eugenij O-Neilli*, Vires diſtribuerit. Multas quoque alias minores Summas in alijs Regni Uſibus collocavit. Vide ſuperiùs Orationis ſuæ ſecundæ ad Comitia Generalia Anno 1646 habitæ Compendium Num 6. *Habeo* (inquit) *tantam Pecuniam, ut poſſim aſſumere in me Onus alicujus Partis notabilis Belli in aliqua Provincia.* Hæc ad Comitia Nuntius, quæ, & plura præſtitit.

“ 5. *Sancti Petri* Fregatam, quâ ipſe Nuntius in *Hiberniam* navigaverat, exindè hactenùs in Prædis hoſtilibus Mari capiendis, atque alijs Regni Indigentijs ſublevandis occupatam fuiſſe, & Decanum *Firmanum* aliam *Sanctæ Urſulæ* Fregatam Anno Superiori in *Gallia* Pecunijs Pontificijs comparaſſe, & cum ambabus hoc Anno vix *Ormoniſtarum* Manus evaſit, & in ſecundam involarunt.

“ 6. QUAM bonâ Fide Nuntius in Negotio, de quo hìc loquuntur, proceſſerit, & quàm fraudulenter ejus Adverſarij ſe geſſerint, alibi ſuô Locô fuſiùs demonſtravimus.

“ 7. VIDE quæ dixi ad Numerum quartum, quæin hujus Numeri Septimi Reſponſionem ſufficiunt.

“ 8. QUAM ridiculum eſt hoc Accuſationis Caput !

“ 9. NUNTIUS nec debet, nec (ſicut ex ejus Facultatibus, ſuô Locô poſitis, liquet) potuit circà Bona eccleſiaſtica cum Laicis diſpenſare, niſi certis Conditionibus, prudentiſſimè adjectis, quas ab illorum Bonorum Poſſeſſoribus, exceptis pauciſſimis, ſpretas fuiſſe, ipſe Nuntius tradit ſuæ Relationis, *Innocentio* X porrectæ, Capite ſecundô. Cupiebant enim generaliſſimam, & abſolutam Diſpenſationem, cùm digni potiùs eſſent, qui ob Ingratitudinem, & Perfidiam, Bonis ominibus eccleſiaſticis excuterentur, Hæreticorum utique Fautores, & maligniſſimi Sedis Apoſtolicæ Adverſarij.

“ 10. NUSQUAM Mihi occurrit, Nuntium, quod hìc dicunt, præſtitiſſe. Si autem præſtitit, Jure ſuô in indignos Bonorum eccleſiaſticorum Uſurpatores uſus eſt. Sed nec uſum fuiſſe crediderim, niſi cum aliquibus Circumſtantijs pro ipſo militantibus, & hìc Silentio prætermiſſis ab Adverſarijs.

“ 11. SI de Eccleſiaſticis, Bonorum eccleſiaſticorum Poſſeſſoribus, loquuntur, Nuntius certis Caſibus hoc potuit, ſicut ejus Facultates docent. Si autem de Laicis, eorundem Bonorum Poſſeſſoribus, hoc affirmant, citrà Dubium Circumſtantias pro Nuntio facientes non exprimunt. Mihi autem nuſquàm occurrit Nuntium tale præſtitiſſe.

“ 12. HANC Diſceptationem non in ijſdem Comitijs, ſed in alijs, ad ineuntem Annum 1647 celebratis (*z*), interveniſſe reperio! Circà quam vide Relationem hùc ſpectantem Kal. Martij 1646 Cardinali *Pamphilio* à Nuntio miſſam, & ſuperiùs ſuô Locô poſitam. Ex qua, & ex alijs ibi annexis liquet, hoc Nuntio objectum Accuſationis Caput eſſe falſum.

“ 13. IN eadem Relatione habetur, quod illis Comitijs Nuntius optimè reſpondit, nempè Regi Hæretico competere non poſſe Jus Patronatus.

“ 14. ANTE *Anglorum* Invaſionem veteres *Hiberniæ* Reges, & Principes Regni, Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, & plurima ditiſſimaque Monaſteria fundaverant, dotaverantque, quorum Jus Patronatûs potiùs eorum Hæredibus legitimis, quàm *Ormonio* ſtudentibus, *Anglo-Hibernis*, qui in Bona eccleſiaſtica involarunt, competebat.

“ 15. Ex præfata Relatione liquet, Nuntium non ſpopondiſſe futurum, ut a *Concilio* præſentandi promoverentur. Nuntius enim haud Injuriâ ſuſpicatur, non alios ab *Ormoniſtis* præſentandos, quàm ſui Fermenti Eccleſiaſticos, Cauſæ Catholicæ in Occaſione defuturos, ſicut reapſè poſtea ſucceſſit. Quarè

“ utinam

(*x*) Planè in immenſum Oratio excurreret, & Dies, Vox, Vireſque Me omninò deficerent, ſi cuncta iſta, aliaque poſthàc aliquatenùs deſideranda, in Medium afferre vellem, quæ non *Supplementum* duntaxát *Hiberniæ Dominicanæ*, ſed Volumen integrum ipſâmet *Hiberniâ Dominicanâ* duplo majus implerent ; & hoc quidem tametſi ea ſummatìm perſtringere vellem. Quippé Hiſtoria *de Legatione Hibernica* quinque complectitur Volumina, arctè minutéque conſcripta in per magno Folio, ut de juſtæ Molis Volumine Epiſtolarum nihil dicam.

(*y*) Conſulenda *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. XLIV. Pag. 619.

(*z*) Videſis *Hib. Dom.* Cap. XVII Num. LIII, Pag. 658.

“ utinam præſentatorum ab *Ormoniſtis* promovendum curaſſet Neminem. Porrò *Walterus Lynchæus*, & Rev. Adm. P. *Boetius Mac-Eganus*, quorum primum ad *Clonfertenſem*, & ſecundum ad *Roſſenſem* Infulas, Nuntius antea promovendos curaverat, Cauſæ Catholicæ inter has Diſcordias præclarè militarunt. Quarè *Ormoniſtæ* promotos fuiſſe moleſtiſſimè tulerunt. Patre *Hugone de Burgo*, quem ad *Clonfertenſem* Epiſcopatum præſentaverant, ad pejorem Epiſcopatum, nempe ad *Duacenſem* promotô, & *Joanne Mac-Calachanô*, quem ad Epiſcopatum *Corcagienſem* cooptari ſatagerant, Nuntij Operâ prudentiſſimè excluſô, inque ejus Locum *Robertô Barriô*, quem ipſum *Concilium* ad Epiſcopatum *Roſſenſem* commendaverat, ejuſdem Operâ ſubſtitutô, qui ſicut præclariſſimè Se geſſit, itâ *Callachanus* ſub ementito *Philopatris Irenæi* Nomine, Vindictâ flagrans, ſuum Libellum famoſum (ex quo prudentiſſimè excluſum fuiſſe conſtat) in *Ormonij*, & *Ormoniſtarum* Favorem edidit (*a*), eximius Hæreticorum, atque Hæreticis adhærentium *Ormoniſtarum* Fautor, & Patronus, proindéque Epiſcopatu longè indigniſſimus.

“ 16. LEGANTUR Nuntij Facultates, ex quibus liquet, Pontificem ipſi ampliſſimam conferendorum in *Hibernia* Beneficiorum eccleſiaſticorum feciſſe Poteſtatem, quam ille nutriendæ inter Partes Catholicas Concordiæ Cauſâ, & improvidâ Providentiâ potiùs in Catholicorum ſibi adhærentium, & *Veterum Hibernorum*, quorum Majores Eccleſias Epiſcopales fundaverant, dotaverantque, quàm in *Ormoniſtarum* Præjudicium exercuit contrà *fundamentales Regni Leges.* In illa Objectione ſi intellexerint *Ormoniſtæ* Leges *Anglicanas* in *Hiberniam* intruſas, has antè *Henrici* VIII ab Eccleſia Defectionem nonniſi in parvo Inſulæ Angulo (*b*) ſub ipſo *Henrico* viguiſſe tradit Coronæ *Anglicanæ* ſtudioſiſſimus, ipſeque Hæreticus, *Joannes Daviſius*, Regis *Jacobi* (Primi) in *Hibernia* Attornatus (*c*) qui de Legibus *Anglicanis*, regnante *Henrico* VIII, in *Hiberniæ* Uſum latis, diſſerens: *Executionem* (inquit) *harum Legum in* Hibernia *haud ad majorem Diſtrictum quàm ad Coloniam ibi* Anglicanam *Se extendiſſe liquet ex Statuto, Anno* 13 *Regis* Henrici *VIII Cap.* 3, *quô traditur, quod Diebus illis Regis Leges in quatuor tantùm Comitatibus vigerent. Documenta quoque eôdem circiter Tempore à regijs in* Hibernia *Miniſtris per Scriniorum Magiſtrum,* Joannem Allenum, *in* Angliam *tranſmiſſa, idipſum in confeſſo collocant. Quibus utique is inter cetera in Mandatis habuit, ut Regi inculcaret ſuam* Hiberniæ *Terram tantoperè ab Obſequio deſciviſſe, ut Suæ Majeſtatis Leges haud per viginti in Circuitu Paſſuum Millia vigerent, indèque inolevit Diverbium, ab* Hibernis *uſitatum, quod ſcilicèt extrà Legem anglicanam viverent, qui ultra* Birgum *(d) Fluvium habitarent, non utique niſi triginta Millia Paſſuum* Dubliniô *diſtantem. Idque ipſum* Finglaſſiæ *Baro* (e) *confirmat in ſuo de* Hiberniæ Defectione *Tractatu, quem ad Annum Regis* Henrici *VIII viceſimum* (A. D. 1529) *ſcripſit.* Hæc anglicè *Daviſius.* Itàque illæ Leges *fundamentales* anglicanæ, Temporibus catholicis in *Hiberniam* intruſæ, proindequè Coronæ *Angliæ* Jus Patronatûs in *Hibernia*, noviſſimis Annis antè Schiſma, & Hæreſim, nonniſi in illo parvo Tractu viguerant, quod Jus Patronatûs tantum abeſt ut ſub poſterioribus Principibus Hæreticis creverit, ut etiam in Hæreſeos Pænam prorſùs evanuerit.

“ 17. CUM Coronæ hæreticæ Jus Patronatûs ad Epiſcopos Catholicos præſentandos convenire dicant, Spiritu penè hæreticô ſe agi oſtendunt.

“ 18. INQUIETA cenſent Ingenia, quòd ſecum in Nationis, & Eccleſiæ *hibernicæ* Ruinam, & in *Fæderis Catholici* Diſſipationem non conſenſerint.

“ 19. LEGE Schedam, Notis Arcanis (*f*) Cardinali *Panzirolo* (*g*) à Nuntio 24 Decembris 1647

“ ſcriptam

(*a*) Hinc emendandus *Harriſius* (Lib. I. *de Scriptoribus Hiberniæ* Pag. 165) græcâ Fide aſſerens *Richardum Bellingum* iſtius Operis fuiſſe Auctorem. Meliùs quippé Rem hanc reſcire potuit Decanus *Firmanus*, Nunciaturæ Auditor, ac Scriptor coævus, quàm hujuſce Tempeſtatis recens Editor, eo vel maxime quia *Philopater* contrá Nuntium, & ipſummet Decanum *Firmanum*, individuum Nuntij Comitem, Calamum acerrimé acuerat. Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. XLV. Lit. p. & Num. LV. Lit. k. Pag. 650, & 660; ac *Supplementi* hujus Num. LXXXVII. Pag. 875.

(*b*) Paſſim nuncupatur *Palus Anglicanus*, quem explicabam in *Hib. Dom.* Cap. I. Num. X Lit 5. & Cap. IV. Num. VIII. Pag. 13, & 76.

(*c*) De Equite iſto *Daviſio* appoſité Sermonem feci in *Hib. Dom.* Cap. I. Num. VII. Cap. XVII. Num. XIX. Pag. 10, & 621.

(*d*) Alijs *Baroum*, anglicé *Barrow*, de quo *Hibernia Dominicana* Cap. IX. §. IV. Num. I. Pag. 208.

(*e*) *Finglaſſiæ* Baro non erat, ſed Nomine *Patritius Finglaſs*, erat Capitalis *Baro* Scaccarij, anglicé *Lord Chief Baron of the Exchequer.* Hinc Eques *Joannes Daviſius* eum anglicé appellat *Baron Finglaſs.*

(*f*) Hoc eſt, Ciphris ſcriptam, ne Scheda in aliorum Manus incideret.

(*g*) *Joanni-Jacobo* Cardinali *Panzirolo*, Secretario Statûs *Innocentij* Papæ X.

“ ſcriptam, & ſuperiùs ſuo Loco poſitam, circá id, quod tunc in Cleri Congregatione clám in Deliberationem venerat, á Nuntio tunc ſuſpenſam, ex qua colligere eſt quantam hìc Ingratitudinem *Ormoniſtæ* in Nuntium exerceant, digniſſimi, quos inter ultima illa Comitia *Eugenius* cum ſuo Exercitu coercuiſſet. Sed Nuntius interceſſit. Porrò illam Deliberationem ab aliquibus Prælatorum apertam fuiſſe conjecto ex hac Objectione, in qua *Ormoniſtæ* vera falſis mixta ſcribunt, Silentiô prætereuntes ſuam inter dicta Comitia Conjurationem, quam *Eugenius* & Clerus *Hibernicus* diſſipaſſent, niſi Nuntius Obicem poſuiſſet.

“ 20. BELLUM á *fœderatis Hiberniæ Catholicis* cæptum, & tot Juramentis ſuſceptis ſanctificatum, anté quidem in ſolos Hæreticos geſſerat, ſed tunc in Hæreticos, & Fædifragos Catholicos, impiâ Conjuratione inter Se conjunctos, continuavit. Quaré illius Belli civilis Damna *Ormoniſtis* Vitio vertenda ſunt

“ 21. SIC *Henricus* VIII, ejuſque ſpuria Filia Regina *Elizabetha*, Sedis Apoſtolicæ Cenſuras, in ſe fulminatas, affirmarunt illegitimas eſſe, & temerarias.

“ 22. QUAM maligna Objectio hæc ſit, ex ijs conſtat, quæ ſuô Locô ſuperiùs ſuper hac Re tradidimus: Neque enim Nuntius contrahendis Inducijs, modò bonæ futuræ eſſent, nec contractis, niſi quia malis, intercedendum duxit.

“ 23. QUAM ridiculum Accuſationis Caput! *Magaulij* ſiquidem Proditio in illa Arce, *Ormoniſtis* tradenda, docuit, Nuntium ſi (quod mihi non conſtat) hoc præſtiterit, prudenter proceſſiſſe. Si enim *Athlonia* Eugenio tradita fuiſſet, vix *Ormoniſtæ*, & conjuncti ſecum Fædere Hæretici, hoc Anno non ſuccubuiſſent.

“ 24. NEC minús ridicula eſt hæc Objectio ob ſimilem Rationem. Quod autem ibidem ſubjungunt, nempé Nuntium effeciſſe, ut *Rowei* Transfretatio præpediretur, nullam prorſùs Fidem habet, præſertìm cùm Nuntius *Galviæ* ſe teneret, atque adeò *Duncanoniâ* longé Gentium diſtaret, & Itinera interjecta undique ab *Ormoniſtis* impedirentur (*b*).

“ 25. NON Nuntij, ejuſque Partium, ſed *Ormoniſtarum* Bellum Rebellionis Nomine cenſendum eſſe demonſtravimus.

“ 26. QUINIMMO potiús Nuntius ſuas *Galviæ* Partes eò adegit, ut *Ormoniſtæ* Galvienſes Magiſtratu non abdicarent, ipſeque Manu propriâ Urbis Claves, & Inſignia prætoria, Prætori *Ormoniſtæ* Jure merito extorta, reſtituit.

“ 27. RISU dignæ Objectiones, quæ vix Animas Catholicas redolent.

“ 28. *Richardus O-Ferrallus* publicâ etiam Provinciæ *Conaciæ*, nedùm Regni Auctoritate in Præfectum Generalem cooptatus erat, ſed Pſeudo-Concilium poſtridie quám Cenſuræ fulminatæ eſſent ſuis Literis ad *Clanricardium* 28 Maij 1648 datis, eidem *Clanricardio* prædictam Virium *Conacenſium* (ſicut ex ipſius *Clanricardij* Declaratione 10 Junij 1648 datâ, & ſuperiús poſitâ conſtat) Præfecturam Generalem decreverunt, *Richardô* exauctoratô haud aliam ob Cauſam, quám quod *Clanricardius* non minùs *Ormonio*, & alijs Hæreticis, quám *Richardus* Clero, atque ejus Partibus ſtuderet, anteá ſemper deindéque de Cauſa Catholica optimé meritus; qui etiam nonniſi duobus circiter Menſibus poſt ſui Exauctorationem jam dictam interjectis, ad *Eugenij O-Neilli* Partes palám tranſijt, tentatis anteá, ſed in Caſſum, Vijs omnibus, quibus fieri poſſet, ut *Concilium*, & *Conaciæ* Provincia Se ad ſuam Præfecturam adminiſtrandam ſecundarent. Itaque Fide ſummâ ſe geſſit anté & poſt ſuam ad Cleri Partes Tranſitionem, & *Concilium* etiam in hoc Regiminis Articulo Fidem in ſe poſitam prodidit.

“ 29. EDICTUM, de quo hìc loquuntur, haud aliud fuiſſe credo, quám quod impius in Medium producit, & his ſubjicio:

“ *Joannes Baptiſta Rinuccinus, Dei, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Gratiâ Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus, ac in Regno Hiberniæ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius, tibi Jacobo Gough Salutem.*

“ *Tenore præſentium præcipimus, ac mandamus, ad Inſtantiam, & Petitionem* D. Ludovici Gedeon, *Capitanei Fregatæ* Sancti Petri, *& Sociorum Militum, & Nautarum, quatenùs intra totam Diem ſequentem Lunæ, quæ erit* 17^{a} *currentis Menſis Auguſti, debeas reddere Computa fidelia, & realia, cum Effectu, & ſine Mora, de omnibus Pecunijs & Rebus ſpectantibus ad ipſos, & alios, pro Præda capta à dicta Fregata, ad Effectum, quod ſtatim ipſe ſupradictus Capitaneus, & alij Intereſſe habentes, debitam & juſtam habeant Satisfactionem pro integra illorum quorumcunque Parte, & hoc ſub Pæna Excommunicationis Nobis reſervatæ, ipſo Facto incurrenda, ſi per te, & ex Parte, vel Defectu tuo, totum id non perficiatur. Non obſtantibus quibuſcunque &c. In quorum Fidem &c. Datum* Waterfordiæ *Die* 15 *Auguſti Anno* 1646.

“ JOANNES

(*b*) Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. LXXI. Pag. 678.

“ JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS, NUNTIUS APOSTOLICUS.

“ SANCTI PETRI Fregatam, de qua hìc Mentio ſit, Nuntius Anno 1645 Pecunijs pontificijs in *Gallia*
“ emerat, eique Nautis, Militibus, & Rebus omnibus, ad Bellum navale idoneis, bené inſtructæ
“ præfecerat *Ludovicum Gedeon* in Capitaneum, ut maritimæ Catholicorum Oræ ab *Anglorum*
“ *Scotorumque* Pyraticâ defenderentur, & Prædæ navales, ex Hæreticis illis Hoſtibus, & Prædonibus revehendæ,
“ in Belli Catholici Sumptus impenderentur, exceptâ Manubriarum Parte, ad Capitaneum
“ jam dictum, juxtà Conditiones initas, ſpectante, & in Militum, Nautarumque Stipendijs, & Navis
“ inſtruendæ, ſubindèque reparandæ Sumptibus collocandâ. Cùm ergô *Jacobus Gough* ea, de quibus in
“ Sententia illa, à Nuntio latâ, Mentionem fieri vides, reſtituere debuerit, quid juſtius quàm ut ſub
“ Cenſurarum Interminatione ad Reſtitutionem compelleretur? Nec aliud hìc ipſe *Philopater* reprehendit,
“ quám quod Nuntius Controverſiam civilis Magiſtratûs Sententiâ dirimendam non curavit. Verùm
“ Homo temerarius, & imprudenter mendax, haud Oblivioni tradidiſſet, quod ipſe ſui Libelli famôſi
“ Capitulô præcedenti habet, & verum eſt, nempè Pacem *Ormonicam* Triduô anteà a Nuntio & Clero
“ *Waterfordiæ* damnatam fuiſſe (*i*), ex quo, atque ex alijs Controverſiæ, tunc inter Clerum, & *Supremum*
“ *Concilium* ortæ, & ſuo Loco fuſiùs recenſitæ, Circumſtantijs liquet, Nuntium haud ſperaſſe futurum,
“ ut iniquiſſimum illud *Concilium* in ſui Favorem judicaret, præſertim tunc, cum potiùs Operam
“ daret, ut totum Regnum in Nuntium, & *Hiberniæ* Clerum inſurgeret, & eos ad Incitas redigeret.
“ Cæterùm Nuntius tunc, & *Hiberniæ* Clerus, illâ Prædâ, alijſque Subſidijs, ultrá Modum indigebant,
“ ut iniquam illam Pacem, Vi intrudendam, Viribus, quibus ſtipendia numeranda eſſent, rejicerent.
“ Quarè in illis Anguſtiis ſanctè, & prudenter *Jacobum Goughium* premendum duxit, quem alterius Fregatæ
“ Capitaneum ſuiſſe, & ſub *Concilij*, Clero tunc adverſantis, Vexillis in illam Prædam navalem, à
“ Nuntij Fregata captam, involaſſe conjecto.

“ 30 PRÆDIA laica, quæ á Nuntio tranſcripta fuiſſe dicunt, haud alia fuiſſe non dubito quám
“ Poſſeſſiones Eccleſiaſticas, antè á Principibus hæreticis in Laicos, ſui Fautores, per Tyrannidem diſtributas,
“ & à Nuntio iniquis Poſſeſſoribus jam Catholicis, non omnibus, ſed paucis, confirmatas: Vel
“ certè intelligunt ſimilia Prædia, Bellô Hæreticis erepta, & à Nuntio, juxtà ſuas Facultates ſibi conceſſas,
“ alijs Catholicis, vel Laicis tranſcripta, vel Eccleſiaſticis, fortèque ipſis legitimis Dominis, Monachis
“ ſcilicèt, vel Canonicis Regularibus reſtituta, in quo quid peccavit?

“ 31. ANNO 1646 proſcriptâ Pace Ormonicâ, exauctoratô Conciliô Supremô, & Congregatione Eccleſiaſticâ
“ compactâ, Nuntius in hujus mixti Magiſtratûs Præſidem cooptatus (*k*) cum alijs ex Congregatione,
“ & *Conciliô*, aliquot Decretis, tunc circà *Confæderatorum* Regimen conditis, ſubſcripſit, ex
“ quibus hìc arripitur Occaſio hìc objiciendi, quæ hìc objiciuntur. Sed quàm malâ Fide? Lector
“ Judex eſto.

“ 32. LEGANTUR ipſius Nuntij Reſponſiones contentæ in Scheda, ſuô Locô ſuperiùs poſitâ, ad Cardinalem
“ *Panzirolum* 16 Junij 1648 datâ, circà Gravamina ſibi à *Concilio* illata. Legantur etiàm quæ
“ inferiùs ad Anni ſequentis Initium dicemus circà Pecunias, Nuntio ab *Hiberniæ* Jeſuitis Mutuô datas.
“ Porrò cùm hìc Nuntio Dolos *Ormoniſtæ* affingant, ſuam Nequitiam, non Nuntij Culpam, produnt.

“ 33. PECUNIÆ illæ omnes, vel penè omnes, Anno 1646, mutatô (ſicut dixi) *Confæderatorum* Regimine,
“ Mutuô acceptæ ſuere ad Pacem iniquam valentiùs eliminandam, & in Copias, Eccleſiæ &
“ Patriæ militantes, diſtributæ, in Expeditionem *Dublinienſem*, ſuô Locô fuſiùs delineatam. Quarè *Ormoniſtæ*,
“ in hiſce Comitijs Anno 1646 dominantes, ſuam Perfidiam produnt, cùm hìc eos, qui Pacem
“ illam tunc proſcripſerant, vocant *Rebelles*, ac *Proditores*. Ex eo enim colligitur, *Ormoniſtas* illos
“ tunc, & ſemper hactenús in ſua Perfidia perſtitiſſe, licét Pax illa á Clero, Populo, Exercitibus Catholicis,
“ & Regni Comitijs, ad ineuntem Annum 1647 celebratis, rejecta fuerit tanquàm iniqua (*L*). Ex
“ hoc etiam loquendi Modo colligere eſt, *Ormoniſtas* itá invitos & reluctantes Pacem illam repudiaſſe,
“ ut nunquàm ejus, vel ſimilis reſtituendæ Mentem abjiecerint, licét toties per Acta etiam publica proteſtati
“ ſint, & juraverint contrarium.

“ 34. HIC Reverendiſſimus Prælatus, de quo loquuntur, fuit Epiſcopus *Limericenſis* (*l*). Caſus autem
“ hic eſt. Clerus (ut vidimus) 27 Aprilis (1648) Inducias cum *Inchiquino* contrahendas damna-

---

(*i*) Confer *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. LII. Pag. 656.

(*k*) Videſis *Hiberniam Dominicanam* Cap. XVII. Num. LII, & LIII. Pag. 656, & 658; & *Supplementum* hoc, Num. XCIII. Pag. 881.

(*L*) Adeas *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num. LIII. Pag. 658.

(*l*) *Edmundus O-Dwyer*, de quo *Hib. Dom* Cap. XVII. Num. LXXVIII. Lit. m. Pag. 687; & *Supplementum* hoc, Num. LXXXVIII. Lit. T. Pag. 876.

“ vit. (*m*). Quô viſô *Concilium* ità nihil à ſe, niſi Clerô approbante,in ea Re gerendum ſimulabat,ut tamen 7° Maij clanculúm certis Conditionibus illam Armorum Ceſſationem abſolvendam definierit ; & 8° Maij Commiſſarios ad *Inchiquinum* in eum Finem deſtinandos ſternerit. Quô cognitô, Nuntius Epiſcopum *Limericenſem*, unum ex Conſiliarijs, preſſit, ut ſe occultam illam Conjurationem, Eccleſiæ & Nationi exitialem, non celaret, Reque ipſâ Epiſcopus totam ipſi Machinationem aperuit, ipſô Nuntiô Auctore Rel. Cap. 27. Ex hac autem *Ormoniſtarum* Criminatione colligendum videtur, *Limericenſem*, poſteà converſum in Arcum pravum, ipſis retuliſſe, non ſe id Arcanum Nuntio aperuiſſe, ſed Nuntium urſiſſe ut aperiret. Porrò Nuntium in *Limericenſi* ad illam Conjurationem ſibi communicandam premendo nedùm licite ſed etiàm pié & ſancté proceſſiſſe liquet. Nam non ſolùm Pontifex in certis Circumſtantijs (ſicut ex ejus Facultatibus patet) ipſi relaxandi Juramenta fecerat Poteſtatem, ſed etiam *Limericenſis* ex Secreti obſervandi Juramentô, a ſe atque alijs Commiſſarijs ſuſceptô, Arcanum illud Nuntium celare non tenebatur uſque adeó, ut ex promiſſâ Regno Fidelitate, ipſi potiùs & alijs, quorum intereſſet, ejus communicandi Onus incubuerit.

“ 35. Eventus funeſtiſſimus poſteà docuit, Nuntium ſanctiſſimé, & prudentiſſimé hæc Prælatis præſcripſiſſe.

“ 36. Hæc niſi de Regimine, ad Annum 1646 mutatô, intelligere nequeunt. Verúm illius Mutationis Nuntius nunquám Auctorem fuiſſe, ſed unanimi aliorum Sententiæ ſubſcripſiſſe, nec Nuntium, nec alios, niſi optimé in hoc ſe geſſiſſe ſuô Locô fuſiús demonſtravimus.

“ 37. Ex Nuntij Facultatibus, ſuô Locô ad Annum 1645 poſitis, patet hanc Objectionem eſſe falſiſſimam. Reliquaque Objectio Abſurditatibus, quæ meros *Ormoniſtas* ſapiunt, ſcatet.

“ 38. Nuntio congruiſſe quis dubitet, adhærere *Eugenio O-Neillo*, alijſque Rei Catholicæ Fautoribus, qui Cauſæ Juſtitiam Nobilitate, Numerô, multiſque alijs Titulis *Ormoniſtas* antecellebant: Nec hìc aliud reſpondere poſſe video, quàm *Ormonio* plures Equites, Barones, Vicecomites, & Comites ſtuduiſſe. Sed hæc Reſponſio nulla eſt, cùm in *Hibernia* notorium ſit, recentiores illos Titulos eorumque pleriſque tanquàm novis Hominibus, & de Corona *Anglicana* in Eccleſia *Hibernica* defendenda benè meritis collatos fuiſſe, proindeque alijs, qui Nuntio ſtuduerunt Generis Splendore (*N*) atque Antiquitate milliès poſthabendos. De Fortunis autem ſi Quæſtio ſit, ea erat ambarum Partium Conditio, ut *Ormoniſtarum* plurimi, illis Titulis gloriantes, Oſtium cùm attrita Lucerna commutaſſent, ſi Bonis Eccleſiaſticis, & Catholicorum Patrimonijs, in Odium Fidei confiſcatis, atque in ipſos, vel eorum Majores, tanquàm Hæreticorum Stipendiarios, â Corona *Anglicana* collatis, excuſſi fuiſſent. Nuntij autem Fautores alij Patrimonia à tot Sæculis avita, ſed Hæreticorum Fraudibus, & Tyrannide truncata, poſſiderent ; alij in Odium Fidei ſibi vel Majoribus extrita juſtô Bellô repeterent ; & ambæ Fautorum ejus Partes vaſtiſſima Territoria, per Hæreticorum Technas, & Violentiam ſibi erepta, vendicarent Jure adeó liquidô, ut Regni Comitia, etiam *Ormoniſtis* conſentientibus, decreverint, nunquàm Pacem ineundam, niſi in Integrum reſtituerentur, ſicut ex Legatorum, hoc Anno (1651) in *Galliam* ad Reginam *Angliæ*, & Principem *Walliæ* deſtinatorum (*n*) Monitis, quoad magnam Partem liquet. Quàm maligna, quæ ſequitur, Objectio! Refutatione non indigens.

“ 39. Car-

(*m*) Id videre eſt in *Supplemento* hoc, Num. C. Pag. 889.

(*N*) Illos haud dubiè innuit Hiſtoricus *Defenſor*, qui Originem rectà duxerunt à Regibus *Hibernicis*, antè *Anglorum* Invaſionem ſub *Henrico Secundo* dominantibus ſeù in univerſo Regno, ſeù in Regni Provincijs, ſeù in Provinciarum Ditionibus. Hi autem quamquàm Subditi poſt memoratam *Anglorum* Invaſionem Anno 1169, Regiô Nomine gaviſi ſunt, Regeſque appellati ab ipſiſmet *Angliæ* Regibus, ut luculentèr conſtat ex Literis Patentibus, quibus *Henricus Secundus* memoratus Anno 1175 Negotia ſua *Hibernica* commiſit *Gulielmo de Burgo*, Filio *Adelmi*, quarum hoc eſt Exordium : *Henricus Dei Gratiâ Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegàviæ ; Archiepiſcopis, Epiſcopis, Regibus, Comitibus, Baronibus, & omnibus Fidelibus ſuis Hibernicis, Salutem.* Et quidem in Vim *Concordati facti apud Windſhores* (nunc ſcribitur *Windſor*, diſtatque *Londinô* viginti Milliarijs) *in Octava S. Michaelis Anno Gratiæ* 1175 *inter Dominum Regem Angliæ Henricum, Filium Mathildis Imperatricis, & Rodericum Regem Conaciæ*, ut totidem Verbis refert *Rogerius de Hoveden*, Natione *Anglus*, Academiæ *Oxonienſis* Theologus celeberrimus, qui Annales *Angliæ* accuratè edidit ab Anno Chriſti 731, ubi Venerabilis *Beda* deſinit, ad Annum 1199. Videſis *Waræum* in Diſquiſitionibus *de Hibernia & Antiquitatibus Hibernicis* Cap. IV ; & *Hiberniam Dominicanam*, Cap. I. Num. XX. Pag. 29.

(*n*) Conſulenda *Hibernia Dominicana*, Cap. XVII. Num. XCIV, & ſeq. Pag. 699. Hinc porrò liquet, Decanum *Firmanum* hanc Nuntij Defenſionem ſcripſiſſe Anno 1651, unô nimirùm poſt *Pariſijs* editum *Philopatrem Irenæum*.

“ 39. CARMELITARUM Ordinem vocant duos Nebulones, ejuſdem Ordinis Alumnos, dignos qui ad Triremes damnarentur, ſicut ſuperiús oſtendimus.

“ 40. SI Nuntius quod hìc dicunt procuraſſet, optimé feciſſet, procuraſſe autem non alibi quám hìc reperio. Quare Fidem non habeo.

“ 41. IPSORÙM Perſonas offenſas fuiſſe nonniſi hìc lego. Quaré nec hìc etiam *Ormoniſtis* Fidem habendam cenſeo, addens dignos fuiſſe, qui Verbis & Verberibus exciperentur.

“ 42. NUNTIUS nunquàm Nationem à ſua in Regem quàmlibet Hæreticum Fide, niſi in Eccleſiæ, & Religionis Catholicæ Præjudicium, proindéque in Animarum Damnationem redundante, abducere conatus eſt Nec contrarium unquàm probarunt Adverſarij, nec in æternum probabunt (*o*).

“ 43. HÆC omnia Mala, longéque plura, demùmque Eccleſiæ, & Nationis Excidium, ipſis *Ormoniſtis* imputanda eſſe ex Narrationis Serie conſtat.

“ ALIA in præfatis Accuſationum Capitibus, Nuntio objectis, continentur, quæ ex antecedentium, & ſubſequentium in hac Hiſtorica Rerum Lectione, tanquàm propriô Pondere corruent. Nonnullaque, ibidem habentur, quæ Mihi alibi non occurrunt, quibus nullam planè Fidem habendam eſſe, colligendum eſt ex aliorum Capitum Refutatione. Credere enim par eſt, eos, quos tot Mendaciorum Maculis in alijs pene omnibus Capitibus notatos videris, in reliquis me latentibus, quæ paucula ſunt, ſimili calumniandi Libidine fuiſſe abreptos, præſertìm cùm in tota hac, quæ ipſis cum Nuntio interceſſit Conteſtatione, Mendacia Mendacijs, Fraudes Fraudibus, & Calumnijs Calumnias accumulaverint, ut ſuam Nuditatem, inſtar Veteris *Adami*, aliquot Ficûs Folijs velarent (*Gen.* 3), genuinos illorum ſuorum *Anglo-Hibernorum*, qui Reginæ *Elizabethæ* in Eccleſiæ Præjudicium militaverant, Hæredes, & Imitatores.”

CXII. POST recenſitas Redargutiones proſequitur Hiſtoricus Defenſor, *Dionyſius* nempè *Maſſarius*, Decanus *Firmanus*, in ſæpè laudata *de Legatione Hibernica* Hiſtoria in hunc Modum.

“ PRÆTER præfatam Epiſtolam, & Accuſationum Capita, ad ipſum Nuntium Pſeudo-Comitiorum Nomine directa, invenio aliud Actum, eorundem Nomine anglicè editum, nunquàm ſine ſummo Horrore legendum, quod *Philopater* latinè in Medium p roducit his Verbis”—Verba ex *Philopatre* in extenſum exhibet *Hibernia Dominicana* (*p*), poſt quæ ſic animadvertit Decanus *Firmanus*——” Idem Philopater hoc ſceleratum Edictum affirmat, directum fuiſſe ad *Galviæ Prætorem*, *Notarium*, *annuos Vicecomites*, *Principem Juventutis*, *omneſque & ſingulos Galviæ Urbis Cives*, ut & ad reliquos Fæderatos Catholicos, alioſque omnes, quorum intereſt, per univerſum *Hiberniæ* Regnum. Porrò tradit Nuntius, hæc Acta etiam Prætori *Galvienſi*, recens creato, fuiſſe a Comitijs miſſa ut ea ſibi intimaret, eumque reſpondiſſe, Se (Prætorem) Officiô illô non functurum. Nuntius tamen etiam anteà ſignificaverat Se ex Regno diſceſſurum ; & ex altera Parte *declaravi* (inquit) *omnibus*, *Me Diſceſſione ſuperſeſſurum uſque ad ultimum. quæ in Comitijs facienda eſſent*, *Deliberationum Articulum*, *& donec Marchio* (Ormoniæ) *reſtitutus eſſet. Idque ut mea Diſceſſio ex una Parte appareret ſpontanea, quandoquidem ipſe meâpte Voluntate ſtatuerim ; & ex altera Parte videretur coacta, qu od Confæderatio præficiendo ſibi Hæreticum, ſe diſſolvebat.* Sic ipſe. Qui etiam 17 Novembris 1648 Cardinali *Panzirolo* Notis ſecretis *Galviâ* ſcribens ; *Perſiſto* (inquit) *in diſcedendi Cogitatione*, *licèt Biduô elapſô D. Eugenius Rationes ſignificaverit*, *ob quas non diſcederem*, *quòd ea Catholicorum Pars*, *quæ bona eſt*, *Animum funditùs deſponderet*, *magnumque Cauſæ Præjudicium fieret. Ego verò ſtatuo* (*ſi Mihi ſucceſſerit*) *ipſi de novo ſignificare meas Rationes*, *& ſi* (*quod ſpero*) *Victoriam reportaret*, *Negotium tamen in longum iturum*, *ut intereà dignô Modô morari nequeam*, *cùm altera Pars Regimine gaudeat*, *& in unum Corpus coaleſcat. Hæc autem licèt multò major ſit*, *haud tamen ſicut alterâ Vice in unum convenire poſſit*, *nec ſe ad hoc opponere cum Dominio*, Sic ipſe. Et poſteriùs, nempè 29 Novembris 1648, eidem Cyphris ſcribens : *Non* (inquit) *poſſum reſiſtere Literis*, *quæ apud Me mittuntur à toto Regno*, *exhortatoriæ ad non abſcedendum*, *quarum nonnullæ ſunt quæ Mihi Scrupulum ingerunt*, *quaſi nollem etiam Carcerem in Religionis Opem tolerare. Verùm ſpero*, *quod Me potero defendere ad iſtud Tribunal*, *cui ſoli ſubſum. Interim Eminentiæ Veſtræ fateor Metum*, *ne ad Incitas*, *atque extremam Inopiam redigerer*,

---

(*o*) Contraria Nuntij Declaratio coràm Comitijs Generalibus videnda eſt in *Hibernia Dominicana*, Cap. XVII. Num. XLV. Pag. 651. Confer *Supplementi* hujus Pag. 879. Lit. d.

(*p*) Cap. XVII. Num. LXXVI. Pag. 685.

“ *Mibi forſan eſſe præcipuam abſeundi Rationem, cum viderim Comitem Glanmorganiæ (q) tantoperè* “ *vilipenſum cùm Inopiâ laboraret.* Hæc idem.

De præfatis autem Pſeudo-Comitiorum Actis ter horrendis ad eundem Cardinalem Notis Arcanis ultimô “ Octobris 1648 ſcribens: *Expecto* (inquit) *mandandam Typis Declarationem, adverſùs Me factam,* “ *cum Delictorum Capitibus duodeviginti* (*r*), *&* *Epiſtolâ, quâ moneor eſſe paratus ad proficiſcendum Romam, quò ſuper iiſdem Me defendam* (*s*). *Ea, quæ Suæ Sanctitati iſtic exhibita fuerant, inter alia* “ *Delicta comprebenduntur, ut liqueat hæc omnia eſſe Acta ejuſdem Digbæi* (*t*), *& Marchionis Ormoniæ* “ *ad eorum Appulſum edita.* Sic ibi. Cùm autem expectaſſet, ut præfata Delictorum ipſi imputatorum, “ & ad ſe anteà miſſorum Capita, juxtà Comminationem, à Comitijs in ſua Declaratione ſuperiùs poſita “ factam, Typis mandarentur, atque in Lucem ederentur, ſupradictô Die 29 Novembris Cardinali jam “ dicto Notis pariter ſecretis ſcribens: *Nunquàm* (inquit) *Querelæ iſtæ, & Literæ adverſùs Me Typis* “ *vulgatæ fuere.* Hæc ibi. Et pauculis Lineis interjectis: *Non* (inquit) *omitto Eminentiæ Veſtræ ſubjungere, Rem Mibi videri valdè ſtupendam, quòd viſô, Laicos meæ Auctoritati Vim intuliſſe, & ſtatuiſſe, ne quis Mibi obtemperaret, non conſtet octo Epiſcopos, qui Comitijs interſunt, ne minimum quidem* “ *feciſſe Actum contrarium, nec ex Civitate* (Kilkennienſi) *diſceſſiſſe, nec in oppoſitum proteſtatos fuiſſe,* “ *nec Se Suæ Sanctitati, nec Mibi per Literas defendere hanc Actionem, Exemplô Luſitaniæ affirmantes,* “ *Cardinalem Pallottam* (*u*) *ibi fuiſſe compulſum fugere; contruſô in Carcerem ejus Auditore. Quem* “ *Caſum cùm haud probè ſciam, ſolùm Mibi supereſt, ut ipſis Gratias babeam, quòd eorum Opinione Me* “ *tanti Meriti Prælato comparaverint.* Hactenùs Nuntius.

CXIII. Ut nihil prorſùs prætermittam hanc ad Rem ſpectans, quod in meas Manus *Florentiæ* incidit, præſertìm de D. Nuntij Defenſione, placet in Medium hìc Loci afferre Exemplar Epiſtolæ, quam laudatus Nuntius, tribus Menſibus poſt ſuum ex Hibernia Diſceſſum, ad Reverendiſſimum P. Præpoſitum Generalem Societatis *Jeſu* italice ſcripſit, in Itinere verſans, *Romam* nempè regrediens, quamquè legi Anno 1770 in Libro *Epiſtolarum Originalium* Tempore *Legationis* hujus *Hibernicæ*, in ſæpè dicta Bibliotheca Illuſtriſſimi D, Marchionis *Rinuccini* aſſervatô, Tenoris ſequentis;

“ Al Padre Generale de Geſuiti (*E*).

“ Gallione,

(*q*) *Eduardum* nempè *Somerſet*, Comitem de *Glanmorgan*, ceù Marchionis de *Worceſter* Filium Majorem, Natione *Anglum*, Religione Catholicum, de quo *Hibernia Dominicana*, Cap. XVII. Num. XLVII. Pag. 652.

(*r*) Octodecim igitur Capitibus comprehendebantur Accuſationes contrà Nuntium à Comitijs Generalibus factæ, quas tamen *Philopater Irenæus* ad viginti extendit, ut ex nuper dictis liquet.

(*s*) Epiſtolam iſtam legere eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXXV. Pag. 681.

(*t*) *Kenelmi Digby*, Equitis Aurati, quem *Henrietta-Maria*, Regina *Angliæ*, conſentiente Rege *Carolo* I, ad *Innocentium* Papam X miſerat, ut nuper ajebam in hoc *Supplemento* Num. LXXXIX. Lit. e. Pag. 878. Lit. e.

(*u*) *Joannes Baptiſta Pallotta, Picænus, è Calderola, Evangeliſtæ Cardinalis Cuſentini ex Fratre Nepos... à Paulo V utriuſque Signaturæ Referendarius, a Gregorio XV Ferrarienſis Vicelegatus, ab Urbano VIII Luſitanicus Collector renunciatus, ſumma cum Laude ſemper Munus geſſit ſuum. Romam à Luſitania ab eodem Urbano revocatus, Urbis Prætor, deindè Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, & ad Ferdinandum II Cæſarem Nuntius extraordinarius conſtitutus, mirâ Prudentiâ, fortique Animo impoſitum ſibi Onus, ſuique Principis Dignitatem ſuſtinuit. Dum tali Legatione fungeretur, Anno 1629 Cardinalium Collegio adſcribitur, ac primus inter Germanicæ Nuntios ab ipſo Cæſare purpureo ornatur Pileolo. Preſbyter Cardinalis præfuit primô Eccleſiæ S. Sylveſtri de Capite, deindè S. Petri ad Vincula, tùm S. Mariæ Tranſtyberim, demùm S. Laurentij in Lucina. Cardinalis Epiſcopus Albanenſi Diœceſi præfuit, mox 11 Octobris 1666 Tuſculanæ, Legationem Ferrarienſem ab Annonæ Caritate difficillimis Temporibus ſervavit incolumem. Sine Populorum Incommodo annuos Apoſtolicæ Cameræ Reditus multùm auxit, præſertim in Civitate Comaclio, cui, Canali quodam expurgatô, qui ab ipſo Cardinali Nomen ſortitus eſt, Aerem reddidit ſalutarem. Lauretanæ Domûs, ac Deiparæ Virginis amantiſſimus, Templum S. Mariæ Lauretanæ cum Collegio, & Xenodochio pro Picænis extruxit, ejuſque Studiâ, ac Diligentiâ Romæ quotannis Tranſlationis Lauretanæ Domus Memoria magno celebrata eſt Apparatu. Obijt Romæ 23 Januarij 1668, Ætatis ſuæ 74, eâdem Horâ, eodemque Die, quo in Lucem venerat.* Verba ſunt Synodi *Tuſculanæ* 1765 in Appendice Pag. 199——Hujus autem Patruus, prælaudatus *Joannes-Evangeliſta Pallotta*, Archiepiſcopus *Cuſentinus*, creatus fuit Cardinalis à Sixto V Anno 1587. Epiſcopus *Portuenſis* defloruit *Romæ* Anno 1620.

(*E*) Is fuit Rmus P. *Vincentius Carafa*, Neapolitanus, denatus Menſe ſequenti, nimirum 8 Junij 1649. Cui ſub Finem ejuſdem Anni ſucceſſit Rmus P. *Franciſcus Piccolomineus*, Senenſis.

“ Gallione, 19 Maggio 1649.

“ Un Meſe prima che jo partiſſi d'Irlanda, ſbarcò in Galvia il Padre Verdier, inviato da Voſtra Paternità
“ Revendiſſima per Viſitatore, e venuto ſubito da Me mi portò non ſolo la Lettera a Me diretta,
“ ma volle communicarmi ancora L' iſtruzioni, che aveva da Lei. Jo per renderlo informato di quanto
“ m' era occorſo con quei Padri della Compagnia, gli diedi in Reſtretto la Soſtanza degl' aggiunti Capi,
“ e poi l' eſortai à non portarſi à Kilkennia, ma prendere L' informazione da ogni altro Luogo, perche
“ in quella Città, dove reſideva il Concilio, e tutta la Maſſa di quei, che s' erano alienati dalla maggior
“ Parte Eccleſiaſtica, averebbe corſi Riſico d'eſſer in piu Modi impedito, e forſe minacciato come
“ s'era fatto ad altri. Non gli parve in queſto di ſeguitare il mio Parere, ma ſi fu condotto dai Padri,
“ che vennero ad invitarlo fino a Galvia, e gli moſtrarono ogni Sorte di Confidenza, e di buon Trattamento.
“ Se il Succeſſo riuſciſſe come jo giudicai, non dovrà in Parte negarlo il Padre Verdier, che
“ al Ritorno mi moſtrò L' originale dell' incluſa Lettera (*e*) ſcrittagli da quei Veſcovi, che ſono ſtati
“ Cauſa di tutta la Commozione, nella quale non ſolo ſi vedano gli' Artifizj uſati per intimidarlo, ma
“ reſta ſenza Controverſia provato che li Padri ſono ſtati la principal Cauſa di tutto, giache li Veſcovi
“ aſſeriſcono eſſer commune frà loro ed eſſi il Titolo della Cauſa.

“ E veramente ſe jo aveſſi preteſo altro dai Padri del Negozio della Tregua, che la ſola Indifferenza, o
“ Silenzio del loro Parere, finche il Punto foſſe dichiarato da Noſtro Signore, o che frà tanto preſumeſſero
“ per Me, e per L' aderenza di quaſi tutta la Chieſa d' Ibernia, mi contenterei di ſcuſargli di quanto
“ hanno fatto ; ma il vedere, che ſenza prima ſcrivermi una Riga, o porgere un' Aviſo, o Avertimento,
“ ſenza venire uno di loro da Me, in Somma ſenza un minimo Cenno, il Padre Malonio (*F*), ed
“ i ſuoi Seguaci ſi dichiararono Capi e Conſeglieri dell' Oppoſizione contraria, ſottoſcriſſero Libri, impedirono
“ L' oſſervanza degli Interdetti, e ſimili altre Coſe. Si contenti Voſtra Paternità Reverendiſſima,
“ che jo ſi aſſecuri di non aver mai veduto, e forſe non letto una ſimile Novità, la quale accreſce
“ la ſua Forza dal ſaperſi per tutto il Regno, che jo nel medeſimo Punto per ſervire alla Compagnia
“ avevo terminato L' acquiſto della Chieſa Abbaziale di S. Giovanni di Kilkennia per quei Padri, non
“ oſtanti tutte le Oppoſizioni dei Canonici Regolari, ai quali l' aſpetta, e dato alle Compagnia il Poſſeſſo
“ della Chieſa di S. Pietro in Waterfordia, repugnante il Veſcovo, e l' uno, e l' altro Clero.

“ Queste Circonſtanze farrano credere facilmente à Voſtra Paternitá Reverendiſſima, che ſotto
“ un Negozio coſi ſtrano poſſa eſſer occulto qualche altro Fine, e ſon certo che la molta ſua Prudenza
“ facilmente ancora ſi ritroverá, perche dal vedere che li Padri delle Famiglie antiche d'Irlanda, e delle
“ Provincie non Ingleſate, benche di minor Numero, ſono ſtati diſcordi dagli altri, e per quanto hanno
“ potuto hanno ubbidito á miei Ordini, et apparirá ben preſto, ſe qui ſi deve aſcrivere il Fatto alla Coſcienza
“ e Dottrina religioſa, o' a qualche altro Motivo, et in Somma ſe il Negozio è ſtata Caritá, o
“ Fazione, frà quali Padri non laſciarò di far Menzione del Rettore di Limerick, che non volſe ubbedire
“ agli Ordini di Padre Malonio, ma ſi parti dalla Caſa, del Rettore ancora di Waterfordia, e d' altri,
“ che adeſſo non mi ſovengono.

“ Jo ſpero a Bocca di avere a ponderare à Voſtra Paternitá Reverendiſſima alcuni Particolari del
“ Ragionamento, che il Padre Malonio mi fece quando jo mi dolſi del ſuo Modo di procedere, e le
“ farrò conoſcere dove è arrivata L' Animoſitá di queſt Uomo.

“ In tanto come jo non ho avuto altro Fine, che di fare apparire queſta Veritá a Noſtro Signore,
“ et à Voſtra Paternitá Reverendiſſima, coſi ſon contento d' averlo fatto, ſolamente rimettendomi nel
“ reſto alla pia Prudenza di governarlo conforme i Senſi di quella Bontá, che gia riconoſce in Lei ogn'
“ uno che tien Notizia della Perſona. A me reſta di piangere che gia la Confederazione Cattolica e fatto
“ il Dominio d' un Eretico, che gia la Momonia é poſſeduta da un Calviniſta, che giá i Veſcovi e Parochi
“ Proteſtanti comminciano á ſmembrare in ſuo Prò L' entrate eccleſiaſtiche, e che ſe queſti Principj
“ ſeguiteranno á Proporzione, il Regno ſarrá perſo, et il Padre Malonio con i ſuoi n' averá la maggior
“ Parte della Colpa. Tolga Iddio L' augurio, e conceda á Voſtra Paternitá Rma tale Augmento di Sanitá,
“ e di buone Operazioni nei ſuoi Figli, che non ſolo altrove, má nell' Ibernia ancora ſi provi con
“ Giubilo della Criſtianitá un' eſtrordinaria Ricompenſa del Male, che ſi é fatto. Et jo baccio affettuoſamente
“ le Mani &c.

Sub Finem iſtius Epiſtolæ in ſuprà recenſito Epiſtolarum Libro, legere eſt ſequentia Verba, item italica.

“ In

(*e*) Epiſtolam iſtam incluſam, neque Exemplar ejus, videre eſt in præfato Libro Epiſtolarum, aſſervato in Bibliotheca *Rinucciniana*, aliàs eam impræſentiarùm exſcriberem.

(*F*) *Gulielmus Malone,* Superior *Jeſuitarum* in *Hibernia.*

“ In una Iſtruzzione data dal detto Nunzio al Padre Don Giuſeppe Arcamoni, Teatino, ſuo Confeſſore, ſi legge all' Articolo 5°.

Far partire il Padre Malonio, Provinciale dei Geſuiti, come il Padre Generale aveva ordinato al Viſitatore, ultimamente mandatovi, il quale non ha voluto eſeguirlo dubitando di non far peggio. E queſto perche il Provinciale ſi è dichiarato più degli altri per la Tregua con Inciquin (Eretico Fazionario contro i Cattolici) è commandato à tutti i ſuoi, che non oſſervaſſero L' Interdetto.

CXIV. Pag. 689. Poſt Epiſtolam D. *Nicolai French*, Epiſcopi *Fernenſis*, & *Nicolai Plunkett*, Equitis Aurati, ad D. Nuntium, adde—En Animadverſionem in hanc Epiſtolam ex ſæpè laudata de *Legatione Hibernica* Hiſtoria, *Florentiæ* in Bibliotheca Marchionis *Rinuccini* aſſervatâ.

“ Multa continent hæ Literæ hic refutanda, niſi jam ſuperiùs refutata fuiſſent, quæ propterea hic Loci non refuto, ne earundem Rerum Repetitione Lectorem Tædio afficiam. Nonnulla alia breviter tango.

“ 1°. Dicunt in Comitijs, quibus ſupervenerant, fuiſſe duos Archiepiſcopos, & Epiſcopos decem. Certum autem eſt, quod ſuperiùs vidimus, Comitijs antè eorum Appulſum nonniſi Octo Prælatos interfuiſſe, à Regni Clero, & Nuntio, ex quo Cenſuræ Menſe Majo fulminatæ erant, ſemper alienatos, quibus *Fernenſis* tanquam nonus (f) adhæſit, & ipſius, atque eorundem Fraudibus factum, ut decimus, & undecimus, nempè Archiepiſcopus *Caſſelienſis*, & Epiſcopus *Waterfordienſis*, poſteà acceſſerint, præter quos non reperiet duodecimum, præterquàm *Duacenſem*, quem ex ipſius Verbis 17 Novembris 1653, *Londinô Romam* ad *Maſſarium* (g) ſcriptis, & ſuperiùs laudatis, liquet, Pace jam concluſâ, pridie quàm promulgata eſſet, ex *Hiſpania Kilkenniam*, ubi Comitia illa celebrarentur, adveniſſe.

“ 2°. Ex Ordinum Regni Conſenſione in illa Pace contrahenda validum Argumentum conficere ſibi videntur. Verùm Comitia illa ex *Ormoniſtis*, & Hæreticis, omnem ſuffragandi Libertatem præripientibus, compacta fuiſſe jam oſtendi, & notorium eſt, ipſeque *Fernenſis* in ſua Apologia, *Romæ* 1653 traditâ, ingenuè fatetur. (*G*).

“ 3°. Dicunt, eô Tempore Pacem ferire, vel *Hiberniam* perdi neceſſarium fuiſſe, & ipſam Religionem periclitari. Verùm illam Pacem Nationi, & Religioni fuiſſe exitialem Experientia docuit, & ipſe *Fernenſis* ad ſe converſus in præfata Apologia teſtatur, & aliundè eſt longè certiſſimum.

“ 4°. Hæc omnia (inquiunt) nempè Functiones, quibus ab inviſendo citiùs Nuntio præpediti eſſent, ſpectabant ad Securitatem Religionis, Vitarum, & Fortunarum, quod uſque adeò à Vero aberrat, ut potiùs ſpectarint ad *Ormoniſtas*, *Ormonium*, & alios Hæreticos, in Throno collocandos, adeoque ad Religionem, Clerum, Fautoreſque totô Regnô primùm deprimendos, deindèque exterminandos.

“ 5°. *Si quidpiam* (inquiunt) *Timore, aut amore Poteſtatis humanæ à Nobis perperàm factum fuit, ſeverè Nos plectat Poteſtas divina.* Cujuſmodi Imprecationem (ut ſemel dicam) in *Fernenſis* Literis crebram lego nimiâ Confidentiâ (ut videtur) frequentatam, cùm difficillimum ſit Hominibus, etiam Sanctis, penetrare in piam Cordis Intentionem, & certò ſcire quô Spiritu ducantur.

“ 6°. Hac Pace Pietatem non proſcriptam aſſeverant, quod quàm falſum ſit, Num. 4 tetigi, & ſuperiùs fuſiùs demonſtraveram.

“ 7. Quod Pax favorabilior non fuerit, id aſſerunt non Sibi, ſed illis Vitio vertendum, qui Hiberniæ Unionem lacerarunt. Quo loquendi Modo omne Regni Infortunium tacitè in Nuntium, & è Clero Populoque Partes ipſi adhærentes, ut videtur, refundunt. Quod quantùm Piaculum ſit, & quot quantaque hoc unô eorum Peccatô Peccata involvantur, ex Narrationis Serie, & ex ipſa *Fernenſis* Apologia, jam memoratâ, patet.

“ 8°. Optarunt Cenſuras aut nunquàm fulminatas, fuiſſe, aut citò extinctas. Quibus Verbis Nuntium, & Prælatos, Cenſurarum Fulminatores, ipſaſque Cenſuras occultè redarguunt, cùm tamen illi prudentiſſimè ſanctiſſiméque Se geſſerint.

“ 9°. Expectant à Nuntio Literas, ejus Benevolentiæ redintegratæ Obſides. Verùm Nuntius quantoperè ipſis ſuccenſuerit, inferiùs videbimus.

“ Denique hujus Epiſtolæ Apographum *Ormoniſtis* traditum fuiſſe video in Nuntij, Partiumque

“ ejus

(*f*) Novem duntaxàt interfuiſſe Antiſtites liquet ex Epiſtola eorum Encyclica ad ſuas reſpectivè Diæceſes, in *Hiber. Dom.* Cap. XVII. Num. LXXVIII. Pag. 687 videndâ.

(*g*) *Dionyſium* ſcilicet *Maſſarium*, Decanum *Firmanum*, Nunciaturæ Hibernicæ Auditorem, atque Hiſtoriæ iſtius Auctorem.

(*G*) Apologiam iſtam videbis Num. ſeq.

“ ejus Contumeliam, uſque adeò ut *Philopater Irenæus, Ormonij* & *Ormoniſtarum* Apologiſta, eam
“ ſuis *Vindicijs Catholicorum Hiberniæ* (*b*), apud Urbem damnatis, inſeruerit, tanquám copioſiſſimam
“ graviſſimorum Argumentorum, quibus pro *Ormonio*, atque *Ormoniſtis* patrocinari conatur, & Nun-
“ tium, ejuſque Partes calumniatur, Officinam. Heu! quantoperé Nationis, & Religionis Excidium
“ maturavit hujus Epiſcopi *Fernenſis* (nam Plunkettum Virum Laicum haud adeò deſciviſſe miror) &
“ illorum aliorum Prælatorum, quorum alij non Inducias, ſed hanc Pacem iniquiſſimam, alij etiam
“ Induciarum Conjurationem promoverint, pudenda ad *Ormoniſtas* & Hæreticos Defectio, citrá quam
“ alij *Ormoniſtæ* nunquám prævaluiſſent, cúm eorum Factio horum Antiſtitum Authoritate ſteterit,
“ ſecús á pleriſque deſerenda, & proprio Pondere corritura. Quare auſim affirmare, omnes Hæretico-
“ rum Pſeudo-Epiſcopos, & Miniſtellos, Centum retrò Annis in *Hibernia* coaxantes, haud adeò, ac
“ hos Antiſtites Catholicos, Religioni, & Pietati præjudicaſſe, Hi enim magnâ apud Populum Catho-
“ licum Fide valentes, nec alium Scopum quám Nationis & Religionis orthodoxæ Bonum ſuis Molitioni-
“ bus prætendentes, facili Negotiô Multitudini Fucum fecerunt; illi verò Nebulones apertô Marte, &
“ depoſitâ Larvâ Hæreſim intrudere conati, Oleum pené & Operam perdiderant, uſque adeò ut mani-
“ feſti Toxici Errore *Hibernos* in Fide conſtantiores reddiderint. Porrò anté alios ingentem Mihi Stupo-
“ rem *Fernenſis* peperit, qui tantô ad Annos ſuperiores Zelô flagrare viſus erat, ut omnes in Sui Admi-
“ rationem rapuerit, cujuſque Tractatus latiné compoſitus, & ſuâ Manu propriá exaratus uſque in Diem
“ hunc extat in Nuntij Archivis, ſuperiús ad Annum 1646 in Medium productus, quô docemur quanto-
“ peré in hac ultima Pace cum *Ormonio* accelerandâ á ſua ipſius Sententia receſſerit, & adeò ſibi parúm
“ conſtans, ut Judicij Inopiâ laboraſſe videatur.

“ In Literis ad Nuntium tunc in *Hibernia* ſcriptis lego creditum fuiſſe, *Fernenſem*, & *Plunkettam*
“ reipſá Nuntium *Galviæ* convenire noluiſſe, ſed præclaros illô Itinere egiſſe ſimulandi, & diſſimulandi
“ Artifices, ut ex una Parte *Galviam* anté Nuntij Diſceſſum non pervenirent, & ex altera haberent
“ undé ſe illi purgarent. Quidquid autem ſit de eorum Mente, Epiſcopus *Imelacenſis*, Nuntio fidiſſi-
“ mus (*i*), quem illi hic atteſtantur, eidem Nuntio 6° Martij in Continentem inter alia ſcripſit, illos Se
“ in Socium aſſumptô, in Fines, ab ipſis eorum Epiſtolæ inſertos, Iter illud ſuſcepiſſe, & tertio ab
“ Urbe *Galvienſi* Lapide unà Tres didiciſſe, Nuntium eodem Mane ſolviſſe. Sed planè miror quâ Fronte
“ illi Duo Nuntio ſe præſentare cupierint, cùm pro certo habendum ſit, Pace illâ cum *Ormonio* contractâ
“ factum, ut Nuntio Hiberniâ exeundum fuerit. Quarè quotquot *Ormonium* tunc in Throno colloca-
“ runt, reipſâ Nuntium Regnô exploſerunt, licèt ille per Prudentiam non expectarit, ut ultima Sibi
“ Vis inferreretur. Porrò Lectorem rogo, ut hìc ipſius *Fernenſis* Apologiam ad Annum 1653 poſitam
“ legat.”

CXV. Sane iſtam Epiſcopi *Fernenſis* Apologiam legi in ſæpiùs recenſita Bibliotheca *Rinucciniana*, & quidem Hiſtoriæ eidem *de Legatione hibernica* inſertam, prolixiorem tamen quàm ut hic Loci in integrum exſcribatur, Volumen quippè impleret. Nihiloſeciùs in Medium adducam ſequentia ipſius Verba, opportuna planè, quanqàm longiuſcula, Quinque Sectionibus, ut in ipſamet *Apologia* numerantur, comprehenſa. Præmiſſis igitur octodecim Sectionibus, proſequitur.

“ 19. Expedit, ut liberem Me, Collegamque meum (*Nicolaum Plunkettum*) novâ Calumniâ.
“ Nam dictum eſt, Nos ſpreviſſe Excommunicationem Illuſtriſſimi D. Nuntij, latam contrá adhærentes
“ Suſpenſioni Armorum initæ cum *Inchiquino*. Quod quàm alienum fuerit á Mente noſtra, teſtari poſ-
“ ſunt, qui Nos audierunt. Ut hanc Invidiæ Sagittam, in Nos rejectam, repellam, ſciendum eſt, Nos
“ dixiſſe, & ſcripſiſſe, Cenſuram illam extimeſcendam, & non contemnendam. Ego verò omnes Me
“ conſulentes ſuper illa Re adhortatus ſum ad petendam Abſolutionem; talemque illi Cenſuræ Reveren-
“ tiam detuli, quod abſtinuerim celebrare in Eccleſijs, & Oratorijs interdictis, quod & feci in Oppido
“ *Roſſipontis* meæ Diœceſis. Inſuper rogati vehementer obligare Nos cum alijs Regni Commiſſarijs ad
“ Proſecutionem Appellationis interpoſitæ, non annuimus.

“ 20. Quod non citiús conati fuerimus adire a Pace contracta Illmum D. Nuntium, Rationes dedimus in
“ quadam Epiſtola à Me, & Collega meo ad illum exaratâ ultimô Februarij ejuſdem Anni Secundùm Sty-
“ lum

(*b*) Veriſſimum hoc eſſe ex eo liquet, quod ex *Vindicijs* iſtis Epiſtolam illam ipſe deprompſi, ut videre eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXXIX. Pag, 688. Verum *Philopater* non exhibet Epiſcopi *Fernenſis* Apologiam, mox memoratam iri. Sane, ut ingenuè fatear, id praſtare nequivit in *Vindicijs Catholicorum Hiberniæ*, impreſſis *Pariſijs* Anno 1650, benè tamen in *Annotationibus in Joannis Poncij Librum, cui Titulus Vindiciæ everſæ*, impreſſis ibidem Anno 1654.

(*i*) D. Fr. *Terentius O-Brien*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus *Imelacenſis*, de quo plura dicebam in *Hibernia Dominicana*, Cap. XIII. Num. LXVI. Pag. 488.

“ lum veterem (*k*). Et bene Viris integerrimis compertum eſt, Nos tunc Temporis omnem in eo Operam collocaſſe, ut Duces Religioni fideles non exauthorarentur: Vel hoc unum erat illâ Cunctatione dignum, quod Arcèm *Duncannon*, Petram Regni fortiſſimam, ſervaverimus in Manibus Capitanei *Thomæ Roche*, Viri fideliſſimi, qui aliter eam amiſiſſet. Unum Nobis infeliciter accidit, quod *D. Plunkettus* illo Die, quo exire ſtatuimus (& haud dubiè tunc exeundo tempeſtivè veniſſemus ad ſuam Dominationem Illuſtriſſimam) miſſus fuerat *Kilkennià* à D D. Commiſſarijs ad *Ormonium* ad Villam *Carrickæ* (*L*) circà Tractationem graviſſimi Negotij: Quô reverſô ſtatim arripuimus Iter verſùs *Galviam* meliori Animô quam Fortunâ, quia eôdem Die ſolvit in altum Illmus D. Nuntius, quô Nos venimus ad tertium verſùs Urbem illam Lapidem. Hìc etiam patimur virulentam Calumniam. De quibus dictum eſt, quod ex Induſtria Tempus in Via conſumpſimus convivando, ut non citiùs attingeremus illam Civitatem, quám Sua Dominatio Illuſtriſſima diſcederet de Regno. Judicet Deus inter Nos, & horum Hominum Cogitationes.

“ 21. VERUM hæc omnia (ajunt aliqui) non liberabunt Culpá *Fernenſem*, & *Plunkettum*, tempeſtivè admonitos per Viros Fide digniſſimos de Dolo corruptorum Hominum, *Ormonium* Patriæ, & Pietati, anteferentium. Quarè itá admoniti non ſunt proteſtati contrá Scelera, & Fraudes factioſorum? Quarè non incenderunt omnes ad continuandam *Confæderationem*, & auſcultandum illi de Pace illa Tractationi? Quarè non excitarunt Catholicum Militem ad Arma capeſſenda contrá Authores Malorum in Patria? Et reſpondeo Ego: Quarè inermis Homo non occidit armatum? Quarè Medicus non ſanavit mortuum? Et *Fernenſis*, & *Plunkettus* non dealbarunt Æthiopem? Quod in Nobis erat fecimus, Preces effudimus, & obſecravimus illos de *Supremo Concilio* ad Humilitatem pro obtinenda Abſolutione, ut Regnum redderetur tranquillum, & Populus pacatus (quo *Confæderati* diviſi commodè uniri poſſent, & Pacis Tractatus impediri). Sed omnia in Vanum, illis hoc facere omninò reſpuentibus, & confidentibus in Appellatione interpoſita.

“ 22. NON latuerunt Nos omninò perverſorum Dolus, & Artificia, ſed Mala, quæ non potuimus curare, patienter pertulimus, Pacem tanquàm minus Malum permittendo, cum penés Nos non erat illam evitare. Quod ſi nolunt Homines Mihi Fidem adhibere, Mihi erit Conſcientia pro Mille Teſtibus, quod Studio *Ormonij*, Viri hæretici, nihil fecerim in illo Negotio, nihil Invidiâ Illuſtriſſimi D. *Rinuccini*, nihil Spe Bonorum, proprijque Commodi. Quidquid feci, bonâ Fide feci, & pro Bono Patriæ meæ, & Religionis. Verúm experti ſunt omnes boni, cum ingenti Animi Dolore, Civitatûm, Eccleſiarum, ac totius Patriæ Perditionem, Pacem illam evaſiſſe Populo, & Religioni nimis funeſtam, Hoſte feroci & acri (dum Milite & Pecunijs vallatus nihil defendit *Ormonius*) univerſum Regnum breviſſimô Spatiô debilitante, & (Catholicis durante Octennij Bello ſtantibus fortiterque pugnantibus) Ruinam operante, ac ſuffodiente ea, quæ Chriſti ſunt, & quæ Dæmonis ædificante. Poſt hoc Malum, Suſpirijs, & Planctui uberrimo Locus erat, non Conſilio, aut Remedio. Nam omnes infixi ſunt in Limo profundi, non invenientes Subſtantiam. Verúm quis prævidere valuit irati Dei, abſcondentis in Monte Sancto Æternitatis arcanum hoc Conſilium ab Hominibus, ſeveram Sententiam, & Fulmen, quod cecidit? Sed illi, qui conſultò *Ormonium* é *Gallijs* vocarunt in *Hiberniam* ad Imperium, quod erat grande Piaculum (hinc enim Radix in illâ Natione Malorum omnium, hinc Fons omnium Miſeriarum, hinc impoſita Viris probis Neceſſitas multa Mala tolerandi, hinc Semen omnium Diſcordiarum) præparent Se ad reſpondendum Deo pro ſanctâ Religione labefactatâ, Patriâ perditâ, Libertate everſâ, tot Millibus Animarum in Exilium ejectis, & pro tanto Profluvio chriſtiani Sanguinis. Videant ad quem tandem Exitum pervenerunt abſtruſa eorum Conſilia, & qualiter contabuit humana Sapientia. Hæc hodié vident ipſi apertis & madidis Oculis, & nimis ſerò, in extremis Regionibus profugi, ſpreti, & vaſtiſſimis Hæreditatibus ſpoliati. Hoc vident Regni Præſules Eccleſijs ejecti, Domi in Solitudinibus, & Montibus errantes, & Foris á dilectis Gregibus avulſi, gementes, & inconſolati. Hoc videt & inconſolabiliter dolet catholica, & miſerima *Hibernia*, ſub cruentato Hoſtis Gladio incurvata.

“ 23. HÆC Mihi ſcribenti æſtuat Doloris Affectus, & currunt Lachrymæ, quod unquàm ſteterim in Cætu conſultantium de *Fædere* tám exitiali, licét innocenter ibi fuerim bonâ Mente, & bonâ Fide. Quod ſi contrá Prudentiam erratum eſt, peccavi, non ex Malitia, ſed ex Ignorantia, & Erroris facilior eſt Venia. Quod ſi Innocentiæ non erit Locus, ſed opprimor falſi Criminis Invidiâ, Deum immortalem, qui prima Veritas eſt, in Teſtem voco Veritatis, quam ſcribo, Me ſemper vixiſſe ſummâ Fide verſùs Sanctam Sedem, omneſque ejus Miniſtros in illo Regno; ſanctæ Religionis Negotium, omni

“ Locô,

(*k*) Eam legere eſt in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LXXIX. Pag. 688.

(*L*) Scilicet *Carrickæ-Super-Suirum*, de qua videſis *Hiberniam Dominicanam* Pag. 210. Lit. c. & Pag. 685. Lit. y.

" Locô, & Tempore, pro Viribus curantem; & nunquàm ſcienter abijſſe in Conſilio impiorum, aut ſtetiſſe in Via Peccatorum illorum, qui chariſſimam Patriam meam, & Religionem everterunt. In hoc etiam cum *S. Paulo* me conſolari volo, quod in meliorem Mundum eundem eſt *per Gloriam & Ignobilitatem, per Infamiam & bonam Famam* (*l*)."

CXVI. PAG. 690. Lin. 30. Lege, & adde ut ſequitur —— Nihilominùs tandem aliquandò, Anno ſcilicet 1665, idem *Alexander* VII, Pontifex Maximus, *Hibernos* ab ea Cenſura abſolvit, impoſitâ ipſis Pænitentiâ ſalutari, ut diſertè refert Eques *Waræus*in Annalibus ſuis ad prælibatum Annum 1665. En autem ipſaſmet Literas Apoſtolicas (*m*).

" Venerabilibus Fratribus Rapotenſi, Leghlinenſi, Clonfertenſi,
& Corcagienſi (*n*) Epiſcopis, & eorum cuilibet.

"ALEXANDER PAPA VII.

" Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" SEDES Apoſtolica, pia Mater, recurrentibus ad eam poſt Exceſſus cum Humilitate Filijs, propitiam ſe præſtare conſuevit, & benignam. Cùm itaque Bonæ Memoriæ Joannes Baptiſta, dùm viveret, Archiepiſcopus Firmanus, tunc Temporis Apoſtolicæ Sedis in Regno Hiberniæ Nuntius Extraordinarius, cum Delegatis Archiepiſcoporum Regni prædicti, varias ob Cauſas, multos tàm Eccleſiaſticos & Regulares quàm Sæculares excommunicaverit, & aliquot Civitates Eccleſiaſtico ſubjecerit Interdicto. Sicut autem accepimus, plures ex Perſonis, ut prædicitur, excommunicatis Sibi Abſolutionis Beneficium ab Excommunicatione hujuſmodi (a qua fuerat aliàs ad felicis Recordationis Innocentium Papam, Prædeceſſorem noſtrum, appellatum, & ab eo Appellatio hujuſmodi tanquam frivola rejecta) Authoritate noſtrâ concedi, Interdictumque prædictum, ubi adhuc viget, & ſervatur, amoveri, ſummoperè deſiderant. Nos earundem Animarum Saluti pro paterna noſtra Charitate, quantùm cum Domino poſſumus, conſulere volentes, ipſarumque ſingulas à quibuſvis Excommunicationis & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis Sententijs, Cenſuris, & Pænis, á Jure, vel ab Homine latis, quâvis Occaſione, vel Cauſâ, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt, præterquàm Ratione præmiſſorum, abſolventes, & abſolutas fore cenſentes, Supplicationibus eorum Nomine ſuper hoc Nobis porrectis inclinati, Fraternitatibus veſtris, & eorum cuilibet, quoſcumque ex prædictis, ut prædicitur, excommunicatis, qui hoc a Vobis, ſeù Veſtrûm aliquô, humiliter petierint, impoſitâ ſingulis aliquâ Arbitrio veſtro Pænitentiâ ſalutari, ab Excommunicationis hujuſmodi Sententia, alijſque Cenſuris contrà eos per dictum Joannem Baptiſtam Archiepiſcopum, & dictos Delegatos, vel eorum Subdelegatos, fulminatis, Authoritate noſtrâ Apoſtolicâ, in Forma Eccleſiæ conſueta, Deſunctos autem per Modum Suf-

---

(*l*) 2. Ad *Corinth.* VI. Verſ. 8. Epiſcopus porrò iſte *Fernenſis* Librum vulgavit Anno 1674 contrà *Ormoniſtas*, cui Titulus anglicè: *The bleeding Iphigenia.* Latinè: *Iphigenia Cruore diffluens.* Per-quam intelligit *Hiberniam.* Et alium Librum Anno 1676 contrà ipſummet Ducem *Ormonium*, cui anglicè Titulus: *The unkind Deſerter of loyal Men, & true Friends.* Latinè: *Deſertor ingratus Hominum fidelium, & Amicorum fidorum*, quem diſertè affirmat eſſe prælibatum Ducem *Ormonium.* Porrò *Iphigenia* apud priſcos Poetas Filia fuit *Agamemnonis*, ſacrificanda *Dianæ* ad eam placandam, quæ tamen ipſam à Morte liberavit.

(*m*) Ex Archivo *S. Iſidori* de Urbe, Armario V. Num. IX. Fol. 804.

(*n*) Obſervatu dignum eſt, quatuor iſtas recenſitas Diæceſes eſſe in quatuor diſtinctis Provincijs Metropoliticis Regni *Hiberniæ*, nempè Diæceſim *Rapotenſem* in Provincia *Armacana*, Diæceſim *Leghlinenſem* in Provincia *Dublinienſi*, Diæceſim *Clonfertenſem* in Provincia *Tuamenſi*, & Diæceſim *Corcagienſem* in Provincia *Caſſelienſi.* Hinc patet voluiſſe miſericordem Pontificem, ut in ſingulis Provincijs adeſſet Epiſcopus Vice ſuâ abſolvens, & reſpectivè diſpenſans; immò unumquemque illorum quatuor Antiſtitum potuiſſe in ſolidum id præſtare per univerſum Regnum. Hinc poſt nominatos quatuor Epiſcopos conſultò addidit: *Et eorum cuilibet.* Videſis Syllabum Archiepiſcopatuum omnium & Epiſcopatuum hujus Regni in *Hibernia Dominicana* Cap. I. Num. XII. Pag. 18. Porrò hic obiter adverte, ſi placet, tres *Hiberniæ* Antiſtites interſuiſſe Concilio *Tridentino*, nempè D. Fr. *Eugenium O-Hart*, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum *Achadenſem* (de quo *Hib. Dom.* Cap. XIII. Num. LXII. Pag. 486.) D. *Thomam O Herlihy*, Epiſcopum *Roſſenſem*, necnon D *Donaldum* (alijs *Donatum*) *Magonail*, ſeù *Mac-Congail*, Epiſcopum *Rapotenſem*, quorum Nomina in Catalago leguntur Patrum laudatæ Synodi Æcumenicæ.

“ ſragij, abſolvendi, & ab illis Locis, in quibus adhuc viget Interdictum prædictum, amovendi, necnon cum illis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & Regularibus, qui ob Contemptum, ſeú Violationem Excommunicationis, aliarumque Cenſurarum prædictarum, & Interdicti hujuſmodi, Irregularitatis Notam, ſivè Maculam contraxerint, ſuper eadem Irregularitate diſpenſandi, eoſque ad quævis alia rehabilitandi, plenam, & amplam Facultatem, Authoritate prædictá, Tenore præſentium concedimus, & impertimur. Non obſtantibus præmiſſis, ac apoſtolicis, & in Univerſalibus, & Provincialibus, Synodalibuſque Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, cæteriſque contrarijs quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die 27 Auguſti MDCLXV. Pontificatûs noſtri Anno Undecimo.

“ GUALTERIUS.”

Ex his perſpicué patet, Appellationem *Supremi Confœderatorum Catholicorum Concilij* à D. Nuntio ad Summum Pontificem *Innocentium* X (*o*) frivolam fuiſſe, adeoque ejuſdem Nuntij *Apoſtolos Refutatorios* (*p*) juxtà Sacrorum Canonum Præſcriptum datos, fulminatas proinde ab eo Cenſuras in ſuo Robore permanſiſſe uſque ad Abſolutionem, quam ab Initio per illam novemdecim Annorum Seriem plures ex Catholicis excommunicatis veriſimiliter impetrarunt, pluraque eorum Loca Interdictô liberata fuere. Siquidem *Alexander* Papa laudatus, Poteſtatem conferens quatuor recenſitis Epiſcopis, aut eorum cuilibet, Interdictum amovendi, diſerte ait: *Ubi adhuc viget, & ſervatur.* Neque omnes Hiberniæ Incolas, (ſed *multos*) omniaque Regni Loca (ſed *aliquot Civitates*) Cenſuris innodaverat Nuntius, ut ex mox allatis Literis Apoſtolicis liquet. Confer Num. XCI hujus *Supplementi*, Pag. 879.

CXVII. PAG. 691. Lin. 6, hæc addenda ſunt——Porrò de Illuſtriſſimo D. Nuntio ſequentia habet *Ferdinandus Ughellus* in Opere copioſo, novem Tomos complectente, cui Titulus: *Italia Sacra*, ſivè *de Epiſcopatibus Italiæ, & Inſularum adjacentium*; & quidem Tomô Secundô, *de Ecleſijs Æmiliæ, Flaminiæ, Piceni, & Umbriæ* inſcriptô, Pag. mihi 728, *de Archiepiſcopis Firmanis* ediſſerens, nempè:

“ JOANNES Baptiſta Rinuccinus, Florentinus, Avorum Sanguine clarus, tertius ex Sorore Nepos Cardinalis *Bandini* (*q*), duobus ſuis Conſobrinis in Archiepiſcopatum *Firmanum* proximé ſuffectus eſt, *Urbano* VIII ſedente, 1625, Menſe Septembri, cúm anteà Cameræ Auditor eſſet in Civilibus Cauſis, Secretariuſque Rituum Congregationis. In *Hiberniam* Anno 1645 Apoſtolicus Legatus miſſus eſt ab *Innocentio* X, Pontifice Maximo. Tandem Præſulatûs ſui Anno 28, Doctrinâ, Pietate, ac Probitate, Morum inſignis, moritur, non ſine Sanctitudinis Fama, Idibus Decembris 1653, in Summo Templo Archiepiſcopali ſuo tumulatus, hôc Epitaphiô exornatus, quod nuper commiſit Marmori *Franciſcus Rondinellus* Rogatu *Thomæ Rinuccini* in defunctum Fratrem.

Chriſto mortuorum Primogenito.
Joanni Baptiſtæ Rinuccino, Florentino,
Archiepiſcopo, & Principi Firmano,
Ad Fœderatos Catholicos Hiberniæ
Pontificiâ Legatione ſtrenuè functo,
Viro, Spiritu Apoſtolicô,
Ac Paſtorali Vigilantiâ præfulgenti,
Qui Lumbos præcinctus,
Innocentiæ ac Scientiæ
Ardentes Lampades è Manibus nunquàm depoſuit,
Cujus dextera, & aperta, & clauſa
Fecit Virtutem Miſericordiæ,
Plena ſemper, ad Pauperes extenſa,

Quis

(*o*) Eam etſi ſatis prolixam habes in hoc *Supplemento* Num. CI. Pag. 890.

(*p*) Legendos in hoc *Supplemento* Num. CIII. Pag. 896.

(*q*) *Octavij* nimirùm *Bandini*, Florentini, S. R. E. Cardinalis, à *Clemente* Papa VIII creati, Archiepiſcopi *Firmani*, multiplici Doctrinâ exculti, inquit *Natalis Alexander*, Hiſt. Eccl. Sæc. XV & XVI. Part. I. Cap. I. Art. XXIV.

Quos moriens dixit Hæredes ex Aſſe.
Contractâ Calamo plures erudivit.
Cujus Pedes Pacem evangelizantis mirè ſpecioſi
Gregem irrequieto Labore circumierunt,
Atque ultimum Terræ perluſtravere.
Itá Eccleſiæ omnibus Epiſcopis Forma Virtutum factus,
Totidem quot acceperat ſuperlucratus Talenta,
In Gaudium Domini, ut ſpes eſt, intravit,
Idibus Decembris Anno Salutis MDCLIII,
Ætatis LXI nondum expletô.
Thomas Rinuccinus, Camilli Senatoris Filius (*r*),
S. Stephani Eques,
Ac Sereniſſimæ Victoriæ, Magnæ Ducis Etruriæ,
Cubiculo Præfectus,
Fratri optimè merito mæſtiſſimus poſuit.

CXVIII. Pro Coronide totius Rei, de D. Nuntio *Rinuccino* relatæ, placet hìc Loci ſubnectere Libellum Supplicem Congregationis Eccleſiaſticæ utriuſque Cleri *Hibernici*, Anno 1646, ad Summum Pontificem *Innocentium* X, pro Aſſumptione laudati Nuntij ad Dignitatem Cardinalitiam. *Ex Archivo S. Iſidori de Urbe, Armario V. Num. VIII. Fol.* 496.

“ BEATISSIME PATER,

“ HIBERNIÆ Eccleſia ad Sanctitatis Veſtræ Pedes provoluta, audiri vehementer exoptat. Nuper illa, Hæreticorum Cruore madida, Victorijſque felix, calcatis undequàque Hoſtibus, triumphabat. Sed eccè de repente Pax impia, ipsôque Bellô calamitoſior, inſciô Clerô, Dublinij concluſa eſt, ibique maximâ Solemnitate proclamata. Cepit omnes ingens Rei Admiratio dum Prorex Populum Catholicum, & bonum ad infamem hanc Pacem acceptandam impellit. Quid Remedij in tanta Rerum Deſolatione? Unicus profectò Firmanus, qui ſe firmum pro Domo Dei Murum oppoſuit, Pacem, Religione & Gente indignam, rejiciens: Cum eo, aut vincere, aut mori, Nobis univerſis decretum eſt. Victorias ſub tanto Sanctitatis Veſtræ Miniſtro ab Hibernis partas Annales propediem exponent. Prodeat Veritas, & pro ipſo loquatur, eum Virum eſſe Euriditionis egregiæ, Elocutionis pulcherrimæ, Prudentiæ ſingularis. Bonum, pium, humanum, miſericordem, Hibernorum Ocellum, Cor, atque Delicias. In cujus Veritatis Teſtimonium, Sanctitas Veſtra dignum Virtutibus dabit Præmium. Unum ſupereſt, quod flexis Genibus ad Sanctitatis Veſtræ Pedes proſtrati devotiſſimis Precibus efflagitamus, ut Vir hic Virtutibus magnus, Auctoritatis Incrementô major, Eminentior, Honoratior fiet univerſis, quod equidem fiet ſi Sanctitas Veſtra humillimis noſtris Votis annuendo, Firmanum Antiſtitem, & Principem in Eminentiſſimorum Cardinalium Cætum adſciſcat. Id certè merentur (ſi Judicio noſtro Locus ſit) Viri optimi Virtus, Religio, Pietas, Zelus; poſcunt Ingenium, Scientia, Rerum Uſus, & Notitia; ſuſpirant Hiberniæ Vota, Lacrymæ, Deſideria. Et ſi unquàm Hibernorum Labores, Sudores, Perſecutiones, chriſtiani Cruoris Profuſio pro catholica Religione tuenda, & propaganda, Gratiam aliquam in Oculis Sanctitatis Veſtræ impetrare meruerint, pro Præmio Antiſtitem Firmanum, verè noſtrum, Sanctitatis Veſtræ Favore Cardinalitiâ Dignitate fulgidum (quod á multis retrò Sæculis in hac noſtra Sanctorum Inſula non vidimus) Hibernia tota hilaris & animata intrà Se conſpiciat. Pro quo mittimus has Preces ad Sanctitatis Veſtræ Pedes. Datum Waterfordiæ Die 28 Auguſti 1646.

“ Humillimi & obſequentiſſimi Filij ad Sanctitatis Veſtræ Pedes profundè inclinati.

“ *De Mandato utriuſque Cleri.*

“ *Nicolaus Fernenſis Epiſcopus, Congregationis Cancellarius.*”

CXIX. Pag. 694, & ſeqq. Quia ſit Sermo diffuſus planè, nec minùs honorabilis iſtis in Paginis de *Theobaldo* Vicecomite *Taaffe*, poſtmodùm Comite *Carlingfordiæ*, non abs Re erit in Memoriam revocare quæ habentur Pag. 310. Lit. m, cum Additamento opportuno, in hunc Modum.

Porro *Iſmaia Taaffe*, Equitis *Joannis*, primi Domini Vicecomitis *Taaffe* de *Corran*, & Baronis

---

(*r*) Tunc Temporis inclyta & ſenatoria iſta Domus *Rinucciniana* nondùm erat *Marchionis* Titulo inſignita.

ronis de *Ballymote* Filia, nupſit *Briano Mac-Donagh*, de Agro *Sligoenſi*, Armigero, ut videre eſt apud *Lodgæum*, Vol. II. Pag. 377. Præſens autem Dominus Vicecomes, ut obiter dicam, à memorato rectâ Lineâ deſcendens, Illuſtriſſimus nempè *Nicolaus Taaffe*, inſimul S. R. I. Comes, necnon Copiarum Imperialium in *Germania* Locum Tenens Generalis, ut vocant, catholicam profitetur Religionem, de qua, univerſaque ſua *hibernica* Natione optimé meritus eſt. Uxorem habet æqué piam, Illuſtriſſimam *Mariannam*, Comitis *Spindler* de *Lentia* (vulgò *Lintz*) in *Auſtria Superiori* Filiam, & Hæredem, de Re catholica, *Hibernis*que optimè item meritam, quos præclaros Conjuges, á Me probè notos, Honoris, & Gratitudinis Causâ nomino. Duos porrò habent Filios in *Germania* florentes.

HÆC autem ſcripta ſunt Anno 1762. Cæterùm Anno 1769, Menſe Novembri, Comitiſſa *Marianna* Fatis ceſſit in *Sileſia*, Ætatis ſuæ Anno 79. Ibidemque, nimirùm in Ædibus ſuis Allodialibus, defloruit Comes *Nicolaus*, Anno Ætatis 89. Duos duntaxàt habuere Filios prælibatos, nempè

(1) JOANNEM, Comitem S. R. I. natum *Londini* 1. Februarij 1733, Matrimoniô conjunctum *Mariæ* Comitiſſæ de *Choteck*, in *Bohemia*, 1 Februarij 1759, denatum apud *Gorlitium* (vulgò *Gorlitz*) in *Luſatia*, 2 Decembris 1765, in Reditu ab Urbe *Neapolitana*, quò miſſus fuerat ab Aula *Viennenſi* ad annunciandum *Ferdinando* IV, Regi *Utriuſque Siciliæ*, Nuptias Archiducis *Petri-Leopoldi*, Magni Ducis *Etruriæ*, cum *Maria-Aloyſia*, Infante *Hiſpaniarum*, memorati Regis Sorore. Jâm anteá, Anno nimirùm 1764, miſſus fuerat á laudata Aula *Viennenſi*, Gratiâ annunciandi pariter *Joſepho* hujus Nominis *Primo*, Regi *Luſitaniæ*, Electionem *Francofurti* factam Regis *Romanorum*, ſcilicet *Joſephi Secundi*, nunc *Romanorum* Imperatoris ab Obitu Genitoris ſui, *Franciſci-Stephani*, 18 Auguſti 1765, primitùs Ducis *Lotharingiæ*, dein Magni Ducis *Etruriæ*. Duos porrò poſt ſe reliquit Filios Comes *Joannes*, nempè *Rodulphum*, natum *Londoni* 6 Octobris 1762; & *Joannem*, natum quoque *Londini* 28 Julij 1764, dùm *Ulyſſipone* verſaretur quà Orator *Cæſareus* Extraordinarius, ut præfertur; unamque Filiam Nomine *Mariannam*, natam item *Londini* 31 Decembris 1759. Quippè quoties gravida erat Comitiſſa *Maria*, Mariti Suaſu in *Angliam* proficiſcebatur, & quidem ad Exemplum Comitum *Nicolai*, & *Mariannæ*.

(2) FRANCISCUM, Comitem quoque S. R I. & in Exercitu *Cæſareo* Chiliarcham, ſeù Colonellum, quì Anno 1771 Nuptias inivit *Bruxellis* cum *Maria-Franciſca*, Filia Equitis *Joannis Bellew*, Domini Baronis *Bellew* de *Duleeke*, ex Conjuge ſua *Anna*, Gnata *Gulielmi Maxwell*, Comitis de *Nithſdale* in *Scotia*.

PAG. 700, immediatè antè Num. XCVI, quandoquidem ad Cives *Galvienſes* flectat Oratio, ut curioſo Lectori, inſimulque Amicorum Rogatui faciam ſatis, placet hìc Loci ſequentia in Medium adducere ex permagna Charta Geographico-Genealogicâ *Galviæ*, Catholicorum Ævô Tabulæ æneæ inciſâ, & elegantér editâ, nedùm Vicos & Plateas Civitatis, verùm & Familiarum *Galvienſium* Inſignia gentilitia ſigillatìm graphicèque in Marginibus exhibente, apud *Galviam* propterea in magno Pretio habitâ, quam Adoleſcentulus primò vidi *Romæ* in Cænobio *S. Iſidori* Fratrum Minorum *Hibernorum*. Ei porro eſt Titulus: CIVITAS GALVIENSIS, *cujus Participatio ejus in idipſum (R)*. Siquidem Cives ſunt uſque adeò Cognatione conjuncti, ut vix, aut ne vix quidem, Matrimonium inter eos iniri valeat abſque Diſpenſatione, ut ab ipſiſmet haud ſemel *Galviæ* verſans accepi.

NOMINA Familiarum *Galviæ* Ordine alphabetico——*Athy*, *Blake*, *Bodkin*, *Browne*, *Darcy*, *Dean*, *Fonte*, *French*, *Joyce*, *Kirwan*, *Lynch*, *Martin*, *Morris*, *Skerrett*.

NOVÆ aliquot Familiæ receptæ, & naturalizatæ—*Barrett*, *Bermingham*, *Burke*, *Butler*, *Crean*, *Penriſe*.

ALIÆ Familiæ receptæ, & naturalizatæ——*Fallon*, *Lambert*, *Nolan*, *Porte*, *Quin*, *Tully*.

IBIDEM ſequentia leguntur Diſticha de quatuordecim *Galviæ* Tribubus, ſivè Familijs, primo Loco recenſitis, de totidem Mæniorum Turribus, totidem Portis cum Caſtris, & Culminibus, totidem

---

(R) Verba ſunt Regij Vatis *Pſal.* 121. V. 3. De Civitate, ſeù Oppido *Galvienſi* datâ Operâ agit *Hibernia Dominicana* Pag. 322.

totidem Pontibus, totidemque Altaribus in Eccleſia Collegiata *S. Nicolai*, ſeptem demùm Cænobijs, quatuor nempè Conventibus Patrum ſcilicet Ordinis Prædicatorum, Ordinis Minorum, Ordinis Eremitarum *S. Auguſtini*, & Ordinis B. Mariæ de *Monte Carmelo*; tribuſque Monaſterijs Sanctimonialium, ſcilicet *S. Dominici*, *S. Franciſci & S. Auguſtini* (S).

Septem Montes ornant Romam, *ſeptem Oſtia* Nilum,
Tot rutilis Stellis ſplendet in Axe Polus.
Galva *Polo Niloque æquat bis*, Roma Conachtæ (*T*),
Bis ſeptem illuſtres has colit illa Tribus.
Bis Urbis ſeptem defendunt Mœnia Turres,
Intùs & ex duro eſt Marmore quæque Domus.
Bis ſeptem Portæ, ſunt Caſtra, & Culmina circum:
Per totidem Pontuum permeat Unda Vias.
Principe bis ſeptem fulgent Altaria Templo,
Quævis Patrono eſt Ara dicata ſuo.
Et ſeptem ſacrata Deo Cænobia Patrum,
Fæminei & Sexùs, tot pia Tecta tenet.

PAG. 714. Lineam inter 7, & 8 interjice ſequens Actum Parlamentarium, anglicè paſſim nuncupatum *Gavel-Act* propter Tenorem ejus, quod ex Typhographi Negligentia, & Correctoris Oſcitentia, me abſente, omiſſum fuit.

Bona omnia hæreditaria Papiſtæ defuncti non obveniunt Filio primogenito, ſi Papiſta ſit, ſed dividenda ſunt æqualiter inter ſingulos Filios, & ijs deficientibus, inter ſingulas Filias, & ijs deficientibus, inter proximos Hæredes ex Cognatione Patris, & ijs deficientibus, inter proximos Hæredes ex Cognatione Matris. Si verò Primogenitus intrà Annum ab Obitu Patris Religionem amplectatur Proteſtanticam, univerſâ Hæreditate gaudebit.

CXX. PAG. 713, immediatè antè Num. CXIII, interjice ſequentia.——Inter alias momentoſas Schedas, in Archivo *Lovanienſis* Conventûs ad *S. Crucem* aſſervatas, inveni Literas Apoſtolicas, dulciores ſuper Mel & Favum, quibus *Innocentius* XII, Pontifex Maximus, afflictos *Hiberniæ* Præſules, alioſque catholicæ Religionis Cultores, poſt latum de Exilio Epiſcoporum & Regularium parlamentarium Decretum (*s*), conſolatur, à tunc exiſtente D. Nuntio Apoſtolico *Bruxellenſi* authenticatas, hujuſce Tenoris:

" Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon Dilectis Filijs,
" Abbatibus, Sacerdotibus, cæteriſque Chriſtifidelibus Regni Hiberniæ.

"INNOCENTIUS PAPA XII.

" Venerabiles Fratres, & dilecti Filij, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

" ETSI acerbum planè paternæ noſtræ ergà Vos Charitati Spectaculum ſint Tribulationes, & Anguſ-
" tiæ, quæ invenerunt Nos nimis, gloriamur tamen in Patientia veſtra, & Fide in omnibus iſtis, ſcientes
" quoniam per multas Tribulationes oportet intrare in Regnum Dei, nam & ipſum Salutis noſtræ Auc-
" torem, cui parùm fuerat Sectatores ſuos hortari Verbô, niſi firmaſſet Exemplô, oportuit pati, & ita
" intrare in Sancta æternâ Redemptione inventa. Nolite itàque commoveri propter Ærumnas utique
" graves, quas pro ſervanda in Cordibus veſtris catholica Veritate perfertis, ſed immò agnoſcentes Vos
" habere meliorem, & manentem Subſtantiam, ſervate Propoſitum veſtrum, perſeverantes in ea Verita-
" te, extrà quam non eſt Salus. Retinete veró Confidentiam Veſtram, quæ magnam habet Remunera-
" tionem, id enim quod in præſenti eſt leve, & momentaneum Tribulationis, æternum Gloriæ Pondus
" operatur in Nobis, quæ quidem Mente concipientes, & Opere perficientes, Nemo poterit Vos ſepara-
re

(*S*) Illa omnia videre eſt in *Hibernia Dominicana* à Pag. 743.

(*T*) Nimirùm Provinciæ *Canaciæ*, priſcis *Conachtæ*.

(*s*) Legendum in *Hibernia Dominicana*, Cap. XVII. Num. CXII. Pag. 712.

“ re à Charitate, quæ eſt in Chriſto, & Deus ipſe, qui Neminem patitur ultrà Vires tentari, eruet Vos
“ à circumdantibus Vos, nec ſinat Parvulos veſtros divelli ab Uberibus amantiſſimæ Matris Eccleſiæ.
“ Mementote Patrum veſtrorum, quomodò ſalvi facti ſunt; neque enim recens eſt Gloriatio veſtra in ea
“ Fide, quam à pluribus Sæculis hauſtam Natio veſtra, a qua Examina Sanctorum prodierunt, magnâ
“ Nominis ſui Laude, majori Animarum veſtrarum Lucro, intemeratam ſervavit. Quia verò bonum
“ eſt cum Silentio præſtolari Salutare Dei, id agite, ut ſi fieri poteſt, quod ex Vobis eſt, cum omnibus
“ Hominibus Pacem habeatis, & Nemni detis ullam Offenſionem. Ad Nos quod attinet, communicatâ
“ Nobis Tribulatione veſtrâ, conjungimus Orationem, quâ ſine Intermiſſione precamur eum, qui
“ Protector eſt omnium Sperantium in Se, ut quod miſericorditèr præſtare ſolet, mittat Vobis Auxilium
“ de Sancto, nec Vos deſerat in Tempore malo Deindè verò in hunc ipſum Scopum Officia etiam noſtra
“ apud eos, apud quos eadem proficere poſſe arbitramur, & omnem paternæ noſtræ, & apoſtolicæ
“ Solicitudinis Operam pro Salute, & Libertate veſtra incunctantèr impendimus, ac ſemper impendemus.
“ Supereſt, ut Vos, Venerabiles Fratres, quos conſtituit Dominus electi ipſius Gregis Paſtores, plurimùm
“ hortemur, atque in Domino obteſtemur, ut nunc maximè quantùm in Vobis eſt, impleatis Miniſterium
“ Verbi, quod accepiſtis à Domino, ità ut ſitis in omnibus Forma Gregis, & ſit viciſſim Vobis
“ Deus in Refugium, & conſoletur Vos. ut poſſitis ipſi conſolari eos, qui in omni Preſſura ſunt Vobis
“ interim omnibus & ſingulis Venerabilibus Fratribus, necnon dilectis Filijs apoſtolicam Benedictionem
“ peramantèr impertimur. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcaroris
“ Die decima Junij MDCXCVIII. Pontificatûs noſtri Anno Septimo.

JOANNES - FRANCISCUS CARDINALIS ALBANUS. (t).

Sumptum ex Regiſtris Epiſtolarum in Forma Brevis, & collationatum. Concordat cum ſuo Originali, hac Die decima tertia Januarij 1706.

ULYSSES - JOSEPH ARCHIEPISCOPUS THEODOSIENSIS (u).

HUC faciunt aliæ non minùs dulces, nec minùs opportunæ, ejuſdem Summi Pontificis Literæ Apoſtolicæ ad *Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſque Eccleſiarum Prælatos, & Ordinarios Civitatum & Diæceſum, Oppidorum, Terrarum, & Locorum univerſæ Italiæ, & Inſularum adjacentium*, ſuper Rebus noſtris Anno ſequenti datæ, quas exſcribi feci in Archivo *Secretariæ Brevium* de Urbe. Tenor autem Diplomatis eſt hujuſmodi.

“ INNOCENTIUS PAPA XII. Ad futuram Rei Memoriam.

“ INTER graviſſimas paſtoralis Officij noſtri Curas, quibus aſſiduè urgemur, illa Animum noſtrum acriùs,
“ vehementiùſque angit Sollicitudo, quam de afflictis, ac ſummè turbatis in Magnæ Britanniæ Regno,
“ præcipuè verò in Hibernia, Catholicorum Rebus, quinimmò de ipſa catholica Fide, extremum
“ ibidem in Diſcrimen adductâ, Corde jugiter verſamus. Hinc quod aliàs pluriès, etiam indictis publicè
“ in alma Urbe noſtra Precibus, à Patre Miſericordiarum ſupplici devotâque Humilitate poſtulare minimè
“ neglexeramus, ut tám graviter vexatos in illis Partibus veræ Religionis Cultores, inter præſentium
“ Erumnarum Senſum, & Metum futurarum miſerè gementes, optatâ Tranquillitate conſolari, eiſque
“ intereà imperterritam in avita Fide, cujus Hiberna Natio tenaciſſima ſemper fuit, Conſtantiam
“ elargiri, necnon infenſos illis Hæreticos ad ejuſdem Fidei Veritatem agnoſcendam, & amplectendam
“ revocare dignaretur: Id nuper potiſſimùm, cum creſcentes in Dies eorundem Hæreticorum nefarij
“ Conatus juſtiſſimum noſtrum auxerunt Timorem, ne propediem orthodoxa Religio ab illis nobiliſſimis,
“ ac veræ Fidei Studiô dudùm florentibus Provincijs penitùs eliminetur, ferventiori Spiritûs Ardore,
“ majorique Animi Contentione faciendum cenſuimus. Omnibus proindè Chriſtifidelibus verè pænitentibus,
“ & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui Die XXV Januarij proximè præteriti Proceſſioni
“ à Sæculari, & Collegiata Eccleſia S. Laurentij in Damaſo nuncupata ad Eccleſiam Sanctiſſimæ
“ Trinitatis Nationis Anglorum de eadem Urbe à Nobis inſtitutæ interfuiſſent, vel ſecundò dictam eo
“ Die, ſivè alias Urbis prædictæ Eccleſias, vel Baſilicas, in quibus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum
“ publicæ Fidelium Venerationi exponi curavimus, alijs tunc aſſignatis ſubſequentibus Diebus viſitaſſent,

---

(t) Fuit poſtmodùm *Clemens* Papa XI.

(u) Scilicet *Ulyſſes-Joſeph Gozzadinus*, Bononienſis, Archiepiſcopus *Theodoſiæ*, deìn S. R. E. Preſbyter Cardinalis, Tituli *S. Crucis in Jeruſalem*, creatus à laudato *Clemente* XI Anno 1709, denatus Epiſcopus *Imolæ* Anno 1728.

" taſſent, ibique divinum Auxilium pro præmiſſis Neceſſitatibus imploraſent, plenariam omnium Peccatorum Indulgentiam conceſſimus, ac ejuſmodi Indulgentiæ participes quoque fieri voluimus Regulares utriuſque Sexûs, in perpetua Clauſura viventes, necnon alios Chriſtifideles in Carcere, vel Corporis Infirmitate detentos, qui ad divinam Opem certô tunc expreſſô Modô ſimiliter confugiſſent. Nunc autem, ut quod fideliter petimus, validiori conjunctarum Precum Interceſſione, ab omnipotentis Dei Miſericordia impetremus, cæleſte Auxilium in Univerſa Italia, & Inſulis illi adjacentibus pariformiter invocari cupientes, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſque Eccleſiarum Prælatis, & Ordinarijs Civitatum, & Diæceſûm, Oppidorum, Terrarum, & Locorum Univerſæ Italiæ, & Inſularum adjacentium hujuſmodi, ſeù eorum Vicarijs in Spiritualibus Generalibus, per præſentes committimus, & mandamus, ut ſtatim atque ipſarum præſentium Literarum Tranſumpta, ſeù Exempla, etiam impreſſa, ad eos pervenerint, Proceſſiones pariter in ſuis reſpectivè Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis inſtituant, ac memoratum Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Eccleſijs, per eos reſpectivè deſignandis, Fidelium Venerationi per tres Dies continuos ſimiliter exponi curent, publicaſque Preces indicent. Nos enim omnibus & ſingulis utriuſque Sexûs Chriſtifidelibus verè pænitentibus, & confeſſis, ac ſacrâ Communione refectis, qui Proceſſionibus hujuſmodi reſpectivè interfuerint, vel Eccleſias à qua, & ad quam aliqua Proceſſionem ipſarum fiet, eo Die, ſeù aliquam ex illis, in quibus idem Sanctiſſimum Sacramentum publicæ Venerationi, ſicut præmittitur, expoſitum fuerit, aliquo ex tribus Diebus prædictis, devotè viſitaverint, ibique per aliquod Temporis Spatium, prout cuique ſuggeret Devotio, pias ad Deum Preces effundendo divinam Clementiam, ut ſuprà, imploraverint, plenariam itidem omnium Peccatorum ſuorum Indulgentiam, & Remiſſionem concedimus pariter, & elargimur. Cæterùm Regularibus utriuſque Sexûs in perpetua Clauſura viventibus, necnon alijs Chriſtifidelibus in Carcere, vel Corporis Infirmitate detentis, qui Proceſſionibus hujuſmodi intervenire, vel Eccleſias, ut præfertur, deſignandas viſitare nequiverint, ut ejuſmodi Interventum, & Viſitationem Confeſſarius ex approbatis, ſeù approbandis ab Ordinarijs, in alia Pietatis Opera commutare, eaque injungere poſſit, quæ ipſi Pænitentes adimplere poterunt, concedimus ſimiliter, & indulgemus. Volumus autem, ut earundem præſentium Literarum Tranſumptis, ſeù Exemplis, etiam impreſſis, Manu alicujus Notarij Publici ſubſcriptis, & Sigillô Perſonæ in Eccleſiaſtica Dignitate conſtitutæ munitis, eadem prorſùs Fides in Judicio & extrà adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi fuerint exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris Die XX Februarij MDCLXXXXIX. Pontificatûs noſtri Anno Octavo.

" JOANNES - FRANCISCUS CARDINALIS ALBANUS.

CXXI. Pag. 725 Poſt Lin. ult. ſubjunge—A. D. 1768. Excellentiſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nuntius Apoſtolicus *Bruxellenſis*, D. *Thomas-Maria Ghilini*, Archiepiſcopus *Rhodienſis*, Nobilitate, Doctrinâ, & Pietate conſpicuus, Literas dedit verè aureas, Cedroque dignas, ad Quatuor *Hiberniæ* Metropolitanos. Earum porrò Tenor ad Archipræſulem *Dublinienſem* eſt hujuſmodi.

" Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine,

" Officij mei Debitum ergâ bonos Catholicos iſtius Regni Me cogit urgetque, ut excitem Illuſtriſſimæ Dominationis Veſtræ Zelum, quo inſimul obviam ire ſtudeamus graviſſimo Incommodo, quod parari ſignificatum Mihi fuit, atque in Parte etiam Executioni mandari, in ſpirituale Damnum iſtius miſeræ copioſiſſimæ Chriſtianæ Gentis. Teſtes omni Fide digniſſimi retulerunt Mihi, ab Homine Hæretico conceptam, & ejuſdem Hæretici Manu conſcriptam quandam Formulam Juramenti fuiſſe, cujus Exemplar hiſce accludo (Q), atque Catholicis ſub eo blando Prætextu oblatam, ut ſi tale Juramentum

---

(Q) " Formula novi Juramenti, quod Gubernio *Hiberniæ* præſtandum proponitur tùm Eccleſiaſticis, tùm Laicis dicti Regni, ſub Spe quod poſt tale Juramentum revocandæ ſint Leges pænales, ibi vigentes contrà ipſoſmet Catholicos.

" *Ego N. N. Promitto ac juro ſuper ſacroſanctis Evangelijs ſinceriſſimè coràm Deo, & Hominibus, Me ſemper futurum fidum ac fidelem Suæ Majeſtati Regi Georgio III, Meque eundem ſemper defenſurum, omnibus meis Viribus adverſùs omnes Conjurationes & Molimina, quæ attentarentur in ſuam Perſonam, Coronam, aut ejus Dignitatem, illudque omne Me effecturum, quantùm in Me erit, ut detegam, & revelem Majeſtati Suæ, ejuſque Succeſſoribus omnes Proditiones & Conjurationes, quas aliquis aut molietur, aut meditaretur in ipſum, aut in ejus Succeſſores. Et juro ac promitto fideliter Me propugnaturum omnibus meis Viribus Succeſſionem Coronæ in Familia Suæ Majeſtatis adverſùs quamcunque Perſonam*

“ Juramentum Gubernio præſtare non abnuant, rationabiliter ſperare poſſint, fore ut ab eodem Gubernio revocentur, aboleanturque Leges illæ pænales, ſub quibus â tam longo Tempore ingemiſcunt. Additum deindé Mihi fuit, nonnullos cùm Laicos, tùm Eccleſiaſticos, Epiſcopos etiam, jam illud præſtare tàm imprudenter non erubuiſſe, alioſque prætereà paratos fore ad illud præſtandum, ut verendum Mihi ſit, ne talis ac tanta Inordinatio brevi itá dilatetur, ut ferè communis ſit evaſura.

“ Si Regimen hanc pernicioſiſſimam invexiſſet Novitatem, exigeretque hujus novi Juramenti Præſtationem comminando Catholiciſmi Exterminium, quatenùs ipſi non præſtarent, quanquàm nullus foret Catholicus Excuſatione dignus, qui tàm irrationabili cederet Violentiæ, ſaltem tamen minùs indigni Commiſeratione ij forent, qui ad avertendum periculum, ſe flecti paterentur; verùm quod Catholici, qui longo jam Tempore pati conſueverunt ſumma cum Ædificatione, eximiaque Conſtantia Leges pænales vigentes, utique ſeveras, ſed non contrarias Profeſſioni, & Exercitio Catholicæ Religionis, & toleratas ab ipſis uſque huc, cum incredibili Animi Submiſſione, nunc ſpontè ſeſe offerant, id ſuadente, ac ſuggerente Homine e Pſeudoreformatorum Grege, conficere Actum publicum, qualis iſte eſt, multis Capitibus ſummè reprehenſibilem; is foret Exceſſus omnium maximus, & adeò intolerabilis, & ſcandaloſus, ut S. Sedes, Cuſtos Integritatis noſtræ Religionis, nullatenùs eum poſſet diſſimulare, quin potiús gravi, ac publicâ Cenſurâ conſtringere cogeretur.

“ Pluribus Rationibus vituperabile eſt, & indignum Præſulibus Catholicis, novum Juramentum,

“ ſed

---

nam. Juro etiam Me abhorrere, deteſtari, & abjurare, ex intimo Cordis mei pernicioſam & abominabilem Doctrinam, quod non ſit ſervanda Fides, aut Promiſſio Hæreticis facta, aut Principibus Excommunicatis, aut quod illi, qui fuerunt à Papa privati, poſſint deponi, aut occidi ab eorum Subditis, aut a quacunque alia Perſona. Juro & declaro ſolemniter coram Deo, Me hanc facere Declarationem, & hoc Juramentum, juxtà Senſum communem, & ordinarium, & prout à Legiſlatoribus Hiberniæ intenditur, ſine Equivocatione, aut internâ Reſervatione, & quin aliquam anteriorem à Papa obtinuerim Diſpenſationem, aut à quâcunque aliâ Authoritate; & tandem, quin Ego credam, Me unquàm abſolvi poſſe, aut diſpenſari ab Onere hujus Juramenti à Papa, aut à quocunque alio, qui declaraſſet hujuſmodi Juramentum tanquàm nullum ab Initio Naturæ ſuæ eſſe habendum.

“ Alia Mihi (inquit Nuntius) exhibita fuit Formula Juramenti, quod ferè cum ſuperiori coincidit. Eam pariter tranſmittimus, ut omni ſuâ Sagacitate, & Prudentiâ poſſit indagare an hac omnia ſint vera, & quatenùs ſubſiſtant, curet promptum ac efficax adhibere Remedium, Meque in omnibus ſine Mora inſtructum reddendo. Hæc eſt.

“ *Etſi Conſcientiæ Cauſâ non audeam ſolitum præſtare Juramentum Fidelitatis, Abjurationis, & Primatûs, uti à Legiſlatoribus Hiberniæ præſcribitur, maximè tamen cupio certam facere Suam Majeſtatem de mea Fide, & Fidelitate. Quarè Ego A. B. meâ ſponte teſtor Omnipotentem Deum, & Jeſum Chriſtum ejus unicum Filium, quod fidelis ero, & veram præſtabo Allegianciam, id eſt, Fidelitatem Georgio III, quodque illum pro Viribus defendam in quibuſvis proditorijs Conſpirationibus, & ab omnibus quibuſcunque Machinationibus contrà ejus Perſonam, Coronam, & Dignitatem, quas quidem Proditiones, & Machinationes ſedulò conabor detegere, & detectas patefacere Suæ Majeſtati, & Succeſſoribus.*

“ *Declaro quoque, quod nullus Princeps extraneus, nullus Prælatus, Status nullus, nullave Poteſtas ullam habet Juriſdictionem, Poteſtatem, Superioritatem, & Præeminentiam temporalem, & civilem, directè, vel indirectè infrà Limites hujus Regni; & coram Deo ſolemniter profiteor, teſtor, & declaro, Me facere hanc Declarationem in omnibus, & ſingulis Partibus ejuſdem, in plano, & ordinario Verborum Senſu, quemadmodùm intelliguntur à Legiſlatoribus hujus Regni, abſque ulla Evaſione, Equivocatione, aut qualicunque mentali Reſervatione, & inſuper abſquè ulla Diſpenſatione, jam tum obtentâ, ſivè a Papa, ſivè ab alio quavis Auctoritate Sedis Romanæ, aut cujuſcunque Perſonæ: Neque credo, Me poſſe abſolvi à Vinculo hujus Declarationis, nec in toto, nec in Parte, etſi Papa declaraſſet, totum fuiſſe ab Initio irritum, & inane.*

“ Tertia quoque (proſequitur Nuntius) exhibita Mihi fuit Formula Juramenti, quæ meam pariter debet excitare Vigilantiam.

“ *Alterum Juramentum à Clero & Populo præſtandum. Tametſi credo Papam eſſe Epiſcopum Romæ, & eſſe Chriſti Vicarium, habentem Juriſdictionem ſpiritualem in tota Eccleſia Catholica, perſuaſus tamen ſum, eum nullam habere temporalem Poteſtatem, directè, vel indirectè, ſuper Res & Cauſas tempôrales hujus Regni, & ejus Juriſdictionem non eſſe extendendam niſi ad Cauſas ſpirituales, & Cenſuras. Hinc Ego A. B. ex Corde coram Deo, & Hominibus ſubſcribo quatuor Propoſitionibus, quibus ſubſcripſit Clerus Galliæ Anno Domini 1682.*

“ 1°. *Papa, aut Papa cum Concilio, nullam habet Auctoritatem ſuper Temporalia Regum, aut Subditorum.*

“ 2° *Omnià Concilia Generalia juxta quartam & quintam Seſſionem Concilij Conſtantienſis, ſunt ſuper Papam, & poſſunt, ſi expedit, eum deponere, aut reformare.*

“ 3°. *Apoſtolica Poteſtas Papæ regulanda eſt per Canones Apoſtolicos, ſalvis tamen Libertatibus Eccleſiæ Hiberniæ, prout à Lege ſtatutum fuit antè Annum Domini 1527.*

“ 4°. *Etſi Papa poſſit declarare Articulos Fidei, ejus tamen Decreta non ſunt irreformabilia quouſque confirmata fuerint in Concilio Generali.*

“ ſed & prorſùs intolerabile, ſi ſpectetur illa Proteſtatio, quam habet adnexam, videlicet——Abominationis, ac Deteſtationis ex Corde ejus Doctrinæ, quæ veluti abominanda, ac pernicioſa declaratur.——

“ NOTUM eſſe debet Eruditioni Suæ Doctrinam hanc, quæ deteſtabilis aſſeritur in hoc Juramento, eam defendi & propugnari à pleriſque Nationibus Catholicis, eandemque in Praxi pluries ſecutam fuiſſe Apoſtolicam Sedem. Quàpropter nequaquàm ea poteſt, uti deteſtabilis, ac abominanda à Viro Catholico declarari, quin talis Aſſertio Notam incurrat Propoſitionis temerariæ, falſæ, ſcandaloſæ, & S. Sedi injurioſæ. Prætereà ſe Sacramentô adſtringi, prout nova præſcribit Formula, ſemper futurum fidum, ac fidelem ſuæ Majeſtati, idque poſteà explicatur, Juramentô affirmare juxtá Senſum . . . . per Leges Hibernicas intentum, valdè eſt Mihi dubitandum, quod quemadmodúm Leges Angliæ, & Hiberniæ recognoſcunt Regem, uti Caput Eccleſiæ, & Fontem omnis ejus ſpiritualis Auctoritatis, ità qui præſtat tale Juramentum, promittitque Suæ Majeſtati Fidelitatem juxtà Præſcriptum Hiberniæ Legum, poſſit & ipſe recognoſcere Regem, uti Caput Eccleſiæ, & Fontem ejus ſpiritualis Auctoritatis. Si fortè hæc eſſet, aut eſſe poſſet talium Verborum Intelligentia, Dominatio Veſtra Illuſtriſſima, & quilibet alius ex ipſis Catholicis animadvertere debet, hunc eſſe Errorem manifeſtum, ac directè contrarium Principijs Religionis Catholicæ, quæ unicum agnoſcit Caput, & Fontem totius ſpiritualis Auctoritatis, Romanum nempè Pontificem ; atque hinc apparet quantùm etiam ex hoc Capite culpabile foret, atque deteſtandum tale Juramentum, quoniam Deus in Teſtem, & Vindicem Erroris per illud aſſumeretur.

“ CUM itaque adeò irregulare, & reprehenſibile ſit hujuſmodi Juramentum, quis, quæſo, Animô revolvere poterit, quô acerbiſſimo Dolore percellendus ſit pientiſſimus Animus Sanctiſſimi Patris, cum primùm ad Aures ejus pervenerit, Catholicos Laicos, Eccleſiaſticos, & etiam Epiſcopos, ſeſe obtuliſſe, aut minimè repugnantes ſeſe oſtendere in præſtando Regimini, à quo non poſtulatur tale Juramentum, quin priùs S. Sedem interpellaverint, ejuſdemque Oraculum audierint juxtà laudabiliſſimum Spiritum filialis Obſervantiæ, ac Subordinationis debitæ Vicario Jeſu Chriſti, eorum Paſtoris, & Capitis, & ejus Conformitatis, quam quilibet Centro Unionis Catholicæ ſervare debet, quod ſingulari, eximiâque Veneratione profeſſa eſt INCLYTA NATIO HIBERNICA CUM TANTA GLORIA SUI NOMINIS IMMORTALIS. (*R*).

“ PROPTER has Rationes Mihi facile ſuadeo, quæ ad Nos delàta ſunt, in omni ſua Parte vera non fuiſſe. Nihilominùs ne in Re tàm gravi Officio meo deeſſe videar, Muneris mei indiſpenſabilis eſſe duxi, hæc ad Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram ſcribere, ut ſuum paſtoralem Zelum excitem, quatenùs ſi ſupramemorata vera exiſtant, Ratione ſui ſpectabilis Miniſterij, omni cum Efficacia, ac Prudentia, promptiora, ac magis apta incunctantèr afferat Remedia, queis ulterior Progreſſus tàm pernicioſæ & ſcandaloſæ Inordinationis impediatur, revocetque ad propria Officia, ut interim datum Scandalum reparent, eos qui jam tale præſtitiſſent Juramentum, quod cæteroquin, quemadmodúm in tota ſua Extenſione eſt illicitum, ità Naturâ ſuà eſt irritum, ac nullum, nulliuſque Valoris, ut minimè Conſcientias adſtringere, & obligare poſſit. Ipſa deindè curet oportet Modis omnibus, qui Sibi opportuniores, ac efficaciores videbuntur, & ſuæ Prudentiæ magis conformes, ut Epiſcopis ſuis Suffraganeis oſtendat, & eorum Organô omnibus Fidelibus, qualem Reatum nova hæc Juramenti Formula adnexum habeat, & quàm grave Peccatum perpetrarent ij, qui illud vel præſtare paratos ſe præbeant, vel malô etiam Infortuniô jam præſtitiſſent.

“ HINC omnes incitare debebit, ut vigentes pænales Leges, quas hucuſque tâm laudabili Conſtantiâ pertulerunt, & perferre pergant, potiús quàm ut ab ijſdem ſeſe eximant, confugiant ad Medium adeò illicitum, & peccaminoſum, cum tanto Damno propriarum Animarum, ac ipſius Religionis, quæ ſenſim ſine Senſu ità minorabitur, ut peritura ſit in Corde iſtorum Catholicorum, ſi ſecuti Exemplum propriorum Paſtorum adeò benignes Aures præbebunt Carni, & Sanguini, ac Magis audient fallaces Suggeſtiones Inimicorum noſtræ Sanctæ Catholicæ Religionis, quàm veram, & ſalutarem Doctrinam veri eorum Patris, & Supremi Paſtoris, quod abſit. Et dúm pro noſtri Animi Conſolatione quàm citiſſima, & pleniſſima expectamus Reſponſa, quemadmodúm ſuus Zelus in Re tàm gravi ſeſe prodiderit, ſingulari dicimur Eſtimatione

---

(*R*) Confer Literas Apoſtolicas *Pauli* Papæ V in *Hibernia Dominicana*, Cap. XVII. Num. XI. & XXV. Pag. 613, & 629.

“ Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Dominationis Veſtræ

“ Bruxellis 14 Octobris 1768.

“ Obſervantiſſimus Famulus,

“ THOMAS MARIA ARCHIEPISCOPUS RHODIENSIS,

“ Archiepiſcopo Dublinien. NUNTIUS APOSTOLICUS.” (S)

CXXII. Pag. 732. Lin 42. adde in hunc Modum—Monaſterium hoc *Limericenſe* fuit quoque ſub Invocatione *S. Crucis* ut luculenter conſtat ex *Hibernia Dominicana* in *Appendice Monaſtica* §. XII. Num 4. Pag. 749; & ex Diplomate *Urbani* Papæ VIII, Confirmationis Apoſtolicæ Robur Reſolutioni Sacræ Congregationis *de Propaganda Fide* adjiciente, ut ſequitur (q).

“ Die 5. Septembris 1630.

“ In Congregatione Generali.

“ Referente Reverendiſſimo Aſſeſſore Sancti Officij Inſtantiam Provincialis Auguſtinianorum
“ Hiberniæ pro Monaſterij Limericenſis Conceſſione, cùm Religio Canonicorum Regularium S. Auguſ-
“ tini, cujus erat dictum Monaſterium, in eo Regno poſt anglicanam Perſecutionem penitùs fuerit
“ extincta, Sacra Congregatio cenſuit, requirendum eſſe priùs Conſenſum Generalis Canonicorum
“ Lateranenſium, non obſtantibus Rationibus de Diverſitate Religionis illius ab hac Lateranenſium (r),
“ pro dicto Provinciali allegatis.

“ Die 5. Februarij 1631.

“ In Congregatione Generali.

“ Referente Reverendiſſimo Domino Aſſeſſore Sancti Officij Inſtantiam Procuratoris Generalis
“ Auguſtinianorum pro Conventu Limericenſi in Hibernia, qui erat Ordinis Canonicorum Regu-
“ larium S. Auguſtini, in ea Inſula extincti, ex quo Generalis Canonicorum Lateranenſium nunquam
“ voluit ſuum præſtare Aſſenſum juxta Decretum Sancti Officij, Sacra Congregatio cenſuit, commonen-
“ dum eſſe præfatum Generalem Lateranenſium, ut vel Conſenſum præſtet pro Intereſſe ſuæ Religionis,
“ quatenùs illa ſuper Conventu prædicto Jus aliquod prætendere poſſit, vel ad dictum Conventum
“ mittat ex ſuis Religioſis.

“ Die 26 Junij 1632.

“ CORAM SANCTISSIMO.

“ Referente Eminentiſſimo Domino Cardinale Bentivolo iteratam Inſtantiam Procuratoris Gene-
“ ralis Auguſtinianorum pro Monaſterio Limericenſi in Hibernia, & Conſenſum Generalis Canonicorum
“ Lateranenſium, Conditioneſque eidem Conſenſui appoſitas: Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo
“ placuerit, Petitioni dicti Procuratoris Generalis eſſe annuendum, additis in Expeditione Brevis Condi-
“ tionibus ſuprà memoratis. Eodem Die Sanctiſſimus Decretum Sacræ Congregationis approbavit.

“ Urbanus

(S) Aliam præclariſſimi ejuſdem Nuntij Apoſtolici Epiſtolam videre eſt in *Supplemento* hoc Pag. 826.

(q) Ex *Summario pro Rmo P. D. Thoma O-Kelly, Abbate Benedicto Monaſterij S. Michaelis de Mayo, Priore Prioratûs Purgatorij S. Patritij, & Procuratore Generali RR. Canonicorum Regularium Lateranenſium, Congregationis S. Patritij in Hibernia, ac tota Congregatione.* In Lite ipſum inter & *Illmos & Rmos Archiepiſcopos Dublinienſem, & Tuamenſem, ac Epiſcopum Clocherenſem.* Coram Sacra Congregatione *de Propaganda Fide*, Ponente Eminentiſſimo Domino *Marcello* Cardinale *Paſſaro*, (Preſbyter Cardinalis *S. Mariæ de Aracæli* deceſſit è Vita *Romæ* 25 Septembris 1741.) Typis *Mainardi* 1737.

(r) Congregatio Canonicorum Regularium *S. Patritij* in *Hibernia* fuit poſtmodùm aggregata Congregationi Canonicorum Regularium *Lateranenſium* in *Italia* per Literas Apoſtolicas *Innocentij* Papæ XII, 30 Januarij 1699, de Conſilio S. Congregationis *de Propaganda Fide*, ut ex prælibata Lite conſtat, & ex *Hibernia Dominicana* Cap. XII. §. III. Num. XIV. Pag. 439. Lit. n.

“ URBANUS PAPA VIII.

“ Ad futuram Rei Memoriam.

“ Exponi Nobis nuper fecit dilectus Filius Prior Provincialis Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provinciæ Hiberniæ, quod ipſe Monaſterium Limericenſe, nuncupatum S. Crucis, propè Portam Civitatis Limericenſis in Hibernia, Ordinis Canonicorum Regularium ejuſdem S. Auguſtini, primò dicto Ordini, ad hoc, ut pro Tranſitu illius Domorum Regularium ad alias Domos Regulares in alias Regni Hiberniæ hujuſmodi Provincias inſerviat, per Nos applicari ſommoperè deſiderat, & ad hoc dilecti Filij Procuratoris Generalis Canonicorum Regularium, Congregationis Lateranenſis, Ordinis ejuſdem S. Auguſtini, expreſſus accedit Aſſenſus, ſub infraſcriptis tamen Conditionibus, videlicet, quod, cum quo Canonici Regulares S. Auguſtini Monaſterium prædictum repetere vellent, illud Fratres S. Auguſtini reſtituere teneantur, refectis tamen Melioramentis Arbitrio boni Viri, niſi ob longam Poſſeſſionem in Fructibus perceptis per ipſos Fratres ipſa Melioramenta fuerint compenſata. Nos igitur Fratrum prædictorum Commodis conſulere volentes, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, Negotio Propagandæ Fidei Præpoſitorum Conſiliô, Monaſterium prædictum cum omnibus Juribus, Membris, &c. Ordini Fratrum Eremitarum S. Auguſtini, cum Conditionibus ſuprà expreſſis, & non aliàs, apoſtolicâ Authoritate applicamus &c, decernentes &c. Datum in Arce Gandulphi Albanenſis Diæceſis Die 18 Octobris 1632.”

Præſens Copia extracta eſt ex alia exiſtente in Archivo S. Congregationis de Propaganda Fide, in Libro Hibernia,—*Tom.* 1. *Pag.* 457, *cum qua collationata* &c. *Datum* &c. *hac Die* 4. *Martij* 1737.

PHILIPPUS DE MONTIBUS SECRETARIUS. (*s*)

CXXIII. Huc ſpectare poterit ſequens Diploma Illuſtriſſimi Nuntij Apoſtolici nuper laudati (*t*).

“ Joannes-Baptiſta Rinuccinus, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ
“ Archiepiſcopus, & Princeps Firmanus, ac in Regno Hiberniæ
“ Nuntius Apoſtolicus Extraordinarius.

“ Univerſis & Singulis præſentes viſuris, Salutem & noſtram
“ Benedictionem.

“ Cum per noſtras Collationes inſtituerimus in hoc Regno plures Abbates (*u*) & Priores, tùm Commendatarios, tùm etiam Titulares Canonicorum Regularium ſuper Monaſterijs, & Prioratibus tunc vacantibus, cum aliqua Penſione, vel potiùs Canone ſolvendo ipſis Canonicis, ſi & quandò per ipſorum Superiores ex alijs Regnis huic deſtinarentur, eâ nimirùm Intentione, ut præfatus Ordo per communem Cohabitationem, & regularem Diſciplinam paulatìm reſtauretur. Et cùm Reverendus Admodùm Pater Jacobus Lyncheus, Abbas de Conga, Commiſſarius Generalis prædicti Ordinis in Hibernia (*w*), Nobis ſupplicaverit, quatenùs cùm ſit paratus cum aliquot ejuſdem Ordinis Canonicis Regularibus ad cohabitandum Domum, & ibi Cappellam erigendam ad Cultum divinum excolendum, divina Officia ibidem exercenda, & Sacramenta religioſé Fidelibus adminiſtra[illegible] in oppido Galvienſi, & alibi, noſtro Favore proſequi dignemur. Nos proptereâ inhærentes noſtris prædictis Collationibus, Authoritate Apoſtolicâ Tenore præſentium mandamus omnibus, & ſingulis Abbatibus, & Prioribus, tùm Commendatarijs, tùm Titularibus, per Nos inſtitutis, & proviſis, ut Vigore hujus noſtri Decreti ſolvant prædictas Penſiones dicto Admodùm R. P. D. Jacobo Lyncheo, vel ejus Deputato, cui eâdem Authoritate Facultatem impertimur eas exigendi, ad Effectum, ut ſuprà &c, exorandi, & impetrandi ab alijs per Sanctam Sedem Apoſtolicam inſtitutis Abbatibus, & Prioribus, quos in Domino enixè rogamus, & hortamur (revocantes illis in Memoriam, quod etiamſi dictorum Bonorum ſint Poſſeſſores, attamen & eccleſiaſtica, & ad Eccleſiam pertinentia, atque ad divinum Cultum erecta, dica-

---

(*s*) Fuit poſtmodùm Preſbyter Cardinalis *S. Stephani* in *Monte Cœlio*, à *Benedicto* Papa XIV. creatus 9 Septembris 1743. Denatus Romæ, 17 Januarij 1754.

(*t*) Ex *Summario* mox memorato Num. antecedenti ad Lit. q.

(*u*) Videſis varios variorum Ordinum Abbates in *Hibernia Dominicana* Cap. XVII. Num. LII. Pag. 658. & Num. LXXXII. Pag 692.

(*w*) Hunc videre poteris in *Hib. Dom.* Cap. XVII. Num LXXXII. Pag. 692. Ejuſdemque Succeſſorem, alioſque iſtius Ordinis Abbates Cap. XII. §. III. Num. XIV. Lit. o. Pag. 439.

“ ta, & fundata fuere) ut prædictum Ordinem reſtaurare velint, cujus Bonis temporalibus Fructus per ejus Preces, & Orationes, ſpiritualibus etiam participare valeant.

“ VOLUMUS autem, ut de omnibus Pecunijs exactis & exigendis ad Effectum, de quo ſuprà, præfatus Jacobus Lyncheus poſt Semeſtrem a Die præſentium datarum teneatur coràm Nobis, vel ſui Ordinis Abbate Generali, Rationem, & Computum dare. Damus etiam eidem Facultatem, Vigore hujus Decreti, erigendi Cappellam in Oppido Galvienſi, ac alibi reſtaurandi Monaſteria dictæ ſuæ Religionis. In quorum Fidem &c. Datum Galviæ in Noſtra Reſidentia 16 Octobris 1648.

JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS, NUNTIUS APOSTOLICUS.”

CXXIV. HUC inſuper ſpectare poterit ſequens Epiſtola D. Nuntij ad D. *Thomam Deaſe*, Epiſcopum *Midenſem*, ſuper Prioratu *S. Mariæ* de *Triſternagh* (*x*) in Agro *Midenſi Occidentali* (*y*).

“ Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo D. Epiſcopo Midenſi.

“ CUM Intuitu Dominationis Veſtræ Illuſtriſſimæ inſtituerim Æconomum Monaſterij de Triſternagh, Prioratûs olim Canonicorum Regularium S. Auguſtini, Dominum Gerardum Tuite iſtius Diæceſis, accedit nuperrimè ad Me pro Recuperatione iſtius Prioratûs Frater Andreas Nugent, Canonicus Regularis S. Auguſtini, cui antequàm ſtatuerim facere Collationem, admonendam fore duxi V. D. Illuſtriſſimam, ut dignetur Mihi ſignificare, quæ Sibi videbuntur neceſſariò referenda ſuper hac Re, cùm ſit Beneplacitum Summi Pontificis reddi Monaſteria iſta Religioſis, qui Temporibus præteritis multùm in hoc Regno laborarunt. Et a Deo interim precor V. D. Illuſtriſſimæ Felicitatem.

“ D. V. Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ Kilkenniæ 16 Februarij 1646.

“ Addictiſſimus Servus,
“ JOANNES BAPTISTA ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS.”
NUNTIUS APOSTOLICUS.

CXXV. Pag. 739, Num. 20 lege adde in hunc Modum——

KILLINSHON in Territorio de *Ardes*, quod Peninſula eſt in Agro *Dunenſi*, Præceptoria *S. Joannis Baptiſtæ* &c.

HUC facit Reſolutio Sacræ Congregationis, *Urbano* VIII Summo Pontifice, Tenoris ſequentis (*z*).

“ Die 30 Julij 1635.

“ CORAM SANCTISSIMO.

“ REFERENTE Eminentiſſimo Cardinali Antonio (*a*) Inſtantiam Epiſcopi Dunenſis (*b*), ut ei conferrantur duo Prioratus, alter Killinſhon Tituli S. Joannis Hieroſoymitani Equitum Melitenſium, alter Mucmore (*c*) Tituli S. Congalli Ordinis Canonicorum Regularium, cùm in Hibernia hujuſmodi Duo Ordines non exiſtant, & ſecundus Prioratus ſolitus ſit concedi Sacerdotibus Sæcularibus: Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo placuerit, Oratoris Petitioni eſſe annuendum, cum ſolita Clauſula, ut Orator teneatur illos reſtituere, ſi Equitum Melitenſium, Canonicorum Regularium Ordines in Hiberniam revertantur, refectis tamen Melioramentis, niſi cum longa Fructuum Perceptione fuerint compenſata.”

CXXVI. Pag. 748, poſt Lin. 17, ſubjunge——*Lovanij* verſans Anno 1769, in Eccleſia hac *S. Antonij de Padua*, Fratrum Minorum *Hibernorum*, duo ſequentia exſcripſi Epitaphia, prætermiſſis duobus alijs, quæ exhibet *Hibernia Dominicana* Pag. 498, & 747.

D. O. M.

(*x*) Conſule *Hiberniam Dominicanam* in *Appendice Monaſtica* §. I. Num. 94. Pag. 730.

(*y*) Ex eodem mox dicto *Summario*.

(*z*) Ibidem.

(*a*) Cognomine *Barberini*. laudati *Urbani* VIII. ex Fratre Nepote, poſtmodùm Regni *Hiberniæ* Protectore, ut dictum eſt Pag. 868.

(*b*) Fr-*Bonaventuræ Magenis*, Ordinis Minorum, quem videre poteris in *Hibernia Dominicana* Cap. VI. Num VII. Pag. 109. Huic porrò in eadem Sede ſucceſſit alter ejuſdem Cognominis, *Fr. Arthurus* nimirùm *Magenis*, Ordinis *Ciſtercienſis S. Bernardi*, videndus Cap. XIII. Num. LXVII. Pag. 490; & Cap. XVII. Num. LXXXII. Pag. 692; ac in hoc *Supplemento* Pag. 884. & 890.

(*c*) Recenſitus in *Hiberniæ Dominicanæ* Appendice *Monaſtica* §. I. Num 117, Pag. 731; Ubi Loco *S. Colmani Elli* lege *S. Congalli*.

D. O. M.

Excellentiſſima Domina Roſa O-Dogharty,
Dynaſtarum Iniſoniæ Filia, & Soror,
Alti Sanguinis Decus
Morum Temperantia, & ſplendidis Conjugijs auxit,
Primùm nupta inclyto Heroi
D. Caffarro O-Donnello,
Tirconalliæ Principis Germano (o) ;
Dein Excellentiſſimo Domino Eugenio O Neillò (p),
Catholici in Ultonia Excercitûs
Archiſtratego.
Utramque Fortunam experta, & Miſeriam rata,
Cælum ſtuduit Benefactis mereri.
Septuaginta major denata
Bruxellis 1. Novembris Anno MDCLX.
Suo cum Primogenito Hugone O-Donnello
Præſtolatur hìc Carnis Reſurrectionem.

D. O. M.

Hic, ut voluit, jacet
Prænobilis Dominus
Dominicus Lynch,
Ex Nobili Lyncæorum Galvienſi Familia,
Hibernicæ Legionis de Lally
Vice Colonellus,
Qui plurimis in Scotia
Peractis Facinoribus,
Poſteà vulneratus in Prælio Laffeltenſi,
Die II. Julij MDCCXLVII,
Obijt Lovanij
Die XXVIII Auguſti ejuſdem Anni.
R. I. P.

CXXVII. Pag. 754. Lin 29. Inſtar Notæ appone notandiſſima *Clementis* Papæ XIII Verba in Literis Apoſtolicis ad Patriarcham *Venetiarum,* Illuſtriſſimum nempè *Joannem Bragadinum,* necnon ad Archiepiſcopos, & Epiſcopos in Ditione Reipublicæ *Venetæ* 1. Octobris 1768 datis, quæ ſummâ Pietate, nec minori Elegantiâ eoſdem monent Antiſtites: "Vobis quidem, Venerabi-
" les Fratres, nihil antiquiùs, nec magis Cordi eſſe arbitramur, quàm ut Eccleſiæ pareatis, quæ
" Regularium Privilegia in Lateranenſi Concilio Generali Quinto Vobis commendat. *Ipſos quoque,*
" inquit, *Epiſcopos hortamur, & per Viſcera Miſericordiæ Dei noſtri requirimus, ut Fratres ipſos*
" *Affectu benevolo proſequentes, eorum Jura omni cum Charitate cuſtodiant, atque defendant.*"

CXXVIII. Eadem Pag. 754. Lin. ult. Decreto S. Congregationis *de Propaganda Fide* ſubſcribit *Marius Mareſuſcus Secretarius.* Ibi porrò hanc ſubjice Notam.

Is eſt Eminentiſſimus nunc & Reverendiſſimus D. *Marius Mareſuſcus,* Maceratenſis, S. R. E. Preſbyter Cardinalis Tituli *S. Auguſtini,* à SS. D. N. *Clemente* Papa XIV, feliciter regnante, creatus 29 Januarij 1770, noſtri *Hiberniæ* Regni Protector digniſſimus, Doctrinâ & Pietate clarus——Præivit autem quà memorati Regni Protector per triginta duorum Annorum Seriem *Nerius* Cardinalis *Corſinus,* Florentinus, *Clementis* Papæ XII ex Fratre Nepos, denatus 6 Decembris 1770.—Huic autem præiverat per triginta item duorum Annorum Seriem *Joſephus Renatus* Cardinalis *Imperialis,* Genuenſis, Viam univerſæ Carnis ingreſſus 17 Januarij 1738—Huic autem per triginta quinque Annorum Seriem *Paulutius* Cardinalis *de Alterijs,* italicè *Altieri,* Romanus,

---

(o) Confer *Supplementi* hujus Pag. 874.——

(p) De quo ſæpeſæpiùs in hoc *Supplemento* à Pag. 881.

Romanus, qui vivere deſijt Anno 1706 *(pp)* —— Huic autem *Antonius* Cardinalis *Barberinus*, Florentinus, *Urbani* Papæ VIII ex Fratre Nepos, ab eoque Anno 1627 Cardinalis creatus, qui Diem clauſit extremum Anno 1671 —— Huic autem (ut accepi) *Joannes Baptiſta* Cardinalis *Pamphilius*, Romanus, electus Summus Pontifex ſub Nomine *Innocentij* X Anno 1644 —— Huic autem *Ludovicus* Cardinalis *Ludoviſius*, Bononienſis, *Gregorij* Papæ XV ex Fratre Nepos, florens Anno 1628 *(P)* —— Huic autem *Fabritius* Cardinalis *Kerallus*, florens Anno 1618 — Huic autem *Nicolaus* Cardinalis *de Pelluna*, Cardinalis *Senonenſis* paſſim nuncupatus, quia Archiepiſcopus erat *Senonenſis* in *Galliarum* Regno, florens Anno 1582. Hos omnes perquirere eſt in *Hibernia Dominicana*, ejuſque præſenti *Supplemento*, habitâ Attentione ad utriuſque Indicem *Alphabeticum*. *(Q)*

CXXIX. Supplemento huic Colophonem apponet Epiſtola Encyclica verè aurea, Cedroque digna, ac nulla Oblivione delenda, feliciter regnantis Summi Pontificis CLEMENTIS XIV (quem diu ſoſpitem Deus Optimus Maximus ſervet ad Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Decus) ad Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos univerſæ Eccleſiæ Catholicæ. *Romæ MDCCLXIX. Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.*

“ Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus,
“ Archiepiſcopis, & Epiſcopis.

“ CLEMENS PAPA XIV.

“ Venerabiles Fratres, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

“ Cum ſummi Apoſtolatus impoſitum Nobis munus cogitatione comprehendimus, tantique oneris vim
“ ac gravitatem intuemur, non poſſumus, Venerabiles Fratres, & rei ipſius magnitudine, &
“ perſpecta Nobis virium Noſtrarum imbecillitate non vehementer commoveri. In altitudinem maris
“ veniſſe, atque e tranquillæ vitæ ſecuritate tanquam e tutiſſimo portu ad regendam Beati Petri navicu-
“ lam evocati maximis repente nos abripi, atque agitari fluctibus videmur, ac tempeſtatis vi pene de-
“ mergi. Verum a Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Neque enim ullis humani
“ concilii rationibus, ſed illius inſcrutabili judicio Nobis nihil tale opinantibus delatam tanti muneris
“ procurationem apertiſſime intelligimus. Proinde in certiſſimam ſpem erigimur, eum ipſum, qui Nos
“ ad ſummi miniſterii ſolicitudinem adduxit, timorem ac infirmitatem noſtram præſidio ſuo ſublevaturum
“ & exauditurum Nos eſſe in abſcondito tempeſtatis. In eadem fiducia præclare Nos confirmat Petri
“ trepidantis in mari, ac Domini modicam ejuſdem fidem increpantis recordatio. Qui Nobis in Apoſto-
“ lorum Principe totius Eccleſiæ curam, & claves regni cælorum tradidit, qui ſuas oves paſcere, ac
“ fratres confirmare juſſit, idem certe omnem ſui obtinendi auxilii dubitationem a Nobis depellere, Noſ-
“ que ſuæ gratiæ ſpe magis voluit, quam timore noſtræ imbecillitatis moveri. Illius itaque, qui eſt
“ robur ac fortitudo noſtra, voluntati obſequimur, illius fidei poteſtatique Nos permittimus. Ille conſi-
“ lio ſuo inchoatum in Nobis opus etiam perficiet, atque ex ipſa humilitate noſtra illius potentiæ, ac
“ miſericordiæ vis perſpectior omnibus eluceſcet. Nam ſi quid hac temporum conditione, noſtra, qui
“ inutiles Servi ſumus, opera ad Eccleſiæ ſuæ incolumitatem moliri, ac efficere conſtituit, illum unum
“ omnes auctorem atque effectorem perſpicient, & propterea ipſi honorem ac gloriam eſſe tantummodo
“ tribuendam cognoſcent. Quare alacri animo ad maximum ſuſtinendum onus accedimus, & quo
“ potentiore auxilio fidimus, eo majore ſtudio connitimur, & ob ipſam muneris, ad quod appellati ſumus,
“ præſtantiam, nullas, quæ a Nobis in eo perfungendo conferri poſſunt, ſedulitatis ac induſtriæ partes
“ nimias eſſe judicamus.

“ Quam quidem adminiſtrationis Noſtræ rationem dum aſſidue verſamus animo, atque ex hac altiſ-
“ ſima Apoſtolicæ Sedis ſpecula in omnes Chriſtiani Orbis regiones oculos convertimus, Vos potiſſimum,

“ Venerabiles

(pp) Iſtum eundem videſis Cardinalem Num. XL. hujus *Supplementi* Pag. 840.

(P) Si *Pamphilius* Protector non fuit *Hiberniæ*, ut accepi, indè colligendum videtur, *Barberinum* immediatè ſucceſſiſſe *Ludoviſio*, qui planè contemporanei fuere Cardinales.

(Q) In *Supplementi* hujus Pag. 817. Lin. 32. Pag. 869 Lin. 22. & Pag. 872. Lin. 28, ubi Sermo fit de Illmo, & Rmo D. *Joſepho Garampi*, Ariminenſi, adde: A Menſe Januarij 1772 Archiepiſcopus eſt *Beriti* in *Phœnicia*, & Nuntius Apoſtolicus in Regno *Poloniæ*.

“ Venerabiles Fratres, excelſo & illuſtri loco poſitos intuemur, veſtro conſpectu recreamur, Vos adjutores Noſtros, Vos Dominici Gregis cuſtodes, ac Evangelicæ Vineæ operarios ſumma animi Noſtri jucunditate agnoſcimus Qui igitur Noſtræ ſolicitudinis partem ſuſtinetis, in ipſo Apoſtolatus Noſtri exordio alloqui Vos maxime cupimus, atque in ſinum veſtrum intimos mentis Noſtræ ſenſus effundere ; & ſi quid Vos in Domino hortari, ac commonere videbimur, id vel Noſtro de Nobis ipſis timori tribuite, vel profectum a veſtræ virtutis, ac in Nos pietatis fiducia exiſtimate.

“ Ac primum rogamus Vos V. F. ac obſecramus, ne unquam miſericordiarum Patrem pro imbecillitate noſtra Divino præſidio munienda deprecari intermittatis. Reddite hanc Nobis amoris erga vos Noſtri vicem, atque ita mutua precum veſtrarum ſubſidia Nobiſcum conjungite, ut alteri ab alteris quodammodo ſuſtentati firmiori gradu omnes poſſimus in ſua quiſque ſtatione conſiſtere. Hac potiſſimum animorum conjunctione illam, in qua Nobiſcum coagmentati eſtis, unitatem comprobabitis. Unum quippe totius eſt Eccleſiæ ædificium, cujus in hac Sede a Beato Petro poſitum eſt fundamentum. Multi ad illud conſtruendum conjuncti ſunt lapides, ſed omnes ſuper una petra firmantur ac innituntur. Unum eſt Eccleſiæ corpus, cujus Chriſtus eſt Caput, ac in illud omnes coaleſcimus. Nos ipſius poteſtatis Vicariam procurationem gerentes ceteris altius illo volente præſidemus. Vos vero una Nobiſcum colligati tanquam cum viſibili Eccleſiæ capite potiores ejuſdem corporis partes eſtis. Quid proinde ſingulis accidere poteſt, quod uni verſos non afficiat, neque ad unumquemque promanet ? Quemadmodum itaque nihil poteſt peculiarem cujuſque Veſtrum vigilantiam expoſcere, quod Noſtris item curis comprehendi, ad Noſque referri non debeat, ita arbitrari debetis magnopere veſtra intereſſe, quidquid ad Nos pertinet, Noſtramque operam ac diligentiam deſiderat. Quapropter una voluntatum conſenſione conjuncti, uno eodemque animati Spiritu, qui a Myſtico illo Capite profluens, ac per univerſa membra diffuſus vitam omnibus diſpertit, contendere omnes, ac dare operam præſertim debemus, ut Eccleſiæ Corpus integrum atque incolume ſit, ut nulla ruga ac macula contracta, omni Chriſtianæ virtutis laude inſtruatur, ac vigeat. Quod quidem divina ope præſtari a Nobis poterit, ſi pro virili ſua quiſque commiſſi ſibi Gregis ſtudio exardeſcet, ſi illa una ſingulis inſidebit cura Populi ſui ab omni malorum contagione, atque errorum inſidiis removendi, ac omnibus doctrinæ ſanctitatiſque ſubſidiis diligentiſſime muniendi.

“ HUJUSMODI Animarum ſalutis cupiditate ſi unquam eos, qui tuendæ vineæ Domini præſunt, excitatos eſſe oportuit, hoc præſertim tempore illos inflammari eſt perneceſſarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias ſive ad labefactandam, ſive ad tollendam Religionem exoriri fere quotidie, ac circumferri opiniones, quando novitatis illecebra magis inductos homines, & quadam peregrinæ ſcientiæ aviditate pertractos ad hanc confluere, atque eandem libentiſſime conquirere vidimus ? Unde animarum peſtem & perniciem extendi latius in dies, ac miſerrime propagari dolemus. Quare eo acrius Vobis erit laborandum, Venerabiles Fratres, omneſque vel diligentiæ, vel auctoritates vires exerendæ, ut hanc tantam, ac de divinis etiam, & ſanctiſſimis rebus graſſantem temeritatem, atque inſaniam repellatis. Non in corruptilibus ac vanis humanæ ſapientiæ præſidiis, ſed in ſimplicitate doctrinæ, ac in Verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti dumtaxat Vos illud conſequuturos confidite. *Tum* hoſtium impetus coercere facile poteritis, atque Adverſariorum tela retundere, cum in omnibus ſermonibus veſtris Jeſum Chriſtum crucifixum præferetis ac prædicabitis. Suis ille legibus atque inſtitutis Sanctam hanc Civitatem, ſuam nimirum Eccleſiam, condidit,ac communivit. Suæ fidei tanquam depoſitum caſte pieque cuſtodiendum huic tradidit. Suæ doctrinæ ac veritatis hanc eſſe voluit firmiſſimum munimentum, adverſus quam Portæ Inferi nunquam prævalerent. Nos igitur, Venerabiles Fratres, Civitatis ſanctæ Præſides, ac Vigiles hanc ejuſdem Conditoris Domini, ac Magiſtri noſtri legum, ac fidei præclariſſimam hæreditatem Nobis per Majores noſtros integerrime traditam diligenter tueamur, ac ad Poſteros noſtros puram, atque incolumem tranſmittamus. Ad hanc in Sacris Litteris acceptam normam facta, & conſilia noſtra omnia dirigentes, præterea Patrum noſtrorum certiſſimis inhærentes veſtigiis inſtructiſſimos Nos futuros putemus ad omnes vitandas offenſiones, quæ Chriſtiani Populi fidem debilitare poſſint, ac infringere, atque Eccleſiæ unitatem ulla ex parte diſſolvere. Ab illis Divinæ Sapientiæ fontibus, ſcripta ſcilicet, traditaque doctrina, quæcumque ſive ad credendum, ſive ad agendum requiruntur, tantummodo hauriamus.

“ IN gemino enim hoc locupletiſſimo veritatis ac virtutis omnis inſtrumento continentur, quæcumque ad Religionis cultum, ad morum diſciplinam, recteque vivendi inſtitutionem pertinent. Hinc Myſteriorum altitudinem, hinc pietatis, honeſtatis, juſtitiæ, humanitatis officia ediſcimus. Quid Deo, quid Eccleſiæ, quid Patriæ, quid Civibus. quid cæteris hominibus debeamus, intelligimus. Unde nullis præclarius, quam his veræ Religionis legibus Civitatum etiam, ac Societatum jura ſtabilita eſſe cognoſcimus. Ac propterea nemo fere unquam divinis Chriſti ſanctionibus bellum intulit, quin idem continuo, quantum in ſe eſt, Populorum tranquillitatem perturbarit, Regum obſequium detrectarit,

“ infeſta,

“ infeſta, ac incerta omnia fecerit. Magna eſt enim inter divinæ ac humanæ poteſtatis jura conjunctio; ac proinde qui Chriſtianæ Legis auctoritate Regum Imperia munita eſſe norunt, alacri animo iiſdem obtemperant, verentur potentiam, dignitatem obſervant, & colunt.

“ ATQUE hanc quidem divinarum præſcriptionem partem non minus cum Populorum tranquillitate, quam cum animarum ſalute conjunctiſſimam conſiderantes, magnopere Vos hortamur, Venerabiles Fratres, ut poſt Deum, ac divini cultus conſtitutas in Eccleſia rationes, omnem ſolicitudinem veſtram ad Populum Regum obedientia ac obſequio rite imbuendum convertatis. Illi nimirum ad publicam incolumitatem tuendam, ac homines in juris æquitate continendos in altiſſimo gradu præ cæteris ſunt conſtituti. Miniſtri enim Dei ſunt in bonum, nec ſine cauſa gladium portant, vindices in iram ei, qui malum agit; cariſſimi præterea Eccleſiæ Filii ſunt, ac Patroni, quorum eſt eandem, ut Parentem, diligere, ejuſque cauſam, ac jura cuſtodire. Quos igitur inſtruendos in Chriſti lege ſuſcepiſtis, mature divino illo præcepto imbuendos curate: Fidem Regibus ſancte eſſe ſervandam ab ipſis incunabulis percipiant, parendum auctoritati, legibus obſequendum non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Cum ita Populorum animi fuerint opera veſtra excitati, non ſolum ut Regibus dicto audientes ſint, ſed etiam ut eos colant, ac diligant, tum optime & Civium tranquillitati, & Eccleſiæ utilitati, quæ inter ſe diſjunctæ eſſe non poſſunt, conſuletis. Eas vero officii veſtri partes uberius cumulabitis, ſi ad quotidianas pro Populo preces, peculiares etiam pro Rege obſecrationes adjungatis, ut incolumes illi ſint, ut ſuos in æquitate, pace, ac juſtitia regant, ut Deum ipſum in regno hominum dominantem cognoſcentes, ejuſdam cauſam ſancte pieque tueantur, ac provehant. Ita a Vobis erit non minus Epiſcopali veſtro muneri, quam omnium commodis ſatisfactum. Quid enim juſtius ac opportunius, quam pro Auctore publicæ pacis, ac civium ſalutis Cuſtode ab illis perpetuo Dominum obſecrari, qui pro hominibus conſtituuntur in iis, quæ ad Deum ſunt, & tanquam interpretes ac ſequeſtri ſuis conjuncta precibus omnium vota Domino repræſentant.

“ JAM vero ceteras Paſtoralis Officii partes diligentius Vobis percenſere ſupervacaneum ducimus. Quid enim ſingula perſequamur, Voſque de iis cohortemur, quorum intelligentia præclare inſtructos eſſe novimus, diuturno inſuper uſu, & quadam animi inductione veſtro muneri conſentanea confirmatos? Illud tantummodo non committemus, ut quo uno compræhendi omnia credimus, Vobis ante oculos non ſubjiciamus, veſtram ſcilicet virtutem excitantes ad Ducis Noſtri ac Paſtorum Principis conſectandum in omnibus exemplar, atque illud ſanctitatis, caritatis, humilitatis ſpecimen in Vobis ipſis exprimendum. Si enim Ille cum Patris ſui gloriæ Splendor eſſet, & Figura ſubſtantiæ ejus, aſſumpta carnis noſtræ infirmitate homines a ſervitute per humilitatem & caritatem vindicatos in Dei Filios adoptari, & Cohæredes ſuos fieri voluit; quanam in re glorioſius, ac præſtantius cogitationes, & labores noſtri verſari poſſunt, quam ut hujus hominum cum Chriſto conjunctionis, ac neceſſitudinis tuendæ auctores ceteris ſimus, & in illa imitanda bonitatis, clementiæ, manſuetudinis divina forma exemplo noſtro omnibus facem præferamus? Qua enim alia ratione ſuper montem excelſum aſcendit, qui evangelizat Sion? Vobis hujus conſectandæ ſimilitudinis deſiderio ſemel incenſis fieri non poteſt, quin idem ardor ad veſtri univerſi Populi mentes conflagrandas dimanet. Mirifica ſiquidem Paſtoris vis eſt atque auctoritas ad ſui Gregis animos commovendos. Qui cum illius cogitationes, actioneſque omnes ad hoc veræ virtutis ſpecimen conformatas noverint, cum in illo nihil aſperum, nihil arrogans, nihil elatum, verum omnia caritatis, manſuetudinis, humilitatis officijs plena viderint, tum vero acerrime ad eaſdem æmulandas laudes incitatos ſeſe ſentient. Præterea cum eumdem omnis privatæ utilitatis oblitum, ceterorum commodis inſervientem, opibus egentes, ſolatio afflictos, doctrina rudes, omnes officio, conſilio, pietate ſublevantem, Populi denique ſalutem ſuæ ipſius vitæ præferentem intelligent, hoc Paſtoris ſui amore, ſtudio, ac ſedulitate illecti libentiſſime docentis, cohortantis, obſecrantis, arguentis etiam, atque increpantis voces audient. Nam ſi qui privatarum rerum cupiditate obſtricti ſint, ac terrena divinis præferant, quo pacto poterunt alios ad Dei caritatem, ac mutuam inter ſe benevolentiam, divitijs, voluptatibus, honoribus inhiantes ad rerum humanarum contemptum, faſtu ac ſuperbia elati ad manſuetudinem atque humilitatem inducere? In Jeſu Chriſti igitur diſciplina erudiendi Populi cum munus ſit a Vobis ſuſceptum, in ejuſdem potiſſimum ſanctitate, innocentia, lenitate Vobis erit inhærendum. Tum veſtra Vos poteſtate præclare tantummodo eſſe uſuros reputate, cum potiora Vobis erunt caritatis atque humilitatis, quam dignitatis inſignia. Maximum ſtatuite veſtrum hoc eſſe, atque ad Vos unice pertinere, Populi Vobis crediti hunc in modum inſtituendi negotium; ab illo recte gerendo omnes veſtras derivandas eſſe laudes ac fortunas, a negligendo calamitatem ac turpitudinem. Quare hæ veſtræ ſint a Vobis tantummodo expetendæ divitiæ, ut Chriſti ſanguine redemptas animas Chriſto lucrifaciatis, ea ſincera ac ſolida gloria, ut in divino promovendo cultu, in Domus Dei decore amplificando, in Vitijs extirpandis, ac virtutibus excolendis fidelem ac ſedulam operam veſtram Domino ſemper exhibeatis. Hæc aſſidue cogitare, hæc agere, hic ambitioſi, hic cupidi eſſe debetis.

“ NEQUE vero cum diu multumque eritis in hac laborum contentione verſati, defutura unquam
“ Vobis arbitremini virtutis exercendæ ſpatia. Ea quippe eſt muneris veſtri conditio, ea Epiſcopalis
“ vitæ ratio, ut nunquam debeat curarum ceſſationem, nunquam otium conſequi. Nullis poſſunt
“ eorum actiones circumſcriptæ eſſe terminis, quorum caritatis amplitudinem nulli debent fines compre-
“ hendere. Sed immortalis atque infinitæ mercedis Vobis conſtitutæ expectatio facile moleſtias omnes
“ leniet, ac leviſſimas efficiet. Quid enim grave ac moleſtum eſſe poterit cogitantibus, beatiſſimam
“ illam retributionem ob ſervatum ac multiplicatum gregem a Domino, cum rationem paſtoralis mune-
“ ris expoſcet, recipiendam? Præter hanc pulcherrimam immortalitatis ſpem in ipſis etiam ſuſtinendis
“ paſtoralis vitæ laboribus plurimam jucunditatem ineſſe ſentietis, cum Deo conatus veſtros adjuvante
“ Populum veſtrum mutua inter ſe caritatis conjunctione devinctum, integritate, ac pietate florentem,
“ ceteros denique omnes egregios vigiliarum ac laborum veſtrorum fructus in Eccleſia exortos conſpicietis.
“ Utinam Noſtrum omnium unanimi hujuſmodi voluntatum, ac ſtudiorum conſenſione reductam his
“ Noſtri Apoſtolatus temporibus præclaram hanc Religionis felicitatem, ac antiquæ illius ætatis ſimilem
“ formam videamus, ac gratulari Vobiſcum, Venerabiles Fratres, & congaudere poſſimus in Chriſto
“ Domino Noſtro, qui ſuæ gratiæ præſidio Nos ſuſtentet, & cor noſtrum in illa, quæ ei ſunt placita,
“ ſemper accendat.

“ QUO tempore haſce litteras ad Vos, Venerabiles Fratres, perſcribimus, eodem per alias Noſtras
“ univerſis Chriſtifidelibus Jubilæum de more ad implorandam initio noſtri Pontificatus divinam opem
“ pro ſalutari Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ regimine tranſmittimus. A Vobis igitur majorem in modum
“ petimus ac flagitamus, ut commiſſos veſtræ fidei Populos ad eas rite faciendas in fide, pietate, ac
“ humilitate precationes dirigatis, ac ſicut monitis, & conſiliis veſtris, ita etiam exemplo ad curandas
“ tam ſuæ ſalutis, quam publicæ chriſtianæ utilitatis rationes inflammetis.

“ Ac in noſtræ caritatis pignus Apoſtolicam Benedictionem Vobis, Venerabiles Fratres, ac Veſtrarum
“ Eccleſiarum Fidelibus Populis amantiſſime impertimur.

“ DATUM Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die duodecima Decembris MDCCLXIX. Pontifi-
“ catus Noſtri Anno Primo.

CXXX. Vix Typis mandatæ fuerant Literæ iſtæ Apoſtolicæ, quando *Româ* Indulta venerunt quædam, & quidem momentoſiora quàm ut hìc Loci in Medium non adducantur, quibus ſubindê totum hoc Opus coronamus.

IMPRIMIS laudatus, & nunquàm ſatis pro Meritis laudandus, omni Laude ſuperior, Sanctiſſimùs D. N. *Clemens* XIV, Indultum de Dierum Feſtorum Imminutione, quod primitùs Eminentiſſimo *(q)* Principi Electori S. R. I. & Archiepiſcopo *Moguntino* conceſſerat 7. Februarij 1770, eodemque Anno Die 1. Auguſti ad Diæceſim extenderat *Elphinenſem*, ut liquet ex pridem dictis in *Supplemento* hoc Pag. 812, idipſum quoque elabenti Anno 1772 extendit ad alias *Hiberniæ* Diæceſes, quarum Antiſtites pro eo ſingulatìm, ut voluit Sanctitas Sua, ſupplicarunt.

HÆC cùm ità ſint, in Diplomate San. Mem. *Benedicti* XIV, Pag. 24 *Hiberniæ Dominicanæ* legendo, Feſta omnia (exceptis Dominicis) quæ cum integra Præcepti Obligatione audiendi Miſſam, & abſtinendi ab Operibus ſervilibus, etiamnùm in *Hibernia* manent, Numero ſeptemdecim, unico Intuitu videre poteris. Inter alia porrò annumeratur Feſtum Apoſtoli noſtri *S. Patritij*, ad Differentiam *Alemanniæ*, ubi Feſtum *S. Joſephi* viget adhuc cum integra ſimiliter Præcepti Obligatione, ut ex prælibato feliciter regnantis Pontificis Indulto luculenter conſtat.

CÆTERUM Feſta à quibus ablata nunc eſt Obligatio tàm audiendi Sacrum, quàm abſtinendi ab Operibus ſervilibus, ſunt in *Hibernia* Numero octodecim, Feſta nimirùm Feriæ *tertiæ* Paſchatis, Feriæ *tertiæ* Pentecoſtes, *S. Matthiæ* Apoſtoli, *S. Joſephi*, SS. *Philippi & Jacobi* Apoſtolorum, *Inventionis* S. Crucis, S. *Jacobi* Apoſtoli, S. *Annæ*, S. *Laurentij* Martyris, S. *Bartholomæi* Apoſtoli, *S. Matthæi* Apoſtoli, *S. Michaelis* Archangeli, SS. *Simonis & Judæ* Apoſtolorum, *S. Andreæ* Apoſtoli, *S. Thomæ* Apoſtoli, *S. Joannis* Evangeliſtæ, SS. *Innocentium*, & S. *Sylveſtri* Papæ. Item reliqua alia Feſta ſivè per Sedem Apoſtolicam præcepta, ſivè per Synodales Conſtitutiones, ſivè quacunque alia de Cauſa, qualia ſunt potiſſimùm Feſta Patronorum Diæceſûm, Parochiarum, aliorumque Locorum particularium, putà S. *Laurentij* Epiſcopi in

---

(q) Conſulas Pag. 854 hujus *Supplementi* Lit. u.

Diæceſi *Dublinienſi*, S. *Kirani* Epiſcopi in Diæceſi *Oſſorienſi*, & S. *Canici* Abbatis in Urbe hac *Kilkennienſi*, ejuſque Suburbijs.

CXXXI. Conceſſit item Facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia plenaria Chriſtifidelibus, inter Hæreticos & Infideles in Mortis Articulo conſtitutis, ut ſequitur.

“ Ex Audientia Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS PAPÆ XIV.

“ habitâ 5. Aprilis 1772.

“ Ne Chriſtifidelibus, inter Hæreticos, & Infideles in qualibet Orbis Parte degentibus, & in ultimo Vitæ Diſcrimine conſtitutis, ea ſpiritualia Auxilia deſint, quæ Catholica Pia Mater Eccleſia Filijs ſuis à Sæculo recedentibus ſolet miſericorditer impertiri: Sanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS, divinâ Providentiâ, Papa XIV, me infraſcriptô Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Secretariô referente, pro eximia Charitate, quâ illos paternè complectitur, omnibus, & ſingulis RR. PP. DD. Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Vicarijs Apoſtolicis, necnon RR. Præfectis, ſeù Superioribus Miſſionum, tàm Cleri Sæcularis, quàm Regularis, inter Infideles, & Hæreticos, ut-ſuprà, modò exiſtentibus, ſeù quocunque Tempore exſtituris, peramanter concedit Facultatem impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus prædictis, ad extremum Agonem redactis: Cum ea etiam Extenſione, ut Facultatem hujuſmodi Sacerdotibus, & reſpectivè Miſſionarijs, eorum Juriſdictioni ſubjectis, pro Locis tamen ſuarum Diæceſum, vel pro Miſſionum Diſtrictibus tantùm, communicare poſſint, & valeant: Dummodo in hac Benedictione impertienda ſervetur Formula præſcripta à ſan. Mem. Benedicto XIV. in Conſtitutione data 9. Aprilis 1747, quæ incipit, *Pia Mater*, inferiùs regiſtranda.

“ Quoniam autem facilè continget, ut aliqui ex prædictis Chriſtifidelibus ex hac Vita decedant, quin Eccleſiæ Sacramentis fuerint muniti, & abſque Sacerdotis cujuſlibet Aſſiſtentia; ideò Sanctitas Sua, de uberi Apoſtolicæ Benignitatis Fonte, etiam illis Plenariam Indulgentiam elargitur, ſi contriti Nomen JESU, Corde ſaltem, invocaverint, & Mortem de Manu Domini, eâ, quâ decet, chriſtianâ Animi Demiſſione, & Spiritus Humilitate ſuſceperint, Animamque in Manus Creatoris ſui commendaverint. Quæ poſtrema Decreti Pars, ut Chriſtifidelibus omnibus innoteſcat, eam in ſuis Diæceſibus, ac Miſſionibus, Antiſtites, & Superiores memorati identidem, & præſertim ſanctæ Viſitationis Tempore publicare curent, & ſatagant. Datum ex Ædibus Sac. Congregationis prædictæ Die V. Aprilis MDCCLXXII.

“ *Stephanus Borgia Secretarius.*”

“MODUS

“ à San. Mem. BENEDICTO XIV adprobatus, & pro Opportunitate Temporis ſervandus, ut infrà in Rubricis notatur, ad impertiendum Benedictionem in Articulo Mortis conſtitutis, ab ijs, qui Facultatem habent à Sede Apoſtolica delegatam.

“ Benedictio *in Articulo Mortis cùm ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pænitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis, illis Infirmis, qui illam petierint, dùm ſanâ Mente, & integrâ Senſibus erant, ſeù veriſimiliter petiiſſent, vel dederint Signa Contritionis; impertienda iiſdem eſt, etiamſi poſteà Linguæ, cæterorumque Senſuum Uſu ſint deſtituti, aut in Delirium, vel Amentiam inciderint. Excommunicatis verò, impænitentibus, & qui in manifeſto Peccato mortali moriuntur, eſt omninò deneganda.*

“ Habens *prædictam Facultatem, ingrediendo Cubiculum, ubi jacet infirmus, dicat:* Pax huic Domui, & omnibus habitantibus in ea, *ac deindè ægrotum, cubiculum, & circumſtantes aſpergat Aquâ, benedictâ, ſi commodè haberi poterit, dicendo Antiphonam:* Aſperges me, Domine, Hyſſopo, & mundabor: Lavabis me, & ſuper Nivem dealbabor.

“ Quod *ſi Ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, & abſolvat. Si Confeſſionem non petat, excitet illum ad eliciendum Actum Contritionis; de hujus Benedictionis Efficacia, ac Virtute, ſi Tempus ferat breviter admoneat; tùm inſtruat, atque hortetur, ut Morbi Incommoda, ac Dolores in anteactæ Vitæ Expiationem libenter perferat, Deoque ſeſe paratum offerat ad ultrò acceptandum quidquid ei placuerit, & Mortem ipſam patienter obeundam in Satisfactionem Pænarum, quas peccando promeruit. Tùm pijs ipſum Verbis conſoletur, in ſpem erigens fore, ut ex divinæ Munificentiæ Largitate eam Pænarum Remiſſionem, & Vitam ſit conſecuturus æternam. Poſteà dicat.* V. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini. R. Qui fecit Cælum, & Terram.

“ ANTIPHONA

“ANTIPHONA.

“ Ne reminiſcaris, Domine, Delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque Vindictam ſumas de Peccatis ejus.

“ Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter &c.

“ V. Et ne Nos inducas in Tentationem. R. Sed libera Nos à Malo.

“ V. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam.) R. Deus meus ſperantem in te.

“ V. Domine exaudi Orationem meam. R. Et Clamor meus ad te veniat.

“ V. Dominus Vobiſcum. R. Et cum Spiritu tuo.

“OREMUS.

“ Clementissime Deus, Pater Miſericordiarum, & Deus totius Conſolationis, qui Neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem, ſecundùm Multitudinem Miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N. quem (*vel* Ancillam tuam N. quam) tibi vera Fides, & Spes chriſtiana commendant. Viſita eum (*vel* eam) in Salutari tuo, & per Unigeniti tui Paſſionem, & Mortem, omnium ei Delictorum ſuorum Remiſſionem, & Veniam clementer indulge, ut ejus Anima in Hora Exitûs ſui te Judicem propitiatum inveniat, & in Sanguine ejuſdem Filij tui ab omni Macula abluta, tranſire ad Vitam mereatur perpetuam. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

“ Tum *dicto à Clerico, ſi præſens ſit, vel ab ipſo Sacerdote,* Confiteor, *idem Sacerdos proſequatur.*

“ Misereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis Peccatis tuis perducat te ad Vitam æternam. Amen.

“ Indulgentiam, Abſolutionem, & Remiſſionem Peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. Amen. *Deinde:*

“ Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi, qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit Poteſtatem ligandi atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam Miſericordiam recipiat Confeſſionem tuam, & reſtituat tibi Stolam primam, quam in Baptiſmate recepiſti, & Ego Facultate Mihi ab Apoſtolica Sede tributa, Indulgentiam Plenariam, & Remiſſionem omnium Peccatorum tibi concedo. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti. Amen.

“ Per ſacroſancta humanæ Reparationis Myſteria, remittat tibi Omnipotens Deus omnes præſentis, & futuræ Vitæ Pænas, Paradiſi Portas aperiat, & ad Gaudia ſempiterna perducat. Amen.

“ Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

“ Si *verò Infirmus ſit adeò Morti proximus, ut omnium præmiſſarum Precum recitandarum Tempus non ſuppetat, ſtatim Sacerdos Benedictionem ei impertiatur.*”

CXXXII. Idem Sanctiſſimus Pontifex feliciter regnans conceſſit item Indulgentiam ſeptem Annorum, & totidem Quadragenarum elicientibus Actus Fidei, Spei, & Charitatis, ut ſequitur:

“ Ex Audientia Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS Papæ XIV.

“ habitâ 5. Aprilis 1772.

“ SS. Dominus Noſter, paternâ Charitate complectens Chriſtifideles omnes, inter Hæreticos, & Infideles exiſtentes, & apud eos pium, & ſalutarem Uſum eliciendi quàm ſæpiſſimè Virtutum theologalium Fidei, Spei, & Charitatis Actus promovere intendens, Ingulgentiam ſeptem Annorum, & totidem Quadragenarum, perpetuis valituram Temporibus, unicuique ex prædictis Chriſtifidelibus, toties quoties, præmiſſâ ſaltem Cordis Contritione, præfatos Actus attentè ac devotè recitaverint, miſericorditer in Domino concedit, ac impertitur: Declarans, Ingulgentiam hujuſmodi per Modum Suffragij Animabus in Purgatorio detentis applicari etiam poſſe. Datum Romæ ex Ædibus dictæ Sac Congregationis Die, & Anno, quibus ſuprà.

“ *Stephanus Borgia Secretarius.*”

“ORATIO.

“ *Præmittenda Actibus Fidei, Spei, & Charitatis* (r).

(*r*) Adeas Num. LXXXI *Supplementi* hujus Pag. 871.

“ Omnipotens ſempiterne Deus da Nobis Fidei, Spei, & Charitatis Augmentum, & ut mereamur aſſequi quod promittis, fac Nos amare quod præcipis. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

“ ACTUS FIDEI.

“ Firmiſſime Ego credo quidquid Sancta Catholica Eccleſia credendum mihi proponit, quia à Te, Deus meus, qui es Veritas infallibilis, revelatum eſt. Singulariter verò, atque deſtinctè credo exiſtere unum Deum, & tres diſtinctas Perſonas, hoc eſt, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum; credo Dei Filium, Spiritûs Sancti operante Virtute, humanam Carnem aſſumpſiſſe in Utero Virginis Mariæ, Hominemque factum, paſſum, & in Cruce Mortuum pro Nobis reſurrexiſſe, indè autem in hujus Mundi Fine venturum eſſe ad judicandum omnes, ut bonis tribuat æternam Gloriam, & æternis Gehennæ Pænis malos puniat. Hac in Fide & vivere & mori eſt mihi certiſſimè conſtitutum.

“ ACTUS SPEI.

“ Deus meus, cùm ſis Omnipotens, infinitèque miſericors, propter Jeſu Chriſti Merita ſpero Veniam Peccatorum meorum, tuam in hac Vita Gratiam, & in altera æternam Gloriam, ſicuti Tu promiſiſti, ſi bona Opera faciam, quæ quidem, Te auxiliante, facturum eſſe nunc Tibi promitto.

“ ACTUS CHARITATIS.

“ Deus meus, quia es ſummum Bonum, atque perfectiſſimum, Te ſuper omnia toto Corde meo diligo, Tuique Amore diligo etiam, ac ſemper diligam alios ſicut meipſum.

“ ACTUS CONTRITIONIS.

“ Deus meus, quia ſuper omnia diligo tuam ſummam, & perfectiſſimam Bonitatem, toto Corde meo doleo Tranſgreſſione tuæ Legis me Tibi Offenſam irrogaſſe, &, Te auxiliante, firmiſſimè propono nunquàm id ampliùs eſſe facturum, atque evitaturum omnem proximam Occaſionem peccandi.”

CXXXIII. Conceſſit demùm idem Pontifex *Clemens* XIV Indulgentiam Plenariam in Feſto SS. Apoſtolorum *Petri & Pauli*, & infrà Octavam, ut ſequitur:

“ Ex Audientia Sanctiſſimi D. N. CLEMENTIS Papæ XIV habitâ per
“ Me infraſcriptum S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarium.
“ Die 19 Aprilis 1772.

“ Etſi in cunctis Sanctorum Solemnitatibus chriſtianum Populum ſpirituali Exultatione lætari conveniat, & Deo, qui illos poſt hujus Sæculi Ærumnas, atque Preſſuras conſtanter toleratas in Cælis coronavit, juge Laudis Sacrificium offerre. Id tamen præcipuo quodam Modo præſtare debet recurrente anniverſariâ Die, quâ Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli glorificatus eſt Exitus. In unius ſiquidem invicta Fidei Confeſſione Eccleſia eſt ædificata, in alterius Eloquio enutrita, in utriuſque tandem Sanguine eſt decorata. Hinc Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS Papa XIV pro Sollicitudine, quâ eandem Eccleſiam regit, ac moderatur, Mentis Aciem convertens ad Chriſtifideles in Hibernia degentes, & præfatorum Apoſtolorum Cultum, ac Devotionem promovere, ac augere intendens, unicuique ex illis verè pænitentibus, confeſſis, & ſacrâ Communione refectis, qui 3 Kalendas Julij (29 *Junij*) vel aliquo Die infrà Octavam dictorum Apoſtolorum in Oratorijs, vel in privatis Domibus per aliquod Temporis Spatium Deum ſincero Corde oraverint pro Infidelium, & Hæreticorum Converſione, ſanctæque Fidei libera Propagatione, Plenariam Indulgentiam perpetuis valituram Temporibus miſericorditer concedit, ac impertitur. Declarans Indulgentiam hujuſmodi per Modum Suffragij Animabus in Purgatorio detentis poſſe applicari...

“ Quod Pontificium Indultum ut omnibus Chriſtifidelibus Regni prædicti innoteſcat, & ejus Memoria in poſterum ſervetur, ſanctitas Sua mandavit per RR. PP. DD. Archiepiſcopos ipſorum reſpectivè Suffraganeis, & per hos Parochis ſuarum Diæceſum illud notum fieri, eiſdem Parochis in Virtute Sanctæ Obedientiæ injungentes, ut proximis Kal. Junij, & recurrentibus quotannis ejuſdem Menſis vel Kalendis, in Dominica immediatè ſequenti, in frequenti Populi Conventu denuncient, illos, qui in præſenti Decreto præſcripta Opera fideliter implebunt, Plenariam Indulgentiam in Domino conſecuturos. Datum Romæ Die, & Anno, quibus ſuprà.

Stephanus Borgia, S. Congregationis
de Propaganda Fide Secretarius.”

FINIS.

INDEX,

INDEX

Nominum & Rerum notabilium tàm in hoc Supplemento, quàm omiſſarum in Indice Hiberniæ Dominicanæ.

Figura indigitat Paginam. Lit. N. indicat Notam ſub eadem Pagina.

A.

ABDUA (Ferdinandus de) Cardinalis. 819.
Actus theologicarum Virtutum. 938.
Actus Pietatis dulces & ſuaves. 871.
Aer Hiberniæ temperatiſſimus. 807, N.
Alanus (Gulielmus) Cardinalis. 846.
Alanus (Joannes) Archiep. *Dublinien.* & *Hiberniæ* Cancellarius. 817.
Albanus (Annibal) Cardinalis *S. Clementis*. 840.
Albanus (Joannes Franciſcus) Cardinalis, poſteà Clemens Papa XI. 924.
Albanus (Joannes Franciſcus) Card. *S. Clem.* 853.
Albigenſes Hæreticos debellavit S. Dominicus. 34. 347. 389. Eorum Nomenclatura, Errores, & Everſio 827, N.
Albini (Nicolaus Xaverius) Archiep. *Athenien.* 867, N.
Alcober (Fr. Joannes) Martyr apud *Sinenſes*. 834.
Alexander IV. Summus Pontifex. 854, N.
Allen (Joannes) Comitialis. 885.
Allenus (Joannes) Magiſter Scriniorum. 909.
Allocutio duplex Benedicti XIV. 832. 835.
Alpin (Nicolaus Mac) Comitialis. 885.
Alſatia de Boſſu de Chymai (Philippus Thomas de) Card. Archiep. *Mechlinien.* 856.
Alterius (Æmilius) Card. poſteà Clemens X. 823.
Alterius (Cardinalis) Protector Ordinis. 840.
Alternativa quatuor Hiberniæ Nationum prohibita. 860.
Amphitheatrum Flavij Veſpaſiani. 390, N. Vulgò appellatum *Coloſſeo* ob Coloſſum marmoreum cum Effigie *Neronis* ab ipſomet Imperatore illic erectum. 847, N.
Andreæ Archiep. *Mechlinien.* Literæ teſtimoniales. 860.
Andujar (F. Joſephus-Aloyſius de) Epiſc. *Dertonen.* 866. Ejus Epiſtola. Ibid.
Angliæ Provincia à S. P. Dominico inſtituta. 45. 47 Ipſa Hiberniæ Dominicanæ Matrix. 45. Nonnihil de ea ibid, & 369, N. ac 815.
Animadverſio in Epiſtolam Epiſcopi *Fernen.* & Collegæ ad Nuntium *Rinuccinum*. 916.
Antonini (S) ſolâ Auctoritate firma manet Martini V. Extravagans, *ad evitanda*. 807.
Antuerpienſis Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Apologia Theologorum *Dublinij*. 882.
Apologia, ſeù Manifeſtum Generalis O-Neill. 899.
Apoſtoli Refutatorij D. Nuntij. 896.
Appellatio Supremi Concilij. 890.
Appendix Manualis Catholicorum damnata. 826.
Aquileienſis Patriarchatus bipartitus. 872.
Aquino (F. Thomæ de) Doctori Angelico inſcriptum Diploma Apoſtolicum Clementis IV. 816.
Arcamoni (Joſeph) Theatinus. 681. 689. 916.
Archer (Patritius & Walterus) Comitiales. 885.
Ariſta (P. Mag. Gregorius) Socius. 871.
Armorum Tutela præcipua antiquis Hibernis Gloria. 810.
Articuli Concordiæ inter Baronem Inchiquinum, & Confæderatos Catholicos. 887.
Aſhe (Clemens) Comitialis. 884.
Ataida (Antonia de) Comitiſſa Conjux. 864.
Athloniæ Fortalitium. 910.
Athy, Familia *Galvien.* 922.
Avenionenſes Archiepiſcopi tres Ord. Præd. Sibi immediatè ſuccedentes. 871, N.
Auguſtani Conventûs Elogium. 817.
Azevedo (F. Ludovicus) Epiſc. *Angolæ*. 897, N.

B.

BABE (Patritius) Comitialis. 885.
Baccalaureus nuncupatur Lector Theologus ſecundus apud *SS. Sixtum & Clementem* Urbis. 853.
Bagnel (Walterus) Comitialis. 885.
Bagot (Joannes & Mauritius) Comitiales. 885 887.
Bagot (Robertus) Secretarius, & Notarius. 881. 896.
Barberinus (Antonius, Carolus, & Joannes Baptiſta) Cardinales Protectores *Hiberniæ*. 739. 868. 932.
Barnewall (Georgius, Henricus, & Jacobus) Comitiales. 884. 885.
Baro *Palatinus* quis? 264, N.
Baron (Galfridus) Comitialis, & Commiſſarius. 881. 884.
Baron (Milo) Epiſcopus *Oſſorien.* 869.
Barrett, Familia *Galvien.* 922.
Barry (Gerardus, & Patritius) Comitiales. 886.
Barry (Robertus) Epiſc. *Corcagien.* & *Clonen.* 890. 896. 909.
Bartholomæo (F. Seraphinus à S) 871.

Bath (Petrus & Robertus) Comitiales. 885.
Beati 19 Ord. Præd. ex Benedicto XIV. 834.
Bellew (Joannes) Baro. 922.
Bellew (Joannes) Comitialis. 885.
Bellew (Maria-Franciſca) Comitiſſa. 922.
Belling (Richardus) Comitialis. 885. Commiſſarius. 698. Secretarius Supremi Concilij *Kilkenniæ*. 665, N. Ejuſdem Senator. 877. Non fuit Auctor *Philopatris Irenæi*. 875. 909.
Benedictini Monachi eligebant, & eligebantur ad *Cantuarien.* & ſex alias *Angliæ* Diæceſes 825.
Benedictionem impertiendi in Articulo Mortis Facultas, & Formula. 936.
Benedictus (B) XI. Pont. Max. Ord. Præd. 834.
Benedictus XIII. Pont. Max. Ord Præd. 834. 835. a Benedicto XIV commendatus. 834. Plura ejus Geſta quà Religioſi, quà Epiſcopi, quà Metropolitani, & quà Romani Pontificis. 823. 824. Præclara ejus Opuſcula. 867, N.
Benedictus XIV. Pont. Max. 816. 825. 829. 868. 936. Præſuit Comitijs generalibus Ord. Præd. 832. Prævia ejus Allocutio. Ibid. Grates à P. Proc. Gen. repenſæ. 834. Alia ipſius Allocutio. 835. Epiſtola paſtoralis de Reſidentia Antiſtitum *Hiberniæ*. 830.
Beneficia Eccleſiaſtica. Vid. *Tractatus*.
Benignus (S) Archiep. *Armacanus*. 811.
Bentivolus (N) Cardinalis. 928
Bermingham, Comes de *Louth*. 887, N.
Bermingham (Franciſcus) Baro de *Athenry*. 884. 887. 890. 895.
Bermingham (Joannes) Commiſſarius. 884.
Bermingham (Chriſtophorus, Eduardus, Joannes, & Willielmus) Comitiales. 884. 885.
Bermingham, Familia *Galvien*. 922.
Bernardino (P. Præſentatus Thomas) 871.
Bethlehemitani Monaſterij Fundatio. 863, &c.
Birgitta diverſum Nomen à *Brigida*. 838.
Birne (Brianus, Jacobus, & Joannes) Comitiales. 884. 885.
Blake, Familia *Galvien*. 922.
Blake (Franciſcus) Comitialis. 884.
Bodkin, Familia *Galvien*. 922.
Bodkin (Dominicus) Comitialis. 884.
Body (Thaddæus O) Comitialis. 885.
Boncambius (F. Jacobus) Epiſc. *Bononien*. 833.
Borgia (Stephanus) Secretarius S. Cong. de *Propaganda Fide*. 829. 936. 938.
Borromæus (S. Carolus) Cardinalis. 394. 825.
Boyle (Terlachus O) Comitialis. 885.
Boxadors (P. Joannes-Thomas de) Magiſter Ordinis. 871.
Bragadinus (Joannes) Patriarcha *Venetiarum*. 931.
Branan (Joannes) Comitialis. 885.
Brien (Caroli O) Dynaſtæ de *Clare* Epitaphium. 862.
Brien (Daniel O) Comitialis. 887.
Brien (Dermitius, Donatus, & Terentius O) Aſſociati. 879. 887.
Brien (F. Gulielmus O) Novitius *Romæ*. 415, N.
Brien (Maurus O) Baro de *Inchiquin*. 887. 889.
Brien (Moriartus O) Colonellus. 879.
Brien (F. Terentius O) Epiſc. *Imelâcen*. 890. 917, N.
Brigidæ (S) *Hiberniæ* Patronæ Cranium apud *Lumiar* in Agro *Ulyſſiponen*. 838. Inſcriptio ea de Re. 839.
Brin (Hugo) Comitialis. 885.
Briſacier P.) Jeſuita, Scriptor. 875, N.
Brito (Chriſtophorus, Joannes, & Lupus de) 864.
Brito (Iria de) Comitiſſa de *Atalaya*, Fundatrix. 864. Epitaphium ejus. 865.
Brown (F. Andreas-Adamus) *Scotus*. 840.
Browne, Familia *Galvien*. 922.
Browne (Eduardus, Galfridus, & Sylveſter) Comitiales. 884. 885.
Browne (Gulielmus) Theologus *Dublinien*. 882.
Brugenſis Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Bruodinus (P. Antonius) Scriptor. 907, N.
Bryan (Anna, & Jacobus) 895.
Bryan (Edmundus, & Patritius) Comitiales 885. 887.
Bryan (Patritius) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ*. 887. 889. 895. 898.
Bulganenſis Conventûs Elogium. 817.
Burgo (Gulielmus de) Prorex *Hiberniæ*. 912, N.
Burgo (Gulielmus de) Baro de *Caſtle-Connell*. 879. 884.
Burgo (Gulielmus, Joannes, Richardus, Theobaldus, Ulicus, & Willielmus de) Comitiales. 885. 887.
Burgo (Honoria de) Duciſſa *Berwica*. 82. Epitaphium ejus. 278, N.
Burgo (Hugo de) Epiſcopus *Duacen*. 909.
Burgo (Joannes de) Epiſc. *Clonſerten.* dein Archiep *Tuamen*. 657. 881. 884. 890 895.
Burgo (F. Oliverius de) Vic. Apoſt. *Duacen*. 895.
Burgo (F. Thomas de) Epiſc. *Oſſorien*. 870.
Burgo (Ulici de) Marchionis Clarickardiæ Epiſtola ad D. Nuntium. 900.
Burgos (P. Mag. Policarpus de) Carmelita *Hiſpanus*. 553.
Burke, Familia *Galvien*. 922.
Butlerorum Domus ſermè regia. 818, N.
Butler (Chriſtophorus) Archiep. *Caſſelien*. 818. Ejus Epiſtola ad *Clementem* Papam XI. 819.
Butler, Comes de *Carrick*. 887, N.
Butler (Eduardus) Vicecomes de *Galmoy*. 884
Butler (Gualterus) Domûs ſuæ Primipilus 819, N.
Butler (Jacobus) Archiep. *Caſſelien*. 818, N. 870.
Butler (Jacobus) Baro de *Dunboyne*. 887.
Butler (Joannes) de *Garryricken*. 819, N.
Butler (P. Mag. Petrus) Provincialis Ord. *S. Aug.* 829, N.

Butler (Pierius) Vicecomes de *Ikerrin*. 884. 887.
Butler (Pierius) Senator Supremi Conc. *Kilk*. 881.
Butler (Richardus) Vicecomes de *Mountgarrett*. 877. 884. 895.
Butler, Familia *Galvien*. 922.
Butler (Edmundus, Pierius, Richardus, Thomas, & Walterus) Comitiales. 884. 885. 887.
Butlerorum multi Clero aſſociati. 880.
Byrne (Edmundus) Archiep. *Dublinien*. 818.
Byrne (Richardus O) Theologus *Dublinien*. 882.

C.

CAFFARELLI (N) Canonicus *Lateranen*. 842.
Callaghane (Callaghanus O) Comitialis. 884.
Callaghane (Donatus O) Colonellus. 889.
Callaghane (Donatus O) Comitialis. 884.
Callaghanus (Joannes Mac) Scriptor. 875. 909.
Calviniſtæ. 29. 638. 875.
Cameracenſis Archiepiſcopus Benefactor. 857, N.
Canali (Xaverius) Cardinalis. 850. & ſeqq.
Cantuarienſem ad Sedem & ſex alias in *Anglia* ſoli eligebant & eligebantur Benedictini. 825.
Cantwell (F. Oliverius) Epiſc. *Oſſorien*. 866.
Canutus I. & II. *Anglorum* Reges ex *Dania*. 809, N.
Carafa (P. Vincentius) Generalis *Jeſuitarum*. 914. N.
Cardan (Adrianus) Theologus *Dublinien*. 882.
Carolus I. *Angliæ* Rex Capite plexus. 846. Ipſum inter & Reginam Ritus Matrimonij. 875.
Carolus VIII. Rex *Galliæ*, & *Neapolis*. 838.
Carpenter (Joannes) Archiep. *Dublinien*. 818.
Cartan (Hugo Mac) Comitialis. 885.
Carthy (Donatus Mac) Vicecomes *Muſkriæ*. 880. 884.
Carthy (Dermitius Mac) Aſſociatus. 879.
Carthy-More (Donaldus Mac) Aſſociatus. 879.
Carthy-Riagh (N. Mac) Aſſociatus. 879.
Carthy (Carolus, Dermitius, & Thaddæus Mac) Comitiales 884. 885.
Carvalhal & Sylva (Hieronymus-Rogatus de) Epiſcopus *Portalegren*. 855.
Carve (Colonellus) Comitialis. 884.
Caſanatenſi in Bibliotheca Benedictus XIV præfuit Comitijs Generalibus Ord. Præd. 833.
Cathaldi (S) Prophetia inventa. 838.
Catharina (F. Lucas à) Chronologiſta. 863.
Cavanagh (Morganus O) Proc. Cap. *Leghlinen*. 815.
Cæleſtinus (S) Rom. Pont. miſit S. Patritium in *Hiberniam*. 819.
Cæremoniale *Kilkenniæ* ergà D. Nuntium. 889, N.
Ceccano (Stephanus de) Cardinalis, anteà Abbas *Foſſæ Novæ* 844, N.
Cercolani (Antonius) Pictor. 847, N.
Cheevers (Arthurus) Comitialis 884.
Chiari (Joſephus, & Thomas) Pictores. 847, N.
Chirographum Benedicti Papæ XIII. 841.
Ciacconi (P. Mag. Dominicus-Antonius) 552.
Cioja (Franciſcus-Maria) Referendarius U. S. 851.
Clementis Papæ IV. Diploma. 816.
Clemens VIII. 840. Ejus Diploma. 814.
Clemens X. 823. 824.
Clemens XI. 823.
Clementis XIII duo Diplomata. 839. 850. Hortamen de Regularium Privilegijs. 931.
Clementis XIV Electio. 854, N. Ejus Diploma de Imminutione Dierum Feſtorum. 812. 935. Indultum de recipiendis Novitijs in *Hibernia*. 829. Quatuor alia Indulta. 935, & ſeqq.
Clynton (Pierius) Comitialis. 825.
Coadjutoriæ cum futura Succeſſione. 829. 831.
Codurius (Joannes) Nuntius. 873.
Coello (Antonius-Bonifacius) Archiep. *Lacedæmoniæ*, Suffraganeus, & Vic. Gen. *Liſbonen*. 855.
Coemgenus, alijs Kevinus (S) Abbas. 838.
Coffy (P. Mag. Thomas) primus *Hibernorum* Prior *Romæ* apud *SS. Sixtum & Clementem*. 840.
Coghlanus (Joannes, & Terentius) Comitiales. 884.
Colclough (Antonius) Comitialis. 884.
Colmanus (P. Joannes) Mag. Novitiorum. 840.
Colonienſis Conventûs Elogium. 817.
Coloſſeo cur ſic dicitur? 847, N. Vid. *Amphitheatrum*.
Columbanus (S) Abbas. 22. 831.
Comerford (Eduardus) Archiep. *Caſſelien*. 819.
Comerford (Eduardus) Comitialis. 884.
Comerford (F. Patritius) Epiſc. *Waterfordien*. & *Liſmoren*. 884. 890. 895. 897. 898.
Comes *Palatinus* quis? 264, N.
Comin (Georgius) Comitialis. 884.
Comitibus (Innocentius de) Archiep. *Tyri*, & Nuntius Apoſtolicus. 854, N. Vid. *Conti*.
Commyn (Georgius) Senator Supr. Conc. *Kilkenniæ*. 877.
Commyn (Georgius) Comitialis. 887.
Compendium Accuſationum contrà D. Nuntium. 904. Earum Redargutiones 907.
Conca (Sebaſtianus) Pictor. 847, N.
Concurſus Parochiarum. 832.
Condon (Joannes) Aſſociatus. 879.
Conel (Richardus) Epiſcopus *Ardferten*. 884.
Confraternitas Nominis *Jeſu*, & *Dei*, eadem 827, N.
Connor (F. Ambroſius O) renunciatus Epiſcopus *Ardachaden & Clonmacnoiſen*. 870.
Connor (Daniel O) Comitialis. 884.
Connor (P. Mag. Joannes O) Vic. Gen. *Hiberniæ*. 840.
Connor (P. Præd. Gen. Joannes O) Scriptor. 828.
Connor (Thaddæus O) Capitaneus 879.
Connor-Sligoe (Danielis O) Epitaphium. 863.
Conner-Sligoe (Thaddæus O) Comitialis. 885.
Connor-Roe (Thaddæus O) Comitialis. 885.
Conſtantienſi in Concilio Orator Regis *Angliæ* præceſſit Oratori Regis *Franciæ* propter Antiquitatem *Hiberniæ*. 807.
Conti (Hugolinus) Cardinalis, poſteà Gregorius IX.

IX. 844, N. Vid. *Comitibus* (*de*)
Contenſoni (F. Vincentij) Scriptoris Monitum. 828.
Coppinger, Familia *Anglo-Danica.* 809, N.
Corcagienſis (F. Joannes) deſignatus Archiep. *Colonien.* 866.
Cormacus Archiepiſcopus *Armacanus.* 811.
Corſinus (Nerius) Cardinalis Protector *Hiberniæ.* 932.
Coſcia (Nicolaus) Cardinalis. 842.
Cowley (Andreas) Comitialis. 884.
Creagh (Gulielmus, & Pierius) Comitiales. 887.
Creagh (Petrus) Archiepiſcopus *Dublinien.* 818.
Crean, Familia *Galvien.* 922.
Cremona ab *Hibernis* liberata. 318, N.
Cruiſe, Familia *Anglo-Danica.* 809, N.
Cruiſe (Walterus) Comitialis. 885.
Curwin (Hugo) Archiepiſcopus *Dublinien.* 817.
Cuſack (Jacobus) Commiſſarius. 881.
Cuſack (Jacobus) Comitialis. 885.
Cuſack (Patritij) Epiſcopi *Miden.* Decreta caſſata, & moderata per S. Congregationem. 825.
Cyrilli & Methodi (SS) Corpora apud *S. Clementem* Urbis. 405. Eorum Feſtum ibidem. 847.

D.

DALTON, Baro de Rathcomire. 743.
Daly (P. Mag. Daniel O) 872, N.
Dani regnarunt in *Anglia* ſed nunquàm in *Hibernia.* 809, N. Varius eorum Acceſſus in *Hiberniam.* 837.
Darcy, Familia *Galvien.* 922.
Darcy (F. Arthurus) Neo-profeſſus, 871.
Darcy (F. Oliverius) Epiſc. *Dromoren.* 895.
Darcy (Patritius) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 652. 654. 658. 877. Judex. 881.
Darcy (Petrus) Theologus *Dublinien.* 882.
Daton (Gulielmus) Epiſc. *Oſſorien.* 815, N. 869.
Davis (Eques Joannes) Attornatus Regius. 909.
Dean, Familia *Galvien.* 922.
Deaſe (Thomas) Epiſcopus *Miden.* 895. 930.
Declaratio Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 672.
Declaratio quatuordecim Epiſcoporum. 889.
Declaratio poſterior trium Epiſcoporum. 674.
Dempſey (O) Princeps *Ophaliæ.* 742.
Dempſey (Bernardus O) Comitialis. 884.
Dempſey (F. Edmundus O) Epiſc. *Leghlinen.* 884.
Dempſey (Ludovicus O) Vicecomes de *Clanmalier.* 879. 884.
Dermott (P. Mag. Petrus Mac) Sodalis *Clonſbanvillen.* 296.
Devereux (Nicolaus, & Robertus) Comitiales. 885.
Devereux (Robertus) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 887. 890. 895.
Diaz (F. Franciſcus) Martyr apud *Sinenſes.* 835.
Diæceſano Synodo ſolus Epiſcopus ſubſcribit. 824.
Digby (Kenelmus) Eques Auratus. 653. 878.
Dillon (Edmundus, Jacobus, Joannes, & Lucas) Comitiales. 884. 885.
Dillon (Jacobus) Aſſociatus. 880.
Dillon (Lucas) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 887. 890. 895. 889.
Dillon (Theobaldus) Vicecomes de *Coſtellogallen.* 884.
Diſticha de Oppido *Galvienſi.* 922. 923.
Dobyn (Petrus) Comitialis. 887.
Dogharty (Eugenius O) Officialis Militaris. 900.
Dogharty (Roſæ O) Epitaphium. 931.
Dominicus (S) Roſarium inſtituit, & *Albigenſes* evertit. 827, N.
Dominicanis veluti congenitum eſt defendere S. Sedem. 690, N.
Donatus Epiſcopus *Dublinienſis.* 726.
Dongan (Walterus) Comitialis. 885.
Donnelan (Petrus O) Epiſcopus *Clonferten.* 829.
Donnell (Alexander Mac) Comes de Antrim. 884.
Donnell (Alexander Mac) Senator Sup-Conc. *Kilkenniæ.* 881.
Donnell (Jacobus Mac) Comitialis. 885.
Donnell (Jacobus Mac) Aſſociatus. 879.
Donnell (Jacobus Mac) Officialis Militaris. 900.
Donnellorum (O) Genealogia. 282, N.
Donnell (Allanus, & Hugo O) Comitiales. 884. 885.
Donnellus (Caffarus O) è Principibus *Tirconalliæ.* 931.
Donnellus (Hugo O) Princeps *Tirconalliæ.* 931.
Donnellus (Rodericus O) Comes *Tirconalliæ.* 874.
Donogh (Brianus Mac) Armiger. 922.
Donogh (P. Patritius Mac) Guardianus &c. 553.
Dormer (Michael) Comitialis. 885.
Dowdall, Familia *Anglo-Danica.* 809, N.
Dowdall (Laurentius) Comitialis. 885.
Dowde (Eduardus, & Thaddæus O) Comitiales. 884. 885.
Doyle (Jacobus, & Terentius) Comitiales. 885.
Dublinienſis Urbis Nomenclatura & Antiquitas. 837.
Duffe (Patritius) Comitialis. 885.
Dwiggin (Joannes) Aſſociatus. 879.
Dulcius (F. Stephanus) Archiep. *Avenionen.* 871. N.
Duncannoniæ Fortalitium. 911. 918.
Dune (Albertus O) Capitaneus. 879.
Dune (Eduardus O) Aſſociatus. 879.
Dunn (Edmundus) Procurator Capituli *Dublinien* 815.
Dwyer (Antonius, & Philippus O) Aſſociati. 879.
Dwyer (Edmundus O) Epiſc. *Limericen.* 876, N, 884. 890. 911.
Dwyer (Philippus O) Comitialis. 885.

E.

EDICTUM Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 671.
Edictum Congregationis Generalis *Kilkenniæ.* 885.
Eduardus I. Rex *Angliæ.* 818, N.
Eduardus III. Rex *Angliæ.* 812.

Egan (F. Boetius Mac) Epiſc. *Elphinen.* 895.
Egan(F. Boetius Mac) Epiſc, *Roſſen.* 890 896, 909.
Egan (F. Stephanus Mac) Epiſc. *Clonmacnoiſen.* 867. Inſimul & *Miden* 828.
Eleemoſyna Miſſæ à quo taxanda? 823. Quanta in *Hbiernia*? Ibid.
Eleonora ex Filia Neptis Regis Eduardi I. *Angliæ*, prima Comitiſſa *Ormondiæ*. 818, N.
Elizabetha Regina *Angliæ*. 846.
Ellis (Philippus-Michael) Epiſc. *Signien.* Fratrem habuit Welborum Ellis, Epiſc. Acatholicum *Miden.* Item duos alios Fratres Acatholicos, unum Secretarium Regis *Jacobi* II, alterum Secretarium Regis *Gulielmi* III. 711, N.
Eminentiſſimi Titulus. 854, N.
Emmanuel Rex *Luſitaniæ*. 864.
Enos (Walterus) Secretarius D. Nuntij. 896.
Epiſcopus ſolus ſubſcribit Synodo *Diæceſanæ*. 824.
Epiſcopi ſinguli Suffraganei ſubſcribunt Synodo *Provinciali*. 824.
Epiſcopi Statutum non expirat Morte ipſius, vel Tranſlatione. 825.
Epiſtolæ Confæderatorum Catholicorum *Hiberniæ* ad Innocentium X. 860, 876, 921.
Epiſtola D Nuntij ad P. Generalem *Jeſuitarum*. 914
Eſmond (Thomas) Baronettus, Senator. 881.
Everard (Richardus) Comitialis. 885.
Everard (Richardus) Eques Auratus. 887.
Everard (Richardus) Baronettus. 890.
Examinatores intrà & extrà Synodum ab Epiſcopo electi. 832.
Excellentiſſimi & Reverendiſſimi Titulus. 854, N.
Excommunicationis Sententia per Nuntium. 673.
Exequiæ pro Frederico Auguſto Rege *Poloniæ*. 413.
Exequiæ pro Maria Scholaſtica *Orſini*. 844.

F.

FAGAN (Lucas) Archiep. *Dublinien.* 818.
Fallon, Familia *Galvien* 922.
Fallon (Jacobus O) Epiſc. *Elphinen.* Indultum impetravit circà Dies Feſtos imminutos. 812.
Fallon (Stephanus, & Willielmus) Comitiales. 885.
Fanning (Galfridus, & Patritius) Comitiales. 884.
Farrell. Vid. *Ferrall.*
Feneſtra Chori S. Sixti de Urbe cecidit. 844.
Fennell (Geraldus) Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ*. 877, 885, 887, 890, 895, 898.
Fennell (Gerardus) Comitialis. 885.
Ferdinandus I. Rex *Arragoniæ* & *Neapolis* 838.
Ferdinandus II Imperator. 914, N.
Ferdinandus III. Rex *Caſtellæ*, & *Legionis*. 818, N.
Feroni (Joſephus-Maria) Cardinalis. 850.
Ferquardus Rex *Hiberniæ*, Pater Ferguſij, primi *Scotorum* Regis. 809.
Ferrall (Aurelius, Franciſcus, Gerardus, Jacobus, Liteus, & Richardus O) Aſſociati 880.
Ferrall (Daniel, Farguſius, & Franciſcus O) Comitiales. 884.
Ferrall (Richardus O) Capucinus. 903, N.
Ferrall (Richardus O) Colonellus. 880.
Ferrallus (Richardus O) Generalis. 684, 906, 910.
Ferrarius (F. Thomas-Maria) Card. *S. Clementis.* 847, N. 849, N. 870. A Benedicto XIV commendatus. 833.
Ferretti (F. Vincentius-Maria) Procurator Gen. & bis Vicarius Gen. Ord. Præd. 845.
Figuiredo Sarmento (Martinus) 864.
Finglas (Joannes) Comitialis 885.
Finglaſs (Patritius) Capitalis Baro *Scaccarij* 900, N.
Fiſher (Joannes) Cardinalis Epiſc. *Roſſen.* 837, N.
Fitz Simons (Patritius) Archiep. *Dublinien.* 818.
Flattiſberry (Philippus) Comitialis. 885.
Flavij Clementis (S) Feſtum. 853.
Fleming (F. Jacobus) Theologus *Dublinien.* 882.
Fleming (F. Thomas) Archiep. *Dublinien.* 814, 817, 877, 890, 895, 897. Diploma ab eo impetratum pro Titulo *Miſſionis* in *Hibernia*. 874.
Fleming (Thomas) Senator Sup. Conc. *Kilkenniæ*. 877.
Fleming (Thomas) Comitialis. 885.
Flin (Fiacrius) Comitialis. 884.
Flin (F. Patritius O) Novitius. 840.
Fonte, Familia *Galvienſis*. 922.
Forjax Pereira (Jacobus) Comes de *Feira*. 865.
Foſſi (Ferdinandus) Præpoſitus, & Bibliothecarius. 900.
Fox (Arthurus) Officialis Militaris. 900.
Franciæ Regis Titulum habet Rex *Angliæ*. 149, N. Neque ſine Re. 612, N.
Franciſcus II. Rex *Galliarum*. 846.
Franckenberg (Joannes-Henricus Comes à) Archiep. *Mechlinien.* 862
Frangipani (Joanna Franciſca) Genitrix Benedicti Papæ XIII. 823.
French, Familia *Galvienſis*. 922.
French (Chriſtophorus, & Jacobus) Comitiales. 884, 885.
French (Nicolaus) Epiſc. *Fernen.* 861, 880, 881, 884, 895, 921.
Frenchard (Joannes) Colonellus. 889.
Froſius (Antonius-Cajetanus) Conſecretarius. 844.
Furlong (Marcus) Comitialis. 885.

G.

GABULENSIS Epiſcopus Ord. Præd. 816.
Gaetano (F. Joſephus) primus Epiſcopus *Albi Caſtelli*, vulgo *Caſtel Branco*. 897, N.
Gallius (Ptolomæus) Cardinalis *Novocomen.* 872.
Gallus (S) Abbas *Hibernus*. 831.
Galoſius (Dominicus-Antonius) Secretarius. 844.
Galviæ Familiarum Nomina gentilitia. 922.
Galvienſe ad Municipium datum Edictum Supremi Concilij *Kilkenniæ*. 913.
Gandavenſis Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Ganganelli (P. Mag. Laurentius) Cardinalis, dein Clemens Papa XIV. 854, N. 866, 869.
Gara (Michael O) Archiep. *Tuamen.* 829.

Garampi (Joſephus) Secretarius *Ciphræ*, Archiviſta *Vaticanus*, &c. 817, 869, 872.

Garbanus (S) Heremita *Hibernus*. 838.

Garvey (Joannes) Comitialis. 885.

Gavel-Act expenditur. 922.

Gedeon (Ludovicus) Capitaneus. 910, 911.

Gentili(Antonius-Xaverius)Cardinalis. 231,N. 506.

Geoghegan (F. Antonius Mac) Epiſc. *Clonacnoiſen*. dein *Miden*. 890. 896.

Geoghegan (Carolus, Conlius, Eduardus, & Richardus Mac) Comitiales 884, 885

Geoghegan (Gluerus Mac) Capitaneus. 879.

Geoghegan (Jacobus, & Nicolaus Mac) Aſſociati. 879.

Geoghegan (F. Rochus Mac) Epiſc. *Daren*. 858.

Geraldinus (Chriſtophorus, Edmundus, Geraldus, Henricus, Joannes, Lucas, Matthæus, Mauritius, Nicolaus, Pierius, & Thomas) Comitiales. 884, 885, 887.

Geraldinus (Jacobus) Vir nobilis, Iliadem malorum paſſus. 872, N.

Geraldinus (P. Mag.-Jacobus) denatus *Romæ*. 847.

Geraldinus (Joannes, & Mauritius) è Comitibus *Deſmondiæ*. 872, N.

Geraldinus (Oliverius, & Thomas) Aſſociati 880, 883.

Ghezzi (Petrus-Leo) Eques Auratus, & Pictor. 847, N.

Ghilini (Thomas-Maria) Archiep. *Rhodien*. & Nuntius *Bruxellen*. 826. Epiſtolæ ejus ibidem, & 925.

Gilmore (Carolus) Comitialis. 884.

Godin (Ludovicus) Subſtitutus. 852.

Goold (Joannes) Comitialis. 885, 887.

Gough (Jacobus) Capitaneus. 906, 911.

Gough (Patritius) Comitialis. 885.

Gough (Patritius) Commiſſarius. 887, 890.

Gozzadinus (Joſephus-Ulyſſes) Cardinalis. 924.

Grace (Joannes Comitialis) 887.

Gregorius Papa IX. 19. 812. 854, N.

Gregorius Papa XIII. 846, 872.

Guarnerius (Aloyſius) Jacobi-Antonij Filius. 396.

Guarnerius (Julius-Cæſar) Epiſc. *Campianen*. 396.

H.

HADSOR (Joannes) Comitialis. 885.

Haly (Joannes, & Nicolaus) Comitiales. 885, 887.

Hanly (Thaddæus O) Comitialis. 885.

Haroldus *Angliæ* Rex ex *Dania*. 809, N.

Harris (Eduardus, Marcus, & Nicolaus) Comitiales. 885, 887.

Hart (F. Patritius) Clericus *Romæ*. 415, N.

Hartpole (Robertus) Comitialis. 885.

Hay (Nicolaus) Comitialis. 885.

Hendweck (G. A.) Secretarius. 858, N.

Henes (Thomas) Comitialis. 885.

Heneſſy (Carolus) Comitialis. 884.

Henricus II. Rex *Angliæ*. 912, N.

Hiberni priſci, & moderni. 912.

Hiberniæ centum & octoginta novem Reges antè *Anglorum* Invaſionem. 809. Nunquàm prius paſſa externum Dominium. Ibid.

Hiberniæ Regni Antiquitas in Concilio *Conſtantienſi* probata & confirmata ſuprà Regnum *Franciæ*. 807.

Hibernicum Idioma eſt vernaculum in *Scotia*. 5, N. 809, N.

Higgins (Daniel) Comitialis. 884.

Hoare (Gulielmus) Judex. 881.

Hoare (Gulielmus) Commiſſarius. 881.

Hoare (Gulielmus, Matthæus, & Willielmus) Comitiales. 885, 887.

Hogar (P. Richardus-Joannes)Orator funebris. 818.

Holywood (Chriſtophorus) Comitialis. 884.

Honorius III. Pontifex Maximus. 841.

Hope (Alexander, & Joannes) Comitiales. 884, 885.

Hope (Capitaneus) Aſſociatus. 880.

Hope (Joannes) Officialis Militaris. 881.

Howardus (F. Philippus-Thomas) profeſſus apud *S. Sixtum* Urbis, dein Cardinalis. 840, 871.

Huddleſton (Joannes) Monachus Benedictinus. 711.

Hurley (Mauritius) Comitialis. 885.

I.

JACOBI I. Regis Origo ab *Hibernis*. 807.

Janſeniana Hæreſis longiſſimè aberrat à Thomiſtica Doctrina. 819, N.

Jarlatus Archiepiſcopus *Armacanus*. 811.

Ignatij (S) Epiſc. & Mart. Tranſlationis Feſtum apud *S. Clementem* Urbis. 846.

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Titulus. 854, N.

Imminutio Dierum Feſtorum in *Hibernia*. 935.

Imperialis (Coſmus) Cardinalis *S. Clementis*. 853.

Imperialis (Joſephus Renatus) Card. Protector *Hiberniæ*. 932.

Inchiquin. Vid. *Brien* (*Murtachus O*)

Indicis S. Congregationis Decretum contrà Appendicem quandam. 826.

Indulgentiæ conceſſæ elicientibus actus momentoſos theologicarum virtutum. 937. Eorundem Formulæ. Ibid.

Indulgentia Plenaria in Feſto SS. Apoſt. Petri & Pauli, ac infrà Octavam. 938.

Ingolus (Franciſcus) Secretarius 868.

Innocentius Papa III. Nomen impoſuit *Fratribus Prædicatoribus*. 35. 854, N.

Innocentius V. Pont. Max. Ord. Præd. 834.

Innocentij X. Epiſtola in Forma Brevis ad Antiſtites & Supremum Concilium *Hiberniæ*. 878.

Innocentius Papa XI. 816, 823.

Innocentius XII. 928, N. Diploma ejus ad *Hibernos*. 923. Alterum ejus Diploma de *Hibernis*. 924.

Innocentius XIII. Summus Pontifex. 840. 854, N.

Inſtructiones miſſæ ad D. Nuntium *Rinuccinum*. 877.

Inſtrumenta Concordiæ Suffragiorum. 886, 887.

Joannis IV. Regis *Luſitaniæ* Diploma. 863.

Joſephus I. *Luſitaniæ* Rex. 854, N.

Joyce, Familia *Galvienſis.* 922.
Iprenſis Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Juramentum novum Aſſociationis inter *Confæderatos Catholicos.* 882.
Juramenta quædam prohibita. 614, 925.
Juvenalis de *Veteri Urbe*, Pictor. 402.

K.

KAVANAGH (Daniel, & Murtachus O) Comitiales. 884, 885. Vid. *Cavanagh.*
Kealy (Edmundus, & Willielmus) Comitiales. 884, 885.
Kearney (Daniel O) Epiſ. Limericen. 514, N. 870.
Kearney (Jacobus O) Comitialis. 885.
Kearney (Philippus O) Clericus Generalium Comitiorum *Hiberniæ.* 681, 881, 882, 883, 907.
Keeffe (Daniel) Comitialis. 884.
Keely, alias Quæleus (Malachias) Archiep. *Tuamen.* 877.
Kelly (F. David Mac) Archiep. *Caſſelien.* 870.
Kelly (Daniel, & Joannes O) Comitiales. 884. 885.
Kelly (F. Dominicus O) Prior *Lovanien.* 861.
Kelly (Thomas O) Abbas Can. Reg. 928, N.
Keon (P. Mag. Petrus) ter Rector *Ulyſſiponen.* 424, 428.
Kiernan (P. Thomas Mac) Provincialis Minoritarum. 900, 902.
Kilianus (S.) *Hibernus.* 831.
Kilkennienſes bini Pontes everſi. 866.
Kinſly (Æneas) Comitialis. 884.
Kirwan, Familia *Galvienſis.* 922.
Kirwan (Franciſcus) Epiſc. *Alladen.* 890, 895.
Kirwan (Patritius) Comitialis. 885.
Komelti (Patritius O) Comitialis. 885.

L.

LACY (Joannes) Aſſociatus. 879.
Lacy (Joannes) Comitialis. 885.
Lalor (Dionyſius) Comitialis. 884.
Lambert, Familia *Galvienſis.* 922.
Langton (Willielmus) Comitialis. 885.
Lateranenſe Capitulum Urbis. 841.
Lateranenſes Canonici Regulares *S. Patritium* inter Sanctos ſuos ſexdecim annumerant. Ex *S Pio V.* 832.
Laurentius (S) Archiep. *Dublinien.* 831.
Laurentius (B) *Anglus* Fundator Cænobij *Pariſien.* 815.
Laurentio (Chriſtophorus de S) Comitialis. 884.
Laureus (Vincentius) Cardinalis apud *S. Clementem* Urbis tumulatus. 396. Olim Nuntius à S. Pio V. ad *Mariam Stuartam* Reginam *Scotiæ.* 845.
Lawleſs (F. Gregorius) Theologus *Dublinien.* 882.
Lawleſs (Gualterus) Vicecomes *Kilkenniæ.* 895, N.
Lawleſs (Patritius) Prorex *Majorcæ.* 895, N.
Lawleſs (Richardus) Procurator Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 895.
Leodienſis (Cardinalis) Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Libellus (F. Hyacinthus) Archiep. *Avenionen.* 871, N.
Limericenſe Monaſterium *Canonicorum Regularium* conceſſum Fratribus *S. Auguſtini.* 928.
Lincoln (Richardus) Archiep. *Dublinien.* 818.
Linegar (Joannes) Archiep. *Dublinien.* 818.
Longofordienſes Domini Barones. 880.
Lovanienſis Acadamiæ Judicia & Epiſtolæ in Laudem *Hibernorum.* 100, 111, 432, 862.
Ludoviſius (Ludovicus) Card. Protector *Hiberniæ.* 932.
Lumiar, Pagus *Luſitaniæ.* 838.
Luſmag, Territorium *Lageniæ.* 305, N.
Lynch, Familia *Galvienſis.* 922.
Lynch (Andreas) Epiſc. *Fenaboren.* 890.
Lynch (Dominici) Vice-Colonelli Epitaphium. 931.
Lynch (Gualterus) Epiſc. *Clonferten.* 895, 909.
Lynch (Martinus, Nicolaus, & Robocus) Comitiales. 885.
Lynch (Robocus, alijs Robertus) Senator Concilij Supremi *Kilkenniæ.* 881, 887, 890, 895, 898.
Lyncheus (Jacobus) Abbas Can. Reg. 929, 930.

M.

MAESTRE (P. Mag. Antoninus de) Exprovincialis *Germaniæ Inferioris*, & Prior *Brugen.* 866.
Magauly (N) Officialis Militaris. 910. Vid. *Aulay* (Mac)
Magenis (F. Arthurus) Epiſc. *Dunen.* & *Connoren.* 884, 890.
Magenis (Arthurus, Colonellus, Daniel, Everus, & Hugo) Comitiales. 884, 885.
Magenis (F. Bonaventura) Epiſc. *Dunen.* 930.
Magranel (Bernardus) Capitaneus. 879.
Magranel (Caherius, Cornelius, & Corradus) Aſſociati. 879.
Maguire (Eugenius) Officialis Militaris. 900.
Maguire (Rorius) Colonellus. 895.
Mahonorum (Mac) Genealogia. 306, N.
Mahon (F. Michael Petrus Mac) Epiſc. *Laonen.* 870.
Mahonyorum (O) Genealogia. 306, N.
Mahony (Emerus O) Epiſc. *Dunen.* & *Connoren.* 877.
Malachias (S) Archiep. *Armacanus.* 831.
Malone (Gulielmus) Superior *Jeſuitarum* in *Hibernia.* 915, N. 916.
Manifeſtum. Vid. *Apologia.*
Manoel (Franciſcus) primus Comes de *Atalaya.* 865.
Manoel (Nunij) Epitaphium. 865.
Manuale Catholicorum damnatum quoad Appendicem. 825.
Mara (Gulielmus O) Epiſc. *Laonen.* 870.
Marco (F. Hyacinthus à S) Natione *Italus.* 871.
Marefuſcus (Marius) Card. Protector *Hiberniæ.* 754, 931.
Margarita Tudor Regina *Scotiæ.* 846.
Maria Stuarta Regina *Scotiæ.* 846.
Maria Tudor Regina *Angliæ.* 846.
Maria-Anna-Victoria Regina *Luſitaniæ.* 854, N.
Marinis (F. Dominicus de) Archiep. *Avenionen.* 871, N.

Marinis (F. Joannes Baptiſta de) Magiſter Ordinis. 859. Ejus Epiſtola ad Univerſitatem *Lovanien.* Ibid.
Marranæ Fluvius in Urbe. 840.
Martin, Familia *Galvienſis.* 922.
Martin (Antonius) Comitialis 884.
Maſſarius (Dionyſius) Decanus *Firmanus,* &c. 890, 913, 916.
Matrimonium ut contrahatur inter Partes Catholicam & Acatholicam non poteſt diſpenſare Epiſcopus. 875.
Matthews(Emerus)Epiſ. *Clocheren.* 881, 884, 890.
Matthews (Eugenius) Archiep. *Dublinien.* 814, 815, 817.
Maurice (Edmundus, & Gerardus Fitz) Comitiales 884, 885.
Mauritius (Gerardus Fitz) Capitaneus. 880.
Maxwell (Anna] Baroniſſa *Bellew.* 922.
Maxwell [Gulielmus] Comes de *Nithſdale.* 922.
Mechlinienſis Archiepiſcopus. 856, 857, N. 862.
Melaghlin [Morganus O] Aſſociatus. 880.
Membrive [P. Mag. Bernardinus] Provincialis *Scotiæ.* 113, N.
Mendes dos Reyes [Bartholomæus-Emmanuel] Epiſcopus *Macaonenſis.* 855.
Mendo Trigoſo [Franciſcus] Epiſc. *Viſeen.* 855.
Miſſionis Titulus in *Hibernia* 874.
Moguntinus Archiepiſcopus [Emericus-Joſephus] Princeps Elector Imperij &c. 812
Molinari [Joannes-Carolus) Archiep. *Damaſcen.* & Nuntius *Bruxellen.* 856.
Mollony [Joannes O] Epiſc. *Laonen.* 657, 884, 895.
Molloy [Capitanei tres) Aſſociati. 879
Molloy [Arthurus, & Morganus] Aſſociati. 879.
Montibus [Philippus de] Cardinalis. 929.
Moral [P. Mag. Mauritius] primus Provincialis *Hiberniæ Dominicanæ.* 817.
Morelli [Franciſcus-Maria] Referendarius Utriuſque Signaturæ 851.
Morice [Edmundus] Senator Sup. Conc. *Kilkenniæ.* 877.
More [Liſaghus O] Officialis Militaris. 900.
Morris, Familia *Galvienſis.* 922.
Morrough [Dermitius Mac] Rex *Lageniæ.* 726.
Morus (Liteus, & Rodericus O) Aſſociati. 879.
Morus [Rogerus] Comitialis. 885.
Morus [Thomas] *Angliæ* Cancellarius. 837.
Murphy [Eduardus] Archiep. *Dublinien.* 815. 818.
Murphy [P. Joannes] Baccalaureus. 853.
Muſicœ peritiſſimi *Hiberni* antiqui. 810, N.

N.

NAAS [Baro de] Fundator Cænobij. 727.
Namara [Dioyſius Mac] Aſſociatus. 879.
Namara [Daniel, & Joannes Mac] Comitiales. 884, 885.
Namurcenſis Epiſcopus Benefactor. 857, N.
Nangle, Baro de Navan. 729.
Nangle [Rogerus] Comitialis 885.
Nary [Cornelius] Vic. Gen. *Dublinien.* 355.
Neapoleo Urſinus à S. Dominico Vitæ reſtitutus: 374, 376, 385, 844, N.
Neill [Conoſſius O] Princeps Ultoniæ 873. Ad ipſum Breve Pauli III. Ibid.
Neill [Eugenius O) Præfectus Generalis. 881, 895, 905, 906, 910, 912, 913, 922, 930, 931 Ejus Apologia. 899.
Neill [Hugo O] Princeps & Comes *Tyroniæ.* 874.
Neill [Hugo O] Baro de *Dungannon.* 874. Epitaphium ejus. Ibid.
Neill [Brianus, Conoſſius, Felimus, Henricus, & Philippus O] Officiales Militares. 900.
Neill (Henricus, Phelimus, & Terlachus O] Comitiales. 885.
Neill [Eques Phelimus O] Senator Supremi Concilij *Kilkenniæ.* 855. 881, 887, 890.
Neill [Raymundus O] Filius Principis Conoſſij. 873.
Nerij [S. Philippi] Miraculô præſervatus à Morte Benedictus XIII. 824.
Netterville (Joannes) Vicecomes *Nettirville.* 884.
Nettirville [P. Mag. Joannes-Franciſcus] Provincialis *Hiberniæ.* 871.
Nettirville [Nicolaus] Vicecomes *Nettirville.* 877.
Nettirville Patritius, & Richardus] Comitiales. 885.
Nettirville [P. Mag. Thomas] Prov. *Hiberniæ.* 870.
Nix vix triduana in *Hibernia.* 807, N.
Nolan, Familia *Galvienſis.* 922.
Nomina *Jeſu* & *Dei* diſtincta. 827, N. Sed. eadem eorum Confraternitas. Ibid.
Novitios recipiendi in *Hibernia* Facultas conceſſa Ordini S. Auguſtini à Clemente XIV. 829.
Nugent [Andreas] Canonicus Regularis. 930.
Nugent (Pierius) Comitialis 885.
Nugent (Richardus) Comes *Weſtmediæ.* 879.
Nugent (Robertus) Aſſociatus. 879, 880.

O.

OGYGIA dicta eſt Hibernia ob Antiquitatem. 807.
Orcades Inſulæ. 809, N.
Orſini, ſeù Urſini [Dominicus] Cardinalis, ex Fratre Pronepos Benedicti XIII 844, N.
Orſini (Soror Maria-Scholaſtica) Germana Benedicti XIII. 844. Vid. *Urſinus.*
Oviedo [F. Matthæus de] Archiep. *Dublinien.* 817.

P.

PALATINUS Comes, & Baro quis? 264.
Pallotta [Joannes Baptiſta, & Joannes Evangeliſta] Cardinales 914, N.
Pamphilius (Camillus) Cardinalis. 878, 907, 908.
Pamphilius [Joannes-Baptiſta] Cardinalis, poſteà Innocentius X. 868.
Panzirolus [Joannes-Jacobus] Cardinalis. 909, 911, 913.
Parochialem Miſſam audire non tenentur Fideles, ex Benedicto XIV. 825.
Paſſari [Marcellus] Cardinalis. 928, N.
Paſſionæus [Dominicus] Cardinalis. 831.

Patritius [S] Synodum habuit in Hibernia. 811, Vixit 122 Annos poſtquàm tres viderat in *Armacana* Sede Succeſſores-Ibid. & 884, Ejus Prophetia de Eccleſia Chriſti *Dublinij*. Ibid. In una ex Fornicibus Miſſam celebravit. Ibid.
Patrick[Brianus Fitz]Baro *Oſſoriæ Superioris*. 884.
Patrick [Florentius Fitz] Comitialis. 884.
Paulus III. Pontifex Maximus. 837.
Paulutius [Camillus] Cardinalis. 841.
Pecchioli [F. Raymundus] Epiſc. *Burgi S. Sepulchri*. 845.
Pech [Wariſius de] Fundator Cænobij. 726.
Pelluno [Nicolaus de] Card. Protector *Hiberniæ*. 869, 932.
Penriſe, Familia *Galvienſis*. 922.
Penſio Conventui *Lovanienſi* conceſſa ex Ærario *Bruxellenſi*, & S. Cong. de Propaganda Fide. 436, 856.
Percontationes Marchionis *Clanrickardiæ*. 901. Earum Reſponſa. 902.
Petrai [R. D. Carolus] Sub-Bibliothecarius. 900
Petri [S] Fregata. 910, 911.
Petrus Martyr [F.] Epiſcopus *Mauricaſtrenſis* &c. ac Martyr, ex Benedicto XIV. 835.
Phelan [Jacobus] Epiſcopus *Oſſorien*. 868, 869.
Philopater Irenæus, 650, N. 909.
Piaſtrini, Pictor. 847, N.
Piccolomineus [P. Franciſcus] Generalis *Jeſuitarum*. 914, N.
Picturarum in Baſilica *S. Clementis* Urbis Pictores. 847, N.
Pipia [F. Auguſtinus] Cardinalis *S. Sixti*. 844.
Pius [S] V. Pont. Max. Ord. Præd. 832, 834.
Plunkett, Familia *Anglo-Danica*. 809, N.
Plunkett [Chriſtophorus] Comes de Fingall. 884.
Plunkett [Nicolaus] Eques Auratus. 895, 916, 917, 918.
Plunkett [Nicolaus] Senator Conc. Sup. *Kilkenniæ*. 884.
Plunkett [Nicolaus] Comitialis. 885.
Plunkett [Oliverius] Baro de *Louth*. 880, 881,884.
Plunkett [F. Patritius] Epiſ. *Ardathaden*. 895.
Poli [Cardinalis] Bulla, & Diſpenſatio. 904.
Poncius (F. Joannes) Scriptor. 875.
Ponſi (P. Mag. Dominicus) Scriptor. 816.
Porte, Familia *Galvienſis*. 922.
Portus Maritimi *Hiberniæ* magis noti quàm *Angliæ*. 810.
Power (David) Comitialis. 884.
Power (Joannes) Commiſſarius. 889.
Precum Enchiridion damnatum propter Appendicem. 825.
Prendergaſt (Jacobus) Comitialis. 885.
Preſkoni(F. Jordanus)Proc. Provinciæ *Ruſſiæ*. 871.
Preſton (Jacobus, Robertus, & Thomas) Comitiales. 885.
Preſtonus (Thomas) Generalis. 880, 881.
Primatibus nullus habitus Reſpectus in Concilio *Tridentino*. 812.
Proceres Spirituales & Temporales Comitiorum *Kilkenniæ*. 884.
Propoſitiones quatuor recenſitæ in nova Juramenti Formula. 883.
Proteſtatio ſolemnis Congregationis Eccleſiaſticæ apud *Waterfordiam*. 880.
Purcell [Robertus] Comitialis. 885.
Purgatorium S. Patritij Concione Benedicti XIII. celebratum. 811.

Q.

QUÆSTIO Marchionis *Ormondiæ*. 677, 882.
Quæleus. Vid. *Keely*.
Queſnelli Errores damnavit Clemens XI. 818.
Quin, Familia *Galvienſis*. 922.
Quin [Thomas] Theologus *Dublinienſis*. 882.

R.

RASINI, Pictor. 847, N.
Ratificatio Ceſſationis Armorum cum Barone de *Inchiquin*. 887.
Redargutiones Accuſationum contrà Nuntium. 907.
Reges appellabantur Optimates *Hiberniæ* ab ipſiſmet *Angliæ* Regibus, etiam poſt *Anglorum* Invaſionem. 912.
Regulares adire poſſunt ægrotantium Domos abſque Licentia Parochi. 824.
Reilly (Hugo O) Archiep. *Armacanus*. 884. 890.
Reilly (Hugo O) Colonellus. 895.
Reſidentia (de) Antiſtitum *Hiberniæ*. 830.
Reſidentia Epiſcoporum formalis & materialis. 830, 831.
Reſignationes Parochiarum, & Dignatum, ac Canonicatuum admittenda ſub certis quibuſdam Conditionibus. 829.
Reſponſio Theologorum *Dublinij*. 882.
Reynolde (Carolus) Comitialis. 884.
Rezzonico (Carolus) Card. *S. Clementis*. 847, 853.
Rezzonico (Joannes Baptiſta) Cardinalis. 847, N.
Ribiera (Ven. Joannes) Archiep. *Valentinus*. 825.
Rice (Eduardus) Comitialis. 884.
Richard (Robertus Fitz.) Baro de *Norragh*. 737. 752.
Richardſon (F. Laurentius) Epiſc. *Kilmoren*. 828.
Richford (P. Mag. Gulielmus) Provincialis *Angliæ*. 817.
Ridulphus (F. Nicolaus) Mag. Gen. Ordinis. 871.
Ridolphi (F. Nicolaus Aloyſius) Mag. Sac. Palatij. 845.
Rinuccini (Joannes Baptiſta) Archiep. *Firmanus*, & Nuntius. 890. 896. Poſtulatus ad Purpuram, 921. Ejus Decretum. 929. Apoſtoli. 896. Epiſtola ad Thomam Deaſe Epiſc. *Midenſem*. 930.
Rinucciniana Bibliotheca *Florentiæ*. 900.
Ripoll (F. Thomas) Mag. Gen Ord. Præd. 845.
Roccaberti (F. Joannes-Thomas) Mag. Gen. Ord. 840.
Roche (David, Joannes, & Redmundus) Comitiales. 884. 885.

Roche (Mauritius) Vicecomes de Fermoy. 879, 881, 884.

Roche (Raymundus) Vicecomes de Fermoy. 839. Epitaphium ejus apud Dertonam in *Inſubria* Ibid.

Roche (Thomas) Capitaneus. 918. Vid. *Rupe* (*de*)

Rochefort (Hugo) Judex. 881.

Rochfort (Marcus) Theologus *Dublinien.* 882.

Rodericus Rex *Conaciæ*. 912, N.

Romani Pontifices quatuor Ord. Præd. ex Benedicto XIV. 834.

Romanis (de) Architectus. 842.

Romolatius (Franciſcus) SS. Inquis Curſor. 826.

Ronane (Franciſcus O) Comitialis. 884.

Roſaria Nominis Jeſu, & B. Virginis. 827.

Roſarium utrumque jugiter practicatum in *Hibernia* præſertim *Dublinij*. 828.

Roſſiter (Michael) Epiſ. *Fernen.* .815, N.

Roth (David) Epiſc. *Oſſorien.* 869, 895, 897.

Rourk (Comes O) Aſſociatus. 879.

Rourk (Hugo O) Comitialis. 885.

Rourk (Thaddæus O) Epiſc. *Alladen.* 829.

Roweus (P. Joannes) Provincialis Carmelitarum Diſcalceatorum. 905, 910.

Royo (F. Jacobus) Martyr, ex Bened. XIV. 834.

Rubeis (Ferdinandus-Maria de) Cardinalis Præfectus S. Cong. *Concilij*. 813.

Rumoldus (S) Archiep. *Dublinien.* 831.

Rupe (de) Vid. *Roche.*

Rupeforti (Hugo, & Jacobus de) Comitiales. 885.

Ruſſell (Georgius) Comitiales. 884.

Ruſſell (Jacobus) Decanus *Dublinien.* 815.

Ruſſell (Patritius) Archiep. *Dublinien.* 815, 818.

Ryan (Thomas O) Comitialis. 885.

Ryan (Thomas) alter Comitialis. 887.

Ryves (Gulielmus) Gubernator *Mallow*. 889.

S.

SACRA Inſula à Græcis dicta *Hibernia.* 310, 311. Poſtmodum SS. Inſula paſſim nuncupata. 310, N.

Safar (Athanaſius) Epiſc. *Mardichen.* 847, N.

Saldanha (Franciſcus de) Card. Patriarcha *Liſbonen.* 854.

Salmeron (Alphonſus) Nuntius. 873.

Sancti 13. Ord. Præd. ex Benedicto XIV. 834.

Sankey (Nicolaus) Comitialis. 885.

Santini (Vincentius) Internuntius *Bruxellen.* dein Archiep. *Trapezuntinus*, & Nuntius *Polonus*. 818.

Sarsfield (Gulielmus) Vicecomes de *Kilmallock*. 887.

Saxoniæ Provincia inſtaurata. 816.

Scanlan (F. Patritius O) Epiſc. *Rapoten.* 816.

Scarampa (Petrus) Miniſter S. Sedis in *Hibernia.* 905, N.

Schiara (F. Pius-Thomas) Secretarius S. Cong. *Jndicis.* 826.

Selleri (F. Gregorius) Cardinalis. 845, N.

Senonenſis Cardinalis (Nicolaus de Pelluno) 869.

Sebaſtianus Rex *Luſitaniæ*. 865

Serpentes vivere nequeunt in *Hibernia*. 310, N. 810, N.

Serranus (F. Franciſcus) Epiſc. *Tapaſitanus*, & Vic. Apoſt. Provinciæ *Fokienſis* in Regno *Sinenſi*, ac Martyr conſummatus, ex Ben. XIV. 835.

Servuli (S) Lectiones in ejuſdem Officio. 848. Ea de Re Decretum S. Cong. *Rituum.* 849.

Sfaciamonti (N) Notarius Card. Vicarij Urbis. 841.

Shaghnuſſy (F. Colmanus O) Epiſc. *Oſſorien.* 869.

Shaghnuſſy (Dermitius O) Senator Sup. Conc. *Kilkenniæ*. 881.

Shaghnuſſy (Dermitius O) Comitialis. 884.

Shee (Eduardus, Robertus, & Walterus) Comitiales. 884, 885.

Shee (Patritius) Epiſcopus *Oſſorienſis*. 869.

Sherlock (Petrus) Comitialis. 887.

Siccus (F. Seraphinus) Mag. Gen. Ordinis. 858. Ejus Literæ Patentes. Ibid.

Simeonibus (Gaſpar de) Secretarius Brevium. 879.

Simmacus Papa. 843.

Simmons (Patritius Fitz) Archiep. *Dublinien.* 818.

Simoni (Nicolaus de) Epiſc. *Marcianen.* 867, N.

Sixtus V. Pontifex Maximus. 841.

Skerret, Familia *Galvienſis*. 922.

Smith (Pierius) Eques Auratus. 889.

Smithſon-Percy (Hugo) Comes (nunc Dux) *Northumbriæ*, Prorex *Hiberniæ*. 866.

Soarez (Didacus) Secretarius. 864.

Soderini (Tiberius) Referendarius utriuſq. Signaturæ 851.

Solidi Anglicani Valor. 815, N.

Somerſet (Eduardus) Comes de *Glamorgan.* 881, 914. N.

Somerſet [Henricus] Marchio de *Worceſter*. 881, N.

Sottomajor [Franciſcus] Epiſc. *Targæ*, dein *Lamegi.* 865.

Spindler [Marianna] Comitiſſa *Taaffe*. 922.

Spinelli [Joſephus] Cardinalis. 754, 857, N.

Spinola [Georgius] Cardinalis. 867, N.

Spiritu Sancto [F. Michael de] 858. Vid. *Donnell* [*O*] in Indice *Hib. Dom.*

Stacpole [Bartholomæus] Comitialis 879.

Stafford [Richardus] Comitialis. 885.

Status diverſi Conventûs *Lovanien.* 856, N.

Stephenſon [Oliverius] Colonellus. 885, 887.

Strange [Richardus] Comitialis. 884, 887.

Strong [Thomas] Epiſcopus *Oſſorienſis*. 869.

Stuarta. Vid. *Maria.*

Stuartus [Henricus] Conjux Reginæ *Scotiæ*. 846.

Suffraganeus in triplici Senſu. 855, N.

Sullivane [Daniel O] Comitialis. 884.

Sullivane [Donaldus O] Aſſociatus. 879.

Sullivane [Philippus O] Colonellus. 879.

Sullivane-Bear [Daniel O] Senator Sup. Conc. *Kilkenniæ*. 881.

Sullivane-More [O] Comitialis. 885.

Sullivane-More [Eugenius O] Aſſociatus. 879.

Supremum Concilium *Confæderatorum Catholicorum*. 649. Alterum novum. 881.

Sutton [Willielmus] Comitialis. 885.

Swiny [Milo Mac] Officialis Militaris. 900.

Synodùm Diæceſanam inter & Provincialem multiplex Diſcrimen. 824.

Synodus nec Diæceſana nec Provincialis ſtatuere poteſt Impedimentum Sponſalium, multò minùs Matrimonij. 824.

T.

TAAFFE [Franciſcus] Comes S. R. I. 922.

Taaffe [Joannes] Comes *Carlingfordiæ*. 922.

Taaffe [Joannes] Comes S. R. I. Legatus. 922.

Taaffe [Jſmaia] Uxor Mac Donoghi. 922.

Taaffe [Nicolaus]. Comes S. R. I. Vicecomes *Taaffe*. 922.

Taaffe [Rodulphus, Joannes, & Marianna] 922.

Talbot [Petrus] Archiep. *Dublinien*. 815, N. 818.

Talbot [Richardus] Dux *Tirconnalliæ*, & Prorex *Hiberniæ*. 818.

Talbot [Robertus] Comitialis. 885.

Ter celebrandi Miſſam in Die Animarum Privilegium apud *Hiſpanos*, & *Luſitanos* 845.

Terræmotus apud *Beneventum*. 824. Apud *Liſbonam*. 853.

Terſwack [Chriſtianus-Franciſcus] Rector Univerſitatis *Lovanien*. 856. Literæ ejus teſtimoniales. Ibid.

Thomas [S] Doctor Angelicus denatus *Foſſæ Novæ*. 844, N. Ad ipſum Diploma Clementis IV. 816. Elogijs laudatus â Benedicto XIV. 834.

Thonery [Joannes O] Epiſcopus *Oſſorien*. 869.

Thoribius [S] Archiepiſcopus *Limanus*. 825.

Tornacenſis Epiſcopus Benefactor 857, N.

Touchet [Thomas] Comes de *Caſtlehaven* in *Hiberniæ*, & Baro de *Audley* in *Anglia*. 877.

Tractatus inter Gregorium IX, & Eduardum III, de Beneficijs Eccleſiaſticis. 19. A Parlamento *Angliæ*, & *Hiberniæ* corroboratus 812.

Tridentino Concilio tres interfuere *Hiberniæ* Epiſcopi. 919, N. In eo nullus habitus Reſpectus ad Primitiales Antiſtitum Dignitates. 812.

Troy [F. Joannes-Thomas] Clericus. 415, N. Baccalaureus. 844, 852. Præſentatus, & Regens. 844, N.

Tudor [Maria] Regina *Angliæ*. 846.

Tuite [Gerardus] Æconomus. 930.

Tully, Familia *Galvienſis*. 922.

Turcus [F. Thomas] Mag. Gen. Ordinis. 859, 871. N. Literæ ejus Patentes. 859.

Tuſculana Synodus Anno 1763 celebrata. 823.

Tyrellus [N] Capitaneus. 879.

Tyrell [Thomas] Comitialis. 885.

V.

VALENTI-Gònzaga [Silvius] Cardinalis. 829 Epiſtola ejus de Beneficijs Dignitatibuſque *Hiberniæ*. 830.

Valentia [P. Mag. Joannes-Vincentius de] Socius. 858.

Van-Den-Dyck [P. Mag. Pius] Theologus *Caſanaten*. 552.

Verallus [Fabritius] Card. Protector *Hiberniæ*. 869, 932.

Veterani [Benedictus] Cardinalis. 826.

Vicarij Capitularis Poteſtas. 818.

Vicarij Generalis Juriſdicto & Locus. 818. Ad Nutum Epiſcopi amovibilis. Ibid.

Vicarius Foraneus quis? 818.

Vindiciæ Catholicorum Hiberniæ. 875, 917, N. Everſæ. Ibid.

Virgilius [S] Hibernus, Epiſc. Saliſburgen. 831.

Viſitatio Liminum Apoſtolorum ſemel ſingulis Decennijs facienda ab Antiſtibus *Hiberniæ*. 867.

Ulyſſiponenſis Collegij Fabrica 854.

Unigenitus, Bulla Hibernis grata. 818, 819.

Urbanus Papa VIII. 868, 914 Diploma ejus pro Eccleſia *Lovanien*. 855. Pro Cænobio *Limericen*. 829.

Urſinus. Vid. *Neapoleo*. & *Orſini*.

Urſinus [Ferdinandus] Dux *Gravinæ*, Genitor Benedicti XIII. 823.

Urſinus [Petrus-Franciſcus, dein F. Vincentius Maria] Cardinalis, poſteà Benedictus XIII. 823, 840.

Urſius [F. Joſephus-Auguſtinus] Cardinalis *S. Sixti*. 845. Epitaphium ejus. Ibid.

Urſulæ [S] Fregata.

W.

WADDINGUS [Lucas] Epiſcopus *Fernenſis*. 815.

Waddingus [F. Lucas] egregius Scriptor. 895. Ad Purpuram poſtulatus. 876.

Waddingus [Richardus, & Thomas] Comitiales. 885.

Walſh [Joannes] Senator Sup. Con. *Kilkenniæ*. 898.

Walſh [Joannes] Comitialis 885, 887.

Walſh [Joannes] Commiſſarius. 887, 890.

Walſh [F. Petrus] Scriptor. 875.

Walſh [Thomas] Archiep. *Caſſelien*. 877, 881, 884, 895.

Warren [Alexander, Edmundus, & Willielmus] Comitiales 884, 885.

Weldon [Jacobus] Comitialis 885.

Weſley [Edmundus] Epiſc. *Kildarien*. 815.

White [Joannes, & Michael] Comitiales. 885, 887.

Wogan [Nicolaus] Comitialis. 885.

Wolverſton [Franciſcus] Comitialis. 884.

Y.

YOUNG [Gulielmus] Comitialis. 887.

Young [Willielmus] Comitialis. 885.

Z.

ZELADA [Franciſcus-Xaverius de] Archiep. *Petren*. & Secretarius S. Congregationis *Concilij*. 813.

Zuanelli [F. Joannes-Benedictus] Mag. Sac. Palatij. 845.

FINIS.

Corrigenda in Hibernia Dominicana, & Supplemento.

Pagina	Linea	Errata	Corrige
7	9	Crotaniano	Crotoniano
12	28	187	210
16	ult.	Roſrcenſi	Roſcreenſi
17	6	mox	Pag. 460
Ibid	10	Literus	Literas
46	4	Vocos	Vicos
109	46	Bonaventuræ	(adde) Magenis
113	Lit. (y)	Ab Anno	Corrige ut Pag. 754 Sub Fin.
114	41	patrum	patrium
Ibid	Lit. (a)	crediderum	crediderim
134	41	orthodoxa	orthodoxæ
264	41	31	51
Ibid	ult. Col. 1.	462	367
268	29	1942	1642
275	8	1224	1244
332	16 Col. 2.	Gordoni	Gordiani
343	7	S. Franciſci	S. Dominici
372	11	Milla	Millia
461	Lit (f)	Laon	Lacu
480	12 & 13	Franciſcus	Eugenius
506	7	curabo	curavi
511	3	1737	1747
546	7	6 Junij	20 Februarij
654	15	1648	1646
677	25	Deeſt	9 Octobris 1646
681	33	Domini	Domine
684	7	Legatum	Præfectum
692	penult. Col. 1.	Patritij	Oliverij Darcy
731	14	S. Colmani-Elli	S. Colmani
742	31	1052	1188
751	20	ab	ob
761	38. Col. 2	319	318
765	48. Col. 1	327	294
767	28. Col. 2	Nihil	405
768	1. Col. 1	Nihil	Thaddæus O
772	44. Col. 1	Legatus	Præfectus
Ibid	Ibid.	689	684
776	32. Col. 2	574	547
786	32. Col. 1	35	75
847	13	Macedonias	Macedonius
863	19	LXVI	LXVII
867	31	LXXIII	LXXIV
871	15	Deeſt	Pag. 543
Ibid	Lit. q. Col. 2.	Graveſonom	Graveſonum.

MUSEUM BRITANNICUM